RERUM GALLICARUM COMMENTARII AB ANNO CHRISTI...

François Beaucaire de Péguillon, ...

Digitized by Google

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

8-1.A.35

Digitized by Google

Belcarius De Rebus

C·K
III
21

Digitized by Google

Digitized by Google

RERVM
GALLICARV
COMMENTARI

AVCTORE

FRANCISCO BELCA

PEGVILIONE, METENS

EPISCOPO.

Digitized by Google

Digitized by Google

RERVM
GALLICARV
COMMENTARI

Ab anno Chriſti MCCCCLXI
ad annum MDLXXX.

ACCESSIT EX OCCASIONE, VARIIS L
Italicæ, Germanicæ, Hiſpanicæ, Hungaricæ,
& Turcicæ Hiſtoriæ tractatio.

OPVS POSTHVMVM

AVCTORE

FRANCISCO BELCARIO PEGVILI
Metenſi Epiſcopo, generis claritate, humanarum ſacrarumque literaru
tione, rebuſque tum in Gallia, tum in Concilio Tridentino præcl
illuſtri; vt ex proximis ad lectorem præfationibus conſtabit, & ex
oratione de Druidenſi victoria ad Patres Concilij.

AD LVDOVICVM XI
Francorum & Nauarræ Regem Chriſtianiſsimum.

SOC. IESV. BIBL. COLL. ROM.
IHS



LVGDVNI,
Sumptibus CLAVDII LANDRY.

M. DCXXV.

Coll. Rom. Soc. Iesv. B.S.

Digitized by Google

Digitized by Google

LVDOVICO XI

GALLIÆ ET NAVARR

REGI CHRISTIANISSIMO.

QVOD pro tuo tibi iure vindic
lud omnibus profero, vni tibi
REX CHRISTIANISSIME. N
enim auſpicaciùs fieri à me potu
publici iuris iſti rerum Gallic
Commentarij, quàm in eius nomine, qui naſc
Regnum Gallicum ſemel, propria verò virtu
bis imperium ſæpius meruit. Sed & nobis, Au
que plurimùm gratulor compreſſos tandiu la
in muſæo noſtro, vt eum feliciter ſortirentur p
num & vindicem, quo IVSTIOREM deſidera
AVGVSTIOREM nemo queat. Veniet, veni
quando tempus illud, cum & Scriptorum pra
tiſſimorum ſtylus, & curioſorum hominum
hauſta legendi auiditas, heroicis tuis facinorib
ſcribendis, vel legendis vix par erit. Interea verò
non vacant illi quidem, ſed paulò liberiùs reſp

oblatæ tandem occaſionis opportunitatem arripuit hæc hiſtoria, aucupata diu apud me tempus prodeundi, eo futura legentibus acceptior, quòd præ ſe tui nominis maieſtatem feret LVDOVICE REGVM MAXIME: Te vnum enim tanquam delapſum diuinitus intuetur Chriſtiana Reſp. tibi cœlum iam pridẽ palmas exaggerat, te iam lentior adorat Rhenus, tibi Alpes & Pyrenæi ſua demittunt iuga, ſeſeque Oceanus aperit, vt, auſpice Deo, dum te pacificatorem ſuum vniuerſus orbis agnoſcet, Regem quoque te prædicet eſſe iuſtiſſimum, in hac, multiplicique Gallorum hiſtoria potentiſſimi Reges maiores vel Anteceſſores tui, in eas mundi plagas, quas peragrarunt ſuis victoriis, digitum tibi intentant. Faciat Deus vt ſummo Galliæ tuæ, Chriſtianique orbis bono, laureis cumulatus & triumphis, in quæſitæ gloriæ trophæis, & liliorum vbique vernantium vmbra diutiſſimè conquieſcas. Hoc optat, hoc precatur

CHRISTIANISSIMÆ TVÆ MAIESTATIS

Subditus obſequentiſſimus, & ſeruus fideliſſimus

PHILIPPVS DINET à S. Romano.

Digitized by Google

ELOGIVM AVCTORIS, ET OPERIS.

Typographus beneuolo Lectori S.

SIBYLLA non ſolùm ſe, dum viueret, profuturam hominibus cecinit, ſed etiam cum periiſſet ipſa, ignotiſsimis quoque hominibus, ad cuius libros tot annis poſt publicè reditur, cum dubitaretur quid faciendum ſit ex aliquo portento. Idem eueniſſe FRANCISCO BELCARIO PEGVILIONI non immerito dicere poſsim: is enim dum viueret, de Gallia ſua meruit optimè, & moriens hos reliquit commentarios ſuo tempore edendos in lucem, vnde Galli ſimul & exteri maximam ſuarum rerum cognitionem petere queant. Quid autem hominis fuerit Franciſcus Belcarius Peguilio, quibus verſatus in negotiis, vnde venerint in noſtras manus iſti commentarij, quid de illis ſenſerint viri eruditi, operæ precium viſum eſt beneuolum Lectorem certiorem facere.

Fuit Franciſcus Belcarius Peguilio ex illuſtri apud Boios familia, in diuinis ſimul & humanis rebus verſatiſsimus. Extat eiuſdem commentarius aduerſus impium Caluini & Caluinianorum dogma, de infantium in matris vtero ſanctificatione mandatus typis anno MDLXVII. Pariſiis. vnde facilè intelligere poſsis non indignum fuiſſe Metenſibus infulis, quibus tamen poſtea ceſsit Ludouico Cardinali Lotharingo, cui ad Tridentinum concilium proficiſcenti comes fuit, eámque habuit coram Patribus, quam ad calcem huius operis adiecimus de victoria Druidenſi orationem, vnius ferè noctis opus, quemadmodum à viro fide digno accepi.

Cæterum ego commendationem huius hiſtoriæ aliunde non petam, quàm ex tanti Præſulis ad maxima tractanda negotia adhibiti, ſingulari rerum Gallicarum intelligentia: tantaque fide, vt hoc opus licet iam abſolutum prodire non paſſus ſit, dum viueret: tanta maturi-

Digitized by Google

tate iudicij, vt, quemadmodum ipſe teſtatur in operis clauſula, annum ageret quintum ſupra ſeptuageſimum dum hæc ſcriberet: tanto veritatis ſtudio, vt ſi in quarumdam perſonarum, aut locorum nominibus hæſitarit vel leuiter, vacuum ſpatium reliquerit, vbi aſteriſcum appinximus: tanto denique ſtyli nitore & elegantia vt proximè ad Liuianum accedere viris doctis non paucis viſus ſit.

Quid verò cauſæ fuerit cur Gallicam hiſtoriam, non repetierit ab ipſis initiis, ipſe intelliges ex eiuſdem Auctoris præfatione; hoc ſat eſto, vix contigiſſe quidquam in orbe ferè toto memorabile ab anno MCCCCLXI. ad MDLXXX. quod hoc volumine non ſit complexus: cuiuſmodi eſſe poſſunt Ducum Burgundiæ ſuprema calamitas, Italicæ expeditiones Francorum Regum pro Ducatu Mediolanenſi, & Regno Neapolitano, Caluinianorum & Lutheranorum in Romanum Pontificem ſuóſque Principes coniuratio, varia Turcarum bella tum in Hungaria, tum in Rhodi oppugnatione, quæ hic accuratiſsimè & quam elegantiſsimè deſcribitur, & alia id genus longe illuſtriſsima, quæ quia non mediocriter illuſtrabunt rem literariam, vnum adhuc te monitum volo (BENEVOLE LECTOR) beneficium hoc referendum eſſe *Philippo Dinet à Sancto Romano, ex Nobilium vice Regio cubiculario, teneræ iuuentuti Illuſtriſsimi Principis à Longa-villa quondam præpoſito, variiſque poſtea legationibus eiuſdem Principis nomine perfuncto apud Heluetios*, qui pro ſuo in literas amore & Galliam ſtudio, depromptos ex Chriſtana (vulgo le Chaſteau de la Chrete apud Boios) Auctoris bibliotheca hos commentarios nobis tradidit edendos in lucem, quod & fecimus ipſi perlibenter, notiſque ad marginem, copioſoque indice auximus. Præclarè vero putabimus nobiſcum agi, ſi laborem hunc noſtrum, aut ſaltem voluntatem amaueris.

AVCTOR

AVCTOR LECTORI.

PYTHAGORAM Leonti Phliaſiorum principi quam is profiteretur artem roganti ſe Philoſophum eſſe, hoc eſt, ſapientiæ ſtudioſum reſpondiſſe ferunt: porro ſapientiæ ſtudioſos eos verè dici, qui rerum naturam diligenter intuerentur: qui mundum, quæque in mundo geruntur, ſtudioſè, nauiterque contemplarentur. Ac priorem quidem partem de mundi, id eſt, de cœleſtium orbium natura, motibus, effectis perſequi maiorum quorundam, ac plane diuinorum ingeniorum eſſe arbitror: in qua veteres Græciæ Philoſophi vſque ad Socratem maximè, & ante illos Chaldæi, atque Ægyptij, poſt verò, qui eoſdem imitati ſunt, plurimum elaborarunt: Socrates autem Apollinis oraculo ſapientiſſimus iudicatus, quum quæ ſupra nos eſſent, aut nihil, aut parum ad nos pertinere iudicaret, doctrinam de moribus primus inuexit, atque alteram philoſophiæ partem, de iis quæ in mundo geruntur, aut geri debent, mirandū in modum illuſtrauit: illa plurimum habet veræ, ac ſolidæ voluptatis: hæc quoniam communis omnium mortalium vtilitatis in primis ſtudioſa eſt, cœleſtem illam voluptatem publica vtilitate compenſat: Contemplatio autem de moribus aut in doctrina, aut in rebus geſtis, ac gerendis ſita eſt: illam philoſophi, hanc hiſtorici ſequuti mihi videntur; qui ſi ea, quæ ſuſceperunt, verè explicant, veri naturæ contemplatores, ac philoſophi habendi ſunt: ſin minus, pœna falſi, non ea quæ inſtrumenta priuata corrumpentibus, aut mentientibus imponi ſolet, ſed quæ publicam vtilitatem interuertentibus, & læſæ maieſtatis reis adhiberi debet, puniendi, nec iam inter philoſophos, verū inter poſtremos homines, adulatores (inquam) gnathones, ac paraſitos numerandi ſunt. Hinc ſcribendæ hiſtoriæ munus apud veteres illos Romanos bonorum morum, ac vitæ incorruptæ magiſtros ſolis Pontificibus maximis authoritate pollentibus deferebatur, reſque adeò geſtæ publicè in albo proponebantur, vt ſi quod mendacium deprehenderetur, induci ſtatim, atque eximi iuberetur. At veritas odium parit (inquit ille) nec vero odium duntaxat, immo & ab iis, de quibus ſcripſeris, paratam ſæpius ſecum gerit vltionem: itaque rarò veras hiſtorias reperire eſt, niſi ab iis ſcriptas, qui in aliqua Repub. bene inſtituta vixerint: quum vero hodie perpaucæ huiuſmodi ſint, ac bona orbis pars ſub regibus, ac principibus, quorum hæreditaria ſucceſſio eſt, regatur, non mirum ſi aut nullas, aut rariſſimas huius incorruptæ veritatis teſtes reperiamus: niſi ſi quæ forte poſt ſcriptorum mortem, qualem noſtra ætate Cominæi vidimus, in lucem prodierunt. Hæc me variam noſtri temporis hiſtoriam ſcribere meditantem tametſi plurimum deterrebant, tamen quum tam propter ciuiles in Gallia noſtra diſſenſiones ſingulis fere annis renouatas, & in bellum crudele prouectas, quam propter vergentem ad id tempus, quo Romæ ſexagenarij de ponte deiiciebantur, & muneribus publicis abſtinebant, ætatem poſt decimumtertium ex quo id munus ſuſcepiſſem, annum, Metenſi Pontificatu defunctus eſſem, eoque ceſſiſſem, & me ab hominum frequentia ſubducens in Chriſtanum fundum paratum ſenectuti iamdudum inter noſtros Boios ſtudiorum meorum domicilium ſeceſſiſſem, ne omnino otioſum vitæ extremum tempus traducere viderer, commentarios rerum Gallicarum ſcripſi: quibus externas, ſi fortę cum iis coniunctæ fuerunt, attexui: hos me editurū non profiteor: lateant in Chriſtana noſtra bibliotheca, donec tuto exire poſſint: verè, nec in cuiuſquam gratiam, aut odium ſcripſiſſe confirmo: vt autē ad opus quod ſuſcepi aggrediar, tibi in primis, lector optime, rationem inſtitutæ huius narrationis reddere operæpretium eſſe duxi.

Qui Regum, liberorumque populorum res geſtas diligenter mandare litteris in animum induxerunt, alij ab vltima origine ſcribendi initium ſumendum, alij æqualem ſuæ ætati memoriam perſequendam exiſtimarunt: nos quoniam regni Gallici initia ſatis incerta, nec ab eius ætatis ſcriptoribus tradita accepimus, ea noſtro iure præterire poſſumus, ne pro certis incerta ponamus. A Ludouico autem Galliarum rege eius nominis vndecimo hiſtoriæ noſtræ initium potiſſimum ſumpſimus: tametſi multis poſt annis, hoc eſt, decimo ſeptimo Kalendas Maias anno decimi ſexti ſeculi (vt Chriſtiani numeramus) decimo quarto nati ſumus, quod Philippi Cominæi hiſtoriam Gallico ſermone luculenter ſcriptam, & omnium qui ea ætate, poſteáque vixerunt, communi voce commendatam in promptu haberemus. Acceſſit Petri Anlezij auunculi noſtri diligentia, qui Petri Borbonij primum, mox Caroli vltimi Boiorum reguli domeſticus, & Cominæo fere æqualis Commentariolum rerum ſua ætate geſtarum Gallice ſcripſit: nec edidit, & mihi adoleſcenti iam tum hiſtoriam ſcribere meditanti

ditanti legendum obtulit: Is admodum ſenex Franciſco primo iamdudum in Gallia rerum potiente fato functus eſt.

Nec me præterit Paulum Æmilium, Iouiumque Italos homines eruditos Gallicam hiſtoriam, illum à prima gentis origine ad Carolum Octauum, hunc ab eodem Carolo ad Henricum Secundum reliquiſſe. Sed Æmilius quum vnum Cominæum in Ludouico XI. ſequatur, nullum præterea alium ex Gallis hiſtoricis, niſi forte Gaguinum, legiſſe, nec ex alio quouis audiiſſe videatur, tamen contraria nonnunquam, aut certe multum diuerſa prodit, ſiue quod Gallicum ſermonem fortaſſe non ſatis intellexerit, ſiue quod per interpretem duntaxat Cominæum ipſum acceperit. Temporis etiam ſæpenumero rationem non habet: & multa quæ eandem hiſtoriam plurimum illuſtrant, tum à Cominæo, tum ab aliis diligenter notata prætermittit: vt non addam, quod de illo viri non indocti ſcriptis ante editis diuulgarunt, dum Italorum buccinatorem potiùs, quam Gallicæ hiſtoriæ ſcriptorem nominant: quod elogium Iouio mea quidem ſententia magis tribuendum fuit: niſi quod non Gallicam priuatim, ſed vniuerſam ſui temporis hiſtoriam ſcribendam ſuſceperit. Iouius autem (vt hoc ipſum præteream) qui mihi vna cum Carolo Cardinale Lotharingo Romæ agenti hiſtoriam ſuam paulo ante, quam ederetur, legendam exhibuit (quanquam temporis anguſtiis, & grauioribus tum negotiis oppreſſo vix legere, percurrere potius licuit) ita pleriſque locis prudens, ſciensque mentitur, & falſa pro veris vel nimis res ipſas exaggerando, vel minuendo, vel omnino commutando, & aliter, atque geſtæ ſunt, explicando tradit: vt non tam hiſtoriam ſcribere nonnunquam, quam declamatoriam ſophiſta factitare videatur. Nec mirum: vt qui venalem hiſtoriam habuerit, atque eo impudentiæ proruperit, vt in ornando Ioanne Iacobo Triuultio in gratiam Cardinalis Triuultij, cuius liberalitatem eximiam expertus erat, ita in aliis pleriſque perfecit, vt illi minorem in cæteris poſteri fidem adhibere debeant. Nam etſi vir militaris, ac ſtrenuus fuit Triuultius, cui ego nihil detrahere, addere potius nonnihil velim, quod fortem Gallis Regibus aliquando operam nauarit: tamen eundem alienis plumis ſæpius exornat, & ſi quid vrget, aut hominem vellicat, ſilentio prætermittit. Contra Carolum Borbonium vltimum Boiorum regulum vt hominem ſceleratum, atque inteſtabilem vbique, vt timidum etiam nonnunquam inſectatur: quum is dux fortiſſimus fuerit, ac diſciplinæ militaris exemplar: vitæ integritatem mihi teſtati ſunt cum alij plerique, tum vero Petrus Anlezius auunculus meus, & Anlezio paulo maior Franciſcus Montagnatius Teuſanius ſub eodem tum, quum is ſclopeto ictus Romæ occubuit, arcis Mediolanenſis præfectus, ac Ioannes Belcarius Peguilio frater meus cum illo ipſo ab ineunte ætate educatus fortitudinem, bellandique peritiam res geſtæ declarant. Sed è Gallia profectus quum in Mediolanenſi principatu ſtipendium Cæſar non ſuppeditaret, & à militibus regeretur potius, quam milites regeret, neceſſitate adductus multa præter naturam, prætérque inſtitutam vitæ rationem patrare coactus eſt, vt ſuo loco docebimus. Mitto ſermones quos ſæpius cum Carolo quinto Imperatore, cum Gallis proceribus, cum pleriſque aliis, quorum permultos nunquam viderit, ſe aut illos ſecum habuiſſe Iouius confingit: mitto maximorum Ducum quas iactat familiaritates: at quos præter Italos, quorum noſtra memoria perpauci bello clari atque inter magnos duces numerati fuerunt, ſe vidiſſe, nedum familiaritate coniunxiſſe comminiſci poteſt? quanto ſincerius cæteri Itali ſcriptores vernacula, quam iſte Philoſophus, vt ſeſe profitetur, Latina eloquentia eandem hiſtoriam pertractant? vt ſi in hiſtoriæ huius enarratione diuerſi ab illo ſimus, ac proinde falſi arguamur, non ad Gallos, ne nimium nobis Galli blandiri videamur, ſed ad Italos, qui patria lingua ſcripſerunt, prouocandum putemus: quæ quidem non hominis odio, quicum mihi nullum vnquam interceſſit, ſed veritatis ſtudio præfari hiſtoriæ maieſtas compulit. Ad hæc in propriis nominibus, cognominibúſque exprimendis, ac latinitate donãdis ita & Æmilius, & Iouius à natiuis, vt Gallici ſermonis imperiti fere diſcedunt, vt niſi ex aliis diſcas, vix quemquam, aut eius familiam poſſis agnoſcere.

Ante hos Coccius Sabellicus Venetus res à Gallis, præſertim Carolo Octauo, Ludouicoque Duodecimo geſtas attigit: ſed tanta mentiendi impudentia, vt Iouium quoque ſuperarit: veluti quum Ludouicum Sfortiam eiuſdem Caroli ſuaſu, immo vero, quum in id cunctantius incumberet, iuſſu Mediolanenſem ditionem inuaſiſſe confingit, aut quum Foronouanæ pugnæ narrationem mendaciis vndique conquiſitis infercit: non publico edicto commiſſam fuiſſe: innata Tarri amnis ripis ſalicta Italos equites, peditéſque ita quibuſdam veluti tendiculis irretiiſſe, vt pauci, iique diſpalati ad certamen proceſſerint: Mantuanum tamen tanto impetu in Gallos irruiſſe, vt Carolus Rex metu conſternatus regiam chlamydem exuerit; ne cæteris illuſtrior ab hoſtibus vndique peteretur: à Gallis tandem Venetos iniquo loco dimicanteis fuſos, & pleraque id genus affingit: quem toto hoc loco Iouius eandem pugnam deſcribens diligenter imitatur. Quibus refutandis non externis teſtibus vtar: Italos ipſos ſcriptores, qui eiuſdem regis hiſtoriam vulgari ſermone enarrarunt, & teſtimonia ſua litteris conſignata non agnoſcere non poſſunt, imploro, atque conteſtor, Franciſcum Guicciardinum Florentinum in primis qui quanquam ſuis nonnihil aliquando blanditur, qui fere omnium ſcriptorum mos eſt, tamen inter Italos proxime ad veritatẽ accedere mihi videtur. Nec omittendum eſt quod mendaciorum ſuorum conſcius Sabellicus identidem addit: vt quidam tradunt,

Digitized by Google

iis accedo qui aiunt,& alia eiuſdem notæ:quaſi incertos rumores, non rem vti geſta eſt, narrandam ſuſceperit: geſta autem in Venetorum finibus fuit illo ipſo tempore, quo hiſtoriam ſuam ille ſcripſit: quæ ſi homini Veneto ignota eſt, quæ illi in cæteris ab eius cognitione, & tempore, & loco remotis fides adhibenda eſt?

Scripſit eandem hiſtoriam & Petrus Bembus Cardinalis Venetus,vir pereruditus:ſed Remp.ſuam adulans iiſdem in mendaciis verſatur:quæ quidem inſignioribus duntaxat annotatis,non tam ſingula perſequendo,quam rem geſtam vere ac ſimpliciter enarrando,refutare malui. Et illi veniam nonnulli dandam putant: cui nec fortaſſe vera prodere impune licuiſſet: quam enim ſeuerè, immò vero crudeliter, tametſi alia de cauſa, in Hermolaum Barbarum Veneta Reſpub. cuius mandato ſcripſit Bembus, nuper animaduertiſſet,palam erat: ea autem Foronouanæ victoriæ laudem nimia ambitione ſibi falſo vendicabat (vt Cominæus, Guicciardinuſque teſtantur) cui ſeruire homo priuatus cogebatur, repugnare non audebat: etenim tam ambitioſæ ciuitatis exiſtimationem perſtringere, nedum lædere capitale nimirum fuiſſet. Hinc de rebus cum Venetis à Carolo Octauo, Ludouicoque Duodecimo geſtis plura Venetorum hiſtoricorum (Sabellici inquam ac Bembi) quam cæterorum Italorum mendacia reperire eſt. Itaque poſt iſtos iiſdem de rebus præſertim Gallicis hominem Gallum ſcribere nemo (vt opinor) iure mirabitur.

Scripſit etiam è noſtris Gallicam hiſtoriam Arnoldus Ferronus Burdegalenſis à Carolo Octauo ad Henricum huius nominis ſecundum; ſed ita(quanquam eius induſtriam non aſpernor)vt cæteros à ſcribendo non deterreat: & è multis eligere, quod probet, lectori liberum erit. Et hæc quidem de ſcribendi ratione dicta ſint:nunc de re ipſa pauca etiam addamus.

Diuiſo Romano Imperio, & ad exteras nationes tranſlato noua repente extitit adminiſtrationis facies,& in publicis rebus gerendis magna commutatio, quæ temporis ſucceſſu magis, ac magis inualuit: & quandam veluti legem poſteris reliquit: nam & prouinciæ primum in regna vnde olim prodierant,conuerſæ,& regna rurſus in minora quaſi regna, quos Ducatus nominant, ſeparata ſunt: quibus proximum gradum tenuere Marchionatus, Comitatuſque, ac deinceps anguſtioris iuriſdictionis Baroniæ: & quæ communi nomine feuda appellantur: feudum autem à fundo,qui interdum etiam ædificium cum agris adiacentibus deſignat,homines barbaros, & latini ſermonis ignaros deduxiſſe non immerito quis ſuſpicetur. Hæc primum egregiis ducibus, militibuſque condonata ad tempus, deinde Imperatorum,vel Regum liberalitate ad vitam cuiuſque conceſſa, tandem etiam ad poſteros hæreditario iure tranſmiſſa,familiis propria fuerunt. Hinc Duces, Marchiones, Comites, Barones,feudatarij,ſiue vaſſalli nouis rebus noua, & à barbaris, atque à latino ſermone alienis nationibus impoſita nomina emerſerunt. Quæ rerum communium adminiſtrandarum forma quum ad nos vſque permanarit, vulgo receptis, tametſi barbaris, ſed ad id de quo ſcribimus accommodatis nominibus, quod latina deeſſent, vti coacti ſumus: quanquam Duces, & Comites, & Barones, ſiue Varones, vt facilis eſt primarum litterarum immutatio, ſed in aliam ſignificationem ſermo latinus agnoſcit: ſic Tyranni, quos poſtea Reges nominarunt, ſic Cæſares, ſic Auguſti à natiua in nouam, multumque diuerſam ſignificationem, quaſi in nouam coloniam tranſierunt. Sic nos in rebus, quæ non ita dudum inuentæ ad noſtram cognitionem peruenerunt,antiquis incognitæ fuerunt,magiſtra neceſſitate nouis nominibus vtemur, & linguam latinam, quoad ipſa patietur, augebimus: vt quum de bellicis machinis, quas bombardas vocant, aut de numiſmatis, aut de cæteris huiuſmodi ſermo nobis occurret: de quibus initio aliquid præfari, & lectorem admonere à noſtro inſtituto non fuit alienum.

Vt ad feuda ſeu fundos reuertar, Vldaricus Zaſius Germanus Iureconſultus qui de his politius, quàm ſuperiores interpretes ſcripſit; feudum non ſecus atque illi à fide vel fœdere dictum putat(nos pro fundo vſurpatum exiſtimamus,quod prudenti lectori diiudicandum relinquimus)& eorum originem ad veteres Romanorum clientelas reducit: nos originem aliunde,nempe à Germanis Imperatoribus duci arbitramur: qui quum Romanum Imperium armis partum, armis quoque diu conſeruatum violentius quiddam & à ciuili more alienum habuiſſe, idcircoque ſua mole corruiſſe animaduerterent,aliam, longéque diuerſam rationem inierunt: & ſuum firma,quoad fieri potuit,amicitia,mutuaque fide ſtabilire voluerunt: ac quod in nobilitate Imperiorum, rerumque publicarum bene adminiſtratarum ſumma conſiſtit (quum nobilitatem, dico eam quæ vel ex parentibus ducta, vel ex muneribus,aliiſque rebus præclare geſtis parta eſt,intelligo)eam amicitiam fidemque per omneis nobilitatis gradus ab infimis ad ſummos produxerunt:vt Vaſſalli,qui clientes dici poſſunt, Barones aut alios quibus additi ſunt, Barones ſeu Varones, Comites, aut Marchiones,hi Duces,aut alios ſuperiores principes: ſummi autem principes & plerique Epiſcopi ac liberæ ciuitates vnum Imperatorem patronum agnoſcerent: cui ſe poſſeſſionum ſuarum nomine ſolemni ſacramento obligarent: quemadmodum & ipſi ab inferioris ordinis clientibus agnoſcuntur:à quibus ſimile ſacramentum recipiunt. Sic Imperium, quod amicitia conſtaret, eo quod vi & metu continebatur diuturnius ac magis ſtabile fore iudicarunt: quum communis ille amicitiæ nodus per omneis nobilitatis gradus ſeſe explicaret, & infimos cum mediis, medios cum ſupremis certo & inuiolabili nexu coniungeret:

Digitized by Google

geret:vt in toto Imperij corpore nulla pars otioſa,& iſtius conſenſus, atque vnionis expers relinqueretur,Imperiumque vniuerſum per indigenas,non vt Romanũ per alienigenas adminiſtraretur.Nam Romani prouincias omneis per ſuæ ciuitatis magiſtratus adminiſtrabant : paucos duntaxat reges à ſua vrbe procul remotos fœderatos habebant : quorum regna, ſiquando commodius videbatur, in prouincias redigebant. At Othomanorum Turcarum tyrannis, quæ omnium, quarum memoria extat, immaniſſima eſt, nec ſtirpi quidem ſuæ parcit : verum ab ea crudelitatis ſuæ ſpecimen edere conſueuit, vt quiſquis ad Imperium vocatus eſt,ſtatim fratres, & cæteros propinquos,qui ad id aſpirare poſſunt trucidet;in qua vnus duntaxat liber,cæteri omnes ſerui ſunt,regna ſicut Romani in prouincias conuertit, quæ per ſuæ tyrannidis ſatellites adminiſtrat : qui quum ſerui ſint, ita eos quibus præſunt,duriſſima ſeruitute opprimunt : à qua non ſolum Chriſtianos, ſed & cæteros omneis populos Deus Opt. Max. ſua bonitate liberet. Germanicum igitur Imperium prudenter conſtitutum fuit,& decurſu temporis multas acceſſiones accepit:quemadmodum ſeptem Principes, qui Imperatorem dicerent,ſelecti ſunt : qui cæteris dignitate præſtant, & Reges Romanorum creati ſunt,& alia pleraque id genus. Capitini Reges ab Hugone Capeto dicti,qui nuper ad Galliæ regnum poſt Caroli magni progeniem adierant,viribus infirmiores,& in regno nondum ſatis confirmati de Imperij maieſtate contendere auſi non ſunt : regnum ſuum duntaxat liberum conſeruarunt,nec vlla in re Germanos Imperatores patronos agnouerunt. Hugo Rex Capetus dictus eſt : quod adoleſcens à ſociis ablata capitia (ea capitis tegumenta erant,quibus tum Galli pro pileis, ſeu galeris vtebantur) in alios ludibundus identidem conijceret, Capetus (inquam) dictus eſt quum potius Capitinus à capitiis dici debuiſſet.

Hactenus Præfatio Auctoris ad Lectorem, quæ licet videatur eſſe imperfecta, ei tamen quidquam addere religioni duximus.

CONSENSVS.

RERVM GALLICARVM COMMENTARIOS AB ANNO CHRISTI MCCCCLXI. AD ANNVM MDLXXX. AVCTORE FRANCISCO BELCARIO PEGVILIONE METENSI EPISCOPO, typis mandari, & in publicum dari ſumptibus CLAVDII LANDRY ego Conſiliarius & Procurator Regius in Lugdunenſi præfectura conſentio die 4. Februarij 1625.

PVGET.

PERMISSIO.

LIBRVM qui inſcribitur RERVM GALLICARVM COMMENTARIA AB ANNO CHRISTI MCCCCLXI. AD ANNVM MDLXXX. AVTHORE FRANCISCO BELCARIO PEGVILIONE METENSI EPISCOPO à CLAVDIO LANDRY typis mandari permittimus, ac ne quis citra datam ei poteſtatem denuo excudat interdicimus, datum Lugduni die 6. menſis Februarij anno 1625.

DECHAPONAY.

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM

DECAS PRIMA,

LIBER PRIMVS.

1 GALLIAM multis annis à Burgundione, Anglóque vaſtatam paulatim receperat, placatis Atrebatenſi fœdere Burgundis, ſuperatos ſæpius Anglos procul à continente expulerat, & voti cōpos paterno regno latè imperabat Carolus Rex eius nominis ſeptimus; vt demū vel ſenex longa pace fruiturus, vel tot victoriis domi potitus, foris quoque in externum hoſtem, præſertim verò aduerſus Turcam pia arma ſumpturus videretur. Cauſa in promptu erat: Conſtantinopolim Orientalis Imperij ſedem non ita pridem Mahometes Turcarum Imperator expugnarat, nullo crudelitatis genere in obſeſſos omiſſo: conuentum Mantuæ coëgerat Pius Secundus Pontifex Maximus, & ad bellum Turcis inferendum Chriſtianos Reges, Principéſque inuitabat; quum malo vel Gallici nominis, vel vniuerſi potiùs Chriſtianiſmi fato inter ſenem Regem, Ludouicúmque filium natu maiorem (Delphinum Galli vocant) ſimultas antè oborta, non ſecus ac morbi incurabiles medendo ægreſcere in dies occepit. Seceſſerat à patre filius, Imperij (vt videtur) auidus, impetrata in quartum menſem abſentiæ venia, Delphinatum petierat, vbi alteram quaſi regiam ſibi erexerat: cui ſi regium nomen adimas (neque enim id viuo patre ſibi vendicare auſus eſt) cætera Regum inſignia ineſſe ferè viderentur, admiſſis etiam Regum, Principum, liberorúmque populorum legationibus. Iam quartum propè annum à patre aberat, quum exercitu comparato filij contumaciam compeſcere in animum Carolus induxit: id veritus Ludouicus Delphinus in Burgundiam ad Philippum cognatum pariter, & affinem (Michaëlam enim Ludouici amitam Philippus vxorem duxerat) profugit. Rex Delphinatus munitas vrbeis, oppidáque, atque caſtella occupat, & de transferendo ad Carolum minorem natu filium regno cogitat, re cum Pio Secundo Pontifice Maximo communicata: ſed tantam mutationem, vt magnarum ſeditionum, malorúmque ſementem Pio auerſante anxius, nihil præterea aggreſſus eſt. Cauſas huiuſce ſimultatis putant, quòd ſenex pater nimis parcè in ſumptum pecuniam filio admetiendam curaret; nec eiuſdem opera (tametſi triceſimum iam annum attigerat) in adminiſtrandis maioribus negotiis vteretur, omnia verò per aulicos opulentis magiſtratibus, præfecturíſque donatos procuraret; qui diuitiis etiam ad luxum affluerent, interim dum filius miſerè egeret, nec ſumptui annuo tolerando eſſet; ſic enim, qui Ludouicum excuſare contendunt, ſeceſſionem eius interpretantur. Miſſæ ſunt vltro, citróque legationes inſtante patre vt ad ſe filius rediret; illo abnuente, & expeditionem in Turcas, ſi copias & ſtipendium pater ſuppeditaret, efflagitante. Sequeſter mutuæ inter patrem, filiúmque reconciliationis eſſe cupiebat Burgundio; priuatim legatos in Galliam mittit, qui in id ſumma ope incumberent, & Delphini legatis veluti in communi re promouenda adeſſent: addebat excuſationem, quòd cognatione iunctus, Delphinum Gallia cedentem hoſpitio excepiſſet. Paucis Ludouico reſpondit Carolus, ſe demirari cur cæteris acceptum, lætúmque manſueti, ac facilis patris vultum tantopere filius reformidaret: cur enim auerſaretur, niſi ſibi malè conſcius? aut

Anno 1461.

Ludouici in Delphinatum ſeceſſio.

Simultatum inter Ludouicum filium & Carolum patrem origo.

Digitized by Google

cur eum ſcrupulum ſeni patri, quanquam minimè ſuſpicaci, moueret? Turcicam portò expeditionem difficilem,& longinquam,nec huius eſſe temporis,quod omneis inuadendæ rurſum Galliæ occaſiones Anglus captaret: nec tutò ſuſcipi poſſe, niſi vniuerſæ principum Chriſtianorum vires vnà coirent: componeret res domeſticas priùs, mox de externis bellis cogitaret. Burgundionis autem orationem in bonam partem accepit, quòd propinquum, & tanti regni, cuius ipſe beneficiarius eſſet, hæredem benignè excepiſſet, & amicitiæ inter ſe,filiumque redintegrandæ author eſſe contenderet. His,atque huiuſmodi legationibus obeundis,audiendiſque aliquot anni exacti: nec vllis interim rationibus adduci potuit Ludouicus, vt ſe in patris conſpectum ſiſteret. hinc cuiuis perſpicuum erat,non tam priſtinas hiſce colloquiis,alterniſque congreſſibus mitigari ſimultates,quàm maiora in dies odia exacerbari.

Itaque Ladiſlao Hungariæ, Bohemiæque Regi Magdalenam Caroli filiam miſſa legatione in matrimonium depoſcenti deſpondit pater, Ludouico ad ſororis ſponſalia nec vocato, nec per literas quidem certiore facto. Natum viciſſim in Brabantia filium Ludouicus regiam viuo patre ſibi authoritatem vendicans, ipſo natali die Normaniæ regulum ſalutandum curauit. In eas porrò ſuſpiciones tandem incidit Carolus, vt veneni metu in ſeptimum diem cibo abſtineret; donec à ſuis exoratus, & ad capiendum cibum inuitatus,id nequicquam tentat,viſceribus nimirum longa fame areſcentibus, & iam penitus interclusis: vnde Magduni (quod Biturigum oppidum eſt) XI. Kal. Auguſti anno decimi quarti ſeculi (vt Chriſtiani numeramus) ſexageſimo primo fato functus eſt,& ad Dionyſiacam Pariſienſis agri ædem elatus,ac ſepultus. Pridie ingens,ac perlucidus cometa toto cœlo viſus diſcurrere; ac tanti Regis mortem portendere creditus. Funus ſuis ſumptibus curauit Tanneguius Caſtellus ſummus regiorum equorum magiſter (nam cæteri Caroli domeſtici metu Ludouici filij ſe diuerſi ſubduxerant) qui in id duodecies ſeſtercium ferè (vt nonnulli tradunt) vt alij multò plus,impendiſſe fertur: quam quidem pecuniam non ſtatim repræſentauit Ludouicus,ſed multis poſt annis Caſtilionij,Paciacique fundi,atque aliorum aliquot venditione diſſoluit.

Caroli mors Magduni.

Regiæ familiæ officia, miniſteriaque præcipua.

Sed quoniam in ſummum regiorum equorum magiſtrum incidimus, & deinceps regiorum domeſticorum frequens occurret mentio,operæpretium facturi videmur,ſi breui præcipua regiæ familiæ officia, miniſteriàque complectamur, & rerum Gallicarum ignaris prodamus. Igitur princeps inter regios domeſticos,ſummus regiæ familiæ ſiue palatij magiſter appellatur;olim vulgò maiorē domus vocabant.Hic in celebrioribus Regis conuiuiis bacillum manu geſtans (quod ſummæ authoritatis argumentū eſt) cæteros omneis anteire,eorum nomina quotannis in regiæ familiæ albū ex regis ſententia inſerere,continuare, inducere, in bellicis expeditionibus, iis qui ſub regio vexillo militant, imperare conſueuit. Hunc conſequitur ſummus cubiculariorum magiſter, qui regiis cubiculariis & iis, quæ ad regium cubiculum pertinent,præeſſe ſolet; cubiculo præpoſitum cum Suetonio dicere etiā fortaſſe poſſumus.Tertio loco numeratur ſummus regiorum equorum magiſter: qui in omneis eos,quibus regiorum equorum iniuncta cura eſt,& pace, & bello ſummam poteſtatē habet. Suum etiam,& quaſi ab illis ſeparatum locum (vti ſacra à prophanis ſeparati ſolēt)obtinet ſūmus Eleemoſynarius:is ſacris præeſt,& à liberalitate regia egentibus diſtribuenda Græco vſurpato vocabulo nomen accepit: quicquid enim egentibus gratis datur, eleemoſynam Galli vocant. His dignitate proximi ſunt qui primi nominantur: primus (inquam) palatij, ſiue regiæ domus magiſter, primus cubiculariorum magiſter, primus regiorum equorum magiſter, primus Eleemoſynarius. Tertium dignitatis gradum tenent, qui regiæ domus magiſtri, regij cubicularij, regiorum equorum magiſtri,Eleemoſynarij appellantur; item qui à dapibus,& poculis miniſtrandis nomen acceperunt. Hi omnes ex illuſtribus,clariſque familiis deligi ſolent,niſi fortè eximia virtus, vt in eum numerum ex inferiori ordine nonnulli cooptentur, effecerit: ex quo & alij aſſumuntur, qui quaſi ſub illis regi etiam miniſtrant, & viliora miniſteria obeunt, vt qui cubiculi, poculorùmque miniſtri vocantur & cæteri id genus, quorum quum tam multa, variàque miniſteria ſint, vt Latinè vix explicari queant, cæterorum nomina conſultò præteribo. Regem etiam comitatur Cancellarius (nomophylacem Græci vocant) is iuri præeſt; & qui regi ſunt ab epiſtolis, & Secretarij dicuntur, quaſi arcanorum regiorum conſcij. Horum quatuor primi cæteros longè authoritate præſtant: de Regis ore ſummarum rerum mandata excipiunt, res in ſanctiore Concilio decretas perſcribunt: inferioris ordinis Scribæ,qui tamen & Regij dicuntur,centum,& quandoque plures numerantur; incertus enim eorum numerus eſt: res ad ærarium pertinentes ſcripto mandant,

Digitized by Google

dant, cæteróſque Regios codicillos conficiunt ſupplicum item libellorum magiſtri ad hunc numerum accedunt; ſed ij ex omni ordine aſſumuntur, & ab illis quodam modo ſeparantur, neque regiis, ſed priuatis impenſis viuunt. Cancellariorum autem (vt hanc dictionem breuiter explicem) nuſquam veteres authores, primus Flauius Vopiſcus meminit; ex Scribarum ordine fuiſſe videntur, qui ſupplices libellos, aliáque ſcripta principi oblata, quibus ille ſubſcribere nolebat, cancellabant, id eſt, cancellatim inducebant, vt iureconſulti teſtamentum cancellare dixerunt: quo verbo Plinius & Columella, ſed in aliam ſignificationem vſi ſunt. Scribarum ordo humilis primùm, & quodammodo abiectus fuit: hinc ſcribarum ordinem immoderatiùs ſeſe efferentem Cato coërcuiſſe dicitur; & quòd vnum ex Cancellariis ſuis præfectum vrbi creaſſet Carinus Imperator, Romani rei indignitate permoti fremebant. Maiore in honore apud Græcos Scribæ fuerunt: vnde Eumenem ſummum ducem Alexandri magni archigrammatea fuiſſe legimus: quod munus, item & Cancellarij aut idem, aut non multùm diuerſum putant: nunc (vt ex paruis initiis ad ſumma faſtigia res humanæ nonnunquam euehuntur) primum inter togatos homines, rerúmque ciuilium moderatores, Cancellarij gradum tenent. Regem comitantur & regij ſtipatores, Ioanne huius nominis primo rerum potiente, ſed fremente populo, inſtituti: (proceres quidam Galli tum cum Anglo de Regis cæde conuenerant) nempe equitum centuriæ quatuor hippotoxotæ ex antiquo armorum genere dicuntur, tametſi nunc aliis vtuntur, peditum Heluetiorum cohors vna, ſed duntaxat centenaria. Ad hunc numerum accedere poſſunt & Prætoriani equites, qui olim centum, nunc ducenti nobiles dicuntur: hi quondam ex ingenuis familiis ætate ingraueſcente ſpectatæ virtutis ergo legebantur, & raró niſi in bellis regi præſto eſſe conſueuerunt. Numerantur & in aulico comitatu plerique voluptatis gratia duntaxat aſciti, vt tota venatorum claſſis, & qui accipitrum magiſtri dici poſſunt: verum hi, vt Regis fert animus, & his voluptatibus afficitur, vel augeri numero, vel decreſcere ſolent. Et hæc quidem hactenus dicta ſint, vt à regiis domeſticis ad reges ipſos conuerſa oratione redeamus.

Cancellariorum munus.

3 Carolo ſucceſſit Ludouicus filius, eius nominis Galliarum Rex XI. ingenij quidem perſpicacis, acuti, callidi, ſed incerti, ſuſpicioſi, peruicacis: in patrem contumax, fratri non ſatis æquus, erga Burgundionem, apud quem ſexennium ferè exul ſplendore regio cultus fuerat, propemodum ingratus, regni proceres quadam veluti inuidia peroſus; ordinum equeſtrium ductores, qui honorata ſub patre ſtipendia meruerant, quòd patri fortaſſe obſequentiores, à ſe quodam modo abalienatis animis fuiſſent, vel deſpiciens, vel vlciſci cupiens; hoc præſertim regni initio agere viſus eſt, vt quæ patri Regi optimo, bellatoríque in primis egregio accepta, aut ſummo in honore habita fuiſſe conſtabat, ea vel odiſſe videretur, vel deprimere tentaret. quæ quantam poſtea rerum mutationem inuexerint, rerum geſtarum (vt quæque ſuo ordine ſeſe offerent) explicatio decurſu orationis illuſtrabit. Is tum in Flandria apud Burgundionem agebat, quum citis nuntiis de patris morte certior factus eſt. Proficiſcentem, & ad regnum paternum ſuſcipiendum properantem comitati ſunt Burgundio, Cleuenſiſque, ac Carcellenſis Burgundionis filius. In regni confinio occurrerunt Carolus Aurelianus, ac Ioannes Borbonius Boiorum Regulus, cæteríque Galliarum proceres, vt nouum regem regiis ſacris initiandum Rhemos deducerent. Quibus rite, atque ordine perfectis Philippus Burgundio, qui inter ſex Galliarum Patricios, ſiue pares (vt vulgò appellantur) ſacris non initiatos primus numeratur, Regem admonuit, vt ſe facilem ſuis, præſertim verò Galliarum proceribus exhiberet, odiúmque ſi quod in illos priuatus fortaſſe concepiſſet, id forti animo Rex omnibus æquus deponeret: præclarè ſecum actum, quod abſentis habita ratio fuiſſet, & in id regnum ſine vllo tumultu, quin potius ſumma omnium lætitia prouectus, à quo velut exul multos annos abfuiſſet: fratris quoque vix puberis rationem haberet: illi ſe quaſi tutorem, & alterum parentem à patre relictum putaret: ne quid auarè, ne quid abiectè cum illo ageret, ſed ex æquo, & bono frater fratri patrimonium regia familia dignum condonaret.

Carolo ſuccedit filius Ludouicus XI.

Rhemis regiis ſacris initiatur.

Philippi Burgundionis ſermo ad Regem.

4 Hæc præfatus, vt tanti nominis, atque id ætatis principem decebat, Burgundi Ducatus, Flandricique Comitatus nomine (vt hæc etiam verba iam Latina faciamus) ſacramentum ſolemni more præſtitit. Rex inauguratus Ludouicus Lutetiam rectà iter inſtituit, ac triumphali quadam pompa cataphractis equitibus ſtipatus comitantibus Galliarum proceribus pridie Kalend. Septembris principem vrbem ingreſſus eſt, à cunctis ordinibus honorificè exceptus. Nouo regi equeſtribus, pedeſtribúſque certaminibus, magnificis conuiuiis, lætis choreis, mimorum, fabularum, atque aliis id genus ludicris feſti dies celebrati, publica ſe effundente lætitia, Burgundis etiam ſubinde iactantibus ſua opera

Digitized by Google

nouum regem in regali ſolio collocatum. Regno Lutetiæ quaſi confirmato de ſumma rerum ſtatuit Ludouicus, compoſitiſque quæ ex vſu eſſe videbantur, inde ſub Octobrem ad Turones progredi cogitans Philippum Burgundionem in ædibus Atrebatenſibus diuertentem honoris ergo adiit; & ob tot, tantáque ab illo accepta beneficia ſe loco patris eundem ſemper habiturum præfatus, bene valere iuſſit, atque inde itineri ſe dedit: quem viciſſim Philippus paulò vltra vrbem ad vnum, aut alterum milliare comitatus, aliquot pòſt dies Lutetiæ egit: mox ſacris funebribus Carolo regi nuper vita functo ad Dionyſij fanum perſolutis ſe in Picardiam recepit. Vbi agrum Turonenſem attigit Ludouicus, vt aliquam clementiæ laudem initio regni ſibi compararet, natura alioqui implacabilis, Ioannem Alenconium, quòd Anglos, vt in Galliam traiicerent, ſollicitaſſe conuictus erat, in cuſtodiam Lochiis traditum, liberum abire permiſit. Carolo fratri accerſito Bituriges in patrimonij portionem conceſſit. Ex Turonibus in vicinam Britanniam traiecit; à Franciſco minoris Britanniæ Regulo magnificè exceptus, ſacramento etiam Britannici Ducatus nomine præſtito. Regreſſum ad Turones Ludouicum inuiſit Carcellenſis, & aliquot dies ibi commoratus in Flandriam profectus eſt, Normaniæ adminiſtratione, ſiue gubernatione (vt loquuntur) accepta, additis etiam in penſionem annuam viginti nummûm aureorum millibus, vt ſinguli nummi triginta ſex aſſibus ſiue ſolidis noſtris æſtimentur: at tum triginta tribus duntaxat & duobus denariolis noſtris æſtimabantur, hoc eſt, viginti ſex Pariſienſibus, & ſemiſſe.

Ludouicus ad Turones proficiſcitur.

Ioannes Alenconium vinculis eximit.

Carcellenſi Normaniæ adminiſtratio tradita.

Anno 1462.

Anno proximo qui ſexageſimus ſecundus ſupra milleſimum ac quadringenteſimum fuit, Ludouicus Margaretæ Andegauenſi, Anglorum Reginæ, ſibique propinquæ auxiliarem militem duce Petro Brezeo (Varennium nonnulli à Varennio fundo appellarunt) Normaniæ Seneſchallo miſit. Hunc Carolo Patri in primis charum, ac magnis muneribus publicis donatum certis periculis obiectare viſus eſt: ſiquidem equites, peditéſque eidem bis mille duntaxat attribuit: quo exiguo numero res ſatis magnas ille geſſit, multis vrbibus, arcibúſque occupatis: ſed Sombreſſeto, qui ingenti ex Scotia educto exercitu illi affore promiſerat, promiſſis non ſtante, in iiſdem, quas ceperant, vrbibus obſeſſi Galli, de vita pacti in Galliam redire coacti ſunt. Barcinonenſibus, ac finitimis à regis Tarraconenſis fide deficientibus Ludouicum Tarraconenſes legati adeunt: opem implorant: vt rex regis fortunam miſeratus ſubſidium mittat, petunt, idque impetrant.

Ludouicus Anglorũ Reginæ auxiliarem militem miſit.

Et quoniam Tarraconenſi in militum ſtipendium pecunia in numerato non erat, trecentis aureorum numûmm millibus, quorum quinquaginta millia ſtatim repræſentata ſunt, Ludouico Ruſcinonenſis Comitatus oppigneratur. Nec mora conſcribuntur vbique equeſtres, pedeſtréſque copiæ: iuſtus comparatur exercitus: in Aquitaniam mittitur, inde in Hiſpaniam Iacobo Arminiaco duce tranſiturus. Ille quòd non ſolùm Tarraconenſi adeſſe, ſed & Ruſcinonenſis Comitatus poſſeſſionem adire in mandatis habebat, diligenter vtrumque conficit. Opem Tarraconenſi hoſti latam ægrè tulit Henricus Caſtulonenſis; idque contra antiqua Gallorum, Caſtulonenſiúmque fœdera ſumma religione concepta factum interpretabatur. Itaque vt de mutuis controuerſiis coràm diſceptarent, à Ludouico per legatos colloquium petit. nec diſtulit Ludouicus, idcircóque Burdegalam ſtatim profectus eſt: vbi interim Magdalenam ſororem Gaſtoni Comiti Fuxio, qui legitimus regni Nauarrici hæres ferebatur, vxorem dedit. Celebratis nuptiis ad Tarbellos vſque progreſſus, tandem ad fanum Ioannis Luzij, ſiue Lucenſis. Caſtulonenſis ad rapidum fontem (ſic enim vulgò appellant) à Ioanne Luzio octo milliaribus, hoc eſt quatuor leucis Gallicis diſtantem ſubſtitit. Acceſſit ad hunc conuentum & Blanda Regis Nauarrici hæres filia, quæ Ioanni Tarraconenſi nupſerat, vt controuerſia, quam cum Caſtulonenſi habebat, quales inter finitimos reges pleræque oboriri ſolent, Ludouico arbitro componeretur: ſed Ludouicus ſecundùm Caſtulonenſem pronuntiauit. Conuenere ad Hurtebizan caſtellum duo reges Marqueri exiguo fluuio vtrumque regnum dirimente, & compoſitis controuerſiis antiqua inter Gallos, Hiſpanóſque inita fœdera renouarunt. Sed mihi hic à Philippo Cominæo, Gallico hiſtorico locus diligenter tractatus, omittendus non videtur, quo regum mutua colloquia, congreſſúſque perpetuorum ferè inter ipſos odiorum cauſas, bellorúmque ſeminaria eſſe confirmat. Quum enim in aulis regum maximè, ſiue ipſos reges ſiue aulicos ſpectes, regnet ambitio; eáque mutuo conſpectu, congreſſúque magis, ac magis excitetur (nam ſenſuum omnium viſus penetrantiſſimus, acerrimúſque animum mirandum in modum afficit) facta, dicta, geſtus, nutus denique obſeruantur. Ea qui nunquam regibus deſunt aſſentatores malignè magna ex parte interpretantur: ſæpe alter alteri præſtat, & vel forma, vel ingenio, vel militari gloria, aut alia 5

Ruſcinonenſis Comitatus Ludouico oppigneratur.

Magdalena Ludouici ſoror Comiti Fuxio in vxorem tradita.

Aſſentatores pernicioſi.

alia corporis, animus dote antecellit: hæc ſilentio non prætermittuntur, & quamquam in aurem primùm inſuſurrantur, tandem tamen palàm fiunt, & ad vtrumque deferuntur: quod autem in altero laudes, in alterius dedecus cedere ſæpenumero videtur. Quinetiam ſi inter eos, eorúmve maiores bellum antea, aut fœdus interceſſit, ſiquid præclarè, ſecúſque geſtum, id vero in memoriam reuocatur; atque aliis gloriandi, aliis calumniandi anſam præbet, fœderis porro leges hinc inde neglectas, aut malignè obſeruatas vulgaris inſimulatio eſt, hinc grauis accenditur æmulatio implacabilium odiorum ſeminatrix: nec tantum regibus, ſed & regum comitibus vſu euenit, vt crebra inter ſe æmulatione inflammentur, ſeſe mutuo oderint, regúmque animos ex ſuo ſenſu perſæpe moderentur: præſtantioribus inuideant, abiectiores, humilioréſque faſtidiant. Adde quod vnicuique genti ſui mores, vitæ inſtituta, veſtitus placet, alienus diſplicet: ita fit vt obtrectandi, calumniandíque nunquam deſit occaſio, & quibus auditis æquiorem te præſtitiſſes, iiſdem viſis protinus inuideas; ea ipſa vel quaſi abiecta contemnas, vel ſuperba, atque inuidioſa oderis.

6 Erat deformis Caſtulonenſis ſed ſplendida veſte, cæteróque ornatu Regio conſpicuus, à moribus tamen noſtris abhorrente; comitatus autem ad ſummam oſtentationem compoſitus ſequebatur. Ludouico forma Rege digna non deerat, ſed plebeia veſtis, eáque perbreuis, vt non Regem, ſed gregalem potiùs militem diceres: galero vtebatur à cæteris quidem diuerſo, ſed quem nemo ſibi deligeret, eóque plumbea Mariæ Virginis effigie interſtincto: at comitatus præſertim regiorum ſtipatorum non tam ad oſtentationem magnificus, quàm ad belli vſum accommodatus erat. Traiecit ad Gallum Caſtulonenſis: ſequebatur non procul comes Lodeſmenſis illi chariſſimus, aurato nauis velo ſuperbus; &, vt veſtem ſilentio præteream, cruribus (quod nouum oſtentationis genus fuit) crebris margaritis illuceſcentibus ingrediebatur. Galli vanitatem Hiſpanicam, Hiſpani Galli regis ſordes oderant. Itaque duo hi reges inter quos nulla ante controuerſia interceſſerat, vbi ſeſe bis paucis duntaxat horis inuiſerunt, immortali in poſterum odio inuicem exarſerunt. Erant præcipuæ apud Caſtulonenſem authoritatis ſummus Iacobæorum magiſter, atque Toletanus Pontifex: hos Ludouicus (cui ad deuinciendos eorum animos, quos ſibi ex vſu fore compererat, ingenium perſpicaciſſimum fuit, pari liberalitate cumulatum) cæteróſque quorum opera ſibi vtendum putauit, ita ſibi conciliauit, ita eoſdem inter ſe quaſi in poſterum certaturos commiſit, vt ſeſe mutuis deinceps delationibus proſciderint, totámque regiam Caſtulonenſem ſuccreſcentibus in dies factionibus perturbarint, donec Rex infœlix à ſuis magna ex parte deſertus, ad ſummam tandem inopiam deuenerit. Nec æquior inde erga Ludouicum (nam Caſtulonenſi infeſta ſemper fuit) Blanda Nauarrica diſceſſit; quæ tametſi diſſimulata ad tempus ira, auxiliaribus eius copiis vſa eſt, tamen perpetuis mox inter Tarraconenſes, Gallóſque bellis quantum animo dolorem concepiſſet, ſatis declarauit.

Caſtulonenſis ſplendor.

7 Conuenerunt Federicus Imperator, ac Carolus Burgundio, & apud Treuiros aliquot dies commorati ſunt. Vbi cum de aliis permultis negotiis, tum de matrimonio inter vtriuſque liberos contrahendo egerunt, Maximilianum (inquam) qui patri mox in Imperio ſucceſſit, & Mariam Burgundionis filiam, quam is Carolo patre mortuo duxit vxorem. Burgundorum faſtum, ac vanam in primis Caroli ſuperbiloquentiam Germani auerſabantur: Germanorum rarum comitatum, plebeiámque veſtem, ac ſubruſticam victus conſuetudinem Burgundi faſtidiebant. Poſtremò Imperator ipſe inſalutato hoſpite diſceſſit; ſpe fruſtratus, eluſúſque mirandum in modum exarſit Burgundio, qui Imperij vicarius deſignari, atque omneis, quibus tum imperabat, prouincias ſibi inuicem propinquas, & niſi Lotharingia interſtingueret, contiguas in regni formam redigi, ſéque Regiis donari inſignibus cupiebat, idcircóque Burgundici ſceptri accipiundi ergo cum Imperatore veniſſe in colloquium ferebatur. Itaque paucis pòſt menſibus graue bellum inde exortum. Ad fanum Pauli in agro Atrebatenſi coierunt Edoardus Anglorum Rex atque idem Carolus, qui ſororem Edoardi vxorem duxerat: Regis domeſtici inteſtina ſeditione flagrabant. Alteri factioni ſe æquiorem præſtare viſus eſt Carolus: is vero incenſa odia penitus inflammauit. Tametſi autem Edoardo à Varuicho Anglia expulſo magna auxilia ad recuperandum regnum contulit, tamen nec beneficij memorem expertus eſt, nec vllam poſtea amicitiæ ſignificationem agnouit: quin potius mutuis ſemper cauillationibus alter de altero conqueſtus eſt. Ad eundem Carolum acceſſit Comes Palatinus: Bruxellis honorificè exceptus eſt: domum deductus Attalicis tapetibus ornatam: lecti aurei conchiliatis, aliiſque id genus periſtromatis conſtrati erant: vaſis aureis argen-

Federici Imperatoris, & Caroli Burgundionis apud Treuiros congreſſus.

Comes Palatinus Bruxellis honorificè habitus.

teiſque omnia collucebant, vt nihil ad ſummam magnificentiam amplificandam deſiderares. Germani huius luxus inſolentes, tantæ rerum omnium abundantiæ tacitè inuidebant. Pelliceis Germanorum palliolis, quæ quodam velut contemptu in aureos illos lectulos coniiciebant, holoſerica periſtromata conſpurcari Burgundi querebantur: Germani Burgundorum faſtum, Germanorum ruſticitatem Burgundi oderant. Illum ipſum Carolum inuiſit Sigiſmundus Auſtriæ regulus Federici Imperatoris frater (tanta quippe Burgundi nominis tum celebritas fuit, vt eò omnes pene Chriſtiani Reges, illuſtrioréſque Principes implorandæ opis ergo confugerint:) eidem Feretrienſem vel Feretanum Comitatum, quem aduerſus Heluetios tueri non poterat, centum florenorum Rhenanorum millibus addixit. Neuter ſibi ſatisfactum putauit: nec ita multò pòſt fœdere cum Heluetiis icto Feretrienſem Comitatum occupauit Auſtriacus Burgundione pecunia defraudato: ſic enim eiuſdem temporis ſcriptor tradit Cominæus: alij pecuniam apud Baſilienſem fœneratorem depoſitā ſcribunt. Ad hunc etiam acceſſit Comes Varuicus Anglus; ſed infenſo vterque animo diſceſſit, nec poſtea reconciliati ſunt: Piquinij in agro Ambianorum collocuti ſunt Ludouicus Galliarum, atque Edoardus Angliæ Reges: neuter promiſſis ſtetit, & quamquam mutua diſſimulatione mox à bello abſtinuerunt, tamen omnia ferè de quibus conuenerant, irrita reliquerunt.

Sigiſmūdus Carolum inuiſit.

Hæc exempla profert Cominæus, nos quum alia quædam addere poſſemus, hoc vnum duntaxat aſcribemus: Leonaram Caroli quinti Imperatoris ſororem vxorem duxit Franciſcus Galliarum Rex eius nominis primus: poſt contractum nihilominus matrimonium non ſecus, ac priùs bello ſeſe mutuo laceſſiuerunt. Vt perpetuo fœdere conciliarentur, Carolo ex Hiſpaniis in Flandriam ad mulctandos rebelles Gandauos ire cupienti liberum per medias Gallias tranſitum permittit Franciſcus ab Annæo Mommorencio equitum magiſtro perſuaſus, Cardinale Turnonio (nam ea de re ſæpius conſultatum fuit) ſedulò repugnante. Quaquà tranſibat Carolus, Gallorum Regum more, Imperatorem ſingulæ ciuitates excipere iuſſæ: quinetiam Franciſcus ipſe illi obuiam ad Pictones vſque proceſſit, Lutetiámque deduxit, & Regali magnificentia exceptum, lautiſque conuiuiis exhilaratum ad fanum Quintini in Galliæ, Flandriæque confiniis ſitum comitatus eſt. In Flandriam honoris ergo ſequuti ſunt Delphinus, atque Aurelianus Regij liberi: nihil denique quod præſtari poſſet vel magnificentiæ, vel obſequij prætermiſſum eſt: vix annus interceſſit quin longè grauioribus, quàm vnquam antea odiis inuicem exarſerint, infeſtiſque animis bellum implacabile inter ſe excitarint; tanta quidem pertinacia, vt neutrius morte finitum, ad vtriuſque liberos quaſi teſtamentario iure tranſmiſſum ſit, nec niſi ſerò magna Gallicæ, Hiſpanicæque gentis, tum verò Reipub. Chriſtianæ iactura conquieuerit. Iure igitur illuſtrium Principum Regúmque congreſſus, atque colloquia rarò prodeſſe, ſæpius obeſſe Cominæus annotauit: vt ad rem redeam. 8

Leonarā vxorem ducit Franciſcus Galliarū Rex eius nominis primus.

Regū colloquia & cōgreſſus rarò proſunt, ſæpius obſunt.

Galliis ab Occidente Comitatus Ruſcinonenſis acceſſione firmatis, eaſdem à Septemtrione quoque munire Ludouicus deſtinauit: vnde Anglus, ac Burgūdio imminebant; qui coniunctis viribus viginti quinque fere annos Carolū patrem continuis bellis afflixerant. 9

Anno decimiquarti ſæculi triceſimoquinto fœdere Atrebatenſi Philippo Burgundioni quadringentis nummûm aureorum millibus oppignerata fuerant pleraque ad Somonam (Samarobrinam fluuium veteres appellabant) oppida, Ambiani (inquam) fanum Quintini, Corbia, Abbeuilla, Comitatus Pontiuienſis, atque alia nonnulla oppida, atque caſtella. Ea numerata Philippo pecunia recepit Ludouicus anno eiuſdem ſæculi ſexageſimotertio, atque inde Caroli Carcellenſis ambitioſi, ferociſque iuuenis animum à ſe mirandum in modum abalienauit; nam pater ſenex alieni minimè appetens, iuris autem & æqui obſeruantiſſimus, ſua Ludouico recuperare facilè permiſit. Rex Croiorum fide, operáque fretus, quos & plurimum apud Philippum poſſe, & Carcellenſi in primis infeſtos eſſe, ſibíque eo nomine magis obnoxios intelligebat, Hiſdinum ſub Octobrem ad Burgundionem ob recepta oppida quaſi gratiam habiturus acceſſit: atque interim Hiſdinum (vt tum fama fuit) ab ipſo Tornaci permutatione poſtulaſſe, & nihilominus repulſam paſſus fuiſſe traditur. Poſtulauit viciſſim à Rege Philippus ne quos in receptis nuper vrbibus à ſe inſtitutos magiſtratus munere ſuo moueret: quod quidem Rex liberè promiſit, nec tamen promiſſum fecit. Carcellenſem interim filium in Hollandia tum agentem admonuit Philippus, vt Hiſdinum Regem ſalutaturus accederet: non paruit ille, Stempenſem Comitem, Croióſque ſibi infeſtos Regi in intimis conſiliis eſſe cauſatus, quibus compertis Ludouicum grauiter offendit: tametſi is re tum diſſimulata in Picardiam regreſſus eſt.

Anno 1463.

Sed

Digitized by Google

Sed proximo anno ſub Iunium Hiſdinum de integro reuerſus à Philippo, vt Inſula, Duacum, Orcaiæ, quæ oppida olim Comiti Flandrico oppignerata fuerant, repræſentata pecunia, & eo de quo conuentum fuerat, annuo prouentu ſibi reſtituerentur, poſtulauit. Ea oppida Philippo Andaci auo, eiúſque poſteris maribus à Gallo Rege conceſſa reſpondit Burgundio, tum quum Margaretam Comitis Flandrici filiam Andax duxit vxorem. Contra à Rege poſtulauit, ne quas aduerſus Carcellenſem filium inimicitias conciperet, ne nouo ſacramento, & hactenus inaudito homines nobiles vtriuſque beneficiarios aſtringeret (adigebat autem Rex vt in omnibus bellicis expeditionibus aduerſus quemcumque nemine excepto ſuſceptis ſibi præſto fore iureiurando promitterent:) at illi Burgundionem etiam patronum agnoſcebant, atque accipere volebant.

10 Poſtremò poſtulauit, vt Atrebatenſi fœderi, cuius capita quædam, conditionéſque impletæ nondum erant, omni ex parte ſatisfieret, vti Rex ſuperiore anno in Somonenſibus recipiendis vrbibus recenti iureiurando confirmarat. Quibus poſtulatis haud diſertè reſpondit Ludouicus, ſed captata occaſione Nouiodunum ad Creſſiacam ſyluam in Picardiam ſeceſſit, nec amplius Burgundionem inuiſit, Croio ſubinde à Burgundione ad Regem, tum à Rege ad Burgundionem commeante. Hic Croius apud Philippum valde potens, magníſque beneficiis auctus, quum ſe Carcellenſi filio minùs acceptum videret (vt in magnis imperiis paterni amici rarò filiis accepti eſſe ſolent) multa aduerſus eundem molitus, patrem primùm illi infenſum reddidiſſe, mox implacabilium inter Ludouicum, Carcellenſémque, odiorum author fuiſſe traditur: Regi ſuggeſſiſſe, vt Somonenſes vrbes redimeret, Philippo perſuaſiſſe vt eaſdem bona fide redderet: Niuernenſem Comitem Carcellenſis propinquum incitaſſe, vt Brabantiam armis repeteret, idcircóque in Ludouici amicitiam eundem inſinuaſſe, ac perfeciſſe vt Picardiæ adminiſtrator maiorem inuadendæ Brabantiæ occaſionem haberet. Bononiam, Luceburgum, hoc eſt, Leucorum oppidum (vt olim appellabatur) & alias aliquot vrbeis præſidiis munire voluiſſe: Atrebatenſem agrum in ſua poteſtate fore iactaſſe, ſiquando Rex Philippo mortuo aduerſus Carcellenſem arma capere in animo haberet, ſuámque operam pollicitum fuiſſe, Genethliacos de Carcellenſis fortuna conſuluiſſe, quam illi grauem, aduerſámque fore reſponderint: magicis quibuſdam carminibus Carcellenſis mortem procuraſſe, ſex imagunculas cereas, treis in marem, totidémque in fœminam effictas conficiendas, atque ritu Chriſtiano tingendas curaſſe, vt hiſce præſtigiis Carcellenſis vitæ, fortunæque inſidias strueret. Hæc an vera fuerint, incertum. Cæterum ita habere ſuis diplomatis ſignificauit Carcellenſis: quæ tum ad præcipuas Burgundicæ ditionis vrbeis mittenda curauit: ac paulò pòſt Croios omneis (quæ ampla, numeroſaque familia fuit) hoſteis declarauit, & exilio, boníſque mulctauit: tametſi ex his Chimæus cubiculariorum princeps Philippo intimus erat, atque alter ex eadem familia Ludouici Luceburgenſis, qui tum apud Philippum, Carcellenſémque multum authoritate pollebat, filiam vxorem duxerat: quod quidem ſenectute grauis Philippus moderatè tulit, vel demandata iam filio rerum gerendarum cura, eidem condonauit: paucis ante annis, hoc eſt, circiter annum eius ſæculi quinquageſimumſextum Otho Caſtellanus Florentinus Regius quæſtor ac Guilielmus Gonfrerius Regiorum cubiculariorum princeps (Primum vulgò appellant) eiuſdem vanitatis ſocius in carcerem coniecti fuerant, quod huiuſcemodi imagunculas effinxiſſe, & magicis artibus Carolum Regem ſibi ita obnoxium, vt ex illorum arbitrio omnia gereret, reddere tentaſſe plurimis argumentis conuincerentur.

In magnis imperiis paterni amici rarò filiis accepti.

Croios hoſtes declarat Carcellenſis.

11 Vt ad rem redeam, interim dum Hiſdini Ludouicus, ac Philippus lætis conuiuiis operam dabant, Crotoio aſſumptis quadraginta fidis comitibus in Hollandiam traiecit nothus Rubripratenſis, quò tum veluti hominum turbas vitans Carcellenſis ſeceſſerat. Mandatum à Rege habuiſſe Comites ferebantur, vt quicquid imperaret nothus, ad id conficiendum ſedulò incumberent; ille vt Carcellenſem viuum, mortuúmve comprehenderet. Nothus verò agnitus, ac comprehenſus in carcerem coniectus eſt, ſociis qui in naui remanſerant, vela facientibus & elapſis. Vno eodémque die, hoc eſt, tertio Idus Octobr. Philippus & à Rege, & à filio litteras accepit. Illæ Regem ad inuiſendum Philippum poſtridie Hiſdini affuturum ſignificabant: iſtæ Rubripratenſis nothi comprehenſi cauſas indicabant: vtriſque perculſus Philippus ad fanum Pauli repente ſeceſſit, quo comperto Rothomagum Rex profectus eſt. Hinc graueis inter Regem, Carcellenſémque conceptæ ſuſpiciones pariter, & ſimultates; hinc bella implacabilia exorta, quæ inter Gallos Reges, & Burgundicæ familiæ hæredes à parentibus ad liberos, nepotéſque tranſmiſſa nondum conquieuerunt. Et quod maximum naſcentibus malis momentum attulit, omnibus

Suſpicionum inter Regem & Carcellenſem cauſa.

Digitized by Google

bus ferè Galliæ proceribus, viríſque militaribus infenſus erat Ludouicus: quos à patre digreſſus, à ſe expertus erat alienos. Itaque ſiue domeſtici belli metu, ſiue quod priſtino incenſus odio, incautos malè mulctare, aut exauthoratos, deprimere, ludibrióque exponere deſtinaret, finitimos principes ſibi conciliandos putauit. Franciſcum Sfortiam humili loco natum (cuius auum Cotignolanum cerdonem fuiſſe prodiderunt) ſed virum militarem beneficiarium ſuum palàm agnouit; ídque ſubinde iactitauit, conquerente interim, ac grauiter ferente Carolo Aureliano Regulo: ad quem Mediolanenſis principatus hæreditario iure deuenerat: Siquidem Valentina Caroli mater Philippi Mariæ vltimi Mediolanenſium Reguli, qui ſine legitimis liberis è vita exceſſit, ſoror fuit. At Sfortia qui Blancham Philippi filiam notham Cremona in dotem accepta vxorem duxerat, aduerſus Venetos cum iuſto exercitu miſſus, & nobili apud Carauagium victoria potitus, tum accepta à Coſmo Medice in militum ſtipendium pecunia fretus, à Mediolanenſium fide defecit, in eóſque ipſos victorem exercitum conuertit; ac multis inſubrum vrbibus partim vi, partim arte in ſuam poteſtatem redactis tandem Mediolanum obſedit, Mediolanenſibúſque ſeſe dedentibus Dux ab omnibus ſalutatus eſt.

Hæc an in odium Aurelianenſis fecerit Ludouicus (cuius fratrem nothum Ioannem Comitem Dunenſem gloria rei militaris in primis clarum exauthorauerat) an quod Sfortiæ viri militaris opera ſibi aliquando vtendum putarit, incertum: ſanè non ſolùm alienigenam, nouúmque hominem alienæ ditionis inuaſorem aduerſus Aurelianenſem propinquum, ac legitimum hæredem ſua authoritate fouere viſus eſt; ſed & vt beneficium eſſet cumulatius, eidem Sauonam, quam Gallicum præſidium obtinebat, attribuit. Pium quoque Secundum Pontificem maximum de conſilio Baſilienſi conquerentem; immo illi prorſùs aduerſantem Pragmaticæ ſanctionis (ſic enim vocarunt) per legatos iure cedens placare, atque ſibi adiungere conatus eſt. Sed ea ceſſio diu vltro, citróque agitata triennio pòſt Paulo Secundo Romæ Pontificem agente facta eſt, hoc eſt, menſe Septembri anno eius ſæculi ſexàgeſimoſeptimo, Ballua Cardinale vt Kalend. Octob. in ſenatu Pariſienſi promulgaretur, enixè procurante: cui Ioannes à fano Romano Regius procurator vir litteris, & vitæ integritate celebris, ac tota ſchola Pariſienſis (vt loquuntur) id eſt, virorum litteratorum claſſis ſe oppoſuerunt, & ad proximum vniuerſi Chriſtianiſmi concilium prouocarunt. Huius ceſſionis Ludouico authores fuerunt Ioannes Atrebatum, ac Sotofredus Heluiorum Pontifices eo nomine Cardinalitio galero donati. Regi pollicebantur Pontificium quaſi vicarium, legatúmque in Gallia deſignatum iri: qui ſacerdotiis, ne pecuniæ amplius Romam exportarentur, quoties priorum mors abdicatióve interueniret, nouos parua impenſa præfectos imponeret. Sed facta ceſſione promiſſis non ſtetit Paulus Pontifex; Ludouicus domeſticis, externiſque bellis agitatus diſſimulandum putauit. Lanoium præterea è Croiorum familia cum mandatis de ſocietate aduerſus Carcellenſem ineunda (vt ferebatur) in Angliam ad Edoardum miſerat: quorum mox Carcellenſem Edoardus certiorem reddidit. 12

His ita procuratis quum res ſuas bene conſtitutas Ludouicus exiſtimaret, ac maiora deinceps animo agitaret, in graueis duorum potentiſſimorum regulorum Burgundionis (inquam) ac Britanni inimicitias incidit, legatione ad vtrumque miſſa. Nam Rubripratenſi notho (cuius ſuprà mentionem fecimus) in carcerem coniecto Rothomagi Rex conuentum habuit, acceſſitis Tornacenſibus, Ambianis, reliquíſque ciuitatibus nuper receptis: quæ eò omnes legatos miſerant. Conqueſtus eſt de fama in vulgus edita, qua Rubripratenſi notho mandatum de comprehendendo Carcellenſi dediſſe falsò inſimulabatur, non eò ſe ſpectaſſe ſanctè affirmauit: ſed notho iniunxiſſe, vt Britannicum Cancellarium in Angliam ad ſocietatem cum Anglis ineundam miſſum inter redeundum interciperet, ea enim ſocietate ſe inſcio pertractata Britannum læſæ Majeſtatis teneri. Comitem Niuernenſem in iiſdem comitiis Picardiæ præfecit: qui ſiquid antiqui hoſtes (Anglos intelligebat) molirentur, prouideret. Pridie nonas Nouembr. ad vrbem Inſulam appulit Carcellenſis magna & patris, & ſuorum lætitia exceptus: Comitem Deuenſem, Moruillerium Cancellarium, ac Narbonenſem Pontificem ad Philippum paulo antè miſerat Ludouicus, de Carcellenſi eius filio conqueſturos, hi poſtridie eodem appulerunt. Publicè coram Philippo, filióque, atque vniuerſis, qui illis à conſilio erant, nemine excluſo, orationem habuit Moruillerius vehementem quidem illam, & aduerſus Carcellenſem ſatis contumelioſam: quæ & Rubripratenſem nothum repetebat, quem ad intercipiendum Britanni oratorem ex Anglia redeuntem, miſſum prædicabat; & Oliuarium Marchianum ad ſupplicium depoſcebat, quem falſos de Rege rumores in conuentibus 13

Rothomagi comitia habita.

Moruillerij oratio coram Philippo.

Brugenſibus,

Digitized by Google

Brugenſibus, & pleriſque aliis celebrioribus Flandriæ emporiis,quò omnes,omnium nationum mercatores conuenire ſolent, ſparſiſſe arguebat: Rubripratenſem ſcilicet piratam ad comprehendendum Carcellenſem à Rege miſſum, vti pater ſenex filio captiuo ſuis ditionibus priuaretur. quo rumore grauiter percellebatur Ludouicus, quocirca & nothum reddi, & Oliuarium læſæ Majeſtatis reum ſibi ad ſupplicium dedi poſtulabat. Reſpondit Philippus Marchianum è Burgundia minore oriundum, & inter ſuos domeſticos iamdudum numeratum Regiæ iuriſdictioni haudquaquam ſubeſſe; ſiquid tamen in Regem deliquiſſet, aut alioqui læſæ Majeſtatis reus conuinceretur, meritas de illo pœnas ſumpturum: Rubripratenſem porrò nothum non ſine ratione à filio in cuſtodiam traditum, qui ſi ſuſpicax eſſet, id Luſitanæ matri, quæ mulierum omnium ſuſpicaciſſima fuiſſet, non ſibi acceptum ferre deberet, ſe tamen quamuis leuibus ſuſpicionibus non facile adduceretur, id ipſum quod feciſſet filius, fuiſſe facturum: nothum enim iuſtas ſui comprehendendi occaſiones præbuiſſe. Subiecit Moruillerius, non ita pridem apud Turones Rege tum illic agente Carcellenſem cum Franciſco Britanno Anglorum ſocio tacitum fœdus iniiſſe, atque ſubſignaſſe ſequeſtre Tanneguio Caſtello (Caſtellanum alij vocare malunt) atque huius coniurationis adminiſtro: cuius facinoris atrocitatem ampliſſimis verbis exaggerauit,& vtrumque merito læſæ maieſtatis arceſſi profeſſus eſt: addidit ſe,quid Carcellenſem eò impulerit,haud facilè coniicere; niſi fortè quis penſionem pecuniæ annuam, & Normaniæ adminiſtrationem reuocatas pupugiſſe Carcellenſis animum ſuſpicetur. *Philippi reſponſio.*

14 Reſpondere ſæpius tētauit Carcellenſis;ſed ſermonem vbique interrumpebat Moruillerius, & ſe à Rege ad patrem mandata habere, cum illo ſibi nihil negotij intercedere identidem inculcabat. Supplex à patre tandem petiit, vt ſibi & ſuam innocentiam, & Britanni abſentis æſtimationem tueri permitteret. Ille ſe patris officio functum, quod par eſſet, pro filio reſpondiſſe ait: ſiquid amplius haberet, interim meditaretur, poſtridie quæ ex vſu forent, atque è ſua dignitate dicturus. Sic ardentem iuuenis animum, ira atque indignatione incenſum moderatus, nequid temerè effutiret, ſapienter prouidit. Poſtero die genuflexo,& ſermone ad patrem conuerſo primum Rubripratenſem nothum iure in carcerem coniectum multis argumentis confirmauit Carcellenſis,quod & ex actis iudiciariis tum confectis liquere aſſeuerauit: tametſi id incertum fuit, & nothus quinquennio pòſt è carcere emiſſus, ad ſuos reuerſus eſt: tum fidem inter ſe, ac Britannum datam, qua ſe fratres militares fore, & mutuam in bellis obeundis operam, opémque laturos ſibi inuicem promiſerant, non coniurationem aduerſus Regem fuiſſe, ſed firmam, commodámque cum ad alia permulta, tum ad eius tuendum regnum ſocietatem. Porrò ſe annuæ penſionis reuocatione, Normanicæque adminiſtrationis exauthoratione haudquaquam moueri: patris modo beneuolentia non deeſſet, ſatis amplum ſibi paratum patrimonium, vt externa ope neutiquam indigeret. Plura,atque acerbiora dicturum fuiſſe, niſi patris maieſtas obſtitiſſet, ex vultu, geſtúque conſtabat. Vbi perorauit, Regem Philippus ne quid temerè de ſe, filióque ſuſpicaretur, precatus, regios oratores dimiſit de Carcellenſi haud iam bene auguranteis. Patre valere iuſſo, quum idem officium filio quoque præſtitiſſent, poſtremùm digreſſo Pontifici Narbonenſi in aurem inſuſurrauit Carcellenſis, Mihi caput coram patre, Regis mandato, Moruillerius multis aſperſit contumeliis; at ego faxo, vt intra vertentem annum Regem ipſum pœniteat, quæ iiſdem verbis ad Regem retulit Pontifex: vnde odium implacabile inter vtrumque multis ante ſuſpicionibus conceptum,mox exarſit. Carcellenſem augebant Somonenſia oppida,quæ non ita pridem (vt ſupra commemoraui) Ludouico reſtituerat Philippus Croiorum fratrum vel conſilio vſus,vel fraude inductus,Id Carcellenſis in primis ægrè tulit:erant enim veluti firma quædam Flandriæ propugnacula. Ludouico vltionis cupido, & in omneis ferè Galliarum Principes,cæteróſque proceres malè animato, Carcellenſis,Britannúſque ſuſpecti erant, quos illis occulta factione iunctos intellexerat. Itaque regreſſum à Burgundione Moruillerium cum delectis aliquot viris ſtatim ad Britannum miſit: quorum legatio præcipua quatuor capita continebat. Primum ne Britanniæ Regulus in publicis diplomatis ea verba præfigeret, quæ hactenus vſurpauerat: *Franciſcus Dei gratia Britanniæ Dux:* quod hiſce verbis ſe Regis beneficiarium tacitè inficiari videretur, quibus Ducatum ſoli Deo, non etiam ſecundùm Deum ipſi Regi acceptum ferre teſtaretur. Tum ne is aureæ monetæ in poſterum cudendæ ius ſibi vendicaret. Tertiò Regem conſtituiſſe, vt deinceps ſibi quotannis in tota Britannia tributum, ſiue annuum vectigal cogeretur. Poſtremò poſtulare, vt ſacerdotia omnia Britannica non amplius Britannum, ſed ipſum

Carcellenſis Rubripratenſem meritò vinctu fuiſſe aſſerit.

Legationis ad Britannũ capita quot, & qualia.

Digitized by Google

ipſum adeo Regem patronum agnoſcerent: eorum ſi quod detrectaret Britannus, bellum Regis nomine indixerunt.

Quibus poſtulatis cum nouis, tum iniquis Britannus, ſupra quam dici poteſt, perculſus; præſertim quòd ad excipiendum hoſtem imparatus, paratas autem in Britanniæ finibus Regis copias videret, Tanneguium Caſtellum domeſticorum principem (maiorem domus vocant) virum rara prudentia, longáque experientia præditum in conſilium adhibuit: is rerum Gallicarum gnarus, quod apud patruum eiuſdem nominis Tanneguium Caſtellum (qui indignam Caroli Aureliani Reguli, cuius domeſticus erat, cædem vlturus, Ioannis Burgundionis necem procuraſſe fertur) à puero in aula Gallica educatus erat, Britannum admonuit Regis poſtulata huiuſmodi eſſe, quæ non ad ipſum duntaxat, ſed & ad omneis Britanniæ ordines pertinerent: illis inconſultis rata haberi non poſſe: trimeſtrem dilationem petere, vt interim conuocatis cunctis ordinibus, res tota vno omnium conſenſu tranſigeretur: publica authoritate, non priuatim Regi ſatisfactum iri. Hoc conſilio vſus Britannus Regios oratores dimiſit bonæ ſpei plenos, & quid ille interim moliretur, ignaros. Quibus digreſſis delectos ſtatim, induſtriósque homines huc illuc clam miſit, Franciſcinorum alios, alios Carmelitarum, Auguſtinianorúmque, aut humillimæ ſortis hominum veſtitu tectos partim ad Burgundionem, Carcellenſémque, partim ad Borbonium, Nemorenſémque regulos, ac cæteros Galliarum proceres, quibus iuſtæ non deerant de Rege querimoniæ: miſſa in Angliam quoque de ineunda ſocietate legatio: quæ nouandarum in Gallia rerum perpetuos Gallici nominis hoſtes admoneret. Omnibus vnum mandatum erat, Regem nouorum hominum malis artibus delinitum, principibus autem, nobilitatique infeſtum, vniuerſos, ni maturè prouideant, malè mulctaturum: à Britanno incipere, falſos etiam de Burgundione ferere rumores; quorum ſumma apud Gallos ſemper authoritas fuit: his oppreſſis cæteros ex ſua libidine facilè perſſundaturum. Sub id tempus à Britanno admonitus, ad Philippum Burgundionem auunculum, matrémque (quæ cum quatuor liberis vnà cum Philippo fratre agebat) viſendam, vt præ ſe ferebat, acceſſit Ioannes Boiorum Regulus. Cæterum id moliebatur, vt exercitum comparare, in promptúque habere auunculo perſuaderet: ſe enim illi in primis charum non ignorabat: qui Borboniam familiam ſupra omneis propinquos diligebat: vnde & Carolo filio vxorem licet conſobrinam deſponderat. Paucis poſt diebus ex Inſula diſceſſit Philippus, & in Flandriam profectus, Cameracum (Samorobrinam olim dictam putant) præcipuos quoſque cum ex domeſticis, tum ex vtriuſque Burgundiæ, Flandriæque viris militaribus conuocauit. 15

Tanneguy Caſtelli prudens conſilium.

Religioſi veſtitu diſſimulato ad varios miſſi, & cur.

1465. Anno huius ſæculi ſexageſimo quinto ineunte è Picardia per Normaniam ad Turones, & à Turonibus ad Pictones vnà cum Carolo fratre Biturigum Regulo Ludouicus acceſſerat. Huc compoſitis iam rebus, & ſocietate cum cæteris Galliarum principibus confirmata legatos mittit Britannus, trimeſtrem alteram dilationem ab rege petituros: illi intra id tempus omnium Britanniæ ordinum decreta regiis poſtulatis ſatisfactura, Regulum ipſum ad Regem delaturum pollicentur: atque interim cum Biturige per Odetum Ædianum, vel Rianum, vt alij ſcribunt (Leſcunum etiam à fundo eiuſdem nominis appellarunt) eius domeſticum agunt, vt à Rege fratre, à quo veluti captiuus circunduceretur elapſus ſe ad Britannum recipiat eius libertati, dignitatique conſulturum. Dimiſſi à Rege in Britanniam Biturige perſuaſo rediere. Rex ipſe in Pictonibus relicto fratre in agrum Lemouicenſem ad Pontanam Diuæ Virginis ædem voti ſoluendi gratia Martio ineunte ſe contulit: quam nactus occaſionem Odetus Biturigem, quaſi venatum iret, tanta ad Britannum celeritate deduxit, vt famam omnem anteuertens, antequam ad Regem perueniret rumor, Britanniam ſit ingreſſus xvij. Kal. April. ex Nannetibus ad Burgundionem literas Biturix mittit: quibus omnium ordinum de regni adminiſtratione delatas ad ſe querelas ſignificat: contemptam iacere Regiam ſobolem, cæteroſque proceres: ſacroſanctam ſacerdotum authoritatem, & hactenus illibatam nobilitatis dignitatem concidiſſe: grauioribus quam dum Angli hoſtes vniuerſæ propè Galliæ imperarent, plebem tributis opprimi: his apud Regem explicatis nihil illum commoueri: infimæ ſortis aſſentatores omnia poſſe: diuitum fortunis imminere: Regem optimis quibuſque infeſtum ſuis delationibus reddere: vt is ipſe in magnum vitæ diſcrimen adductus fuga ſalutem quærere coactus ſit: Burgundionis eſſe, vt inter Galliarum ſecundi ordinis patricios primum locum obtinet, ita in publica cauſa ſuſcipienda primas parteis ſibi vendicare: ſe quidem quamuis admodum ſit adoleſcens, tot regij ſanguinis principibus, tot veteranis alarum equeſtrium ductoribus, qui eius authoritatem ſequi deſtinarint, non defuturum. Britannum 16

Biturigis querela ad Burgundionem.

tannum, à quo humaniſſimè exceptus, habitúſque ſit, eadem ſentire, & non contemnendas iam copias paratas habere; precari, vt quàm maximum poſſit, exercitum comparet, & vel ipſe, vel (ſi grauis ætas id minus patiatur) eius nomine Carcellenſis, in communem cauſam ſedulò incumbat. Tum etiam ex Anglia reuerſus Iacobus Luceburgenſis Ludouici Comitis Paulini frater ſcriptatum ad Edoardum Ludouici litterarum exemplar, mandatáque retulit, & ſtructas Carcellenſi inſidias indicauit.

Iacobus Luceburgēſis ex Anglia redux.

16 Hæc Philippum, vt exercitum cogere maturaret, impulerunt: conuenerunt Ludouicus Luceburgenſis Fani Paulini Comes à Luceburgenſis regulis oriundus, Galterus è familia Comitum ciuitatis equeſtris Burgundiæ Mareſchallus, Philippus Rauaſtænius Cleuenſis reguli frater, Antonius Burgundus Carcellenſis, Halbordinus Ludouici Luceburgenſis frater nothus, atque huic æqualis Contæus. Hi poſtremi duo prouectæ admodum ætatis, & in omnibus Gallorum, Anglorúmque bellis verſati, cæteris bellica laude præcellebant, & præcipuam totius exercitus curam gerebant. Equites grauis armaturæ mille & quadringenti, leuis ad octo vel nouem millia numerabantur: ſelecti qui ad bellicos vſus accommodatiores videbantur, cæteri domum remiſſi; tametſi omnes in longo otio, magnóque luxu educati totis triginta annis, ex quo Atrebatenſe fœdus initum fuerat, vix hoſtem aſpexerant: machinarum bellicarum, vt tum ferebant tempora, non exiguus numerus: quas circum totus peditatus circumfuſus erat. Huius exercitus audita fama ſtatim ad Ioannem Boiorum regulum ſororis virum ſcripſit Ludouicus, vt ad ſe centum cataphractis equitibus comitatus accederet. Is reſcripſit Regiæ ſobolis proceres ſæpius apud illum de noua regni adminiſtratione conqueſtos, quæ magis ad tyrannidem quodam modo vergere, quàm ad antiquam regni Gallici moderationem ſpectare videatur: nihil hactenus profeciſſe, contemptos de re communi promouenda ſocietatem coiiſſe; orare Regem, vt priuſquam res ad arma veniat, ſuam vnicuique authoritatem, libertatémque reſtituat: ex principum ſibi propinquorum conſilio, triúmque ordinum decretis rem communem augeat potiùs, quàm ex paucorum infimæ ſortis adulatorum arbitrio peſſundet. Omneis illum Regem agnoſcere: illi parere velle, modò Regem agat, hoc eſt, ex æquo & bono regnum quod quandam Reip. formam repræſentare debet, adminiſtret. quod ſi ab antiqua regni Gallici forma malis quorumdam conſiliis impulſus diſcedat, & Regias familias, cunctóſque ordines ex eorumdem libidine ferre: agere conſtituat, regni proceres in quorum numero ipſe ſit, pro veteri, & ſibi à maioribus relicta libertate vitam profundere miſſis ſyngraphis inuicem confirmaſſe. hac ſe ſocietate pro communi vtilitate ſuſcepta impediri, ne ad Regem vocatus accedat. His acceptis litteris Regia diplomata toto regno edenda, legendáque decimoſexto Kalend. April. miſit Ludouicus: quibus ſignificabat homines ſeditioſos quietis, & publicæ tranquillitatis perturbatores in ſe conſpiraſſe; fratrémque Carolum, quaſi inſidiis peteretur, ab eo diuelliſſe, & ad ſumenda arma publicæ vtilitatis ſpecie impuliſſe: quaſi verò ea non ad publicam perniciem, totiúſque Galliæ vaſtationem vergant. his enim Anglos antiquos Gallici nominis hoſteis quamlibet occaſionem quotidie aucupanteis facilè iunctum iri, & regnum de integro inuadere tentaturos. Tametſi autem Regiæ Majeſtatis læſæ apertè conuicti ſunt, ſe nihilominus Regia clementia adductum illis noxam condonare, ne cuiquam fraudi ſit, modò intra Kalend. Maias reſipiſcant, & poſitis armis in Regis verba iurent.

Ioānis Boiorum Reguli reſpōſum ad Ludouicum.

Ludouici clemētia in reos læſæ Majeſtatis.

17 Rex mox ex Pictonibus Andegauum profectus vbi fratrem multis pollicitationibus reuocare nequicquam tentauit, Renatum Andegauenſem, ac Carolum Cenomanſem auunculos cum ſeptingentis cataphractis equitibus in agro Andegauenſi, vt Britanno opponerentur, reliquit, ipſe cum cæteris copiis ad Bituriges contendit; ſed vrbe, quam Matthæus Borbonius nothus occupauerat, prohibitus ad Boios deflectit, vel ſuperiore Ioannis Borbonij epiſtola accenſus, vel quòd is à Rege nuper exauthoratus Burgundionem ad capienda arma ſollicitaſſe ferebatur; tum Curſolum Regis domeſticum, Trauellúmque Cancellarium, ac Petrum Doriolum quæſtorem regium Molinis in cuſtodiam tradiderat, Regia etiam pecunia intercepta; vel quòd Rex ipſe agro nec vrbibus, nec arcibus firmis ſatis munito ſe facilè potiturum ſperabat. Itaque ſtatim Amani fanum vi, Monlucium deditione cepit: Rionem nequicquam obſedit. at Carolus Cardinalis Borbonius ac Petrus eius frater Burgundos, quibus Marchio Rothelinus, Colchius, & Montacutus præerant, in agrum Boium immiſerant, præſidiúmque Molinis collocarant. His Nemorenſis regulus, atque Armeniacus, Albretenſiſque Comites auxilio venerant: ſed viribus tamen impares, quod in exercitu Ludouici equitum ſimul, ac peditum quatuor

& viginti

Digitized by Google

& viginti millia eſſe acceperant, de fœdere ineundo verba fecerunt; quibus facilè annuit Rex, vt Carcellenſi Lutetiam properanti occurreret: verebatur enim ne ſi princeps ciuitas, omnibus ferè Galliæ proceribus publicæ libertatis, ac Reipub. conſtituendæ ergo arma ſumpta iactantibus, accederet, eius exemplum cæteræ ſequerentur: ipſe ſolus, atque ab omnibus deſertus hoſtibus proderetur. Neque tamen id fœdus vſquequaque ratum fuit: & Nemorenſis, qui ſe Regis parteis ſequuturum pollicitus erat, ab eius ſtatim fide defecit: vnde implacabili mox odio Rex percitus eumdem publica fide data captum nihilominus morte mulctauit. Interea Carcellenſis cum his copiis, quas ſupra commemoraui, in Picardiam contendit: Philippus in Flandria ſenio confectus reſedit, nec in eam militiam nomen dedit: filio ex animi ſententia rem gerere permiſit: ſed ſuas cum Regiis copiis in manus venturas haudquaquam putauit: vtpote cui nec coniuratorum numerus, nec coniurationis ſeries, cauſæque omnes ſatis compertæ vnquam fuerunt. Sed mihi, antequam vlteriùs progrediar, quanta fuerit tum Burgundiæ, Flandriæque fœlicitas in primis commemorandum videtur.

Nemorenſis morte mulctatur, & cur.

Longa pace Atrebatenſi fœdere confirmata triginta annos (vt ſupra attigi) in ſumma 18
rerum omnium tranquillitate, copiáque viri nobiles iuxtà atque ignobiles vixerant: illos bellis non exhauriebat Philippus, qui merito facilitatis, ac probitatis ergò Boni cognomen accepit. Ab iſtis pauca tributa exigebat, vt non tam principem Imperij licentia vtentem, quàm prudentem patremfamilias ex æquo, & bono ſuis prouidentem diceres: aut, vt veriùs dicam, in eo antiquorum Regum, qui non quid liceret, ſed quid ſe deceret, quídque ſui officij eſſet, ſpectantes, regna ſua iuſtitia, & æquitate moderabantur, expreſſam imaginem cerneres: vnde patris mortem ex dignitate vltus non pertinaci odio bella ex bellis ſerere, ſed Carolo Regi propinquo, qui eius cædis conſcius fortaſſe non fuit, reconciliari potiùs, quàm Galliam, Burgundiámque, quæ eadem gens eſſet, bello prorſus atterere decreuit. Hinc pax tot annos continuata tantam rerum omnium affluentiam attulerat, vt cæteris Chriſtianis nationibus ſeſe inuicem concutientibus, atque in mutuam perniciem conſpirantibus, in ſolam Burgundiam, Burgundicæque ditionis prouincias verè auream ætatem rediiſſe exiſtimares. At vero, qui ſummas diuitias ſequi ſolet, luxus omnium menteis corruperat, atque effœminarat; ingentes in veſtem ſumptus impendebantur: conuiuiorum, ac balneorum cum matronis vſus frequens erat, atque indecens: cibi longè, magnóque pretio quæſiti non minore prodigalitate inſumebantur: ædificiorum autem præſertim amœnitatum immenſa cupiditas totam illam abundantiam exhauriebat: eáque huiuſce nationis inſania erat, vt nullam præterea gentem ſecum, vel bellica laude, vel diuitiarum abundantia conferendam putaret. Itaque minimè mirum, ſi Dei Opt. Max. ſuique oblita ex tanta mollitia, ſuperbiáque in graueis tandē ærumnas, extremáſque rerum omnium difficultates deuenerit. Igitur ineunte Iunio Picardiam cum exercitu ingreſſus Carcellenſis paucis pòſt diebus Nellam arcem, quam regium præſidium obtinebat, obſedit, ac deditione cepit. Nihil tamen interim hoſtile patrabat: victum pretio quærebat miles: neminem concutiebat: vi nihil prorſus extorquebat. Itaque Burgundos, quæ exercitui neceſſaria erant, petentes Somonenſia oppida, ſed exiguo numero intromittebant: vt nutare quodam modo, & victoris fortunam ſequutura viderentur. Mox arcem pontémque Maxentij prodente Madereo præfecto occupauit: eáque præſidio firmata, inde ad Dionyſiopolim oppidum vſque, quò cæteri fœderati Galliarum principes conuenire debebant, progreſſus eſt: atque interim quaſi Biturigis legatus, ac vicarius (id enim præ ſe ferebat) omnia nuper impoſita vectigalia, omneis iniquas exactiones paſſim remittebat: vnde ſumma totius plebis lætitia vbique excipiebatur. Quem Perona egreſſus Ioachimus Roaldus Mareſchallus modò à tergo ſequebatur, modò à lateribus ſeſe oſtētabat, modò in frōtem occurrebat: ſed quod paucos ductabat equites cominus congredi, atque in manus venire non auſus, Lutetiam tandem, quo principem vrbem in officio cōtineret, ſe recepit Haud diu ad Dionyſij fanum moratus Carcellenſis copias ad Lutetiæ ſuburbia oſtentaturus eduxit: vt & rerum nouarum cupidis animos adderet, & Regios multitudine equitatus magnificentiáque terreret: certatū aliquot leuibus prœliis, ſed Regij equites pauci numero facilè repulſi: nec tamen vrbem oppugnare aggreſſus eſt (tametſi Halbordinus vt aggrederetur, inſtabat) quod intus Roaldus Mareſchallus, ac Nantolius ſummus Regij palatij magiſter omnia mira diligentia, ac pari virtute curabant: tū etiam quod principem vrbem beneuolentia potiùs, quàm vi in ſuas parteis pertrahere ſtudebat: vt illi cęteriſque conceptam iam animis opinionem magis confirmaret, hoc bellum ſcilicet publicæ vtilitatis cauſa eſſe ſuſceptum. Itaque ſub veſperam ad caſtra Dionyſiaca reuerſus eſt.

Flandriæ Burgundiæque fœlicitas ſub Philippo.

Luxus humanarum mentiū corruptor.

Carcellenſis Pariſios oppugnare formidat.

Poſtridie

Digitized by Google

19 Poſtridie in conſilium itum;alij Biturigem,ac Britannum,cæteróſque expectandos non rebantur, quod ad condictam diem non affuiſſent: ſatis ſupérque Carcellenſi eſſe, quod Somonam,Matronámque amnes transmiſiſſet ſi & Sequanam traiiceret,nullas à tergo vrbeis, quo ſe reciperet, ſi vrgeret neceſſitas, relinqui. Inſimulabantur maximè Ludouicus Luceburgenſis,ac Rouilla Britanniæ Cancellarius,qui natione Normanus ingenio vafro, callidóque pleraque vti res poſcebat,ſimulabat,& diſſimulabat;ac tum recẽs allatas à Britanno litteras mentitus,ipſum,Biturigémque non procul abeſſe confirmabat. Vicit igitur contraria ſententia, quapropter Sequana transmiſſo ad fanum Clodoaldi caſtrametantur. Ibi litteras nobilis matronæ Carcellenſis accepit,quibus Regem ex Boiis Lutetiam versùs magnis itineribus properare ſignificabatur, vt cum illo antequam Biturigi, Britannóque iungeretur, confligeret. Etenim Ludouicus inito apud Boios fœdere de Lutetia ſollicitus remenſo per Bituriges itinere relicto pedite, quòd eadem celeritate ſequi non poſſet, ſolo equitatu comitatus, quanta potuit,diligentia Aureliam contendit; mox Stempas,inde ad Chatras decimoſexto Kal.Auguſti feſtinus appulit.Poſtridie Carolo Carcellenſi ad Longoiumellum ſubſiſtente,Ludouicus Luceburgenſis Fani Paulini Comes,qui primam ducebat aciem,ad Lethericum ex æquo,hoc eſt,quatuor milliaribus à Chatris,Longoiumellóque diſtantem vicum peruenerat:qui tres vici ſe mutuo conſequuntur,& viam Regiam æqualibus prope ſpatiis Aurelia Lutetiam proficiſcentibus interſtinguunt. Carolum Cenomanum cum ſeptingentis illis cataphractis equitibus, qui in agro Andegauenſi relicti erant, ſe Ludouico iunxiſſe per exploratores certior fit Carcellenſis. Cenomanus enim viribus impar cum Biturige, Britannóque congredi non auſus ſemper illos ad Lutetiam feſtinanteis antecebdeat,ad Ludouicũ ſeſe occaſione data recepturus: & quòd cum Carcellenſi cõflicturus Ludouicus ferebatur, relictis Britãnis tum ad Regia caſtra properarat. Ludouici equitatus bis mille,& ducentis cataphractis equitibus conſtabat;quos,qui cataphractis attribui ſolent,hippotoxotæ præibant. His Delphinatium nobilitas, & quinquaginta ferè Sabaudi equites acceſſerant,nullos ſecum pedites,nullas bellicas machinas trahebat:Chatris conſiſtere in animo habebat,quum præmiſſi exploratores hoſteis non longè abeſſe nuntiant. Itaque Cenomanum auunculum,Brizeum Normaniæ Seneſchallum, Montalbanum maris præfectum (Amyralium noſtri quaſi Almyralium vocant,quòd ἁλμυρὸν,Græcis aquam ſalſam,marinámque deſignet)& præcipuos præterea ordinum equeſtrium ductores in conſilium adhibet.Nonnulli tentãdam fortunæ aleam,præliúmque faciendum aiebant:Carcellẽſem equitatu quidem pollere,ſed longa pace ignauo,illi pares, hoc eſt,imbelles adeſſe pedites:qui equitum fortunam ſequãtur,ſi veteranis Biturigis,Britanníque copiis iungatur,tum Regi vel de fuga cogitandum eſſe,vel,niſi ſe,ſuóſque perditum ire malit, vt ſe mœnibus, fluuiíſque tueatur, videndum. In eam ſententiam tametſi plerique propendebant, nihilominus Rex tutiore (vt tum res erant) conſilio vſus, vitatis Burgundis Lutetiam proficiſci ſtatuit,eam eſſe belli arcẽ,ea ſalua cæteras vrbeis in officio fore:ſi bello decerneret,&,vt incerta belli alea eſt,fortuna illi aduerſa foret,nec hanc quidem in officio futuram, & cæteras ſuo exemplo ſecum in hoſtium ſocietatem inducturam: plauſibilem hoſtium eſſe cauſam, publicæ vtilitatis, ac libertatis ergò arma ſumpta iactari,hoc prætextu nutanteis,dubióſque vulgi animos facilè victorum fortunam ſequuturos. Et quandoquidem Brizeum ſuſpectum habebat,hominem rogauit num & is cæterorum Gallorum principum factioni ſubſcripſiſſet. Ille natura εἴρων, & ſimulando, diſſimulandóque facetus ſubſcriptionis quidem ſuæ, ſyngraphæque hoſteis, ſui autem Regem compotem eſſe,ac fore reſpondit: Qua reſponſione Rex delectatus, & ſuſpicione liberatus eidem homini alioqui militari primam aciem ducendam credidit. Tum is cuidam ex familiaribus in aurem inſuſurrans ait,Faxo ego hodie,vt hæ binæ acies tam propè admoueantur,inter ſéque committantur, vt maximam laudem ferat, quiſquis commiſſas ſine prælio, conflictúque dimiſerit: quod & re mox præſtitit. Sed inita pugna ipſe in primis cum ſuis fortuna hominis vanitatem arguente cæſus eſt.

Carolus Cenomanus Ludouico iungitur.

Belli alea incerta.

20 Hæc ſe ab ipſo Rege Cominæus audiſſe teſtatur, an rem vt geſta erat fatente, an temeritatis inuidiam in Brizeum deriuante incertum. Suos enim longo itinere feſſos; nullo,ne Chatris quidem ad reſpirandum,ſéque equóſque refocillandos ſpatio dato hoſtibus obiecerat.Cæteri Regẽ quoque in priorem de pugna ineunda ſententiã conceſſiſſe;immo verò eius authorem fuiſſe, & Brizeum, quod in contraria ſententia eſſet, timiditatis arguiſſe tradunt.Hinc accenſum ira Brizeum ſe inconſultius in medias hoſtium acies præcipitaſſe,& quadam veluti deſperatione in mortẽ irruiſſe.Is enim Biturigem,Britannúmque primum inuadendos cenſuiſſe fertur:quibus & imbecilliores erant copiæ,atque ex iis permulti,

Brizeus timiditatis accuſatur.

B multi,

Digitized by Google

multi,qui ſub Carolo Ludouici patre ſtipendia meruiſſent,& Rege conſpecto aut ad eius parteis deficerent,aut ſaltem ab armis diſcederent. At contra Carcellenſem natura feroce̅,& milite firmiſſimo,ſuique ſtudioſiſſimo,tormentis præterea bellicis egregiè munitum non niſi cum ſumma iactura,ac diſcrimine poſſe ſuperari:Brizeo ad Lethericu̅ appropinquante Luceburgenſis Carcelle̅ſi inſtare hoſteis,pugnam differri non poſſe,ni ferre opem maturet, peſſimè ſecum actum iri denuntiat: nam, vt ad Longoiumellum (cuius propinquam planitiem prælio committendo delegerant) ſe recipiat,haud ſibi integrum eſſe,non iam receptum,ſed apertam fugam fore hoſtibus animu̅,ſuis plus quàm panicum timorem allaturam. Præmiſſus eſt cum aliquot equitum alis Antonius Burgundus nothus: interea aliquantum hæſit animi dubius, ancépſque Carcellenſis, num & ipſe ſubſequeretur, nec expectatis cæteris fœderatis ſolus belli totius pondus ſuſtineret, mox animo confirmato ſuos concione aduocata ad capeſſendam pugnā adhortatus in hæc verba fertur:

Carcellenſis oratio ad milites.

[Quum in omnibus bellis,præſertim vero ciuilibus, quæ infeſtiora cæteris, immanioráque eſſe ſolent, nec ſine magna ratione ſuſcipienda ſunt, iuſta eſſe cauſa debeat, egregij milites,eam vobis, & iamdudum oblatam, & ſatis perſpectam eſſe confido. Omnes enim pro conſeruanda patriæ,hoc eſt,vniuerſæ Galliæ,libertate conuenimus. Atque vtinā Biturix,Britannúſque,ac cæteri,qui huiuſce comparandæ laudis principes ſe fore promiſerant, promiſſis ſtetiſſent,& eadem vigilantia in commune opus incumbere maturaſſent:profectò hodierno die ſimul vniuerſi,quam maiores noſtri nobis reliquerunt,libertatē tueremur,& de ſuperbo,atque intolerãdo Rege victoriā læti reportaremus. Illos quidem haud procul abeſſe certò ſcimus,ſed quandoquidem ita fors tulit vt priores communi hoſti obiiceremur,nos noſtro officio haud deeſſe,nec animis concidere par eſt,qui & cauſa,& numero,& animorum alacritate ſuperiores ſumus:ille omnium ordinū quietem perturbare molitur,nos relictam à maioribus authoritatem,libertatémque tuendā ſuſcepimus. Ille principem ſacerdotum ordinē à veris patronis abſtrahere,ad ſe vnū pertrahere,plebem intolerandis tributis vexare deſtinat, nobilitatem verò, quæ vtriſque pro muro eſt, quo omni ope ſpoliatos cunctos ordines ex ſua, adulatorúmque ſuorum libidine agat,ferátque propè omnē priùs exauthorauit. Quæ quamdiu patiemini fortiſſimi viri? Si enim regni initio,quum cæteri Reges ſe in ſuorū beneuolentiam inſinuare maximè ſtudent,tam multa commutauit,tam grauia, & nunquam antè imperata tributa non conſultis, neque aſſentientibus Regij ſanguinis proceribus, nec conuocatis tribus ordinibus,nullo imminente bello,indixit, quam mox ſeruitutem vobis ſubeundam expectare debetis? quos verò habet à conſilio? perditiſſimos,nimirū ex infima hominū ſorte delectos homunculos,qui illi omnia aſſentiri,& vndique aſſentari in animum induxerunt. Quid? quod in me apud patrē per legatos grauiter inuectus,& Britanno bellū indicens ſtructis inſidiis vtrūque læſæ Majeſtatis arceſſere conatus eſt? huc nimirū ſpectans, vt nobis iniquo iudicio circumuētis,noſtríſque ditionibus occupatis cæteros principes metu territos quaſi pro viliſſimis mancipiis haberet,& hactenus bene conſtitutū regnum in tyrannidem conuerteret. Quod ſi nos Regia familia ortos metu debilitatos intellexerit,ſi totius primi ordinis ſacris addicti patronatum vnus vſurpauerit,ac quos volet ſacerdotiis,monaſteriíſque præfecerit,ſi nobilitatē probro habere impunè ſe poſſe viderit, ſi vt ex ſua libidine tributa exigat, obtinuerit, quæ iam in immenſum excreuerunt,& miſeram plebem prorſus exinanierunt,maiora,mihi credite,deinceps molietur, & vos, cæteróſque Gallos duram tandem,intolerabilémque ſeruitutem ſeruire coget. Nos quidem noſtrum ius egregiè tueri,& quandoquidem principem locum in hoc regno obtinemus, cæteris quoque prouidere ac ſuum ius etiam ſartum tectum conſeruare vobis iuuantibus conabimur: vt Regia ſoboles ſua authoritate, ſacroſancti ſacerdotes ſua veneratione, nobilitas priſtina dignatione, miſera plebs antiqua immunitate fruatur in manu veſtra ſitum eſt. Sin animos demittitis, & infœlici iugo colla ſummittitis, iam vos non pro Francis, hoc eſt, pro liberis populis, ſed pro abiectiſſimis, viliſſimíſque mancipiis poſteritas tota celebrabit:& hæc quidem de huiuſce belli cauſis hactenus dicta ſint. Quam verò facilis vobis de hoſte victoria futura ſit, ex his conficere poteſtis. Equitatu, quo vno ille pollet, ſiue quis numerum, ſiue induſtriam ſpectet, longè ſuperamus: nam præterquam quod plures multò ſumus, equiſque magis ſtrenuis abundamus, omnes veterani ordinum ductores, qui recentibus aduerſus Anglos bellis egregiam operam nauarunt, à nobis ſtant, & aut ad nos, aut ad Biturigem, Britannúmque defecerunt: perpaucos ille habet partim metu retentos, partim erga ipſum malè animatos: omneis verò ita de via feſſos, vt equos commouere, hoſtémque excipere non poſſint, qui vel ora veſtra non ferent, quin potiùs ſe fugæ mandabunt, vel cauſa victi

vitro

Digitized by Google

« vltro ad vos facta tranſitione procurrent. Itaque ſi fortè velitari nos certamine Rex prouocabit, non eò prouocabit, vt iuſto prælio decernat, ſed vt nobis eluſis ſe Lutetiam furtim recipere interim poſſit: habemus machinas bellicas, quæ ordines perturbare, habemus pedites, qui perturbatis inſiſtere, aut humi proſtratos conficere poſſint: modò fugæ exitum præuertere curæ ſit, cætera prona erunt, & ad victoriam procliuia, quapropter adeſte animis, & mecum alacres prælium capeſſite.

21 Vbi finem dicendi fecit, vt ſe ad iter accingant, iubet: illi læta acclamatione orationem excipiunt, & accelerato gradu ingrediuntur: ad Lethericum progreſſi Luceburgenſem ſuos ad excipiendum hoſtem excientem offendunt, grauis leuiſque armaturæ equites relictis equis pedeſtrem pugnam inire decreuerant, ſed armorum pondere depreſſi mutato conſilio in equos reſiliere, quæ cunctatio præſentem victoriam Burgundis è manibus propemodum abſtulit: nam ſi in hoſteis Torphœa ſilua egredienteis ſtatim impetum feciſſent, facilè multi paucos, cõferti palanteis, disiectóſque fregiſſent. Quum enim ad Lethericum appulit Carcellenſis, vix quadringenti regij equites, haud ita procul à ſilua ad præaltam, oblongámque foſſam, quam natiua ſepes muniebat, coierant. Cæteri, vt ſors tulerat, nullis ordinibus ſeruatis (neque enim inter ſentes, virgulta, arboréſque ſeruari ordines poterant) ſubſequebantur, ſociiſque iuncti ſeſe ad pugnam ineundam comparabant. Id conſpicatus veteranus miles Contæus Carcellenſem adit, quo in ſtatu res hoſtium ſint, edocet, ſi victoria potiri velit, imparatos ſtatim aggrediatur: ſin cũctetur, illum ipſum in magnum diſcrimen ſua cunctatione venturum. Dum cæteri rem in conſultationem vocant, ac diuerſas (vt cuiuſque ſenſus erat) ſententias ferũt, ecce regij hippotoxotæ Ponceto Ripario duce in Burgundos inuehuntur, & ſtatim relictis equis pedites pugnam cient: quos imitati Burgundi hippotoxotæ ex equis & ipſi deſiliunt numero quidem ſuperiores, ſed ſine vllo ordine, ſine duce voluntarij temerè feruntur. Inter hos, qui ducum vice eſſe poterant, Philippus Alanus, atque Iacobus Maſſius ambo ex illuſtribus familiis oriundi inſignes erant. Tum enim ſi qui adoleſcentes clari natalibus inter pedites pugnabant, id verò eximiæ virtutis argumẽtum ferebatur. Regij pauciores numero in extremum Lethericum vicum paulatim gradum referũt, arci enim Regium præſidium impoſitum erat: quos perſequuti Burgundi ignem ædificiis admouent, vento grauiter flante, flammámque in ſua ora regerente Regij equis repetitis ad maius agmen ſe recipere cogũtur. Tum Carcellenſis, vt lætis principiis par exitus foret, ſuos, vt hoſtibus obuiam prodeant, admonet: tanta verò militibus alacritas, tantus feruor inceſſit, vt retineri nullo modo poſſent, ſed toto impetu in hoſtem nullis ſeruatis ordinibus ferrentur. Dextrum cornu Carcellenſis, læuum Luceburgenſis ducebat: huic rex, illi Brizeus Normaniæ Seneſchallus oppoſitus erat, antecedebant hippotoxotæ, cataphracti equites à lateribus ſuccedebant: inter vtraſque acies foſſa ingens fortè opere ruſtico ducta erat. Huius ab vtroque capite Regij equites prodeuntes irruunt: Burgundi cataphracti diſciplinæ militaris ignari, moræque impatientes hippotoxotis ſuis ſagittas emittendi, aut peditibus ſeſe inferendi ſpatium non dedere: ſed veluti fanatico furore perciti promiſcuè perturbatos perrumpentes, aut humi ſtratos proculcantes Regios primi excipere feſtinarunt. Acris vbique pugna, paribus animis, viribus prope æquis decernitur. Illinc Regis acriter pugnantis vrget præſentia: hinc victrices hactenus Burgundæ copiæ iuueni, nouóque duci non minùs ferociter prælium capeſſenti egregiam, fortémque operam nauant. Fit via vi: vtrimque cornua dextra ſuperant, læua ſuperantur: ſed maiorem cædem in ſiniſtro Regiorum cornu Brizei mors effecerat: fugientibus incumbentem, & iam paſſus mille progreſſum Carcellenſem reuocat Contæus, victorem Regem ſuos ad ſigna reuocare, Luceburgenſem ſuperatum fuga ſalutem quæſiiſſe nuntiat.

Cunctatio in bello perniciosa [illegible]

Pugna inter Regios hippotoxotas ac Burgundos ſtatur.

Brizei morte Regij milites percelluntur.

22 Conuerſo ad locum certaminis equo rediens Carcellẽſis, atque à dextra pro Lethericæ arcis portis Regios ſtipatores, quaſi pugnaturos haud ſe loco mouere, ad vicum paucos pedites coire, à fronte aliquot aduerſos aduentare equites conſpicatus admiratur: quod vniuerſos hoſteis iam fugam feciſſe exiſtimaret, extemplóque in pedites inuectus, mox equites paucos quidem, ſed paucioribus ipſe comitatus aggreſſus magnum diſcrimen adiit duplici vulnere in pectus, atque in fauces accepto. Quidam à Galfrido, cui à fano Belini gentilitium cognomen fuit, primùm, itémque mox à Gilberto Graſſæo Campetuxio captum, ſtatimque à ſuis receptum tradiderunt. Philippus Cominæus, qui in hoc conflictu illi affuit, manus pugnanti admotas refert, ſucclamatúmque ſatis noſcitari quis eſſet, fortunæ cederet, ſéque dederet: ne ſuæ ipſe cædis author eſſet, atque interim ſuorum interuentu elapſum ad Antonij Burgundi nothi, hippotoxotarúmque ſuorum

Carcellenſis duplici vulnere ſauciatur.

Digitized by Google

ſigna, quæ medio certaminis campo lacerata quidem, ſed illuſtria procul viſebantur; ſeſe receptiſſe tradit, tanta ſuorum trepidatione, vt ne alam quidem hoſtilem, ſi fortè in eos impetum feciſſet, excepturi viderentur: paulatim tamen eodem equites peditéſque vndique coïbāt. Quinetiam è Torphœa ſilua, quò ſe ex fuga ſubduxerat, paucóſque equites coëgerat prodiens Lucēburgenſis vacillanteis animos confirmauit: ſemper enim augeri, nec tamen, niſi lento gradu incedere ea turma conſpiciebatur, vt acceleraret bis térque monitus ſemper eodem gradu ingreſſus eſt, ſuis vt lanceas humi iacenteis colligerent, ſéque ad 22
pugnam iterum pararent iuſſis: vbi Carcellenſi iunctus eſt, octingentorum cataphractorum equitum numerum impleuere, ſed hippotoxotæ, peditéſque admodum pauci affuerunt: qui primum à ſuis (vt diximus) perrupti, mox Rege in ſiniſtrum eorum cornu ſe grauiter inferente, & fugienteis perſequente, huc illuc diſſipati plerique profugerant. Ex Regio exercitu primum agmen cæſo Brizeó latè diffugerat. Contra Rex ipſe dum primum hoſtium agmen perruptum, fugaque etiam diſſipatum perſequitur, magnis ſubinde ita ſe periculis obiecit, vt de eius cæde rumore ſparſo Regij ferè omnes perturbati ſint: plerique etiam, atque in primis Cenomanus, ac Montalbanus rei nauticæ præfectus, ſimúlque octingenti grauis armaturæ equites prælio exceſſerint.

Regij agmen rumore ſiniſtro perturbatur.

Fuere qui Cenomanū quaſi clàm cum hoſtibus ſentientē proditionis arguerent; quem 23
ea ſuſpicione liberat Cominæus. de re incerta certo pronuntiare difficile eſt: tametſi Cenomanum belli fortunā ſua fuga commutaſſe; & iam ſtantē à Ludouico victoriam ad hoſteis tranſtuliſſe conſtat. Errore cognito Rex galea detracta ſe ſuis ſpectādum præbuit. Sic quondam Pyrrhus Epirotarum Rex primo cum Romanis congreſſu, quum ſe vnū peti videret, armáque, & chlamydem Regiā permutaſſet, amicóque Megacli tradidiſſet, atque is ſtatim cæſus fuiſſet, Romani cæde Regis nuntiata acriùs Græcos premerēt, Græci perturbati cederent, per aciē ſummota caſſide diſcurrens prælium inſtaurauit, fuſíſque Romanis victoria potitus eſt. Rex quòd multos è ſuis diffugiſſe intellexiſſet, haud vltra progreſſus ad eos qui machinis bellicis tuendis attributi erāt, & ſe curribus, quaſi vallo circumſepſerant, conuertitur. Ibi graui conſerto prælio multos è ſuis amiſit, quòd emiſſis frequentibus pilis Regiā aciem pleriſque locis hoſtes perrumpebāt. Inde ad eam foſſam, vnde prælium inierat, paucis comitatus redit, puluere, æſtu, ſudore, ſiti corpore exhauſto; vtpote qui toto die inter primos depugnauerat. Nec tamen animum deiecit; ſed ſuis obiecta ſepe, foſſaque in tuto collocatis, & crebris adhortationibus, vt de victoria bene ſperarēt admonitis, ſeſe hoſtibus quaſi inſultaturus oſtentabat. Regios tametſi pauciores Regis conſtātia, periculorū contemptor animus, & grauis oratio in officio cōtinebant; quæ niſi præſto fuiſſent, omnes nimirū in turpem fugā ſe protinus dediſſent. Burgundis & maior numerus, & machinæ bellicæ animos addebant. Halbordinus etiā ad renouandum præliū hortabatur, ſed pauci in eam ſententiam inclinabant. Conſtiterant iiſdē locis binæ acies, quibus mane in pugnam exierāt: ſed neque eadē frequentia, neque iiſdem animis in pugnā incumbebant: neutri potius redintegrare cupiebant. Itaque ſeſe mutuo ſpectantes pariter nutabant, non tam quid ipſi poſſent, tentabant, quàm quid hoſtes auderent, expectabant. Treis horas, aut paulò plus eo in ſtatu perſtitere, emiſſæ mox aliquot machinæ bellicæ, nox cæterū prælium diremit: Regem graui prælio defunctū, & magnis laboribus affectū corpus ægrè trahentem Regij ſtipatores in Lethericam arcem deducunt: vbi aliquantum refocillatus eadem nocte Coruoliū petiit: poſtridie Luteriā ſecundo flumine delatus eſt. Cecidiſſe ex vtroque exercitu ad duo millia author eſt Cominæus, alij numerū augent: qui multū termille ſexcentos cecidiſſe ſcribunt. Totū prælij pondus cataphractos vtriuſque exercitus equites ſuſtinuiſſe, atque eorum parem vtrimque fere, Burgundorum verò hippotoxotarū, peditúmque longè maiorem factā cædem accepimus. Id adeo ita euenit, ſuis edixerat Carcellēſis, quandoquidem vtræque acies ſatis longo à ſe inuicē interuallo diſtabāt, ager præterea fertilis tritico, fabis, cæteríſque leguminibus ad meſſem albeſcentibus abundabat, tum verò ſole incaleſcente æſtus ingens anhelū peditem maximè, arma inter dēſas, maturáſque ſegetes ægrè trahentem infeſtabat, vt bis, térve intereundum ſubſiſterent, ac tum demum alacres pugnam capeſſerent. At cataphracti equites, qui hippotoxotis præſertim ſuccedere, hoſtéſque intermedios veluti quadam indagine cingere debuerant, militiæ, imperiiſque haud aſſueti, quorum bona pars neque caſtra, neque hoſtē vnquam viderat, quippe qui triginta & ampliùs annos continuam pacem agitarant, vbi regios equites explicatis ſignis incedere, & pugnandi copiam facere conſpexerunt, inſita vanitate elati, ac nimia temeritate procliues ſuos ipſi pedites, ſuos hippotoxotas proculcantes in primam aciem euaſerunt, equíſque vix reſpirantibus ſeſe hoſtibus obiecerunt. Ibi vtrorumque, peditum (inquam) atque

Inuictus Regis animus forte militibus exemplum.

Cæſorum ex vtroq; exercitu numerus.

hippotoxo

Digitized by Google

hippotoxotarum pars à ſuis vulnerati, proculcatíque, pars Rege grauiter premente vel cæſi, vel latè diſſipati ſunt, pauci ad machinas bellicas confugerunt. Pleroſque ruſtici Pariſienſéſque qui rumore de certa Regis victoria Lutetiam perlato veluti ad deſtinatã prædam accurrerãt, aut trucidarunt, aut armis exuerũt, aut captiuos abduxerunt. Tam multis nimirum imperare difficile eſt: & vt maturo conſilio omnia antè præuideris, ea plerumque leuis, ac præceps occaſio prorſus euertit, niſi ducem pariter, ac militem longa experientia, concors animus, præſertim verò acris militaris diſciplinæ obſeruatio in officio continet.

24 Simili propè errore Ludouicus dum hoſteis imparatos aggredi nimis feſtinat (ſi quidem aggredi, ac non potius illis inſciis, aut pugnę ineundæ ſpecie eluſis, Lutetiam euadere in animo habuit) ſuos imparatos, hoc eſt, de via feſſos hoſtibus obiecit. Illi in primis obfuit, quòd victorem equitatum peditatus victoria vſurus nullus ſequeretur; qui equitum virtute proſtratos hoſteis, antequam ſeſe colligerent, aut arma deintegro ſumerent, vel iugularet, vel captiuos duceret. Hũc ſibi è Lutetia, atque aliquot etiam equitum alas præſto fore Ludouicus ſperauerat: quò noctu cum litteris tabellarios miſerat, quibus vt ſibi poſtridie cum Carcellenſi conflicturo adeſſent, ſignificabat. Tabellarij à primo Burgundorum agmine intercepti, & hoſtes, vt ſe ad pugnam pararent, monuerunt, & Regem de ſperatis auxiliis fefellerunt. At nihilominus tam propè à victoria abfuit, vt niſi Cenomanus errore deceptus, quòd Regem cæſum putaret, ſe cum ſuis ſubduxiſſet, ſuóque exemplo fugiendi aliis occaſionem dediſſet, ſuperiorem fore nemo dubitaret: adeo incerta belli fortuna eſt, & paruis momentis huc illúcve transfertur. Illud non omittendum, quòd inſigne Rex pariter, ac Carcellenſis ſuorum periculum facere potuerunt: qui in tanto ſuo diſcrimine fidi, atque conſtántes perſtitiſſent, agnoſcere; qui officij immemores, & de ſui ducis ſalute ſecuri ſe in turpem fugam conieciſſent, notare. Nam & vterque magnum diſcrimẽ ſubiit, & inde elapſus treis, aut etiam ampliùs horas alter alterius vires metiendo, ſuáſque comparando, nec quicquam præterea audendo, mutuo in conſpectu ex æquo anxius ſubſtitit. At tantùm abfuit vt vtriſque meritam gratiam referrent (ſic incerta principum ingenia variis adulationibus traducuntur, & aulicorum arte, aſtutiíſque eluduntur.) vt nonnulli fugæ conuicti exauthorati ſint, quorum magiſtratus, publicáque munia, iis qui procul multò fugiſſent mandarentur: quibuſdam ad ſuos principes aditus interdiceretur; qui paucis interiectis diebus maiore, quàm antea apud eoſdem authoritate pollerent. Ambiguam dies, atque incertam reliquerat victoriam: noctu cedens Ludouicus eandem hoſti conceſſiſſe viſus eſt. Nã ipſo in loco, in quo congreſſi erant, caſtris poſitis pernoctauit Carcellenſis: quæ non foſſa, atque vallo Romanorum more, ſed curribus inuicẽ iunctis communiuit. Neque enim vel prælium in multam veſperam protractum, vel propinquus hoſtis foſſæ ducendæ vallóque erigendo locum dabant: nec tamen his magis, quàm illis nox quieta fuit. Illi Coruolium nocte intempeſta ſeſe recipientes, ne præſentiret hoſtis, incompoſitóſque aggrederetur, timebant: hi regem in propinqua vltra foſſam regione, vicóque Letherico caſtra habere exiſtimantes, ne ille à fronte, à tergo autem Roaldus Mareſchallus Lutetia egreſſus equite, ac pedite recenti partim feſſos, partim vulneratos, omneis verò valde perturbatos inuaderet, horrebant: quinetiam ex Burgundis quotquot ſaucij erant, ad machinas bellicas, atque ad ea caſtra confugerant.

Belli exitus inconſtans.

Regis Carcellenſiſq; diſcrimen.

25 Hi vti animum deſpondebant, ſic ſua comploratione aliis deſpondendi occaſionem dabant. Quibus permotus Carcellenſis conſilium indixit, quid in tanta ſuorum conſternatione agendum foret in primis anxius. Primus Ludouicus Luceburgenſis, cuius in illis caſtris multùm pollebat authoritas, quanto in diſcrimine res ſitæ eſſent, explicauit, vt viribus ſuperiores eſſent, nullam tamen parandi commeatus facultatem fore: præſertim quòd hinc Rex, qui equitatu præſtabat (nam in ſuis caſtris Regem pernoctare exiſtimabant) illinc Lutetia tanti nominis ciuitas, cuius equeſtres, pedeſtréſque copiæ haud contemnendæ ferebantur, Burgundos intermedios veluti obſideret, nec facilem, niſi maturè inde migrent, Sequana, Ligeríque cinctis receptum fore, à Biturige, Britannóque certos non interuenire nuntios: vbi terrarum agant, an fœderis memores in armis ſint, an aliud conſilium ſequuti bello abſtinendum putent, in incerto ferri: Carcellenſem non ſolùm, quæ promiſerit, cumulatè exoluiſſe, ſed & transmiſſo Sequana, primóque Regis impetu ſtrenuè repulſo plura etiam, quàm promiſerit præſtitiſſe: in tam ambigua fortuna, tantíſque rerum difficultatibus vti ſibi, ſuíſque tandem conſulat, videndum. In Burgundiam nimirum redeundum: quandoquidem ſocij principes aut promiſſis non ſteterint, aut à fœdere ipſo fortaſſe defecerint. Curribus itaque omnibus incenſis ſolas bombardas conuehendas: prima aurora conuaſandum, itérque ex-

Carcellenſis pene conſternatus à ſuis conſilium expoſcit.

Digitized by Google

peditè ineundum, donec ad loca tutiora euaſerint. In eandem ferè ſententiam diſſeruit Halbordinus. quorum authoritatem cæteri vno excepto Contæo ſequuti ſunt. Is poſtremo loco rogatus, vt erat vir rerum experiens, atque ingentis ſpiritus, fortem in primis, prudentémque habuit orationem. [Scio eos (inquit) qui ante me ſententias dixerunt, multa quæ tum ad ſapientis, prouidique ducis officium, tum ad huius conſeruandi exercitus rationem pertineant, protuliſſe; quæ, vt non contemno, ſic quæ viciſſim proferã, non minùs animaduertenda exiſtimo; atque, vt quod ſentio, liberè proloquar, paucíſque complectar: aut hîc vincendum, magnanime Carole, aut fortiter moriendum cenſeo. Igitur peditibus, vt pro rerum copia curent corpora, equitibus vt non ſolùm ſui, ſed equorum etiam curandorum rationem habeant, imperandum puto: omnes verò ita ſe comparent, vt prima luce hoſtes adoriantur. Nam ſi de curribus, impedimentíſque incedendis rumor ad militum aures peruaſerit, pauci profectò ſub ſignis continebuntur, bona pars diuerſi, quo quemque vel ſors, vel ſua ſpes, vel metus ingens tulerit, diffugient, ac ſibi priuatim conſulent: maiúſque adeo in fuga diſperſi, quàm in ipſo conflictu iuncti periculum ſubibunt. Turpe porrò, atque indignum erit, ſi fortuna victoriam exæquante (vtrimque enim pulſis prioribus, atque profligatis ſecunda agmina ſuperarunt) ipſi viciſſim animos non exæquemus, aut fortuna noſtra inferiores geramus: quum in aduerſa, proſperáque eoſdem ſemper viri fortes præſtare debeant. Quid? quod hoſtes, ſi quam iactare audent, non ſua virtute, ſed noſtrorum equitum cataphractorum imperitia, ac vanitate, qui hippotoxotis, peditibúſque perturbatis, & præter omnem rei militaris diſciplinam perruptis, equos curſu anhelos, ſe verò incompoſitos, diſiectóſque temerè obiecerũt, victoriam aſſequuti ſunt? at nos qua parte vicimus, vera virtute, infractóque militũ robore vicimus: aliquot pedites ferè ignotos, paucos hippotoxotas, cataphractos equites propè nullos amiſimus: at illi Brizeum tanti nominis ducẽ, tótque inſignes, nobiléſque equites deſiderant, vt inanem iactare illi, nos ſolidam victoriam nobis vendicare poſſimus. Hoſtium vires nimis prædicare, ſuas præter modũ eleuare, timidorum eſt, atque imprudentium. Si vtraſque verè æſtimabimus, equitatu, nequid amplius dicam, non multum cedimus. Nullum peditem, bombardas nullas illi habent: quis enim homo militaris Lutetianam plebem natura ſua imbellem, nec inter ſe concordem, & quò propendeat, ambiguam timebit? Nec deſperanda adeo Biturigis, Britanníque auxilia ſunt: iamdudum Britannia egreſſos, multúmque progreſſos certò ſcimus, vt nobiſcum intra paucos dies coniunctum iri ſperare merito debeamus: qui ſi intra biduum, triduúmve (vti veriſimile eſt) hîc adſint, nos verò diffugerimus, vt periculum abſit, nónne timiditatem noſtram iure arguent? qui parta reipſa victoria animis duntaxat victi ſimus, ac ſe pariter, & noſmetipſos prodiderimus tantis auxiliis tam propinquis, hoſte contrà ita ex itinere vexato, ita recẽti pugna fracto, vt nihil niſi, quò ſe condat, Lutetiam reſpectet: ſin coniungamur, quomodo qui nos ſolos ferre non potuit, coniunctorum vires Rex experiri audebit? Næ ille fluminibus, vrbibúſve obiectis, non iuſtis præliis de reſumma in poſterum decernet.] Vbi perorauit Contæus, Carcellenſis & recentis pugnæ, qua Brizeum fregerat, recordatione, & natura ferox in eius ſententiam facilè conceſſit. Miſſi ſtatim multi ex familiaribus, qui trepidis animos adderent, vulneratos conſolarentur, conſtantes, qui pauci admodum erant, collaudarent: omneis vt ſub primam lucem ad redintegrandam pugnam parati eſſent, admonerent.

Contæi oratio.

Hoſtiũ vires nimis prædicare timidorum eſt.

26 Antequam autem in conſilium iretur, quinquaginta equites emitti iuſſerat Carcellenſis (viginti fortaſſe exiere) qui Regis caſtra ſpecularentur, & ſi quid ille moliretur, denuntiarent. Illi haud longè progreſſi, & flammam tormentario puluere accenſo excitatam conſpicati (ita Rege diſcedente fortè euenerat) quæ aliquot primum currus, mox totam ſepem foſſæ ſupra commemoratæ imminentem peruaſerat, Regem illic caſtra poſuiſſe ſub mediam noctem conſilio iam dimiſſo renuntiant. Miſſi deinceps & alij, qui nec ſuperioribus fortiores, nec longiùs progreſſi (ita mutuus omnium mentes pauor occupauerat) ſub auroram tamen quendam, è ſuis apud Regem nuper captiuum è vico Letherico fortè egreſſum offendunt: interrogatus Regem noctu abiiſſe nuntiauit: vicum ſtatim ingreſſi, ac re comperta Carcellenſem certiorem faciunt. Is nuntius vniuerſa eius caſtra ingenti lætitia affecit, quam auxit Franciſcinus fraterculus ad id ſubornatus: qui ſe è Britannicis caſtris prodire diceret, & Biturigem, Britannúmque illo ipſo die ſe Burgundis iuncturos aſſeueraret. Igitur omnes in armis eſſe, de perſequendis hoſtibus magnificè loqui: heſternæ cunctationis, quod redintegrata pugna Regem non inuaſiſſent, ſeſe mutuò inſimulare: atqui non ita pridem Lucceburgenſis approbata ſententia lætis animis in Burgundiam aufugiſſent. Turmæ quidem primùm raræ erant, & pauci pedites,

pedites, hippotoxotæque aderant. ſed orto ſole multi, qui in ſyluis deliteſcebant, ad ſigna rediere: Paulò ante meridiem ad eadem caſtra appulit Rouilla Britanniæ Cancellarius, & Britannicas copias non procul abeſſe certò profeſſus nutanteis adhuc multorum animos confirmauit. Tot lætis nuntiis elatus Carcellenſis victoriam vel hoſtium confeſſione ſibi vendicauit: idcircóque in iiſdem caſtris iterum pernoctans ſupra quam dici poteſt exultauit: quòd primos ſolus Ludouici fregiſſet impetus, & de potentiſſimo Rege quaſi triumphaſſet. Sed magno illi ea lætitia,& nequicquam conceptus animo triumphus ſtetit: tantos enim ſumpſit inde ſpiritus, ac tam magnificè de ſe in poſterum ſenſit,vt neminem deinceps in cæteris bellis in conſilium adhiberet: quo breui effectum eſt, vt bella ex bellis pertinaciter ſerendo Burgundicum nomen prorſus attriuerit; ſéque pariter in mortem ignominioſam præcipitem egerit. Hinc ingens illa Burgundiæ potentia, quæ trium Regulorum ſibi inuicem ſuccedentium fortitudine, prudentiáque in tantum culmen aſcenderat, quæ paucis Chriſtianis Regibus, atque haud ſcio, an vlli excepto Gallo concedebat, extincta ſubita eſt, & priſtinæ fortunæ vix vllum poſt ſe veſtigium reliquit. Vt ad rem redeam, Tertio die ad Lethericum vicum non multis ſtadiis diſtantem caſtra promota:ruſtici partim in arcem,partim in ſyluas, partim in ædem ſacram diffugerant: reuocati protinus rediere: nihil hoſtile geſtum: victum pretio quæſiuit miles: ab omni iniuria abſtinuit: arcem,quam Regium præſidium inſederat,ne oppugnare quidem Burgundi aggreſſi ſunt: poſtridie ad Stempas itum, vrbem ſatis amplam, & vulneratis reficiendis idoneam.

Inſolentiam nimia ignominioſus exitus conſequitur.

Burgundorum potentia extinguitur.

27 Eodem non multo pòſt appulere Carolus Biturix Regis frater,ac Franciſcus minoris Britanniæ Regulus,Ioannes Aurelianus Dunenſis Caroli Aurelianenſis nuper vita functi frater nothus, Antonius Chabanæus Dommartinianus Comes, Loheacus Mareſchallus, Buellus, Petrus Ambaſianus,ac Carolus eius filius,multíque alij equeſtrium alarum egregij ductores ſtrenua aduerſus Anglos militia perfuncti.Inter quos longa experientia,& rei militaris peritia multum eminebat ipſe Aurelianus Dunenſis Comes totius huius conſpirationis moderator, atque adeo architectus;ſiue quòd ſe id ætatis,& authoritatis à Ludouico exauthoratum ægrè ferret; ſiue quod Ducatum Mediolanenſem ab Aureliana familia præter ius,æquúmque ad alienigenam,obſcurúmque hominem Regis etiam authoritate transferri indignum ratus, tantam contumeliam vlciſci,ac Ducatum ipſum Carolo Biturige in Ludouici fratris locum ſubſtituto ſuæ familiæ reſtituere deſtinaret:quod fortaſſe (vt erat ingentis ſpiritus vir) præſtitiſſet, niſi paulò pòſt affecta iam ætate deceſſiſſet. Hos omnes, qui & militiæ eximiis muneribus perfuncti erant, & in Galliarum regno ab Anglis aſſerendo ſtrenuam operam Carolo patri nauauerant, Ludouicus filius,vel ingratus,vel quod veriſimilius eſt,paternis amicis natura infenſus exauthorauerat.Quibus obuiam prodiit Carcellenſis,atque honorificè exceptos Stempas,vbi parata diuerſoria erant, deduxit. Illi viciſſim de Rege victoriam gratulati, quid item ſibi acciderat, communicarunt; atque vniuerſi, vti rem communi conſilio ſuſceptam coniunctis viribus ad exitum perducerent ſe mutuo hortati ſunt.Non leue Britanni nomen erat:in cuius exercitu equitum (inter quos octingenti cataphracti erant) ſex millia recenſebantur: quibus vniuerſis vnus ſtipendia numerabat:vt non multum Carcellenſi cedere videretur:hi enim ferè omnes veterani milites ſtrenuis equis, armiſque inſignes omnibus Gallorum, Anglorúmque bellis ſtipendia meriti, & regni initio à Ludouico exauthorati ad Britannum confugerant: nec ita procul aberant, quum pugna ad vicum Lethericum commiſſa fuit, & Regem, Carcellenſémque propinquos inuicem ſibi eſſe ſuſpicabantur. Idcirco conſilio habito præmittendos ſpeculatum leuis armaturæ equites, itérque accelerandum nonnulli ſuaſerant: quod ſi feciſſent, bonam Regij exercitus partem vel cepiſſent, vel palatam cecidiſſent: tametſi autem contraria viciſſet ſententia;tamen Carolus Ambaſianus, alíique nonnulli cum paucis equitibus caſtris egreſſi Lethericum verſus contenderunt, multóſque captiuos ſecum abduxerunt: qui Regem vna voce in acie cæſum (ſic enim opinabantur) aſſerebant. Is nuntius caſtra Britannica non vulgari lætitia affecit, ſingulis nihil non ſibi pollicentibus, ſi Galliarum Regno Biturix ſua opera potiretur;quem ad hoc bellum ſuſcipiendum incitarant: aut rara, aut nulla inter Reges, principéſque, qui ad Regum potentiam accedunt, ſancta ſocietas: omnia vel ambitione, vel ſuis commodis ferè metiuntur. Hi præ gaudio certiora haud inquirentes, nec animi ſenſa occultare, nec in breue tempus differre potuerunt. Statim, quid de Burgundis agendum eſſet, deliberarunt: magna pars, ſi fieri poſſet, opprimendos, qui mitiùs, protinus exturbandos, aut ſi non vi, arte ſaltem dimittendos cenſuerunt. Itaque nihil mirum, ſi Rege mox ſingulorum

Aureliani Dunẽſis Comitis experientia in rebus bellicis.

Britanni exercitus.

Nuntiata Regis morte commouentur caſtra Britannica.

Digitized by Google

rum animos pertentante, ſibi conſulere priuatim cupientes, & à ſe inuicem ſeparati, alij ſpe deiecti, alij ditionibus priuati, alij etiam tandem morte mulctati ſint.

Coniuncti cum Burgundis Britanni (ſic enim eos exercitus vulgò appellabant) & de 28
Rege certiores facti, longè aliam, atque à recenti deliberatione diuerſam mentem induerunt: Stempis interim dum vulnerati curantur, copiæque, quæ in agro Boio coierant, expectantur, aliquot dies exegerunt.

Ludouicus Pariſios regreſſus 18. conſiliarios ſibi depoſcit, & cæt.

Interea Ludouicus Lutetiam ingreſſus, vt erat ingenio vaſer, & ad omnia ſimulanda, ac diſſimulanda paratus, nec item literarum ignarus, multa de fortunæ varietate, quo Lethericæ pugnæ ignominiam purgaret, prolocutus; illud quoque addidit, vt popularium animos ſibi conciliaret, & ab hoſtibus, quorum cauſa admodum plauſibilis erat, paulatim aucrteret, ſe regno pro dignitate adminiſtrando imparem eſſe, experientia quàm graue id onus eſſet, didiciſſe, omnia vnum obire non poſſe ſimulauit; idque publicè profeſſus ex tribus vrbis ordinibus decem & octo conſiliarios ſibi depopoſcit: qui Regio conſilio quotidie intereſſent, & vnà cum ipſo, cæteriſque Regiis conſiliariis de rebus ſummis decernerent. Ex ſenatu ſex aſſumpti ſunt: ſex ex virorum literatorum ordine (Vniuerſitatem vocant) qua dictione omneis omnium ingenuarum, liberaliúmque artium profeſſores, ac ſtudioſos intelligunt: ſex item ex ciuium claſſe: in has enim treis claſſes diuiſa Lutetia eſt. Vtque magis omnium animos ſibi deuinciret, pleroſque ex Gallica nobilitate, item ex Pariſienſibus ciuibus ad conuiuia pariter admittebat: & familiariter colloquendo, quæ in rem erant, ſapienter communicando, aliquando etiam hilare inter pocula confabulando non tam Regis, quàm viri in libera ciuitate principis officium obibat: atque ita pacata ciuitate, ac nouæ in rebus gerendis adminiſtrationis ſpe conciliata mille, & quingentis peditibus ſagittariis ex Normania nuper accerſitis, ac quadringentis equitibus cataphractis ad vrbis cuſtodiam relictis ad maiora auxilia comparanda in Normaniam proficiſcitur.

In Normaniam proficiſcitur.

Poſtridie eius diei quo Biturix, Britannus, Carcellenſiſque coiere, de re ſumma prima- 29
riis quibuſque viris militaribus in conſilium adhibitis deliberarunt; cauſam publicam omnes agebant, aut certè agere ſimulabant. Eam non ſolùm armis, ſed etiam popularium beneuolentia, ſtudióque promouere cupiebant: vtriſque non fruſtra ſibi opus eſſe ducebant: ad principem vrbem plerique adeundum cenſuerunt: ea in ſuam factionem vel vi vel ſua ſponte pertracta cæteras eius exemplum deinceps ſecuturas. Sed, vt diuerſæ erant factiones, & varia ſingulorum ingenia, quamuis de re ſumma vtcumque conuenirent, tamen ad ſuum quiſque veluti ſcopum collimabat. Notata præterea diligenter & quorundam verba ſunt: Biturigis in primis, qui vix adoleſcens, imò potiùs puer, quòd vulneratos aliquot Stempis vagari animaduerteret, malle ſibi ait rem in integro eſſe, quàm tot hominum ſtrage ſibi ſtare victoriam. Ea comploratio in Carcellenſis animo penitus inſedit: is ad ſuos conuerſus, Audiſtis (inquit) adoleſcentem hunc nondum conſpecto hoſte de ſeptingentorum ſibi ignotorum hominum non cæde, ſed vulneribus conſternatum, & propè ingemiſcentem? Quid ſi ſuos, quid ſi (quod communi marte euenire ſolet) ſibi admodum familiares cæſos videret? nonne vel ſociorum oblitus, vel recentium inter Gallos Burgundóſque, immo verò inter ſuum, meúmque parentem bellorum memor, paciſci cum fratre, & coniunctis viribus in nos veteres, atque hæreditarios quodam modo hoſteis inuadere maturaret? Conſtituendæ nobis noſtræ res, atque in tuto collocandæ: fœdera cum finitimis firmanda: ne fruſtra eluſi in maius periculum vocemur.

Clunianus ad Edoardū Anglorum Regē miſſus, & cæt.

Hinc Clunianum ad Edoardum quartum eius nominis Anglorum Regem mittit: quo cum grauia hactenus propter veteres inter Eboracenſem, vnde Edoardus, atque Leceſtrianam familiam, vnde Carcellenſis mater originem trahebat, ſimultates illi odia interceſſerant. Legationis caput erat, vt Margareta Edoardi ſoror ſibi in matrimonium depoſceretur, res tamen de induſtria ſuſpenderetur. Hac ſpe illectum Edoardum vel amicum, vel non hoſtem futurum ſibi ſpondebat: quem eius affinitatis conciliandæ mirandum in modum ſtudioſum acceperat: à qua tametſi ſupra quam dici poteſt abhorrebat, atque Eboracenſem familiam, factionémque infeſtiſſimè oderat, tamen miſſis ſæpius vltro citróque legatis res primùm ſimulata, mox ſedulò procurata, tandem commutata ſorte confecta eſt. Et quam minimè omnium ambiebat, nihilominus annis aliquot exactis duxit vxorem.

Rerum humanarum exitus fallax.

Sic res humanæ incertos quodam modò ſortiuntur exitus: & quandoque præter ſpem, multis, immo verò contra ſpem iis præſertim qui rerum potiuntur, veluti quadam fatali lege accidunt: quorum animos variæ exagitant ſuſpiciones, commutat incerta fama, atque fortuna: adulatorum commentitiæ fraudes identidem à vero, rectóque deducunt.

Paucis

Digitized by Google

Paucis diebus Stempis commorati ad vulneratos reficiendos coniurati Vaſtinetum petunt. Ad fanum Maturini Biturix ac Britannus conſedere: ad Sequanam ſub dio Carcellenſis, vnáque Ioannes Aurelianus admodum ſenex, & podagra ſæuiente lectica vectus caſtrametati ſunt: in ſcaphas, quas ſecum comportandas curarant, ſagittariis immiſſis ſitam in medio flumine inſulam inuadunt. Stabat ex aduerſa fluminis ripa cum aliquot equitibus, vt coniuratos tranſitu prohiberet Roaldus Mareſchallus, ſed loci iniquitate (nam in edito, & vitibus conſito, & machinis bellicis vndique obiecto loco conſederat) atque equitum numero longè inferior cedere, & ſe Lutetiam recipere coactus eſt. Poſtridie Sequanam ponte iunctum tranſmittunt, & machinas bellicas ſecum trahunt. Die tertio Biturix, Britannúſque ſequuti, ac tranſmiſſo flumine paulò vlterius progreſſi caſtra poſuerunt. Eodem non multò pòſt appulit Ioannes Lotharingiæ Regulus Renati Siciliæ Regis filius: quem centum & viginti cataphracti equites magna ex parte Itali, aut certè Italicis bellis innutriti Galeoto, & Baſſo ductoribus, quadringenti Germani à Comite Palatino miſſi, quingentique Heluetij pedites ſequebantur: qui primi mercede Gallias ingreſſi, tantam ſuæ virtutis famam poſteris reliquerunt, vt inde pedites ſibi mox aſciuerit Ludouicus, cæterique deinceps Galliarum Reges firmiſſimum in hac gente peditatus robur collocarint. Hoc paruum quidem agmen erat, ſi cum cæteris conferas: cæterum militari diſciplina ita ſtrenuum, vt vel cum magnis conferri iure poſſet. Lotharingo etiam ſe iunxerant nongenti cataphracti vtriuſque Burgundiæ equites Galtero Comite ciuitatis equeſtris, eodémque Burgundiæ Mareſchallo, Montacuto eius fratre, ac Marchione Rothelino ductoribus: horum bona pars nuper in agro Boio aduerſus Ludouicum militarat.

Heluetiorum peditum magnũ robur.

31 Poſtquam vnà omnes conuenere, Lutetiam rectà, quòd Rex in Normaniam ad conquirenda auxilia feceſſiſſe diceretur, adire properarunt. Burgundorum primam aciem ductabat Ludouicus Luceburgenſis fani Paulini Comes, Biturigis, Britannique Loheacus Mareſchallus, atque Odetus Rianus: Principes ipſi in ſecunda acie multis comitati egregiis ducibus conſtiterunt. In hoc exercitu equitum centum millia fuiſſe tradunt: peditum numerus ſiletur: tametſi magnus fuiſſe perhibetur: Carentonem paruum oppidum aggreſſi Regiis cedentibus facilè occuparunt: ad Confluentinam arcem (ſic enim quod ad Matronæ, Sequanæque confluentem exædificata ſit, vulgò dicitur) fundum paternum Carcellenſis, Lotharingúſque, ad Mauri fanum Biturix, ac Britannus, ad Dionyſi cæteri caſtra fecerunt: ibíque dies ſeptem, & ſeptuaginta ſtatiua habuerunt. In vrbe à Rege ſtabant Nantolius ſummus Regiæ familiæ magiſter, ac Roaldus Mareſchallus, & diligenter, quæ ex vſu erant, in tanta perturbatione curabant. Poſtridie ad Lutetiæ portas leuibus excurſionibus, & pugnis velitaribus, certatum: miſſi tamen interim ad vrbem caduceatores: qui & huiuſce belli cauſas, & de principum aduentu ſenatum, populúmque edocerent. In ædes publicas primarij totius Lutetiæ viri conuenere: mandata principum expoſita: variis vltrò, citróque habitis ſermonibus, vt ex ſingulis ordinibus delecti viri ad principes mitterentur, decretum. Legationis Quadrigarius Pariſienſis Pontifex princeps fuit. Admiſſis ad Mauri fanum in concilium legatis ſolus ſedebat Biturix, hinc Carcellenſis, illinc Britannus ſuo deinceps ordine cæteri proceres ſtabant. Tum Ioannes Aurelianus, cui in eo exercitu vel propter ætatem, ac prudentiam, vel propter rerum geſtarum

Burgundorum equitum numerus pene incredibilis.

Legati Pariſienſes ad Carcellenſ.

“ gloriam primæ ſine controuerſia deferebãtur, huiuſmodi habuit orationem: [Gaudeo ho-
“ dierno die principes illuſtriſſimi, vóſque adeo omnes, qui hic adeſtis, oblatam mihi libe-
“ ram de totius huius regni ſtatu, ac ſalute dicendi facultatem: Gaudeo ea vobiſcum com-
“ municare, legati Pariſienſes, quæ voſipſi non minùs atque nos probè cognoſtis, ſed vt pu-
“ blicè probentur, & communi quaſi totius Galliæ voce firmentur, veſtra pariter, ac noſtra
“ magni intereſt. Vniuerſæ Galliæ vaſtitatem ſuperioribus annis plerique vidiſtis: ſed tan-
“ tam calamitatem Caroli prudentis ſimul, ac pij Regis ſapientia, & fortitudo mitigauit, ac
“ paulatim auertit: hoſtibus procul expulſis ſi nondum vt antea florens, pacatum certè, ac
“ bene conſtitutum regnum filio reliquit. At longè aliam (ſi vera fateri licet) Ludouici filij
“ mentem experti ſumus: Regias familias, vnde & ipſe originem duxit, vix agnoſcere, nec
“ vſquam in conſilium adhibere, ſacrum ſacerdotum ordinem quaſi ſibi vni obnoxium
“ vilipendere, nobilitatem nullo loco habere, immo verò ludibrio exponere, plebem gra-
“ uiſſimis tributis exhaurire, adulatorum, delatorúmque neſcio quorum fraude, ac ſcelere
“ traductus ita didicit, ita paucis annis aſſueuit, vt iam non Regiam adminiſtrationem, ſed
“ tyrannicam potius animi impotentiam agnoſcamus. Franciam maiores noſtri quaſi re-
“ gionem liberam, & nulli ſeruitutis conditioni obnoxiam nominauerunt: Regibus ne

Oratio Ioannis Aureliani Comitis Dunenſis.

Francia vnde ſit dicta.

tyrannico

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tyrannico potiùs, quàm Regio more, ac iure imperare aſſueſcerent, duodecim optimates ex duobus prioribus ordinibus, quaſi conſiliarios adhibuerunt: ſine quorum approbatione in maioribus negotiis Reges ſtatuere nihil poſſent. Trium ordinum Comitia, & quorum decretis publica res adminiſtraretur, addiderunt: quantum numquam ſatis laudata in tractandis negotiis forma mutata ſit, quantum ab antiqua illa libertate in turpem ſeruitutem degenerarit, videtis: nihil conſuluntur optimates: militaria munera indignis, ciuilia delatoribus, aut alioqui impuris hominibus attribuuntur: vrbes ſpoliantur: plebs crudeliter exinanitur: ordinum conuentus nullus indicitur: quæ quouſque viri fortes liberè nati, liberéque educati perferre poſſumus? An ideo Anglos ex æquo, & bono in Gallia dominanteis expulimus, non vt Regi, ſed vt Regiis mancipiis ex infima hominum colluuie quæſitis ſeruiamus? Quicquid enim ille gerit, ad horum arbitrium gerit: hinc militiæ exauthorationes nobis denuntiantur: hinc tributa intoleranda nullis etiam bellis imminentibus imperantur: hinc militaria, ciuiliáque munera demandantur. Horum imperia accipere cogimur: horum impotentiam pati: horum arbitrio fortunas, libertatémque adeo noſtram permittere. Nemini ſuæ opes, ac ne vita quidem in tuto eſt: ita delatorum plena ſunt omnia: mitius cum feris, quam nobiſcum agitur: quas qui violarit, morte plectitur: at ei qui ſacerdotem, hominémue nobilem violarit, quæ maior conſtituta pœna eſt? Quid, quod calumniis multorum innocentia oppugnatur? & delatoribus magna proponuntur præmia: magiſtratus deferuntur: annuæ penſiones conſtituuntur? At viri militares, qui pro patria liberanda ſanguinem profuderunt, militaribus muneribus exauthorantur: ſuis penſionibus defraudantur: leui de cauſa in vitæ diſcrimen adducuntur: quam igitur aliam tyrannidis ſpeciem animo concipere poſſumus? Itaque vt regni adminiſtratio in antiquam formam inſtauretur, arma ſumpſerunt illuſtriſſimi principes, vt quod multis apud Regem querimoniis, quod pluribus literis, quod ſupplicibus libellis obtinere non potuerunt, id (quemadmodum extremis morbis extrema remedia adhiberi ſolent) dictante natura, ſuadente æquitate, vrgente neceſſitate armis conſequantur: vt autem Rex ipſe in ordinem redigatur, vt ſe Regem, hoc eſt, communem totius Galliæ veluti patremfamilias, vt ſe patriæ parentem eſſe, aut debere eſſe intelligat, vt res ſummas non amplius ex nequiſſimorum adulatorum libidine, ſed de principum propinquorum, atque optimatum conſilio in poſterum gerat, ac moderetur; ampliſſimorum horum principum authoritas principis vrbis accedente conſenſu (cuius cæteras exemplum ſequuturas confidimus) facilè perfecerit. Communem illi cauſam, vt eorum dignitas poſtulat, agendam ſuſcepere: in eandem incumbit nobilitatis bona pars: præſertim verò, qui maioribus militiæ functi muneribus patriam ab hoſtibus vindicarunt. Si qui autem Regis parteis hactenus ſequuntur (quanquam partim metu, partim vana ſpe eluſi diſſentire à nobis videntur) tamen ij & in eadem ſententia ſunt, & vbi communem cauſam ſicuti æquitate, ita potentia auctam viderint, ad hanc ipſam mox ſponte ſuá ſe adiungent. Quis enim ingenuo loco natus voluntariam ſeruire ſeruitutem velit? Vos quoque, qui totius Galliæ populi veluti perſonam ſuſtinetis, legati Pariſienſes, quorum iudicio cæteri ſibi ſtandum putant, quorum ſententiis in publicis negotiis gerendis, & primus ordo, & ipſa nobilitas ſubſcribere conſueuit, eadem ſentire par eſt, & eodem ſtudio publicæ vtilitati prouidere. Hæc coram agere, hæc vobiſcum & publicè, & priuatim communicare deſiderant illuſtriſſimi principes: his de cauſis in vrbem intromitti poſtulant: vim adferre nemini cogitant: quis enim vim iis afferat, quorum cauſam tuendam ſuſceperit? de re communi vobiſcum deliberare, non ſuis, ſed veſtris potius ſtare ſententiis cupiunt: à vobis petunt, vt publicæ cauſæ actores eam publica authoritate promouere poſſint.]

32 Hæc in vrbem defert Quadrigarius: mandata in publicis ædibus exponit: placet in vrbem recipi principes publica fide accepta, ne damnum cuiquam, iniuriáve, aut vis afferatur: commeatum pretio non denegari: Lutetiam mutuæ inter Regem, principeſque reconciliationis (ſi Regi ita videbitur) * * * * ſequeſtrem fore: cæterum ſine Regis authoritate nihil temerè ſibi agendum putare. Hæc dum hinc inde agitantur, Ludouicus omnium, quæ Lutetiæ fierent, tranſigerentur, circumferrentur, certior factus, cum omnibus domeſticis cum duobus cataphractorum equitum millibus, & magnis hippotoxotarum,

Ludouicus moleſtè fert cõmunicaſſe Pariſienſes cũ hoſtibus

peditúmque copiis in vrbem reuertitur, conſilia iniuſſu ſuo cum hoſtibus communicata moleſtè fert: eos qui ad hoſtium caſtra profecti ab iiſdem mandata accepiſſent, atque imperitæ multitudini expoſuiſſent, proſcribit: Quadrigarium duntaxat, propter ſummam vitæ integritatem, & ſacræ functionis authoritatem grauiter increpat: tametſi

eo nomi

eo nomine indignatus eundem ad aliam Pontificiam ædem, functionémque transferre cogitat inſtante Ioanne Heluiorum Pontifice, & Quadrigarium læſæ maieſtatis arceſſente: Hinc non ita multò pòſt vita functo, & honorificentiſſimo elogio celebrato contrarium, & integræ Quadrigarij famæ calumnioſum elogium Ludouicus, ne morte quidem homini reconciliatus, aſcribendum curauit: ſed viguit nihilominus, vicítque viri integritas,& eruditorum ſcriptis inuidia faceſſente celebrata eſt. Nec minore interim diligentia Deuenſis, Nantolius, aliíque in vrbis cuſtodia relicti, cognitis Lutetianorum conſiliis, ne quis tumultus, ſeditióue ſuboriretur, cauerant; & muris iuſto præſidio munitis ipſi cum reliquis copiis agmine quadrato per vicos incedentes terrorem factioſis, ſuis animos addebant: donec Montalbano rei nauticæ præfecto cum aliquot equitum alis præmiſſo Rex deinde cum valido exercitu ſubſequutus vrbem bona ſpe compleuit,& vacillanteis hactenus multorum animos aduentu ſuo confirmauit. Sic conſiliis vtrobique mutatis conſpirationis principes, quod Regis præſentia mutata omnia viderent, rem de integro ad arma vocare: Regem ad pugnam prouocare: copias in medio campo explicare:& ad vrbis portas oſtentare; vt Regem eliciant,atque extra mœnia pertrahant, omnia tentare.

Quadrigarij elogium calumnioſum de integritate detrahit nihil.

35 Rex contra præſidia vbique diſponere: vrbem in fide,ſuos intra mœnia continere: colloquia cum hoſtibus prohibere. Ipſe vigilias, cuſtodiáſque circumire: aliis alios vicos, ne quis tumultus excitaretur, attribuere: ab externo,domeſticóque hoſte iuxtà cauere: omnia in tuto locare: fortunæ nihil permittere: Quanto enim res in diſcrimine eſſent, prudenter conſiderabat: nam ſi ad principum factionem,à qua non nimis aliena videbatur,ſe Lutetia adiunxiſſet; Regi nimirum ſolum vertendum erat, & ad exteras nationes, peregrináque auxilia properandum: quod & Regem ſæpe profeſſum, &, ſi quidem Lutetiam à Pariſienſibus admiſſus non fuiſſet, ad Sfortiam Mediolanenſem, aut ad Heluetios profecturum fuiſſe locuples author refert Cominæus. Tam paruo momento, hoc eſt, imperitæ, incertæque multitudinis vacillanti ſtudio illi regnum ſtetit. Sfortiam autem inter intimos amicos numerabat Ludouicus: cuius non ſolum præſenti auxilio, ſed & prudenti conſilio fœliciter vſus eſt: Quingentos ille cataphractos equites, & tria peditum millia ad Ludouicum miſerat Galeatio filio duce, qui ad forenſem agrum vſque delati (ſic enim eam regionem noſtri vocant, quod plurimis ſiluis olim conſita fuit,quas fores ſiue foreſtas Galli appellant) conciliatæ pacis nuncio accepto ad ſuos redierunt. Galeatius autem de Franciſci patris morte certior factus Mediolanum mutata veſte ſumma celeritate petiit: & conſeruatum matris prudentia principatum ſibi vindicauit. Præterea vt tantas hoſtium copias pluribus ducibus diuerſa ſentientibus parenteis, & inter ſe malè cohærentes diſſiparet, omnia aſſentiri, nihil prorſus denegare Sfortia idem ſuaſerat: vniuerſos ſimul inſuperabiles eſſe: ſingulos facilè conteri poſſe: ſagittarum etiam faſcem ad Ludouicum miſiſſe fertur, addens ſingulas facilè, cunctas nullo modo frangi poſſe: quod ingenio acer Ludouicus cumulatè præſtitit. Leuibus tamen excurſionibus primùm tentare hoſtem patiebatur: deinde quod bis mille, & quingentos equites cataphractos, & bellis aſſuetos, & egregiè inſtructos, Normanicam nobilitatem,atque ingentem hippotoxotarum numerum Lutetiæ ſecum habebat, hoſtilis autem equitatus bona pars ob commeatus inopiam per agrum Pariſienſem ſparſa erat; Britanni ad Dionyſij fanum conſederant, Burgundi (ex quibus nonnulli etiam Lagniacum ſeceſſerant) ob diuturnam pacem minùs bello apti, & numero, ſi cum Regiis conferrentur, pauciores propius vrbem (hoc eſt) ad Confluentium caſtra habebant: maioribus interdum, nunquam tamen vniuerſis viribus certatum. Quinetiam ex aduerſa Sequanæ ripa quatuor peditum millia, Normanicam nobilitatem, & aliquot equitum alas emiſit Ludouicus: qui ad Carentonem Confluentiúmque conſiſtere iuſſi, aggerem iecerunt: & tumuli inſtar erexerunt (Bolleuertum noſtri vocant) corrupto ni fallor vocabulo ἀπὸ τῶν βελῶν quaſi dicas boleuelon: inde enim miſſilium telorum omne genus mittebatur. Bello arduum interpretatur Paulus Æmilius aut Gallici ſermonis, aut Græcarum literarum non ſatis gnarus: ego dictionis huius Græcam potiùs, quàm Latinam originem eſſe dixerim: vt eiuſdem notæ à Græcis ob Maſſiliæ viciniam noſtri homines permulta deduxerunt; quæ Phocenſium Colonia diu Græcarum diſciplinarum, & ſermonis puritatem ita conſeruauit, vt illuc florente Romano Imperio perinde, atque olim Athenas ingenui adoleſcentes erudiendi mitterentur. Et Druidas Gallorum ſacerdotes pariter, ac vitæ inſtitutores, controuerſiarúmque omnium veluti ſummos prætores, non ſolùm diuini, humaníque iuris, ſed & altiorem naturæ totius cognitionem ſibi vendicanteis, ad quos nobiles adoleſcentes ex vniuerſa Gallia inſtituendi confluebant, in publicis, priuatíſque rationibus Græcis literis vſos Cæſar prodidit. Huiuſmodi

Auxiliares copiæ à Sfortia Ludouico mittuntur.

Phocenſium Colonia cur Athenis cõparata.

iuſmodi factitios tumulos in vrbium munitionibus, aut oppugnationibus erigunt milites, vt inde hoſtes omni miſſilium telorum genere impetant. Aggere in tumulum è regione Carentonis vici, vbi Lotharingus caſtra habebat, extructo, & ad longam foſſam Lutetiam versùs ductam continuato Regij crebris pilis Carentoniana caſtra fulminant, & nonnullis cæſis cæteros trepidanteis ad Confluentina refugere compellunt. Sed tranſlatis machinis Regij Confluentium quoque perforato aliquot locis Carcellenſis diuerſorio, & nonnullis cæſis grauiter infeſtant: vnde è ſuperiore cœnaculo in inferius deſcendere coactus Carcellenſis. ibi in poſterum Biturigem, cæteróſque principes ad conſilium (nam quotidie conuenire propemodum ſolebant) & ad menſam excepit: tum perforatis Confluentij muris viciſſim Regios frequentibus pilis impetiuit.

Interim dum non cominus gladiis, ſed eminus tormentis emiſſis aliquot dies vtrinque 34
certatur, iunctum ſex latis nauibus pontem ad portum Anglicum (ſic vulgò appellabant) inter Carentonem, Confluentiúmque in fluuium immittit Carcellenſis. Singulæ autem naues mille peditum capaces erant: anchoras, quæ pontem aduerſæ ripæ infixæ firmarent, pontones machinis bellicis inſtructos, qui vim hoſtium repellerent, addit. Hæc vbi magno ſumptu, labore, mora, propè iam perfecta ſenſit Regius miles, non conficiundi, ſed trahendi belli memor (ſic enim à Rege edoctus erat) Burgundis valere iuſſis, ſe cum impedimentis, & machinis ad Carthuſianos nocte intempeſta recepit. Burgundi parte exercitus in alteram ripam traiecta Marcelli ſuburbium occuparunt, & inde Carthuſiana caſtra leuibus prælijs prouocarunt. Nonnulli ad pontem certatum; immo vero pontem ipſum diſciſſis inter certandum ab vrinatore Normano retinaculis, idque Burgundis non animaduertentibus ſecundo flumine delatum ſcribunt. Alterum iam menſem vrbs à numeroſo exercitu obſidebatur: obſeſſor exercitus commeatus, & ſtipendij penuria oppugnabatur: vt cum hoſtibus conueniret Rex omneis machinas adhibebat. Illi à fœdere non abhorrebant: ſed priuatim ſibi quiſque conſultum volebat: horum rex non inſcius plura, quàm ſperarent, ſingulis pollicebatur: factæ ſæpius induciæ: eædem ſæpius interruptæ, mox in plures dies redintegrabantur. Oratores interim de fœdere ineundo hinc, illincque mittebantur: à Rege Cenomanus eius auunculus, præcignianus Tholozani, Dauuetus mox Pariſienſis Senatus princeps, à coniuratis Lotharingus, Luceburgenſis, Ioannes Aurelianus Dunenſis mutuam reconciliationem procurabant: Burgundi, Britanníque, quíque iis fœderati erant, Regios inuiſebant, & mutuo inuiſebantur. Finitis induciis acriora vtrique prælia inſtaurabant: ſed huiuſmodi coitiones Rex, qui multos è ſuis ſuſpectos habebat, in ſuam perniciem fieri interpretatus, ne ſui in colloquium veniant, edicto cauet, pœna capitis indicta: ac ne ſic quidem, ne clam coirent, impedit. In eas ille ſuſpiciones multis de cauſis inciderat: præſertim verò quod Baſtiliæ (vt vulgò nominatur) id propugnaculum ad extremum Antonianum vicum ſitum eſt; alteram portam, quæ extra vrbem hoſtium caſtra reſpiciebat, noctu adapertam offenderat, & tormenta clauis in ora impactis exonerari non poſſe deprehenderat. Hinc ſuis non ſatis fidens maioribus in poſterum cum hoſte copiis congredi haud auſus eſt, alioqui ob longam obſidionem procul admodum pabulanteis, paſsímque diſperſos modis omnibus attriturus.

Carcellenſis pontem ingentem ad portum Anglicum conſtrui iubet.

Marcelli ſuburbium occupati à Burgundis.

Rex ſuos in colloquium cum hoſte venire vetat pœna capitis indicta.

Aliquando tamen qui à Rege ſtabant præcipui duces de conſerendo cum hoſtibus 35
prælio deliberarunt (nam Regem in ea ſententia fuiſſe non putant) & tripertito agmine aggrediendos cenſuerunt. Hæc nocte concubia coniuratis renuntiantur: neque enim illis pauci è Regio exercitu, ac Pariſienſibus fauebant. Diluculo ad Carentonem Poncetus Riparius, ad arcem Vicenarum Laüs, Regij alarum equeſtrium ductores cum ſuis excurſionem fecerunt, & nonnullos inter ipſa tormenta peremerunt. Id nocturnum nuntium de prælio inſtante confirmauit: ſtant Burgundi in armis vel pro caſtris pugnare, vel extra caſtra prælium capeſſere parati: hoſte cedente ſub ortum ſolis è caſtris exeunt: ad pugnam ſe comparant: eodem vndique alij confluunt. Tum Biturix, ac Britannus, ſed inermes, equíſque aſturconibus molliter progredientes affuerunt: at Carcellenſis, Lotharingúſque cataphractis inſidentes equis cataphracti & ipſi ſuorum in primis animos confirmabant: mittuntur alij, atque alij exploratores, quid hoſtis moliatur, ſpeculaturi: vtrique ingenteis ad vrbem haſtatorum copias vidiſſe nuntiant. Acceſſit quòd & in Riparium, Laúmque à coniuratis, & in ſpeculatores à Regiis exonerata tormenta, quorum aliquot pilæ vſque ad ipſa Carcellenſis caſtra penetrarunt, iamiam imminentis pugnæ coniecturam faciebant. Turbidum multa pruina cœlum vtpote Septembri iam inclinante ſpeculatorum oculos eluſerat: ſolis ad meridiem aſcendentis incaleſcentibus radiis caligo diſcuſſa detexit errorem: nullus hoſtis comparuit. Cardui quibus ager ſuburbanus abundabat

Exploratores coniuratorum eluſi, & quomodo.

pro

Digitized by Google

pro haſtatis apparuerunt: coniurati ſpeculatorum ſuorum damnata timiditate pudore ſuffuſi in caſtra redierunt. Hæc Cominæus: quem vnum ſequi Paulus Æmilius videtur. Et Petrus Anlezius meus auunculus, qui in iiſdem caſtris Petri mox Boiorum reguli domeſticus interfuit, mihi ita aliquando narrauit: cæteri carduorum non meminerunt. Tametſi autem leuibus prælijs quotidie certabatur, tamen cœptum iam de fœdere ineũdo negotium, præſertim inter Regem, Carcellenſémque non intermittebatur: delecti homines idonei huc, illuc commeabant. Præcipuas apud Carcellenſem vires Rex eſſe intelligebat: Carcellenſis rem ſuam in lubrico collocatam, magíſque quàm cæterorum præcipitem non ignorabat: hominem præterea angebat, quòd Biturix, Britannúſque illo non vocato priuatim conſilia inibant.

36 Itaque eò propemodum res perducta erat, vt diſiuncti voluntatibus re infecta diſſiparentur, & cum ſumma ignominia, & mutuo diſcrimine obſidionem ſoluerent: vrgebat commeatus, ſtipendiíque inopia: inſtabat hyems: Regius exercitus in ſumma copia Lutetiæ ſtatiua habebat. Hic rerum anguſtiis preſſus Carcellenſis cum viro prudente Contæo (cuius ſupra mentionem fecimus) rem communicat. Ille vt omnia diſſimulet, Carcellenſem obnixè orat; vt viribus ſuperior ſit, ita conſilio quoque ſuperiorem ſe præſtet, par eſſe: ſe difficiliùs, quàm cæteros cum Rege conuenturum: iunctos vnaniméſque quaſlibet à Rege conditiones impetraturos; diſiunctos, ac diſſipatos nihil æqui, boníque conſecuturos. Paruit ſeni ſapienter monenti Carcellenſis; & præter naturam, Biturigis Britanníque, ac cæterorum, qui eorum parteis ſequebantur, amicitiam ambiendo, eoſdem comiter accipiendo, atque hilarè appellando tempori ſeruire cœpit, alioqui ex ſuo ingenio rem omnem peſſumdaturus. Tantum in extremis hiſce difficultatibus hominis experientia, prouidíque præſtat aliquando prudentia. Sed quotuſquiſque è Regibus, cæteríſque qui rerum potiuntur, homo homini quid præſtet, ſtulto quid præſtet intelligens animaduertit? &, vt bonorum virorum, ac prudentium copiam (quæ rariſſima eſt) fortaſſe habeant: quis illos, niſi quum vrget neceſſitas, ſibi aſciſcit, aut in conſilium adhibet? Hinc rerum mutationes, regnorum euerſiones, aut ad alios tranſlationes euenire, & imperia ad optimum quemque, à minùs bonis (vt ſcribit ille) transferri videmus. quod & ipſi Carcellenſi poſtremò accidit: qui fortuna ſua (quam ſummam habuit) elatus, dum ingenio ſuo nimis indulget, neminem in conſilium adhibet, vt ſuprà commemorauimus, paucis poſt annis Burgundicum nomen prorſus euertit. Regulorum poſtulata grauia, & nullo modò concedenda Ludouico Regi videbantur: Normaniam in patrimonium Biturix, Somonenſia oppida ſibi ſuíſque hæredibus Carcellenſis, Monfortianum Comitatum Britannus, vxori Regiæ ſorori promiſſum dotale aurum muneráque militaria à Carolo Rege conceſſa Ioannes Boiorum Regulus, ſtipendium militémque ad recuperandum regnum Neapolitanum Lotharingus petebat: cæteri, quæ non ita magni erant ponderis, annuas penſiones, opéſque ablatas, fundos fiſco adiudicatos, munera militaria, prouinciarum adminiſtrationes, ciuiles magiſtratus ſibi ademptos, aliíſque condonatos repetebant. Sic publica vtilitate in priuatam conuerſa tantus belli apparatus bonis initiis inſtitutus, malo exitu terminatus, in nihilum recidit, atque vniuerſis propemodum infœliciter ceſſit. Omnibus autem ferè Rex annuebat, niſi quòd, vt Normania, Somonenſibúſque oppidis paulò antè recuperatis cederet, adduci non poterat.

In extremis difficultatibus viri prouidi & prudentis magna neceſſitas.

Coniuratorũ poſtulata Ludouico grauia videntur, & ideo non concedenda.

37 Hæc vt commodiùs tranſigerentur, vtrimque ad mutuum colloquium itur: Rex paciſcendi cupidior (quanquam id Regem fortaſſe non decebat) paucis in ratem aſſumptis aduerſo flumine comitante ab vtraque ripa ſatis multo equitatu ad delectum inter Confluentium vrbémque locũ defertur. Regi obuiam procedit Carcellenſis; quem vt accedentem propiùs Rex animaduertit: [Frater (inquit, nam Catharinam Ludouici ſororem Carcellenſis vxorẽ duxerat) poſſumúſne bona fide cõuenire? Vt frater potes (reſpõdit ille.) Tũ Rex ſubiungit: Verè ego frater in te Regiam ſobolẽ agnoſco: nã quũ ad Philip. patrem tuum ſtolidũ illũ Moruilleriũ miſi, qui te neſcio qua verborũ importunitate me inſcio laceſſiuit, vt me intra vertentẽ annũ eius orationis pœniteret, te facturũ promiſiſti: promiſſis ſtetiſti: quin etiam tẽpus ipſum antecepiſti: cum huiuſmodi homine, qui ſtet promiſſis, rẽ mihi eſſe velim.] Hæc ille ſubridens, quæ in bonã partẽ interpretatus Carcellenſis gratiſſimo animo accepit. Multa igitur inuicẽ inter ſe conferentes, nõdũ tamen conuenire potuerũt, ſed bona ſpe conueniẽdi in poſterũ relicta vtriq; diſceſſerũt. Interim dũ pacis cõditiones variis legationibus, altercationibúſq; agitantur, fortuna exitũ inueniẽte, Põtiſara præfecti proditione Britannis, Rothomagum eadem arte Ioanni Boiorum Regulo traditur. Id adeo ita accidit: Rothomagenſium viri primarij à Regio imperio abhorrebant: priuatim ſibi Regulum depoſcebant.

Rothomagum Ioanni Boiorũ Regulo traditum quomodo.

Digitized by Google

depoſcebant. Hi Brizei pugna Letherica nuper cæſi perſuaſa vxore vidua, quæ veluti vrbi præerat, cuique Rex plurimùm confidebat, Ioannem Borbonium in arcem admiſerunt, & paucis exceptis in Biturigis verba iurarunt. Quo comperto Brizei filius non ſecus, ac pater Normaniæ Seneſchallus ſacramento ſe Biturigi obligare recuſauit, & protinus inuita matre ad Regem ſe contulit. Paucis pòſt diebus, hoc eſt, tertio nonas Octobr. Arcembarcius Burgundus, qui ſæpius cum mandatis à Philippo Burgundione, & Carcellenſi eius filio ad Comitem Niuernenſem Picardiæ adminiſtratorem Peronam acceſſerat, ſcalis admotis Peronæ arcem noctu occupauit: vrbem poſtridie in deditionem accepit, eique nomine Burgundionis præfuit; Niuernenſi velut captiuo, ne proditionis argueretur, Bethiniam deducto: Peronam enim, vt ſe Carcellenſi reconciliaret, prodidiſſe Niuernenſis ferebatur.

Ludouici & Carcellenſis colloquium.

Horum certior factus Ludouicus, & coniuratorum vires in dies augeri, ſuas decreſcere liquidò cernens: & quod è ſuis quamplurimi tandem ad factionem inclinarent, plus ſibi metuens, iam non illis dare, ſed quaſuis potius pacis conditiones accipere in animum induxit: atque à Carcellenſi colloquium rurſus impetrauit. Paucis equitibus comitati intermedio ferè inter Confluentina caſtra, Lutetiàmque ſpatio conueniunt: equis relictis, comitibúſque ſecedere iuſſis, pedites deambulant: ibi Rothomagum Biturigis parteis ſequutum Ioanne Boiorum Regulo intromiſſo ad Biturigem defeciſſe, ciues Biturigi ſacramento ſeſe obligaſſe Carcellenſi eius defectionis adhuc ignaro denuntiat. Sibi quidem tantam prouinciam Anglis Gallorum antiquis hoſtibus tam propinquam, Lutetiæ Regum Francorum Regiæ tam imminentem ab ampliſſimo Galliarum regno diuellere in animo haud fuiſſe: ſed quandoquidem Normani ipſi ſibi priuatim Regulum aſciſcant, ídque è re ſua eſſe putent, illis ſe (perlubenter) quod tantopere flagitent, concedere: ita omnia fœderis toties agitati, quæ propoſita fuerunt, capita rata habere; quin etiam in Carcellenſis gratiam Ludouicum Luceburgenſem equitum magiſtrum creare, mutuæ inter ipſos conciliationis, amicitiæque ſequeſtrem in poſterum futurum: quod fœdus hactenus dilatum ſit, Normaniam duntaxat in cauſa fuiſſe. Ea re præter ſpem oblata, maiorem, quàm dici poſſit, lætitiam Carcellenſis animo concepit: ſiquidem & copias fame atteri, & ſibi in ſtipendium pecuniam nullam ſupereſſe, poſtremò intra paucos dies neceſſariò ſibi inde migrandum fore compertum habebat. Niſi enim Rothomagenſis defectio interueniſſet coniurati vrgente fame ab obſidione diſcedere, & à ſe inuicem ſecedere coacti à Rege opulento, & recentis, copioſique exercitus duce ſuperati fuiſſent. Ea inſtabilis, lubricæque fortunæ inconſtantia, ea humanarum rerum conditio eſt, vt tantillis momentis huc, illúcve inclinentur, & modò læto, modò infœlici euentu terminentur. Igitur Rex, Carcellenſíſque variis animi affectibus hic lætitia, ille metu, vterque rerum trãſigendarum cupiditate & pondere nouam ſubinde materiam ſuggerente traducti (vt in tantis bellis componendis vſu euenit) dum plura ſpatia conficiunt, neque interim, quò tendant, animis in diuerſa diſtractis animaduertunt, in aggerẽ non longè ab vrbe iactum, & Regia præſidia incidunt. Tum Carcellenſis, quanquam re inſperata attonitus, vix enim treis, aut quatuor ex ſuis ſecum habebat, tamen ne de Regis fide dubitare, aut ſe imprudens in tantum diſcrimen conieciſſe videretur, quàm minimum potuit, turbati animi indicium dedit.

Carcellenſis conditiones proponuntur à Rege.

38

Interea fama de Carcellenſi intra Regia præſidia concluſo ad caſtra Confluentina perlata, Ludouicus Luceburgenſis Burgundiæ Mareſchallus, Contæus, Halbordinus, cæteríque Burgundici exercitus viri primarij vnà coiere, & Carcellenſis temeritatem, ſimplicitatémve, qui ne auito quidem exemplo doctus in hoſtis poteſtatem veniſſet, comitúmque ſtupiditatem, qui vadentem non monuiſſent, grauiter accuſarunt, ſtatim omnes quotquot extra caſtra temerè vagabantur ad caſtra redire iuſſerunt. Hic Burgundiæ Mareſchallus, [Si inſanus iſte iuuenis, dux (inquam) noſtri exercitus vltrò ſeſe it perditum, at nos Burgundicum nomen, ſpem, nos ipſos tueamur, & patri conſeruemus: non deeſt nobis conſilium, neque vires, quibus nos tutò vel in Burgundiam, vel in Flandriam recipere poſſimus.] Hæc dum variis ſermonibus in Burgundicis caſtris agitantur, Carcellenſis præſidio à Rege accepto reuertitur: procul conſpecto obuiam itur: ille ſuis appropinquantibus, & Regis fidem collaudantibus præſidiũ Regi remittit, & ad Burgundiæ Mareſchallum, quẽ in primis verebatur conuerſus: [Ne me increpes (inquit) ô mirifice vir: quàm enim mei immemor fuerim, ſatis agnoſco: verũ id priùs non animaduerti, quã me ab hoſtiũ pręſidiis tam propè abeſſe ſenſi, vt referre pedem iam integrũ non eſſet.] At caſtrorum magiſter, qui ſumma apud patrem authoritate pollebat, & militari audacia, ſe Mareſchallum patris,

39

Carcellenſis intra Regia præſidia cõcluſus ad ſuos illæſus remittitur.

A caſtrorũ magiſtro acriùs increpatur.

Digitized by Google

patris non filij eſſe: niſi precario liberè ſubinde profitebatur, præſentem acriùs, quàm abſentem nihilominus obiurgauit, ne mutire quidem auſum, verùm capite ſemel demiſſo prætereuntem,& ad caſtra tacitè reuertentem. De omnibus fœderis capitibus conuentum erat: Arx Vicenarum Carcellenſi permiſſa: eam ille firmo præſidio munit: Saueſium præfectum imponit, hominem militarem, qui paucis antè diebus centum & viginti nummorum aureorum millia;magnam præterea arcuum, ſagittarúmque vim à Philippo Burgundione,centum & viginti cataphractis equitibus, ac mille & quingentis hippotoxotis comitatus ad Carcellenſem filium comportarat.

Fœderis inter Regem coniuratóſque principes capita præcipua.

40 Poſtridie illuc Rex, coniuratíque principes conuenere: lecta palàm fœderis capita omnia, & publico conſenſu confirmata: quorum præcipua hæc fuiſſe accepimus. Triginta & ſex ſelectum iri viros prudenteis, & negotiis tractandis idoneos, duodecim ex vnoquoque ordine, qui proximo Decembri vnà omnes conuenirent, & intra quadraginta conſequenteis dies regno bene conſtituendo prouiderent:iniquas omneis exactiones præſertim nuper indictas tollerent:iuſta vectigalia, tributáque regno conſeruando neceſſaria ſua authoritate firmarent: quicquid præterea ad iuris dicundi integritatem, quicquid ad reliquum ciuilem ordinem,rationémque ſpectaret, præſcriberent: horum ſe ſtaturum ſententiis Rex ſacroſancto iureiurando confirmauit. Altero capite cauebatur, ne cuiquam fraudi eſſet,vtram factionem ſequutus fuiſſet:Regem pro authoritate Regia,Regulos illiſque iunctos cæteros proceres pro publica regni vtilitate arma ſumpſiſſe profiteri: cauſam vtrãque iuſtam videri,&,vt ita in poſterum habeatur,eidem placere:vt vrbes,arces,oppida ab vtraque factione bello capta antiquis poſſeſſoribus redderentur, iiſdem eodem, quo ante hoc bellum fruebantur, iure fruituris. Biturigi Normania ea forma in patrimonium cederet, vt nihil de antiquo iure diminueretur, hoc eſt, vt non amplius Regis, ſed Normani Reguli ſiue Ducis, quæ dictio iam vſitatior eſt, Britannus, Alenconiúſque beneficiarij cenſerentur: Carcellenſi, eiúſque poſteris vtriuſque ſexus Somonenſia oppida, Pontiuienſis, Guiſnenſíſque Comitatus condonarentur:quæ ab ipſo quidem Carcellenſi numquam, ab eius autem poſteris Ludouicus, cæteríque Galliarum Reges ducentis nummorum aureorum millibus redimere aliquando poſſent: Britannus Montfortiano Comitatu,& in militum ſtipendium iuſta pecunia donaretur:Ioanni Boiorum Regulo capta oppida, arcéſque redderentur: pecuniæ penſio annua pro dote vxoris,quæ Ludouici erat ſoror, perſolueretur: quo nomine triginta ſex millia argenti pondo Turonenſis monetæ quotannis recipere debebat. Lotharingo ad recuperandum Neapolitanum regnum ducenta nummûm aureorum millia numerarentur: trecenti etiam cataphracti equites auxiliarij mitterentur: Nemorenſis ducẽtis cataphractis equitibus præficeretur, & Inſulæ Francicæ (ſic enim vocant) adminiſtratione donaretur: Ludouicus Luceburgenſis fani Paulini Comes Equitum magiſter à Ludouico diceretur: cui publicè mox Lutetiæ in regio palatio Rex enſem eius magiſtratus inſigne tradidit. Omnibus (vt vno verbo complectar) ſua cuique, & quas à maioribus acceperant, & quibus à Carolo patre donati fuerant, facultates, fundi, arces, oppida, vel bello capta, vel fiſco adiudicata, munera quoque militaria, annuæ penſiones, ac ciuiles magiſtratus reſtituerentur. Huic capiti Ioannes Aurelianus Dunenſis, Anton. Chabaneus Dommartinianus, Iacobus Armeniacus Comites diſertè aſcripti ſunt. Poſtremò ne quis horum Regulorũ,quàm à Rege arceſſeretur,ipſe ire cogeretur:militem nihilominus ex beneficij lege,qua beneficiarij Regi ſacramento obligantur,mitteret.

41 Hæc quidem tum conuenerunt: ſed pauca mox obſeruata ſunt. Carolus Regis frater Normanici Ducatus Carcellenſis Somonenſium oppidorum, Pontiuienſíſque, ac Guiſnenſis Comitatus, Britannus Montfortiani, cæteri ſuorum beneficiorum, ſiue feudorum (vt vocantur)nomine Regi ſacramentum ſolenne dixerunt:hoc fœdus Confluentinum appellarunt. Mox copias ſuas in latiſſimis inter Confluentium,vrbémque campis Carcellẽſis recenſuit:recenſendis repente interuenit Ludouicus,& ſingulas equeſtres alas,vna excepta, cui præerat Burgũdiæ Mareſchallus,perluſtrauit. Hunc oderat Rex,eíque Spinale agri Lotharingici oppidum antea conceſſum ademerat, & Ioanni Lotharingo Calabriæ Regulo condonarat. Admiratus Carcellenſis exercitum Ludouicus, & vires reformidans eiuſdem amicitiã omnibus officiis ambiuit:abeuntem ad octauũ ab vrbe milliare honoris ergo proſequutus. Conſtitere ad Villam Bellã (ſic enim vulgò is vicus appellatur) & triduo inter ſe familiariter de re communi contulerunt:ſed Rex,qui paucis comitatus acceſſerat, ducẽtos equites cataphractos qui redeuntem reducerent,ſequi iuſſit. Id Carcellẽſi Regij equitatus numerum ignoranti ſuſpectũ fuit:ſuos clam capere arma præcepit:bona tamen cũ pace ſeſe inuicẽ dimiſerũt,& ſuũ quiſq; iter ingreſſi ſunt:adeo principibus ſuſpecta eſt aliena potẽtia:

Digitized by Google

vt nunquam congredi (vt ſuprà attigimus) ſed negotia ſua per viros prudenteis tranſigere debeant. Igitur in Flandriam contendit Carcellenſis omnibus paſſim regni Gallici vrbibus honorificè exceptus (ita enim Rex iniunxerat) Rex ipſe Lutetiam reuerſus eſt. At Carolus Regis frater, Britannus, Ioannes Aurelianus Dunenſis, ac plerique alij Galliæ proceres Caroli opes, & fortunam ſequuti Rothomagum profecti, tantiſper dum Rothomagenſes, quæ ad noui Ducis aduentum honorificè celebrandum opportuna erant, parant, ad fanum Catharinæ (id Rothomagi ſuburbium eſt) conſedere. Britannus, ad quem à Rege fratre Carolus primùm confugerat, & ſecundùm Burgundionem plurimum in hoc bellum contulerat, minimúmque emolumenti reportarat, Carolo in primis adhærebat; omnia ex ſuo arbitrio moderari, & præcipuum ſibi, ſuiſque locum vendicare cupiebat: Galli itidem proceres honoratis militiæ muneribus ſub Carolo Rege perfuncti, magníſque penſionibus donati Regi non confidentes, Carolo ſe addixerant, & ab illo non minora quàm à patre ſperabant. Orta inde contentione ſpargitur de induſtria rumor Britannum ſtatuiſſe Carolum in Britanniam reducere: hoc grauius Rothomagenſes, Normaníque cæteri audire non poterant: neque enim alienos ſibi imperare, aut præcipua apud ſe munia obire æquo animo patiebantur, idcircóque priuatim ſibi Carolum Regulum aſciuerant. Eò tandem res proceſſit, vt Galli Normanis iuncti Britannum infeſtis armis aggredi pararent. Ille periculum declinans (nam paucis duntaxat aulicis comitatus acceſſerat) ſe ad ſuos in inferiorem Normaniam recipit, & Cadomum, ac pleraque alia oppida vi capit.

Carcellenſis honorificè in Gallia habitus in Flandriam ſe recipit.

Rothomagenſes Carolum Regulũ ſibi priuatim aſciſcunt.

Rex ad omneis occaſiones intentus, & ſuſpiciones ſuſpicionibus intexens vtramque factionem magis, ac magis accendit: exercitum comparat, Normaniam ingreditur: oppida pleraque, arceis præfectis prodentibus recipit, & vt Britannum à Carolo fratre prorſus diſiungeret, colloquium petit. Cadomi aliquot dies de re communi Rex Britannúſque deliberant: vt Cadomum, nonnnullæque aliæ Normaniæ inferiores vrbes Odeto Riano committerentur conuenit (vt tradit Cominæus:) tametſi eas conuentiones admodum intricatas; nec ſatis ab ipſo Rege, Britannóque intellectas idem prodit: cæteri Cadomum Regi à Britanno redditum, nec Odeto Riano fideicommiſſum ſcribunt: Rianus enim inter intimos Caroli tum Normani Reguli familiares erat. Factis conuentionibus Britannus in Britanniam reuertitur, Rex Normaniam perluſtrat, & cæteras vrbeis in poteſtatem ſuam redigit. Parebant adhuc Carolo Rothomagum, Loueria, Pons arquatus vel arcuatus: ſed is de Rothomagenſibus à ſe abalienatis ſuſpicione concepta inde diſceſſit, an ad Carcellenſem, an verò ad Britannum confugeret, incertus. Tandem tamen ferè ab omnibus deſertus, quòd Carcellenſem bello Eburonico longinquo, & difficili occupatum videret, in Britanniam rurſus aufugit: Rothomagenſes ſe Ludouico dedidere: quorum exemplum cæteri ſequuti ſunt. Galli proceres, qui primum Caroli parteis tuendas ſuſceperant, in gratiam cum Ludouico rediere, melioribus conditionibus, maioribúſque muneribus militaribus quàm à patre donati. Ioannis Borbonij Boiorum Reguli conſilio in primis vtebatur Ludouicus: qui illi in recuperanda Normania egregiam operam nauauit, eundémque Gallis proceribus reconciliauit: tametſi recepta Normania ad ingenium natura vltionis cupidum rediens Ludouicus in quoſdam, ſed eos non magni nominis, ſæuiit: vnde multorum animos à ſe abalienauit: Regem enim non ingenua beneuolentia, ſed ingenito metu colere quos timeret, cæteros miris modis affligere ductitabant. 42

Rex exercitu comparato Normaniã ingreſſus multa oppida & arces recepit.

Carolus in Britanniam denuo aufugit.

COMMENTAR.

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM

LIBER SECVNDVS.

1 DIVTVRNI inter Ioannem, Philippum, & poſtremò Carolum Burgundiones, atque finitimos Eburones Gallorum fœderatos belli hæ potiſſimùm cauſæ recenſentur: Pontifex Eburonum (Leodios hodie appellant & à Romanorum legione, quæ ibi ſtatiua habuerit dictos putant) creatus erat Ioannes è Bauarorum Regulorum familia: cuius ſororem Ioannes Burgundio in matrimonio habebat. Is admodum adoleſcens non Pontificia modeſtia, ſed tyrannico ſpiritu vel natura ferox, vel adulatorum malis artibus in tranſuerſum actus ſuis imperabat. Illi vt ſacris initiaretur (ſiquidem intra præſcriptum diem ſe vel ſacris initiatum iri, vel Pontificatu ceſſurum promiſerat) inſtabant: repugnantem aut armis cogere, aut Pontificatu mouere nituntur: nouum Pontificem deſignant: Romam legationem mittunt, Gregorium Summum Pontificem obſecrantes, vt huiuſmodi deſignationem ratam haberet. Gregorius Bauarum Regis Galliarum, Burgundioniſque affinem mouere Pontificatu recuſat. Eburones Romæ repulſam paſſi Auenionem ad Benedictum pergunt (tum enim is de ſummo Pontificatu cum Gregorio contendebat) rem exponunt: poſtulata impetrant: diplomata etiam accipiunt quibus & Bauarus exauthoratur, & nouus Pontifex in eius locum ſufficitur. Interea Bauarus Pontifex Eburonum oppida quædam, arceíſque occupat, ac præſidiis munit, & ad Guilielmum Bauarum fratrem Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæque Regulum maiora auxilia conquirens proficiſcitur. Eburones comparato exercitu oppida capta magna ex parte recipiunt: quibus indignatus Bauarus Pontifex fraternis copiis Eburonum agrum flamma, ferróque vaſtat: imminentibus Eburonibus viribus inferior ſe in Hannoniam recipit. Illi viciſſim agrum hoſtilem, hoc eſt, Hannonianum non minùs ferociter populantur: continuato in alterum annum bello Bauarum Pontificem Eburones Traiecti obſident: iunctis viribus Ioannes Burgundio, & Guilielmus Bauarus ſuppetias obſeſſo ferunt: Tongros Eburonum vrbem petunt. Eburones ſoluta obſidione illis obuiam ire, & bello decernere properant patre noui Pontificis Piruelle admodum repugnante: homo enim militaris incompoſitam plebem, & bellis non aſſuetam veterano Burgundionis, Bauaríque militi obiiciendam non putabat, quin potiùs in locis munitis continendam, hoſtem commeatu, inſtante præſertim hyeme, prohibituram. Illi imperio non parent: quid enim ſtolida plebe inconſideratius, aut magis temerarium? Congreſſi ſeſqui horam acriter pugnant: mox ſolutis ordinibus perrupti ad triginta ferè hominum millia cæduntur. Victor Bauarus Pontifex victoria crudeliter vtitur: duras victis leges imponit: viros primarios in vnaquaque vrbe ſecure percutit: nobiles etiam matronas in profluentem demergendas curat, quæ in annum huius ſeculi octauum inciderunt. Hinc vetus Eburonum cum Burgundis ſimultas: quæ eadem propemodum occaſione, euentu etiam atrociore renouata eſt. Quum enim, vt Ludouico Borbonio eodem Pontificatu ſenex Epiſcopus cederet, perſuaſiſſet Philippus Burgundio; Eburones ne adoleſcens ampliſſimæ familiæ (erat enim Caroli Boiorum Reguli ex Philippi ſorore filius) nouis ſeditionibus, belliſque anſam daret, veriti, acriter repugnarunt. Cunctabatur Pius Secundus Pont. Max. vel quòd Bauari exēplum, ortáſque inde ſeditiones ſubtimeret, vel quòd in huiuſmodi cōtrouerſiis aliquē ex Romana aula ſupponere in animo haberet.

Eburones Romæ repulſam paſſi Auenionē pergūt poſtulata impetraturi.

Bauarus Epiſcopus Traiecti ab Eburonibus obſeſſus.

Cæſorū numerus quis.

Digitized by Google

Cæterum Philippum virum tantum, qui ſecundum vnum, aut alterum fortaſſe Chriſtianos Reges in tuendo, propagãdóue Chriſtianiſmo plurimum poſſet, Turca præſertim imminente, nec Bizantij expugnatione contento, irritare non auſus, Borbonium Eburonum Pontificem creauit. Paucis antè annis, hoc eſt, anno huius ſeculi quinquageſimo tertio, quo Turcarum Imperator Mahometes eius nominis ſecundus Bizantium expugnarat, graui morbo conflictatus Philippus expeditionem in Turcas vouerat: in eandémque cogitationem incumbens, & quæ ex vſu erant, aliquot annos præparans ingentem pecuniam (qui belli neruus eſt) ſuis indixerat. Suborto deinde hoc bello Eburonico res dilata: Eburonicum iam affectum excipit Gallicum, vt ſpem omnem de inuadendo Turca abiiceret Philippus, votúmque præſtare non poſſe fateretur. Itaque anno huius ſeculi ſexageſimo tertio legatos ad Sixtum Pontificem Maximum tandem miſit: qui & Ludouicum Galliarum Regem Burgundis imminere, & Philippi ætatem ingraueſcentem voto exoluendo non eſſe ſignificarent: ſatis magnas tamen copias pollicerentur, hoc eſt, ſex tam equitum, quàm peditum millia, ſi qui Chriſtiani principes ſuas iungere, & ſacrum bellum ſuſcipere tentarent. Ita res Chriſtianæ diuerſis partium ſtudiis diſtractæ Turcis Imperij augendi, nobíſque inſultandi occaſionem dedere. Pontificatu igitur Eburonum potitus Ludouicus Borbonius adoleſcens omnia per Philippi auunculi familiares obire: Eburonibus contrariæ factionis aut pauca, aut nihil credere: non tam abalienatos ſibi conciliare, quàm auunculi potentia fretus duris imperiis accendere. Illi contra, vt Pontificiis ſacris initiaretur, vt Pontificia munia obiret, vt ſe non regno, ſed Pontificatu donatum meminiſſet, inſtare: imperia detrectare: poſtremò ab eo deficere. Querimoniæ Romam delatæ: Pius Romanus Pontifex ſe Borbonio Pontifici vel æquiorem præſtat, vel præſtare ſimulat. Eidem vt pareant Eburones, edicit: rebelles, factioſóſque ſacris interdicit: ſi perſeuerent, bello domandos Philippo, atque ad officium reuocandos permittit. Initia poſterioris huius belli, nec Galli hiſtorici, nec Burgundiæ Annales ſatis explicant. Ludouici Borbonij Pontificis nomine ſuſceptum, & in quinquennium ruptis ſæpe, renouatíſque induciis protractum ſcribit Cominæus: ſed quæ duobus poſterioribus annis ferè geſta ſunt, hoc eſt, Dinani, principíſque Eburonum vrbis expugnationes duntaxat enarrat. Oppugnationis cuiuſdam Eburonici oppidi (Huium ille vocat) meminit Saguinus, Borboniúmque Pontificem clam inde dilapſum memoriæ prodidit: ſed quid antè, vel pòſt vel in ipſa oppugnatione geſtum ſit, miro ſilentio præterit: niſi quod quadringentos cataphractos equites, ac ſex peditum ſagittariorum millia mittente Ludouico Eburonibus auxilio veniſſe teſtatur. 2

Philippus lecto affixus expeditionẽ in Turcas vouet.

Eburones à Ludouico Borbonio Epiſcopatu potiente deficiunt, quòd ſacris initiari renuat.

Aliquot ante pugnam Lethericam menſibus Ludouicum Regem, Carcellenſémque 3
inuicem irritatos ad bellum ſpectare animaduertentes Eburones in Galliam legatos de coeunda ſocietate miſerunt. Oblatam occaſionem non omiſit Ludouicus: ſed miſſis viciſſim in Eburonum Metropolim legatis mutuo fœderi operam dedit: conuenit, vt intra præſcriptum diem copias in Hannoniam, Namurianúmque agrum ducerent Eburones, Ludouicus ducentos cataphractos equites, ternis ſingulos, aut etiam pluribus equis comitatos auxiliares mitteret. Fœderis huius fiducia freti Eburones Carcellenſi primùm, deinde etiam Philippo bellum denuntiant; & partim Hannoniam ingreſſi ferro omnia, flammáque vaſtant, partim alia ex parte adorientes Luceburgum obſident. Ingenteis quidem in Galliam cum filio copias miſerat Philippus: ſed non contemnendas, magníque etiam nominis duces ſibi reſeruarat: vt ſi quid aduerſi fortuna obtuliſſet, non omnino ab exercitu imparatus opprimi poſſet. Itaque Geldubenſem ſiue Gueldrenſem, Cliuenſémque Regulos, Rothelinum, Naſſauum, Hornæúmque comites conuocat: iuſtum exercitum comparat: hoſtibus obuiam ire iubet. Eburones Burgundionis potentiam admirati, qui duos eodem tempore tantos exercitus in armis haberet, & promiſſa à Ludouico auxilia non accipientes, ſe ad ſuos receperunt: ſed mox falſo rumore perlato quo Carcellenſem Letherico prælio à Ludouico ſuperatum acceperant Dinanenſes cæteris vaniores vel quòd diuitiis præſtarent, vel quòd ſe à pleriſque Imperatoribus, aut Regibus decies ſepties oppugnatos, nunquam expugnatos iactarent, Carcellenſis effigiem armati circumferentes Bouillas Namuriani agri oppidum Dinano vix milliari diſtans ire pergunt: furcæ affigunt: ipſúmque adeo Carcellenſem veluti alloquentes multis probris lacerant. Sed magno illis ea inſolentia ſtetit: ſiquidem anno proximo vrbe incenſa, ſolóque æquata octingenti (vt Cominæus) aut nongenti (vt alij tradunt) ex ipſis hoc nomine in flumen demerſi periere: vt non fruſtra cum ſummo Poeta exclamare liceat:

Legati ab Eburonibus in Gallias miſſi.

Dionantum deciesſepties oppugnatũ, nec expugnatum.

Neſcia mens hominum fati, ſortiſq́ futuræ:

Digitized by Google

Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Itaque è Galliis rediens ingentem exercitum aduerſus Eburones harum contumeliarum memor, Carcellenſis eduxit, & Decembri ineunte Tongros inter Centronéſque conſedit. Illi ad patrem Philippum ſupplices confugiunt: is Bruxellis agebat, & pactis florenorũ, quos Rheni, vel Rhenanos vocant, ſexcentis millibus in ſenos annos depẽdendis fœdus ineunt.

Carcellenſis à Dionantenſibus cõtumeliis afficitur & probris.

4 His non contentus Carcellenſis ſummum imperium in Eburones Brabantinis regulis attribuere conatus eſt, quos veluti præſides, & totius Eburonenſis agri adminiſtratores (Mamburgos illi vocant) aſcriptis in ſtipẽdium annuum binis eorundem florenorum millibus creari iuſſit: vt ſine horum authoritate nec in poſterum Eburones noua bella ſuſcipere, nec de rebus maioribus decidere auderent. Priuati fœderis Dinanenſium cum Philippo, quo cæteri Eburones non continerentur; item Eburonum, quo Dinanenſes diſertè excluderentur, meminit Cominæus: Burgundiæ Annales nihil tale produnt, nec ea nobis, ſiqua interuenerunt, vel ex Cominæo, vel ex aliis ſatis nota ſunt: vtvt ſit fœdere concepto Carcellenſis exercitum dimiſit, & ad patrem Philippum in Flandriam reuerſus eſt. Dinanenſes nec periculo docti, nec experientia prudentiores in vrbem exules recipiunt: illi intromiſſi, ſeditiones miſcent, vt bellum renouetur procurant: in agrum Hannonianum, Namurianúmq; impetum faciunt; matronis, virginibúſque vim inferunt: templa expilant: obuia quæque longè, latéque populantur. His indignatus Philippus maiore, quàm vnquàm antea belli apparatu Eburones aggredi ſtatuit. Vt equites, peditéſque in proximum Iunium menſem ſe ad bellum comparent, edicit; quò quum tardiùs ob iuſtum ſtipendium bellis duobus prioribus Gallico Eburonicóque non acceptum conuenirent, ira percitus, nec ſui compos Philippus in apoplexiam incidit: ex qua vbi conualuiſſet, alterum edictum, quoquo verſus in ſuas ditiones mittit, mulcta capitis indicta, ſi qui militiæ deſertores deprehenderentur: ſignificabat præterea, ſe tametſi ætate admodum grauem (erat enim ſeptuagenario maior) huic bello conficiendo affuturum. Quo comperto alacri animo omnes ad Kal. Auguſti conuenere: ſiquidem humaniſſimè militem accipere, nec niſi ſumma neceſſitate ſtipendio defraudare conſueuerat: quæ contra poſterioribus bellis in Carcellenſi experti erant. Decimo nono Kal. Septemb. trecentis equitibus comitatus Carcellenſis vrbem ſpeculaturus ad ſuburbia vſque peruaſit: Dinanenſes obuiam illi prodeunt, velitaríque prælio commiſſo vtrique ad ſuos rediere. Decimo quinto Kal. vniuerſæ copiæ vrbem cingunt, Dinanenſes ſimul bombardas in hoſteis exonerant, ſimul conferti exeunt, villas, vicóſque propinquos incendentes, ne hoſtibus ad diuerſoria paterent: ſed redeuntes Burgundi inuadunt, è ſuburbiis exturbant; tantóque impetu in vrbem cõpellunt, vt parum abfuerit, quin vnà cum fugientibus irruperint. Bouillani interim, qui propter viciniam cum Dinanenſibus affinitatibus coniuncti erant, ad eos ſcribunt, hortantur, vt, dum res adhuc in integro eſt, Philippi humanitatem potiùs quàm vires experiri malint, vires eſſe inſuperabiles: ſupplicibus Reguli humanitatem nunquam defuiſſe. Dinanenſes ſolita contumacia, ſuperbiáque vecordes tabellarium capite mulctant.

Philippus apoplexia corripitur.

5 Bouillani nihilominus quantum illis malorum impenderet, rectè expendentes, & finitimorum, affiniúmque miſericordia commoti alteras propè eiuſdem argumenti literas per puellulum, propè infantem de integro mittunt propter ætatem ſanctum, inuiolabilémque fore rati. Dinanenſes medendo ſemper ægreſcentes, vt ille ait, ac ſuum veluti fatum arceſſentes & hunc in parteis diſſectum crudeliter occidunt: vt mirum non ſit, ſi tantam vecordiam miſerabili exitio Deus Opt. Max. vindicandam iudicarit. Tanto æneorum tormentorum impetu aliquot dies vrbs quatitur, vt neque terra, neque cœlum conſpici, neque aliud præter flammam, ac fumum videri: nihil præter horrenda raucarum machinarum tonitrua audiri poſſet: ſolo æquabantur ingentia mœnia; firmiſſimæ turres, ædes magnificentiſſimæ diruebantur: in vrbe vix locus reperiebatur, vbi in tuto pedem poneres. Itaque paſſim miſerabili exitu viri, matronæ: pueri, puellæque interibant: aliis ſui penates ſepulchra erant: alij ſemimortui in vicis iacebant: alij membris capti lamentabantur: quibuſcum fœlicius agebatur, immanibus illis fulminibus in puluerem redacti euaneſcebant. Hinc præſidiarij Eburonum milites de conſeruanda vrbe deſperantes clam ſe ſubducunt. Attoniti noua oppugnatione, ac præſidiariorum militum fuga Dinanenſes legatos octo ad Carcellenſem mittunt, qui de vita pacti ſeſe, vrbémque dederent: victor pertinax nihil excipi ſuſtinet. Illi ſpe omni abiecta fortunæ cedunt, & ſe victoris arbitrio permittunt. Paucis antè menſibus quatuor è primariis ſuis ciuibus, quod priuatum illud (cuius ſuprà memini) cum Philippo fœdus iniiſſent Dinanenſes capite mulctarant: at nunc

Dionantenſium rabies pluſquã tyrannica.

Digitized by Google

nullum fœdus, nullas conditiones, nullam veniam obtinere poſſunt: ſic inconſideratam temeritatem vecordémque inſolentiam diuina prouidētia iuſta vltione peſſumdat. Ex variis æris operibus tantum quæſtum Dinanenſes faciebant, vt cæteras merces præ ſuis nihilipenderent: augebat animos vrbis ſitus in arduo, & excelſo loco collocatæ, qui difficiles vndique aditus oppugnantibus oſtentaret: accedebant frequentiſſimæ turres, muríque longo otio, & in magna rerum abundantia ambitioſiùs extructi; qui, quò ſæpius oppugnati erant, eò diligentiùs, & maiore impenſa fuerant inſtaurati: at hæc omnia paucis diebus horrenda ærearum machinarum tempeſtas ferè ſolo æquauerat. Quod reliquum erat, & in illis ruinis velut ſepultum adhuc latebat, aurum, argentum, pretioſam ſupellectilem, victor miles triduo diripuit; cætera abiecta & in varios vrbis pereuntis velut tumulos coniecta ignis vel forte fortuna accenſus, vel ab hoſtibus iniectus, vel ab iis ipſis in tanta rerum deſperatione, ne ſibi quidem parcentibus & hoſtes ſimul, ſéque, ac ſua eodem incendio conflagrare cupientibus (id enim incertum fuit) immiſſus in atrum cinerem redegit. Et ne vllæ in poſterum infœliciſſimæ vrbis reliquiæ ſupereſſent, murorum etiam, ædiúmque fundamenta ruſticorum opera Carcellenſis penitus demolienda curauit, vt nullam amplius vrbis faciem, ſed quandam potius veluti æſtuantis Æthnæ ſparſam in propinquos agros vaſtitatem cerneres.

Dionantenſis vrbis ſitus & opulentia.

Interim Eburones obſidionem præter recentis fœderis leges, quo Dinanenſes excluſerant, ſoluturi non longè à Burgundis caſtrametantur. Sed de capta vrbe certiores facti, 6
& quantum ſibi periculum immineret reputantes, de continuando fœdere ad Carcellenſem legatos mittunt, imperata pecunia eſt, atque obſides, quos mane poſtridie mitterent: interim vtriſque inquieta, ac meritò ſuſpecta nox interuenit. Burgundorum magnus equitatus locis iniquiſſimis collocatus, caſtra etiam ſeparata, nec vllo vallo foſſave munita viris prudentibus horrorem incutiebant: Eburones vniuerſi pedites, ac locorum gnari tempus commodiſſimum & ſtruendis inſidiis, & pugnæ faciendæ habebant. Itaque horum permulti de aggrediendis hoſtibus egerunt: quod ſi feciſſent vel victoria potiti fuiſſent, vel certè Burgundos in ſummum diſcrimen adegiſſent. Sed, vt in turba fit, dum multi multas, multúmque diuerſas ſententias dicunt; dum contrarias refutant, atque inuicem altercantur, neque inter ſe conueniunt, dies illuceſcere occœpit; tum vt fœdere ſtaretur, heſterni legati perſuaſerunt. at Carcellenſis prima luce copias vniuerſas vndique cogit, atque inſtruit cataphractorum equitum tria, hippotoxotarum tredecim millia, peditum vis innumerabilis conuenerat, omnes explicatis ſignis vel pugnam inituri, vel obſides recepturi ingrediebantur. Iam ad meridiem inclinabat dies, quum in hoſtium conſpectum veniunt: illi necdum obſides ex fœderis formula dederant, & (vt ſtolidum vulgus erat) in plura agmina ſeparati ſeſe iam ad ſuos recipiebant. Aggrediundos Carcellenſis, Galterus Burgundiæ Mareſchallus, Contæus cenſuerunt; de victoria enim nemo dubitabat; à fœdere non temerè diſcedendum ſuaſit Luceburgenſis Paulinus Comes. Nam quod ad obſides attinebat, vt de tanto numero (trecenti autem erant, quos Borbonius Eburonum Pontifex nominatim delegerat) tanta multitudo paucis horis conueniret, perdifficile eſſe: magna, longáque trium virorum illuſtrium, militariumque aduerſus vnum Luceburgenſem altercatio fuit: hinc certa de antiquis hoſtibus victoria, hinc promiſſorum fides ſuſpenſos tenebat. Tandem, vt tubicen (is belli iure ſanctus eſt) obſides repoſceret, vel recuſantibus prælium inſtans denuntiaret, conuenit: is in itinere ad Burgundorum caſtra accedenteis obſides offendit.

Tubicen iure belli ſanctus.

Quibus receptis Carcellenſis Philippum ſubſequutus in Flandriam rediit, vbi de partis victoriis læti totam hyemem traduxerunt, ac præſertim mittendis, audiendíſque legationibus operam dederunt: quamquam rerum gerendarum curam multum ætate prouectus Philippus Carolo filio magna ex parte demandarat, ipſe tranquillo otio ſummam ſenectutem fouebat: donec pridie idus Iun. anno huius ſæculi ſexageſimoſeptimo in lethalem morbum incidit, triduóque grauiter conflictatus anno ſuæ ætatis ſexto & ſeptuageſimo è vita exceſſit. Fuit ea mors acerba ſuis, patriæ exitialis, omnibus luctuoſa: nam inter Chriſtianos principes nemo illi vel iuſtitia vel animi magnitudine præſtabat. Ad hunc Galliarum, Hiſpaniarum, maioris Britanniæ, Luſitaniæ Reges; ad hunc Germani, Orientaléſque Imperatores; ad hunc Romani Pontifices confugerunt, huius opibus ſuſtentati ſunt, & in priſtinos gradus reſtituti. Nemo ſuis charior, hoſtibus formidabilior, vtriſque æquior. Hinc Burgundicas, Flandricáſque prouincias ſola Lotharingia interſtinctas Regiis inſignibus Federicus Imperator ornare decreuerat: at magnanimo, mitique patri ſuccedens filius diſſimillimus natura, turbidus, ſui iudicij nimium te-

Anno 1467.

Philippus vita functus acerbam ſui memoriam amicis relinquit.

nax.

Digitized by Google

nax, intractabilis, bella ex bellis ſerendo tantas opes decennio prorſus euertit.

7 Irreconciliabili aduerſus hunc, Britannúmque odio flagrabat Ludouicus Galliarum Rex, nec tamen eos ſimul aggredi audebat. Illi id quod erat ſuſpicati ſocietatem clam inter ſe coierant, ſed conſilia communicare iiſdem difficillimum erat: nam itinera ea diligentia obſeruabantur, ita excutiebantur, atque intercipiebantur tabellarij, vt nihil moliri quod non ſtatim Ludouico palàm fieret, vterque regulus poſſet. E minore Britannia in maiorem, hoc eſt, in Angliam, inde in Flandriam nauigare tabellarij cogebantur, & remenſo itinere eundem curſum tenere: ſic res in longum ducebantur, nec quicquam ferè in tempore occurrebat. Viribus inferior erat Britannus, &, quotquot Ludouico infeſti erant, eoſdem honorificè apud ſe habebat. Burgundio potentior, & ab omni parte longè paratior: hunc ſibi conciliare, illum ſua prouincia ſpoliare Ludouicus in animo habebat. Itaque per Luceburgenſem equitum magiſtrum, ac Balluam Cardinalem apud Burgundionem egit, vt ſi is à Britanni ſocietate diſcederet, ſe quoque Eburonibus ſocietatem renuntiaturum promitteret: alioqui fœderatis Eburonibus copias auxiliares miſſurum. Paucis, ídque publicè, reſpondit Burgundio, Eburones belli authores contra fœdus nuper initum priores in ſuas prouincias irruiſſe, eam contumeliam bello vindicandam: nec ſubeſſe cauſam cur hoc nomine à ſociorum amicitia diſcederet. Huium oppidum occuparant Eburones, tametſi trecentos ante obſides, ſi fœdus violaretur, capite plectendos ad Burgundionem miſerant. Iam diſceſſum parantem interpellauit Luceburgenſis: [Tuo arbitrio, princeps potentiſſime, aduerſus quoſuis bella gerere vis, nobis eodem iure vt vtamur, hoſteíſque noſtros vlciſcamur non permittis: ea verò iniqua conditio eſt, nec tantam contumeliam pati Rex Ludouicus poteſt.] Cui ſubiunxit Burgundio: [Eburones in armis ſunt, intra triduum mihi prælium ſpondeo, ſi fœliciter meis conatibus Deus annuet, Britanni vobis ſacroſancti erunt: ſin aliter, quod Deus omen auertat, accidet, vos præſentem occaſionem non omittetis.] Et in hæc verba vtrumque oratorem dimiſit. Paulò antequam Louanio, vbi Regios oratores dimiſerat, migraret Burgundio, quid de trecentis obſidibus ageretur, in conſultatione poſitum fuit. Extremo ſupplicio puniendos Contæus, paucíque alij cenſuerunt (ea enim conditio fœderi diſertè addita erat) in mitiorem ſententiam multa diſputauit Himbercurtius Ambianus, homo rara prudentia, & in rebus agendis induſtria ſingulari: bona fide obſides, vt pacis ſequeſtres patriæ eſſent, ſeſe obtuliſſe, ab humanitate Chriſtiana alienum eſſe homineis innocenteis alieni peccati luere pœnas, in liberis ciuitatibus pleraque per factioſos homines ſæpenumero agi, virorum prudentium conſilia pro nihilo duci: Deum Opt. Max. mitibus, æquiſque principibus fauere, ab illis ſtare, illorum cauſam ſacroſanctam ſimul, ac piam tuendam ſuſcipere, contrà peruicaceis, ſanguinarios, immanes auerſari. Dimittendos igitur cum bona venia obſides, vt à Burgundis ſtet victoriarum moderator, & author Deus, qui benefactis ſemper maiora ſua rependit: admonendos tamen interim, vt vel populares ſuos ad ſanam mentem reducant, fœderíſque recentis obſeruationem, vel, ſi id non poſſint, ſaltem humanitatis, quam in Burgundione experti ſunt, memores, aduerſus illum, ſuúmque Pontificem, qui in Burgundionis comitatu erat, in acie ne ſtent, pœna capitis, ſi qui armati caperentur, indicta.

8 Dimiſſi obſides ſe pacis continuandæ, quoad poſſent, authores futuros, nec aduerſus Burgundionem arma laturos promiſerunt. Huio oppido, vbi obſeſſum ſuum Pontificem tenuerant, ſe facilè potituros, atque eius permutatione ſuos obſides recepturos Eburones ſperauerant, at Pontifex clam ſe proripuit: obſides in cuſtodia apud Burgundionem remanſerunt, atque in ſummum vitæ diſcrimen adducti ſunt. Sic inani ſpe ducti Eburones, importunóque bello Burgundionis potentiam contra fœdus laceſſentes res ſuas funditus euerterunt. Igitur Louanio digreſſus Burgundio Centrones petit, oppugnationem parat, machinas bellicas admouet; vrbi tria peditum millia præſidio futura Eburones miſerant, & ſe ad excipiendum Burgundionem, ſocióſque tuendos interim comparabant. Tertio oppugnationis die coactis copiis (in quibus triginta peditum millia, quingenti equites, ac magna tormentorum bellicorum vis fuiſſe traditur) ad Bretanum vicum Centronibus propinquum caſtra poſuerunt. Aderat vnà Franciſcus Roërius Regis Ludouici legatus, & ſatis promptis animos tamen addebat. Admirationi fuit tantam in exercitu Burgundionis fuiſſe ſocordiam, vt nihil de hoſtium aduentu, niſi ex pabulatorum fuga reſciuerit: idcircóque vicum munitiſſimum à ſuis caſtris vix milliari diſtantem iiſdem in caſtra permiſerit, is paludibus magna ex parte, foſſa autem lata, & profunda vndique ſeptus, nullum equiti, pediti perdifficilem aditum dabat. Sed priorem negligentiam noua diligentia

Centronum vrbs à Burgundione obſidetur.

diligentia cumulatè Burgundio compenſauit;collocatis enim, qui vrbis oppugnationi inſtarent, in quibus ſexcenti circiter Angli primas ferebant, cætera ſtatim agmina ſuis ordinibus incedentia latiſſimis campis explicauit, ſexcentos equites cataphractos à dextra, totidem à ſiniſtra ad vicum collocauit, ipſe intermedius aliquanto remotior conſtitit: hos hippotoxotæ, peditéſque ſecundo agmini, cui is præerat, attributi circumſiſtebant. tum Rauaſtænium primi agminis ductorem progredi iubet. Hic cataphracti equites,hippotoxotæque relictis equis vnà cum peditibus mixti, ac ſecum bellicas aliquot machinas trahentes ad vici foſſas vſque peruadunt;diſploſiſque ſæpius tormentis,ſagittiſque denſiſſimè emiſſis hoſteis pedem referre cogunt, ac ſuperata foſſa tormentis hoſtium potiti victoriam eatenus, donec ſagittæ deficerent, perſequuntur. Eburones à ſagittis ſecuri animis confirmatis in Burgundos iam ſolis gladiis pugnanteis ipſi longiſſimis haſtis procul vrgentes irruunt, eodémque momento quingentos propemodum cædunt. Nutabant vexilla, fiebat maxima cædes, réſque in ſummum diſcrimen venerat, quum Philippum Crepecordium hippotoxotarum ſui agminis ductorem Burgundio ſummiſit. Hi quemadmodum & priores relictis equis vnà cum peditibus pugnantes, & magno impetu inuecti Eburones deintegro in fugam præcipites agunt, atque ingentem cædem faciunt. Iam nox appetebat, & equites propter itinerum difficultates fugienteis perſequi prohibebantur: tamen mille & ducenti illi,quos ad duo vici cornua collocatos ſcripſimus,longius aliquanto deuio propter paludes fluuiúmque interfluentem, itinere progreſſi nonnullos, ſed paucos illos quidem vel occiderunt vel captiuos abduxerunt. Obſcura nocte ipſe Burgundio, ac cæteri ad caſtra Centronica rediere: cæſa Eburonum nouem millia traduntur.

Hoc prælio in primis enituit Contæi illius, cuius ſæpe mentionem fecimus, induſtria, 9
is gnauam in acie inſtruenda operam,atque omne boni,fortiſque ducis officium præſtitit: cui quidem id duntaxat vitio verterunt,quòd immanem in trecentos obſides ſententiam paulò antè pronuntiarit,idcircóque intra vertentem annum periiſſe interpretati ſunt. Ter interim Eburones ex vrbe eruperunt, ter oppugnantium virtute in vrbem compulſi ſunt; ſuos vero à Burgundis cædi,atque in fugam verti conſpicati animum deſponderunt,quòd Eburonicas copias prope vniuerſas occidione occidiſſe exiſtimarent. Itaque paucis pòſt diebus ſeſe Bungundioni dedentes decem ex ſuis, quos ille optaret, eius arbitrio permiſerunt: in his quinque, aut ſex ex obſidibus deprehenſi vnà cum cæteris capite pœnas dederunt. Inde ad Tongros progreſſus Burgundio deditione itidem facta decem ex primariis ciuibus ſuo arbitrio permiſſos in quibus etiam ex obſidibus quinque aut ſex fuerunt, ſecuri percutit. Supererat Eburonum metropolis, ad quam adire Burgundio properabat: vix ſperanda expugnatio,niſi omnia tentanda in animum induxiſſet; at in vrbe magna diſſenſio erat. Bazius Lætrius homo militaris, ac plerique alij pro patria acriter propugnandum ſuadebant (ingens enim huc ex agris multitudo conuenerat) vrbs præterea ex ſe admodum populoſa nihil iacturæ recenti prælio factæ præ ſe ferebat, plurimo abundabat commeatu, machinarum bellicarum, ac tormentarij pulueris, glandiúmque, & pilarum copia exuberabat: tum ſæua imminebat hyems, & denſiſſimi, continuique imbres pingue ſolum ita emolliuerant, ita vias omneis carri, iumentáque perruperant, vt neque miles ingredi, neque plerumque conſiſtere, neque biduum oppugnationi operam dare poſſet: Burgundos enim commeatus,ſtipendiúmque pene defecerat. Alij vrbeis aliquot iam captas cernentes,præterea agros vaſtari,vicos incendi, hoſtilem exercitum portis admoueri, pacem quauis conditione optabant: huic factioni obſidum nuper à Burgundione emiſſorum ſeſe bona pars adiunxerat, qui populares ſuos monendo; quid ſuperioribus bellis accidiſſet docendo, quid immineret prædicendo,rem Burgundicam mirandum in modum promouebant. Horum ſuaſu ex primariis ciuibus trecenti nudis pedibus capite aperto ingredientes vrbis claues ad Burgundionem detulerunt, ſed nondum tamen ſeditio domi conquieuerat. Deditionem interim obturbabat cum ſuis Lætrius, & ad arma ciues vndique vocabat: contraria factio, obſidéſque ab armis reuocabant, & incendia, bonorúmque direptionem deprecati, cætera Burgundioni permittebant, nunc hi, nunc illi vincebant. Bis nocte ſubſequente armati ad portas conuenerant, vt rebus quaſi deſperatis Burgundos ex improuiſo totis viribus irruentes ingenti cæde mactarent: bis altera factione contranitente reuocati rem ad conſultationem vocarant. tandem maior pars obſidibus aſſenſa ad Burgundionem inclinauit. Acceſſit Himbercurtij viri prudentis ſingularis induſtria, qui à Burgundione cum ducentis equitibus præmiſſus ad monaſterium vrbi propinquum conſederat,& ſex ex obſidibus ſecum habebat.Is ad primum populi

Eburonum metropolis oppugnatio incerta, & cur.

Himbercurtij induſtria meritò prædicanda.

Digitized by Google

populi tumultum prima nocte excitatum duos ex his cum mandatis in vrbem miſit, qui popularium animos haudquaquam cohibere potuerunt. Itaque altero tumultu efferueſcente quatuor reliquos cum nouis mandatis ſummiſit: addebat ſe, qui rem Eburonicam nomine Burgundionis paulò antè ſumma æquitate adminiſtrauerat, & cum pleriſque eorum magnis neceſſitudinibus coniunctus erat, non petere ab ipſis, neque contendere, niſi quæ ex eorum Rep. eſſe animaduerteret; ſi optata pace frui, atque agrum Eburonenſem à vaſtitate vendicare vellent, capita, quæ libello deſcripta ad illos miſerat, rata haberent, & Burgundionem cuius vires, potentiámque magno ſuo malo antea experti eſſent, in vrbem tanquam patronum intromitterent. Obſidibus in vrbem admiſſis alij minabantur, alij audiendos, vt in turba, clamabant, mox in atrium Pontificium de more conuenientes in multam noctem de ſumma re ſumma altercatione conſultarunt.

10 Vicit tandem ea factio, quæ recipiendum in vrbem Burgundionem ſuaſerat: tametſi nullo negotio vrbs populoſiſſima, munitiſſimáque defendi, nec vllo modo vrgente hyeme obſideri poterat; ſic multitudinis incerta iudicia rarò vtiliora conſilia admittunt, deteriora potius ſequuntur. hinc ſtatim Lætrius antelucana fuga ſalutem ſibi, ſuiſque quæſiuit. Poſtero die manè ad Himbercurtium conueniunt obſides; orant, vt ſe ab incendiis, & bonorum direptione ſecuros reddat, & iureiurando ſanciat. Re ad Burgundionem delata, mandatóque accepto Himbercurtius vrbem ingreſſus Eburonum poſtulata ſacramento ſanctiore confirmat, atque iiſdem cedentibus quatuor vrbis portis præſidia imponit, vexilláque Burgundica affigit. Ita vrbe potitus Himbercurtius magnam gloriam conſequutus, & ampliſſimum ſuæ prudentiæ atque erga trecentos obſides humanitatis fructum tuliſſe mihi videtur: nam ſi vel in biduum dilata deditio fuiſſet, re infecta Burgundio ſumma cum ignominia diſceſſiſſet; tam paruis momentis ſummæ res tam diuerſos plerumque exitus ſortiri ſolent! Poſtridie eius diei, quo portæ Himbercurtio deditæ fuerunt, non portis, ſed muri parte diruta, foſſaque humo oppleta, triumphali pompa vrbem eques ingreſſus Burgundio magno Eburonibus terrori fuit. Hunc domeſticorum viri primarij, totiúſque adeo exercitus principes à fronte, à tergo, à lateribus cingebant. Aderant & bis mille cataphracti equites armis vndique ſuccincti, totidémque hippotoxotæ, ſed & hi, & illi pedites incedebant: cæteri non longè ab vrbe in caſtris remanſerant. Ibi aliquot dies commoratus ſex ex obſidibus, qui neglecto iureiurando arma aduerſus illum ſumpſerant, morte mulctauit: Eburonibus ob violata toties fœdera ingentem pecuniam indixit, vniuerſas vrbis turres, muróſque diruendos, & ſolo æquandos curauit, ac tum demum ſe in Flandriam recepit. At quantam non victoris virtute, ſed ſtolidæ plebis ſeditione parta victoria mutationem inuexit? qui modo per legatos Burgundioni minabatur Ludouicus, & ſe fœderatis Eburonibus ſuppetias laturum iactitabat, idem colloquium flagitat ac fœdus renouari cupit. Flandriæ vrbes rebellionis conſciæ, atque in primis Gandauenſes veniam petunt; priuilegiáque, ac ſeptuaginta duo vexilla, quæ totidem ordinum artifices Gandaui geſtare conſueuerant, Bruxellas pedites deferunt, atque ad victoris pedes abiiciunt: ea per tumultum Carolo Gandaui agente, & neceſſariò conniuente poſt Philippi mortem paulò antè extorſerant, quòd Philippus poſt Gantenſem victoriam artificum vexilla Gandauenſibus abſtulerat, & Bononiam deferenda curauerat, priuilegiáque nonnulla induxerat. Illuc quoque deportata ad ſe vexilla deferri Carolus iubet, priuilegiúmque de viginti ſex viris aufert: cæteris enim Flandriæ vrbibus magiſtratus qui iuri dicundo præſint vrbiúmque curam gerant, quotannis regulus creat. Soli Gandauenſes XXII. creant, regulus quatuor reliquos addit: aliæ vrbes quæ Gandauenſium exemplum ſequutæ rebellauerant antiqua priuilegia ingenti pecunia redemerunt.

Multitudinis incerta iudicia rarò vtiliora conſilia admittunt.

Gandauenſium ſubmiſſio cæteris vrbibus vicinis terrorem affert.

11 Bruxellis mox Gandauum conceſſit Burgundio, & rebellem vrbem armato comitatu ingreſſus magnificè exceptus eſt. Illi obuiam omnium ordinum ciues prodierunt; & vt quos vellet vrbe pelleret, aut retineret, poteſtatem fecerunt. Huc ad illum legatos Ludouicus, ac Britannus: hinc ad Ludouicum, Britannúmque viciſſim ille miſit, & totam hyemem mittendis, audiendiſque legationibus conſumpſerunt. Burgundionem à Britanni ſocietate diuellere tentabat Ludouicus: id ſedulò ille recuſabat, idcirco graueis ſed clandeſtinas erga Burgundionem inimicitias Ludouicus concoquebat, vel quòd hoſtem Britannum vel quod Eburonum fœderatorum iniurias vlciſci nequiret: nec ſe æſtatis initio continere potuit, quin copias in Britannum mitteret: illæ arceis firmas Cantoſſam Anceniúmque ceperunt. Certior horum per Normanum, Britannúmque factus Burgundio à Rege Ludouico, vt copias reuocaret, quòd Britanno recenti fœdere cautum eſſet, poſtulauit.

Digitized by Google

poſtulauit. Ipſe interim ſuas magna diligentia ad Peronam coëgit: commorantem ibi aliquot dies nomine Ludouici, qui tum Compendij agebat, conuenit Ballua Cardinalis; & Normanum, Britannúmque ſibi priuatim fortaſſe conſulturos prædicauit: proinde videret, quid ſibi cum Rege agendum putaret. Burgundio ſe non vt Regi bellum inferret, ſed vt fœderatis opem ferret, arma ſumpſiſſe teſtatus eſt, necdum quicquam hoſtile promebatur. Dimiſſo Ballua à Normano, Britannóque litteræ ad Burgundionem deferuntur, ſibi prorſus cum Rege conueniſſe; cæteris, atque illi in primis ſocietatem renuntiaſſe: huc enim progredi pactis conuentis cum Rege ſe coactum Carolus Regis frater fatebatur; præterea inuitum Normania ceſſiſſe, eius loco tricena quina nummûm aureorum in ſingulos annos millia accepiſſe. Hoc nuntio vehementer perturbatum Burgundionem, quòd nulla alia de cauſa, niſi vt illis ſuppetias ferret, magnum exercitum comparaſſet, aggreditur Ludouicus, & vt fratri, Britannóque ſocietatem viciſſim renuntiet, enixè contendit: centum & viginti nummûm aureorum millia in ſtipendium Burgundici exercitus offert, quorum ſexaginta ſtatim repræſentaret, totidem ad præſcriptum diem ſoluenda promiſit. Et quòd hæc clàm, paucíſque conſciis geri vterque cupiebat Ioannem Vobriſſetum cubicularium ſibi in primis charum ad Ludouicum miſit Burgundio, qui res toties agitatas ad exitum perduceret. fuit id Ludouico, qui humilioris conditionis hominibus mirandum in modum delectabatur, gratiſſimum, ſéque iam voti compotem fore ratus per Balluam Cardinalem, ad Tanneguium Caſtellum, interim dum per inducias liceret, à Burgundione colloquium petit.

Tánegují Caſtelli laudãda conſtantia.

12 Hic Tanneguius Caſtellus non ita dudum (vt ſcripſimus) ſummus Britannici palatij magiſter, vir integritate vitæ clarus Britannum, quòd ſpreta vxore Scoti Regis filia Antoniam Malezeam Villequierij vxorem palàm circumduceret, & in deliciis haberet, ſæpius increpans, Deum Optimum Max acrem adulteriorum, ſtuprorúmque vltorem idcirco maſcula prole Regulum priuare, atque inde magnam Britanniæ ruinam imminere aiebat. Iuuenis forma præſtans, atque integra ætate (triceſimum enim circiter annum agebat) amore ardens bene monentem non audiebat, immo potius auerſabatur, Tanneguius heri indignationi cedens ſe domum recepit. Ad hunc Landoium quæſtorem Britannicum Britanno intimum mittit Malezea: ſi à probris, & moleſtis increpationibus abſtineat, ſibíque concilietur, eundem ſe Britanno quoque reconciliaturam pollicetur. Aſpernatur mulierem vir conſtans; tametſi autem alioqui tolerabilis viros probos, forteis, atque induſtrios in magna Britanni gratia ponebat; nec vltionis cupida, (vt ferè ſunt eiuſmodi mulieres) nec conſiderata erat: tamen ab illa magnum aliquod malum metuebat. Intellexit id Ludouicus, qui quicquid apud vicinos principes ageretur, per ſibi addictos coryceos nouerat. Hominem amplis præmiis, vt ad ſe properaret, inuitauit, & Ruſcinonenſis Comitatus adminiſtratione, aliíſque amplis muneribus donatum inter intimos ſemper habuit. Peronæ agebat Burgundio, & quòd Eburones renouandi belli legatis Ludouici inſtigantibus occaſiones quærebant, à colloquio ſatis abhorrebat. Reſpondet Ballua Eburones tot prælus fractos pace inter Regem, & Burgundionem conſtituta haud quicquam auſuros, perficitque vt litteras ad Regem ſua manu perſcribat quibus liberam illi ad ſe adeundi, redeundíque poteſtatem faceret: tum Nouiodunum cum Caſtello Ballua ad Ludouicum redit. Rebus ita conſtitutis Peronam Ludouicus raro comitatu proficiſcitur, nullos ſecum Regios ſtipatores, nec ita multos ex aulicis domeſticíſque ſecum ducit, Crepecordium cum his, quibus præerat, ſtipatoribus à Burgundione poſtulat, ab his deduci publica fide maluit. Proficiſcentem nihilominus Ioannes Boiorum Regulus, ac Carolus eius frater Cardinalis, Luceburgenſis equitum magiſter (tametſi à Burgundione abalienatus ab hoc quoque colloquio abhorrebat) Ballua Cardinalis, Tanneguius Caſtellus, ac nonnulli alij comitati ſunt. Appropinquantem vrbi obuiam progreſſus Burgundio honorificè excepit: ſed tanti principes, qui multis ſe bellis laceſſiuerant, & iamdudum mutuo inter ſe odio flagrabant, reconciliari haud facilè poterant: quin potius, vt timida, ſuſpicioſaque ſemper ambitio eſt, multa in peiorem partem interpretabantur, omnia ſuſpecta habebant. Multos etiam vtrimque quaſi imminentis belli adminiſtros huc atque illuc ad varia obeunda munera delegarant, quos nondum, quòd colloquium præcipitatum fuiſſet, nec reuocauerant, nec mutatæ ſententiæ certiores fecerant. At illi mandata interim diligenter obeuntes magnis rerum mutationibus imprudentes occaſionem dederunt.

Ruſcinonenſi Comitatu à Rege Ludouico donatur.

13 Burgundicas copias arceſſiuerat Carolus Burgundio, quæ iam multum progreſſæ Perona non longè aberant: in his Sabaudicæ familiæ Breſſanus Comes, Pontifex Geneuenſis

uenſis

Digitized by Google

uenſis,Comes Romonenſis Allobrogum reguli fratris eminebant. Philippum Sabaudum Breſſanum quaſi cædis reum diu in cuſtodia habuerat Ludouicus quod viros nobiles ****** apud Allobroges eius opera cæſos diceret. Aderant & Antonius Caſtellonouanus(Laum etiam ab eiuſdē nominis fundo appellabant)Poncetus Riparius, Vrſeus Galli Ludouico infeſtiſſimi,à Burgundione petiit Breſſanus,vt tres Galli nuper commemorati,qui illi ſacramentum dicturi ad caſtra Burgundica acceſſerant,publica fide exciperētur, neque illis Ludouici pręſentia fraudi eſſet.Burgūdicis copiis præerat Galterus Burgundiæ Mareſchallus non minus,atque illi Ludouico infenſus, quòd Spinale oppidum ſibi nuper ademptum Ioanni Calabro Lotharingi reguli filio Ludouicus condonarat.Horū aduentu Rex perturbatus, vt ab vrbe in arcem diuerteret, à Burgundione petiit, atque impetrauit. Contra,quod magnam perturbationem inuexit,legatos ad Eburones miſerat Ludouicus, qui homines erga Burgundionem malè animatos ad defectionem prouocarent.Hi mandata diligenter exequuti,vt Eburones comparato clam exercitu Tongros vrbem propinquam interciperent, perfecerant, eam Pontifex Borbonius, atque Himbercurtius à Burgundione miſſi peditum bis mille præſidio obtinebant. Captiui Pontifex,atque Himbercurtius,paucíque alij abducuntur quorum tum nonnullos alios inter redeundum ſedecim fortaſſe ex intimis, domeſticíſque Pontificis Eburones crudeliter occidunt, cæteri libera fuga euadunt. Præſidiarij milites, qui primi inde aufugerant, & Pontificis aliquot familiares miſerè iugulatos, alios in parteis immaniter diſſectos viderant, idem aliis accidiſſe rati Pontificem, Himbercurtium, bonam præſidiariorum militum partem cæſam retulerunt: legatos Regios,quos etiam nominabant, huic immanitati affuiſſe addiderunt. His fide adhibita, quod eius cædis legatos Regios authores crederet, vix ſui compos mirandum in modum exarſit Burgundio: Regem proditionis inſimulat, pacem palam oſtentare, clàm graue bellum interim moliri clamitat. Pacis igitur omittendam mentionem, conſilium pro re nata capeſſendum, portas vrbis claudi iubet, præſidia vbique, & in vrbe, & in arce collocat, noctu vigilias diſponit, ſcrinium gemmis, auróque refertum amiſſum, cauſatur: rumore perlato Rex anxius, nec iam ſui iuris ſupra, quam dici poteſt, cruciatur.

Eburonũ Epiſcopus cũ Himbercurtio captiuus abducitur.

14 In conſpectu erat turris, in quam Carolum cognomento Simplicem Heribertus Veromanduus concluſerat; & biennium donec is fato functus eſſet,captiuum aſſeruarat: hæc regem quaſi ſui fati admonere videbatur, atque eius animum infauſto omine, horrendáque recordatione grauiter percellebat. Totum biduum, & nonnihil amplius de illo deliberatum: alij in cuſtodia habendum diſertè pronuntiarunt, alij Carolum Regis fratrem arceſſendum, & quandoquidem nullum hactenus fœdus ratum fuiſſet, certum, inuiolabile,ſacroſanctum, ex omnium principum ſententia, & commodo feriendum. Hi Regem ſemel in cuſtodia habitum tanta iniuria accepta nunquam dimitti poſſe exiſtimabant, & à ſuperioribus aut nihil, aut parum diſſentiebant: alij fidem publicam Regi præſertim à pace non alieno, & capita, quæ libello deſcripta erant, rata habenti ſeruandam iudicarunt. In hanc ſententiam itum, cuius authorem Antonium Burgundum nothum hiſtorici nonnulli prodiderunt. Priore die omnia turbulenta, omnia & in arce, & in vrbe apud Regem, & apud Burgundionem trepidationis, horroris, iracundiæ plena: cognatum Eburonenſem Pontificem, Himbercurtium,milites cæſos(ſic enim putabat)quaſi furiis agitatus querebatur Burgundio,& indignum facinus grauiter vleiſci cupiebat. Rex de ſuo capite agi non ignarus quindecim nummûm aureorum millibus à domeſticis ſuis corrogatis, quod pecuniam non magnam ſecum aduexerat, & iis qui multum apud Burgundionem authoritate poterant,diuiſis,omnium pertentabat animos,quos à ſe non alienos exiſtimabat: multa largiebatur, longè plura promittebat; omnium, quaſi de ſalute deſperans, opem implorabat: quis enim hominis callidi, acríſque ſenſus alius eſſe potuit, quum ſe apud hominem inimiciſſimum, quaſi ad ſupplicium raptum videret? Altero die etſi multa refrixerant,& pacatiora omnia videbantur, réſque ſæpius in conſultationem vocabatur,tamen tam prope abfuit,vt Rex captiuus detineretur,vt tabellarius ſemel propemodum dimiſſus ſit, qui Carolum Regis fratrem è Britannia euocaret, ſed idem mox reuocatus eſt.

Rex ad turris conſpectũ infauſto omine percullus,& cur.

15 Sub diem tertium res tandem eo delata eſt, vt ſi pacem Rex iureiurando confirmaret, & in Eburones ſecum arma ferret, Burgundio ſibi ſatisfactum putaret. Id Regi Philippus Cominæus, qui tum Burgundioni à cubiculo erat, indicauit, orauitque, vt vtrumque caput aſſentiretur, alioqui ſe in extremum diſcrimen adductum eſſe ſciret. Pace iureiurando ſancita Rex ſe aduerſus Eburones arma ſumpturum profeſſus eſt, & Cominæi

Digitized

Cominæus ſemel ad Regis obſequiis traductus honorificè apud eundem habetur.

fideli opera vſus eundem mox ad ſe pertraxit, ac magnis diuitiis auctum ſummo apud ſe ſemper in honore habuit. Hinc quanta ex præcipitatis conſiliis diſcrimina accidant, quam ſæpe peruerſæ machinationes in ipſos authores recidant, videre eſt. Colloquium hoc Ludouicus non beneuolentia erga Burgundionem, cui ſemper infeſtus fuit, ſed pertinaci aduerſus fratrem, Britannúmque odio, atque vltionis cupiditate inductus poſtularat: at quam parum abfuit, vt illi de Ludouico, quam optaſſent, aut maiorem fortaſſe, quam optaſſent, vltionem ſumerent; & regno, ſi ita viſum fuiſſet, exturbarent? Eburones Ludouicus ad rebellionem incitarat, & vt à Burgundione deficerent, perfecerat: idem nunc fide violata cum Burgundione aduerſus fœderatos Eburones arma ſumit, & hoſtilem exercitum, hoc eſt, Burgundionis, quaſi captiuus aſſectatur: quæ maior vltio excogitari, aut quæ inſignior Regi potenti, atque acri ignominia inuri potuit?

Anno 1468.

Igitur ineunte Octobri anno eius ſæculi ſexageſimo octauo Ludouicus, ac Carolus Burgundio Perona Somarobrinam, inde in agrum Eburonenſem profecti. Quum Metropoli vrbi appropinquarent, nonnulli copiarum partem domum remittendam cenſuerunt; quod turres, murique ſuperiore anno diruti fuiſſent, nec Eburonibus vlla auxiliorum ſpes Rege hoſte ſupereſſet (ea eſt quorumdam vanitas, vt fortitudinis inanem ſpeciem aucupantes multa fortunæ temerè committant, aut hoſtium contemptu magnam plerumque ſibi perniciem afferant:) ſed Regis ſuſpecta fides, vt Burgundio in contrariam ſententiam iret effecit, quod illi, Regíque fœliciſſime ceſſit: vix enim vllum antea maius vterque vitæ diſcrimen ſubiit, & propemodum iuſtas alter perfidiæ, alter crudelitatis pœnas dedit. Antecedebant Burgundicæ copiæ duce Galtero Mareſchallo, cæteras ducebat Burgundio: Rex trecentos cataphractos equites cum attributis hippotoxotis ſtipatores Scotos centum, ac domeſticam nobilitatem ſecum habebat. Eburonum legati Namurium vſque vt de pace agerent venientibus obuiam prodierunt: ſed nihil apud iratum Burgundionem ſupplicum preces, nihil demiſſa oratio, lacrimæque profuerunt, & quintus hic erat annus, quo ipſe cum exercitu quotannis ad Eburones acceſſerat: illi quater fœderibus deinceps ruptis, iureiurandóque violato rebellarant, bellúmque renouarant. Aduentantes Burgundos aggreſſi Eburones facile repelluntur, plerique cæduntur, cæteri in vrbem pauidi reuertuntur.

Interim elapſum Borbonium Pontificem ſcribit Cominæus, Paulus Æmilius fide ciuibus data ſe, ſi nihil impetraret, in vrbem rediturum ad Burgundionem acceſſiſſe, ac retentum fuiſſe tradit; quam ſententiam, qui ad Monſtrelletum Gallum hiſtoricum additiones ediderunt, ſequuntur. Profugit ex vrbe & legatus Romanus Onofrius Tricaricenſium Pontifex, qui vti Eburones ſuo Pontifici conciliaret miſſus (ſic enim præ ſe ferebat) longè aliam legationem obibat, opulentúmque Pontificatum aucupans, vt germanum verúmque Pontificem interuerteret, ſeditiones auxerat, & ſtolidum populum, vt armis aduerſus Burgundionem decertaret, induxerat. Hic in fuga à primi agminis præcurſoribus comprehenſus lite inter eos oborta, & ad Burgundionem delata, ob Romanæ Sedis Majeſtatem honorificè habitus, ac dimiſſus eſt: tametſi vt hominem ſimulatorem, & legatione ſua turpiter abuſum ſpoliarent, Burgundio initio permiſerat. Properabat prima acies ducibus Galtero Mareſchallo, atque Himbercurtio, qui abſque cruore, ac vulnere vrbe ſe potituros ſperabant, aut facilem expugnationem rati, & opulentam vrbem ſpoliare cupientes, Regem, Burgundionémque, qui longo interuallo ſequebantur, expectandos non putabant: hinc æquas ab Eburonibus oblatas conditiones repudiarunt, & inconſultò ſub noctem ad ſuburbia appulerunt. Vehementes, continuíque fundebãtur imbres, ſolum madidum, & vbique perruptũ equos, peditéſque quaſi abſorbebat, locus metandis caſtris ſatis amplus non erat; &, vt in tanta properatione vſuuenit, neque, qui caſtrametarentur, maturè acceſſerant. Nocte obſcura oppreſſi, alij relictis equis ad vrbis portam, quæ recens munita erat, ſtabant: alij deambulabant, alij quo diuerſorium aliquod, aut tectum antecaperent, huc, atque illuc errabant: alij dominos, alij centuriones, alij alarum præfectos inclamabant; & in tantis, támque variis acclamationibus vix quicquam exaudiebatur. Quam occaſionem nactus Ioannes Villetanus, qui Eburonibus præerat, tanta Burgundorum animaduerſa perturbatione ſuos ad arma vocat: vt partim, qua muri maximè diruti erant, partim portis egrediantur, hoſteiſque aggrediantur, monet, qui per vrbis ruinas diſpalatos, diſiectóſque Burgundos inuaſerunt, magnam cædem ediderunt (octingentos tum cæſos fuiſſe tradunt) in fugam pleroſque verterunt; & niſi, qui ad portam ſtabant cataphracti equites, egredienteis Eburones fortiter excepiſſent,

Eburones Burgundos incautos diſpalatóſque aggreſſi fundunt.

16

& tormen

Digitized by Google

& tormentis in maiorem vicum directis, ſæpiúſque exoneratis inſignem ſtragem feciſſent, de prima acie nimirum actum erat, omnéſque vel cæſi, vel in turpem fugam compulſi iuſtas ſuæ temeritatis pœnas dediſſent.

17 Nocturno prælio à media fere nocte in primam lucem continuato, & vt ſeſe mutuo in acie ſtanteis Burgundi, Eburonéſque viderunt, acrius inſtaurato, vulneratus Villetanus (quo vulnere altero poſt die fato functus eſt) aliíque aliquot Eburonum duces Burgundis loco ceſſerunt, & ſe in vrbem receperunt. Varij inde ad Burgundionem venere nuntij, qui decem fere milliaribus ſeparata caſtra habebat: alij primam aciem magna ex parte conciſam, fugatámque retulerunt, alij vt res erat, cæſos quidem octingentos, plures vulneratos, Burgundos tamen adhuc in armis eſſe, & hoſtes in vrbem fugientes compegiſſe: ſed labore fatigatos, quod tota nocte, vel præliando, vel deambulando ſub dio in profundo luto titubantia genua trahentes hæſiſſent, animis deficere, magna etiam commeatus inopia laborare (totum enim biduum vix quicquam hauſerant) nam quod vrbem, neque muris, neque foſſa munitam ſe facile inuaſuros ſperauerant, aut nihil ſecum, aut pauca alimenta comportarant: quam ob rem accelerarет, vt & feſſis recentes milites ſummittere, & prope deficientes cibo recreare, & vrbem maioribus vndique viribus oppugnando hoſtium excurſiones prohibere poſſet. Vbi ſub noctem appropinquauit, caſtris ad alterum ſuburbium poſitis curata diligenter omnia fuerunt: Rex ad amplam, laxéque ædificatam villam non longè inde diſtantem diuertit. Eburonum Metropolis admodum populoſa inæquali in ſolo, ſed fertili ſita, multis iugis vallibúſque interſtincta Moſa flumine diuiditur, à porta, ad quam prima acies conſiſtebat, ad Burgundionis caſtra, ſi recta linea intra vrbem dirigendo metitus eſſes, paucum interuallum erat: ſi extra vrbem circumeundo iter flexiſſes, ſex milliaria, aut etiam amplius intererant, vt aliis alij in tempore auxilio eſſe haud facilè poſſent. Muri prorſus diruti, humiles aggeres murorum vice erant, foſſam loci natura in duris, aſperíſque rupibus magna ex parte ſiti, non admittebat. *Eburonum Metropolis ſiue Leodii deſcribitur.*

18 Copiis ita extra vrbem diuiſis, & qui pro vrbe propugnabant diuiſi quoque ipſi (alioqui nullis muris obiectis liberum hoſtibus aditum reliquiſſent) & ad excurſiones faciendas non ita parati erant, tamen egreſſi noctu in Burgundionis caſtris magnum tumultum excitarunt. Proceſſit ille in vicum, eodem mox & Rex Ludouicus, & equitum magiſter Luceburgenſis acceſſerunt, ille paulo conturbatior; Ludouicus animo præſenti, vt Regem decebat, equitum magiſtro, cæteríſque ducibus, quem quiſque locum tenerent, aut quo progrederentur, præcipit; re interim ſedata, ſe ad ſuos Eburones receperũt. Poſtridie mane Ludouicus ad ſuburbium non longè à Burgundione diuertit, & periculorum non ſolum ſpectator, ſed & particeps eſſe voluit. Illi aderant Scoti centum ſtipatores, cataphracti equites non procul inde in vicis proximis remanſerant. Suſpicax ſemper ambitio, ne Rex vel in vrbem effugeret, vel clam profugeret, vel ſiniſtri aliquid machinaretur, Burgundio pertimeſcebat; idcircóque trecentos cataphractos equites, qui inter vtrumque diuerſorium excubias agerent, deſignauit. Totos octo dies, & Rex, & Burgundio, & qui in eo exercitu militabant in armis fuerunt, in octauum, qui idem Octobris vltimus fuit, oppugnatio dilata: ideóque nocte, quæ diem illum anteceſſit, fere omnes, præſertim verò Burgundio ipſe, trecentíque illi cataphracti equites, quos veluti ad ſui cuſtodiam delegerat, arma poſuerunt vt commodius conquieſcerent, & poſtridie alacres acrius vrbem inuaderent. In vrbe nulli duces, rara, aut nulla penè erat nobilitas, triduo enim antè fere viri nobiles, aliíque maioribus militiæ muneribus functi aut cæſi fuerant, aut certè vulnerati: nullus externus miles, pauci è populo militiæ aſſueti ſexcentis exceptis, quos è vicino monte (Francemontium vulgo appellant) euocarant, tamen vt in rebus deſperatis dignum memoria facinus aggreſſi parum abfuit quin & Regem, & Burgundionẽ vel occiderint, vel captiuos abduxerint: tantula occaſione nonnunquã ſummi duces, potentiſſimíque Reges in extremũ diſcrimen adducuntur. Ab vrbe ad Regis, Burgundioníſque diuerſoria caua protendebatur rupes, in hanc per murorum ruinas ſexcenti illi Francemontani euaſerunt, & ducibus Regis, atque Burgũdionis hoſpitibus ſilentio prætereuntes Burgundis ſpeculatoribus vel cæſis, vel comprehenſis in oppugnando Alenconij reguli, Craníque hoſpitio paululum ſubſtiterunt: inde trecentos cataphractos equites, qui pro Burgundionis diuerſorio excubabant aggreſſi altera mora ſuum ſtratagema corruperunt, nec quod animo intenderant, aſſequi potuerunt: cætera multitudo mox porta egreſſa Burgundionis caſtra alia ex parte inuaſit, tumultúmque ingentem concitauit. At cataphracti equites ad Alenconij hoſpitium clamore audito nonnulli ad capienda arma properarunt, *Militũ Frãcemontanorum inſigne ſtratagema.*

Digitized by Google

ſeque primi Francemontanis obiecerunt: cæteri interim ſe ad pugnam compararunt, vix Burgundio ipſe quum grauis in ipſum quoque pugna incumberet, loricæ, galeæque capiundæ tempus habuit, & de Rege anxius ſociúmne, an hoſtem haberet, in ſumma rerum difficultate fuit. Circa Regem non minor pugna erat, illuc enim Francemontanos quoque Regis hoſpes deduxerat. Stipatores Scoti ſagittis denſiſſimè emiſſis Francemontanos egregiè repellebant, & forti animo pro Rege propugnabant; quòd ſi rectà ad ipſa Regis, atque Burgundionis diuerſoria Francemontani acceſſiſſent, nec ſemel atque iterum inter eundum ſubſtitiſſent, vtroque nimirum vel captiuo vel cæſo potiti fuiſſent, & cæterum exercitum mirandum in modum conturbaſſent, ita multis ex hoſtibus cæſis non paucis ex ſuis amiſſis in vrbem redierunt.

Vrbs à Burgundis occupatur & quomodo.

Poſtridie feſſi Eburones (nam quod muri complanati erant vniuerſi quotidie ad murorum ruinas excubabant) & quod feſtum diem (Dominicū Chriſtiani appellamus) Burgundis pariter, ſibíque ſacroſanctum fore, nec mutuis cædibus pollutum iri ſperabāt, paucos in ſpeculis reliquerunt, ipſi ad prandia domū quiſque ſeceſſerunt. Interim vrbem nec muris, nec propugnatoribus defenſam Burgundi liberè ingreſſi ſpoliarunt, paucos occiderunt (nemo enim ex hoſtibus in armis erat, ſed alij in ſacras ædes, alij in Arduennam ſiluam fugiebant, alij ſe domi occultabant) cæteros captiuos abduxerunt. Ibi aliquot diebus exactis Ludouicus promiſſis exolutis in Galliam reuerſus eſt: Burgundio crudeliter victoria vſus, ſiquidem & in ſuos ante crudeliſſimi Eburones fuerant, multos ex captiuis in Moſam fluuium demergi pontem Moſæ impoſitum dirui, vrbem præterea incendi iubet. Quadraginta hominum millia cæſa numerat Munſterus, & mulierum quidem duodecim millia, quas in turbas ſimul religatas, in Moſam præcipitatas refert. Cæſorum numerum ingentem fuiſſe prodit Cominæus, ſed in incerto relinquit. Interim dum vicini Luceburgenſes, ideóque Eburonibus infeſti vrbem mandato Burgundionis incendunt, ædes ſacras, ac Sacerdotum domos, omniúmque, qui ſe diuino cultui dicauerant, intactas relinquunt (ea præpoſtera religio, ſiue ſuperſtitio fuit, vt tantam hominum ſtragem Sacerdotibus, aut quæ ad eos pertinebant, inuiolatis expiatam putaret) ipſe in agro Francemontano octo dies commoratus totam eam regionem vaſtat: domos incendit, molendina ad ferrum excoquendum extructa, ex quibus Francemontani præcipuum quæſtum faciebant, & victum comparabant, prorſus diruit, fugientes in ſiluas perſequitur, illi plures gelu, quam gladio intereunt: tantum enim frigus inhorreſcebat, vt in Burgundionis caſtris vinum ſecuri diuideretur, & viritim diſtribueretur: alij pedes, alij manus, alij aures gelu peruſtas amiſerunt, fame, frigoréque vrgentibus inde caſtra mouere coactus Namurium peruenit, & mox in Brabantiam profectus eſt. 19

Cæſorū multitudo.

Plurima Hollandiæ Zelandiæque oppida à mari abſorpta, quomodo.

Illud memoria dignum, quod dum in Eburones Burgundio omni crudelitate perbacchatur, aggeres continendo mari ad Hollandiam, Zelandiámque extructi vitium conceperunt, quibus perruptis effuſum mare multos mortales, pleraque oppida, vicóſque abſorbuit: vt non tantum detrimenti Eburonibus intulerit, quantum in Hollandia Zelandiáque acceperit. Reuerſus ex Eburonibus Ludouicus, & iniuriarum à Burgundione acceptarum non immemor, quod Letherica pugna ſuperatus, quod Peronæ in cuſtodia habitus, quod aduerſus fœderatos Eburones arma ferre coactus fuiſſet, omnia primum diſſimulauit, cum fratre, & Britanno, vt conueniret, atque eoſdem à Burgundione diſiungeret, plurimum laborauit. Odeto Riano, qui multum apud fratrem poterat, perſuaſit, vt pro Normania Confluentino, pro Bria, & Campania recenti ad Peronam fœdere ſibi condonata, Aquitaniam latiſſimis finibus explicatam, nobiliſſimíſque vrbibus habitatam Carolus frater acciperet, & digno Regia ſobole patrimonio donatus fraterna beneuolentia fratrem Regem complecteretur. Ipſe Carolus tametſi annos tres & viginti natus, tamen nihil ex ſe, omnia potius ex familiarium ſenſu gerebat. Itaque Burgundione inuito, eiúſque legatis, qui tum forte aderant, in primis reclamantibus, in eam ſententiam facile pertractus eſt, fratre dimiſſo ad Britannum per legatos Regiæ ſocietatis nuper inſtitutæ inſigne miſit Ludouicus, vt eundem ſibi conciliaret, & fratrem militarem crearet; repudiauit ille, & vellus aureum ante à Burgundione recepiſſe cauſatus eſt. Iratus Rex, quod hoc amicitiæ vinculo ſibi iungi recuſaret, copias ſuas in Britanniam immittere decreuit, diem tamen præſcripſit ad decimumquartum Kalend. Martias, intra quem Britannus ad Regis mandata reſponderet. 20

Interceptæ ante fuerant Ioannis Balluæ Cardinalis ad Carolum Aquitaniæ regulū, atque ad Burgundionem litteræ, & ad Regem perlatæ; quibus illum, ne Aquitaniam Briæ, Campaniæque, ſibi Peronēſi fœdere collatis anteferret, néve à Burgūdionis amicitia diſcederet: hunc 21

Digitized by Google

hunc vt ſe ad maius, quam vnquam antea, bellum compararet, admonebat: in eius enim perniciem initam Regis, fratriſque reconciliationem: vbi conuenerint, arma in ipſum conuerſuros. Hinc etiã, quum paulò antè in flagrantiſſima apud Regem gratia fuiſſet, plúſque vnus omnibus eius vel conſanguineis principibus, vel cæteris domeſticis authoritate poſſet, Peronenſis, & quæ mox conſequuta eſt, Eburonenſis profectionis Regi author fuiſſe, eundémque aduerſus Pariſienſes redeuntem incitaſſe fertur: idcirco vna cum Virdunenſi Pontifice conſiliorum eorumdem conſcio in cuſtodiam traditus eſt: vnde vndecimo poſt anno educti, & Iuliano Rouereo Cardinali Sixti Pontificis Maximi Legato cõdonati ſunt. Non deerant etiam alij, qui hanc Regis cum fratre coniunctionem, & pacem cum Burgundione vtcumque conſtitutam moleſtè ferrent: Regem animi inquieti, aut cum exteris, aut cum ſuis, ac domeſticis depugnaturum aiebant. Ad hæc quibus quæſtus ex bello vberior, authoritáſque maior accedebat, hi, ne longa pace vtroque fraudarentur, ſubtimebant. In primis verò Ludouicus Luceburgenſis equitum magiſter, qui quadringentorum cataphractorum equitum, atque iiſdem attributorum hippotoxotarum ſtipendium quotannis recipiebat, nec integrum numerum magna ex parte habebat: in penſionem item annuam viginti ferè nummûm aureorum millia, ac ſui præterea muneris ſtipendium priuatim auferebat. Is fano Quintini ſe potiturum ſpõdebat, cætera quoque Somonenſia oppida clam Ludouicus vt rebellarent, præſidiarióſque milites à ſe reciperẽt, ſollicitabat, iiſdem artibus vſus, quibus antea Carolus Quintus Aquitaniam ab Anglis receperat. Quod quidẽ haud perdifficile fuit, quum enim anno huius ſæculi ſexageſimoquinto Galliã cum exercitu ingrederetur Burgundio, ac bellum publicæ vtilitatis, atque immunitatis ergo aduerſus Ludouicum ſe ſuſcipere iactaret, pleraque iniqua tributa recèns impoſita, præſertim vero ſalinarium vectigal abſtulerat: Somonenſibus autem oppidis recuperatis non ſolùm id nòn remiſit, ſed proximo anno & huius, & ſuperioris anni, vt penderent, coëgit: vnde indignati Somonenſes ad Ludouicum reſpiciebant, & ad priſtinum, æquiorémque dominum redire cupiebant. At Ludouicus qui nihil temere, omnia ex æquo, & bono agere videri volebat, treis Galliarum ordines ad Turones conuocat: quorũ primus eſt eorum, qui ſe peculiariter ſacris addixerũt, & Eccleſiaſtici vulgò appellantur. Secundum locũ tenet nobilitas, populi poſtremus eſt, cuius ea potior pars eſt, quæ in vrbibus habitat, ideóque vulgo ciuilis ſtatus vocatur. Eoſdem ferè in commentariis Cæſar tanto ante numerauit, Druidum (inquam) equitum, plebis, quam ſeruorum loco propemodum haberi, nec in conſilia admitti ſcribit.

Vide ſub finem libr. 3. n. 38.

Tres Galliarum ordines ad Turones conuocati.

22 Hunc trium ordinum conuentum aduerſus Burgundionem anno huius ſæculi ſeptuageſimo coactum fuiſſe nec ante, poſteáve Ludouicum eoſdem ordines conuocaſſe ſcribit Cominæus: at cæteri hiſtorici huius non meminerunt, omnéſque vno ore treis Galliarum ordines anno huius ſæculi ſexageſimo octauo Aprili menſe ad Turones conueniſſe aſſerunt, vt dignũ Carolo Ludouici fratri patrimonium adiudicarent. Hi Normaniam, quam Carolus ambiebat, à Gallico ſceptro diuelli non poſſe, Ducatũ autem, Comitatúmve, cuius annuus prouentus ad duodecim, penſionẽ vero, quæ ad ſexaginta argenti pondo millia quotannis rediret, Carolo attribuendam cenſuerunt: ſic enim has pecuniarũ ſummas cum vulgo numerare, quam ad nummum aureum, cuius æſtimatio toties immutata eſt, redigere ſatius eſſe duximus: ſed illorum ſententiis non ſtetit Carolus, & à fratre paulò pòſt Aquitania donatus eſt. Ad conuentum commemoratum ſupra eos duntaxat vocauit Ludouicus, quos à ſe ſtare intelligebat, vt idẽ Cominæus ſcribit, ne ſi vlla altercatio intercederet, bellum haud iure ſuſceptum videri poſſet. Accuſatus eſt læſæ Majeſtatis Burgũdio, quod pleraque aduerſus regni ius, regíſque Majeſtatẽ molitus eſſet. Subornatus eſt Comes Deuenſis: qui fanum Valerij, & alios quoſdã ſuos fundos præter ius, & æquũ à Burgundione poſſideri, & ſe ad nouũ iniquúmq; ſacramentũ adigi quereretur, vt Deuenſis ſcilicet aduerſus quoſuis nemine excepto, arma ſe laturum profiteretur Burgũdio flagitabat, quod à Somonenſis regionis nobilitate Philippo Burgũdione adhuc ſuperſtite Ludouicus flagitauerat, vt ſupra cõmemorauimus: Deuenſis Regem, in cuius fide ipſe quoque Burgũdio eſſet, excipiendum aiebat. Ex triũ ordinum decreto, vt Lutetiæ in Senatu Burgundio ſe purgaret, ſtatutum: viator miſſus Gandaui ad ædem ſacram proficiſcenti diem dixit. Iratus Burgundio primum hominem comprehendi, mox dimitti iuſſit, & ſibi bellum inſtare ſuſpicatus, copias quidem vnum in locum haud coëgit, delectum tamen habuit, & militibus domi manentibus ſtipendium ſingulis menſibus perſoluit; deinde ſuſpicione liberatus (nam ſæpius ad illum legatos Ludouicus mittebat) aut impenſæ fortaſſe parcens, quarto poſt menſe perſoluere deſiit. Sed quid Ludouicus moliretur, & quod ex eius domeſticis nonnullos ad ſe pertraxiſſet à Ioanne Boiorum regulo admonitus, in ſumma

Anno 1470.

Hæc anno huius ſæculi ſexageſimo nono facta videri poſſunt.

Digitized by Google

difficultate fuit: Ioannem autem Chalonium (Cabillonenſis rectiùs fortaſſe diceretur)
Aranſiorum principem, ac Balduinũ Burgundiæ nothum Ludouicus in ſuas parteis pertraxerat, vnde & Antonium natu maiorem nothum, cui plurimum antea fidebat, ſuſpectum quoque Burgundio habuit, nec tamen vt exercitum in armis haberet, feſtinauit.

Ea cunctatio illi in primis obfuit: nam Decembri menſe anno decimiquarti ſæculi ſeptuageſimo altero poſt die quam Chalonius, Balduinúſque ad Ludouicum transfugiſſent, Luceburgenſis equitum magiſter Quintini fanum ingreſſus Quintinianos Ludouico ſacramentum dicere coëgit. Ambianorum alij à Rege, alij à Burgundione ſtabant: vt ſuos in officio contineret, cæteros terreret, Dorlanum cum quadringentis equitibus acceſſit Burgundio, & Ambianis ſe committere non auſus ſubſtitit. Regius exercitus ad Ambianorum portas conſiſtebat, ſemel reiectus Burgundionis cunctatione perſpecta ab iis, qui Regis parteis ſequebantur, admiſſus eſt. Tentauit idem Abbeuilla, ſed Crepecordius à Burgundione miſſus Abbeuillanos in eius fide continuit.

Dorlano migrans Burgundio, vt exercitum cogeret, ad Attrebates diuertit, & rebus 23
ſuis timens ad Luceburgenſem equitum magiſtrum ſcripſit, ne quantum viribus, ingenióque poſſet, in ſe oſtenderet: huius belli nullas ſubeſſe cauſas, ſe nec opinantem, imparatum, nihil aduerſus Regem molientem bello petitum. Reſcripſit Luceburgenſis res eius in ſummum diſcrimen adductas, Regem duos ingenteis alterum in Picardia, alterum in Burgundia habere exercitus, quódque magis timendum eſſet, ex Burgundicis ditionibus pleroſque magni nominis viros nobiles, vrbeíſque inclytas clam de defectione apud Regem egiſſe: nullum illi ſupereſſe perfugium, niſi vt filiam Aquitano collocet. Id ſi euenerit, vires illi non defuturas, Aquitanum, Britannum, ſe quoque ad eius parteis tranſiturum: ſin id recuſet, Rege tam potente, tam parato ſe nihil auſurum. Eodem fere tempore litteras quoque ab Aquitano, & Britanno accepit: paucis ille verbis, vt popularium animos ita tractaret, ne quid nouarum rerum molirentur: cæterum bono animo eſſet, monebat, amicos illi non defuturos. Britanni tabellarius Flandricas vrbeis pleraſque ad Regem defecturas nuntiabat, & Antuerpiam, Bruxellas, Brugas nominabat: præterea Regem cum magno exercitu in Flandriam inuaſurum, & Burgundionem, etiam ſi Gandaui ſe muniret, obſeſſurum. Aquitanus cum Rege fratre erat, Britannus Leſcunum cum centum Britannis cataphractis equitibus ad Regia caſtra ire permiſerat. Literas Aquitani Burgundio moderatè, Britanni Luceburgenſiſque grauiter accepit: Britanno, quæ delata ad eum fuiſſent, falſa eſſe reſpondit; Flandricas vrbeis maiores eſſe, & ampliores, quam vt obſideri commodè poſſint: ſe præterea in armis eſſe, & breui Somonam, vt cum Rege confligat, traiecturum; precari, vt ſecum initæ ſocietatis memor ſocia arma capiat, & talem ſe qualis erga illum Peronenſi fœdere ipſe fuerit, præſtet. Luceburgenſem ſibi infeſtum, & belli huius authorem reſponſione haud dignatus perpetuo poſtea odio proſequutus eſt.

Luceburgēſis belli inter Regem & Burgundionem auctor.

Hæc fuit præcipua huius belli cauſa, quæ vtrũque, Regem (inquam) ac Burgundionem 24
initio latuit: nã Flandricarũ vrbium, virorúmque nobilium defectiones falſo ad Ludouicum detulerat Luceburgenſis, vt hoc bellũ conflaret. Quòd ſi Aquitano filiã deſpondiſſet Burgundio, & Aquitanus, & reddito Quintini fano Luceburgenſis, ac plerique alij eiuſdem factionis ad Burgundionem tranſiiſſent, Regémque ſua ſpe fraudatum vel oppreſſiſſent, vel regno fortaſſe ſpoliaſſent: Princeps autem totius huius conſpirationis Luceburgenſis nunc hunc nunc illum deprimebat, mox veluti æquata lance vtrumque ſuſpenſum tenebat: vnde implacabili vterque odio accenſus in eius mortem, qui mutuum inter ipſos bellum alebat, coniurauit. Quod ſi tanti principes tam vigilantes, támque acri ingenio præditi, ſuorum præſtigiis eluſi belli inter ſe ſuſcepti ne ſcopum quidem videre potuerunt, ſed quaſi in meridiana luce cæcutientes aberrarunt, quid de illis ſperes, qui nihil ex ſuo, omnia ex familiarium ſenſu gerentes, non tam Reges, quam quædam Regum ſimulachra videri poſſunt? Coactis copiis Somonam verſus tendebat Burgundio ſparſo rumore quaſi cum Rege confligere in animo haberet. Vbi Piquinio appropinquauit, præſidiarij milites, quadringenti ſcilicet ſagittarij pedites, & aliquot viri nobiles longo aggere excurrentes, & poſtremum eius agmen carpentes procul ab vrbe ſecedunt. Id animaduertentes Burgundi tanto impetu in ipſos irruũt, vt multis cæſis, cæteris fugatis, ſuburbio, quo agger claudebatur, potiti ſint: admotis machinis bellicis fugiente præſidio vrbs natura munita, atque inexpugnabilis capitur: arx tertio poſt die deditur. Tantulo hoc ſucceſſu erectus Burgundio non longe ab Ambianorum mœnibus caſtra metatus eſt. In vrbe erant mille, & quadringenti cataphracti equites cum ſuis hippotoxotis: ac quatuor peditum ſagittariorum

Piquinio potitus Burgundio ingentes animos haurit.

Digitized by Google

riorum millia, ſummi præterea duces, equitum magiſter Luceburgenſis, rei nauticæ præfectus, Mareſchalli, aliique viri primarij non pauci: Rex ipſe in Bellouacis ſubſtiterat, & alterum exercitum habebat. Cum Rege erat Aquitanus, & Nicolaus Calaber Ioannis Lotharingi filius, ac Gallica nobilitas ſolenni Regis mandato conuocata. Regius interim exercitus in Burgundia Burgundicas copias fregerat, pleroſque occiderat, longè plures captiuos abduxerat, aliquot vrbeis ceperat, alias circumſedebat; vociferabantur Burgundi, & grauiter de auxiliis non ſummiſſis querebantur. Hinc attonitus Burgundio paucis ad Regem verſibus ſcripſit, & ſe demittens quod nonnullorum ſibi infeſtorum ſuaſu in ſuas prouincias non prouocatus inuaſiſſet modeſtè queſtus eſt (Luceburgenſem autem equitum magiſtrum indicabat:) eas litteras in bonam partem Ludouicus accepit, & ſiue quod clandeſtina Luceburgenſis conſilia præſentiret, ſiue quod longioris belli tæderet, annuas inducias Luceburgenſe admodum repugnāte pactus eſt: nam reuera tum Burgundioni infeſtiſſimus Luceburgenſis fuit: & ſiquid poſtea inter eos vltro, citróque agitatum eſt, mutua quadam ſimulatione agitatum eſt. Ille vt Quintini fanum reciperet, omnem lapidem mouebat; & ſæpius ea de re ad Luceburgenſem mittebat: hic quoties à Rege neſcio quid timebat, ſe redditurum ſimulabat, metu liberatus, hominem eludebat.

Luceburgenſis inducias inter Ludouicū & Burgundionem nequicquam impedire molitur.

25 Inde Rex ad Turones, in Flandriam Burgundio profectus eſt: ibi conuocatis tribus ſuarum prouinciarum ordinibus quanto in diſcrimine nuper fuerint per oratores ſuos explicauit: quod ſi quingentos dumtaxat cataphractos equites in Picardiæ finibus habuiſſet, haudquaquam Ambianorum, Quintinianorúmque vrbes rex Ludouicus inuaſiſſet: precari vt quotannis octingentorum ſtipendium pendere non recuſent: paratis res in tuto ſemper eſſe, imparatis cædes, bonorum direptiones, vrbium ruinas, prouinciarum vaſtitates impendere. Qui trium ordinum tum perſonam ſuſtinebant, vt ſtipendio afficiendum militem ſemper alerent, adduci non poterant, videbant hoc conceſſo in quantas difficultates Gallica plebs incidiſſet. Etenim Reges militum numerum pro libidine ſæpe augere, & nonnunquam rapta pecunia militi ſtipendium non numerare, hinc miſeram plebem militum circumcurſationibus vexari, atque exinanīri; & rem bellicam in cōtemptum adduci, ac militem ſtipendiis interceptis quaſi exauthoratum nulli vſui eſſe intelligebant. Quid? quod ſi quando ad pueros, aut pueris ſimiles; aut fortaſſe inutiliores regna peruenerunt? pecunia in adulatores, in lenones, in ſcorta impenditur, rēs bellica nihil inde promouetur? Quid quod Reges, potentioréſque principes antiquo patrimonio non contenti, hoc prætextu in omnium fortunas irrumpunt, & quantam volunt, pecuniam imperant. Ducenta tamen talenta ad id, quod pendere antea conſueuerant, adiecerunt: quæ mox ille paucis annis militum numerum augendo, & maiore ſpiritu in finitimos inſultando ad quingenta perduxit: Burgundia tamen antiquam libertatem retinuit, &, vt nouum tributum dependeret, cogi non potuit. Interim Aquitanus per litteras, & Legatos, vt vnicam eius filiam tot, tantarúmque prouinciarum hæredem in matrimonium acciperet, agebat. Eandem Philbertus Allobrogum regulus, Nicolaus Calaber Lotharingi, Andegauenſiſque Ducatus hæres, Federicus princeps Tarentinus, Ferdinandi Neapolitanorum Regis filius, eandem Federici Imperatoris filius imperiíque mox ſucceſſor Maximilianus ambiebat, cuius etiam poſt patris mortem nuptiis potitus eſt. Ille vt ſibi maiorem vndique potentiam conciliaret, filiam omnibus pollicebatur, nemini viuus dare volebat: tam vaſtus animus erat, ac tam multa amplexabatur, vt ipſi, ne tota quidem Europa ſatis eſſe poſſet: corpus laboris patiens, & obeundis militiæ muneribus aptum: animus gloriæ cupidus, delitiarum, ac muliebrium illecebrarum inſolens erat. Nec vires, aut pecunia præcipuus belli neruus omnino deerant: ſed & Ludouicum Regem viribus, ingeniíque acie prǣſtantiorem fortuna vicinum illi veluti quendam obicem collocarat, & parem tantis rebus haud dederat natura induſtriam.

26 Hæc dum in Gallia geruntur & inter Regem, ac Burgundionem pro Ambianis, Quintinianíſque grauiter decertatur: interea Angliam duæ factiones non minùs infeſtabant, quæ poſt exactos Galliis Anglos inter ſe commiſſæ inſulam antea opulentam, ac viris, armíſque validam exinanierunt, & quaſi in ſolitudinem redegerunt. Henricum Sextum Liceſtrianum hominem mitis ingenij, aut, vt verius dicam, ſtupidum Eduardus Ricardi Eboracenſis reguli filius Varuici Comitis opera, qui tum apud Anglos potētiſſimus fuit, regno exturbauit, ac totam Liceſtrianam familiam, vnde tot Reges prodierant, & multos annos ſumma gloria regnum id adminiſtrarant, Anglia expulit. Exules ad Burgundionē propinquum in Flandriam cōfugerunt: Burgūdionis enim mater Iſabella Luſitani Regis filia, Liceſtriana matre prognata fuit. Tantis autem in anguſtiis primum incogniti vixerunt,

Liceſtriana familia Anglia pulſa ad Burgundionem cōfugit.

runt,

Ceſtrēſis regulus in Flandria oſtiatim ſtipem emēdicare coactus.

runt, vt Ceſtrenſem regulum, qui ex Liceſtrianis Henrico cognatione proximus erat, atque Eduardi ſororē in matrimonio habebat, vicatim in Flādria ſingulas domos luſtrādo, veſte dilacerata victum quæritantē Cominæus ſe vidiſſe teſtetur: cognitus deinde à Burgundione annua pecuniæ penſione donatus eſt. Hæ duæ factiones Angliam totam diuiſerant,& in alterna bella,cladéſque commiſerant: ſic Deo Opt. Max. prouidente, vt quorum parentes vniuerſam Galliam ſpoliauerant, vexauerant,tantis cladibus affecerant, eorundem liberi mutuis ſe cædibus confecerint, & maiore ruina cadentem patriam, quam paulò ante hoſtilem Galliam præcipitem egerint. Sic Alexandri duces pariter, ac milites mortuo Rege ſe mutuis cladibus confecerunt: ſic Romani quondam in ſummam potentiam euecti in duas factiones diuiſi, in ſe arma cōuerterunt:ſic magna imperia raro externa, vi domeſtica ſæpius opprimuntur. In his factionibus præcipuas parteis Varuicus Comes obtinebat, vt in vtram inclinaret, eidem certam afferre victoriam videretur. Faciebat idem ferè, quod in Galliis Ludouicus Luceburgenſis equitum magiſter homo potens, & fœlici ingenio præditus: ſed hic nec Ludouicum Regem natura callidum, nec Burgundionem virum acrem, & ad bella natum ſatis moderari poterat. Varuicus Henricum Liceſtrianum ſtupidum, ac bardum, & Eduardum Eboracenſem adoleſcentem venationibus, muliebribúſque delitiis impensè deditum nactus vtrique initio facilè imperabat. Huius adoleſcentis ſimplicis (vt putabat) & in rebus gerendis rudis natura fretus (cuius nomine ſe Angliæ regnum ex ſuo ſenſu moderaturum ſperabat) Henricum magnis cognationibus nixum de regno deiecit, & in Londinenſem arcem concluſit. Ipſum Eduardum iam Regem ſalutatum in libera cuſtodia habuit: Scallenſem virum primarium, duóſque eius liberos Eduardo intimos, ac pleroſque alios Eduardi domeſticos capite mulctauit, in eorum locum alios ſibi addictos ſuffecit, nouis obſequiis delinitum Eduardum ſuperiores obliuione tranſmiſſurum ratus. Caleſij (quem Icium portum antiquis fuiſſe putant) adminiſtrationem, aliáque opulenta munia, nonnullorum etiam patrimonia fiſco adiudicata, ſibi vendicauit: ex quibus etiam ſi eius patrimonium non numeres,quod peramplum à patre acceperat, quadragies ſeſtertium conficere quotannis ferebatur: vtque potentiam ſuam magis augeret, cum Ludouico Rege amicitia inita res Anglicas ad eius rationes accommodabat. Hoc nomine illi infenſus Burgundio clam Eduardo (cuius ſororem vxorem duxerat) vt ſe è Varuici tyrannide in libertatem vendicaret, ſuaſit; alioqui Eboracenſi factioni ob Liceſtrianæ affinitatem infeſtus.

Magna imperia vi domeſtica ſæpius opprimuntur.

Icius portus nunc Caleſium dicitur.

Id impigrè exequutus adoleſcens ſe ſubduxit; & coactis copiis Varuicianos fudit. 27
Varuicus viribus inferior ſuis præmonitis quid in huiuſmodi re agendum eſſet, atque eius gener Clarencianus regulus, qui Eduardi frater Germanus fuit: Margarita item Andegauenſis Henrici vxor, eorúmque vnicus filius princeps Gallenſis, aliis pleriſque accitis vnà cum vxoribus naues conſcendunt:naues octoginta fuiſſe traduntur quæ menſe Maio anno huius ſeculi ſeptuageſimo vela fecerunt, & rectà Caleſium petiuerunt. Vrbi præerat Vauclerus Varuici legatus homo prouectæ iam ætatis, raræque prudentiæ: nam ſumma adminiſtratio (vt diximus) penes Varuicum erat. Ille Varuicum, ne ſe vrbi committat, admonet: vniuerſam prope Angliam, Burgundionémque illi infeſtos eſſe: Caleſinos, ac bonam præſidiariorum militum partem præſertim vero Duraſium Angliæ Mareſchallum eorum ſententiam ſequuturos: pergeret porrò ire ad Gallica auxilia, & Ludouici Regis liberalitatem experiretur: ſe perfecturum, vt in tempore compos vrbis eſſet. Probat conſilium Varuicus, & nihilominus ad Caleſium quaſi vrbem ingreſſurus anchoras iacit. Exonerant in eius claſſem tormenta bellica Caleſini: Vauclerus ipſe vna cum cæteris, imò vero ante cæteros ſe acerrimum Varuici hoſtem profitetur: Eduardo ſacramentum dicit. Quo nuntio lætus Eduardus illi Caleſij adminiſtrationem Varuico exauthorato defert. Ea adminiſtratio & perhonorifica eſt, & in primis fructuoſa: quod ex Caleſinis commerciis maximè Angliæ emanat opulentia: adminiſtratori enim quotannis ſexcenta ſeſtertia conficere exiſtimatur. Vauclero etiam hoc nomine gratulatus Burgundio mille aureos nummos in penſionem annuam pollicetur. Varuicus omiſſo Caleſio Normaniæ oram legit: à notho Borbonio Amyralio,hoc eſt,rei nauticæ præfecto Ludouici nomine liberaliter excipitur:pecunia, militibus,nauibus augetur. Interim dum hæc præparantur, Anglicæ naues ad Honfleum arcem, propinquúmque oppidum Arfleum conſiſtunt. Margarita Andegauenſis Angliæ Regina, princeps Gallenſis eius filius, Varuicus, cæterique Anglorum viri primarij ad Ludouicum auxilium petituri accedunt. Pridie Kal. Iul. Ludouico naſcitur Ambaſiæ filius Carolus; quem poſtea octauum huius nominis Galliarum Regem numerarunt: ſuſceptores Gallenſis, ac Carolus Borbonius

Carolus Ludouici filius Ambaſiæ naſcitur.

Lugdu

Digitized by Google

Lugdunenſis Pontifex fuerunt. Tum etiam ad Senatum Pariſienſem Burgundio literas ſcripſit: Varuicum capitalem ſibi hoſtem in Normaniam appuliſſe, eundem à Regiis miniſtris contra Peronenſe fœdus exceptum: Regem doceant, niſi fœderis memor Varuicum expellat, ſe totis viribus in Varuicum, Varuicique ſocios inuaſurum. Varuicum nihilominus pecunia, auxiliiſque auctum Ludouicus dimittit: Varuicianæ Regia claſſis iungitur: ſed iis iunctis Burgundica numeroſior, & viribus præſtantior, quæ Varuici in Angliam reditum obſeruabat.

28 Diuerſa partium apud Anglos ſtudia comperta habebat Burgundio: quid Varuiciani molirentur, acceperat: atque Eduardum, vt rebus ſuis conſuleret, ſæpius admonebat. at Eduardus omnium ſuæ ætatis mortalium formoſiſſimus venationibus, conuiuiis, cæteris voluptatibus operam dabat, de Varuico ſecurus admodum erat, Varuicum contemnebat: & quod iure quis admiretur, Eboracenſem Pontificem, ac Marchionem Montacutum Varuici fratres inter intimos familiares habebat. Contra Varuicus maiorem natu filiam Clarenciano Eduardi fratri vxorem dederat: alteram, Gallenſi principi Henrici filio non ita pridem deſponderat, & celebratis nuptiis Liceſtrianam, quam prius oppugnarat, factionem fouebat: ac quum vtrumque Regem grauiſſimè offendiſſet, generis ſuis eorundem propinquis omnia credebat: vt huius inconſideratam ſenectutem illius immoderata adoleſcentia nihilo prudentiorem iure dixeris. Paratæ erant claſſes, Varuiciana, vt in Angliam traiiceret: Burgundica, vt tranſitu prohiberet: noctu ſuborta fœda tempeſtas Burgundicam huc illuc diſiecit: aliæ naues in Scotiam, in Hollandiam aliæ, aliò aliæ curſum tenuerunt: nec multo poſt ſedata tempeſtate ventus proſper aſpirans Varuicianam in Angliam tranſportauit. Eduardum admonuerat Burgundio in quem portum naueis appellere Varuicus decreuerat: vt venienti necdum Anglicis auxiliis munito totis viribus occurreret: ſed animo voluptatum copia ebrio nihil curæ erat. Vix ſex dies interceſſerant, quum Varuicus ingenti exercitu comparato ſexto milliari ab Eduardi caſtris caſtra metatur. Superabat militum numero Eduardus, ſed non omnes fidam illi operam nauabant: ad fratrem cum ſuis deficit Montacutus, quem nonnulli alij multis quoque comitati ſequuntur. In loco munito, marique vicino conſederat Eduardus, quæ ſola illi cauſa ſalutis fuit: nam horum certior factus præſidia ſtatim pontibus imponit: ipſe interim ſe ſubducit, & naueis onerarias, quæ copiis ſuis commeatum ſubuehebant, octingentis militibus comitatus conſcendit: cæteri more gentis Varuico ſe permiſerunt, & benignè excepti dimiſſi ſunt. ea enim tum apud Anglos longa conſuetudine obſeruata quaſi lex erat, vt, qui bello ſuperiores erant, viros primarios, ac magnarum cognationum occiderent, cæteros liberos abire ſinerent; nec ab illis pecuniam vllam extorquerent. Et qui modò venationes, mulierũ choreas, conuiuia tãto luxu inſtruebat, idem onerariis duabus nauibus cum paucis mare tranſmittit, & alienam opem omnium rerum indigus, hoſtem fugiens, patria extorris implorat. Ad quem confugiat? an ad Ludouicũ Galliarum Regem? At is Varuicum in illum armauerat: publicis diplomatis Henricum Angliæ Regem, Regnique adminiſtratorem Varuicum ſocios, Eduardum hoſtem declarârat. An ad Burgundionem? quam porrò excuſationem afferat, niſi turpem, & indignam Rege ſocordiam: toties monitum nec Varuici reditum prohibuiſſe, nec Angliæ portus fidis præſidiis muniiſſe, nec ſeditiones clam ſuccreſcenteis cohibuiſſe: quis id ferat? Quinetiam Burgundionem quod magnis ſumptibus mare claudere tentaret, illudebat: & quod extremæ dementiæ fuit, vt iam in Anglia eſſet Varuicus ſe cupere iactabat, quid hoc homine facias?

29 Sed vt fortunam in ſuam quodammodo ruinam prouocabat: ſic eiuſdem quaſi iratæ non vnam, ſed multas ſimul plagas expertus eſt. Traiicientem in Hollandiam Holſatij Cimbricæ Cherſoneſi incolæ, quos vulgo Oſtrelinos appellant, Anglorum pariter, atque Gallorum hoſtes inuadunt: ad Alquemaram vſque (ea Friſiæ vrbs eſt) perſequuntur: ibi quod ſe mare cõſtraxiſſet portum tenere non potuit, prope vrbem anchoras iecit. Faciunt idem Holſatij, vt mari refluente, & in ſinum ſuum regreſſo circumuentum adoriantur: octo erant naues viris, armiſque egregiè munitæ, vt elabendi vix ſpes vlla ſupereſſet. Quis tum ſenſus hominis fuit? quum hoſteis infeſtiſſimos viribus longè ſuperiores in conſpectu haberet, &, ne in eorum poteſtatem veniret, tantillo interuallo abeſſet? Omni quaſi ſpe deſtitutus in vrbem mittit: qui ſit, & quo in diſcrimine hæreat, exponit: opem implorat: forte illuc tum acceſſerat Gruturius Hollandiæ adminiſtrator: is Holſatiis ne quicquam aduerſus illum molirentur, interdicit: multis comitatus ad Anglicas naueis accedit: Regem, ac Clocceſtrenſem regulum eius fratrem, quem poſtea Ricardum Regem Angli nominarunt,

Eduardus ab Holſatijs in vltimum diſcrimẽ adductus.

nominarunt, honorificè excipit, atque in vrbem intromittit. Tanta autem Regis huius inopia fuit, vt ne quidem vnde naulum ſolueret, haberet: nullam veſtem præter eam, quam pro naulo dederat, nec ipſe, nec qui cum eo erant, niſi militarem poſſiderent: quippe qui tumultuaria fuga ſarcinis relictis ſolum vertere coacti fuiſſent. Gruturius autem & Regem, & pleroſque eius comites plurima veſte donauit: omneis autem ſuis ſumptibus aliquot dies liberaliter accepit, & Haiam vſque deduxit: interim Burgundionem de Eduardi aduentu certiorem reddidit. Agebat tum Bononiæ Burgundio, & primo nuntio cæſum Eduardum acceperat: nec id illi curæ admodum erat, quod Liceſtrianos affines in primis diligeret, & Ceſtrenſem, Sombreſſetúmque Liceſtrianæ familiæ regulos apud ſe haberet, quorum opera cum Henrico, totáque ea familia ſe facilè conuenturum ſperabat. Ab vno Varuico ſibi timebat: ſed vbi Eduardum in Hollandiam traieciſſe, &, vt de recuperando regno ageret, ad ſe properare didicit, tum vero qua ratione Varuico, Liceſtrianiſque ſatisfaceret, aut Eduardum recentem affinem exciperet, ſupra quam dici poteſt, anxius fuit: Margaritam Eduardi ſororem habebat coniugem, fratres erant militares, vellus aureum Eduardus Burgundionis, periſcelidem Burgundio Eduardi inſigne geſtabat: ordinem ſiue claſſem virorum militarium inſigniorum vulgo appellant ea nota deſignatam: vt Galliarum Reges Ludouico XI. authore Michaëlis inſigne geſtarunt.

Interea Varuicus cui ſe Eduardi milites, aliíque permulti partim metu, partim vana ſpe fortunam ſequuti iunxerant, Londinum proficiſcitur: magno plauſu, magnáque omnium lætitia excipitur, regni adminiſtrator declaratur. Turrim Londinenſem, hoc eſt, arcem ingreditur, Henricum educit, Regem ſalutat, quem non ita dudum quaſi læſæ maieſtatis reum ibidem concluſerat. Aderat Clarencianus regulus Varuici gener, cui, quòd Eduardi frater erat, hæc multum diſplicebant. Antequam enim Gallia migraret Varuicus, Anglica matrona nobilis ad Clarenciani vxorem vt Eduardum Varuicúmque conciliaret, pergere ſimulans longè aliud in mandatis habebat: nempe vt Clarenciano ſignificaret veteri nouam affinitatem Varuicum præferre: minorem filiam Gallenſi Henrici filio deſpondiſſe: vnà cum filia Angliæ pariter regnum ſpopondiſſe, & ſe iam Gallenſi fidelitatis (vt loquuntur) ſacramento obligaſſe: proinde videret, ne ſuæ familiæ, atque Eduardi fratris oblitus Liceſtrianos antiquos hoſteis in regnũ reduceret non mitius cum illo, quam cum Eduardo fratre acturos. Prudens mulier Caleſium tranſmiſit, & Vauclerum Caleſij adminiſtratorem, qui Eduardi parteis ſequi ſimulans Varuicianus, vt mox docuit, omnino erat, mutua ſimulatione fallens Clarencianum cum Eduardo facile coniunxit. Ille tamen tantiſper diſſimulauit, donec aduerſus Eduardum Varuicus poſtremo, memorabilíque prælio decerneret. Varuicus Lõdino potitus Henrico in Regio ſolio collocato quadringentos circiter Anglos, qui Bononienſem agrum popularentur, ſtatim Caleſium mittit: quatuor Anglorum peditum millia breui eodem tranſmiſſura promittit, bellum acerrimum Burgundioni inferre deſtinat. Iam Vauclerus, præſidiariíque milites, ac deinceps Caleſini audita Eduardi fuga intra ſeſquihoram Varuici inſigne ſumpſerant: tam ſubita ea mutatio fuit, iam Eduardum longũ valere iuſſerant, iam de fœdere cum Burgundione diſſoluendo cogitabant: ſiquidem Angli Bononienſium armenta, gregéſque abegerant. Flandri Anglorum mercibus Grauelinis manum iniecerant; réſque à bello non multum aberat, quum Philippus Cominæus Burgũdionis Legatus fœdus non ſolum cum Rege, ſed etiam cum ipſo Angliæ regno ictum eſſe docuit, neque Regis morte, aut mutatione diſſolui. Incubuere in id mercatores Londinenſes homines opulenti, & à Varuico licet inuito, vt fœdus inuiolatum maneret, impetrarunt: conuenit vt Angli captos greges, armentáque vel redderent, vel certo pretio emerent, atque ita merces ſuas reciperent, nihil contra fœdus nouarẽt. Id gratiſſimum Burgundioni fuit: etenim paulo ante fanum Quintini ab eo, Ambianíque defecerant. & ne Gallico ſimul, Anglicóque bello obrueretur, pertimeſcebat. Vt ad Eduardum redeamus, is ad Pauli fanum Burgundionem conuenit: frater à fratre auxilium poſtulat, Anglos metu in Varuici parteis conceſſiſſe, cæterum præter admodum paucos animo à ſe ſtare; proinde antequam Varuico potentia, Henrico regnum confirmetur, occaſione vtendum; precari, ne ſe deſertum in tanta opportunitate patiatur. Contra Sombreſſetus, Ceſtrenſiſque Liceſtrianæ familiæ reguli nitebantur: Henricum præter ius, & fas regno expulſum diuina prouidentia in regnum hæreditario iure ad ſe delatum, poſſeſsúmque reductum eſſe: Henrici patrem Angliæ Regem, & poſt eius mortem hunc ipſum Henricum adhuc infantem cum patre ipſius Philippo ſocietatem coiuiſſe: armis communibus Ioannis eius aui paterni mortem vltos bonam Galliarum partem diu poſſediſſe. Quod ſi hanc ſocietatem huc vſque cõtinuatam, & Iſabellæ matris nuptiis

Caleſini audita Eduardi fuga Varuici inſigne aſſumunt.

Eduardus ſupplex à Burgundione auxilium implorat.

nuptiis noua affinitate confirmatam contemneret; ſi iuris, & æqui cauſam ſuſcipere nollet, at certè infeſtiſſimum hoſtem alieni regni inuaſorem in Henricum Germanum Angliæ Regem ne armaret. Et quandoquidem vtrique ſit affinis, tametſi affinitate diſpari, vtriuſque controuerſiarum diſceptatorem ſe potius, quam alterutrius hoſtem profiteatur.

31 Anxius vtris ſe daret Burgundio mirum in modum æſtuauit; animo ad Liceſtrianos propendebat: ſed recens affinitas, & militaris ſocietas ſupplicem Eduardum deſerere non ſinebant. At dum vtriſque ſatisfacere conatur, vtroſque grauiter offendit: Liceſtrianis accepta aduerſus Varuicum eorum antiquum hoſtem cautione primum ſe opem laturum recepit, de amicitia cum Henrico continuanda ad præfectum Caleſij miſit, ne quis ex ſuis commeatu, militibus, réve vlla bellica Eduardum iuuet, proclamari iuſſit: Eduardo, quantum ſibi à Ludouico Galliarum Rege bellum immineret, exponebat: ſi Anglicum accederet, ſe reſiſtendo non eſſe: vaſtatis ſuis prouinciis, aut fortaſſe in Ludouici poteſtatem redactis illi ſe non amplius auxilio futurum: proinde pateretur, vt aliquantiſper diſſimularet, ſe fratri in tempore non defuturum. Sed quum Eduardum de ſe iam non bene ſperantem, quin in Angliam rediret, retinere non poſſet (is enim & à ſuis acerſebatur, & in celeritate poſitam victoriam non fruſtra exiſtimabat) ipſum quoque placatum dimittere conatus eſt. Quinquaginta Burgundicorum Florenorum millia numerauit, quatuor Flandricas magnas naueis egregiè munitas, quatuordecim Dacicas adiecit, quæ Eduardum in Angliam reducerent, & quindecim præterea dies illi militarent. Sic res Anglicas ab vtraque factione ad ſuas rationes opportunè accommodatas ratus ad Ambianos aduerſus Ludouicum iter inſtituit, vt paulò ante ſcripſimus: Eduardus vbi Angliam attigit, ſtatim Londinum petit. Eodem cum magno exercitu properat & Varuicus: tametſi vrbem ad Eduardum defecturam non putabat: vnius diei itinere tardior (tantumdem enim à Londino aberat, quum in vrbem intromiſſus Eduardus fuit) ſummam rerum prorſus labefactauit. Nam ſi Londino excluſus Eduardus fuiſſet (tantum in omnibus bellis præſertim vero ciuilibus celeritas poteſt) paucis comitatus ingentibus Varuici copiis ſibi iamiam imminentibus reſiſtere nullo modo potuiſſet. Londino potitus cum vires ſuas auxit, tum hoc proſpero ſucceſſu permultos, qui illum omnino fractum putabant, ac ſpem omnem abiecerant, in primis erexit, ac ſibi fidos in poſterum comparauit.

Celeritas in bellis præſertim ciuilibus, magni momenti.

32 Cur autem Londinenſes ad Eduardum tam repentina mutatione defecerint, hæ potiſſimum cauſæ fuerunt: Eduardi vxor, quæ filium genuerat, & quos poterat, marito conciliabat: permulti ſuæ factionis, qui ad aſyla quædam Londinenſia confugerant, & accedente Eduardo arma ſumpſerant: bona ciuium Londinenſium pars, à quibus Eduardus natura prodigus ingentem pecuniam mutuam ſumpſerat: præterea matronæ nobiles pleræque, ciuium item Londinenſium vxores, quas conuiuiis, ſpectaculis, conſuetudine familiariori ſibi Eduardus ante deuinxerat, maritos illi, conſanguineóſque adiunxerunt. Biduum Londini commoratus, Varuico obuiam procedit, &, vt fœlix ſucceſſus alterum comitem trahit, ad fratrem Eduardum Clarencianus cum duodecim ſuæ factionis millibus tranſit. Hæc etſi Varuicum valde terrebant, quod maiorem etiam defectionem pertimeſceret, & ſuis non ſatis fideret, tamen acriter vtrimque pugnatum eſt. Is mos tum Anglis erat, vt magni etiam proceres, regiæque ſobolis pedites pugnarent, quem tamen Varuicus natura craſſior, ac corpulentior hactenus non obſeruarat, ſed ex equo pugnæ ſpectator cum ſuos bello ſuperiores videbat, tum ad conflictum properabat: ſin inferiores, maturè ſe ſubtrahebat. Hoc prælio à fratre Montacuto viro acri, ac magnanimo equum relinquere coactus pedes pugnam iniit, atque in medio conflictu vnà cum fratre, multiſque aliis viris primariis cæſus eſt. Primæ acies acerrimè vtrimque pugnarunt: quinetiam ſecundæ quas Eduardus, Varuicúſque ducebant ſibi inuicem commiſſæ tanto impetu conflixerunt, vt ad Regem ipſum pugna peruenerit, & plura is quam quiſquam alius egregia facinora manu geſſerit. Cæſi ex Eduardi exercitu mille & quingenti feruntur: ex Varuicianis multo plures; quod veterem morem, quo proceres duntaxat cædebantur, cæteris parcebatur, negligens Eduardus obuios quoſque perimi iuſſerit, nec captis pepercerit. Iam in Angliam appulerat Gallenſis, cui ſe Sombreſſetus, Ceſtrenſiſque ſociarant, & quadraginta ſuæ factionis millibus coactis aduerſus Eduardum contendebant: nec id Varuicus, antequam in prælium deſcenderet, ignorabat: ſed & Sombreſſetum, cuius patrem, fratrémque trucidarat, & Margaritam Reginã Gallenſis matrem, ne iniuriæ viro illatæ memor filium in ipſum accenderet, veritus

Varuicus cũ fratre Montacuto in cõflictu contra Eduardum cæditur.

Digitized by Google

veritus belli fortunam tentare properauit. Tantum in bellis ciuilibus antiqua partium ſtudia poſſunt, & bonas occaſiones conceptis hinc inde mutuis ſuſpicionibus ſæpe labefactant! Quòd ſi coniunctis viribus Eduardum inuaſiſſent, haud dubium (quantum humana fert coniectura) quin bello ſuperiores euaſiſſent. Tot fauſtis ſucceſſibus elatus Eduardus propitiam fortunam ſequutus aduerſus Gallenſem militum numero ſuperiorem progreditur: committitur atrox prælium cadit ipſe Gallenſis, & fortiter pugnans occiditur; cadunt & plerique proceres, ac primæ nobilitatis viri non pauci, gregariorum militum vis ingens cæditur. quinetiam aliis in locis iuſſu Eduardi permulti aduerſæ factionis etiam infimæ ſortis trucidantur. Hoc terrore prona Anglorum ad ſeditiones ſtudia repreſſit, & quoad vixit, regnum tametſi ſollicitudinis plenum in ſumma pace moderatus eſt: repentina mors veneni ſuſpicionem iniecit. Quantæ porro viciſſitudines? quantæ rerum paucis diebus mutationes? Vndecim diebus Angliæ regnum Varuicus in ſuam poteſtatem redegit: viginti Eduardus amiſſum recuperauit. Anglicis ſeditionibus percurſis ad res Gallicas redeamus.

Itẽ & Princeps Gallenſis.

Annuis induciis ad Ambianos factis ad Turones Ludouicus, vt ſcripſimus, in Flandriam Burgundio, in Aquitaniam Carolus Aquitanus conceſſerat; & à Burgundione procul remotus non minus vnicam eius filiam ambiebat. Coniugij ſequeſter hinc Britannus, inde Luceburgenſis eſſe cupiebat: deſiderare id Burgundio ſimulabat, diſſoluere Ludouicus fratris potentiam veritus tentabat: & quod Burgundionis ſimulationem nondum animo conceperant, fruſtra Ludouicus, Britannus, Luceburgenſis, laborabant. Eodem in errore hærebat Eduardus Angliæ Rex; & ne Aquitano Burgundionis filia nuberet, omni ope contendebat; Ludouico iam ætate prouecto vnico dumtaxat filio non ita dudum ſuſcepto. Aquitanum fratrem ſucceſſurum timebat: ſi antiquis Gallici regni opibus, ditionibúſque Burgundicæ prouinciæ hoc matrimonio accedant, tantæ potentiæ vix reliquam Europam reſiſtendo eſſe: hinc certam Angliæ ruinam imminere. & quanquam multas afferebat excuſationes Burgundio, tamen neque ipſi Eduardo, neque aliis Angliæ proceribus, quin filiam Aquitano collocaret, perſuadere vllo modo poterat. Multæ vltro, citróque ſuper hoc coniugio legationes mittebantur, atque interim id in ſpeciem, re permulta quoque alia pertractabantur: ſempérque mali neſcio quid aduerſus Ludouicum Aquitanus, Burgundio, Britannus machinabantur. Anglos Burgundio ſibi iungere cupiebat, aut potius veluti ſe inſcio in Galliam immittere: contra Aquitanus, ac Britannus multos ex Ludouici familiaribus, ex nobilitate etiam, pleraſque item Galliæ ciuitates à ſe ſtare; & ſi Burgundio accedat, ſe iunctos ſat potentes eſſe prædicabant: externas vires in Galliam, hoc eſt in patriam arceſſere nolebant. At Angli, ne Burgundicæ ditiones Gallico ſceptro iungerentur tantopere timebant, vt ſe Ludouico potius, quam Burgundioni, cæteríſque ſociaſſent. tanta eſt humanæ conditionis imbecillitas, vt ſæpenumero ſeſe miſeri mortales nequicquam torqueant: vt non timenda timeant, cauenda non caueant, aut in vtriſque inanem operam collocent: aut dum leuioribus periculis defungi, ac ſe explicare nituntur, in maiora incurrant, & grauioribus nonnunquam implicentur. Potentes erant Reges, regulíque prudentes homines à conſilio habebant, qui multa præuiderunt, quæ prope futura nullo tamen modo videre potuerunt, multa ſibi promiſerunt, multa ne euenirent, timuerunt: quæ contrariis, aut certe longe aliis, atque ipſi ſperauerant, euentibus terminata incertas illorum ſpes longe fefellerunt: Omnes porro his negotiorum fluctibus obruti non multis poſt annis perierunt. Burgundicam potentiam ſibi adiungere ſtudebat Aquitanus: Regi fratri ſeniori, & ſine liberis ſuccedere ſperabat; at is intra paucos dies repentina eſt morte ſublatus. Picardiæ partem in ſuam ditionem redigere cupiebat Burgundio: mox etiam Lotharingiam inuadere tentauit: at paulopoſt ignominioſè victus, cæſúſque patrimonium etiam ſuum hoſti in prædam reliquit, hærede filia, maiore Burgundia, Atrebatibúſque exturbata Minor Britannia ad Gallicum regnum acceſſit, Anna Franciſci Britãni hærede filia Carolo Octauo primùm, deinde Ludouico huius nominis Duodecimo Galliarum Regi in matrimonium collocata, quod neque ipſe Britannus pater ſperauerat, neque Eduardus, Anglíque aliquando ſuſpicati erant: quanquam Britannica Gallico ſceptro non multo minus fortaſſe vtilis, quam Burgundica acceſſio fuit. 33

Tantos belli apparatus Burgundionis, Aquitani, Britanni, vt declinaret Ludouicus (nam apertè reluctari difficillimum erat) ad ſolitas arteis confugit: diſſociare coniunctos, & à ſe inuicem ſeparare cõtendit: Cranum, ac Petrum Doriolum iuriſpræfectum ad Burgundionem mittit, vt poſtremo, irreuocabilíque fœdere pacem inirent. Quintinianos, Ambianóſque reddere promittit, Comitem Niuernenſem, ac Ludouicũ Luceburgenſem 34

equitum

equitum magiſtrum, atque vniuerſas eorum poſſeſſiones, quas ille inuaſerit, Burgundioni permittit: ſed ea conditione, vt viciſſim Ludouico Aquitanum, ac Britannum, vniuerſáſque eorum poſſeſſiones Burgundio permittat. Conditionibus acceptis Burgundio ſacroſancto iureiurando ſe obſtringit, cui ſe Cominæus affuiſſe teſtatur: Regis nomine Cranus, Doriolúſque iurarunt; iuratos Burgundio dimittit, & cum his Simonem Quingeium, qui Regi iuranti adeſſet, & mutui iuramenti viciſſim teſtis eſſet. Sed in has conditiones nec Ludouicus iurare, nec eaſdem Burgundio obſeruare in animo habebat, vt huius fœderis occaſione exercitum Burgundio dimitteret; &, quo Caroli fratris morbus euaderet, Ludouicus expectabat: ne eodem deterrerentur, Burgundio ad Aquitanum, Britannúmque ſcripſerat: Quintinianis enim, Ambianiſque receptis ſe haud ſanctius hoc fœdus habiturum, quam Confluentinum, ac cætera deinceps Ludouicus habuiſſet. Et, niſi Aquitani mors interueniſſet, in ſummo nimirum diſcrimine res Gallicæ fuiſſent: nam & paratum quoque exercitum Britannus habebat, & plures, quam vnquam antea ex Galliæ proceribus cum illo ſentiebant. De Aquitani autem morte hæc Gallici hiſtorici tradiderunt: Monſorellam Ludouici Ambaſiani nuper vita functi viduam non tam forma, quam ingenio, ac condita ingenuo lepore facundia celebrem Aquitanus in delitiis habebat: his ad fanum Seueri, à prandio caloris æſtu fatigatis, & potum forte poſcentibus fani Angelici Abbas diuiſo malo Perſico partem Aquitano, Monſorellæ partem alteram dedit: hæc paulopoſt vita exceſſit, ille in grauem morbum incidit, quo pridie Id. Maias animam edidit. Abbatem vinctum Leſcunus Aquitani domeſticus ad Nannetes deportauit, in turrim Besfroinam detruſus quæſtione de illo habita mira quædam confeſſus dicitur: ſed quænam ea fuerint, haud memoriæ proditum eſt. Quæſtionem habuit * * * Andegauenſis Pontifex pleriſque viris nobilibus accitis: antequam pœna plecteretur noctu in carcere fulmine ictus periit, acta iudiciaria ad ſe deferri Ludouicus imperauit: quæſitorem Andegauenſem, eiúſque ſcribam Petrum Saciergeſium honoratis, opulentíſque muneribus donauit, acta ipſa retinuit.

Fœdus inter Ludouicum, & Burgundionem iureiurando ſancitum.

Aquitanus & Monſorella Perſico malo (vt creditur) extincti.

35 Morte Aquitani nuntiata bona Aquitaniæ pars aut ſua ſponte, aut vi ad Ludouicum defecit: is enim magnum exercitum ad Santonum portum habebat, cuius terror totam Aquitaniam inuaſerat. Britanni, & qui cum ipſis ſentiebant Galli proceres mortuo Aquitano, cuius nomine arma ſumpſerant, Ludouico reconciliati quieuerunt. ipſe Ludouicus fœdus recens iureiurando ſancire recuſans Quingeium re infecta dimittit. Eodem tempore hæc Burgundioni renuntiantur, quum fortè ad illum Nicolaus Calaber filiam eius ambiens à Rege defeciſſet, quem vt cæteros procos benignè exceptum, & bona ſpe impletum liberaliter accepit; huic Annam filiam natu maiorem Ludouicus ante deſponderat: verùm is Burgundicarum prouinciarum cupiditate incenſus opulentiorem dotem Regiæ affinitati prætulit: ſed proximo anno Nancium totámque eam regionem peſte infeſtante ſublatus Comitem Vadamontanum, ſeu Vadanimontis hæredem reliquit: Anna Petro Borbonio mox Boiorum regulo nupſit. Aquitani mortem ęgerrimè ferens Burgundio, & quod à Ludouico eluſus eſſet ira ſuccenſus litteras paſſim in Galliam mittit: Regem parricidij inſimulat, eidem inuidiam conflare, & tumultum aliquem concitare, ſed fruſtra conatur. Quinetiam per Iterium mercatorem, & Ioannem Audacem Aquitani ante, tum ſuos domeſticos Ludouicum veneno aggredi ſtatuiſſe fertur deprehenſus: certe Ioannes Audax diu in vinculis fuit: & tandem quæſtione habita Lutetiæ ante ædes publicas in parteis quatuor diſſectus eſt.

Picardiam cum ingenti exercitu ingreſſus incendiis, quod nunquam antea, vbique vaſtat, id prætexens quod Luceburgenſis equitum magiſter Hannoniam cum expeditis militibus nuper inuadens Seuram Baldumi Launaij arcem non ita dudum incendiſſet, hactenus enim vtrique mitiorem belli rationem ſequuti ædificiis pepercerant: Nellam oppidulum infirmum tertio Id. Iun. anno eius ſeculi ſeptuageſimo ſecundo oppugnat, & facile expugnat. Præſidio erant aliquot ſagittarij pedites, quorum bona pars cæſi, alij cruci affixi, aliis manus amputatæ. Tubicinem Burgundionis, aut quem vulgo Heraldum vocamus, in bellis ſacroſanctum, & duos præterea milites inter colloquendum occiderant: vnde inducias interruptas interpretatus eſt. Inde Roiam progreſſus vrbem facilè capit: mille & quingenti ſagittarij pedites quod Nellanis accidiſſet, moniti, & veluti panico timore perculſi ſe ex muris deiecerunt, ac protinus dediderunt: poſtridie, qui remanſerant cataphracti equites, aliíque nonnulli de vita pacti deditionem quoque fecerunt. Tum in Normaniam iter inſtituerat, ſed Crepecordius primi agminis ductor ad Bellouacos vſque excurrit: ſuburbium Pontificiis ædibus vicinum primo congreſſu capit, duo bellica tormenta (neque enim tum plura

Anno 1472.

Digitized by Google

habebat, neque quæ ad vrbium expugnationes neceſſaria ſunt comportarat) in portam exonerat. Portis effractis iam res ad manus venerat, quum Bellouaci arida ligna portis iniiciunt, ignémque ſupponunt: ſic Burgundis ingreſſu prohibitis Crepecordius ad Burgundionẽ, vt acceleret, mittit. Ille vbi appulit vrbem igne extincto facilè capi poſſe, iam ſuam eſſe, iam incendio vaſtatum iri, ſibi ſpondebat: nulla intus erant præſidia, Vallaguius dumtaxat cum paucis militibus aderat. Quod ſi portam, quæ Lutetiam reſpicit, circumſediſſet, foſſáque vallaſſet, haud dubium quin in eius poteſtatem vrbs auxiliis deſtituta veniſſet: ſed poſtridie mane, hoc eſt, tertio Kal. Iulias magna equitum, peditúmque auxilia intromiſſa dubios ſuo aduentu ciuium animos, incertóſque confirmant: quæ ad propugnationem faciunt, prouident; & ſuas quibuſque regiones tuendas deſcribunt. Inter hos Luceburgenſis equitum magiſter, Ioachimus Roaldus Loeacúſque Mareſchalli, Cruſſolus, Valleus, Croius, Sallezarius, Vignolius omnes veterani duces, alarúmque equeſtrium ductores eminebant. Totos tamen quindecim dies tormentis bellicis vrbs acerrimè quatitur, muri latè diruuntur: quæ ad oppugnationem opus erant, præparantur: tum de inuadenda deliberauit, atque vt inuaderetur, ſolus perſtitit: cæteri tantas vires, vel ſepe obiecta haud facilè capi poſſe dixerunt. Oppugnatur nihilominus vrbs ab ea regione vbi portam igne ſuccenſam ſcripſimus: ab altera parte foſſa aqua referta ponte tranſmittenda erat: ab altera foſſam aridam machina bellica infra terram librata defendebat. Cæterum ſicco pede ad murum accedi, ſed acceſſu perdifficili poterat: ponte erecto oppugnatio indicitur, res ſtatim ad manus deducitur, quà foſſam aqua non implebat, ad ſummum murum vſque peruenitur: diu & hic, & illic ab vtriſque pugnatur: ſed Burgundis vtrobique ſtrenuè repulſis oppugnationem redintegrandam Burgundio non putauit: quos, vt feſſis, vulneratiſque ſummitteret, paratos habebat, reuocauit: nec tamen ſtatim inde migrauit, ſed ſeptimo poſt die partem exercitus ad portam, qua Lutetiam itur, transferre in animo habuit. Verum ſolus in ea ſententia fuit, cæteri diſſenſerunt: quod magna intus (vt dixi) præſidia eſſent, & fluuius tametſi vadoſus intereſſet, vt alteri altera pars commodè auxilio eſſe non poſſet.

Bellouacum oppugnat Burgundio, ſed fruſtra.

Quum nihil proficeret ad inſtitutũ in Normaniam iter rediens Euum, fanũ Valerij, Caſtellũ nouum non magna oppida capit, atque totã eam regionẽ ad Dieppam vſque & Rothomagum incẽdiis vbique vaſtat: poſtremo ad Rothomagũ caſtra metatur, quò & ipſe, & Britannus ex cõpromiſſo conuenire debebant, ſed Aquitani intẽpeſtiua mors Britannum retardauerat, & iam Britanniæ cum exercitu Ludouicus imminebat; inſtante hyeme in Flandriam Burgundio reuertitur. Oppida in Normania capta recipiuntur; recuperatam morte fratris Aquitaniam Petro Borbonio, quem ſibi paulò poſt generum aſciuit adminiſtrandam tradiderat Ludouicus. Is prouinciam ſibi commiſſam luſtrans Lectorij à Comite Arminiaco ſub finem Octobris minoris Allebreti proditione capitur. 36

Anno 1473. Rex indignatus copias ſuas ad circumſedendum Lectorium mittit: Nonis Martij anno eius ſeculi ſeptuageſimo tertio de vita pactus Arminiacus exire debebat: iurgio cũ Regiis fœderis ſpecie ingreſſis ſuborto ipſe Arminiacus cum ſuis cæſus, vrbs direpta, atque incenſa eſt: tanta immanitate, vt vix ſex aut ſeptem partim viri, partim fœminæ incẽdio ſuperfuerint. Sub finẽ Aprilis ad Arragonenſem Perpennianenſes defecerũt, arx in Galli fide permãſit: huc quoque exercitũ miſit Ludouicus: ſed certis conditionibus Perpennianum non ſtatim, verũ anno eius ſeculi ſeptuageſimo quinto ineunte reſtitutũ: nam longa ea obſeſſio factis nonnunquã induciis quodammodo interrupta mox inſtaurata fuit. Hoc ipſo anno ſeptuageſimo tertio (inquã) mortuo Nicolao Calabro Comitẽ Vadamontanum, ſeu Vadanomontanum Lotharingici Ducatus hæredem per quendam Germanum Comitem comprehendendum curauit Burgundio, vt Lotharingiam ſuas ditiones quaſi diametrum ſecantem occuparet. Contra Ludouicus nobilem adoleſcentem Federici Imperatoris propinquum, & tum Lutetiæ litteris operam nauantem in cuſtodia haberi iuſſit, vt Vadamontanũ eius permutatione recuperaret. Nec eo contentus Burgundio Federicum Imperatorẽ vt ad Luceburgenſes, Mediomatricéſque accederet variis artibus induxit; vtque eius opera in Mediomatricũ Metropolim intromitteretur, procurauit: ſed Mediomatrices hominis ambitioſi perſpecta ſenſa habẽtes portas aperire recuſarũt: ita vtroque Mediomatrico pariter, ac Lotharingico agro excluſus eſt. Tum à Britãno ad Ludouicũ, & viciſſim à Ludouico ad Britannũ crebræ legationes cõmeabant. Ex his Philippum Eſſartium Britãni, & Gulielmũ Supleuillã Leſcuni domeſticos priuatim ad ſe accerſiuit Ludouicus, & cum his conſilia ſua familiariùs communicauit, horum opera & cum Britanno fœdus iniit, & Leſcuno reconciliatus eſt. Leſcunus autem Aquitanum non longè abeſſe à morte animaduertens maturè, ne à Ludouico interciperetur, ſe ad Britannum receperat; duóſque

duóſque ex Aquitani domeſticis vinctos ſecũ duxerat, qui in ſuſpicionẽ veneni hero propinati venerant: alter illi erat à ſacris cõfeſſionibus (vt noſtri loquũtur) alter equorum magiſter; ſcutiferum equarium vulgo appellant. Hi diu in vinculis apud Britannum fuerunt.

37 Scutiferi autem nomine, vt hoc quoque breuiter explicemus, Galli noſtri vulgari ſermone ad varias ſignificationes abutuntur: ac primum communem quandam nobilitatis quaſi notam, aut aliquod inſigne deſignantes virorum nobilium, ſed inferioris ordinis cognominibus hanc dictionem addunt: nam ſuperioris ordinis homines nobiles ſignatores vocant, ſumpto à Græcis (ni fallor) vocabulo. Siquidem Homerus Reges etiam aliquando σημάντορας λαῶν vocauit, quaſi dicas populi ſignatores: quòd fortaſſe acta rerum ad Remp. pertinentium, maioriſque ponderis ſubſignarent, vt Senatuſconſultis ſcribendis Romani Senatores olim adeſſe conſueuerant. Scutiferos autem non à peditum, ſed ab equitum ſcutis dictos puto, quod Galli ſemper equeſtri gloria præ cæteris Gentibus excelluerunt. Antiqui Romani equitibus ſcuta, peditibus clypeos dederunt: tametſi progreſſu temporis ſcuta quoque pedites acceperunt, & vtroſque parmis (quod clypei genus eſt, clypeus autem rotundus, ſcutum oblongum fuit) verum pedites breuioribus Liuius vſos prodit. Sed iam noſtri equites ſcutis vti deſierunt, quanquam eorum vſus non ita dudum exoleuit: nam & ſub Franciſco I. huius nominis Galliarum Rege ſcutis adhuc nobiliores equites, atque alarum ductores vtebantur: ſcutiferos etiam equarios noſtri appellant, eos qui non ſolum alendorum, ſed & domandorum & aut ad prælia, aut ad curſum inſtituendorum equorum curam gerunt: hinc ſummus Regiorum equorũ magiſter ſummus ſcutifer vulgo appellatur: quod munus perhonorificum eſt, quemadmodum ſuperiore libro fuſius explicauimus. Vt ad rem redeam: Leſcunum & patriæ amantem, & fratri fidum, & fœlici ingenio, raráque prudentia præditum quauis mercede, præmióque ad ſe pertrahere Ludouicus in animum induxit. Nunquam ille de Anglis in Galliam immittendis, nunquam de Normanicis vrbibus illis committendis conſenſerat, ſed ſemper Anglorum fautoribus veluti pro patria fortiter pugnans ſeſe oppoſuerat: quæ præcipua illius reuocandi cauſa fuiſſe fertur, vt raro benefacta ſuo præmio, licet dilato carent. Accedebat & illud, quod Rex cautus, & qui probè vicinorum Regum, regulorúmque ſenſus, atque ingenia nouerat, nihil ex tota Britannia maiore prudentia, aut excellenti virtute dignum niſi ab vno Leſcuno proficiſci priuatim teſtificabatur: itaque potentem regulum Leſcuno eius negotia procurante formidabilem, amoto imbecillum fore. Is igitur magna pecunia, ampliſque muneribus donatus apud Ludouicum, quoad vixit, in ſumma gratia fuit, Britanno in penſionem annuam pacta circiter quinquaginta nummûm aureorum millia, media pars perſoluta: nec dignis præmiis Eſſartius, ac Supleuilla caruerunt. Tum ſe à Ludouico accerſitum Philippus Cominæus rerum eius geſtarum ſcriptor egregius memoriæ prodidit: id & hominis prudentiæ & officio Peronæ exhibito, dum in cuſtodia propemodum Ludouicus haberetur, Regem ſapientem tribuiſſe, & ipſe Cominæus alicubi ſignificat; & mihi Petrus Anlezius auunculus aliquando narrauit. Cominæum & magnis diuitiis auxit, & honorificis muneribus ornauit, & pleriſque legationibus Ludouicus exercuit, eiúſque opera familiariter, quoad vixit, ac conſilio vſus eſt: ſic paulo ante Tanneguium Caſtellum virum prudentem à Britanno abalienatum ad ſe inuitauerat. Ita ſummus ille Rex viros ſapienteis, forteis, induſtrios quauis ex regione, quantalibet mercede ſibi comparare, ac lucrari conſueuerat: atque eum maximum quæſtum ducens eoſdem veluti in ſacro ſuorum conſiliorum theſauro reponebat.

Scutiferi nomen apud Gallos quid.

Benefacta rarò ſuo præmio licet dilato carent.

Virorum fortium & induſtriorum multitudo Ludouico maximus quæſtus fuit.

38 Poſt Ludouici mortem inimicorũ inuidia mẽſes viginti Lutetię Cominæus in cuſtodia habitus eſt: mox comperta eius innocẽtia eductus Carolo VIII. Galliarum Regi, cuius res geſtas etiam ſcripſit, acceptiſſimus fuit. Pace cum Britanno inita in Picardiam reuertitur Ludouicus: ſemeſtres inſtante hyeme, aut interdũ annuas facere inducias ipſe, ac Burgundio ſoliti erant: ac tum in id quoque incumbebant. Pacem Britannicã profert Ludouicus, qua Britannus Anglis, Burgũdioníque ſocietatem renuntiarat; idcircóque Britannũ inter Burgundionis ſocios, aut fœderatos numerari haud debere contendebat. Contra inſtabant Burgundionis legati, Britannóque optionem, vt intra præſcriptum tempus vel à Ludouico, vel à Burgũdione ſtaret, relinquebant: Britannũ antea aliquot diplomatis Burgundioni ſocietatem renuntiaſſe, re ſemper ſocium fuiſſe: Britannũ pleraque non ex ſuo, ſed ex familiariũ iudicio agere, cæterũ mox ad id quod magis ex vſu erat, redire exiſtimabant. Hæc dum vtrimque pertractantur (pertractabantur autẽ anno huius ſeculi ſeptuageſimo tertio) vtrique de Luceburgenſi equitũ magiſtro tacitè querebantur: hunc vnum omnium inter Regem, Burgundionemque bellorum authorem, atque architectum inſimulabant:

Digitized by Google

inde ab vtroque timeri, inde potentiam Luceburgenſem ſibi quærere, inde immenſas diuitias ſibi comparare aiebant. Acerrimos ex Burgundis inimicos habebat Himbercurtium, atque Gulielmum Hugonetum Burgundionis Cancellarium. Antiquæ illi cum Himbercurtio inimicitiæ erant, ſed recenti de cauſa mirum in modum auctæ: Roiæ non ita pridem conuenerant, & quum de pleriſque negotiis diſputarent, Luceburgenſis, qui Regis cauſã agebat, acri altercatione vtrimque excitata ita tandẽ exarſit, vt mentiri Himbercurtiũ diceret: ea vero inter viros nobiles noſtro more ſumma contumelia eſt, quam qui metu, aut alia de cauſa ferunt, nec aliquãdo vlciſcuntur, nobilitatis titulo indigni exiſtimantur. Luceburgenſi nihil aliud reſpondit Himbercurtius, niſi eam contumeliam non in ſe, Hugonetúmque, ſed primùm in Regem redũdare, cuius rogatu fide publica accepta Roiam acceſſerant, tum in Burgundionem, cuius perſonam ipſe, atque Hugonetus Cancellarius ſuſtinebant. Amici inter ſe erant Himbercurtius, atque Hugonetus, & quod eamdem cauſam agebant, contumelia in Hugonetum quoque recidebat.

Himbercurtÿ in excipienda contumelia ſingularis modeſtia.

Hæc cõtumelia parua ex occaſione orta Luceburgẽſi homini tã potenti, tam claris natalibus oriũdo, vnde plures Imperatores Germania viderat, tãtis affinitatibus munito (nam & Carlotę Sabaudicę Galliarũ Reginæ ſororẽ ipſe, & ſororis eius filiam Eduardus Anglus vxorẽ duxerat) præcipuã mortis cauſã attulit; nec ita multo poſt Hugoneto viciſſim atque ipſi Himbercurtio. Videant viri potẽtes, qui paruis de cauſis atroci iracũdia ſæpius efferũtur ne humiliorũ fortunã aſpernati eoſdẽ contumelioſis verbis inceſſant, aut reipſa lædãt: ne fortunæ numẽ pariter experiãtur, aut potius diuinã prouidentiam acrẽ arrogantię omnis, ſuperbięque vltricẽ in ſe grauius accendãt. Videant homines peruicaces vltionis nimis cupidi, ne in eos ipſos tandẽ recidat, quod in hoſtes, inimicóſve incõſiderati machinantur. 39

Anno 1474.

Hac re diu vltro, citróque pertractata, quod nondũ ſatis liqueret, viſum eſt, vt ad præſcriptum diem Bouinis Namuriani agri oppido iterum conuenirẽt. Conuenere illuc anno proximo, hoc eſt, eius ſeculi ſeptuageſimo quarto à Rege Curto Leuionicũ prætor, ac Ioãnes Hebergus mox Ebroicenſis Pontifex; à Burgundione Hugonetus Cancellarius, atque Himbercurtius Burgũdi inſtructiores, quòd omnibus inter Regẽ, Burgũdionémque initis fœderibus affuerant, omnia bellorũ ſæpe renouatorũ conſilia nouerant, multas, ac graueis protulere cauſas, quibus Luceburgẽſis erga vtrũque principem læſæ Maieſtatis reus conuinceretur: nam in vtriuſque fide diuerſis de cauſis erat, hoc eſt, ob diuerſa feuda (vt loquuntur) vtrumque patronũ agnoſcebat. Conuentiones Bouinis initæ huiuſmodi erant, vt qui prior Luceburgenſem prehenderet, intra octo dies morte plecteret, aut alteri in manus traderet: vt publicè Luceburgenſis, & quotquot illi adeſſent, voce præconis hoſtes vtriuſque declararentur, Quintinianos Burgundioni Ludouicus redderet: eidem condonaret Hanum, Bohanum, cæteróſque fundos, qui in Burgundionis fide eſſent, vterque copias ad circumſedendum Hanum, vbi tum agebat Luceburgenſis, mitteret. Luceburgenſis horum magna ex parte certior factus, vt res magnas, diúque, ac ſæpe agitatas etiam viris ſapientibus tacere difficile eſt, fanum Quintini deiecto Regio præſidio ſuo milite implet: diligenter ad vtrumque mittit, omnia ſe noſſe ſimulat, vtrumque mira arte fallit: Ludouicum in primis, cui hæc Burgundionem machinari, vt ipſum ad ſuas parteis pertrahat, perſuadet. Timidior natura Ludouicus Bouinas celeriter mittit; legatis ſuis præcipit, aduerſus Luceburgenſem ne quid ſtatuant, inducias prorogent. Prudentes erant, & amici inter ſe vtrique legati: conuentiones iam ſubſignatas mutuo reddiderunt, & rem tantam, quantum in ipſis fuit, ſapienter tacuerunt.

Conuentionum Bouinis initarũ capita Luceburgenſem læſæ Maieſtatis reum declarabat.

Paucis poſt diebus Ludouicus ipſe, ac Luceburgenſis inter Nouiodunum, ac Feras ad aggerem fluuio impoſitum craſſis ligneis cancellis interiectis colloquuti ſunt. Prior acceſſit cum trecentis cataphractis equitibus Luceburgenſis, cui veſtis ſuperinducta, nec cincta thoracem chalibeum, ita, vt facile videri poſſet, tegebat. Succeſſit Rex cum ſexcentis, & cum Rege Antonius Chabaneus Comes Dommartinianus ſummus Regiæ familiæ magiſter Luceburgenſi infeſtiſſimus. Excuſauit ſe Luceburgenſis, quod armatus cum armatis ad Regem accederet: ídque ſe Dommartiniani metu feciſſe cauſatus eſt: vt anteacta omnia obliuione tranſmitterentur, conuenit: & diductis cancellis ad Regẽ Luceburgenſis trãſiit, ac Dõmartiniano, Rege id ab vtroque poſtulante, recõciliatus eſt. Nouiodunum etiam Regẽ ſequutus ipſi quoque probè recõciliatus ſibi videbatur, poſtridie tamen ad Quintini fanum rediit. Inde Luceburgenſis homo alioqui prudens, ac rerum experiens magnos ſpiritus ſumpſit, quod ſe à Rege timeri intellexerat: ídque ad exiſtimationẽ ſuam augendam facere arbitrabatur, & nonnullos in eam opinionem traducebat. Verumenimuero hoc omnibus natura inſitum eſt, vt quos timeant, licet in tẽpore diſſimulent, eoſdem oderint, 40

oderint, nedum principibus, qui timeri ab omnibus, timere neminem volunt. Exemplo hic vnus multorum vice eſſe poteſt;cui hoc præſertim nomine infenſi Rex pariter ac Burgundio nulla alia vnquam de re,niſi de eius morte,conſenſerunt. Hic faſtus,atque audacia inter aulicos ex eximiis plerumque meritis emanare conſueuit: qui enim ſuos Reges ob egregia aliqua facinora ſibi quodammodo obnoxios putant, plura ſibi deberi exiſtimant,& maiore loquendi libertate vti ſolent.Hinc adulatoribus ad calumniandum locus patet ampliſſimus, quibus refertæ magnorum principum aulæ eſſe ſolent. Sic Varuicus tranſlato (vt ſupra commemoraui) ab Henrico Liceſtriano ad Eduardum Eboracenſem Regno,quum Eduardum Regnum ſibi acceptum ferre debere exiſtimaret, intolerãtiùs ſe gerens,regníque quaſi adminiſtrationẽ vſurpans in Eduardi ipſius indignationem incurrit,& ab eodem paucis poſt annis cum tota familia cæſus eſt. Itaque qui aulicæ vitæ gnari putantur, fœliciores eos, qui nullo ſuo merito ſingulari ſuorum principum beneuolentia ad magnas opes, altiſſimáque rerum faſtigia proucuntur, exiſtimant, quam eos qui ad eadem ingentibus ſuis meritis, induſtriáque peruenerunt: plus enim principes ſe ab illis, quos ſola ſua liberalitate ſibi deuinxerunt, amari putant, quam ab iſtis, quibus quod debebant, dumtaxat exoluerunt. Sed virtus omni fauore aulico, opibúſque, & honoratis quibuſque muneribus longè præſtat: huius qui compotes ſunt,cæteris merito ſe fœliciores exiſtimare poſſunt. Iidem aulici ſumma merita, ſumma quandoque ingratitudine (vt ita loquar) compenſari autumant: non ſolum principum errore, aut ignauia, qui ea non agnoſcunt, neque gratiam habent: ſed etiam eorum ipſorum, à quibus proficiſcuntur, tum aduerſus principes, tum aduerſus familiares inſolentia. Et hæc quidem de principibus in commune dicta ſint: ſunt enim homines, & errare, vt cæteri, ſolent. Multos excipio, qui eximia quadam prudentia virtuti ſua præmia ſapienter admetiri ſolent, qualem meo iudicio in Galliis noſtris Ludouicum huius nominis Regem Duodecimum merito nominare poſſumus.

Principũ eſt timeri ab omnibus velle, timere verò neminem.

41 Vt ad rem ipſam reuertar: digreſſo Luceburgenſi plerique de illius inſolentia palam, priuatímque murmurabant, quod armatus cum armatis ad Regem quaſi hoſtem acceſſiſſet: quod Regi obnoxios,regiíſque ſtipendiis authoratos milites aduerſus Regem eduxiſſet: quod per clathros cum Rege colloquutus eſſet,quod Regem cum magiſtro equitum ad colloquium venire quodammodo coegiſſet: quod Quintini fanum Curtone Regio præfecto expulſo occupaſſet.Quæ Ludouicus animo perpendens longè maiore,quam antea indignatione exarſit:tametſi prudenter cum illo colloquium inſtituit:nam ſi Quintini fanum Burgundioni reddere Luceburgenſis in animum induxiſſet, haud dubium quin in gratiam cum Burgundione rediiſſet. Atqui (inquiet aliquis) num alteruter,Rex ſcilicet, aut Burgundio de Luceburgenſi ſupplicium ſumere potuit? Non potuit (inquam) ſiquidem fanum Quintini, Hanum, Bohanum, & alias præterea vicinas ſui patrimonij arceis egregiè munitas, & inter vtriuſque ditiones interiectas Luceburgenſis in ſua poteſtate habebat: eò, quæ volebat,præſidia vel ex Gallis, vel ex Germanis,vel ex aliis nationibus immittebat: ingentem pecuniam ex amplo patrimonio, ex annuis penſionibus, ex vectigali vinario cõgeſſerat:ex quolibet vini modio(vt noſtri loquũtur) quod in Flandriã, Hannoniámque cõportabatur,nummũ aureũ extorquebat:magnas vtrobiq; poſſeſſiones, magnas cognationes habebat:alteri inimicus,alteri amicus erat.Itaque vtriuſque amicitiã æquata propè lance metiebatur:in quẽ propendebat,magnũ illi momentũ afferebat.Tum Bouinana conuentione eluſa, non tamen penitus vitata fatum imminens in proximum annum differre, immutare certè non potuit, vt ſuo loco deinceps explicabimus.

Luceburgenſis inſolentia omnibus grauis & moleſta.

42 Hæc dum in Picardia geruntur nondum finitis induciis, in Sicambros (Geldubenſes & Gueldrenſes hodie vocant) Burgundio proficiſcitur, vt eius Ducatus poſſeſſionem adiret ab Arnulpho Geldubenſi regulo exhæredato Adolpho filio ingrato hæres inſtitutus. Exhæredationis cauſa iuſtiſſima fuit: Adolphus enim, qui Ioannis Boiorum reguli ſororem in aula Burgundica vxorem duxerat, Geldubenſi Ducatu frui properans ſenem patrem ſub noctem cubitum euntem captum abripuit; & pene nudum ſine calceis, ſine tibialibus, ſine femoralibus decem millia Germanica aſpera hyeme trahens peditem ſe noctu ſequi coegit: ita vexatum in obſcurum carcerem detruſit, ibidem ſex totos menſes in cuſtodia habuit. Rei indignitate permotus Cliuenſis pro Arnulpho ſororis viro liberando bellum aduerſus Adolphum gerit: Romanus Pontifex, ac Federicus Imperator apud Burgundionem agunt, vt ſenem patrem à filij crudelitate aſſerat,fauebat Adolpho affini Burgundio,eundémque patri reconciliare conabatur: vtrumque ad ſe accerſitum, & cauſam ſuam agentem ſæpius audiuit, quum iuuenem filium

Filij in patrem crudelitas inaudita.

Digitized by Google

Pater admodũ ſenex ad ſingulare certamen prouocaret. Tandem, vt eoſdem inuicẽ conci-
liaret, adminiſtrationem Geldubenſis Ducatus cũ prouentu annuo Adolpho filio offert:
Grauam oppidulum cum vſufructu ad tria florenorum millia, & totidem in penſionem
annuam Arnulpho patri excipit, ea quidem conditione vt pater dux, ſiue regulus, filius
adminiſtrator dũtaxat diceretur. Has conditiones Burgũdionis nomine Adolpho obtulit
cum quibuſdam aliis Cominæus: Adolphus ſe patrẽ potius pronum in puteum pręcipitem
acturum, ſéque inſuper præcipitaturum, quam vt has conditiones acciperet; multáque id
genus alia reſpondit: patrem quadraginta quatuor annos Geldubenſi prouincia potitum,
iam vt filio viciſſim cederet, tempus eſſe: ſe patri tria florenorum millia in penſionem an-
nuam concedere, modo ne in Sicambriam, hoc eſt Gueldriam (vt nunc vocamus) rediret.
Hæc tum, quum Ambiani, Quintinianíque ad Ludouicum deficerent, acciderunt, quorũ
certior factus ſuperioribus controuerſiis in aliud tempus reiectis Hiſdinũ Burgundio con-
ceſſit: Adolphus ſe clam ſubducere conatus, & inter fugiendũ interceptus Namurij in cu-
ſtodiam traditus eſt: ibíque aſſeruatus, donec poſt Burgundionis mortẽ à Gandauenſibus
Mariam vnicã Burgundionis filiam illi in matrimoniũ dare cupientibus eductus ad Tor-
nacum cæſus eſt, paucis poſt diebus, quam è cuſtodia emiſſus fuiſſet: vt iuſtas impietatis
Arnulphus filium Adolphum exhæredat.
pœnas meritò dediſſe videatur. Arnulphus igitur in morbum lapſus ingratum filium ex-
hæredauit, Burgundionem ex aſſe hæredem reliquit. is Sicambriam (vt dixi) cum exercitu
ingreſſus paucis reſiſtentibus facile ſubegit: tantáque prouincia auctus magnos ſpiritus
concepit, ac Germanis vicinus Germanicis rebus animum adhibere ſtatuit. Non deerant
occaſiones: Federicus Imperator animo perpuſillo, atque auaro, nihil dignum tanto no-
mine gerebat, omnia impenſas metuens tolerabat, omnia ad Imperij principes referebat.

Magna tum etiam de Colonienſi Pontificatu inter Rupertum Comitem Palatinum, & 43
Hermannũ, Lantgrauium controuerſia intercedebat: huic ſe immiſcere, & aliquot vrbeis,
arceíſue ex Colonienſi agro auxilij præmia in ſuam poteſtatẽ redigere, poſtremò Rhenum
antiquũ Galliæ, Germaniæque limitem ſuum quodammodo facere deſtinauit: vna autem,
quæ reſiſteret, ſupereſſe Agrippina (Coloniã etiam appellant) videbatur. Lantgrauio Fede-
ricus, ac Colonienſes fauebant. Palatinum expulerant. In Palatini infirmioris partes con-
ceſſit Burgundio, vel quod maius inde emolumentum ſperaret, vel quod Federicum con-
temneret, vel quod etiã odiſſet: quinquennio enim ante arceſſente Burgundione ad Tre-
uiros Federicus acceſſerat, vt de matrimonio Maximiliani filij cũ vnica Burgũdionis filia
Burgundio ſe Regẽ Galliæ Belgicæ declarari ab Imperatore nequidquã poſtulat.
conueniret. Sed longè aliud Burgundio procurabat: ſe enim Galliæ Belgicæ Regem, quod
Philippo patri inſtãte Pio II. Pontifice Maximo idẽ Imperator ante promiſerat, declarari
volebat: vtque regnũ eſſet auguſtius, quatuor Pontificatus eidem attribui poſtulabat, qui
nõ amplius Imperatorem, ſed deinceps hunc nouũ Belgicę Regem patronum agnoſcerẽt.
Re in cõſilium vocata poſtulatis tã alienis indignatus Imperator, quíque illi aderant Ger-
mani proceres reſponſione dignum Burgundionẽ non putarunt, eóque inſalutato tametſi
magnis illius impenſis liberaliter accepti ſe protinus ſubduxerũt. Repulſæ impatiens Bur-
gundio iam tum ad alias cogitationes traductus eſt, Rhenum ſuarum ditionũ limitem et-
iam inuito Imperatore ſtatuere, Lotharingiam inuadere decreuit, vt vna cum Lotharingia
regni Siculi, Hieroſolymitaníque titulos vſurparet, quæ diu meditata occaſione data ex-
equi properauit: vt autẽ, quæ ſpe iam deuorabat, facilius exequeretur, inducias cũ Ludo-
uico Rege in ſex menſes prorogandas procurat. Ludouicus hominis ingeniũ perſpectum
habens, & eorũ, quæ animo agitaret, non ignarus, multis contradicẽtibus nihilominus aſ-
ſentitur. Natura ita affectus erat Burgũdio, vt quo perplexior eſſet, eo ſeſe magis impedi-
ret: nihil expedire, miſcere potius, aut abrumpere omnia tentaret: atque, vt de Pyrrho Epi-
rotarum Rege quondam dictum eſt, qui ſpe conſequendorum eorum quæ non haberet,
neque legitimè fortaſſe poſſidere poſſet, etiam quæ iure poſſideret, amitteret. Tanta præ-
terea pertinacia erat, vt vadentem ad exitium retinere nemo poſſet: turbidum hoc inge-
nium, ſi Germanis impingeretur, qui cõſentientes profectò plurimum poſſunt, contuſum
iri Rex ſapiens minime dubitabat. Itaque legatos ad Federicum Imperatorem miſerat, qui
Germanos aduerſus Burgundionem accenderent: ad Regem viciſſim Imperator, Impe-
ríique principes, atque Agrippinenſes, qui non ſolum ſe è Germania repulſuros Burgun-
dionem iactarent: ſed & Burgundicis poſſeſſionibus deiecturos, & ſi Rex ſe huius belli
ſocium profiteretur, eiſdem illi ceſſuros promitterent. Hi ne renouarentur induciæ omni
ope contendebant, & quamplurimos ex Gallis fautores habebant, qui Germanos, Gallóſ-
que communibus viribus pręſentem perniciem Burgundioni importaturos prædicabant.

Ludouicus, vt vtriſque ſatisfaceret, Burgundioni inducias rogãti prorogauit, ne omiſſa 44
Germania

Digitized by Google

Germania Anglis iunctus,qui ingenteis copias paratas habere ferebantur, in Galliam totas vires conuerteret:Germanis magna auxilia promiſit, Burgundionémque à ſuis diſtractum in peregrino ſolo longè facilius ſuperatum iri confirmauit.Interea Nuſſiā ab Agrippina octo Germanicis milliaribus diſtantē Burgundio æſtate ineunte circumſedit. In vrbe erat Lantgrauius Heſſus Pontificis frater cum plerìſque ſuis propinquis,& præter pedites, quot vrbi propugnandæ ſatis erant,cum mille & octingentis equitibus.Ea nihilominus ſe paucis diebus facile potiturum Burgundio ſperabat,quod maiorē,præſtantiorémque nunquam antea exercitum,maiorem tormentorū bellicorum copiam nūquam eduxiſſet:nam præter ſuos quos vndique acciuerat,mille cataphracti equites Itali Nicolao Baſſo,& Iacobo Galeoto ductoribus,ac tria Anglorū peditum ſtrenuorū millia acceſſerant. Hunc tantum exercitum cōpararat, vt capta Nuſſia, egregiéque munita,ac perterrefacta Agrippina Palatinum in ſui Pontificatus poſſeſſionē induceret:ſiquidem Imperatorem intra eā æſtatem Agrippinenſibus auxilio haud futurū ſciebat,mox cum Anglis & Britānis diuerſis ex locis in Galliam inuaderet: quippe ita ante Burgūdio Anglus,Britannus compromiſerant, & rebus Gallicis ex ſuo arbitrio cōpoſitis ad domandas Rheno adiacenteis vrbeis rediret; tot,tantáſque ille res animo agitabat,& eodem tempore cōficiendas ſuſceperat.Anglus in pecunia, exercitúque cogendo annum integrū impendit:nullum enim Angli niſi Gallico, Scoticóve bello tributū Regi pendunt,neque id temere,ſed ex conſenſu eorū,qui hoc nomine conuenire ſolent,Parlamentū illi,Galli trium ordinū conuentum appellant.Ibi Rex quibus bellum,quáque ratione inferat,quāta in bellū pecunia,quantíſque copiis ſibi opus ſit,docet,ídque,vt cōmuni conſenſu ſanciatur,poſtulat.Hinc Angliæ Reges,quum pecuniam à ſuis extorquere cupiunt,bellū in Galliā,Scotiámve ſe ſuſcipere ſimulant:pecuniam in annum ex Anglicorum ordinū decreto exigunt,exercitū educunt, ſtipendióque militibus in treis menſeis perſoluto exercitū commentitia aliqua ex occaſione dimittūt ſibi reliquam pecuniam reſeruant:quod & hic Edouardus natura prodigus factitauit.Ea vetus in bellis ſuſcipiendis, pecuniáque exigenda conſuetudo & in Anglia, & quondam in Gallia viguit: ne Reges ex ſua libidine iniuſta bella vel ſuis pernicioſa ſuſciperent, aut bellorum ſpecie populos ſuarum ditionum miſerè affligerent,quæ vtinam ad noſtra vſque tempora inuiolata permanſiſſet. Melius quippe & cum ipſis Regibus,& nobiſcum ageretur: illi de conſilij ſententia imperarent, nos promptioribus, æquioribúſque animis imperatis obtemperaremus,res ex æquo, & bono conſtitutæ ad fœliciores exitus peruenirent.

Nuſſia à Burgūdione obſeſſa.

Regum Angliæ conſuetudo ad obtinendam à ſuis pecuniam.

45 Primus Carolus Septimus neceſſitate quodammodo adductus non conſultis tribus ordinibus pecuniam in militū ſtipendium præſertim equitum indixit,ſoli viri principes magnarum prouinciarū reguli,vt in ſuis ditionibus exigerentur,aſſenſerunt:ob ídque annuis penſionibus donati ſunt,quas hæreditarias,quod ad hæredes tranſirent,vocarunt:at(quod mirum dictu eſt)omnes eorum,quotquot aſſenſerunt,poſteri mares intra id ſeculum defecerunt,prouinciæ Gallico ſceptro addictæ ſunt: Præſidia tū in Normania,& in Aquitania prouinciis nuper ab Anglis vindicatis collocanda erant,&,quod cōtinua diu bella viguiſſent,qui miſeram plebem ſuis rapinis exinaniebant,equites in ordinem cogendi erant:ſtipendio annuo propoſito à rapinis,& plebis iniuriis abſtinebant.Id tum fortaſſe non inutile quidem fuit, ſed malo exemplo ad ſucceſſores Reges, qui plura ſemper, quam maioribus ſuis, ſibi licere putant, tranſlatum effecit, vt iam nemo ſuum quicquam, ac proprium poſſidere dicatur,quantam enim volunt,pecuniam Reges imperant,quæ aut pendēda eſt, aut ſolum vertendum, paterníſque, & auitis poſſeſſionibus cedendum. Hinc rebelliones emanare, & regnorum mutationes ſolent, quum non ex bono, & æquo regna adminiſtrantur, ſed prauis adulatorum, qui falſo Regibus omnia licere perſuadent, delationibus euertuntur:mille & ſeptingentos cataphractos equites cum attributis hippotoxotis paulò ante mortem ſtipendio authoratos Italorum principū more idem Carolus habebat,decies octies centena argenti pondo millia exigebat.Ludouicus XI.eius filius quatuor cataphractorum equitum millia,peditum vigintiquinque alebat,quadragies ſepties centena argēti pondo millia quotannis exigebat: Carolus VIII. non multa addidit,ſed magnum æs alienum cōflauit. Ludouicus Duodecimus,quum id diſſoluere cuperet,multáque grauiſſima bella aduerſus finitimos ſuſcipere coactus fuiſſet, tamen Georgio Ambaſiano Cardinale ſedulo in id incumbente moderatè (vt tempora ferebant) tributa imperauit,ac prudenter diſtribuit:vnde iure patriæ pater appellatus eſt;quantum cæteri à laudata veterum Regum modeſtia,& æquitate diſceſſerint,res geſtæ ſuo loco declarabūt.Vt eo vnde ſum digreſſus redeā:Edouardi exercitus,vt fert ea prouincia,maximus fuit,nomen dederant omnes Angliæ proceres:mille & quingenti cataphracti equites,hippotoxotarum quatuordecim mil-

Ludouicus XII. pater patriæ appellatus, & cur.

Digitized by Google

lia, peditum magna vis, & præter hos tria Anglorum peditum millia ad Franciſcum Britannum mittere Eduardus decreuerat. Ab Anglo, qui ab epiſtolis Regiis erat, emptæ ſunt ſexaginta argenti pondo litteræ Vrſei, mox ſummi Regiorum equorum magiſtri, tum Britanno militantis manu ſcriptæ ad Haſtinguium apud Anglos Regio cubiculo præfectum, quibus ille ſignificabat Britannum plus vno per coniuratos, quàm ſex menſibus Anglum Burgundionémque, perfecturum, quantaſlibet illi copias in Galliam immitterent, & re vera ita futurum viri rerum Gallicarum periti iudicabant, quod permulti è Galliæ proceribus cum Britanno ſentirent: ſui parati exercitus Burgundionem Nuſſiana iam obſidione occupatum admonuit Eduardus, & inde in Galliam reuocare contendebat, reuocabat & Britãnus, ac ne occaſioni deeſſet, inſtabat; pertinax animus Anglos, quos ſæpius in Galliã vocatos nunquã patria mouere potuerat, nũc trãſmittere paratos, & bellum flagitanteis Britanno in id ipſum incumbente dilationibus remoratur, & in proximum annum reiicit.

Interim Agrippinienſes, cæteræque Rheno adiacentes ciuitates ſedecim Germanorum 46
peditum millia coëgerunt, qui ex altera Rheni ripa caſtra è regione Burgundionis ponentes, & Burgundicas naueis, quæ commeatum è Sicambria aduerſo flumine comportabant, machinis bellicis impetentes prope vniuerſas depreſſerũt. Succeſſit Imperator Federicus, qui ſeptem totos menſes in cogendo exercitu traduxerat: nihil enim inconſultis imperij principibus poterat, qui cõmunibus impenſis bellum id ſuſcipere debebant, ij vbi primum ad Nuſſiam appulerunt, & caſtra Burgũdionis caſtris vix milliari interiecto oppoſuerunt, Theologo magni apud eos nominis Heſeburo vel Heſeuaro (vt alij ſcribunt) ad Regem Ludouicum miſſo promiſſa auxilia, hoc eſt, viginti tam equitum, quam peditũ millia petiuerunt: alioqui ſe cum Burgundione conuenturos denuntiarunt. Rex plura, quam peterent, pollicitus, Heſeburum quadringentis nummis aureis donatum, nec tamen, quod promiſſa auxilia haud præſto eſſent, contentum dimittit: cum illo Ioannem Tiercelinũ Broſſium ad Imperatorẽ, Germanóſque mittit, qui de auxiliis nondum miſſis, at iamiã mittendis ſatisfaceret. Quantis copiis Burgundiã Picardiámque Ludouicus infeſtaret, quas iam vrbeis cepiſſet, exponeret: ageret præterea, ne eorum alteruter ſine altero fœdus cum Burgundione iniret; quin potius Burgundicas prouincias, quæ in Imperij fide eſſent, Burgundione læſæ Majeſtatis conuicto Federicus ſibi adiudicandas curaret: Ludouicũ quoque, vt Flandria, Atrebates, vtraque Burgũdia; cęteráque, quæ in ſceptri Gallici fide ſunt, ſibi adiudicentur curaturũ. Poſtremum hoc Broſſij poſtulatũ Imperator apologo eluſit. [Vrſus ingens (inquit) quãdam Germaniæ vrbẽ grauiter infeſtabat, tres eius vrbis ciues de occidendo vrſo cõpromiſerunt, ad cauponem diuerterunt, ex vrſi pelle pecuniam ſe coacturos, illique ſatisfacturos polliciti, vt prandiũ crederet impetrarunt: bene pranſi ad vrſi ſpelũcam contendunt, inter eundum illis nec opinato vrſus obuiam prodit, territi ſtatim aufugiunt, primus arborem conſcendit, alter vrbem curſu repetiit, tertium interceptum, humique ſtratum vrſus diu conculcatum, cõpreſſúmque tenuit, mox ore ad aurem eius admoto an ſpiraret periculum fecit. Ille ſe mortuũ ſimulans ſpiritum quoad fieri poterat, interim continebat, vrſus reuera mortuũ ratus ad ſpeluncam redit: ea enim huius belluæ natura eſt, vt ſiue hominem, ſiue quoduis aliud animal corripuit, vbi amplius nõ mouetur, mortuũ putet, idque miſſum faciat. Vrſo in ſpecum regreſſo qui mortuum ſe ſimulauerat, ſe proripit; qui in arborem conſcenderat deſcendit, ſocium cõſequitur, quid illi vrſus in aurẽ inſuſurrarit, rogat: ſiquidẽ vrſi os diu ad eius aurem admotũ viderat. Reſpondit ſocius, vrſum monuiſſe de vrſi pelle amplius ne paciſceretur, antequam belluam certo mortuã eſſe ſciret.] Promiſſas autem copias ad Imperatorem mittere de die in diem differebat Ludouicus, quod cũ Burgundione vel pacẽ inire, vel inducias prorogare cupiebat; neque enim quot, qualéſque cum Britanno conſpiraſſent, neque quantas copias Eduardus paratas haberet, ignorabat: repulſam paſſus, quod Eduardum offendere Burgundio verebatur, Renatum Lotharingiæ, Sigiſmundum Auſtriæ regulos, Heluetios Burgundioni hoſteis procurat. Renatus acceptis à Rege auxiliis, quibus Cranus præfuit, Petram fortem (ſic enim vocant) quaſi dicas rupem aſperam Luceburgenſium arcem à Nancio quatuor duntaxat milliaribus diſtantem capit, ac diruit, & Luceburgenſem agrum populatur. Sigiſmundus fœdere cum Heluetiis Ludouico ſequeſtre facto non reddita pecunia (vt tradit Cominæus) Feretanum Comitatum recipit: Heluetij cum Baſilea, Argentina, cæteríſque Ciſrhenanis ciuitatibus vicinis; quibuſcum acreis antea inimicitias exercuerant, Ludouici opera ſocietatem in decennium coëunt. Ludouicus ipſe extremam Picardiæ oram, quæ Burgundioni parebat, atque Atrebates ferro, igníque vaſtat. Hęc omnia interim dum Burgundio Nuſſiæ tanquam ſcopulo polypus affixus hæret, acciderunt, & fati imminentis initia præbuerunt quorum nonnulla fuſius deinceps enarrabimus.

Broſſius inſigni apologo ab Imperatore eluſus.

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM

LIBER TERTIVS.

1 FLORENTEM hactenus Burgundionem, populíſque finitimis formidabilem; & cum Ludouico Rege pari prope Marte decertantem perſequuti ſumus, nunc inclinante fortuna ad exitum ſuum properantem deducamus: fœlicitas etiam in lubrico conſtituta interdum colluctatur, & ſeſe aliquandiu ipſa ſuſtentat, vbi mala appropinquant, celeri, præcipitíque gradu feruntur. Sic Burgundio à morte patris ſeptennio ſatis proſpera fortuna vſus, biennio ſeſe ac Burgundicum nomen, tantáſque opes prorſus euertit. Propinqui erant Ludouicus, ac Carolus Burgundio à Ioanne Valeſio Primo huius nominis Galliarum Rege quarta progenie oriundi, Ludouici enim pater Carolus Septimus fuit, huius Carolus Sextus, Sexti Quintus Ioannis Valeſij maior natu filius. Caroli Burgundionis pater Philippus, cognomento Bonus, Philippi Ioannes, Ioannis Philippus Audax, eiuſdem Ioannis Primi alter filius, ac Caroli Quinti frater. Apud Philippum Burgundionem ſexennium, quò patrem fugiens Ludouicus receſſerat, ſimul in tanta amicitia fuerant educati, vt nihil ad eam addi poſſe videretur. At eoſdem paucis poſt annis ita inter ſeſe fortuna commiſit, vt alterum in alterius ruinam, exitiúmque natum diceres. Paucis ex vrbibus, quas Somonenſes vocant, orta contentio vtrumque iactans, & nunc hunc deprimens, illum extollens; nunc contra exagitans, vtrumque penè ſubuertit. Quod ſi relicta Nuſſia meliore conſilio vſus cum Eduardo, ac Britanno arma in Galliam conuertiſſet Burgundio, haud dubium quin Ludouicum toto regno, vel certe bona regni parte ſpoliaſſet: tantula occaſio omiſſa fortunam vtriuſque commutauit! Et vt vtrumque breuiter deſcribamus, Ludouicus ingenio acri, ſed verſatili in eodem ſtatu diutius permanere non poterat, in pace bellum, in bello pacem quærebat, in proſpera fortuna magnos etiam viros parua ex occaſione lædebat, quorũ reconciliationem non paruo, immo vero tanti aliquando, quanti ipſi iudicabant, poſtea redimebat: homines mediocris fortunæ diligebat, ſublimes, & qui illius non magnopere indigerent, oderat. Itaque & veſtitu, & geſtu, & loquendi facilitate mediocritatem conſectabatur, oſtentationem omnem fugiebat, liberius plerumque loquebatur: præſenteis etiam nonnunquam offendebat, præſertim ſi ab iis nihil timebat, memoria illi ſingularis, ſermo expeditus, nec elatus: mira in conueniendis omnibus facilitas & humanitas inerat, necnon in reconciliandis, quos offenderat, dexteritas; ita ſeſe ille ſexennio, quo apud Philippum Burgundionem prope exul fuerat, magiſtra neceſſitate edoctus aſſuefecerat. Nam ſi apud ſuos in ſumma licentia, vt pleroſque principes videmus, multis multa, imo fere omnia aſſentantibus, paucis vera dicentibus, educatus fuiſſet, nunquam profecto ex iis, quæ illum tot, tantáque circumſteterunt, periculis ſeſe explicaſſet. Hinc non vulgarem prudentiam conſequutus, quos ſibi vel admodum prodeſſe, vel obeſſe poſſe intelligebat, maturè ſumma diligentia, ac pari liberalitate deuinciebat, & veteres inimicitias facile deponebat. Omneis quotquot non ſolum in Galliis, ſed in Italia, Hiſpania, Burgundia, Anglia, Britannia, cæteríſque finitimis nationibus inter ſuos excellebant, nouerat; & ſibi, quoad poterat, vel amplis muneribus conciliabat, vel aliquo officio demerebatur, iis ſi quando res ita ferebat, vtebatur. Nemo in periculis vigilantior, ac cautior, nemo prudentior fuit, natura timidiorem fuiſſe, qui diu cum illo familiariter vixit, ſcripſit Cominæus: ſed ea timiditas, prudentiam augebat, & cautiorem reddebat. Quid? quod Letherico prælio

Anno 1474.

Ludouici dotes animi & corporis.

prælio ſtrenuè depugnauit, & quamquam viribus inferior, tamen à nonnullis eius prælij faciendi author fuiſſe traditur. In Eburonica quoque oppugnatione, quum Eburones noctu egreſſi magno tumultu excitato in caſtra Burgundionis inuaſiſſent, turbati animi Burgundio, conſtantis ſigna Ludouicus dedit, vt vitium natura inſitum prudentia moderanti fortitudinem in tempore non defuiſſe intelligas.

Accedebat quod Regni initio à ſe Galliæ viros principes abalienarat, quibus tametſi 2
reconciliatis non ſatis in poſterum fidebat, vt nunquam de re ſumma cum Burgundione decernere auſus ſit, quæ res illi timiditatis opinionem plurimum confirmauit: vindictæ cupidum in nonnullos nemo inficiari poteſt; in pluteis fuiſſet, niſi naturæ vitium timiditas ſimul innata repreſſiſſet, multis tamen inimicitias facilè remiſit: plerumque ſecum vel inter epulas tanta animi contentione meditabatur, vt vix ſanæ mentis, aut ſui compos videretur. Illud commendatione dignum, quod errati eundem cito pœnitebat; &, ſi quo modo poterat, citius id corrigebat: palam etiam ſe erraſſe ſæpenumero profitebatur, tametſi omnia ex ſe, nihil aliorum admonitione facere videri volebat, prudenteis nihilominus viros permultos à conſilio habebat, iiſque facile aſſentiebatur. Mortuo Burgundione in Burgundia, Atrebatibúſque in ſuam poteſtatem redigendis fere ad mortem vſque occupatus fuit: tametſi iam ſenex cum Maximiliano Burgundionis genero Margarita eius filia Carolo Delphino in matrimonium collocata fœdus inire, & pace vbique conſtituta regnum continuis bellis exhauſtum componere cupiebat: ſed morte præreptus nihil horum præſtitit, fœdus duntaxat, & quæ poſtea irrita fuerunt, ſponſalia celebrauit. At Carolus Burgundio animo excelſo, vaſtóque ſemper ardua, immenſa, ſupra vires humanas quodammodo poſita cupiebat, & in his potiundis totus erat. Sermo elatus, geſtus, inceſſus, oris habitus, veſtitus eidem naturæ conſentaneus: viros ſummos omnis ætatis, eóſque permultos domi alebat, atque eos vniuerſos ita in officio continebat, vt nihil extra ordinem fieri videres, vt nihil militari diſciplinæ domeſtica cederet, natura liberalis erat: ſed quoniam multa multis danda erant, idcirco dona haud immenſa erant: tum enim tenuiorum fortunas inuadere, tributáque ex ſua libidine indicere principibus non licebat, vt non multis poſt annis ſibi plerique permiſerunt. Exteros omneis, præſertim verò principum legatos ſumma magnificentia exceptos non minori epularum ſumptu accipiebat. Gloriæ præ cæteris mortalibus cupidus erat, huius guſtum pugna Letherica primum hauſit, qua Ludouicum Regem potentiſſimum, prudentiſſimúmque ſuperauit; hinc tot, tantáque mox bella ſuſcepit, hinc nullam animo, corporíque in poſterum quietem indulſit. Primus manè ſurgebat, & legatis mittendis, litteris ſcribendis, aut aliis negotiis obeundis operam dabat, aut legatis ipſe reſpondebat, plurimúmque ea animi agitatione delectabatur, poſtremus cubitum ibat. Quoſuis, qui libellos ſupplices offerebant, vel conuenire eundem volebant, libenter audiebat: vbi à negotiis vacabat, in corpore exercendo non minus diligens erat: bellicis autem exercitationibus in primis delectabatur, aut hiſce potius ſe totum dabat. Quodlibet vitæ diſcrimen fortiter, & magno animo ſubibat, nec vllum vnquam timoris ſignum exhibebat: & tum hoc nomine, tum quod bella ex bellis ſerendo fere ſemper in armis erat, Terribilis vulgo appellatus eſt. Hæc ita totum illum rapiebant, vt aut nullum, aut minimum voluptati locum relinquerent, animum negotiis gerendis perquam idoneum, corpus laborum patientiſſimum redderent: quæ omnia à virtute proficiſci, aut ſaltem non multum abeſſe merito videbantur. At tot, tantáſque virtutes vitia non multa quidem ſed ingentia corrumpebant ex rebus præclarè geſtis nihil Deo Opt. Maxim. vt quondam nihil fortunæ: aut parum Timotheus Athenienſis, ſibi vni omnia tribuebat: quúmque ſæpius res numero quaſi infinitas, magnitudine immenſas aggrederetur, quáſque ſine ſingulari diuini numinis inſtinctu, beneficentiáque conficere nemo poſſet, nihil tamen cum fidis amicis, viríſque militaribus communicabat, & vt communicaſſet, ex ſuo ſenſu cæteris contemptis omnia tranſigebat: omnium præ ſuo iudicia contemnebat, quo quid pernicioſius excogitari poteſt? præſertim viris rerum potientibus, magníſque imperiis præditis, quibus ſæpius & clam, & palam pro veris falſa obtrudi ſolent. Quæque illi præcipua malorum omnium cauſa fuit, tanta pertinacia in res ſemel ſuſceptas incumbebat, vt nullo conſilio, nulla arte retineri, aut reuocari poſſet: quod peſſimum arrogantiæ genus eſt, ſibi nimium tribuentis, cæteros nihili facientis. Acceſſit & crudelitas, qua paulò ante mortem vti cœpit, quum facilis antea, ac clemens fuiſſet. Quicquid præterea ſuis ditionibus vel augendis, vel tuendis opportunum putabat, id quaſi ſuum vendicabat: ſi contra vis fieret, armis inuadebat, quo iure Lotharingiam repetens Nancium de integro circumſedit: vnde ſuperiore anno Lucceburgenſem

Burgundionis ingenium & natura.

Terribilis vulgò appellatus.

Digitized by Google

burgenſem equitum magiſtrum fide violata ad deſtinatam mortem Ludouico Regi in manus tradi iuſſerat: mox ipſe cum multis è ſuis diuina vltione ambitionem, auaritiam, perfidiam arguente repetitæ contra ius oppunationi immortuus eſt. Hoc ſublime, altúmque ingenium aduerſante primum ad Granſonem Sabaudicum oppidum fortuna in eam bilem excanduit, vt abſtinere vino, & refrigerantibus ſubinde pharmacis vti cogeretur: mox flaua bile in atram conuerſa ita toto corpore obriguit vt mero generoſiſſimo, cæteríſque naturalem calorem augentibus & ad cor reuocantibus maximè iuuaretur, atque & animo & corpore ita turbatus eſt, vt multum illi de priſtina mentis acie, iudicióque deceſſerit.

Eiuſdem æſtuans ambitio.

3 Collatis obiter horum ingeniis ad Nuſſianam obſidionem reuertamur, Ludouicus (vt dixi) cum Burgundione inducias prorogare, Eduardus contra, ac Britannus interrumpere, & miſſis ſæpius legationibus eundem Nuſſia in Galliam reuocare cupiebant. Interuenit Federicus Imperator, & cum Imperatore multi Imperij principes, vniuerſi certe copias ſuas miſerant, tantúſque erat is exercitus, vt Eduardi, ac Burgundionis iuncti vix tertiam illius partem exæquare poſſent. Cum Federico acceſſerat & legatus Pontificius, qui quotidie à Germanis ad Burgundos; à Burgundis ad Germanos pacem inter vtroſque conciliaturus commeabat: vt Nuſſianis rebus ex dignitate compoſitis Burgundio inde migrare, Anglo ac Britanno iungi; &, quod ſæpius ante tentarat, aſſequi nunquam potuerat, Galliam coniunctis viribus inuadere facile poſſet: Imperator enim ad rem nimis attentus, Imperiíque principes impenſæ adeo parcentes pacem cum illo inire cupiebant. Ambitioſus animus Nuſſia potiri haud amplius ſperabat, quod vniuerſæ Germaniæ ſimul coactæ vires illum Nuſſia mouere non poſſent, id ſibi gloriæ ducebat, at illa inanis gloriolæ futilis aura magno illi empta eſt: nam præterquam quod ſe Lotharingus illius hoſtem declarauit, Luceburgenſémque agrum (vt paulò antè memini) populatus eſt, Feretanum Comitatum Sigiſmundus Auſtriacus hunc in modum recepit: Feretani Comitatus ſibi oppignerati prætorem Petrum Hagembachium Thierſtenium Comitem crearat Burgundio, is totam eam regionem Burgundis, Flandris, Belgis militibus impleuerat: nonnulli octingentos duntaxat milites habuiſſe tradunt; his viribus, & Burgundionis potentia fretus magnam quotannis pecuniam extra ordinem indicebat. Nec ſolum miſeram plebem ſuis, ſuorúmque rapinis exhauriebat, alios concutiebat, alios cædebat: ſed etiam matronis, virginibúſque vim inferebat: pleroſque è primariis vrbium ciuibus indicta cauſa necabat, viros etiam nobiles quaſi tyrannico ſpiritu furens inuſitata verborum licentia in ſui odium prouocabat: eorumdem poſſeſſiones aliquando inturbabat, quotquot ſub illorum iuriſdictione erant, miſerum in modum affligebat. Quæ triennio, & nonnihil amplius paſſi, grauiora etiam in poſterum metuentes, haud diutius tolerare decreuerunt, apud Sigiſmundum Auſtriacum antiquum Comitem vno conſenſu Feretani fere omnes, præſertim vero Briſacenſes, Neuuemburgenſes, Rhinfeldenſes de Hagembachij inſolentia queſti ſunt.

Hagembachij Prætoris crudelitas & inſolentia.

4 Hac querela commoti Sigiſmundus, Heluetij antea inimici, Feretanæ vrbes, & Ciſrhenanæ Argentina, Baſilea, Coliuarum, Sletatia: aliæque vicinæ conuentu Conſtantiæ habito ſocietatem coëunt, pecuniam conferunt, centum florenorum Rhenanorum millia (tanti enim oppigneratus fuerat Feretanus Comitatus) Baſileæ apud fœneratorem deponunt, id Burgundioni indicant, & ſacramento, quod Oſualdo Thierſtenio eius legato dixerant, ſe ſolutos ſignificant: pecunia repræſentata oppigneratum Comitatum ad veterem dominum redire, ſic enim (tametſi aliter Cominæus) Germani hiſtorici tradunt. His ita conſtitutis Hagembachij indictiones, atque imperata Feretani contemnere ceperunt. Is ira accenſus Enſemenſes admotis ſcalis nocte Chriſti natali interim dum populus ſacris operatur, adoritur. Illi vel moniti, vel quod Feretani omnes aduerſus Hagembachium coniurauerant, ſuſpicione adducti, vigiliis tota vrbe diſpoſitis, & præſidiis diligenter collocatis venientem cum ſuis ſtrenuè repellunt: multis amiſſis ad Briſacenſes ſe recipit, ij quoque in armis erant, & redeuntem intercipiunt, cæteros illæſos dimittunt. Paucis poſt diebus coram delectis iudicibus accuſant, primum quod Thani primarios ciueis quatuor nullius criminis reos indicta cauſa capite mulctaſſet: quod Briſaci nihil innouaturum, nullam pecuniam ſe indicturum, nullos alienigenas intromiſſurum adminiſtrationis initio promiſerat, nec promiſſa exoluerat; immo vero iudices legitimè inſtitutos magiſtratu mouerat, homines indignos in eorum locum ſuffecerat, grandem pecuniam ſæpius imperarat, peregrinos in vrbem immiſerat, quibus hoſpites concutere, aut etiam cædere permiſerat, quod matronis, virginibúſque ſtuprum ipſe intulerat, ſacras Deo virgines inceſta

libidine

Digitized by Google

libidine polluerat. Cauſa mane agi cœpta, iudicum ſententiam ſub veſperam Heraldus (quem fortaſſe præconem militarem non incommodè dicere poſſumus) in hæc verba pronuntiauit: [Quod ita vixeris, Petre Hagembachie, vt non ſolum equeſtri dignitate, « ſed vita etiam priuandus ſis, vehementer angor, vt te ſpoliem huius dignitatis inſignibus « ſedecim hi egregij equites iniunxerunt. Quæ, quoniam nulla in te comperio, Georgiana « equitum ſocietate te exauthoratum, equeſtríque balteo priuatum publica voce procla- « mo. Tum ad equites conuerſus: Videtis egregij equites qui Petrum Hagembachium ve- « ſtro mandato omni dignitate equeſtri ſpoliatum, & tot tantorúmque criminum conui- « ctum mulctandum etiam capite declararim. Vos igitur digna veſtro nomine militaria, « ac fortiora facinora præſtantes, & (vt viros nobiles decet) nobilitatem ex virtute metien- « tes, hunc, & veſtrum ordinem, & acceptam à maioribus nobilitatem dedecorantem in « exemplum aliis proponite.] Tum ſurgens Imperij Mareſchallus, iudici, vt ſententiam « exequeretur, innuit. Feretanæ defectionis, & cædis Hagembachianæ Burgundionem admonuit Stephanus Hagembachius Petri frater: cuius ille mortẽ vlciſci cupiens ſex equitum millia in agrum Baſilienſem eodem Stephano duce miſit. Miſit & ad arcem montis Beliardi, qui præfecto ſignificarent, niſi arcem dederet, ſe Comitem ſecuri percuſſurum. Nam fortè ad Luceburgum paulò ante captus fuerat Henricus eiuſdem arcis, ac Virtembergenſis Comes: ſed iam illud præſidium militum, multáſque machinas bellicas de Henrico capto certiores facti Baſilienſes miſerant. arx itaque Henrico conſeruata, Bungundi re infecta abiere. Sigiſmundus Auſtriacus, vt Burgundis obuiam iret, copias ex fœderatis Heluetiis, Ciſrhenaníſque ciuitatibus, præſertim ex Baſilienſibus inſtruebat: ſed Burgundi interim eam regionem populati multos captiuos, ac maximè quidem ex Phirtenſibus, qui forte illis in itinere occurrerant, atque ingentem vim pecoris abduxerunt. Hoc primum inter Burgundionem, atque Heluetios pro vlciſcenda ſcelerati hominis morte exortum bellum, illi non multo poſt exitium, iſtis nondum ſatis notis magnam in re bellica famam comparauit.

Sub id tempus finitis induciis Ludouicus Tronquoiam arcem expugnauit, Deſiderianos, Roiam, Corbiam, Picardiæ oppida deditione cepit, atque incendit: & tamen de 5 induciis cum Burgundione renouandis non deſperans copias reducere in animo habebat; ſed matronæ nobilis litteris admonitus, vt ad Atrebates contenderet, illuc Mattheum Borbonium nothum rei nauticæ & ſuarum copiarum præfectum miſit. Is ab Abbeuilla omnia ferro, ignique vaſtans vbi ipſi Atrebatum vrbi appropinquauit, paucos equites ſeſe ad vrbis portas oſtentaturos præmiſit. Longo otio opulenti, ac ſuperbi Atrebates præſidiariis militibus, atque ipſis adeo ducibus ignauiam exprobrant, hoſtium paucitatem è muris oſtendunt, obuiam ire cogunt: imminentibus præmiſſi Galli equites cedunt, & ad inſidiarum locum ignaros attrahunt. Ibi circumuenti ad mille, & fere quingentos cæſi feruntur, capti Iacobus à Fano Pauli Atrebatum præfectus, Luceburgenſis equitum magiſtri frater, Contæus non ille cuius hiſtoriæ huius initio mentionem fecimus, ſed qui illi ipſi in Contæi fundi poſſeſſione ſucceſſerat, Clarencius, aliíque viri nobiles permulti.

Ludouicus ad Atrebates contendit.

In Burgundia quoque acre tum bellum gerebatur, Ioannes Boiorum regulus, Regiíque exercitus præfectus Burgundis ad Graium non procul ab arce Chinonia XII. Kal. Iul. fuſis Comitem Roſſium Luceburgenſis equitum magiſtri filium Burgundiæ prætorem, Burgũdiæ item Mareſchallum, Comitem Iogniacum, Digonium, Chaligaium, Ruguium, & pleroſque alios magni nominis viros captiuos abduxit. Mortua eſt & equitum magiſtri vxor Carlotæ Sabaudicæ Reginæ ſoror quæ pleraſque in virum ſtructas ab inimicis inſidias ſua prudentia, & Reginæ ſororis authoritate auerterat; ſic, quos ſemel euertere fortuna decreuit, multis ſimul calamitatibus affligere ante conſueuit! Ludouicus Luceburgenſis equitum magiſter amantiſſimis fratre, filióque captiuis, & vxoris morte conſternatus cum trecentis cataphractis equitibus ad Quintinianos confugerat, nec tamen ſuis militibus ſatis ipſe fidebat. Illi mandauerat Ludouicus, vt Auennas circumſederet, interim dum Mattheus Borbonius Amyralius Atrebates popularetur. Iuerat quidem cum exercitu: ſed paucis ibi diebus commoratus ad ſuas arceis ſe recepit, Regi ſignificauit, duos in eo exercitu fuiſſe, qui de illo occidendo mandatum ab ipſo Rege accepiſſent; & tot, tantáſque ſuſpiciones addidit, vt iudicio propemodum fides adhiberetur, alterúmque è duobus totam illi rem pateféciſſe conſtaret. Ad Burgundionem Nuſſiana obſidione implicatum ſæpe mittebat, illum inde reuocare nitebatur; illi ſe potius, quam Ludouico committere malebat, ad regem tamen etiam mittebat: cúrque ad Burgundionem miſiſſet, rationem reddebat, nunc quod Rex audire cuperet, denuntiabat; nunc, vt eidem

Digitized by Google

eidem metum incuteret Nuſſianam obſidionem laudibus in cœlum efferebat. Aliquando etiam Quintini Fanum Burgundioni reddere promiſit, Iacobúmque fratrem (is nondum captus erat) Piennum & quoſdam alios è ſua cognatione, quos intromitteret, modo ne Andreanam crucem Burgundionis inſigne geſtarent, poſtulauit. Illi ter ad Fanum Quintini acceſſerunt, ſed nouas ſemper cauſas nectente, & Regem pariter, ac Burgundionem ſuſpenſum tenere cupiente equitum magiſtro intromiſſi non ſunt.

6 Hæc Regi roganti iam captiuus Iacobus equitum magiſtri frater indicauit, & quædam præterea interrogatus liberè reſpondit: vnde Rex hominis conſtantiam amplexatus non ſolum eundem liberum emiſit, ſed & ala equeſtri, ac magnis muneribus donatum, quoad vixit, in primis amauit. Burgundionem duodecimum iam menſem Nuſſiæ affixum duæ occaſiones maxime reuocabant, Angli ad mare tranſmittendum parati, quos nunquam antea ex Anglia euocare potuerat: tum Burgundia, Picardiæque pars citerior, atque Atrebates, qui duobus Regis exercitibus miſerum in modum vexabantur. Querelas ab iſtis quotidie accipiebat, ab Anglis etiam minas audiebat, quod magnas in tantum, quantum nunquam antea Angliæ Rex tranſmiſerat, exercitum comparandum impenſas feciſſent. A caſtris vel Imperatoris, vel Burgundionis nunquam legatus Romanus abceſſerat: ſed pacem inter vtrumque inire cupiẽs ſemper huc, illuc commeabat.

Anno 1475.

Nuſſia à Burgũdione obſeſſa Pontificio legato cõmittitur.

Conuenit tandem, vt Nuſſia Pontificio legato committeretur, de qua mox Summus Pontifex pro ſua prudentia ſtatueret. Inde mouens Burgundio anno eius ſæculi ſeptuageſimoquinto menſe Iulio copias ſuas longa obſidione attritas in Lotharingiam, vt reficerentur, emittit, ipſe raro comitatu magnis itineribus, vt Eduardum conueniret, Caleſium properat: Caleſio cum exercitu Eduardus vnàque Burgundio Bononiam, Bononia Peronam proficiſcuntur. Huc Ludouicum Creuillanum miſit Luceburgenſis equitum magiſter, vti de non tradito Quintini Fano excuſationem afferret: ſi enim tum tradidiſſet Luceburgenſis, ſe palam Ludouici hoſtem declaraſſet, nec tanto vſui in occupando Galliarum regno Burgundioni eſſe potuiſſet, plus ſe diſſimulatione profecturum pollicebatur: nunc quandoquidem cum exercitu adeſſet Eduardus, ſe imperata facturum. Hac de re litteras etiam ad Eduardum ſcripſit, rogans, vt quæ de ipſo promitteret Burgundio, ea à ſe promiſſa exiſtimaret: Burgundioni ſingula priuatim expoſituro fidem adhiberet. Eas litteras, quas Eduardo redderet, ad Burgundionem miſit; ſchedulam præterea ſuo ſigillo ſubſignatam, qua Burgundioni, Anglóque, ac cæteris Burgundionis fœderatis aduerſus quoſuis, nemine excepto, ſe auxilio futurum pollicebatur. Litteras Eduardo reddidit Burgundio, & Luceburgenſis promiſſa ſigillatim exponendo quædam de ſuo addidit: nempe quod Luceburgenſis Eduardum in Quintini Fanum, omneiſque adeo ſuas arceis, ac caſtella admitteret. Facile credidit Eduardus, vel quod Luceburgenſis ſororis filiam in matrimonio habebat, vel quod Luceburgenſem aperto Ludouici odio, metúque conſternatum promiſſa violaturum non putabat. Sed longè alia Luceburgenſis mens erat, ſe ſolitis adhuc diſſimulationibus vſurum ſperabat, vt illos placatos dimitteret, multiſque rationibus perfecturum, ne Ludouici declarari hoſtis cogeretur.

7 Promiſſis Luceburgenſis lætus Eduardus comitante Burgundione Perona Quintini Fanum verſus contendit. Plerique Angli ad portas vſque ſe in vrbem intromiſſum iri ſperantes, properè excurrerunt: in hos Quintiniani tormenta diſplodunt; frequentes equites, peditéſque exeunt, nihil tale expectantes aggrediuntur, treis aut quatuor cædunt, paucos captiuos abducunt: continui præterea toto eo die imbres paſſim diſſipatos, aut nihil hoſtile metuenteis infeſtarunt: itaque mœſti, & Luceburgenſem proditionis accuſantes in caſtra redierunt. Luceburgenſem excuſare nitebatur Burgundio, ídque non ſine ratione factum interpretabatur: mox Anglos quid illum huc adegerit intellecturos ſpondebat, illis tum hic, tum cæteris in rebus ſe ſatisfacturum promittebat. Sed quod mirum fuit, poſtridie Anglos, quod initia non bene ſuccederent, iam de rebus ſuis malè auguranteis reliquit, ſe ad ſuos in Lotharingiam recepit. Angli ſuſpicioſi, & rerum Gallicarum inſolentes digreſſum illius in peiorem partem interpretabantur: quod exercitum in armis haberet, ſibi non perſuadebant, hyemem imminentem horrebant: ſe enim paratum exercitum habiturum Burgundio, & tribus ante menſibus, quam illi mare tranſmitterent, in Galliam inuaſurum promiſerat, vt Regem Ludouicum iam bello feſſum illis conculcandum exhiberet; nunc ne æſtate quidem inclinante vllum militem proferebat. Paulò antequam Anglia excederet Iarterium præconem militarem natione Normanum cum litteris ad Ludouicum miſerat Eduardus, quibus Galliarum regnum iure ſuum (ſicuti prædicabat) ſibi reddi poſtulabat, vt ſacerdotes, nobilitatem, populum ſublatis tributorum iniquis indictio-

Eduardi & Burgundionis propoſitũ de inuadenda Gallia.

Digitized by Google

nibus in antiquam libertatem vindicaret: ſin recuſaret Ludouicus, bellum denuntiabat. Cum Iarterio priuatim Rex colloquutus Eduardum non ſua ſponte; ſed ab Anglis, Burgundione, Luceburgenſi equitum magiſtro inductum in bellum incumbere reſpondit: ætatis bonam partem iam præteriiſſe, vt Angli magnum quiddam ſe confecturos ſperare nõ poſſint, Burgundionem attritis copiis Nuſſia redire illis haudquaquam auxilio futurum: equitum magiſtrum aliorum diſſenſionibus creſcere, nunc his, nunc illis ſeſe dare, & ſolitis diſſimulationibus Anglum affinem, Burgundionem patronum, ſe quoque & patronum & à quo tanta ſtipendia, penſionéſque annuas, atque alia beneficia acceperit ex æquo eludere, cunctos pariter exhaurire; atque inde ſibi opes, ac potentiam quærere. Addidit alias rationes, & Iarterium trecentis nummis aureis, aliiſque muneribus donauit, precatus, vt Eduardum ad pacem ineundam potius, quam ad bellum difficile ſuſcipiendum hortaretur. Iarterius operam pollicitus Eduardum à pace non alienum fore ſubiecit, ſed nullum verbum antequam is mare tranſmiſerit faciendum, neque enim Anglos tum pacis mentionem æquis animis audituros: vbi tranſmiſerit, præconem militarem ad Eduardum mitteret Ludouicus, vti legatis ſuis ire, redire fide publica liceat; Hauartium, Stanleiúmque Eduardi familiares huic negotio tranſigendo peropportunos, illos vt primum adiret, Gallicus Heraldus (vt hoc etiam nomen latinitate donemus quod aliter vno verbo dicere nequeamus) Iarterius ſuaſit. Atque vt obiter hanc dictionem explicem heraldos ab heroibus vi vocis imminuta deductos putat Æneas Syluius, eóſque veteranos, atque emeritos milites, qui ſtrenua militiæ facinora ediderint interpretatur, quos primum Dionyſius India ſuperata, deinde Hercules, poſtremo Alexander Magnus inſtituerint Sed de Dionyſio, atque Hercule fabuloſa narratio eſt, de Alexandro apud Curtium, veteréſque ſcriptores nihil tale reperimus. Huiuſmodi equites Arcturum maioris Britanniæ Regem inſtituiſſe noſtri homines fabulantur, quos menſæ rotundæ equites quod ad eam Regum menſam virtutis ergo admitterentur, appellant; eoſdem etiam Preuos, id eſt probos, vel multa experientia probatos, & omni exceptione maiores equites appellitant, quos propter ſingularem virtutis famam, atque admirationem ſupra mortalitatem, velut heroas excelluiſſe, & apud omneis nationes ſanctos fuiſſe rumor increbuit. Hinc præcones militares quamuis infimæ fere ſortis homines, qui nullum militare opus ediderint, ad hoc munus deligantur, tamen quod belli iure ſancti apud omnes nationes atque inuiolabiles ſint, heraldos quaſi minorũ gentium quoſdam heroas à maioribus noſtris Græcæ, Latinæque & linguæ & hiſtoriæ non ſatis peritis appellatos non immerito quis exiſtimet. Vt ad Ludouicum redeam: is Iarterij heraldi memor quum primum Burgundionem ab Eduardo digreſſum, Anglóſque Luceburgenſi equitum magiſtro infenſos intellexit (neque enim illum horum quicquam latebat) hominem abiectum Hallenſis viri nobilis famulum, pleriſque aliis, qui huic negotio procurando magis idonei videbantur, reiectis, heraldi veſte indutum cum litteris ad Eduardum mittit; vt Hauartium, Stanleiúmque primum adeat, iubet. Mandata quæ deferebat litteris non conſignata hæc erant: Regem Ludouicum iamdudum deſideraſſe, vt in perpetua cum Eduardo amicitia viueret, vt vtrumque regnum Gallicum (inquam) atque Anglicum Regibus inter ſe ſacroſancto fœdere coniunctis ſempiterna pace in poſterum fruatur, ſe hactenus aduerſus Anglos haud quicquam conatum. Quod Varuicum auxiliis iuuerit, non aduerſus Eduardum, ſed aduerſus Bungundionem ſibi ſemper infeſtum iuuiſſe, Burgundionem haud alia de cauſa illum arceſſiſſe, niſi vt commodius ſecum tranſigat: ſiqui alij in idem incumbant, ſibi illos priuatim conſulere, res Anglicas ſúſque, déque ferre; multos in Anglia viros nobiles, cæterorúmque ordinum eſſe, qui bella illic inteſtina renouare, Liceſtrianámque factionem de integro ſuſcitare cupiant, multas Eduardum in hoc bellum impenſas feciſſe, nulla re à Burgundione iuuari poſſe; omneis, quotquot illum in Galliam euocarint, promiſſis haud ſtetiſſe, id iam in Burgundione, Luceburgenſique fuiſſe expertum. Si belli huius illis enixè contendentibus ſuſcepti initio fefellerunt, quid de eiſdem ſperare amplius poteſt? Quod ſi ad pacem ineundam animum adiiciet Eduardus, ſe æquiſſimas conditiones vel oblaturum, vel accepturum: hæc vt commodius tranſigantur, vt legati vtrimque fide publica conueniant, atque admittantur poſtulare, ac viciſſim permittere.

Vox Heraldi vnde deriuata.

Preui quinam dicantur.

Eduardus, ac plerique Angli proceres de Burgũdione, Luceburgenſique haud bene ſperantes Ludouici mãdata nõ aſpernanda iudicarũt, diplomata de legatis publica fide vtrimque admittendis conficiunt. heraldũ Anglicũ viciſſim mittunt, qui in eandẽ formã confecta à Ludouico reportet. His vltro, citróq; datis, atque acceptis poſtridie ad vicũ ab Ambianis non procul diſtãtem conuenerunt à Ludouico Borbonius nothus Amyralius, à Fano Petri 8

Hebergus

Digitized by Google

Hebergus Ebroicenſis Pontifex, ab Eduardo Hauartius, Chalangerius, Morto, mox Angliæ cancellarius: vix enim octo milliaribus ab Ambianis Angli caſtra habebant. Angli de more ſceptrum Gallicum, aut certè Normaniam, atque Aquitaniam petiuerunt, his abundè reſponſum: vltima poſtulata hæc fuerunt, vt Ludouicus in Anglici exercitus ſtipendium ſeptuaginta duo nummûm aureorum millia numeraret, vt Delphinus Eduardi filiam natu maiorem vxorem acciperet, puellæ educãdæ Aquitania cederet, aut in penſionem annuam quinquaginta nummûm aureorũ millia in arcem Londinenſem quotannis importarentur: nono anno Delphinus, atque eius vxor Aquitania fruerentur, nec amplius penſio penderetur; fœdus in nouem annos iniretur, quo vtriuſque fœderati, præſertim autem Burgundio, ac Britannus continerẽtur; &, quod admiratione dignum fuit, quoſdam Ludouici proditores ſe de nomine indicaturum, ſcriptóque conuicturum Eduardus pollicitus eſt. Re in cõſilium vocata quidam Anglos in has pacis conditiones venturos non putabant: diſſimulare autem, vt Ludouicum facilius circumſcriberent aiebant. Contra Ludouicus hyemem iam imminere, Anglos vrbeis, in quas ſe recipiant, nullas habere; Burgundionem iuxta, atque equitum magiſtrum, quod promiſſis non ſteterint, ſuſpectos habere: Eduardum voluptatibus deditum illis ægrè carere, ne bello diuturno diſtineatur, deteriores etiã conditiones facile accepturum, ſe cupere quantauis pecunia Anglos à cõtinente expellere: cæterum nihil, vbi in ſuo pedem ponant, conceſſurum, extrema potius omnia tentaturum: pecuniã vndique conquiri iubet, ne quid res bene cœptas interturbet, aut Anglos reditũ paranteis remoretur. Luceburgenſis horum gnarus, ne duos Reges iuxta, ac Burgundionem offendiſſet veritus, Ludouicum Creuillanum, ac Ioannem Richerium, qui illi erat ab epiſtolis, ad Ludouicum miſit. Is Luceburgẽſis mandata, vt Bochagio primum, Cominæóque exponerent, iuſſit, quibus intellectis, ea ſibi fore vſui ratus, plurimũ lætatus eſt. Tum fortè à Burgundione venerat Contæus: hunc ad alteram cubiculi ſui ianuam vnà cum Philippo Cominæo abditum, quæ Creuillanus deferret, audire voluit, vt quàm fidus eſſet Burgundioni Luceburgenſis, intelligeret. Intromiſſi Creuillanus, ac Richerius ſe à Luceburgenſi ad Burgundionem miſſos aiunt, vt illum ab Anglorum amicitia reuocarent, multáque in eam rem dixiſſe: Burgundionem tanta in Eduardum iracundia excanduiſſe, vt parum abfuerit, quin non ſolum ab Anglis deſciſceret, ſed & ad illos inter redeundum opprimendos opem ferret. Creuillanus etiam Ludouico adulans Burgundionem iratum terram pede pulſantem, multáque in Eduardum probra iacientem effingebat, ridente admodum Rege, & vt eadem iteraret, flagitante: denique Luceburgenſis nomine, vt cum Anglis inducias faceret, & placandis aliquod oppidulum ad hyemandum condonaret, conſulebant: Euum indicare, aut Valerij Fanum videbantur, ſuam in id operam Luceburgenſis pollicebatur. Rex, tametſi diſſimulabat, tamen poſtremum illud de oppido Anglis condonando grauiter accepit, & ſe breui ad Luceburgenſem è ſuis aliquem miſſurum præfatus eoſdem dimiſit.

Anglorũ poſtulata ſimul & promiſſa Ludouico grauia.

9 Contæus Creuillani petulantia accenſus mandatis à Rege acceptis ad Burgundionem herum, quibus probris à Luceburgẽſis domeſticis afficeretur, renuntiaturus redire properauit: induciæ in nouem annos inter Ludouicum, Eduardúmque initæ; conuenit, vt duo Reges congreſſi eas iureiurando confirmarent: Eduardus acceptis ſeptuaginta duobus nummûm aureorum millibus in Angliam rediret, obſides interim dum mare tranſmitteret, Hauartium, ac Querceum ſummum Regiorum equorũ magiſtrum relinqueret. Promiſſa quoque Eduardi familiaribus in penſiones annuas ſedecim nummûm aureorũ millia: vaſa item argentea, ac multa pecunia dono data; quorum certior factus à Leucorum oppido, quod hodie Luceburgum dicimus, quindecim duntaxat è ſuis comitatus ſumma celeritate ad Eduardum contendit Burgundio. Eduardus repentinũ illius aduentum admiratus, & ira efferueſcentẽ animaduertens, cur tam cito, inexpectatúſque veniſſet rogauit. Ille, vt cum ipſo colloqueretur, reſpõdit. Subiecit Eduardus, publicéne, an priuatim colloqui vellet. Nihil ad id Burgundio, ſed pacémne cum Ludouico iniiſſet, quæſiuit: in nouem annos inducias quibus ipſe Britannúſque continerentur, Eduardus pactas eſſe ait. Tũ iratus Burgundio Anglicè (eius enim ſermonis admodum peritus erat) multa egregia Anglorum Regũ, qui gloriæ militaris cõparandæ ergo mare tranſmiſerant, facinora recitauit, inducias haſce damnauit, ſe non ideo ex Anglia Anglos euocaſſe, quod illis magnopere indigeret, ſed vt illi quæ ſua ſunt, ipſo adiutore recuperarent, adiecit: id vt intelligant, ſe nullum prius cum Ludouico fœdus, aut inducias initurum profeſſus eſt, quàm illi in Angliam redierint, & treis totos menſes, aut etiam amplius ibidem egerint: & in hæc verba, vnde profectus erat, rediit. Eduardus, & qui illi à conſilio erant hæc in deteriorem partem accipientes indignati ſunt; pauci, quibus induciæ diſplicebant, Burgundionis magnanimitatem laudibus efferebant. Eduardus, vt in colloquium cum Ludouico veniret ad milliare ab Ambianis caſtrametatus

Induciæ inter Ludouicum & Eduardum ad 9. annos initæ.

Digitized by Google

metatus eſt: toto triduo Angli frequentes armatique, & magnis veluti turmis ad vrbem accedebant, ac lautiſſimè vbique accipiebantur. Ab vtraque parte eius portæ, quæ caſtra Anglica reſpiciebat, menſa conquiſitis ferculis præſertim ad potum allicientibus inſtructa erat: ad vtramque menſam ſedebant aliquot viri nobiles obeſi, ac præpingues, & quaſi quidam Bacchi ſacerdotes venienteis Anglos inuitabant. Illi non ægrè accumbebant, iidem in vrbem ad parata diuerſoria recepti, quicquid lubebat, poſcebant, nihil omnino dependebant, quod ſi fide violata Anglos aggredi Ludouicus ſtatuiſſet, facile tantum exercitum ad internecionem cædere potuiſſet: ita diſſipati, ebriíque & in vrbe, & in caſtris, & inter vtraque magna ex parte erant. Decem Anglorum millia eodem die in vrbe numerata produnt, ſed quot, qualéſque ex ſuis in ſe conſpiraſſent gnarus Anglos ſibi perpetuos amicos parare cupiebat. Hominem fidum interim Luceburgenſis ad Eduardum cum mandatis miſit, rogans ne Ludouici promiſſis fidem adhiberet: Euum duntaxat, ac Valerij Fanum acciperet, atque ibidem hybernaret, ſe intra duos menſes, vt commodius diuerteret, perfecturum. Præterea in militum ſtipendium quinquaginta nummûm aureorum millia offerebat: plura etiam promittebat, & Eduardũ in magnam ſpem adducebat, tametſi re nihil hactenus præſtabat.

Eduardus ſe à iam pactis induciis non poſſe diſcedere reſpondit, quod ſi promiſſis ſteriſſet, haud in haſce conditiones fuiſſe conuenturum. Tum Luceburgenſis rebus deſperatis quò cõfugeret, vix reperiebat. Ad pontem Piquiniacum ſexto ab Ambianis milliari extructi cancelli lignei totam pontis latitudinem traiicientes, ad quos Reges in colloquium venirent: cancellorum foramina non ampliora, quam vt hominis brachium admitterent, nullum oſtium inerat, ne quis ab altero ad alterũ tranſiret, & quod Ioanni Burgundioni Monſterioli accidit, deintegro fortaſſe eueniret. Huc tertio Kal. Septẽb. anno eius ſæculi ſeptuageſimoquinto cum octingentis cataphractis equitibus prior acceſſit Ludouicus: ab altera fluminis Somonæ ripa Anglicus exercitus quaſi depugnaturus in armis erat. Rex vterque quum ipſis cancellis appropinquaret, delectos duntaxat duodecim viros ſecum habebat. Adhæc quatuor Angli apud Ludouicum, totidẽ Galli apud Eduardum erant, qui quicquid vtrobique fieret, perſpicerent. Induciarum explicatis diplomatis Rex vterque ſe iiſdem ſtaturum iureiurando confirmauit, mox remotis arbitris colloquuti ſunt. Tum Ludouicus: [Quandoquidem haſce inducias tantopere damnauit Burgundio, ſi hiſce ſtare nolit, quid porro agendum ſuades?] Ille ſe inducias deintegro Burgundioni oblaturum reſpondit, eas ſi rurſum repudiet, illis eam cõtrouerſiam inter ſe dirimendam relinquere. Eadem de Britanno rogauit Ludouicus, huc enim priore interrogatione ſibi aditum parauerat: ſibi eum ſemper fidum amicum Eduardus perſtitiſſe teſtatus eſt, precari ne fœderatum aduerſus pactas inducias bello inuaderet: ita finito colloquio Eduardus ad caſtra, ad Ambianos Ludouicus receſſit. Inter redeundum apud Cominæum familiariter queſtus eſt Ludouicus, quod Britanni amicitiam ſuæ præferret Eduardus & inimicum Britannum vlciſci non permitteret. Itaque idem per Hymbertum Baternaium quem etiam Bochagium vocabant, tentare inſtituit. Tum ea importunitate offenſus Eduardus, ſi bello peteretur Britannus, ſe rurſus in Galliam nauigaturum profeſſus eſt. Henricum Liceſtrianum Comitem Ricemontanum in cuſtodia habebat Britannus, quem quaſi fato quodam ad Angliæ regnum deſtinatum ne emitteret, Eduardus verax nimis vates iam tum perhorreſcebat. Addebat Ludouicus ſibi diſplicuiſſe, quod nimiam Eduardus Lutetiæ adeundæ cupiditatem præ ſe tuliſſet: quum enim forte (vt fit) eundem forma præſtantem, mulieribúſque impensè deditum, ad matronarum Pariſienſium celebranda conuiuia leuiter inuitaſſet, promptiorem quam optaſſet, offenderat, ne Lutetianæ illecebræ, vrbis amplitudo, & opulentia: & quæ interea peragrandæ vrbes erant, Ambiani, Sueſſiones, Bellouaci, Regióque adeo tota fertilis eundem ad redeundum nimis inuitarent, timebat. Quum cœnatum iret, ex Anglis nonnulli, qui induciis paciſcendis operam ſtudioſè nauarant, eodem appulerunt, & mox vnà cum illo cœnarunt, Regi in aurem inſuſurrauit Hauartius, ſiquidem vellet, ſe perfecturum, vt Eduardus ad Ambianos, & fortaſſe Lutetiam accederet. Id vultu ſibi gratiſſimum fore ſignificauit Ludouicus, & pauca proloquutus, ſermonem alio conuertit. A cœna hunc eundem ſermonem inculcauit idem Hauartius, ſed Galli Ludouico aduerſus Burgundionem cum exercitu progrediendum cauſati hanc profectionem ſapienter interruperunt.

Ludouicus molestè fert Eduardum Pariſios inuitatum.

Pridie Kal. Septemb. Rapinium cum litteris, mandatíſque ad Ludouicum miſit Luceburgenſis, mandata autem erant, multa de ſe ad Regem falſo delata; quod tamen nihil aduerſus illum deliquerit, reipſa cõpertum fuiſſe: ſe curaturum, vt ad opprimendos Anglos Burgundio auxiliares copias mitteret, & fortaſſe ipſe accederet. Reſponderunt Ludæus, ac Cominæus, quibus vt Luceburgenſis mãdata audirẽt, Rex præceperat, inducias Regi cum Anglis eſſe, quas violare nefas eſſe duceret. Quibus intellectis Rex Hauartio Anglo, & Cõtæo qui

qui hoc ipſo die à Burgundione redierat, audientibus literas ad Luceburgenſem dictauit, ſignificauit quid pridie in induciis tranſigendis actum fuiſſet,ſe maximis,plurimiſque negotiis diſtineri, quibus expediendis huiuſmodi, quale illius eſſet, cerebro in primis egere. Deinde ad Hauartiũ,& Contæum conuerſus,Cerebrum quidem(inquit)vel potius totum caput,hic eſſe velim,illic autem truncum remanere.Rapinius auditis litteris nõ malè cum ſuo hero agi putabat,cuius Rex ſibi vtendũ conſilio duceret. Tum etiam Eduardus binas Luceburgenſis litteras ad ſe ſcriptas ad Ludouicum miſit, mandatáque litteris ſignificata exponenda curauit:antea ad Ioannẽ Boiorum regulum miſſas alias Ludouicus acceperat, quibus illum hortabatur Luceburgenſis,vt ſi ſibi conſultũ vellet,ſe,ſuáſque vires Burgundioni adiungeret,breui enim Anglos,Burgundionémque iunctos toto Galliarũ regno potituros;ita Ludouicus,Eduardus,Burgundio pariter in Luceburgenſis mortem coniurauerant. Eduardus voti compos in Angliam redibat,tribus enim de cauſis bellũ Gallicum ſuſceperat,primũ quod Angli bellis ciuilibus non ita pridem attriti externa bella,præſertim vero Gallicum priſtinæ fortunæ memores optabant:ſic domi pacem ſtudiis iuuentutis alio conuerſis ſe habituros ſperabant. Huc etiam illos adigebat Burgundio,& ſocium ſe in recuperando Galliarum regno promittebat.Tum bonam pecuniæ in bellum coactæ partem ſibi(vt dixi)reſeruare Eduardus deſtinarat : ipſe autem fruendis magis voluptatibus,quam bello tolerando natus nulla animi contentione in hanc expeditionem incumbebat,itaque Ludouici legatos de pace agenteis nondùm tanta fortuna ſtatim admiſerat,tametſi nullus vnquam Angliæ Rex vno Arturo excepto maiores copias in continentẽ traiecerat. Vt autem vel pacem,vel fœdus inire ex animi ſui ſententia nõ magno impendio facto commodius poſſet, & ne populus,qui ingentem in hoc bellũ pecuniam contulerat fremeret,duodecim viros pręíngues,qui multũ apud plebem poterant,partim Londino,partim ex præcipuis aliis ciuitatibus euocarat, ac ſecũ duxerat:hi mari tranſmiſſo prælium ſibi intra triduum ſpondebant, belli diuturnitate cruciabantur, quod vitæ militaris inſolentes erant, iiſdem & Ludouici vireis ingenteis pręd icabat,& Burgundionis copias ad Nuſſiã attritas,à quo nihil ſperare poſſent,& Luceburgenſis dolos,ac tergiuerſationem exponebat.Metum etiam ſæpius incutiebat, vt belli tædio induciarum vel pacis ineundæ ſuaſores earumdem cauſas mox populo Anglico probarent : acceſſit quod maximè contendebat,vt filiam natu maiorem Carolo Delphino in matrimonium collocaret, quo nomine multa toto hoc bello diſſimulauerat,& ſe Ludouico æquiorem præſtiterat. Anglis mare tranſmittentibus Ludouicus Laudunum contendit,inde Veruinas.Hic Hugonetus Burgundionis Cancellarius, Himbercurtius, Contæus,aliique nonnulli,Regem ſub Octobris initium conuenerunt, & inducias in nouem annos pacti Bouinanas, de quibus ſuperiore libro ſcripſimus, conuentiones aduerſus Luceburgenſem renouantes vtrimque confirmarunt.

Inſignis Ludouici ironia.

11 Harum gnarus Luceburgenſis,vt Burgundionẽ publica fide adeat,petit;quæ in rem eius ſint,permulta denuntiaturus,idque vix impetrat : ſed in tantis rerum difficultatibus conſtitutus primum in Germaniam ſecedere,& arcem aliquam ad Rhenũ emere,ibidem tantiſper conſiſtere,dum alterutri reconciliatus fuiſſet,tum Hani,quod magnis impenſis munierat,& rebus omnibus,quæ ad oppugnationes tolerãdas opportunæ erant,cumulauerat, obſidionem expectare;poſtremo,quod ſuis non ſatis fideret,Burgundionẽ publica fide accepta adire ſtatuit,& montẽ Hannonicum oppidũ paucis comitatus petiit.Id deterrimum conſilium fuiſſe rei euentus probauit,nam Germanica ſeceſſio tuta omnino erat:nihil illic Gallus,nihil Anglus,nihil Burgundio poterant:Hani propugnatio tametſi non ſine diſcrimine erat,tamen à duobus exercitibus inter ſe haud cõſentientibus,quam ab vno obſideri ſatius erat. Adde quod hyẽs imminebat,vt nec ſine magna vtriuſque exercitus iactura tam munita arx expugnari,nec inter Regẽ,Burgundionémque tã diuturnus conſenſus eſſe poſſet.Quid quod ad Burgundionẽ fugiens Quintini Fanum haud iuſto pręſidio(vt ſuperiore anno)Luceburgenſis muniit?cuius duntaxat traditione Burgundionẽ ſibi cõciliare potuit. Id vtrumque Ludouicus animaduertẽs,& de Luceburgenſis ad Burgundionẽ profectione certior factus,illuc cũ octingentis cataphractis equitib.ſumma celeritate properauit.Quintiniani obuiã illi procedunt,& venientẽ læti in vrbem recipiunt;qui Luceburgenſis parteis ſequebantur,in Hannoniã abierunt.Quintini Fano potitus Ludouicus Burgundionẽ & de Luceburgenſis profectione, & de oppido capto admonet, ne Luceburgenſis opera id ſe recepturum forte ſperaret. Tum ille ſtatim,ne promiſſi oppidi ſpes eum fruſtraretur, Emerio,vel Emeriaco,vt quidam vocare malunt, Hannoniæ præfecto (Balliuum vulgo appellant)vt Luceburgẽſem in cuſtodia habeat,præcipit:ille etſi intimus Luceburgenſis amicus erat, tamen reguli mandatis parere cogitur. Quæ porro iſthæc Luceburgenſis deſperatio

Luceburgẽſis vinculis traditur.

 fuit?

fuit? homo militaris erat,& conſilio,& manu promptus, prudentia in vitandis, fortitudine in propulſandis periculis valebat,inimicorum conſilia nouerat:tutos receptus habebat, nec tamen hiſce vti vllo modo poterat. quæ tantæ mentem illius tenebræ offuſcauerant, vt prudens, ſciénſque ſe in apertam mortem coniiceret? an ſcelerum vltrix conſcientia animi ita lumen extinxerat, vt quæ in rem ſuam eſſent,videre non poſſet? Id nimirum ita fere euenit, vt qui publicis cladibus,expilatiónibus,vaſtationibus cauſam præbent,ij peſſima quoque morte pereant, & publicè facinorum ſuorum pœnas luant. Is omnium inter Regem,Burgūdionémque bellorum author,architectus, moderator fuit:inde immenſas opes,potentiámque ſibi parauit,at viciſſim ipſe præda aliis fuit, & ſi non aliter,at certe tot ſua opera cæſis ignominioſa morte ſatisfecit: huc illum duo Reges, & Regibus exæquandus Burgundio affines adegerunt! Tradito in cuſtodiā Luceburgenſi ad Burgundionem miſit Ludouicus, vt vel læſæ Majeſtatis reū capite mulctaret,vel mulctandum ei traderet: ſic enim Bouinis primum,deinde Veruinis conuenerat,ille ſe alterutrum facturum pollicetur,& Luceburgenſem deduci Peronā iubet.Iam multas in Lotharingia vrbeis ceperat,& tum Nancium quoque oppugnabat:copias pręſertim equeſtres in Campania Ludouicus ſatis magnas habebat,hæ ne Nancianam obſidionem interturbarent, Burgundio timebat:eundem Bochagius à Rege miſſus de dedendo,vel puniendo Luceburgenſi acriter vrgebat. Hinc de ſoluenda Nanciana obſidione metus,& Fani Quintiniani,Hani,Bohani,cæterorúmque Luceburgenſis fundorum recipiendorum cupiditas,hinc data Luceburgenſi fides in diuerſa anxium trahebat:poſtremo diem præſcripſit,quo Luceburgenſis dederetur, eúmque Hugoneto Cancellario, Himbercurtióque acerrimis Luceburgenſis inimicis perſcripſit:intra eum diem ſe Nancio potiturū,& mandatum id reuocaturum ſperabat.Sed Baſſus,qui ſummam in eius exercitu poteſtatem habebat,iam de illo prodendo cum Lotharingo egerat,& conſulto obſidionem trahebat.Itaque Hugonetus,atque Himbercurtius Luceburgenſi inueterato odio infeſtiſſimi eundem præſcripto die notho Borbonio Amyralio dediderunt: ille deditum duodecimo Kal. Decemb. Lutetiam deduxit. Tertia à deditione hora tabellarium à Burgundione,ne dederetur iubente,Peronam appuliſſe tradūt, tam paruo momento illi vita erepta fuit!Hanc deditionē principe tam potente indignam plerique Burgundioni,vt fati imminentis malum omen obiecerunt:non quod non grauiter in ipſum pariter,atque Ludouicum Regē deliquiſſet Luceburgenſis,vt extremo ſupplicio plecti iure poſſet:ſed quod,quem data publica fide receperat,eundē mox vel auaritia,vt illius fundos,omnémque ſupellectilem Ludouico cedente reciperet,vel ambitione inductus,ne Nancianam obſidionē Ludouicus impediret,dediſſet. Etſi autē Nancium tum cepit, tamen ibidē tum quoque proditionis ſuæ initium fecit Baſſus,eadémque prope anno vertente ad exitum perducta, vt cæſis ibidē copiis ignominioſa morte caderet Burgundio,Baſſus idem perfecit. Sic grauia principum facinora, quos nulla humana iura coërcere poſſunt,pœna nonnunquam atrociore diuina prouidentia mulctare conſueuit!

Lutetiā deducitur.

Iam diffidere ſuis Burgundio ceperat,quod pleroſque viros inſigneis à ſe defeciſſe Niuernenſem Comitem(inquam) Ioannem Chalonium Arauſiorum principem,Balduinum 13
Burgundum nothū,Luceburgenſem autem equitū magiſtrum, qui diu primas apud illum tenuerat, & eodem militari munere Burgundione procurante donatus erat, inter ſe, Regémque bella ferere,nec fidam alterutri operā nauare expertus erat.Homines alienigenas Nicolaum Campobaſſum,ac Iacobum Galeotum Italos acceſſiuerat,hic quidem vir fortis ac prudens fidus etiam Burgundioni perſtitit,Baſſum inſignis perfidia ſempiterna memoria celebrabit. Fuit is Caroli Monfortij Campobaſſi Comitis, quod oppidum in Appuliæ montibus ſitum eſt,filius; hominis & prudentia, & militari ſcientia, cæteriſque animi, ac corporis dotibus præſtantiſſimi:idcircóque maiori Alphonſo Arragonio Regi Neapolitano chariſſimi:filius à patre degenerans Alphōſo Regi ſuo infidus factionem Andegauenſem ſequutus eſt,ideóque regno Neapolitano pulſus ad Renatum Siciliæ Regem primum, deinde ad Ioannem Calabrum,ac Nicolaum eius filium, poſtremo hoc mortuo iam ætate admodum prouectus ſe ad Burgundionē applicauit,acceptíſque quadraginta nūmûm aureorum millibus,vt turmam equeſtrē cogeret,Italiam petens Lugduni cum Simone Ticinenſi medico conſilia ſua cōmunicauit, atque hoc interprete de prodendo Burgundione apud Regem Ludouicum egit:cum Praio quoque legato Regio, quē in Tranſalpina Gallia forte offenderat,colloquutus eadem tentauit.Italia reuerſus in Comitatu Marlano cum turma ſua hybernauit:inde ſi conditiones,quas optabat,ratas Rex haberet,Burgundionem vbi ad caſtra acceſſiſſet, vel occiſurum,vel captiuū abducturum promittebat;idque ſe facilè perfecturum docebat:Burgundio enim caſtra ſua ſæpius obire imbecillo equo vectus, paucíſque

Baſſi execrāda perfidia.

Digitized by Google

paucíſque comitatus ſolebat. Hunc nihil tale meditantem conficere, haud difficile erat, aut ſi prælium inter vtrumque iniretur, ſe cum ſuis ad Regem tranſiturum pollicebatur: viginti nummûm aureorum millia ſibi repræſentari, Comitatu aliquo in Gallia, ac Regio quotannis in turmam, quæ quadringentorum cataphractorum equitum erat, ſtipendio donari poſtulabat. Rex hominis perfidiam execratus, hæc per Contæum Burgundioni ſignificauit. At ille(ita ruentem ad ignominioſum exitum fatum ſuum trahebat) nec Regis verbis fidem adhibuit, & Baſſum longè pluris fecit, magíſque dilexit.

14 Fabulam hic, vt hominis ſceleratiſſimi perfidiam æquitatis aliqua ſpecie tegeret, Paulus Æmilius Gallicæ Hiſtoriæ ſcriptor intexuit. Baſſum quod belli Lotharingici incundi primum, deinde iam initi diſſuaſor fuiſſet, à Burgundione alapa pulſatum comminiſcitur, & Italum Italus quaſi laterem eluere conatur. Verumenimuero longè ante belli Lotharingici initia Baſſus cum Rege de prodendo Burgundione egerat: reiectus, ac contemptus ad Lotharingum recentem Burgundionis hoſtem, vt nefarios ſuos conatus exequeretur, clam confugerat. Deductus Lutetiam Luceburgenſis equitum magiſter in arcem, quæ Baſtilia vulgo dicitur, includitur: conuictus læſæ Maieſtatis Senatus Pariſienſis ſententia damnatur, Lutetiæ decimo quarto Kal. Ianuar. anno eius ſeculi ſeptuageſimo quinto ante ædes publicas capite plectitur. Quanquam de magiſtri equitum, Patriciorum, Mareſchallorum cauſis capitalibus non ſenatus, ſed ipſos Patricios, qui ad quaſuis maiores cauſas adhiberi ſolebant, Mareſchallóſque nonnulli cognoſcere olim conſueſſe contendunt, ídque antiqui Gallorum moris fuiſſe tradunt, & noſtro tempore à ſenatu Pariſienſi ad Patricios, Mareſchallóſque huiuſmodi prouocationes interiectas, ſed non ad finem perductas vidimus. Mareſchalli autem in Gallia quatuor eſſe conſueuerunt, quorum princeps equitum magiſter vocatur, olim Comitem ſtabuli, deinde corrupto vocabulo Coneſtabilem appellarunt: Franciſcus Primus huius nominis Galliarum Rex numerum auxit, quem eius poſteri imitati ſunt. Maiores Regiæ domus (ſic enim quondam vocabantur) ſiue Regiorum domeſticorum præfecti iidem Regiæ familiæ, aut palatij magiſtri dicti, hoc magiſtri equitum munus augeſcente dignitate vſurparunt: & tum militiæ, aut militum, tum equitum magiſtri nuncupati ſunt: tantiſper dum Reges domi inter ſcorta ignaui ſedere, quam Reges eſſe, hoc eſt, populos ſuos regere, & Regia munera obire maluerunt, Carolus Mattellus auguſtius etiam nomen aſſequutus eſt, proximum enim ad regnum poſteris ſuis gradum faciens ex magiſtro equitum Francorum princeps euaſit. Pipinus filius ex Francorum principe, Rex, Zacharia Romano Pontifice laudante, ſalutatus eſt: nec ipſum, aut eius poſteros Reges vſque ad Carolum Simplicem equitum magiſtris vſos legimus, ne fortaſſe qua arte regnum inuaſerant, id eadem quoque temporis decurſu amitterent: quamuis regnante Carolo Magno Æghartus Regiæ menſæ præpoſitus, Anſelmus palatij Comes legatur. Robertus Pariſiorum Comes Odonis Andegauenſium Comitis frater Simplice rerum potiente equitum magiſter fuit, & regnũ quo frater Rex inauguratus, ac biennio potitus, móxque exauthoratus fuerat, inuadere tentauit: ſed Rex & ipſe inauguratus commiſſo cum Simplice in Sueſſionibus prælio fortiter pugnans occubuit. Roberti filius Hugo Magnus ſub Ludouico Quarto Simplicis filio equitum quoque magiſter fuit, & Hauidem Othonis Imperatoris filiam in matrimonio habuit: alteram Gerbergan nomine natu maiorem Rex Ludouicus vxorem duxerat, ſed nihil ſanctum regnandi cupiditas habet: non prohibuit affinitas, quin ad regnum aſpiraret; morte præreptus Hugonem Capetum filium eundem equitum magiſtrum, qui inuaderet, reliquit. Capitini vel Capetini Reges, ſiue Hugonianos dicere malumus, nullos diu equitum magiſtros habuerunt: hi aliquot poſt ſeculis reuocati à domeſticorum Regiorum præfectis, ſiue palatij magiſtris ſeparati ſunt. Patriciorum autem, ſiue Franciæ Parium quos duodecim primos vocare poſſumus non ita certa origo eſt: à Carolo Magno in Hiſpaniam ad debellandos Saracenos profecturo creatos volunt, quamuis diſertam eorum mentionem, non niſi aliquot poſt ſeculis reperiamus. Paulò antè Taſſilonem Bauariæ regulum læſæ Maieſtatis reum ad procerum iudicium idem Carolus vocarat nulla Patriciorum facta mentione, vnde nondum inſtitutos fuiſſe coniectura eſt: ſed nec in Philippi huius nominis primi initiatione, quæ in annum milleſimum ſexageſimum incidit, vlla eorundem fit mentio: tametſi proceres, qui affuerunt, ſigillatim numerantur. Mareſchalli autem dicti videntur quaſi equitum præfecti, quod marchare noſtris hominibus olim idem quod equitare fuiſſe Gallicarum antiquitatum ſtudioſi prodiderunt: nunc autem de peditibus magis vſurpatur. Mareſchallos nonnulli caſtrorum magiſtros interpretantur, quorum munus diuerſum eſſe conſtat: alij tribunos

Luceburgenſis Lutetiæ ante ædes publicas capite plectitur.

Coneſtabilis dictio vnde deducta.

Patriciorum ſiue Parium & Mareſchallorum origo ac munus.

Digitized by Google

militum vocant, ſed hi in pedites, non in equites imperium habebant: Mareſchalli in vtroſque, quod munus honoratius minus honoratum complectatur.

Nec eſt cur Gallicæ militiæ rationem ad Romanam omnino referamus, Romani in peditatu robur exercitus ponebant, raro equitatu vtebantur. Contra Galli plurimo ſemper equitatu vſi ſunt, & in eo vim ſummam collocarunt. Prima ſecundùm Regem in bellis magiſtri equitum authoritas eſt, vt apud Romanos ſecundùm Dictatorem: proxima Mareſchallorum. magiſtri equitum vel ſub proximis Faramondo Regibus mentionem factam legimus, Mareſchallorum non ita vetus memoria eſt. Idem ius Regij ſanguinis principes, & maiore quidem ratione ſibi vendicant: vt non niſi à ſui ordinis principibus, Patriciiſque, ac Mareſchallis diiudicari debeant. Hinc anno decimi quinti ſeculi quinquageſimo octauo ad cauſam Ioannis Alenconij læſæ Maieſtatis rei cognoſcendam Burgundionem Regij ſanguinis, eundem & ſecundi Patriciorum ordinis principem (nam primi ordinis Patricij ſacris addicti ab huiuſmodi cauſis remouentur) cæteróſque eiuſdem ſanguinis principes, & ordinis eiuſdem Patricios, vel qui eorum vices gererent, Carolus Septimus Rex æqui & iuris obſeruantiſſimus accerſiuit, quos anno eiuſdem ſæculi ſeptuageſimo quarto Ludouicus Vndecimus Burgundioni, quicum clandeſtinam ſocietatem coiiſſe Alenconius ferebatur, ceteriſque Regiæ familiæ principibus, illuſtrioribúſque proceribus infenſus prætermiſit. Cauſam, vt principum Patriciorúmque authoritatem eleuaret, ad Senatum Pariſienſem ſibi obnoxium reuocauit: cuius exemplum in cauſa Caroli Borbonij vltimi Boiorum reguli diiudicanda, boníſque Regio ſceptro addicendis Franciſcus huius nominis Primus ſequutus eſt: at aliquot ante ſæculis Ioãnem Angliæ Regem, quod Arcturum fratris filium minoris Britanniæ regulum, ac Gallici ſceptri beneficiarum, in Francorum finibus quæſtione neque legibus, neque apud legitimos iudices habita necaſſet, Normaniæ, Aquitaniæque Ducatu, Turonum, Pictonum, Cenomanorum Comitatu Philippus Auguſtus de Patriciorum conſilio mulctauit. Quod nonnulli Reges aliquot iudicia aliter exercuerunt; & ex ſua libidine potius, quam ex bono & æquo viros magnos punierunt, quemadmodum & Ioannes huius nominis Primus Rodolphum Nellenſem Deuenſem Comitem, equitúmque magiſtrum perduellionis ſuſpectum omiſſa antiquorum iudiciorum formula capite luere iuſſit; id vero veterem morem, ſiue potius legem antiquare non debet. Idem ius, ſiue priuilegium Regiæ ſocietatis equites, ac Pariſienſes Senatores ſibi arrogant, illi vt non niſi apud Patricios, Mareſchallos, ſuíque ordinis equites; hi vt non niſi apud cunctum Senatum de capite diſceptent. Sed quod horum & recentior memoria, & inferior eſt dignitas, neque eadem priuilegij cauſa ſubeſt, & quod poſtremis hiſce temporibus quibus omnia ad ἀναρχίαν quandam, & ciuilium pariter, ac militarium munerum perturbationem deuenerunt, in tantam multitudinem excreuerunt, eodem iure cenſendi non videntur: & nos aliter ſæpe iudicatum obſeruauimus. 15

Cauſa priuilegij in Patriciis ſiue duodecim Primis ea fuiſſe videtur, quod illi Regibus, veluti Lacedæmoniorum quondam Ephori, quodammodo oppoſiti, aut tanquam conſiliari adhibiti ſunt, ſine quorum ſententia in maioribus negotiis, quæ ad rem Francorum publicam pertinent, nihil Reges definire, aut ſancire poſſent: quod tres Galliarum ordines, quorum decretis, atque conſultis res Gallica ſtare conſueuit, ſine magnis impenſis cogi ſæpius nequeunt. Id à maioribus noſtris viris ſapientiſſimis prouiſum, ne regnum bene conſtitum in tyrannidem aliquando declinaret: quin potius ad quandam Reip. formam accederet: quum igitur iniquis Regum edictis, nouis tributorum indictionibus, atque aliis id genus intercedere ex officio Patricij debeant, eos plane non ſecus, atque olim Romanorum tribunos, ſanctos eſſe oportuit: vt quemadmodum de tribunis populus Romanus dumtaxat ius dicendæ ſententiæ habuit, ita & de Patriciis tres tantum Galliarum ordines, aut illis non conuenientibus Patricij ipſi trium ordinum conuentum repræſentantes diiudicarent. Eadem & Regiæ ſobolis principum cauſa eſt, qui eadem, quæ Patricij, officia præſtare debent; quorúmque præcipuè intereſt ne regnum ſibi, poſteriſque ſuis Salica lege hæreditarium in tyrannidem, quæ diu conſiſtere non poteſt, deſinat: ſed potius vt æquiſſimis legibus, moribus, inſtitutis temperatum diu perſeueret. Hoc priuilegio & equitum magiſtri, Mareſchallique veteres, atque eximij magiſtratus non immerito donati videntur, qui præcipuam & regni armis tuendi, & antiqui moris, legúmque conſeruandarum curam habere debent. Vt ad Burgundionem redeam, totam is interim fere Lotharingiam occuparat, Nancium decimo tertio Kal. Decemb. deditione ceperat, à Rege Ludouico Quintinianos, Hanum, Bohanum, omnémque adeo Lucceburgenſis ſupelle- 16

ctilem

Digitized by Google

ctilem receperat: copias ſuas & Nuſſiana, & Lotharingica expeditione attritas ad Bernenſem, Friburgenſémque agrum hybernatum miſerat, vt proximo vere in Heluetios moueret: tametſi cum ipſis, Ciſrhenaníſque Germanis octauo Id. Decemb. inducias in Kal. April. fecerat. Hunc de colloquio ſollicitabat Ludouicus, & induciis cum illo initis haud contentus perpetua frui pace cupiebat, Heluetios gentem inopem, incultis montibus habitantem miſſos facere ſuadebat: Heluetij quoque legatos ad Burgundionem miſerũt, ſe & quas Romonenſi Comiti, & Caſtelloguioni principis Aranſij fratri arceis, caſtelláque abſtulerant, reddituros profeſſi. Contra Iacobus Sabaudus Comes Romonenſis vt ipſe cum exercitu ſibi auxilio eſſet, inſtabat: ille ſano conſilio reiecto iuuenis inconſiderati voluntati paruit. Appropinquanti Heluetiorum legati deintegro obuiam eunt: plura, quam ante promittunt, fœdere cum illo iungi ſuppliciter petunt: cæteris fœderatis, quibus vellet, ac Regi Ludouico nominatim ſocietatem ſe renunciaturos, eidem quoties vellet, ſex peditum millia exiguis ſtipendiis militatura miſſuros; omnibus, quibus quippiam abſtulerint, ſatisfacturos pollicentur: vtque pertinaciter inſtantem ab huiuſmodi expeditione reuocarent, addiderunt haud tantas eſſe totius agri Heluetici opes, quanti Burgundi exercitus fræni, calcariáque inaurata æſtimentur.

Heluetiorum conditiones Burgundioni oblatæ, & reiectæ exitium illi peperere.

17 Illis quod ſe cum Sigiſmundo Auſtriaco, Ciſrhenaníſque Germanis ſociaſſent, & in recipiendo Feretano Comitatu opem tuliſſent, nuper etiam Romonenſis, ac Caſtelloguionis arceis inuaſiſſent, infenſus erat: inuaſerant autem, quod onuſtum veruecinis pellibus currum Heluetio mercatori Romonenſis abſtulerat. tantula res tanto bello cauſam præbuit, & Burgundicæ potentiæ ruinam attulit! Nullas igitur conditiones accipere voluit, ſed Valdenſem agrum, quem Heluetij occuparant, ingreſſus quaſdam Romonenſis excluſis Heluetiorum præſidiis arceis ac Lotobrigorum metropolim cepit (Loſanam vulgo appellant) auxilia à Mediolanenſi regulo peditum quindecim ab Iolanda Ludouici Vndecimi Galliæ Regis ſorore, & Amati Sabaudi reguli, à Margarita Sabaudi reguli vidua, quinque millia acceperat: tum enim externum militem ſuo præferebat: tametſi ſatis multos veteranos equites pariter, ac pedites è ſuis ditionibus accerſere poterat. Exercitus erat ſi numerum ſpectes magnus, ſed ex Italis & quidem tironibus magna ex parte conflatus, vt mirum non ſit ſi primo congreſſu ſe totus in fugam coniecerit. Veterani milites Burgundi, Flandri, Sicambri, Nuſſiana, Nancianáque oppugnatione attriti, aut cæſi fuerant, aut domum redierant: ingentem lectiſſimarum bombardarum numerum habebat: quingentas omnis generis quidam numerant, ſuperbam Burgundicæ domus ſupellectilem omnem ſecum aduexerat, aurea, argenteáque vaſa, pretioſam veſtem purpureos papiliones auro, argentóque collucentes, ſtratos conchyliatis periſtromatis lectos, Attalica aulæa, gemmas & multas, & pretij vix credibilis: treis miræ magnitudinis carbunculos, quos fratres vocabant, adamantem quo neque maiorem, neque pulchriorem Chriſtianus orbis viderat: duos item alios carbunculos nihil adamanti in ſuo genere cedenteis cæterarum gemmarum & magna copia erat, & pretio vix poterat æſtimari. Quanquam (vt quidam tradunt) Burgundica ſupellex ſeſtertium millies ducenties æſtimata eſt: Nuſſiana obſidione etſi grauem iacturam acceperat, tamen quod totam Germaniam vnus ſuſtinuerat, magnum ſibi nomen quæſiuerat: Mediolanenſis Ducatus inuadendi mira illi cupido inceſſerat, idcirco Italo milite plurimo vtebatur: & Germaniæ, ac totius Italiæ legatis Burgundicæ aulæ maieſtatem oſtentare cupiens tantam ſupellectilem in caſtra comportarat: at & hanc, & priſtinam gloriam non ita multis poſt diebus à paucis, abiectíſque hoſtibus ſuperatus amiſit: ita humanam ſuperbiam altius ſeſe efferentem ſummus ille rerum moderator contundit, atque abiicit. Soli Heluetij impedire Mediolanenſem profectionem videbantur, raræ ibi munitæ vrbes: illorum agro ſe facilè potiturum ſperabat: omneis Allobrogum, ſiue Sabaudiæ opes Sabaudi reguli pupilli mater tametſi Regis Ludouici ſoror, ſed filij cum Maria Burgundionis filia matrimonium procurans in illum conferebat: Renatus Siciliæ Rex ſe illi prouinciam Phocenſem conceſſurum præ ſe ferebat, quam mox Ludouico Regi ſororis filio teſtamento reliquit. Iure certe regni Neapolitani ceſſurus videbatur quod Renatus minor eiuſdem ex filia nepos non his opibus erat, vt regnũ controuerſum quidem, ſed lõga Arragoniorum poſſeſſione quaſi pacatum, firmíſque præſidiis munitum recuperare poſſet. Id præſentiens Federicus Ferdinandi Regis filius, ad Burgundionem acceſſerat, vel quod filiam eius ambiret, vel ſaltem, vt de bello Neapolitano conſilia ſcrutatus anteuerteret: is primo ad Granſionem prælio affuit: deinde à patre reuocatus, quod filiam Allobrogum regulo pupillo deſponſurus Burgundio putaretur, aut quod ipſe aduerſæ fortunæ particeps eſſe nollet, in Italiam rediit.

Supellectilis Burgundiæ ſplẽdor quãtus.

Has

Digitized by Google

Has omneis ſpes ingenteis animo complexus Burgundio Granſonem Romonenſis op- 18
pidum pridie Id. Februar. anno eius ſæculi ſeptuageſimo ſexto circumſedit: præſidium
illuc Bernenſes immiſerant, ſeptingentos, aut octingentos fuiſſe ſcribit Cominæus, non-
nulli quadringentos dumtaxat, quingentos & duodecim Paulus Æmilius numerat: tanto
impetu bellicis tormentis vrbs quatitur, vt de conſeruanda præſidiarij milites deſperan-
tes, eamdem ſtatim incenderint, ſéque in arcem receperint. Hic paulo longior mora, ſed
& hanc de vita pacti dediderunt: non ſtetit promiſſis ille, ſed pleriſque cruci affixis, aliis
in lacum demerſis, cæteros captiuos detinuit. Hac crudelitate intellecta Ciſrhenani Ger-
mani omnes aduerſus Burgundionem coniurarunt, & Lotharingo auxilia, Heluetiiſque
miſerunt. Coierant Heluetij, vt ſuis opem ferrent, & quod eos in extremo diſcrimine eſſe
non fruſtra putarent, haud externa auxilia expectauerant: in itinere Granſonem captum,
& quid de ſuis actum eſſet, intelligunt; quatuor aut ad ſummum quinque millia fuiſſe, &
extremis montium anguſtiis conſtitiſſe traduntur, neque enim tum multi in armis eſſe
poterant quod alij pecus paſcerent, alij colendis agris operam darent, alij mercaturas
facerent: & tum quatuor dumtaxat principes vrbeis habebant, Bernam, Lucernam, Fri-
burgum, Tigurinos, & ſuos quos vocant Cantones montibus adiacentibus habitatos:

Heluetij à Suiſſa vico Suiſſeri appellati.

Suiſſam vicum, à quo vulgo Heluetij cognomen habent & Suiſſeri vocantur, Vndreual-
lium, ac Soluram, ſiue Soloturrim: alij poſt in eandem ſocietatem aſciti ſunt, nunc aucti
numero, & magnis principum ſtipendiis prouocati omnes fere ſe ad militiam conferunt.
Heluetios vbi in vnum coiiſſe didicit Burgundio, haud illos operiri, ſed paucitate con-
tempta, vel in ipſis montium abruptis, anguſtiſque ſemitis aggredi ſtatuit: contra viri mi-
litares ſentiebant, caſtra partim vallo, tormentiſque bellicis, partim Lemano lacu cincta
habebat, equitatu, quo hoſtes carebant, multum præſtabat, itaque apertis campis prælium
faciendum vno ore ſuadebant: nec ratione flecti, nec ſententia moueri, nec iam ſibi im-
minens fatum vitare monitus poteſt. Sexto Id. Mart. agmina ſuo quodque ordine progre-
di iubet, & in montium prærupta euadere: Heluetij magna ex parte ſclopetarij, primum
agmen in montium anguſtias fere receptum ex inſidiis adoriuntur, crebris glandibus in-
feſtant, huc, illuc diſſipant, qui nondum anguſtias penetrarant, ad ſecundum agmen ſe
recipiunt: Heluetij fugienteis tanto impetu ſequuntur, vt neque ſecundum, neque ter-
tium agmen conſiſtere, ſed neque pro caſtris ſtare auderet. Fugientibus ſeſe opponebat
Burgundio, vt in hoſteis conuerterentur, acrius inſtabat, & in magna interim pericula ſe-

Burgundorũ fuga ignominioſa.

ſe inferebat: illi veluti panico terrore perculſi tanto magis in fugam ruebant, magna enim
exercitus eius pars ex Italis conſtabat, qui nec ſtrenui milites erant, nec vrgenti parebant,
cæteros potius exemplo ſuo ad fugam inuitabant: fugienteis quum retinere non poſſet,
vix elapſus ipſe tandem fuga quoque ſibi conſulere coactus eſt, nec, ante quàm [illegible]onam
perueniret, conſtitit, ea duobus & triginta Gallicis milliaribus Granſone diſtat: multos ex
peditibus, ſeptem dumtaxat cataphractos equites deſiderauit: tam paucos in tanto exer-
citu virorum fortium officia præſtitiſſe mirum profecto videri poteſt: omneis bellicas
machinas, omnem ſupellectilem, & quod maximum fuit, quæſitam tot bellis militarem
gloriam amiſit. O variam, nimiſque commutabilem humanæ vitæ rationem! ô incertam,
volubilémque fortunam, niſi forte nullam omnino fortunam eſſe, poeticum commen-
tum potius eſſe dicimus, & diuinam Maieſtatem venerantes eiuſdem prouidentiam fa-
ſtus omnis nimium ſeſe iactantis vltricem agnoſcimus! Qui modo totam Galliam con-
cuſſerat, totam Germaniam in ſe irruentem vnus exceperat, diu detinuerat, datis potius,
quam acceptis conditionibus amandarat, idem nunc à paucis, ignobilibúſque hoſtibus
funditur, fugatur, ſpoliatur: in ſuis enim incultis montibus hactenus inopes Heluetij de-
lituerant, neque foris egregium aliquod militaris diſciplinæ ſpecimen ediderant, hac

Heluetij diuitiarum rudes & ignari gemmas pro vitreis, ac argentea vaſa pro ſtanneis vendunt.

victoria nobilitati clari euaſerunt, & ſe principum domitores inſcripſerunt: tam ru-
des autem, ac diuitiarum inſolentes erant, vt argentea vaſa pro ſtanneis, gemmas rariſſi-
mas pro vitreis, quaſi picturis vili pretio venderent, ſcutellæ enim argenteæ duobus aſſi-
bus, adamas totius orbis Chriſtiani pulcherrimus, maximúſque Floreno Rhenano dum-
taxat veniit: papiliones bombycinos multo auro coruſcanteis, quos magno vendere
potuiſſent, diſſecarent, & ignari Burgundicæ opulentiæ inſultarent: quid id aliud, quam
diuinam vltionem dicere poſſumus? Quinquaginta tam equitum quam peditum millia
in exercitu Burgundionis numerabantur, Heluetij vix quinque conficiebant, nullos equi-
tes habebant. Burgundus equitatus multus erat, integer fere permanſerat, in aperta plani-
tie cum ſecundo, tertióque agmine pugna commiſſa: Fugienteis ſeruatis ordinibus per-
ſequi vaſtis corporibus graues Heluetij agiles Italos, Allobroges montibus aſſuetos, aut
Burgundos

Digitized by Google

Burgundos expeditos vix conſequi poterant: ſi equitatus Burgundicus à tergo inſtitiſſet, nonne Heluetios perrumpere, aut ſaltem interim dum Burgundi pedites ad caſtra ſe reciperent, ac pro iiſdem propugnarent, illorum impetum retardare potuiſſet? at omneis tantus terror inuaſit, vt liberam fugam ſequuti à caſtris declinarint, neque pro illis propugnare auſi ſint. Hæc prima Burgundionis aduerſa pugna, nunquam antea cum humiliore, paucioreve hoſte, maiore nunquam ignominia pugnarat.

19 Acceſſerat Lugdunum Ludouicus, vt propius belli huius euentum contueretur, & pro re nata conſilium caperet: ſpeculatores multos habebat, qui quicquid ageretur, in dies renuntiarent, ne Heluetios ſub iugum mitteret Burgundio, aut metu territos ſibi ſocios aſciſceret, timebat, ad Heluetios, Ciſrhenanóſque Germanos ſæpius mittebat; illi ſuperbè reſpondebant: niſi Rex ſe Burgundionis hoſtem profiteretur, ſe cum illo ſocietatem inituros, & ſe Regis hoſteis profeſſuros. Audito hoc prælio ingentem animo lætitiam concepit, quod plures non cecidiſſent, ægre tulit: necdum tamen ſe Burgundionis hoſtem profiteri auſus eſt. Sed quanta mutatio ſtatim conſequuta eſt: ipſe Burgundio, qui ſuperbè ſemper cum Rege agere ſolebat, Contæum cum mandatis ad Regem miſit de dilato ad Antiſſiodorum colloquio rationem redditurum: Burgundionem breui aut ibidem, aut vbi Rex vellet, affuturum pollicebatur: adhæc, ne induciæ interrumperentur, præter mandantis naturam ſuppliciter petebat. Rex & benignè Contæum excepit, & facilè poſtulatis annuit: quam fidos enim, quámque opulentos populares ſuos haberet Burgundio non ignorabat, maiora etiam expectabat. Galeatius Mediolanenſis regulus, qui vxorem è Sabaudiana familia Francæ Reginæ ſororem duxerat, & relicta Regis ſocietate magna honorificáque legatione miſſa ſocietatem cum Burgundione vno & viginti ante diebus inierat, de renouanda ad Regem miſit, & centum ducatorum (vt vocant) millia ea conditione, ne inducias, pacémve cum Burgundione Rex iniret, pollicitus eſt. Reſpondit Rex ſe haud pecunia quidem indigere, cæterum ſi regulum initæ cum Burgundione ſocietatis pœniteret, ſecum renouandæ poteſtatem fecit: ea Lutetiæ primum, deinde Mediolani voce præconis ſolemni more proclamata eſt. Renatus Siciliæ Rex Burgundioni Prouinciam Phocenſem condonare decreuerat: Caſtelloguio in Galliam Tranſalpinam viginti nummûm aureorum millia tulerat, vt copias côgeret, & prouinciæ poſſeſſionem adiret. Nuntio prælij Granſoniani accepto vix elapſus eſt; pecuniam, qui fugientem perſequebatur, Philippus Sabaudus Comes Breſſanus intercepit: Rex cataphractos equites non paucos in Prouinciam immiſit: Renatum Siciliæ Regem auunculum Lugdunum acceſſiuit, honorificéque excepit. Congredienteis interpellauit Coſſa Neapolitanus Prouinciæ præſes (Seneſchallum vocant) [Ne mirum tibi videatur Rex potentiſſime (inquit) ſi herus hic meus tuus auunculus hæredem aliquando Burgundionem relinquere præ ſe tulit: id enim ſe facturum domeſticorum ſuorum, meóque in primis conſilio præ ſe tulit, non vt res ad exitum perueniret: ſed vt fama ad te perlata cum iure tibi ſuccenſere intelligeres, cuius Barenſem, Andegauenſémque arceis ſororis filius interceperis, multáque alia aduerſus rem illius egeris, auunculum eſſe meminiſſes, à quo plura cognationis iure, quam illata iniuria ſperare deberes. Id domeſtici ſuaſimus, vt ſiquidem hunc auunculum agnoueris, te viciſſim ſororis filium agnoſcat, ſuaſuri.]

Mira Burgũdionis præter eius naturã ſubmiſſio.

Coſſæ Neapolitani ſermo ad Regẽ.

20 Liberam hominis orationem Ludouicus prudenter accepit, paucis poſt diebus de omnibus controuerſiis cum Renato auunculo conuenit, Prouinciam ſceptro Gallico attribuendam certis conditionibus accepit, quarum ea princeps fuit, vt Margaritam Henrici Sexti Angliæ Regis viduam Renati filiam apud Eduardum captiuam Ludouicus redimeret, cuius nomine Eduardo quinquaginta nummûm aureorum millia numerauit. Acceſſit Philberti Sabaudi reguli mater, quæ Montagnium ad Ludouicum fratrem miſit, & vt ſe illi reconciliaret, nec tamen palam à Burgundionis ſocietate diſcederet, plurimum laborauit: ſpe matrimonij inter pupillum filium, ac Mariam Burgundionis filiam eiuſdem parteis ſequuta erat, & quo res vergerent non ſecus, ac Ludouicus, prudens mulier expectabat. Tranſrhenanæ ciuitates Nuremberga, Francfordia, aliæque vicinæ cum Rhenanis, Heluetiíſque ſocietatem inierunt, denique finitimi omnes in illum vndique coniurarunt: ſic florenti fortunæ aduerſa inſultat, & gradu ſuo deiectam conculcare conatur! Tantum autem inde animo dolorem hauſit Burgundio vt pene extra ſe poſitus in inſaniam inciderit; vt ſupra in eius Ludouicíque collatione ſcripſimus: hinc Luſanæ ſui reficiendi gratia aliquot dies ſubſtitit, & tamen interim de bello inſtaurando curam egit. Acceptam Granſoniana pugna ignominiam vltutus duodecim legatos, quorum princeps Hugonetus Cancellarius fuit, in Flandriam, aliquótque alias ſuas prouincias miſit, ſextam bonorum cuiuſque

Digitized by Google

Gandauēſes renuit pendere Burgũdioni pecunias ad bellum redintegrandum.

cuiuſque partem, ſextum quemque ferendis armis, bellóque tolerando hominem idoneum depopoſcit. Reſponderunt Gandauenſes, Brugenſes, Bruxellenſes, cæteræque ciuitates ſe principem ſibi diuina prouidentia conceſſum agnoſcere: ſi bello captum, aut ab hoſtibus circumuentum intelligerent, non ſolum facultates ſuas omneis, ſed & corpora pro illo in libertatem aſſerendo oblaturos: ſed pro continuando bello longinquo, ac difficili nulla, aut certè inani de cauſa ſuſcepto ſuis iuxta, atque hoſtibus pernicioſo, nulla emolumenti ſpe, certa potius diuinæ iræ propoſita denuntiatione cuius periculum Granſone fecerit, haud eo eſſe animo, vt pecuniam conferant aut militum delectum habeant: precari ne ſæpius fortunæ inconſtantiam experiatur, & nimia vlciſcendi cupiditate diuinam in ſe indignationem concitet, maiúſque aliquod malum ſibi, ſuíſque accerſat.

Ille ſanam ſuorum monitionem quaſi contumaciam interpretatus, nec admiſit, nec à ſuſcepto bello deſtitit, mille mortes ſubeundas, quam tantam contumeliam inultam pati potius ducit: nec vi ab hoſtibus, nec conſilio à ſuis ſuperari honeſtum putat. Comparato rurſus exercitu numeroſo quidem, ſed fere ex Allobrogibus, Inſubribus, cæteríſque Italiæ finitimis regionibus minus firmo, nam è ſuis pauciores, Anglorum autem cohortes aliquot habebat, Murtiam Romonenſis oppidum à Berna Germanicis quatuor milliaribus diſtans quinto Id. Iun. obſidet, decimo tertio poſt die hoc eſt decimo Kal. Iul. ingenti ſuorum clade ſuperatur. Pridie Federicus Tarraconenſis, ſiue Arragonius patris Regis Neapolitani mandato à Burgundione ſeceſſerat, atque in Italiam profectus erat: at Renatus iunior Lotharingiæ regulus, quem pecunia donatum per Lotharingiam à Burgundis occupatam aliquot equitum alis ſtipantibus deducendum in Germaniam Ludouicus curauerat, ad Heluetios paucis (vt Cominæus, multis vt alij tradunt) comitatus acceſſit: Heluetiorum autem exercitus ita compoſitus fuiſſe traditur: haſtatorum millia vndecim erant, ſclopetariorum decem, halebardis totidem pugnabant, quatuor equitum millia latera tegebant: hoc duce, atque his militibus aduerſus Burgundionem pugna commiſſa: numeroſiorem exercitum Burgundio, tametſi certus numerus non traditur, habuiſſe fertur: Nonnulli Antonium Burgundum nothum cum triginta tam equitum, quam peditum millibus ad lacum, Burgundionem in monte, ſed quot milites habuerit, iidem non explicant. Romonenſem in montis cliuo cum octo peditum millibus caſtra habuiſſe ſcribunt: alij viginti tria millia ſtipendio authorata, vt voluntarij, quos etiam volones Romani vocarunt, quique ad machinas bellicas operam impendebant, ſileantur, numerata fuiſſe produnt. Dies tredecim ad Murtiam Burgundio, ad Burgundionis caſtra triduo Heluetij conſederant: quarto die in Burgundionis primum agmen, cui præerat Romonenſis, irrumpunt, fundúntque: Murtianum præſidium egreſſum Lotharingo, ſuíſque iungitur; ij vno animo vallum Burgundionis aggreſſi breui perrumpunt, magnamque cędem faciunt. Burgundio, Romonenſíſque fuga euadunt, eandem fortunam ſubit poſtremum agmen, ac paſſim vniuerſi diſſipantur: cæſa duodeuiginti millia alij, alij duo & viginti ac ſeptingentos numerant: ex Heluetiis quinquaginta dumtaxat milites cecidiſſe ſcribunt: ſed quantulus hic numerus in tanta victoria? Heluetiis hoſtium perſequendorum finem dies fecit: poſtridie in Romonenſis oppida, caſtelláque inuaſerunt, omniáque ad lacum Lemanum ſita Luſanam vſque, ac Geneuam in ſuam poteſtatem redegerunt. Interim Baſilienſis Pontifex exercitu cum ex ſuis, tum ex fœderatis ciuitatibus accito in Burgundiam minorem inuaſit, & arceis quaſdam nemine obuiam prodeunte diruit: adeo afflicta res Burgundica erat, & quibuſuis direptionibus, latrociniiſque obnoxia: Ipſe Burgundio Ripariam (ſic enim vulgo appellant) in extrema Burgundia minore ſitam cum paucis ſeceſſerat, & rebus pene deſperatis copias tamen reficiebat: ſed tantis fractus calamitatibus, ingentíque animi æſtu percitus lentius in id incumbebat: curis potius animum exedentibus ſeſe conficiens hærebat: ibi dies circiter quadraginta, aut paulo plures ſolitarius quaſi luctum egit, & ſe duris animi affectibus cruciandum præbuit, vt ſolent qui animum ſolida ratione non muniunt, ſed ſuis cupiditatibus, ſuóque impetu de recta via deductum pronum ire, labíque permittunt. Amicos tamen, fœderatóſque prorſus à ſe defecturos non temere ſuſpicatus, (id enim iam ſtatim à Granſoniano prælio expertus erat) Margaritam Sabaudi reguli viduam cum vno ex filiis (quippe maiorem, minorémque natu domeſtici ſubduxerant) comprehendi, Roueriámque arcem tribus milliaribus Dinione diſtantem ſiſti, atque in cuſtodia, ſed prope libera haberi iuſſit: ſe enim ob ſuſceptam Sabaudicarum rerum propugnationem in has anguſtias redactum aiebat, & ne ad Regem fratrem ea deficeret, timebat.

Burgundio iterum ab Heluetiis ſuperatur.

Volones qui dicantur.

Ludouicus ſororis precibus adductus Carolum Ambaſianum cum valida equitum manu 22

Digitized by Google

manu Roueriam miſit,abductam ſororem,& mox benignè Turonibus exceptam in Sabaudiam remiſit, eidem liberos,Gabeletenſémque, ac Mommelianam arceis ſibi creditas reddidit. Dum ad Ripariam mœſtus ſedet Burgundio, neque quicquam proficit, neque enim de Heluetiis,à quibus non multum aberat,ſed de ſuis ditionibus conſeruandis cogitare debebat: dum ſocij, fœderatíque ab eo deficiunt, populares duplici prælio fractum contemnunt, aut ſaltem eius mandata animo haud æquo accipiunt, Renatus Lotharingus è Murtiano prælio Burgundorum ſpoliis donatus Argentinam profectus eſt, acceptíſque auxiliis haud magna cum manu Lotharingiæ oppida quædam Vallemontium, Spinale, aliáque aliquot recepit: poſtremo Nancium gentis caput circumſedit. Huc non tam virium ſuarum fiducia,quam Baſſi proditione fretus acceſſiſſe fertur: Baſſus autem in ſingulis prope oppidis ſuæ factionis nonnullos diſpoſuerat, & vt vel cito dederentur, vel proderentur longe ante prouiderat: Is centum nummûm aureorum (quos ducatos vocant) millibus in turmæ ſuæ ſtipendium (ea vt dixi quadringentorum cataphractorum equitum erat) quotannis donatus ſummæ rei apud Burgundionem præerat, & plus vnus, quam cæteri omnes authoritate pollebat. Nancio præerat Burenus è Croiorum familia cum mille & ducentis peditibus, inter quos Angli trecenti Colpino præfecto primas ferebant: hi tametſi haud admodum acris oppugnatio erat, tamen quod opem non ferret Burgundio, & ſe quaſi deſpectos haberet, ægre ferebant: quorum inſcius ille non erat; quinetiam & à Bureno & à ſuis, vt auxilio eſſet, ſæpius admonebatur, quanquam omnibus, ſibíque quodammodo iratum pauci conuenire audebant: non audiebat, & mœſtitia victus nec in tempore adeſſe properabat, & amiſſa occaſione frendens fatum ſuum deſtinata deſperatione in dies prouocabat: ruentem impellebat Baſſus, & quanto in diſcrimine vrbs eſſet gnarus diſſimulabat, res Nancianas non in eas difficultates recidiſſe, quæ denunciarentur, aiebat: militi bis victo reſpirandi otium daret, de induſtria ſuadebat. Interim Colpinus vir ſtrenuus tormento bellico ſternitur: magnam viri vnius mors præpropera animorum commutationem fecit: Angli Præfecto amiſſo ferociores de auxilio deſperantes paucitatis hoſtium ignari, ſeditionem faciunt, inter ſe de dedenda vrbe conſultant: Burenum, vt aſſentiatur, adigunt, ſua efferre permiſſi exeunt: poſtridie ad Nancium appulit Burgundio, & recens captæ vrbis potiundæ ſpe adductus oppugnationem inſtituit, cum Lotharingus viribus impar illo ipſo die ad conquirenda auxilia receſſiſſet. Tum vero Baſſus longè ante prouiſæ proditionis ſuæ exitum ſtruens, & cum Lotharingo de differenda oppugnatione, quod vniuerſis copiis propemodum præfectus, præſertim vero tormentorum bellicorum curæ intentus facile præſtare poterat, & cum Crano (quem alij Craonem appellare malunt) præfecto Regio, qui octingentis cataphractis equitibus cum attributis more Gallico hippotoxotis, & delecta peditum ſagittariorum manu Batenſem agrum inſederat, de occidendo Burgundione apertius agebat, quod pauca ab inope Lotharingo, magna omnia à Rege ſperaret. Rex pertinacem hominis perfidiam pertinaciter execratus, Lotharingus neceſſitate victus occaſione vſus eſt.

Nancium à Burgũdione obſidetur.

23 Caſtris opportunis locis diſpoſitis Nancium Burgundio acri obſidione cingebat, ad eum quotidie ex Burgundia, Flandria, Luceburgenſibus, cæteríſque ſuis prouinciis commeatus confluebant, in vrbe magna rerum omnium penuria erat, cuius gnarus Lotharingus interim dum exercitum comparat, turmam equitum, cum quo poterat commeatu, ad vrbem mittit. Hi noctu per medias cuſtodias impetu facto elapſi in vrbem recipiuntur: pauci intercepti, atque in primis Ciſro Lotharingi domeſticus, quicum proditionis conſilia omnia Baſſus communicarat: quem quod admotis iam, exoneratíſque tormentis vrbem ingredi, commeatúmque importare conatus eſſet, extremo ſupplicio mulctandum Burgundio pronuntiauit: ea lex tum in Italia, Hiſpaniiſque in vſu erat; in Gallicis, Anglicíſque bellis hactenus obſeruata non erat. Ciſro de vita anxius Burgundionem per aliquot eius domeſticos precatur, ſupplicem audiat; rem magnam, & in qua eius poſita ſit ſalus denuntíaturum: ſuſpenſus de induſtria aderat Baſſus, quum hæc ad Burgundionem Ciſronis nomine deferrentur; & quid is ſignificaret, vnus intelligebat: Burgundioni ſubiicit Ciſronem, vt vitam proroget, indicium promittere: cæterum ſi Nancio potiri vellet, exemplum aliis ſimile quid tentaturis proponeret. Perſuaſus Burgundio, ſi quod indicium Ciſro haberet illis denuntiare iubet, alioqui ſe ad certam mortem pararet: reſpondit Ciſro ſe Burgundioni dumtaxat, nemini præterea indicaturum, ſed rem huiuſmodi eſſe, cuius notitiam Burgundio opulentæ prouinciæ permutatione redemptam velit. Redibant ad Burgundionem viri illuſtres pro Ciſrone deprecaturi, quum Baſſus ad cubiculi oſtium adſtans, & ne quem intromitteret, Burgundionem iuſſiſſe præfatus nuntios ſuper nuntios ſummittendo, vt morte plecteretur Ciſro, perfecit. Cum Heluetiis

Ciſro cum Burgũdione colloqui deſiderat.

Ciſrhenaniſque ciuitatibus de auxiliis agebat Lotharingus, vt Nancianam obſidionem ſolueret: eundem per legatos iuuabat Ludouicus, pleraſque cataphractorum equitum alas, vt Lotharingo ſe iungerent, de induſtria exauthorarat: &, vt cætera nobilitas vna militaret, tacite permittebat, nondum enim finitæ induciæ erant, exercitu etiam, qui in Barenſi agro hybernabat, Burgundionem ſuſpenſum tenebat. Prompti animi Heluetiis, Germaniſque, vel Lotharingi amicitia, vel Burgundionis odio accenſis. pecunia deerat, quæ res procliues, & ad fœlicem exitum pronas retardabat: ſuffecit Ludouicus, triaque & viginti Lotharingo nummûm aureorum millia ſummiſit: his ſtipendij quaſi primitiis acceptis Germani, Heluetiique conuenerunt, & Lotharingum ſequuti ſunt. Nonus hic menſis erat, ex quo Luſitaniæ Rex auxilium aduerſus Ferdinandum Tarraconenſem implorans, ad Ludouicum in Galliam acceſſerat: de regno Caſtulonenſi controuerſia erat. Henricus Caſtulonenſis vita functus ex Luſitani ſorore Beltramiſam filiam reliquerat, ex adulterio natam Henriei ſoror Elizabetha Tarraconenſis vxor obtendebat; & Henricum ad ſobolem procreandam haud ſatis habilem rumor erat: inde regnum Elizabetha ſibi vendicabat, & bonam iam partem inuaſerat: à Luſitano nihilominus plerique Hiſpani proceres, vrbéſque ſtabant. is ſe viribus imparem ratus miſſis ante legatis in Galliam tranſmiſerat: matrimonium inter Carolum Delphinum, & Henrici Caſtulonenſis, ſororiſque filiam forma præſtantiſſimam conciliare cupiebat; diu ſuſpenſum tenuit Ludouicus, Burgundionem infeſtum ſibi cauſatus. Hunc quod amitimus erat, conueuiendum ſibi putauit Luſitanus, vt controuerſiis hinc inde compoſitis auxilium ab vtroque impetraret: ſed tot, tantæque controuerſiæ erant, vt de hiſce conciliandis deſperans, vix biduum apud Burgundionem remanſerit (iam enim Lotharingus Nancianam obſidionem ſoluturus appropinquabat) Lutetiámque re infecta redierit. Luſitano diuturna mora cunctante Ludouico magnum detrimentum attulit: multæ interim vrbes ad Tarraconenſem defecerunt, multæ vi captæ, aut metu perculſæ ſeſe dediderunt: Hiſpani proceres de Luſitano diu abſente deſperantes, cum Tarraconenſi præſente, atque acriter vrgente conuenerunt. Ipſe Luſitanus in Luſitaniam reuerſus pudore denegati auxilij, irritæque peregrinationis, ac mœſtitia confectus paucis poſt menſibus vitam edidit: legatorum imprudentia Gallicis rebus non ſatis cognitis acceſſitus longinquam profectionem præter optimatum ſuorum ſententiam ſuſceperat: quod ſi maturè opem, vt primum inſtituerat, Ludouicus tuliſſet, compos nimirum, vt tum res erant, regni Caſtulonenſis fuiſſet, quod Tarraconenſis, atque vxor Elizabetha fratris filia excluſa occuparunt, & ad poſteros quaſi hæreditarium tranſmiſerunt. Horum filiam hæredem vxorem duxit Philippus Maximiliani Imperatoris ex Maria Burgunda filius, quo ex matrimonio Carolus Quintus Imperator vix vlli ſuperiorum ſecundus, ac Ferdinandus & ipſe Germanorum Imperator, ac fratris in imperio ſucceſſor procreati ſunt.

Luſitani & Ferdinandi controuerſia ſuper Regno Caſtulonẽſi.

Vix Nancianis caſtris digreſſus erat Luſitanus, quum ad fanum Nicolai Varengeuil- 24
lani Heluetico Germanicóque peditatu, atque ex Gallis Germanis Lotharingis mixto equitatu ferox Lotharingus appropinquauit, Heluetiorum decem millia, ac quingentos, Germanorum quatuor, aut ad ſummum quinque affuiſſe tradunt, Gallorum, Lotharingorúmque numerus ſiletur. Ad hos Kalendis Ianuariis cum centum & octoginta cataphractis equitibus Baſſus, pridie Nonas, Angelus, ac Monfortius cum centum & viginti tranſierunt: Heluetij proditione comperta cum tam ſceleratis ſe pugnaturos pernegarunt. Itaque caſtris Baſſus excedere iuſſus ad Condæam arcem ad Moſam fluuium ſitam ſe recepit, qua commeatus è Metenſibus, Luceburgenſibúſque ad Nanciana caſtra comportabatur: & quod eadem via bonam Burgundici exercitus partem fuga ſeſe effuſuram non fruſtra ſuſpicabatur (neque enim de victoria dubitabat) itinera longa lignorum ſtrue quaſi vallo ſepſit, & prælio mox conſerto ſuos, vt fugientes carperent, aut exciperent locis opportunis collocauit. Nancij in extrema rerum omnium penuria erant præſidiarij milites, neque tam diuturnam obſidionem, niſi Baſſi proditione, crebriſque pollicitationibus freti, tum etiam de Lotharingi aduentu eiuſdem opera certiores facti toleraſſent: fama tãti, támque propinqui hoſtilis exercitus audita primarios alarum ductores præter morem Burgundio in conſilium adhibuit alij maiore rerum experientia, vsúque præditi tam paucis cum tam multis, paratiſque fortunam tentandam non eſſe ſuaſerunt: Burgundionis copias militum quatuor millia, vt multum, implere, quorum vix mille, ac ducenti ad pugnam habiles ſint, duplici prælio ab iiſdem hoſtibus, quum integris adhuc viribus conflixiſſent, antea ſuperatos, hic diuturna tot menſium obſidione, rigidiſſimáque poſt hominum memoriam hyeme prorſus attritos: & vt recẽtes proditiones ſileantur, futuræ ne timeantur quidẽ, vt par vtrobique militûnum erus ſit, quis frigore torpẽteis, vix arma commouenteis, morbiſque langueſcenteis

Heluetij cũ perfidis & proditoribus pugnare detrectant.

Digitized by Google

cum vigentibus, ac nunc primum domo prodeuntibus committat: nec milites ſolum, equos etiam conferre par eſt, cum ſtrenuis, & nullo adhuc labore fatigatis fame, frigore, pædore enectos: Lotharingo magnas vires adeſſe, pecuniam belli neruum deeſſe: commeatu Nancium importato tantas copias diſſipatum iri vix vnquam poſtea coituras: haud tanto vrbem, quin intra hanc ipſam hyemem maiore egeat, poſſe compleri: ſecederet paululum Burgundio, & ad pontem Muncionis Moſſonium vulgo appellant, vrbem peropportunam caſtra poneret, vallo, foſſáque muniret, exercitum è finitimis ſuis prouinciis augeret, à pugna abſtineret, bellum duceret, dum pecunia exhauſtus Lotharingus dimiſſis, aut dilapſis copiis reſiſtendo eſſe non poſſet: tum pecunia abundans ipſe (quadringenta autem, ac quinquaginta nummûm aureorum millia repoſita Luceburgi habebat) recenti milite accito, exercitúque aucto obſidionem redintegraret. Alij vix ſui compotes, & eodem, quo Burgundio ipſe furore perciti, ſi vrbem prope captam, ſine pugna hoſti concederet, ignauiæ aſcriptum iri prædicabant, quorum ſententiam fato ſuo iam morti deſtinatum trahente, id eſt, diuina prouidentia ita ſtatuente ſequutus prælium pronuntiauit, Nonis Ianuariis anno eius ſæculi ſeptuageſimo ſeptimo. Heluetij ad Villam nouam vicum progreſſi copias diuiſerunt: alterum agmẽ Tigurini ac Friburgenſes, alterum Bernani, Lucernaníque implebant: horum ſigna cæteri Galli, Germani, Lotharingi, vt diſtributi erant, ſequebantur: illud ad fluuium deflexit, hoc via Regia, qua Nancium petitur, inceſſit.

25 E caſtris egreſſus Burgundio loco paulo altiore ad Magonam deſtinatum elephantiaſi laborantibus domicilium conſtiterat: huc accedentes Heluetios fluuiolus natiua, denſáque ſepe vtrimque clauſus prohibebat, ſpectantéſque eodem tormenta bellica terrebant, ſed in procul incedentes exonerata haud magno vſui fuerunt: præſertim quod Heluetij publica via relicta, collibúſque ſuperatis, quà ſiluæ imminebant, à latere altero è loco altiore in Burgundos impetum fecerunt. His duas cum peditatu equitum alas oppoſuit Burgundio, alteri Lalanus Flandriæ adminiſtrator, alteri Iacobus Galeotus præerat: ſed Burgundus peditatus primo Heluetiorum ſclopetariorum ſtrepitu in fugam verſus, equites ſtrenuè pugnanteis perterruit. itaque tantæ pugnatorum moli impares multis amiſſis ad pontem Bridorium milliari Nancio diſtantem concitatis equis effugerunt. Hunc pontem, quod fugientibus, & Luceburgum, Therníſque villam proficiſcentibus Burgundis receptus erat, munierat Baſſus, ac trabibus intextis aditum accedentibus percluſerat, palatóſque cum ſuis aggreſſus multos ipſe, plures Lotharingi milites perſequuti occiderunt: maiórque adeo hic cædes, quam in ipſa pugna facta proditur: multi in fluuium ſeſe immittenteis abſorpti, multi inſidias veriti in latos campos, ſiluáſque ſeſe effundenteis à ruſticis cæſi ſunt. Ipſe Burgundio pariter fugiens turma equitum inuadente humi ſtratus, nec cognitus, cæſus atque ſpoliatus inter cæteros iacuit: captiui è Burgundis nonnulli cadentem viderunt, poſtridie conquiſitum foſſa haud admodum alta iacens glacie ſuperinducta cadauer offenderunt: tribus vulneribus petitus fuit, altero in caput cæſim, ad denteis vſque peruadente; altero punctim haſta in vtrumque femur, tertio in podicem adacta: tametſi autem os glacies deformauerat, mutilum tamen, ſanguinéque oblitum Antonius Burgundus eiuſdem frater nothus, atque Oppius medicus Luſitanus, aliíque domeſtici agnouerunt. Proditioni ſuæ & hanc machinam addiderat Baſſus, quindecim è ſua turma fidos equites in Burgundionis exercitu reliquerat, quorum alij pugnæ initio fugam magna trepidatione capeſſentes, cæteros ad fugiendum quoque inuitarent, alij Burgundionem obſeruarent, fugientémque vel occiderent vel occidendum procurarent. Hac ille morte tanto duce, & quidem (vt ferebatur) intrepido haud ſatis decora annum quartum & quadrageſimum natus vitam finiit: agnitum cadauer Nancium elatum, ablutum, & linco amictu à ceruice ad pedes ducto indutum in ſtrato pullis holoſericis aulæis atrio menſæ impoſitum capite puluillo innixo vmbella pulla holoſerica ſuperſtrata maioribus quatuor cereis in menſæ quatuor angulis collucentibus, atque aliis præterea toto atrio diſtributis: ita compoſitum multis comitantibus Lotharingus pullatus barba aurea ad pubem prope demiſſa veterum heroum more, equitúmque, quos Preuos, quaſi magnis rebus geſtis probatos noſtri appellant, qui barbam huiuſmodi parta memorabili victoria geſtaſſe produntur, inuiſit: manúque ſub vmbellam immiſſa manum iacentis prehendens
" [Multa nobis (inquit) dãna viuus importaſti, mortui immortalem animum Deus Opt. Max.
" vt ad ſe recipiat, precamur.] Eo deinceps omnes, vt tanti nominis ducem viſerent, confluxerunt: ſatis amplo mox funere in Georgij æde ſepelitur. Cæſa eo prælio è Burgundionis exercitu (ſiquidem ex hoſtili pauci admodum perierunt) tria millia feruntur: capti Antonius, ac Balduinus Burgundi nothi, quos Lotharingus ipſe ad Ludouicum Regem in Picardiam deduxit: capti item Comes Naſſanus, Marchio Rothelinus, aliíque viri nobiles permulti.

Burgundio tribus vulneribus petitus occubuit.

Digitized by Google

Tria Burgundionis aduerſa prælia Germani vulgari vno verſiculo notarunt, quo eundem primo prælio ſuas opes, præſertim pretioſam ſupellectilem, ſecundo ſtrenuos milites eóſque permultos, tertio ſeipſum perdidiſſe teſtati ſũt: nos duobus, ſed phaleuciis complexi ſumus,

Granſo, Murtia, Nanciúmque Carlo
Gazas, agmina, corpus abſtulerunt:

Ridiculum de Burgundione figmẽtum & eius origo.

Quam charus autem ſuis, præſertim vero plebi fuerit, vel id vnum indicat, quod cæſum eo prælio haud in animum inducere potuerunt: tantis calamitatibus afflictum in Germaniam ſeceſſiſſe, ibique, vt diuinam iram placaret, ſeptennium exigendum propoſuiſſe ſibi perſuaſerunt. Gemmas, equos, merces quaſlibet venales expoſuerunt emptoribus pretia, quum Burgundio rediiſſet, perſoluturis: rumorem auxit quidam Burgundioni & ore, & omnibus corporis lineamentis perſimilis vitam ſolitariam (vt ferebatur) profeſſus: in agro Spirenſi tum forte agebat, ad hunc omnes vndique inuiſendum confluebant, & ſtipem conferebant, iſque magnam hoc nomine pecuniam coegit: hominẽ Ioannes Nanclerus hiſtoriæ ſcriptor ſe vidiſſe teſtatur. Illud in primis animaduerterunt viri prudentes, Burgundionem ſcilicet in ea prouincia, quam potiſſimum iniuſtis armis oppreſſerat, ſibíque vendicarat (nihil enim in Lotharingiam iuris niſi forte pecuniam Nicolao Ioannis Calabri filio creditam ne prætexere quidem poterat) ignominioſè à iuuene extorre, omnium rerum indigo duce ſuperatum: quóque ex loco Ludouicũ Luceburgenſem in fidem receptum iureiurando violato Ludouico Regi dedi mandauerat, ac Cifronem proditionis indicem futurum audire noluerat, quin potius inſontem indigna morte plectendum curarat, ibidem ab eo, cui potiſſimum fidebat, proditum, victum, fugientem, ignotum quaſi gregarium militem cæſum fuiſſe, atque ſpoliatum. Tanta in viris præſertim illuſtribus, in quos nihil Reges poſſunt, auaritiæ crudelitatiſque vindicandæ exẽpla in dies edit diuina prouidentia, & miſeros mortales, vt iuſtitiam colant, nõ verbis, ſed rebus gerẽdis admonet. Intellecta Burgundionis morte Ludouicus, qui tũ Pleſſiaci ad Turones agebat, omnibus lætitiis inceſſit: neque enim hoſtem infeſtiorem, neque potentiorem habebat, & vniuerſas eiuſdem quaſi læſæ Regiæ maieſtatis rei prouincias, quæ in Gallici ſceptri fide erant, occupare inſtituit: Matthæum Borbonium nothum Amyralium, ac Philippũ Cominęum in Picardiam miſit, qui vel precibus, vel promiſſis, vel pretio, vel vi, miníſque, quos poſſent in ſuam poteſtatem redigerent. Iam cũ Torcio equeſtris alæ ductore Abbeuillæ præfectus, quum illuc appulerunt, in colloquium venerat, quadringentóſque cataphractos equites egredi iuſſerat: hoc comperto Abbeuillani portas vrbis aperuerunt, Regióſque admiſerũt: inde profecti ad Attrebates, vt Regios milites in vrbem iam Regi commiſſam reciperent, poſtularũt. In vrbe erant Philippus Rauaſtenius, Crepecordiúſque, hi Comitatus Attrebatenſis Mariam Burgundionis filiam legitimam, vnicámque hæredem eſſe reſponderunt: Margarita enim Flandrica quæ Philippo Audaci Burgundionis proauo nupſit, Flandriæ, Attrebatum, minoris Burgundiæ, Niuernenſium, Retelij Comes fuit: vnde Carolus Burgundio, eiúſque filia vnica Maria originem traxerint, Regem precari, vt inducias cum patre initas cum orba filia ne interrumpat. 26

Paucis poſt diebus Hanum, Bohanum, fanum Quintini, Perona Gulielmo Biſchio præfecto dedente acceſſerunt; paulo ante denuntiatam Burgundionis mortem in eum ſermonem ſæpius Rex inciderat, vt ſi is vel cæderetur vel alioqui diem obiret, quid agendum ſibi potiſſimum eſſet, deliberaret; at tum quidem ſe, vt Burgundionis filia Maria Carolo Delfino nuberet, procuraturum; aut ſi ea propter Caroli ætatem, quod is tenellus adhuc puer eſſet, recuſaret, vt cum aliquo ex ampliſſimis Galliarum familiis principe matrimonium contraheret, laboraturum aiebat, vt quæ ſui iuris eſſent, ſine vllo tumultu, ac bello recuperaret. Tanta deinde rerum ex ſententia ſuccedentium fœlicitate elatus longè aliam mentem induit, & in Burgundicas prouincias, quibus ſe facilè potiturum ſperabat, quo iure, quáque iniuria inuadere in animum induxit. Quod ſi in priore ſententia perſeueraſſet, melius nimirum & ſecum, & cum Galliis vniuerſis, & cum Burgundicis prouinciis actum eſſet: aut enim Burgunda Maria Carolo Delfino in matrimonium collocata Gallicum regnum latis finibus propagaſſet, aut primario Gallo principi nupta, quod ſupererat ætatis, in perpetua pace ſecurus terminaſſet. At ille bellum exitiale orſus eſt, quod & ad poſteros velut hæreditarium tranſmiſit, necdum conquieuit: & illam, vt patrimonium tueretur, ad viri alienigenæ, hoc eſt, Germani nuptias reſpicere coegit: ipſa enim à Gallis Regibus ab vtroque parente oriunda Gallo in primis nubere cupiebat; & Carolum Delfinum, tametſi nouem annos dumtaxat natum, & ſtatura breui, exilíque, ac gibbis humeris deformem non aſpernabatur, quin eum ſponſum deſiderare initio præ ſe ferebat: Carolo etiam Engoliſmenſi Comiti, cuius poſtea Franciſcus filius Galliarum Rex huius nominis Primus declaratus eſt, ſi in id 27

Ludouicus rebus Gallicis meliùs conſulturus Mariã Burgundã Gallo Principi in matrimoniũ collocare debuerat.

Ludouicus

Ludouicus incubuiſſet, facile nupturam fuiſſe putant: tanto Gallici connubij deſiderio tenebatur: ſed poſtquam Ludouicum in ſuam, ſuorúmque perniciem omnia machinari, ſua orbitate haud placari, affinitatem aſpernari animaduertit: tum neceſſitate victa, & Ludouici contumelia, quam mox proferam irritata, ad Maximilianum Federici Imperatoris filium, imperiique ſucceſſorem animum adiecit. Ludouicum Peronæ legati Mariæ Burgundionis filiæ conuenerunt, viri ampli erant, iique permulti: Hugonetus Cancellarius, Himbercurtius, Philippus Crepecordius, Verus Zelandus, Gruturius, aliique primæ nuper apud Burgundionem, tum apud Mariam authoritatis, quos tam multos ſimul mittere, haud ſani conſilij fuit: ſed ea trepidatio, ac conſternatio erat, vt nullus conſilio relinqueretur locus. Hos omneis ſingulos priuatim conueniendo, in ſuas parteis Ludouicus pertrahere nitebatur, & promiſſis ingentibus inuitabat: quibus opes in regni vicinia erant, hi aures arrigebant: magnas in Burgundia Hugonetus, in Picardia Himbercurtius, Crepecordiúſque habebant. Iam in Ludouici poteſtate erat Crepecordius, ſuperiores, ſi Carolo Delfino Maria nuberet, ſe fore ſpondebant: alioqui haud quaquam ſeſe illi addicebant: matrimonium probare vultu præ ſe ferebat Ludouicus, ſed animo multum ab eodem abhorrebat, vt tantam fœlicitatem, acceſſionémque regno Gallico fortuna inuidiſſe videatur. Duo coniuncta Atrebates oppida habent, villam, hoc eſt, vrbem alterum, alterum ciuitatem vocant, qualia Hiſpanicis Emporiis fuiſſe quondam prodiderunt: vt ciuitas ſibi dederetur, Ludouicus poſtulauit, Crepecordium præfectum ſacramento Hugonetus, Himbercurtiúſque ſoluerunt, is ciuitate tradita ad Ludouicum tranſiit: ſiquidem Atrebatenſi fœdere cauebatur, vt nulla Burgundioni maſcula ſobole ſuperſtite, Atrebates ad Gallicum ſceptrum redirent.

Ludouicus ſibi dedi Atrebatum poſtulat.

28 Litteras Mariæ ad Ludouicum legati attulerant partim illius, partim Margaritæ Eboracenſis ſocrus, partim Rauaſtenij propinqui manu, ſed Mariæ nomine ſcriptas, vt maior fides adhiberetur, quibus omnia ſua negotia ex ſocrus (quæ Eduardi Angliæ Regis ſoror erat) Rauaſtenij, Hugoneti, Himbercurtij ſententia adminiſtraturam profitebatur. Hæ poſtea à Ludouico Rege prolatæ, Gandauenſibúſque redditæ Hugoneto, Himbercurtióque mortis cauſam attulerunt, & Mariæ animum à rebus Gallicis prorſus abalienarunt. Ludouicus ciuitatem receptam congeſto aggere egregiè muniit, & præſidium ſatis validum eidem impoſuit. Re inſperata attoniti Atrebates, & veluti in cuſtodiam traditi, ad vicinas vrbeis Inſulam, Duacúmque de mittendo auxilio ſcribunt: Duaci agebat Vergius, aliíque pauci è Nanciano prælio nuper elapſi: trecenti circiter equites, quingenti pedites erãt, vt ſub meridiem Duaco egreſſi ad Atrebatum vrbem adirent Duacenſes coegerunt: recuſabant illi, & noctem expectandã, vt itineribus inobſeruatis in vrbem facilius admitterentur, aiebant: non tulerunt Duacenſes, ſed minis, increpationibúſque in apertam perniciem ruere compulerunt. De illorum enim aduentu certiores facti Ludæus, aliíque Galli Atrebatibus pręſidio relicti, quod de conſeruanda, ſi illi vrbem ingrederentur, ciuitate deſperarent, obuiam prodierunt, & ferè vniuerſos vel occiderunt, vel captiuos abduxerunt. Poſtridie ad Atrebates appulit Ludouicus, & bonã peditum captiuorum partẽ, vt cæteros perterrefaceret, extremo ſupplicio affecit: Vergium in cuſtodia habuit, & mox ſub anni vertentis finem ſacramento obligatum liberum abire permiſit, ſuáque omnia poſſidere iuſſit. Tum bellica tormenta quorum numerum ingentem ſecum trahebat, vrbi admouit, & muri partem deiecit: deditionem interim per familiares, quos in vrbe multos habebat, procurabat Crepecordius, quam facilè perſuaſi ſtatim fecerunt: ſed, ne conditiones bona fide obſeruarentur, Ludæi auaritia perfecit. Is in rapinis etiam gloriam captans, viginti nummûm aureorum millia lucri ſibi numerata iactabat: nec multo poſt Hiſdinum quoque, tum Condæum oppidum, arcémque Ludouicus deditione cepit: inde Queſuoium, ac Bocainum profectus in ſuam poteſtatem redegit. Agebat Gandaui Burgunda Maria tum quum patris cædes in Flandriam perlata eſt: Gandauenſes voti compotes viginti ſex viros, qui vrbis curam gerebant, propè omneis occiderunt; prætexentes, quod hominem tametſi nocentem morte Burgundionis, qui eoſdem creauerat, magiſtratu moti pridie ſummo ſupplicio affeciſſent: Mariam, vt ſua priuilegia confimaret, quæ Carolus pater, auúſque Philippus antiquauerant, adegerunt: Quod ſi ad rei ſummæ curam, non ad ſuas priuatas ſeditiones animum adieciſſent, vrbeiſque præſidiis in tempore firmaſſent, Flandriam certe, vicináſque prouincias Mariæ ſartas tectas conſeruaſſent. Regem tamen in Atrebatibus caſtra habentem Burgundi legati, iíque magna ex parte Gandauenſes trium ordinum nomine adierunt: ſiquidem Gandaui ex omnibus Burgundicis prouinciis ſelecti ex tribus ordinibus viri illuſtriores conuenerant: ſed Gandauenſes, quod Mariam in poteſtate haberent, omnia ex ſuo ſenſu tranſigebant: hi

vt bello abſtineretur, factiſque induciis dies ad componendas controuerſias præſcriberetur, poſtulabant: Mariam omnia ex trium ordinum ſententia ſua negotia procuraturam addebant.

Ludouici prudentia.

Ludouicus, qui bonam iam vtriuſque Burgundiæ, item Atrebatenſis Comitatus partem, ac Somonenſia oppida occuparat, & longè maiora ſperabat, (perpaucos enim milites, nullos duces Maria habebat) tum Gandauenſium ingenia nouerat, qui ſeditiones dumtaxat mouere, res magnas conſilio promouere nulla rerum experientia præditi haud poterant, Burgundos etiam magnis rebus gerendis idoneos Hugonetum (inquam) atque Himbercurtium propter eam, qua apud Burgundionem floruerant, authoritatem impenſe oderant, & aduerſus nouos ſuos principes ſemper hactenus rebellarant: eoſdem accendere acrius, & inter ſe committere decreuit, magnum rebus ſuis momentum ex illorum diſſentione acceſſurum ratus. Itaque Mariam de tribus ordinibus haud magnopere ſollicitam non ex illorum (vt ipſi iactabant) ſed ex paucorum ſententia, qui bellum potius, quam pacem quærerent, ſibi conſulturam obiecit: illi contra inſtabant, mandatáque in hanc rem diſerte ſcripta ſe habere confirmabant. Rex ſibi ſatis, ſupérque comperta, quæ diceret, ſubiecit: tum Mariæ litteras ſupra commemoratas protulit, quibus rerum ſuarum ſummam ad ſocrum, Rauaſtenium, Hugonetum, Himbercurtium Maria reiecerat: nullos præterea in ſanctiore conſilio habituram ſe profeſſa erat. His lectis re inopinata perturbati Gandauenſes, cæteríque legati, & magna indignatione ſuccenſi, quam mirum in modum augebant qui cum illis de hiſce rebus communicabant, vt ſibi litteræ traderentur, poſtularunt ídque facile impetrarunt: nec amplius de Atrebatenſi obſidione, quæ multo magis illos mouere debuit, nec de cæteris vrbibus in Ludouici poteſtatem redactis, ſed ſtatim de reditu, vt ſubortas nuper ſeditiones magis accenderent, cogitarunt: rudes enim, atque harum rerum inſolentes erant, & numquam in maioribus negotiis verſati. Nec Ludouicum, quid mox deſignaturi eſſent, fefellit: Gandauum reuerſi Mariam Margarita ſocru, viriſque illuſtribus comitatam offenderunt: aderat Cliuenſis regulus Mariæ propinquus, Rauaſtenius eius frater, Ludouicus Borbonius Eburonenſis Pontifex, alíique permulti, qui non ſolum, vt eandem comitarentur, ſed & vt de ſuis priuatim negotiis agerent, illuc conuenerant. Cliuenſis, vt filio Maria nuberet, procurabat, à quo, ſi dignam indolem præſtitiſſet, non aliena admodum fuiſſet: ſed quod vna educati erant, idcirco vitia magis nota erant, & fortaſſe contemptum familiaritas fecerat: Borbonius Pontifex Eburonibus immunitatem petebat, triginta enim florenorum millia quotannis ex fœdere Burgundioni pendebant: hic voluptatibus deditus, ſuarum rerum ſecurus, nec ſatis prudens æſtimator, inopes Eburones deſiderare debebat, à quibus aut pauca, aut nihil fere recipiebat: quæ autem aduerſus Eburones bella geſſerat Burgundio, illius nomine omnia ſuſceperat. Eadem ſocordia Gulielmum Marchianũ virum forma, viribúſque præſtantem, ſed improbũ, ac moribus immanibus truculẽtum ſibi domeſticum aſciuerat. Cui florenorũ millia quindecim in Pontificis auũculi gratiam Maria dono dedit: at ille ſtatim & aduerſus Mariam, & aduerſus Pontificem herum Pontificatum Eburonenſem filio ambiens arma ſumpſit, ipſúmque prælio conſerto manu ſua confecit, atque in flumen deiiciendum curauit: paulo poſt tamen dignas ſua immanitate pœnas dedit; quum enim comparato ſatis magno exercitu ad Eburonum portas caſtra metatus eſſet Marchianus, Ludouicus Pontifex viribus inferior auxilia expectans in vrbe conſiſtebat: Maximilianum autem Auſtriacum, qui ſororis filiam Burgundam Mariam, & Aranſiorum principem, qui ſororem eius vxorem duxerat, acceſſiuerat. Hi iam in itinere erant, & validas copias ſecum trahebant: à nonnullis interim ex Eburonibus, qui cum Marchiano coniurauerant, perſuaſus Pontifex vrbe egreſſus Marchianum aggreditur, proditúſque crudeliter cæſus eſt. Marchianum poſtea à Montignio interceptum Maximilianus capite plectendum curauit, quem pecuniam clam à Ludouico accepiſſe, vt Borbonium Pontificem Maximiliano charum bello laceſſeret, ac Pontificatu moueret, quidam tradiderunt: neque enim ex ſuo in tantum exercitum ſtipendium ſuppeditare potuiſſet.

Vt ad Gandauenſes redeam, hi, cæteríque legati, vbi cum præcipuis ex popularibus ſuis, cúmque iis, qui illuc ex tribus Burgundicarum prouinciarum ordinibus conuenerant, Mariæ clam litteras communicarunt, vt in conſilium iretur, & Ludouici Regis reſponſum publicè renuntiarent, petiuerunt. Paratis omnibus ſedebat Maria, ſedentem Cliuenſis, Ludouicus Borbonius Pontifex Eburonenſis, Rauaſtenius, Hugonetus, Himbercurtius Gulielmus Clunianus Morinorum Pontifex, alíique viri primarij circumſiſtebant: 30

cumſiſtebant: tum legati de ſua profectione, ſubitóque reditu diſſerentes ſe cum Ludouico de pace egiſſe dixerunt, Mariam ex trium ordinum ſuarum ditionum decreto omnia curaturam aſſeueraſſe: ſe & à Maria, & à tribus ordinibus mandata, vt cum illo ex bono & æquo tranſigant, habere. Ad hæc Ludouicum reſpondiſſe ſibi compertum eſſe Mariam haud quicquam ex ordinum decreto, ſed omnia ex paucorum arbitrio moderaturam: cum illi contra acrius inſtitiſſent, Regem Mariæ litteras id diſertè explicantes ſe prolaturum ſpopondiſſe. Maria litteras ſuas haud prolatas rata (neque enim à Rege affinitatem eius (vt putabat) ambiente id expectare poterat) atque ira ſuccenſa nihil tale ſcripſiſſe ſanctè aſſeuerauit. Hic Gandauenſium legatorum princeps litteras è ſinu protulit, illíque in manus tradidit: Maria mendacij palam conuicta, ſupra quam dici poteſt, erubuit, & veluti prodita aduerſus Ludouicum odium inexpiabile concepit. Hæ litteræ magnarum inter Mariæ domeſticos præſertim Burgundos, Gandauenſéſque ſeditionum ſeminarium fuerunt, & totum illum conuentum mirandum in modum perturbarunt: Himbercurtium inter intimos amicos numerabat Cliuenſis, eóque præſertim ſuffragatore in filij matrimonio cum Maria conciliando ſe vſurum ſperabat, aliud cum Ludouico moliri deprehendens, eluſum ſe agnouit, eidémque infenſus admodum fuit: Himbercurtium ex æquo Borbonius etiam Pontifex ob res Eburonenſes ab illo adminiſtratas, & Pontificis conſiliorum moderator Marchianus oderat. Accedebat Paulinus Comes Luceburgenſis equitum magiſtri filius paternæ cædis vlciſcendæ auidus, quam in Hugonetum,atque Himbercurtium conferebat:eoſdem oderant in primis Gandauenſes non alia de cauſa, quam quod apud Burgundionem in ſumma nuper authoritate fuiſſe meminerant: viri autem probi erant, & magnis rebus gerendis habiles, ac ſpectata erga herum fide commendabiles, vt non fruſtra eum gradum tenuiſſe conſtaret. Nocte proxima Hugonetus, atque Himbercurtius, tametſi quid in illos molirentur Gandauenſes certiores facti, fatum imminens tamen haud vitare potuerunt,in carcerem cum Gulielmo Cluniano Morinorum Pontifice concluſi ſunt: Gandauenſes autem nullam in vlciſcendis inimicis iuris formam obſeruare ſoliti ex viginti ſex viris à ſe nuper creatis, & ex Marchiana familia capitalem Himbercurtij hoſtem, qui cauſam reorum cognoſcerent, delegerunt: omiſſo Cluniano, quod cæteris nec authoritate par fuiſſet, nec in Flandricis negotiis operam magnopere impendiſſet, Hugonetum, Himbercurtiúmque primum rogarunt, cur Atrebatenſem ciuitatem, vt Ludouico dederet Crepecordius, iniunxiſſent. Vnum id caput erat, quo merito accuſari illi fortaſſe potuiſſent: at homines rudes, & de ſua, & de publica Burgundicarum prouinciarum vtilitate ſecuri, crimen quod reis maximum, ſolúmque impingi potuit, leuiter attigerunt; ad illa, quæ priuatim ipſos angebant, tranſierunt: duo in primis obiecerunt, alterum quod in lite Gandauenſibus aduerſus priuatum eorum ciuem adiudicanda pecuniam accepiſſent, iúſque pretio addixiſſent:rei pecuniam oblatam accepiſſe, non popoſciſſe;rem porro controuerſam, iis quorum iure erat, addixiſſe reſponderunt. Altero capite eoſdem dum in Comitatu Burgundionis agerent, vel vicarij eius negotia procurarent, pleraque aduerſus Gandauenſium priuilegia deſignaſſe, ſententias etiam pronuntiaſſe arguebant; capite autem plectendum quiſquis Gandauenſium priuilegiis derogarit.

Maria cur odium inexpiabile aduerſus Ludouicum conceperit.

Duo à Gandauenſibus Himbercurtio & Hugoneto obiecta.

31 Ridicula ea erat obiectio, rei enim nec Gandauenſes ciues erant,nec ij qui Gandauenſium priuilegiis,aut legibus tenerentur. Ad hæc pleraque Gandauenſibus bello ſæpius domitis, nouíſque pactis illigatis priuilegia Philippus,& poſt Philippum, Carolus nuper vita functus induxerat: cætera haud rei violarant, immo vero ritè obſeruarant, vt calumnia impudentior ſtrui nulla poſſet. Duobus his criminibus (ſi crimina appellare debemus) inſimulatos tantos viros (nam Atrebatenſis deditionis nullam rationem habebant, aut ne Ludouicum irritarent, nullam habere ſimulabant) ſic enim quidam tradiderunt, quatuor primi Gandauenſes, Scabinos alij à columnarum ſcapis (vt opinor) qui moles columnis impoſitas ſuſtinent,alij Capitones vocant,quod veluti præcipua ſint populi capita (vt vulgo loquuntur) præſenteis in publicis ædibus capite plectendos condemnarunt: tametſi ſe tum de his, tum de Atrebatenſibus ſatis ſupérque purgabant. Crudeli, & plane tyrannica ſententia rei perculſi, & in furioſorum hominum poteſtate conſtituti,quo porro confugerent, non habebant: quod in tanto diſcrimine poſtremum fuit, ad Ludouicum Regem, & ſenatum Pariſienſem prouocarunt, dilationem aliquam inde ſperantes, interim dum per amicos ſaluti conſulerent: at Gandauenſes,qui quæſtione iam acerrimè habita viros integritate vitæ & ea dignitate præſtanteis indigniſſimè torſerant, treis horas, vt rebus ſuis conſulerent, præſcripſerunt. His exactis in forum vinctos eduxerunt, ac loco excelſo in id extructo puniendos collocarunt: Burgunda Maria immanis huius ſen-

Digitized by Google

Maria Burgunda apud Gandauenſes ſupplicis deploranda conditio.

tentiæ certior facta, ad publicas Gandauenſium ædes ſtatim accurrit: quæ imperare debebat, ſuppliciter poſtulauit, nec impetrare potuit; vt paternos conſiliarios, quorum opera in patrimonio conſeruando potiſſimum indigeret, ſibi condonarent. Cum nihil itaque apud homines peruicaces, & penitus inſita inuidia feroces proficeret, ad forum ſe contulit, rei non longe à morte aberant: Gandauenſes omnes alij ira ſuccenſi, alij à factioſis excitati, alij re noua attoniti, pauci miſeratione ducti conuenerant, magnus circumſiſtebat haſtatorum numerus, ne quis forte tumultus in tam atroci facinore ſuboriretur: ibi lugubri habitu, paſſis capillis, flebili voce populum, vt ſuos ſibi redderet precata, pleroſque commouit, alij reddendos, alij tollendos, vt in turba, clamitabant: nec multum abfuit, quin res ad manus veniret, directis enim haſtis vtraque factio in mutuam cædem ruitura propemodum videbatur, ſed contraria factio longe numeroſior (bonorum quippe rarus, malorum magnus numerus eſſe ſolet) vt capite pœnas rei luerent, peruicit. Ludouicum Luceburgenſem equitum magiſtrum tametſi nocentem fide publica accepta in cuſtodiam miſſum mandato quidem Burgundionis Ludouico Regi tradiderant; ſed vt traderetur, authores fuiſſe paſſim ferebantur, id in eorum ipſorum caput recidiſſe vulgo fama erat.

Himbercurtius & Hugonetus à Gandauenſibus capite mulctati.

Morte Hugoneti, atque Himbercurtij progreſſum Gandauenſes ad maiora fecerunt, 23
Margaritam Eboracenſem Burgundionis viduam, Rauaſteniúmque, quod litteras ſupra commemoratas ſubſignaſſent, à Maria ſepararunt, atque inde procul abegerunt, Burgundos omneis, quotquot fidam operam Burgundioni nauarant, bonis ſpoliatos proſcripſerunt: contenderunt obnixe, vt vtramque Burgundiam Ludouico obnoxiam redderent, neque magis Ludouicus in ſubigendis, quam illi in prodendis Burgundis, ſollicitus erat: Mariæ domeſticis magna ex parte pulſis alios ſuppoſuerunt, ipſam vero quaſi captiuam in cuſtodia quodammodo habuerunt, ſummam poteſtatem ipſi vſurparunt, Adolphum Geldubenſem (cuius ſuperiore libro meminimus) Namurij in cuſtodiam traditum eduxerunt; ea ſpe, vt Mariam licet inuitam (ſiquidem ſponte nunquam ad huiuſcemodi virum animum adieciſſet) illi mox deſponderent. tanta illos rabies, ac Burgundici nominis odium accenderat. Ne vero omnia quaſi aperti hoſtes agere, aut prorſus cum Ludouico ſentire, prouidere etiam quædam viderentur, quindecim circiter peditum millia coëgerunt, his paucos equites adiunxerunt, omnibus Geldubenſem Adolphum præfecerunt. Paulò ante per Oliuarium Daman tonſorem non longe à Gandauo ex humili pago ortum Gandauenſes ſollicitarat Ludouicus, & ad res nouas promittenda priuilegiorum ſuorum inſtauratione inuitarat, mandata etiam ad Mariam dederat. Quum de mandatis exponendis vrgeretur Oliuarius, & in conſilium deductus eſſet, vt cum vna Maria mandata communicaret, ſibi iniunctum eſſe reſpondit: viri graues, qui illi conſilio intererant, cum vna Maria adhuc adoleſcentula communicare haud moris eſſe ſubiecerunt. Oliuarius in eodem reſponſo perſtitit: tum illi ſe perfecturos, vt mandata ediſſereret minati, hominem, vt ſe in aliud conſilium pararet, dimiſerunt. Gandauenſes vero Oliuarij vicini humilitate contempta eundem ludibrio habuerunt, quidam etiam in fluuium præcipitare voluerunt: quod certe feciſſent, niſi monitus clandeſtina fuga ſe protinus ſubduxiſſet, & ad Tornacenſes deflexiſſet. Comitis Melani (ea vrbs à Lutetia viginti milliaribus diſtat) nomen vſurpauerat, & ſplendida veſte indutus ſe cum viris nobilibus exæquabat: id Ludouici fauore apud Gallos aſſequebatur, apud ſuos probro habitus, deſpectúſque iuſtas inſolentiæ ſuæ propemodum pœnas dedit; id Regem, vt legatos in poſterum cum delectu mitteret, admonere debuit; nec tamen prorſus inutilis ea Oliuarij profectio fuit, vt in illo plus fortuna, quam virtus potuerit, diligentiæ nihilominus, ac prudentiæ fructum ampliſſimum tulit. Tornaci eos qui ad portas cuſtodias agebant, & raros, & ſolutos animaduertens Moium cum ala ſua, & aliis aliquot equitibus ex Quintinianis ad præſcriptum diem arceſſiuit: hora condicta quadraginta circiter comitibus ſtipatus ad vrbis portam deſignatam affuit, Moiúmque cum ſuis in vrbem intromiſit. Hos populus nouarum rerum cupidus non inuitus excepit, primarij ciues intromiſſos ægerrimè tulerunt: Tornacum enim egregiè, & natura, & arte munitum hactenus inter Regem, ac Burgundionem libera ciuitas erat; tametſi Regi ſex librarum Pariſienſium millia, Philippo Burgundioni, & deinceps Carolo decem Turonenſium quotannis pendebat, quæ tamen Carolus aliquot ante annis remiſerat: miniſtri diuini cultus, ciueſque poſſeſſiones ſuas in Flandria, Hannoniáque finitimis regionibus vtroque agro vndique cincti habebant: tum in ſumma rerum omnium opulentia, ac tranquillitate agebant, quod in ſæpe renouatis, ſibique inuicem ſuccedentibus inter vtrumque (Regem inquam Burgundionémque) bellis nec his, nec illis fauebant, ſed quaſi ſpectatores, atque arbitri, aut potius amborum amici ſancti erant, ex finitimorum ruinis quæſtum quoque faciebant: Regio præſidio accepto

Gandauenſes Ludouici legatum in fluuiũ præcipitare meditantur.

pro

Digitized by Google

pro hoſtibus habiti eandem cum Gallis, vel ob hoſtium viciniam duriorem vtique fortunam ſortiti ſunt.

33 Adhæc ſeptem aut octo ex prmariis ciuibus Lutetiam miſſi, quoad vixit Ludouicus, in cuſtodia fuerunt: ipſum præſidium ad quadringentos cataphractos equites cum ſuis hippotoxotis auctum Hannonianum, Flandricúmque agrum late flamma ferróque vaſtauit, & Tornacenſibus detrimenti non minus, quam hoſtibus importauit. Hinc Gandauenſes nuper commemoratas copias coëgerunt, & Adolpho Geldubenſi duce in Tornacenſes menſe Iulio anno eius ſæculi ſeptuageſimoſeptimo immiſerunt, quæ tamen aut nihil, au parũ profuerunt: quod ſi mille duntaxat pedites, ac quingentos equites ad Atrebates in tempore miſiſſent, vrbem amplam, atque opulentam, ipſúmque adeo Atrebatenſem agrum conſeruaſſent; at tãtæ copiæ Tornaci ſolum quædam ſuburbia, & paucos vicinos pagos incenderunt: vnde Ludouici res detrimenti nihil capiebant, & inter redeundum ſolutis ordinibus vagæ præſidio Tornacenſi in eaſdem immiſſo, aut turpi fuga euaſerunt, aut magna ſtrage ceciderunt. Geldubenſem nuper è carcere emiſſum, & dum poſtremos tuetur, ac regiorum impetum paucis eadem fortitudine vna reſiſtentibus ſuſtinet, tanta oblata fortuna infœliciter cæſum iuſtas ſuæ in patrem impietatis pœnas dediſſe fama fuit: Mariæ enim nuptiis ſine vlla dubitatione potiturus ſperabatur, Gandauenſibus eo vel vi, vel precibus virginem adducturis. Hac victoria non minus Burgunda Maria, immo vero magis, quam Ludouicus exultauit, Ludouico cæſi hoſtes nullis, aut paucis è ſuis amiſſis; Mariæ procus, quem prorſus auerſabatur, è medio ſublatus, domeſticorúmque hoſtium exercitus fuſus, fugatúſque lætitiam afferebat. Taroannæ in Picardiæ finibus agebat Ludouicus Flandricis rebus intentus interim, dum Iacobus Arminiacus Nemorenſis regulus anno ſuperiore Carlatina arce dedita à Petro Borbonio mox Boiorũ regulo publica fide receptus Lutetiæque in cuſtodiam traditus læſæ Majeſtatis reus arceſſitur, Nouioduni Ludouici mandato ſenatores Pariſienſes conuenerunt, cauſa cognita conuictus, Lutetiámque remiſſus pridie nonas Auguſti capite mulctatus eſt. Ludouici exercitus Flandros ad foſſas albas (ſic enim vocant) caſtra habenteis aggreſſus fudit; oppida quædam, caſtelláque diruit, & Flandricum agrum latè populatus præda grauis in Picardiam rediit. Forte quis admiretur, nec iniuria, cur Mariam Burgundam ſororis priuignam nouercæ conſilio in primis vtentem tantopere Eduardus Angliæ Rex neglexerit, aut patrimonio eius in prædam expoſito partem ſibi vendicare, aut ne tanta Gallico regno fieret acceſſio, impedire diſtulerit. Etuero in Flandria cuius patronatum eidem remittebat, Brabantiáque occupanda auxiliarem militem obtulit Ludouicus: quatuor principes Brabantiæ vrbeis ſuis ſumptibus in ſuam poteſtatem redacturum, Eduardóque condonaturum quatuor menſium ſtipendium in decem Anglorum peditum millia, atque ingentem bellicarum machinarum vim ſe daturum promiſit; ſocium prædæ ſocium eius tuendæ futurum ratus, vel quod de Mariæ matrimonio cum Maximiliano Auſtriaco ſuſpicione concepta Eduardum Flandria, Brabantiáque potitum illi primum obiicere ſtudebat, Anglos alioqui ſibi finitimos haud æquo animo toleraturus.

Adolphus Geldubenſis cæſus, & quomodo.

34 Eduardus autem natura voluptatibus deditus corpore iam obeſo, nec militiæ aptus, nec militaris laboris patiens erat, Flandriæ, Brabantiæque vrbeis & magnas, & diligenter munitas haud facile expugnabiles aiebat: magna Anglis cum his eſſe commercia, aduerſus quos Angli arma ferre niſi coacti recuſent, & vt vtraque prouincia potiatur ſummam in his conſeruandis ineſſe difficultatem; tot, tantáſque in Gallia non vrbeis, ſed prouincias Anglos poſſediſſe, Aquitaniam tertiam Galliarum partem trecentos quinquaginta annos ad Carolum Septimum Galliarum Regem tenuiſſe: hinc excluſos funeſtam prædam quaſi aurum Tholoſanum in mutuam perniciem, belláque ciuilia contuliſſe, ſibi mutuo plus malorum, quam externos hoſteis importaſſe. Quod ſi ex captis in Picardia vrbibus Bononiam, aut alias Caleſio vicinas condonet Ludouicus ſe in huius belli ſocietatem venturum, auxiliarémque militem, modo ſtipendiũ ſuppeditet Ludouicus, ex Anglia miſſurum. Vrgebant nihilominus cunctãtem Angli, & vel innato in Gallos odio feroces, vel prædæ auidi ad bellum Gallicum crebris adhortationibus, aut etiam liberis increpationibus incitabant. Ille de pace inter Ludouicum Regem, Mariámque ineunda legatos ſæpius mittebat, minas interdum addebat, bellum propemodum denuntiabat: ſed Ludouicus in magnis rebus conſilio regendis nemini ſuæ ætatis ſecundus omneis, quotquot apud Eduardum plurimum authoritate præſtabant, magnis auri penſionibus annuis ſibi obnoxios fecerat, ingentia identidem dona addebat, legatos Anglos tanta verborum comitate, tanta cura fouebat, tantis muneribus onerabat, vt licet Regem tempori ſeruire, occaſionéſque mercari intelligerent, tamen gratia atque vtilitate victi tacerent multa, multa in rem eius prædicarẽt. Ipſe ad Eduardum ſæpiſſime legatos mittebat, neque eundem bis, ne prioris legationis quaſi præs, aut ſponſor rediret: noui ſemper legati eorum, quæ priores aut egiſſent, aut ſpopondiſſent, quaſi ignari noua

Eduardus militaris laboris impatiens.

Ludouicus legatũ eundẽ nunquam bis ad Eduardũ mittit.

Digitized by Google

noua ſemper argumenta,nouas hypotheſes,noua mandata afferebant; tempus interim tra-
hebatur, res in incerto ferebantur. Vnus Haſtinguius cubiculariorum princeps (ſummum
etiam cubiculariorum magiſtrum appellare poſſumus) à Maria pertinacius ſtabat,nummos
aureos mille quotannis à Burgundione capiebat: bis mille ſequeſtre Cominæo obtulit Lu-
douicus, & tandem in ſuas parteis hominem pertraxit,ſchedulam tamen de nummis acce-
ptis,quam cæteri quotannis darent,hic vnus cautior dare recuſauit,ſchedulámque ſuam in
Gallicarum rationum archiuis deprehendi nolle addidit.Itaque Eduardi domeſticis ad Lu-
douicum inclinantibus contracta cum Burgundione affinitas iacebat,nec multū Burgundæ
Mariæ proderat:cæterorum itē Anglorum ad bellum Gallicum accendendum inflammata
ſtudia Eduardi cunctatione,ac diſſimulatione ſopiebantur:diſſimulare cogebat ſperata cum
Ludouico affinitas, hoc eſt, filia Eduardi natu maior Carolo Delfino Piquiniano fœdere
deſponſa,cuius ſtudio elati Eduardus,ac Regina vxor ne tantilla quidem occaſione turbare
futuras nuptias volebant.Qui aduerſæ factionis erant,& Burgundis fauebant,tanto ante ir-
ritam Eduardi ſpem, ac Ludouici diſſimulationem prædicebant; non acquieſcebat ille, &,
quamuis Ludouici animū ſuſpectum haberet,tamen ne eluſus videretur, ludibrióque eſſet,
iuſtam conficiendarum nuptiarū occaſionem expectabat:ſic enim Burgundionis,& ſororis
nuptias primū ſimulatè experitas,mox confectas meminerat.Quod ſi Ripario Reginæ An-
glicæ fratri nubere Burgūda Maria inſtituiſſet,omnes profectò vires Anglicas in tuēdis eius
prouinciis Eduardus expertus fuiſſet,ſed à Riparij humilis Comitis matrimonio Maria tan-
tarum prouinciarū hæres abhorrebat:id fortaſſe Eduardi mariti vxorij animum pupugit, &
à Maria nonnihil abalienauit.Eam tum præ aliis ambiebat Maximilianus Auſtriacus fœde-
rici Imperatoris filius,litteras eiuſdem manu ſcriptas,ac Caroli patris mandato cum annulo
quaſi futurarum nuptiarum ſponſore ad ſe miſſas habebat: hunc Mariæ domeſtici propter
litteras prolatas, indignámque Hugoneti, atque Himbercurtij cædem à Gallo non minus,
quam ipſa auerſi depoſcebant:hunc vnum eſſe,qui Germaniæ viribus fretus, & quæ Mariæ
ſupererant, prouincias, vrbeíſque conſeruare,& amiſſas recuperare, & Ludouico Regi tam
potenti reſiſtere poſſet, vbique prædicabant. Cliuenſis Mariam filio ambiens,quoad pote-
rat,reſiſtebat:ſed & Mariæ,& domeſticorum omnium ſtudiis auerſis repulſus diſceſſit.

Maximiliani legati Gandauum profecti litteras Mariæ ſcriptas manu protulerunt,an eaſ- 35
dem agnoſceret,vt palam profiteretur,indicto cōſilio adhibiti rogarunt:litteras patris man-
dato ſcripſiſſe,annulúmque vnà miſiſſe reſpondit,mox de matrimonio amplius actum;tum
bona cum ſpe vt paulò pòſt Coloniam accederet Maximilianus, inde Gandauum perfece-
runt.Nuptiis celebratis res ſuas haud admodum promotas Burgūdicæ prouinciæ intellexe-
runt,octingentos duntaxat equites ſecum adduxerat Maximilianus,quibus etiam ſtipendia
numeranda erant:ſed quid tantulæ copiæ aduerſus ingētem Ludouici potentiam auderent?
Maximilianus ipſe admodū adoleſcens(annū enim viceſimumprimum agebat) nec,vt tan-
tum principem decebat, ſatis liberaliter educatus, nec in magnis negotiis obeundis verſa-
tus, nec viris vſu rerum, experientiáque præditis comitatus ſuos aut viribus, aut conſilio
ſatis tueri haud poterat: Federicus pater parciſſimus, atque auariſſimus non modo in bel-
lum,ſed ne in domeſticum quidem ſumptum pecuniā ſuppeditabat: Flandri ipſi,cæteríque
Burgundicę ditionis populi ſuperbæ,abundantique Burgundionis aulæ innutriti Germano-
rum ruſticitatem,atque inopiā faſtidiebant:mores quoque vtriuſque nationis diuerſi,atque
educatio alteros ab alteris abalienabant.Id vnū vtroſque continebat quod Maria prudens,
ac ſpectatę pudicitiæ fœmina,& ſuis in primis chara erat,& virum,viríque domeſticos pari-
ter diligebat: ſed tanto hoſte imminente, nouóſque in dies progreſſus faciente, nec viros
prudenteis, qui conſilio,nec militares, qui manu rem gererent,habebant. Occiderant Hu-
gonetus,atque Himbercurtius principes Burgundionis conſiliarij;Cliuenſis,ac Rauaſtenius
fratres indignati diſceſſerant: Arauſius,Crepecordius,Vergius,aliíque permulti ad Ludo-
uicum tranſierant; maritus, atque ipſa haud rerum experientes aliorum iudicia expecta-
bant;nec quos conſulerēt,reperiebant.Gandauenſes voti compotes,& principem qui nihil,
aut parum poſſet,nacti omnia perturbabant:Burgundíſque Ludouico in prędam relictis vi-
reis quantas quantas habebant ad tuendam Flandriam conuertebant: ſic res Burgundica
quotidie deterior iacebat, Gallica melior atque auctior eminebat! Treis è Maximiliano
Maria liberos ſuſcepit;intra vertētem annum Philippum Caroli Quinti, ac Ferdinandi Im-
peratorum patrem: altero Margaritam, quæ mox Flandrica appellata, & Carolo Delfino
deſponſa tandem antequam nuberet repudiata eſt;Tertio ex Franciſci Britanniæ reguli no-
mine Franciſcum, ſed hic haud diu ſuperſtes fuit: quarto anno ex equo inter venandum
lapſa in grauem febrim incidit & paucis poſt diebus fato functa magnum ſui deſiderium
Burgundicis prouinciis omnibus reliquit.

Maria Burgūda Maximiliano Auſtriaco in matrimoniū collocata.

Maria febri extincta.

Anno 1478.

Sed hæc poſtea acciderunt, hoc ipſo anno qui ſeptuageſimuſoctauus huius ſæculi fuit, 36

Clarencia

Anno 1478.

Clarencianus Eduardi frater in vini dolium demerſus moritur.

Clarencianus regulus Eduardi frater, quod ſorori Burgundionis viduæ præter Regis fratris ſententiam opem ferre, vel quod etiam (vt Angli addunt) regnum Anglicum expulſo cæſóve fratre occupare deſtinaſſet, Londini crudeli ſentẽtia damnatur: viſcera viuo extrahi, & coram cremari, caput amputari, corpus in parteis quatuor diſcindi iubebatur. Tam dirum ſupplicium communis vtriuſque mater auertit, in vini dolium (id enim mortis genus optauit) demerſus vitam edidit. Prodigium eodem anno, aut certe res memoratu digna admirationi fuit, in cœnobio Aruernorum Iſſorienſi profeſſionis Benedictinæ Hermaphroditus, quum vterũ gerere deprehenſus eſſet, diligẽter obſeruatus peperit: natos ſæpe Hermaphroditos, & Romæ inter prodigia habitos legimus, peperiſſe præter hũc memoriç proditum non memini. Florentinos bello infeſtabat Sixtus Quartus Põtifex Maximus Ferdinãdo Neapolitano ſocio adiuncto, fœderatis auxilio eſſe non poterat Ludouicus, Burgundicis Flandricíſque rebus illigatus: oratorem ad Sixtũ de conciliandis illi Florentinis miſit; vtque ſcrupulum moueret de inſtauranda Pragmatica ſanctione (ſic enim vocabant) Concilium Aureliam Gallorum Antiſtitum indixit: diſputationibus aliquot habitis cum de aliis capitibus, tum maximè de pecuniis haud amplius Romam exportandis Concilium dimiſſum, & Lugdunum in proximum Maium tranſlatum: ſed nulli illuc Pontifices conuenerunt, res tota ſilentio prætermiſſa Rege vel diſſimulãte adhuc, vel maximis negotiis diſtricto. Iunio menſe legatos à Maximiliano ad Ludouicum tum Somarobrinæ, ſiue Cameraci tum in Atrebatibus agentẽ miſſos quidam ſcribunt, qui heri ſui, ac Mariæ vxoris nomine ceſſuros ſe vtraque Burgũdia, Atrebatenſi, Bononienſique Comitatu, necnon inſula Duaco Orcaiis, Odomari Fano, aliíſque oppidis, quæ in ſceptri Gallici fide ſunt, promitterent; Regem promiſſis fretum Cameraci, Queſnoij, Bochaini poſſeſſione ceſſiſſe, nec quicquam tamen eorum, quæ promiſſa fuerant, recepiſſe: ſic totum Iunium legatorum diſſimulationibus traductum, Auguſto miſſa à Maximiliano iterum legatione pactas in annum inducias fuiſſe. Cameraci non meminit Cominæus, Queſnoio, Bochainóque Regem ſponte ceſſiſſe tradit: rationem etiam addit, eas ſcilicet vrbeis in fide Germanici imperij eſſe, antiquis, ſacroſanctíſque fœderibus, ac diris execrationibus inter Germanos Imperatores, Gallóſque Reges conueniſſe ne illi in Regias, hi in Imperatorias ditiones inuaderent; id Regem ipſum ſibi teſtatum, vrbeíſque anno huius ſæculi ſeptuageſimoſeptimo redditas ſcribit. Ludouicum adeo religioſum fuiſſe plerique non putant, qui vrbibus tantis ſumptibus in ſuã poteſtatem redactis vltro cederet: vires Germanicas fortaſſe ſubueritus eſt, quas in vnum coactas aduerſus Burgundionem Nuſſiana obſidione viderat: alij Cameracenſes deiecto Gallico præſidio Flandricum Maximiliani recepiſſe, cum antea neutris hoſtes, vtriſque potius amici fuiſſent.

Hermaphroditus vterum gerens parit.

Anno 1479.

Tormentum bellicum miræ magnitudinis Turonibus fuſum.

37 Bochaini Gallos præſidiarios nondum finitis induciis cæſos tradunt, & hæc in annum ſequentem hoc eſt ſeptuageſimumnonum reiiciunt. Bombardam miræ magnitudinis in Turonibus fuſam, & Lutetiam aduectam quæ pilam 500. pondo euomebat, ad Antonij portam exonerari iuſſit Ludouicus: pilam immittendo ignis colliſione accenſus eandem in architectum ipſum reuomuit, atque in aëra raptum, & quatuordecim præterea, qui forte aderant, omneis in fruſtra diſſectos paſſim diſiecit. Anno proximo menſe Auguſto magnis Flandrorum peditum copiis, Germanis aliquot, & trecentis Anglis additis, equitatu mediocri adiuncto Taroannam admotis tormentis Maximilianus Auſtriacus oppugnauit: vrbi præerat Carolus Andreanus Ioannis Borbonij centenariæ cataphractorum equitum alæ legatus, vt obſidionem ſolueret Crepecordius Picardiæ prætor omnem equitatum Gallicum tota ea prouincia diſperſum coëgit, octo peditum ſagittariorum millia addidit: fortior equitatu erat Crepecordius, peditum numero Auſtriacus longe ſuperabat. Itaque de Crepecordij aduentu inſtante certior factus Taroanna relicta appropinquãti obuiam proceſſit: primo conflictu Crepecordius, Torciúſque in hoſtilem equitatum (cui Philippus Rauaſtenius præerat) tanto impetu inuecti ſunt, vt fuſum, fugatúmque ad Aëriæ portas vſque perſequuti ſint: Auſtriacus ad peditatum deflexit, qui equitum fuga conſternatus, quin iiſdem veſtigiis ſequeretur parũ abfuit: ſed vacillanteis Romonenſis, ac Naſſauus Comites, vnáque ducenti fortiſſimi è Flandrica nobilitate iuuenes continuerunt, & ex victis (ita animo fracti erant) victores reddiderunt: pedites enim Galli ordinibus ſolutis ad ſpolianda Auſtriaci impedimenta, equitéſque Crepecordio vrgente proſtratos diſperſi magnam ſui inuadẽdi occaſionem dederunt; in diſiectos, prædáque onuſtos aliquot Flandrici peditatus cohortes Romonenſis immiſit, quæ magna Gallorum peditum facta cæde ad maius agmen redierunt: Crepecordius enim in perſequendo hoſtium equitatu ferocius, longiúſque euectus procul à ſuo peditatu aberat. Id vnum illi vitio verterunt, quod vniuerſis Gallicis copiis præfectus equitum turmas aliquot ad ſubſequendos hoſteis emittere, ſe vero cum tota exercitus mole continere debuit: quod ſi feciſſet, paucos è ſuis amiſiſſet, nec admodum pauciores ex hoſtibus cecidiſſet, victoria autem integra ſine controuerſia potitus fuiſſet, victorem enim Gal-

licum

Digitized by Google

licum equitatum cum integro peditatu ruentem nunquam Flandrici pedites equitatu fugiente ab omni parte nudati ſuſtinere, ſed ne quidem expectare auſi fuiſſent, quos fuga ſuorum conſpecta nullo aggrediente mixta nobilitas, ne pariter fugerent, vix continere potuit, plures ex Flandris ceciderunt: ſed Maximilianus in ipſo pugnæ campo caſtrametatus victoriam ſibi vendicauit; quidam ex Gallis quinque, ex Flandris vndecim millia cecidiſſe ſcribunt. Hæc pugna ad Guinegatam vicum non longè à Taroanna, Aëriáque diſtantem commiſſa Guinegatana appellata eſt: inde Malannoium arcem aggreſſus Maximilianus expugnauit. Huic præerat Remonetus Vaſco cum centum quinquaginta ſuæ nationis ſagittariis (baliſtarios vulgo appellabant) hi forti animo propugnantes hoſtium multitudine oppreſſi magna ex parte ceciderunt; pauci in foſſam ſeſe demittentes effugerunt: ipſe Remonetus triduo poſt cruci affixus mortem obiit. Indignatus Ludouicus ſeptem ex captiuis ad Malannoium, decem ad Duacum, totidem ad Odomari Fanum, item ad Inſulam, atque ad Attrebates eodem mortis genere plectendos curauit; virum militarem, magníque animi indigna morte ſublatum ægre ferebat. Quod ſi Taroannam deintegro circumſediſſet Maximilianus, atque inde Attrebates, facile vtraque vrbe potiturus videbatur: infirma vtrobique inerant præſidia, & attritum exercitum inſtaurare Ludouico difficile erat, quamuis ex Burgundico nouum militem ſufficere potuiſſet: ancipitem conatum Dux adoleſcens, atque inexpertus aggredi haud auſus eſt.

Pugna Guinegatana.

Anno 1480.

Anno huius ſæculi octogeſimo interim dum Federicus Imperator auaritia tabeſcens domi deſidet, nihil magnum conatur, Ludouicus Galliarum Rex de Burgundicis prouinciis cum Maximiliano Federici filio decertat: Ferdinandus Tarraconenſis Caſtulonenſi regno per vim occupato Caſtulonenſes principes nondum ſatis conciliatos, populúmque ſibi obnoxium reddere nititur: dum Sixtus Pontifex Maximus adiuncto Alphonſo Calabriæ regulo Ferdinandi Neapolitani Regis filio aduerſus Senenſes bellum gerit; Veneti Coricia, Mathiam Pannoniæ Regem inſula propemodum potitum deturbant: Mahometes Turcarum Imperator Baſſas Meſithum è Palæologis Græcis Rhodum, Achomatem ex Albania oriundum Hidruntum Appuliæ oppidum mittit. Ille trimeſtri obſidione vrbē nequicquam oppugnat, tametſi muris magna ex parte ſolo æquatis omnia tentauit: hic decimoſeptimo die Hidruntum expugnat, totámque eam regionem crudeliter vaſtat: nec inde Turcæ, niſi morte Mahometis denuntiata, qui anno proximo quinto Nonas Maias vel coli dolore, vel veneno (vt alij tradunt) ſublatus eſt, expelli potuerunt: quamuis cum Pontificiis & Neapolitanis omnibus copiis illis Alphonſus occurrerit. Audita autem Imperatoris ſui morte non expectato Achomate, qui cum viginti quinque Turcarum millibus Hidruntinum exercitum inſtauraturus redibat, cum Chriſtianis domeſtici tumultus metu pacti, ad nouum Imperatorem vel eligendum, vel ſalutandum redierunt: vter enim fratrum Baiazetes an Gemes (Zeliabum quidam, alij Zizimum vocant) patri ſuccederet, ac rerum potiretur, adhuc incerti erant: ſed hæc alio loco quum in Gemem inciderimus, fuſius explicabuntur. Illud non omittendum Turcas propugnacula Hidrunti tanta arte extructa reliquiſſe, vt ab illis Itali primum muniendarum vrbium rationē, ab Italis cæteri Chriſtiani didiciſſe videantur. 38

Vt ad res Gallicas redeā Ioanni Borbonio Boiorū regulo ſororis viro infenſus Ludouicus Ioannem Auinum Senatorem Pariſienſem, ac Ioannem Doiacum Cuſſetanum è Cuſſeto Aruernorum oppido quod muris, turribúſque quadrato lapide extructis munitiſſimum reddidit, ad Boios miſit: hi multa malignè aduerſus regulum, eiúſque domeſticos moliti pleroſque, eóſque viros primores, vt ad præſcriptum diem Lutetiæ adeſſent, iniunxerunt, quos cognita cauſa Senatus Pariſienſis nullius criminis conuictos dimiſit. Doiacus Ludouico mortuo iuſtas ſuæ temeritatis pœnas dedit: menſe Auguſto pactæ in ſeptem menſes induciæ, & mox in annum renouatæ fuerunt. Interim Iulianus Rouereus legatus Pontificius, qui mox ſummus ipſe Pontifex Iulius Secundus dictus eſt, ineundæ inter Ludouicum, Maximilianúmque quaſi pacis ſequeſter Lutetiam acceſſit: inde Peronam, vbi aliquandiu commoratus, quum nihil litteris ad Maximilianum miſſis proficeret, Lutetiam rediit: mox Aureliam profectus, vt Ballua Cardinalis, qui annos vndecim in cuſtodia fuerat, aliquot poſt menſibus emitteretur impetrauit, Virdunenſem Pontificem in eundem cum Ballua carcerem miſſum annos quatuordecim in cuſtodia habitum fuiſſe ſcribit Cominæus. Hoc ipſo anno pedites ſagittarios, quod miſeram plebem ſuis rapinis exinanirent Ludouicus exauthorauit, externo pedite mercenario præſertim Heluetio vti cepit. Hyems poſt hominum memoriam rigidiſſima à die ſeptimo Kalend. Ianuar. ad ſextum Id. Februar. humida omnia glacie concreta indurauit, fluuios onuſtis curribus peruios fecit, glacie colliqueſcente multi pontes diruti: horrens tamen frigus ad Idus Maias perſeuerauit, vitium gemmas emergenteis exuſſit, ingens fames præſertim in Lugdunenſi Gallia, vinique penuria conſequuta eſt.

Hyemis rigidiſſimæ aſperitas.

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER QVARTVS.

1 QVÆ in Picardia, Flandriáque, vt cum multis ſub hoc nomine regiones finitimas complectar, à morte Burgundionis ad Mariæ filiæ mortem geſſerit Ludouicus ſuperiore libro explicauimus: quæ in vtraque Burgundia interim per legatos egerit, narratione ab eodem initio repetita ediſſerenda nobis, ac deinceps is ipſe ad extremũ vitæ diem hoc libro deducendus erit. Cæſo Carolo Burgundione quum in Picardiæ fines, atque Atrebates inuaderet Ludouicus, multáſque vrbeis, ac caſtella in ſuam poteſtatem redigeret, cum altero exercitu in Burgundiã ingreſſus eſt Georgius Trimullius (Cranum vulgo vel Craonem à fundo eiuſdem nominis appellant) qui in Barenſi agro, interim dum Carolus Nancium circumſederet, hybernauerat: Crano opportunè ſe iunxit Ioannes Cabillonenſis Arauſiorum princeps, qui à Burgundione altera defectione ad Ludouicum tranſierat: quod in lite de aui hæreditate mota ſe patruis, quam illi æquiorem præſtitiſſe Burgundio viſus eſſet. Is Philberti Cabillonenſis vltimi Cabillonenſis ſiue (vt cum vulgo loquar) Chaloniæ familiæ principis, qui in Florentina obſidione anno huius ſæculi triceſimo cæſus eſt, pater fuit: magnas verò in vtraque Burgundia tum poſſeſſiones, multas arceis habebat: idcircóque in perſuadendis, vt Ludouici fidem ſequerentur, Burgundis plurimum poterat: promiſſis multis tum de reddendis controuerſis arcibus, tum aliis oneratum Burgundici exercitus legatum Ludouicus deſignauit: varium tamen hominis ingenium ſubueritus Crano in primis fidebat, homini militari, ſed tanta auaritia cæco, vt bellicam gloriam domeſticæ ſordes penitus obſcurarent. Arauſius Diuionem præmiſſus, vt princeps ciuitas, vicináque vtriuſque Burgundiæ oppida Regia præſidia acciperent, ſéque Regi dederent, perfecit. Oppidis, arcibúſque munitioribus potitus Cranus Arauſio promiſſas arceis, oppidáque reddere ſiue quadam inuidia, ſiue auaritia victus differebat: tametſi enim Regij exercitus præfectus, regíſque adeo legatus Arauſius dicebatur, tamen ſumma poteſtas penes Cranum erat. Huius cunctationis certior factus Ludouicus ad Cranum vt Arauſio promiſſa faceret, ſæpius ſcripſit: nec tamen Cranum grauius increpare prorſus audebat, nec Arauſio ad exciendos ad rebellandum Burgundos aut animum, aut authoritatem præſto fore exiſtimabat. Indignatus Arauſius menſe Iunio anno huius ſæculi ſeptuageſimoſeptimo adiuncto Caſtelloguione fratre, Valdræóque viro fortiſſimo tumultuariam manũ ſuis ſumptibus coëgit, bonámque Burgundiæ partem ad rebellandum excitauit: pleroſque ex Burgũdis, cæteros ex Heluetiis, recentioribúſque Heluetiorũ fœderatis, quo nomine Baſileã, Argentinámque intelligunt, acceríiuerat. Heluetij antiqui Auſtriacæ familiæ hoſtes, à qua Lucernam, Friburgúmque extorſerant, & cum ſua Rep. ſociarãt, nullam Maximiliano, promptam Arauſio ſtipendiorum, ac quæſtus ſpe ducti operam nauabant. Quod ſi pauca Arauſio fortunam audacter tentanti auxilia miſiſſet Maximilianus, vtramque Burgundiam facile recuperaſſet: ſed Flandria vix iuſtum in bellum domeſticum ſtipendium numerare poterat, partim à Regiis partim à ſuis copiis magna ex parte vaſtata: Burgundia non magna Regio, & Gallico exercitu fere tota occupata, atque expilata vix dominantem hoſtem alebat: nedum externum militem præmio ad opem inuitaret, voluntarios duntaxat paucos clam ad Arauſium ſummittebat. Nihil Maximiliano ſuppeditabat pater Federicus mortalium omnium parciſſimus, qui quatuor & quinquaginta annos Germanico Imperio potitus nihil vnquam magnum aggreſſus eſt, nihil memoria dignum geſſit.

Anno 1480.

Federicus Imperio 54. annis potitus.

Sigiſmundus Auſtriacus Maximiliani patruus nec longè aberat, & auxilio Burgundis facile eſſe poterat: ſed animo perpuſillo, ingenióque hebeti nihil ex ſuo, omnia ex domeſticorum ſenſu gerebat: omnibus propemodum hiſce bellis Ludouici Regis parteis aduerſus Maximilianũ fratris filiũ ſequebatur; ita domeſtici ſuadebãt, & quouis ex ſua libidine hominem trahebant: duas vxores duxit, liberos ſuperſtites nullos habuit, parũ abfuit quin patrimonij ſui (quod peramplum erat) hominem alienigenã prætermiſſo fratris filio hęredem relinqueret. Tandem contraria domeſticorũ factione ad Maximilianũ inclinante eundem ex aſſe hæredem inſtituit, penſionẽ duntaxat annuam vix ad trientem accedentẽ ſibi excepit: mox ſera pœnitẽtia ſtoliditatem ſuã agnouit, ſic opulentis fere omnibus, ſed magnis præſertim principibus, qui quadam ignauia, aut ingenij ſtupiditate ex aliena prorſus induſtria, aut potius ambitione, auaritiáque pendent, nihil ex ſeſe agitant, euenire ſolet: ſic illi tametſi ſeras aliquando, at iuſtas tamen fere ſemper ſuæ ſtupiditatis pœnas luunt.

Vt ad res Burgundicas reuertar, quamuis Maximiliani, ac Mariæ Burgundæ vxoris nomine bellum in Burgundia gereretur, tamen omnia Arauſius his quos commemoraui adiunctis curabat: nullum militem Maximilianus vel mittebat, vel ſtipendio iuuabat, vt tradit Cominæus: alij paucos Germanos miſiſſe ſcribunt, ſed ſæpe Burgundos, quique eorum parteis ſequebantur, ſtipẽdium deficiebat, & alioqui Ludouici copiis ingentibus pares eſſe non poterãt: itaque alias vrbeis, arceiſque vi, alias deficiẽte præſidio Ludouicus recipiebat.

Dola à Crano obſeſſa.

Dolam principem minoris Burgundiæ vrbem, nec magno præſidio munitã Cranus fortè circumſedit, hoſtium paucitate contempta obſidionem negligentius curauit: hoc animaduerſo prȩſidiarij milites ſubita procurſatione in machinas bellicas irruunt, bonam earum partem in vrbem trahunt, milites Regios aliquot cædunt, machinarum bellicarum vi abductarum fama paſſim diuulgata longè maiorem cædem factam fuiſſe diuulgauit: idcirco in Chronico Palmerius vulgari fama non veritate nixus falſo triginta Regiorum millia cæſa fuiſſe ſcribit. Hac tamen Crani tum ſocordia, tum rapinis, quibus totam eam prouinciam miſerè exhauriebat, offenſus Ludouicus de eodem Burgundica adminiſtratione mouendo deliberauit, quod & re mox præſtitit: ſed interim aduerſam fortunã fœliciore penſauit Cranus, & Gium minoris item Burgundiæ oppidũ acerrima obſidione cinxit: pro obſeſſis cum iuſto præſidio propugnabat Arauſius, ſed & oppidum non ſatis munitum, & tantis viribus reſiſtendo non erat. Itaque clam Caſtelloguionem fratrẽ cum omnibus, quos cogere potuit, copiis arceſſit; nec fratri frater deeſt, Regios cum ſuis fortiter aggreditur, nec minore impetu ex vrbe egreſſus Arauſius ab altera parte in hoſteis inuehitur, atrox initur pugna: tandem multis vtrimque cæſis Regij victoria, ac captiuo Caſtelloguione potiuntur. Hoc poſtremũ prælium memoratu dignum confecit Cranus, & inter alios egregiè, ſtrenuéque depugnauit, cui mox Carolus Ambaſianus ſucceſſit: hic vir fortiſſimus, & cum prudentia diligentiam, cum diligentia prudentiam exæquans res prorſus magnas geſſit, atque vtramque fere Burgundiã deintegro in Ludouici poteſtatem redegit: adminiſtrationis ſuæ initio cum Heluetiis, recentibúſque Heluetiorũ fœderatis, vt omiſſo Maximiliano, Maximilianíque fautoribus Regias parteis ſequerentur, in primis egit, non tam vt belli ſociis vteretur, quã vt hæc vicina à Maximiliano auxilia auocaret, faciliúſque Burgundia vtraque potiretur.

Caroli Ambaſiani diligentia vtraque fere Burgundia Ludouico denuo ſubditur.

Viginti argenti pondo millia promiſit, quæ quatuor Heluetiorum vrbes Berna, Lucerna, Tigurini, Friburgum: tres item pagi (Cantones illi vocant) Suiſſa, Soloturris, ſiue Solura, Vndreuallium publicè perciperent, atque in commune conferrent: viginti item altera millia, quæ priuatim, iis quorum induſtria tum in hiſce fœderibus conciliandis, tum in cæteris Regiis negotiis procurandis vteretur, diuideret, prout quiſque de Rege benemeritus eſſet: vt ſex peditum millia ad Regem, quoties iis opus haberet, mitterent, qui in ſingula capita quatuor Germanicos Florenos ſingulis menſibus acciperent, poſtulauit, atque impetrauit. Poſtremo inſtitit vt Galliarum Rex fœderatorum princeps apud Heluetios numeraretur: nonnihil in hoc capite ſe difficiles Heluetij præbuerunt, ſiquidem hunc apud eos locum huc vſque Sabaudiæ regulus obtinuerat: verum enimuero ſacra auri fames, cuius guſtum Burgundicis iam bellis hauſerant, vt id quoque annuerent, facile perfecit. Sed quantula hæc pecunia, ſi cum ea, quam poſt à Franciſco Primo, Henrico Secundo, cæteriſque Galliarum Regibus acceperunt, conferatur: A Franciſco duplam, ac ſeſquialteram penſionem, hoc eſt centum millia tam publicè, quam priuatim recipiebant: cæteri Reges, vt rerum deinceps potiti ſunt, ita ad priorem ſummam ſemper aliquid addiderunt: vt periculum ſit, ne tandem rem Helueticam ſicuti pleraſque alias, tanta opulentia peruertat: ſiquidem & nonnulla iamiã emerſuræ ſeditionis ſeminaria extiterunt, alioqui & bellatores egregij ſunt, & ſterilis ager equiti, tormentiſque maioribus

fere

fere imperuius, pediti regionis ignaro difficilis acceſſus antiquam libertatem tueri, & inuadentium impetus propulſare facile poteſt.

3 Heluetiis igitur, fœderatiſque Germanis ad parteis Ludouici pertractis Burgundicæ vires propemodum conciderunt: Burgundica tamen nobilitas Aranſio iuncta Salezarij, Coniganíque Scoti alas ad Graium vicum Athaci imminentem fudit, ac pleroſque ex iis cecidit: hinc Ludouicus magnam tormentorũ bellicorum vim ad Ambaſianum miſit, militum etiam numerum auxit. His ille fretus Dolæ vicinam Valdræi arcem (Rupem fortem, id eſt aſperam vulgo appellant) oppugnauit, & mox vnà cum Valdræo ipſo deditione cepit. Inde Dolam ad Alduaſdubim fluuium ſitam progreſſus, vnde Cranus obſidionẽ ſoluere paulò ante coactus erat, vrbẽ tormentis bellicis magna vi quatit, muróque deiecto oppugnationẽ inſtituit: nonnulli ex Heluetiis, Ciſrhenaniſque Germanis recenti fœdere Ludouico conciliatis pro vrbe propugnaturi repente ingreſſi ſunt: ſed tanta ſimul Gallorum peditum manus doli neſcia, prædæ autem auida cõfluxit, vt proditores illos multitudine terruerit, & nequid tentare auderent, nihil tale prouidens perfecerit: ita omnes pariter in prædam verſi vrbem opulentam diripuerunt, ac recentis cladis memores ruinis, incendiiſque vaſtarunt. Incẽſam paulò poſt inſtaurauit Ludouicus, ac muro, turribúſque deintegro erectis, aggere etiam cinxit: ſed ſi hæc cum iis munitionibus, quæ Carolo Quinto Imperatore rerum potiente exædificatæ ſunt conferas, haud magni quidẽ momenti fuerunt: nam & magnitudine vrbs admodum aucta, & validis, frequentibúſque propugnaculis ſeſe mutuo aſpectantibus, ac lato muro, aggere intus ducto vallata, & ſenatu eius regionis ibi collocato auguſta, poſtremo frequenti bonarum diſciplinarum gymnaſio celebrata inter pulcherrimas Galliarum vrbeis numerari poteſt. Interim dum acriter reſiſtentem Dolam Ambaſianus obſidet, Axonam quoque vrbem munitiſſimam, quod vi capi poſſe diffideret, per idoneos homines tentare incipit: pauci inerant præſidiarij milites, præfectus, quique ſecundum præfectum plurimum poterant, cæteras in Regis poteſtatem veniſſe reputantes ſe iam vndique concluſos diu haud reſiſtendo fore rati ſibi priuatim conſulunt: de vrbe dedenda cum Ambaſiano conueniunt, poſtulatis Rex facile annuit, plura etiam, quam peterent, exoluit: ſiquidem in huiuſcemodi conuentionibus liberaliſſimus ſemper fuit: itaque vix ſextum diem circumſeſſa deditur. Sic vtraque Burgundia paucis arcibus exceptis in Ludouici poteſtatem rediit; Veſontionem, quod in Germanici imperij fide eſſet, non aggreſſus, ſed vt Regis legatus Ambaſianus ingreſſus, quæ Burgundis Comitibus obſequia præſtari ſolebant (ſiquidem aut nihil, aut pauca admodum tributa pendit) Regis nomine recepit, ac ſtatim inde exiit: rebellarunt nihilominus Belna, Virdunum, & pauca quædam alia oppida, ſed rebellionis authores minime illis in tempore affuerunt; ſexcenti equites, peditéſque erant Simone Quingeio, cuius ſupra meminimus, & nonnullis aliis ductoribus. Hi Belnam proficiſcentes Virduni inter eundum nocte vna diutiùs, quam oportuit, commorati Ambaſiani diligentia oppreſſi ſunt, oppidúmque vnà cum ipſis vi captum: quod ſi Belnam maturè ingreſſi fuiſſent, vrbem natura, & arte munitam facilè conſeruaſſent: itaque magnum ſuæ diligentiæ fructum Ambaſianus tulit, illi iuſtas ſocordiæ pœnas dederunt. Ambaſianus Belnam ſperato præſidio deſtitutam inde progreſſus imperatis quadraginta nummûm aureorum millibus menſe Iulio anno ſæculi ſeptuageſimooctauo deditione cepit, & in ſumma pace deinceps vtramque Burgundiam continuit, quæ aliquot poſt annis Delfini Caroli, ac Margaritæ Flandricæ nuptiis prorſus confirmata eſt, & rurſum matrimonio diſſoluto maior Burgundia, quam Ducatum, in Gallorum ditione permanſit; minor quam Comitatum vocant, Maximiliano Imperatori Margaritæ patri reſtituta eſt, vt mox ſuo loco fuſius enarrabimus.

Dola direpta incenditur, poſteáque à Ludouico inſtauratur. Vario ornatu auguſtior redditur à Carolo Quinto Imper.

4 Dum hæc in Gallia geruntur Philippũ Cominæum ob ſubortam nuper ſeditionem, bellúmque inter Sixtũ Quartum Pont. Maxim. Ferdinandúmque Neapolitanum, ac Florentinos inde conflatum Ludouicus Florentiam miſit. Cæſus fuerat quinto Kal. Ianuarias anno eius ſæculi ſeptuageſimoſexto Ioannes Galeatius Mediolanenſium regulus Franciſci Sfortiæ filius: coniurationis cauſæ multæ fuerunt; publicæ, quod natura crudelis, atque in Venerem præter ius, & fas pronus (quæ vitia facillimè coaleſcunt) etiam innocenteis, nunquam niſi cum tormentis, acerrimíſque quæſtionibus morte mulctabat nobiles autem matronas non ſolùm conſtuprabat, ſed & aliorum libidini palam exponebat. Adhæc maternæ etiam necis tacitè inſimulabatur: quod enim Blanca Philippi Mariæ vltimi Mediolanenſium reguli tametſi notha filia erat, magnam tamen viro Sfortiæ inuadendi Mediolanenſis Ducatus occaſionem dederat, cuius quaſi hæres quodammodo habebatur, & quod filium (vt par eſt) de innatis vitiis ſæpius admonebat, liberiúſque

Galeatij inaudita crudelitas & horrenda facinora.

increpabat, adulatores conceptas iam in matrem Galeatij inimicitias augentes matrem, non ipſum rerum potiri per iocum aiebant: diſcordiis domeſticis ægreſcentibus Blanca in dotalem Cremonam ſecedere coacta non multis poſt diebus non ſine veneni ſuſpicione deceſſit. Tantis ſceleribus famoſum Galeatium cum omnes boni tum in primis Nicolaus Mantuanus humaniorum litterarum apud Mediolanenſes profeſſor oderat: hic treis diſcipulos maioris inter cæteros indolis ex illuſtribus familiis nactus Ioannem Andream Lampronianum, Carolum Vicecomitem, Hieronymũ Olgiatum cum illis ſæpenumero de tyrannicis Galeatij moribus communicabat, eoſdémque ad tyrãni cædem grauius accendebat: fœlices demum eos prædicans, quibus in libera Rep. naſci pariter ac viuere fortuna conceſſiſſet. Illic in pretio virtutem haberi, tyrannis eſſe formidoloſam: illic fere omneis, quotquot maiore virtutum gloria excelluerint, vixiſſe: ſi quos huiuſce ſpiritus ſub tyrannis fortuna collocarit, aut tyrannorum inuidia indigne è medio ſublatos fuiſſe, aut eorumdem virtutes penitus obſcuratas, quorum egregia opera vſi tyranni gloriam in ſe transferre conſueuerint. Hac, aut alia huiuſmodi oratione ſæpius iterata ingenuos adoleſcenteis vbi accenſos animaduertit, tanta cõfidentia in deſtinatum facinus incubuit, vt ab iiſdem iuſiurandum de cædendo tyranno, vbi per ætatem licuiſſet, exigere non dubitarit. Accedebant priuatæ iniuriæ Caroli, atque Hieronymi vxores vi abreptas per libidinem Galeatius famoſas effecerat, alteram etiam tum domi continebat: Lamproniani propinquum monaſterio Miramundo exturbauerat. Hæc vt deſtinatam iamdiu cædem maturiùs exequerentur, Galeatiúmque ſacram ædem ingredientem confoderent, perpulerunt: ſperabant coniurati Galeatij crudelitatem, libidinémque peroſos Mediolanenſes ad libertatem aſpiraturos, ac ſibi auxilio futuros: præſertim quod Franciſcus Sfortia pater homo nouus non ita dudum tyrannidem inuaſerat; at tantum Galeatij propinqui, domeſticíque potuerunt, vt Lampronianum, Carolúmque in ipſo tumultu occiderint, Hieronymum mox domi comprehenſum ſtatim capite mulctarint.

Galeatij cõiurati & inuaſores occiduntur.

Addunt quidam publico edicto ſancitum, vt ex coniuratorum familiis viri, mulieres, liberi, vbicumque deprehenſi forent, cæderentur, domus ſolo æquarentur: fructiferæ arbores radicitus euellerentur; vt quod de Siculis olim dictum eſt, Mediolanenſes ad tolerandam tyrannidem natos merito quis exiſtimet. Nec tamen immanis ſententia è Turcicæ tyrannidis diſciplina emanans effecit, quin aduerſus Laurentium, Iulianúmque Mediceos nondum quidem Florentiæ dominos, ſed dominationis, quam eorũ poſteri aut certè gentiles aſſequuti ſunt, iam fundamenta iacienteis eodem exemplo, nec fœliciore exitu alij decimoſexto poſt menſe de medio tollere aggreſſi ſint: quam quidem cõiurationem, quoniam cum Gallica hiſtoria coniuncta eſt, commemorare non alienum putaui. Primus Coſmus Mediceæ familiæ celebre nomen, clarúmque reddidit (nam pater Ioannes homo nouus nondum inter principes Florentiæ ciues numerabatur) hic tantas non multis annis diuitias comparauit, vt vix quemquam hominem priuatum ex Italis, ſed ne ex aliis quidem Chriſtianis nationibus cum illo conferre quis poſſet: annum circiter milleſimum quadringenteſimum viceſimum magnas Florentini è Piſano portu in Aſiam delati mercaturas facere cœperant: vnde tanta inter eos, ac Venetos æmulatio exarſit, vt Florentini ſexto poſt anno à Philippo Mediolanenſi regulo ingenti ad Zugonariam clade ſuperati, à Venetis, tametſi cõmunium periculorum, in diſcriménque vocatæ vtriuſque populi libertatis admonitis vix ſocietatem impetrare potuerint: ea tamen ingenij dexteritate Coſmus Venetorum animos tractauit, ſibíque conciliauit, vt, quamuis Florentinorum commerciorum princeps haberetur, Venetos nihilominus ſemper amiciſſimos ſit expertus. Hinc patria per factionem vna cum Laurentio fratre pulſus, eorumdem opera breui Florentiam rediit, & mox, quum de maioribus negotiis cum Venetis agendum eſſet, ſæpe à ſuis vel propter excellens ingenium, innatámque prudentiam, vel propter contractã cum Venetis amicitiam Venetias miſſus eſt. Is res quidem bellicas minimè tractauit, ſed mercaturis faciendis eam potentiam aſſequutus eſt, quæ priuati hominis ſortem ſuperare quodammodo videretur. Faciebat idem quod eodem fere tempore, ſed non eadem fœlicitate apud nos fecit Iacobus vulgo Cor appellatus (Cordatum, quod Latinis aliud ſonat, quidam vocare malunt) quæſtor Regius & inter Bituriges ciuis primarius, qui ingenteis etiam ex Aſiaticis, Turcicíſque commerciis diuitias coëgit: ſed hic quum propter multa alia ſcelera, tum quod arma, armorúmque opifices ad Turcas miſiſſe, & Chriſtianum hominem è Turcarum ſeruitute elapſum remiſiſſe conuictus eſt, bonis proſcriptis extremo ſupplicio iudicum ſententia addictus fuit: Carolus Rex eius nominis Septimus vitam, & bonam mulctæ partem eidem remiſit.

Coſmi Medicei diuitiæ quæ.

Coſmus

Digitized by Google

Coſmus in libera ciuitate non tam religionis, quam priuati queſtus ſtudioſa potens quicquid libebat, ad Turcas facile comportauit: nec vllam inde reprehenſionem, aut ab eiuſdem queſtus ſociis accuſationem extimuit: Coſmi Petrus, Petri Laurentius, ac Iulianus, de quibus nunc agimus, liberi fuerunt. Italia tum in duas diuiſa erat factiones: hinc Sixtus Quartus Pontifex Max. cum Ferdinando Rege Neapolitano ſocietatem coierat: inde Veneti, Mediolanenſis regulus, Florentini fœderati erant, atque alteri illi factioni ſeſe quodammodo opponebant:& quod Florentini viciniores agrum Põtificiis poſſeſſionibus cinctum habebant, nec cum cæteris ſuæ factionis viribus comparandi erant, idcirco hos primum aggredi,& arte quadam ſibi obnoxios reddere Sixtus inſtituit. Florẽtiæ duę erant familiæ illuſtres Mediceorum,& Pacciorum, inter hos ingens æmulatio exarſerat: Mediceis nouis hominibus Paccij domi nobiles tacitè inuidebant, Paccios opibus ſecum nullo modo conferendos Medicei aſpernabantur: hi tamen tantam iam potentiam aſſequuti erant, vt ab eorum nutu & populus,& magiſtratus penderent. Horum gnarus Sixtus mortuo Philippo Mediceo Piſano Pontifice Franciſcum Saluiatum Pacciæ factionis inuitis Florentinis ſufficit. Medicei renouata lege Voconia Ioannis Paccij vxorem Ioannis Borrhomei ciuis ditiſſimi filiam vnicam paterna hæreditate fraudant,& ad Carolum eius fratrem patruelem transferunt. Id præ cæteris ægrè ferens Franciſcus Paccius homo acer Romam Florentia migrauit, & cum Hieronymo Riario fori Liuij, ac fori Cornelij, quæ nunc Immola dicitur, Comito Sixti Pontificis Maximi ex ſorore nepote (vt ita hanc dictionem cum Cornelio Tacito vſurpem) homine amiciſſimo ſæpe de Mediceorũ iniuriis queſtus, quibus rationibus eoſdem vlciſceretur, deliberauit: mox rem totam cum Franciſco Saluiato Archiepiſcopo Piſano Iacobo Paccio Pacciæ familiæ principe, Ioanne Baptiſta à Monteſicco, viro militari, & apud Sixtum gratioſo communicarunt. Coniurationis certiores facti Sixtus Pontifex, Ferdinãduſque Neapolitanus Mediceis infeſti, opémque pollíciti magna ad audendum momenta addiderunt. Compoſitis omnibus Raphaëlem Riarium Hieronymi nepotem, vt tradit Machiauellus (fratrem vocat Iouius) quem paulò ante Cardinalem creauerat, Florentiam miſit Sixtus, ſub cuius comitatu coniuratorum bona pars lateret: vt in homine honorato excipiendo vel inter familiares congreſſus, vel inter conuiuia, vel aliunde nata occaſione, Mediceos tolleret: re ſemel, atque iterum clam tentata, nec perfecta coniurati tandem, vt in maiore æde incautos interciperent, ſtatuerunt. Ioanni Baptiſtæ Laurentij, Franciſco Paccio, ac Bernardo Bandino occidendi Iuliani munus dederunt: recuſauit Monteſiccus, & recentem cum Laurentio familiaritatem obtendit, quæ recuſatio & coniurationem fruſtrata eſt,& illi mortem paucis poſt diebus aſciuit: temporis enim neceſſitate adducti rem Antonio Volaterrano, Stephanóque ſacrificulo hominibus ad facinus audax patrandum haudquaquam idoneis commiſerunt. Hi Laurentiũ ſexto Kal. Maias anno eius ſæculi ſeptuageſimooctauo inter ſacras Lithurgias tum quum ſacerdos ſacroſancta, tremendáque myſteria tractaret non conſtanter aggreſſi in guttur quidem vulnus inflixerunt; cæterum repulſi Laurẽtio ſe in ædis ſacrarium (cuius portas æreas Petrus pater extruendas curauerat) recipiendi ſpatium dederunt. Vulnerato in primis affuit ſeruus biduo ante è carcere emiſſus, qui pro hero fortiter propugnãs vim irruentium multis plagis acceptis ſuſtinuit. Iulianum Bandinus pugione in pectus adacto humi proſtrauit, in cadentem inſultat Franciſcus Paccius, tantóque ardore irruit, vt ſibi ipſi graue vulnus in alterum crus infligeret. Archiepiſcopus Piſanus ad occupandum palatium profectus,& cum paucis intromiſſus foribus à tergo occluſis, atque à maiore ſuorum agmine ſeparatus captus, cæſúſque eſt;& quotquot vna cum illo ingreſſi erant: cæteri inferius palatium circumſederant, & ne magiſtratibus ciues opem ferrent, ſeſe opponebant. Iacobus Paccius tametſi iam ætate prouectus,& rei militari, atque huiuſmodi tumultibus minimè aſſuetus (fœneratoriam enim exercebat, quæ apud Florentinos mirandum in modum pecuniæ ſtudenteis ſumma nobilitas habetur) tamẽ vrgente deſperatione cum centum ad id paratis equitibus ad palatium conuolauit,& libertatem, populúmque inclamans, quum ciuium animos ad Mediceos inclinare animaduerteret, vrbe ceſſit: ſed inter fugiendum in Apennini iugis à montanis ruſticis interceptus, Florentiámque redactus quatriduo poſt cum nonnullis aliis ſuæ factionis capite luit, Laurentius multis ad eum confluentibus armata manu è ſacrario domum deductus Franciſcum Paccium qui multo profluente è vulnere ſanguine, nec equo inſidere, nec factionem iuuare, nec elabi poterat, domi comprehenſum, Renatum item eiuſdem familiæ, Ioannem Baptiſtam Monteſiccum, cæteróſque conquiſitos extremo ſupplicio afficiendos curauit,& viginti in poſterum ſatellites ad corporis cuſtodiam à Florentina Rep. impetrauit.

Pacciorũ & Mediceorum æmulatio.

Archiepiſcopus Piſanus comprehenſus trucidatur.

Florētini ſacris interdicti.

Sixtus re ad ſe delata quod aliter non potuerat, id aperto bello aſſequi tentauit: ac primum Florentinos ſacris interdixit, quod Saluiatum Piſanum Pontificem hominem ſacratum indicta cauſa extremo ſupplicio affeciſſent. Illi Concilium Tuſcorum Pontificum coëgerunt, & à Pontifice ad proximum totius Chriſtianiſmi Concilium prouocarunt, atque interim ſacerdotes ad obeunda ſua munia, ſacráſque Lithurgias adegerunt: Pontificis impietatem palam incuſarunt, ac tota Italia ſermonibus, litteris, legationibus diuulgarunt, qui tantam immanitatem in ſacra æde, inter ipſa tremenda myſteria Deo quaſi aſpectante patrandam curaſſet. Nec Pontifici deerat quod opponeret, ſui officij aiebat eſſe auferre tyrannidem, improbos deprimere, probos extollere, præter ius, prætérque fas eſſe indicta cauſa ſacroſanctos Pontifices in crucem agere, viros ſacros immaniter iugulare, nocenteis pariter, atque innocenteis nullo delectu trucidare, Cardinales in cuſtodia leui de ſuſpicione habere. Hæc omnia non in Florentinam Remp. ſed priuatim in Laurentium conferebantur, quem ſi vrbe Florentini pellerent, facile illis cum Sixto conueniret: in hunc præſertim coniurationem conflatam, qui non ciuili moderatione, ſed Regio faſtu vniuerſis vnus imperare tentaret: frater modeſtior mediocri authoritate contentus ſe ad ciuilem ſtatum magis accommodabat, Florentini Sixtum grauius irritare nolentes Romam Cardinalem Riarium remittunt. Pontifex nihilo placatior ſuas pariter, ac Neapolitanas copias (quibus Alphonſus, Federicúſque Ferdinandi liberi, ac Federicus Vrbinas præerant) in agrum Senenſem immittit: in iiſdem Robertus Ariminenſis, Conſtantinus Piſaurienſis, aliíque viri militares ſtipendia merebant, qui pleriſque caſtellis, oppidíſque in ſuam poteſtatem redactis arcem, quam Caſtellinam vocabant, circumſederunt, ac quadrageſimo poſt die deditione ceperunt. Florentini interim de comparando exercitu ſolliciti Herculem Ateſtinum Ferrarienſem Marchionem accerſunt, ac ſuis præficiunt: ſed rarus erat exercitus, & ex tyrone, tumultuarióque milite conſcriptus (in longa enim pace vixerant) & paucis militaribus, ſtrenuíſque præfectis inſtructus. Tum Laurentius conſilij publici princeps incertis æqualium ſtudiis traductus, rerum bellicarum rudis, ciuiliúmque haud æquus æſtimator tantæ moli ſuſtinendæ par non erat: legatos tamen, quorum princeps Thomas Soderinus fuit, Venetias, Mediolanúmque fœderatas ad ciuitates mittit. Veneti bellum non publicè, ſed priuatim in Laurentium geri cauſati ſe ad auxilia mittenda fœdere aſtringi negarunt: Mediolanum mortuo Ioanne Galeatio Bona Sabaudica pupilli reguli mater adminiſtrabat, Ludouico Sfortia, Octauiano, Aſcanióque viri ſui fratribus, ac Roberto Seuerinate vel Mediolanenſi ditione pulſis, vel in cuſtodia habitis. 7.

Sub id tempus Philippus Cominæus Ludouici Galliarum Regis legatus Mediolanum appulit, perfecitque, vt trecentos cataphractos equites Bona, quæ Carlotæ Reginæ Ludouici vxoris ſoror erat, tum in Regis gratiam tum ex fœderis lege opem laturos Florentinis mitteret: quin & alios non ita multò poſt ſummitteret. Inde Florentiam in ſummo diſcrimine conſtitutam offendit, nec rebus prope deſperatis conſulere in promptu erat: magnus erat hoſtilis exercitus, & magnis ducibus, veteraniſque, ac ſtrenuis militibus inſtructus: quæ contra in Florentino omnia prorſus deerant. Auxiliarem militem ſuppeditare non poterat Ludouicus, Belgico Burgundicóque bello implicatus: id tamen excogitauit, quod rebus in melius reuocandis non leue momentum addidit: Concilium Gallorum Pontificum, cuius ſuperiore libro mentionem fecimus, Aureliam indixit, cuius metu perculſus Sixtus ſe Florentinis mox facilem præbuit: Ferdinandus Neapolitanus rem Florentinam ſolis Mediolanenſium auxiliis nixam conſpicatus Proſperum Adurnium, ac Robertum Seuerinatem ad incitandos ad rebellionem Genuenſes impellit; vrbe, agróque occupatis ſola arx in Mediolanenſium fide perſtitit: qua freta de recuperanda Genua Bona ſperare poſſet. Sed rebus Florentinorum afflictis, à quibus mutuam opem expectare haud poterat, exulum machinationes, vímque ſubuerita cum Baptiſta Fregoſio Proſperi Adurnij capitali hoſte de committenda illi arce, ac tradenda Genuenſi ditione conuenit; ea quidem in primis conditione, vt Mediolanenſes, Genuenſéſque exules Liguria pelleret, nec pecunia, commeatu, aut milite iuuaret. Fregoſius arce potitus contraria factione in ſuas parteis pertracta Liguriæ principatum ſibi vendicauit: exules pulſi in Lunenſem agrum cum ſuis inuaſerunt. Inde Sixto Quarto, Ferdinandóque ſuadentibus in Piſanum irruunt, oppida, caſtelláque multa capiunt, & ad vrbis portas vſque prædas agunt. Preſſi tantis difficultatibus Florentini Carolum Montonium Braccij ac Deiphobum Iacobi *** Comitis filium à Venetis, qui cum Turca Mahomete iam inducias fecerant, magnis precibus impetrant: hi ſatis copioſo milite inſtructi adiunctis iis, 8

Qua de cauſa Concilium Gallorum Epiſcoporū à Ludouico indictum.

qui

Digitized by Google

qui ſub Hercule Ferrarienſi aduerſus Alphonſum militauerant, Piſas petunt, vt Robertum Seuerinatem Piſani agri vaſtatorem adorirentur: Ille ad Sperchium fluuium quaſi congreſſurus ſubſtitit, ſed viribus impar in Lunenſem agrum ſe iterum recepit. Comes Carolus Piſanum agrum deintegro in Florentinorum poteſtatem paucis diebus redegit: & ne aliqua militum ſeditio ſuboriretur, multi enim exules vnà cum Carolo militabant, & iam priuatæ contentiones inter vtroſque increſcebant, vt non multum ab armis abeſſe viderentur, exercitum Florentini diuiſerunt: partem duce Carolo Peruſiam mittunt, partem ad Ponggibuzium collocant: vnde crebræ excurſiones ad Senenſium muros vſque quotidie fiebant. Carolus Peruſino agro vno die capto, Peruſia quoque ciuibus vltro iuuantibus potitus, inter tot celebres victorias fato functus eſt, cuius occaſione ſi Florentini duces prudenter vſi fuiſſent, rem Florentinam tantopere antea afflictam in priſtinam dignitatem vindicaſſent: morte enim Caroli intellecta magnam Florentinorum opprimendorum ſpem Pontificij duces conceperant.

9 Itaque ad Thraſimenum lacum progreſſi tribus milliaribus ab hoſtium caſtris caſtra poſuerunt: nec differendam pugnam exiſtimauit Robertus Ariminenſis in mortui Caroli locum ſuffectus, clarámque de Pontificiis victoriam reportauit. Sed huius victoriæ fructum nata in altero exercitu ſeditio, coméſque ſeditionis grauis conflictus prorſus abſtulit: huius duces erant Mantuanus, ac Ferrarienſis non ſatis inter ſe concordes, quin potius mutua æmulatione ſibi inuicem infeſti: quum vtroſque ſibi reconciliare non poſſent, Florentini, Mantuanum retinuerunt: Ferrarienſem etiam de proditione ſuſpectum domum cum ſuis remittere coacti ſunt: cuius rei gnarus Alphonſus ex Senenſibus mouens ad turbatos adoriendos ſumma celeritate properauit. At Mantuani exercitus tametſi numero ſuperior, & loco munitiſſimo caſtra metatus, tamen nec aduentantis hoſtis conſpectum ferre, vix etiam puluerem aſpectare ſuſtinuit: quin potius correpta vndique fuga repente euanuit: omnem commeatum, omnia impedimenta, omneis bellicas machinas hoſtibus reliquit. Ea victoria Neapolitanos præda, gloriaque; Florentinos ignominia, terrore, ac prope deſperatione compleuit: vrgebat quippe domi infeſta lues, vt graues fortunæ impetus haud incomitati miſeros ſæpe mortales adoriri ſolent, & putreſcentem aërem ita corruperat, vt vrbe prope deſerta ciues omnes cum familiis, ac ſupellectile in villas, ac finitimum agrum diſſipati ſollicitam mortis metu vitam agerent, ac quaſi exules magna ex parte in alieno ſolo habitarent. At huius victoriæ audita fama iam mortis immemores, & hanc veluti grauiorem peſtem horrentes, quaſi vrbis muris hoſtis inſtaret domum ſtatim cum familiis, cum vniuerſa ſupellectile redierunt. Florentini magiſtratus exercitum Peruſinum ad ſua potius conſeruanda, quam ad aliena inuadenda reuocandum cenſuerunt: is vbi ad fanum Caſſiani appulit, arcem ab vrbe octo milliaribus diſtantem, ſe Neapolitanis tantiſper oppoſuit, dum fuſi reliquiæ vna coirent: ſed interim relicti ad Peruſiam Pontificij Aretinum, Cortonenſémque agrum latè populati ſunt. Neapolitani duce Alphonſo Poggibuſio, ac vicis, caſtelliſque finitimis captis, atque direptis Collem vrbem munitiſſimam circumſederunt: eam, vt in fide contineret Florentinus, ad fanum Gemmiani quinque ab hoſte milliaribus caſtra poſuit, atque inde Neapolitanos crebris velitaribus certaminibus laceſſiuit. Sed hæc auxilia ad oppugnantium vim repellendam exigua erant, & Collinos commeatus, pulueris tormentarij, ac pilarum copia, quæque ad tolerandas obſidiones neceſſaria ſunt, prope defecerant, vt Idibus Nouembris maxima Senenſium, qui Collinis priuatim infeſti erant, lætitia deditionem facere cogerentur. Iam dura vrgebat hyems, & Sixtus Pontifex, atque Alphonſus Calaber reficiendo militi ſpatium daturi Florentinis inducias obtulerunt, diebus decem dicendis conditionibus præſcriptis, quæ vtrimque pactæ ciuium animos querelis potius, quam bona ſpe, aut vlla lætitia impleuerunt; metiebantur non ſolum in circulis, ſed & in publicis conſiliis inutiles in bellum expenſas, iniquáſque exactiones, & de communi calamitate liberè conquerebantur. Quidam etiam Laurentio Florentiam tot malis afflictam iam non bello in quo ſpes exigua eſſet, ſed pace dumtaxat conſeruatum iri profeſſi ſunt: ſed magni intererat Sixtóne, an Ferdinando ſeſe committerent: crebræ Pontificum ſucceſſiones ſolidam pacem haud promittebant: cum Rege ſtabilem, & quaſi hæreditariam inire tutius viſum. Hanc legationem ſuſcepit Laurentius, vt qui totius belli, malorúmque omnium author fuiſſet, idem viciſſim exoptatæ pacis conciliator exiſteret.

Florentinorum miſerrimus ſtatus.

10 Sub id tempus Robertus Seuerinas, Ludouicus, Aſcaniúſque Sfortiæ exules Dortona occupata Mediolanenſem adminiſtrationem inuadere aggreſſi ſunt, bellúmque aduerſus Bonam Sabaudicam pupilli reguli matrem renouarunt: Antonij Taſſinij Ferrarienſis

Digitized by Google

adoleſcentis amore deperibat Bona, quem in eo iam gradu collocarat, vt ab illo vno pendere tota Mediolanenſis adminiſtratio videretur. Inter hunc, & Cicchum Simonetam hominem rara prudentia fœlicíque ingenio præditum graues ſimultates intercedebant, ſempérque alter alterius authoritatem imminuere tentabat. Cicchum inimicum vlturus Taſſinus, vt cum Seuerinate, Ludouicóque, atque Aſcanio Sfortiis Ciccho infeſtiſſimis reconcilietur, & in priſtinum gradum reuocatos publici conſilij participes faciat, Bonæ perſuadet. Id amore cæca mulier facile annuit, iureiurando tamen primum adactis, vt cum Simoneta in gratiam redirent, nec quicquam in eius vitam, aut fortunas molirentur: cuius rei certior factus Simoneta infœlix ſibi vates Bonam liberè increpauit: [Tu vero bellam " (inquit) reconciliationem tibi adornaſti, quæ me vita, te breui Mediolanenſi adminiſtra- " tione ſpoliabit.] Nec dictis euentus defuit: tertio enim à reditu die clam vrbe eductum " Simonetam vita, aliquot autem poſt menſibus Bonam exules Mediolanenſi adminiſtratione priuarunt, quæ commodius alio loco explicabuntur. Sed interim dum Neapolim Laurentius nauigat, Serazanam Piſani agri oppidum nulla induciarum habita ratione Ludouicus Fregoſius dolo occupat. Id non ſine Ferdinandi conſilio accidiſſe Florentini ſuſpicabantur, & multis apud Alphonſum filium querelis deplorabant: ille ſe plane fraudis huius, inſidiarúmque conſcium pernegabat. Actum igitur de Florentinis propemodum videbatur: exhauſti erant pecunia, potenteis duos hoſteis Pontificem (inquam) Alphonsúmque cum ſuis copiis in patriæ finibus habebant: Reipub. princeps Laurentius apud Ferdinandum legatus nomine, re captiuus ferebatur: tot malis bellum hoc Liguſticum accedebat, à fœderatis Venetis quidem nihil ſperabant, à Mediolanenſibus autem etiam timebant. In Ferdinando Neapolitano vna ſpes reliqua erat, quem poſt multas diſſimulationes (ab ineunte enim Decembri ad diem octauum Idus Martias ſuſpenſum Laurentium tenuit, vt ſi qua Florentiæ interim commutandæ adminiſtrationis ratio iniretur præſenti occaſione vteretur) ita placauit, vt fœdus de ferendis pro vtriuſque populi ſalute, ac conſeruatione mutuis auxiliis tandem fecerint: conditiones additæ, hinc vt oppida, caſtelláque, atque adeo ager ademptus Florentinis redderetur: inde vt Paccij Volaterris in cuſtodia habiti liberarentur, certáque pecunia Alphonſo Calabro penderetur. Sed nec hoc fœdus ſatis firmum videbatur, necdum conditiones impletæ erant, quum Alphonſus, qui ad Senas antea caſtra habebat, ſeditionum inter Senenſes feruentium ſpecie in vrbem admiſſus eſt, controuerſiarum omnium arbiter, ac diſceptator conſtitutus: quam occaſionem nactus multos è Senenſibus pecunia, alios exilio, alios carcere, quoſdam etiam morte mulctauit, ac ciuitatis principatum ſibi vendicare viſus eſt: quo non contentus Florentiæ etiam, vt multi ſuſpicabantur, imminebat; nec Florentinis vel rei Senenſis inuadendæ, vel propriæ libertatis conſeruandæ ſpes vlla erat pecunia exhauſtis, & recenti fœdere illigatis, quum maior Pontificem, Regémque Ferdinandum ad alias cogitationes cura reuocauit. Rhodum ingenti claſſe delatus Meſithus Palæologus Baſſa Turcicæ claſſis præfectus (vt ſuperiore libro ſcripſimus) magno apparatu vrbem circumſederat, muríſque crebro bombardarũ impetu pulſatis humíque proſtratis ſæpius oppugnare aggreſſus bonam exercitus partem amiſerat. Tribus menſibus in eam expeditionem inſumptis re infecta redire coactus, Achomatem, ſiue Iacometum (vt vulgo quidam appellant) alterum Baſſam ad perluſtranda Italiæ littora Mahometes quoque miſerat: is quatuor peditum millibus in terram expoſitis Hydruntum oppugnat, vi captum diripit, ciueis omneis trucidat: tum vaſtas & in vrbe, & ad portum munitiones extruit: inde in reliquam Italiam aditum ſibi, ſuíſque molitus equitatu totam eam regionem peruaſtat, atque omnem Italiam ingenti trepidatione perturbat. Hoc terrore perculſus Ferdinandus nec Hydruntinas tantum Turcarum copias, ſed vniuerſam Mahometis potentiam ſibi imminentem veritus omnia omnium aduerſus communem hoſtem auxilia implorat, Alphonſum cum Senenſi exercitu reuocat, & in Turcicum bellum totus incumbit, Florentinum fœdus ſacroſanctum habet, alioqui leui de cauſa diſſoluturus.

Increpuit frequentius in vſu eſt.

Rhodus à Turcis fruſtra oppugnatur.

Sixtum Pontificem eadem perturbatio placabiliorem reddidit, quam occaſionem non 11 omittendam rati Florentini Romam duodecim legatos mittunt, qui patriæ vel errorem, vel culpam excuſantes & in temerariam plebem, ac ſeruitutis metum reiicientes pacem tandem impetrant. Sic communis Italiæ calamitas Florentinis ſimul, ac Senenſibus libertatem conſeruauit: Senis enim migrans Alphonſus fortunam grauiter inſimulatus eſt, quæ illi caſu ex inopinato oſtentatum, imo vero quaſi ſponte traditum Hetruriæ imperium ademiſſet: eadem occaſione vſi Florentini oppida, arceíſque amiſſas repetunt, quas Senenſibus diſcedẽs Alphonſus commiſerat, implicatúmque Turcico bello Ferdinandum vehementer

Digitized by Google

vehementer vrgent. Ille ne Florentini bellum Senenſibus inferrent, aut acceſita aduerſus Turcas auxilia auerterent, ſubueritus nouo fœdere concepto ſua illis reſtitui iubet: ſic immoderatam principum ambitionem non data fides, non iureiurando ſancita, ſcriptóque confirmata fœdera, ſed domina rerum neceſſitas interdum coërcet! Hæc tum in Italia gerebantur, interim dum bello graui inter Ludouicum Regem, Auſtriacúmque Maximilianum continuato Belgium, Burgundiáque flagraret: ſed paulo antequam Neapolim nauigaret Laurentius Medices, Philippus Cominæus, qui nec Sixto Pontifici Florentinos reconciliare, nec rem Florentinam Rege domeſticis bellis intento magnopere iuuare poterat, de reditu egit, & honorificè dimiſſus Mediolanum inter redeundum diuertit: cui quaſi Ludouici Regis legato Bona pupilli reguli mater filij nomine fidem, obſequiúmque ex more præſtitit, & Genuenſem principatum Francorum Regum beneficiarium agnouit. Inde in Galliam reuerſus Regem affecta iam ætate ad morbum inclinantem offendit: is tum primum pugnæ Guignegatanæ nuncium acceperat, maiorémque ſuorum factam cædem, & pleraque ſibi diſſimulata ſuſpicatus, plurimum indoleſcebat: videbat enim, ſi integra victoria hoſtis potitus fuiſſet, captas in Flandria vrbes in victoris poteſtatem facile redituras: & à morte Burgundionis omnia ex animi ſententia ita illi ceſſerant, vt leuiorem iacturam pro maxima duceret, quæ prudentiæ illius magna ex parte aſcribenda erant: nihil, aut pauca fortunæ committebat: tantos comparabat exercitus, vt paucos, qui contra ſtarent, reperiret. Maius quam vllus vnquam Galliarum Rex bombardarum inſtrumentum conflarat, vrbeis præſertim expugnatu haud perdifficiles oppugnabat: expugnatas ita milite, machiniſque bellicis complebat, ita muro, aggere, foſſa, muniebat, vt deintegro capi nullo modo poſſent. Quod ſiquis arcium, aut vrbium inexpugnabilium præfectus de prodendis ſecum agere in animum induceret, nullo pretio deterrebatur, ſupra ſpem etiam pecuniam ſponte numerabat: tum ſenio confectus, & natura timidior, ac fortunæ inconſtantiam ſæpe antea expertus de fœdere cum Maximiliano Auſtriaco, ſed in rem ſuam faciendo deliberauit: Gandauenſium opera, nonnullorúmque aliorum ſibi in primis vtendum putabat, qui principis ſui potentiam ſemper ſuſpectam habentes, eandem quoad fieri poterat, imminuere tentabant: Philippum, Carolúmque Burgundiones nimiis viribus fretos libertati ſuæ inſultaſſe, antiquáque priuilegia induxiſſe meminerant; moderatam principis potentiam libertatis propugnatricem; immoderatam oppugnatricem exiſtimabant. Margaritam Maximiliani filiam Carolo filio vxorem depoſcebat Ludouicus, in dotem Burgundicum, Matiſconenſem, Antiſſiodorenſem Comitatus retinere cupiebat: Atrebates Maximiliano reſtituere, Atrebatum ciuitatem, quam nuper egregiè muniuerat, ſibi excipere in animo habebat: maioris Burgundiæ, quem Ducatum vocant, Somonenſiúmque oppidorum nulla mentio fiebat, quæ ſuo iure poſſidere Ludouicus videri volebat. Hæc anno eius ſeculi octogeſimo proximóque Gandauenſibus vel authoribus, vel quaſi ſequeſtribus pertractabantur, quibus pleræque aliæ Flandricæ, Brabantinæque ciuitates aſſentiebantur: & vt fœdus in eam ſententiam conciperetur, inireturque ſedulò laborarunt: at quod induciæ tum intercederent, legationes vltro, citróque ſæpius commeabant.

Neceſſitas rerum domina.

Gandauenſium natura, & ſuſpicio.

12 In id etiam operam nauabat legatus Pontificius (vt ſuperiore libro ſcripſimus) ſed antequam res ad exitum perduceretur menſe Martio anno eius ſæculi octogeſimo primo in grauem morbum Rex incidit: forte in vico non longè à Chinone in Turonibus prandebat, quum veluti omnibus ſimul ſenſibus captus, neque fari, neque audire, neque videre ſatis poſſe, aut quemquam agnoſcere deprehenſus eſt: è menſa ſublatus, quum ad cubiculi feneſtras pergere niteretur, à ſuis retentus, & ad focum deductus eſt: morbo comitiali quidam, alij paralyſi, quod veriſimilius eſt, laboraſſe ſcripſerunt: nonnulli etiam elephantiæ quædam indicia apparuiſſe addiderunt. Clyſtere excepto paulo melius habuit, ac loqui vtcumque cœpit, & conſcenſo equo Forgias, vnde mane exierat, reuerſus eſt: biduo poſt & ſenſuum vim, & loquendi facultatem recepit: ſed ita vt verba non ſatis exprimeret, & niſi à familiaribus vix intelligi poſſet, diligenti medicorum opera curatus quadrageſimo poſt die ſatis bene conualuit: nunquam tamen integris, vt antea, ſenſibus viguit: morbi ordinem, ſpeciémque paulopoſt, quum iam conualeſcere inciperet, ſigillatim à domeſticis quibuſdam percunctatus (neque enim meminerat) quum inter alia ad cubiculi, in quo prandebat, feneſtras adire voluiſſe, ſed retentum fuiſſe dixiſſent, nomina eorum qui retinuiſſent, ſibi edi voluit, eóſque comitatu Regio ſtatim expulit, pleroſque etiam magiſtratibus, quibus functi erant, mouit. Segreum, ac Gilbertum Graſſæum Camperuxium equeſtris alæ ductorem (cuius filiam Belinus Belcarius Bordius noſtræ familiæ vxorem

Anno 1481.

Ludouicus in morbo amicos proprios ſuſpectos habet.

vxorem duxerat) ſibi in primis charum, quod inter eoſdem numerati erant, domum remiſit: nec tamen exauthorauit, aut illis quicquam ademit. Hic vir militaris Carolum Burgundionem pugna Letherica ceperat, quem tamen interueniens Burgundorum ala vi recepit, & ad maius ſuorum agmen reduxit: atqui magnam illis gratiam Ludouicum habiturum omnes ſperabant, quod acerba valetudine afflicto bene conſuluiſſe videbantur. Sed ille longe aliter interpretabatur: aliò quippe ſpectabat, nequid de authoritate, exiſtimationéque ſua imminueretur, néue, vt mentis non ſatis compos, regni adminiſtratione moueretur, & inimicis quos multos tam ex Regiæ familiæ principibus, quam ex cæteris proceribus ingenij leuitate, inconſtantiáque ſibi compararat, rerum nouandarum occaſionem præberet, omni ex parte metuebat: ſummum imperium in omneis conſeruare, neminem non dicto parere cupiebat. viderat Carolum patrem veneni metu, quod ſibi à filij fautoribus propinatum iri perſuaſerat, cibo abſtinuiſſe, tandem ſeptimo die ex ſummorum virorum Caroli familiarium, medicorúmque ſententia ſumere coactum potius, quam exoratum paulopoſt expiraſſe. Hoc cogendi Regis conſilium, nequid tale poſtea ſibi accideret, ſummopere ſemper damnauerat, & patris mortem, tametſi longè alia de cauſa acciderat (vt ſupra commemoraui) inde conſequutam prædicabat: multo maiorem itaque indignationem ex vi ſibi allata (vti iactitabat) quàm re vera conceperat, ſe ſuſcepiſſe ſimulabat.

Duodecimo à morbi initio die, quum iam aliquam rerum notitiam habere inciperet, 13
quid in ſanctiore, Regioque conſilio actũ interim eſſet, quæſiuit: prolata ſunt nõnulla præcipuorum negotiorum capita: conſilio autem intererant Carolus Ambaſianus Burgundiæ prætor, Ludouicus Heluiorũ Pontifex eius frater, Petrus Rohanius Gienſis Mareſchallus, Ludæus cum ipſo ab ineunte ętate educatus: fortè enim hi, quum Ludouicum corripuiſſet morbus, affuerunt: ea per Philippum Cominæum ſibi legi præcepit, deinde in manus ſumpſit, ac legere ſimulauit, quum nondum quicquam ſatis vel legere, vel intelligere poſſet: tum vno, aut altero verbo addito (necdum enim animi ſenſa eloqui poterat) quibuſdam ſignis, quid agendum cenſeret, indicabat. tanta inſanas hominum menteis interdum poſſidet ambitio, nec vllam etiam penè morientibus quietem, animíve tranquillitatem indulget: Homines autem grauibus morbis iactati, tametſi aliquando mente fere alienata ſunt, & iudicio minus valent, tamen quid ante in vita egerint, aut ſerio meditati ſint, meminerunt, & ipſa recordatione eadem agere ſæpè conantur, quod antea timuerunt, impenſè timent: & iiſdem, aut grauioribus ſæpenumero affectibus agitantur. Tum conſcientia malarum cogitationum, ſcelerúmque admiſſorum iuſtiſſima vltrix acerrimam de improbis mentibus quæſtionem habet: præſertim, ſi quæ in maioribus imperiis conſtitutæ populares ſuos tyrannica ſæuitia, atque acerbitate cruciarunt. Tum ſe omnium odiis exagitari, ad pœnam depoſci, aut poteſtate moueri paucis in fide perſeuerantibus non fruſtra ſuſpicantur. Interim dum grauiſſimè ægrotaret Ludouicus, & de eius vita omnes deſperarent, qui Regio conſilio præerant de tollendo iniquiſſimo tributo, quod Philippi Crepecordij ſuaſu ille indixerat, pleraque decreta ſanxerunt. Indictum id erat, vt mille, ac quingenti equites, peditum decem, foſſorum duo millia quingenti, ſtipendium annuum caperent, & nunquam à caſtris diſcederent; aut certè quum res poſceret, vt in caſtra coirent, ſemper parati eſſent: caſtra autem hac ratione inſtituit, munitiones iuſti exercitus capaces ex curribus, tabulatíſque extruendas curauit, quæ antiqui Romanorum militum valli loco, aut forte validiores eſſent. Et vero Carolus Burgundio exercitum curribus, qui impedimenta portabant, cingere ſolitus erat, ad cuius exemplum has à Ludouico ædificatas volunt; & longè ante Carolum Flandri cinxiſſe eodem modo leguntur: papiliones, tentoria, cæteráque exercitui neceſſaria addidit. quoquouis circumuehi, & aggere, foſſáque non ſecus atque vrbes muniri, ac bombardarum impetum ſuſtinere poterant: eas Philippi Crepecordij ſtudio, induſtriáque confectas ad pontem Arquatum non longè à Lutetia explicari iuſſit, & valetudine inſtaurata rei nouitate motus inuiſit.

Carolus Ambaſianus.

Ambitionis effectus quinam ſint.

Exercituum cingendorũ vallandorumque ratio.

Anno 1482.

Ludouici recidiuus morbus.

Inde ad Turones profectus ad Mariæ Burgundæ mortem, quæ in annum huius ſæculi 14
octogeſimum ſecundum ineuntem incidit, nihil magnum geſſit: in morbum enim eundem intra annum vertentem recidit, & voce amiſſa quaſi deploratus, ac mortuus vnam, atque alteram horam in porticu iacuit: conualeſcens peregrinationem Claudianam, vt ad Claudij fanum vota ſolueret, ſuſcepit, ægréque id iter propter valetudinem tametſi magna ex parte ligeri vectus confecit. E Turonibus digrediens Philippum Cominæum aduerſus Philippum Sabaudum Breſſanum Comitem, Miolanium, Chambrœ́umque cum

Digitized by Google

iuſto equitatu miſit: quod Linſium Delphinatem Philberti Sabaudiæ reguli adhuc pupilli, necnon ſororis filij quaſi cuſtodem, ac curatorem à ſe datum in cuſtodiam tradidiſſent: quanquam & illis clam fauebat, & idcirco magna diſſimulatione omnia tranſigebat. Matiſconem vbi appullit Cominæus, facile cum Breſſano conuenit, & equitatum ad Ludouicum remiſit. Breſſanus Taurini agentem Sabaudum regulum Gratianopolim deduxit, quem Rothelinus Marchio Burgundiæ Mareſchallus, Cominæúſque Regis nomine honorificè exceperunt. Cominæum tamen ſtatim arceſſiuit Ludouicus eius opera in reconciliando ſibi Maximiliano vſurus, & magna tum forte ſeſe occaſio obtulerat: ex equo lapſa nuper è vita exceſſerat Maria Burgunda Philippo, ac Margarita liberis relictis: hanc Burgundæ familiæ germanam ſobolem, & moribus ſuauem, & vitæ integritate ſanctam matronam reuerebantur Burgundicæ prouinciæ, Maximilianum alienigenam adhuc adoleſcentem, nulla rerum experientia præditum, ac paucis admodum comitatum faſtidiebant. Nam Federicus pater mortalium omnium tenaciſſimus, nec puerum, nec adoleſcentiam ingreſſum Regio more educauerat, ſed nec marito vel in domeſticum quidem ſumptum pecuniam vllam ſuppeditabat, precariam quodammodo ab vxore accipere cogebatur. Hoc vnum illi maximè ſuam authoritatem conſeruabat, quod vxor Maria à ſuis mirandum in modum diligebatur, & prudens fœmina maritum vnicè diligebat: ea fato functa apud contumaces, ac leui de cauſa rebelles Maximilianus parum authoritate præſtabat, cogere Ludouico imminente non audebat. Illi omnia non ex Maximiliani, ſed ex trium ordinum arbitrio gerebant: ſed Gandauenſes, apud quos tot prouinciarum hæredes liberi educabantur, plus cæteris omnibus vni poterant. Hi natura ad ſeditiones procliues populari impetu plura, quam ratione, aut conſilio agitabant: & principis ſui imperia aſpernati paucis, qui ſtolidos ſuos impetus, quo vellent, deducere, aut moderari didicerant, facile parebant, quos ingenti mercede Ludouicus omnium gnarus redemerat.

Aëris temperies ad Turones gratiſſima.

15 Verum recidiuus morbus, & ad mortem prona corporis habitudo filij matrimonium inchoatum aliquantulum diſtulerunt, ad Turones enim vbi cœlum mite, ac ſalubris aëris temperies refocillatura afflictum videbatur, & alioqui regionis illius amœnitate plurimum delectabatur, corpore ſimul & animo æger ſe recepit. Suſpicioſus natura erat, malo principibus fere ingenito: ſed huc priuatæ quoque cauſæ ſibi male conſcium adigebant: patri ſi non veram (ſiquidem non tam ipſi, quam eius familiaribus attributam legimus) vulgo certe celebratam de ſe malam ſuſpicionem iniecerat. Hinc ille perpetuam, vnde mors conſequuta eſt, ſibi inediam imperauit, principibus Regiæ ſtirpis propemodum omnibus, cæteriſque Galliarum proceribus leuibus etiam de cauſis infeſtus fuerat, & mutuo odio ſe infeſtum quoque ſentiebat, ingenteis plebi extra ordinem tribus ordinibus non conſultis pecunias indixerat: nam veterem morem de conſulendis tribus Galliarum ordinibus pater Carolus antiquarat, vt ſecundo libro ſcripſimus: hic & multo plureis, & longè acerbius exegerat: vnde omnibus ſe iuxtà exoſum agnoſcebat. Itaque Pleſſiaca arce Turonibus ſuburbana veluti quodam carcere concluſus paucos in conſpectum, neminem ad hoſpitium admittebat: Quadringenti ſtipatores (quos vulgo ſagittarios equeſtres, Græci commodius hypotoxotas appellant) interdiu, noctúque mutuis vicibus ad portam, foſſáſque cuſtodias agebant: ferreis quoque cancellis, vnde veruta acuta emergebant, arcis vndique muros circummunierat, quatuor veluti ſpeculas ferreas addiderat: vnde ſagittarij in quoſuis ad portam nondum adapertam, foſſáſque accedenteis tela emitterent: præter domeſticos vnus Boiorum regulus eius gener intromittebatur, cæteri principes, aut militaribus muneribus functi viri nobiles haud admittebantur: ſed ne admitti quidem vel poſtulabant, vel poſtulare audebant. Illic cum paucis infimæ conditionis homunculis agebat, qui nulla de re niſi quæ ad regni conſeruationem, aut illius ipſius authoritatem ſtabiliendam pertineret, ad eum referebant, de cæteris omnibus negotiis nihil illi curæ erat. Horum dumtaxat colloquiis delectabatur, his ſuam quodammodo ſalutem credebat, qui ſi prudentes fuiſſent, quod illos fatum maneret, etiam tum augurari quoque potuiſſent. Iacobo Cocterio medico præter cæteros obnoxius, à quo maximè ſalutem ſuam pendere ſibi falſo perſuaſerat, in quinque menſeis quinquaginta quatuor nummûm aureorum millia numerauit, eiuſdem propinquos Ambianenſi Pontificatu, ampliſque ciuilibus muneribus donauit. Hic Regis timiditate, & ſua apud eundem authoritate abuſus non ferenda verborum licentia muſſantem, trepidantémque terrebat: [Scio me (aiebat) intra paucos dies quemadmodum, & cæteros tuos domeſticos relegatum iri: nec mihi de me pluſquam alij polliceor: ſed Deum Opt. Max.

Magna Iacobi Cocterij medici verborum licentia.

Max. teſtor te mox in octauum diem haud fore ſuperſtitem : naturam tuam longa experientia perdidici, integram in ætatis flore diu ſum expertus, vergentem ad ſenectutem huc vſque deduxi : quis alius, niſi te Deus deintegro ad adoleſcentiam reducat, eadem profiteri audebit? Medicinam experientia potius, quam doctrina artem fecit, naturæ arcana omnia fruſtra ſemidoctus aliquis iactabit : corpus incognitum curare nemo poteſt, noſcere autem, qui integrum, vegetúmque non vidit, quis poteſt? noua experimenta breui conſequutura mors vindicabit.] Ille ne mutire quidem auſus præſentem verborum blanditiis, doniſque ingentibus placare contendebat, de abſente apud familiares grauiter querebatur : nec hominem à ſe amandare audebat. tanta iam non Regium, ſed ſeruilem, abiectúmque animum vitæ cupiditas ſibi mancipauerat! Nec tamen in vno medico ſalutem collocabat : ſed, ne quid inexpertum relinqueret (quandoquidem humana auxilia deficere videbantur) ad diuina etiam, vt variè eius animus agitabatur, interdum confugiendum putabat. Virgines Deo ſacras ſpectatæ probitatis, homines ſanctitate celebres Turones conuocauit, quorum ſacroſanctis precibus vitam longius aliquantò duceret, qúmque illi animo eius perpetuam beatitatem, corpori proſperam valetudinem precari, & à Deo Opt. Max. diuiſque depoſcere dicerentur, de corpore dumtaxat ſollicitos eſſe iuſſit : Deum, diuóſque multis poſtulatis non eſſe obruendos: vt hominem vel tum deliraſſe, vel de religione non digna ſenſiſſe coniectura ſit : Franciſcum Calabrum ſolitariam vitæ rationem ſequutum, qui duodecim annos natus (vt fertur) ſpecum rupi ſubiectum perpetuum ſibi domicilium delegerat, accerſiuit, & in eius gratiam Franciſcinorum heremitarum (ſic enim vocabant) monaſterium in Pleſſiaco ſepto condidit. Hic nullis litteris præditus, & cum hominibus rariſſimè verſatus, ſiue naturali prudentia, ſiue ab aliis monitus Calabria excedere, niſi Regis Neapolitani, in cuius ditione erat, ac Summi Pontificis impetrata abeundi facultate noluit. Inde in magno honore ab vtroque habitus Gallis rumore diuulgato admirationi fuit, tametſi Regis ſuperſtitionem nonnulli interim deridebant. eadem ſuperſtitione, & vitæ propagandæ cupiditate immenſas largitiones in varia monaſteria, cæteráſque ædes ſacras effudit, quæ paulopoſt vita functo trium ordinum conuentu in Turonibus habito vniuerſæ reuocatæ fuerunt. Quidam, vt morbo vrgenti mederetur, infantium ſanguinem, ſed penes authores fides ſit, hauſiſſe ſcripſerunt : muſicos præterea omnis generis, quos centum & viginti numeratos produnt, nec ſolum celebres, & artis peritos, ſed ruſticos etiam circum ſe habuit, qui languentem interdum, & graui ſopore depreſſum excitarent.

Gallia dira peſte infecta.

Sed interim dum Ludouicus de vita cum natura colluctatur, & opem vndique conquirit, Galliam repente dira peſtis inuaſit : ingens fames ſuperiore anno præſertim in Lugdunenſi, Aruerno, Boióque agro, ſed & aliis aliquot regionibus præceſſerat; peſtis tota fere Gallia graſſata eſt, quæ non multum ab illa Athenienſium, cuius meminit Thucydides, diuerſa videri poteſt : non ex fame, ſed ex aëris intemperie manaſſe illud indicio eſt, quod opulenti iuxta, atque inopes, nobiles pariter, & ignobiles, viri, ac fœminæ ea lue corripiebantur : incendebat cerebrum phrenitis ardens, miſeriſque furorem rabioſum inuehebat, alij truculentos clamores, alij miſerabiles eiulatus edebant, alij canum more horrendum quiddam, ac terrificum vlulabant : in fluuios alij, alij in puteos, alij ſe ex tectis præcipites dabant. Eo morbo periere Bituricenſis, Narbonenſis, Lemouicenſis Pontifices : Carolus Gaucurtius Lutetiæ prætor, & animi, & corporis dotibus nemini ſuæ ætatis ſecundus, Ioannes Bolengerius Pariſienſis Senatus princeps, aliíque Senatores permulti, atque cauſidici, cauſidicorúmque iuriſprudentiſſimus Nicolaus Batalla : vt de aliis viris honoratis taceam, quos fere innumerabiles huc congerere hiſtoriæ ratio non permittit. Sic peſte Conſtantinopolitana ægroti mente moti ſe ab aliis cæſos opinabantur : ſic Florentinæ virgines nulla, quam quis ſuſpicari poſſet, de cauſa ſeſe in puteos aliquando coniecerunt : nec ea prius cohiberi potuit inſania, quàm merſarum nuda cadauera tota vrbe vnco tracta ſuperſtitibus cæteris pudorem inferrent: quod remedium à viris prudentibus excogitatum pudorem plus interdum, quam formidabilem aliis mortis metum poſſe declarauit. Ea eſt fortunæ veluti tyrannis, qua miſeris mortalibus nonnunquam immaniter inſultat : nec ſolum in corpora, ſed & in animos ius ſibi vendicare conatur. Hinc illa medicorum placita confirmari videntur, quibus animos corporum temperamentum multis ex partibus ſequi, & ex eorundem diuerſis affectionibus variè pariter affici prodiderunt. Sub æſtatis finem non magnum numero, ſed viribus firmum exercitum Ludouicus in Belgium Philippo Crepecordio duce miſit : cataphracti equites mille quadringenti inerant, cum ſuis hyppotoxotis, Heluetiorum 16

peditum

Digitized by Google

peditum ſex, Gallorum haſtatorum octo millia ſequebantur: hi Aeriam ad Liſam fluuium ſitam, quo à Flandris Atrebates dirimuntur, oppugnarunt. Contranus Bureni præfecti abſentis legatus, vel metu, vel quæſtu inductus vrbem paucis poſt diebus dedidit, & triginta nummûm aureorum millia, ac centenariam cataphractorum equitum alam proditionis præmium accepit.

17 Interim ab arce Pleſſiaca Rex non diſcedebat tam extenuato corpore marcidus, vt vix agnoſci poſſet: laruam, aut cadauer potius, quam hominem diceres: in arcem neminem, ſed ne in vrbem quidem, de quo aliquid ſuſpicaretur, admittebat: quinetiam inde migrare ſtatim iubebat: morbum, malámque corporis habitudinem vulgari antea vti ſolitus pretioſa admodum veſte auguſtior tegebat: ſuppliciis atrocioribus quoſdam puniebat, magiſtratus, muneráque ciuilia aliis viciſſim, atque aliis mandabat, milites exauthorabat, penſiones pecuniarum annuas, vel imminuebat, vel penitus inducebat: & inter domeſticos ex his mutationibus magnam ſe voluptatem capere iactabat. Ferreas ſuppliciorum, ligneáſque arculas hominis, & nonnihil amplius capaces extruendas curauerat, quarum architectus, aut certè inuentor Virdunenſis Pontifex Perilli exemplo in primam coniectus continuos quatuordecim annos ibidem exegit. Et quod magis mirum eſt, viros nobiles bello captos in eaſdem concludebat, quorum pleroſque magnis poſtea honoribus ornauit, Gruturium, Pienúmque Belgas, Vergerium Burgundum, Iacobum Lucebburgenſem equitum magiſtri fratrem, inde egreſſos omni liberalitate proſequutus centenariis, vel quinquagenariis cataphractorum equitum alis donauit. In Hiſpaniam & Britanniam qui canes; in Siciliam, qui mulam aliquam inſignem; Neapolim, qui ſtrenuos equos emerent, & pluris quidem, quam iudicarentur, mittebat. belluas etiam hactenus incognitas comparabat: ex Æthiopia leones vulpibus haud maiores, quos aduſios appellabant: ex Dania hellas corpore ceruum repræſentantes, magnitudine tamen ſuperantes, ſed breuibus, craſſiſque cornibus diſſimiles: & ex damarum genere rengerios (ſic enim vocabant) nam quod ab Hiſtoricis plane deſcripti non ſunt, vel olim fortaſſe ignorati ſunt, idcirco Latina vel Græca nomina reddere non poſſumus: poſtremas duas belluas nouem Germanicorum florenorum millibus redemit: &, quum ad ſe adductæ eſſent, vix ſpectare, aut emptores alloqui dignatus eſt. Hæc autem vel ad tuendam authoritatem, vel ad valetudinem diſſimulandam excogitarat, pluréſque adeo de ſe rumores ægrotus, quam vigens, valénſque ſpargebat. Nec fruſtra omnino in has ſuſpiciones venerat, nam quod non ſatis ſui compos videbatur, & de maioribus negotiis nihil expediebatur, ex Regiæ ſtirpis principibus, cæteriſque proceribus nonnulli de adeunda arce Pleſſiaca, & regni adminiſtratione occupanda Regem haud ſanæ mentis eſſe cauſati ſermones contulerunt: nec tamen aggredi auſi ſunt, tantum ſui terrorem inualidus, & pene ſemimortuus etiam fortibus viris iniecerat. Aeria capta Belgæ conturbati (tametſi enim principum ſuorum vires imminutas cupiebant, tamen Regem Galliarum potentiſſimum Flandriæ imminentem haud æquo animo cernebant) trium ordinum conuentum ad vrbem Inſulam indixerunt: vbi omnes Belgicæ prouinciæ Burgundicæque ditionis de ſtabilienda cum Ludouico pace, contrahendóque Caroli Galliarum Delphini cum Margarita Flandrica Maximiliani & Mariæ Burgundæ filia matrimonio conſultarunt: affuit vna & ipſe Maximilianus à ſuis quodammodo coactus, nam ab hoc matrimonio mirandum in modum abhorrebat: ſed & adhuc adoleſcens, & mortua vxore prope nullius apud Belgas authoritatis, & viris rerum gerendarum experientia præditis haud comitatus (nam Burgundicæ familiæ domeſtici illuſtriores maiora negotia tractare ſoliti vel è vita exceſſerant, vel ad Regem Ludouicum defecerant) ipſe autem à patre nullos huiuſce notæ acceperat, populari impetu huc aut illuc facilè traducebatur. Ibi Gandauenſes, in quorum poteſtate pupilli Belgij, Burgundiæque hæredes erant, & plus ſibi authoritatis, quam cæteri vendicabant, pleraque præter illius voluntatem deſignarunt: quoſdam exilio mulctarunt, alios è Philippi filij familia expulerunt: inuitum denique huic matrimonio publicam vtilitatem prætendentes aſſentiri coegerunt.

Rex morbū ſuum omni ope diſſimulare ſtudet.

Principibus ſuis etiam ſemimortuus terrori eſt.

18 His ita pertractatis Flandrici, Brabantini, Hannonianíque legati trium ordinum decreta deferentes ad Ludouicū acceſſerunt, ſed in his primas parteis Gandauenſes obtinebant: Maximiliani nomine Ioannes Brugenſis, ac Balduinus Launoius adoleſcentes, quemadmodum & ipſe, atque huiuſmodi negotiorum inſolentes vna affuerunt: facilè quidem de omnibus capitibus cum Rege conuenerunt, cumulatè enim Regiis poſtulatis ſatisfaciebant, & plura etiam quam ſperauerat, vltro condonabant: ſed propter vrgentem eius inualetudinem rem adhuc in aliud tempus diſtulerunt. Alterum dumtaxat

Digitized by Google

non ita pridem vel Burgundicum, vel Atrebatenſem Comitatum in dotem Rex depoſcebat, Gandauenſes vtrumque tribuebant: Carcellenſem, Mariſconenſem, Antiſſiodorenſem addebant. Quod ſi Hannonianum, Namurianúmque ſuperaddere auſi fuiſſent, lubentiſſimè quidem, vt principis ſui vires magis infringerent, niſi pudor quidam obſtitiſſet, doti eoſdem quoque addixiſſent. Quid Flandria, Brabantia, cæteræque Burgundicæ prouinciæ Atrebatibus ſui iuris factis poſſent, Rex prudentiſſimus intelligebat: fertiliſſima enim Atrebatenſis regio eſt, & pleriſque vrbibus, arcibúſque munitiſſima, vnde equitatum, peditatúmque in bella expeditiſſimum in promptu haberet: quinetiam in cæteras perfacilem aditum præbebat; vt, ſiquid nouarum rerum molirentur, in prædam continuo paterent, ac nullo fere negotio cohiberi poſſent, aut victoris etiam imperium ſequi cogerentur. Maximiliano itaque infirmam, nec niſi ex Gandauenſium arbitrio eidem parentem Burgundici patrimonij portionem relinquebat: neque vero id Maximilianus ignorabat, ſed omnium rerum inops, & à pecunia prorſus imparatus aduerſus trium ordinũ conſenſum moliri quicquam, ne vniuerſa pariter Burgũdica ditione excluderetur, non audebat: moleſtum hoc illi matrimonium erat, ſed Eduardo Anglorum Regi vxorique longè moleſtius: pactas fœdere Piquiniaco filiæ natu maioris cũ Carolo Delphino, ſperatáſque nuptias irritas videbant, quas ſupra quam dici poſſit, expetiuerant. Et Luceburgenſis equitum magiſter, & Britannus, & Angli plerique interim dum fœdus illud adhuc pertractaretur, Ludouicum haud promiſſis ſtaturum prędixerant: quinetiam non ita dudum, quum in Atrebates aduerſus patre orbam Mariam Burgundam idem Rex inuaderet, Angli, Britannúſque deintegro eandem cantilenã Eduardo ſurdo cecinerant: nuſquam id ille, vxórue credere, aut in animum inducere potuerunt, tametſi Eduardum nonnulli non tam imprudẽtia, quam auaritia, & recipiendæ annuæ penſionis cupiditate peccaſſe exiſtimarunt. At tum de nuptiis, & de penſione in poſterum dependenda prorſus deſperare cogebatur: hinc animo ægrum ſubibat pudor, vel quod à Ludouico circumſcriptus, illuſúſque eſſet, vel quod ſanis ſuorum conſiliis in tempore vſus nõ fuiſſet, quum à fœdere Piquiniaco incautum auertere tentabant, aut quum Mariæ Burgundæ affini opem ferre ſuadebant, præclaras hoſtis vlciſcendi amiſſas occaſiones: tum enim humilem, & non ſolum hoſteis, ſed etiam ſuos vbique coniuranteis metuentem ad quaſuis conditiones inducere potuiſſet: nunc Eduardi ſocordia Burgundicis prouinciis auctum in tantam potentiam euaſiſſe, vt non ſolum Anglis, verum etiam finitimis omnibus formidabilis eſſe videretur.

Anno 1483. Eduardi IV. Angliæ Regis mors.

Præterea ne apud ſuos in contemptum veniret, atque aliqua inde ſeditio ſuboriretur, metuebat, Liceſtrianos nondum penitus extinctos paruis momentis apud Anglos regna transferri: dolore confectus in morbum incidit, ac menſe Aprili anno eius ſæculi octogeſimo tertio è vita exceſſit. Quidam ſtupore corporis attonitum quam apoplexiam vocant, alij veneno ſublatum putant: vtcumque ſit, morbum ex animi ægritudine manaſſe conſtans fama tum fuit. Clarencianum regulum fratrem regni affectati, vel compertum, vel ſuſpectum, aut (vt alij tradunt) quod Margaritæ ſorori Burgundionis viduæ præter Eduardi voluntatem opem ferre decreuerat, immani ſupplicio, niſi communis mater ſuis precibus obſtitiſſet, mactare decreuerat: accepta mortis optione in vini dolium immerſus Clarencianus vitam finiit, cuius opera venenum vino generoſo mixtum Eduardo propinatum ſit (ſi tamen propinatum fuit) non proditur; Gloceſtrenſis certe regulus alter eius frater, quem poſtea Ricardum appellarunt, Eduardo mortuo Angliæ regnum ſtatim occupauit cæſis fratris duobus filiis, quorum maiorem natu paucis ante diebus ſacramento ſanctiore ſeſe deuinciens Regem agnouerat: Londinum quaſi regia corona ornaturus deduxerat, vt fratrem iuniorem, qui vnà cum matre Londinenſi aſylo ſe tuebatur, educeret; vt duæ eorundem germanæ ſorores in celebri trium ordinum conuentu nothæ pronuntiarentur perfecit, Eduardi domeſticos, quotquot comprehendere potuit, occidit: tyrannicam impietatem promouit, ſcelereque ardentem impulit Baſſenſis Pontificis Angli inſignis vanitas, atque effrenata ſeſe vlciſcendi libido, quæ furenti, cauſámque quærenti ſi non iuſtam, at aliquam certè præbuit. Fuerat Eduardo Pontifex aliquando familiaris, mox ab eodem in cuſtodiam traditus magna ſeſe pecunia redemerat: viginti, aut amplius anni interceſſerant, quibus acceptam iniuriam concoquens vltionem in id tempus diſtulerat: adoleſcentem Eduardum nobilis virginis amore captum, quum de potiunda aliter deſperaret, clã apud ſe ſponſalia feciſſe mentitus eſt: potitum virginem contempſiſſe, aliam vxorem duxiſſe, ex hac mox quatuor, quorum mentionem fecimus, liberos ſuſcepiſſe. Hac vana delatione virgines cum hæreditario regno excluſæ fuerunt: nec gratis hanc fabulam, ſiue potius tragœdiam

Digitized by Google

tragœdiam commentus erat facinoroſus Pontifex : filium habebat ſibi in primis charum, cui alterius exhæredatarum virginum Ricardus nuptias paterni ſceleris præmium pactus erat : verum dignas impiis pœnas fere ſemper diuina prouidentia reſeruat. Qui modo regias virgines ambiebat, & auguſtius ſua ſorte matrimonium ſibi deſpondebat, paucis poſt menſibus captiuus Lutetiam deductus, atque in carcerem detruſus pædore, mœrore, fame conſumptus eſt.

Diuinæ prouidentiæ exempla manifeſta.

20 Ricardus quoque ſui parricidij haud ſeras dedit: nã quum noua, ac per ſcelus parta potentia in tantum quantum vix vllus antea Angliæ Rex faſtum euaſiſſet, humilem, exulem, omnium rerum inopem illi hoſtem Deus Opt. Max. ſuſcitauit qui ſuperbientem, ſeſéque arrogantius efferentem ex illo faſtigio deturbaret, atque abiectum ignominioſa morte mulctaret. Fuit is Henricus Liceſtrianus Comes Ricemontenſis, quinquennis puellus propter factiones ſublatus, ac clam educatus : deinde adoleſcens quum ex Anglia fugiens in Galliam tranſmitteret, tempeſtate in minorem Britanniam delatus, ibi totos quindecim annos in cuſtodia, ſed liberaliter habitus Eduardo mortuo ad regnum Angliæ capeſſendum hortante Franciſco Britanniæ regulo, naueíſque, & militem ſuppeditante in Angliam traiecit. Primo conatu irrito in Britanniam reuerſus, inde ad Carolum huius nominis Octauum Galliarum Regem ſe contulit : tribus, aut quatuor peditum millibus, item nauibus, & aliquanta pecunia donatus in Angliam rediit; cui ſe cum ſex & viginti peditum millibus iunxit Stanleus ſocer. Obuium Ricardum acri prælio commiſſo cecidit, hoſteíſque ſuperauit, atque in ipſo certaminis campo victor aſſumpta Ricardi corona Rex ſalutatus eſt. Quis hæc certa diuinæ prouidentiæ exempla inficiari poteſt? Ita florentiſſimum antea Angliæ regnum, quod bonam Galliarum partem ſuperioribus annis poſſederat, inter duas Regias familias funeſta viciſſitudine iactatum, & nunc ex Liceſtrianis ad Eboracenſes, rurſum ex Eboracenſibus ad Liceſtrianos tranſlatum, ſuis viribus prope concidit: & paucis annis plus, quam multis ſæculis exteri hoſtes importarint, ſibi malorum conſciuit. Hic Ricardi crudeliſſimi tyranni exitus fuit: ad Ludouicum regni initio ſcripſit, legatóſque de amicitia cum Anglis continuanda miſit: ſed tot parricidiorum reum auerſatus Ludouicus neque litteras accipere, neque legatos audire ſuſtinuit; imo vero ſtatim Gallia excedere compulit.

21 Iam dudum Carolum filium decimum quartum annum nuper ingreſſum Ludouicus non viderat, quem veluti in cuſtodiam traditum Ambaſiæ educandum curabat, & vel propter incertam pueri valetudinem, vel propter innatam ſibi ſuſpicionem rarò, & à paucis, nec niſi ſuo mandato conueniri volebat. Meminerat anno ſuæ ætatis decimo ſeptimo Borbonium, Alenconiúmque regulos, ac nonnullos alios aduerſus Carolum patrem conſpiraſſe; eique, vt regni adminiſtrationem ſuſciperet, ſuaſiſſe: credulum Lochiis ſe ſubduxiſſe, & Molinas vna cum illis profectum tentaſſe num res ex voto ſuccederet: cæterum viribus inferiorem Philippo Burgundio connitente in gratiam cum patre rediiſſe. Idem ne ſibi eueniret, metuens, perpaucos in filij conſpectum admitti, aut vna colloqui ſinebat: tum vrgente valetudine, ac quadam neceſſitate adductus, ne ſe perpetuo chariſſimi filij conſpectu mors repentina priuaret, ſub Octobrem Ambaſiam delatus Carolum in hæc verba poſtremum alloquutus eſt: [Diuturnus morbus, ac perdita valetudo, quæ mortem mihi in dies minatur, & tua infirma ætas cuius iniuriæ opportuna me hortantur fili optime, animóque meo gratiſſime, vt tecum pauca, antequam vita excedam paterna charitate cõmunicem. Quo enim maiorem paterni regni hæreditatem expectas, & in altiore rerum faſtigio propemodum es collocatus, eo tibi, ne grauius cadas, magis pertimeſcendum eſt: recentia habes exempla, eaque haud remota. Quid Eduardi Angliæ Regis liberis nuper acciderit, nemo non nouit : quapropter poſtremam hanc vocem, qua te breui hinc migraturus affari decreui, tanquam cœleſte quoddam oraculum ſuſcipe : etenim quo propius à morte abſum, eo magis animo corporis vinculis fere ſoluto futura proſpicere, ac meditari mihi videor. Et longa experientia inter aduerſas, proſperáſque res diu iactata, prudentiam augere potuit : qua te eandem, quam iam confeci viam, ingreſſurum manuducere, & greſſus tuos propter ætatem ancipites ne labantur, aut in tranſuerſum agantur, dirigere poſſim. Illud in primis te conteſtor, atque obteſtor, ne quid temere innoues, ne quemquam magiſtratu, ſuóue munere militari, ciuilíque moueas. Hic tibi exemplo eſſe poſſum, qui triginta octo annos natus regni initio Regiæ ſtirpis, alióſque principes dedignatus, ſtrenuóſque duces aſpernatus, quorum forti opera Carolus pater Normaniam, atque Aquitaniam ab Anglis receperat, exauthoraui, mihi bellum exitiale peperi: merito irritatos placare vix potui; ad infimas, indigniſſimáſque conditiones

Ludouici Regis ad Carolum filiũ poſtrema oratio.

deſcendi regno prope ſpoliatus. Et quanquam, vt eoſdem mihi reconciliarem, ſedulo laboraui; tamen hactenus ſollicitam, & primis illis malis obnoxiam vitam egi longa pœnitentia errati veniam haud prorſus conſequutus: nec vero ſolum, vt illuſtriores maiorum prouinciarum regulos, viros militares, ac deuotam Regibus nobilitatem, ſed vt inferiores quoque ordines, ipſámque adeo plebem tibi concilies laborandum eſt. Id fiet, ſi & illis non nimis largiendo, & ab iſtis nõ nimis exigendo te pariter omnibus æquum præſtabis: æquitate regna creſcunt, atque confirmantur: tyrannica imperia cito dilabuntur, ac ruunt: Regem ex bono & æquo imperantem non ſolum ſui, vt cõmunem parentem amant, colunt, venerantur, ſed finitimi quoque ſibi aſciſcere cupiunt, ſeque ſponte ſubdunt: tyrannum, vt cõmunem hoſtem, etſi metu interdum diſſimulant, omnes pariter execrantur. Scio me & hic grauiter deliquiſſe, atque ingentẽ in bella pecuniam præter ius, & æquũ ſæpenumero nõ conſultis tribus ordinibus paterna licentia indixiſſe: verum ſi me ſuperſtitẽ aliquot adhuc menſeis Deus. Opt. Max. cõſeruabit, huic malo etiam mederi, tributáque ex equitum ſtipendiis metiri, atque vtraque veteri more exæquare, ne quicquam amplius exigatur, deſtinaui. idque me facturũ recipio, ac coram te, omnibúſque quotquot hic adſunt, perſanctè profiteor: liberorum autem eſt parentum virtutes æmulari, peccata ſempiterna obliuione ſepelire: vt finitimorum, Maximiliani vero in primis, quicum mihi continua prope bella fuerunt, amicitia fruaris, præſertim quoad ad maturam ætatem perueneris. Margaritam eiuſdem filiam amplarum prouinciarum hæredem, vxorem tibi delegi, vt hoc matrimonium tibi, patriæque fœlix, ac fauſtum ſit, Deus faxit: mihi certe commodius vel ad pacem alendam, vel ad regni propagationem amplificandam nullum hactenus occurrit. Maria Burgunda mater præſtantiſſima fœmina tibi collocari potuit, vti ſermones aliquando vltro, citróque habiti fuerunt: ſed à tam grandi virgine, quæ annis tredecim & aliquot menſibus natu maior eſſet, tenera tua ætas videbatur aliena. Quibus autem conſiliariis in regni adminiſtratione vtaris plurimum vtique refert, nouos homines ne aſciſcito, multo vero minus adoleſcenteis: Regij conſilij principem vel affinitate vel hominis integritate motus Petrum Borbonium ſororis virum legito, qui vicem tuam, ſi quando opus erit, ſubeat, & huius tuæ ætatis infirmitatem ſua prudentia, conſtantiáque moderetur: hic te, niſi me ipſe fallo, haudquaquam fallet, quin potius fidam tibi operam nauabit. Philippi Crepecordij in re militari fortitudinem, induſtriam, fidem ſæpius ſum expertus, quicum paucos mea ſententia comparare potes: eo tu vbique, ſed in rebus præſertim Belgicis vtitor: non deſunt alij & animi magnitudine, & ſingulari prudentia celebres duces, ſed quibus potiſſimum fidere debe[illegible], tibi nominatos puta. Matrem habes optimam fœminam, ſed Sabaudam natura ſua ad factionem Burgundicam propenſam, huic tu nimiam fidem interdum ne adhibeto. Supereſt, vt domeſticos tibi commendem, Bochagium in primis Cominæum, ac Potium homines prudenteis, & tua familiaritate dignos. Oliuarium quoque Damam, ac Doiacum inferioris ordinis, ſed mihi chariſſimos tibi commendo, ſi non ſuo merito, at certè meo, cui omnia debes, commendabiles. illi vitæ diuturnitatem acceptam fero, hunc ſemper obſequentiſſimum ſum expertus, vt liberos domeſticis tuis vſuros optas, ita paternis vtitor.

Hoc ſermone habito ad arcem Pleſſiacam rediit, totóque hoc menſe, ac Nouembri proximo legationibus de filij matrimonio mittendis, audiendiſque operam dedit. Tertio nonas Ianuar. anno eius ſæculi octogeſimo tertio Lutetiam appulit perhonorifica Belgarum legatio, inde Ambaſiam ad Carolum Delphinum, mox Turones ad Regem ipſum profecta. Extrema tum valetudine Rex erat, idcirco capita de Caroli filij, Margaritæque Flandricæ matrimonio oblata quamuis in rem ſuam concepta, ſcriptáque iureiurando ſancire, ne ſe multis conſpiciendum præberet, differebat: vicit tamen vtilitas, & coram legatis rata habuit, atque ſe in poſterum habiturum ſacramento ſanctiore deuinxit: quæ inter redeundum Senatus Pariſienſis authoritate confirmanda, ac Lutetiæ publice edenda legati curarunt. Reuerſis in Flandriam legatis, & quæ ad futuras nuptias pertinebant, comparatis, ſub Aprilem magno comitatu Hiſdinum Margarita deducta eſt: trimulam quidam, alij bimulam tum fuiſſe ſcribunt; quam ſi deducentibus Maximilianus pater eripere potuiſſet, libentiſſimè nimirum virginem abduxiſſet, ſed nullum illi in liberos ius erat. Rouaſtenius Cliuienſis reguli frater, cui Philippi, Rauaſtenij vxor Philippi Burgundionis notha filia, cui Margaritæ cura commiſſa erat, cum Gandauenſibus ſentiebant: Gandauenſes trium ordinum nomine & pupillos, & Burgundicas prouincias adminiſtrabant. Venientem excepit Crepecordius Picardiæ prætor: Eodem paulopoſt Petrus Boiorum regulus Ludouici gener, atque Anna vxor appulerunt,

& magna

Digitized by Google

& magna virorum, matronarúmque nobilium frequentia comitati Lutetiam, inde Ambaſiam ad Carolum Delphinum puellam adduxerunt, vbi menſe Iulio conuocatis principibus, maiorúmque prouinciarum regulis, atque ex tribus ordinibus viris primariis, vt non ſolum parentum, ſed publico Galliæ, Flandriæque conſenſu contrahi viderentur, nuptiæ Regio luxu celebratæ fuerunt. Haud dudum omneis fere, præſertim quorum maior eminebat authoritas, ſuſpectos Rex habere cœperat: filium, qui illi vnicus, necdum pubes erat, Annam filiam, quæ mulierum ſui temporis pulcherrima, caſtiſſimáque ſua prudentia ſe omni ſuſpicione liberare poterat, Petrum Borbonium mox Boiorum regulum Annæ virum prudentem, ac moderatum principem: Hic fortè, vnáque Dunenſis Comes Burgundicos legatos è nuptiis in Flandriam redeunteis Lutetiam vſque honoris ergo reduxerant: ad Turones reuerſi ſatis magno comitatu arcem Pleſſiacam ingreſſi ſunt, ſpectabat è porticu, atque ingredienteis obſeruabat Ludouicus, & introeuntium multitudine offenſus, ſtipatorum præfecto, vt quaſi ludens inter amplexus ſcrutaretur, num veſte arma tegerent, præcepit. Quamuis autem nulla latere didiciſſet, nondum tamen ſuſpicione liberatus conſilium quod in arce eius mandato Borbonius gener habere ſolebat, interrupit: ſic immoderatos mortalium affectus eodem pœnæ genere diuina prouidentia fere vlciſcitur, vt qui ab omnibus timeri ſemper optarit, omneis viciſſim etiam coniunctiſſimos, ac chariſſimos tandem timere cogeretur. Celebratis nuptiis Gallia ſolida pace frui videbatur, Angli domeſticis ſeditionibus intenti moliri quicquam nec poterant, nec audebant: & fœdus cum Eduardo ictum hactenus inuiolatum manebat, quo Britanno etiam cautum erat: Gallicus tamen equitatus in Britanniæ finibus collocatus, regulum ſuſpenſum tenebat. Ferdinandus Tarraconenſis non ita pridem Caſtulonenſi regno quaſi Iſabellæ vxori hæreditario eiecta Henrici filia potiebatur, & omnia domi pacare, ac finitimos ſibi conciliare potius, quam externos laceſſere ſtudebat. Tum Ruſcinonenſis Comitatus à Ioanne patre Ludouico oppigneratus, magníſque Gallorum præſidiis munitus anxium terrebat: facilis inde in Hiſpanias aditus patebat. Federicus Imperator, Luſitanus, Scotuſque Reges affines, amicíque erant; perinde, atque Italici prope omnes principes, quod ille nunquam ad res Italicas animum adiecerat, illius amicitiam paſſim expetebant, & tum aduerſus Venetos Ferrariam magnis viribus oppugnanteis ſocietatem coierant, atque in armis erant. Heluetij, & regni Nauarrici bona pars illi non ſecus, ac Galli fere parebant: Galli autem plus fortaſſe, quam Regi æquum erat, obtemperabant: metu enim potius, quam ingenito erga ſuos Reges amore tum eius imperia ſubibant.

Nuptiæ inter Carolum Delphinū & Margaritam Flandricam celebratæ.

23 Ad eundem Sixtus Quartus Pontifex Maximus lineum linteolum, ſuper quo Petrus ſacras Lithurgias facere conſueuerat, & ſanctorum Chriſtianæ profeſſionis conditorum reliquias pleraſque miſit: miſit & legationem Turca Baiazetes, quotquot Conſtantinopoli aſſeruabantur, diuorum item reliquias (vt Chriſtiani loquimur) hæ autem pene innumerabiles erant, atque ingentem præterea pecuniam pollicitus modo Gemen fratrem à Rhodiis equitibus in turrim Burgonouanam inter Lemouices, Boióſque concluſum diligenter cuſtodiendum curaret. Tantam non ſolum apud ſuos, ſed etiam apud exteras nationes authoritatem nactus erat, vt ſeſe omnes prope ſemimortuo ſummitterent: Turcicam legationem in prouinciam Narbonenſem appulſam haud vltra progredi, ſed Gallia ſtatim excedere animo verè Chriſtiano iuſſit, atque inauditam dimiſit: nihil ſibi cum immani tyranno Chriſtiani nominis acerrimo hoſte commune habendum ratus, quem vtinam deinceps cæteri Galliarum Reges imitati fuiſſent: nec ipſa communicatione Barbaros mores imitari, aut poſteris ſuis imitandos proponere didiciſſent. Regi itaque tam potenti, finitimis tam vel formidabili vel amico ſola valetudo deerat, quam ſi illi Deus Optimus Maximus integram conſeruaſſet, regnum quod ætate florens, vigénſque multum exinaniuerat, ſenex nimirum facile inſtauraſſet: controuerſias ciuiles, liteſque non amplius Latinè, vt tum ſolebant, ſed vulgari ſermone explicari, modúmque iiſdem imponere cupiebat. At quot, quantæque poſtea excreuerunt, & regnum forenſe, aut rabularum potius tyrannidem auxerunt! nulla natio neque Chriſtiana, neque Barbara tam crudeliter circulatoriis hiſce rapinis perinde, ac Gallia vexatur: hinc tertia propemodum noſtrorum hominum pars victitat, hoc eſt, vt vere dicam, rapto victum quærit. Quid, quod non ita pridem, vt nihil ad perturbandum ciuilem ſtatum deeſſet, latrocinium iſtud etiam venale fecerunt, & nullos niſi qui iudicandi poteſtatem redemerint, vt miſeris litigatoribus charius vēdant, iudices dare occœperunt? hoc eſt, non iudices, ſed litium caupones crearūt, quod nondum quod ſciam in cæteris nationibus vſurpatū eſt.

Ludouicus Turcarum legatos audire renuit.

Controuerſiæ ciuiles vulgari ſermone explicari captæ.

Iſtam miſeræ Galliæ calamitatem vti & cæteras pleraſque lugere poſſumus: in ordinem redactum, aut in melius commutatum iri, niſi aliam ij, qui rerum potiuntur, mentem induerint, vix ſperare poſſumus. Præterea quum vnicuique prouinciæ ſuum ius municipale ſit, idem omnibus conſtituere, eaſdem vbique leges præfigere, eaſdem ponderum, vlnarum, frumenti menſuras præſcribere, atque in volumen Gallicè ſcriptum redigere, vt cauſidicis litigandi occaſiones præciderentur, idem Rex in animo habebat: quæ omnia ad ciuilem vſum accommodata ſi præſtitiſſet, magnam in poſterum tranquillitatem promittebant.

Hæc, atque alia huiuſmodi cogitantem morbus deintegro ſeptimo Kal. Septemb. in- 24
tercepit: vacillantem quemadmodum & antea vox interclusa defecit: ea recuperata viribus exhauſtus mortem inſtare ſibi perſuaſit, Borbonium generum accerſiuit: huic Regis filij (ſic enim vocabat) curam, & regni adminiſtrationem credidit, & cum mandatis Ambaſiani miſit, bonam aulici comitatus partem ſequi iuſſit. Quæ fuerint mandata non explicat Cominæus, cæteri prorſus tacent: magni ponderis indicat, dum & vniuerſæ Galliæ, & priuatim ipſi Borbonio, ſi quidem rite obſeruata fuiſſent, mirandum in modum profutura adiicit. His dimiſſis non tamen omnino de vita deſperabat, in Cocterio medico iam non magnam, in Franciſco Calabro, cuius ſupra mentionem fecimus, ſpem prope omnem collocabat: ad illum ſæpè mittebat, addens in eius poteſtate eſſe, vt vitam ſibi proferret. Quapropter iis, qui tum plurimum apud illum poterant, & nonnullis Theologis viſum eſt, vt admoneretur, de eius vita iam actum eſſe: proinde alteram illam meditaretur, quæ nullis temporum ſpatiis circumſcripta mortales vel perpetua fœlicitate beatiſſimos, vel æternis ſuppliciis miſerrimos excipit. Eam prouinciam Oliuarius Dama, atque alij quidam eiuſdem ordinis homines noui paucis ante annis ab eodem ad magnas opes, honoréſque euecti ſuſceperunt, & nulla adhibita præfatione mortem illi inſtare denuntiarunt. Quapropter vel in Franciſci ſanctitate, vel in Cocterij medica arte ſperare deſineret, in ſola Dei benignitate ſpem potius collocaret: ſe non ita fortaſſe, vt illi putarent, malè habere reſpondit, ſperare Deum Opt. Max. ſibi propitium fore: illos tamen officio ſatisfacere, quod ſe in tanto diſcrimine conſtitutum amicè admonerent. Quam vero acerbus, triſtíſque is illi nuntius fuit, nemo vnquam mortem magis exhorruit, nemo ad vitàm proferendam tot, tantáque vndique remedia conquiſiuit. Etuerò domeſticis iampridem edixerat, ne ſi ſibi extremum fati diem inſtare animaduerterent, atrox illud mortis nomen, quaſi infœlix nimis omen enuntiarent: quin potius, vt pauca loqueretur, & de profitendis more Chriſtiano, quas in vita admiſiſſet, noxis admonerent: ſe non ea eſſe animi conſtantia, quin ad terrificam mortis denuntiatæ, ac quaſi ſeſe vocantis vocem toto corpore, atque omnibus ſenſibus cohorrere, & quodammodo extra ſe eſſe cogeretur: proinde naturæ ſuæ parcerent, eamque innatæ ſuæ imbecillitati veniam darent. Sed vt duos ſummos viros extremo ſupplicio afficiendos curarat, Iacobum Armeniacum Nemorenſem regulum, ac Ludouicum Lucceburgenſem equitum magiſtrum, quibus præſcriptam intra paucas horas mortem denuntiari iuſſerat: ſic diuinà fortaſſe vltione procurante eidem viciſſim, ſed non ita conſtanti, plenáque conſolationis oratione mors iamiam inſtare denuntiata eſt: ne quis imperio abuſus tyrannica acerbitate in ſuos ita ſæuiat, quin ſummum rerum omnium moderatorem iuſtum pariter vltorem extimeſcat. Alterius autem illorum cuius cauſam Dariolo Cancellario, ac nonnullis Pariſienſibus Senatoribus diiudicandam commiſerat, ac damnare recuſantes Senatu mouerat, vti innocentis, prætérque ius cæſi fato proximum Regem pœnituit: alterum quaſi iure cæſum ſilentio prætermiſit.

Ludouicus Rex de morte imminente admonetur.

Nomẽ mortis perhorreſcit.

Conſtantior tamen in morte fuit, quam ſe futurum ſperauerat: animo, donec extre- 25
mum ſpiritum exhalauit, ita viguit, vt nulla inualetudine afflictum diceres, multa ad filium, ac perutilia mandata dedit. Crepecordio iniunxit ab eodem intra ſextum menſem ne diſcederet, ne quid in Caleſium, aliámue in partem moliretur, interdixit. Huiuſmodi ſtratagemata, bellicáque conſilia iam apud ſe agitata Regem ſenem exequi facilè potuiſſe: Regi puero pace opus eſſe, donec ad maturam ætatem peruenerit. Illi ſi ſua conſeruet, aliena non tentet, ſatis conſultum eſſe: nuper ingreſſus erat annum decimum quartum Carolus filius, vt in ſexennium ſaltem pace frueretur omni ratione cupiebat, quam ne in biennium quidem tolerare vnquam potuerat. ſic fere mortalium ſe res habent, vt aliis melius, ſibi iniquius conſulant! Sexageſimum ætatis annum vulgari opinione inductus quaſi ſibi fatalem ſemper exhorruerat, quod pauci à Carolo Magno Gallorum Reges hanc tranſcendiſſe vulgo ferantur, at eundem

duobus

Digitized by Google

duobus fere menſibus ſuperuiuens tranſmiſit: ſiquidem quinto nonas Iulias anno decimiquarti ſæculi tertio & viceſimo natus fuit (vt minoris Britanniæ annales tradunt) tertio Kalend. Septemb. anno tertio atque octogeſimo fato functus eſt. Aliter docet Paulus Æmilius, & quindecim duntaxat diebus exceſſiſſe ſcribit; ſed ex quibus ſumpſerit, non video: nam Cominæus Ludouici natalem ignoraſſe videri poteſt, quem bonam ſexageſimiprimi anni partem confeciſſe prodidit. ſed hæc minutiora ſunt fortaſſe, quam quæ litteris mandari debeant. Quo die moriturus eſſet, ſiue vires metiens, ſiue futuri præſaga mente, ſiue quadam religione adductus, vt indicare videtur idem Cominæus, aliquot diebus ante prædixit: nec ita multo poſt Charlota Sabaudiana eius vxor Ludouici Secundi Allobrogum reguli filia, Ambaſiæ vitam edidit, & vnà cum viro in ædis Cleriacæ Sacello ſepulta eſt. Mortuo Ludouico magna de pupilli Regis, regníque adminiſtratione controuerſia fuit: hanc Petro Borbonio genero, atque Annæ filiæ natu maiori paulò ante mortem Rex mandauerat: eandem Ioannes Boiorum regulus Petri frater ſenior, atque Ludouicus Aurelianenſis regulus alter Regis gener ambiebant. Ille prudens in primis, & multum ætate prouectus, hic adoleſcens non ita dudum tertium & viceſimum annum ingreſſus: vterque è ſtirpe Regia, ſed Aurelianenſis ipſi regi gradu proximus. Rex autem Carolus puſilla admodum ſtatura, membris attenuatis, atque exilibus, diuturnioris vitæ ſpem nemini dabat: oculis tamen acribus, atque alacri ingenio Regiam indolem præ ſe ferebat: hunc diſcendi cupidum Latinis, aliíſque litteris inſtitui Ludouicus pater vetuerat, ne maior animi contentio corpus imbecillius redderet. Hoc illi vnum vice omnis Latinæ, Græcæque eruditionis apophthegma ediſcendum propoſuit: Qui ſimulare, ac diſſimulare neſcit, regnare idem neſcit.

Moritur 61. annũ ingreſſus.

26 Ob has contentiones Regis inauguratio, quæ Rhemis fieri ſolet, in proximum annum dilata, vt iam puberi maior authoritas ineſſet. Interim in Oliuarium Damam, Danielem eius miniſtrum, ac Ioannem Doiacum Ludouico nuper intimos diligenter inquiſitum: illi intra annum vertentem Pariſienſis Senatus decreto cruci affixi; huic & Lutetiæ, & apud Aruernos flagellis cæſo, amputatíſque auribus deformato vita condonata eſt. Oliuario inter alia ſcelera illud in primis obiectum, quod cum viri nobilis Ludouici mandato in carcerem coniecti vxore adoleſcente, formáque pulcherrima, vt maritum liberaret, de ſtupro pactus, optatóque potitus eundem poſtridie clam Danielis opera in fluuium demergendum curaſſet. Quemadmodum autem apud Ludouicum Regem plus omnibus vnus poterat Oliuarius Dama, ita apud Franciſcum Britanniæ regulum Petrus Landoius quæſtor Britannicus, humili quoque loco natus in gratia flagrantiſſima erat, & malis artibus non ſecus atque Oliuarius eum gradum aſſequutus erat. Is tertio nonas Octobr. anno eius ſæculi octogeſimoprimo Gulielmum Caluinum Britanniæ Cancellarium virum integerrimum, iuríſque & æqui obſeruantiſſimum contentione inter eos oborta apud Nannetes in cuſtodiam tradendum curarat, falſo obiiciens eius opera clam ad Ludouicum Regem Britanni conſilia deferri. Conuenere ſelecti à Landoio iudices, & tamen diligenti inquiſitione facta nec innocentem reum damnare, nec Landoij metu abſoluere auſi ſunt: ſed quaſi non liqueret, rem integram in aliud tempus reſeruarunt.

Caluinus Landoij machinatione clam Alroium, inde ad Herminiam Venetorum Armoricorum arcem in arctiſſimum carcerem detrudendus mittitur; eius aſſeruandi cura Ioanni Fontenallio, ac Ioanni Vitrio Landoij domeſticis committitur, qui ne tumultus ob indignum viri grauis caſum ſuboriretur, alium neſcio quem ſe aſſeruare ſimularunt: ibi ſitu, pædore, fame enectus nonis April. anno eius ſæculi octogeſimoquarto miſerè vitam finiit. Tum fortè apud Venetos Senatus Britannicus habebatur; idcirco Fontenallius, ac Vitrius, ne de tanti viri nece inſimularentur, diſſimulandum amplius non putarunt, paulò ante mortem Caluinum Cancellarium in Herminia arce eſſe ad Senatum detulerunt: ſibi in cuſtodiam traditum fuiſſe, in eam inualetudinem tandem incidiſſe, vt non longè à morte abeſſe videatur; proinde videret Senatus, quid ea in re agendum exiſtimaret. Senatus Landoij potentiam veritus Caluinum non ex iuris formula, ſed priuato reguli iuſſu in carcerem miſſum eſſe, proinde rem ad ſe haud pertinere reſpondit. Mortui cadauer omnibus conſpiciendum in publicum elatum eſt: ea fama diuulgata plerique omnes ad miſerabile illud ſpectaculum confluebant, qui florentem aliquando viderant, grauiſſimè commouebantur: corpus macie penitus exhauſtum, nihil fere præter pellem, atque oſſa multis locis è pelle emergentia præ ſe ferente contuebantur: ita miſerum dira fames, ac carceris pædor diuturnus exinaniuerat. Qúmque vndique nudatum tum vero in pri-

Anno 1484.

Gulielmus Caluinus Britanniæ Cancellarius in vinculis aſſeruatus moritur.

Digitized by Google

mis os tabe marcidum diligentiſſimè contemplarentur, vix tamen agnoſcebant, quod id miſerandum in modum inimici crudelitas deformaſſet.

Igitur tota Britannia fremitus ingens, præſertim nobilitatis fuit: neque ſolum pleriſque huius ſupplicij indignitas, ſed & Landoij temeritas odioſa erat, qui omnibus omneis niſi ſe interprete ad regulum aditus percluſerat. Agebant tum apud Nannetes Ioannes Chalonius, Arauſiorum princeps (quem potius Cabillonenſem dixerim, quod eius maiores Cabillonenſes, ſiue vt alij legere malunt, Cabillinenſes Comites fuiſſe traduntur) ac Riuius Mareſchallus, quum de Caluini morte nuntius perlatus eſt. Antea quidem Landoium in vincula conijcere, ac grauiter punire decreuerant: ſed tam audax facinus non niſi magna ex occaſione aggredi audebant, Caluinum hominem id authoritatis fame enectum, ac pediculis velut immanibus feris in lentum cruciatum obiectum Landoij opera periiſſe, vbi fama increbruit; tum verò ſe ad deſtinatum iam antea facinus exequendum compararunt. Itaque bona nobilitatis parte in conſilium vocata de comprehendendo Landoio coniurarunt; ac quod in arcéne cum regulo eſſet Landoius, an in Paboterianum ſuum fundum non longè inde diſtantem ſeceſſiſſet, incerti erant, viginti circiter equites in Paboterianum miſerunt: ipſi in arcem vi irruperunt, foribúſque à tergo occluſis omnia cubicula, cubiculorúmque receſſus regulo rei nouitate attonito ſcrutati ſunt. Interea ex reguli domeſticis neſcio quis ex arce exclamat, Nannetéſque admonet nobilitatem in regulum inſurrexiſſe, vim etiam illi afferre; idcircóque ad opem ferendam aduolarunt. Reguli ſtipatores, domeſticíque, ac plerique viri nobiles, qui in vrbe erant tum ciues ipſi initæ in Landoium non in regulum coniurationis neſcij ad arma conclamant: tormenta bellica è nauibus, quæ in portu erant, educunt, arcem circumſident, magíſque ac magis tumultus increſcebat, maiórque adeo multitudo vndique confluebat. Arauſius, ac Riuius populi tumultum extimeſcentes, regulum è muro illæſum oſtentant: nihil in illum machinari, publicam ſe rem curare ſignificant. miſſus ex vrbe Philippus Montalbanus, aliquótque alij qui in arcem recepti re cum Arauſio, ac Riuio, eorumdémque ſociis communicata, vt illi ex arce exirent, Ligeríque Ancenium nauigarent, atque è Britannia excederent, conuenerunt. Qui in Paboterianum profecti erant viginti equites, re infecta aufugerunt: Landoius enim compertis inſidiis ſe inde in hortos, ex hortis in arcem Ponencianam repente ſubduxerat. Huius tumultus Ludouicum Aurelianum Britanni conſobrinum admonuit Landoius, & vt propinquo opem ferret, enixè poſtulauit. Franciſcus Dunenſis Comes Ioannis Aureliani nothi filius, homo & animi maximi, & ſapientiſſimi conſilij Aurelianum ſpe nuptiarum cum Anna Britanni hærede filia impulit, vt in Britanniam ſumma celeritate contenderet, quem Alenconius etiam comitatus eſt: Ioannam quidem Ludouici Regis natu minorem filiam vxorem duxerat Aurelianus, ſed vt matrimonium metu contractum facilè diſſolueretur iuſtis cautionibus prouiderat, vt ſuo loco enarrabimus: propinquos liberaliter excepit Britannus, & quamquam propter recentem morbum penè mente motus erat, tamen de Arauſio, Riuióque multa quæſtus, vt ſibi adeſſent, nec tantam contumeliam inultam paterentur, obſecrauit. Illi ſtatim Rhemos ad proxima Regia ſacra, inde ad Turonenſem trium ordinum conuentum ſibi neceſſario proficiſcendum reſponderunt. Deinde ſe ſocios in vlciſcenda ea iniuria fore polliciti, ad Regem Carolum reuerſi ſunt: is Rhemos Iunio menſe magno principum, procerúmque comitatu profectus Regiis ſacris initiatus eſt. Sacris affuere Regiæ ſtirpis Ludouicus Aurelianus, Carolus Comes Engoliſmenſis, Ioannes Borbonius Boiorum regulus, Petrus eius frater, Annæ Caroli Regis ſororis maritus, Carolus Borbonius Comes Vindocinus, Galliarum item duodecim Patritij, ſiue Pares, Antonius Lotharingiæ regulus, Fuxius, & Dunenſis Comites, cæterique Galliarum proceres, atque initiatū Dionyſiopolim Regia corona amiciendum deduxerunt. Quibus ritè perfectis Lutetiam Regum Gallorum Regiam iiſdem comitantibus Regali pompa Carolus pridie nonas Iulias ingreſſus eſt: ibi de more magnificè exceptus, & conuiuiis, ludicris omnis generis certaminibus, lætis nobilium matronarum choreis, cæteríſque id genus aliquot dies exhilaratus rebus ex conſanguineorum principum ſententia componendis animum adiecit: ac primum effuſas Ludouici patris largitiones reuocauit, Vrſeum, Poncetúmque Riparium, Caroli Aquitani parteis antea ſequutos, & Ludouici metu apud Britannum exules ad ſe reuerſos, in gratiam recepit: illum ſummum Regiorum equorum magiſtrum creauit, hunc Burdegalenſi præfectura (Mæriam illi vocant) donauit.

Landoius ob Cancellarij mortem toti nobilitati inuiſus.

Carolus Rhemos deductus Regiis ſacris initiatur.

27

Inde ad Turones trium ordinum conuentum (quandoquidem propter infirmam adhuc eius ætatem de Regni adminiſtratione magna controuerſia erat) indixit. Illic ex vno 28

quoque

Digitized by Google

quoque ordine viri ſelecti conuenerunt: ij Caroli Regis curam Annæ ſorori, donec ad iuſtam ætatem adoleſceret, ex Ludouici patris mandato commiſerunt; duodecim optimates, qui Regia, ac maiora negotia, ſed Regis nomine expedirent, deſignarunt: quibus Regiæ ſtirpis principes, ſi commodum iis videretur, adeſſe, atque adeo præeſſe, & vna publicæ vtilitati conſulere poſſent. Ioannem Boiorum regulum equitum magiſtrum dixerunt, vt vicies quinquies centena argenti pondo millia Regiis negotiis impendenda Regi dependerentur, & biennio poſt iterum conuenirent, nouis negotiis noua conſilia adhibituri edixerunt. Immenſas Ludouici donationes, quas corpore ſimul, & animo æger, ac vix mentis compos in diuerſæ profeſſionis monachos (vt cum vulgo loquar) ſacrarúmque ædium miniſtros effuderat, ſua authoritate deintegro reſciderunt. Ludouicus Aurelianus Caroli Regis curam Annæ ſorori, aut potius Petro Borbonio eius viro commiſſam ægrè ferens Lutetiæ & in Senatu, & in ædibus publicis quotidie conſilio intererat; Annæ, ad quam regni procuratio ob Regis fratris præſentiam paulatim inclinabat, inuidiam conflaturus. Qui ab illo ſtabant, legem Salicam vbique in ore habebant, mulieres & à regno, & à regni adminiſtratione excludentem: ſed Aurelianus ipſe nuper alterum, & viceſimum annum impleuerat; cuius patrimonium etiam tum mater adminiſtrabat: & fortaſſe aliis de cauſis, præſertim vero propter ætatem à tribus ordinibus ad regni procurationem vocatus non erat. Agebat tum Meloduni Rex Carolus; & quod nullo Regis mandato Aurelianus publicis conſiliis adeſſet, in ſanctiore conſilio, vt quaſi læſæ Majeſtatis reus prehenderetur, edictum: Aurelianum Ioannes Louenius eius domeſticus in tempore admonuit; iam enim qui prehenſuri erant, Lutetiam appulerant. Itaque in Normaniam Aurelianus ad Alenconium propinquum repente aufugit; & Engoliſmenſi, Ioanni Boiorum regulo equitum magiſtro, Alebretenſi, Fuxio, Dunenſique Comitibus, eiuſdem factionis ſociis, quo in ſtatu res ſuæ eſſent, aque vt ſe ad arma pararent, ſcripſit. Interim legationibus hinc inde miſſis ad Eburonices Rex Carolus, Aurelianúſque conuenerunt: ſed re infecta diſceſſum: rex Lutetiam rediit, Aurelianus Bleſias profectus eſt, iam quadringentos cataphractos equites, atque aliquot pedites coëgerat, Aureliámque contendebat, quum Aurelianenſes militem aduerſus Regem armatum ſe recepturos pernegarunt. Igitur ad Baugencianum agrum diuertere coactus, & Regiis copiis ad Baugencium oppugnandum appropinquantibus viribus inferior oblatas conditiones non recuſauit. Conuenit vt Aurelianus ad Carolum reuerſus in gratiam reciperetur, Dunenſis totius coniurationis author Aſtam relegaretur: at Ioannes Borbonius equitum magiſter, Engoliſmenſis, Alebretenſis huius coniurationis ignari magnas copias compararant, & iam ad Aurelianum properabant: ſed hi quoque Gienſi Mareſchallo, Grauilláque Amyralio authoribus Regi reconciliati ſunt: copiæ diſſipatæ ſuorum finibus non exierunt. Landoius interea Arauſium, Riuium, eiuſdémque factionis ſocios vlciſci cupiens, qui Britannia extorres in agrum Andegauenſem ſeceſſerant, & Annæ iam Galliam adminiſtrantis parteis ſequuti ſe facile à Britanno tuebantur, nouum conſilium init: Britanno perſuaſit, vt Henricum Liceſtrianum Comitem Ricemontenſem, quem annos quindecim in cuſtodia habuerat, in hæreditarium Angliæ regnum pulſo Ricardo tyranno reduceret. Conuentiones apud Venetos Armoricos initæ, quarum ea princeps fuit, qua reſtitutus in regnum Ricemontenſis auxilia Britanno aduerſus Arauſium, cæteroſque coniuratos mitteret. Tribus ingentibus nauibus numeroſo milite inſtructis donatus Buquinguano regulo, quem hoc nomine Ricardus ſummo ſupplicio affecit, parata in Anglia auxilia pollicente vela fecit: ſed diligenter portus omneis, littoráque præſidiis Ricardus muniuerat: quorum certior factus Ricemontenſis, idcircóque Anglicam oram circumlegendo opportunum appellendis nauibus locum quærens graui interim tempeſtate oborta in Normaniam abſtractus eſt: vnde ad Carolum Regem inuiſendum ab Anna inuitatus, benignéque exceptus in Britanniam rediit. vbi res admodum commutatas offendit, Landoius cæſo Buquinguano de reſtituendo in regnum Ricemontenſi deſperans, illum ipſum Ricardo hoſti, aduerſus quem nuper eundem armauerat, eadem, quam nuper Ricemontenſis acceperat, conditione, dedere pactus eſt: nempe vt Ricardus iuſtas ad vlciſcendos coniuratos copias Britanno mitteret: ita regulo ſibi penitus obnoxio Britanniam tum ex arbitrio ſuo Landoius adminiſtrabat.

29 De nouis conſiliis, Landoiique perfidia ab Anglis admonitus Ricemontenſis ad Carolum Regem confugit: & milite, nauibúſque acceptis (vt ſupra memini) tametſi Henrico ſexto ab Eduardo Eboracenſi expulſo haud gradu conſanguinitatis proximus, Angliæ regnum occupauit, Britannum in dies aduerſus rebelles accendebat Landoius, & Ioſepho

Digitized by Google

Anno 1485.

ſepho iureconſulto ex Italia accerſito, aliiſque ſuæ factionis in conſilium adhibitis decretum Maio menſe anno eius ſæculi octogeſimoquinto extorſit, quo coniuratorum arces ſolo æquari, ſiluæque adiacentes excindi iubebantur. Id vt exequeretur Britanni nomine exercitum coire iuſſit Ancenium Riuij arcem oppugnaturum: contra Arauſius, Riuius, cæteríque coniurati ſuas quoque copias coëgerunt, & tranſmiſſo Ligeri progreſſi ſe Britannicis oppoſuerunt, ac belli fortunam tentare decreuerunt: vbi mutuo in conſpectu fuere quadam imminentis cladis commiſeratione vtrique ſubſtiterunt. Indignabantur viri nobiles Britannum aduerſus Arauſium ſororis filium prælio decernere: cæteros item hinc inde aduerſus fratres, propinquos, affines infeſta ſigna inferre: Britanniam Landoij hominis abiecti malignitate in ſe diuiſam ad internecinam pugnam ruere. Itaque pauca per legatos vtrimque progreſſos proloquuti, in vnum coierunt, ſeque inuicem ſalutarunt: ac communi odio in vnum Landoium conuerſo ad arcem Nannetanam, vbi ille tum vnà cum Britanno erat, contenderunt. Quæ ab vtroque exercitu geſta erant, ſtatim ad Nannetes perferuntur, & iam ad vrbem appropinquare nuntiantur. Conuenit in arcem populi bona pars, ad portas cuſtodiæ collocatæ: Comitem Fuxium vxoris fratrem ad ſedandum tumultum mittit Britannus: is, vt obeſus erat, in turba prope ſuffocatus vix ad Britannum redire potuit; &, niſi Landoius dederetur, tumultum ſedari poſſe pernegauit. Acceſſit mox & Britanniæ Cancellarius Franciſcus Chriſtianus eadem nobilitatis, populíque iuſſu ſe denuntiare coactum profeſſus: quapropter regulum precari ne ſe, ſuóſque ob vnius homuncionis inuidiam in apertum diſcrimen inducat: nihil in eum niſi ex iure, & æquo ſtatutum iri. Latitabat in Britanni cubiculo Landoius non fruſtra ad hæc verba attonitus: is ſeptimo Kal. Iul. Cancellario in manum traditus eſt: deinde tota vrbe magna populi lætitia ad turrim portæ Nicolai imminentem deductus, atque in carcerem deiectus eſt: iudices ad id iudicium exercendum conſtituti: coram Arauſio, Riuio, Condomienſi Comite, aliiſque viris nobilibus, qui illi iudicio intererant, interrogatus multa inconſtanter reſpondit: quæſtione habita cum alia pleraque, tum Caluinum Cancellarium innocentem ſe curante, Ioanne autem Vitrio ſuæ crudelitatis adminiſtro fame periiſſe confeſſus eſt: nam Fontenallio Caluinum humaniter tractare in animo fuiſſe, cui ſi Vitrius aſſenſus fuiſſet, haud dubium quin etiam tum Caluinus viueret. Confeſſus eſt & Gilij, qui Franciſci Primi Britanniæ reguli frater fuit, nothum inſontem ſua opera capite mulctatum.

Conuicto tantis criminibus Landoio magna inter iudices, ac Britanniæ, qui vnà aderant, proceres controuerſia fuit, num regulo inſcio morte plectendus eſſet: alij domeſticum tanta apud herum authoritate nec iudicum ſententiis damnari, nec ſupplicio addici, niſi regulo præmonito debere contendebant: alij hominem infimæ ſortis, alienigenam, malis artibus in tantam gratiam inſinuatum, paucis annis intolerandam potentiam aſſequutum, tyrannica ſuperbia procerum illuſtrium arceis demoliri conatum, atque immanis tantorum virorum cædis conuictum, celato Britanno ſtatim ſupplicio afficiendum aiebant. Si enim reſcierit Britannus, tametſi vel fratrem vel eius etiam liberos iugulaſſet, haud dubium, quin illi nihilominus crimina omnia condonet: vix tolerandum in Britanno ipſo fuiſſe tyrannidem, quanto magis in abiecto homuncione puniendam? In hanc ſententiam itum: clauſis arcis portis cuſtodiæ adhibitæ, ne quis Britanno quicquam de Landoio indicare poſſet, is autem decimoquarto Kal. ſextiles anno eius ſæculi octogeſimoquinto in crucem actus eſt. Britannus re cognita aduerſus omnem Britannicam nobilitatem, atque ipſum adeo Franciſcum Chriſtianum Cancellarium ira ſuccenſus, eundem exauthorauit: Iacobum Villerium in eius locum ſuffecit.

Landoius in cruce actus.

Agebat tum Ambaſiæ Rex Carolus, & Dunenſem non ita pridem Aſtam relegatum in Galliam rediiſſe, Parthenaium munire, magnam equitum manum cogere intellexit: Petrus Borbonius, atque Anna vxor nomine Regis Aurelianum arceſſunt, & quod differre videbatur Gienſem Mareſchallum ad eundem Aureliam miſerunt: Aurelianus ſe poſtridie Ambaſiam profecturum promiſit: Nonis Ianuariis anno eius ſæculi octogeſimoſexto Bleſias (vt pollicitus erat) ad Regem ſalutandum acceſſit: poſtridie quaſi ad aucupium accipitribus ſecum eductis ex vrbe exiit, ac magna celeritate Fontebraudium adiit, & ad ſororem monaſterij præſidem diuertit, atque inde ad Britannum ſe contulit. Dunenſis Carolum Regem ad oppugnandum Parthenaium proficiſci certior factus, Aurelianum ſequutus eſt. Parthenaium captum, & ſolo æquatum: Riuius, ac bona Britannicæ nobilitatis pars Aurelianum cum cæteris ſuæ factionis ad Nannetes acceſſiſſe ægrè ferebant, & à Britanno ad vlciſcendam Landoij mortem arceſſitos ſuſpicabantur.

Anno 1486.

Itaque

Itaque ad Caſtellum Briennium plurimi conuenerunt, & quibus rationibus eoſdem Britannia exigerent quotidie conſultabant: tantam enim rem aggredi viribus inferiores non audebant. Huius conuentus certiores facti, qui Regi Carolo à conſilio erant, Andream, Spinaium Cardinalem Burdegalenſem Pontificem ad eos mittunt, & copias quantas velint, pollicentur. Alij Gallos in Britanniam vocandos non putabant, ne factionum occaſione eandem occuparent: alij huic malo obuiam ire haud difficile eſſe aiebant, fœdus cum Rege faciundum, capita fœderis ſe ad Regem miſſuros; quæ ſi ille admiſerit, cætera ſibi curæ fore, ea autem fuerunt, *Fœderis inter Regē Caroli & Britannos initi capita præcipua.*

Vt Rex quadringentos cataphractos equites cum ſuis hippotoxotis, ac quatuor peditum millia duntaxat in Britanniam immitteret, niſi maiores copias Britanni ipſi flagitarent: nullum in Britanniam ius tantiſper dum viueret regulus, ſibi vendicaret.

Regij milites nullas Britanniæ vrbeis, arceiſve, niſi ex Riuij conſenſu, cæterorúmque ſuæ factionis oppugnarent: nullas vbi Britannus ageret circumſederent: pretio victum pararent, plebem ne ſpoliarent.

Rex vbi è Britannia exceſſiſſent Aurelianus, Arauſius, Dunenſis, Condomienſis, cæteríque eiuſdem factionis copias ſuas inde reuocaret.

31 Quæ ſtatim Carolus iureiurando confirmauit, ac manu ſua ſubſcripſit: longè maiores nihilominus copias immiſit: vere enim ineunte anno eius ſæculi octogeſimoſeptimo hinc cum quadringentis cataphractis equitibus, ac quinque peditum millibus in Britanniam Carolus Andreanus inuaſit: altera ex parte Gilbertus Borbonius Mompenſerianus Regis legatus maioribus comitatus; tertias ducebat Ludouicus Trimullius. Contra ſuas comparabat Britannus: ſed hæ, ſi cum illis conferantur, exiguæ erant. Neceſſitate victus Dunenſis (quamquam longe aliud in animo habebat) Britanno author fuit vt Annam filiam natu maiorem Alebreto vxorem ſponderet; ea tamen conditione vt cataphracti eius equites, qui in Regis exercitu militabant, ad Britannum deficerent: ipſe quantas poſſet, copias cogeret, & ad tuendam Britanniam properaret. Sponſio Britanni, Lauallæ matronæ nobilis, & apud Britannum magnæ authoritatis, (ea Alebreti ſoror erat) Dunenſis, Condomienſis, manu ſubſcripta: Aurelianus, qui Annam ambiebat, non ſubſcripſit. Vt autem commodius milites ex tota Britannia cogeret, Maleſtrictum oppidum in Britanniæ quaſi meditullio ſitum cum Aureliano, cęteríſque proceribus regulus profectus eſt: Nannetibus Arauſium præfecit. Regius exercitus, cui rebelles Britanni iuncti erant, Ploermelum, ſex aut ſeptem milliaribus inde diſtans, circumſedit: ſoluere obſidionem, prælióque decernere Britannus inſtituit: ſexcentos cataphractos equites in exercitu habebat, peditum ſedecim millia: quorum maior pars eorum erat, qui antiquo gentis ſermone, quem Troianorum fuiſſe fabulantur, adhuc vti ſolent. Hos Mauricius Menechius, alíique nonnulli, qui Ludouici Galliarum Regis ſtipendia meruerant, ita à Britanno abalienarunt, vt vix millia quatuor remanſerint: cæteri ſe protinus, quo quemque fortuna tulit, ſubduxerint. Hinc auxiliis deſtitutum Ploermelum vi captum, atque in prædam expoſitum fuit. Ploermelo capto Britannus cum ſuis ad Venetos aufugit, cuius rei certior factus Arauſius ſecundo Ligeri Croſilium delatus numeroſo milite, qui illic forte coierat, in naueis, quas multas ibidem comperit, impoſito, vela fecit, & tranquillo mari ad Venetos tranſmiſit. *Ploermelo capto Britannus Venetias aufugit.* In eas ſtatim Britannus, quíque vnà cum illo erant, tanta celeritate, ac tumultu conſcenderunt (Galli enim inſtantes vrgebant) vt bonam ſarcinarum partem reliquerint, & ad Nannetes curſum tenuerint. Poſtridie iam ineunte Iunio equites bis mille octingenti Amalrio Moſſæo duce è Venetis Dinanum inde Redones, ad Nannetes Britanni Regiam profecturi magnis itineribus petiuerunt. His ad Iouam vicum inter caſtellum Briennium, ac Nannetes cum valida Gallorum equitum manu Adrianus Hoſpitalis occurrit, multos cecidit, plures cepit, cæteros in fugam vertit. Britanni rebelles de Rege querebantur, qui ex fœdere quadringentos cataphractos equites, ac quatuor peditum millia duntaxat in Britanniam immittere pollicitus erat: at ille triplo plus immiſerat, qui iiſdem inſciis Ploermelum vi, Venetos ab omnibus deſertos deditione ceperant, & ad Nannetes oppugnandos properabant. Ea neceſſitate adductus Dunenſis, vnáque Oliuarius Coctinenius Britannus clam ex Nannetibus noctu ſæpius, quam interdiu per deſerta loca, per ſaltus, & cognitas paucis ſemitas ad Fanum Maclouij contenderunt, vt inde in Angliam traiicerent, Anglóſque in Britanni auxilium euocarent: ter vela fecerunt, ter medio in curſu grauiſſimis tempeſtatibus ad Fanum Maclouij, bis deinde in littus Britannicum reiecti ſunt.

Anno 1487.

32 Rumore de Nannetum reguliſque obſidione per totam Britanniam diuulgato tumultuarius

Digitized by Google

tuarius exercitus in inferiore Britannia, quæ peculiari ſuo loquendi more vtitur, coierat: magno quidem numero (octoginta enim millia conueniſſe traduntur) ſed quorum perpauci militiæ aſſueuiſſent: Dunenſem non procul inde abeſſe moniti arceſſunt, ſibique ducem deligunt. Eam occaſionem nactus Dunenſis omiſſis Anglis ruſticam illam plebem in ordines redegit, militaria ſigna ſequi edocuit, & rectà ad Nannetes profectus; vbi ad vrbem appropinquauit, è Regio exercitu cataphractorum equitum manus illis obuiam prodiit; & ne prælio decerneret, nonnullis de cauſis prohibita eſt: quamuis ruſticum illum exercitum, vt mox cognitum eſt, quadringenti cataphracti equites facile delere potuiſſent: ſed multitudinis fama Gallos de hoſtium genere, ſtatúque ignaros retardauit. Dunenſis igitur ad Nannetes vſque peruenit, atque vrbem cum multis è ſuis ingreſſus eſt. Stabat nihilominus ab altera parte Regius exercitus, ſed paucis poſt diebus, hoc eſt, octauo Idus ſextiles, quod multi quotidie dilaberentur, obſidionem ſoluit: ad Dolam conuerſus vrbem primo congreſſu cepit, ac diripuit. Diſceſſerat à Regio exercitu Riuius, quod violatum à Rege fœdus ægrè ferret, & Ancenij, vtram in partem inclinaret, dubius conſiſtebat: multis interim Britanni, Arauſij, Lauallæ, Condomienſis litteris, vt ad Britannum herum rediret, ſollicitabatur. Condomienſis ipſe ad Regem Britanni legatus proficiſcens, Ancenium diuertit, nutantémque perpulit: Franciſcum tamen Syluium hominem prudentem cum litteris primum ad Regem miſit, quibus ſignificauit Aurelianum, Arauſium, Dunenſem, cæteroſque Gallos, qui præter illius voluntatem apud Britannum erant, vt in Galliam redeant, modo tuto liceat, paratos eſſe: quo nomine Rex tot exercitus in Britanniam immiſerit: precari itaque iam voti compotem ne à fœdere nuper ſanctiore eius iureiurando confirmato diſcedat, ac copias ſuas è Britannia reuocet. Diu, atque acrius inſtanti Syluio Anna Caroli Regis ſoror, penes quam tota Galliarum adminiſtratio erat, tandem reſpondit, Regem longius progreſſum eſſe, quam vt redire poſſit: hoc ipſo tempore, & in eadem ferè verba Condomienſis dimiſſus eſt. Reſponſo accepto Riuius milites è Nannetibus euocauit, quibus Gallis expulſis Ancenium credidit: inde ad Caſtellum Briennium progreſſus, ſub veſperam appulit: ſequebantur aliquot equitum turmæ, quæ propter hominis authoritatem, & quod eundem adhuc à Rege ſtare exiſtimabant, in oppidum admiſſæ ſunt: in arcem quoque intromiſſus ipſe Caſtellobrienniano genero, aliiſque qui aderant, & Regis parteis ſequebantur, Regem merito violati fœderis argui liberè profeſſus eſt: ſe natura Britannos eſſe, & patriæ libertatem tueri debere: ſiqui adhuc à Rege ſtare velint, ſe illis liberam exeundi facere poteſtatem: cæterum arcem in Britanni fide continendam, Caſtellobriennianus, cæteríque quod reſiſtendo non erant, moderatè errorem ſuum tolerare coacti ſunt.

Continuabatur in Britannia bellum, ſed licet vires Britanno pares non eſſent, tamen 33
Rege prope puero, muliere eius nomine dominante non magna incrementa capiebat: Riuius ad Britannum reuerſus cum Britannico exercitu, tormentíſque bellicis Venetos Quinto Kal. Mart. anno eius ſæculi octogeſimooctauo oppugnare aggreſſus eſt: vbi Gallicum præſidium, cui præerat Gilbertus Graſſæus, Camperuxius vir militaris, impoſitum erat: ſed vrbs magna, atque haud admodum munita, neque à paucis defendi, neque bombardarum vim tolerare poterat: itaque vt facile antea capta à Gallis, ita ab iiſdem quinto nonas Martias dedita fuit. Contra Ancenium Riuij arcem, ac Caſtellum Briennium Regius exercitus expugnauit, ac ſolo æquauit: inde Filiceras profectus vrbem in Britanniæ finibus ſitam circumſedit, nuper ex Hiſpaniis cum quatuor peditum millibus traiecerat Alebretus: ipſe ad Nannetes, pedites ad Redones appulerunt, cataphracti eius equites paulò ante à Rege ad Britannum defecerant, paucis exceptis, qui fidem Regi datam fallere noluerunt: in Nannetibus tum erant Britannus, Britanniæque proceres. Igitur ne illud Britanniæ veluti propugnaculum in Gallorum poteſtatem veniret, ad Regem (is tum in Andibus erat) Dunenſis orator cum Britannis aliquot viris ſelectis miſſus: Aurelianus, Alebretus, Riuius, Caſtellobriennianus, Condomienſis, cæteríque Redones ad cogendas copias petiuerunt. Data à Rege loquendi facultate Britannum Dunenſis docuit, nihil cur bello peteretur, aduerſus Regem commiſiſſe; morbo, atque ætate grauem maſcula prole orbum Landoij inuidia, nullo ſuo merito flagraſſe, à ſuis indigna paſſum, nihil tamen in eos grauius ſtatuiſſe: niſi quod ſe inſcio Landoij malignitate diuulgatum edictum eſt, quo nonnullorum arces ſolo æquari iubebantur, ea fama ſeditionem in Britannia excitatam: Aurelianum conſobrinum, Arauſium ſororis filium, pleriſque Gallis proceribus comitatos, ad ſenem, & mœrore tabeſcentem conſolandum aduolaſſe: egregiæque pietatis officia præſtitiſſe, id cur Rex ægrè ferat, aut in malam partem accipiat, nec

Anno 1488.

Digitized by Google

nec Britanno indicaſſe, nec bellum indixiſſe, bellíve cauſam ſignificaſſe: inopinantem, inermem, innocentem oppugnare: Gallos expleto pietatis officio, vt bona Regis venia in Galliam redeant, poſtulare: quod à Regis conſpectu ſe aliquando ſubduxerint, aulicam æmulationem in cauſa fuiſſe: adoleſcentem iam, ac magnis rebus gerendis maturum omni obſequio proſequuturos. Se vero propinquos recenti officio chariſſimos, tametſi diutius apud ſe retinere cupit, dimittere tamen, & Regi lubenter remittere: petere pro iure gentium, ne Rex iam non ſibi, qui tam prope à morte abſit; ſed ne filiarum quarum maior natu nondum duodecimum annum impleuerit, orbitati inſultet: quæ illum Britanniæ hæredes patronum agnoſcant, Regis eſſe, ſi quis earum patrimonium tentet inuadere, iniuriam propulſare, nedum ipſum vltro inferre: hæc à Britanno, quæ ad Regem deferret, mandata habuiſſe declarauit.

34 Rex, quique illi à conſilio erant commoueri, & à pace non alieni eſſe videbantur: ſed Filiceræ interim acrius oppugnatæ deditionem fecerunt, acceſſit prælium atrox, quo pacis omnis ſublata mentio eſt.

Filiceræ acrius oppugnatæ deditionem faciunt.

Ad vicum Andollium inter Rhedones, ac Filiceras decimo Kal. ſextiles Britannicæ copiæ appulerunt, atque ibidem propter natam inter Aurelianum, Alebretúmque æmulos diſcordiam (vterque enim Annam Britanni filiam ambiebat) triduum commorati de Filicerarum deditione nuntium acceperunt. Tum vero an Filiceris captis protinus pergerent, an retro in Britanniam flecterent, aut ibi conſiſterent, in conſultatione poſitum fuit: & quandoquidem ſatis magnæ copiæ coierant, ad occupatum Gallorum præſidio Albini Fanum oppugnandum progredi viſum: quadringenti erant cataphracti equites, peditum octo millia, quibus Germani octingenti, trecentique Angli acceſſerant: Filiceranos præterea equites, ac pedites armis, equíſque condonatis emiſſos expectabant, & machinis bellicis abundabant. Ita inſtructi ad vicum Arauſium quatuor ab Albini Fano milliaribus caſtra poſuerunt, & Gallos ſe ad pugnam parare, atque illis obuiam procedere intellexerunt: ibi Britannorum murmur aduerſus principes Gallos, quos cum Regiis in ſuam perniciẽ ſentire ſuſpicabantur, ſeditionem clandeſtinis Alebreti artibus excitatam penè accendit; ea, vt ſedaretur, Aurelianus atque Arauſius pedites inter Germanos pugnare iuſſi. Primum agmen ducebat Riuius Britanniæ Mareſchallus, medium Alebretus, poſtremum Caſtellobriennianus. Sed quod Angli pauci erant, nempe trecenti duce Scallenſi, vt maiorem numerum oſtentarent, mille & ſeptingentos Britannos rubra cruce ſignatos, perinde vt Angli pugnare ſolent, illis addiderunt. Contra Galli è Filiceris quinto Kalen. ſextiles progreſſi, quod Britannos procul abeſſe exiſtimabant, libere nullis ſeruatis ordinibus incedebant: Adrianus tamen Hoſpitalis primi agminis ductor Gabrielem Monfalconium cum paucis equitibus ſpeculandi cauſa præmiſit; is conſpecto Britannico exercitu, quid is moliretur, animaduerſurus conſtitit; vbi eodem in loco ſtare, nec ſe mouere deprehendit, ad ſuos recurrens hoſteis adeſſe, nec tamen progredi, ſed eodem propemodum in veſtigio perſeuerare denuntiauit. Ludouicus Trimullius Regis legatus tormenta bellica præcedere, Gallos in ordines redactos ſuccedere, hoſteis pauore conſternatos, nec progredi auſos ſummis viribus aggredi iuſſit: tormẽta vtrimque exonerata multos vtrimque comminutos in fruſtra diſiecerunt. Tum Gallicus equitatus in Riuium grauiter inuectus, & ſatis alacri animo exceptus in medium agmen, Alebretúmque penetrauit: Britanni ſecundi agminis equites retroceſſerunt, peditum magna cædes facta, præſertim Anglorum, aut Anglos mentientium, quorum perpauci euaſerunt: tertium Britannorum agmen hoſtium congreſſu non expectato matura fuga ſibi conſuluit. Id conſpicatus Riuius rebus iam deſperatis, ſe quoque, ac ſuos è prælio ſubduxit, ac Dinanum petiit; Aurelianus, atque Arauſius inter pedites capti: ex Britannis ſex millia, ex Gallis mille ducenti cecidiſſe traduntur. Victor Trimullius Caduceatores in bellis ſacroſanctos, quos heraldos vocamus, ad Rhedones miſit denuntians, vt ſe vel dederent, vel grauem oppugnationem expectarent. Quatridui inducias tantiſper dum regulum conſulerent, Rhedones poſtularunt, quibus non impetratis Trimullio in hanc ſententiam reſponderunt:

Rhedonũ ſermo ad Trimullium.

meminiſſet Philippum Valeſium Regem centum bellatorum millia habuiſſe, nec ideo minus à decem Anglorum millibus Creſciaca pugna fuiſſe ſuperatum: Ioannem quoque eiuſdem familiæ Regem decem duntaxat annis interiectis ab octo Anglorum millibus, quum quadraginta in acie haberet, in Pictonibus victum, captiuúmque in Angliam abductum: quamobrem ne recenti victoria iuueniliter exultaret Trimullius, quadraginta hominum millia in vrbe eſſe, quorum viginti bellis aſſueta tuendæ principi Britanniæ ciuitati ſatis eſſe poſſint.

35 Hæc illi Trimullio, Trimullius Regi in Andibus agenti renuntiari iuſſit: re ad ſanctius

Digitized by Google

conſilium delata quidam Britannicas vires prælio ad Fanum Albini fractas nullam amplius Regi moram facturas cenſuerunt, acrius oppugnandos Rhedones; illis in poteſtatem redactis cæteras ampliſſimæ vrbis exemplum ſequuturas. Iam Dola, Filiceris, Vitræo Regem potitum: pauciſſimas ſupereſſe, quæ tantam Regiarum bombardarum vim ſuſtinere poſſint, nullas quæ captis Rhedonibus imperium recuſare audeant. Contra Gulielmus Rupifortius Cancellarius tyranni, non Regis eſſe dixit alienas poſſeſſiones præter ius, & fas inuadere: quales Alexandrum Macedonem Iulium Cæſarem, Othomanos Turcarum Imperatores totum terrarum orbem animo inuaſiſſe legimus; quibus nulla religio, ſed immoderata cupiditas pro religione, ac lege ſemper fuit; Chriſtianorum Regum longè aliam eſſe rationem, quorum regna, ac iuſta imperia ſacroſanctis iuris, & æqui finibus ſua religio terminat. Si ius quod Ioannes Broſſius Nicolaæ Britannicæ maritus, quæ Ioannis Blæſiarum, Pontabriæque Comitis filia, & vnica hæres fuit, Gallorum Regibus olim ceſſit, Britanniam Carolo defert, lege agendum, & locum, & iudices deligendos, qui de iure diſceptent: quod ſi de Caroli Regis iure liqueat, eius imperium Britannos ſua ſponte ſubituros: ſin nullum ineſſe conuincatur, Regias copias reuocandas, & ab aliena poſſeſſione abſtinendum: alioqui verendum, ne Deus Opt. Max. regnorum, rerúmque adeo omnium æquus diſceptator, atque arbiter raptori, & aliena inuadenti maius aliquod malum importet: Carolum Burgundionem Lotharingiam non ita dudum nullo iure occupaſſe; intra biennium in eadem miſerabili morte fuiſſe interemptum. In hanc ſententiam itum, Britanni oratores vocati, de fœdere actum: conuenit vt in vrbe neque Regi, neque Britanno obnoxia iudices compromiſſarij coirent: hæreditatum iura, emptiones, iurium ceſſiones, inſtrumenta denique omnia, vtrimque proferrentur cæteráque quæ ad litem dirimendam, & alterutrum ius confirmãdum pertinerent: à quo ius liquidius ſtaret, eidem Britannia cederet. Rex interim Filiceras, & aliquot Britannicas vrbeis, arceiſque retineret: qui Galli cum Britanno, aut Britãni cum Gallo poſtremo hoc bello militaſſent, liberè ac tuto illi in Galliam, hi in Britanniam redirent. Hæc Auguſto menſe pertractabantur, quum grauis interea Nannetes ac dira peſtis infeſtaret: hinc regulus cum tota familia in vicum Coronium ſex à Nannetibus milliaribus ſecundo flumine ſeceſſit: vbi ** ex lapſu ** ſeptimo Idus Septembris fato functus eſt: quum paulò ante mortem Riuium Mareſchallum filiarum curatorem, Britanniæque adminiſtratorem deſignaſſet; eidémque ſocium Condomienſem Comitem adiunxiſſet. Britanni morte renouatum in Britannia bellum videbatur, Rex copias ſuas ad Nannetes oppugnandos miſerat, poſtulabat ne Britanni filiæ ſe inconſulto, in cuius fide Britannia eſſet, nuberent: vt earumdem nomine iuſiurandum ſolemne præſtaretur, Britanniæque adminiſtratio ſe authore mandaretur, donec illæ ad iuſtam ætatem adoleſcerent, aut nuptias inirent. Interim natu minor Iſabella moritur, Annam vnicam tantæ prouinciæ hæredem Maximilianus Romanorum Rex, Carolus Galliarum, Alebretus ambiebant: Maximiliano Arauſius Annæ conſobrinus, Carolo Riuius, Laualla fratri Alebreto eas nuptias procurabat. Hi Britanniam tripartitis ſtudiis diuiſam ad ſe ſinguli trahebant: deſponſam à patre iactabat Alebretus; ſed eam ſponſionem Anna patri Alebretóque renuntiarat, ſéque ab eo matrimonio abhorrere profeſſa erat: Maximiliano abſenti nonnulli Volfango Polaymo Auſtriaco procuratore deſponſam, alij à Philippo Maximiliani filio, alij ab ipſo Maximiliano (quod veriſimilius eſt) Arauſio procuratore & quaſi vicario in ſacra Rhedonenſi æde vxorem ductam tradiderunt. Sed poſtquam de Caroli, ac Margaritæ Flandricæ diuortio fama increbuit, diſtracta Britannorum ſtudia facilè coaluerunt, & in vnum Carolum conuerſa, Maximilianum Alebretúmque alienigenas repudiarunt: præſertim quod promiſſa auxilia Maximilianus in tempore non miſiſſet, & amiſſa vtraque Burgundia, Atrebatibúſque finitimis conſeruandæ Britanniæ remotæ prouinciæ vix vllam ſpem relinqueret.

Rupifortij Cãcellarij ſanum conſilium.

Ambientium in vxorem Annã filiam Britanni diuerſa ſtudia.

Dunenſis Riuio, ac pleriſque Britannis proceribus chariſſimus, quos longa familiaritate, 36
multíſque officiis vir prudens, atque ingenio acer ſibi deuinxerat, perpetuum vnà cum nuptiis fœdus ineundum curauit, Britanniámque ſceptro Gallico nunquam in poſterum dirimẽdam adiunxit. Is enim Riuio in Caroli parteis pertracto princeps huius matrimonij conciliator, atque author fuit, idcircóque cum Rege in gratiã rediit: nec multo poſt inter equitandũ homo obeſus, ac famis impatiens repentina morte ſublatus eſt: nuptiæ anno huius ſæculi octogeſimonono magna vtriuſque populi lætitia celebratę, vt mirandũ ſit Claudium Seiſſelũ Maſſilienſem Pontificem hominem doctũ memoriæ prodidiſſe, Ludouicum Aurelianum, qui mox Carolo ſucceſſit, harum nuptiarũ conciliatorem fuiſſe: hoc nomine è cuſtodia eductũ, & in Britanniam profectum; quo authore Carolus ſine vllis præſidiis ad

Anno 1489.

Rhedones

Rhedones acceſſerit, vrbémque excipiente Aureliano ingreſſus ſit: quum is etiam tum in cuſtodia haberetur, & aliquot poſt menſes habitus ſit, & Seiſſelus ipſe eodem loco Aurelianum triennium prope, alij biennium & paulo amplius in cuſtodia habitum fuiſſe ſcribunt; at pugna Albiniana, qua captus eſt Aurelianus, quinto Kal. ſextiles anno eius ſæculi octuageſimooctauo commiſſa fuit (vt ſupra ſcripſimus.)

Hæ nuptiæ Maximiliani inueteratum in Gallos odium vel Margaritæ filiæ repudio, vel ſperatarum nuptiarum fruſtratione nouis occaſionibus accenderũt, & renouandi in Atrebatibus belli cauſam attulerunt. Henricus quoque Septimus Caroli opera non ita pridem Angliæ regno potitus eodem Maximiliano exciente, Anglis vrgentibus anno eius ſæculi nonageſimo in Galliam claſſe delatus Bononiam vrbem maritimam oppugnare tentauit: *Anno 1490.* lentè vero eam oppugnationem inſtituit, auxiliarem Maximiliani militem ſe operiri vel ſimulans, vel obtendens. Huic Crepecordius Picardiæ prætor, ac Cardo nothus Atrebatum præfectus cum modica Gallorum manu, ne ad terram appelleret, obuiam prodierunt; ſed quod non ex animo, verum à ſuis quodammodo coactus, ne Gallorum nimis ſtudioſus videretur, eam expeditionem ſuſceperat, cum Crepecordio colloquutus pecuniam Franciſco minoris Britanniæ regulo olim creditam repetiuit, & belli impenſas depopoſcit. Accepta pecunia Maximilianum de promiſſis auxiliis fefelliſſe cauſatus pacem iniit: ſibi ſuíſque ſatisfactum putauit, atque in Angliam rediit. Poſtridie initi Anglici fœderis Atrebates Maximilianus hunc in modum recepit: Atrebates initio in ſuam poteſtatẽ redactos ſolum vertere Ludouicus iuſſerat, & in Galliam veluti nouos colonos deduxerat: vnus duntaxat remanſerat faber ferrarius; is de vrbe Maximiliano prodenda cogitans primum adulterinas portarum claues parauit: tum ſocios aliquot clandeſtinæ coniurationis ſibi copulauit. Occaſionem nactus vel quod præfectus Cardo abeſſet, bonámque præſidij partem Bononiam proficiſcens ſecum eduxiſſet, vel quod Carqueleuanus, qui tum Cardonis abſentis vice fungebatur, natione Britannus ſe quotidie vino ingurgitaret, ac præfecti negligentiam ſocordes, variíque præſidiarij imitarentur, Germanos Maximiliani milites, cæteróſque ſuæ factionis eorum, quæ in vrbe gererentur, certiores reddidit; horam, locúmque præſcripſit, quibus adeſſe vellet: cantiunculam teſſeræ vice dedit, qua conſiſtere, vel progredi, atque accelerare monerentur. Ita ſopitis cuſtodiis portis adapertis intromiſſi Germani, cæterique, quod multorum menſium ſtipendia non accepiſſent, vrbem, ſacráſque vrbis ædeis diripuerunt: multos ex præſidiariis, ac ciuibus ceciderunt, cæteros captiuos retinuerunt. Ad primum tumultum Carqueleuanus ſemiſopitus cum aliquot militibus in arcem euolauit: ita animo fractus, vt prima ſupplicij denuntiatione ſe ſtatim arcémque dederet, quum die altero Gallica auxilia præſto fuiſſent.

Fabri ferrarij clandeſtina coniuratione Atrebatũ Maximiliano deditum.

37 Paucis poſt diebus Ambianos nocte intempeſta aggreſſi Maximiliani equites ſtrenuè repulſi ſunt, fœdus deinde inter Philippum Maximiliani filium, ac Carolum Galliarum Regem Crepecordio procurante initum: duobus qui proxime conſequuti ſunt annis ſumma in pace Gallia vniuerſa, atque Italia conquieuit. *Anno 1491.* Crebræ interim à Ferdinando Hiſpano ad Carolum legationes commeabant: Ruſcinonenſem Comitatum Ludouico oppigneratum Ferdinandus repetebat, antiquos Galliarum fines iuſto pretio redemptos Galli proceres reſtituendos negabant: Galliam Hiſpanis inuiam retentis hiſce propugnaculis ſe facile tueri, amiſſis in prædam, atque in iniurias patere. Repulſam paſſus Ferdinandus nouis artibus ſua recuperare inſtituit: Oliuarium Mallardum ſodalem Franciſcinum celeberrimum ſui temporis concionatorem ingenti pecunia redemit, qui ſuperſtitione Regi adoleſcenti, Regíſque præceptori Ludouico Ambaſiano Heluiorum Pontifici iniecta patris Ludouici manes, ſi iniuſtæ poſſeſſiones retinerentur, hoc nomine immaniter cruciatum iri, eandémque pœnam Carolum filium manere homo vernacula eloquentia potens, acérque proclamaret. Socium ſibi Ioannem Manlernem ſuæ profeſſionis ſodalem Franciſcinum Mallardus aſciuit: is more Chriſtiano Annæ Caroli ſorori à ſacris confeſſionibus erat: horum duorum technis, atque importunitate, qui aulicorum quorumdam Annam adulantium credulitate abuſi Ludouicum iamiam moriturum ita mandaſſe mentiti ſunt, idque paſſim diuulgarunt, perfectum eſt, vt Anna ſuperſtitioſa mulier, quæ Galliam adhuc fratre muliebribus amoribus, aliíſque (vt ea fert ætas) voluptatibus irretito adminiſtrabat, facile perſuaderetur, cæteróſque, qui tum Regi à conſilio erant, vel in eandem ſuperſtitionem adduceret, vel authoritate ſua, vt aſſentirentur, induceret. Pecunia non exoluta Ruſcinonenſis ager Ferdinando ea conditione reſtitutus, vt Hiſpani Reges, quemadmodum & antiquis fœderibus cautum erat, perpetuo Gallicam amicitiam colerent, neque ab ea tantæ liberalitatis memores temerè diſcederent.

Ferdinandus nouis artibus ſua recuperare aggreditur.

K 2 Itali

Digitized by Google

Itali ſcriptores additum ſcribunt, ne idem Ferdinandus Ferdinandum Regem Neapolitanum Alphonſúmque filium tametſi propinquos, ac gentiles aduerſus Carolum id regnum ſibi aſſerentem vllis auxiliis iuuaret: ſed id incertum temporis diuerſitas reddere mihi videtur. Si quidem anno huius ſæculi nonageſimoſecundo Ludouicus Ambaſianus Heluiorum Pontifex Ferdinandi legatos in Ruſcinonis poſſeſſionem induxit, atque inde Gallica præſidia reuocauit, quum nullus adhuc de bello Neapolitano ſer-
Anno 1493. mo habitus fuiſſet: anno autem proximo (qui huius ſæculi nonageſimustertius fuit) poſt ſocietatem Aprili menſe cum Alexandro Pontifice Maximo, Venetiſque firmatam Ludouicus Sfortia conſilium Caroli in Italiam euocandi ſuſcepit (vt illi ipſi, ac Cominæus tradunt) mox oratores in Galliam miſit: confirmatam paulò ante, quam Carolus Neapolitanam expeditionem ſuſciperet, nouis legationibus amicitiam veriſimile eſt: diſertéque additum, ne Carolum regnum Neapolitanum ſibi vendicantem Hiſpanus impediret, néve ad propinquum Regem Neapolitanum auxilia mitteret, vt etiam nonnulli hiſtorici prodiderunt.

Hoc fere tempore Ludouicum Aurelianum Britannico ad Fanum Albini prælio ca- 38
ptum, atque in cuſtodiam traditum Ioannæ ſororis Aureliani vxoris precibus exoratus Rex Carolus emiſit, & magna in poſterum beneuolentia proſequutus eſt. Cum Maximiliano duplici contumelia laceſſito conuentu Syluanectenſi fœdus renouatum: repudiata fuerat Margarita filia, Annam Britannicam eidem deſponſam Carolus vxorem duxerat, vt Britanniam nuper occupatam iure poſſideret. Hinc bellum inexpiabile exoriturum videbatur: ſed & Maximiliano in bellum deerat pecunia, & Flandricæ prouinciæ continuis bellis afflictæ pacem omni ratione depoſcebant. Pacis itaque conciliandæ ergo Federici Imperatoris, Maximiliani Romanorum Regis, Philippi eius filij, quem vulgo Archiducem, ſiue Archiſtrategon (vt Græco verbo vtar) vocarunt, Comitis Palatini, Heluetiorum legati Syluanectum profecti cum Petro Borbonio, Arauſio principe, Crepecordio, cæteriſque Gallis proceribus de omnibus controuerſis capitibus communicarunt. Conuenit vt Margarita Philippo fratri reſtitueretur: occupatas Atrebatum vrbeis, Hiſdinum, Bethuniam, Aëriam (nam Atrebates, atque Odomari Fanum dolo Flandri receperant) in quadriennium præſidio relicto Carolus, arceiſque retineret: vſusfructus interim Margaritæ cederet: finito quadriennio Philippus iam pubes pacem iureiurando confirmaret, & vrbeis, arceiſque reciperet. Quadriennium octauo Kal. Iulias anno eius ſæculi nonageſimooctauo finitum ſcribit Cominæus: vnde conuentum Syluanectenſem anno eius ſæculi nonageſimoquarto coiiſſe coniicere eſt, alij anno ſuperiore, hoc eſt, nonageſimotertio celebratum Margaritámque remiſſam ſcribunt.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM

LIBER QVINTVS.

1 QVÆ hucuſque Carolus huius nominis VIII. Galliarum Rex geſſit, Anno 1493.
non tam ex ſuo ſenſu quàm ex Petri Borbonij Boiorum reguli, Annæ ſororis, aliorúmque, qui rem Gallicam eius nomine procurabant, conſilio, atque authoritate geſſit. Neapolitanam expeditionem contra omnium, qui vel illi à conſilio erant, vel apud Gallos rei bellicæ gloria, aut maiore prudentia præſtabant, ſententiam Stephani Veri, ſiue Verſij, Briſſonnetique ambitione inductus ſuſcepit: quamquam iſte in priore deliberatione Gallorum procerum certis argumentis, rationibúſque victus non perſtitit. Stephanus Verſius, quem alij Verrium, alij Verum appellarunt, in Narbonenſi Gallia humili loco natus primum inter cubicularios inferioris ordinis miniſtros, puero Carolo operam dedit: deinde gratia apud eundem iam adoleſcentem potens, ac Belcarij oppidi præfectura (Seneſchallatum vulgo nominant) donatus inter ſuperioris ordinis cubicularios numeratus fuit; cui ſe Gulielmus Briſſonnetus ex mercatore quæſtorum Regiorum princeps, nec illuſtriore genere clarus addixit. Hi ſe mutuis officiis deuincientes, & cautè inſinuantes, vt apud Regem adoleſcentem incautúmque, in flagrantiſſima gratia eſſent, perfecerant: neuter tamen vel rerum experientiam, vel rariorem prudentiam, ſed neque rei militaris peritiam ſibi vendicare audebat, quibus tantam belli imminentis molem ſuſtinere, aut Regem herum in diſcrimen vocatum, vel manu vel conſilio explicare poſſet: vt Neapolitani belli non conſilium ſed fortunam duntaxat poſteri laudare debeant; quæ vt initio clara, ac celebris fuit, ita nullo certo fundamento nixa vnà cum ipſa victoria prorſus euanuit. Carolum nihil de rebus Italicis ſuſpicantem Ludouicus Sfortia vulgo Maurus, hoc eſt, Æthiops à colore atro, vel à punica aſtutia appellatus tum Mediolanenſis adminiſtrator homo ingenio acer, ſed malo, prauóque, in Italiam euocauit. Is Gallicarum rerum non ignarus, quos apud Carolum multum poſſe intellexerat, partim magnis muneribus, partim maioribus pollicitationibus ſibi conciliandos putauit, Stephanum Verſium in primis, qui ſe quaſi Regis nutritium venditabat, ac Stephani ſocium Guilielmum Briſſonnetum qui tametſi ingenio haud admodum ſolers, tamen ſua pecunia fretus nihil non magnum, atque arduum cogitabat: illi opulentum in regno Neapolitano Ducatum, huic galerum Cardinalitium Sfortia promittebat. His inanibus auris vterque in Italiam animo delatus, Regem quoque vnà ſecum trahere omni ope properabat: ſed quandoquidem Itali ipſi exitiale hoc bellum ſibi conflarunt, antequam ad narrationem aggrediar, quo in ſtatu res Italicæ tum fuerint ediſſerere operæpretium exiſtimaui.

Carolus in Italiā à Ludouico Sfortia euocatus.

2 Pacem tota Italia, Galliáque bene conſtitutam (vt videbatur) Innocentij VIII. Pontificis Maximi repentina mors, exortæque inter Ferdinandum Neapolitanum, ac Ludouicum Sfortiam ſuſpiciones conturbarunt. Anno huius ſæculi nonageſimotertio ineunte Rodericus Borgia Valentinus natione Hiſpanus ſucceſſit, qui Alexander VI. nominari voluit. Hanc in ſummo Pontificatu commutationem non minor in Florentina Republic. commutatio anteceſſerat; Laurentio Medici homini prudenti, & Italorum principum conſilia, ac potentiam veluti æqua lance ponderanti, qui anno ſuperiore, ſuæ vero ætatis quadrageſimoquarto Aprili menſe deceſſerat, Petrus trium liberorum natu maximus, ſed adoleſcens adhuc ſucceſſerat. Is vbi ad Reipub.

Digitized by Google

adminiſtrationem acceſſit, non eandem, quam pater, ſed contrariam potius rationem ſequutus, ita ſuadente Virginio Vrſino, ex qua familia Clarix Petri mater, atque Alphonſina vxor Virgilij filia prodierant, primariis ciuibus in conſilium non adhibitis, vti pater ſemper adhibere maioribus in negotiis ſolebat, clandeſtinam cum Ferdinando Neapolitano, Alphonſóque filio ſocietatem coiit: vnde iuſtam Ludouicus Sfortia homo vigilans, & in omneis occaſiones intentus ſuſpicandi anſam nactus eſt; qua Ferdinandum, Alphonſúmque filium, ſiquando Mediolanenſis principatus adminiſtrationem ad Ioannem Galeatium generum transferre tentaret, paratas ſimul, ſociáſque Florentinorum vires habiturum coniiceret. Siquidem aduerſus Venetos iam toti Italiæ formidabiles interruptum ſæpius inter Ferdinandum Neapolitanum, Ioannem Galeatium Mediolanenſem regulum, ac Florentinos fœdus anno eius ſæculi octogeſimo in viceſimum quintum annum renouatum erat, cui cæteri anguſtiorum regionum reguli vnà conſenſerant: nam mortuo Philippo Maria Mediolanenſem agrum tuendæ Mediolanenſis populi libertatis ſpecie Veneti inuadere, & recentiore memoria Ferrariam occupare tentarant. Eo fœdere diſertè cauebatur, ne quis ex fœderatis aliud fœdus, aliámve ſocietatem cæteris non admonitis, aut inuitis coïret: arcanæ autem inter Ferdinandum, Petrúmque coïtionis inde ſuſpicio exorta, vetus inter Chriſtianos noui Romani Pontificis adorandi mos multis ſæculis inoleuit.

Ludouicus Sfortia, qui noua ſemper aliqua ratione maiorem, quam cæteri prudentiæ famam conſequi ambiebat, fœderatorum legatos ſimul, & eodem die Romam ingredi, ſummum Pontificem ſimul adorare; vnum pro tribus orationem habere, vt toti Italiæ vnam trium, eandémque eſſe voluntatem palam fieret, commodiſſimum putabat, ídque ad communem conſenſionem ornandam plurimi intereſſe exiſtimabat: Innocentium Octauum, quod fœderati vix inter ſe cohærentes (vt coniiciebat) diuerſis temporibus, nec eodem animo, conſilióque ad ſe acceſſiſſent, regni Neapolitani inuadendi occaſionem cepiſſe: ſi ita conſentienteis Alexander Nonus Pontifex viderit, rerum nouandarum, ſi quam habeat, cupiditatem poſiturum. Id conſilium Ferdinandus vir prudens facile comprobauit, vtriuſque authoritatem Florentini æquis animis ſequuti ſunt; nec in publico conſilio Petrus Medices repugnauit, tametſi id apud ſe tacitus ægerrimè ferebat, quod à Florentinis, legatorum princeps deſignatus, vt legationem ſuam illuſtriorem redderet, ſuperbum, ac prope Regium apparatum, comitatúmque ſibi comparauerat, quem penitus iſta tot fœderatorum legatorum turba obrutum iri indignabatur. Vanitatem inconſiderati adoleſcentis Gentilis Pontificis Aretini confirmauit ambitio, qui inter legatos cum Petro deſignatus vel propter functionis authoritatem, vel propter humaniorum litterarum, quibus egregiam operam nauauerat, excellentem peritiam Florentinæ Reip. nomine orationem habiturus expectabatur: is noua, inopinatáque de cauſa bonam oſtentandæ in tã celebri conuentu eloquentię occaſionem ſibi ademptam grauiter ferebat. Petrus itaque vel aliena ambitione, vel priuata leuitate inductus à Ferdinando ſumma ope contendit, vt Ludouico perſuaderet, tot fœderatorum legatos commodè vnà coïre non poſſe: in tanta turba vix quemquam, quæ ſui ſint muneris curaturum, vt ſinguli veteri more conſuetum ſummo Pontifici obſequium præſtent, ſatius eſſe. Ferdinandus Petro obſequutus id prope inuitus à Ludouico poſtulauit, non tamen diſſimulauit ſe quidem à priore ſententia haud diſcedere: cæterum Petro magna contentione flagitanti denegare id noluiſſe. Subitam commutationem iniquè tulit Ludouicus, priorem fœderatorum conſenſum iam Pontifici, atque ipſis adeo Cardinalibus notum eſſe queſtus eſt: vt eius exiſtimatio imminuatur, fœderatíque inter ſe non ſatis conſentire intelligãtur, in alteram ſententiam itum: ſed quod inde clandeſtinam inter Ferdinandum, Petrúmque coïtionem ſubeſſe ſuſpicatus eſt, id vero ille iniquiſſimè tulit, quæ nimirũ non multis poſt diebus certis argumentis deprehenſa eſt. Franciſcus Cibous, Petri Medicis affinitate fretus poſt Innocẽtij mortem Florentiam ſeceſſerat: is Anguillariam, quæ Fidenatium vrbs olim fuit, Ceruetram, aliáque oppida, atque arceis ab Pontifice ſibi condonatas retinere deſperans, authore Petro quadraginta nummûm aureorũ millibus (quos ducatos vocant) Virginio Vrſino addixit: bonã pecuniæ partem Virginio affini, & ſub ſe militanti ſuppeditauit Ferdinandus: nã belli, quod cum Innocentio non ita dudum geſſerat, & controuerſiarum, quæ inter Romanos Põtifices regnum Neapolitanũ quaſi Romani Pontificatus fundum, vel feudũ (vt loquuntur) ad ſe reuocanteis, & Reges Neapolitanos intercedere ſolent, hoc præſertim egit, vt viros primores Pontificiæ ditionis, vrbiũ, arciúmque munitiorũ poſſeſſores ſibi adiungeret, aut etiam obnoxios redderet; his ſociis aduerſus Pontificem, ſi quando

bellum

bellum immineret, vſurus. Præterea Aſcanium Sfortiam Cardinalem Alexandro (vt rebatur) intimum pertimeſcebat: Calixtum Tertium Alexādri auunculum in Alphonſi patris ditionibus natum quinetiam domeſticum, eiuſdémque opera ad maiores ſacras functiones euectum, vnde ad ſummum Pontificatum peruenerat, tantorum beneficiorum oblitum, aut potius ingratum, niſi mors interueniſſet, ſibi, vt Petrum Borgiam fratris filium in Alphonſi locum ſufficeret, bellum illaturum fuiſſe meminerat; quaſi Alphonſi morte ad Romanum Pontificem noui Regis creandi delata poteſtas eſſet: ne regnandi aut propinquos ad iniuſta imperia promouendi cupiditas in Alexandro eſſet, ſubuerebatur. ſed hominum prudentiam, quam omnes aut temerè Ferdinando tribuebant, ſæpè maior (ea eſt humani ingenij imbecillitas) imprudentia comitatur; non animaduertebat Ferdinandus quantam rerum perturbationem paucarum arcium iniuſta poſſeſſio inferret: quod ſe inſcio, nec authore emptio facta eſſet, arceis ſibi commiſſas Alexander aiebat, nec tantam indignitatem tolerandam putabat. Itaque varios tota Italia ſparſit rumores, & de Ferdinandi, Petríque Medicis ambitione, ac Virginij ſibi obnoxij audacia queſtus eſt: omnia, quo Pontificiam authoritatem conſeruaret, ſe tentaturum profeſſus.

4 Nec minore indignatione Ludouicus quoque Sfortia commouebatur, qui omneis Ferdinandi, Alphonſíque actiones ſuſpectas habebat, quantam Ioanni Galeatio Mediolanenſi regulo Alphonſi genero iniuriam faceret, ſibi conſcius: tum vero Alexandrum (nondum enim eius ingenium nouerat) Pontificatum ex Aſcanij fratris, ſuíſque conſiliis moderaturum ſperabat, & quicquid illi decederet, ſibi deceſſurum putabat. Alexandrum itaque, ne Pontificatus initio in ſuorum contemptum veniret, ad retundendam acerrimè Virginij audaciam adhortatus eſt; nec paucas ſolum, exiguíque momenti arceis ſibi furtim ereptas, ſed bonam Pontificiarum ditionum partem, ſi prima hæc iniuriarum veluti rudimenta negligeret, iiſdem acceſſuram proponeret: Ferdinandi ambitionem haudquaquam terminis hiſce circumſcribi; in exiguis, quid nouus Pontifex animi haberet, periculum facere voluiſſe. quod ſi forti animo ius ſuum tueri incipiet, ſacroſanctam vti debet vniuerſus orbis Chriſtianus Pontificiam Maieſtatem colet, venerabitur, adorabit. Sin perculſus, & abiectus diſſimulabit, inanibus dumtaxat titulis, nominibúſque illuſus potius, quam ornatus paſſim contemptus iacebit, atque hoſteis ad maiora audenda ſua nimia patientia prouocabit: Reges Neapolitanos ſemper Romanis Pontificibus infeſtos fuiſſe, priuatas etiam accedere inimicitias, Calixti eius auunculi conatus altius Ferdinandi animo inſediſſe; eorum maturam illum iam moliri vltionem. Orationi non leue momentum addidit, quod quadraginta nummûm aureorum millia Alexandro mutuò dedit, atque vnà cum illo trecentos cataphractos equites communi ſtipendio alendos, ſed vbi Pontifex iuberet, militaturos coëgit: ne tamen incendium excitaret, quod fruſtra mox extinguere conaretur, Ferdinando ſuaſit, vt Virginium Pontifici reconciliaret; ex paruis diſcordiis magna interdum bella conflari. Petrum verò Medicem amicè admonuit, vt patris viri prudentiſſimi, atque optimi veſtigia ſequeretur: mutuæ inter ſe, Ferdinandúmque amicitiæ ſequeſter potius eſſet, quam alteri ſe totum dederet; ne nouis alieníſque conſiliis alios in eam neceſſitatem adduceret, vt conſilia omnibus iuxta pernicioſa ſequi cogerentur: meminiſſet quantū authoritatis vtrique familiæ Medicea (inquam) ac Sfortianæ antiqua amicitia attuliſſet: quot, quantáſque iniurias, ac calamitates patri nuper, olim maioribus ſuis, ſæpius Florentinæ Reip. fraudulentis conſiliis, occultis inſidiis, apertis armis Aragonij importarint: quoties totius Hetruriæ imperium inuadere aggreſſi ſint. Sed huiuſmodi monitiones aut nihil, aut parum proderant; Ludouico, Aſcanióque Sfortiis cedere Ferdinandus indignum exiſtimabat, quorum occultis aculeis ſtimulatum Alexandrum tanta aduerſum ſe indignatione efferbuiſſe ſuſpicabatur. Itaque Alphonſi filij inſtigantis audacia impulſus Virginio author fuit, vt emptarum arcium poſſeſſionem adiret; ſiquis contra vim faceret, illi ſe non defuturum pollicitus. Ludouicus autem Sfortia varium Alexandri ingenium ſuſpectum habens, & coniunctos cum Ferdinando Petrum Medicem, Virginium, Vrſinum, Proſperum, & Fabricium Columnas ſuarum familiarum principes, & quondam hoſtem, tum vero amiciſſimum Iulianum Rouereum Cardinalem Oſtiæ Pontificem (cuius vrbis arcem Alexandrum ſuæ vitæ inſidiantem veritus inſederat) multum poſſe ratus, contrariam illis factionem opponere, & Alexandrum Venetos, Mediolanenſem regulum, cuius adhuc nomine omnia adminiſtrabat, noua ſocietate coniungere deſtinauit: ſed Venetos præter expectationem tardiores offendit. Quanquam enim veterem noua ſocietas diſſoluebat, idque Venetis ex vſu erat, tamen in Alexandro inconſtantiam ſubuerebantur:

Ludouici Sfortiæ rationes apud Alexandrū Pontificem.

5 Societas Aprili menſe anno eius ſæculi nonageſimo tertio inita eſt, qua mutua ſibi Alexander, Veneti, Mediolanenſis regulus auxilia promittebant; diſertéque cauebatur, vt rei Mediolanenſis adminiſtrationem Ludouico Alexander, Venetique ſartam tectam conſeruarent. Contra vt Romam Ludouicus, ac Veneti centenos ſinguli cataphractos equites ad recuperandas amiſſas arceis, aut maiores, ſi opus eſſet, copias mitterent. Hac poſteriore confirmata prior illa cuius iam meminimus anno eius ſæculi octogeſimo inita ſocietas irrita iacebat, qua cautum fuerat ne quis fœderatorum cæteris inuitis aut non admonitis nouam ſocietatem coiret. Itaque Alphonſus Calaber, ac Petrus Medices aduerſam factionem anteuertere prius quam ipſi anteuerterentur cupientes, Proſpero, Fabricióque Columnis facilè aſſentiebantur, qui Iuliano Rouereo Cardinale inſtigante Romam ſe ex inſidiis inuaſuros pollicebantur modo ſibi Vrſini iungerentur, atque ipſe Alphonſus Romam ingreſſus intra triduum opem ferret: Ferdinandus autem huiuſmodi conſilia dubia, & incerta quaſi maiores tumultus excitatura reiecit, Virginiíque reconciliationem cum Alexandro procurauit, ac Ludouicum Sfortiam placare inſtituit. Sed Ludouicus incertum Alexandri animum, Ferdinandi diſſimulationes, Venetorum ambitionem Mediolanenſibus finitimis imminentem ex æquo ſuſpectam habens maiora auxilia comparare, & Regem Carolum ad regnum Neapolitanum inuadendum arceſſere deſtinauit; anceps conſilium ingreſſus, & ſi res Gallicæ ex virorum prudentium, militarúmque ſententia adminiſtratæ fuiſſent, conſultori ipſi peſſimum: huc hominem alioqui callidum mens ſibi malè conſcia adigebat; quantam Ioanni Galeatio Mediolanenſi regulo fratris filio iniuriam faceret ſecum reputabat, quem viceſimum quartum ætatis annum agentem liberis etiam ſuſceptis paterna ditione priuabat. Iſabellam Galeatij vxorē acrem, prudentémque fœminam continuis querelis miſerabilem ſuam, maritíque fortunam apud Alphonſum patrem, auúmque Ferdinandum deplorare non ignorabat: id Ferdinandum cautum ſenem diſſimulare, Alphonſum apertiorem grauiter minari compertum habebat.

6 Accedebat quod Philippus Maria Vicecomitum vltimus Mediolanenſium regulus Alphonſum ſeniorem Ferdinandi patrem primis teſtamenti, veríſque (vt ferebatur) tabulis hæredem reliquerat: quo iure Aragonij Mediolanenſem ditionem repetere poterant, & repetituros, ſi ſe daret occaſio, ſuſpicabatur. Sed, quod animum ambitione cæcum maiorem in modum cruciabat, ſe Mediolanenſibus iuxta omnibus exoſum intelligebat, vel quod nouis indictionibus ingentem pecuniam præter morem extorſiſſet, vel quòd Galeatij mitis indolis adoleſcentis patrimonium præter ius & æquum interuerteret: hac quaſi deſperatione, quæ non minùs timidos pauore, quam confidentes & audaces temeritate perturbat, & ad extrema omnia tentanda adigit, externas vires commouere, & bellum Italiæ pariter, Galliæque, ac ſibi exitiale ſuſcitare properauit: Carolum Galliarum Regem huius nominis VIII. ad recuperandum hæreditarium Neapolitanum regnum impulit.

Quo iure Gallorū Reges Neapolitanum regnū ſibi vendicent.

Quo iure autem id ſibi vendicarit Carolus, antequam ad alia progrediar, explicare non alienum erit: Regnum Neapolitanum, ac Siciliæ inſulæ, quod regnum vtriuſque Siciliæ citra, vltráque fretum in Pontificiis diplomatis ineptè nuncupatur, niſi ad ea tempora referas, quibus Sicilia inſula antequam mari irrumpente diuideretur, pars Italiæ fuit, & vtramque eam regionem dum coniuncta erat, Siciliam dictam putes, in quam ſignificationem antiquorum ſcriptorum nullus, ni fallor, Siciliæ nomen vſurpauit, Carolo Comiti Andegauenſi prouinciæque Phocenſis, Ludouici Pij Galliarum Regis fratri, quaſi à Manfredo Federici Secundi Germanorum Imperatoris filio notho iniuſtè poſſeſſum Clemens Quartus Pontifex Maximus condonauit. Id Vrbano Quarto alij tribuunt, qui è Tricaſſibus celebri Campaniæ Celticæ vrbe humili patre natus ad ſummum Pontificatum magnis virtutibus ſibi aditum aperuit, & Carolum de purpuratorum patrum conſilio aduerſus Manfredum tyrannum in Italiam euocauit: ſed antequam is Romam appelleret fato functus Clementem Quartum Gallum quoque natione, & eadem ſanctitate venerabilem ſucceſſorem reliquit, cuius iuſſu Carolus, ac Beatrix vxor Romam profecti Siciliæ Reges in Lateranenſi æde purpurato legato operante coronati ſunt: (is eſt Rodolphus de Cheuriers Gallus, Epiſcopus Ebroicenſis, & Cardinalis Albanus) nam tum Clemens Viterbium incolebat. Conditiones additæ, vt Romano Pontifici, in cuius fide id regnum eſſet, clientelæ nomine quadraginta nummûm aureorum millia Carolus, poſteríque Siciliæ Reges quotannis dependerent, nonnulli octo millia adiiciunt: præterea ne iidem Reges Germanicum Imperium etiam vltro oblatum ſuſciperent. Id cauiſſe Pontificem putant, vel quod Reges Siculos in potentiam ſibi mox formidabilem euehi nollet, vel quod vtriuſque Federici Primi (inquam) ac Secundi Imperatorum, qui totam Italiam

Carolus Andegauenſis coronatus à Rodulpho de Cheuriers.

Italiam miſerandum in modum vaſtauerant, memoriam exhorreſceret; vel quod tum de Imperio inter Alphonſum Caſtulonenſem, ac Comitem Cantorbienſem Regis Angli fratrem contentio eſſet, ad quam Carolum relictis Italicis rebus accedere extimeſceret, quem cum Manfredo immani Romani Pontificatus hoſte committere ſtatuiſſet:delatum regnum armis Carolus ſuperato, cæſóque Manfredo ſibi vendicauit. Carolo patri Carolus Secundus, vt Itali numerant, Secundo Robertus filius, Roberto auo Ioanna Caroli Calabri filia ſucceſſit, nam pater aliquot ante annis fato functus erat:hæc vel propter impudicitiam, vel propter muliebris ſexus contemptum propinquis eiuſdem ſtirpis à Carolo Primo oriundis ad regnum aſpirantibus, & rem Neapolitanam Salica lege metiri conantibus, in maximas difficultates redacta Ludouicum Andegauenſem Caroli Quinti Galliarum Regis fratrem adoptauit: ſed antequam is ad regnum Neapolitanum appelleret, Ioanna violenta morte ſublata eſt. Ludouicus Appuliam ingreſſus in media quaſi victoria diem ſuum obiit,ſolam prouinciam Phocenſem hæredes acceperunt. Carolus Duraſius Ioannæ hoſtis, idem ac gentilis, regno potitus eſt: Duraſij filius Ladiſlaus ſine liberis anno decimi quinti ſæculi decimo quarto moriens alteram Ioannam ſororem reliquit hæredem, quæ Alphonſum Tarraconenſem, ſiue Arragonium, vt nomine corrupto vulgo nominant,Primum, deinde illo abdicato Ludouicum Andegauenſem aduerſus quem Alphonſum ante aſciuerat adoptauit, expulſóque Alphonſo, quoad vixit, regno potita eſt: moriens Renatum Andegauenſem Ludouici adoptati fratrem teſtamento hæredem ſcripſit: ſed Neapolitani proceres teſtamentum falſi arguentes Alphonſum reuocarunt. diuturno inter hunc, Rhenatúmque bello Neapolitanorum magis, quam alterutrius viribus certatum,penes Alphonſum victoria tandem fuit,qui Ferdinandum filium nothum præterito Ioanne Tarraconenſi fratre ſucceſſorem deſignauit.Ferdinandum bello aggreſſus eſt Ioannes Renati filius, ſed infœlici exitu, quo mortuo Carolum Cenomanorum Comitem fratris filium Renatus, Carolus ſine liberis moriens Ludouicum Vndecimum huius nominis Galliarum Regem conſobrinum teſtamenti tabulis hæredẽ ex aſſe ſcripſit.

7 Paulus Iouius Ludouicum à Renato hæredem inſtitutum Gallicæ hiſtoriæ ignarus memoriæ prodidit; ſed falſo: prouincia enim Phocenſi aliquot ante mortem annis Renatus Ludouico ſororis filio ceſſit, Carolum Cenomanum ex aſſe reliquit hæredem. Ius autem quod pro derelicto Ludouicus pater habuerat, Carolus Octauus aduerſus Ferdinandum, Alphonſúmque perſequi deſtinauit:tametſi eandem hæreditatem Renatus iunior Lotharingiæ regulus Renati ſenioris è filia nepos ſibi vendicabat: & anno huius ſæculi octogeſimo quarto ad regem in Gallias Barum, prouinciámque Phocenſem repetiturus acceſſerat (nam de regno Neapolitano merum tum ſilentium erat.) Lotharingus de Renato auo grauiter querebatur, qui filia, ac ſe nepote exhæredatis Carolum Cenomanum prætuliſſet. Contra, qui rem Gallicam Rege vix pubere adminiſtrabant, huiuſmodi prouincias maribus addictas eſſe, fœminas inde excludi aiebant: inſtituere, quos vellet hæredes, in poteſtate Renati fuiſſe. Conuenit Ioanne Borbonio Boiorum regulo plurimum annitente qui Lotharingi ſororem iuuenem, formáque præſtantem ætate admodum prouectus vxorem ambiebat,vt Barum Lotharingus reciperet: intra quadriennium de Prouincia homines prudentes, doctíque prolatis vtrimque inſtrumentis, vtri iure adiudicanda eſſet viderent: interim triginta ſex in penſionem annuam argenti pondo millibus,ac centum cataphractis equitibus Lotharingus donaretur. Acceſſerunt intra idem quadriennium ad Regem Carolum è Prouincia iureconſulti, qui non ſolum Caroli vltimi Cenomanorum Comitis, ſed & Caroli Primi Andegauenſis, qui Ludouici Pij frater fuit, & Manfredum ſuperauit, deſcripta teſtamenta proferrent: quibus tantiſper dum mares ex Andegauenſi familia ſuperſtites eſſent, fœminæ exhæredabantur: tametſi vtraque Ioanna iamdudum regnauerat. Hi & Prouinciam, & regnum Neapolitanum ad eundem Carolum deferebant, quibus Stephano Verſio introducente facilis ad Regem aditus patebat, æquiſſimíſque auribus audiebantur: necdum tamen de regno Neapolitano propter infirmam Regis ætatem vllus ſermo erat. Finito quadriennio quum nihil impetraret Lotharingus,ex aula regia multa queſtus diſceſſit: ſed aliquot ante diſceſſum menſibus magnam illi regni Neapolitani occupandi occaſionem fortuna oſtentauit. A Ferdinando propter immanem tum ipſius,tum liberorum tyrannidem Neapolitani defecerant, ſéque Innocentio Pontifici Maximo dediderant: Ferdinandus nihilominus & ſuis, & Florentinorum viribus fretus rebelles vehementer vrgebat. Itaque Pontifex,ac Neapolitani Lotharingum Regem creaturi interim dum aulicis controuerſiis diſtinetur, accerſunt: triremes, quæ venientem excipiant, Genuam mittunt: Neapolitani legati, qui multi cum Lotharingo

Digitized by Google

Lotharingo aderant, vt quam citiſſime proficiſcatur, vrgent. Qui rem Gallicam adminiſtrabant Lotharingo fauere præ ſe ferebant: centum cataphractos equites, quibus donatus fuerat, ſecum educere permittebant: ſexaginta argenti pondo millia promittebant, viginti dumtaxat accepit, & longa mora bonam occaſionem è manibus amiſit. Cum Ferdinando Innocentius Pontifex, Neapolitaníque proceres conuenerunt: ſed hi Neapolim profecti capti, ac magna ex parte cæſi ſunt: quamuis Ferdinandus, liberíque in fœdus iuraſſent, atque Hiſpaniarum Rex, Veneti, Florentini ſe fœderis eiuſdem quaſi prædes obſtrinxiſſent. Antonellus Seuerinas Salernitanus princeps Ferdinandi ingenium perſpectum habens in fœdere comprehendi noluit, & ſtatim Venetias, inde in Galliam ſeceſſit. Lotharingus re infecta in Lotharingiam rediit: ſed antequam Venetiis migraret Salernitanus, quemnam ex tribus imploraret, & ad res Neapolitanas vocaret, Senatum conſuluit: Lotharingumne nuper communi Innocentij Pontificis, Neapolitanorúmque conſenſu aſcitum, an potius Galliarum, Hiſpaniæve Reges: illum iure Andegauenſium niti: hunc nothum Ferdinandum ſibi antelatum ægreferre: Lotharingum non his eſſe opibus, vt tantum bellum profligaret, Hiſpanum Siciliæ inſulæ addito regno Neapolitano nimis potentem, ac toti Italiæ formidabilem fore Senatus reſpondit: ſuadere, vt in Galliam proficiſcatur, huius nationis Reges & ſibi, & cæteris Italis principibus amicos fuiſſe. Hoc conſilio vſus cum tribus Bernardini fratris Biſſinianorum, vel vt alij ſcribere malunt, Beſſennianorum principis liberis ad Carolum acceſſit, & Stephano Verſio interprete belli Neapolitani fundamenta iecit. Iamdudum Bonam Sabaudicam Galeatij reguli matrem Mediolanenſi adminiſtratione priuatam Roberto Seuerinate * * Pallauicino, atque arcis Mediolanenſis præfecto vel ſociis adiunctis, vel propter Bonæ impudicitiam, nequitiamque facile aſſentientibus Ludouicus Sfortia filiorum tutela ſe abdicare coëgerat: tutelam ipſe ſuſceperat, ac paulo poſt Roberto Seuerinate expulſo (vt inter viros principes eadem ambitione flagranteis raro conuenit) firmas agri Mediolanenſis arceis immiſſis ſuæ factionis præfectis occuparat: paternos, fidóſque reguli amicos falſis criminibus obiectis vel trucidarat, vel eiecerat, & recenti memoria arcem Mediolanenſem præfecto in carcerem miſſo quaſi eandem Maximiliano Cæſari prodere deſtinaſſet, in ſuam poteſtatem redegerat: Venetos totius Italiæ armis oppreſſos à cæteris ſociis deficiens pace ad Balneolum conſtituta primum, deinde nouo fœdere cum Alexandro Pontifice, ſecumque inito ſibi deuinxerat: ipſum Alexandrum acerbo in Aragonios odio elatum in ſuas parteis adduxerat: certóque, ſi Arragoniorum vires frangeret Mediolanenſem principatum ſibi deſpondebat; eóque Gallos in Italiam euocare cupiebat.

Sed tantam belli molem ſolus commouere non audebat; vt facilius, ac maiore cum 8
authoritate euocaret, Alexandrum ſibi ſocium adiunxit: illum ab Arragoniis contemptum nulla ratione commodius vel hoſteis vlciſci, vel ſuis maiora opum, honorúmque faſtigia, quam ſi Gallos potentem, bellicoſámque gentem cum iiſdem committeret, parare poſſe perſuaſit. Nota Neapolitanis arma Gallica, quæ non magno numero, & à priuatis ducibus eo tranſmiſſa de Imperio ſæpe decertarint: quid ſi tota gens Rege ipſo duce irrumpat? tum Arragonios ſpretam Pontificis affinitatem vltro quæſituros, & denegatos Ducatus, Comitatúſve in dotem tradituros: nec vero vllum ab ea gente, quæ religionis ſtudioſiſſima ſemper fuit, Pontifici diſcrimen imminere, & conſentientem Italiam, ſi ita res feret, peregrinos conatus facilè repulſuram. Perſuaſus Pontifex, hortatórque Ludouicus variis de cauſis ad communem calamitatem arceſſendam coaleſcentes primum clam per homines fidos Caroli Regis animum pertentarunt, mox inſigni legatione miſſa rem apertius Ludouicus agendam ſuſcepit. Legationis princeps fuit Ioannes Franciſcus Seuerinas Calatiæ Comes Roberti Seuerinatis maior natu filius: nam patris hoſtis liberos miro amore Ludouicus proſequebatur, & Galeatio minori filiam notham in matrimonium collocarat: Calatino Galeatius Vicecomes, ac Carolus Balbianus additi. Illi quaſi ad confirmandam cum Rege amicitiam miſſi, de bello Neapolitano nihil publicè, priuatim cum Rege, Regiſque intimis ſedulo egerunt, ac breui ad Ludouicum redierunt.

Caroli Balbiani Sfortiani legati ad Carolum Regē oratio.

Carolus Balbianus ad rem promouendam relictus vbi propenſum Regis animum agnouit, in Regium conſilium admiſſus huiuſmodi habuit orationem: [Si quis forte Ludouici »
Sfortiæ initum, datúmque de bello Neapolitano conſilium ſuſpectum habet, Rex Chri- »
ſtianiſſime, huic antiqua Galeatij fratris, in primis autem Franciſci Sfortiæ patris erga »
Ludouicum patrem tuum obſeruantia ſatisfacere poſſet: cui ſuorum armis prope circum- »
ſeſſo idem Sfortia quanta potuit pecunia, auxiliis expeditis, prudenti conſilio præſto »
fuit. Sed alia ſunt huiuſce cauſæ magis propria, quæ diligentius animaduertere iuſtus »
æſtimator

æſtimator poteſt: ſi enim fortibus tuis auſis fortuna aſpirabit, ad Ludouicum Sfortiam ſola de hoſtibus vltio, nulla præterea vtilitas, ad te autem ampli regni acceſſio, egregia ad maiora audenda commoditas, ſempiterna gloria redibit: ſin (quod Deus omen auertat) fortuna abnuet, nihil de tua Maieſtate, regníque tui amplitudine decedet, quo longinquus hoſtis penetrare nullo modo poteſt: Sfortiam ſi non Arragoniis, at Arragoniorum ſociis Florentinis propinquum conſilij non fœlicis ſera pœnitentia, iniqua ex euentu ducta exiſtimatio, bellum propè domeſticum manebit. Et quoniam nulla bella niſi iuſta ſuſcipere Chriſtianæ pietatis eſt, quis neſcit Carolum Andegauenſem Ludouici Pij Galliarũ Regis fratrem cæſo Manfredo tyranno regnum Pontificis Max. authoritate delatum forti animo ſibi vendicaſſe, & poſteris deinceps poſſidendum reliquiſſe? Inde Andegauẽſes Reges ducentis fere annis ſumma cum gloria regnaſſe; donec Alphonſus Arragonius à ſeditioſis quibuſdã accerſitus Renatum Andegauenſem Antonij Caudolæ, nonnullorúmque aliorum proditione circumuentũ auita poſſeſſione expulit, & ad Ferdinandum filium nothum regnum iniuſtè poſſeſſum tranſtulit: antiqui huius Andegauenſium iuris hæres quo animo Arragonium nothum in Regio maiorum tuorum ſolio conſidere ſuſtinebis? an viribus magis, quam iuri diffiſus quod tuum eſt non repetes? ſiquidem ita natura comparatum eſt, vt noſtra conſeruare potius, quam aliena quærere debeamus: an incertos belli caſus, euentúſque formidabis? res quidem futuras certò præſagire mortales non poſſumus, argumentis penè certis conijcere poſſumus. Quis regnum Neapolitanum exiguis terminis circumſcriptum cũ Gallico ampliſſimo Chriſtianorum omnium regno comparare poteſt? quantam in re militari Gallici nominis apud exteras genteis, præſertim vero Neapolitanas exiſtimationem putas? quis Andegauenſium (quæ quota Galliarum pars eſt) regulus id regnum aggreſſus eſt, quin idem ad extremum diſcrimen adduxerit? Recenti ſane memoria Ioannes Renati filius regni compos euaſiſſet, niſi illi Pius II. Pontifex Max. longè vero magis Franciſcus Sfortia ab eodem Ioanne, vt Ludouico patri tuo obtemperaret, deficiens præſentem victoriam è manibus extorſiſſet. Quam verò diſpar tua conditio eſt? regnum habes adiecta minore Britannia antiquis Galliarum finibus amplificatum, atque auctum: quod olim totam Romanam potentiam tum quum maximè bellica laude floreret, variis præliis agitatum ſuſtinuit; víxque decennio non tam aliena virtute, quam domeſtica diſſenſione, Heduis, Maſſilienſibuſque vel Romanã amicitiam ſequutis, vel (vt verius dicam) externæ ambitioni patriæ libertatem prodentibus ſuperatum eſt. Socij in hoc bello tibi erunt Alexander Pontifex Max. qui regnum ſibi obnoxium tibi pro maiorum tuorum iure confirmabit, Romano agro contiguum iunctis copiis tecum inuadet, omnem commeatum ſuppeditabit: Neapolitanos Arragoniorum tyrannidem exoſos, aduerſus quos paucis ante annis Romani Pontificis fidem ſeſe dedẽtes implorauerint, ad tuas parteis pertrahet. Ludouicus Sfortia vir ſingulari prudentia paratam Genuæ claſſem cum Gallica conſociabit, copias maritimas, terreſtréſque coniunget, & ſe itineris ducem præbebit: horum authoritatem cæteri Italiæ principes ſequentur. Nam quod ad Venetos attinet, quis illos relicta Gallica amicitia, quam tot ſæculis perſanctè coluerunt, pro Arragoniis acerrimis ſuis hoſtibus propugnaturos, aut tanta belli impendia, diſcrimináque obituros putabit? Florentini & ipſi egregij Gallicæ amicitiæ cultores, aut in ſuſcepta iam ratione perſeuerabunt, aut inter Romanum, Mediolanenſémque agrum interiecti curſum victoriarum tuarum interrumpere non audebunt; quas tot, tantaſque rerum bene gerendarum occaſiones, ſi Ludouicus pater tuus Rex ſapientiſſimus nactus fuiſſet, his nimirum, qua prudentia, animíque magnitudine fuit, fœliciter vſus fuiſſet: ſed illum inde primum Burgundio, ac deinceps Burgundionis hæres Maximilianus, hinc Anglus perpetuus Gallorum hoſtis, Britannus amborum ſocius, Hiſpanus Ruſcinonis non redditi memor, Galli ipſi proceres antiquæ coniurationis ſibi conſcij, ac de noua ſuſpecti retardarunt. Tibi cum Maximiliano certa pax; Anglus tua opera in regnum reſtitutus: tibi dotalem Britanniam vxor Britanni hæres filia attulit, Hiſpanus Ruſcinone recepto ingenti tuo beneficio deuinctus. Quam verò te charum habeant Galli proceres, & regni initio tibi nõdum puberi æquiſſimis animis obtemperantes quum noua defectionis conſilia agitare, exequíque facillimum fuit, & nuper bello Britannico fortiſſimè pugnantes declararunt. At contra Arragoniis omnia ſuſpecta, incerta, aut potius aduerſa imminent, omnes finitimi infenſi, recentium ſummus Pontifex, veterum iniuriarum Florentini, Senenſes, Veneti, meminerunt: nec minùs illis domeſticus, quam externus hoſtis metuendus; Andegauenſis factionis principes non ita dudum regno pulſi magnas ibi cognationes, deuotóſque ſibi multorum animos reliquerunt. Illi ipſi qui Arragonios ſequuti ſunt, Ferdinandi, Alphonſique filij immanitatem, inſatiabilémque

Digitized by Google

inſatiabilémque auaritiam non ſolum in aduerſæ factionis viris primariis præter fœdus, ſacramentique religionem cæſis exoſi ſed in ſeipſis quoque non minorem experti vtrumque cõmuni odio auerſantur: hinc omnes pariter iiſdem contumeliis laceſſiti, iuſtitiæ autem, liberalitatis, comitatis Gallicæ memores ſola tui nominis fama adducti conſentientibus animis rebellabunt. Quum primùm igitur Alpeis copiæ tuę iam omnium opinione victrices tranſcenderint, ac Gallica claſſis Genuam appulerit, Ferdinandus, Alphonſúſque ſcelerum ſuorum, ac communis popularium odij conſcij iam non de regno tuendo, ſed de maturanda fuga cogitabunt: ita fertiliſſima totius Italiæ regio non tam finium latitudine, quam ſoli pinguis vbertate, maritimorúmque commerciorum cõmoditate laudanda tibi nullo negotio accreſcet: ſed Regi magnanimo, Chriſtianæque religionis in primis ſtudioſo, quorum alterum tibi natura indidit, alterius cognomen è re natum maiores tui tibi hæreditarium reliquerunt, longè maior, atque auguſtior ſe commoditas offert: neque enim priuatam vtilitatem ſequitur excelſus iſte tuus genius, vniuerſi potius Chriſtianiſmi propagationem amplectitur. Inde breuiſſimus in Græciam ſeptuaginta dumtaxat milliaribus quibuſdam regionibus diuiſam traiectus patet, quæ immani Turcarum tyrannide oppreſſa libertatis aſſertores deintegro Gallos tuo nomine recreata præſtolatur. Te enim magni Caroli ſobolem non ſolum nomine, ſed & animi magnitudine progenitorem tuum referentem, ſupplex implorat, tibi ſacrum bellum decernit, tibi Orientis Imperium deſpõdet; cuius bonam partem Turcis expulſis quondam Galli heroes non iiſdem opibus nixi Gotfredo Bullionio duce ſibi vendicarunt, & poſteris fruendam reliquerunt. Perge igitur alacri, fortíque animo, quo te ius à maioribus relictum, & Chriſtiana pietas vocat; quod tuum eſt, repete: inde publicam religionis cauſam ſuſcepturus, & nomen Chriſtianũ tranſmiſſis antiquis finibus aucturus: quantos enim progreſſus poſtremis hiſce triginta annis Turca fecerit, vti Conſtantinopolitanum, Trapezontinúmque Imperium occuparit, Rhodum oppugnarit, Hidrunto capto Italiam tentarit, poſtremo Dalmatiam, Illyricúmque ſubitis incurſationibus peruaſtarit, nemini ignotum eſt: quinetiam ingenti claſſe inſtructa tanta potentia auctus maius quiddam moliri, atque Italiæ imminere dicitur, vt principem Chriſtianæ religionis, antiquíque Imperij ſedem Conſtantinopolitana non contentus ſibi vendicet. Huic tu maturè occurrere, dum Græci priſtinæ libertatis, religioníſque memores magna ad victoriam momenta adiicere poſſunt, pro tua pietate debes, & de Imperio in alieno ſolo potius, quam in Galliæ finibus, aut fortaſſe in ipſis Galliæ viſceribus de libertate, ac ſalute decertare cum tibi glorioſius, tum certe longè tutius erit: vt non addam maiores tuos Ludouicum (inquam) Pium, Carolum eius fratrem Regem Neapolitanum, alióſque permultos ſola religionis contemplatione fretos longinqua bella ſuſcepiſſe, & cum pietatis fructu tantam, quanta homini Chriſtiano contingere poteſt, gloriam reportaſſe.

Gallorũ proceres Regi Carolo Neapolitanã expeditionem diſſuadent.

Hanc orationem Galli proceres, præſertim qui prudentia, ac rei militaris ſcientia cæteris antecellebant haud æquis animis acceperunt: bellum longinquum, & difficile videbatur: Ferdinandi ſenis prudentia, Alphonſi ætate vigentis, multíſque bellis exercitati induſtria, atque animi magnitudo celebris erat: ingenteis totis triginta annis, quibus Ferdinandus regnarat, opes congeſſerant, viris principibus magna ex parte cæſis, atque ſpoliatis. Contra Carolo nec propter ætatem conſilium, aut experientia, nec à natura par tantis rebus gerendis prudentia, nec tam animi magnitudo, quam iuuenilis quidam, & inconſideratus ardor inerat: nec ad tolerandam militiam, dignitatémque Imperatoriam retinendam corpus exile, breue, deforme, imbecillum ſatis aptum erat; &, quod magis virorum militarium animos offendebat, ita Verſio, Briſſõnetóque hominibus infimæ ſortis, nec experientibus ſeſe addixerat, vt ex eorum nutu omnia moderaretur, ad cæteros perpauca deferret: vtriuſque autem ambitio, atque auaritia nota erat, vnde Regis cõſilia, ac vires venales fore conſtaret. Ingens erat ærarij penuria, mutuam, quæ tanto bello ſatis eſſe poſſit, quos tandem credituros? incerta Ludouici Sforciæ omnia ſua vtilitate metientis fides, vel ab ipſis Italis omni perfidia notata quam in rebus tam dubiis certitudinẽ afferret: Italis omnibus ſuſpectam eſſe Gallicam potentiam, Ludouico in primis, vel propter viciniam, vel quod Ioannem Galeatium Mediolanenſem regulum Caroli conſobrinum quaſi in cuſtodia habeat, principatúmque præter ius, & fas ſibi vendicet, eóque nomine Arragoniis bellum inferendum curet: Franciſcum Sfortiam virum militarem, atque prudentem ſeniori Alphonſo iuſtis de cauſis inimiciſſimum Ferdinando filio nihilominus aduerſus Ioannem Renati Andegauẽſis filium anno eius ſæculi quinquageſimo ſeptimo tanta alacritate ſuppetias veniſſe, vt illi potiſſimum, quamuis Pio II. Pontifici Max. multum etiam ſe debere fateretur, Ferdinandus victoriam tulerit acceptam; idque non alia ratione feciſſe, niſi quod Gallicam

Digitized by Google

Gallicam potentiam Mediolanenſibus regulis formidabilẽ exiſtimaret. Hinc aliquot ante annis Philippũ Mariam Mediolanenſem regulum ab Andegauenſibus defeciſſe, eundémque Alphonſum cũ bona Neapolitanæ nobilitatis parte à Genuenſibus nauali ad Caietam prælio captum liberaſſe, atque ex hoſte infeſtiſſimo amicum dimiſiſſe: Ludouicum Caroli patrem Regem prudentiſſimum Genuenſibus ſe dedentibus, atque aliis occaſionibus ſeſe vltro offerentibus ab Italicis rebus ſemper abhorruiſſe, ac gentis perfidiam peroſum ſumptuúmque magnitudinem æſtimantem cum illis nunquam conſilia ſua communicaſſe.

10 Hæc & in Regio conſilio, & publicè inter proceres Philippus Crepecordius Mareſchallus rei bellicæ peritiſſimus, & Iacobus Grauilla rei nauticæ præfectus diſſerebant: Petrus autem Borbonius tametſi Carolo abſente regni procurationem ſibi ſpondebat, tamen his rationibus motus Regem vxoris fratrem in tantum diſcrimen immittere non audebat, eundémque quantum poterat Anna ipſa reuocabat. Concilium Turonenſe, vbi magnificè Carolus de hoc bello diſputarit, cui omnes prope Gallorum proceres conſenſerint, comminiſcitur Iouius, vt alia pleraque, ibique in mendaciis liberè vagatur: cæteri ſcriptores eius non meminerunt: & Petrus Anlezius meus auunculus Petri Borbonij tum domeſticus nullum coiiſſe mihi confirmauit: quod ſi coiiſſet, rem memoria dignam Cominæus diligens ſcriptor haudquaquam prætermiſiſſet. Carolo Neapoli in Galliam reuerſo, & aduerſus Ferdinandum minorem fœderatorum auxiliis potentem, ac Neapoli, bonáque eius regni parte deintegro potitum redire cupiente Gallorum procerum Lugduni concilium habitum eſt: vbi plerique omnes alteram Neapolitanam expeditionem decreuerunt, de qua fuſius ſeptimo libro agemus: id fortaſſe Iouius Gallicarum rerum non ſatis gnarus indicare voluit, & non ſolum temporis, ſed & loci ignoratione lapſus eſt. Hic autem variè vſurpatas temporum rationes, diuerſóſque animorum habitus contemplari operæpretium eſt: Ludouicus Rex ſapiens, tótque bellis exercitatus ſemper Italica bella vitauit: Carolus adoleſcens hactenus muliebribus amoribus perfunctus, necdum vlla bellica experientia præditus, poſthabito paterno, virorúmque prudentium conſilio Verſij hominis abiecti temeritate impulſus (nam Briſſonnetus admodum refrixerat) iuuenili quodam ardore, ſubitóque mentis impetu totus in ea ipſa fertur: Franciſcus Sfortia prudentia, bellicáque gloria clariſſimus inopem prouinciæ Phocenſis Comitem Neapolitano regno auctum exhorreſcebat, Ludouicus Sfortia natura timidiſſimus idem ac callidiſſimus potentiſſimum Galliarum Regem ad idem ſceptrum euocabat. Non deſunt qui Herculem Ateſtinum Ferrarienſem Marchionem Ludouici Sfortiæ ſocerum veteris iniuriæ memorem hoc anceps, pernicioſúmque genero conſilium ſuggeſſiſſe prodant: ſiquidem Sixto Pontifice, cæteriſque Italiæ principibus aduerſus Venetos Ferrariam oppugnanteis coniunctis copiis dimicantibus Ludouicus à cæteris defecit, ac ſexaginta nummûm aureorum millibus acceptis (vt nonnulli tradiderunt) Venetis ad extremas neceſſitates redactis Balneolanam pacem procurauit, qua Ferrarienſis Lebadia, Robigióque, hoc eſt, anguſta ea regione paludibus vndique cincta, quam vulgo Poleſebianam, Rodiginam alij peninſulam vocant, priuatus eſt, quod firmum quoddam Ferrariæ propugnaculum erat. Hanc iniuriam quum armis nequiret, ſubdolo conſilio Ferrarienſis vlciſci conatus eſt: rumore Caroli ad regnum Neapolitanum repetendum acceſſuri per totam Italiam diuulgato Ferdinandus ſe de excipiendo hoſte non magnopere ſollicitum eſſe ſimulabat: ſi enim mare traiicere pararet Carolus, egregiè munitos omneis in ſua poteſtate eſſe portus, nec vllum iam ſupereſſe, qui Carolum, vt ante Ioannem Renati filium princeps Roſſanenſis, aliique nonnulli, ad terram appellentem admittat: inſtructam præterea ſibi validam, naualibúſque præliis aſſuetam claſſem, quæ cùm Gallica facile confligat: terreſtre porrò iter longinquum, ac difficile, & multis eſſe ſuſpectum: Ludouico in primis, vel propter Galliæ viciniam, vel propter ademptum Ioanni Galeatio Caroli conſobrino principatum, quem palam multis audientibus ab iniqua patrui tyrannide idem Carolus ſe vindicaturum profeſſus ſit: tantam potentiam Venetis, Mediolanenſium finitimis, Ferrarienſi, Florentinis, Alexandro Pontifici, quorum ditiones peragrandæ ſint, atque omnibus adeo Italiæ principibus ex æquo formidoloſam; ſibi autem nec rerum experientiam, nec Alphonſo filio animi magnitudinem deeſſe, veterano exercitu multis bello claris ducibus, innumeris militaribus equis, omni denique bellico inſtrumento abundare: nec Hiſpaniarum Regem Ferdinandum patruelem eundem, atque vxoris fratrem duplici propinquitate iunctum ſibi in tempore defuturum, quem ſi non cognatio, at certè Siciliæ vicinitas ad arcendum communem hoſtem moueret.

Iouius rerum Gallicarum ſcriptor refutatur.

Ferrarienſis ſubdolũ conſilium.

11 Hæc in vulgus iactabantur: ſed longè aliud cordatus ſenex, atque experiens animo agitabat: Gallicam gentem natura bellicoſam, ac ſeſe omnibus periculis pro Regibus ſuis

Digitized by Google

alacriter deuouentem equitatu, peditatu, bellico omni inſtrumento maritimo, terreſtríque ſuperiorem, diuitiis affluentem, populoſam, latis finibus explicatam, cuius vix ſeptimam partem regnum Neapolitanum exæquauerit, ſecum tacitus reputabat: cuius etiam aliquot reguli nulla re cum potentiſſimo hoc Rege comparandi Alphonſum patrem ex hoc ipſo regno aliquando expulerint, ſemper eundem, ſéque bellum renouantes ad extremum diſcrimen adduxerint: ſibi contra omnia ſuſpecta, atque infida, populares partim odio, partim inclinantibus ad exules ſtudiis ſibi infeſtos, cæteros rerum nouarum eſſe cupidiſſimos: theſauros antea reconditos in tantum bellum haud ſatis fore, bello cœpto ſuis paſſim deficientibus, aut oppreſſis deperitura ſtatim vectigalia omnia, nullos in tota Italia ſibi ſinceros amicos, omneis potius acerrimos hoſteis eſſe: quem enim vel apertis armis, vel clandeſtinis inſidiis, vel priuata aliqua de cauſa non offenderit? Hiſpanica auxilia fama perampla, ac magnifica, re perexigua, ac penè nulla iam in prouerbium abiiſſe. Terrebant præterea animum curarum magnitudine afflictum veterum oracula quædam in vulgus nuper edita; hominúmque reſponſa, qui præſentium ſæpius ignari, futurorum ſibi ſcientiam vendicant, quibus rara in proſperis rebus, in aduerſis, præſertim ſiquid veriſimile euenit, nimia plerumque fides adhiberi ſolet. His curis diſtractus Ferdinandus legatis, quos de Regis Scoti, Charlotæque neptis Federici filiæ, ac Caroli conſobrinæ, & in Gallica aula educatæ matrimonio pertracturos in Galliam miſerat, noua, & ampliora mandata dedit; ac Camillum Pandonium hominem prudentem, legatorum principem adiunxit: Federicus autem alter Ferdinandi filius Charlotæ Reginę Caroli matris ſororem vxorem duxerat. Pandonius cum alia permulta, tum vectigal annuum Carolo obtulit (quinquagena nummûm aureorum millia ſingulis annis dependenda quidam oblata prodiderunt) nec pacem tamen impetrauit: Alexandrum quoque Pontificem, vt ſibi Ferdinandus, Virginióque Vrſino reconciliaret, Romam Federicum filium miſit. Conuenit, vt Virginius altera quadraginta nummûm aureorum millia quemadmodum ante Franciſco Ciboo, ita Pontifici quoque numeraret, arceíſque retineret: Gotofredus Alexandri ante Pontificatum filius nothus, tametſi nondum pubes, Alphonſi filiam notham pariter, atque impuberem vxorem duceret, Neapolim concederet, centum cataphractis equitibus donaretur, Squillacienſem principatum in vxoris dotem acciperet. Hæc quicquid Alexander cum Carolo per legatos ageret, non ex animo, ſed vt Arragonios metu perterritos ad ſuas rationes accommodaret, egiſſe confirmabant. Societatem quoque de mutuis ferendis auxiliis, ſiquis alterutrius ditiones inuaderet, cum Alexandro coire Ferdinandus ſummopere contendit: ſed cautus Pontifex id quidem clam pollicitus eſt, palam tranſigere prorſus recuſauit. Præcipua autem Ferdinandi cura in placando Ludouico Sfortia conſumebatur, quem totius huius belli fomitem, facémque eſſe non ignorabat: Ludouicus autem hominem varia arte ludificatus, nunc Caroli ad res Italicas animum adiicientis impetum ſe moleſtè ferre ſimulans, nunc antiquam Sfortianorum cum Gallis Regibus amicitiam prætendens, nunc Genuenſem qui in eorundem fide ſit, principatum obtendens, ſe tanti Regis poſtulata vti falſo iactabat, prorſus aſpernari non poſſe dictitabat; inflammatum vero eius ardorem, quoad poſſet, ſe reſtincturum pollicebatur.

Hæc apud Alexandrum Pontificem, Ferdinandum, Petrum Medicem, per legatos agebat: ac ne interim, dum bellum in Gallia adornatur, Italorum principum Caroli in Italiam aduentum communis calamitatis initium eſſe ducentium armis inuaderetur, totam eius anni æſtatem ſimulatis hiſce legationibus conſumpſit. Poſtremò maius quiddam aggreſſus, nec iam Mediolanenſi adminiſtratione contentus, ſed Ducatum ipſum ambiens Maximiliani Imperatoris cum Blancha Galeatij reguli ſorore matrimonium procurauit; fœdæ huius matrimonij fuere pactiones, & à candore Germanico prorſus alienæ. Mediolanenſem Ducatum Ludouicus Sfortia matrimonij ſpecie redimit, Maximilianus Imperator conditionem accipit: dotis nomine quadraginta in ſponſæ mundum, quadringenta nummûm aureorum millia venditi Ducatus pretium accipit: Blancham, cuius proauus Cotignolanus cerdo fuit, vxorem ducit, vxoris fratrem paterna hæreditate priuat, vt ad eiuſdem patruum transferat, inquinatam ſordida affinitate Auſtriacam familiam grauiter Germani Principes tulerunt. Sed quoniam crebræ, magnæque de Mediolanenſi principatu fuere contentiones, eius originem ediſſerere operæ pretium erit: Viguere diu tota Italia, & penè ad internecionem mutuam certauere duæ factiones, Guelfa, & Gibellina: Mediolani, quæ tum libera ciuitas erat, Gibellinæ principes Vicecomites domi nobiles Guelfis expulſis, vrbe finitimóque agro aliquot annis potiti ſunt, ac patriæ libertate oppreſſa, vt aliquo iure, iuriſue ſpecie iniuſtam poſſeſſionem confirmarent, qui tyrannorum mos eſt, à Germanis Imperatoribus, quorum non

Contentionũ omnium de Mediolanẽſi Principatu origo.

non tam potentiam, quam nomen Italia agnoſcere occœperat, præfectorum militiarum (capitaneos vulgo appellant) mox vicariorum Imperij titulos impetrarunt: non ſecus, ac Ferrarienſis, Mantuanus, atque alij Italiæ principes Pontificatus Romani, ſiue Eccleſiæ (vt vulgo loquuntur) vicarij primùm dicti fuerunt; ac Pontificibus Romanis relictæ Romæ Auenionem præferentibus, quas cõmodum fuit, Pontificiorum fundorum portiones ſinguli occuparunt. Ioannes tandem Galeatius, qui Ioannis huius nominis Primi Galliarum Regis filiam vxorem duxerat, auguſtius Ducis nomen ſibi, poſteriſque maribus à Vinceſlao Cæſare obtinuit, cui Ioannes, ac deinceps Philippus Maria liberi ſucceſſerunt: Philippus ſine legitimis liberis moriens Alphonſum Arragonium Regem Neapolitanum, vt Mediolanenſes aduerſus imminenteis Venetos tueretur, teſtamento reliquit hæredem. At Franciſcus Sfortia, qui Blancam Philippi filiam notham in matrimonio habebat, Mediolanenſis exercitus dux aduerſus Venetos miſſus renuntiata ſoceri morte, victiſque ad Carauagium Venetis in Mediolanenſes ipſos arma conuertit, ac Ducatum Mediolanenſem quaſi vxori hæreditarium inuaſit, quem facilè, nec magna pecunia à Federico Imperatore homine auariſſimo obtinere potuit, vt quidam tradiderunt: ſed quibus artibus ſibi comparauerat, iiſdem ſe conſeruaturum ſperans de Imperatoria authoritate non multùm laborauit; atque hanc Ludouico natu minori filio eius inuadendi occaſionem reliquit, qui Dux à Maximiliano dictus, & ad ſolemne ſacramentum admiſſus non ſeptimum, ſed quartum ſe Mediolanenſium Ducem inſcripſit: quaſi Franciſcus Sfortia pater, Galeatius frater natu maior, Ioannes Galeatius fratris filius à Germanis Imperatoribus Duces non agniti, hoc eſt (vt vulgo loquuntur) non inueſtiti, Ducatum haud iure poſſediſſent: addebat fratrem patre adhuc priuato, ſe iam Duce procreatum. Ferdinandum in magnam alienandi à Ludouico Sfortia Caroli Regis ſpem, Maximiliani Blancæque Sfortianæ matrimonium adduxit: riuales enim Maximilianum, ac Carolum nunquam ita ſincera, quin alter de altero diffideret, amicitia iungi poſſe exiſtimabat: præſertim Maximiliano tanta pecunia aucto, quem maius quiddam moliri, nec fruſtra ſordidam affinitatem iniiſſe ſuſpicio erat: Ludouicum quoque Sfortiam huiuſmodi affinitate confirmatum externas vires ſibi in primis ſuſpectas facilè contempturum: præterea Venetos, qui Italiæ principatum obtinebant, haud æquis animis potentiſſimum Regem totam Italiam cum ingenti exercitu peragrare permiſſuros.

13 Contra Carolus, qui clam Stephano Verſio, Briſſonnetóque dumtaxat conſciis ſocietatem cum Ludouico coierat, quæ ad bellum neceſſaria erant, diligenter curabat. Societatis autem capita hæc fere fuiſſe traduntur: Ludouicum Sfortiam liberum per agrum Mediolanenſem Regiis copiis iter conceſſurum, quingentos cataphractos equites ſtipendio affectos additurum; regi, antequam exercitum Gallia educat, ducenta nummûm aureorum millia mutuo daturum, vt Rex claſſem, quantam volet, ad Genuam inſtruat, permiſſurum. Viciſſim Carolus de tuendo Mediolanenſi Ducatu, & priuatim de conſeruanda Ludouici authoritate fidem dedit: hoc nomine ducẽtos cataphractos equites Aſtæ ſe relicturum pollicitus eſt; promiſſum Ludouico Tarentinum principatum quidam adiiciunt. Hoc ipſo anno Peronem Baſchium Italicarum rerum non ignarũ, quippe qui Ioannis Renati Andegauẽſis filij maiora negotia pertractaſſet, diúque in Italia verſatus eſſet, ad Venetos, Florentinos, Alexandrum Summum Pontificem Carolus miſit, quos priuatis de cauſis erga Arragonios malè animatos ad belli Neapolitani in proximum annum decreti ſocietatem ſibi adiungere cupiebat; à Venetis non ſolum auxilium, ſed & conſilium petebat: illi Turcam ſibi imminere, idcircóque vtrumque bellum ſimul ſuſcipere non poſſe cauſati, auxilio tamen ſe potius, quam impedimento futuros teſtati ſunt: conſilium autem tanto Regi, cui tot prudentes conſiliarij adeſſent, dare ſummæ arrogantiæ fore reſponderunt. Sed nihil à Turca, quicum fœdus non ita dudum fecerant, timebant: & Baiazetes non tã rei bellicæ, quàm Philoſophiæ ſtudioſus viuendum ſibi in ſumma pace ſtatuebat: nec Carolum ipſum ad id bellum acceſſurum, verum id per legatos, vicarióſque geſturũ exiſtimabant: vt ſiquid fœliciter eueniret, ſe datis occaſionibus perturbaturos ſperarent; & ne Gallorum in Italia potentia creſceret, facilè perfecturos; interim de Ferdinando, Alphonſóque ſibi infeſtiſſimis vltionem ſumpturos: illum Mahometem Othomanum ſollicitaſſe, vt Scutarium (Chalcedonem priſcis fuiſſe ſcribunt) oppugnaret. Hunc Ferrarienſem in ipſos cõcitaſſe, cæteróſque Italiæ principes eidem ſocios adiunxiſſe, vnde ad extremas neceſſitates redacti vix Ludouico Sfortia fœdus procurante emerſerint: eundẽ Alphonſum Venetas ciſternas veneno inficere tentaſſe, Venetámque Remp. odio ſemper habuiſſe. Sed quod Venetos tam in Italia, quam in Græcia Imperij ſui fines propagare Arragonij prohiberent, ea vero germana inimicitiarum cauſa fuit: Cyprum tamen

Societatis inter Carolũ Regẽ ac Ludouicũ Sfortiam initæ capita.

Inimicitiarũ inter Venetos & Arragonios cauſa quæ.

paulo ante hoc eſt, anno huius ſæculi ſeptuageſimo tutelæ ſpecie, quod Iacobus Luſinia-
nus Cypri Rex vltimus Catharina Marci Cornarij patricij Veneti filia vxore ducta fato
functus poſthumum reliquiſſet, inuaſerant; mortuóque pupillo regnum ſibi vendicarant.
A Florentinis liberum per Florentinum agrum iter, parandum iuſto pretio commeatum,
centum cataphractos equites amicitiæ nomine Carolus petebat; illi Gallicam amici-
tiam ſibi ſanctam fore ſpondebant, periculum deprecabantur: ſi, antequam Alpeis Ca-
rolus tranſcenderit, Gallicas parteis apertè tueantur, vicinos Arragonios in ſe ſtatim
arma conuerſuros. Nihil hiſce motus Rex vehementius inſtitit, ac poſtulatis ſuis aſſen-
tiri perpulit. Hunc aſſenſum Ferdinando excuſabat Petrus Medices, & Florentinos à
Gallica amicitia non abalienatos mutuæ inter Reges reconciliationis interpretes fore
dictitabat: ſi antiqua Florentinorum cum Gallis commercia interdicta ſint, ſe popula-
rium inuidiam ſuſtinere non poſſe: Ferdinandus Florentinorum defectione multum de
ſua authoritate diminutum iri prouidens exemplum perhorreſcebat, & grauiter de Me-
dicis incerta fide querebatur. Interceſſere etiam aliquæ inter Alexandrum Pontificem,
Ferdinandúmque contentiones, vel quod Pontifex à Ferdinando nouis in dies difficul-
tatibus impedito plura obtinere contenderet, vel quod Rouereum Cardinalem rerum
nouarum cupidiſſimum, & in ſuſceptis conſiliis pertinaciſſimum Romam reducere, vná-
que Oſtiam, ac vicinas aliquot arceis recipere tentaret. Hunc vt Romam Ferdinandus re-
uocaret, poſtulabat; prædes reconciliationis ſacroſanctum Cardinalium collegium, Ferdi-
nandum ipſum, Venetos offerebat: ſed Rouereus Ligur, ingenióque acer, quid Ferdi-
nandus ipſe in reconciliatos nuper Neapolitanos principes deſignaſſet, memoria reco-
lens, & Alexandrum, Ferdinandúmque Hiſpanos eadem naturæ irreconciliabilis regula
metiens bonos quidem diſſoluendis creditis pecuniis prædes dari ſolere, vitæ reſtituendæ
nullos dari poſſe reſpondebat.

Hinc de ſua apud Pontificem fortuna querebatur Ferdinandus, quæ innocentem alie- 14
nis culpis obrueret: ſic Virginij Vrſini, ſic Rouerei Cardinalis in ſe peccata deriuari: tot,
tantáſque animorum, rerúmque perturbationes, ac præſaga futurarum calamitatum velu-
Anno ti procemia annus eius ſæculi nonageſimus quartus excepit; quo ineunte Ferdinandi quaſi
1494. Regis hoſtis legatos Gallia excedere Carolus edixit; nec multis interiectis diebus Ferdi-
Ferdinandi legati è Gallia iuſſu Caroli Regis expulſi. nandus non tam ætate ingraueſcente, tametſi ſeptuageſimum iam annum agebat, quam
curis obrutus attonito ſtupore vitam finiit: Rex magnus ſi præclaris regni initiis conti-
nuata animi moderatio reſpondiſſet, prudentia enim atque induſtria ſingulari fuit: re-
gnum à patre acceptum magnis, variiſque bellis agitatus triginta annos (tot enim regna-
uit) fortiter conſeruauit, ampliauit & munitius atque auguſtius reddidit. Poſterioribus
annis regnandi conſuetudine accenſa, aut diſſimulata ante, tum detecta inſita vitia cru-
delitas, auaritia, atque incerta fides ſuis pariter, atque alienis odioſum reddiderunt, &
fortaſſe mortis cauſam præbuerunt; quæ nimirum Italiæ quodammodo fatalis, ac tri-
ſte imminentis calamitatis omen fuit. Siquidem cum Ferdinando moderato ſene faci-
le conuenire poterat Ludouicus Sfortia, quem multis in controuerſiis à ſe non alie-
num expertus erat, Alphonſum animo excelſo, altóque præditum, difficilem, minis po-
tius, quàm certo conſilio quicquid cuperet, obtinere conantem prorſus oderat. Illud
memoriæ proditur: quum Iſabella Alphonſi filia ad virum deducta eſſet, Virginis for-
ma præſtantis amore exarſiſſe Ludouicum, & ne Ioannes Galeatius fratris filius Me-
diolanenſis regulus aliquot menſes cum vxore rem habere poſſet, magicis quibuſ-
dam carminibus perfeciſſe, vt celebris tota Italia fama diuulgauit; atque interim eam
ſibi vxorem popoſciſſe: non abhorrebat ab eo matrimonio Ferdinandus, Alphonſus
rei indignitate permotus hominem auerſatus eſt. Spe deiectus Ludouicus Beatricem
Herculis Ateſtini Ferrarienſis Marchionis filiam faſtu, ac luxuria ingenti mulierem
vxorem duxit, liberíſque ſuſceptis Mediolanenſem principatum ad ſe, ſuóſque na-
tura ambitioſus, atque vxoris ambitioſiſſimæ quotidianis aculeis ſtimulatus transfer-
re cogitauit: Paulo ante mortem Genuam primo vere traiicere, inde Mediolanum pro-
ficiſci, reductáque Neapolim nepte Iſabella Ludouicum omni ſuſpicione liberare Fer-
dinandus deſtinarat; vt præſens periculum vitaret, ſe ad omneis conditiones demittere
paratus: ambitioſum enim Ludouici ingenium nouerat, qui ſe vnicum rerum Italica-
rum arbitrum agnoſci cupiebat: hunc ſi flecteret, omnem belli cauſam ſe ſuſtuliſſe non
ignorabat. Mortuo Ferdinando nihil de Ludouico placando, de confirmanda ſolum
cum Alexandro, Florentiníſque ſocietate Alphonſus laborauit, Romam legatos quatuor
miſit: iam Briſſonneto galerum Cardinalitium ex Cardinalium decreto Alexander pro-
miſerat, Proſperum Columnam, alióſque viros militares vnà cum Ludouico communi
ſtipendio

Digitized by Google

ſtipendio authoratos retinuerat, & Gallicam amicitiam ſequuturus videbatur: magnis tamen oblatis conditionibus, quas ſimulata cum Carolo amicitia aucupabatur, cum Alphonſo palam Gallis, Sfortiáque neglectis ſocietatem coiit; & quod ante verbis diſſimularat, re ſtatim declarauit, conditiones autem hæ fuiſſe traduntur; vt mutuis auxiliis Romanum agrum, ac Pontificiam omnem ditionem, Neapolitanúmque regnum tueantur: certas, quarum numerus non proditur, equitum, peditúmque copias in armis vterque haberet, Alexander Alphonſum ad præſtandum regni Neapolitani nomine ſolemne ſacramentum admitteret, iuſtæ poſſeſſionis diploma traderet (quod inueſtituram vocant:) Alphonſum Regia corona per legatum Cardinalem redimiendum curaret: penſionem annuam clientelæ nomine Romanis Pontificibus debitam, quoad Alphonſus viueret, imminueret; Ludouicum Henrici, qui Alphonſi frater nothus erat, filium Cardinalem crearet. Viciſſim Alphonſus Alexandro triginta nummûm aureorum millia numeraret: ex ſeptem ſummis regni Neapolitani muneribus, quod primum vacaret, & duodecim præterea nummûm aureorum millia annua Franciſco Candiano (ſic eundem vocat Iouius) condonaret: eundem, quoad Alexander viueret, trecentorum cataphractorum equitum præfectum vtrique militaturum ſtipendio annuo donaret: Gottofredo Carinulæ regulo filiorum Alexandri nothorum natu minimo præter ea, quæ iam promiſſa erant, vnum ex ſupra commemoratis muneribus mandaret: opulenta quædam regni Neapolitani ſacerdotia Cæſari Borgiæ nouo Cardinali mandanda curaret: hunc vt ad Cardinalatum promoueret, alterius filium ex legitimo matrimonio procreatum Alexander comprobarat, quod in id collegium nothi, ſpuriíque cooptari haud ſolerent.

Cardinalis Rouereus clā in Gallias profectus cū Carolo communicat.

Cardinalem Rouereum, qui non ita pridem cum Ferdinando in gratiam redierat, antea inimiciſſimus, aduerſus quem Calixtum Tertium, atque Innocentium Octauum Pontifices Maximos accenderat, vt Alexandro reconciliaret, ſumma ope contendit Alphonſus, ſed fruſtra: is enim oblatas conditiones ſe accepturum ſimulans, Alexandrum, Alphonſúmque ſuſpenſos aliquandiu tenuit, & noctu interim Oſtia ſoluens, ac myoparone Sauonam delatus, inde Auenionem, poſtremo Lugdunum profectus ad Carolum ſe contulit. Eius aduentu lætatum Regem ferunt, vel quod Genuæ, vbi parabatur claſſis, vel quod Romæ in auguſto Cardinalium collegio multum authoritate poſſet, Alexandróque in primis infeſtus eſſet, quem à ſe alienum Carolus expertus Pontificatu, ſi res ita ferret, mouere cogitabat: fœdas Pontificis cum Arragoniis pactiones, affinitatéſque inſectabatur: Romanorum erga Pontificem, Neapolitanorum erga Arragonios odia demonſtrabat, & perfacilem victoriam pollicebatur: omnium quæ ſub eius ſæculi finem, ac ſequentis initium in Italia acciderunt (maxima autem acciderunt) malorum, & tum, & ante magis, etiam poſt, fatale quoddam velut inſtrumentum futurus. Iam quatuor legatos ad Alexandrum Pontificem Carolus miſerat, Eberardum Aubignium è Stuarda Scotorum Regum familia, virum bello clarum, & centenariæ cataphractorum equitum alæ præfectum, quæſtorum Regiorum principem, prouinciæ Phocenſis præſidem, ac Peronem Baſcium, qui eodem munere ſuperiore anno functus erat: mandata habebant, vt Alexandrum, atque inter eundum Florentinos, liberáſque alias ciuitates, atque obuios Italiæ principes, quo iure Carolus Andegauenſium regulorum hæres regnum Neapolitanum ſibi vendicaret, edocerent: eundem cum firmo exercitu hoc ipſo anno Italiam ingreſſurum, non alieni appetentem, ſed quod ſuum eſt, repetentem: quanquam non tam ſui, quam publici iuris vindicem ſe profitebatur; vt qui regnum Neapolitanum ea potiſſimum ſpe perſequatur, vt inde commodius in Græciam traiiciat, tótque prouincias à Turcis poſterioribus annis occupatas in libertatem vindicet, ac deintegro nomini Chriſtiano adiungat. Hercules Ateſtinus Ferrarienſis Marchio totius huius belli hortator, qui turbatis rebus Italicis, quæ iamdum amiſerat, è Venetis ſe recepturum ſperabat, idcircóque hoc bellum concitarat, ac Ferdinandum filium natu minorem, ad Carolum miſerat, omnem operam pollicitus eſt: eandem pollicitus eſt & Ioannes Bentiuolus Bononienſis Ludouico Sfortiæ addictus. Florentinos quum legati de antiqua cum Gallis amicitia rurſus admonuiſſent, quorum vrbem Carolus Magnus inſtauraſſet, poſteri Reges ſingulari ſemper amore proſequuti fuiſſent, præſertim Ludouicus Caroli pater non ita dudum aduerſus Sixtum Pontificem, Ferdinandum, atque hunc ipſum Alphonſum bello afflictos fouiſſet, quæ commercia in Gallia exercerent, vbi non ſecus, ac Galli ipſi excipiantur, eadem in regno Neapolitano, ſi eo Carolus potitus ſit, habituros docuiſſent, priuatim Petro Medici magna eiuſdem Ludouici in Mediceam familiam beneficia difficillimis temporibus collata commemoraſſent, vti in ſummæ beneuolentiæ argumentum

Legatorum Caroli Regis ad Alexandrum Pontificem mandata.

Digitized by Google

iidem reges eiuſdem familiæ inſignia Regiis Gallorum inſignibus ornaſſent. contra Ferdinandum, Alphonſúmque non ſolum apertis armis, ſed & clandeſtinis coniurationibus, Florentinam Remp. Mediceos autem in primis perſequutos, patrem Laurentium multis illatis vulneribus pene interemiſſe: patruum Iulianum crudeliter enecaſſe. Rogarunt primarium ciuem, ipſámque adeo Remp. vt aliquod mutuum firmæ amicitiæ ſpecimen exhiberent; aut ſi priuata aliqua de cauſa prohiberentur, liberum ſaltem regiis copiis iter, commeatúmque pretio accipiendum præberent.

A Florentinis nihil diſertè impetrarunt, minus etiam quàm priore legatione aſſequuti 16
ſunt: quanquam populus ob quotidiana cum Gallis commercia, inueteratam Florentiæ poſt Totilanam euerſionem à Carolo Magno inſtauratæ opinionem, antiquam Guelfæ factionis cum Carolo Primo Neapolitano Rege ſocietatem, deinceps ab vtrorumque poſteris continuatam ad Gallos inclinabat; Arragonios autem propter vetera Alphonſi ſenioris, Ferdinandi, atque huius Alphonſi aduerſùm ſe bella auerſabatur. Nec minora patritiorum, ac virorum nobilium erga Carolum ſtudia erant, quibus rationi haud conſentaneum videbatur, vt aliena pericula in ſe auerterent, & tantas copias Rege duce in Italiam ſociis Mediolanenſibus, Venetis ſi non conſentientibus, at ſeſe non opponentibus, irrumpentes in patriam ſuam conuerterent. Sic Coſmum Medicem prudentiæ laude celebrem ne Florentini Ioanni Renati filio ſeſe opponerent, conſuluiſſe, quamuis Arragoniis ſe Pius Pontifex Max. Mediolanenſéſque ſocios adiunxiſſent: Laurentium in eadem ſententia fuiſſe, Britanniáque Galliæ nuper adiecta Gallicæ potentiæ admiratione obſtupefactum exclamaſſe magnam parari Italiæ calamitatem, ſi vires ſuas Rex Gallus agnoſceret. Sed Petrus Medices, qui patriæ libertatem opprimere, principiſque nomen vſurpare iam in animo habebat, maioribus auxiliis ſibi opus eſſe ratus Arragoniis quaſi principatum ſibi confirmaturis ſeſe prorſus addixerat: & Galli Regis vix adoleſcentis repentinos impetus vnà cum rumore creſcenteis, decreſcenteiſque, temporis decurſu irritos fore ſperabat. Adhæc paulò antequàm legati Regij Florentiam appuliſſent, Laurentius, ac Ioannes Medicei adoleſcentes potentes, ac Petri propinqui leuibus de cauſis irritati de eodem opprimendo cum Ludouico Sfortia conuenerant: in comprehenſos Petrus grauiter animaduertere cupiebat, vìxque ciuitatis viri primarij adoleſcentiam excuſantes, ne in ſuam ſtirpem deſæuiret, iram lenire, aut vt illi in ruſticos ſuos fundos relegarentur, obtinere potuerunt: vnde mox clam elapſi ſe ad Carolum Regem contulerunt. Igitur Ludouicum ſibi inſidias ſtruere Petrus animaduertens eandem cum Arragoniis fortunam ſubire decreuit: ac quandoquidem eius authoritatem ciuitas vniuerſa ſequebatur, vt legatis Regiis in hanc ſententiam reſponderetur, effecit: Florentinos continuatæ tot ſæculis cum Gallis Regibus amicitiæ memores, florentíque Caroli fortunæ faventeis eiuſdem poſtulatis ſatisfacere ſummopere velle: cæterum fœdere cum Ferdinando, Alphonſóque filio Ludouici Caroli patris authoritate inito impediri, quo non ſolùm de mutuis auxiliis ferendis, ſed & de non recipiendis in ſuum agrum fœderatorum hoſtibus diſertè cauetur: ſacroſanctam eſſe fœderum religionem, à qua magnanimi Reges, liberæque Reſpublicæ minimè diſcedere debeant; ſe magna affici moleſtia, quod antiquæ amicitiæ aliter reſpondere non poſſint: ſperare Regem ſapientem æqua ab amicis petenda non ignorantem id non ſuæ voluntati, ſed rerum neceſſitati tributurum.

Florentinis dolēt ſe antiquæ Gallorum amicitiæ reſpõdere non poſſe.

Hoc reſponſo accepto Rex iratus Florentinos legatos, & quotquot Petri fœnus 17
Lugduni exercebant, Gallia excedere, cæteros ſuo more negotiari iuſſit: vt iniuriam non Florentinæ Reipub. ſed priuatim ipſi Petro ſe acceptam ferre teſtaretur: ita conſulente Ludouico Sfortia, vt Itali ſcriptores tradiderunt. Sed hunc locum paulò aliter tractat Cominæus: ſiquidem Petrum Caponium Florentinorum legatorum principem acerrimum Petri Medicis inimicum Regi hoc reſponſum Lugduni reddidiſſe, & de induſtria multa atrocius denuntiaſſe ſcribit, vt in Medicem odium concitaret; conſuluiſſe præterea, vt Florentinos Gallia Carolus arceret. Senenſes ſe in Gallorum poteſtate fore reſponderunt: cæterum, antequam Gallica arma in Hetruria conſpexerint, apertam amicitiam haud profeſſuros. Inde Romam profecti legati Alexandro antiqua Gallorum Regum in Romanos Pontifices merita hiſtoriis & priſcis, & recentibus celebrata, atque ipſius Caroli in regnum Neapolitanum ius exponentes, vt is eiuſdem regni nomine Romani Pontificatus beneficiarius agnoſceretur, poſtularunt: Carolum cum aliis de cauſis, tum vel maximè Pontificis ſuaſionibus, atque authoritate ius ſuum perſequi addiderunt: ſiquidem communi conſilio, diuerſis autem legationibus (vt ſupra commemoraui) Alexander, ac Ludouicus Sfortia Carolum ad

regnum

Digitized by Google

regnum Neapolitanum ſibi vendicandum acceſſiuerant: regnum Neapolitanum Alexander in Romani Pontificatus fide eſſe reſpondit, cuius authoritatem tueri Carolus Gallorum Regum maiorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, non imminuere debeat: treis continuos Arragonios Reges ſuperiorum Romanorum Pontificum authoritate id regnum poſſediſſe; alium obtrudere, priuſquam de ambiguo iure diſceptatum ſit, à Romani Pontificis æquitate eſſe prorſus alienum: ſi de iure diſceptare Carolus volet, ſe (in cuius fide id regnum ſit) arbitros daturum; Caroli poſtulata implere, nec ſibi facile eſſe, nec tutum: Alphonſum, ac Florentinos ſocietate eſſe coniunctos, quorum authoritatem omnis Hetruria ſequatur: regni Neapolitani beneficiarios viros potenteis pleraſque arceis, oppidáque vrbi contigua poſſidere, quorum opportunitate diuerſa ſentiētem malè mulctent, atque peſſundent: bella ſedare, non accendere ſui officij eſſe, id vt perficiat, ſe diligenter curaturum: nec illis tamen ſpem omnem præcidit, quamquam ab Arragoniis omnino ſtare decreuerat. Ita diuiſa Italia alij Gallos, alij Arragonios ſequebantur: ſoli Veneti neutram in partem inclinabant, & quaſi otioſi huius belli ſpectatores ex rerum euentu conſilia capturi videbantur. Interea menſe Iulio Rex Lugdunum appulerat, Regis Hieroſolymitani, atque vtriuſque Siciliæ titulos nuper ſumpſerat: ſic tum Neapolitani Reges appellari ſolebant, Petrum Vrſeum ſummum Regiorum equorum magiſtrum ad naueis ædificandas, claſſémque inſtruendam Genuam miſerat: Ludouicum Aurelianum Ioannæ ſororis virum claſſi præfecerat. Parabantur & Maſſiliæ atque aliis in portubus naues, vt Regem non ſecus, ac Ioannem Renati filium ad Neapolitanum regnum claſſe traiecturum rumor increbreſceret. In claſſem, quæ tamen non magno vſui fuit, expenſa trecenta argenti pondo millia feruntur, hoc eſt, omnis pecunia, quam Rex vndique corradere, atque in numerato habere potuit; vnde omnes de hoc bello cogitationes propemodum refrixerant, niſi animos rei difficultate torpenteis per Galeatium Seuerinatem, Balbianúmque Ludouicus Sfortia deintegro accendiſſet: nam & militari gloria præſtabat Alphonſus, & Ferdinandum filium magnæ indolis adoleſcentem, ac fratrem Federicum; quem in Gallia educatum viginti annis antequam regnum iniret, regno Neapolitano aliquando potiturum Angelus Catthus ciuis Tarentinus mox Viennenſis Pontifex prædixit, vt teſtatur Cominæus, multóſque præterea egregios bello duces, veteranóſque milites in exercitu habebat. Terrorem addebat nuper inita cum Alexandro Pontifice ſocietas, & cum Turca Baiazethe renouata vetus amicitia, à quo per Camillum Pandonium è Gallia reuerſum ſena equitum, pedirúmque millia ſuis ſtipendiis alenda Alphonſus petiuerat, Carolum, ſi regno Neapolitano potiretur, in Græciam tranſmiſſurum teſtatus: neque enim alia de cauſa bellum Neapolitanum ſuſcepiſſe Carolum, niſi, vt inde ad Turcicum viam ſibi ſterneret; id iam palam apud omneis Reges, principéſque Chriſtianos profeſſum, proinde de communi hoſte reprimendo videret. Ad Baiazethem Alexander quoque Pontifex ſui muneris oblitus de obtinendis aduerſus Carolum auxiliis Georgium Bucciardum Genuenſem clam cum Pandonio miſerat, qui liberaliſſimè excepti, multiſque promiſſis onerati inde redierunt: promiſſa legato Neapolim miſſo Baiazethes confirmauit, & tamen vel quadam de Chriſtianis diffidentia, vel quod fratrem Gemen in Caroli poteſtate mox fuiſſe intellexit, vel fortaſſe, ne Carolum irritaret nulla prorſus auxilia miſit: ſiquidem propter antiqua Gottofredi Bullionij, ſociorúmque in Aſia geſta bella Gallicum nomen Turcis formidabile erat: Baiazethi in primis, qui natura timidior, & ad res bellicas minimè natus captiuo Geme fratre, cæſóque per inuidiam (quod nimiam ſerui fortitudinem domino formidoloſam eſſe diceret) Achomate Baſſa duce fortiſſimo, cuius opera eundem Gemen duobus præliis ſuperauerat, ad otium, & philoſophiam ſe contulerat.

Alexander Pōtifex Maximus Carolo Regi ſuper regnū Neapolitanū arbitros offert.

Federicū regno Neapolitano aliquando potiturum prædicit ciuis Tarentinus.

Gallorū nomen Turcis formidabile.

18 Sed longè magis, quàm quæ ſupra commemorauimus, Gallorum animos Crepecordij prudentiſſimi ducis non Alexandri Pontificis, vt falsò comminiſcitur Iouius, ſed vera, aut certè admodum veriſimilia conſulentis commouebat oratio; qui neque in ærario pecuniam, quæ tanto bello ſatis eſſet, bellum autem difficillimum eſſe animaduertens, Gallis alieno cœlo inſuetis grauem autumnum fore, Appenninum hyeme bellicis machinis imperuium, Galliam togatam, Hetruriámque profundo luto hybernis imbribus diluto equiti iuxta ac pediti prope inacceſſam prædicabat: longo itinere feſſis, ac temporis iniquitate prope oppreſſis occurſuros Arragonios domo recens prodeunteis, & vel in ſociorum, vel in ſuo ſolo, vt nihil illis deeſſe poſſit, depugnaturos: contra Gallis omnia, vt in aliena regione, aduerſa; commeatum autem, præſertim equis omnino defuturum. Nec verò contemnendas eſſe iunctas Arragoniorum, Pontificis, Florentinorum vires; quid ſi Turcica auxilia accedant? Verendum præterea, ne cæteri Italiæ populi cum ſuis

Crepecordij de bello Neapolitano ſententia.

ſuis

ſuis facilè coniungantur, atque iiſdem animis in Gallos externos, & veluti communes hoſteis irruant, dubias Venetorum eſſe menteis: ipſum Ludouicum Sfortiam belli totius huius hortatorem Arragonios hoſteis ſibi imminenteis, quandoquidem ſuis viribus diffidens ſuſtinere deſperet, alieno periculo cupere vlciſci. Cæterum Gallos longè potentiores, à quibus ſibi magis timendum putet, vt in Arragoniorum locum ſuffici permittat, haudquaquam adduci poſſe: quin potius in vltimam Italiam eiectos deſerturum, aut captata occaſione etiam armis perſequuturum: Gallos antea à factioſis Italis euocatos ſemper ab iiſdem poſtea vnà coaleſcentibus, ac conſentientibus oppugnatos fuiſſe, & conſignatam ſua clade, Italorúmque perfidia memoriam reliquiſſe: ſatius multò eſſe, vt Mediolanum ipſius Italiæ arcem, Rex adoriatur, Sfortias alienæ ditionis inuaſores extrudat: Ludouicum Aurelianum ſororis virum germanum Mediolanenſium regulum in poſſeſſionem inducat, hoc ipſo autumno confici id facillimè poſſe, Ludouicum Sfortiam tum propter auaritiam, tum propter crudelitatem ſuis odioſum, & à cæterorum Italiæ principum ſocietate diſtractum facilè ſuperatum iri; quinetiam vel Mediolanenſibus exigentibus, vel vltro in exilium abiturum: Genuenſes ad Reges Gallos veteres dominos ſponte redituros, qui ſe non ita dudum Ludouico Caroli patri dediderunt. Hac prima Italiæ regione potitum Regem facilè conſilia de bello Neapolitano, Turcicóque explicaturum; Venetos Mediolanēſibus finitimos ad apertam ſocietatem coacturum, cæteros Italiæ principes ac liberos populos eodem exemplo, hoc eſt, eodem terrore ſibi adiuncturum: Italos natura Gallis infeſtos, tantiſper dum timeant, fidos fore, vbi timor diſceſſerit, ad ingenium redituros; idcirco Regem nihil fortunæ, nihil alienæ fidei, aut fortaſſe perfidiæ committentem maturè hunc ſibi receptum parare debere, quò ſe (ſiquid aduerſi accidat) ſuóſque recipere, aut inde ad Italiam in officio continendam copias explicare poſſit. Non fruſtra veteres Mediolanum Italiæ arcem nominaſſe, eo ſi Rex potiatur, cæteris Italiæ regionibus ſine vlla controuerſia imperaturum, hanc antiquam eſſe Gallorum poſſeſſionem, hanc celebratam Romanorum hiſtoriis Galliam togatam, arripiendam occaſionem, tantiſper dum ſeſe offerat, non aliàs fortaſſe redituram.

Hoc tutum Crepecordij conſilium Petrus Borbonius, cæterique viri prudentiores probabant, ſed Carolus Verſij Sfortiana pecunia, promiſſiſque corrupti importunitate victus, ac noui regni cupiditate inductus aliò rapiebatur, & in ſuſcepta expeditione perſeuerabat. Contra Alphonſus non amplius diſſimulandum ratus Mediolanenſem legatum abire iuſſit, ſuum Mediolano reuocauit: Barienſis Ducatus vectigalibus manum iniecit: quem Ludouico Sfortiæ Ferdinandus ante condonauerat; terra, marique eundem aggrediundum cenſuit, quaſi Galeatium generum vindicandum à patrui tyrannide ſuſcepiſſet. Quæ ſi non ex animi ſententia ſuccederent, at ex vſu eſſe bellum procul à patria duci, & Gallos commeatu excluſos, intra Galliæ togatæ hyberna contineri. Cum Paulo Fregoſio Cardinale quondā Genuenſi regulo, tum Genua ab Adurniis pulſo de reducendis exulibus cōuenit: ille per Gentiles Fregoſios, per clientes ſuos, per Hyblettum Fliſcum Genua ſe potiturum ſperabat, ſi ante Gallicæ, Sfortianæque claſſis aduentum Arragonia ſeſe in Liguſtica ora oſtentaret, & Ligures rerum nouarum cupidos ad concitandum tumultum inuitaret. Interea Oſtiam Nicolao Vrſino Petiliano duce Alexander recepit, arx certis conditionibus Fabricio Columna procurante, Ioanne Rouereo præfecto vrbis Cardinalis Rouerei fratre conſentiente, paucis poſt diebus dedita eſt. Cautum eſt in primis, ne Alexander Cardinalem, præfectúmve fratres diris deuotionibus, aut armis perſequeretur, niſi nouas illi occaſiones darent: præterea vt arx Cardinalium Senatui, donec Iulianus Cardinalis ad officium rediret, cuſtodienda traderetur. Sed conſilia Alphonſi de Genuenſibus Ludouico Cardinalis Rouereus indicarat, Carolus à Ludouico edoctus quanti ea res ad bellum Neapolitanum momenti eſſet, duo Heluetiorum millia Genuam, trecentos cataphractos equites in Galliam Tranſalpinam deduci imperauit, qui duce Aubignio (is è Romana, Florentináque legatione reuerſus Mediolani Rege ita iubente ſubſtiterat) vel Mediolanenſem, Genuenſémque agrum tuerentur, vel, ſi ita ferret occaſio, in interiorem Italiam penetrarent. His quingenti Itali, aut ſexcenti (vt alij tradunt) cataphracti equites ductoribus Fracaſſio, Galeoto Pico Mirandulano Comite, ac Rodolpho Gonſaga Regiis, ac totidem Sfortianis ſtipendiis authorandi Ioanne Franciſco Seuerinate duce iungi debebant: quod ſi Alexander, Florentiníque eadem alacritate, qua Alphonſus in bellum incubuiſſent, res nimirum Genuenſis, aut tota potius belli ratio adminiſtrata commodius fuiſſet. Ab Alexandro, vt copias ſuas Neapolitanis iungeret, petebat Alphonſus, & triremes Pontificias ad augendam Arragoniam claſſem mitteret: copias ſuas cum Neapolitanis coniungi ſinebat Pontifex, ſed ad tuendum Romanum

19

...ſij & Verſij.

Oſtia per Nicolaum Vrſinum Alexādro Pontifici reſtituta.

manum agrum vltra progredi non ſinebat, Alphonſus autem Mediolanenſes aggredi decreuerat: triremes verò ſuas Arragoniis iungere differebat Alexander, ne Ludouicum Sfortiam ad extremam deſperationem adduceret: quamquam enim Ludouici promiſſis haud fidem adhibebat, imo potius omnino diffidebat; tamen, quòd ſanctè confirmarentur quadam dubitatione ſuſpenſus hærebat. A Florentinis claſſem, vt in Liburnicum portum (ea Labronæ ſtatio antiquis fuit) reciperent, commeatúmque præberent, quum peteret Alphonſus, illi plura quàm fœdere tenerentur præſtare cunctabantur, eodem ſe fœdere ne Caroli poſtulatis ſatisfacerent, ſe excuſaſſe prætendebant: ita dubij ſociorum animi bello moram attulerunt,& vt bonæ occaſiones amitterentur in cauſa fuerunt. Hac cunctatione offenſus Alphonſus colloquium ab Alexandro poſtulauit, quinto nonas Iulias ad Tiburtinum Vari, vt quidam, ſiue vt alij tradunt, Varronis olim vicum appulerunt: triduum ibidem commorati de bello imminente conſultarunt. Conuenit vt Alphonſus cum ſexcentis cataphractis equitibus in Appuliæ finibus conſiſteret (erant autem in Alphonſi exercitu duo grauis, tria leuis armaturæ equitum millia) Virginius Vrſinus cum ducentis cataphractis Pontificis ſtipendium merentibus, & aliquot leuioris armaturæ equitibus,ex Alphonſi exercitu retentis, Romæ præeſſet; vt Columnas, ſi res ita ferret, nouarum rerum cupidos coërceret: Ferdinandus Calabriæ regulus (ita maiores natu Regum Neapolitanorum liberi nominabantur) cum mille quadringentis grauioris, & reliquis leuioris armaturæ equitibus, quibus cæteræ Pontificiæ copiæ iungerentur, in Flaminiam,ſiue Ariminenſem regionem contenderet:moderatores ſuæ adoleſcentiæ Nicolaum Vrſinum Petilianum, qui nuper à Pontificiis ad Neapolitana ſtipendia tranſierat, Alphonſum Daualum Piſcariæ Marchionem,ac Ioannem Iacobum Triuultium egregios bello duces, ſecum duceret, peditum numerus memoriæ non proditur. Sed Proſperi, ac Fabricij Columnarum incerta fides princeps huius colloquij cauſa fuit: hi diu maioris Ferdinandi ſtipendia meriti, & honoratis muneribus donati, poſt eius mortem Proſper relicto Alphonſo ad communia Alexandri, Ludouicique Sfortiæ ſtipendia tranſierat, & vni Pontifici (id enim maiorem in modum Alexander poſtulabat) ſeſe authorare detrectarat;Fabricius autem Alphonſo adhuc authoratus, niſi Proſpero Alexander reconciliaretur,Ferdinandum Calabrum regulum in Flaminiam ſequi recuſabat.

Alexandri Pontificis cũ Alphonſo de bello imminente colloquium.

20 Hæc illi palam iactabant, reuera autem Aſcanij Sfortiæ Cardinalis amicitia, pollicitationibúſque inducti, & quòd Virginius Vrſinus aduerſæ factionis princeps primas apud Alphonſum parteis obtineret indignati, clam ad Regem Gallum defecerant: ſed ne ante eius in Italiam aduentum opprimerentur, cum Alexandro, Alphonſóque conuenire ſe velle ſimulabant, & varias cauſas nectentes rem in incerto trahebant. Illos oppidis, arcibúſque Romæ vicinis, atque adeo omnibus fortunis euertere cupiebat Alexander; Alphonſus hoſtium numerum augere nolens non niſi extrema deſperatione rem ad arma deduci volebat: aut perſuadendos ſibíque amicè iungendos, aut armis cogendos eſſe decreuerunt, certáſque in id copias reliquerunt. Belli initium fecit Arragonia claſſis Federico Alphonſi fratre duce Baiano ſinu egreſſa; triginta quinque inerant triremes, & cum minoribus pleriſque nauigiis, decem & octo naues onerariæ, magna omnes tormentorum bellicorum copia inſtructæ: ſed quod tria duntaxat peditum, qui in terram exponerentur, millia vehebant, ad quinque præterea excipienda, & in Liburnico, & in Senenſis coloniæ portubus aliquandiu conſtiterunt. Hæc magna mora ſuperiori cunctationi addita continendæ in officio Genuæ Ludouico Sfortiæ occaſionem dedit: Gaſparem enim Seuerinatem, qui Fracaſſius, vel Fracaſſa vulgò dicebatur, atque Antonium Mariam eius fratrem, cum pedeſtribus copiis in vrbem immiſit, multis muneribus promiſſiſque Ioannem Ludouicum Fliſcum Hybleti fratrem,Adurnios aliquot, & pleroſque alios viros nobiles in ſuas parteis pertraxit; Carolum Regem de præſidiis accelerandis admonuit. Eò iam appulerat cum duobus Heluetiorum millibus Antonius Beſſaius Diuionenſis præfectus(Balliuum noſtri vocant:) Gallicæ iam inſtructæ erant triremes,Sfortianæque adiunctæ; & quod magnum momentum attulit Ludouicus Aurelianus Gallicæ claſſis præfectus in vrbem iam admiſſus erat, quum Arragonia claſſis Liguſticam oram legere conſpecta eſt. Is è Regia ſtirpe Carolo proximus Aſta profectus inter eundum Ludouicum Alexandriæ conuenerat, de toto maritimo negotio, præſertim verò de re Genuenſi conſilia communicarat, quem honorificè, ſed vt parem exceptum Ludouicus fati ſui neſcius dimiſit: nihil minùs, quàm ſe Mediolanenſémque ditionem in eius poteſtatem aliquando venturam arbitratus. Genuam tantis præſidiis munitam aggredi non auſi Arragonij ad portum Veneris oppidum in Lunenſis portus faucibus ab Occidente ſitum,Ericíſque vico oppoſitum deflexerunt: ille Genuenſis, hic Piſani agri terminus

Arragonia claſſis apparatus.

Digitized by Google

nus olim fuit: inter vtrumque in terram immiſſum mare orbem facit, cuius circuitum paſſuum millibus quinque metiuntur. Huc Macra amnis Liguriam ab Hetruria diuidens influit, in intimo ſinu vrbs noua, & antiquis incognita Spedia eſt: totam eam oram præſidiis munierat Ludouicus, & ad Veneris portum quadringentos pedites Balbo duce miſerat: oppidanos auxiliorum ſpe confirmarat Ioannes Ludouicus Fliſcus, & Spediæ interim conſederat. Arragonij oppidum muro debile, nullo intus aggere firmatum adoriuntur, tormentis bellicis muros verberant; ſcalis admotis terra, maríque ſeptem circiter horas acriter oppugnant: ſed pugnam tandem nox interueniens, oppugnantium vulnera, qui loco iniquiore certabant, ac continuatus labor diremit. Inde ad Rapallinum ſinum viginti milliaribus Genua diſtantem Arragonij tranſmittentes Rapallo nullo muro cincto facilè potiuntur: ad hoſtium repellendos impetus vallo quod palis, furciſque defixis, & longis trabibus clauis affixis conſtabat, ſepiunt. Hos Aurelianus nauibus ad terram admotis, Beſſaius Heluetiis partim lembis, partim terreſtri itinere perductis aggreſſus in fugam vertit, centum aut paulò plures cecidit, quæ ſi Italicorum præliorum ratio habeatur, ſatis magna clades videbatur: paucos atque in primis Fregoſinum Pauli Fregoſij Cardinalis filium, Iulium Vrſinum, Orlandúmque Fregoſium cepit.

In fugam ab Aureliano vertitur.

Prælium alij aliter narrant; Arragonios tormentorum bellicorum pilis, quæ è maioribus Gallicis nauibus euibrabantur territos, Gallis, Heluetiiſque vrgentibus in fugam ſe proripuiſſe ſcribit Cominæus, Sfortianos, cæteróſque Italos in locorum anguſtiis, quas tuerentur, collocatos abfuiſſe: at Paulus Iouius Sfortianis, Prætorianiſque Genuenſium militibus victoriam tribuit: Gallos mox, Heluetióſque ſuccedentes Rapallum diripuiſſe tradit, nonnulli Itali qui eandem hiſtoriam vernaculo ſermone ſcripſerunt, fere cum Cominæo conſentiunt, niſi quod montanos Ligures Heluetiis inter aſpera ſaxa, locóſque præruptos non ſatis ordines ſeruantibus, & Arragonios ægre ſuſtinentibus, ad prælium acceſſiſſe, & magnum ad victoriam momentum attuliſſe tradunt: eandem pugnam, ſiue oppugnationem (ſiquidem vtroque nomine cenſeri poteſt) explicant & Germani paulò aliter; ſed neque ſatis de nauium Gallicæ claſſis, cui Genuenſis iuncta erat, numero inter eoſdem conuenit. Cominæus in genere iuſtum triremium numerum fuiſſe, ingenteis aliquot naues (quarum maxima eius fuerit) vnà vela feciſſe: Iouius triremes decem & octo, onerarias duodecim, in Genuenſi portu militibus completas ſcribit; nec an omnes Gallorum fuerint, an ſex Ludouici triremes, ac quatuor onerariæ, quarum prius meminerat, in hunc numerum inſertæ ſint, ediſſerit: Guicciardinus decem & octo triremes, ſex myoparones, nouem ingenteis naues Genua ſoluiſſe memoriæ mandauit, alij multo plures enumerant. Commiſſo prælio Arragonia claſſis Liburnum, inde rebus quaſi deſperatis Neapolim rediit: Gallis, Heluetiiſque Genuam reuerſis Ligures ob Rapallina ſpolia cæſis aliquot Germanis ſeditionem excitarunt, qua ſedata Aurelianus ad Carolum iam Italiam ingredi deſtinantem eodem fere, quò venerat, remenſo itinere Aſtam ſe recepit, & eundem de recenti victoria certiorem reddidit. Interea Ferdinandus Calaber acceptis aliquot ab Alexandro Pontifice equitum turmis, deinde quadringentis à Petro Medice vtriuſque armaturæ equitibus, ac mille peditibus, & bellicis aliquot machinis Annibale Ioannis Bentiuoli filio duce, coactis præterea ex Bononienſibus, eorúmque accolis ſex peditum millibus in Flaminiam contendebat, inde in Galliam Tranſalpinam tranſiturus: inter eundum obuias, deuiaſque ciuitates ſibi conciliabat, nequid hoſtile à tergo relinqueret: Ceſena iubente Alexandro, Fauentia Aſtore Manfredo Petri Medicis opera perſuaſo ſocias ſe fore promittebant. Maior in foro Liuij, Imoláque opera inſumebatur, quibus præerat Octauius Riarius Hieronymi filius adoleſcens, ſed Catharina Sfortia è Sfortiana quidem familia, ſed non matrimonio legitimo prognata eadem mater, & tutrix omnia adminiſtrabat: ea niſi Fauentini cum Pontifice, Alphonſo, ſecúmque de mutua propugnatione tranſigerent, ſocietatem inire recuſabat: illi plura, quam fœdere tenerentur, Alphonſo præſtare non audebant, ne Carolum in ſe vehementius irritarent. Colloquio inter Ferdinandum, Petrúmque habito, & huic quoque ſatisfactum eſt, & Florentini, licet plerique inuiti, fœdus Petro vrgente ſubſignarunt. Bononiam eidem adiunxit Pontifex Ioanne Bentiuolo ad ſe pertracto, cuius filium Antonium Galeatium purpureo galero donandum ſuſceperat.

Ferdinandus Calaber cum armatis in Galliam Tranſalpinã tranſire parans ab Aubignio impeditur.

21

Hæc Ferdinando ſatis fœliciter ſucceſſerant, ſi Aubignium anteuertiſſet, Galliámque Tranſalpinam maturius inuaſiſſet: ſed vix ille Ceſenam attigerat, quum Aubignius, qui Mediolani ſubſtiterat trecentis cataphractis equitibus comitibus (alij plures, alij pauciores numerant) validáque Heluetiorum manu, quæ per Graias Alpeis Vercellas profecta ſeſe illi iunxerat, ac Ioannes Franciſcus Seuerinas Sfortiani dux exercitus, in quo ſexcenti 22

cataphracti

Digitized by Google

cataphracti equites, ac tria veteranorum peditum millia cenſebantur, transmiſſo Bononienſi, Imolenſem agrum penetrarunt. Itaque omiſſa Gallia Tranſalpina in Flaminia conſiſtere coactus Ferdinandus ante Caroli aduentum prælio decernere properabat: contra Aubignius in locis natura firmis caſtrametari, tumultuariis equitum leuis armaturæ excurſionibus hoſtem laceſſere, nunquam in vniuerſæ pugnæ diſcrimen deſcendere decreuerat: hic non longè à Villafranca, poſitis caſtris, poſtquam Ferdinandum Tiferno, vbi cum Petro Medice colloquutus erat, digreſſum eodem tendere accepit, ad foſſam, ſiue Vada Giliola, inter Lugum, ſiue Lucum ſiluam, & Columbare locum munitiſſimum in finibus agri Ferrarienſis retroceſſit. Ferdinandus ad Tuſcanellam diuertit, vt paulatim à locis, vel montanis, vel alioqui munitis, ſeiunctos hoſteis ad planitiem, æquúmque certamen deuocaret; Aubignius caſtra ſæpe commutans, ſed locis ſemper tutiſſimis collocans, haud procul à ſancta Agatha Ferrarienſi oppido ad Vatrenum fluuium conſtitit, Ferdinandus ſexto inde milliari circa eundem fluuium ad Mordanum caſtra poſuit: poſtridie educta acie, & ad caſtra Gallica vix milliari interiecto appropinquante pugnæ poteſtatem fecit; Aubignio nihil ſe commouente ad Balbianum Cutignolani agri viculum receſſit: ita caſtra caſtris aliquandiu conferentes, & velitaribus duntaxat prælijs ſeſe inuicem laceſſentes, nihil dignum memoria geſſerunt. Hic inſigne Iouij mendacium audire operæpretium eſt: non longe à Sancta Agatha datam prælij faciendi occaſionem ſcribit, quum vterque exercitus in pratorum latam planitiem deſcendiſſet, quæ tametſi pleriſque foſſis vtroque margine frequentibus ſalictis conſitis impedita erat, ſatis opportuna tamen videbatur, nec pugnæ conſerendæ incommoda. Intererat inter vtrumque foſſa mediocris, quam vt Arragonij tranſmitterent Aubignius expectabat: illi viciſſim idem de Aubignio præſtolabantur: hic Triuultium Italorum militum fortitudinem prædicantem, Gallorum Heluetiorúmque eleuantem, ad pugnam ineundam multis adhortationibus incubuiſſe, Petilianum contraria in ſententia ſtetiſſe, cæteros duces tum Triuultium laudaſſe, paucis poſt diebus amiſſam occaſionem ægerrimè tuliſſe: at ſcriptores Itali præſertim verò Guicciardinus qui eandem hiſtoriam lingua vernacula tradiderunt, quíque bello Neapolitano interfuerunt, primum Gallos in locis firmiſſimis caſtrametatos pugnandi copiam haud feciſſe; deinde Triuultium non ſecus, ac Petilianum Ferdinando ne fortunæ aleam ſubiret, authorem fuiſſe, ſed non eadem prorſus ratione prædicant: hunc quòd ita mandaſſet Alphonſus, illum & hoc nomine, in primis verò, quòd Carolum regno Neapolitano potiri cuperet, & mox ad inuadendum Mediolanenſem principatum impellere ſperaret, melioremque inde fortunam aucuparetur: vnde nobili familia ortus vel Ludouici Sfortiæ metu, vel concepta aduerſus Seuerinates Ludouico familiares inuidia percitus, vel digna ſuis virtutibus ſe conſequuturum præmia deſperans, voluntario quaſi exilio diſceſſerat (Mediolano pulſum à Ludouico Sfortia, exulémque factum Bembus prodidit) neque enim timori, vt de Petiliano refert Iouius, aſcribunt: quandoquidem & ante, & poſt vir ſtrenuus Triuultius fuit. Si tamen ſuos Italis ita excuſare licet, videant dum ita excuſant, ne in vitium mea quidem ſententia deterius, hoc eſt, in proditionem conuertant: quam opinionem Capua Carolo poſt tradita, cui paulo ante à Ferdinando Neapolim ob recentem ſeditionem proficiſcente præfectus erat Triuultius magis confirmauit vt ſuo mox loco enarrabimus. Hinc diuulgata ea per totam Italiam fama, proditionis nota haud caruit.

Iouij cōmenta explodantur.

23 Nec prætereundum eſt Iouio familiare eſſe, vt mendacij ſibi conſcius, rem magnificis, ſonantibúſque verbis, & exemplis, ſententiíſque longè petitis illuſtret: in nugis latè vagetur, & quaſi perſonatam fabulam pro hiſtoria ſupponat, quod & hic, & aliis multis locis annotare diligens lector poteſt. Superior videbatur Ferdinandus; ſiquidem in certamen prodire Galli detrectauerant, ſed quotidie noui ad eorum caſtra milites affluebant: & vbi Aſtam appulit Carolus, ducentos ſtatim cataphractos equites, ac mille Heluetios pedites ad Aubignium in ſubſidium miſit. Contra Alexander Pontifex, quod Oſtiæ arcem Columnæ dolo receperant, crebris excurſionibus agrum Romanum infeſtabant, claſſem Gallicam, quæ Oſtienſibus ſuppetias latura Genua ſoluiſſe dicebatur, Neptuni portu excepturi videbantur, quos in Ferdinandi exercitu habebat equites, reuocauit; conuerſaque fortuna Ferdinandus ſe in loca munita recipere, Galli inſequi cœperunt. Ille ad Sanctam Agatham oppidum, & paucis poſt diebus ad Fauentiam declinauit: Galli cedentem veſtigiis perſequuti ad Sanctam Agatham, Fauentiæ ſitu, munitionibúſque cognitis in agrum Imolenſem redierunt; quódque rarò euenit, duo infeſti exercitus inter ſe propemodum commiſſi eandem bellandi rationem ſequuti ſunt: vbi ſe viribus ſuperiores intelligebant, magno animo pugnandi occaſiones quærebant, vbi vires pares erant,

Digitized by Google

erant, neutri fortunæ aleam ſubire audebant, vtrique tamen ſe voti compotes exiſtimabant; Galli quòd pugnam in Regis aduentum differentes Arragonios progredi vltra prohibebant: Arragonij quòd idem præſtabant, & Gallos dum hyems pluuiis, niuibus, gelu inhorreſceret, diſtinebant: Itali autem hyeme tum bella gerere haud ſolebant, & quod plurimo equitatu, raro peditatu vtebantur, veris initia dum herbæ vireſcentes equis pabulum ſufficerent, expectare conſueuerant. Id præterea diſertè iniunxerat Alphonſus, ne vniuerſis viribus, niſi magna occaſione confligerent; eo exercitu amiſſo de regno Neapolitano actum eſſe. Sed Caroli impetum non itinerum difficultas, non ærarij penuria, non hyems imminens, non hoſtium terror retardauit: tormenta bellica magnitudine ingentia, numero permulta, anguſtis & pene inuiis Alpium ſemitis exportanda erant: ea centum quadraginta nonnulli numerant, vt minora, quibus non tam in vrbium oppugnationibus, quam in conſerendis præliis vti ſolent, prætermittantur: ſed illorum bonam partem claſſe delatam ferunt. Expenſa erant in rem nauticam omnia Galliarum vectigalia: nec tum ex Regis libidine noua tributa indicere Gallis adhuc libertatem ſuam egregiè tuentibus licebat, quod, vt ſibi liceret Franciſcus Primus huiuſce nominis Galliarum Rex perfecit, nec in antiqua ſuperiorum Regum modeſtia perſeuerauit: nondum repræſentata erat promiſſa à Ludouico Sfortia pecunia, cuius incerta fides ſuſpecta erat, inſtabat Autumnus, vt de tantis copiis nullo etiam vrgente hoſte in regnum Neapolitanum ante hyemem deducendis ſpes nulla ſupereſſet; quarum vt Aubignianos equites, Heluetióſque, quíque Beſſaium Genuam ſequuti erant, vnà complectar, hic numerus traditur mille ſexcenti cataphracti equites, quorum ſingulis more Gallico bini hippotoxotæ attributi erant: ducenti præterea prætoriani equites, quos vulgò ducentos nobiles vocant, penſionarij viri nobiles, quatuor Regiorum hippotoxotarum alæ prætorianæ, qui adhuc tametſi armorum genere commutato vetus nomen retinuerunt, ſex Heluetiorum, ſex Gallorum peditum millia, quorum bona pars ex Vaſconibus fuit: alij peditum numerum augent; acceſſerunt Sfortianæ equitum, peditúmque copiæ: Columnarum, Camilli, Vitellij, aliorúmque qui ex Italis ad Regia ſtipendia tranſierunt. Claſſis præterea ſuos milites habebat, quorum certum numerum non legimus, nec certo ex his, qui bello interfuerunt, accipere potuimus.

Caroli ad regnum Neapolitanũ proficiſcentis exercitus.

Hic exercitus non magnus numero erat, ſed bello viuida virtus, vt ſcribit Poëta; tanta 24
enim omnium, præſertim vero equitum alacritas erat, vt illorum vim Itali ſuſtinere nullo modo poſſent: terrorem addebat machinarum bellicarum maiorum, minorúmque ingens copia, quæ tum ad vrbeis oppugnandas, tum ad campeſtres pugnas circumferebantur: hæc grauis mortalium atque infeſta lues, in Germania paulò ante ab obſcuro homine, cuius nomen non proditur, inuenta à Venetis primum ad deſperationem propè adductis, aduerſus Genuenſes victores in nauale prælium in ipſis Venetiarum æſtuariis commiſſum anno decimiquarti ſæculi octogeſimo producta eſt, atque inde ad cæteras Italiæ regiones tranſlata. Sed ferreas initio, eáſque ingentis magnitudinis Itali fabricabantur, in quas lapideas pilas immittebant, & à ſtrepitu bombardas vocabant: nunc quadrigis, nunc bigis impoſitas bobus trahentibus vehebant, propter vaſtitatem autem lente admodum exportabantur, ſumma cum difficultate circumferebantur, nonniſi longis interuallis exonerabantur, nec magno vſui erant. At Galli, qui earum exactum vſum habebant, æreas duntaxat non vaſtæ, vt illæ fuerunt, ſed iuſtæ magnitudinis bigis ſæpius, nonnunquam etiam quadrigis impoſitas tanta induſtria equis trahebant, vt cæteri exercitus celeritatem adæquarent: has vulgo Canones appellabant, pilas non lapideas, ſed ferreas in ora inſerebant: fabris, foſſoribúſque ad circumducendas quoquouerſus delectis eaſdem ad omnem motum, atque ad ictus denſiſſimè iterandos facilè explicabant. Et vt numerum conìicias, aurigarum quatuor, equorum octo millia his conuehendis attributa produntur, quamuis permultas claſſe exportatas legamus, quibus hominum arte repertis fulminibus nulli vrbium muri, nulla propugnacula, nullæ arces reſiſtebant: vt his omnis veterum machinarum forma, ipſaque adeo Archimedis officina omnino ceſſerit. Verè autem cum fulminibus vel irrumpentis impetus, vel tetri odoris, vel horribilis ſtrepitus ſimilitudine conferri poſſunt; vtque illa aëriorum dæmonum, eorúmque maleficorum inuenta nonnulli putarunt: ſic hæc terreſtri alicui malo genio humanæ naturæ hoſti accepta ferre, idcircóque authoris nomen, quiſquis is fuit, aut ſi quis omnino fuit, æterno ſilentio ſepultum exiſtimare debemus! Hoc bellico apparatu inſtructus Carolus rebus in Gallia compoſitis, ac Petro Borbonio legato & Prorege Galliæ relicto decimo Kalen. Septemb. Vienna profectus Gratianopolim, inde Ambrones, Brannouices, Cottiis Alpibus Suſam tertio nonas Septembr. appulit: nonis Taurini ſumma Allobrogis reguli,

Machinarũ bellicarũ auctoris nomen vellè ſuppreſſum.

Blanchæque

Blanchæque matris liberalitate exceptus eſt; ea quicquid auri in mundo muliebri habuit, Regi mutuò dedit: vbi ad Caſale peruenit, tantumdem à Montisferrati vidua ſumpſit, quam Regis Seruiæ (ea ſuperioris Myſiæ pars eſt) ante à Turca occupatæ filiam, & ſibi propinquam Carolo Monferratenſi Marchioni Federicus Imperator collocarat: ex illo oppignerato duodecim, ex iſto totidem nummûm aureorum millia recepit. Paulò ante à Mediolanenſibus quinquaginta mutua, à Genuenſibus totidem aut paulò plura; ſed grandi fœnore accepit, quæ mox bona fide diſſoluit.

25 Sed quid tantula in tot terreſtres, naualéſque copias pecunia, niſi victori opulentam regionem ingreſſo nullam defuturam ſibi perſuaſiſſet? quinto Idus Septembr. Aſtam Coloniam, quæ in Ludouici Aureliani poteſtate erat, ingreſſus in morbum incidit, puſtulis vt pueris ſæpe accidit, è toto corpore erumpentibus; idcircóque in diem tertium nonas Octobris ibidem commoratus valetudini recuperandæ operam dedit: cum Ludouico Sfortia, qui eodem cum ſocero Hercule Ateſtino, ac Beatrice vxore pulcherrimis Mediolanenſium matronis, virginibúſque comitata magna pompa ad ſalutandum Regem acceſſerat, conſilia ſua communicauit: de Rapallina victoria certum nuntium accepit, & recreato exercitu ſe ad inſtitutum iter comparauit. Ad diem nonum Kalendarum Ianuarij Carolum de Neapolitana profectione ſtatuiſſe ſcribit Bembus: nec ita multo poſt Philippum Cominæum, ſiue Argentonum Venetias miſiſſe, qui ſi ſe Reſpublica in belli Neapolitani ſocietatem cum Rege coniungeret, quam vellet, eius regni partem depoſceret, Carolum nihil recuſaturum denuntiaret, quod falſiſſimum eſt: neque enim vllum regni ſocium ſibi aſciſcere Carolus voluit, vt Ferdinando minori, Federicóque eius patruo declarauit: & Cominæus mandata ſua explicans nihil huiuſmodi ſibi iniunctum prodidit. Ibidem codicillos Alexandri Pontificis Carolus accepit, quibus iterum admonebatur, vt de regno Neapolitano æquo iure diſceptare potius, quam bello decernere in animum induceret: ſin pergeret, & Pontificiæ Majeſtati recta monenti non obtemperaret, ſe Regem quaſi ſacricommiſſi reum, malis diris deuoturum Alexander comminatus eſt. Idem Venetos per Caliguritanum Pontificem ad defendendam communem Italiæ libertatem, quoad potuit, incitauit: aut ſi armis decertandum non putent, ſaltem Ludouicum Sfortiam belli huius authorem grauiter increpent, & ne in inſtituto perſeueret, deterreant. Quinetiam Hiſpanum Ferdinandum ad mittendam in Siciliam claſſem, qua ſimul regnum Neapolitanum tueretur, cohortatus eſt; qúumque ille in claſſem ſibi pecuniam deeſſe cauſaretur, vt aliquantam Alphonſus mitteret, procurauit: omnémque eam, quæ ab Hiſpanis in Turcicum bellum collata erat, nec in alium vſum transferri debebat, vt ſacri belli ſpecie Ferdinandus ſumeret, permiſit: quum longè aliud ipſe in animo haberet, & vnà cum Alphonſo Neapolitano Rege, Turcica auxilia implorasſet: ſcopum Ludouici Sfortiæ hunc plerique fuiſſe exiſtimarunt, vt Carolum in Hetruriam immitteret, atque interim Mediolanenſem principatum occuparet: mox inter Carolum, Alphonſúmque fœdus conciliaret, quo penſionem pecuniæ annuam Carolo Alphonſus dependeret, eidémque ſeſe ſubmittens regnum quodammodo acceptum ferret, ac Gallorum Regibus obnoxium agnoſceret. quod Ferdinandus maior Carolo per Pandonium obtulerat, vt Cominæus tradidit. Lunenſis prætereà agri arceis, oppidáque Florentinorum præſidiis munita in Caroli poteſtatem ventura, & ſibi non magna fortaſſe pecunia venum ire ſperabat: huc illum varia ſpes adducebat, inſtantem hyemem Gallicarum victoriarum curſum remoraturam, ærarij penuriam, innatum Gallis feruorem moræ omnis, cunctationíſque tolerandæ neſcium, multorum animos ab hoc bello prorſus alienatos, vt inter Carolum, Alphonſúmque conueniret, facilè perfecturos: hinc multum de Alphonſi authoritate, Florentinorúmque potentia deceſſurum, ſibi Mediolanenſium compoti totum huius belli fructum acceſſurum.

Carolus in morbũ lapſus Aſtæ cõmorari cogitur.

Ludouici Sfortiæ Carolum ad regnum Neapolitanũ acerſentis ſcopi & finis coniectura.

26 Hæc homo callidus ſecum meditabatur; Deus Optim. Maxim. aliter decreuerat, & dignam tanta ambitione, atque in ſuos crudelitate pœnam in aliud tempus reſeruarat. Igitur quamuis ab Arragoniis Petrum Medicem Ludouicus diuellere contendiſſet, tamen mutato poſt conſilio, vt ab illis ſtaret, modis omnibus parſuaſit: id vt Carolo indicaret Petrus ex Alphonſi ſententia morbum ſimulauit, accerſitóque Stephano Tabernio Ludouici legato, quum Ioannem Mattaronium Caroli oratorem ſub aulæis condidiſſet, vt colloquium exaudire facile poſſet, de Ludouico, quod Carolum tanta pertinacia in Italiam accerſeret, vehementer queſtus eſt; ſe enim Ludouici conſilia ſequutum Caroli

Digitized by Google

poſtulatis prorſus obuiam iiſſe: itaque ſi quod verbis præ ſe ferret, re præſtaret, ſe alia conſilia initurum, & Florentinæ Reipub. conſulturum. Tabernius compoſitæ fraudis neſcius Petrum cohortatus eſt, ne de Ludouici fide vllo modo hæſitaret, ſi non aliis rationibus adductus, ſaltem quod ſi ad Gallos regnum Neapolitanum rediret, de re Mediolanenſi actum eſſe nemo dubitaret: proinde in inſtituto fortiter perſeueraret, nec omnem Italiam in Gallorum ſeruitutem redigi permitteret. Hæc ad Regem Mattaronius, quæ Ludouici fidem ſuſpectam in primis reddiderunt; nec tamen eum, quem Petrus, Alphonſúſque ſperauerant, euentum habuerunt: fraude enim per Gallos ipſos ſignificata Ludouicus acriores longè erga Petrum inimicitias exercuit, & Carolum ad accelerandum iter magis incitauit. Iam portenta pleriſque locis viſa, audităque imminenteis Italiæ calamitates indicabant: tres in Appulia viſi ſoles, multis nubibus, horrendis tonitruis, fulminibúſque coruſcantibus perruptis cincti. In Aretino agro armati equites toto cœlo diſcurrere conſpecti buccinis, tympaníſque horrendum clangentibus: id ipſum monſtra tam ex hominibus, quam ex cæteris animalibus diuerſis Italiæ regionibus nata portendebant. Et Itali veterum hiſtoriis moniti Gallorum arma totum pene orbem diuerſis ſæculis peruagata exhorreſcebant: quondam occupatam ab illis Galliam Tranſalpinam, captam Romam, colonias in agrum Senenſem deductas, totam fere Italiam vaſtatam: inde in Aſiam tranſgreſſos pleraſque eius prouincias in ſuam poteſtatem redegiſſe: recentiore memoria Carolum Magnum totam prope Germaniam, Italiámque Gallico Imperio adiecisse: Gotofredum Bullionium ſucceſſoréſque plures etiam, quam veteres Galli in Aſia ſubegiſſent, prouincias de Turcis recepiſſe. Græcorum Imperium vſurpaſſe: Tancredum Normanum Neapolitanum, Siciliæque regnum armis ſibi vendicaſſe, ac poſteris hæreditarium reliquiſſe, vt nullis viribus tam bellicoſæ gentis impetus retardari poſſe videretur. Tum Hieronymus Sauonarola ſodalis Dominicinus externi exercitus aduentum, Italiæque vaſtitatem anno ſuperiore prædixerat; ac palam in concionibus, priuatimque in colloquiis, quaſi fatali aſſeueratione confirmarat, Carolum Galliarum Regem à Deo deſtinatum, qui crudeles Italiæ tyrannos graui animaduerſione puniret; huic reſiſti non poſſe, quis enim diuinis decretis repugnet? Eumdem Piſas ingreſſurum, quo die nouam adminiſtrationis formam Reſpub. Florentina receptura ſit; idque ita euenit, ſiquidem illo ipſo die Petrus Medices Florentia expulſus fuit, quæ diuino inſtinctu ſe didiciſſe profitebatur. Priuatim Cominæo de reditu Caroli roganti in quem Alexander Pontifex, Maximilianus Imper. Ferdinandus Hiſpanus, Veneti, Ludouicus Sfortia coniurarant, reſpondit Carolum, vt aduentus, ita & reditus ducem Deum habiturum: in magnum quidem venturum diſcrimen, magnam inde nihilominus gloriam reportaturum. Sed quod in inſtauranda veteri Sacerdotum puritate, compeſcendáque tyrannorum violentia negligens fuiſſet, ac militum rapinas non coërcuiſſet, quas non ſolùm in hoſteis, ſed etiam in illos, qui in eius amicitiam recepti erant, exercuerunt, Dei fatali decreto diuinam illi inſtare vltionem: Regi vt non peccet haud ſatis eſſe; alij ne peccent, illius eſſe prohibere: ſi tamen reſipiſceret, & ſuos à rapinis contineret, Deum aut decretum immutaturum, aut de ſupplicio remiſſurum. Quæ Cominæum Regi renuntiare iuſſit, ſéque eidem obuiam iturum, atque eadem denuntiaturum promiſit, quod & mox præſtitit.

Portenta variis Italiæ regionibus viſa audităque Italis ſuſpecta.

Hieronymi Sauonarolæ prædictio.

Regi vt peccare haud ſatis eſt; alij ne peccẽt, illius eſt prohibere.

Eius vaticinationem Delphini mors Caroli in Galliam reditum paucis menſibus con- 27
ſequuta, & quarto poſt anno Caroli ipſius confirmauit. Hæc atque Laurentij Medicis mortem, & alia pleraque, quæ poſtea euenerunt, multò ante prædixit: vnde diuinus quidam vates præſertim Florentiæ habitus eſt: aliquot tamen poſt annis factione contraria ibidem dominante (nam ſtatus popularis defenſor acerrimus fuit) Alexandro Pontifice, ac Ludouico Sfortia connitentibus, eodem quo Carolus Rex, mortuus eſt menſe, extremo ſupplicio addictus, viuúſque cum duobus ſuis ſodalibus combuſtus. Quod autem Carolum ad mulctandos Italiæ tyrannos Sauonarola à Deo deſtinatum in concionibus pacata adhuc Italia palam denuntiauit, & multi ita exiſtimarunt, pauca de Ferdinandi, Alphonſique moribus inſerere operæpretium exiſtimaui: vt tyranni, tyrannorúmque fautores, ac ſatellites ſcelera ſua raró, quamuis ſero nonnunquam, inulta eſſe diſcant. Ferdinandus ſubdolo ingenio odium in alios conceptum mira arte ſimulabat, nec vnquam deponebat, natura irreconciliabilis: viginti quatuor, aut paulò plures regni Neapolitani regulos, aut viros primores, quibuſcum interpoſita ſacramenti religione fœdus inierat, ac reconciliatus erat (vt ſupra memini) Neapolim publica fide vocatos in altum, tetrúmque carcerem coniecit,

Arragoniorum Neapolis Regis tyrannis.

Digitized by Google

conie cit; quoſdam peremit, cæteros vſque ad mortem in horrenda illa cuſtodia habuit, plerique cæſos exiſtimabant. Iacobum Picininum Nicolai filium Franciſci Sfortiæ reguli Mediolanenſis, cuius filiam notham in matrimonio habebat, legatum, ſed annuente Sfortia crudeliter occidit: quod vterque virum acrem magnis Braccianorum (hi ſtrenui inter Italos, veteraníque milites à Braccio Montonenſi, ſiue Forte-Braccio nomen acceperunt) clientelis ſuffultum impenſè timeret; & multa alia crudelitatis, perfidiæque exempla edidit. Tanta præterea auaritia flagrabat, vt viles, & non ſolum Rege, ſed & mediocri ciue indignos quæſtus faceret, porcos alendos populo traderet, quorum ſiquis caſu, aut morbo periret, cuſtodis periculo periret: oleum frumentúmque pendens emeret, vt mox chariùs venderet; nec cuiquam interim dum Rex venderet ſuum pariter vendere licebat: permultos, maximóſque equarum greges aleret, quos viri nobiles, aut etiam reguli è paſcuis ſuis abigere non audebant, nouas quotidie tributorum indictiones excogitaret nulla exhauſtæ plebis miſericordia commotus, Pontificatus propemodum auctionaretur, vt Tarentinum Iudæi filio, qui ſe Chriſtianum profitebatur, tredecim nummûm aureorum millibus addixit: monaſteriorum fructus accipitrum magiſtris, venatoribus, iis qui equarum greges curabant, aut cæteris id genus ſuæ tyrannidis adminiſtris ea conditione dilargiebatur, vt certum accipitrum, canum, equarum numerum de ſuo alerent. *F. dinan- ce. c.uritia qua.*

28 Alphonſus vt regni, ita paternorum ſcelerum hæres, nec vt pater ſimulator, omnia ſupra commemorata apertius obibat, & à Chriſtiana religione alienus videbatur, nullos Chriſtianos ritus obſeruare ſolitus. Vterque autem matronarum nobilium, virginúmque raptus pro ludo habebat: Ferdinandus minor humanitatem, ſed in ſummis difficultatibus conſtitutus præ ſe ferebat, plerique patre auóque teteriorem fore augurabantur. Siquidem regni initio egregiè vitia ſua Ferdinandus maior diſſimulauerat: is vir prudens, & Gallorum vim, audaciámque in Ioanne Renati filio expertus, ac ſuorum in ſe odia agnoſcens Carolum à bello Neapolitano dimouere contendebat magnis conditionibus oblatis: Ludouicum Sfortiam belli totius authorem placare modis omnibus conatus erat, Alphonſi filij, Ferdinandique nepotis audaciam, ac vanitatem deteſtabatur, qui Carolum ad id bellum acceſſurum in animum inducere non poterant, Gallica arma contemnebant: ſe Carolo ad Alpium radices obuiam ituros iactabant, quibus cogitationibus perculſus animóque deficiens immortuus eſt. Alphonſus natura immanis, in quo patrem etiam ſuperabat, regno potitus ſtatim Roſſanenſem principem, qui amitam eius vxorem duxerat, cæteróſque qui in cuſtodia habebantur, in Iſchiam inſulam (Pythecuſam antiqui vocabant non à ſimiarum multitudine, ſed à figlinis doliariorum, vt ſcribit Plinius) deportandos, ibique per barbarum Maurum crudeliter mactandos curauit, quorum nonnulli triginta prope annos carceris pædore confecti vix languidam animam trahebant, ac ſemimortui erant. Roſſanenſis filium amitinum ſuum, ac Comitem Populonium in Neapolitana arce retinuit, Maurum, ne res palam fieret, in Africam remiſit. Vt ad rem redeam: pridie Idus Octobr. Carolus Ticinum, quam nunc Papiam vocant, appulit, & ad arcem diuertit: ibidem grauiter ægrotabat Ioannes Galeatius Mediolanenſis regulus Caroli conſobrinus: duarum enim ſororum Charlotæ ac Bonæ Ludouici Secundi Allobrogum reguli filiarum Carolus, ac Galeatius liberi fuerunt (hunc Aſtam cum Ludouico patruo ad Carolum acceſſiſſe falſo Bembus prodidit:) quem in lectulo decumbentem Rex officio prouocatus inuiſit; & quod Ludouicus Sfortia vnà adeſſet, nihil cum illo communicauit, palam duntaxat ſe eius inualetudine commoueri profeſſus, vt de recuperanda corporis firmitate bene ſperaret, cohortatus eſt. Sed & Regi & omnibus, quotquot aderant, ob oculos obuerſabatur Ludouici impium, ac pluſquam barbarum ſcelus, qui fratris filium lento, ac tabifico veneno perimendum curaſſet; id enim paſſim pro certo habebatur, principis adoleſcentis fortunam iidem miſerabantur, qui ſuſceptis liberis vita patrimonióque patrui crudelitate ſpoliaretur: is lachrimans, ac veluti iamiam moriturus Franciſcum, Bonámque liberos Regi commendauit; miſericordiam auxit Iſabella Arragonia eiuſdem vxor, quæ Ludouici, vt Cominæus, aut vt Itali tradunt, Caroli genibus aduoluta, atque in lachrimas effuſa, vt Alphonſi patris, Arragoniæque familiæ miſereretur obſecrauit. *Alphonſi eiuſdem filij immanitas fera.*

29 Rex tametſi vel fortuna, vel ætate, formáque nobilis matronæ mouebatur, tamen eo iam rem proceſſiſſe reſpondit, vt redire illi amplius integrum non eſſet, atque mox inſtitutum iter perſequutus eſt. Ticini excubiæ conduplicatæ fuerunt, quod Ludouicum Sfortiam retinendum Lignius, ac Briſſonnetus Aureliano fauentes Carolo ſuadere *Ludouici Sfortiæ apud Carolum decentio via erat ad regnum Neapolitanũ expeditiſſima.*

 conaren

conarentur: quod ſi feciſſet & alieni principatus vſurpatorem ſuo iure mulctaſſet, & principatum ipſum vel Aureliano propinquo vel Ioanni Galeatio conſobrino, prout alterutrius ius illuſtrius fuiſſet, adiudicaſſet: cuius compos Venetos vicinitate ipſa in ſocietate retinuiſſet, & viam ad regnum Neapolitanum expeditiſſimam ſibi paraſſet: idipſum etiam Lugduni Crepecordius paulò ante ſuaſerat. Decimoquinto Kal. Nouemb. Placentiam profectus eſt: ibi Ludouicus de Ioannis Galeatij imminente morte certior factus Regem reliquit, Ticinum rediit, vbi mortuum Galeatium offendens Mediolanum inde curſoribus equis properauit: re in conſultationem deducta ſubornati conſilij publici principes in quantis difficultatibus res Mediolanenſis collocata eſſet exponentes, non quinquenni puero, ſed viro prudenti, & magnæ authoritatis qui vacillantem ſuſtentet, opus eſſe dixerunt; hinc Gallorum tantum exercitum, inde finitimos Venetos, illinc Arragonios imminere: Mediolanenſes niſi Ducem habeant, qui ſe conſilij celeritate explicare, aut periculum manu propulſare poſſit, horum aut nonnullis, aut omnibus ſimul prædæ futuros: ſi externos dominos recipere cogentur, actum de patria eſſe: tantam mutationem nonniſi communi indigenarum clade recipi poſſe, ac ſuſtineri. Omneis leges priuata publicam ſemper vtilitatem duxiſſe potiorem: proinde ſe neceſſitate adduci, vt prætermiſſo Franciſco Ioannis Galeatij filio, qui nondum quinquennium impleuerit, nec tantam rerum molem ſuſtinere poſſit, Ludouicum eiuſdem familiæ, cuius periculum iamdudum fecerint, Ducem renuntiandum, aut cogendum etiam, ſi abnuat, conſulant: illi magnam habendam gratiam, ſi hanc patriæ in extremum diſcrimen adductæ pietatem præſtet. Poſtridie Ludouicus quaſi inuitus Ducis inſignia, ac nomen vſurpauit, ea ſe Germani Imperatoris authoritate vſurpare clam conteſtatus: ſuperiore enim anno diplomata à Maximiliano obtinuerat, quibus Ducatu Mediolanenſi ob non præſtita obſequia, iuráque Germanici Imperij non exoluta Imperatori (vt præferebatur) commiſſo donabatur, & ducum Mediolanenſium priuilegia eiuſdem Maximiliani authoritate confirmata paulò ante Galeatij mortem receperat: quod Carolo nondum ad Italiam appulſo exequi non audebat, in tanta rerum perturbatione Rege ſibi amico (vt iactabat) & Gallicis copiis Mediolanenſem agrum circumſiſtentibus ſibi impunè licere exiſtimauit, ac longè ante cogitatum ſcelus nihil amplius moratus patrauit, qui belli Neapolitani concitandi ſcopus illi fuit. Carolus interim Placentiæ aliquot dies commoratus de reditu in Galliam cum aliis de cauſis tum de Ludouico ſuſpicione concepta nonnihil cogitauit: is enim ad Regem ſe rediturum Placentia proficiſcens receperat, nec vllum reuerſionis argumentum dabat.

Qua ratione Ludouicus Ducis Mediolanenſis nomẽ & inſignia vſurparit.

Præterea nouo & hactenus inaudito Galli ſcelere commouebantur, qui hunc miſcendorum in hominum perniciem venenorum morem Italis vſitatum nondum cognouerant, & Ludouicum propterea magis execrabantur, quod non in hoſtem, non in inimicum, quamuis id inhumanum eſſet, ſed in fratris filium, cuius tutor fuerat, tam impium facinus admiſiſſet. Id enim omnes pro certo habebant, quamquam ille Galeatium ex immodica venere cum vxore forma præſtantiſſima ſublatum diuulgauerat, Regem inſigni contumelia affectum querebantur: cuius in Italiam aduentum Ludouicus procuraſſet, vt in eius conſobrinum rem tam nefariam perpetraret, quaſi huiuſce impietatis particeps atque adminiſter Carolus fuiſſet. Et Petrus Vrſeus ſummus Regiorum equorum magiſter, qui belli huius hortator initio, collaudatórque fuerat, ac tum curandæ valetudinis ergo Genuæ ſubſtiterat, litteras ad Regem ſcripſit, quibus Ludouicum Sfortiam in magna defectionis ac proditionis ſuſpicione ponebat: ſed Aubignio ducentis cataphractis equitibus, & aliquot Heluetiorum cohortibus aucto Ferdinandus ad Fauentiam retroceſſerat. Caſtra intra vrbis muros loco firmiſſimo locarat, & deriuata in foſſam Anomonis fluuij parte Germanos, qui è Vindelicis accerſebantur, expectabat; Aubignio ſe viribus inferiorem fatebatur, Laurentius item ac Ioannes Medicei Petri inimici iidem ac gentiles quo die profectus Placentia eſt, ad Regem acceſſerunt, & Florentinorum erga Reges Gallos ſtudia, eorumdem in Petrum Medicem odium exponentes, Carolum vt rectà Florentiam peteret, cohortati ſunt. Ludouicus præterea intra paucos dies ſe reuerſurum ad Regem pollicitus, eundem quotidie vt progrederetur incitabat, cuius in Tranſalpina Gallia cunctationem, aut in Galliam reditum ſtabiliendæ ſuæ tyrannidi contrarium ex æquo perhorreſcebat. His impulſoribus Carolus ad inſtitutũ iter ſe accinxit, & copias per Hetruriam, Romanúmque agrum potius, quàm Flaminia, Picenóque Truento amne traiecto in Samnium traducendas putauit; non quod Arragonias extimeſceret, quæ cum

Digitized by Google

Aubignio congredi non audebant, ſed quod vel Alexandro Pontifici, Florentiniſque ſeſe palam opponentibus occurrere, rebelles domare, viam vi ſibi ſternere, & Regia Majeſtas, & tanti exercitus apparatus ſuadebant: vel quod tot hoſteis à tergo relinquere dubium in primis, & periculoſum erat. Igitur relicta Bononia Gilbertus Borbonius Mompenſerius regulus primi agminis ductor per agrum Parmenſem ingreſſus Apenninum conſcendit, & iugis ſuperatis ad Pontremulum Mediolanenſis ditionis oppidum in Apennini radicibus ſitum, ac Macræ amni impoſitum caſtra poſuit. Hoc iter Ludouicus Sforcia Piſis ſibi ſubiiciendis inhians Regi adhuc Aſtæ agenti direxerat: inde in Lunenſem agrum Mompenſerius agmen educens Heluetios à Rapallino prælio redeunteis, & tormenta bellica, quæ claſſis Gallica Spediam exportarat, ſibi adiunxit: Fiuiſanum Florentinorum oppidulum (Caſtellum nouum vocat Iouius, quod tamen à Fiuiſano Blondus ſeparat) cæſis præſidiariis militibus, & aliquot ex ciuibus, diripuit, vnde eam totam regionem ingens terror inuaſit: bella enim Italica ſpecie, & apparatu magnifica, re veluti ludicra quædam certamina haud ſanguinolenta erant; idcirco nouam hanc bellandi rationem Itali exhorreſcebant: promotis deinde caſtris Serezanellam Serezanæ (quod alij Sergianum vocant) ex Lunæ veteris vrbis ruinis ædificatæ arcem imminentem Mompenſerius oppugnare cœpit, quem Rex aſſequutus quòd arx excelſa in rupe ſita natura, atque arte munita foret, à Thoma Fregoſio Genuenſi, aut vt alij tradunt, à Caſtrucio Lucenſium tyranno quondam extructa, Regio præterea montana, ac ſterilis ager niuibus conſtratus tantis equitum, peditúmque copiis vix commeatum ſufficere in triduum poterat, multum de expugnatione dubitauit; ſed quod princeps victoris exercitus curſum remorata eſſet, ne cæteræ eius exemplum ſequerentur, totis viribus oppugnandam iudicauit. Conatus audaces fortuna adiuuit: Paulum Vrſinum cum equitum ala, trecentiſque peditibus Serezanam Florentini miſerant: hos vltra Macram progreſſi Galli equites in itinere deprehenſos magna ex parte ceciderunt.

Quā ob rem Gilbertus Mōpenſerius Italis terrori fuerit.

31 Priorem noua clades terrorem vehementer auxit, magnus Florentiæ coortus erat tumultus cunctis prope ciuibus, vno Petro Medice excepto, vel propter antiquam amicitiam, vel propter recentem pauorem ad Gallos inclinantibus: & Petrus ipſe ab omnibus auxiliis deſertus (ſiquidem vix Columnas Alexander Pontifex, Aubignium vix Ferdinandus Arragonius ſuſtinebat) ad Carolum quemadmodum ad Ferdinandum maiorem olim pater Laurentius ſupplex accedere ſtatuit, patriæ conſeruationem, quam à fœderatis, & amicis conſequi deſperabat, apud hoſteis quæſiturus. Sed nimirum parum interdum exempla proſunt, niſi eadem conſilia, eadémque prorſus conſiliorum rationes vrgeant: & fortaſſe vterque non tam recto conſilio, quàm propitia fortuna vſus eſt, illum Turcarum Hidruntinum agrum occupantium metus à Ferdinandi tyrannide vindicauit, huius ſtultitiam res Neapolitanæ poſt Caroli reditum in deterius commutatæ, & Regis candor, ac liberalitas non tam ſuis commodis ſtudentis, quam Florentinis in amicitia reſpondere cupientis, correxerunt. Petrus itaque imminentis periculi metu, quod paulò ante contempſerat, attonitus ad Regem ire perrexit: in itinere Pauli Vrſini manum à Gallis equitibus profligatam, cæſamque cognouit; ad Petraſanctam, quod Fanum Feroniæ, ab eo diuerſum quod ad Soractem montem celebre fuit, quidam olim dictum putant, ſubſtitit, à Rege petiit, vt publica fide ſibi liber aditus pateret. Illi obuiam Briſſonnetus Maclouienſis Pontifex, Piennus, aliquótque alij viri nobiles proceſſerunt, & rebus cum eodem compoſitis ad Regem, quo die ſe vnà cum Mompenſerio ad Serezanellam coniunxerat, alacres perduxerunt: perductum Carolus vultu magis, quàm reipſa benignè excepit, ſibi enim infeſtum in primis fuiſſe cognorat, ille Regiis omnibus poſtulatis, quamquam immoderatis fortaſſe, annuens Regis iram mitigauit: ſibi enim, rebúſque ſuis plurimum timebat, quòd Laurentium, Ioannémque eadem Medicea familia ortos ſibi acreis inimicos in magna Regis gratia eſſe acceperat. Poſtulata autem hæc fuerunt, vt Serezana, Serezanella, Petraſanctæ, Piſarum, portus Liburnici arces Regi traderentur; Liberafactā addit Cominæus, cuius alij non meminerunt, quas ſe regno Neapolitano potitum bona fide redditurum libello ſua manu ſubſcripto Carolus pollicitus eſt. Tres autem priores ſtatim, duæ reliquæ paucis poſt diebus Regiis præfectis traditæ fuerunt: procuraret Petrus, vt Florentini ducenta nummûm aureorum millia Regi mutua darent, & tum demum cum eodem ſocietatem inirent, cuius diplomata Florentiæ (illac enim ſe tranſiturum profitebatur) Carolus expediret. Hæc Carolo non ſolum Hetruriam, ſed & Flaminiam ita aperuerunt, vt nemine obſtāte omnes victori cederent: dū enim ſuis viribus diffidens ſe Fauentiæ vrbis opportunitate Ferdinandus

Petrus Mediceus publica fide vt petierat ad Regem perducitur.

Digitized by Google

Caſtelli agri Forocorneliēſis ab Aubignio occupatum.

tuetur, & ſocios imminentis ſibi periculi metu deſerere cogitur, Mordanum Aubignius agri Forocornelienſis caſtellum iuſto præſidio munitum adoritur, tormentis admotis muri partem deiicit: ſed qua profunda foſſa alto cœno limoſa aditum prohibebat, pontis ſublicij tolonem, trabem, portáſque perfringit, milites tanto impetu irruunt, vt multi vtroque pontis labro in foſſam depreſſi perierint: quorum morte ſocij indignati quotquot in oppido offenderunt, nequid alij ſimile auderent, vniuerſos nullo ætatis ſexúſve habito diſcrimine trucidarunt.

Hac clade cōſternata Catharina Sfortia Hieronymi Riarij quondam Fori Liuij, ac Fori 32
Cornelij Comitis, & Sixti Pontificis Maximi ex ſorore nepotis vidua de auxiliis deſperans, relictis Arragoniis Ludouico Sfortia ita ſuadente cum Gallis amicitiam, ſocietatémque coiit: & de Fauentinis ſuſpicione concepta, ne inter duas hoſtiles vrbeis interciperetur, Ferdinandus ſe tanta celeritate Ceſenam recepit, vt ne Foro Liuij appropinquaret, noctu copias ſuas longiore itinere per loca confragoſa frequentibus iugis interrupta, ac profundo luto impedita ad Caſtrocarium (quod olim Salſubium fuiſſe putant) Florentinorum oppidum in radicibus Apennini ſitum perduxerit; nec admiſſus omnibus ad promerendam victoris gratiam ſeſe comparantibus, vixque pretio impetratis feſſo militi alimentis (ita cum fortuna ſociorum pariter ſtudia commutata erant) Ceſenam abire coactus mox intellecta arcium Florentinarum deditione Romam reuerſus ſit: quo fere tempore Federicus portu Liburnico ſoluens Neapolim rediit. Has terreſtres, naualéſque copias ad inuadendas opes alienas miſſas tum ad ſuas conſeruandas neceſſarias Alphonſus reuocauit, qui fortuna haud meliore vſus Neptuni portum fruſtra circumſederat, & exercitum Terracinam reduxerat: nec multis poſt diebus claſſis Gallica ſupra Oſtiam viſa Seruone (Claramontium vocat Iouius, ſed Cominæo, Guicciardinóque maior fides adhibenda eſt) ac principe Salernitano præfectis nihil hoſtile aduerſus Alexandrum Pontificem moliri præ ſe ferebat, nec milites in terram exponebat: tametſi Franciſcum Picolhomineum Senenſem Cardinalem Alexandri legatum Carolus inauditum remiſerat, non Alexandri odio, quicum æquis conditionibus Rex conuenire cupiebat, ſed quod Pius Secundus Pontifex Max. Picolhominei patruus Andegauenſibus regnum Neapolitanum repetentibus ſemper infeſtiſſimus fuiſſet. Bembus claſſem Gallicam ad Centuncellas, Iouius ad portum Herculis appuliſſe ſcribit; atque præfectos cum bona militum parte Romam pedites ad Carolum profectos. Interim Florentini de arcibus deditis certiores facti grauiter aduerſus Petrum Medicem indignabantur, quòd magiſtratibus, primariiſque ciuibus non conſultis Remp. Florentinam Carolo quaſi in ſeruitutem dediſſet: & quamquam nec Piſas, Liburnúmque tueri poterant, nec Regem ab his poſſidendis dimouere ſe poſſe ſperabant, tamen ne quod Reip. erat, id vni Petro acceptum ferret, legatos circiter quindecim Petro infeſtos ad Carolum miſerunt: qui ſe iuſſa facturos dicerent, & Petrum anteuertiſſe, quod illi Reip. nomine Regi offerre, ac ſpondere debuiſſent: ita mandata exequuti magis tamen Petri infringere potentiam, quam ancipitem Reip. ſuæ ſtatum (vt videbatur) ſtabilire conabantur, neque enim ei mederi prorſus imparati poterant.

Petrus autem id mutationis initium interpretatus, vt rebus ſuis prouideret quaſi 33
de exoluendis Regi promiſſis acturus Florentiam rediit: tum quoque, hoc eſt, octauo Idus Nouembr. Carolus Serezana profectus Maſſam, poſtridie Petraſanctam appulit: ſexto Idus Lucam, quinto Piſas ingreſſus, & lætis populi acclamationibus exceptus, in Mediceam domum deductus eſt. Ludouicus Sfortia ſe Mediolanum recepit, Genuenſi dominatu prius ad ſe, poſteróſque ſuos Caroli authoritate tranſlato, quem paucis ante annis Rex idem in eandem formam Ioanni Galeatio, poſteriſque conceſſerat; ſed de Petraſancta, Serezanelláque repulſam paſſus Ludouicus, quas Genuenſibus præter ius ereptas (vt prædicabat) ſuæ fidei committi ſumma contentione flagitarat iniquiſſimè tulit: his enim gradibus Piſis ſe potiturum ſperabat, & occulta aduerſus Regem moliri conſilia occœpit. Petrus Florentiam reuerſus non ſolùm ob amiſſarum nuper arcium infamiam, ſed & ob priſtinam morum contumaciam, arrogantiámque quas in illo iamdudum oderant, alienatos à ſe ciuium fere omnium animos offendit. Viginti corporis cuſtodes Paciorum coniuratione detecta patri Laurentio Reſpublic. Florentina conceſſerat, quibus ille moderatè vſus, nec cultu à cæteris ciuibus differens paribus omnium ſtudiis colebatur. Patri ſuccedens Petrus iiſdem quaſi hæreditario ſatellitio ad terrorem ciuium, & nocturna matronarum ſtupra nonnunquam abutebatur, ac paterna, auitáque authoritate non contentus principem agere

Digitized by Google

agere conabatur: rarò publicis conſiliis aderat, multa ex ſe magiſtratibus non rogatis tranſigebat, ſummum imperium ſibi duntaxat excipiens ciuiles curas quaſi infra ſe poſitas deſpiciens cæteris demandabat. Itaque temporis momento, ſed iuſta ex occaſione, eo principatu ſua inſolentia motus eſt, quo virtute parto ac retento ſexaginta annos pater Laurentius, auus Petrus, proauus Coſmus ciuilis adminiſtrationis ſpecie ciuibus tamen conſentientibus potiti erant. Is poſtridie quàm Florentiam appulit, hoc eſt quinto Idus Nouembr. iam imminutæ ſuæ authoritatis, & popularium erga ſe beneuolentiæ periculum facturus ad octouiros, vexilliferúmque, qui Florentiæ ſupremæ poteſtatis magiſtratus eſt, in palatium aſcendere conatus à Iacobo Nerlio nobili, atque opulento adoleſcente, aliquótque aliis armatis repulſus eſt: iurgio oborto, & ciuibus ad tumultum vndique concurrentibus domum aufugere coactus, ſe pariter ac familiam armauit, accerſito Paulo Vrſino, qui reliquias equitum non procul à Serezana profligatorum Florentiam reducebat, ciuium iniuriam vlturus: ſed Franciſco Valorio homine turbulento, qui vnus ex legatis ad hoc ipſum ſubitò redierat, in foro ex equo concionante, populum ad arma vocante, ac libertatem inclamante ſe reſiſtendo non eſſe animaduertens, trepidus vrbe ceſſit, quem Ioannes Cardinalis, ac Iulianus fratres ſequuti ſunt. Bononiam appulſum Petrum Ioannes Bentiuolus acriter reprehendit, quod tanta ignauia, exemplo non ſolùm ſibi, ſed & omnibus, qui patriæ libertatem opprimunt periculoſo, nobilem principatum ſine ſanguine amiſiſſet: eam in alio conſtantiam requirens, quam ipſe mox in ſuis periculis non præſtitit. Inde veſte, ne agnoſceretur mutata Petrus Venetias ſeceſſit: Veneti Caroli Regis indignationem veriti admittere in vrbem diſtulerunt. Verùm vbi non Regis, ſed Florentinorum metu aufugiſſe didicerunt, vel propter honoratam familiam, vel repentini caſus miſericordia commoti, honorificè apud ſe habuerunt: tametſi Coſmus Petri proauus mutuò data Franciſco Sfortiæ in militum ſtipendium pecunia, vt is Mediolanenſi ditione potiretur, Veneti ab eadem excluderentur, in cauſa fuit.

Petri Medicei ex vrbe fuga.

34 Iam Petrus, ac fratres publici conſilij decreto Florentinæ Reip. hoſtes iudicati erant, bona publicata, puniceæ pilæ Mediceorum inſigne vbique eraſæ, percuſſoribus præmia decreta: Medicea domus à Coſmo quondam ædificata acceſſuri Regis hoſpitium exornabatur, qua nullum in tota Italia priuatum ædificium magnificentius viſebatur: ſplendorem addebat non priuati hominis, ſed Regia quodammodo ſupellex; ſiquidem, vt omne tantæ domus inſtrumentum ſexaginta aut paulò pluribus annis à tribus eius familiæ viris abundantibus ſibi inuicem ſuccedentibus comparatum omittatur, antiquæ ſtatuæ, raræ gemmæ, vaſa omnis generis mira arte cælata, non ſolùm diuitias, ſed & eorum qui comparaſſent, ingenia teſtabantur. Præterea longè maiori ornamento erat bibliotheca toto orbe celebris, Græcis præſertim, Latiniſque libris magno pretio, nec minore virorum eruditorum labore vndique conquiſitis referta: Petri comperta fuga pretioſiora quæque & viginti nummûm aureorum millia Florentini magiſtratus abſtulerunt, cætera plebs diripuit: ſed nec Matthæus quidem Balaſſius, qui Regis diuerſorium curaturus præmiſſus erat, homo Gallus ab iiſdem abſtinuiſſe, quinetiam violato hoſpitij iure multa rapuiſſe fertur: centum nummûm aureorum millibus ſupellectilem, & nonnihil amplius Cominæus, alij multò pluris æſtimatam ſcribunt. Quo autem die Florentia pulſus eſt Petrus, eodem (vt Hieronymus Sauonarola multò ante prædixerat) Piſani hortante Galeatio Seuerinate Ludouici Sfortiæ conſiliorum interprete, qui ſeditionis huius occaſione Piſas in ſuam ditionem redigere ſperabat, magna virorum, mulierúmque turba ad Regem acceſſerunt, & Florentinorum in ſe crudelitatem exponentes, vt in libertatem vindicarentur à Rege multis cum lachrimis poſtularunt. Regis familiares poſtulationem iuſtiſſimam eſſe dixerunt: Rex pactorum conuentorum cum Florentinis immemor, nec quanti ea res momenti eſſet, expendens, liberos eſſe iuſſit. Illi Regis liberalitatem lætis acclamationibus teſtati, Franciámque, quæ dictio & Galliam, & gentem liberam deſignat, ac libertatem inclamantes ad Arni pontem cucurrerunt, & leonem marmoreum Florentinorum inſigne, marmoreæ columnæ impoſitum deturbantes eius loco Caroli ſtrictum enſem tenentis ſtatuam, ſcutúmque cum liliorum aureorum inſigni repoſuerunt. Veterem arcem iiſdem conceſſit Carolus, nouam quæ longè munitior erat, retinuit, atque omnia perturbata ſuo diſceſſu relinquens magiſtratus Florentinos, qui ius de more dicerent, confirmauit. Floruerant aliquando Piſani rebus naualibus, & res magnas in Syria geſſerant; eóque opulentiæ peruenerant, vt centum illuſtriores familiæ totidem roſtratas naues priuatis ſumptibus extructas, inſtructáſque in bellum Liguſticum eduxerint: deinde, vt in nimia opulentia, imperiiſque potentioribus vſuuenit, inteſtinis ſeditionibus agitati, attritique relicta

Medicea domus magnificêtia, ſplêdor, inſtructiſſimáque bibliotheca.

Piſani deturbato Florentinorum inſigni Caroli ſtatuã eius loco reponũt.

peregrina mercatura, ne ſua quidem tueri potuerunt: Appianis tyrannis, mox illis vendentibus Ioanni Galeatio Vicecomiti, deinde Gabrieli Mariæ eius filio notho ſeruierunt: fracta vero Vicecomitum potentia aliquandiu cum Florentinis de libertate certarunt: tandem ad deditionem coacti octoginta ſeptem annos ad Caroli aduentum ab auariſſima gente nullo quæſtus, rapinarum, crudelitatis genere prætermiſſo vexati, in grauiſſima ſeruitute traduxerunt: vnde iamdudum rebellandi tempus aucupantes occaſione data maioribus animis, quàm viribus ad recuperandam libertatem incumbere cœperunt.

Hanc Piſanorum defectionem Ludouicus Sfortia longè ante procurarat multis pollicitationibus inductis Piſanis exulibus priuatorum ſcelerum reis, & recens per Galeatium generum primariis ciuibus perſuaſis, inter quos Simonem Orlandium defectionis principem nominant, ad exitum perducere contendebat. Nec verò illud, quod vulgò dici ſolet, omittendum eſt: homines in ſummis periculis conſtitutos earum plerumque rationum obliuiſci, quibus ſeſe explicare facilè potuiſſent: ſiquidem & Petrus Medices imminente tanto diſcrimine Florentinum palatium externo præſidio munire, & Florentini de Piſanorum incerta fide ſatis perſuaſi primarios eorundem ciues Florentiam (quod leuioribus ex occaſionibus antea factitarant) euocare potuerunt. Tertio Idus Nouembr. Signianum pontem ſeptimo à Florentia lapide Carolus petiit, ibique vel Florentinæ ſeditionis ob pulſum vrbe Petrum Medicem excitatæ exitum, vel Aubignij aduentum expectaturus aliquot dies ſubſtitit. Interim Picus Mirandulanus vir ſua ætate doctiſſimus annos triginta aut paulò plures natus morbo graui, ac mortifero Florentiæ afficiebatur, ad quem medicos ſuos Carolus hominis eruditione, famâque prouocatus miſit: ſed efferatam fatalis morbi rabiem nulla medicina mitigauit, magnam itaque iacturam & nominis Italici celebritas, & bonæ litteræ eius morte fecerunt. Aubignium quingentis Italis grauis armaturæ equitibus, Sfortianiſque copiis dimiſſis, retento duntaxat cum trecentis leuis armaturæ equitibus Calatino, tormenta bellica ad Caſtrocarium relinquere, atque ad ſe accedere Carolus iuſſerat, vt maiorem Florentinis terrorem incuteret, qui tametſi alienatæ à Rege ſuæ Reip. crimen in Petrum reiiciebant, tamen quod eundem ob traditas arces expulerant, incertæ, dubiæque voluntatis argumenta præbebant. Et Philippus Sabaudus Breſſanus Comes, qui mox Sabaudiæ regulo fratris filio ſucceſſit, multis muneribus, promiſſiſque clam prouocatus de reducendo Petro conſilia agitabat: perfeceratque, vt Rex ad Petrum ſcriberet, ne procul ſecederet, quin potius Florentiæ appropinquaret: Regem antiquæ Gallorum cum Mediceis amicitiæ, recentiſque arcium traditionis memorem eo animo eſſe, vt hominem de ſe benemeritum in priſtinum ſtatum reſtituat, ac mutuo beneficio remuneretur. Sed iam Bononia migrarat Petrus à Ioanne Bentiuolo grauiter increpatus, & ne vel à Florentinis, vel à Ludouico Sfortia, vel à Rege fortaſſe ad ſupplicium depoſceretur, Venetias conceſſerat: an verò ex animo Rex ſcripſerit, pluſque in experta vnius Petri, quam in incerta tumultuantis populi voluntate fidei adhibendum ſibi duxerit, an reducendi Petri ſimulatione metum Florentinis iniicere tentarit, incertum: magna quippe inter eius familiares diſſenſio erat, aliis ad Florentinos, aliis ad Petrum inclinantibus: tametſi vtrique propter ærarij inopiam quantam poſſent, ex hac ſeditione pecuniam extorquere, &, ne quid ſecundum victoriarum curſum remoraretur, pacatam ciuitatem relinquere cupiebant.

Pici Mirandulani mors.

Petrus Medices à Carolo Florentiam in ſtatum priſtinũ reponendus reuocatur.

36 Literis Caroli, Philippíque Sabaudi (Ioanne Cardinale fratre, qui Bononiæ ſubſtiterat mittente) acceptis Venetum Senatum Petrus conſuluit, an ad Regem ſibi redeundum putarent: in ſummis difficultatibus nihil magis neceſſarium, quam fidum conſilium: porro nihil magis periculoſum, lubricúmque eſſe, quàm alienum conſilium ratio ipſa peruincit: ſiquidem bonum an malum, fidum an infidum ſit, iudicare vnius eſt viri ſapientis. vſu porro euenit, vt qui conſilio minùs eget, id ſolus diiudicare poſſit, qui verò maximè indiget, is nec diiudicare, nec commodè alieno conſilio vti poſſit. Veneti itaque Petri reditu maiorem, quod à ſuis rationibus alienum eſſe ducebant, Carolo pecuniam acceſſuram rati (quicquid enim rogatus eſſet, pro ſtabiliendo principatu erogaturum non fruſtra exiſtimabant) & Carolum ærarij penuria laborantem, ac iam ſibi formidoloſum à Neapolitana expeditione re cum Ludouico Sfortia communicata modis omnibus reuocare, aut armis etiam interturbare ſtatuerant, multis de cauſis Petro, ne in Regis poteſtatem rediret, non illi, ſed ſibi conſulentes perſuaſerunt: atque vt id conſilium lubentius ſequeretur, ſe vt in priſtinum ſtatum reſtitueretur, laboraturos ſpoponderunt: quinetiam (vt poſtea fama diuulgauit) eidem occultiſſimas, ne Venetiis exiret, cuſtodias adhibuerunt. Interim Florentinorum ad Regem, & viciſſim Regis ad Florentinos legati commeabant: perfectum tandem

Venetorum fraude & promiſſis ad Regem redire differt.

Digitized by Google

tandem eſt, vt Rex cum exercitu in vrbem admitteretur, Florentini enim mercaturæ non bellicis artibus aſſueti tantis viribus haud reſiſtendo erant. Is decimo quinto Kal. Decemb. vexillis explicatis, copiis ſuis ordine incedentibus, cataphracto equo cataphractus ipſe inſidens, lanceámque coxæ innixam geſtans, quaſi victor Florentiam ingreſſus eſt: aduentanti obuiam proceſſerunt primarij ciues, ſub ipſis vrbis portis magiſtratus, ſacerdotéſque ſacris veſtibus induti ſub vmbella aurea ingredientem exceperunt, atque ad maiorem ædem, inde ad Mediceam domum populo crebris acclamationibus communem lætitiam ſignificante deduxerunt. Sed tanti exercitus diuerſis ex gentibus cultu, lingua, corporis habitu differentibus coacti noua facies animos horum inſolentes admiratione pariter, ac periculi contemplatione perterrebat: tot præterea tormenta bellica bigis magna ex parte inuecta, equis trahentibus peditum celeritatem adæquantia rei nouitate (nam bobus Itali tardè circumuehere ſolebant) terrorem ſimul, atque admirationem augebant. Viros autem prudenteis veluti ſtupor quidam ſubibat, quod tantopere nuper de Petro Medice ciue ſuo quaſi tyranno eiiciendo tumultuati, nunc prope in externi Regis ſibi incogniti ſeruitutem incidiſſent: Ferdinandum terra, mari Federicum minoribus harum copiarum ducibus ceſſiſſe: quis vniuerſis in vrbis quodammodo viſcera immiſſis Rege ipſo duce reſiſtat? armatum Regem vrbem quaſi hoſtilem ingreſſum victoris habitum, geſtúmque præ ſe ferentem, quid de illo mite ſperandum? modeſta eius abſentis poſtulata Florentinos repudiaſſe potentiam reformidanteis, præſentem intra mœnia recepiſſe: quæ nunc irati futura poſtulata, quam immoderata expectent? Poſtridie de fœderis conditionibus agi cœptum, de quibus aliquot dies magnis hinc inde altercationibus certatum, Petrum Caponium ciuem Florentinum vnum ex quatuoruiris qui cum Rege communicare debebant, quod iniquæ à Gallis conditiones dicerentur, libellum, in quo fœderis deſcripta capita erant, à ſcriba qui Regi ab epiſtolis erat, ablatum coram Rege concerpſiſſe, ac Florentinos campani æris ſonitu Gallicis tubis reſponſuros præfatum prælio quaſi denuntiato indignabundum ſe cum ſociis ſubduxiſſe Itali ſcriptores tradunt: Gallos attonitos, & Florentinorum tumultum quaſi inſtantem, quod magna ex agris multitudo in vrbem confluxerat, & qui ſub Florentinis merebant præfecti in ciuium priuatis domibus milites occultauerant, reformidanteis ad æquas conditiones deueniſſe: quod quàm veriſimile ſit cæteris diiudicandum relinquo: ruſticos enim, & Florentinos imbelles, nemo tantis copiis terrori fuiſſe dixerit. Neque porrò ea militum manus, quæ cum iiſdem congrederetur, Florentiæ Gallica nobilitate paſſim intra ciuium domos admiſſa occultari potuit; aut ſi occultata, Galliſque ignota fuit quî nihil tale ſuſpicanteis perterruit? Quid quod vix media harum copiarum pars omneis prope Italiæ vires paucis poſt menſibus ad Forum nouum fregit, atque profligauit? Quid quod longè minore exercitu Alphonſus Neapolitanus tametſi in vrbem non admiſſus Florentiam ſubegiſſet, vt Laurentius Medices ad ſeniorem Ferdinandum Neapolim profectus, Florentiníque adeo ipſi fatebantur, niſi à Turcis Hydruntinum agrum vaſtantibus reuocatus fuiſſet? Quod ſi Caponius eo temeritatis proceſſit, vt quæ illi ſcribunt, inſanus patrarit, atque effuderit, nemo eſt (vt opinor) qui turbulenti, ſtolidíque hominis magnam diripiendæ patriæ ſuæ occaſionem vltro offerentis importunitatem non damnet, Regis facilitatem, qui priuatam contumaciam florentis Reipub. euerſione haud vindicandam iudicarit, non amplectatur: Galli hiſtorici huius audaciæ, aut potius temeritatis nihil prorſus meminerunt, vt ſiquid Caponius libere loquutus eſt, à ſuis auctum, atque aliquid etiam affictum eſſe videatur.

Quo apparatu Rex Florentiam ingrediatur.

Sitne verum quod de Petro Caponio & Florentinis traditur ab Italis ſcriptoribus.

37 Conuenit tandem Florentinos perpetuos Gallorum Regum fœderatos fore, quo nomine Liliis puniceis antiquis inſignibus ſublatis Regia, hoc eſt, aurea geſtarent: Gallo in bellum Neapolitanum centum & viginti nummûm aureorum millia (centum quinquaginta falsò numerat Iouius) quinquaginta ſtatim, quadraginta Martio, triginta Iunio menſe repræſentanda dependerent: Piſas, Liburnum, Serezanam, Petraſanctam Rex Neapolitano regno potitus, aut quarto poſt captam Neapolim menſe, aut etiam maturius, ſiquidem intra quartum menſem in Galliam reuerteretur, Florentinis redderet, vrbium interim, arciúmque fructus Florentini caperent. Sed quod de tribus poſtremis Florentinis cum Genuenſibus controuerſia erat, Regem, vt ea componeretur, procuraturum: ſin minus id præſtare poſſet, Florentinis redditurum: cæteræ vrbes, arcéſque quæ defecerant, in Florentinorum ditionem redirent: Florentini Petro Medici, fratribúſque indictam mulctam, ſed ea lege, ne intra centeſimum lapidem Florentiæ appropinquarent, quod ne iiſdem Romæ habitare liceret, diſertè additum fuit, Piſanis rebellionem, & ſi quod

Florentini antiquis liliorum puniceorum inſignibus ſublatis alba geſtare paciſcuntur.

Digitized by Google

quod aliud crimen hucuſque admiſiſſent, remitterent: Regem legatos duos tantiſper dum regnum Neapolitanum ſibi vendicat, Florentiæ relicturum: ſine quorum authoritate nec de rebus ad bellum ſpectantibus decernere, nec vniuerſarum ſuarum copiarum ducem creare poſſent. Hæc præcipua huius fœderis capita fuerunt: quo maiore in æde à Rege pariter, Florentiniſque magiſtratibus iureiurando confirmato, præconiſque voce proclamato, Rex edictum etiam per omneis Italiæ regiones diuulgandum curauit, quo ſe ad expellendos Italia tyrannos, bellúmque in Græciam aduerſus Turcas transferendum acceſſiſſe teſtatus eſt: atque ita rebus compoſitis quarto Kal. Decembr. Florentia egreſſus quarto nonas Senas appulit, quæ inter Hetruriæ vrbeis ſecundum locum obtinet (nam primum Florentia ſuo iure ſibi vendicat) hanc vrbem nouam ex Cluſij, Ruſſellæque ruinis auctam Blondus Italicæ hiſtoriæ ſcriptor tradidit: veterem fuiſſe indicat Plinius dum Senenſis Coloniæ meminit, & nonnulli Gallorum Senonum Coloniam non fruſtra exiſtimarunt, à Brenno Senonum Rege conditam, vt ibi ſenes, morbis confectos milites, armentáque collocaret; vtvt ſit, vel originis memor, vel ita perſuaſa, vel aliis de cauſis Gallicam fere ſemper amicitiam coluit, & tum Regem honorificè, magnáque lætitia excepit: quod tamen Germanos Imperatores veluti patronos antea agnouiſſet, biduum Rex ibi commoratus Gallicum præſidium reliquit, & quartis caſtris impoſitum Cimino monti Viterbium iniit, quod ex fori Caſſij ruinis conditum quidam putant. Sed & Faleriæ antiquæ vrbis ruinæ è regione ſexto inde lapide viſuntur; & eam, quæ nunc Vetralla dicitur, olim forum Caſſij nonnulli fuiſſe ſcribunt: hic Ferdinandum caſtra metaturum, & prælio, ſi res ita ferret, decertaturum fama erat; aut munitæ vrbis compotem, ne vltra progrederetur Carolus, impedimento futurum. Sed Romano agro Columnarum excurſionibus perturbato, & quod Oſtienſe præſidium commeatus Tiberi importari prohibebat, tum de Alexandri Pontificis conſiliis incertus ibidem conſiſtere haud auſus eſt: Alexander enim vbi Piſas, Piſaníque agri arceis Carolo traditas accepit, ſe ab eius poſtulatis non alienum præ ſe tulit.

Secundus victoriarum Caroli ſucceſſus Venetos percellit.

Tanta Caroli felicitate rebus prope omnibus ex animi ſententia ſuccedentibus attoniti Veneti, ac Ludouicus Sfortia de coeunda noua ſocietate, qua ſecundum hunc vi- 38
ctoriarum curſum interturbarent, & communibus periculis ſubuenirent, agitare cœperunt: quam maturius coiuiſſent, ſi Viterbij, aut Romæ, vti ſperarant, Ferdinandus Gallis ſuo impetu quaſi torrentibus violentis obuia quæque proſternentibus ac rapientibus fortiter obſtitiſſet. Ipſe verò Pontifex ſumma animi ægritudine anxius, vbi Carolum Florentia egreſſum iter inſtitutum incredibili diligentia perſequi videt, nunc vrbem tueri, Arragoniis infirma quæque munire iuſſis, nunc ob commeatus ad Oſtiam interceptos, innumerabilémque externorum multitudinem nullo modo inter ſe coaleſcentem, variáſque Romanorum ciuium factiones, vrbi diffidere, migrare Roma, illo veluti exilio ſalutem ſibi quærere, nunc ſpe omni abiecta quaſlibet hoſtis conditiones accipere in animum inducebat: eas vt experiretur, Concordienſem Ternitanúmque Pontifices, ac Gratianum, qui illi Chriſtiano ritu à ſacris confeſſionibus erat, ad Carolum miſit, vt ſibi, Alphonſóque fœdus æquis, quoad poſſent, conditionibus impetrarent. At Carolo longè alia mens erat: cum Alphonſo nulla ratione, niſi ſibi regno Neapolitano cedente, cum Alexandro ex bono, & æquo conuenire decreuerat: id vt aſſequeretur, Ludouicum Trimullium ſibi in primis charum, ac Ioannem Ganaium legatos ad Alexandrum ire iuſſit, Aſcanio Cardinale, ac Proſpero Columna, vt in id ipſum nauiter incumberent, ſtatim conſequutis. Sed Alexander vario animi æſtu nunc huc, nunc illuc raptus, hos Romam appulſos, & de reſtituenda Oſtia compellatos in Adriani molem compulit, Ferdinandum cum ſuis copiis Romam intromiſit: Arragonij Gallos quoque legatos in cuſtodia habuerunt, ſed eodem prope momento cogente Pontifice dimiſerunt: idem Aſcanium Cardinalem, Proſperúmque aliquot poſt diebus dimiſit, ſimulque ex vrbe excedere coegit: tum de Alphonſo repulſam paſſus, contra in magnam ſibi conciliandi Caroli ſpem adductus, omiſſo Alphonſo ſibi priuatim cōſulere inſtituit, Federicum Cardinalem Seuerinatem ad Carolum eo nomine allegauit. Verumenimuero interim dum hæc vltro, citróque agitantur, Galli totam cis Tiberim regionem ſuis excurſionibus peruagantur: nunc hæc, nunc illa oppida in ſuam poteſtatem redigunt; neminem, qui reſiſtat, offendunt: omnes enim veluti panico timore perculſi Gallicæ ferocitati cedebant, Verginij Vrſini exemplum ſequuti, qui regni Neapolitani equitum magiſter, Alphonſóque affinis (Verginij enim filius Iordanes Ferdinandi maioris filiam notham natu maiorem vxorem duxerat) quíque huius belli prope author fuerat, Anguillaria, aliíſque aliquot oppidis, atque

arcibus à Franciſco Ciboo redemptis nihilominus priſtinorum beneficiorum acceptorum immemor, tametſi ab Arragoniis ſtabat, Carolo filio permiſit, vt cum Rege conueniret: liberum Gallicis copiis per Vrſinas ditiones iter, commeatúſque concederet: Campagnanam arcem, aliáque nonnulla caſtella apud Cardinalem Gurcenſem eius præſidiis, atque authoritate conſeruanda veluti deponeret, quæ Gallis Romano agro egreſſis bona fide Vrſinis Gurcenſis redderet.

39 In eandem pene formam Nicolaus Petilianus, cæteríque Vrſini Arragoniorum parteis ſequuti conuenerunt, quas belli (vt ita dicam) cauponationes, atque argutias, niſi fortè animorum inconſtantiam, perfidiámve appellare mauis, Galli harum technarum inſolentes in primis admirati ſunt: Galli enim quibus ſe ſemel addixerunt, iiſdem ſe totos ſine vlla tergiuerſatione dedunt. Rebus ita cum Vrſinis conſtitutis Nepeſo Braccianum primarium Virginij oppidum Carolus profectus eſt, Cardinalem autem Rouereum, Ludouicum Luceburgenſem Lignium, Iuonémque Alegrium (Alegrius Gallis, quod Latinis alacer ſonat, vnde nobili inter Aluernos familiæ impoſitum nomen fuit) cum quingentis cataphractis equitibus, ac duobus Heluetiorum millibus Oſtiam miſit, vt tranſmiſſo Tiberi Proſpero, ac Fabricio Columnis iungerentur, quorum factione Romæ potente adiutos ſe potituros vrbe ſperabant; aut Ferdinando ibi adhuc agenti reditum in patriam intercluſuros. Iam Centuncellæ, quam ciuitatem veterem nominant, Cornetum, quod olim caſtrum nouum fuiſſe putant, ex Tarquiniæ antiquæ vrbis ruinis auctum, Pyrgi, Cere, ac pene totus Romanus ager in Gallorum poteſtatem conceſſerat: prodigio datum, quod interim murorum bona pars, qua Rex vrbem ingreſſurus erat, item molis Adrianæ repente collapſa eſt: iam Romani ciues ingenti pauore perculſi, ipſique adeo Cardinales, ac Pontificia aula, vt cum Carolo conueniret, Alexandrum vrgebat. Id ipſum cupiebat & Pontifex, ſed in tantis difficultatibus æſtuantem illud retardabat, quod princeps huius belli hortator nulla iniuria laceſſitus Carolo datam fidem fefellerat, & conſilio, authoritate, armis aduentantem repellere tentarat: ne eandem in Carolo fidem experiretur, & ſuis ipſe artibus caperetur, extimeſcebat. Timorem augebant Rouereus, Sfortia, Columna, Sabellus Cardinales eius inimici, qui magna apud Carolum authoritate pollebant: horum ſuaſionibus ne hæreditario Regis Chriſtianiſſimi nomine, & tanto victoriarum ſucceſſu fretus ad inſtaurandos veteres ſacerdotum mores induceretur, conciliúmque indiceret, ſupra quàm dici poteſt, expaueſcebat: periculum enim erat non leue variarum in illo conuentu factionum, quæ rem Chriſtianam turbarent potiùs, & implicarent, quam prauis moribus mederentur, Galloſque, & Gallicarum partium ſtudioſos ab Alexandro abalienarent magis, & nouis rebus cum Religionis damno occaſionem darent.

40 Sed eas omnes difficultates miſſis deintegro legatis Carolus explicauit; quam legationem obiere Petrus Rohanius Gienſis Mareſchallus, quem Proſperum Gienſem Iouius vocat, Stephanus Verſius Belcarienſis Seneſchallus (ſic enim regionum præſides vti etiam Balliuos noſtri vocant) & Pariſienſis Senatus princeps Ganaius Regij ſigilli magiſter. Hi prouidentes ne quid profectionem Neapolitanam interturbaret, quam accelerare Carolus omni ratione contendebat, Pontificem docuerunt, Regem non eo eſſe animo, vt de rebus ad religionem pertinentibus pertractet, aut aliquid de Pontificia authoritate imminutum velit: vniuerſi id totius Chriſtianiſmi Concilij eſſe, quod nunc in tanto bellorum tumultu cogere à ſuis rationibus alienum eſſe nemo dubitarit, viam vi ſibi aperire poſſe: cæterum vt in vrbem amicus admittatur, Pontificémque ex maiorum ſuorum inſtituto, ea qua debet obſeruantia colat, obnixè poſtulare; vbi inter ſe colloquuti fuerint, ſimul de omnibus controuerſiis facile conuenturos. Non ignorabat Pontifex, quanto in diſcrimine res ſuæ collocatæ eſſent, quàm duræ dicerentur conditiones, quibus ſe ſociorum auxilio priuare, hoſtem in vrbem prius, quam cum eo conueniſſet, admittere cogeretur. Sed tantis viribus cedere potius, quam eaſdem in certam ſuorum omnium perniciem prouocare ſatius ducens, Caroli poſtulatis annuit: Ferdinando perſuadet, vt quandoquidem viribus impar ſit ex vrbe excedat, hoſti irruenti cedat, Caſinatis ſaltus anguſtias occupet, eundem regni Neapolitani ingreſſu prohibiturus. Is poſtridie Kal. Ianuar. Latina porta paulò ante lucem egreſſus, in Campaniam ad Germani fanum abiit, quo die cum vniuerſo exercitu, turmis, alis, cohortibus ſuis ordinibus, quaſi in vrbe dimicandum eſſet, incedentibus Carolus iiſdem armis, quibus Florentiam paulò ante iniens terruerat, inſtructus Romam velut ouans, victórque Flumentana porta ſub noctem accenſis vbique luminibus inuectus contiguum ædi diui Marci palatium Pauli Secundi Pontificis ſumptu ex amphitheatri ruinis

Carolus in vrbem Romanam admitti poſtulat debitum honorē Pontifici redditurus.

ruinis extructum Aſcanio Sfortia, Iuliano Rouereo, Columna, Sabello Cardinalibus, Gallorúmque proceribus comitantibus deductus eſt. Regi antequam vrbem iniret, obuiam proceſſerant Romani legati primarij ciues, qui Pontificis, populiſque Romani nomine vrbis claues, priuatas domos in diuerſoria, magnam commeatus copiam obtulerunt. Omnes qui ad Regium palatium patebant aditus, tormentis, atque equitum, peditúmque cuſtodiis muniti: in campo Floræ bina equitum millia ſenis quibuſque horis ſibi mutuis vicibus ſuccedentia perinde, ac ſi pugna inſtaret, excubabant: ea noua rerum facie turbatus Alexander Pontifex, atque incredibili pauore conſternatus, rebúſque ſuis diffidens Baptiſta Vrſino, atque Oliuario Carrafa Neapolitano Cardinalibus comitibus ſe in Adriani molem concluſerat: cæteri vel diffugerant, vel ſe in victoris gratiam inſinuare tentabant.

Conueniſſe tandem in has conditiones feruntur Alexander & Carolus, vt perpetuo 41
fœdere, amicitiáque coniuncti Alexander, ac Carolus mutuis auxiliis in tuendis Italicis ſuis ditionibus ſeſe inuicem iuuarent: Centumcellarum, Terracinæ, Spoleti, arceis Regi, donec regno Neapolitano Carolus potitus eſſet, Pontifex condonaret: tametſi poſtremam Carolus haud recepit: Viterbium addit Cominæus, quod tum in Regis poteſtate erat. Odium ſi quod in Cardinales, viróſque nobiles Pontificiæ ditionis Gallicas parteis ſequutos concepiſſet Alexander, deponeret, iiſdémque reconciliaretur: diplomata regnum Neapolitanum Carolo confirmantia (quam inueſtituram vocant) idem expediret, Geménque Baiazetis Turcarum Imperatoris fratrem Regi traderet: Ioanni Rouereo Cardinalis Iuliani fratri Romæ præfecto, qui Georgium Bucciardum Alexandri, Dautiúmque Baiazetis legatos Anconæ ad terram appellenteis ceperat, ac quadraginta nummûm aureorum millia, quæ ad Alexandrum annua penſione ad Gemen alendum mittebantur, interceperat, noxam pariter, ac pecuniam condonaret, Rouereus autem ob merita ſub Innocentio Pontifice ſtipendia non minorem ſibi deberi prætendebat: Cardinalis Valentinus Alexandri filius tanquam legatus Pontificius, re vera paternorum promiſſorum obſes Carolum treis menſes proximos comitaretur. Conuenit præterea ne Pontificiis vrbibus, arcibúſue legatum, aut præfectum ſine Regis aſſenſu Alexander imponeret: adiuncta erant & alia aliquot capita, quæ ad Cardinalium conuentus (quæ conſiſtoria vocant) atque ad ipſos Cardinales pertinebant: quibus vtrimque acceptis conditionibus Alexander in Vaticanum conceſſit, mox Regem ſolitis ceremoniis, magnificentiáque in Petri æde excepit. Carolus Chriſtianorum principum more Pontificem adorauit, pedes etiam deoſculatus, ſed deinde ad oſculum admiſſus. Adorandi autem cultum (vt id obiter inſeram) Cyro Perſarum Regi primum tributum, ad cæteros deinde Reges Perſas, Medos, & Indos manaſſe exiſtimant, qui ſe Reges Regum, & Solis, Lunæque fratres nuncupabant. Hunc Octauius Auguſtus, atque Alexander Seuerus prudentiſſimi Imperatores recuſarunt; imo vero deteſtati ſunt, ſupra mortalitatem eſſe, ac ſolis diis deberi arbitrati: at Diocletianus, vt Pomponius Lætus teſtis eſt, primus edicto ſanxit, vti omnes ſine generis diſcrimine proſtrati pedes eius exoſcularentur, quibus etiam venerationem quandam adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis, margaritis, quod ante C. Caligulam feciſſe memorant: alij Imperatores manus exoſculandas viris nobilibus præbebant, & poſtea ſuis manibus ſubleuatos ad oſculum admittebant: vulgus genua exoſculabatur. Hæc ille: Pontifices Romani calceamenta ſerica, aurea, aut certè inaurata cruce inſigniunt, & in religionem vertunt: nos ritum quaſi pium recepimus. Vt ad rem redeam, alio die, quum Pontificiæ liturgiæ Carolus intereſſet, ſecundo loco poſt Cardinalitij Senatus principem (quem decanum vocant) conſedit, & pro vetere Gallorum Regum conſuetudine (ita enim fertur) Pontifici ad manus abluendas aquam miniſtrauit, quæ deinde omnia in Adrianæ molis porticu Alexander inſigni pictura repræſentanda curauit. Totum fere Ianuarium Romæ commoratus cooptato interim in Cardinalium Collegium Guilielmo Briſſonneto Macloujenſi, ac Philippo Luceburgenſi Cenomano Pontifice, non ſolùm ſe Alexandro, quoad potuit, reconciliauit; ſed & partem copiarum, ne fruſtra vllum temporis momentum ſibi periret, in regnum Neapolitanum immiſit, fortunæ quæ ſe maneret, periculum facturus: quum læta omnia vndique renunciarentur, quinto Kal. Februar. anno eius ſæculi nonageſimoquinto Roma profectus eſt.

Rex ſolitis ceremonijs in D. Petri æde magnificè exceptus.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM

LIBER SEXTVS.

1 CAROLVM regnum Neapolitanum repetentem, Romam atque adeo ad regni ipſius fines libro ſuperiore deduximus : is iam Neapolim Regum Neapolitanorum Regiam perducendus eſt, atque inde in Galliam reducendus. Antequam autem is Roma proficiſceretur, Robertum Lenoncurtum Vitriacum Balliuum, Gratianum Guerram, Chandium ſiue Chandenerium cum aliquot equitum alis, Vaſconúmque, atque Heluetiorum cohortibus in Marſos Præcutinorúmque agrum (quod nunc Aprutium nominant) præmiſerat, quibus Fabricius Columna, atque Antonellus Sabellus adiuncti erant : hi Ioannem Galioſium, qui patria exul Carolum ſequutus erat, Aquilam reduxerant, Fabricius verò Albam, Tallacotiúmque nobilia Marſorum oppida, quæ tum Virginius Vrſinus poſſidebat, quaſi antiquum Columniorum patrimonium ſibi vendicauerat. Sic prima regni Neapolitani regio nullo fere labore ad Gallos, quin potius ſua ſponte defecit; nec firmiores cæteræ, aut in Arragoniorum fide conſtātiores erant, omnes potius nouis rebus ſtudebant. ita vniuerſorum animos Ferdinandi, Alphonſique crudelitas, atque auaritia, huius præterea inſolentia exulcerarat! Tum enim timore ſublato quantam ex Gallorum aduentu lætitiam concepiſſent, apertè declarabant, vt ad tantam rerum commutationem promouendam veteres factionis Andegauenſis reliquiæ tot viris nobilibus vel cæſis, vel carcere, vel exilio mulctatis, quæ tamen magnum momentum addere poterant, parum iam proficere, nec cæterorum exæquare ſtudia viderentur. Sic natura omnibus odioſa eſt tyrannis, quamuis metu diſſimulante odia interdum ſopiantur, vt grauius mox exſuſcitata ſæuiant! Horum ſibi conſcius Alphonſus, vbi Ferdinandum filium Roma profectum intellexit, pauore pluſquam panico conſternatus, nec militaris gloriæ, quam multis ante bellis comparauerat memor, ac de repellendo hoſte prorſus deſperans, de transferendo ad filium regno ſtatim cogitauit : adoleſcentem egregiæ indolis, cui fere omnes hoc nomine fauebant, populi in patrem, auúmque odia ſopiturum; & quod de Gallis ceperant deſiderium, extincturum putauit. Hoc conſilium maturius ſumptum prodeſſe nonnihil potuit; in ruinam iam imminentem dilatum tam grauem caſum ſuſtinere haud potuit. Ferdinandum itaque ad ſe reuocatum Alphonſus corona Regia donauit, equóque inſidentem, & Regiis inſignibus ornatum ex arce prodire Federico patruo, Paulo Fregoſio Cardinale Genuenſi, hinc inde latera cingentibus medium incedere, atque aliis viris primoribus comitatum totam Neapolim perequitare, & cæteris ceremoniis adhibitis Regem creari iuſſit, tranſlati regni tabulis Iouiano Pontano dictante confectis. Ac paucis poſt diebus omnibus præter vnicam ſocrum, quæ Ferdinandi Hiſpaniarum Regis ſoror erat, celatis, aliquanta pretioſa ſupellectile in quatuor triremes impoſita Mazaram Siciliæ vrbem paulò ante ab eodem Ferdinando ſorori dono datam præ metu mente motus aufugit : quúmque ſocrus, vt triduum adhuc expectaret, inſtaret vti annum integrum Neapoli regnaſſe diceretur, nam Ferdinandus minor eo ipſo die quo auus anno ſuperiore vita exceſſerat Neapoli Rex ſalutatus eſt, cunctantem relicturum & è palatij feneſtris, ſiquis inuitum retinere vellet, ſeſe præcipitaturum exclamauit : nonne (inquiebat) & monteis reſonare, & lapides Franciam inclamare, auditis? atque ita animo

Anno 1495.

Alphonſus regno ad filium Ferdinandū trāslato in Siciliam aufugit.

perculſus triremes conſcendit, ad quemuis ſonum, murmurque ſe timidè conuertens, quaſi iam vel à Gallis circumuentus eſſet, vel ne cœlum, ſubiectáque elementa in ſe ruerent, timeret. De fuga nihil Federico fratri, nihil Ferdinando filio indicauit: de ſupellectile, quæ in arce Neapolitana plurima, magníque pretij relicta erat, nullam curam egit: Mazara Meſſanam profectus cum viris ſolitariis Oliuetanæ profeſſionis albatis vitam egit, ſe eorundem inſtitutis prorſus accommodans, &, quod ſupererat vitæ in Valentino Hiſpaniæ monaſterio eadem profeſſione celebri agere deſtinans: ſed non multò poſt calculo grauiter infeſtante multùm diúque vexatus, Ferdinandus autem filius dyſenteria exhauſtus diem ſuum obiit.

Ferdinandum maiorem vita functum, eiúſue genium Iacobo Regiorum chirurgorum principi ter apparuiſſe tradunt, ſi huiuſmodi viſis, aut ſomniis fides adhibenda eſt, amicè primùm hortantem, mox, quod non paruiſſet, minaciter iniungentem, vt Alphonſo filio denuntiaret, Gallo Regi haud reſiſti poſſe: ſobolem ſuam ampliſſimo regno ſpoliatam, multiſque calamitatibus oppreſſam extinctum iri in fatis eſſe, cum aliis de cauſis, tum propter inexpiabile illud facinus, quod eius ſuaſu in Leonardi fano non longe à Neapoli Puteolis rediens patrauerat. ea in æde Alphonſus Ferdinando patri, vt viros nobiles, quos in cuſtodia habebat, clam trucidari iuberet, perſuaſiſſe exiſtimabatur. Et verò in ſacelli neſciocuius demolitione volumen repertum fuiſſe, ídque ab Alphonſi domeſticis ſe accepiſſe ſcribit Cominæus, cuius hæc fuerit inſcriptio: Veritas in ſuo ſanctiore conſilio, quo eiuſdem Ferdinandi, ſuorúmque fata, ac ſubeundæ calamitates disertè perſcriberentur. Hunc duobus è familiaribus aſſumptis, quorum alterum Alphonſum fuiſſe veriſimile eſt, Ferdinandus perlegiſſe, & mox in ignem conieciſſe fertur: ſed ea veráne fuerint, an mox conficta, an vana laruarum terricula, libérque falsò repertus feratur, aliis diiudicandum relinquo: homines ſanè indoctos, & ſcelerum inexpiabilium ſibi malè conſcios huiuſmodi ſpectra, quaſi vel audita, vel etiam viſa ſæpe terrent, & nonnunquam ad quandam velut inſaniam adigunt. Hinc Alphonſus iam non ſui compos, ſed velut furiis agitatus Oreſtes noctu ſomnum capere haud poterat, cæſorum optimatum vmbras ſibi vbique adeſſe exiſtimabat: interdiu populum, vt eoſdem vlciſceretur, cœtus ineuntem videre vbique videbatur; nulláque animi tranquillitate fruebatur: vt niſi ad diuinam vltionem referas, aut tyrannos immanes mortalium omnium timidiſſimos eſſe ſolere dicas, tantam in viro militari mentis conſternationem iure quis admiretur. At quantò conſtantior Brutus, quippe homo egregiè in philoſophia verſatus, cui quum ſpectrum horrendum viſu ſeſe obieciſſet, ac quis hominum deorúmue eſſet rogatum ſe malum eius genium eſſe reſpondiſſet, quem poſtridie Philippis viſurus eſſet, nihil commotus, Videbo (inquit) neque à ſuſcepta commentatione demotus eſt, aut vllum pauoris ſignum dedit. Interea dum Florentiæ, Romæque variis de cauſis ſubſiſtit Carolus, & magnis negotiis diſtinetur, ſubortæ inter Florentinos, Piſanóſque diſſenſiones alterius belli initium fecerunt. Piſanis libertatem conceſſerat Carolus, Florentinis Piſas, Piſanáſque arceis regno Neapolitano recuperato ſe redditurum promiſerat: interim Florentinos annuis vectigalibus ex more, cæteriſque commodis vti, frui, eorundem magiſtratus ius dicere permiſerat: vtroſque Florentia exiens ambiguis promiſſis incertos reliquerat. 2

De apparitione genij Ferdinandi defuncti & voluminis cuiuſdā inuentione.

Piſanorum cum Florentinis diſſenſio unde nata.

Piſani annuente Entraguio præfecto, Galliſque præſidiariis Florentinos magiſtratus, ciuéſque expulerunt, nonnullos bonis direptis in cuſtodiam tradiderunt, legatione ad Carolum miſſa ne condonatam libertatem reuocaret, orarunt: Lucam, ac Senas finitimas, Florentiníſque infeſtas vrbeis in auxilium vocarunt; illæ pecunia ſupplices, equitatúque iuuerunt. Implorati Veneti rem Piſanam ſuſque deque prorſus tulerunt: at Ludouicus Sfortia rebellionis author quanquam longè aliud Florentinis pollicebatur, tamen Genuenſibus, vt trecentos pedites, tormenta, magnámque bellici apparatus vim Piſas mitterent, facilè perſuaſit: nam & Piſas olim in Florentinorum ditionem conceſſiſſe, mox Liburnum Thama Fregoſio vendente, ac Petraſanctam, Sergianúmque ſiue Serezanam ſibi nuper ereptas Genuenſes ægrè ferebant. Itaque in Lunenſem agrum inuadentes, ac diplomata neſcioquæ Regia prætendentes, caſtella quædam, vicináſque Petraſanctæ arces occuparunt. Piſanorum exemplum finitimæ vrbes ſequutæ protinus rebellarunt: nec initio Florentini vel magnis cum Rege negotiis impliciti (nondum enim penitus cum illo conuenerant) vel eiuſdem mandato ſua ſe facile recuperaturos ſperantes reſtiterunt: cuius cunctatione animaduerſa miſſis copiis quibus Hercules Bentiuolus, Ranucius Martianus, ac Franciſcus Siccus præerant, amiſſa 3

prope

Digitized by Google

prope omnia receperunt: Vicopiſanum dumtaxat, Buttúmque, ac Caſſina in Piſanorum (eò enim viribus inferiores confugerant) poteſtate permanſerunt. Piſanis omnes prope aulici Briſſonneto Cardinale pauciſque aliis exceptis fauebant, quos à Florentinis malè habitos, immò verò tyrannica crudelitate afflictos publica fama diuulgarat. Accedebat grauis in Briſſonnetum pecunia à Florentinis corruptum Lignij, in primis vero Stephani Verſij æmulatio, qui Briſſonnetum in magna apud Regem gratia ſua opera poſitum ſuperiorem authoritate moleſtè ferebat, vti aulica ambitio incerta, atque inſtabilis raro eodem in ſtatu permanet. Hi Piſas ante Regnum Neapolitanum receptum Florentinis reſtituendas negabant: hinc vt neutris ſpem adimeret, rémque in aliud tempus integram relinqueret, ſuadebant: conuocatis Florentinis legatis Piſanorum querelas Carolus Romæ audiendas putauit. Piſanorum cauſam egit Burgundio Lollius natione Piſanus: ſed tum Romanæ aulæ celebris cauſidicus, Piſas olim celeberrimam re nauali inter Italicas vrbem, quæ in Græciam, Orientémque imperium longè, latéque propagarit, octoginta, & amplius annos iniquiſſima ſeruitute oppreſſam queſtus eſt: deſertam prope eſſe, quod plerique ciues huiuſce tyrannidis impatientes voluntario exilio ſolum verterint, quorum prudens conſilium relictorum, quos patriæ charitas retinuit, calamitates comprobarunt: Florentinorum magiſtratuum duris pecuniarum indictionibus, priuatorum rapinis ciuitatem penitus exhauſtam, vt in ſumma inopia vitam infœlicem traducere indigenæ cogantur, quorum longè iniquior, quam peregrinorum, aut externorum ſit conditio, quibus nec mercaturas facere, nec vllam liberalem artem exercere, nullum magiſtratum obire liceat; quinetiam nec ad fundos publicos (quod hactenus peregrinis licuit) locandos admitti.

Piſanorum Florentinorúmque querela apud Carolum Romæ depoſita.

4 Et quod nouæ immanitatis exemplum eſt, aggeres, foſsáſque, quæ Piſanum agrum natura humilem, ac torrentium ſtagnantium exundationibus obnoxium conſeruare, & paludum infectas aquas in mare exonerare conſueuerant, rem à veteribus Piſanis ſumma ſemper diligentia curatam iamdudum Florentinos ex induſtria neglexiſſe, vt corrupto aëre miſeræ Piſanorum illorum reliquiæ peſtifera luo, aut tabe lenta colliqueſcant. Hinc publicas, priuatas, ſacras, prophanas ædes, ingentia palatia tantis impenſis à populo abundanti extructa quotidie ruere, & vix vlla relinquere priſtini ſplendoris veſtigia: non mirum ſi vrbes fama olim celebres magnis rebus geſtis poſt longos ſæculorum ambitus aliæ deleantur omnino; aliæ in ſeruitutem adducantur, vti de Athenis, Lacedæmone, Roma, Carthagine tanto imperio potitis, vti de pleriſque imperioſis populis mox in ſeruitutem redactis hiſtoriæ confirmant; vnde & Imperiorum viciſſitudines, & ad aliam ex alia gente tranſlationes, euerſiónéſque celebrantur: fatalem enim claris ciuitatibus non ſecus atque hominibus cæteriſque animantibus ſuam eſſe mortem: quandoquidem humana omnia mortalia ſunt, corruptionique obnoxia: ſed venerandam antiquæ illius fœlicitatis, nobilitatiſque memoriam victori moderato non ad inſultationem, ſed ad commiſerationem potius relinqui: præſertim quod vel ſe, vel ſuos eandem aliquando ſortem manere certò ſciat. Piſanis ne in eandem tyrannidem recidant, patria potius, vitáque cedendum, quamquam nihil fere ſupereſt, in quo Florentini crudelitatem ſuam exerceant, cuius adminiſtrum ſe præbere in primis ſit à candore tanti Regis alienum: proinde beneficium publicè collatum ne reuocet, ſed miſeris, ſupplicibúſque libertatem reſtituendo, tyrannos autem exterminando, nomen ſuum quadam Herculis imitatione ſempiternæ poſteritatis memoriæ conſecret. Cui non minùs acriter reſpondit vnus ex Florentinis legatis Franciſcus Soderinus Volaterranus Pontifex; Piſanos anguſto ſemper agro veluti conſtrictos, concluſóſque nunquam in finitimos imperium propagare, ac ne Luca quidem vrbe admodum vicina potiri aliquando potuiſſe: idcirco ad res nauticas ſtudia olim conuertiſſe, & claſſe ſed non diu præſtitiſſe: ingeniorum enim contumacia, atque innata ambitione furentes ſeditiones inter ſe plurimas excitarunt, & mutuis ſeſe cladibus confecerunt, ad eam tandem inopiam redacti, vt dominatum Iacobus Appianus ſcriba vilis inuaſerit, quem Girardus eius filius Ioanni Galeatio Vicecomiti primo Mediolanenſium Duci ingenti pretio addixerit, Galeatius Gabrieli Mariæ filio notho teſtamento reliquerit: à quo redemptum quarto huius ſæculi anno Florentina Reſpub. componere, atque vrbem ipſam ornare contenderit: ſed poſſeſſione vix adita ad ingenium redeuntes Piſani rebellarunt, & diuturno bello ſuperati victorum non tam arma, quàm clementiam experti ſunt: fame enim ob longam obſi-

Digitized by Google

dionem prope enecti maiorem commeatus, quàm armorum Piſas importari copiam viderunt.

Quod ad liberales arteis, magiſtratúſque attinet, Piſanos in eadem, qua cæteræ Flo- 5
rentinæ ditionis ciuitates conditione eſſe, quæ ſingulari moderatæ Reip. benignitate ſe gaudere profitentes haud vllo rerum nouarum ſtudio tenentur: Piſanorum ſuperbiam, ac peruicaciam nec ſuis vnquam viribus ſapienter vti, nec fortunam pati, nec alienum dominatum tolerare potuiſſe, vt mirandum non ſit, ſiqui ſolum verterint; frequentiorem tamen hactenus vrbem fuiſſe, quam Florentini acceperint, quorum magna impenſa portus Liburnicus redemptus omneis Piſano agro, vrbique mercium, ac commeatus commoditates afferat. Ad libertatem aſpirare non omnibus licere, alioqui imperiorum, regnorum, rerum publicarum iura omnia tollerentur: Carolum Regem prudentiſſimum quid Florentinis, antequam Piſas iniret, pollicitus ſit, quid Florentiæ renouato fœdere ſacramento ſanctiore confirmarit, probè meminiſſe, cuius fidem religione obligatam fallaces, falſæque Piſanorum calumniæ violare minimè poſſint. itaque haud accurata ſibi oratione opus eſſe, admonuiſſe dumtaxat, atque in memoriam redegiſſe ſuffecerit. Carolus, atque eius familiares Piſanis ſeſe magis dantes inducias inter vtroſque procurarunt, aut vt totius agri Piſani adminiſtratio Regi crederetur, poſtularunt, quam regni Neapolitani compos Florentinis redderet. Florentini ſuſpectam Regis fidem habentes conditionem vtramque recuſarunt; quibus, vt ſatisfaceret, aut (quemadmodum Florentini ſuſpicati ſunt) vt ſeptuaginta nummûm aureorum millia, quæ Florentini polliciti erant, ante præſcriptum diem reciperet, Cardinalem Briſſonnetum Roma exiturus Florentiam proficiſci iuſſit, quem vtroſque ambigua ſpe alere, dum pecunia numeraretur, numerata rem eodem in ſtatu relinquere in animo habuiſſe exiſtimarunt: Florentinos, tametſi dolum ſubtimebāt, quadraginta nihilominus numeraſſe, vnde Piſas Briſſonnetus profectus de vrbe Florentinis reddenda ſeriò egit; mox obſtinatos Piſanorum animos prætendens, aut re vera expertus mutato prius nouæ arcis præſidio, veteris etiam, ſi Piſani paterentur, mutaturus re infecta Florentiam rediit: mandati non confecti excuſationem attulit, Piſanis vt ad officium redirent Florentiniſque parerent, perſuadere haud potuiſſe; vt cogeret à Rege mandatum non habuiſſe; neque vero id functionem ſuam decere, quod rem ad arma deuenturam palam eſſet. Interim Piſanis vires quotidie accreſcebant, ad quos Genuenſium nomine Ludouicus Sfortia Lucium Maluetium cum recentibus copiis miſerat: tum, vt Florentinos nouis bellis magis perturbaret, Iacobum Appianum, cuius auus Girardus in Piſarum venditione Plumbinum munitum oppidum ſibi reſeruarat, communi cum Senenſibus ſtipendio, ac Ioannem Sabellum aduerſus Florentinos armarat: vt Mompulcianum nuper in fidem receptum alacriore animo Senenſes, apparatúque maiore tuerentur. Nec minùs domi, quam foris Florentina res laborabat: poſt Caroli diſceſſum Petro Medice expulſo integram libertatem ſe conſequuturos Florentini ſperauerāt: alij tamen Reipub. adminiſtrationem ad eam formam, quæ ante Mediceorum potentiam nimis auctam obſeruabatur, referri volebant, vbi optimates authoritate plurimum valebant: alij popularem magis ſtatum flagitabant. In hanc factionem ſe dabat in primis Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis Dominicinæ familiæ concionator celebris, qui multa ante prædicendo, eáque ſe diuino inſtinctu noſſe profitendo diuini cuiuſdam vatis & famam, & nomen ſibi compararat; cuius acerrima contentione, hoc eſt, (vt illi ſibi perſuadebant) quadam veluti diuini conſilij denuntiatione effectum eſt, vt conſilium publicum conſtitueretur, quo populi fæx (ſic enim loquebantur) excluderetur: ſoli qui antiquis legibus ad Reip. adminiſtrationem admittebantur, conuenirent. Ibi de creandis magiſtratibus, de publicis vectigalibus, fundiſque locandis, aut adminiſtrandis, de pecunia in bellum, vſúſque Reipub. neceſſarios cogenda, de edictis à magiſtratibus propoſitis duntaxat ageretur: atque vt ſimultatum, ſeditionúmque memoria omnis aboleretur, Athenenſium more indicta amneſtia eſt; quæ ſi bene conſtituta omnia tum fuiſſent, aliquam ſtatus popularis formam non reprehendendam fortaſſe ediſſent: ſed quod huiuſmodi pleraque ſine multorum conſenſu, in quos ſuſpiciones non leues cadebant, confici non poterant, in aliud tempus dilata ſunt: ſolum publicum conſilium quaſi firmum recentis libertatis fundamentum conſtitutum.

Piſanorum peruicacia.

Vt ad Carolum redeam, is de Alphonſi fuga Roma exiens certior factus Marinum, 6
quam villam Marianam fuiſſe nonnulli putant, duodecimo ab vrbe lapide ſitum contendit: Roma pariter octo Cardinales ob conuentiones cum Alexandro initas indignati exierunt, inter quos Aſcanius Sfortia, ac Rouereus principem locum obtinebant: tametſi

Aſcanius

Aſcanius clam cum Pontifice conueniſſe dicebatur, ſed quod Ludouicus frater nondum ſe Caroli hoſtem declaraſſet, ea ſimulatione conceptam fraudem tegere cupiebat: inde octo milliaria progreſſus Velitris caſtra poſuit. Hic, aut antea Florentiæ (vt alij tradunt) quanquam id minùs veriſimile eſt, Antonius Fonſeca Ferdinandi Hiſpani apud Carolum legatus Gallicæ felicitati inuidens, ſimul vt Arragoniis tanto metu conſternatis ſpem aliquam iniiceret, ac quod ab Alexandro Pontifice eadem inuidia percito, & ob recenteis conuentiones indignato ſubornatus eſſet, apud Regem in publico conſilio queſtus eſt: Ferdinandum renouata nuper ſocietate ſe nihil interim, dum Carolus Italiam peteret, moliturum non ideo pollicitum eſſe, vt ille omnem Italiam ſibi prædæ loco duceret; de regno Neapolitano mentionem dumtaxat factam, de quo ex æquo & iure prius, quam armis diſceptationem futuram Ferdinandus ſperauerit: Id in Pontificis Romani fide eſſe, cuius iudicio ſe ſtaturum Alphonſus profeſſus ſit, Pontifex ſe de vtriuſque iure cogniturum ſpoponderit, ſexaginta iam annos regnaſſe Arragonios Pontificibus Romanis authoribus: tam diuturnane poſſeſſione ſine vlla iuris diſceptatione moueri poſſe? ſi aduerſùs gentium omnium iura alienas poſſeſſiones inuadere Carolus deſtinet, Ferdinandum Alphonſo gentili, affiníque non defuturum. Quid quod Piſanas arceis idem Carolus occupauit? Florentiæ adminiſtrationem immutauit: Senis, Viterbio, Oſtiæ, Centuncellis præſidia reliquit, Pontificem quaſi captiuum habuit, & ad indignas conditiones adegit: id iam eſſe non regnum Neapolitanum ſibi vendicantis, ſed totam Italiam in ſuam ditionem redigere cupientis: proinde modum ſuæ ambitioni ſtatueret Carolus, aut Ferdinandum hoſtem expectaret. Galli proceres importuna oratione accenſi hæc antequam Gallia Carolus moueret, non in media iam expeditione dicenda fuiſſe reſponderunt: quæ porro hæc impudentia eſt, vt tantis impenſis factis Gallos vnius legati quaſi præconis voce reuocatos re infecta redituros Ferdinandus ſperauerit? adeóne ignauos, & ſui oblitos exiſtimauit? regnarunt Neapoli annis ſexaginta Arragonij: at Andegauenſes prope ducentis: ad quem vero arbitrum hæc controuerſia reuocabitur? Ad Alexandrumne natione Hiſpanum, cum Hiſpanis Arragoniis ſuorum affinitatibus coniunctum, & multis aliis de cauſis reiiciendum? Andegauenſium iura à Romanis Pontificibus confirmata: Piſanas autem, cæteráſque arceis Carolo ad tempus conceſſas integra fide reſtitutum iri, Pontifici Romano ſuam authoritatem ſartam, tectámque eſſe, neque illi quicquam Gallis authoribus nimium religioſis, deceſſurum; neque idcirco Hiſpanos Arabicarum potius, quam Romanarum traditionum æmulos queri iure poſſe. Quid verò hæc ad Ferdinandum attinent? an ſe tandem totius orbis Chriſtiani velut arbitrum fore ſperat? qui quibuſuis ſuas leges præſcribat: nec Gallis iura, nec quibus ea tueantur, arma deeſſe: Ferdinandum ſibi bene conſulturum, ſi litem alienam ſuam non faciat, & ſuis contentus finibus conquieſcat: ſin nimis de ſe magnificè ſentiat, ac prior laceſſat, quantum cataphracti equites Galli egregij ſtatariæ pugnæ artifices fugacibus Mauris iaculatoribus præſtent, quibuſcum ludicra potius, quàm militaria certamina inire conſueuit, agniturum.

Fonſecæ Hiſpani apud Carolum legati querela.

7 Altercatione autem incaleſcente eo deuentum eſt, vt Fonſeca Hiſpanica arrogantia libellum, in quo fœderis capita ab vtroque Rege ſubſcripta continebantur, coram Rege concerpſerit, vixque Galli manus ab eo temperarint; niſi Regia maieſtas obſtitiſſet, hominis inſolentis, & legati munere abutentis vanitatem grauiùs vlturi. Hic etiam Cardinalis Valentinus clam ſe ſubduxit, ne Alexander recentibus conuentionibus ſtare cogeretur, nec Romam, ne Pontifice monente fugere videretur, ſed Spoletum ſeceſſit. Velitris primum agmen Monfortium, aut vt Itali appellare malunt montem Fortinum Iacobi Comitis Romani ciuis oppidum proceſſit. Is Gallica ſtipendia meritus, ſed factionis Vrſinæ, quod Columnas apud Regem Gallum multùm poſſe cognoſſet, ad Arragonios defecerat: tormentis bellicis admotis oppidum quamuis natura munitum paucis horis expugnatur. Tres Iacobi liberi in arcem confugerunt, & tormenta illuc quoque librari cernentes, ſe ſtatim dediderunt: cæteris cæſis his dumtaxat vita conceſſa, oppidum Proſpero Columnæ, qui id hæreditario iure repetebat, Carolus condonauit. Tum in agrum Arpinatem contendens Valmontonij (Lauicanum olim fuiſſe putant) quod in Columniorum ditione eſſet, benignè exceptus eſt: Inde Verulas, atque ad montem diui Ioannis Daualorum oppidum in Regni Neapolitani finibus ſitum peruenit. Id natura, artéque munitum trecentis præſidiariis peditibus, ac quingentis ciuibus pro aris, ac focis egregiè propugnantibus aliquam Gallicæ

Legati munere abutitur.

Digitized by Google

celeritati, aut potius tempeſtati moram additurum putabatur: ſed horas circiter octo continuis bombardarum pilis concuſſum muri parte deiecta tanta vi, Rege, qui Verulis illuc contenderat, ſuis animum addente, oppugnatum eſt, vt magna ſtrage edita illo ipſo die expugnatum, direptum, incenſumque ſit, ne qui poſtea eadem temeritate felicem Gallicarum victoriarum curſum interrumpere auderent. Hæc poſtrema de regno Neapolitano dimicatio fuit, nemini poſtea vel animus, vel conſilium, vel fides, vt id tueretur, præſto fuit: Ferdinandus enim minor cedente patre Rex, ſed non ea lætitia, pompáque, qua ſuperiores declaratus exercitum non contemnendum coegerat, in quo grauis armaturæ bis mille ſexcenti, leuis quingenti equites, peditum ſex millia cenſebantur (vt quidam tradunt) alij equitum numerum ad quinque millia augent: quidam Itali quinquaginta dumtaxat equitum ſquadras numerant, ſquadram autem viginti equitibus conſtare ſcribunt: ſed tam rarum equitatum in eo exercitu fuiſſe vix, ni fallor, veriſimile eſt. Bembus Ferdinandum pedites ad quatuor mille, equites alteros totidem habuiſſe ſcribit. His præerant celeberrimi tota Italia, ac gloria militari clariſſimi duces Nicolaus Petilianus, Virginius Vrſinus, Ioannes Iacobus Trimultius, Alphonſus Daualus, aliique nonnulli. Cum hoc exercitu ad Germani fanum in Caſini montis radicibus Gallorum impetum excipere natura loci inuitatus, ac remorari Ferdinandus deſtinarat: ab altera enim parte montes prope inacceſſi, ad quos tormenta bellica euehi haud poterant, ab altera ſtagnantes paludes oppidum cingebant, frontem Lyris fluuius, tametſi alicubi vadoſus, ſed vado perangusto tuebatur: vnde non immeritò inter paucas regni Neapolitani pylas, hoc eſt, portas (ſic enim coactas inter monteis, cæteráque loca imperuia, anguſtas vias, & Græci & Latini vocant) numerari poteſt: cancelli quoque ſexto à Germani fano lapide, qui pariter anguſtum, ac difficile iter obſiderent, præſidiarios aliquot milites idem Ferdinandus collocarat.

Ferdinandi Neapolitani exercitus.

Sed Arragonij poſt Monfortij, montiſque Ioannis capta oppida nihil tormentis Gallicis inexpugnabile exiſtimantes, & ſolo Gallorum nomine perculſi, hi vbi Riuium 8
Mareſchallum (ſic enim tradit Cominæus) quanquam nec ipſe vllo alio loco, nec cæteri vſquam Riuij toto hoc bello meminerunt, cancello appropinquare viderunt, loco cedentes ſtatim ſe ſubduxerunt. Illi primi agminis, cui Iacobum Lotharingum Guiſæ regulum eo die Cominæus, cæteri Petrum Rohanium Gienſem Mareſchallum præfuiſſe tradunt, vix puluerem conſpicati tanto tumultu, timiditatéque ſe in fugam coniecerunt, ne fortaſſe hinc à Lotharingo, vel à Gienſi, inde à Riuio circumſederentur, vt bombardas octo in itinere ſine præſidiis reliquerint, & metu amentes Capuam aufugerint. Capuam vrbem nobilem à veteri Capua duobus, à mari duodecim milliaribus diſtantem Vulturnus fluuius profundo alueo, tum loci natura, & Neapolitanis bellis erectæ munitiones tuebantur: in hanc Arragonio nomini amiciſſimam, Neapolim, Caietámque copias vniuerſas diſtribuere Ferdinandus deſtinarat, quibus in fide permanentibus, de conſeruando regno magnam ſpem conceperat: ſed repentina è Germani fano, tumultuariáque fuga plerique attoniti, atque animum deſpondentes huc illuc diffluxerant; & ea fama Neapolim perlata ingens in vrbe tumultus coortus erat. Iam Iudæorum menſariorum domos plebs auidæ prædæ diripuerat, & in cæteros impetum factura timebatur: vnde Reginæ litteris accerſitus Ferdinandus Capuæ Triuultium præfecerat, & Capuanos, vt in fide manerent, hortatus ſe poſtridie rediturum confirmarat. Carolus interea Lyri ſuperato Mignanum, inde Cales, Theanúmque Sidicinum peruenerat: ſed Triuultius clam per certos nuntios, vt Carolum ſibi tuto adire liceret, rogauit: præcone militari ſiue heraldo (vt noſtro verbo vtar) Capuam appulſo Triuultius cum paucis Capuanis, quo die Cales Carolus ingreſſus eſt, ad Regem ſe contulit, pleriſque aliis primariis ciuibus, qui in Ferdinandi fide vrbem conſeruare cupiebant, liberè reclamantibus. Is ad Regem admiſſus Capuanorum, præſidiariorúmque militum nomine loquutus, illos quoad res Arragonias ſaluas fore ſpes fuit, fidelem Ferdinando operam hactenus nauaſſe teſtatus; nunc quod eundem ad tuendum regnum vires deficiant, ſi æquis conditionibus in Regis fidem recipiantur, fortunam ſequi paratos eſſe pollicitus eſt. Quinetiam non deſperare addidit, quin Ferdinandum ipſum ad Carolum adduceret, modo Regem Rex agnoſceret, & victum non affligendum, ſed regiè tractandum ſuſciperet. Cui benignè Carolus ſe Capuanorum, militúmque egregiam erga ſe voluntatem laudare, ac læto animo accipere reſpondit: rem Capuanam non ſecus, ac Gallorum modeſto Imperio curaturum, atque huius officij memoriam ſempiternam habiturum, milites iuſtis, duces dignis ſtipendiis,

præmiiſque

Digitized by Google

præmiſque affecturum : Ferdinandi autem aduentum ſibi acceptiſſimum fore, modo nullam regni Neapolitani partem ſibi excipiat : tum & opes à ſe, & munera honorata in Gallia conſequuturum. Mirabantur plerique quid Triuultium virum militarem honeſto apud ſuos loco natum, & qui hactenus bellicæ exiſtimationis conſeruandæ ſtudioſiſſimus fuiſſet, vt ad Carolum deficeret, impuliſſet : ille ſe ad Carolum Ferdinandi mandato, vt aliquam pacis rationem iniret, profectum reſpondebat, quam quum obtinere non poſſet, & Arragonios tam parato, potentique hoſti reſiſtendo non eſſe ſciret, non ſolum ſibi licuiſſe, ſed & laudi datum iri prædicabat, ſi Capuanorum pariter, ac militum ſaluti prouideret. Sed alia tum omnium pene opinio fuit, vulgóque creditum, Triuultium qui, quod cum priuato adhuc Ludouico Sfortia ſimultatem exercuiſſet, Mediolano ſeceſſerat, redeundi in patriam ardore, & ſpe melioris fortunæ Gallo tacitè fauiſſe; atque vt regno Neapolitano potiretur, in votis habuiſſe; vnde & in Flaminia Ferdinando ſæpius conſuluiſſe, nequid temerè tentaret, & conſideratiùs ageret, quam fortaſſe nonnunquam bonæ occaſiones poſtulaſſent : neque vero Carolum regni Neapolitani compotem ad res Mediolanenſes animum adiecturum dubitabat, ea ſpe inductum occaſione data, quod longe ante præmeditatus erat, exequutum exiſtimarunt. Nec veriſimile erat Ferdinandum Capua abeuntem, poſtridie rediturum Triuultium ſimul & Capuæ præfeciſſe, & vt mandata ad Carolum deferret, allegaſſe.

9 Sermone autem, quem cum Carolo Triuultius habuiſſet intellecto, Virginius, Petilianúſque Vrſini publica fide, vt ſibi, ſuíſque abire liceret impetrata Nolam Petiliano Arragoniorum liberalitate condonatam ſeceſſerunt : cæteri milites, qua quemque ſua ſpes tulit, magna ex parte diffugerunt, nonnulli etiam Ferdinandi palatium, equitiúmque diripere auſi ſunt. Eorum, quæ Capuæ agerentur, Ferdinandus ignarus poſtridie redibat, Neapolitanis ſibi, vt tum res erant, ſatis reconciliatis, quibus de Capua tuenda ſpem magnam reliquerat; redeunti, & ad vrbem appropinquanti Capuani obuiam illi nonnullos è primariis ciuibus miſerunt, ne vltra progrederetur, denuntiarunt : Capuanos ab illo primum, mox à Triuultio, deinde à Virginio, Petilianóque deſertos, palatio eius ab illis ipſis, quos introduxerat, militibus direpto omni exercitu diſſipato ſaluti ſuæ conſulere, & victori cedere coactos fuiſſe. Quúmque ad portam vſque progreſſus, vt intromitteretur etiam cum lachrimis quaſi ſupplex rogaſſet, nec impetraſſet, Neapolim rediit non dubitans cæteras ciuitates Capuanorum exemplum ſequuturas. Atqui Arragoniæ copiæ numero ſatis multæ vrbe ampla, altóque fluuio obiectis quantumuis magnum exercitum remorari potuerunt : & iam Alexander Pontifex, Maximilianus Imperator, Veneti, Ludouicus Sfortia aduerſus Carolum ſocietatem coïbant : quinetiam Ferdinandus Hiſpanus vt Arragoniis propinquis opem ferret, Siciliámque tueretur, claſſem comparabat : vt mora non diuturna Gallicas res perturbare, aut etiam tot hoſtibus vndique inſurgentibus euertere haud difficile eſſet. Tanti Ferdinando Capuanorũ defectio Triuultio authore inita ſtetit : hoc eſt, regni Neapolitani amittendi cauſa prorſus fuit! Auerſa enim, quæ inter Neapolim, Capuámque intermedia eſt, audita Capuanorum defectione ad Carolum legatos ſtatim de deditione miſit : ea fama Neapolim quoque perlata, diſſipatas prætereà Arragoniis copias, duces partim metu, partim proditione ceſſiſſe, Triuultium etiam cum ſua ala Gallicæ militiæ aſcriptum eſſe; Neapolitani ſeditione iterum exorta portas vrbis clauſerunt, & Ferdinandum cum Germanis redeuntem (nam Itali fere omnes diſceſſerant) admittere noluerunt: vnde iter flectere coactus circumductis ad Coronatam copiarum reliquiis in arcem, quæ noua dicitur, ſe recepit; & multis è nobilitate, populóque ad planitiem arci ſubiectam accerſitis huiuſmodi orationem habuit : [Teſtor Deum immortalem, qui animi mei ſenſa nouit, vóſque viri Neapolitani, quotquot mecum familiariter vixiſtis, aut ex meis domeſticis, ac familiaribus vitæ meæ rationem audire potuiſtis, me nulla magis alia de cauſa ad huius regni ſceptrum peruenire deſideraſſe, quam vt vobis omnibus apertè declararem quantæ mihi patris, auique dura imperia, ac regnandi aſperitas moleſtiæ fuiſſet, quos etſi arguere pudor, non tamen admonere prohibebat : hoc officio integrè, quantum in me fuit, defunctus amiſſam aliquando maiorum meorum errore popularem gratiam clementia, ac facilitate me recuperaturum ſperabam. Sed ea fuit noſtræ familiæ infelicitas, vt me hoc quoque beneuolentiæ veſtræ fructu, quem non ſolum huic, ſed & multis amplioribus regnis præferendum reor, priuarit : ſiquidem Reges plerumque fortuna creat, ſed huiuſmodi Reges, qui ſuorum felicitatem ſuam eſſe ſibi proponant; quæ vera, ac legitima regnandi ratio eſt, ſola inſita virtus parit, atque induſtria : res autem noſtræ eò ſunt adductæ, vt ducum, militúmque

Triuultius Capuanorum præfectus ad Carolum deficiens Neapolitani regni amittédi cauſa fuit.

Ferdinandi vrbe Neapolitana excluſi oratio.

noſtrorum, vel proditione, vel ignauia potius, quàm hoſtium fortitudine cecidiſſe videantur. Quod ſi vel paululum fatalem hunc fortunæ impetum ſuſtinere poſſemus, bona me ſpes quicquid amiſimus, eadem, qua amiſimus, facilitate recuperandi teneret: ſiquidem Italiæ vniuerſi principes incendium toto hoc regno ſparſum in ſe redundaturum tandem animaduertentes firma ad expellendam tota Italia barbaram, infeſtámque gentem auxilia comparant. Et Hiſpanus Ferdinandus tum cognatione, tum vicinæ Siciliæ periculo adductus, ingentem quæ iamiam vela factura eſt, claſſem inſtruit: nec mihi, & huius ætatis, & tot, tantiſque regibus edito is animus eſt, qui regnum pariter, ac vitam præclara morte terminare reformidet. Sed quoniam id non ſine magno communis patriæ diſcrimine experiri licet, fortunæ cedere potius, quam vos temerè furenti hoſti obiicere decreui. Itaque me authore ad Regem Gallum legationem decernite, vt æquas ab eo conditiones obtinere poſſitis: quod vt commodius integra veſtra exiſtimatione faciatis, iuſiurandum vobis, datámque paucis ante diebus nouo Regi fidem remitto, promptis officiis Gallicam mitigate arrogantiam, victoribus parete, & duram veſtra prudentia ſuperate fortunam. Quod ſi barbari mores, vt ſuperbum alienæ gentis dominatum ferre nequeatis, effecerint; me ſemper, vt pro vobis, commodis veſtris vitam profundam, paratum expectate: ſin vobis magis ex vſu erit aliena dominatio, veſtra fœlicitas mearum ingens miſeriarum ſolamen erit, cui me gratulaturum, nec vnquam obfuturum profiteor. Illud duntaxat precabor, vt abſentiam meam grata memoria colatis; ſi neminem vel Regis filius, vel Rex ipſe vllo modo læſi, ſi nulla in me vel auaritiæ, vel crudelitatis indicia fuerunt, ſi vos omneis ſumma ſemper comitate excepi, méque non meis, ſed maiorum meorum peccatis obrui recordamini, proaui Alphonſi potius prudentiſſimi, mitiſſimíque Regis, quàm aui, patriſque ſimilem futurum.]

Hæc oratio etſi multos quidem permouit, nonnullis etiam lachrimas excuſſit, tamen odioſum vniuerſæ plebi, nobilitatique patris, auíque nomen, & contra omnibus grata Gallorum expectatio effecit, vt ne tum quidem ſedata ſeditione, vbi in arcem rediſſet, plebs ad equitium diripiendum conuolaret: quamquam aliter hunc locum tractat Bembus, & falsò cum paucis Ferdinandum in vrbem receptum fuiſſe, equóſque prope trecentos amicis, ac ciuibus diſtribuiſſe ſcribit: multi inerant equi nobiles Regio apparatu ſuperbi, qui quum ab infimæ ſortis hominibus traherentur, miſerandum conuerſæ fortunæ ſpectaculum exhibebant. Hanc indignitatem non ferens, & cum paucis erumpens attonitam vel animi magnitudine, vel Regia Majeſtate plebem facile repulit, ac rurſus in arcem reuerſus triremes duodecim; vt Bembus, quatuordecim, vt Guicciardinus, viginti vt ſcribit Iouius, duas & viginti, vt Sabellicus in fugam ſelectas ſepoſuit: cæteras naues incendi iuſſit; atque interim de Germanis ſuſpicione concepta, ne ſe captiuum Carolo reſeruarent, Regiam ſupellectilem, aut (vt alij tradunt) Regiæ ſupellectilis, ſed non pretioſioris bonam partem iiſdem condonauit; quam, tantiſper dum partiuntur, viros nobiles aui, patriſque iuſſu in cuſtodiam traditos emiſit: curáque arcis Alphonſo Daualo demandata, conſcenſis vna cum Federico patruo, ac Ioanna Tarraconenſi Ferdinandi aui vxore, alteráque Ioanna eorumdem filia triremibus ad Ænariam triginta (duodeviginti Bembus, ſed falsò) Neapoli milliaribus diſtantem inſulam nauigauit: appellentem ad terram nouus aduerſantis fortunæ (quæ quos ſemel abiecit, malis vndique laceſſentibus oppugnare conſueuit) inſultus adoritur. Iuſtus Iſclæ arcis præfectus eadem qua cæteri perfidia impulſus, niſi ſolum, aut certè vno ex ſuis comitatum admittere recuſat: quum & ſua, & ſuorum in illum beneficia commemorando nihil proficeret Ferdinandus, ea conditione admiſſus dignum Rege, ſuáque familia facinus obiit: tanto enim in ingratum impetu inſiliit, proſtratúmque pugione confecit, vt præſidiariis militibus vel Regiæ Majeſtatis conſpectu, vel Regis adoleſcentis fortitudine perculſis ſe arcis compotem reddiderit, ſuos ſtatim admitti iuſſerit, & quantum proditorio regius, degeneri generoſus animus præſtet, facilè declararit. Diſceſſu Ferdinandi tanta omnium animi deſperatione conciderunt, vt ducenti alæ Lignianæ equites Ludouico Arſio legato ductore quadringentos cataphractos equites Arragonios ſine vllo conflictu Nolæ armis, equíſque ſpoliarint, ducéſque ipſos Virginium, ac Petilianum Vrſinos captiuos abduxerint Nolanis, qui Gallica nuper vexilla erexerant, ſe eorum incolumitati conſuluiſſe clamantibus: Vrſini etiam fidem publicam ſibi datam aiebant, ſed diploma ipſum nondum acceperant, atque interim aliquot equitum turmas ad Ferdinandum miſerant: vnde primum in cuſtodiam traditi, quaſi belli iure capti, liberi mox nullo ære perſoluto, ſed militari apparatu amiſſo dimiſſi ſunt: legati Neapolitani Auerſæ Carolo occurrentes oblatis

Egregiũ Ferdinandi facinus.

vrbis

vrbis clauibus benigne excepti ſunt confirmatiſque antiquis priuilegiis redeuntes, ac Galli Regis liberalitatem pariter, & comitatem ciuibus ſuis renuntiantes ciuitatem ingenti lætitia implerunt. Præmiſſi Neapolim cum legatis Petrus Rohanius Gienſis Mareſchallus, Stephanus Verſius belli huius hortator, Ioannes Ganaius Regij ſigilli magiſter publicè eadem priuilegia,cæteráſque immunitates Regis nomine ratas habuerunt.Poſtridie hoc eſt nono Kalend. Martias anno eius ſæculi nonageſimoquinto muri parte deiecta Carolus quaſi triumphans vrbem iniit, tanta ōmnium ordinum, omnis ſexus, omnis ætatis lætitia, concurſúque perinde, ac ſi vrbis conditor eandem aliquandiu graui ſeruitute oppreſſam in libertatem vindicaturus accederet. Nullus vnquam victor Rex, nulla peregrina gens ab externis, ac ſuperatis hoſtibus tanta, támque certa non ſimulati fauoris, germaníque amoris argumenta accepit, vt victi viciſſe, & victoria ſua ſupra quàm ratio pateretur, exultare quodam modo viderentur. Itaque & vias exornando, & domos pretioſiore ſupellectile inſtruendo, & Regi publicè plauſu, acclamationibúſque, priuatim hoſpitibus ſuis ambitioſè gratulando, dolorem quem ex diuturna Ferdinandi, Alphonſique tyrannide concoxerant, in repentinam hanc lætitiam conuerſum veluti extra ſe poſiti effundebant.

Carolus in vrbem Neapolitanã vt ingreſſus ſit.

11 Rex primùm in maiorem ædem, inde in arcem Capuanam vetus Andegauenſium Regum domicilium deductus eſt: ſiquidem adhuc arx noua, & quæ Oui dicitur, ac Vicentina Pſaros ad portum ſita ab Arragoniis ſtabant: ſed hæc facile capta eſt; illæ munitiores non niſi ſumma cum difficultate in Regis poteſtatem venturæ videbantur. Arci nouæ præerat Alphonſus Daualus cum paucis Italis, ac quingentis Germanis, quorum Gaſpar,ac Gottifredus præfecti erant,alij plures numerant. Dum continuatis bombardarum pilis arx pulſatur forteforţuna concameratum conclaue, vbi tormentarij pulueris, ac fictilium ſulphure, reſina, cæteriſque ignem facile concipientibus oppletorum, vt in hoſteis oppugnanteis conijcerentur, ingens copia aſſeruabatur, vel pilarum concuſſu, vel lapidum eliſorum attritu accenſum totum fere in aërem rapitur, aut huc, illúcque diſiicitur, contigua quæque ſecum rapit, multos vulnerat, multos igne, pondere, fumo ſuffocat, ac magnum tumultum ciet:quo conſternati Germani Gaſpare inſtigante de deditione conſultant. Hoc animaduerſo Daualus conſcenſa trireme vela facit: & iam qui in Gallorum exercitu erant, Germani cum Gaſpare colloquuti erant. Hinc occaſione data, Dauaĺique fuga intellecta omnem, quæ reliqua erat, ſupellectilem, omne aurum, argentúmque factum, infectúmve Germani diripiunt; arcem dedunt, vt non ſolum cum ſarcinis liberi exeant, ſed & vt Gallicæ militiæ aſcribantur, obtinent: vnde paulò poſt Gaſparem proditionis accuſatum Maximiliano Imperatore iubente capite mulctatum, Gottifredum, quod in contraria ſententia fuiſſet, militéſque, quantum in ſe fuerat à defectione, Arragoniæque ſupellectilis direptione reuocaſſet, abſolutum ferunt. Inde ad arcem, quæ Oui dicitur, oppugnandam itum,quam olim L. Lucullus à continenti,vt Euripum immitteret, magno labore,ſumptúque diduxerat: hinc à Stoico Tuberone,vt Plutarchus, vel à Pompeio, vt ſcribit Plinius, togatus Xerxes appellatus eſt; ponte nihilominus littori iungebatur, ſed huic altera excelſior rupes imminebat: vnde librata tormenta Gallica neminem in muro conſiſtere ſinebant, & deſtinato ictu quamuis partem quatiebant.Itaque de noua arce dedita certior factus Antonellus Picciolus pręfectus hanc quoque ſe niſi intra octauum diem Arragonij auxilio eſſent, deditarum pollicetur, quod re etiam præſtitit. Tanta Caroli felicitas, atque in perſequenda victoria celeritas fuit, quicum ne C. quidem Cæſaris celeritatem conferre poſſimus: Aſta enim pridie nonas Octobr. profectus, ac nono Kalend. Martias Neapolim ingreſſus tam longinquum iter media hyeme in hoſtili ſolo ſemper armatus incedens menſibus quatuor ac diebus quindecim confecit.

12 Dixit olim de victo Pharnace gloriatus Cæſar: Veni,vidi, vici: at Carolus priuſquam videret, vicit: ſiquidem prope omnes regni Neapolitani ciuitates illius arma anteuerterunt, & antequam vllæ copiæ imminerent, legatos obuiam de deditione miſerunt. Sed in tanta felicitate, ac victoria prudens conſilium defuit; Gallis vigor animi, atque in prælia promptæ manus erant: ſed quod has regeret, & victoria ſapienter vti doceret, conſilium prorſus deerat. Rex ipſe iuuenis nulla rerum experientia præditus Stephano Verſio iam Nolano regulo, Briſſonnetóque Cardinali ſe totum dabat, hominibus humilis ſortis, bellicarum rerum inſolentibus; & qui nouorum hominum mos eſt, omnia ad priuatum quæſtum,ambitionémque referentibus: proximum,ſed maiore cum authoritate locum tenebant Gilbertus Mompenſerius è familia Regia,ac Petrus Rohanius Gienſis Mareſchallus

In bello Neapolitano Galli ad integram victoriã nihil niſi prudens conſilium defuit.

Mareſchallus homines bellica fortitudine clari; ſed parum prudentes, aut certè tantis negotiis moderandis inferiores, vt de altero refert Cominæus, de altero nobis aliunde conſtat. Iacobus etiam Lotharingus Guizæ regulus, ac Comes Lignius à Lucceburgenſibus regulis oriundus Caroli conſobrinus multum apud eundem poterant: ſed iuuenes ambo, & ne quidem cum duobus ſuperioribus conferendi tantam prudentiam præſtare haud poterant. Quarto loco numerari poterant Ioannes Fuxius, ac Ludouicus Trimullius, ille illuſtri familia ortus, hic iam bellica laude clarus, ſed nondum eam, quam paucis poſt annis, authoritatem conſequutus. Viri militares erant, atque in primis prudentes Eberardus Stuardus Aubignius regni Neapolitani nuper equitum magiſter declaratus, Iuo Alegrius Aluernus, Iulianus natione Lotharingus, Ludouicus Arſius Boius, Robertus Lenuncurtus Vitriacus Balliuus, Gratianus Guerra, verum non eadem authoritate pollebant. Franciſcus Alegrius Perſius Iuonis Alegrij frater homo & conſilio, & manu promptus inter hos numerari potuiſſet, niſi peruicax, & quadam in cæteros inuidia percitus nunc ſeditiones in regno Neapolitano relictus inter milites excitando, nunc bonis conſiliis aduerſando, nunc ipſi Mompenſerio ſummo Gallicarum copiarum imperatori contumaciter reſpondendo, ac reſiſtendo, re multum exemplóque nocuiſſet. Iacobus Chabaneus Palicianus magnis poſtea rebus geſtis clarus adoleſcens adhuc eum gradum, quem mox tenuit, nondum aſſequutus erat: hunc Iuonis Alegrij fratrem falsò Iouius nominat, quum è diuerſis familiis hic Alegria inter Aluernos, ille Chabanæa inter Boios illuſtriſſimis originem traherent. Chabanæi ſororem Alegrius vxorem duxerat, idcirco Gallis peculiari loquendi more fratres ſe mutuò vocabant: Palicianus autem à Palicia fundo, vicóque Boiorum eiuſdem nominis dictus eſt, vt breuiter dicam, omnes prope tanta felicitate inſolentiores contemptis prorſus Italis, vel ludis deliciiſque operam dabant, vel priuato quæſtui ſtudebant, de re ſumma non admodum laborabant, ſemper eandem fortunam ſibi affuturam ſperabant.

At quanto vſui tum fuiſſet Philippus Crepecordius vir nimirum dignus, qui tantæ expeditioni præeſſet, ſed in morbum lapſus, & Lugduni Carolum relinquere coactus fato nuper functus erat! Rex ſane natura facilis, ac comis recta monenti qua authoritate apud illum erat, non ægrè paruiſſet: Crepecordius in Mediolanenſes primum conuertenda arma ſuaſerat, quibus domitis, Genuenſibúſque, ac Piſanis additis facilis ad regnum Neapolitanum aditus patebat. Hæc paucis menſibus confici potuerunt, vnde & commodius inuadendi, & conſeruandi regni Neapolitani ratio præclarè inita fuiſſet: Neapolitana vero expeditio vel primo vere, vel ante veris initium, hoc eſt, tribusfortaſſe menſibus tardius ſuſcepta eundem, aut etiam (vt veriſimile eſt) feliciorem exitum habuiſſet: tanto enim ſuorum odio flagrabant Arragonij, quemadmodum res ipſa declarauit, vt dubitare de certa victoria nemo poſſet. Nec maiore negotio in Caroli poteſtatem Græcia veniſſet, quæ non ita dudum à Mahomete Turcarum Imperatore in ſeruitutem redacta, & priſtinæ libertatis memor, tum vero Turcicæ tyrannidis odio incenſa, ſola Caroli Neapolim acceſſuri fama ſe ad rebellandum tacitè comparabat: Baiazetes Imperator natura ignauus, & à re militari alienus facilè in vltimam Aſiam repulſus fuiſſet. Quam expedita autem Græciæ liberandæ ratio fuerit, vel id indicio eſt, quod præſidiarij Turcæ, qui Macedoniam, Epyrúmque inſidebant, vbi Gallica ſigna in maritimis Calabrorum vrbibus, totóque eo littore viſa audierunt, panico velut pauore conſternati vrbeis plerique deſeruerint, Græci de trucidandis paſſim Turcis, Galliſque recipiendis conſilia ceperint: Baiazetes copias omneis, quæ ad Danubium, Illyricum, Mœſiámque hybernabant, ad tuendam Græciam reuocarit, claſſem Bizantij refectam ad traducendas deduxerit: & Venetis, niſi cum Alexandro Pontifice, Maximiliano Imperatore, Ludouico Sfortia, cæteríſque Italis aduerſus Carolum ſocietatem coïrent atrociter comminatus ſit. Addit Iacobus Sadoletus ex oppidis Græciæ omnibus præſidia deducta, copias vniuerſas Bizantium accerſitas: alij Turcas magnam Græcorum galerorum, palliorúmque vim, vt ſe Græcos mentirentur, & primum Gallorum ardorem, impetúmque vitarent, redemiſſe ſcribunt. Sed præclaram occaſionem, tantámque felicitatem Galliæ, aut potius vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ fortuna (vt videtur) inuidit, ſero admodum, aut nunquam fortaſſe redituram: cum Rege Carolo erat Gemes Baiazetis frater; ſed fratris prorſus diſſimilis, hoc eſt, & animi vir maximi, & prudentiæ prope ſingularis, magnum ad ſacrum bellum momentum allaturus. Hic barbaro familiæ Othomanicæ more, quæ recens partum Imperium fratrum omnium, propinquorúmque inexpiabili parricidio ſtabilire ſolet, ad mortem conquiſitus, bíſque Achomate Baſſa (vt ſupra memini) Baiazetis acerrimo

Carolus regno Neapolitano ſemel potitus in Græcia facilè penetraturus erat.

Digitized by Google

rimo duce vrgente ſuperatus, ad Buſſonium ſiue Buiſſonem Rhodiorum equitum magiſtrum hominem Gallum confugerat: nec liberaliter, vt ſperarat, acceptus in Galliam miſſus, & in turrim Burgonouanam in Lemouicum agro concluſus, atque aliquandiu aſſeruatus eſt; ſed poſtea Neapoli, vel ad Caietam (vt Iouius ſcribit) obiit.

14 Ante Gemis mortem Dyrrachienſem Pontificem Græcum natione, ac nonnullos alios in Græciam, quo in ſtatu res Turcicæ eſſent, exploraturos Carolus miſerat. Illi Græcos non ſecus, ac nuper Neapolitanos ad defectionem paratos eſſe renuntiarunt: ea (vt maturaretur) Conſtantinum Cominatum Achæorum ducem, tum Monferratenſem adminiſtratorem, ad quem hæreditario iure Macedonia, Theſſaliáque redibant, eundem Pontificem Dyrrachienſem, ac quoſdam præterea Venetias Carolus remiſit, vt omni armorum genere clam in naues impoſito, quorum vſum Græcis Baiazetes interdixerat, Chalcedonem primum ex inſidiis adorirentur, multos ſuæ factionis in vrbe ſocios habituri. Vela iam dederat Conſtantinus, & à Chalcedone vix ſex milliaribus aberat, quum Dyrrachienſem à Venetis in cuſtodiam traditum intellexit: hic natura leuis, & Græca loquacitate vanus ſe dignum memoria facinus animo agitare iactabat, cuius ingenio perſpecto hominem, vt maturè Venetiis ſolueret, Conſtantinúmque iam digreſſum aſſequeretur, Cominæus Caroli legatus, vir prudens ſæpius admonebat: nec peruincere potuit, quin malo ſuo fato remorante profectionem in aliquot dies differret, quamuis Conſtantinum, antequam vnà iungerentur, nihil aggreſſurum certo ſciret. Interea Veneti de Gemis Othomani morte certiores facti vigiles in vtraque arce anguſti ſui freti faucibus imminente collocarunt, ne quis clam elapſus fratris mortem Baiazeti prior renuntiaret, qua nocte Dyrrachienſis forte fortuna vela fecit: interceptus in alteram arcem cum ſuis deductus eſt, litteræ, arma, ſeruorum confeſſio, ipſe denique vi coactus rem omnem palam fecit. Veneti Baiazeti, Turciſque, qui maritimas Græciæ vrbeis præſidiis obſidebant, inſidias indicarunt: Conſtantinus vix in Appuliam euaſit, & propemodum alienæ ſtultitiæ pœnas dedit.

Inſidiæ in Turcas à Rege Carolo ſtructæ Venetorū fraude detectæ.

16 Galli igitur regno Neapolitano ſine vllo fere certamine potiti conuiuiis, choreis, ludicris equeſtribus certaminibus operam dabant: in Carolo Regia Hieroſolymorum, Siciliæ, regni Neapolitani corona ornando multum laborabant: quidam etiam Imperatoria, hoc eſt, Imperij Orientis donatum produnt: de paucis, quæ in Arragoniorum fide permanſerant, arcibus haud ſolliciti erant, ad quas, ſi Neapolim ingreſſus Carolus exiguas etiam copias miſiſſet, perterritas, & de auxiliis deſperanteis facile recepiſſet. Hæc fuere Brunduſij, Gallipolis, Rhegiique arces (vt quidam tradunt) ſolam Brunduſinam Iouius in Arragoniorum fide permanſiſſe ſcribit: at vrbes ipſæ Gallica vexilla erexerant: ſed quum nullos illuc milites Carolus miſiſſet, ac vix Brunduſinos quidem legatos Neapolim, vt de deditionis conditionibus cum Rege agerent, profectos audiiſſet, indignatas Arragonij arcium præfecti ad ſe reuocarunt, &, vt Arragonios veteres dominos rurſum ſequerentur, perſuaſerunt. Erexerant ſigna Gallica & Turpia, ac Mantia, ſed quod eaſdem Perſio difficili, ſuperbóque domino Carolus condonaſſet, nec ſibi retinuiſſet, Arragonia deintegro explicarunt: multæ præterea aliæ vrbes, quæ in antiquo Regum Neapolitanorum patrimonio cenſebantur, plerique Gallis viris nobilibus, & natura & victoria inſolentibus dominis condonatæ idipſum permoleſtè ferebant, & ad defectionem ſpectabant. Quid quod arcium Neapolitanarum commeatus ingenti copia congeſtos, vt in aliquot annos ſatis eſſe poſſent, nonnullis ex familiaribus idem Carolus dono dedit, nec alios in eorum locum ſufficiendos curauit? quæ princeps fortaſſe regni Neapolitani amittendi cauſa fuit: horum enim penuria mox coactus Mompenſerius arceis ipſas dedidit, quæ ſi in Gallorum fide ſtetiſſent, vel vrbem in eadem fide continuiſſent, vel magnum ad recuperandam momentum addidiſſent. Nec maior in cæteris arcibus muniendis, aut iis, quæ ad tolerandas longas obſidiones neceſſaria ſunt, inſtituendis cura adhibita fuit: hæc neglecta hoſtibus animos addiderunt, indigenis Gallicam ſocordiam admirantibus immutarunt. Hinc Hydruntini erectis Gallicis vexillis, quum vt qui bene animatos in fidem reciperet, nemo accederet, ſuperiorum exemplo mutata ſententia ad Arragonios redierunt: quamquam omnes viri nobiles, vt fundorum ſuorum nomine iuſiurandum ſolemne præſtarent, Neapolim ad Carolum acceſſerunt, vno Alphonſo Daualo excepto, ſed eiuſdem fratres, ac fratris liberi cum cæteris affuerunt. Aufugerant præterea in Siciliam Comes Aërienſis, ac Squillacienſis Marchio, quorum fundis Aubignium Carolus donauerat. Federicum Arragonium Ferdinandi patruum, quod & ſibi affinis, & Ludouico patre imperante in Gallia aliquandiu verſatus eſſet, nondum dedita

Quæ fuerit princeps cauſa cur Galli regnū Neapolitanum amiſerint.

Oui

Qui arce Carolus accerſiuit: Ferdinando opulentum in Gallia Ducatum, & honorificas præterea conditiones, Federico ipſi longè plura, quàm quæ in regno Neapolitano poſſideret, obtulit.

Ille Ferdinandum nullas niſi Calabria ſibi reddita conditiones accepturum certo 16 ſciens, prudenter reſpondit: quandoquidem ſingulari Dei Opt. Max. hominúmque conſenſu fortuna pariter adiuuante regnum Neapolitanum Carolus ſibi vendicaſſet, fatali neceſſitati Ferdinandum haudquaquam ſeſe opponere decreuiſſe: quín potius tanto Regi æquo animo cedere, eius imperio non ſecus, ac cæteros obſequuturum, modò aliquam regni Neapolitani portionem (Calabriam autem deſignabat) illi Carolus condonaret, quam non vt Rex, ſed vt Galli Regis beneficiarius obtineret, & Gallicam clementiam liberalitatémque venerabundus prædicaret: ſe in gratiam receptum, tantíſque meritis obnoxium in Regiis bellis aliquando eius fortitudinis ſpecimen editurum, quam ne in ſuis periculis explicaret, nuper fortuna nimium grauis obſtitiſſet: Alexandrum Macedonem Imperatorum Maximum, ipſamque adeo Romanam Remp. omnium quotquot liberæ imperarunt, ciuitatum celeberrimam, victis Regibus, & regnorum partem, Regiúmque nomen, nonnunquam regna integra reliquiſſe, ſibíque nominis immortalitatem hiſce beneficiis peperiſſe. Ceſſione Ferdinandi Carolo regnum Neapolitanum plane confirmatum iri, vt vix vel fortunæ etiam locus relinquatur: Regiæ prudentiæ eſſe victoria moderatè vti, nec fortunam tam ſibi propitiam ad indignationem prouocare, quæ inſolenteis victorias caſu nec opinato vel obſcurare, vel interdum extinguere quodam modo ſolet. Carolus, ſi aliquam Ferdinando portionem relinqueret, regnum haud ſibi confirmatum iri, ſed prima quaque occaſione rem ad defectionem ſpectaturam ratus, Federicum re infecta dimiſit. Ferdinandus de Neapolitanis arcibus deditis certior factus cum quatuordecim illis, quas Neapoli eduxerat triremibus (Bembus nauibus longis duodecim ad Ænariam traieciſſe ſcribit) nec militum, nec armorum copia ſatis inſtructis in Siciliam abiit: arcis Ænariæ cuſtodiam Iano Daualo Alphonſi fratri demandauit, quorum vterque vir fortis ſingulari erga herum fide præſtitit. Claſſem nuper Neapolim appulſam quæ magnis impenſis comparata nulli fere vſui fuit, ad circumſedendam Ænariæ arcem Carolus nauigare iuſſit, ea ciuibus, præſidiíſque vrbem deſtitutam offendit: arcem natura, artéque munitam inexpugnabilem rata haud aggreſſa Neapolim rediit: vnde maiorem nauium apparatum è prouincia Phocenſi, Genuáque Carolus accerſiuit, ſed frigidè omnia, nec ea, qua decuit, diligentia curabantur, & omnibus mentis aciem nimia fœlicitas perſtrinxerat. Nonnulli, ſi maturius ad inſulam claſſis Gallica acceſſiſſet, quum omnia ingenti trepidatione nutabant, arce facile potituram fuiſſe tradunt: ac tum etiam, ſi iuſta machinarum bellicarum copia, quibus Galli plurimis abundabant, acrius oppugnaſſet. Verumenimuero deliciis imbuti Galli omnem priſtinam vim, ardorémque remiſerant, nec arduum quicquam, aut maiore cum labore, periculóque aggredi ſtudebant, præſertim qui tum rem naualem adminiſtrabant.

Veneti & Ludouicus Sfortia ſibi à Carolo timere incipiunt.

Interim Ludouicus Sfortia, quem Mediolanenſis ditionis inuadendæ ambitio, ac con- 17 ceptus de Arragoniis cum Petro Medice conſociatis inanis quidam metus ad concitandum bellum Neapolitanum impulerat, tanta præter ſpem Gallorum felicitate perturbatus longè magis, nec immerito, rebus ſuis timere cœpit. Arragonios antea, Florentinóſque iunctos formidauerat, at nunc vtrorumque vires prope omneis, Senas præterea, Viterbium, Pontificias arceis in Gallorum poteſtatem conceſſiſſe animaduertebat. Quid enim roboris præter vrbem, Piſis Piſaníſque arcibus amiſſis Florentinis reliquum erat: Regem adoleſcentem imperandi auidum totius Italiæ longitudinem vno quaſi momento velut fulmen quoddam nemine reſiſtente peruagatum, haudquaquam imperium hiſce terminis circumſcribere, Italiam vniuerſam ſibi deſtinare non fruſtra ſuſpicabatur, Gallis Mediolanenſem agrum duntaxat interiectum quominus libere è Gallia Neapolim proficiſcantur; idcirco redeuntem Carolum totam belli molem in Mediolanenſes, Genuenſéſque conuerſurum: vnde triremes duodecim, quæ Regiis impenſis Genuæ inſtruebantur retinuit; & vt res Gallicas perturbaret, omnem machinam adhibuit. Hinc, ne deintegro Ænariam inſulam maiore apparatu adoriretur, ſe prohibitum Carolus palam queſtus eſt: Venetos natura ſuſpicioſos idem timor angebat, ſe neutram in partem inclinaturos huius belli initio promiſerant: Regem Alpeis ſuperaſſe certiores facti ad eundem Antonium Loredanum, Dominicúmque Treuiſanum legatos deſtinarant: verùm Florentiam prius Carolus, quàm Veneti legati appulit. Quum verò præſidia Piſis, Piſaníſque arcibus, Senis, Viterbio relicta Veneti audiiſſent, Carolum maius quiddam moliri, nec

regno

Digitized by Google

regno Neapolitano contentum eſſe coniecerunt: aliorum pericula, ruinámque ſuam eſſe duxerunt. Itaque Ludouici Sfortiæ monitis animum facile adiecerunt: quod ſi vel Romæ, vel in regni Neapolitani finibus moram aliquam Carolus offendiſſet, coniunctis nimirum viribus in Gallos fœderati inſurrexiſſent: ſed inaudita antea Caroli celeritas lenta illorum conſilia anteuertit. Eodem metu percellebatur Alexander Pontifex, qui poſt Cæſaris Cardinalis Valentini fugam ſe Caroli prope hoſtem declararat, & Gallis legatis enixè inſtantibus eundem ſemper Regem Neapolitanum agnoſcere detrectarat: ne victor nullis poſtea nouis pactionibus flecteretur pertimeſcebat. Quapropter Ferdinandum Hiſpanum, Maximilianum Imperatorem, omneis Italos principes, omneis denique mortales, quoad poterat, aduerſus Carolum accendebat. At Ferdinandus, atque Elizabetha Hiſpani, qui recepto Ruſcinone cum Carolo initum fœdus iureiurando ſanctiore confirmarant, & ſponte nec rogati conditionem ne filias Regibus Neapolitanis, Anglis, Flandris collocarent, addiderant; ac renouato fœdere, ne Carolo regnum Neapolitanum repetenti ſeſe opponerent, néue Arragoniis tametſi gentilibus opem ferrent, diſertè cauerant: vbi eundem Romam appulſum audierunt legationes quoquouerſus ad ſocietates aduerſus illum ipſum ineundas miſerunt, bellúmque denuntiarunt: conditionem vero de collocandis filiis, quam ipſi Gallis non depoſcentibus tulerant, iniquam; idcircóque nèc obſeruandam cauſati ſunt. Quin & alteram conditionem fœderi additam mentiti ſunt, ne quid enim in fœdere ſanciendo de ſua erga Romanum Pontificatum obſeruantia decederet, excepiſſe finxerunt: hinc ſi ab ipſis opem pro Arragoniis in fidem receptis Alexander Pontifex imploraret, illis ſuppetias ire ſibi integrum eſſe iactarunt: at diſertè ne Arragoniis opem ferrent, fœdere cauebatur; vt hic, ſicut in cæteris rebus fere omnibus, Ferdinandum ſuo more fidem ſua vtilitate metiri omnes agnoſcerent. In Hiſpanis magnam, in Maximiliano non eandem ſpem fœderati collocabant, qui quamquam multis iuſtiſque de cauſis Gallo erat infenſus, tamen bonas occaſiones ſæpenumero prodigalitate, inconſtantiáque corrumpebat: vt vtrique Galliæ bellum inferrent, militéſque, quot opus eſſet, in Italiam fœderatorum ſtipendiis alendos mitterent, claſſe etiam Hiſpanus Arragoniis opem ferret, certámque eo nomine pecuniam à fœderatis; atque omnem præterea, quæ in Hiſpania in ſacrum bellum collata erat, Pontifice permittente acciperet, conuenerunt.

18 Ea ſocietas menſis Aprilis initio vel pridie Kalendas Aprilis, vt ſcribit Bembus anno eius ſæculi nonageſimoquinto fœderatorum legatis omnibus conſentientibus, Hiſpanis etiam multùm vrgentibus Venetiis inita eſt, qua triginta quatuor equitum, peditum viginti millia parata habere vniuerſi tenebantur, vt tradit Bembus. Poſtridie acceſſito Philippo Cominæo Caroli legato Veneti ſe ſocietatem cum Alexandro Pontifice, Maximiliano Imperatore, Ferdinando Hiſpano, Ludouico Sfortia tribus potiſſimum de cauſis coiiſſe denuntiarunt: primùm vt pro vniuerſo Chriſtianiſmo aduerſus Turcam, tum vt pro tota Italia, poſtremò vt pro ſuis ditionibus tuendis coniunctis viribus propugnarent; legatos præterea ſuos è Caroli comitatu reuocaſſe. Huius ſocietatis, ſi commodum ei videretur, Carolum admoneret: locum nihilominùs liberum reliquiſſe omnibus, qui ſimul in eandem æquis conditionibus recipi poſtularent. Ille ſe iam admonuiſſe intulit, Carolum reſcripſiſſe ſibi eadem Roma, Mediolanóque renuntiari: diu enim inter fœderatos antequam conuenire poſſent, res agitata erat, ac parùm abſuerat, quin Germani re infecta diſcederent. Hæc palam efferebantur, ſed inter arcanas conuentiones de Carolo regno Neapolitano pellendo actum erat: eo nomine Hiſpani, qui nupèr in Siciliam traiecerant, ſe Ferdinando Arragonio Calabriam ingredi cupienti iungere, Veneti maritima eiuſdem regni oppida, Ludouicus Sfortia Aſtam, vbi cum paucis Ludouicus Aurelianus Caroli reditum expectans relictus erat, oppugnare, Maximilianus, Hiſpanúſque Ferdinandus ingentibus copiis Galliam hinc, illincque inuadere, & condictam à fœderatis pecuniam in hoc bellum accipere debebant. Vt vero omnem Italiam in eandem ſocietatem includerent, Florentinos, Ferrarienſémque ſibi iungi fœderati enixè inſtiterunt. Hic aduerſus Carolum ferre arma recuſauit; ſolita nihilominus fraude, vt Alphonſus filius centum quinquaginta cataphractis equitibus præfectus Ludouici Sfortiæ ſtipendium mereret, permiſit. Florentini autem etſi nonnihil ob non redditas Piſas, Piſanáſque arceis de Carolo queri poterant, tamen vel quod iiſdem inuadendis Venetos pariter, Sfortiámque inhiare compertum habebant, vel quod facilius à Carolo, cuius præſidiis illæ tenebantur, ſe conſequuturos

Cur Veneti ſocietatem cũ Alexandro Pontifice & Maximiliano Imperatore inierint.

O ſperabant,

Digitized by Google

Galli fortuna propitia imprudenter abuſi multorum odia in ſe concitarunt.

ſperabant, ab eius amicitia haud ſibi recedendum putarunt. Iam multùm de Gallorum nimium voluptatibus deditorum, nec fortunam tam propitiam prudenti conſilio moderantium exiſtimatione deceſſerat, quod commodum bello tempus inanibus ſpectaculis, luxúque tererent, nec Arragonios regno Neapolitano prorſus expuliſſent: treíſque eas (quæ initio duntaxat ſupererant) arceis Brunduſinam (inquam) Gallipolitanam, ac Rheginam vrbibus Gallicum nomen ſequutis non modo armis non tentaſſent, ſed ne legationibus quidem ad deditionem inuitaſſent; quas ſi ſolita celeritate aggreſſi fuiſſent, facile nimirum expugnaſſent: neglectas Arragonij militibus, rebúſque omnibus ad tolerandas oppugnationes neceſſariis munierunt. Cum exiſtimatione pariter Neapolitanorum beneuolentia, amórque diffluebant: quamquam enim Carolus natura facilis, ac liberalis mirandum in modum tributa ab Arragoniis indicta imminuerat, ac ducenta nummûm aureorum millia, aut etiam plura quotannis remiſerat, tamen reliqua adminiſtratio ad ciuilem rationem,æquabilitatémque non ſatis accommodata erat.

Rex ipſe adoleſcens voluptati potius, quam labori, tractandíſque negotiis aſſuetus querimoniarum audiendarum, libellorúmque ſupplicum reſpondendorum moleſtiam ferre nolebat, ad familiares, qui plurimum apud illum poterant, reiiciebat. Hi fere erant Stephanus Verſius, Cardinalis Briſſonnetus, Ioannes Ganaius Regij ſigilli magiſter, qui partim ignorantia, partim auaritia omnia corrumpebant: viris nobilibus difficiles ad Regem patebant aditus, pauci ex his ea, qua decuit, humanitate excipiebantur, pauci dignis præmiis donabantur. Et veluti ſi ſortibus res ageretur, ſæpius qui nulli vſui fuiſſent magna, qui fortem Gallis, vtilémque operam nauaſſent, nulla recipiebant. Andegauenſes, hoc eſt, qui Andegauenſem factionem ſequuti erant, patrimoniis iamdudum exuti ſe in integrum, vt æquitas poſtulabat, reſtitutum iri ſperabant: Arragoniorum viciſſim poſſeſſiones fiſco adiudicandas, quod multorum annorum fructus, plurimóſque è ſuis Ferdinandi maioris crudelitate amiſiſſent, ſibi in præmium magna ex parte ceſſuras ſpondebant. At Briſſonneti, Verſij, Ganaiique auaritia perfectum eſt, vt Regio edicto Mariliano Arragoniæ factionis Comiti poſſeſſiones, quæ olim Andegauenſium fuerant, confirmarentur, quod ad cæteros etiam Arragonios eadem auaritia tranſlatum eſt; vt Andegauenſibus ne ad ſua quidem velut poſtliminio redire, ſed lege duntaxat agere, & iudicio recuperatorio contendere permiſſum ſit. Accedebat Gallorum præſertim equitum tam facili victoria potitorum aucta arrogantia, & in diuerſoriis capiendis tum Neapoli, tum in cæteris vrbibus impetus atque inſolentia, qui hoſpites quaſi captiuorum loco quodam modo habebant, vt quod de iiſdem deſiderium Neapolitani ante conceperant, in odium inexpiabile, odium autem in Arragonios conflatum in Ferdinandi commiſerationem viciſſim conuerteretur, cuius poſtrema oratione Neapolitanorum animi mirandum in modum commoti erant. Itaque eodem iam ardore Arragoniorum reditum quo paulò ante exilium ruinámque deſiderabant: iam Alphonſi arrogantiam iuſtam ſeueritatem vocabant, auaritiam neceſſitate excuſabant. hæc ſæpe eſt hominum leuium inconſtantia, vt præſentibus ſemper angantur, plus ſperent quam debeant; minùs tolerent, quam rerum neceſſitas exigat: & inter omneis Italiæ populos Neapolitani ingenij leuitate, nimióque rerum nouarum ſtudio notari ſolent: nec tamen plebis tributorum remiſſione delinitæ perinde ac virorum nobilium animi, qui rebus ſupra commemoratis maximè accendebantur,à Gallis abalienati erant: quibus ſi ex bono,& æquo ſatisfactum fuiſſet, regnum nimirum Carolo ſartum tectúmque conſeruatum fuiſſet. 19

Neapolitani rerum nouarum maximè ſtudioſi.

Intellecta fœderatorum aduerſum ſe conſpiratione Carolus anxius (neque enim tot, tantóſque principes antea ſimul coiiſſe quiſquam recordabatur) prudentiſſimos quoſque è ſuis ducibus in conſilium adhibuit.Illi ſtatim antequam fœderatorum vires vnà coirent, in Galliam redeundum cenſuerunt: celeritate nuper Florentinos, Senenſes, Alexandrum Pontificem, Arragonios anteuertiſſe, eadem nunc quoque recenteis hoſteis anteuertendos,præſertim quòd Maximilianus cum numeroſo Germanorũ exercitu in Italiam deſcendere diceretur: accerſendas è Gallia maiores copias, quæ & Aſtæ præſidio, & Regi in tempore auxilio eſſe poſſint, Sfortiámque de ſe tuendo potius, quam de aliis inuadendis cogitare cogant. Tentandum præterea num Alexandrum à cæteris di uellere, & impetrato regni Neapolitani diplomate ſibi adiungere Carolus poſſit, quod ille Romæ ſine vlla exceptione ſe conceſſurum promiſerat: deinde cum ea etiam exceptione, 20

qua

qua ius ſuum cuique integrum relinquebatur, concedere recuſarat: nec in tanta deliberatione omiſſa de Piſis, Piſaniſque arcibus mentio eſt, quas in ſua poteſtate Carolus retinere cupiebat; ne fœderati eaſdem inuaderent, timebat. Eò tranſmiſſi cum legatis Piſanis Galli ſexcenti pedites Ferreto præfecto, qui Piſas appulſi ſtipendiis acceptis Liberafactam, vnde Piſani Florentinorum metu nuper obſidionem ſoluerant, deintegro cum Piſanis profecti paucis diebus expugnarunt: quod Florentini Serchium fluuium, quem antiquis Anxerim fuiſſe putant, imbribus auctum tranſmittere nequirent, & via Lucenſi, quod à Piſanis Lucenſes ſtabant, ingredi haud auſi eſſent. Liberafactæ compotes Galli Piſanum agrum quaſi Florentinorum hoſtes populati ſunt: magna reditus non ſolum Caroli, ſed & Gallorum omnium animis cupiditas inſederat; ſed cupiditati facilitas non reſpondebat: neque enim tantus erat exercitus, vt commodè diuidi, & Carolo aduerſus ingenteis fœderatorum vires Aſtam deducendo, ac regno Neapolitano tuendo ſatis eſſe poſſet. Verumenimuero tantus modicis hiſce copiis inerat vigor, vt ſi maturo conſilio res adminiſtratæ fuiſſent, maioribus haud indigere videri potuiſſent. De numero relictarum, atque in Galliam reductarum non ſatis conſtat: quingentos cataphractos equites Gallos, paucos pedites, bis mille quingentos Heluetios relictos ſcribit Cominæus: ſi tamen duo poſteriores libri ſeptimus, atque octauus, vt inſcribuntur, ita Cominæi cenſeri debent (ſiquidem inter pleroſque de iiſdem multùm dubitari video) octingentos cataphractos equites Gallos (cum his autem vtrobique attributos more Gallico hippotoxotas intelligo) dimidiam cohortium Heluetiarum, aliquam Gallorum peditum partem numerat Guicciardinus, quibus quingentos cataphractos equites Italos addit Ioanne Rouereo vrbis præfecto, Proſpero, & Fabricio Columnis, atque Antonio Sabello ductoribus. His etiam Neapolitani Gallorum parteis ſequuti ſe iungere debebant, nonnulli quindecim tam equitum, quam peditum millia remanſiſſe prodiderunt, quod veriſimile omnino non videtur, plerique numerum incertum relinquunt: omnes non iuſtum regno conſeruando numerum relictum fatentur. Nec minor de iis quas ſecum Carolus reduxerit copiis dubitatio intercedit: quatuor vtriuſque armaturæ equitum millia, peditum octo, vt Italorum ignauiam, qui à tam paucis fuſi ſint, tegat, Gallorum contra gloriam obſcuret, numerum augens Paulus Iouius recenſet. Guicciardinus octingentos cataphractos equites Gallos cum ſuis hippotoxotis, centum Italos Ioanne Iacobo Trimultio ductore, ducentos prætorianos equites, quos ducentos viros nobiles vocant, tria peditum Heluetiorum millia, Vaſcones mille, totidem ex aliis Galliarum regionibus numerat: quibus Camillus Vitellius, atque eiuſdem fratres cum ducentis quinquaginta cataphractis Italis equitibus in Hetruria iungi debebant: ſed hi tardius incedentes commiſſæ ad Foronouum vel ad forum Nouij pugnæ non interfuerunt. Camillus ipſe curſoribus equis vſus interfuit: Guicciardino fere aſſentitur Cominæus, niſi quòd ille ſtipatores Regios, & quos penſionarios vocabant, viros nobiles vel omiſiſſe vel in cataphractorum equitum numerum inſeruiſſe mihi videtur. Hic enim in exercitu Caroli ad forum Nouij progreſſi, & iamiam pugnaturi ſeptem tam equitum quam peditum millia fuiſſe tradit, quem numerum etiam Gaguinus ſequutus eſt, quibus pueros armigeros, aut virorum nobilium famulos aliquando bis mille, alio loco mille quingentos addit. Et Petilianus Vrſinus nouem tam equitum, quam peditum millia, qui arma ferrent, & cum hoſte congredi poſſent, ſe numeraſſe teſtatus eſt. His ſi eos qui Senis, aut in Piſano agro remanſerunt ſtipatores regios, ac centum & viginti cataphractos equites Genuam poſtea miſſos adiungas, numerum vtrobique non admodum diſſimilem deprehendas: quamquam ille tria Heluetiorum millia, hic duntaxat bis mille quingentos numerat. Quod autem primo Neapolis ingreſſu Neapolitanæ arces nondum in ſuam poteſtatem venerant, & aliquot poſt diebus oppugnatæ ſunt, antequam inde migraret Carolus Regiam vrbem deintegro ſolemni pompa inire, & his ceremoniis regni Neapolitani quaſi poſſeſſionem adire decreuit, aſſumptis etiam Siculi, Hieroſolymitanique titulis.

Numerus copiarum Neapoli à Carolo in Gallias redeunte relictarum diſcutitur.

21 Pridie igitur Idus Maias Poggium Regale ſeceſſit: inde chlamydem Imperatoriam indutus, ac Carolus Cæſar Auguſtus ſalutatus conſcenſo equo progreſſus dextra rotundum pomum orbis ſymbolum ſiue notam ſiniſtra ſceptrum tenens Gallica, Neapolitanáque nobilitate comitante vrbem fauſtis acclamationibus vndique perſonantibus velut Orientis Imperator ingreſſus eſt, ac conuiuiis, equeſtribus ſpectaculis, aliiſque id genus oblectamentis operam dedit, quod Gallicæ leuitati, iuuenilique ambitioni Itali tribuerunt:

Carolus Cæſar Auguſtus ſalutatus.

Digitized by Google

buerunt: etenim & Maximilianum recenti æmulatione grauiter accendit, & tantis periculis imminentibus non vana ſpectacula, ſed res ſerias curare debuit. Ibi nobilitas pariter, ac plebs ſacramento nouis Regibus præſtari ſolito ſeſe obligauit: Neapolitanorum nomine orationem habuit Iouianus Pontanus homo doctus, ſed quod Alphonſi quondam præceptor, & ab Arragoniis in ſummo ſemper honore habitus vel ad emerendam Gallorum gratiam, vel vt diſerti oratoris officium impleret, vel quod ita res haberet, eoſdem acerbius dicendo perſtrinxiſſet, animi non ſatis grati ignominia notatus. adeo modum in rebus humanis ſeruare difficile eſt; quin ambitio, præmiorum ſpes, aut effrænata quædam alia cupiditas ægras virorum etiam prudentium mentes tranſuerſas agat! Biduo tamen in hanc celebritatem, lætitiámque inſumpto rebus Neapolitanis Carolus, vt tempus ferebat, conſuluit; & de reditu diligenter curam egit: Gilberto Momperſerij regulo ſummum imperium reliquit, eundémque Anna ſorore connitente, quæ Petro Borbonio Boiorum regulo ſuperioris patrueli nupſerat, pro Rege conſtituit. Is ſedem Neapoli delegit, Neapolitanis arcibus Rabaudangeus, Lauernadeúſque, præfuerunt: Calabriæ Aubignium equitum regni Neapolitani magiſtrum, Caietæ Stephanum Verſium (quem Nolæ regulum & ſummum cubiculariorum magiſtrum crearat) totiúſque regni ærario præfecit, plus homini tribuens, quàm eius natura, ſórſquè pateretur: Aquilanis Robertum Lenuncurtum Vitriacum Balliuum, cæteris Præcutinis Gratianum Guerram, Gargano Iulianum Lotharingum, quem eius montis regulum deſignarat: hunc noſtri hiſtorici rebus mathematicis, philoſophiæque, atque adeo Halcumiſticæ operam nauaſſe, montem, quem antea inacceſſum Delphinates vocabant, peruium reddidiſſe, atque illac Caroli exercitum traieciſſe ſcribunt. Tarento Georgium Suillium, Lucanis Franciſcum Alegrium Perſium, Manfredoniæ, quæ Sipontus olim fuit, Gabrielem Montfalconium, qui Regis expectationem, quam de illo magnam conceperat, prorſus fefellit: quum enim vrbem omni commeatu refertam accepiſſet, quarto obſidionis die penuria victus dedidit, Sparrum ſiue Leſparrum Salentinis, alios item aliis locis præfectos impoſuit: Salernitanum principem, quem nuper in integrum reſtituerat, Amyraliúmque, hoc eſt, maris præfectum renuntiarat, Biſſinianum eius fratrem, Proſperum autem, Fabriciúmque Columnas eximiis præter cæteros Italos præmiis affecerat. Illi in fide perſtiterunt: at Columnæ magnis poſſeſſionibus ditati (triginta enim arceis cum agris adiacentibus, aut etiam plures, atque vrbes nonnullas acceperant) antequam è regno Carolus excederet, cum Arragoniis de reconciliatione clam agere cœperunt, & priuſquam ille Aſtam perueniret, nulla iniuria laceſſiti, nec vllam defectionis cauſam, niſi Gibellinam factionem prætendentes, ſe Arragoniis adiunxerunt, atque immortalem perfidiæ notam familiæ ſuæ inuſtam poſteris reliquerunt. Exiguus erat ad recens partum regnum tuendum numerus, nec pecunia in ſtipendium ſatis inſtructus: eam enim duntaxat, quæ ex ipſo regno cogebatur, Carolus reliquit: magna breui, iuſtáque auxilia ſe miſſurum promiſit, ſed promiſſo non ſtetit: & interim dum reditum parat, Ferdinandus minor Hiſpanis, qui ſexcenti equites Conſaluo duce, pedites ad quinque millia nuper in Siciliam traiecerant, aſſumptis in Calabriam appulit: ad cuius famam multis (ea eſt illorum populorum inconſtantia) vndique confluentibus eidem ſe continuo Rhegini dediderunt, arx ſemper in Arragoniorum fide permanſerat: tametſi alij aliter tradunt.

Dux Mõpenſerius Neapoli pro Rege conſtitutus.

Sub id quoque tempus claſſis Veneta præfecto Antonio Grimano viro magnæ apud ſuos authoritatis circa Appuliæ littora conſpecta eſt, de qua mox fuſius loquemur: & Ænaria, Liparáque inſulæ, quæ ſemper Neapolitanis Regibus paruerant, Brunduſium, Villanoua, Gallipolis, Mantia, ac Turpia Arragonium nomen ſequebantur. Itaque in tanto tumultu pecuniæ ex paucis regionibus cogendæ vix ſpes erat: Carolus nihilominus reuertendi cupiditate, aut potius neceſſitate victus reditum haud retardabat; quin decimotertio Kalend. Iunias Neapoli profectus Romam iter inſtituit: at Pontifex longè ante de eius reditu certior factus auxilia à Venetis, Sfortiáque, vt vrbem tueretur, poſtularat. Illi equites leuis armaturæ mille, peditum duo millia iamdudum miſerant, mille præterea cataphractos equites ſe miſſuros promiſerant: deinde conſilio mutato, partim quod nondum fœderatorum copiæ coierant, partim quod Aſtam nonnullæ deductę erant, tum quod Alexandri inconſtantiã vererentur, qui paulò ante Ferdinandum in vrbem intromiſſum, inde excedere iuſſerat, vt ſe in loca tuta reciperet, nec tantum diſcrimen incautus adiret, ſuaſerunt: Carolum, etiam ſi vrbe potiatur, eandem ſine præſidio 22

ſidio

ſidio relicturum, nec quicquam de tam exiguo ſuo exercitu diſtracturum; ac promiſſos mille cataphractos equites retinuerunt. Hinc Alexander ſe à fœderatis deſertum quodam modo reputans, de reconciliando ſibi Carolo cogitauit: ſed tandem ſuperante metu, ac ſuſpicione, quod datam Regi fidem toties fefelliſſet, biduo antequam Romam Carolus appelleret, ducentis grauis, leuis armaturæ mille equitibus, peditum tribus millibus comitantibus, Orbitum (vrbem veterem vocat Bembus) inde Peruſiam conceſſit; Venetias, aut Patauium, ſi Carolus inſequeretur, petiturus. Quamquam autem iuſtis de cauſis Alexandro ſuccenſebat Carolus, Centumcellanam tamen, Auxuritanámque arceis ſponte Pontificiis reſtituit: Oſtienſem, donec ex Italia excederet, retinuit. Aſtam reuerſus Cardinali Rouereo Oſtienſi Pontifici reddidit: Romam Kal. Iunij appulſus vota in Petri æde ſoluit, & tertio nonas inſtitutum iter perſequutus Romanum agrum pacato agmine tranſmiſit, niſi quod Tuſcanellam, Gallos recipere recuſantem Matthæus Borbonius nothus, aut Iacobus Lotharingus Guizanus regulus (vt alij tradunt) primi tum agminis ductor adortus, vi cepit: nec milites, quin captam, cæteríſque exemplo futuram diriperent, continere potuit. Senis ſubſtitit Carolus, ac ſex totos dies egit: nec ea mora, quum, ne itineribus intercluſus reditu prohiberetur, accelerandum eſſet, magnopere profecit. An Florentinis Piſæ, Piſanæque redderentur arces, conſultatum eſt, Serezana, ac Petraſancta retentis; quarum potiendarum Genuenſes cupidos ad ſe Carolus pertraheret. Triginta nummûm aureorum millia pactæ iam pecuniæ, ſed nondum perſolutæ, ſeptuaginta inſuper ſe mutuo daturos Florentini, vt eaſdem reciperent, trecentos præterea cataphractos equites ductore Franciſco Sicco viro militari, ac duo peditum millia, qui Carolum Aſtam vſque comitarentur, offerebant: Liburnum etiam Cominæus, donec Aſtam Carolus perueniſſet, retinendum cenſuit. Viri prudentes oblatas à Florentinis conditiones accipiendas ſuadebant: totam Italiam aduerſus Carolum inſurrexiſſe, Maximilianum cum Germanis expectari, in his rerum anguſtiis Florentinorum auxilia haud contemnenda: pecuniam autem non ſolum in militum ſtipendium ſatis eſſe, ſed & vnde ex hoſtibus non pauci ad Gallos pertrahantur, ſuperfore.

Tuſcanella vi à Gallis capta & direpta.

23 Contra Lignius Caroli conſobrinus, quod initio Florentini Briſſonneto Cardinale ſuæ legationis fautore ſe quaſi neglecto vſi eſſent ægrè ferens, nulla tamen adductus ratione, niſi quod ſe Piſanorum miſericordia commoueri diceret, ac Franciſcus Halluinus Piennus Regi in primis charus, tum vero Piſarum principatum ambiens bonorum ſententiam aulicis cauillationibus eluſerunt, & Gallicum exercitum numero tam exiguum vniuerſis Italorum copiis ſimul iunctis ſuperiorem fore iactarunt: temeraria enim Gallorum, qui fere omnes adoleſcentes erant, inſolentia Italos pro nihilo ducebat: nec ſibi in acie occurſuros exiſtimabat. Itaque Venetiis nuper reuerſum Cominæum rediens Carolus rogauit, num Veneti ſibi obuiam prodirent: Ille quadraginta tam equitum quam peditum millia Venetis, Sfortiæque in armis eſſe Senatum Venetum ſibi confirmaſſe reſpondit, non vt Regem aggrediantur, ſed vt ſua inuicem tueantur, equitum præfectos, peditúmque magna ex parte nominauit: Germanicis præterea copiis coactis Maximilianum breui in Italiam deſcenſurum crebro rumore diuulgari. Verum pauci ex Gallis hiſce fidem adhibebant, & ſolita vanitate nihil profuturis deliberationibus tempus inaniter terebant. Secundum Piſanas de rebus Senenſibus deliberationem authore Lignio Galterus Tinteuilla introduxit: vrbs in quatuor claſſes, ſiue ordines diuiſa erat, aut (vt verius dicam) factiones, ita enim à ſe inuicem diſſentiebant, vt ſub vano libertatis nomine grauiorem ſeruitute Reip. adminiſtrandæ rationem quodammodo tolerarent. Maior pars à Rege præfectum poſtulauit, qui Gallicæ cohortis præſidio inſtructus pulſis Montenouanis ius ex æquo omnibus diceret. Primus ſententiam rogatus Philippus Cominæus rerum Italicarum periti ſſimus inanes huiuſmodi deliberationes de rebus vix in paucos dies eodem in ſtatu permanſuris reiiciendas cenſuit: Regi tam paucis comitato tot imminere hoſteis, qui redeuntis itinera obſeruẽt; vt ſe ex hiſce explicet, potius videndum: Senas præterea Germanico Imperio obnoxias eſſe, quicum Gallis Regibus ſacroſancta fœdera intercedant, vnde & Germaniã aduerſum ſe nulla emolumenti propoſita ſpe Carolus irritet, cæteri in eam ſententiã penitus ierunt. At Lignij, qui Senarum principatum ambiebat, importunitate perfectum eſt, vt certis cõditionibus Senenſes Carolus in fidem, clientelámque reciperet, réſque eorũ tuendas, Mompulciano excepto (de cuius cõtrouerſia Florentinis, Senenſibúſque liberã diſceptationem reliquit) ſuſciperet: multorũ enim Regum, principúmque more non tam bona virorũ experientium ſæpenumero, quàm vana familia-

Cominæi reſponſum Carolo datũ à Gallis proceribus temerè eluſum.

Digitized by Google

rium, atque intimorum ſuorum conſilia ſequebatur. Senenſes Lignium (tametſi id in ſtæ clientelæ libello non continebatur) præfectum Rege aſſentiente delegerunt: eidem viginti quotannis nummûm aureorum millia promiſerunt, addita conditione, vt legatum cum trecentorum peditum cohorte Senis relinqueret, quæ in foro, publicáque area cuſtodias ageret: ſed paucis poſt diebus Montenouanis pulſa cohorte Gallica in priſtinum locum redeuntibus ciuitas in Pandolphi Petrucij ditionem recidit.

Interim de Nouaria à Ludouico Aureliano capta Carolus fit certior: itaque de maturanda profectione ſtatim cogitauit, ſiquid enim aduerſus Sfortiam moliretur, hoſteis ſe Veneti fore declararant, & iam ingenteis copias paratas habebant. Aurelianus autem, qui Aſtæ remanſerat, de Italorum cum Maximiliano Imper. Hiſpanóque Ferdinando ſocietate inita à Philippo Cominæo apud Venetos Regio legato admonitus, vrbem munierat: è Gallia recentes milites acceſſiuerat, ac iam trecentos cataphractos equites peditum Vaſconum tria, Heluetiorum totidem millia in caſtris habebat: & quamquam, ne quid noui moliretur, ſed redeunti cum exercitu obuiam iret, à Carolo mandatum acceperat, tamen Opicinis, Manfredóque Torniello Nouariam dedere pollicentibus, qui propter aduerſos aquæ ductus, poſſeſſionéſque iniquis iudiciis ablatas Ludouico Sfortiæ infenſi erant, recuperandæ Mediolanenſis ditionis, quam hæreditario iure ſibi vendicabat, cupiditate accenſus occaſione non incommoda fortaſſe vſus eſt, ſi quidem eâ prudenter vſus fuiſſet: nam & Mediolanenſes rerum nouarum cupidos excitauit, maiorem Sfortiani exercitus partem in ſe conuertit, Venetos Carolo occurrentes infirmiores reddidit: Veneti enim Regij exercitus paucitate contempta Sfortiam copias ſuas, quas in Parmenſem agrum miſerat, reuocare facilè patiebantur, & quaſi certam ſibi victoriam ſpondentes omnem gloriam, tot nobiles captiuos, atque inter hos tanti nominis Regem immenſa ſpolia ſoli auferre cupiebant. Vercellis itaque profectum Aurelianum, cui comes aderat Ludouicus Salaſſorum regulus, & ſatis numeroſam montanorum manum ſecum adduxerat, coniurati ſine vllo conflictu in vrbem introduxerunt: arx quinto, vel tertio (vt alij tradunt) poſt die dedita eſt. Interim Galeatio Seuerinati exercitus Vigeuenum traducendi, Sfortiæ augendi ſpatium datum eſt: ingreſſus Nouariam Aurelianus partem equitatus ſtatim Vigeuenum miſerat; Mediolanenſes ob iniquas tributorum indictiones Sfortiæ infeſti Aurelianum in vrbem ſe admiſſuros pollicebantur, & aliquot è liberis ſuis obſides daturos offerebant. Sed tantam, támque repentinam mutationem fore veriſimile non erat; nec fides pollicentibus habita eſt, & copias diuidere nondum Nouariana arce dedita haud tutum videbatur: quamquam poſt deditam arcem Aurelianum ad Trecatum caſtrametatum Mediolanenſes conueniſſe alij ſcribunt: recepta arce Aurelianus ad Vigeueni muros vſque contendit: parúmque abfuit, quin relicta vrbe fugam Seuerinas capeſſeret: id ſi accidiſſet, magnus hauddubiè Mediolani tumultus coortus fuiſſet. Pugnandi poteſtate facta, hoſtibúſque ſe in vrbe continentibus, nec prodire auſis Trecatum retroceſſit: at Ludouicus in rebus proſperis inſolentiſſimus idem in aduerſis timidiſſimus, atque abiectiſſimus (vt inſolentia, atque timiditas ſimul magna ex parte, in eodémque ingenio ſedem habere ſolent) qui paulo ante inani iactantia Aureliano ne ſe in poſterum Mediolani Ducem inſcriberet, euocatas è Gallia copias redire iuberet, Gallos Aſta educeret, vrbem Galeatio Seuerinati traderet, denuntiarat, quod Galeatio in Regiæ equitum ſocietatis, quæ Michaëlis dicitur, numerum admiſſo non ſecus atque illi Carolus fidem adhibere deberet, fœderatorúmque ingenteis copias vana oſtentatione commemorans generoſum principem perterrere conatus erat; tum de Nouaria capta certior factus teſtes degeneris animi lachrimas haud continuit, animóque perculſus, ac vix ſui compos ſtatim ex arce cum paucis ex familiaribus ad Hieronymi Leonis legati Veneti diuerſorium deſcendit: hominem demiſsè obſecrauit, vt Senatum Venetum inopinati tanti ſui caſus admoneret, non ſolum Inſubres, ſed & omneis Italos in extremũ diſcrimen adductos. Ita fato quodam ad Gallos omnia transferri; niſi ſumma celeritate occurratur, de Italiæ libertate actum eſſe: in ſolis Venetis, qui & opibus, & conſilio præſtent, ſitum eſſe, vt patriam ab immani barbaræ gentis ſeruitute vindicent: ſi ſibi in tempore adſint, ſe perpetuo illorum clientem fore perſanctè iurauit, eadem timiditate inductus nouas tributorum indictiones ſuſtulit. Igitur Parmenſes eiuſdem copiæ reuocatæ, miſſique à Venetis quadringenti Epirotæ (ſexcẽtos numerat Iouius) leuis armaturæ equites ſe Galeatio iunxerunt: res Mediolanenſis aucta ſuperior videbatur, nã & Germani mille equites ductore Federico Capellari Feretano, peditum duo millia acceſſerant:

Aurelianus recuperandæ Mediolanēſis ditionis occaſione ſibi oblata vti neſcit.

Veneti Nouaria à Gallis capta auxiliares copias Galeatio iungunt.

24

Digitized by Google

acceſſerant: hinc Vigeuenum deintegro miſſi quingenti Galli equites multis è ſuis cæſis repulſi ſunt.

25 Paulò ante Ticinenſes deditionem pollicentes Aurelianum accerſiuerant: is iuuenis adhuc, & duces rerum haud experienteis nec inter ſe conſentienteis nactus bonam occaſionem non ſecus ac Mediolanenſem perdidit. Retrocedentem Aurelianum inſequutus Seuerinas prælio decernere tentauit: Galli de Rege ſolliciti, à quo nullum nuntium acceperant, quanquam viribus præſtare ferebantur, incertam pugnæ aleam experiri noluerunt: ſiquid enim aduerſi accidiſſet, Regi plane reditus interclуſus fuiſſet. Ita ſe Nouariam paulatim receperunt, nec de conſeruando, quem repererant, commeatu, augendóue admodum laborarunt. Fertilis ager nullo impendio magnam non ſolùm tritici, ſed & pecoris, & omnium quæ ad victum pertinent, copiam ſufficere poterat: vnde vel vberem in vrbem importare, vel iuſto præſidio impoſito Regi obuiam cum cæteris copiis procedere, vel in Vercellenſem amici Sabaudi reguli agrum, Aſtámue contendere Aurelianus debuit. Hæc negligenter prouiſa vrbis paulo poſt dedendæ cauſam præbuerunt: hoſtes ad Nouariam vix milliari interiecto caſtra poſuerunt, & foſſa, vallo, aggere diligenter munierunt, atque omneis aditus, nequid in Vrbem importaretur, magnis præſidiis obſederunt. Septimo quam appulerat die Carolus Senis profectus relicta ad dextram Florentia Poggibuzium petiit, nonnulla de Florentinis, quod Petrum Medicem in comitatu haberet, ſuſpicione concepta. Hic Regem Hieronymus Sauonarola conuenit, vt ſuæ fidei commiſſas Piſas, Piſanáſque arceis Florentinis redderet hortatus, quemadmodum ſacroſancto iureiurando ſeſe Rex deuinxerat, minas diuini numinis vltoris peierantem grauiſſime mulctaturi addidit: quod quidam ad Delphini mortem, quæ non ita multò poſt conſequuta eſt, retulerunt: hunc enim (vt iam ſcripſi) quaſi diuinum quendam vatem non pauci coluerunt. Carolus de his ſe Piſis acturum reſpondit, eóque Florentinos legatos progredi iuſſit: Piſas appulſum Carolum Piſani viri, fœminæ, pueri, puellæque magno eiulatu adierunt, obſecrantes ne ſe rurſus in Florentinorum tyrannidem retruderet: eius promiſſis fretos, quod ciuitatem liberam eſſe iuſſiſſet, irreconciliabilem Florentinorum indignationem in ſe accendiſſe, alioqui grauem licet ſeruitutem quoquo animo toleraturos: nunc patriæ vaſtationem, Piſanorúmque omnium internecionem aut ſaltem miſeranda ſupplicia inſtare, ſi quidem dominis iratis, atque immanibus, Piſanos inani libertatis ſpe inductos Rex promiſſorum violator cruciandos præbeat. Nec verò Regem duntaxat, viróſque primarios, ſed & gregarios milites Gallos pariter, atque Heluetios Piſani ſinguli cum familiis hoſpites ſuos obnixè obſecrantes, ſuis querimoniis ita accenderunt, vt paucis exceptis omnes propemodum illorum non ſecus ac propinquorum miſericordia commoti, ſuæ vero ſalutis obliti condonatam libertatem re confirmandam clamitarent. Re itaque deintegro in conſultationem deducta, quum viri prudentiores ictum horrendis deuotionibus cum Florentinis fœdus, fideicommiſſas non condonatas arceis, imminens pugnæ diſcrimen obiicerent, cui auertendo Florentina auxilia non exigui momenti eſſent, contra Piſanis libertatem non Regem in conſilio promiſiſſe, ſed vrbem perambulando non intellectis poſtulatis forteſortuna annuiſſe, longè diuerſam eſſe promiſſi vtriuſque rationem. Plus tamen miſerabilis Piſanorum comploratio, quam vel data fides ſacramento ſanctiore confirmata, vel prope inſtantis pugnæ dura conditio, ac periculum commune potuit. Et vero Lignio, qui princeps Piſanorum cauſam defendendam ſuſceperat, ſuæ non deerant rationes: non Florentinos publico, ſed Petrum Medicem priuato conſilio Piſas, vicinaſque arceis, ac portum Liburnicum in Caroli ditionem tradidiſſe, quem aduerſus tantas vires tueri deſperaret. Hinc communi Florentinorum conſenſu cum tota familia vrbe pulſum, nec hactenus reuocatum: fœdus paucorum, quibus Regis edicta, fœderáque omnia venalia ſint, auaritia, ac fraude conceptum: Piſanas arceis, portúmque parata eſſe Gallis Neapolim tranſmittentibus diuerſoria. Si res Genuenſis proſperè cedat, vti veriſimile eſt, à Maſſilia Neapolim vſque aperta maria omnia fore, & in Caroli opportunos quoſque portus tenentis poteſtatem ventura. Quid ſi reditus intercludatur, aut ſiquid aduerſi (vt incerta eſt præliorum alea) accidat, nonne commodum Piſæ Carolo exhibebunt receptum? Florentinorum non ſanctiora eſſe, quam cæterorum Italorum promiſſa, omneis fidem vtilitate metiri, Gallos autem irreconciliabili odio inſectari, Alexander Pontifex, Veneti, Sfortia docuerunt: vbi arcium compotes erunt, ſe cum cæteris Italis conſociabunt, vti belli huius initio factitarunt.

Quid conſilij Carolo à Sauonarola datum.

Salezatiorum natu maior viris nobilibus prætorianæ turmæ circiter quinquaginta comitantibus Regem ſociorum nomine orauit, vt Gallici decoris, Regiæque maieſtatis memor, ac conſentientibus ſuorum omnium equitum pariter, ac peditum, qui pro Rege vitam profundere parati erant, & ſinceriora, quam pauci Florentinorum pecunia corrupti conſilia dabant, precibus exoratus datam Piſanis libertatem ne reuocaret; néue in tam ignominioſam deliberationem conficiendæ in militum ſtipendium pecuniæ ſpecie delaberetur, ſtipendia potius, penſionéſque retineret; quin & torques aureos ab omnibus ſponte tradituris acciperet, Gallicæ exiſtimationi concordíque militum voluntati ſatisfacturus. Is autem totius exercitus impetus fuit (eo enim omnes vno conſenſu incumbebant) vt ex hippotoxotis neſcio quis Briſſonneto Cardinali grauiter minaretur, Gienſem Mareſchallum viri ſummæ authoritatis ſuperba duráque oratione increparent, Ganaius Regij ſigilli magiſter triduo ſe domi contineret, nec prodire certi periculi metu perterrefactus auderet. Gliſcente in dies contentione Rex veris ſe daret incertus Piſanis ſe promiſſam libertatem haud reuocaturum ſpopondit: Florentinos legatos Aſtam petere iuſſit, quæ tum iuſtis de cauſis præſtare non poſſet, illic commodiore occaſione conceſſurus. His ita pertractatis Piſanæ arci mutato præſidio Carolus Robertum Entraguium hominem malè moratum Aureliani domeſticum Lignio ſuadente præfecit: Petraſanctam deinde, Motronum, Liberafactam hominis importunitate victus addidit. Serezanæ arci nothum Roſſium Lignij conſobrini ſui domeſticum, Serezanellæ item alium eiuſdem Lignij domeſticum præfectum impoſuit, multóſque præſertim pedites in hiſce præſidiis reliquit; & tot Piſis, quot Senis dies fruſtra commoratus Lucam, inde Petraſanctam, cui Entraguium præfecerat, contendit. Non procul aberat, quem Ceruæ ſaltum vocant, locus propter anguſtias copiis traiiciendis perincommodus: excipiebat deinceps inter rupem exciſam, maritimáſque paludes erectus agger, quem ſi pedites pauci cum vno, aut altero tormento bellico inſediſſent, haud dubium quin aditum prorſus intercluſiſſent. Sed nondum fœderati coierant, nec Carolum Apennini Alpeis tranſmiſſurum, verum exercitus parte Piſis relicta claſſe cum cæteris in Galliam traiecturum; aut via, quæ Vaudetarum vicum ducit monte Cencrucio (ſic enim vulgo appellant) ſuperato in Dertonenſem agrum, vt Aureliano iungeretur, iter flexurum ſibi perſuadebant: neque enim eo temeritatis, vt exiguum ſuum exercitum tam multis obiiceret, proceſſurum exiſtimabant. Vbi Serezanam appulit, Rouereus, ac Fregoſius Cardinales, Hybletus Fliſcus, aliíque Genuenſes exules de tentanda Genua ſermonem intulerunt: res in conſilio agitata, omnes huiuſmodi deliberationem id temporis prorſus alienam iudicarunt: pugna enim aduerſus tam multos hoſteis inſtante exiguas copias nullo modo minuendas. Quod ſi ſuperior Carolus euadat, Genuam ſponte acceſſuram; ſin (quod Deus omen auertat) inferior diſcedat, Genua haud opus fore cenſebant.

Carolus vehemẽter angitur quomodo Piſanis & Florentinis ſatisfaciat.

At Caroli nihilominus immenſa Genuæ recipiendæ cupiditas, ac Genuenſium exu- 27
lum ſibi nimiùm multa pollicentium, præſertim vero Cardinalis Rouerei verbis, geſtu, promiſſis inanibus confirmatæ ſuaſiones tantum potuerunt, vt Philippum Breſſanum Comitem, qui poſtea fratris filio morte ſublato Allobrogum regulus fuit, Belmontium, Poligniacum, Hugonem Ambaſianum Aubeium cum centum & viginti cataphractis equitibus, ac quingentis peditibus, qui nuper è Gallia in Italiam traiecerant, illuc Carolus mitteret: quibus Vitellij ducenti grauis, ac totidem leuis armaturæ equites Gallicis ſtipendiis authorati, quod Carolum iam multùm progreſſum aſſequi non poterant, alij item Genuenſes exules, accerſitique à Breſſano montani Allobroges iungerentur: claſſis quoque Gallica præfecto Miolanio (ea ad ſeptem triremes, duos myoparones, ac totidem parua nauigiola redacta erat) oram Liguſticam legere, & pedeſtribus copiis adeſſe iuſſa eſt. Interea primum agmen Gienſi duce, cui Iacobus Chabaneus Palicianus, Triuultiúſque adiuncti erant, Pontremulum appulit. Ciues Triuultij omnia pacata, & amica pollicentis oratione perſuaſi trecentis præſidiariis militibus dimiſſis Gallos receperunt: at Heluetij, quod ex eorum cohortibus circiter quadraginta, dum regnum Neapolitanum peterent, orta ibi ſeditione cæſi fuiſſent, magno impetu vrbem inuadentes ducibus nequicquam reuocantibus diripuerunt, cædibus, incendiiſque vaſtarunt, immanem quaſi de hoſtibus vltionem ſumpſerunt, rem indigniſſimam patrantes; vel quod fidem datam feſellerint, vel quod abundantes commeatus, quibus exercitus maximè indigebat, cineribus, ruiníſque mixtos conſumpſerint.

Sed

Digitized by Google

Sed iidem mox pœnitentia ducti, quod tantum facinus admiſiſſent, Regi iamiam Apennini iuga conſcenſuro modo veniam indulgeret, machinas bellicas (hæ quatuordecim ingentis magnitudinis, vt minores omittam, fuerunt) ſuis humeris per confragoſos calles ad ſumma faſtigia tracturos, atque inde in planitiem demiſſuros ſponte promiſerunt; quas bini funibus copulati, & quot opus erat eidem machinæ attributi longo ordine traxerunt, & admirandas itinerum difficultates magna corporis, animíque vi, atque alacritate ſuperarunt, pilas ferreas equites ſinguli ſingulas quinquaginta pondo tulerunt. Sed triduò ante Gienſis præceſſerat, & ad Foronouum caſtra metatus caduceatorem ad Franciſcum Gonzagam Mantuanum regulum, qui Venetis, Calatinúmque, qui Sfortianis præerat, vt Regi liberè in Galliam redire liceret, poſtulans miſerat. Hi ad Glareolam vicum (Gerulam vocat Bembus) tertio à Foronouo milliari caſtra habebant: necdum vniuerſi coierant, & an ad Foronouum, vel Nouij forum (vti alij legere malunt) progrederentur conſultantes, vt Gallos in planitiem attraherent, ſubſtiterant facile enim eoſdem tranſitu prohibuiſſent: ſed in confragoſis Apennini tramitibus hoſtes aggredi, ne in Piſanum agrum redeuntes claſſe in Galliam traiicerent, diſtulerant. In plana pertractos, & à tanta multitudine circumuentos vniuerſos ſibi prædæ fore ſperabant: at Deo aliter prouidente hoſtibus ipſi prædæ fuerunt, & dignas ſua auaritia pœnas dederunt. Miſerat & quadraginta equites Gienſis hoſtium caſtra ſpeculaturos, qui ab Epirotis leuis armaturæ equitibus ſtrenuè excepti, atque in fugam verſi vno, aut altero, aut ſummum quatuor deſideratis in ſua caſtra reuerterunt: minor machina, quem vulgo falconem vocant, è Gienſis caſtris exonerata equum Epirotæ perfodit totámque eam alam perterrefactam ad caſtra Italica redire compulit. Cæſorum capita amputata, lanceiſque præfixa Epirotæ ad ſuos duces Turcarum more retulerunt, quem morem Baiazetis pater Mahometes aduerſum Venetos bellum gerens inuexerat, captiuum enim neminem duci ſinebat; pro cæſorum capitibus ſingulis ſingulos nummos aureos rependebat. Hunc imitati Veneti Gallos perterrefacere conati ſunt: nondum enim Epirotarum bellandi rationem Galli nouerant, qui equis celerrimis inſidentes Gallos confertos aggredi non audebant; laceſſentes diſtrahere tentabant, diſtractos multi paucos circumſiſtentes vel acinace, vel ferrea claua facile cædebant. Epirotæ viciſſim ſclopetorum, bombardarúmque fragorem antea inauditum reformidantes ad quemuis earundem ſonitum fugam capeſſebant: hoſtium multitudinem, cuius iam longè, latéque per ómneis Italiæ regiones rumor emanarat, ex tentoriis, papilionibúſque coniiciens Gienſis, ſuorum contra paucitatem metiens (centum enim ac ſexaginta duntaxat cataphractos equites cum ſuis hippotoxotis, & octingentos Heluetios in caſtris habebat) in montana relicto Foronouo receſſit; locúmque arduum, ac ſatis difficilem caſtris delegit, Regem interim admonens quanto in diſcrimine à cæteris ſeparatus hæreret.

Epirotarum bellandi ratio.

28 Hancium Heluetium centurionem captiuum Epirotæ abduxerant: hic à Calatino, qui diu in caſtris Gallicis militauerat, agnitus, & à Mantuano de primi agminis numero interrogatus prudenter reſpondit, & numerum augens trecentos cataphractos equites mille quingentos Heluetios in caſtris Gienſis eſſe dixit: falsò id illum aſſerere ſubiecit Calatinus, tria dumtaxat cum Carolo militare Heluetiorum millia, non veriſimile eſſe dimidiam partem primo agmini attributam. Sed Mantuanus Heluetium vera proloqui, & primum agmen cæteris firmius ex induſtria inſtitutum exiſtimauit: & à prælio faciendo abſtinere decreuit caſtra Gallica in loco natura munito conſiſtere, Italos pedites cum Heluetiis haud conferendos, nondum copias Italicas vniuerſas conueniſſe. Si hoſteis aggrediantur, & aliquid infœliciter cedat (vt incerta eſt præliorum alea) Senatum Venetum præcipitem temeritatem damnaturum: abſenteis, qui nondum in caſtra coierint, (permulti autem qui in itinere erant, triduo proximo coierunt) ſui rationem non habitam conqueſturos: dum Galli in planitiem deſcenderint, expectandum, aliud iter inſtituere iam non poſſe: prælij faciundi ſibi ſemper integram fore optionem. In eam ſententiam legati Veneti conceſſerunt, Gallos vt paulò ante ſcripſi Apennino ſuperato in Parmenſem agrum prodituros nunquam fœderati ſibi perſuadere poterant: verùm aut claſſe in Galliam reuerſuros, aut relictis tormentis bellicis, vitatiſque fœderatorum copiis clam per Derthonenſem agrum Aſtam ad Aurelianum elapſuros. Hinc magnos de ſe ſpiritus ſumpſerant, certámque de victoria ſpem conceperant: at vero vbi Regia via Carolum incedere, rectáque Foronouum contendere certiores facti ſunt, erectos

Hancij Heluetij centurionis apud Epirotas captiui prudēs reſponſum.

Digitized by Google

erectos antea vel ducum monitis, vel hoſtium paucitate animos multum demiſerunt, & quantum Galli equites omnibus cæterarum gentium equitibus, quantum Heluetij peditibus Italis præſtarent, reputantes, gentis præterea audaciam admirantes, quæ numero tantula cum tam multis congreſſura caſtris caſtra conferret, nec pugnam dilatura videretur, de priſtino vigore plurimum remiſerunt. Nec ſolum milites diffidere quodam modo cœperant, ſed & duces perculſi quidnam Gienſis tubicini liberum tranſitum poſtulanti reſponderent, incertum habebant. Hinc totius Italiæ libertatem fortunæ permittere, incertámque pugnæ aleam ſubire, quum nihil vrgeret, durum admodum, ac temerarium videbatur, qua victor Gallus, ſi rectè victoria vteretur, Italiæ imperium haud dubiè ſibi vindicaret. Inde grauis, Italicóque nomini perpetuò inhæſura ignominia commouebat, ſi longè numero ſuperiores Itali (ſiquidem ad triginta quinque millia, qui ſtipendia facerent, vt voluntarios milites, virorúmque illuſtrium comites, pueros armigeros, atque aſſeclas omittam, qui ad quinque millia peruenire poterant) in armis eſſe ferebantur: tam exiguas Gallorum copias inſoleſcentes ſeſe oſtentare, præter caſtra ſuperbos incedere, ſibi velut ignauiam improperare paterentur: ſeptem enim equitum, peditumque millia duntaxat Regio ſtipendio donata numerabantur; voluntarij, virorúmque nobilium comites, ac pueri armigeri vix bis mille erant. Hic autem in vtriuſque exercitus numero Cominæum, qui prælio interfuit, ſequuti ſumus, à quo non multum Guicciardinus diſſentit: cæteri Itali ſcriptores vt quæ ſupra ſcripſi, repetam, noſtrorum numerum augent, ſuorum imminuunt, ne à maioribus ſuis adeo degeneraſſe, tantámque ignominiam ſubiiſſe videantur. Igitur Mantuanus adoleſcens gloriæ præter cæteros cupidus, nec rerum experiens, prælium depoſcebat: Mantuani patruus Rodolphus Gonzaga in Caroli Burgundionis familia educatus, ac rerum Gallicarum gnarus hoſti recedenti intercludendum reditum non putabat: quin potius pontem aureum, vt prouerbio fertur, argenteúmue, faciendum ſuadebat, ne neceſſitate in deſperationem verſa multo ſeſe temere opponentium ſanguine viam ſibi ſterneret.

Variæ fœderatorum ſententiæ de intercludendo Caroli in Galliam reditu.

Ducum ſententiis inter ſe variantibus rem ad Ludouicum Sfortiam, fœderatorúmque legatos, qui tum Mediolani agebant, referendam cenſuerunt. Illi omnes Hiſpano excepto Gallos haud laceſſendos eſſe pronuntiarunt: Ferdinandi enim legatus, qui nullo Regum ſuorum diſcrimine fortunæ periculum fieri ſummopere cupiebat, ne tam bona delendi Gallici exercitus occaſio amitteretur, magna contentione inſtitit: Carolum ſi ſaluo, integróque exercitu euaſerit, Nouaria recens potitum regni ampli, opulentíque compotem, Allobroges, Heluetióſque, vnde tantum, quantum volet, ſtrenuorum militum peditatum educet, ſocios nactum maiore animo in Mediolanenſem ditionem, cæterámque Galliam Tranſalpinam inuaſurum, ac deinceps in reliquam Italiam, quam latitudine anguſtam, longitudine multum explicatam, ab vtroque limite hinc Inſubribus, inde regno Neapolitano concluſam, conſtrictam tenebit, irrupturum. Quod ſi Itali Gallos ſibi nullo modo pares adoriri, vel nolint, vel non audeant, alia ſuis Regibus conſilia capienda, alios ſocios quærendos: nec hi quidem, tametſi in priore ſententia perſeuerabant, quicquam definire voluerunt: rem integram ad Senatum Venetum, ſed fruſtra, detulerunt. Nam Mantuanus, Calatinus, cæteríque duces præcipitem eſſe occaſionem, vix Mediolano ſe in tempore reſponſa ablaturos, ſempiternam Italico militi ignominiæ notam, ſi tam paucis cederent, inuſtum iri animo reputantes, Gallicum tubicinem ſine reſponſione dimiſerunt; & Venetis legatis, ſine quorum authoritate nihil gerebatur, aſſentientibus præſertim Melchiore Treuiſano, nam Lucas Piſanus leuiter initio repugnarat, ſe ad Gallos inuadendos compararunt. Tertio nonas Iulias Carolus ex Apennino deſcendere, & apertam Galliæ Tranſalpinæ planitiem, campóſque fertiles deſpectare occœpit: gaudebant milites graui nuper in deſertis iugis penuria oppreſſi, & regionis peragrandæ vbertate læti fame adhuc vrgente properabant. Sed & hoſtium caſtra contemplati innumeris tentoriis, papilionibúſque diſtincta, atque ingentis vrbis ſpeciem referentia, paucitatis ſuæ conſcij imminens diſcrimen ſecum ipſi reputabant; quanquam Rege præſente nihil reformidabant, quin potius omnia audenda cenſebant: præſertim quod neminem hactenus Italiam eundo, redeundóque peragrantes, qui contra arma ferret, offenderant. Ipſe vero Carolus, ac præcipui duces non leuiter commouebantur, tantas copias tam prope non fruſtra coiiſſe, neque itinera obſediſſe, niſi prælio decernere ſtatuiſſent. Anxios magis 29

Digitized by Google

magis reddebat, quod Aurelianus, quem quinto nonas Iulias ad Placentiam ſibi occurrere Carolus iuſſerat, Sfortianum exercitum viribus ſuperiorem eſſe ſignificarat, & quod magna Aſtæ, Nouariæque præſidia relinquenda erant, ſe non niſi ſumma cum difficultate Carolo iungi poſſe denuntiarat, vt noua quodam modo capienda conſilia viderentur. Hæc meditantes ad Foronouum appulerunt: ibi Philippo Cominæo nuper apud Venetos legato, qui Venetiis diſcedens Treuiſano, Piſanóque legatis in hoc bellum deſignatis ſe conciliandæ inter Regem, Venetóſque pacis authorem futurum promiſerat, vt tubicinem ad eoſdem mitteret, Carolus edixit, an pacato agmine Aſtam peruenire ſibi liceret, periculum facturus. Veneti duumuiri militares ſe poſtridie manè inter vtraque caſtra loco commodo affuturos reſponderunt: ſed vel propter commeatus penuriam, vel alia de cauſa huiuſmodi colloquium Carolus expectandum non putauit.

30 Ad Tarrum fluuium, aut torrentem potius vterque exercitus vix tribus milliaribus interiectis conſederat, qui ex Appennino anguſta valle inter duos colles in patentes Galliæ Tranſalpinæ campos præcipitatus in Padum tandem euoluitur. Dextrum collem, planitiémque inter collem ac fluuium interiectam ſibi fœderati delegerant (quanquam aliter vtroſque collocat Iouius) & ad fluminis ripas vſque caſtra produxerant: ſiniſtrum ita monente Ludouico Sfortia Gallis reliquerant, vt flumine interpoſito nullum ad Parmam fœderatis ſuſpectam vrbem reſpectum haberent; quod Franciſcum Siccum quaſi itineris ducem à Florentinis Carolus poſtularat, cuius filia in Torelliorum familia Parmenſis agri facilè principe collocata erat. Italorum caſtra profunda foſſa, excelsóque aggere munita erant, quæ nullo adhuc hoſte prohibente inſtruxerant; & tormentis bellicis locis commodis diſpoſitis non ſolùm fluuio, ſed & ripæ vlteriori imminebant. Nox ſæpius iteratis fulminibus, fulguribus, tonitruis concrepans, & crebris pluuiis, denſiſque tenebris aſpectus, auditúſque iudicium remouens, ac milites Gallos rerum cœleſtium ignoratione perterrens, ex itinere feſſis requiem non dabat, & triſte neſcio quid portendere videbatur. Tum Epirotæ leuis armaturæ equites nihil temporis iniquitate retardati quin potius continuis excurſionibus inſultantes terroris multum, iacturæ aut parum, aut nihil inferebant. Inſomnem tamen Galli noctem vtraque de cauſa traduxerunt: præſertim quod Epirotis ſibi adhuc ignotis nec iuſtam equitum manum oppoſuiſſent, nec caſtra foſſa, vallóque temporis anguſtiis coacti munire potuiſſent. Poſtridie mane, hoc eſt, pridie nonas Iulias (pridie Kal. Iulias Bembus, pridie Idus Sabellicus, vterque falsò prælium factum ſcripſit) Gallicæ copiæ in treis acies more ſuo diſtributæ ſeſe (quoad regionis natura patiebatur) explicarunt; & vt in ordines redigerentur, collis partem humiliorem operuerunt, vallis enim anguſta erat multis ſilicibus, quos ex Apennino vis torrentis longo ſæculorum ordine deuoluerat, conſtrata equiti pariter, ac pediti perdifficilis: craſſi enim plerique, vel decurrentem vel conſerto prælio toto robore connitentem vtrumque offendebant; lapſum autem, equorúmque pedibus proculcatum, ac diſruptum tum ſocij, tum hoſtes pertranſeuntes ſtatim ſuffocabant. Primo agmini præerat Gienſis Paliciano, Triuultióque adiunctis, cui quandoquidem hoſtium vim omnem excepturus maximè putabatur trecenti quinquaginta cataphracti equites, Triuultij item centum cataphracti, Heluetiorum tria millia, quibus Engilbertus Niuernenſis Cliuenſis reguli frater, atque Antonius Beſſaius præerant, ac Galli pedites penè omnes, trecenti ex ſtipatoribus Regiis relictis equis pugnare iuſſi, aliquótque baliſtarij equites attributi erant, machinarum quoque bellicarum maximæ quæque additæ. In ſecundo agmine Rex conſtitutus equo nobili, ſed dextro oculo capto inſidebat, cui ſtatura mediocris, ſed quadrata, quæ robur inſigne præ ſe ferret; color fuſcus, natura autem pene humani ſenſus capax, vt & ſeſſoris maieſtatem agnoſcere, & quam de ſe concepiſſet expectationem intelligere videretur: hunc è Breſſano agro emptum, & à Carolo Allobrogum regulo dono datum ferunt. Ipſe autem Carolus alioqui puſillus, atque in loquendo timidus, quod à patre ex induſtria inter homines infimæ ſortis educatus erat, maior ſeipſo videri, ac milites digna ſua maieſtate, facundia, audaciáque alloqui cœpit: quanquam illi fari incipientem interpellarunt, & ne de victoria dubitaret, obſecrarunt, Cominæum tamen, vt cum Venetis duumuiris de pace ageret, hortatus eſt. Ille vnà cum Briſſonneto Cardinale litteras ſcripſit, quibus receptis duumuiri Veneti ſe æquo animo ad colloquium conuenturos, modo tormentis ſilentibus conueniendi poteſtas eſſet, reſponderunt: iam enim à Gallis primùm,

Quanam eſſet caſtrorum vtriuſque exercitus diſpoſitio.

Carolus cur in loquendo timidior.

primùm, deinde viciſſim ab Italis exonerata erant. Silentio aliquamdiu facto, Calatinus iam pugnandi non colloquendi tempus eſſe dixit, Gallos ſemiuictos colloquia poſtulare: cæteriſque aſſentientibus machinæ bellicæ crepitu pugnæ ſignum datum: id multis ſimul exoneratis Galli exceperunt, atque ingenti totam vallem fragore compleuerunt. Regem comitabantur, proximéque circumſiſtebant ſeptem viri illuſtres iiſdem armis, iiſdémque paludamentis induti, Ludouicus Lucceburgenſis Lignius eius conſobrinus, Iacobus Lotharingus Guizanus, Piennus, Matthæus Borbonius nothus, Bonauallius, Adrianus Mombronus, Galeotus Ienolacus: à dextro latere cum ſua ala Ludouicus Trimullius quem in poſtremo agmine falsò cum Fuxio Iouius, cæteri fere Itali cum Cominæo in ſecundo, ſed qui ſub Rege eidem agmini præeſſet, collocant: Robinetus Frameſella Aurelianæ ductor, aliæque cataphractorum alæ, quibus Scoti centum ſtipatores immixti erant, à læuo prætoriani equites ducenti, viri nobiles, * * * * alij item domeſtici, penſionarij, cataphractorúmque aliquot alæ cingebant. Sequebatur à dextra ſecundùm fluuium, ſed raro interuallo poſtremum agmen duce Ioanne Fuxio claro Aquitaniæ regulo, cui magna nuper cum Guizano de eodem agmine ducendo controuerſia interceſſerat: muli, equíque clitellarij, cæteráque iumenta ad ſex millia, quæ impedimenta comportabant, ſiniſtro colle elabi conabantur, nullo vel propter militum penuriam, vel quod inter ipſa, hoſteíſque torrens ac Galli intermedij erant, præſidio adiuncto. Quanquam vt ea Epirotis in prædam relinquerentur, Triuultium ſuaſiſſe Iouius comminiſcitur, vt hominem commentitia laude commendet: præſertim quod fortuito hoc caſu, Epirotarúmque ordines deſerentium auaritia ereptam ſibi victoriæ palmam Itali diuulgarint.

Pugna Foronouana ſeries.

Fœderatorum exercitus in nouem ordines, quæ etiam agmina vocabant, diſtributus 31 erat. Præmiſſi ſexcenti Græci Petro Dodo Veneto, totidémque baliſtarij equites (hi baliſtis arcuferreis vtebantur) Alexio Beccacuto ductoribus, qui ad Foronouum fluuium traiicientes, in colléſque euadentes à læua primum agmen tumultuaria pugna diſtinerent, tantiſper dum Calatinus cum ſexcentis cataphractis equitibus tribus peditum millibus Sfortianis, turbatos diſiectóſque inuaderet. At Epirotæ, baliſtariíque in Gallica impedimenta incurrentes, atque in prædam verſi, nec ſuis profuerunt, & cæteros præſertim Epirotas ad deſerendos ordines ſuo exemplo impulerunt. Mantuanus Rodolpho patruo, Ranuccióque Farneſio ſibi adiunctis cum delecta ſexcentorum cataphractorum, numeroſa leuis armaturæ equitum Italorum Græcorúmque manu, ac quinque (vt Guicciardinus) aut quatuor (vt Iouius ſcribit) peditum millibus (poſteriorum numerum Cominæus ſilet) Regem, Calatinus Gienſem, Fortebraccius Montonius cum quarto agmine (nam tertium Epirotæ præmiſſi, ſexcentíque baliſtarij faciebant) Gallorum poſtremam aciem aggrediundam ſuſcepit. Tribus his terna quoque in ſubſidiis agmina ſubſtituta erant: Antonius Feltrius Federici Vrbinatis reguli filius nothus Mantuano, Annibal Bentiuolus, & Galeatius Pallauicinus Calatino, Aloiſius aduocatus, Franciſcus Gambara, Soncinus Benzonius Montonio adeſſe iuſſi. Octauum, nonúnque ad incertos belli euentus reſeruata, caſtra iuſtis præſidiis firmata; quæ omnia ſumma ratione conſtituta vno quaſi momento pugnæ impetus diſturbauit: tanto enim ardore Galli in hoſteis inuecti ſunt, vt rationem timor, humanámque prudentiam facile ſuperarit. Neque vero ſigillatim equitum, peditumque numerum ſingulis agminibus attributum aſcribo, quod Gallos, Italóſque ſcriptores multum inter ſe diſſentire video: & iam, quot in ſumma fuerint, ſatis explicatum arbitror: in pugnæ quoque deſcriptione non magis conſentiunt. Igitur eodem pene momento tribus locis torrentis alueum Mantuanus, Calatinus, Fortebraccius traiecerunt, grauique impetu in hoſteis princeps Mantuanus inuaſit, non minore à Gallis exceptus; adeóque acriter pugnatum eſt, vt non procul à Rege Matthæus Borbonius nothus quanquam fortiter pugnans captus, abductúſque ſit. In eo primo congreſſu, qui prælio interfuit Cominæus, ex Mantuani turma trecentos quinquaginta cataphractos equites Gallorum irruentium vi proſtratos, ac mox à lixis, calonibúſque cæſos fuiſſe ſcribit, cæteros in fugam verſos ad Foronouum, caſtraque Italica, alios aliò diffugiſſe: pedites in latera ſeceſſiſſe, aut in colles profugiſſe, & ruentibus Gallis, fugienteíſque ferociter perſequentibus loco ceſſiſſe. Calatinus Epirotas, vt præſcriptum erat, ad primam Gallorum aciem turbandam haud acceſſiſſe animaduertens, & occurrentium robur intuens congredi auſus non eſt, ſeque ſtatim nullo hoſte perſequente ſubduxit: Regem enim à ſuis, qui fugientibus incumbebant, ſeparatum proſpiciens Gienſis, grauique inter

Digitized by Google

inter pugnandum coorta tempeſtate alueum torrentis auctum, tum tria adhuc agmina in vlteriore ripa integra conſiſtere, ſuos progredi paſſus non eſt, quin potius ſimul continendos cenſuit. Eius conſilium nonnulli probarunt, plerique damnarunt: ſi enim vel ſtadium progreſſus fuiſſet, vniuerſas hoſtium copias in fugam compuliſſet. Rex ſane, quod hoſteis vnà cum ſuis perſequutus non eſt, ac pene ſolus remanſit, in magnum diſcrimen incurrit: hoſtium enim aliquot equites ex fuga ſeſe colligentes, Regiumque paludamentum procul agnoſcentes in eundem impetum fecerunt. Ille quanquam vno Ambuſio inferioris ordinis cubiculario comitatus, tamen irruenteis fortiter excepit, egregiéque dimicans tantiſper ſuſtinuit, donec pauci Galli equites non procul inde diſperſi accurrerunt, quorum aduentu Itali ſtatim diſſipati ſunt. Tum ſaniore conſilio vſus ad primam aciem ſe recepit: qui hoſteis fere vſque ad caſtra perſequuti erant, captíſque haud pepercerant, ſuæ enim paucitatis conſcij primum inter pugnandum mox inter perſequendum Guiguegatam inclamabant. Ad Guiguegatam vicum non longè à Tarranna Galli pedites in prædam verſi Ludouico Vndecimo rerum potiente à Maximiliani Auſtriaci copiis plerique cæſi fuerant, cuius recordatione, exemplóque ſocios, ne prædæ cupiditate inſignem victoriam corrumperent, admonebant; vbi regem abſentem agnouerunt, ſolliciti ad perquirendum redierunt: inter redeundum pedites, qui Mantuanum ſequuti erant, & in vicinis collibus delituerant offenderunt, quibus magna ex parte cæſis, cæteri torrentem licet recentibus imbribus in primis auctum aut tranſierunt, aut in ipſis gurgitibus abſorpti ſunt. Galli victores ad Regem, primámque aciem peruenerunt. Vbi omnes conuenerunt, an perſequenda victoria eſſet, deliberatum: capita hoſtium in agminibus conſiſtentium, lanceáſque Galli proſpiciebant, qui pugnaturi etiam viderentur: multos via Regia, quæ Parmam ducit, ire, redire, qui fugientium ſpeciem præ ſe ferebant. Rogati primùm ſententiam Itali, quod & regionis periti erant, & ſuorum in præliis morem, ingeniúmque facilius agnoſcebant (treis autem claros inter Italos duces Carolus in caſtris habebat Ioannem Iacobum Triuultium, Franciſcum Siccum ſeptuagenario maiorem, Camillum Vitellium) duo poſtremi in primis autem Siccus hoſteis perſequendos cenſuit. Sententiam ſuam confirmans, in eáque pertinaciter inſiſtens, qui via Parmenſi incederent, fugere; cæteros, ſi Gallos fluuium traiicientes aſpiciant, non conſtantiores futuros aſſeuerauit; in bellis multum poſſe fortunam, Gallos primo congreſſu fauſtum ſibi omen feciſſe, hoſteis multitudine inſoleſcenteis facile ſuperaſſe, profligaſſe, ad caſtra vſque perſequutos fuiſſe, paucis contra ſtare audentibus: vbi militem timor ſemel inuaſerit, rarò audaciam ſuccedere; ſi quidem libera fuga ſit, & tutus receptus. Huius coniectura, vt poſtea cognitum eſt, veriſſima fuit: neque verò ij, quorum lanceæ videbantur tam diu conſtitiſſent, niſi Petilianus circa pugnæ initium è caſtris Gallicis fugiens (is enim, ac Virginius Vrſinus Carolum iuſſi ſequebantur) vera falſis, falsáque veris miſcendo multa mentiendo, fractáſque res Gallicas aſſeuerando fugienteis pleroſque retinuiſſet: magni enim nominis dux, & Italis omnibus ſatis notus ex hoſtium caſtris elapſus vera eſſe, quæ diceret, fidem faciebat: alioqui nec Mantuanus, nec cæteri duces ſuos nimio pauore conſternatos retinere vllo modo potuiſſent; quod & Itali ipſi mox ingenuè profeſſi ſunt. Rogati deinde Galli ſolem iam ad occaſum inclinare, torrentem continuis totius prope diei imbribus auctum vix feſſis equis ſuperabilem, peditibus autem prorſus inſuperabilem eſſe, omnem exercitum totam noctem, diémque crebris Epirotarum incurſionibus laceſſitum in armis fuiſſe, vulneratos pleroſque iacere, vt opportuna quiete milites, equíque reficiantur ſatius eſſe reſponderunt: re vera longè maxima in traiiciendo amne difficultas fuiſſet. Hinc ad Medezanum vix mille paſſibus à pugnæ campo diſtantem vicum in decliui colle ſitum profecti magna totius exercitus incommoditate caſtra poſuerunt, paucæ erant domus, rara tentoria, ratus militibus, equis paulò vberior commeatus, recenti meſſe triticum in villis congeſtum reperiebant; quinquaginta quinque dumtaxat mulos Epirotæ abduxerant ex omni iumentorum numero ſelectos, quibus Regia ſupellex, virorúmque illuſtrium impoſita erat. Sed & multorum præterea ſarcinas non ſolum Epirotæ, verum etiam Gallorum lixæ, calonéſque diripuerant: magna enim horum ſcortorúmque multitudo exercitum ſequebatur non omnino inutilis: ſiquidem proſtratos hoſteis hi ab Epirotis in duo poſtrema agmina repulſi potiſſimum trucidarunt, interim dum fugienteis cæteros Galli equites perſequuntur: ex Gallis

Rex in magnũ diſcrimen adductus.

Digitized by Google

Deſideratorum numerus qui fuerit. cæſos duos & triginta, lixas mulioneſque octoginta numerat Cominæus. Guicciardinus ex vtriſque vt plurimos ducentos, ex Italis termille quingentos: alij & inter ipſos Iouius, ad quatuor millia numerum auxerunt; inter quos illuſtriores fuere Rodolphus Gonzaga Mantuani patruus vir magna rerum experientia præditus, & Italicæ, externæque militiæ egregiè peritus: Ranutius Farneſius Pauli Tertij Pontificis Maximi, ſed aliquot poſt annis, frater patruelis, Ioannes Piccininus Nicolai celeberrimi ducis nepos, Galeatius Corregius, Robertus Stroza, Alexander Beraldus equitum ſub Venetis præfecti, Guidus Gonzaga, Aſcanius Martinengus, Antonius Scarampa, Petrus Maſeus Veronenſis, Vincentius Corſus, Malſactus Gabanellus, qui duo poſtremi viam fugienti Mantuano ſua morte aperuiſſe traduntur. Ex Calatini agmine, qui maturè ſe in fugam dederat, pauci perierunt: Bernardinus Fortebraccius Montonius Braccij Montonij, qui primus ex Italis antiquam militaris diſciplinæ gloriam inſtaurare cœpit, & inter celeberrimos ſui temporis duces numeratus fuit, nepos claua ferrea in caput ictus, equóque deturbatus tum inter cæſos iacuit: mox ob nauatam fortiter operam & ſtipendiis à Venetis auctus, & aliis honoribus additis clarus euaſit.

Hæc pugna fuit Foronouana (vt Galli appellarunt) non Italico more variis agminibus ſuo deinceps ordine dimicantibus & noua ſibi mutuò ſubſidia ſummittentibus, quæ 32
totum diem plerumque incerta victoria conſumebant, ſed quarta prope horæ parte profligata, tribus reliquis non pugna ſed fugientium cædes fuit. Hanc Itali ſcriptores Sabellicus, Bembus, Iouius longè aliter deſcripſerunt: ſed mihi Cominæi potior fides, qui rebus gerendis interfuit, nec multò poſt cum præcipuis Italorum ducibus de eadem familiariter communicauit, quemadmodum ille ipſe ſcripſit, vt quæ in vtriſque caſtris, prælióque ardore geſta ſint facilè didicerit, atque eadem fide litteris mandauerit; cui Guicciardinus ferè in omnibus aſſentitur. Eandem eiuſdem pugnæ ſeriem multis quoque, ac ſæpius Franciſcus Montagnatius Tenſanius, qui tum Trimullianæ alæ legatus fortiſſimè dimicauit, ſenex fere octogenarius enarrauit; ac ſemel quidem, quum puer adhuc fortè adeſſem, & præceptori meo Cominæi hiſtoriam proferenti locum vnum duntaxat, in quo nonnihil *Iouij commenta explodantur.* ab illo, ſed leuiter diſſentiret, indicauit. Iouius autem primum in fœderatorum copiis recenſendis aut lectores plurimùm fallit, aut multùm ipſe fallitur. In fœderatorum exercitu duodecim peditum millia duntaxat, grauis armaturæ duo millia, ac quadringentos: leuis item duo millia fuiſſe ſcribit: at Veneti quemadmodum diſcedenti Cominæo Caroli legato ſe quadraginta equitum, peditúmque millia in armis habituros promiſerant, ita & re præſtiterunt, vt Cominæus ipſe teſtatur. Quidam ex noſtris ad quinquaginta millia numerum auxerunt: Guicciardinus autem fœderatorum copias quæ ad Glareolam coierant non exprimit: in Parmenſi agro tum quum Gienſis Pontremulum appulit, iam bis mille quingentos grauis armaturæ equites; leuis vltra duo millia, peditum octo conueniſſe tradit: verùm multi poſtea acceſſerunt, vt ſubdolo conſilio quot pugnæ Foronouanæ interfuerint, prætermiſiſſe videatur; ne inſignem Italico nomini notam inureret, aut apertis mendaciis (vt Sabellicus, Bembus, Iouius) hiſtoriam ſuam inquinaret. In fœderatorum exercitu equitum duodecim millia Bembus, peditum totidem altera recenſet: Sabellicus, ne ſuo more impudenter mentiatur numerum omnino ſilet. Propria autem Iouij mandacia hæc ſunt quod Hercules Ateſtinus Gonzagam generum nullam à ſenatu Veneto committendæ vniuerſæ pugnæ poteſtatem habere Carolo, vt eius, Gallorúmque ducum animos metu debilitatos confirmaret, denuntiarit: quod Gallos imminente pugna attonitos alios vt Piſas redirent, alios vt per tranſuerſas Apennini Alpeis Aſtam contenderent, alios vt nulla Aureliani habita ratione de libero tranſitu cum fœderatis paciſcerentur, cenſuiſſe: cæterum Triuultij oratione reuocatos de pugna capeſſenda ſtatuiſſe comminiſcitur. Hæc enim de Gallis antequam Gienſi ad Foronouum deſcenderet, Itali ſomniabant, quæ iſte Gallis immerito affingit: quibus cæteri ſcriptores etiam Itali temeritatis multùm, timoris ne vllam quidem ſuſpicionem attribuunt. Quid quod hoſtibus tam propinquis ſine manifeſta tormentorum bellicorum omnium, totiúſque peditatus iactura fugere non poterant in aliena regione inter hoſteis vndique cingenteis conſtituti, vt etiam timidis fortitudinem deſperatio, audaciámque ſuppeditare deberet? Quid? quod Italos imbelles experti quantouis numero ſuperiores, ſibi vix pares exiſtimabant; & quamquam

id pru

Digitized by Google

id prudentiæ non fuit, tamen partam ſemel gloriam ſubeundis magnis periculis conſeruare conſentaneum fuit.

33 Hæc igitur in ſummam Gallorum ignominiam, Triuultiique commentitiam laudem conficta, & à cæterorum Italorum ſcriptorum, vt Gallos prætercam, enarratione aliena conuincuntur, ne nos fortaſſe noſtris nimis blandiri quis putet. Accedit quod eadem vanitate Mantuani turmam, antequam cum hoſte congrederetur, inter ſalicta, ripáſque torrentis altiores diſſipatam, ſemiuictámque ſe Gallis obieciſſe prodit, Sabellicum mendacij huius authorem ſequutus, cui Bembus Cardinalis bellè accinit, & nonnihil etiam de ſuo addit: quum non è regione hoſtium, ſed aliquanto ſupra non longè à Foronouo fluuium traiecerit, liberúmque campum nacta, vbi in ordines redire potuit, ingenti impetu vt omnes Galli, Italique ſcriptores fatentur, in Regios bipartita irruperit, bipartito quoque excepta ſit: ſed ſiniſtræ Gallorum alæ in latera hoſteis adortæ magnum victoriæ momentum addiderunt. Eadem ratione Calatinus non è regione Gienſis, primæque Gallorum aciei, ſed paulo infra fluuium tranſmiſit, vt Gallos hinc flumine, fœderatorúmque ſubſidiis, ac caſtris, inde collibus cinctos ipſi ab vtroque anguſtæ vallis limite quaſi circumuentos inuaderent. Mantuanum item per medios hoſteis ad Gallica tormenta perueniſſe, eorum magiſtros, equóſque, quibus trahuntur, ac Vaſconum cohortem iiſdem præſidio deſtinatam, quinetiam prætorianos hippotoxotas cecidiſſe confingit, quum Scoti hippotoxotæ cum Rege conflixerint, ex quibus nouem duntaxat cæſos tradit Cominæus: cæteri Regij ſtipatores, hoc eſt, tres alæ centenariæ magna ex parte pedites pugnare iuſſi ad primam aciem præmiſſi fuiſſent. Quid? quod Mantuanum mutato equo ſuis in vnum coactis fluuium deintegro ſuperaſſe, pugnam redintegraſſe, ac tum Matthæum Borbonium nothum, Miolenſemque captiuos abduxiſſe, Regi autem ſummum periculum creaſſe mentitur, quum ſemel fuſus Mantuanus nunquam ad pugnam redierit, & Borbonius nothus primo congreſſu captus, abductúſque ſit; ac Rex ipſe pene ſolus ſuis hoſteis perſequentibus relictus à paucis ſeſe ex fuga recipientibus circumuentus magnum diſcrimen adierit, paucioribúſque ſuis opem ferentibus euaſerit. Miolanij ſiue Miolenſis in hoc conflictu alij non meminerunt, ſiquidem is Gallicæ claſſi præfectus ad Rapallum poſtridie huius pugnæ (tametſi aliter Bembus) quo die etiam Ferdinandus minor à Neapolitanis in vrbem receptus eſt, captus fuit, niſi alius ex eadem familia intelligatur. Adde quod Regios ſtipatores hippotoxotas relictis equis pugnare iuſſos pene omneis conciſos ſomniat: quum illi in prima acie conſtituti nunquam conflixerint, hoſtibus, quum ad manus veniretur aufugientibus. Neque verò, vt ille falsò ſcribit, prima acies ſecundæ opem tulit: Rex enim Mantuanum traiecto fluuio ſibi à tergo imminere conſpiciens Gienſem longius aliquanto progreſſum, & iam è regione caſtrorum Italicorum incedentem reliquit, ad hoſteíſque conuerſus ad Fuxium, tertiámque ſuorum aciem appropinquauit: Gienſis pulſo Calatino conſtitit, eundem ſi pugnam redintegraret, aut ſubſidia Italica excepturus; nec interim oculos à Rege auertit; Rex (vt dixi) non niſi fugato Mantuano ad Gienſem acceſſit. Illud verò inſigne mendacium, quod quaſi coronidem ſupra commemoratis affingit, & præter inconditam lixarum turbam, mille viros forteis ex Gallis cecidiſſe ſcribit Sabellicum, ac Bembum ſequutus. At Guicciardinus vix ducentos, Cominæus pauciores (vt etiam lixæ, calonéſque numerentur) nec vllum magni nominis præter prætorianæ portæ, hoc eſt, Regij diuerſorij præfectum, quem vulgo portæ capitaneum vocant. Iouius prætorianæ turmæ præfectum, Regis vigilum ducem Bembus falsò nominat: diuerſa enim munera ſunt, & ſemper fuerunt: nam Iulianus Borgneus inter viros nobiles numeratus non fuit, & ſua culpa cæſus eſt, quod armis non ſatis inſtructus in prælium proceſſiſſet, vt idem Cominæus teſtatur. Iulianum, & Daſonium alarum legatos Vardeum, Torſuenſem, Semplenſem, Ampracenſem, inania nomina, & à Iouio conficta vti & ſagittariorum præfectum, ac magnum Mareſſalem, quos inter cæſos numerat Bembus, non agnoſcimus. Nec illud omittendum Calatinum ſolo Gienſis conſpectu repulſum, tantáque ſuorum conſternatione profligatum, vt terna, quæ in ſubſidiis erãt agmina progredi, torrentémque ſuperare auſa non ſint. Terrorem mox auxit Mantuani fuga ſuis magna ex parte cæſis, cæteris huc illuc diſſipatis: Rodolphum Mantuani patruum, ne ſuo iniuſſu prodiret, ſibi mandaſſe cauſabatur Antonius Vrbinas, ſéque mandatum expectantem in eodem quaſi veſtigio conſtitiſſe: at Rodolphus primo conflictu ceciderat, & Mantuanus cum paucis fugiens, quid agẽdum eſſet, admonere debebat. Adde quod equites auratos à Rege

Itali ſcriptores amplius refutantur.

Regum Gallorum mos in creãdis equitibus.

poſt commiſſam pugnam creatos, quum receptui ſigna canerent, Iouius ſcribit: quum ante initam, quemadmodum qui creandis affuit Cominæus ipſe teſtatur, creati ſint: is enim fere Gallorum Regum mos eſt, vt quorum ſpectata virtus eſt, eoſdem, ſiquando pugna memorabilis imminet, vt maioribus animis cum hoſtibus congrediantur, equites creent, quamuis poſt pugnam facto iam virtutis periculo creari potius deberent: ſicuti & aliquando iidem Reges creant, aut etiam ſi quid maiore præmio dignum geſtum eſt, Regiæ ſocietatis torque donant. Nec prætereundum quoque eſt quod Iouius Triuultium Gienſis Mareſchalli, qui primam aciem ductabat, collegam vocat, quum Triuultius, qui paulò ante cum ſua centenaria cataphractorum equitum ala, quæ Italorum more nullos hippotoxotas habebat, ad Carolum transfugerat, ſub Gienſi militaret, & multis poſt annis Mareſchallatu ſit donatus: Bembus autem Triuultium eiuſdem aciei ducem paſſim nominat: Gienſem, vt huius victoriæ laudem ad Italos deriuet, penitus ſilentio prætermittit, & (quod impudentiſſimum mendacium eſt,) Carolum antequam Aſtam ingreſſus ſit, fugæ finem haud feciſſe ſcribit, quaſi verò is fugerit: ea eſt eorum ſcriptorum fides, ea in conſcribendis hiſtoriis religio!

Quid pugnã Forono- uiã memorabilem reddiderit.

Hæc pugna multis de cauſis memorabilis fuit, vel quod multos pauci vno quaſi mo- 34
mento ſuperarunt, & quod eorundem magnam ſtragem ediderunt, Italis ad pompam comparatis ludicris certaminibus potius, quàm veris præliis bellica virtute conſertis hactenus aſſuetis, quibus pauci admodum cadebant, vel quod vtrique rem lanceis, clauis ferreis, gladiiſque geſſerunt: tormentis bellicis non magnopere vſi ſunt, quorum pilis vix decem vtrimque milites cecidiſſe proditum eſt: Itali, præſertim Veneti, victoriam ſibi vendicare conati ſunt, publicóque edicto publicam lætitiam non ſolum Venetiis, ſed & in omnibus ſuæ ditionis vrbibus accenſis de more ignibus teſtati ſunt: publicum exemplum priuati imitati Melchioris Treuiſani ſepulchro inſcripſerũt, eundem fœliciter ad Tarrum cum Carolo Galliarũ Rege depugnaſſe. At ille partim in caſtris, partim in poſtremis ſubſidiorum agminibus remanſerat, & ne pugnam quidem, ſed ſolam fugientium turbam, aut potius puluerem dux Venetorum fortiſſimus aſpexerat: caſtra ſua, impedimentáque ſibi integra remanſiſſe Veneti iactabant; cõtra Gallica, præſertim papiliones Regios, reliquámque ſupellectilem ſuis prædæ fuiſſe, ſe prælio ſuperiores futuros, niſi deſertis ordinibus Epirotæ, aliquótque alij ad prædam accurriſſent. Sed vno, eodémque vniuerſi orbis conſenſu Gallis adiudicata victoria eſt, quod hoſteis in fugam verſos vltra fluuium prope vſque ad caſtra perſequuti ſint, quod paucos amiſerint, plurimos ceciderint; quod inuitis hoſtibus viam manu, armíſque ſibi aperuerint, quæ princeps huius prælij faciendi cauſa fuit: quod prima acies, in qua totius ſui exercitus robur collocarát, fugientibus Sfortianis nullo modo cõflixerit, cæteræ duæ illi viribus longè inferiores ſelectas Mantuani, Fortebracciíque turmas, peditatúmque, qui Veneti exercitus flos fuit, fortiter profligarint: hinc Iouius, licet inuitus, antiquum Italicæ militiæ decus hac pugna amiſſum queri cogitur. Rumor authore Mantuano, Venetíſque ducibus ſuæ, Italorúmque militum famæ conſulentibus, ac maiorem bellicæ virtutis laudem, quam re præſtiterint, ſibi vendicare cupientibus per totam Italiam ſparſus emanauit, Sfortianas copias arcano Ludouici mandato ad manus venire noluiſſe, quin potius ſtatim refugiſſe; quod Gallos Ludouicus nec victores, nec victos cuperet, nec minùs à Venetis, quàm à Gallis victoribus timeret, quem Bembus, Iouiúſque pleriſque mendaciis etiam affictis augent. Sed multis rationibus à Guicciardino refelluntur, qui veritatis ſtudioſior, tametſi more fere omnibus natura inſito ſuis nonnunquam aliquid indulget, tamen longè ſinceriorem hiſtoriam edidit, & Ludouicum nihil minus cogitaſſe teſtatur: ſed quod is maiorem, ſelectámque ſuarum copiarum partem Nouariam miſiſſet; cæteras, quæ cum Calatino erant, non magni ad victoriam momenti fuiſſe; Calatinúmque ſuarum virium pariter, atque hoſtilium iuſtum æſtimatorem primam Gallorum aciem inuictam reputantem, Epirotáſque, ac cæteros leuis armaturæ equites, qui mille ducenti ex ſiniſtris collibus primi eandem aciem aggredi, & perturbare debebant, nuſquam apparere cernentem, tantum diſcrimen adire noluiſſe, nec tamen prorſus inutilem fuiſſe: quanquam enim ſe vltra fluuium recepit, at ne prima Gienſis acies ſecundæ, in qua Rex ipſe cum paucis magno ſuo periculo totum belli pondus ſuſtinebat, opem ferret, in cauſa fuit. Quod ſi in ea ſententia, quam illi affingunt, Ludouicus fuiſſet, cur non potius Calatino, cæteríſque ſuis ducibus mandaſſet, ne Gallis liberum tranſitum negarent? (neque enim inuitis Sfortianis Veneti manus conſerere auſi fuſſent) aut ſi prælium iniretur, quomodo Gallos

Guicciardini de Sfortianis copiis teſtimonium approbatur.

nec

Digitized by Google

nec victum iri, nec victores fore diuinauit? aut ſi victoria Galli potirentur, quomodo copias ſuas tam propinquas extra periculum futuras ſibi polliceri potuit? Si enim Galli eadem, qua vicerant, alacritate victoriam quoque perſequuti fuiſſent, bonam nimirum Venetarum, Sfortianarúmque copiarum partem deleuiſſent, cæteras ita diſſipaſſent, vt rurſum contra ſtare nunquam auderent.

35 Ludouicus in tanto ſuorum odio (quod iam ſatis explicaui) iuſto præſertim, ac debito iiſdem rebellantibus, vel in arcem Mediolanenſem concluſus fuiſſet, vel in Germaniam profugiſſet, Veneti nouum exercitum conficere nullo modo potuiſſent, res Neapolitana in tuto fuiſſet, Mediolanenſis in Regis ditionem conceſſiſſet. Sed noſtri ſuæ paucitatis conſcij, ac Regi timentes, & eorum quæ apud hoſteis gererentur ignari, nihil temerè ſibi audendum putarunt. Gallos poſtridie ante lucem Bembus caſtra mouiſſe prodit, ſed in iiſdem caſtris perſtitiſſe, Cominæus, Guicciardinus, Iouiuſque teſtantur: mane enim heraldus Gallus ad caſtra Italica profectus de interrupto colloquio renouando verba fecit, ac liberè conueniendi teſſeram à Rege obtulit, & in eandem formam conceptam ab Italis reportauit. Delecti, miſſique à Rege Briſſonnetus Cardinalis, Gienſis, Piennus, Cominæus, ab Italis Mantuanus, Calatinus, Lucas Piſanus, Melchior Treuiſanus. Hi poſtquam torrenti appropinquarunt, vtri Tarrum, qui multùm excreuerat, traiicerent, in contentionem venerunt. Itali, vt intermedio inter vtraque caſtra loco colloquium haberetur, conueniſſe aiebant, ſe iam plus itineris, quàm ſupereſſet, confeciſſe, ſe quatuor eſſe principes ſui exercitus duces: non commiſſuros, vt vel ſine ducibus milites relinquerentur, vel tantum diſcrimen ipſi adirent. Galli ſe nihilo illis inferiores eſſe reſponderunt, & Tarrum inter vtraque caſtra intermedium colloquio locum idoneum videri, ab vtraque ripa verba facerent; & quod in rem communem eſſet, communicarent. Sed Tarrus extra margines exundans latior longè ſolito erat, nec conferendi poteſtatem dabat: colloqui author Cominæus amne ſuperato ad illos ire perrexit, nec vt ad fluuij margines accederent, perficere potuit: ita re infecta vtrique ad ſuos redierunt. Hic de triduanis induciis Cominæum egiſſe, atque illius diei duntaxat ad ſepelienda vtrorumque cadauera inducias impetraſſe confingit Iouius: Cominæus ipſe nihil omnino eo die actum, neque quicquam ab alterutris in medium prolatum fuiſſe teſtatur, & cadauera in Gallorum poteſtate erant, qui certaminis campo adhuc potiebantur: multi quidem ex Italis inter fugiendum etiam vltra fluuium nonnulli ex Gallis perſequentibus cæſi erant; vt ſiquid de cadaueribus actum fuiſſet, id Italis ſuos requirentibus condonatum fuiſſe conſtaret. Tertio à pugna die Carolus paulò antequam illuceſceret ſine tumultu profectus abſque itineris ducibus per loca montoſa, aſpera, ac deuia ſex milliaria confecit, atque in plana delatus viſa prima acie, quod via Æmilia inceſſerat, & tormenta bellica, impedimentáque trahebat, quæ multi equi clitellarij, muliſque conuehebant, (nam quinque & quinquaginta duntaxat abductos ſupra docui) admiratus eſt: hæc enim procul, atque in globo conſpecta magni agminis ſpeciem reddebant. Terrorem addidit Triuultij vexillum album, quadratum, ei perſimile, quod Foronouana pugna Mantuani ala geſtauerat. Contra Gienſi ſuſpecta pariter fuit poſtrema acies quam procul etiam extra Æmiliam, vt breuius iter arriperet, aduentare cernebat. Sed leuis armaturæ equitibus hinc inde ad explorandum diſcurrentibus ſe mutuò agnouerunt, & ſimul ad vicum Dionyſiacum diuertentes pranſi ſunt: continuatóque itinere Florentiolam non ita vetus, & à Florentinis conditum oppidum ſub occaſum ſolis appulerunt.

36 Fœderati de Caroli profectione ſole ad meridiem curſum inflectente certiores facti ſunt: ſed ita nocturnis pluuiis Tarrus excreuerat, vt non niſi ſub veſperam, nec ſine diſcrimine traiici poſſet. Primus tentato vado tranſire cum ducentis leuis armaturæ equitibus conatus Calatinus, vnum aut alterum vndarum æſtu abſorptum è ſuis amiſit; & quod multos è Placentinis ſuſpectos haberet, vel ne Carolo vrbs dederetur, vel vt poſtremum Gallorum agmen carperet, ſumma celeritate properauit. Gaſparem Seuerinatem Fracaſſium cum Calatino fratre tranſiiſſe, & vtrumque ad Carolum Regem ad Derthonam acceſſiſſe falsò ſcribit Iouius: tum enim Derthonæ Fracaſſius præfuit, Calatinus nunquam ad Carolum acceſſit. Poſtridie fœderatorum copiæ fluuium quoque tranſmiſerunt, & Gallorum quaſi veſtigia perſequentes nec tamen propius accedere, nec fortunæ deintegro periculum facere auſæ ſunt. Solus Calatinus tumultuariis excurſionibus Placentiæ appropinquantes Gallos laceſſiuit: ſed trecentis Heluetiis

Digitized by Google

magna ex parte ſclopetariis cum leuioribus tormentis poſtremam aciem claudentibus facilè repulſus eſt. Secundis caſtris ad Trebiam Romanorum clade celebrem fluuium Carolus peruenit, & propter commeatus, diuerſoriorúmque commoditatem Heluetios, ducentos cataphractos equites, tormenta bellica prope omnia inter Placentiam ac Trebiam reliquit: ipſe cum cætero exercitu amne ſuperato ſex leuioribus tormentis ſecum tractis in vicis propinquis ſubſtitit. Verumenimuero fluuio nocturnis imbribus aucto neque relicti traiicere, neque aliis alij auxilio eſſe poterant: vtriſque in ſummum diſcrimen adductis non Calatinus cum Placentinis, non fœderatorum, quæ ſubſequebatur acies, vt ſeparatos inuaderet, properare auſa eſt: paulatim, quum fluuius deſediſſet, equites facile, pedites funibus ad vtramque fluminis ripam ad palos religatis non tamen ſine difficultate vndis ad humeros vſque pertingentibus tranſierunt. Placentini clam de Carolo in vrbem intromittendo egerunt, modo Franciſci Sfortiæ pupilli, qui Galeatij, Iſabellæque Arragoniæ filius fuit, inſignia erigeret: tantus legitimi principis amor, tantúmque Ludouici tyranni odium Placentinorum mentibus inſitum erat! Incumbebat in id maximè Triuultius, & cæteras Mediolanenſium ciuitates exemplum ſequuturas haud fruſtra pollicebatur: ſed Carolus nec Franciſci affinis litem ſuam facere, nec Aureliano propinquo vllum præiudicium afferre voluit: illis ipſis eam controuerſiam dirimendam reliquit. Si de re incerta ius ſuum vtrique integrum relinquendum putauit, reprehendi vix poteſt: ſed tamen vrbium compos, & eaſdem legitimo demum hæredi reſtituere potuiſſet; & magnum interim regno Neapolitano præſidium attuliſſet Piſanis arcibus adhuc in ſua poteſtate retentis, & re Mediolanenſi ad ſuum arbitrium tranſlata Venetos finitimos ne quicquam aduerſus ſe auderent, deterruiſſet: quorum auxiliis maximè, conſiliiſque Arragonios conſtat in regnum Neapolitanum reſtitutos. Quintis caſtris Carolus ad Derthonam ſubſtitit: præfectus vrbis Gaſpar Seuerinas Fracaſſius quod nuper ſub illo in expeditione Neapolitana meruerat, Regi obuiam armatus, ſed duobus duntaxat comitibus ſequentibus proceſſit; quod in vrbem non intromitteret, ſeſe excuſauit, omnis generis commeatum Gallis tranſeuntibus expoſuit. Sub veſperam ad Regis tentorium acceſſit; nec propter publicè ſuſceptum munus priuatum officium omiſit, octauis caſtris milites ad Aſtam conſederunt. Rex cum viris illuſtrioribus, ac domeſticis vrbem ingreſſus eſt: nec vllum poſt Foronouanam pugnam militem, nullam bombardam, ac ne vllam quidem pulueris tormentarij ſelibram amiſit, vt Cominæus, Guicciardinúſque teſtantur: tametſi Gallos quaſi fugienteis deſcribens Iouius maiora tormenta defodiſſe, aurata equorum tegumenta, multámque ſupellectilem, quam fere omnem ab Epirotis raptam paulò ante finxerat, cremaſſe, vulneratos, ne miſeriùs apud hoſteis perirent, iugulaſſe mentitur; & tragicis hiſce commentis aut Gallorum gloriam obſcurare, aut ad Italos victoriæ laudem transferre conatur. Bembus autem Calatinum cum mille quingentis leuioribus equitibus, vt Gallos moraretur, præmiſſum Carolo itineris ducem potius quàm moratorem fuiſſe comminiſcitur: eadem fide Bernardum Contarenum, ne cum ſuo equitatu poſtremam Regis aciem carperet, à Ludouico Sfortia prohibitum; ſexcentos item Græcos equites à Mantuano in idipſum ſummiſſos, pleraque Gallorum iacentia cadauera offendiſſe addit, vt Gallis plus, quam vulgo ferebatur, illatum cædis appareret, quibus apertis mendaciis victoriam ad Venetos transferre nititur.

Si oblatas Placentinorum conditiones Carolus acceptaſſet magnum tuendo regno Neapolitano momentũ attuliſſet.

Inſigne Iouij commentum.

Interea Philippus Breſſanus Comes, Iulianus Rouereus, ac Paulus Fregoſius Cardinales Genuam vſque peruenerant: caſtríſque ad Terralbam Feritoni amni imminentem locatis, quem Fregoſia factio tumultum excitaret, expectabant. Septem omnis generis peditum millia, octingentos equites (vt tradit Iouius) habebant: quanquam tantam manum repente conueniſſe vix veriſimile eſt, alij numerum non exprimunt: tormenta autem ſeptem bellica conuexerant, ſed non tam oppugnandis vrbibus, quàm pugnis campeſtribus idonea, vt vrbem iuſto præſidio munitam tentare non auderent. Et in vrbe iuſtus erat equitum, peditúmque numerus, qui Bernardino Adurnio, ac Scaramucia Vicecomite ducibus crebris procurſationibus Breſſani militem laceſſebant in claſſe Breſſano ſpes erat, vnde maiora tormenta ad vrbis oppugnationem aſportarentur. Ea cuius ſupra numerum appoſui præfecto Miolenſi, Spedia iam Rapallóque potita Breſſani imperium præſtolabatur: ſed Liguſtica quæ triremibus decem & aliquot onerariis conſtabat (vt Iouius, vel octo vt Guicciardinus) & tribus alterius generis nauibus præfecto Franciſco Spinula no- 37

ctu Rapal

ctu Rapallum delata ſeptingentis peditibus prima aurora in terram expoſitis vrbem nihil tale meditantem (obſeſſos enim Genuenſes haud quicquam auſuros Galli exiſtimabant) & raro præſidio defenſam recepit : ac Gallicam pariter aggreſſa eodem quo ſuperiore anno Arragonia ſinu ſuperata fuerat, poſt longum, acrémque conflictum hoſtium nauibus incenſis, captóque Miolenſi Genuam victrix reuerſa eſt. Hic Iouius ſuo more in mendaciis libere vagatur, & ingentem Neapolitanam prædam, tormentorúmque copiam Gallicis nauibus exportatam multis verbis mirificè adaugens, quæ tam paucis nauibus haud contineri potuerunt, condonatas Genuenſibus militibus ſcribit : at cæteri Gallicas naueis inter dimicandum magna ex parte ſuccenſas prodiderunt. Breſſanus, Cardinaléſque, qui ad Genuæ ſuburbia vſque penetrarant, hoc nuncio accepto Pinno monte aſpero ac difficili conſcenſo in Pociferam vallem alteram Genuæ adiacentem regionem deſcenderunt. Et quamquam miſſi à Sabaudo Allobroges, montaníque agreſtes magno numero conuenerant, ſe tamen ſumma celeritate ſeruatis nihilominus ordinibus ſubduxerunt : ruſticos Ligures, qui è vicinis montibus, agríſque quaſi ad prædam inſequebantur, conuerſis ſignis fuderunt, atque integri nullis amiſſis in Aſtenſem agrum ad Carolum euaſerunt. Is Liguſticæ expeditionis Cardinalibus authoribus, ſed refragantibus Regiis conſiliariis, alieno tempore ſuſceptæ infœlix exitus fuit : Vitelliani equites, qui Paulo, ac Vitellocio fratribus ductoribus (nam Camillus natu maximus Foronouanæ pugnæ interfuerat, & Carolum adhuc ſequebatur) non longè à Rapallo aberant, de ſuperata claſſe Gallica, Breſſaníque, ac Cardinalium fuga certiores facti per abrupta, aſperáque loca montanis Liguribus prædæ auidis totum biduum perſequentibus, nonnullis amiſſis, multis autem agreſtium montanorum interfectis magno cum labore ſe ad Serezanam receperunt.

Claſſis Gallica ſuperatur.

38 Dum bellum in Gallia Tranſalpina, Liguribúſque geritur, Neapolitani poſt Caroli diſceſſum præfectis durioribus vſi (Mompenſerius enim vir manu promptus, ſed non ea diligentia, prouidentiáque præditus erat, vt prouinciam nuper bello partam, hominéſque natura leues, & nouarum ſemper rerum cupidos in fide contineret) tacitè inter ſe querebantur, & de reuocandis Arragoniis conſultabant : re ad ſe delata cohortantibus etiam Alexandro Pontifice Aſcanióque Sfortia Cardinale, ac pecuniam ſummittentibus Ferdinandus ex Ænaria inſula Meſſanam Siciliæ traiecit. Eodem iam appulerat Conſaluus Ferdinandus Aghilarius vir fortitudine, ac militari prudentia clarus, Bethicíſque bellis aduerſus Mauros multum exercitatus, qui Hiſpanica iactantia magni ducis ſibi cognomen aſciuit : hic de reducendo in regnum Ferdinando Arragonio ab Hiſpano Ferdinando mandatum habebat, quemadmodum inter fœderatos quoque diſertè conuenerat. Poſtquam igitur de belli gerendi rationibus inter ſe contulerunt, cum octingentis circiter Hiſpanis equitibus, Hiſpanorúmque, ac Siculorum peditum quinque millibus, quo fere tempore Carolus Neapoli profectus eſt, Rhegium adnauigarunt ; atque expoſitis in terram copiis, tormentíſque vrbi admotis oppugnationem tentare cœperunt : arcem in Arragoniorum fide perſeueraſſe plerique ſcripſerunt (vt ſupra non vno loco annotauimus :) Iouius, & quidam alij à Gallis poſſeſſam tradunt : raros vrbis præſidiarios milites Gallos, quod de Rheginorum fide dubitabant, ſe in arcem recepiſſe, Rheginos vel quod præſidio deſtituti eſſent, vel vt rebus ſuis proſpicerent, Ferdinandúmque ſibi reconciliarent, portas vrbis aperuiſſe. Arcem, cui præerat Adrianus Mallius Contius, paucis poſt diebus Gallis vehementer in acrem conflictum intentis alia ex parte fabri lignarij proditione captam propugnatoribus prope omnibus cæſis ; nec in hoc ipſo iidem ſatis ſibi conſentiunt. Primo conatu proſperè ſuccedente patruum Federicum cum tribus triremibus Ferdinandus in Appuliam miſit ; ipſe, vt Rhegino, finitimóque agro potiretur, operam dedit : Brunduſio Hydrunto, aliſque aliquot Appuliæ vrbibus non ita pridem Venetis, vt eorumdem auxiliaria claſſe vteretur, Ferdinandus ceſſerat. Harum, vt poſſeſſionem adirent, Gallóſque ſuis conatibus in primis reſiſtenteis expellerent, totius Italiæ imperium ambientes Veneti quatuor & viginti triremium, quinque onerariarum nauium claſſem inſtruxerant : Antonium Grimanum virum primæ authoritatis præfecerant. Quinetiam poſtea fœdere renouato Franciſcum Gonzagam Mantuanum regulum cum ſeptingentis grauis, quingentis leuis armaturæ equitibus, ac tribus peditum millibus terra in Ferdinandi auxilium miſerunt, quindecim nummûm aureorum millia mutuò dederunt, vrbeis oppigneratas ne niſi nummis creditis, bellíque ac munitionum impenſis ſibi redditis reſtituerent, cauerunt, quorum

Neapolitani defectionē à Carolo tacitè meditantur.

Arx Rhegina fabri lignarij proditione Gallis erepta.

omnium nomine ducenta ad ſummum, nec amplius nummûm aureorum millia repetere poſſent: hoc enim præcipuum caput poſterioris fœderis fuit. Addita conditio, vt eaſdem copias niſi priuati ſui periculi propulſandi gratia reuocare non poſſent. Grimanus Brunduſio profectus Monopolim ex veteris Ægnatiæ ruinis auctam (vt quidam tradunt) cui Prudentius Tranus, & Georgius Duraſius præerant, oppugnauit, quam & mox crebris bombardarum pilis concuſſam muri parte deiecta terra, marique aggreſſus expugnauit; arcem præfectus metu perculſus dedidit, cui Pulinianum paucis poſt diebus, Molaque ac Sipontina, & Tranenſis arces acceſſerunt: tentata & conuerſa, ac poſtremo Tarentum, ſed accedentes Suillius præfectus vir egregiè fortis & ab arce, & à portu facile repulit, & peſte aliquanto poſt ibidem graſſante periit. Caietani quoque interim rebellarunt, & concurſu in maiorem ædem facto Gallos præſidiarios nonnullis interfectis in arcem compulerunt. Rebellionis cauſam reddit Iouius ob pecuniam acerbè à Stephano Verſio Belcarienſi exactam: Bembus quod municipes ad remos cogere Galli niterentur, noſtri quod Caietani cum plerisque aliis inſita leuitate dominos mutare, & ad Arragonios redire molirentur: idcirco Rodericum Monteriſij oppidi regulum Alphonſi Dauali fratrem, quem Ænariæ inſulæ, Ilelæque oppido Ferdinandus præfecerat, quo in ſtatu res ſuæ eſſent ſpeculatoria naue docuerunt. Is trecentos Cantabros præfecto Maorio duabus carauellis (ſic enim vulgo appellant) impoſitos ſubſidio mittit. Contra Mompenſerius Gratianum Guerram cum octingentis Gallis eodem contendere iubet: Ioannem Columnam Cardinalem, qui in Fundano agro tum agebat, tumultuariis copiis quanta poſſit celeritate collectis Caietæ ad præſcriptum diem adeſſe admonet. Guerra proſpera nauigatione vſus, vbi ad portum appulit, trecentos è ſuis in arcem ſaxeis gradibus (quæ vnica via eſt) euadere cohortatus eſt. Mox Gallis ab arce, & à portu, Columna à continente inuadentibus vrbs octauo Kal. Iul. recepta, multiſque cæſis direpta eſt.

Quid cauſa ſit cur Caietani rebellarint.

Aubignius Ferdinãdum Conſaluumque ad pugnam elicere conatur.

Vt ad Ferdinandum, Conſaluúmque redeam, hi Rhegio potiti Fanum Agathæ oppidum primum, deinde Semenariam deditione ceperunt; & totam eam regionem ad 39
defectionem excitarunt. Quibus accerſito ex Lucanorum finibus Perſio, conuocatíſque ex finitimis vrbibus Gallis, adiunctíſque iis qui Andegauenſem, hoc eſt, Gallicam factionem fouebant, obuiam proceſſit Aubignius, vt captarum vrbium lætitia inſoleſcenteis ad pugnam eliceret, vel Semenariæ mœnibus ſe continenteis ignauiæ conuinceret; atque ea quam ſibi vendicabant, bellandi gloria ſpoliaret: ſi pugnam initio detrectarent, magni id ad continendos in fide Brutios, ac cæteras regni Neapolitani regiones momenti fore. Illi quantum Gallus cataphractus eques Hiſpano præſtaret ignari, prælium haud differendum putarunt: tametſi nonnulli Conſaluum à Ferdinando diſſenſiſſe, & ne in pugnam deſcenderent, ſuaſiſſe ſcripſerunt. Semenaria arduo ſitu inter colles eminens difficiles, præſertim equiti in pugnam concurſuro, aditus habebat: ſed non longè aberat planities modico fluuio interſtincta, quæ Terram nouam verſus (Terinam olim dictam putant) latè protenditur: vnde prodiens cum exercitu Aubignius, vbi fluuio appropinquauit, deſcendenteis inter colles hoſteis eodem contendere animaduertit: hi pedites Hiſpanos, Siculóſque denſos ad læuam collocanteis, equites ad dextram longius extendentes in citeriore ripa ſubſtiterunt. Expectabat Conſaluus vt Gallos fluuium traiicienteis Hiſpani equites, quibus Vgo Cardonius præerat, perturbarent: ſed Aubignius Heluetios in phalangem coactos hoſtium peditibus oppoſuit, Gallos, Brutióſque pedites in ſubſidiis locauit; ipſe pariter equitatu à dextra, Perſius à ſiniſtra incedentes quadrato agmine fluuium traiecerunt. In hos procurrentes Hiſpani equites cataphractorum Gallorum impetum non tulerunt, in fugam verſi peditatum Hiſpanum, ac Siculum Gallis equitibus diſſipandum, proculcandúmque reliquerunt; quos conſequuti Heluetij, Galli, Brutij pedites magnam ſtragem ediderunt. Ferdinandus, Conſaluus, Cardonius fortiſſimorum ducum, militúmque officia impleuerunt, nec tamen ſuos fugienteis retinere potuerunt: idcirco & fugam vnà capeſſere coacti ſunt. Ferdinandum ex armis inſignibus cognitum Galli perſequuti equi lapſu humi prouolutum facilè cepiſſent, niſi Ioannes Altauilla Capuanus in eius familia puer educatus iacentem erexiſſet, & oblato recenti equo euadendi poteſtatem feciſſet, ipſe pedes relictus interuenientibus hoſtibus cæſus eſt: Ferdinandus cum paucis Palmam vicinam Semenariæ vrbem non Rhegium (vt ſcribit Bembus) aufugit inde triremibus Meſſanam delatus eſt. Conſaluus Semenariam primùm, deinde Rhegium conceſſit: nec Ferdinandum equo

Pugnæ ad Semenariam victoriæque à Gallis obtētæ deſcriptio.

Digitized by Google

equo celerrimo euolantem, nec Conſaluum per ſemitas Semenariam repetentem Galli aſſequi potuerunt, multos tamen inter fugiendum interceptos, ac bonam peditatus partem ceciderunt. Ad locum certaminis regreſſi quid potiſſimum agendum eſſet, conſultarunt: trepidantibus inſtandum Perſius, ac Semenariam oppugnandam ſuaſit. Aubignius valetudine incommoda iam tentatus, æſtúque, ac diurno labore fatigatus quieſcendum cenſuit (hoc enim rebus Gallicis etiam infœlicitatis acceſſit, quod dux illorum præſtantiſſimus, ac prudentiſſimus Aubignius infirma fere ſemper, ægráque valetudine vſus eſt.) Poſtridie ad Semenariam progreſſi Galli militibus vacuam repererunt: noctu enim cum ſuis per colles Conſaluus euaſerat, & bellici apparatus, Regiæque ſupellectilis pretioſiora quæque Rhegium aſportarat: cæteri partim illius veſtigia ſequuti erant, partim ad Ferdinandum, claſſémque deuiis itineribus peruenerant. Illuſtriores autem è prælio aufugerunt Andreas Altauilla Capuanus, Theodorus Triuultius, Itali, Vgo Cardonius, Emmanuel Benauidius, Petrus Paceus Hiſpani: Ludouicum Arragonium Cardinalem alij fuga elapſum, alij captum, nec cognitum euaſiſſe tradunt. Hos, ſi rectè victoria Aubignius vſus fuiſſet, captiuos prope omneis abduxiſſet, & Ferdinando omni ſpe, opéque deſtituto Gallis res Neapolitanas omni ex parte confirmaſſet.

Gallis ſummæ infœlicitatis fuit quòd Aubignius penè ſemper infirmus eſſet.

Semenaria, Fanum Agathæ, vicinæque arces in Gallorum poteſtatem redierunt: nec tamen eo caſu fractus Ferdinandus animum deſpondit; quin potius quadam veluti deſperatione omnem fortunæ aleam tentandam exiſtimauit, præſertim quod adoleſcentem imperandi auidum Neapolitani plerique vel nouarum rerum cupidi, vel Gallici imperij pertæſi clandeſtinis legationibus ſæpius aduocabant. Itaque quanta potuit celeritate, vt aduerſi prælij rumorem anteuerteret, ſuis, paterníſque triremibus Siculas varij generis naues, quotquot vel à ciuitatibus, vel à priuatis colligere potuit, Hiſpanicas præterea, quæ nuper Hiſpanos in Siciliam tranſuexerant, adiecit, & octoginta (vt Guicciardinus) vel ſeptuaginta (vt Iouius ſcribit) nauium claſſem paucis diebus inſtruxit. Sed perrari erant milites, ſoli prope nautæ, ac remiges, & ſua, & militaria munera obire cogebantur. Quid faceret? nec ad colligendas copias pecunia ſuppetebat, nec in aliud tempus differre præceps occaſio ſinebat: famam tantæ claſſis, tametſi inualidæ, temerariis ſuis conatibus haud fruſtra ſatisfacturam putauit: Neapolitanos ſua quodammodo ſponte ad Gallos tranſiiſſe, nunc conuerſa fortuna ad Arragonios eadem leuitate redituros. Hac ſpe ductus vnà cum Ricaenſe Caſtulonenſi (Villamarinum vocat Iouius) Hiſpanæ claſſis præfecto Meſſana ſoluit, & rectà Neapolim curſum tenuit. Ad claſſis conſpectum Salernitani, Melfitani, ac plerique alij maritimi populi vexilla Arragonia erexerunt: totum biduum Neapolitanam oram legens, ac relegens circumluſtrarat, necdum vllus tamen in vrbe tumultus ſuboriebatur: Galli enim maturè ſumptis armis ſeditionem efferueſcentem fortiter repreſſerant, atque omneis aditus iuſtis præſidiis obſepſerant: ſed & nonnulli id quod erat coniicientes, claſſémque Arragoniam numeroſam quidem, verum milite infirmam prudenter æſtimantes (vnde enim poſt tantam, támque recentem cladem Ferdinando nouæ copiæ emergere potuiſſent) Gallicam veterano milite implendam, ac terreſtri naualem pugnam eodem omine adiungendam putarunt: quod ſi feciſſent, eandem nimirum fortunam terra, maríque experti fuiſſent, & regnum Neapolitanum vtrobique victores facile conſeruaſſent. Die tertio quaſi re deſperata claſſem in altum velut Ænariam profecturus Ferdinandus retraxerat: hic attoniti recentis ſeditionis authores, & coniurationem ſuam prope palam eſſe agnoſcentes, iam non Ferdinandi, ſed ſuam cauſam egerunt; ac neceſſitate victi extrema omnia tentare ſtatuerunt: ſpeculatoria naue noctu ad Ferdinandum miſſa, vt rediret, copiáſque aliquot in terram exponeret, orarunt; cætera ſuæ curæ permitteret, qui rem Arragoniam iuuent, modo ſibi ipſe non deſit, haudquaquam defuturos. Reuocatus tantula occaſione Ferdinandus non longe à torrentis Sebeti oſtio ad Magdalenæ ædem vix milliari ab vrbe diſtantem poſtridie pugnæ Foronouanæ, hoc eſt, Nonis Iul. ad terram appulit, & ſeditioſis magnam rebellandi occaſionem præbuit; quamplurimùm auxit ſua temeritate Mompenſerius, qui cum toto fere equitatu, peditatúque, vt venientem hoſtem exciperet, egreſſus vrbem præſidiis prope vacuam reliquit, & factioſis, vt deintegro confirmatis animis vnà coirent, campani æris ſonitu vbique perſtrepente ſocios aduocarent, vrbíſque portas occuparent anſam dedit. Excluſi Galli ad nouam arcem longo circuitu aſpera, montoſa, equiti perdifficili via ad vlmi plateam aciem inſtruunt, bipartito

Quo aſtu Ferdinandus Neapolitanos ad rebellionẽ incitare moliatur.

Mompenſerij temeritate Galli Neapoli excluſi.

tito agmine vrbem inuadunt, in patentiorem regionem productis duobus minoribus tormentis (falcones vulgo appellant) Mompenſerius irrupit: Catalana via Iuo Alegrius in mediam fere vrbem peruaſit. Sed intromiſſus interea Ferdinandus, Daualíque fratres Piſcarius, ac Monteriſius veteranis militibus è claſſe eductis Neapolitanis in tempore auxilio fuerunt. Stetit diu anceps, atróxque prælium, nunc his, nunc illis viciſſim cedentibus: donec nocte hoſtium conſpectum auferente, quandoquidem Arragonij magis è tectis, quàm aperta acie, Gallos repellebant, Alegriani qui regione anguſtiore pugnabant, pedem referre, & ad portam arci ſubiectam redire coacti ſunt: eodem ſe & Mompenſeriani receperunt; obſeſſi Galli lata regione tendebant: Nouam, Ouíque arceis, turrim Vicentinam, Trinitatis ædem, ſanctæque Crucis cœnobium, ac Regios hortos occupabant. Inde Neapolitanos aliquot diebus crebris irruptionibus adoriebantur, tormentis bellicis ex arce vrbis tecta demoliebantur, multóſque cædebant, ad portum etiam variis certaminibus confligebant: ſed pabuli inopia, & locorum anguſtiis coacti generoſos equos rapientibus exponebant, raptores deſtinatis falconum ictibus ſæpius necabant, nec tamen vel vrbis recipiendæ, vel tuendarum arcium ſpes erat: magna intus inerant præſidia, foſſæ ducebantur, aggeres excitabantur, quotidie milites ad Ferdinandum vndique confluebant. Capua, Auerſa, quam veterum Atellam nonnulli fuiſſe putant, Sumeſſana arx (quam vulgo montem Draconis vocant) ac pleræque aliæ vicinæ vrbes Neapolitanorum exemplum ſequutæ præſidiariis militibus ad Mompenſerium, aut ad cæteros duces Gallos confugientibus ſeſe Arragoniis iunxerant. At contra tarus tantæ Gallorum multitudini ſuberat commeatus (ad ſex enim tam equitum, quam peditum millia ſub ſignis Mompenſerius habebat) egenteis ſtipendium iampridem defecerat, & prope annuum debebatur, nec plane recentis ad Semenariam, nec vllo modo Foronouanæ victoriæ certiores facti erant: trimeſtrem nihilominus obſidionem æquis animis tulerunt.

Interea Ferdinandus obſeſſos quotidie vrgebat; munito hippodromo, ductíſque ad 41
Hermæ Fanum occultis viis, montem ipſum, ac Pizafalconis decliuia (arcem enim Galli tenebant) occuparat: monaſterium etiam ſanctæ Crucis aggreſſus: ſed tormentis bellicis Arragonios inſultanteis Galli vndique cædebant, irruenteíſque facilè repellebant. Oppugnatione irrita Piſcarius ad dolos conuerſus authori ipſi exitiales Æthiopem perfugam, cuius aliquando dominus fuerat, in Gallorum caſtris militantem ad prodendum monaſterium magnis præmiis inuitauit. Æthiops re cum Gallis communicata maioribus victus ſe proditurum ſimulauit: Piſcarium vt de die, atque ipſa adeo hora conuenirent, euocauit: ad ſummam ſcalam progreſſum, muróque innixum ſagitta emiſſa iugulauit. Is Dauali ætate florentis, atque inter Arragonios præcipui ducis infœlix exitus fuit: magnum partibus Arragoniis momentum attulit merito execranda Columnarum perfidia, Proſperi in primis, tum verò etiam Fabricij, de quibus ſatis ante diximus. Hi vel Aſcanio Sforziæ Cardinali addicti, vel retinendarum poſſeſſionum, quas ingenteis à Rege Carolo acceperant, ſpe adducti ſtatim ad Ferdinandum Neapolim intromiſſum tranſierunt, quamquam nonnihil diſſimulauit Fabricius: ſed haud longè poſt animo conceptum antea ſcelus aperta defectione declarauit. Mortuo itaque Daualo Proſper ſuccedens, bellíque ſummam aggreſſus, atque Hugo Cardonius Hiſpanus egregiam tuendis Neapolitanis operam nauarunt, & paulatim quotidie progredientes Gallos in anguſtum magis ac magis redegerunt. Hinc claſſem (ea ex triremibus quatuor maioribus, quinque nauibus, duabus minoribus conſtabat) è portu ſubducentes Galli ad turrim Vicentinam retraxerunt: ita coarctati, ac terra, maríque circumſeſſi ſpem omnem in ſola claſſe ponebant. Hanc non longè à Nicea Allobrogum, ad villam Francam parari Aſtam appulſus Carolus miſſóque mox Perone Baſchio Neapolim nauigare iuſſerat. Claſſi præerat Arbanus homo militaris, &, ſi Cominæo credimus, rerum naualium in primis experiens, tametſi eidem poſteriorem hanc laudem Guicciardinus detrahit, & rei euentus confirmaſſe quodammodo videtur. Ea bis mille Vaſcones pariter, atque Heluetios, & magnam commeatus vim exportabat: ſed ad Prochytam prouecta vel tempeſtate abrepta (vt Cominæus) vel Arragoniæ claſſis longè firmioris conſpectu perculſa, quæ fugientem ad Iluam vſque perſequuta eſt (vt tradit Guicciardinus) ad Triturritam ſe recepit. Attoniti milites inuito duce elapſi magna ex parte Piſas, alij aliò diffugerunt. Hoc nuncio accepto Mompenſerius de deditione egit. Conuenit, vt niſi intra diem triceſimum auxilia adeſſent, arcibus redditis Galli omni ſupellectile, armíſque ſecum

Piſcarij Arragoniorum ducis infelix exitus.

Mompenſerius obſidibus datis de deditione arcium cogitat.

ſecum abductis diſcederent, atque in prouinciam Phocenſem tranſmitterent. Iuo Alegrius Aruernus, Gulielmus Marchianus Arduennenſis, Capella Andegauenſis, Roquebertinus Catalanus, Genlius Belga obſides dati. Sed quòd nulla è Gallia paucis illis diebus auxilia ſibi affore ſperaret, Aubignium ſed tardius monuit Mompenſerius, vt extremis periculis ſupremum remedium adhiberet, & copiis omnibus in vnum collectis Neapolim accederet: ille morbo graui iamdudum afflictus eam curam Perſio viro forti, verum admodum peruicaci demandare coactus eſt. Is Heluetiorum, Germanorúmque fauore potens quos aliquot oppidulorum direptionibus ſibi addixerat, cæteris copiis accitis Neapolim iter inſtituit. Huic Thomam Carrafam Matalonij Comitem cum tumultuario exercitu oppoſuit Ferdinandus numero quidem longè ſuperiore, at viribus infirmo.

42 Itaque ad vicum, cui lacui paruulo nomen eſt, non procul ab Ebulo Picentinorum oppido congreſſi cum Gallis Mataloniani ne primum quidem Gallici equitatus impetum ſuſtinere potuerunt: cæſis aliquot, cæteri anguſtis viis, tramitibúſque elapſi quibus eques accelerare non ſatis commodè poſſet, alij Ebulum, Nolam alij, Neapolim inde petierunt. Conciſos tamen ab Heluetiis Italos pedites, qui termille numero erant, Cantabros mille in ſiluas ſe abdidiſſe alij tradunt. Fugienteis Ebulum vſque equites perſequutus eſt Perſius, & ad aream vrbi ſubiectam aliquantum ſubſiſtens, an portæ victoribus aperirentur expectauit (erat enim Andegauenſis factionis) deinde ad cadauera ſpolianda rediit. *Perſius malè victoria vſus.* Quod ſi vrbis ambitum circumeundo confeciſſet, trecentos hoſtium equites quibus oppidani portas aperire recuſauerant, cepiſſet; & vrbe (vt veriſimile eſt, & Itali ſcriptores fatentur) potitus fuiſſet, ſi exercitum quaſi oppugnaturus admouiſſet: rumore eius victoriæ Neapolim perlato tanta trepidatione tumultuatum eſt, vt de relinquenda iterum vrbe Ferdinandus deliberarit. At Neapolitani recentis rebellionis, Columnæ proditionis ſuæ pœnas luere timentes perturbato animum addiderunt, & ducta ab Hermæ colle ad Oui arcem foſſa Gallis appropinquantibus aditum præcluſerunt. Ferdinandus ipſe ad Capellam cœnobium Ecciæ monti ſubiectum caſtrametatus multis tormentis bellicis, & inde, & ab Eccia, & ex Pizafalconis lateribus ſæpius diſploſis magna Gallorum ſtrage edita munitiones ſuas egregiè tutatus eſt: ac ne Galli ad nouam, Ouíque arcem antiquum Lucullanarum deliciarum domicilium penetrarent, facilè prohibuit. Diutius in eodem loco commorandi facultatem Gallis aquæ dulcis penuria auferebat: itaque retrocedere, & ad Nolam redire coacti ſunt, aliqua parte commeatus quem in arceis Neapolitanas importare ſtatuerant, ac duobus minoribus tormentis relictis. Redeuntem Perſium Ferdinandus non eo animo, vt confligeret, perſequutus eſt: at ne in id quod metuebat, incideret, parum abſuit: ſiquidem ientanteis poſtremi agminis Gallos equites ad Villam Regiam Alphonſi maioris opus Arragonij leuis armaturæ equites initio nonnihil perturbarunt: mox Galli cataphracti inſeſſis equis tanto impetu in hoſteis irruerunt, vt fugienteis in peditatum non procul ſubſequentem compulerint, quo ab vtriſque conculcato pugna iam ad Ferdinandum ipſum peruenerat; cuius agmen non minùs, ac prius fugam capeſſebat: at tam fœdæ fugæ proſpectum Gallis ingens pulueris nubes adimebat, qui ſi victoriam perſequuti fuiſſent, haud dubium, quin perpauci tantum exercitum delere potuiſſent: ſed paucitatis ſuæ gnari, alienæ conſternationis ignari tum longo à ſuis interuallo diſiuncti ne forte in inſidias traherentur, lento gradu ad maius agmen redierunt. Mompenſerius arcibus præſidio relicto noctu conſcenſis nauibus cum cæteris, hoc eſt, bis mille quingentis Salernum delatus eſt: at Ferdinandus violatum fœdus incuſans, neque illi non redditis arcibus inde migrare licuiſſe proteſtatus, parum abſuit, quin de obſidibus ſupplicium ſumeret, & niſi menſe vix elapſo commeatus penuria arces deditæ fuiſſent, obſides capite luituros vulgo fama erat. *Mompenſerio noctu Salernum delato parùm abfuit quin Ferdinandus de obſidibus ſupplicium ſumeret.* Hiſce fere diebus Meſſanæ fato functus eſt Alphonſus, cuius iuuentutem militari gloria celebrem iners atque ignaua ſenectus obſcurauit, aut potius ignominioſam poſteritati reliquit. Hic paulò ante mortem, vt Neapolim rediret, vbi antiquum erga ſe odium in beneuolentiam Gallorum inſolentia conuerſum erat, à Ferdinando filio contendiſſe fertur: cui ſubdolè non minus, quam dicaciter Ferdinandus ambitione paternam maieſtatem dedignante reſpondit: expectaret tantiſper dum regnum vniuerſum pacatum acciperet, ne alteram fugam adornare forſitan cogeretur.

43 Magnam regni recuperandi ſpem conceperat Ferdinandus opportunis Ferdinandi Hiſpani

Digitized by Google

Hiſpani auxiliis vſus: idcirco Ioannem aui ſui, ac Ioannæ Hiſpani ſororis vix puberem filiam Alexandro Pontifice authore duxit vxorem, vt veterem cognationem recens affinitas vtramque familiam ex eadem gente oriundam vinculo arctiore coniungeret: vtriuſque communem eſſe cauſam Gallis regnum, Neapolitanum pariter ac Siciliam antiquas maiorum ſuorum poſſeſſiones ſibi ex æquo vendicantibus. At Venetos Sfortiámque totius Italiæ imperium ambire, ex aliorum incommodis ſua commoda quærere eorumdem diſſidiis gaudere, vt in fractos, exinanitóſque grauius inſultent. Ad Palmam Ferdinandus in ea quam Sarnus planitie alluit, ad Nuceriam Perſius quarto inde milliari caſtra poſuit: & quod paribus prope viribus erant, velitaribus præliis, leuibúſque excurſionibus tempus inaniter terebant. Septingenti duntaxat tam equites, quam pedites Arragonij Giſonem à Fano Seuerini non longe diſtantem vicum petentes omnes prope aut capti à Gallis, aut cæſi fuerunt: mox in Appuliam Perſius in Hyberna diſceſſit. Mompenſerius arce Neapolitana egreſſus quamquam magnis rei nummariæ difficultatibus impediebatur, quominus bellum pro dignitate gereret, tamen, qua potuit, diligentia viros nobiles, qui vnà exierant, equis, cæteriſque rebus ad bellum neceſſariis inſtruxit: iunctúſque aliis Gallorum copiis Arianum (quam aram Iani olim dictam putant) omnis generis commeatu abundans oppidum contendit: Ferdinandus viribus inferior ad Monſulculum ſexto à Beneuento lapide ſubſedit. Progreſſus Mompenſerius Seuerini Fanum in ſuam poteſtatem redegit longè plura fœliciter exequuturus, niſi Germanorum, Heluetiorúmque multorum menſium ſtipendium flagitantium animis à ſe abalienatis retardatus fuiſſet. Eadem neceſſitas Arragonios non minùs quàm Gallos continebat, vt tribus fere menſibus nihil dignum memoria geſſerint. In Appulia quidem Federicus Ferdinandi patruus, Cæſarque Arragonius bellum, ſed lentè gerebant: Prætutinos aduerſus Populonium Comitem egregiè Gratianus Guerra tuebatur; Caſinatem agrum, qui fere totus Arragoniis parebat, Rouereus vrbis præfectus ducentis cataphractis equitibus infeſtabat: Calabria, ac Tarentinus ager in Gallorum poteſtate erant, niſi pauca quædam caſtella, atque oppida, quæ Aubignio longa valetudine afflicto Conſaluus Hiſpanus ceperat: ſiquidem fatalis Aubignij morbus Gallicarum victoriarum curſum interrupit, & amittendi regni Neapolitani non poſtrema cauſa fuit.

Seuerini Fanū in Mompenſerij poteſtatē redactum.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER SEPTIMVS.

CAROLVM in Galliam redeuntem, & cum victore exercitu totam prope Italiam peragrantem Aſtam reduximus, interim dum grauis oppugnatio Neapolim, Nouariámque vrgeret: priorem libro ſuperiore explicauimus, alteram iam recenſeamus, & Regem magnanimum gloria immortalem immatura morte ſublatum lugeamus. Ad Nouariam copias ſuas omneis conuerterat Sfortia Mediolanenſis regulus, & tanta diligentia, impenſiſque Veneti opem tulerant, vt grauis armaturæ tria, leuis totidem Italorum, Græcorúmque equitum millia, Germanorum mille ductore Federico Capellari, quingentos præterea Brunſincenſes equites, peditum autem Italorum quinque, Germanorum decem millia in armis haberent, quæ Heluetiis militari cum gloria in primis claris opponerent: hoc enim præcipuum Gallici peditatus robur erat, quibuſcum Itali pedites nullo modo poterant comparari. Germanis præerat Georgius Petraplanius natione Auſtriacus (vt quidam tradunt) tametſi Petraplana caſtellum non longe à Tridento eſt, vir rei militaris admodum peritus, qui non ita pridem Maximiliano Cæſari militans Odomari Fanum Belgicum oppidum pulſis Gallis magna ſua cum laude ceperat. Franciſcum Gonzagam Mantuanum regulum Veneti Foronouanæ pugnæ memores, quod ibi ſtrenuè ſe, fortitérque geſſiſſe dicebatur, copiis vniuerſis præfecerant: quinetiam, vt eius pugnæ ſibi gloriam vendicarent, cæteros duces, militéſque, qui tum egregiè pugnaſſe ferebantur, viuos militaribus muneribus, penſionibus, præmiis, mortuorum liberos mares itidem prẹmiis donauerant, fœminas dotibus conſtitutis collocarant: alij & quidem Itali ſcriptores numerum multum augent, ac quinquaginta, vt calones, lixæ, ac virorum illuſtrium miniſtri prætereantur, in hoc exercitu pugnatorum millia fuiſſe tradunt: cataphractos equites cataphractis equis inſidentes bis mille quingentos, leuis armaturæ quinque, Germanorum peditum vndecim millia, ac præterea quingentos numerat Cominæus; quorum duces Georgius Petraplanius, Federicus Capellaris Feretanus, atque Hancius Germanus fuerint: Italum peditatum plurimum quidem, ſed incerto numero addit. Ad Mugnias viæ Regiæ imminenteis, quà Vercellis Nouariam proficiſcentibus iter eſt, cum Sfortianis ſubſederat Galeatius Seuerinas: Dux Venetarum copiarum Mantuanus Brioniam arcem, oppidúmque Camarianum, quæ caſtra Mariana olim fuerunt, Burgarum, & caſtella quædam præterea ceperat; ac diſtributis præſidiis tam ipſe, quàm Seuerinas latis, altiſque foſſis aquarum plenis caſtra communierant, vallóque firmarant. De Nouaria enim capienda propter obſeſſorum multitudinem, virtutémque deſperantes, de commeatu, qui in vrbem importaretur, intercipiendo duntaxat laborabant; quem rarum, & in paucos dies ſupereſſe non ignorabant: à pugna, Foronouanæ memores, & Sfortiæ conſilio vſi prorſus abſtinendum putabant. Carolus vt obſeſſis opem ferret, Aſta Taurinum cõceſſerat, &, tametſi Annæ Soleriæ nobilis matronæ amore captus Cherium ſæpius cõmeabat, omnia nihilominus, quæ ad ſoluendã obſidionem vſui erant, diligenter comparabantur: cogebantur bis mille cataphracti Galli equites cum ſuis hippotoxotis, decem item Heluetiorum peditum millia, quos Beſſaius Diuionenſis præfectus adducebat, quo peditatu plurimum Carolus fidebat (Galli enim equitatu potentes, quo præcipuè ſemper præ cæteris nationibus præſtiterunt, peditatu minùs valebant) quod

Anno 1495.

Carolus Nouarianæ obſidioni ſoluendæ totus incumbit.

Digitized by Google

nobilitas ex equo pugnare ſolita pedeſtres pugnas obire dedignetur: plebs autem militiæ non aſſueta, quod Ludouicus Caroli pater ob frequenteis ſeditiones, coniurationéſque ſæpius excitatas peregrino potius præſertim Heluetico, quàm ſuo milite vti maluiſſet, haud eandem rei bellicæ gloriam reportabat. At Heluetij Carolo Burgundione tribus prœliis ſuperato, qui Nuſſiana obſidione totam Germaniam vnus ſuſtinuerat, primas ſibi facilè vendicabant. Hi ad propinquum bellum tanto ſtudio, tantáque alacritate coierunt, vt non ſolùm decem, quæ Carolus poſtularat, ſed viginti millia conuenerint, & Vercellas ſumma celeritate properarint, omnes prope ni magiſtratus interdixiſſent, & Carolus viis obſeſſis, præſidiiſque in montium radicibus collocatis plures accedere prohibuiſſet, ad caſtra Gallica venire cum liberis, atque vxoribus parati: plerique inerant ſeptuagenarij centuriones, ſeptuagenariiſque maiores ſub Ludouico Caroli patre ſtipendia meriti. Hi veteri erga Ludouicum beneuolentia, & recenti Caroli filij fama adducti, qui exiguis copiis regnum Neapolitanum recuperaſſe, atque vniuerſas Italiæ vires Foronouano prælio fudiſſe ferebatur, promptis animis beneuoliſque acceſſerant: ſed magna pars inopia impulſa, quod anguſtum, & ſterilem agrum colunt, ad bellum non longinquum ſpe quæſtus accenſa prorumpebat: eorumdem prætereà bis mille quingentos aut paulò plures, ac totidem fere Gallos pedites è regno Neapolitano Carolus reduxerat.

Heluetiorum in ſeruiendo Carolo ſumma contentio.

Vercellæ ſitus, & cui parere ſolita.

Vercellæ vrbs Taurinum inter Nouariámque interiecta eſt Mediolanenſibus regulis olim parere ſolita: donec Philippo Maria Vicecomite, dum graui bello aduerſus Florentinos, ac Venetos diſtinetur, condonante, in Amadæi Allobrogum reguli, vt ab hoſtibus diſiungeretur, ditionem redacta eſt. Hæc neutram in partem hactenus inclinauerat, nec Gallos, Italóſue admiſerat: vidua enim pupilli reguli mater gente Monferratenſis, quamquam Carolo mirandum in modum fauebat, tamen donec maiores illi vires accreſcerent, id præ ſe ferre non audebat: Sfortiam interim ſuis artibus, hoc eſt, multa verborum diſſimulatione incertum tenebat. Carolo Taurinum ingreſſo, Heluetiiſque appropinquantibus amplius diſſimulandum non putauit, Regem aduerſus Sfortiam (vt quidam tradunt) grauiter accendit, aut (vt ſcribit Cominæus) fœderis inter vtrumque ineundi authorem ſe præbuit, & Gallos nihilominus Vercellas introduxit. Eodem fere tempore Venetorum, Sfortianáque auxilia recens coacta Nouariam, Gallicæ copiæ, ſed non cunctæ Vercellas appulerunt (nondum enim ſe noui Heluetiorum delectus adiunxerant) quod ſi pergere nonnihil maturaſſent, ancipiti admodum pugna, magnóque vtriuſque exercitus diſcrimine decertatum fuiſſet. Fœderati & Gallicum equitatum, & Helueticum peditatum in primis horrebant, atque vno prælio decernere niſi ſumma neceſſitate nolebant. Itaque Venetos, Sfortiámque admonuit Mantuanus conſilium exquirens, quod in tantis difficultatibus ſequendum potiſſimum foret: ad fœderatorum copias vnà cum Beatrice vxore matrona ambitioſiſſima acceſſit Sfortia: quæ virum non minùs in ſeriis negotiis, quàm in captandis deliciis ita comitari aſſueuerat, vt dominari in eumdem quodam modo videretur: huius præſertim (vt tum fama fuit) in ſummorum eius exercitus ducum conſilium adhibitæ ſententia, aliis repudiatis, effectum eſt, vt Venetæ, Sfortianæque copiæ iunctæ Mugniis caſtra ponerent, iuſta præſidia locis opportunis Nouariam quadam velut indagine cingentibus collocarent, Burgarum tribus milliaribus Vercellis diſtans pro derelicto haberent, ne tuendi eius gratia vel in ſupremum certamen deſcendere Itali cogerentur, vel expugnari fœdè, ignauéque paterentur: Camariani totidem milliaribus Mugniis ſeiuncti præſidium augerent, caſtra latis, profundíſque foſſis, aggeribus erectis, machinis bellicis vndique communirent; & in tuto collocati conſilia cætera ex hoſtium conſiliis captarent: Vercellenſis ager latè vaſtaretur ne quis inde commeatus Vercellas, Nouariámque importaretur. Interim Venetorum ſuaſu ad Carolum miſerat Alexander Pontifex iubens vt intra decimum diem Italia cederet, copiáſque ſuas è regno Neapolitano reuocaret: alioqui ni malis diris deuoueri vellet, purgandi ſui ergo Romam ſe ſiſteret. Carolus Pontificem, Pontificiúmque edictum illudens ſe demirari reſpondit, quod ſe longè progreſſum Romam Alexander tanta contentione reuocet, quem Neapoli reuertentem, & Romæ ſummum Chriſti ſacerdotem pia adoratione de more venerari cupientem non expectauerit: ne tamen illi non parere videatur, viam ſibi aperturum. Orare ſe Romæ vt expectet, ne fruſtra tam longinquum iter ſuſcipiat, aut peregrinantem, ſedéſque mutantem longiùs perſequi cogatur. Taurini dum Heluetios expectat Carolus Florentini legati rurſum de reſtituendis ſibi Piſis, Piſaniſque arcibus egerunt: quibus tum aliis de cauſis à me ſupra commemoratis,

Beatricis Mantuani vxoris conſilio Mugniis caſtra collocata.

Florentinorũ legati Piſas ſibi reſtitui poſtulant.

moratis, tum recentem occaſionem nacti Lignius, ac cæteri eiuſdem factionis intercedebant: Caſtella quædam, arceiſque vicinas Piſis Florentini receperant, ad Ponteſaccum circumſedendum deſcenderant. Præſidiarij milites de vita pacti ſeſe dediderunt: Florentini nihilominus Vaſcones prope omnes, qui cum Piſanis militabant, violata fide trucidarunt, atque in mortuos etiam immaniter ſæuierunt, quæ ingenitum Florentinorum in Gallos odium facile declarabant. *Eorúdem in Vaſcones barbaries.*

3 Quamquam autem Regem ea mirandum in modum commouebant, tamen in has fere conditiones ſupremũ fœdus ictum: nimirum vt Piſæ, Piſanæque vrbes, atque arces vniuerſæ Florentinis ſtatim redderentur, Petraſancta nihilominus, ac Serezana intra biennium Genuenſibus (ſiquidem in Caroli ditionem redirent) reſtituerentur: Florentini triginta nummûm aureorũ millia Regi numerarent, acceptis interim pignoribus quaſi bonis prædiis, ne creditæ pecuniæ iacturam facerent ſi qua forte promiſſas vrbeis, arceiſque occaſio reſtitui prohiberet: vrbibus, arcibúſque receptis ſeptuaginta præterea copiis Gallicis pro regno Neapolitano propugnantibus repræſentarent, quatuor ſummos regni Gallici quæſtores ærarios prædes acciperent. Si nullo in Hetruria bello prohiberentur, ducẽtos quinquaginta cataphractos equites auxiliares in regnum Neapolitanũ mitterent: ſin ob Mompulcianum in armis eſſent, eoſdem nihilominus eodem mitterent, vt Vitellianos equites in Piſano agro relictos deducerent, finito Octobri equites ſuos reuocarent, Piſanis crimen læſæ Majeſtatis condonaretur: iiſdem de mercaturis faciendis, Florentinis de bonis deditionis initio amiſſis reſtituendis caueretur: ſex è primariis Florentinorum ciuibus Carolus eligeret, quos huiuſce fœderis prædes reſeruaret. Sed Nouariæ interim ingens rerum omnium penuria erat: quamquam neceſſitatem militum virtus, Nouarienſiúmque ob recentem rebellionem obſtinatio quodam modo vincebat. Iamprid[ẽ] equi, muli, canes, mures, cæteráque à quibus homines abhorrere ſolent, in cibum veniebant; & milites iamdudum ſtipendium defecerat; vt Aurelianus æreos nummos, quos perfecto bello argenteis permutare pollicebatur, cudere coactus ſit: cẽtum Heluetios, Germanos totidem alteros à Gallis, ad Venetos transfugiſſe ſcribit Bembus: at nullos in exercitu Germanos vel Carolus, vel Aurelianus habuit: de transfugis Heluetiis præter Bembum nullus Hiſtoricus meminit. Cum primùm Aſtam appulit Carolus, Aurelianum monuerat Cominæus, vt mulieribus, pueris, cunctáque inutili turba pariter eiecta ad Regem ipſe properaret, coram longè commodius, quàm per legatos rem ſuam procuraturus, & commeatus penuriæ numero imminuendo (quandoquidem aliter non liceret) conſulturus: vrbe enim nondum vndique cincta Nouarienſibus liber exitus adhuc patebat. Contra Georgius Ambaſianus Rothomagenſis Pontifex, qui maturè Nouaria egreſſus Aureliani cauſam apud Regem acturus acceſſerat, hero, ne pedem Nouaria moueret, ſuadebat, in tempore illi auxilia præſto fore: Regem ipſum cum validiſſimo exercitu breui affore, Briſſonneti Cardinalis promiſſis fretus denuntiabat: cuius vni ex liberis, ſi Mediolanenſi ditione potiretur Aurelianus, decem nummûm aureorum millia annua, aut fundum potius tanti æſtimatum Aureliani nomine viciſſim ipſe promiſerat: Briſſonnetus enim, cuius auaritia res etiam Neapolitanas prorſus euertit, hunc quoque quæſtum ſpe deuorans, & apud Carolum valde potens bellum quotidie aduerſus Sfortiam magis, ac magis accendebat; & Rothomagenſi Pontifici aureos monteis auri auiditate cæcus pollicebatur. Sed viri militares à prælio, tametſi ad ſoluendam Nouarianam obſidionem neceſſario, plurimùm abhorrebant: non enim Regis, ſed Aureliani res agebatur, & hoſteis tanto numero, tantíſque viribus in locis munitiſſimis caſtrametatos aggredi temerarium, & à militari diſciplina nimis alienum erat: Gallicus enim equitatus, atque Heluetiorum peditatus iuncti quantumuis magnas copias apertis campis inuadere, ac ſpondere ſibi victoriam poterant: ad oppugnationes obeundas numero præſertim inferiores vtrique minùs apti erant. Nec Carolus tantam Aureliano potentiam ambire, nec alterum vnius vrbis retinendæ gratia pugnæ diſcrimen ſubire æquo animo videbatur: & (vt varia hominum ſtudia ſunt) qui Aurelianam ſectam ſequebantur, prælium depoſcebant: cæteri & Regis, & exercitus periculum reformidabant, vtriuſque ſaluti conſulendum putabant: etenim & grauis inſtabat hyems, & qui Neapoli redierant, partim diuturni belli tædio, partim morbis afflicti diffluebant: nonnullis Carolus ipſe miſſionem dabat, tum præcipuus belli neruus pecunia omnino deerat: & Rex ipſe paucis è ſuis comitatus tantæ Heluetiorum multitudini, quæ intra paucos dies acceſſura expectabatur, haud ſatis tuto committi videbatur; quos parua ex occaſione, quam ſibi vltro fortaſſe confinxiſſent, vti & mox quoque confinxerunt, & Beſſaium, Lernaiúmque *Nouaria ad extrema rerum omnium penuriam redacta.*

Digitized by Google

præfectos ſtipendij non perſoluti ſpecie retinuerunt, Regem, illuſtrioréſque principes Gallos captiuos abducere,& ſe direptis caſtris Gallicis domum recipere potuiſſent.

Itaque prope omnes præcipui duces, in primiſque Arauſius,cui primas in ſuo exercitu Carolus deferebat, ad pacem inclinabant : Lignius, ac Briſſonnetus Cardinalis aliis in rebus prorſus diſſentientes tum,ſed longè diuerſa de cauſa,forte cõcordes prope ſoli ab Aureliano ſtabant:ille priuata amicitia, & publico Gallici nominis propagandi ſtudio fretus, hic auaritia raptus Mediolanẽſem Aurealiano principatum ambiebat:rem in Regio conſilio agitatam,vt reuera fuit,Ludouicúmque Trimulliũ prælium ſuaſiſſe. Arauſium diſſuaſiſſe ſcribit Guicciardinus,atque orationes vtriuſque cõtrarias diſertę vernacula eloquentia repræſentat:at Trimullium Cominæus princeps fœderis huius conciliator cum Arauſio conſenſiſſe teſtatur,cui ſine controuerſia maior fides adhibenda eſt.Cùm primùm igitur ad Vercellas Galli caſtra habuerunt, ibi Arauſius, Franciſcus Borbonius Comes Vindocinus,Fuxius,Gienſis,Ludouicus Trimullius,cæterique Galli proceres remanſerũt:Rex altero die in vrbem reuerſus eſt,& Briſſonnetum Cardinalem pridie Kal.Septemb.Galliarum Cancellarium declarauit.In cœno multa aqua diluto papiliones ſæpe tendere milites cogebantur, & hyeme iam imminẽte pingue ſolum crebris imbribus madefactum hominibus pariter,ac iumentis morborum cauſam, & autumni declinantis intemperies pleriſque mortem attulit. Hinc Franciſcus Borbonius Vindocinenſis regulus ſingularis indolis adoleſcens,rariſque tum animi,tum corporis dotibus præditus,qui fama prælij iamiam committendi per totam Galliam diuulgata curſoribus equis ad caſtra nuper acceſſerat, dyſenteria vexatus vitam edidit.Interim autem noſtri ſæpe commeatũ Nouariam importare tentabant,princépſque Iacobus Caſtilio vnus è ducentis prætorianis equitibus (quos vulgo ducentos nobiles vocant)cum ſexaginta cataphractis equitibus fortunã,ſed magna ſuorum iactura expertus eſt:alij maioribus viribus idem experti,infœliciùs etiam rem geſſerunt : quod itinera ita obſeſſa,munitáque eſſent, vt vi irrumpere,niſi admotis tormentis perdifficile eſſet.Et tum fere Mantuanus Franciſcino cœnobio non longè à Nouariæ mœnibus expugnato ibidem ducentos cataphractos equites, ac tria Germanorum peditum millia collocarat,poſtridie Nazarij ſuburbiũ vi cœpit:vbi Nicolaus Petilianus, qui ſecundum Mantuanum plurimum authoritatis in eo exercitu habebat, ſclopeto grauiter ictus in magnum vitæ diſcrimen incidit. Aurelianus de cæteris ſuburbiis tuendis deſperans eadem immiſſo igne ſuccendit : vrbi conſeruandæ duntaxat operam dedit, vbi incredibili tolerantia interdiu noctúque opera,ac vigilias circumeundo (quamquam importuna valetudine conflictatus) non ſolùm ſummi Imperatoris, ſed & ſtrenui centurionis officium præſtitit;in prælio tamen intra paucos dies committendo ſpem omnem collocauit. Iam enim noui Heluetiorum delectus ad Vercellenſia caſtra appellere cœperant,& vniuerſi in dies expectabantur : iam in illis caſtris pugna ab Heluetiis præſertim depoſcebatur, quos Triuultius Sfortiæ odio,& nonnulli in Aureliani gratiã incitarant, & vt hoc nomine Regem adirent,perfecerant.Sed vel fortuna,vel potius Deus Opt.Max.tantos exercitus concurrere,& in mutuam perniciem ſæuire noluit:aliam rationem,qua honeſtis cõditionibus diſiungerentur,& ſe ad ſuos ſine cæde vtrique reciperent,oſtendit. Fato nuper functa erat *** Monferratenſis Marchionis vidua vxor vnico filio relicto : pupillli curam, principatúſque adminiſtrationem ſibi committi Conſtantinus Cominatus pupillorum auunculus (vt Guicciardinus) vel magnus auunculus (vt Cominæus ſcribit) cuius ſupra mentionem fecimus,ac Ludouicus Salaſſus ambiebant. Vt res ex vniuerſi populi conſenſu componeretur, Philippũ Cominæum Caſale miſit Carolus, qui rogatis optimatum ſententiis maiorem, potiorémque partem ad Conſtantinum inclinare deprehendit:quod haud ſatis tuto pupillus committi Salaſſo videretur, qui Marchionatum ipſum quodam ſuo iure ſibi vendicaret. Conſtantinum itaque pupilli tutorem, regioniſque adminiſtratorem Regio nomine Cominæus pronuntiat; cui vel propter ſummam eius populi erga Regem obſeruantiam, vel propter viciaam potentiam nemo interceſſit. Eodem interim ex domeſticis hominem perfamiliarem miſit fortè Mãtuanus, vt quem ex nobilis matronæ affinis morte dolorem concepiſſet ſignificaret; & pupilli ſibi propinqui ſolaretur orbitatem. Cum hoc Cominæus de concilianda pace communicauit : reſpondit ille Alexandrum Pontificem, Maximilianúmque Cæſarem inter fœderatos numerari,non eandem eſſe Regis authoritatem,de pace prior Rex verba faceret,ab ea fœderatos haud fore alienos.

Ad hæc Cominæus illos omnia per legatos gerere,Carolũ gerendis rebus interẽſſe ſubiunxit;ineptas eſſe huiuſmodi diſceptationes:ſe,dum Venetiis migraret, Venetis duumuiris militaribus coẽundæ pacis interpretem fore promiſiſſe:ad Tarrum ante pugnam Forouanam 5

Briſſonnetus Cancellarius declaratur.

Cominæus de cõcilianda pace cõmunicat.

nouanam

Digitized by Google

nouanam in id incubuiſſe, nunc quoque, vt eadem concilietur; ſiquidem illis è re vtriuſque exercitus eſſe videatur, operam daturum. Conuenit vt ad Venetos duumuiros Lucam Piſanum, Melchiorémque Treuiſanum, de quibus ante ſatis multa diximus, Cominæus ſcriberet. Illi litteris acceptis Senatum Venetum certiorem reddiderunt: reſponſo accepto ad Vercellenſia caſtra quadam viſendi filij ægroti apud Triuultium agentis ſpecie miſſus eſt Albertinus Boſchetus Ferrarienſis. Is à Mantuano, Venetiſque legatis, ac cæteris Italici exercitus ducibus ſe mandatum habere denuntiauit, vt quinquaginta equitibus liberè coeundi teſſeram ab Rege impetraret: Mantuanum, ac comites, quo loco Regi videretur conuenturos, ac de re communi in commune conſulturos. Hæc ille palam in Regio conſilio, priuatim autem cum Rege Triuultio aſtante colloquutus, ne teſſeram vllam Rex daret, aut ad pacem animum adiiceret, ſuaſit: conſternatas nimiò pauore eſſe fœderatorum copias, & breui inde migraturas addidit, ac ſibi iniunctum munus priuata gratia hinc Ferrarienſi hero, inde Triuultio inſtigantibus perfidioſus corrupit: nec tamen, quod aſtutè moliebatur, obtinuit. Sfortiæ Triuultius, eiuſdem quamquam generi, ac Venetorum odio Ferrarienſis ardebat, quod Poleſelianam peninſulam, cuius ſupra meminimus, & caſtella quædam præterea Ferrarienſis ditionis inuaſiſſent: & tamen bellica fraude alterum è liberis ad Sfortianum, alterum ad Caroli exercitum militatum ante miſerat. Re ad conſilium relata poſt multas altercationes Carolus teſſeram dedit, & in craſtinum Burgarum inter ac Camarianum conuentum fore denuntiauit. Conuenere à Rege Arauſius, Gienſis, Piennus Regij cubiculi præfectus, Cominæus: à Venetis Mantuanus ac Bernardus Contarenus, Epirotarum equitum præfectus, à Sfortia Franciſcus Bernardinus Vicecomes: hoc colloquium pacis ineundæ initium fuit, multos autem poſtea egere conuentus. Sed quandoquidem extrema fame Nouarienſes laborabāt (ad duo enim millia iam interiiſſe ferebantur) primo conuentu Aureliano, ac Salaſſo Vercellas proficiſcendi poteſtas facta eſt: ea tamen conditione, vt ſi fœdus interrumperetur, cum iiſdem comitibus Nouariam redirent, & quoniam per medios hoſteis Aurelianus Nouaria egreſſus tranſire cogebatur, obſidē ſe Mantuanus obtulit, & ad Fuxium non longe à Burgaro ſtatiua habentem ſe contulit. Non æquo animo Aureliani diſceſſum Nouarienſes milites ferebant, nec ante exire paſſi ſunt, quàm intra triduum illos quoque egreſſuros Gienſis promitteret, ac Romefortium ſororis filium promiſſorum obſidem relinqueret. Quarto poſt die præſidiarios milites ad quinque millia, ac quingentos exiiſſe traditum eſt: vrbs Nouarienſibus ciuibus commiſſa ſacramento adactis, ne quemquam Gallum, Italúmve, niſi rebus omnibus compoſitis, aut prorſus deſperatis admitterent: arcem tamen Galli numero triginta interim inſederunt, & victum pretio ſibi, ſed in dies pararunt. Sed qui Nouaria exierant, fame ita exinaniti, tot morbis ita afflicti erant, vt plerique in itinere, Vercellis trecenti, aut paulò etiam plures mortui ſint: vix ſexcenti ex omni numero bello apti recenſerentur, cæteri inutiles tabeſcerent, nec niſi longo temporis interuallo in priſtinam valetudinem redituri viderentur: quibus Vercellas deductis Beſſaius cum decem Heluetiorum millibus eodem appulit, totidem millia decimo inde milliari caſtra habere iuſſit (tantam enim barbaræ nationis tumultus ſæpe leui de cauſa excitare ſolitæ multitudinem in vnum coire haud tutum videbatur) quod ſi paucis ante diebus appuliſſent, omneis nimirum fœderis conditiones reiectæ fuiſſent. Iam enim in caſtris Gallicis octo Gallorum peditum millia, Heluetij Neapolitana expeditione perfuncti bis mille quingenti, aut paulò plures, mille octingenti cataphracti equites conuenerant.

Milites Nouaria egreſſi omnes penè vel mortui, vel bello inutiles redditi.

6 Verumenimuero tum fœderis conditiones prope vtrimque acceptæ erant, & relictam Nouariam recuperare perdifficile erat: Sfortia item, qui nuper huius fœderis ineundi ergò ad caſtra Italica redierat, redire quoque in gratiam cū Rege magnopere cupere præ ſe ferebat. Arauſius autem cui vel propter excellens ingenium, fortitudinémque, vel quod, qui ſe ad Regum ſenſus accommodant, plurimùm iiſdem ſapere videantur, multùm Carolus tribuebat, tanto conatu in id incubuit, vt Maximiliano Imperatori addictus non minus rem Mediolanenſem, quam Gallicam conſtituere in animo habere putaretur: vnde in Regio conſilio altercatione efferueſcente Aurelianus iracundia elatus eundem mentiri, quæ ſumma Gallis contumelia eſt, palam in iurgio proclamauit: miſſi nihilominus Gienſis, Piennus, Moruillerius, Ganaius, præfectus Carnutenſis (Vidamum vulgo appellant) Cominæus, qui fœderi ſanciēdo ſummā manum imponeret: quod, tametſi vſquequaque ratum fore non putabant, tamen quadam velut neceſſitate victi, vt duos potentiſſimos exercitus (nam in fœderatorū caſtris quinquaginta, vt militū miniſtri non numerarētur, bellatorum millia Iouius conueniſſe teſtatur) non æqua conditione dimicaturos, honeſta æquáque ratione

Digitized by Google

Fœderis capita recēſentur. tione diſiungerent, ad ſextum Idus Octobr. in hæc fere capita ſanxerunt: perpetuam inter Regem, Sfortiámque amicitiam fore vtrimque ſpoponderunt:atque in primis,vt Nouariam vrbem,atque arcem Sfortia reciperet,Spedia,cæteræque vrbes,arcéſve ab vtriſque occupatæ antiquis poſſeſſoribus redderentur: Genua,quæ Reges Gallos patronos agnoſceret,tanquam ſua quodammodo Rex vteretur,hoc eſt,ibi naues ædificandas, armandas, commeatu inſtruendas curaret, eo nomine Regi Genuenſes obſides darent: Regi amiſſæ ad Rapallum, & duodecim Genuæ retentæ triremes redderentur, ſuíſque impenſis duas Genuenſes magnas naueis Sfortia rebus omnibus inſtrueret,Regíque vtendas cõmodaret, quas Rex vnà cũ ſuis quatuor eiuſdem magnitudinis Neapolim mittere decreuerat. Treis item anno proximo eiuſdem generis naueis Regi Sfortia ſuppeditaret, Regiis regnum Neapolitanum repetentibus modò non plures ducentis cataphractis equitibus ſimul ingrederentur,neque alij ſuccederent prius,quàm hi è Mediolanenſi agro exiiſſent,liberum per ſuas ditiones tranſitum permitteret. Regem, ſiquidem ipſe regnum Neapolitanum deintegro repeteret,cum præſcripta equitum, peditúmque manu idem Sfortia comitaretur; Veneti intra alterum menſem, ſi illis ita videretur,in fœdus reciperentur, ſed ea conditione, ne Ferdinando Arragonio ſuppetias ferrent: ſin abnuerent, iiſdémque bellum Carolus indiceret, ſe belli ſocium Sfortia Carolo adiungeret, auxiliaréſque copias mitteret: ea tamen conditione, vt partas bello vrbeis poſſidendas acciperet. Impenſæ nomine quinquaginta nummûm aureorum millia intra Martium menſem Aureliano penderet, Regi octoginta mutuo data accepta ferret: ſiquid præterea Regi in bellum Neapolitanum expenſum tuliſſet, id mox æquis penſionibus reciperet, (quadraginta autem quatuor millia in expenſi rationibus ſuperfuiſſe ſcribit Cominæus, longè plura Iouius, Bembus ab vtroque diſſentit: Guicciardinus quot ſuperfuerint, ſilet.) Ioanni Iacobo Triuultio patrimonium, quod ſibi commiſſum Sfortia vendicabat, ſuáque omnia reſtituerentur, Borbonius nothus, Miolanius, cæteríque captiui Galli liberi ad ſuos redirent, Florentinos in ſuis recuperandis Sfortia ne impediret: Genuenſem arcem, quaſi depoſitam atque huius fœderis velut obſidem Herculi Ateſtino Ferrarienſi regulo intra menſem committeret, quam Ateſtinus biennium communibus Regis ac Sfortiæ impenſis præſidio teneret, atque interim, ſiquid contra fœdus Sfortia faceret, eandem Regi poſſidendam traderet: deponendæ intra menſem arcis Genuenſes duos, totidem Mediolanenſes viros primarios Sfortia obſides daret. Guicciardinus in hiſce capitibus fere cum Cominæo conuenit, Iouius ab vtroque diſſidet, nec omnia capita perſequitur, non ſecus, ac Cominæus, tametſi is fœderi ſcribendo affuit: Bembus, Iouius, Guicciardinus vt ab aliis audierunt, ita litteris mandarunt.

Hoc fœdus ſe religioſè obſeruaturum Sfortia iureiurando ſanctiore confirmauit, Veneti bimeſtrem deliberandi dilationem poſtularunt: quibus ad Carolum relatis in fœdus viciſſim & ipſe iurauit, ac poſtridie ad iter ſe comparare decreuit. Tanta illi, nec verò illi ſolùm, ſed & Gallis prope omnibus in patriam redeundi cupiditas inceſſerat (quod leuitatis genus excuſare vix ſanus quiſquam poteſt) victi enim, & de rebus ſuis deſperantis exercitus, non victoris, & qui totam penè Italiam ſubegerat, reditus fuit. Hinc Sfortia, ac Genuenſes obſides dare recuſarunt: vnde poſtea, nec promiſſas naueis dederunt, nec vt ſuas Carolus è Genuenſi portu educeret, permiſerunt. Hinc res Gallicas non conſilio, ſed impetu quodam, ac leuitate geri Itali omnes iudicarunt; & eam potentiam,quam tantopere antea reformidarant,contemnere cœperunt: hanc arte ſe eluſuros, ab eadem ſe facilè vindicaturos ſperarunt: hinc paſſim Venetos, Sfortiámque vna voce communis libertatis aſſertores prædicarunt. Quamquam tam repentinæ profectioni Heluetios anſam dediſſe traditum eſt: illi enim ab Aurelianenſibus, hoc eſt, ab iis, qui Ludouico Aureliano fauebant, & hoc fœdus turbare ſumma ope contenderant, excitati tota nocte tympanis, cornicinibúſque ſuo more concilia paganica,ad quæ cuncti eiuſdem pagi conuenirent,agitarunt,nec in eadem ſententia fuerunt. Alij Regem, ac Gallici exercitus proceres comprehendendos,abducendóſque cenſebant,alij Regi parcendũ cæterum proceres apprehendendos:alij,iique moderatiores neutrũ probabant, ſtipendiũ trimeſtre, nec quicquã præterea depoſcendũ iudicabant;id enim Ludouicum Caroli patrẽ Heluetiis pollicitum,quoties explicatis ſignis è patria exirent:At iſtud falsò cõminiſcebantur, & de menſtruo ſtipendio cum Beſſaio illi ipſi conuenerant. Iam nonnullos è ſuis in vrbẽ immiſerant, quum Lornaius, qui cum Beſſaio illis Regio nomine præerat, & Heluetićum ſermonem probè callebat,Regem horum omnium certiorem reddidit.Ille,antequã Heluetij diu inter ſe diſſentiẽtes concilia ſua diſſoluiſſent,Trinum Statidorum Ligurum oppidum 7

Gallorum ex Italia diſceſſus ta inopinatus cui adſcribendus.

(Monſerra

Digitized by Google

(Monferratenſeis vulgò appellant)profectus eſt: Heluetij quoque, qui Neapoli redierant, quindecim dierum ſtipendium, vt domum redirent, poſtularunt, & Beſſaium, Lornaiúmque præfectos retinuerunt: vtriſque ſatisfactum: illi trimeſtre, hi dimidiati menſis acceperunt. Quapropter ſuos ad militiam exercere diuerſam à patre rationem ſequutus, nec peregrino amplius, aut certè raro milite vti Carolus decreuerat. id autem ſine vllo ſuo diſcrimine facturus videbatur: comis enim princeps, atque omnibus acceptus, hoc vnum reprehenſione dignum admittebat, quòd nonnullis humilis ſortis hominibus, Briſſonneto (inquam) ac Stephano Verſio, pauciſque aliis quaſi obnoxius ſe plus æquo dabat: cæterum nihil crudele in ſuos, nihil auarum, nihil tyrannicum moliebatur. At Ludouicus Caroli pater hiſce de cauſis pleroſque proceres, & bonam Galliarum partem à ſe abalienarat: ſuis diffidens eoſdem militiæ aſſueſcere noluerat, externum militem accerſiuerat, quem potius nonnulli poſtea, quàm ſuperiores Reges ex bono & æquo imperanteis imitari maluerunt.

Carolus peregrino milite non amplius vti decreuit.

8 Sic Turca nationibus à ſe nuper deuictis, ſic quotquot impotentius dominantur in ſuos, iiſdem pariter interdicere armis, ſuis ſatellitibus vel externis diripiendos, violandos, cædendos obiicere, ſeruilem in modum opprimere conſueuerunt, dum metui magis, quàm amari cupiunt; qua ratione tyrannorum immanitas à piorum Regum ſanctitate diſcerni ſolet. Poſteaquam Trinum appulit Carolus, Gienſem, Cominæum, Ganaium ad Sfortiam, vt ſe inuiſeret, remiſit, amicitiam mutuo colloquio arctiùs, quàm vel ſcripto, vel legationibus confirmatum iri. Ille ad Regem accedere multis de cauſis recuſauit: vel quod ipſum Ticini, dum Regi antea obuiam iiſſet, retinendum Lignius dixerat: vel quod Briſſonnetus Cardinalis, qui vnus apud Regem fere omnia poterat, multa in eandem ſententiam, aut etiam duriora effutiuerat: hæc palam. Cæterum ne fœderatis in ſuſpicionem veniret, néve ſuarum aduerſus Carolum machinarum conſcius, ipſe diſcrimen aliquod ſubiret, recuſaſſe plerique exiſtimarunt. Colloquium tamen in hanc formam obtulit; vt pons ex lembis extructus, fluuióque impoſitus validis cancellis ligneis medius interſtingueretur, ab altera parte Rex, ab altera Sfortia in colloquium veniret; vti aliquando cum Anglis Galliarum Reges, & cum aliis magnis principibus colloquuti feruntur: quod Carolus Maieſtate ſua indignum ratus (nouum enim hominem, cuius proauus cerdo Cutignolanus fuit, alieni dominatus occupatorem ſibi adæquare viſus eſſet) nullo reddito reſponſo Trino ſtatim Cherium profectus eſt, Triultio Aſtæ quam ab Aureliano emiſſe præ ſe ferebat, cum quingentis cataphractis equitibus relicto. Sed hi externi, ſuperbíque præfecti imperia obire dedignati nulla impetrata miſſione in Galliam non ſecus atque alij paucis poſt diebus prope omnes redierunt. Miſſæ inde aliæ aliò legationes: Genuam Pero Baſcius, vt promiſſas naueis reciperet, quatuórque (vt ſupra memini) Regio ſumptu ædificaret: vtraſque, atque alias aliquot Genuam è prouincia Phocenſi nauigare iuſſas cum Arbanicis, quæ ad Liburnum ſubſtiterant, coniungeret, Hac claſſe & Neapolitanis arcibus opem ferre, & cum Arragonia, Venetáque ad portum arcibus ſubiectum ſtationem habentibus confligere, ſi ita occaſio ferret, Carolus decreuerat: at tantum abfuit, vt naueis promiſſas Sfortia dederit, vt Regias quatuor magnis ſumptibus inſtructas Genuenſi portu egredi vetuerit, & contra Ferdinando Arragonio duas auxiliares Neapolim miſerit. Miſſus & Venetias cum hiſce mandatis Cominæus: primùm vt Monopolim Carolo ereptam Veneti redderēt: tum vt Mantuanum, copiáſque ſuas è regno Neapolitano reuocarent: poſtremò vt in fœdere, quod nuper cum Alexandro Pontifice, Maximiliano, Ferdinando, Hiſpano, Sfortiáque coierant, Ferdinandum Alphonſi Arragonij filium haud contineri declararent, neque enim diſertè aſcriptus erat: tametſi, vt in fœdere comprehenderetúr præſertim poſt receptam Neapolim, Ferdinandus Hiſpanus ſummopere laborauit: cæteris fœderatis aſſentientibus ſoli Veneti partem eius regni quaſi auxilij præmium licitantes obſtiterunt: nec antequam eas, quæ mox enumerabuntur, Appuliæ vrbeis in pignus reciperent, conſenſerunt.

Sfortia ad Carolum inuiſendū inuitati reſpōſum.

Quid Cominæus Venetias miſſus in mandatis habuerit.

9 Cominæo prius quàm Senatus reſponderet, in triduum publicas conciones ſupplicationes, egenis, ac viris piis diuinis miniſteriis addictis cum aliarum rerum, tum pecuniæ erogationes, quas eleemoſynas vulgò appellamus, diſtribuendas indixit, Deum Opt. Max. precatus, vt quod è Rep. eſſet, fauſtum, felixque conſilium ſuggereret: quod in rebus maioris momenti factitare identidem ſolet. His ita procuratis, & diebus aliquot exactis Dux Venetus (ſic enim appellatur) reiectis Regiis poſtulatis Venetis nullum cum Carolo bellum eſſe reſpondit: Aurelianum Nouariam inuaſiſſe, Venetos Sfortiæ fœderato auxilio fuiſſe. Hæc publicè: priuatim autem de Ferdinando Arragonio Carolo conciliando egit, quem regnum Neapolitanum aſſentiente Alexandro Pontifice (ſiquidem id regnum

Ducis Veneti ſermo ad Cominæum.

in Romanorum Pontificum fide eſſe etiam Galli, quotquot Neapoli regnarunt penitus agnouerunt) veluti feudum (vt loquuntur) vel fundum Gallis Regibus obnoxium agniturum, eóque nomine quinquaginta nummûm aureorum millia Carolo, cæteriſque Gallorum Regibus quotannis depenſurum, ſummam præterea non contemnendam pecuniæ repræſentaturum, nonnullas etiam Appuliæ vrbeis Carolo relicturum ſpondebat: Tarentum autem intelligebat, quod etiam tum in Caroli poteſtate erat. Id porrò offerebat, quòd Tarentum procul à Gallia non ita lato interiecto mari à Græcia ſeparatur, idcircóque Carolo, qui ſe bellum Turcicum ſuſcepiſſe profitebatur, commodius videri poterat: vnum, aut alterum (ſi Carolus conditiones accepiſſet) oppidum additurus videbatur. Hæc omnia Veneti in rem ſuam excogitarant, & vires Gallicas oſtentantes Alexandro Pontifici, Ferdinandóque Arragonio ſuadebant, quorum potentiam imminutam volebant. Hunc præterea multis nominibus obæratum nunquam Brunduſium, Hydruntum, Monopolim, Tranium, Molam, Puliuianum Appuliæ vrbeis ſibi oppigneratas liberaturum ſperabant: & vt inter finitimos de finibus, aliiſque de cauſis controuerſiæ ſæpius oboriuntur, occupandi eius regni occaſiones ſibi aliquando non defuturas ominabantur. Sic paulò ante Cyprum inſulam (quod pupilli Regis mater Veneta erat) tutelæ ſpecie adminiſtrandam ſuſceperant, mortuóque pupillo (de cuius morte plerique malè ſuſpicati ſunt) præter ius & æquum, regnum id inuaſerant. Addebat Dux, ſi Carolus Turcicam expeditionem ſuſciperet, Venetos centum triremibus maritimam, terreſtrem quinque equitum millibus proſequuturos: totam præterea Italiam, cui Carolus, ac Veneta Reſp. facilè imperaturi ſint, pecuniam in id bellum contributuram. Maximilianum quoque Romanorum Regem alia ex parte communem hoſtem perſequuturum.

Hæc ſe ad Regem perlaturum Cominæus reſpondit, & inter redeundum Sfortiam 10
Mediolani de promiſſis nauibus tradendis compellauit: ac quod in recenti fœdere conciliando ſedulam operam nauaſſet, enixè rogauit (nondum autem Neapolitanæ arces deditæ erant, & ſine hiſce nauibus ſperatum auxilium accipere haud poterant) ſe ſi conuentis non ſtaret Sfortia, Cominæus malè apud Regem hoc nomine auditurum eſſe, & apertam inimicis ſuis calumniandi anſam in promptu fore confirmabat: nauibus non dimiſſis arceis Neapolitanas, hoc eſt, regnum ipſum amitti; Regi perpetuam huiuſce perfidiæ, violatíque fœderis inuſtum iri memoriam, magnum adhæc Italiæ malum illum imprudentem moliri, Venetos ex paucis Appuliæ vrbibus in cæterum regnum inuaſuros, & vniuerſæ tandem Italiæ imperaturos. Hæc Sfortia veriſſima eſſe, ſed viciſſim nihil apud Carolum ſibi tutum videri fatebatur: vnde ſe prorſus inexorabilem præſtitit. Lugdunum inde profectus Cominæus, vbi Carolus rerum Neapolitanarum penè oblitus matronarum choreis, ludicris equitum certaminibus, atque aliis id genus ſpectaculis operam dabat, pridie Id. Decembres appulit. Carolo oblatas à Senatu Veneto conditiones indicauit, quas tametſi is initio non ſatis probabat, tamen Neapolitanarum arcium conſeruandarum, recuperandíque eius regni ſpe fere abiecta eaſdem mox accipere cupiebat. Sed Cardinalis Briſſonnetus, eiúſque propinqui, qui Regio ærario præerant, Romano auro corrupti obſtabant; & Regem (vt clam pactus cum Alexandro Briſſonnetus ferebatur) res Neapolitanas prorſus abiicere cupiebant: hinc neminem qui ex alieno ingenio, conſilióue pendet, res magnas geſſiſſe manifeſtum eſt, præſertim ſi vni (vt Briſſonneto Carolus) ſe penitus dedat, cæteróſque illi parere iubeat: qui eo authoritatis aſcenderunt, reipſa Reges: qui promouerunt, non Reges, ſed vanæ Regum imagines, aut quædam veluti animata ſimulachra dici poſſunt. Mirum videri debet, quòd à Carolo mandatum ad Venetos de Mantuano reuocando ſe tum Cominæus accepiſſe ſcripſerit, quum is circiter Id. Febr. proximi anni, qui nonageſimus ſextus eius ſæculi fuit, Mantua profectus (vt tradit Iouius) initio Iunij ſequentis (vt Guicciardinus) ſe Ferdinando Arragonio ad Luceriam iunxerit. Memoriæ lapſum dicerem, qui magnis, doctiſque viris nonnunquam euenire ſolet, niſi Cominæum virum prudentem hæc ipſa, quæ geſſiſſet, non multò poſt litteris mandantem Regiorum mandatorum non meminiſſe veriſimile non eſſet: vt illorum ſententia non abſurda fortaſſe videatur, qui poſteriores Cominæi libros ſeptimum (inquam) atque octauum, qui de Carolo Rege ſcripti ſunt, non Cominæi, ſed alterius cuiuſdam ſcriptoris eſſe multis de cauſis exiſtimarunt: tametſi Italos ſcriptores potius, quam Cominæum, qui gerendis rebus interfuit, tempus, quo Mantuanus Neapolitanam protectionem inierit, ignoraſſe veriſimile eſt. Conueni hominem fide dignum, qui integros Cominæi libros, vberioréſque, quàm nunc legantur, manuſcriptos ſe vidiſſe diceret: ſed antequam ederentur (quandoquidem poſt Cominæi mortem editi ſunt) à Ioanne Selua

Senatus

Digitized by Google

Senatus Pariſienſis principe emendatos, aut potius mutilatos, multiſque locis detruncatos typis mandatos confirmaret, vt ab homine eius hiſtoriæ ignaro aliquid affictum, aut immutatum minus admirari debeamus; qui tanto nihilominus in pretio poſteà fuerunt, vt eos Carolus V. tanti nominis Imperator non ſecus, ac quondam Homeri Iliadem Alexander Magnus, aſſiduos ſibi comites delegerit.

Cominæi libri quãto in pretio apud Carolum V. habiti fuerint.

11 Triſtis fuit Caroli in Galliam reditus iniquo fœdere confirmato: ſed triſtior fortaſſe ſpurciſſima lue & antea incognita in patriam reportata: morbum Hiſpanicum nonnuli, alij Neapolitanum, alij Gallicum appellarunt, quod ab Hiſpanis primum illatus, Neapoli multum auctus, à Gallis tota Italia, Galliáque, & in aliquot aliis regionibus ſit propagatus. E noui orbis, quam Americam, & quartam orbis partem vocant, ab Hiſpanis, qui cum Chriſtophoro Colombo Ligure ab Athlantico freto in Indiam, Orientémque nauigarunt, in hunc noſtrum orbem primum quidem in Hiſpaniam, deinde Neapolim translatum quidam putant: alij à Iudæis tum Hiſpania pulſis & in cæteras regiones præſertim in Italiam diſperſis propagatum produnt: contactu venereo maximè, ſed & alio quouis huius ſenſus genere contrahitur. Venereus contactus virile membrum primum inficit, deinde in cæteras corporis parteis tam interiores, quam exteriores prorepens abrodénſque non ſolùm ſpiritus, atque humores, ſed etiam muſculos, ac carnem inficit: liuidas rubenteiſque puſtulas, & nonnullis cruſtoſa, aliis caua, malignáque vlcera edit, cruciatúſque infert intolerabiles: faciem autem niſi medelam adhibueris ita deformat, vt eo infectus, qui olim fuerit, vix agnoſci poſſit: cætera contactus genera minùs nocent & ſi maturè prouideris faciliorem curationem admittunt: infans pollutus nutricis mammam, polluta nutrix nunc infantis os, aliquando parteis interiores, obſtetricis manum polluta mulier pariens corrumpit: quinetiam polluti ſudor ſi in ſimul dormientis cutem, aut poros cutis potius peruaſerit, eam pariter luem inſtillat: incognito morbo initio Medici hydrargyrum, quod maximè nocet, adhibuerunt. Vidi qui ſola, ſed vehementi exercitatione vſi mutata ſæpius interiore tunica, mox lectulo decumbentes multúmque ſudantes, ac ſudorem calefactis linteolis abſtergentes accurata victus ratione addita nullis accerſitis aut medicis aut medicamentis plane conualuerint: experientia tandem morbi naturam explicante, ac remedia commonſtrante præſentiſſimum medicamentum ab ipſis Americæ inſulis vnde morbus prodierat, quæſitum, ac repertum eſt: quod Conſaluo Ouiedo Hiſpano viro nobili tribuunt, qui non ſolum in America, ſed & in inſulis illi adiacentibus aliquandiu verſatus Indicam hiſtoriam vernaculo ſermone ſcripſit, & Carolo V. Imperatori dedicauit: morbum in illis inſulis vulgarem non ſecus atque apud nos febres eſſe ſolent, refert: nec adeo multum ſæuire, quod remedium in promptu ſit: id eſt, Gaiacum arbor ibi familiaris, & quaſi domeſtica, cuius decoctum huic morbo præſertim eius initiis adhibitum facile medetur: alij ligno, quod ſanctum vocant, & in iiſdem inſulis reperitur, vtuntur: nonnulli etiam China, vel Cina radice, quæ tamen articularibus morbis ſubleuandis commodior eſſe perhibetur: ea etiam idem Imperator Carolus frequenter vſus eſt, ſed quoniam noſtro ſæculo multi de hoc morbo multa ſcripſerunt, lectorem ad illorum commentarios remittere quam plura addere ſatius eſt.

Morbi venerei ſeu Neapolitani origo.

12 Vt ad Sfortiam redeam, is inito fœdere ſtare non decreuerat; ſed vt ingentibus ſumptibus parceret, tribúſque exercitibus agrum Mediolanenſem liberaret, multa ſimulatè promiſerat; cui ſimulationi & Veneti eorundem ſumptuum, quos ægrè tolerabant, magnitudine exhauſti facile aſſentiebantur: ne tamen ſtatim, apertéque ex fœderato hoſtem ſe profiteretur, nonnulla quaſi ex fœdere præſtitit: Mediolanenſes obſides dedit: Fracaſſium, quem ſuis ſtipendiis militare non diſſimulabat, nec diſſimulare poterat, Piſis reuocauit: captiuos Gallos ſuo ære liberauit, triremes ad Rapallum amiſſas reddidit, arcem Genuenſem Herculi Ferrarienſi, qui illuc eius recipiendæ ergo conceſſerat, veluti depoſitam credidit. Contra Lucium Maluetium cum ſuis copiis quaſi Genuenſium ſtipendiis militantem Piſis reliquit: duas ingenteis naueis ad Ferdinandum, antequam fœdus conciperetur, militibus, ſtipendióque affectas cauſatus, Neapolim miſit, quominus iidem Genuenſes promiſſos obſides darent, clam obſtitit: quódque rebus Neapolitanis perniciosiſſimum fuit, ne magnæ quatuor naues ingentibus Caroli ſumptibus inſtructæ, paratæque Gallo milite implerentur, néue portu Genuenſi deducerentur, perfecit, ſubornatis Genuenſibus, qui cautionem à Rege poſtularent, ne iiſdem nauibus ad commutandam Genuenſis Reip. adminiſtrationem vteretur. Conqueſto per legatos Carolo nunc ſe, vt naues quatuor Regiis impenſis extruerentur, ſed non vt Gallo milite inſtruerentur, promiſiſſe reſpondebat: duas præterea ſuas quas Regi vtendas permittere debebat, eadem in conditione

Sfortia nonnulla ex fœdere inito ne hoſtem ſe profiteatur ſimulatè præſtitit.

conditione eſſe prædicabat. Nunc ſe non merum prorſus in Genuenſes imperium, ſed præſcriptis conditionibus obnoxium habere cauſabatur, in his præſertim, quæ ad vrbis ſtatum cõſtituendum, commouendúmue pertinerent. Et vt ſpeciem æquitatis aliquam ſuis impoſturis adderet, Alexandrum Pontificem adhibuit, qui Genuenſes, ſi quas naueis Gallicas è ſuo pòrtu exire ſinerent, malarum dirarum comminatione, ac deuotione terreret. Adhæc Guidum Antonium Veſpucium Florentinum legatum Taurino Florentiam redeuntem, ac pacta conuenta cum Rege Carolo deferentem, & quod nullum Florentinis cum Sfortia bellum eſſet. Mediolanenſi agro tanquam amico liberè incedentem Alexandriæ intercipiendum curauit (occultè ad Carolum proficiſcentem Veſpucium interceptum falsò ſcribit Bembus) conuentionibus cum Venetis communicatis, vt communi auxilio Piſanos iuuarent, procurauit, Alexandro Pontifice, fœderatorúmque legatis aſſentientibus ne Florentini pecuniam, militémque Carolo promiſſum in Appuliam mitterēt, perſuaſit; id enim vtrique Veneti (inquam) ac Sfortia prætendebant. Sed reuera vtrique Piſanorum, Veneti etiam maius quiddam, hoc eſt, totius Italiæ imperium ambiebant: primúmque gradum Piſis in ſuam poteſtatem redactis vel propter maris, portúſque opportunitatem, vel propter Hetruriæ viciniam ſibi faciendum iudicabant. At Florentini conuentorum Taurini cum Rege Carolo initorum, captíque Veſpucij legatorum ſuorum litteris certiores facti auctis copiis Guido Baldo Vrbinate duce in Piſanum agrum inuaſerunt, ac Ponteſaccum primum circumſederunt. Sexcenti inerant Itali pedites, Vaſcones centum: ſed muris oppidi non ſatis muniti tormentorum vi proſtratis, foſſiſque virgultorum faſcibus oppletis de vita pacti deditionem fecerunt. Vaſcones nihilominus omnes cæſi: nam quod pactis Carolum Florentini non ſtetiſſe cauſarentur, ſua cum miſeris Vaſconibus non ſanctius obſeruanda duxerunt. Crudelitatis crimen in Franciſcum Montedolium deriuat Iouius, cuius cohortem Sergianum properantem Galli equites conciderant, ipſúmque ceperant, tum quum Carolus Neapolim proficiſcens agrum Piſanum ingreſſus eſſet: at ibi vera vi certatum erat, nulla pactio interceſſerat, hoſtes deprehenſi, qui furtim Sergianum à Gallis circumſeſſum, aut ſaltem iamiam circumſedendum ingredi parabant, belli iure cæſi erant. Hinc Entraguius indigna ſuorum cæde accenſus, & aliis fortaſſe rationibus fretus Florentinis deinde, quoad potuit, infeſtus fuit: vltra progreſſi Palaiam vicum ſeptimo obſidionis die deditione quoque ceperunt. Piſanum vicum inde, ſed infelici exitu oppugnarunt (caſtris enim infra oppidum ad Bientinam poſitis id vndique haud ambiebant) viam, quæ Caſcinam, quæque Piſas reſpiciebat, liberam relinquebant, an loci natura malè perſpecta an verò militum penuria coacti, incertum. Paulus Vitellius cum ſuis, fratrúmque alis, ac cohortibus intromiſſus vicum Piſanum egregiè tutatus eſt: Caroli litteris, quæſtoríſque Oſcitani mandato, qui Briſſonneti Cardinalis frater erat, & Petraſanctæ morbo vrgente ſubſtiterat, ſibi iniunctum profeſſus, vt Piſas, Piſanúmque agrum tueretur, donec ex conuentis Taurini conceptis Florentini, quæ ſua eſſent, eodem quæſtore Oſcitano tradente recuperarent. Florentini itaque non paucis è ſuis amiſſis, quod apertis locis caſtra poſuiſſent, & crebris tormentorum pilis præſertim ex ardua turri quadrata infeſtarētur, noctu luminibus extinctis Albarettum caſtra reduxerunt.

Florentinorum crudelitas in Vaſcones.

Interea Briſſonnetus quæſtor, quem etiam Lillenſem à fundo eiuſdem nominis appellarunt, ex morbo vtcunque conualeſcens recentibus à Rege litteris acceptis cum Entraguio de reddenda arce Piſana, Petraſancta, Mutronióque, quibus Entraguius præerat, ſedulò egit. At Entraguius vel communi Gallorum erga Piſanos commiſeratione tactus, quos duriſſimam Florentinis ſeruitutem ſeruiiſſe conſtabat, vel recenti ſuorum ad Ponteſaccum cæde indignatus, vel Piſanæ virginis Lucij Lantæ filiæ amore captus (nam quod ad pecuniam attinet, maiorem Florentini, quam Piſani offerebant) vel quod veriſimilius eſt, clandeſtinis Lignij litteris perpulſus, qui Briſſonneto Cardinali rem Florentinam procuranti, & hac, & aliis de cauſis inimicus idcirco Florentinis ſemper infeſtus fuit, nunc Regia diplomata in aliam à Germana ſententiam trahens, nunc Lignij chirographum depoſcens, ſine quo commiſſas arceis reddere ſibi licere inficiabatur, nunc alias cauſas adiiciens, longas moras nectebat: vt ad Carolum Regem Vercellis adhuc agentem legatos Entraguij contumaciam accuſaturos Florentini deintegro miſerint: Triturritam tamen, ſiue Liburnum (vt vulgo appellatur) interim Salentio præfecto, alæ Belmontanæ legato tradente receperunt. Vehementer indignatus Carolus noua diplomata expedienda curauit: Lignio vt Entraguium Regiis edictis parere cogeret, imperauit. Aureliani, cuius domeſticus Entraguius erat, litteras comminationis plenas addidit: virum primarium, cuius authoritate Entraguius moueretur, vnà mittere decreuit. Sed Lignij pertinacia, & apud Regem, 13

Quæ cauſa ſit cur Entraguius Regis mãdatis parere differat.

Regem, cuius conſobrinus erat, potentia effectum eſt, vt res in longum duceretur, & tandem ad nihilum prope rediret: neque enim is, cui multum deferre Entraguius deberet, miſſus eſt, nempe Lancepugnius, vir quidem nobilis, ſed nullo præterea titulo illuſtris: & quanquam Vitellij Rege, cuius ſtipendium merebant, ita iubente relictis Piſanis ad Florentinos defecerant, tamen Entraguius alias moras interpoſuit, donec rem eò deductam putauit, vt & propoſitum tenere, nec tamen Regio edicto ſeſe palam opponere videretur. Nam Marci ſuburbium Florentinæ portæ, arcique contiguum, quod Piſanis paulò ante ingenti propugnaculo in fronte erecto munire, & vltra quingentos ab arce paſſus munitionem producere, atque ad Arnum vſque circumducere permiſerat, inexpugnabile iudicans, præſertim quod non ſolùm Piſani, ſed & veterani mille pedites præſidio eſſent, Florentinis Florentinã ad portam (quam Marcianam etiam à Marciano ſuburbio, ſuburbium autem à Marci fano denominatum putant) arci coniunctam vti adeſſent, (id autem niſi expugnato Marci ſuburbio aſſequi haud poterant) ſignificauit: quos ſi Piſani intromittere recuſarent, ſe tormentis coacturum ex arce confirmauit. Florentini voti ſe breui compotes fore rati ſuburbium circumſederunt, & magno apparatu ad oppugnandum ſe compararunt, quibus penè plus, quàm optaſſent, fortuna indulſit: ſiquidem Piſani equites multis machinis bellicis, & in ſumma ſuburbij porta, & ab vtroque latere libratis conferti exeunt, ac Florentinos laceſſunt. In quos temeritate animaduerſa multas cataphractorum equitum alas Ranucius Martianus immiſit tanto impetu, vt multis cæſis, proculcatiſque ſuburbij portam vnà cum fugientibus ingreſſus ſit: pedites equitum fortunam ſequuti alij ad portam, alij ad aggerem hortis contiguum, alij ad eam regionem quæ ad Arnum tendit, procurrerunt; rariſque propugnatoribus repertis (nam peditũ, equitúmque robur ad defendendam portam Lucius Maluetius conuocarat) tripertito ſuburbium ingreſſi ſunt: pugnatum tamen eſt aliquandiu acerrimè, Piſanis, vt in re deſperata, nullum vitæ diſcrimen refugientibus, donec Vitelliani equites Arno paulo infra munitionem tranſmiſſo à tergo inſtiterunt. Tum Piſani rei nouitate perculſi, quod Arnum vado tranſmitti poſſe haud exiſtimarant, & ſe prope vrbe excluſos animaduertentes in fugam proruunt, atque ad vrbis portam aduolant, paucis cum Maluetio paulatim retrocedendo hoſtium impetum ſuſtinentibus.

Florentinorũ ad ſuburbiũ portæ Florentinæ inſignis clades.

14 Quod quum præter ſpem accidiſſet, vrbíque metueret Entraguius, tormenta ex arce exonerare, ſagittas, ſaxáque per decliuia in ſubiectos nullo diſcrimine eiaculari, præcipue tamen Florentinos indignæ Vaſconum cædis pœnas daturos petere iuſſit. Florentini accepta inſigni clade, ob multitudinem enim iacturam maiorem accipiebant, ab vrbis porta ſecedere, & ſe in tutiora ſuburbij loca recipere, ac paucis poſt diebus ſuburbium ipſum relinquere coacti Caſcinam conceſſerunt, tormentáque, atque omnem commeatum in ſuburbium immiſſum ſecum aſportarunt. Sub id tempus & Lillenſis Cardinalis Briſſonneti frater in febrim relapſus, in caſtris Florentinis moritur, & de Vercellenſi fœdere Piſas certus nuncius affertur: quod Piſanorum animos mirandum in modum erexit: multum enim eo fœdere Caroli Regis exiſtimationem imminutam Sfortia monente intellexerant: Gallos de rebus Neapolitanis prope deſperaſſe, nulla auxilia mittere: contra fœderatos de tuendo aduerſus Gallos Ferdinando, oppugnandíſque Florentinis conueniſſe: quod externi Regis parteis ſequuti communem Italiæ libertatem prodidiſſe conuincantur. Et hæc quidem tum Piſis agebantur: at Carolus quanquam Lugduni aliquot diebus ſe pene totum voluptati dedit, & rerum Neapolitanarum oblitus videbatur, tandem tamen Gemellum virum nobilem, atque honoratum ad Entraguium, inde ad Virginium Vrſinum miſit, vt illum Regiis mandatis parere perpelleret: hunc in Regis parteis pertrahere tentaret: Gemello Bonnum Entraguij propinquum, vt Regij mandati fidem faceret, Camillum item Vitellium, vt in perſuadendo Virginio operam nauaret, ſocios addidit: naueis magnas quindecim, ſeptem minores parari iuſſit, quas Sicambri, ſiue Geldubenſes (vt vocantur) octingenti Buſceco, tum mille Vaſcones, & totidem aut paulo plures Heluetij Anzolto præfecto Genuenſibus nauibus Carolo promiſſis, aut eius impenſis extructis, ſed mox Sfortiæ dolo retentis, antea attributi conſcenderent. His Arragonia claſſis, quæ ad Pontiam inſulam ſtationem habebat, Ferdinando pecunia exhauſto non ſatis inſtructa ita ceſſit, vt recto curſu in Caietanum portum delati ſint, Itriúmque, ac caſtella quædam arceíſque ceperint, ſéque poſtremo ad Caſalem arborem Hirpinorum oppidum in Apennini radicibus ſitum Mompenſerio iunxerint: ſic enim Guicciardinus, & Iouius tradunt: tametſi nauium numerum Iouius non aſcribit: at Ludouicum Arſium Boium ſtrenuum ducem cum aliquot illuſtribus Gallis equitibus, Aloyſium Geſualdium Compſanum

Vercellenſis fœderis nuntius Piſanorum animos mirũ in modum erigit.

Digitized by Google

pſanum principem, Traianum Papacaudam Neapolitanos iiſdem nauibus vectos ſcribit. Quod autem Orpheum (Vrſeum dicere voluit) claſſis præfectum nominat, valde errat: Vrſeus enim ſummus Regiorum equorum magiſter initio huius belli Genuam profectus ad inſtruendam eam claſſem, quæ Sereuone, ac principe Salernitano præfectis Oſtiam, inde Neapolim traiecit, ac mox ad Ænariam miſſa eſt, neque propter valetudinem ad regnum Neapolitanum acceſſit (vt ſupra ſcripſimus) neque Genuam poſtea rediit. Superioris claſſis non meminit Cominæus, quodam tamen loco octingentos Sicambros, ſiue Geldubenſes, quos etiam ex aliis Germaniæ regionibus coactos putat, paulò ante in regnum Neapolitanum miſſos initio Atellanæ obſidionis ad Ferdinandum Arragonium tranſiiſſe ſcribit. Nec mirum: Cominæus enim ea quibus aut agendis, aut conſilio expediendis non interfuit ſæpenumero prætermittit, vt ille ipſe teſtatur, quamuis eadem ab illis, qui gerendis interfuerunt, mox intellexerit: adeo religioſus in ſcribenda hiſtoria fuit!

Cominæi hiſtoriæ fidelitas commendatur.

Anno 1496.

Tantum verò abfuit, vt Entraguius Regi pareret, vt Kal. Ianuar. anni proximi, qui nonageſimus ſextus eius ſæculi fuit, viginti nummûm aureorum millibus acceptis (quorum bonam partem Veneti, Lucenſes, Genuenſes, Sfortia mutuò dederunt) arcem Piſanis dederet: Lucenſibus Petraſanctam, Muttoniúmque ſex additis millibus Liberamfactam iiſdem Piſanis (vt tradunt Guicciardinus ac Bembus) aut Venetis (vt Cominæus) certo pretio venderet: cuius exemplum imitatus Roſſius (alij Biennium nothum, alij Paulinum vocant) Serezanam Genuenſibus viginti quinque millibus, Serezanellam quoque præfectus, cuius nomen non traditur, Lignij domeſticus alio quodam pretio addixit. Aliter de Petraſancta, ac Sergiano vrbe, arcéque, hoc eſt, Serezana & Serezanella, ſed præter hiſtoriæ veritatem Iouius ſcribit. Mirabantur plerique qui Lignius, Entraguiúſque tam multa aduerſus Caroli edicta deſignaſſent, eáque tacita Regis diſſimulatione peragi ſuſpicabantur: neque enim adduci poterant, vt Regi ſeriò iubenti homines Galli eidem obnoxij non parerent. Sed qui bene Caroli naturam nouerant, diſſimulatum prorſus nihil agnoſcebant, cum quippe Regi contemptum facilitas nimia pariebat, qua & Lignius, & Briſſonnetus Cardinalis, aliique nonnulli identidem abutebantur; neque quod Regi, ſed quod ſibi collibuiſſet, ſæpius exequendum curabant: quod nimirum omnibus, qui imperare neſciunt, vſuuenire ſolet. Lignio tamen interdictum, ne in Regio cubiculo, vt antea ſolebat, cubaret, Entraguius exilio mulctatus. ſed & ille non multò poſt in priſtinum gradum reſtitutus, & hic ab exilio reuocatus eſt.

Entraguij inobedientia, ficta à multis falſa creditur.

Virginius Vrſinus icto Vercellenſi fœdere Romam conceſſerat: ibi Alexandro Pontifice, Aſcanio Cardinale Ludouici Sfortiæ fratris nomine agente, Veneto, cæteríſque legatis 15
ſuadentibus Petrum Medicem acceptis in militum ſtipendium decem nummûm aureorum millibus Florentiam reducendum ſuſcepit: fœderati enim Florentinos nouo, inopinatóque bello implicatos à Piſano reuocare, & ne promiſſam Carolo pecuniam ad Mompenſerium mitterent, prohibere tentabant, & vt Piſis potirentur omni ope contendebant. Idcirco Ioannem Bentiuolum communi Venetorum, Sfortiæque ſtipendio militantem, vt è Bononia, Catharinam Sfortiam Galeatij Ludouici fratris filiam notham, cuius liberi Sfortianum merebant, vt è foro Cornelij, foróque Liuij, Senenſes Mompulcianì conſeruandi ergo, vt alia ex parte eoſdem aggrederentur, incitarant. Igitur Virginius, ac Petrus Roma profecti copias in Vmbriam duxerunt: in gratiam Baleonum Peruſinorum principum Gualdum Nucerinum oppidum à Fulginatibus occupatum, ſed ante ſex nummûm aureorum millibus à Romano Pontifice Peruſinis venditum, inde Cortonam exule quodam vrbis proditionem adornante ſe recepturos ſperantes circumſederunt: Gualdo vna, aut altera oppugnatione tentato quum milites aliquot, tormentúmque ingens ferreum Virginius amiſiſſet, ac pecuniam clam (vt tum fama fuit) à Fulginatibus accepiſſet, omiſſis Baleonibus ad Orſaiam vicum Cortonæ propinquum, ſiquid nouarum rerum Cortonenſes molirentur, expectans cum trecentis cataphractis equitibus, ac tribus peditum millibus conſedit. Inde quod pacata omnia videret, in Senenſem agrum ire perrexit: cui Guidobaldum Feltrium Vrbinatem regulum cum trecentis cataphractis equitibus, ac mille quingentis peditibus Florentini opponentes etiam exules Senenſes addiderunt, veriti ne Venetis, cæteríſque fœderatis Piſanos tuentibus, & Gallorum fœderatos pro hoſtibus ducentibus bellum graue in ſe incumberet. Quum factionis Medicææ conſilia non ſatis procederent, & Cortonæ recipiendæ ſpe decidiſſet, neque Bentiuolus, aut Catharina quicquam moliretur, nulla auxilia fœderati mitterent, ad Rapolanas aquas Cluſini agri rediit, Ibi hominem, quod nihil hactenus proſperè ſucceſſiſſet, ſuſpenſum, & pecunia egentem Gemellus, ac Camillus Vitellius aggreſſi, multíſque promiſſis onerantes numeratis duodecim

Digitized by Google

duodecim nummûm aureorum millibus, vt Regium ſtipendium mereret, & in regnum Neapolitanum copias traduceret, perſuaſerunt: tametſi Alexander Pontifex, Venetique, ac Ludouicus Sfortia Virginium Ferdinando conciliare nitebantur,& ne Gallis communibus totius Italiæ hoſtibus ſe adiungeret, orabant. Sed quod Proſperum Columnam primas apud Ferdinandum obtinere, Fabritium etiam magiſtrum equitum, quo munere ſub Ferdinando maiore, Alphonſóque functus erat, declaratum eſſe noſſet, priuatis inimicis cedere, & in ſecundis conſiſtere dedignatus aliam quamlibet conditionem accipere maluit: de fœderatis etiam querebatur, quod in reducendo Florentiam Petro Medice promiſſis non ſtetiſſent. Igitur Virginius miſſo in Galliam tanquam obſide Carolo filio,ac Vitellij Camillus & Paulus(nam Vitellocius eadem de cauſa in Galliam quoque conceſſerat)in Præcutiuos contenderunt,ſuóque aduentu Monteleone direpto,quod militibus commeatum denegaſſet, vnde cætera Pontificiæ ditionis oppida quamuis Alexandro interdicente venienteis exceperunt, & quæ ad victum neceſſaria erant, ſubminiſtrarunt,Præcutiuorum agrum ingreſſi Teramã certis conditionibus receperunt,Iulianouam diripuerunt:Aquilam,Interamnam,cæteráſque finitimas vrbeis in Gallorũ fide confirmarunt. Erant in Virginij exercitu peditum tria millia,grauiores quingenti,totidem leuiores equites: alarum ductores Liuianus,Paulus,Franciottus Vrſini,Balconi Simonetus, Carolus, Adrianus fratres: quadringentos vtriuſque armaturæ Vitellij ductabant, hi pariter incedentes Lancianum vſque celeberrimum Appuliæ emporium peruenerunt, quibus Robertus Lenuncurtus Vitriacus Balliuus acceſſit. Caſſinate agro potitus Rouereus Romæ præfectus Campaniam, quam terram laboris vocant, infeſtabat. Calabris imperabat Aubignius, Tarentinis Suillius, Caietanis finitimíſque Stephanus Verſius, qui milites nuper è Gallia claſſe tranſmiſſos quoad poterat, reficiebat; & iis, quæ ad bellum neceſſaria erant, inſtruebat.

Cur Virginius Ferdinando cõciliari dedignetur.

16 Mompenſerius quanquam ſtipendium deerat, & copiarum ſuarum viribus vti ſatis commodè haud poterat, Ferdinandum tamen eadem neceſſitate adductum in munitiora loca compellebat. Ille autem viribus inferior,& Mantuanum,Venetáque auxilia expectãs, quibuſcum paucis ante diebus poſtremò conuenerat,ſua conſeruare, nihil aggredi decreuerat. Hinc Mompenſerius ad Hirpinos conuerſus, & ad Finocium pontem caſtra metatus Beneuentum nonnullis è ciuibus vltro vocantibus dolo aggredi parabat, quem ſuſpicione cõcepta Ferdinandus vrbẽ maturè ingreſſus anteuertit. Inde Fenezanum, Apiciam, aliquótque alias vrbeis finitimas Mõpenſerius cepit, & commeatus penuria in Appuliam iter habuit: inſtabat enim læta veris temperies,quo pecuariæ paſtionis vectigal vno prope menſe exigebatur; id octoginta nummûm aureorum millia,aut etiam amplius quotannis conficere,& non longè à Gargano monte quum pecus tranſiret,pendi ſolebat: qui autem viribus in Appulia ſuperiores forent, vectigal ex inita inter vtroſque conuentione, percipere debebant,quod eam regionem partim Galli, partim Arragonij poſſidebant: in tanta porrò rei nummariæ neceſſitate magnum id ad cæterum bellum momẽtum habebat. Eodem eadem de cauſa feſtinauit Ferdinandus non vt,niſi Mantuano iunctus prælio decerneret:ſed,vt quibus artibus poſſet,hoſtium conſilia præuerteret,& quandoquidem copias integras vna, eadémque vrbs alere haud poterat, ad Fogiam, quam ex Harporum ruinis creuiſſe putant, ipſe conſedit, cæteras Troiam, Luceriámque dimiſit. Ad fanum Seuerini cum trecentis Virginius Vrſinus, Porcinam cum centum cataphractis equitibus Marianus Sabellus, vt ſe Mompenſerio iungerent, appulerant: inter vtramque vrbem infinita propemodum pecudum, maioriſque pecoris multitudo paſcebatur: huius auertendæ ergo cum ſexcentis grauis,octingentis leuis armaturæ equitibus,ac mille,& ducentis peditibus ad fanum Seuerini Ferdinandus prima aurora conſtitit,vt Virginium, ſiquidem vrbe egrederetur, exciperet: tum leuem equitatum pecus abigere iuſſit. is circiter ſexaginta millia varij pecoris abegit. Porcina egreſſus Sabellus obuiam prodiit, & viribus inferior triginta è ſuis amiſſis vnde exierat, redire coactus eſt. Hinc Fogiam Mompenſerius cum vniuerſis copiis, & prædæ recipiendæ, & exiſtimationis recuperandæ auidus, qua potuit, celeritate properauit, prælio, ſi copiam hoſtis faceret, decernere paratus, Troiam inter Luceriámque Germanos octingentos Arragoniarum partium Fogiam proficiſcenteis offendit: hi tametſi nec fuga, nec armis ſaluti conſulere poterant, tamen eandem hoſtium clemẽtiam accipere dedignati, inſigníque peruicacia dimicantes vniuerſi ceciderunt, nec prorſus incruentam Gallis victoriam reliquerunt. in eo námque conflictu Gilbertus Graſſæus Camperuxius natione Boius, atque Aletij in Salentinis regulus, Petrus Poctius Aruernus turmæ ſagittariorum præfectus, aliíque nonnulli

Ex vectigali pecuariæ paſtionis non procul à Gargãno monte 80. nũmûm aureorũ millia quotannis pendi ſolita.

Mõpenſerius 800.Germanos Fogiam proficiſcentes delet.

cæſi fuerunt. Inde rectà Fogiam, vt Ferdinandum ad pugnam eliceret, Mompenſerius ire perrexit: ſed ille ſe mœnibus continens leuem duntaxat armaturam ad periclitandam hoſtium audaciam emiſit, nec longè progredi permiſit. Porrò mille Græci equites à Venetis conducti paucis ante diebus Fogiam peruenerant, & Mantuanus iter accelerare, vt ſe Ferdinando iungeret, ferebatur. Galli inſtructa acie Fogiæ mœnia circumuecti ad Mariæ virginis (quam coronatam incolæ vocant) fanum ſiluis quaſi quodam luco vndique cinctum caſtra poſuerunt: biduum ibi commorati amiſſam prædam magna ex parte recuperarunt, & ſe rurſus ad Fogiæ mœnia ſiſtentes, prælij poteſtatem fecerunt. Ferdinando non prodeunte commeatus penuria ad Seuerini fanum redierunt, quos inſequuta Græcorum leuis armatura prædæ partem abſtulit, & poſtremum agmen carpere tentans, fortitérque repulſa Fogiam reuerſa eſt. Sic neutris pecuarium vectigal profuit pecore mutuis quaſi latrociniis abſumpto, & prope ad nihilum redacto: quod inita pactione Ferdinandus non ſtetiſſet; qua paſtoribus libera paſcendi facultas data vectigal, vt iis qui viribus ſuperiores forent, penderetur, cautum erat.

Fogia maioribus tormentis facilè à Mompenſerio capi potuit, & Ferdinandus ad pugnam cogi.

Mompenſerio vitio datum eſt, quod properandi auidior maiora tormenta ad Caſalem 17
arborem Hirpinorum oppidum reliquiſſet; quibus vel Fogiam facilè capere, vel Ferdinandum ad pugnam cogere potuiſſet: eadem commeatus neceſſitate victi Galli Campobaſſum, vbi præſidium habebant, petiuerũt: vnde Collerneſium vicinum oppidum (Canuſium Bembus vocat) vi captum diripuerunt. Oppidanos Heluetij ducibus inuitis (ſic enim etiam Guicciardinus memoriæ prodidit) miſerè trucidarunt, quæ barbara immanitas multùm ab his incolas abalienauit: vt crudelitatem augeant, oppidum deditum Bembus, ac Iouius ſcribunt, deinde direptum; cæteri vi expugnatum tradiderunt: at Mantuanus paulò poſt in Vallatenſes, ſiue Valacenſes (oppidum enim Valacam alij, alij Vallatam vocant) non minore crudelitate perbacchatus eſt: quam tamen quod duos centuriones, & Alexium Beccacutum primo aduentu ad colloquium progreſſos ſagittis vulneraſſent Iouius excuſat, ſi iuſta bonis viris excuſatio videri poteſt. Interim Ferdinandus tum de ſuo, tum acceptis ab Alexandro Pontifice ſedecim nummũm aureorum millibus (& decem vnoquoque menſe nondum Caroli Regis declaratus hoſtis clam Sfortia promiſerat) copias ſuas adaugebat: quicum Mantuanus à Germani fano Capuam, inde Aſculum profectus, relictóque Tarento Cæſar Arragonius Iunio menſe ineunte caſtra coniunxerunt. Sic vtroque exercitu vicinis è locis ſibi inuicem oppoſito Gallis peditatu, Italis equitatu ſuperioribus dubius admodum euentus expectabatur. At Carolus quanquam Lugduni menſes aliquot voluptatibus velut indormiens inaniter conſumpſit, tandem tamen quaſi ex graui ſomno experrectus ad priſtinum Italici belli ſtudium ſeſe ipſe reuocauit, ac primum implorata diuina ope nuncupata Foronouano prælio vota Turones, ac Lutetiam curſoribus equis vectus Martino, Dionyſióque perſoluit; atque eadem celeritate Lugdunum reuerſus ingenito quodam ardore in id bellum rurſus incubuit. Adoleſcentem gloriæ, imperiíque auidum fama celebris incitabat, quod victorias, armáque Gallica multis iam ſæculis Italis ignota renouaſſet, & auitum regnum maioribus ſuis ereptum contra

Carolus ad bellum Italicum nouos animos reſumit.

ſtante vniuerſa prope Italia belli dux ipſe ſibi vindicaſſet: cuius expeditionis apparatus variis occaſionibus interpellatus, atque in biennium dilatus (vt teſtatur Cominæus) inanis tandem euanuit. Flagrantem Caroli animum Florentini legati, Rouereus Cardinalis, Ioannes Iacobus Triuultius, Montorius Comes à Neapolitanis proceribus, qui Gallicas parteis ſequebantur, miſſus, Vitellocius item, ac Carolus Vrſini magis ac magis accendebant: maiúſque adeo omnibus momentum addebat totius huius belli hortator Stephanus Verſius Caieta nuper hoc nomine in Galliam reuerſus, qui certam, modo pecunia, iuſtáque auxilia præſto eſſent, victoriam ſpondebat: contra niſi ſtatim ſubueniretur, & regnum, & Gallicas copias perditum iri declarabat. His accedebant Galli proceres, tametſi plerique bellum hoc initio diſſuaſerant: ſed Regum Arragoniorum vires fama longè inferiores agnoſcentes ſemel partum regnum non ſine graui ignominia amitti poſſe cenſebant: quódque magis omnium animos commouebat, florem Gallicæ nobilitatis duabus poſt Regis diſceſſum victoriis potitæ non ſine magno ſcelere pro derelicto haberi, aut ſi vera fateri licet, hoſtibus prodi exiſtimabant: nec magnanimum Regem

Conſilium de bello Italico reparãdo ab omnibus Galliæ proceribus decretum.

Hiſpanicæ minæ terrebant, quod è Ruſcinonenſi agro aliquot excurſionibus in Narbonẽſem factis graue bellum moturus Ferdinandus Hiſpanus ferebatur: Hiſpanos enim magis ſuis tuendis, quam alienis inuadendis aptos modico Gallorum equitatu, Heluetiorúmque peditatu haud magno poſſe negotio repelli. Igitur, vt Triuultius Aſtam rediret, octingentos cataphractos equites, Heluetios bis mille, totidẽ Vaſcones ſecũ duceret, ſequeretur cum

Digitized by Google

cum maioribus copiis Aurelianus, Rex poſtremò cum reliquis accederet, communi Gallorum procerum conſilio decretum: qui ſi cum tanto, quantus comparabatur, belli apparatu in Italiam reuerteretur, haud dubitabant, quin Sabaudus, Salaſſus, Monferratenſis Reguli Sfortiæ infeſti ſocios ſeſe adiungerent. Heluetios etiam ſingulari ſtudio ad Regis ſtipendium acceſſuros pro certo habebant, vnico Bernenſi pago excepto, qui ſe aduerſus Sfortiam arma haud laturum receperat. Antequam in conſilium iretur, cuius ſupra libro quinto mentionem fecimus, Petrum Borbonium Boiorum Regulum enixè precatus erat Carolus, vt accurata oratione belli huius neceſſitatem perſuaderet: Grauillam rerum maritimarum præfectum non tam contradicentem, quàm belli difficultates explicantem Carolus idem acriter refutarat: non humano conſilio, ſed diuinis monitis vrgentibus ſe ad bellum reparandum cogi non ſemel proteſtatus: quod & in Italia paulò ante in publicis concionibus Hieronymus Sauonarola profeſſus erat, diuinis etiam minis additis, niſi tyrannos Italos malè mulctaret, fatalem Carolo imminere vltionem prædixerat.

18 Decretum præterea, vt triginta magnæ naues ex Oceano in prouinciæ Phocenſis portus tranſmitterent, triginta item triremes, inter quas nonnullæ triremibus paulò minores maiorum numerum implerent, militibus, armis, commeatu inſtruerentur, vt Neapolim curſum tenerent: aliæ quædam ſtatim illis non expectatis cum aliquot militibus, commeatúque, vt præſenti neceſſitati ſubueniretur, vela facerent. Et quandoquidem ſe nondum hoſtem Sfortia declararat, tametſi nec duas magnas naueis mutuò dederat, nec Genuæ inſtructas exire permiſerat, nec duodecim triremes ibidem retentas reddiderat, multáque in Genuenſium contumaciam conferens ſe per Antonium Mariam Pallauicinũ legatum excuſarat, ac fœdere ſtaturum promiſerat, miſſus ad eundem Reginaldus Orellius Aruernus: quanquam enim Sfortianas arteis, diſſimulationémque litteris eius ad Maximilianum, Ferdinandúmque Hiſpanorũ Regem interceptis Carolus ſatis intelligebat; tamen quod natura timidus tanto belli apparatu perculſus ad officium rediturus ſperabatur, ſi fœdus bona fide obſeruaret, promiſſas naueis traderet, Regiis impenſis inſtructas eiuſdem generis quatuor, ac duodecim retentas triremes Genuenſi portu exire permitteret, (nam ad Rapallum captas reſtituerat) ſe recentem eius errorem vanis potius ſuſpicionibus, quàm iuſta ex occaſione conceptum ſempiterna obliuione tranſmiſſurum Carolus pollicitus eſt: ſin pertinacius Regis amicitiam aſpernaretur, ſe violati fœderis pœnas ſumpturum, primúmque in illum arma conuerſurum. Huius bellici apparatus fama, vbi in Italiam peruenit, fœderatos ſtatim, in primis verò Sfortiam non leuiter perturbauit: Carolum tantillis copiis vniuerſas prope Italiæ vires ad Tartum fudiſſe meminerant, Neapolim, cæteráſque vrbeis alias paucorum factionibus Arragoniis proditas fudiſſe, alias præfectorum negligentia amiſſas; cæterum bis victores Gallos bonam adhuc regni partem retinere, & viribus ſuperiores videri; quid ſi tantus exercitus accedat? paucos initio Neapolitanæ expeditionis approbatores extitiſſe, nunc vniuerſos communi conſilio in eandem incumbere omnibus opulenti regni viribus vſuros, & cognitis Italorum ingeniis omnia in poſterum conſideratiùs acturos: prodigum Maximilianum nullo ſtipendio expleri, neque diu in armis poſſe retineri: Hiſpanum Ferdinandum natura perparcum, aut potius auarum magna quædam oſtentaturum, re nihil perfecturum. Tantas non eſſe totius Italiæ opes, militémque, præſertim multis Regulis, liberiſque ciuitatibus ad Gallos reſpicientibus, vt conſentienti Galliæ, & ad vnius imperium ſua omnia referenti exæquari debeant. Hæc cùm cæteri fœderati, tum Sfortia maximè periculi magnitudine deterritus ſecum reputabat, & legatos ſuos à Carolo non ſine indignatione dimiſſos nuper intellexerat: vnde tantam belli tempeſtatem ſibi potiſſimum impendere prouidens Regiis poſtulatis æquo animo paruiſſet, ſi Regi tutò reconciliari poſſe confideret: ſed conſcientia eorum, quæ aduerſus Carolum admiſerat, diffidens, non quod vellet, ſed quod neceſſitas vrgeret, conſilium ſequi coactus eſt: ſic qui fidem ſemel fefellerunt, nullum fiduciæ locum ſibi in poſterum relinquunt! Id itaque, quod ſibi minus acceptum erat ſequutus, legatos primùm ad Maximilianum miſit, vt Venetorum, eiúſque ſumptu cum exercitu in Italiam deſcenderet. Item ad Venetos, vt communis libertatis memores exercitum Gallis opponerent, atque Alexandriam proficiſci iuberent: tum verò Maximilianum, ac Germanos communi ſtipendio arceſſerent. Interim Orellium ſolita diſſimulatione aliquot dies remoratus nunc Genuenſes ſe coacturum pollicebatur, modò Carolus de reſtituendis nauibus vades Auenione dari iuberet: nunc, ne quid alter aduerſus alterum moliretur, obſides vtrimque mitti poſtulabat, poſtremò interpoſitis multis calumniis malitioſè hominem ludificatus eſt.

Sfortia Carolo reconciliari ſe tutò poſſe diffidit

Digitized by Google

Veneti ſe copias Alexandriam miſſuros facilè promiſerunt, ſed de aduocando Ma- 19
ximiliano non ſtatim conſenſerunt, vel quod multas, quæ ad Auſtriacam familiam,
Imperiúmque Germanicum pertinerent, vrbeis poſſiderent, vel quod exercitum ſibi
ſuſpectum, & qui vnum Sfortiam reſpiceret, communi ſtipendio alere recuſarent: per-
tinacius tamen inſtante Ludouico, quem ingenti trepidatione concuſſum vix animo
conſiſtere nouerant, ne fortè quadam deſperatione Carolo reconciliaretur, Maximi-
lianum & ipſi aduocarunt. Et quandoquidem vtrique, ne quid Florentini, aduerſus
Genuenſes molirentur, Carolo in Italiam redeunte metuebant, Ioannem Bentiuolum,
qui cum trecentis cataphractis equitibus fœderatorum ſtipendium merebat, vt Floren-
tinos bello aggrederetur, Senenſes alia ex parte inſurrecturos polliciti incitarunt: Pi-
ſtoriam (ſiquidem eam vrbem caperet) illi ſe conſeruaturos confirmarunt. Bentiuolus
tametſi eos bene de ſe ſperare iuſſit, tamen longè aliud animo agitabat: nam de Gallo-
rum aduentu ſollicitus clam legatos ad Carolum miſit, qui præterita excuſarent, de
Bembus hic reiectus. Florentinis non irritandis ſponderent: poſtremò ſocietatem offerrent. Fabulam ſuæ hi-
ſtoriæ inſerit Bembus, vt Venetum Senatum cum vetere illo Romano, qui Regis Pyrrhi
tempore admirabili prudentia, ac iuſtitia floruit, exæquet. Triſtanum Saornianum Foro-
iulienſem Bernardo Bembo Bembi ipſius patri decemuirûm magiſtro indicaſſe ſcribit,
habere ſe hominem Epirotam peracri ingenio, qui Carolum Regem vel propinqui ſui
ſibi amiciſſimi, Regiíque cubicularij opera veneno tollendum, vel eo celato ipſe alia oc-
caſione conficiendum ſuſcipiat, ſi digno præmio donetur: Bembum rem cum cæteris
decemuirûm magiſtris communicaſſe: decemuiros Saorniano reſpondiſſe Senatum Ve-
netum, tametſi potuit, nunquam his inſidiis aduerſus hoſteis vſum, magis deos immor-
tales, quàm humanam potentiam vereri; ſuis facinoribus vinci, ac malè mulctari, qui per
ſcelus alios vincere moliuntur. At vt fidem faceret Epirotam Regium cubicularium Epi-
rotæ tam nefariam cædem molientis propinquum Bembus nominare debuit: Carolum
enim ex ea natione cubicularium habuiſſe noſtri homines pernegant.

Vt ad res Neapolitanas redeam: eas bene prouiſas, prudentíque conſilio inſtitutas 22
Briſſonneti Cardinalis (qui non ſolum Regio ærario, ſed & ſummæ rerum præerat, vnuſ-
que pene omnia apud Carolum poterat) auaritia peruertit, qui Alexandro Pontifici,
Briſſonneti auaritia quã tum rebus Neapolitanis detrimẽti attulerit. Ludouicóque Sfortiæ apertè quidem contradicere non audebat: cæterum nunc pecu-
niam haud præſto eſſe cauſando, nunc alias moras nectendo, bonas occaſiones perire
conſulto ſinebat: quanquam contumelioſa hominem oratione identidem Carolus acci-
piebat, & non ſine indignatione, iracundiáque ſæpius obiurgabat; Regis enim naturam
ille agnoſcens nimia facilitate ſuis fere contemnendam vanis promiſſis iratum mulcebat;
neque quicquam interim maturabat: tantum abiectus homuncio ius aduerſus regem he-
rum ſibi deſumpſerat. Addunt Regem puellæ aulicæ (quæ vnà cũ Regina Turonibus age-
bat) amore captum diuos Dionyſium, Martinúmque de more Gallorum Regum peregrè
proficiſcentium inuiſere ſimulaſſe, vt eadem opera Lutetiæ pecuniam in bellum cogeret,
cuius exemplum cæteræ ciuitates ſequi conſueuerint. Id niſi coram ipſe curaret, impetrare
haud poſſe: profectionem idcirco ſub Maij finem inſtituiſſe, quum iam Alpeis ſuperaturus
expectaretur: inſanum Regis ardorem, nec Gallorum procerum ſumma celeritate opus
eſſe declarantium authoritas, nec Italorum preces, precibúſque adiunctæ lachrymæ, nec
Gallicæ nobilitatis procul à patria in externo ſolo tam ſtrenuè militantis, ac de ſalute iam
prope deſperantis neceſſitas reuocare, paululum duntaxat retardare potuerunt: nam-
que vbi totum fere Iunium nunc amoris æſtu, nunc ſuſcepti belli conficiundi auiditate
cõtrariis animi perturbationibus agitatus in variis deliberationibus Lugduni peregit, tan-
dem importuna libidine dura, imperioſáque domina victus, ac quaſi vinctus Turones iter
inſtituit; nec quæ ad belli rationem neceſſaria erant, explicauit: ſolùm Triuultium cum
paucis Aſtam miſit, non tam rerum bellicarum expediendarum ergo, quàm vt Philip-
po nouo Allobrogum regulo gratularetur: ſex naucis aliquot militibus, commeatúque
onuſtas Caietam nauigare iuſſit: claſſem breui ſequuturam pollicitus (ſic enim tradit Co-
minæus) alij quindecim magnarum, ſeptem minorum nauium claſſem miſſam, idque poſt
geminas Perſij victorias ſcribunt, vt ſupra hoc ipſo libro enarrauimus; vt Mompenſe-
rio quadraginta nummûm aureorum millia (ſed tardius quàm oportuit) redderentur,
curauit: quod Germani, Heluetiíque niſi intra Iunium ſtipendium acciperent ſe ad ho-
ſteis defecturos denuntiarant. Ea verò leuitas res Neapolitanas prorſus euertit: nam
Briſſonnetus Cardinalis qui præſentis, iubentíſque Regis imperia vix obibat, quin po-
tius eludebat, ſummam propter eius abſentiam libertatem nactus omnia retardando
corrumpebat.

Digitized by Google

corrumpebat. Hic enim vnà cum Aureliano, cæterique Regij conſiliarij Lugduni remanſerant, & belli quàm diligentiſſimè accelerandi iniunctum munus ſuſceperant: ſed res Neapolitanæ tot, tantáſque procraſtinationes, ac tarditatem pati amplius haud poterant; fatali potius veluti neceſſitate ad exitum ferebantur: nam iuncto ſibi Mantuano Ferdinandus Caſtellum Francum oppidum cepit, quo Ioannes Gonzaga Mantuani frater, ac Ioannes Sfortia Piſaurenſis regulus centenos cataphractos equites ducentes ad Regem ſimul acceſſerunt: ac tum grauis armaturæ mille ducentos equites, leuis mille quingentos, peditum quatuor millia Ferdinandum in caſtris habuiſſe tradunt. Hoc ipſo tempore Circellum decem à Beneuento milliaribus diſtans oppidum Galli circumſederant, quos reuocare cupiens Ferdinandus Frangetium quarto inde milliari tormentis acriter quatiendum curat. Germani, qui præſidio erant, prima oppugnatione tolerata alteram haud expectarunt; quin animo fracti ſe pariter, atque oppidum dediderunt: quadringentos Vaſcones, non Germanos Iouius, à cæteris diſſentiens, & Gallis ſemper iniquus præſidio fuiſſe prodit. Mompenſerius de oppido Gallicarum partium in primis ſtudioſo ſollicitus Circello relicto ad ſoluendam obſidionem cum toto exercitu properauit, cuius aduentu cognito, vt milites vrbi diripiendæ intentos, diſperſóſque in ordines redigeret, tectis ignem Ferdinandus iniicere iuſſit. Mompenſerius autem poſtquam è colle propinquo, vbi conſtiterat, apud hoſteis omnia perturbata conſpexit, milites adhortatus pugnæ ſignum dedit, vt amicæ vrbis calamitatem vlturi prædæ intentos, nec ducum imperia exaudienteis adorirentur; cui Virginius Vrſinus, cæterique Gallicarum partium duces aſſentiebantur. Intererat haud multùm depreſſa vallis, vnde per ſatis anguſtum aduerſi collis aditum ad planitiem oppido contiguam, caſtráque Arragonia conſcendendum erat: & iam primum agmen in vallem deſcendebat, quum Germani, Heluetiique Perſio incitante ſtipendium, donatiuúmque pugnaturis dari ſolitum popoſcerunt: nec pollicenti omnia Mompenſerio, niſi tum repræſentarentur, fidem adhibere, aut pugnam inire voluerunt, quanquam certa de hoſtibus proponebatur victoria, vt tum omnes confeſſi ſunt, & Cominæus Guicciardinúſque teſtantur. Iouius Perſium, Paulum, & Leuianum Vrſinos à Mompenſerio diſſenſiſſe, & milites labore, æſtúque fatigatos difficili præſertim ad oppidum, caſtráque Arragonia acceſſu temerè hoſtibus haud obiiciendos cenſuiſſe tradit. At Mompenſerianus exercitus vix quatuor illo die milliaria confecerat, & Arragonij diſſipati, prædæque affixi, ac metu conſternati cæſi, ante quam in ordines redacti fuiſſent, nec collis tam aſper, aditúſue ad hoſteis tam difficilis quàm Iouius deſcribit, fuit. Cæteri omnes culpam vni Perſio aſcribunt, neque foſſæ à Proſpero, Fabritióque Columnis ductæ (vti Iouius ſomniat) meminerunt: neque enim in tanta diſſipati exercitus Arragonij trepidatione ducendæ tempus fuit. Ferunt Perſium adoleſcentem peruicacem, & gemina ad Semenariam, Ebulúmque victoria ſuperbum ſemper Mompenſerij ſummi ducis imperia contempſiſſe: illius gloriæ inuidiſſe, conſiliis aperte repugnaſſe; & ſeditiones in exercitu ſæpe excitaſſe; de quo niſi Germanorum, Heluetiorúmque, apud quos multum poterat Perſius, metus obſtitiſſet, ne vel ad hoſteis deficerent, vel tumultum excitarent, dignum tanta contumacia, militarique diſciplina ſupplicium Mompenſerius ſumpſiſſet. Tum verò diſſimulare, & Circellum redire coactus non ſolùm Frangetij conſeruandi, Circellique capiendi, ſed & oblatæ victoriæ occaſione priuatus eſt. Tantus enim terror Arragonios Gallici exercitus robur, audaciámque formidanteis ceperat, vt nonnulli præda graues ſemiuſtis in tectis ſe conderent, alij abiectis ſpoliis aufugerent, perpauci ad ordines redirent: alios Ferdinandus ipſe cæteris exemplo futuros ſua manu occidere coactus ſit, ſic enim etiam Itali hiſtorici prodiderunt.

Quid cauſæ fuerit cur Germani Heluetijque Mompēſerio parere detrectarint.

21 Hactenus Gallis fortuna propitia fuit, ad hoſteis deinceps ſe veluti contemptam indignata conuertit: poſtridie enim Circellum oppugnare aggreſſi Galli, quod antea aquæ penuria, niſi inde caſtra mouiſſent, deditionem feciſſet, nonnullis è ſuis amiſſis, atque in primis Camillo Vitellio ſtrenuo duce obſidionem ſoluerunt, atque Arianum prælio decernere parati, ſi ſeſe offerret occaſio, contenderunt. Camillũ prima oppugnatione ante Frangetium deditum cęſum, & tum Mantuanum cum vniuerſo leuis armaturæ equitatu caſtra Gallica adortum, quo tēporis ſpatio Circellenſes, qui ægerrimè aquabantur, aquam è flumine, fontibúſque ſumpſerint, falsò ſcribit Iouius: nam interim dũ Galli Frangetium abiiſſent, aquam nullo hoſte prohibente ſumpſerunt. Tam multos autem Gallos cataphractos equites, atque hippotoxotas à Contareno, Gręciſque equitibus variis excurſionibus cæſos ſcribit Bembus, vt ſi res ita haberet, nullos ex Gallis equitibus tum quum Atellenſe fœdus

ctum eſt, ſuperfuiſſe veriſimile eſſet: & de huiuſmodi cædibus nullam alij penitus mentionem fecerunt. At Arragoniis longè alia mens erat: namque hoſtium audaciam multis victoriis auctam ſuorum contra timiditatem in dies augeſcentem agnoſcentes cum alij, tum verò maximè Veneti duumuiri militares à prælio abhorrebant; Germanos præterea, Heluetióſque ob ſtipendium non exolutum ſera à Gallia auxilia, rarúmque commeatum, aut ſeditionem excitaturos, aut ad ſe tranſituros ſuſpicabantur: Gallos autem natura ſua moræ impatienteis aliquam victoriæ occaſionem cunctantibus oblaturos: & quæ malis omnibus cauſam præbuerunt, Gallorum ducum diſſenſiones quotidie magis ac magis augeri intelligebant, Perſij maximè, omnibus Mompenſerij conſiliis malignè obtrectantis. Accedebat quod Itali Andegauenſis factionis milites vel belli pertæſi, vel quod nullo adhuc ſtipendio affecti eſſent, vel quod in vrbium, aut cæteris ſpoliis, aut commeatu diſtribuendo portiones haud æquas ab Heluetiis, Galliſque acciperent, à caſtris Gallicis frequentes diffluebant. Ipſe etiam Salernitanus, Biſſinianus, Compſanúſque reguli ad comparandas nouas copias Aubigniúmque accerſendum inde migrarunt: quod ſi quadraginta illa nummûm aureorum millia, quæ Carolus Neapolitanis copiis deſtinarat, miſſa in tempore fuiſſent (necdum enim accepta erant) omnibus ſublatis diſſenſionibus, & ad Frangetium pugnatum, & (vt conſtans fama erat) reportata ex Arragoniis victoria fuiſſet: tantula pecunia belli fortunam commutauit, & non exoluta ex victoribus victos reddidit! Has ob rerum difficultates præſertim ob commeatus penuriam Galli poſtridie Murconem, inde Andrettam, mox ad montem Caluum, ac Caſalem arborem vicina Ariano loca retroceſſerunt. Interim Hannibal Camertis principis filius nothus quadringentos vtriuſque armaturæ equites ſuis impenſis coactos Ferdinando adducens in Præcutinis Bituntinum Marchionem fuderat: & Vrbinas regulus relictis Florentinis cum trecentis cataphractis equitibus fœderatorum ſtipendia ſequutus eodem acceſſurus expectabatur; cui obuiam proficiſcens Gratianus Guerra Cellanenſem, Populoniúmque Comites cum trecentis equitibus, tribúſque peditum millibus inter eundum ſibi inſultanteis, ac Philippum Roſcium centum Venetæ militiæ cataphractorum equitum præfectum Rouereus vrbis præfectus in fugam verterant, ſed amiſſa occaſione, ne prælio ad Frangetium committendo intereſſe poſſent: tametſi Guerram ſuperatum falsò Iouius comminiſcitur, quem vel cæteri Itali ſcriptores mendacij arguunt.

Venetorum de Gallis & Germanis militibus opinio.

Sequutus eſt Mompeſerium Ferdinandus, & caſtris loco tuto collocatis vix milliari interiecto Gallicis imminebat; nec prælium tamen facere audebat, leuibus duntaxat excurſionibus pabulatores laceſſebat. Mompenſerius nocte concubia ſine vllo ſtrepitu viæ ſe dedit, ac viginti quinque milliaria confecit: & primo aduentu Atella Hirpinorum oppido (quam vt ab Atella Campaniæ, vbi magnificum amphitheatrum fuit, diſcernant, Telam alij vocare malunt) atque arce potitus eſt. Et quod Geſualdum Compſani reguli oppidum à Ferdinando obſeſſum facilè capi haud poſſe ſibi perſuadebat (ante enim totos quatuordecim menſes obſidionem tolerauerat) milites de via feſſos, faméque exhauſtos aliquot ibi dies recreare, mox opulentæ vrbis ſpoliis ditatos Venuſiam deducere cogitabat; vnde Aubignio, cæteriſque auxiliis aſcitis Geſualdo opem ferret, & recenteis è Gallia copias expectaret: quanquam Geſualdum in Gallorum conſpectu non rei geſtæ ignoratione (vt opinor) multi enim eadem de re ante illum ſcripſerunt, ſed quodam noſtrorum hominum odio Iouius expugnatum ſcribit. Eadem vanitate paulò poſt Virginij de huius belli euentu præſagia ſubiicit, quum Gallos pariter, atque Italos repentina Geſualdi expugnatio deceperit, vt Itali quoque hiſtorici tradunt. Venuſiam autem Atella octo milliaribus diſtantem (tametſi alteram ab altera duodecim abeſſe Bembus ſcribit) vnis caſtris Mompenſerius contendere potuit, quæ & ſitu ipſo munita, & omni commeatu abundans, & amicis vrbibus cincta ducendo bello peropportuna erat. At Geſualdum vno die captum Gallorum opinionem longè fefellit: Ferdinandus enim repente motis inde caſtris Atellam appulit, & ne Venuſiam Galli euadere poſſent, obſeſſis itineribus perfecit: non autem de manu cum hoſtibus conſerenda, ſed de caſtellis finitimis, arcibúſque capiendis, & de commeatu interuertendo laborauit, vt incruentam victoriam reportaret. Atella enim in planitie ſita colles vndique leuiter aſſurgenteis in confinio habet, quibus occupatis, ac præſidiis firmatis, & quicquid plani campi inter eoſdem interiectum erat, ductis foſſis Arragonij communierunt: vnde neque commeatus in oppidum importari, neque Galli milites inde ſeſe expedire niſi ſummo ſuo periculo poterant. Acceſſit quod octingenti Sicambri, ſiue Geldubenſes nuper in regnum Neapolitanum claſſe 22

Atella à Mompenſerio occupata

vecti

Digitized by Google

vecti propter ſtipendium non exolutum (duorum enim duntaxat menſium in Gallia acceperant, nullum ex quo in Italiam appulerant adhuc receperant) ad Ferdinandum tranſierunt, Heluetij omnes in fide perſeuerarunt: ſed res Gallicas penitus attriuit Laini accepta clades: nam quum propter diuturnam Aubignij valetudinem plerique eius milites ad Mompenſerium abiiſſent, & interim Sibarim, Scyllaceum, Crotonem, Semenariam, Neocaſtrum, Terranouam, Coſentiam Conſaluus Hiſpanus recepiſſet: Miletanus Comes, atque Albertus Seuerinas ſatis magnas copias coëgerunt, vt iam non multum Hiſpanis cedere viderentur, recenteiſque quotidie accerſentes de inuadendo Conſaluo cogitabant. Ille occupandam occaſionem ratus caſtro villarum paulò ante ſolis occaſum caſtra mouit: nec breuiore, ſed latiore, remotioréque via iter ingreſſus, vbi Laino appropinquauit, copias diuiſit. Lainum arx Saprio fluuio, qui Calabriam à principatu Tarentino diuidit, imminet: inde vicus ex altera parte ſubiectus ponte fluuio impoſito aditur, in vico caſtrametatos Miletanum, ac Seuerinatem arx tuebatur. Muranum præterea, & quædam Biſſimanæ ditionis, ac factionis Andegauenſis arces Lainum inter, ac caſtrum villarum interiectæ erant, vnde ſibi ab hoſtibus minus timendum illi exiſtimabant.

Laini clade Gallorũ vires multum debilitatæ.

a 3 Conſaluus igitur peditatu ad pontem inuadendum dimiſſo, ipſe cum equitatu fluuium tranſmiſit, hoſteiſque nec opinanteis paulò ante lucem aggreſſus omneis prope vel cecidit, vel captiuos abduxit: raris enim, negligentibúſque cuſtodiis nullam Hiſpanis moram facientibus ſemiſopiti, inerméſque ad arcem confugientes in peditatum Hiſpanum ponte iam potitum inciderunt. Hac victoria, & quidem incruenta Conſaluus viribus auctus cum ſex tam equitum quam peditum millibus ad Ferdinandum accerſitus acceſſit, & ſuo aduentu admodum res Arragonias promouit: tametſi falsò Iouius eundem cum centum cataphractis quingentis Hiſpanis ſcutatis equitibus bis mille peditibus in caſtra Arragonia perueniſſe ſcribit; veteribus enim eius copiis multi ſe Itali adiunxerant. Atella tribus exercitibus tribus ex partibus circumſeſſa Arragonio, Veneto, Hiſpano, Galli in magnam rerum omnium inopiam redacti ſunt: & Paulus Vitellius ad exploranda itinera meridiano tempore, quum propter infeſtos ſolis ardores ſeſe ſub tentoriis hoſteis, aut vmbraculis continerent, cum centum cataphractis equitibus Atella egreſſus, & à Mantuano in inſidias pertractus partem ſuorum amiſit, ægréque in vrbem ſe recepit. Iouius Mantuani victoriam illuſtriorem reddere volens ſupra trecentos Vitellianos vtriuſque armaturæ equites cæſos aut captos ſcribit; atqui centum duntaxat cataphractos equites Vitellius Atella eduxerat, vt Guicciardinus quoque teſtatur. Acceſſit quod Gallicum præſidium ex Aquitanis, & Heluetiis ad frumentarias molas tuendas extra vrbem diſpoſitum Conſaluus Hiſpano peditatu, equitatúque immiſſo aggreſſus retrocedere, & ad vrbem ſe recipere coëgit, atque interim molas comminuit: tametſi Atella egreſſus cum Gallico equitatu Perſius fugatis hoſtium equitibus in Hiſpanos pedites inuectus multos cecidit, longè plures proculcauit, nonnullos captiuos abduxit: ſed molendi frumenti commoditate amiſſa, & quod frumentum etiam, cæteráque ad victum neceſſaria deficerent, res Gallicæ prorſus deploratæ erant; vrbana præterea aqua militibus in ſummis ardoribus vix ſufficiebat: iumenta fluuij aquatione prohibebantur, nec eadem niſi validis præſidiis oppoſitis vti poterant. His neceſſitatibus compulſi Galli Perſio, ac Bartholomæo Liuiano, atque Anzolto Heluetio ad Ferdinandum miſſis de fœdere ineundo egerunt, quod in hanc ferè ſententiam triceſimoſecundo (vt Guicciardinus) vel viceſimoſeptimo obſidionis die (vt Iouius tradit) conceptum ferunt. Initum decimotertio Kal. ſextiles ſcribit Bembus, Iouius Paulum Vitellium ad exploranda itinera vt paulò ante memini Atella egreſſum nonis ſextilibus memoriæ prodidit aliquot dies ante quàm fœdus iniretur. Pactæ in triginta dies induciæ, intra quos ex obſeſſis nemini Atella egredi liceret: quæ tamen ad victum pertinerent, Galli ab Arragoniis in dies ſingulos acciperent, & de inito fœdere Regem Carolum Mompenſerius, ſi ita videretur, admoneret: ſi nulla intra id tempus auxilia mitterentur, Atellam, & cæteras vrbeis, oppida arceis, & quicquid in regno Neapolitano ſui iuris, ac ditionis eſſet, item tormenta bellica Ferdinando Mompenſerius relinqueret: militibus Gallis, Heluetiiſque (nam Germani ad Ferdinandum transfugerant) ſuis omnibus ſecum ablatis præter equos Regia nota inſcriptos, vt Iouius refert, Galliam terra, maríve repetere: Italis ad ſuos redire liberè liceret, viris nobilibus factionis Andegauenſis, modo ad Ferdinandum intra dies quindecim redirent, omnia quæcumque huius belli initio poſſediſſent, culpa læſæ Majeſtatis remiſſa reſtituerentur. Gallici exercitus pars ad veteres Stabias, olim à Sylla bello ſociali deletas,

Atella tribus exercitibus cincta.

Quenã fuerint conditiones initi fœderis inter Gallos Atella incluſos, & Arragonios.

Contentio inter Ferdinandum & Mompenſeriũ vnde orta.

pars ad Baianum ſinum deducta eſt: tum inter Ferdinandum, Mompenſeriúmque contentio interceſſit: quod Caietam, Tarentum, Garganum montem, Calabriam reliquam, quam nondum poſſidebat, ſibi tradi Ferdinandus ex fœdere iuberet: Mompenſerius earum regionum, vrbiúmque præfectos in quos nullum ius haberet, à Carolo impoſitos fuiſſe, Regémque acceptæ fidei teſſeras in Galliam detuliſſe diceret: quamquam Tarentinam, Caietanam, Venuſinam arceis, fœdere diſertè exceptas, & Regi Carolo reſeruatas Bembus ac Iouius ſcribunt, alij aliter tradunt. Ita Galli, Heluetiique graui autumno in regiones maritimas peſtilenti aëre infames detruſi, ibique diu nauium, quæ parari dicebantur, expectandarum ſpecie retenti, in varios morbos inciderunt, multos vinis veneno infectis interiiſſe quidam tradiderunt.

Mompenſerius certè à Mantuano Claræ eius vxoris fratre, vt ſe in loca amœniora reciperet, ſæpius inuitatus exercitum deſerere noluit, & partim indignatione, quod fœdere non ſtaret Ferdinandus, partim morbo confectus Puteolis diem vitæ ſupremum obiit. Obiere quoque Robertus Lenuncurtus Vitriacus Balliuus, atque Anzoltus Heluetiorum præfectus, aliíque viri ſtrenui quamplurimi: vt breui perſtringam, ex quinque millibus, aut paulò pluribus qui Atella exierant, vix quingẽti in Galliam, Heluetiámque redierunt. Nam & qui naueis conſcenderunt, eas ſine follibus, atque aptis ad ſentinam exhauriendam tubis, & ſine neceſſariis magna ex parte ad nauigationem armamentis acceperunt; vnde vel tempeſtatibus iactati naufragium fecerunt, vel ad Genuæ, prouinciæque Phocenſis portus appellentes corporibus & diuturna ad Baianos æſtus graui autumno peſtilenteis mora, & maritima iactatione in tabem colliqueſcentibus, miſeram infœlicémque animam efflarunt, vt etiam Iouius ipſe teſtatur. Lixæ verò, ac calones nauibus haud recepti tota Italia errantes aut morbis, ac fame perierunt, aut paci omne contumeliarum genus ab immani gente perpeſſi ad ſuos redierunt. Virginius, ac Paulus Vrſini Pontificis iuſſu, qui eam familiam delere ſtatuerat, contra fœdus in arcem, quæ Oui dicitur, concluſi: illorum milites Iordane Virginij filio, & Bartholomæo Liuiano ductoribus ſeſe ad ſuos recipientes eiuſdem Pontificis mandato in Præcutinis crudeliter ab Vrbinate ſpoliati. Iordanes ipſe, atque Liuianus (ita iuſſerat Ferdinandus) Neapolim reuerſi in cuſtodiam traditi fuerunt: Liuianus tamen vel induſtria ſua, vel ita mandante clam Ferdinando, quod eundem ante mirandum in modum dilexerat, elapſus eſt: Virginius decimoquarto Kal. Febr. anni proximi ibidem interiit. Paulus, & Iordanes poſt celebrem Vrſinorum de Pontificiis copiis victoriam die ſeptimo à Virginij morte partam à Federico Rege dimiſſi fuerunt. Paulum Vitellium ſibi quoque tradi Borgia Cardinalis depoſcebat: ſed virum militarem, ac ſtrenuum, qui ſeſe eius fidei commiſerat, ex eo periculo Mantuanus eripuit, Mantuámque perduxit. Hic mendacium inſigne Bembus inſerit: Mompenſerium Ferdinando Regi ſignificaſſe ſcribit, ſi centum auri libræ ſibi dentur, quibus exercitui ſtipendia perſoluat, ſe triduo Atella exceſſurum, oppidúmque traditurum: Ferdinandum quinquaginta libras numeraſſe, reliquas alteras quinquaginta Heluetiis, quos apud ſe ſacramentum dicere cupiebat, quæſtorem ſuum numeraturum recepiſſe; Heluetios à Gallis miſſos Ferdinando lubenteis paruiſſe, ad illumque tranſiiſſe: at nullos Heluetios ad Ferdinandum tranſiiſſe, diéque fœdere præſcripto cum Gallis Atella diſceſſiſſe Cominæus, Guicciardinus, cæterique teſtantur.

Mompenſerij mors Puteolis.

Bembi error à Cominæo reiectus.

Atella capta copias partitus Ferdinandus Federicum patruum, ac Proſperum Columnam ad oppugnandam Caietam dimiſit: Fabricium Aquilanis, qui iam ad Arragonios tranſierant, præfecit, vt omnem eam regionem ad nomen Arragonium profitendum cogeret. Neque verò id perdifficile fuit, quòd inde Gratianus Guerra rebus iam deſperatis cum octingentis equitibus ſe Caietam recepiſſet. Fabritius nullo amplius hoſte prodeunte arcem Seuerinatem expugnauit, Salernum inde circumſedit: ibi Biſſinianus vel Beſennianus (vt alij ſcribere malunt) tam ſuo, Salernitani principis, Comitis Cappaciani, quam aliorum aliquot virorum nobilium nomine vnà cum Fabritio colloquutus omneis Ferdinando æquis conditionibus reconciliauit. Conſaluus in Calabriam rediit; Coſentiam, atque alia quædam oppida prius à Conſaluo capta Aubignius receperat: ſed viribus longè inferior, Manfredonia Gabrielis Monfalconij præfecti negligentia, ignauiáque amiſſa (commeatu enim diſſipato vrbi fertiliſſimo vndique agro cinctæ haudquaquam prouidens vix triduanam obſidionem tolerare potuit) Coſentia item aliíſque vicinis vrbibus eandem fortunam ſequutis Gropolim reiectus, ac velut conſtrictus, & ab Hiſpanis ſtrenui ducis virtutem admirantibus ad fœdus inuitatus de vrbibus quas adhuc retinebat relinquendis pactus cum ſuo exercitu liberè terreſtri itinere in Galliam reuerſus eſt. Eodem fœdere

Aubignius in Galliam cũ ſuo exercitu reuertitur.

Digitized by Google

fœdere & Oberto Roſſetto Caietæ præfecto cautum qui arce, atque vrbe egregiè defenſis vtraque Aubignio authore ceſſit: Normana enim ingens nauis, quæ commeatum, cæteráque ad impendentem oppugnationem tolerandam neceſſaria vehebat, poſteaquam Piſis ſoluiſſet cum Genuenſibus aliquot nauibus ad portum Herculis fortiſſimè dimicauit, victríxque, ac curſum continuans ita fœda tempeſtate iactata eſt, vt fluctibus inſultantibus locis pleriſque recenti conflictu laxata demerſa ſit. Cuius fortuiti caſus certiores facti Aubignius, ac Roſſettus de deditione verba fecerunt, tametſi in aliquot adhuc menſes commeatus ſuppetebat: ſed Carolum non vigilantiorem in Caieta, quàm in Tarento, multiſque aliis vrbibus, quæ fame vrgente ſeſe dedidiſſent, futurum ſperans Roſſettus deditionem & ipſe Aubignio perſuadente fecit. At Ferdinandus paulò ante Caietam receptam, quum Reginam vxorem inuiſurus Sommam ad Veſeui montis radices ſitam vrbem tanta rerum bene ſuccedentium felicitate ſuperbus acceſſiſſet, haud ſeras ſuæ in Gallos crudelitatis, neglecti iuriſiurandi, violatíque fœderis pœnas dedit. Ibi enim in grauem morbum incidit, vnde iam deploratus Neapolim velut ad funus elatus dyſenteria (vt quidam) aut immodica Venere (vt alij tradunt) paucis poſt diebus interiit (nonis Octobribus interiiſſe ſcribit Bembus) nondum vertentem prorſus annum à morte patris regno, aut potius Regio nomine potitus: maior enim pars paulò ante eius mortem Gallis, quædam etiam Venetis parebat: quas autem vrbeis, arceiſve Conſaluus ceperat, non Arragonij, ſed Hiſpani Ferdinandi nomine adminiſtrarat. Tarentum præfecto Suillio peſte ſublato vrgente rerum omnium penuria Venetis, ac Cæſari Ferdinandi fratri notho circumſedentibus deditum: mox Alexandro Pontifice, Ferdinandóque Hiſpano inſtantibus, quod vrbem contra fœdus Veneti retinerent, Federico redditum eſt. Hic Bembi mendacia animaduertere operæpretium eſt, qui, vt Venetorum ambitionem tegat, Gallos præſidiarios, Tarentinóſque ciues an Federico, an Venetis, an verò Baiazeti Turcarum Imperatori vrbem dederent deliberaſſe; & poſt multam conſultationem ſe Venetæ Reip. pietati commiſiſſe ſcribit. Venetos, ne tam opportuna vrbs in Regis barbari poteſtatem veniret, ſupplices in fidem recepiſſe, quum nihil minùs Galli, Tarentinique cogitarint quàm vt ſe immani tyranno dederent; ad Venetos potiſſimum confugerint, quod tota finitima regione excluſi, quæ Federico parebat, mari commeatum in vrbem importari Veneti prohiberent: & dedituris pecuniam, vt tum fama fuit, numeraſſent. Supererat mons Garganus, vbi magna quotidie ſuæ fortitudinis exempla Iulianus Lotharingus edebat; tum quæ appellatur ciuitas, paucæque arces quibus Carolus Sanguinius præerat: ſed præfecti ab omni auxiliorum ſpe deſerti paciſci tandem certis conditionibus coacti ſunt.

Ferdinandi obitus.

26 Ferdinando mortuo Regina ſenior eius ſocrus Hiſpani ſoror, Oui arcem Federico generi patruo tradidit; quam Ferdinando fratri plerique conſeruaturam, & Regnum ad eundem tranſlaturam ſuſpicabantur. Federicus autem audita Ferdinandi morte Caieta, quam tum oppugnabat, relicta, Neapolim rediit: Rex intra id triennium quintus ſingulari omnium ſtudio exceptus. Salernitani in primis, Biſſinianíque, ac Cappaciani regulorum, qui venienti obuiam progreſſi naui egreſſum Regem primi ſalutarunt: huius enim mite ingenium amplectentes, ſuperioris verò crudelitatem ſuſpectam habentes, qui paterna, auitáque diſſimulatione conceptam aduerſus Andegauenſem, hoc eſt, Gallicam factionem iram in tempus commodius differret, cum Federico in gratiam redire, & patriam bellis ciuilibus, ac moleſta externarum gentium dominatione liberare cupiebant. Nec tamen hæ rerum mutationes regno Neapolitano recuperando peropportunæ ſeſe offerentes Carolum Regem muliebribus amoribus irretitum commouerunt, qui intra diem triceſimum ſe Lugdunum rediturum promiſerat, totos quatuor menſes abfuit, & commodum bello tempus inanibus voluptatibus potiundis tranſmiſit. Apparatus quidem bellicos terra, marique maturari iubebat: ſed Briſſonnetus Cardinalis cuncta ſolitis ſuis artibus retardans, neque militibus in ſtipendium, neque inſtruendæ claſſi pecuniam in tempore ſummittens vt lentè milites Italiam peterent, fœderati interim claſſem pararent, quæ Herculis portum primum (nunc Villafrancam vocant) non longè à Nicea Allobrogum, deinde ad Maſſiliam appulſa Gallicam remoraretur, & ſuſcepta in Italiam tranſmiſſione prohiberet, ſua cunctatione perfecit. Duæ enim in ſummo Regis conſilio contrariæ inuicem vigebant factiones: altera res Italicas omiſſas prorſus volebat: altera eaſdem promouere omni ratione contendebat; vtraque ſibi inde potentiam quærere, & aduerſam factionem de gradu deiicere moliebatur. Prioris Grauillam Amiralium, qui principem apud Regem puerum locum obtinuerat, fuiſſe tradunt: cui Briſſonnetum Cardinalem

Federicus in locum Ferdinandi ſingulari omnium Neapolitanorum ſtudio adlectus.

In ſanctiore Caroli conſilio duæ contrariæ factiones.

Digitized by Google

nalem Alexandro Pontifici addictum, quamquam refragante Cominæo, Itali adiungunt: & eius cunctationes toto fere hoc bello notatæ cõfirmare quodammodo videntur. Poſterioris Stephanum Verſium, Lignium, & initio Aurelianum, licèt mox aliter perſuaſus cum prioribus ſenſiſſe videatur. Neutram in partem inclinabat Petrus Borbonius Boiorum regulus, ſed ad Regis ſenſus ſeſe accommodabat, vtra viciſſet, ſúſque dèque ferens: niſi quod publicæ vtilitati in primis conſultum volebat. Cæteri prout ambitio, quæſtúſve ſpes vnumquemque trahebat, his aut illis ſe dabant. Tandem tamen Carolus naturali belli Italici ardore inflammatus, expeditionem, quantum in ſe fuit, accelerare conatus eſt: quas autem in reditu offenderat difficultates eas non hoſtium fortitudini, aut viribus (Italos enim imbelles, & nulla ex parte cum ſuis conferendos ſibi perſuadebat) ſed ſuorum diſſenſionibus, malis conſiliis, errorique tribuebat: Vercellenſis fœderis neceſſitatem Aureliani negligentiæ aſcribebat, qui quum plurimum ex fertili, finitimóque agro poſſet, nullum Nouariam commeatum initio importaſſet. Quod copias ſuas diuiſiſſet, partem Senis, ac Piſis reliquiſſet, partem Genuam prauis conſiliis vſus miſiſſet, idcirco ad Tarrum non integram reportaſſe victoriam: quod Piſas reuerſus eaſdem, arceiſque occupatas Florentinis ex fœdere non reddidiſſet, pecuniam Neapolitanis copiis attributam haud fuiſſe in tempore perſolutam; ideóque mercenarios milites ſtipendium non exolutum cauſanteis dum commodiſſima ſeſe offerret occaſio, pugnam detrectaſſe: Germanos etiam ad hoſteis defeciſſe; & pleraque alia in eam ſententiam diſſerebat, & quod infirma, ægráque valetudine erat, atque expeditionem obire ipſe non poterat, eandem Aureliano demandare decreuerat.

Igitur qui bellum Italicum procurabant, hanc inter Italos, Carolúmque ſocietatem 27
coierant: peditum quinque millia, octingentos cataphractos equites Florentini ſuis ſumptibus ſtipendio afficiendos pollicebantur: peditum duo millia, quingentos cataphractos, Venetorum metu, qui iam, & Poleſelianam peninſulam inuaſerant, & cæteri Ferrarienſis agri inuadendi occaſionem quærebant, Ferrarienſis regulus promittebat: Mantuanúmque generum Venetos ingratos expertum, quem quaſi Gallicas parteis ſequi cogitantem nuper exauthorauerant, cum trecentis eiuſdem armaturæ equitibus apud ſe agentem vt Regium ſtipendium acciperet, induxerat: centum quinquaginta Ioannes Bentiuolus, Vrſini, ac Rouereus vrbis præfectus mille offerebant. Iam octingenti Galli equites cum ſuis hippotoxotis, tria Gallorum, totidem Heluetiorum peditum millia, quibus tum præerat Triultius, Aſtæ conuenerant; & Aurelianus Alpeis ſuperatus in dies expectabatur, cuius tum res maximè agebatur: ſiquidem in Sfortiam, Mediolanenſémque principatum tota belli moles, inde in regnum Neapolitanum ſeſe mox effuſura comparabatur.

Aurelianus ab Italica expeditione Grauillæ aſtutia reuocatus.

At ille, tametſi quaſi de profectione certus omne domeſticum inſtrumentum præmiſerat, tamen vel dubia Caroli, cuius orbi more Gallico ſucceſſor deſtinabatur Regiæ ſtirpis proximus, valetudine, vel Grauillæ Amyralij Hiſpanos hoſteis, aliáſque belli huius difficultates obiectantis aſtutia reuocatus, ius ſuum perſequi detrectauit: tanquam Regis legatus bellum id ſuſcipere non recuſauit; ita tamen, vt non tam ſponte, quàm inuitus ſuſcipere videretur. Sic res bis in intimo Regis conſilio agitata omnibus de Aureliani profectione conſentientibus dubio eius reſponſo nullum exitum habuit, vnde Florentinis legatis vrgentibus Carolus Aureliano ſe, vt proficiſceretur, ſuaſiſſe, inuitum mittere nolle reſpondit.

Liguriæ inuadendæ occaſio Gallus peropportuna.

Acceſſit gemina Liguriæ inuadendæ occaſio: Baptiſta Fregoſius non ita pridem Genuenſis regulus fraude patrui Cardinalis principatum ad Ludouicum Sfortiam transferre molientis vrbe pulſus Genua Caroli Regis nomine, Sauona Iulianus Cardinalis Rouereus ſe potiturum pollicebatur: vterque à Rege iuſta auxilia poſtulabat. Triultio per Sereuonem mandat Carolus, vt vtrumque auxiliari milite iuuet, ipſe ſubſidio proficiſcatur. Id propter vrbium diſtantiam, & Genuæ maximè potentiam, vnde ingens bellatorum numerus educi poterat, perdifficile erat: præterquam quod modicæ Triultij copiæ (mille enim duntaxat cataphractos equites, tria Heluetiorum, totidem Vaſconum peditum millia in armis habuiſſe fertur) tripartitæ in magnum diſcrimen adductæ fuiſſent; ſic pleraque Regum negotia haud maturis conſiliis prouiſa ſimiles conſiliis ſortiuntur euentus.

Triultius de inuadendo Mediolanenſi principatu cogitat.

Aliud animo agitabat Triultius: Mediolani enim nobili, claraque familia ortus multis ſuæ factionis in ſocietatem adiunctis Mediolanenſem principatum inuadere cupiebat; vt tribus hiſce ſtratagematis ſatisfaceret, Fregoſio, Rouereóque iuſtis, quoad potuit, copiis diſtributis, ipſe Regiam viam, qua Alexandria Genuam iter eſt, ingreſſus maturandi ſui conſilij tempus expectabat, & Sfortianæ copiæ, ſiquidem Fregoſium, aut Rouereum aggredi ſtatuiſſent, proficiſci eadem via cogebantur:

ſed

Digitized by Google

ſed Sfortia vel inſidiarum ſuſpicione, vel alioqui aliunde certior factus vtramque vrbem, vt rebus ſuis proſpiceret, monuerat. Itaque Rouereus nullo Sauonæ tumultu oborto re infecta rediit: Fregoſium Galli, Heluetiique ſuſpicione leui de cauſa concepta, (quam tamen inanem fuiſſe Cominæus ſcribit) inter eundum reliquerunt. Triuultium autem in varias rerum gerendarum occaſiones diſtractum, idcircóque aliquantò diutius cunctatum Nouio oppido prius (cuius arcem Baptiſta Fregoſius adhuc obtinebat) Boſcóque captis, præſidióque firmatis, ſpes quoque tandem ſua fruſtrata eſt: Veneti enim diſcrimen animaduertentes Sfortiam præſentibus auxiliis iuuerunt. Quod ſi prima aggreſſione capto Boſco Alexandrino caſtello, ſiue oppido Mediolanum Triuultius contendiſſet, aut vrbe nimirum potitus fuiſſet, aut Sfortiam in maximas difficultates redegiſſet: multi enim loco opportuno occupato partim metu, partim nouarum rerum ſtudio ad arma concurrerant: quingentos autem cataphractos equites duntaxat, ac ſex peditum millia Ludouicus in armis habebat, vt Galeatius Seuerinas de conſeruanda Alexandria iam prope diffideret. Ludouicus ipſe Ferrarienſem ſocerum, vt Carolum Regem ſibi reconciliaret, obnixè precaretur: ad Boſcum ſubſtitit Triuultius,ne antequam rerum Genuenſium euentum intellexiſſet præter Caroli ſententiam initum fœdus palam diſſolueret.Interim Petilianum Veneti ad Ludouicum cum maiore copiarum ſuarum parte miſerunt; Triuultius viribus inferior Aſtam redire coactus eſt.

28 Hæc Galli, Gallorúmque ſocij aduerſus Sfortiam moliebantur, inde res Neapolitanas repetituri; ſed huiuſmodi conatus Ferdinandus Hiſpanus interturbabat,qui prӕterquam quod Ferdinandum Neapolitanum, ac Federicum terra, maríque iuuerat, è Ruſcinone in Galliam Narbonenſem expedito exercitu excurrerat, ac triduo, aut quatriduo villas, pagóſque populatus ſuos Ruſcinonem reduci imperarat: tum enim cum Elizabeta, vt Hiſpani, vel Iſabella vt cæteri ſcribunt, vxore ad Gerundam ſubſtiterat. Hinc irritatus Carolus Albonius (Sanctandreanum vulgo appellant) qui Petri Borbonij Boiorum reguli legatus eam regionem adminiſtrabat, Salſulas arcem ad fontem, aquarúmque ſalſarum ſtagnum in extremis Pyreneis montibus ſitam oppugnandam ſuſcepit. Fuxium Comitem, ſiue Fuſium, vt ille ſcribit, Gallici exercitus ducem falsò nominat Iouius: maior Cominæo, qui illi expeditioni interfuit, fides adhibeatur: ad duo milliaria caſtra poſuerat Henricus Albadeliſtæ regulus Hiſpani exercitus numero, ac viribus (vt ferebatur) ſuperioris imperator, vt non ſine magno Gallorum diſcrimine oppugnatio ſuſcipi videretur. Ea tamen celeritate, prudentiáque Albonius vſus eſt, vt anguſtiis valido præſidio munitis arcem audacter circumſederit, libratiſque ad Salſularum muros tormentis decem horis expugnarit. Cecidere ex Hiſpanis circiter quadraginta viri nobiles: gregarij milites quadringenti (vt idem Cominæus tradit) cæteri, atque inter hos arcis præfectus Bernardus Franceſius capti fuerunt. Quamquam aliter Iouius totum hunc locum tractat, & ſuo more mendaciis infercit: neque enim vllæ inter Henricum Albadeliſtæ regulum, Fuxiúmque, aut Albonium pactæ induciæ fuerunt (vt ſomniat Iouius) ſed ad eas ineundas Ferdinandus, atque Iſabella vxor, qui non longè aberant, legatos ad Carolum miſerunt: cætera ex collata Cominæi, Iouiique lectione colligere quiuis poteſt. Communiendam arcem vir militaris ſuadebat Albonius: at Briſſonnetus Cardinalis impenſæ magnitudine deterritus, & rem Gallicam ſua auaritia peſſundans diſſuaſit, Regémque ab ea ſententia dimouit. Ferdinandus autem à Petro Nauarro admonitus eandem triennio poſt egregiè muniit, neque bonam occaſionem fallaci conſilio (vt Carolus) effluere paſſus eſt. Huius arcis expugnatione Carolus ſibi ſatisfactum putauit: crebræ deinde vltro, citróque legationes de pace miſſæ fuerunt. Interea Ludouicus Sfortia Gallici apparatus, copiarúmque Aſtam tranſmiſſarum rumore per totam Italiam diuulgato in primis anxius, quod iam cum Maximiliano, vt in Italiam tranſiret, & certum equitatus, peditatúſque numerum ſecum adduceret, ipſe, ac Veneti conuenerant; atque in treis menſeis ſexaginta nummûm aureorum millia promiſerant, eundem vt accelerarет monuit, ac per Larium lacum, Volturenámque vallem Mauzam, ſiue Malſium (vt alij ſcribunt) Germaniæ, qua Alpibus iungitur, pagum vnà cum vxore, & fœderatorum legatis obuiam proceſſit, conſiliiſque cum Maximiliano communicatis illo ipſo die Burmium extremum Mediolanenſis principatus oppidum reuerſus eſt. Eodem poſtridie Maximilianus quaſi venando illuc delatus acceſſit, & rebus de communi ſententia compoſitis ad præſcriptum diem ſe rediturum pollicitus, quæ ad Italicam profectionem pertinebant,curaturus in Germaniam rediit:cæterum Gallici belli rumore iam prope euaneſcente cæteri fœderati cur in Italiam Cæſar deſcenderet, cauſam non putabant. Ludouicus quem

Mira in rebus gerendis Caroli Albonij celeritas & prudentia.

Nulla interceſſere induciæ inter Fuxium, Albadeliſtam aut Albonium.

Digitized by Google

quem ſuæ ſalutis propugnatorem quæſiuerat, eundem ſuæ ambitionis adminiſtrum comparare voluit. Itaquè Maximiliano triginta nummûm aureorum millia vltra ſexaginta nuper commemorata flagitanti Veneti ſe collaturos negarunt; Ludouicus ſe priuatim ſummam integram perſoluturum recepit. Hinc paulò ante Ferdinandi Neapolitani mortem Maximilianus Italiam ingreſſus eſt: peditum cohortes decem, quingenti cataphracti equites venientem comitabantur, cæteras copias, de quibus conuenerat, breui ſequuturas fama erat. Quum iam Mediolano appropinquaret, eius mortis certior factus eſt (tametſi aliter Iouius) & de regno Neapolitano ad Ioannem generum vnicum Hiſpani Ferdinandi filium transferendo cogitauit. Sed Ludouico fœderatis eam fœderis diſſoluendi, Gallis autem regni Neapolitani repetendi occaſionem opportuniſſimam fore docente non ſolum ſe ab ea cogitatione abſtinuit, verùm etiam Federicum ſucceſſorem ſuis litteris appròbauit. Vbi Vigeuenum appulit, Ludouicus, Bernardinus Coruaialis Cardinalis Alexandri Pontificis legatus, ac cæteri fœderatorum oratores in conſilium adhibiti quid potiſſimum agendum foret, deliberarunt: Aſtam oppugnandam plerique omnes cenſuerunt, vt Sabaudum, Monferratenſémque regulos Germanico Imperio obnoxios à Caroli Regis amicitia,ac ſocietate diſiungerent,quos idcirco ille ad colloquium, exhibendúmque ſuarum ditionum nomine obſequium vocauit: ſed viribus tanto nomini haud reſpondentibus (raro enim comitatu Italiam penetrans Imperatoriam Majeſtatem non ſatis tueri videbatur) eorum neuter accedere dignatus eſt: quorum exemplum Ferrarienſis ſequutus depoſitam apud ſe arcem Genuenſem prætendit,& vt Mutinæ, Regiique nomine præſtandum ſacramentum in aliud tempus differret,poſtulauit.

Aſtæ oppugnatione omiſſa (vrbs enim copioſo milite, cæteríſque rebus ad tolerandas obſidiones neceſſariis abunde inſtructa non facile expugnari poſſe videbatur) Maximilianum Ludouicus ad Piſas adeundas hortatus eſt; quod ea ciuitas iure antiquiſſimo in Germanorum Imperatorum fide eſſet, & magna totius Italiæ diſſenſione de libertate certaret: quem verò alium præter ipſum Cæſarem tantarum controuerſiarum ſtatui poſſe arbitrum? Florentinos autem fœderatorum, Maximilianíque potentia deterritos, quibus reſiſtendo non eſſent, eiuſdem arbitrium neceſſario ſequuturos, & à Caroli Regis ſocietate diſceſſuros Ludouicus ſibi ſpondebat; vnde vt Piſæ Cæſaris fidei committerentur, omni ope laborabat. Quod ſi Piſarum compos aliquando Maximilianus foret, ſe,qua authoritate apud illum valebat, vel prece, vel pretio vrbe tam diu, tantáque ambitione concupita facilè potiturum. At Maximilianus natura in omnem prodigalitatem effuſus, cui nihil vnquam ſatis fuit, magnam inde pecuniam vel à Florentinis, vel à fœderatis, nec minorem à cæteris Germanici Imperij beneficiariis ſe confecturum; & ne eius in Italiam aduentus prorſus inanis foret, perfecturum ſperabat. Itaque ſuadente Ludouico, vt Cæſaris præſentia in Florentinos ad communem totius Italiæ conſenſum pertrahendos vterentur, fœderatorum omnium legati pariter aſſenſerunt: nec Venetus, quamquam Ludouici conſilia præſentiebat, interceſſit, cuius captiones ſe facilè diſcuſſurum, & portum Liburnicum in Piſanorum poteſtatem Cæſaris, fœderatorúmque viribus coniunctis venturum ſibi perſuadebat, vt in poſterum Florentinos ſpes de potiunda vrbe fruſtraretur. At Florentini nihil hiſce rumoribus permoti Piſanorum arcem ad vada Volaterrana tormentis acriter concuſſam vi, Buttum, ac Chalcem deditione ceperunt: inde ad Verruculanam Piſanorum veluti ſpeculam, vnde totam eam regionem deſpectabant, itum. Et quod totus exercitus in monte aſpero, difficilíque caſtrametari commodè, ac commeatum accipere non poſſet, duo peditum millia quadringentos leuis armaturæ equites cum aliquot tormentis ad montis verticem Hercules Bentiuolus eduxit, arcémque oppugnari iuſſit. Siccus, vt oppugnantibus præſidio eſſet, ad montis radices in Butti ſuburbiis ſubſtitit. Lucius Maluctius amiſſorum oppidorum iacturam reſarcire cupiens cum delectis Venetorum, Sfortianorum, Piſanorúmque copiis noctu Siccum aggreſſus, ac cæſis cuſtodiis caſtra ingreſſus tantum Florentinis terrorem intulit, vt Siccus ipſe funibus ad ſummum Butti murum attractus in oppidum receptus ſit (neque enim portas aperire oppidani audebant) cæteri, qui fere omnes equites erant, in proximas conualles, nemoráque aufugerint. Nec magna tamen clades fuit; triginta fortè ex Florentinis, qui pro caſtris propugnarunt, cæſi: totidem, aut paulò plures cum ſarcinis,ſarcinariiſque iumentis,ac militaribus equis capti: at ea parua clades, vt Verreculana obſidio ſolueretur,effecit.

Ludouicus Piſas Imperatoris fidei committi cur deſiderat.

Siccus funibus in vrbem Buttenſem attractus & receptus.

29

Florentini partim Bientinam altero à Vicopiſano milliari cum Bentiuolo, partim ad Eræ pontem cum Sicco conceſſerunt,quibus Paulus Manfronus cum Venetis Vicopiſani, 30

Ludouicus

Ludouicus Mirandulanus cum Germanis, ac Sfortianis Caſcinæ hybernantes oppoſiti erant: hi ſe inuicem frequentibus excurſionibus laceſſebant. Manfronum poſt multam timoris ſimulationem ſtructis inſidiis elicere tentans Bentiuolus monito prius, accerſitóque Sicco leuem armaturam, pabulatoréſque in Vicopiſani conſpectum emiſit, in quos ſuam pariter Manfronus eduxit; ipſe cum cataphractis equitibus, atque aliquot peditum cohortibus ſubſequutus eſt. committitur acris pugna: Florentini prius edocti fugam ſimulant, hoſteis ad locum inſidiarum attrahunt, circumuenti Manfroniani à pluribus funduntur. Sed dum fugienteis acrius perſequitur Siccus, falconis glande ex vrbe forte fortuna emiſſa cæditur exæquata propemodum victoria, cæſorum enim, captorúmque Venetorum iacturam ſtrenui ducis iactura penſabat. Aliter hunc locum tractat Iouius (vt in pleriſque aliis negligens eſſe ſolet) ſed Guicciardino de rebus ſuæ ciuitatis, & quidem haud remotis, ſibique perſpectis agenti maior adhibeatur fides. Acceſſere mox octingenti Græci pariter, atque Epirotæ equites, quibus Iuſtinianus Maurocenus Patritius Venetus præerat; vnde impar viribus Hercules loco inter Eræ pontem oppidum, Erámque fluuium munitiſſimo caſtrametatus eſt, vt eam regionẽ tueretur, nec tamen prælio decernere cogeretur. Veneti nihil memoria dignum geſſerunt, præterquam quod Buttum deditione ceperunt, & Lucius Maluetius quorumdam proditione noctu ſcalis tamen admotis Ponteſaccum admiſſus ducentos circiter equites ſpoliauit, Ludouicum Martianum Ranutij fratrem cepit, peditum magna parte à Germanis trucidata; nec tamen ibidem Florentini exercitus metu, qui non longè aberat, conſiſtere auſus eſt; quin ſe ſtatim Caſcinam recepit, & arcibus vicinorum Piſis collium muniendis operam dedit, vel vt commodiùs Piſas commeatus importaretur, vel vt Liburnici portus commercia iacerent. Contra Florentini iiſdem collibus potiri conabantur; at quum Vaianæ caſtello expugnato Sollianum oppidulum tentaſſent, Petro Caponio ſclopeti glande cæſo obſidionem ſoluerunt, & ad opem Verrucolæ arci, quam Genuẽſium auxiliis fretus Malaſpineus Marchio oppugnabat, ferendam profecti ſunt, vnde hoſteis facilè repulerunt. Interea Maximilianus Piſanam profectionem maturabat: hinc miſſi Florentiam legati, qui Maximilianum ſacrum bellum ſuſcepiſſe, ſed de concilianda prius ſibi inuicem tota Italia in primis laborare denuntiarent; vt ſe non ſolum coniunctis viribus tueri, verum & Cæſari commune bellum in communem hoſtem procuranti opem ferre poſſet: proinde Florentinos hortari à communi conſenſu ne diſcederent, aut ſiquid aliud cogitarent, idipſum quoque palam exponerent: magnas inter ipſos, Piſanóſque interceſſiſſe cõtrouerſias nondum diuturno bello, ac multo vtrorumque profuſo ſanguine ſedatas, de iis Cæſarem ſumma diligentia cogniturum, neque cuiquam niſi ex bono, & æquo quicquam adiudicaturum: precari interim vt ab armis abſtineant, quod & Piſanos viciſſim facturos reciperet, & æquitate potius, quàm bello illis hactenus infelici decertare malint. Florentini legatos hiſce de rebus ſe ſtatim miſſuros ad Cæſarem reſponderunt: Maximilianus interim acceptis à Ludouico ſeptingentis vtriuſque armaturæ equitibus duce Calatino propter exiguum comitatum Mediolano, Comóque vitatis Genuam contendit.

Inſigne Bentiuoli ſtratagema.

31 Dum hæc vltro, citróque agitantur Veneti ne Piſis vel Maximilianus, vel Ludouicus liberè potirentur, Piſanis aſſentientibus illuc Annibalem Bentiuolum cum centum quinquaginta cataphractis equitibus additis aliquot leuis armaturæ Epirotis, mille item pedites miſerunt, Ludouico ſignificantes ſe, quo ſtudio erga liberas ciuitates tenentur, Piſanis ad ſua recuperanda opem ferre. Et verò hiſce auxiliis aucti Piſani omneis fere arceis, caſtelláque in collibus ſita recuperarunt; & quod à Venetis nunc militibus, nunc pecunia, commeatu etiam officioſiſſimè iuuarentur, neque vllam poſtulatorum ſuorum repulſam paterentur, ſtudium, quod primùm eadem de cauſa in Ludouicũ contulerant, tum viciſſim ad Venetos penitus tranſtulerunt: præſertim quod Bentiuoli aduentu Lucius Maluetius ſibi metuens (in Bentiuolos enim paulò ante cum tota Maluetiorum familia Bononiæ coniurauerat) Sfortianíque Piſas reliquerunt, & in Tranſalpinam Galliam redierunt. Cæſaris nihilominus aduentum Piſani quoque procurabant, vt Liburnum, ſiue Triturritam iunctis viribus oppugnarent. At Florentini, tametſi commeatus penuria laborabant, ſe Maximiliano, ac fœderatis viribus inferiores agnoſcebant, à Gallia nulla auxilia expectabant, nouo Reip. ſuæ ſtatu nonnihil perturbabantur, denique dubiis Mediceæ factionis ſtudiis terrebantur; tamen ad Maximilianum, & ab exercitu, & à pecunia inopem, & Sfortianis duntaxat viribus, auróque fretum, niſi Piſis ſibi prius reſtitutis, arbitrium deferre recuſarunt: nam nec Piſæ, niſi de iure liquido conſtaret, redditæ fuiſſent; & in iure multùm controuerſo magna arbitro in vtramque partem

Quid Piſanos impulerit Ceſaris in Italiam aduentum procurare.

libertas conceditur. Accedebat quod Venetos, vt eaſdem relinquerent, nec perſuaderi, nec cogi poſſe exiſtimabant. Miſſis itaque Genuam ad Maximilianum legatis noua ſuæ erga Cæſarem voluntatis, obſeruantiæque profeſſione haud opus eſſe reſponderunt: quicquid enim ſummus Imperator à Rep. ſibi addictiſſima expectare debeat, id omne Florentinos æquis animis obituros, ac ſuppeditaturos. Quod ſi eo quo profeſſus eſt conciliandæ inuicem Italiæ ſtudio tenetur, Piſas Florentinis reſtituat neceſſe eſt: quarum poſſeſſione nonnulli ex fœderatis (Venetos tacitè deſignabant) ad totius Italiæ imperium, hoc eſt, ad cæterorum ſeruitutem gradum facere nitantur: hunc Cæſar obicem diſcuſſerit, cunctos Italiæ tumultus, inteſtináque bella pariter ſedauerit. Præterea Imperatoriæ æquitatis eſſe, & maiorum ſuorum Chriſtiani orbis Imperatorum decretis conſentaneum, ne vi ſpoliatos de ſuo iure compromittere iubeat, niſi prius in integrum reſtitutos. Hoc ſi præſtiterit, Rempub. Florentinam ſacroſanctæ Majeſtatis authoritate, æquitate, prudentia fretam ad illum omnium ſuarum controuerſiarum, facultatum, conſiliorum arbitrium delaturam. Hac oratione Maximilianus ſibi ſatisfactum non putauit: Florentinos enim ſtatim in fœdus iurare, ea tamen conditione, vt Piſas intra præſcriptum tempus reciperent, volebat. Itaque Florentinis ad legatum Pontificium remiſſis nihil ipſe reſpondit: ſed conſcenſis triremibus (ſex autem Venetæ triremes, multæque naues Genuenſes paratæ erant, verùm raro milite, hoc eſt, mille Germanis peditibus inſtructæ) Spediam nauigauit. Inde terreſtri itinere Piſas profectus quingentos equites, mille item alios Germanos pedites, qui terra iter fecerant, ſibi adiunxit: aſcitis deinde Sfortianis, & copiarum Venetarum parte (nam alteram ad Piſanos tuendos, & ne Florentinus exercitus Liburnicam oppugnationem interturbaret, Ponteſaccum miſerat) ſe ad circumſedendum terra, maríque Liburnum comparauit.

Piſanorum ſumma leuitas & ingratitudo.

Piſis igitur omni lætitiæ ſignificatione, vt paulò ante Carolus, exceptus, & publicæ libertatis propugnator, atque inuictus Cæſar ſalutatus in Mediceam domum deductus eſt, 32
vbi populi ingrati, & potentiores adulantis inconſtantiam cernere erat: Caroli enim, à quo tot beneficia acceperant, ſtatuam, ac lilia aurea ponti Arni impoſita non ſecus, atque ante Florentinum leonem confringentes auguſtiorem Maximiliani, & Cæſareas aquilas erexerunt: nec quicquam, niſi beneficij loco ingenteis, inutileſque impenſas ponimus, ab eodem receperunt, vt iuſtas ſuæ leuitatis pœnas dediſſe videantur; nam de Florentinis non iniuria queri potuerunt. Auxiliarem à Carolo militem, commeatúmque Florentini antea poſtularant, atque impetrarant; maiores quinque naues, totidem minores miſſæ commeatu quidem multo, ſed raro milite onuſtæ, ſiquidem octingentos, aut (vt alij tradunt) ſexcentos duntaxat Vaſcones pedites ſclopetarios vehebant. Præter has longè maxima Normana commeatu quoque onuſta Caietam (nondum enim dedita erat) curſum tenebat; ea cum ſuperioribus vehementi aſpirante vento, quo die primùm Cæſariani in Liburni conſpectum venerunt, in portum Liburnicum ſeſe intulit, vno myoparone deſiderato, & quod à cæteris procul diuerterat, ab hoſtibus intercepto. Veneta claſſis obuiam prodire non auſa in altum fugienti ſimilis euaſit, commeatu, militibúſque (vt conuenerat) in terram expoſitis. Normana Caietam nauigauit; cæteræ in prouinciam Phocenſem redierunt, quas Florentini quidem retinere conati ſunt: ſed nauarchi ſe Venetis niſi ſecundo vento haud pares fore agnoſcentes, factis promiſſis ſpirantis auræ opportunitate vſi vela fecerunt. Hæc parua auxilia in tempore occurrentia miram Florentinis obſeſſis alacritatē attulerunt: magna enim tum Gallicæ fortitudinis admiratio in oppugnandis maximè, vel propugnandis vrbibus Italiam totam impleuerat: & Carolus Vrſinus, ac Vitellocius iiſdem nauibus vecti accepta à Carolo Rege pecunia ad cogēdos milites profecti erant. Accedebat quod alimentorum penuria oppreſſis tanta commeatus, & rerum ad tolerandas obſidiones pertinentium abundantia quaſi diuinitus oblata videbatur. Tum in ore omnium erat Hieronymus Sauonarola celebris Theologus, qui frequentibus concionibus id temporis Florentiæ habitis, vbi humana auxilia deficerent, diuina affutura prædixerat. Liburno Betinum Recaſolum cum duabus cohortibus Florentini præfecerant, qui Gallico ſubſidio auctus de conſeruanda vrbe nihil dubitabat: at Maximilianus nihilominus quingentis grauis armaturæ equitibus, leuis mille, peditum quatuor millibus terra Liburnum petere iuſſis, ipſe conſcenſis triremibus eodem profectus partem eam, quæ portum reſpicit, vt portus compos fieret, oppugnandam ſuſcepit, &, quod Magnanum vulgò appellant, prius à Florentinis diligenter munitum continuis tormētorum pilis verberauit, neque multum profecit: ab altera parte Calatinus Sfortianarum copiarum præfectus vrgebat, maritimum latus Veneta claſſis admota quatiebat, iam enim

Gallica,

Digitized by Google

Gallica,veluti futuræ tempeſtatis præſaga,receſſerat. Interim tanto impetu,ac tam repentino Africus Liburnico portui infeſtus marinos fluctus miſcuit, tantæ & tã graues pluuiæ ſimul inciderunt,vt neque naues anchoris firmatæ cõſiſtere,neque terra pedites vim tempeſtatis perferre poſſent, ſed in vicina tecta, quod tentoriis carerent, nonnulli Piſas diffugere cogerentur. Hic Genuenſis magna nauis, quæ Cæſarem traiecerat, & tormentis maioribus inſtructa erat, ad Liburni nouam turrim diu iactata cum vectoribus, omnique inſtrumento, duæ triremes Venetæ ad Iacobi Fanum demerſæ perierunt, cæteræ huc, illuc diſperſæ,ac ſemifractæ oppugnationi inutiles fuerunt. Funeſto hoc omine perculſus Cæſar obſidionem ſoluit, ac Piſas rediit, inde Vicopiſanum profectus pontem Arno inter Caſcinam, Vicúmque imponi imperauit: mox nec opinato iter in Tranſalpinam Galliam conuertit,Ticinúmque contendit,nulla re memorabili geſta,niſi quod Burgarum ignobile caſtellum quadringenti Germani equites diripuerunt, incolis crudeliter trucidatis. Tam repentini diſceſſus cauſam in Venetos conferebat, tum quod ſexaginta nummûm aureorum millia initio promiſſa nondum penitus dependiſſent, tum quòd mala de illo ſuſpicione concepta partem copiarum ſuarum Piſis educere recuſaſſent.

De retinẽdo Ticini Imperatore à fœderatis actũ.

33 Dum Ticini agit,de eodem retinendo fœderati ſuadente Sfortia egerunt:duo & viginti Florenorum Rhenanorum millia in ſingulos mẽſes poſtulabat, quibus mille Germanos equites, bis mille pedites ſtipendio afficeret: interim dum Veneti reſponſum reddere ſuo more cunctantur,Laumelum conceſſit,illis ipſis diebus,quibus Mediolanum initurus expectabatur:inde mutato cõſilio Cuſagium à Mediolano ſexto lapide diuertit,vnde celatis fœderatorum legatis,atque adeo ipſo Ludouico Comum aduolauit;quúmque inter prandendum legatum Pontificium adeſſe intellexiſſet,cui ne ſe ſequeretur,denuntiarat,omiſſo prandio ad nauem accurrit, legato fugientem aſſequenti pauca loqui permiſit, & ſe breui rediturum teſtatus,Lario lacu Bellaſium tranſmiſit.Ibi Venetos de ſtipendio dependendo conſenſiſſe certior factus,de repetendo Mediolano cogitauit,idque præ ſe tulit:paucis tamen poſt diebus declarata Italiæ quæ Germanos Imperatores multis ante ſæculis cũ exercitu incedenteis non viderat,virium ſuarũ imbecillitate in Germaniã abſceſſit.Hęc quamquam minuta idcirco prætermittenda non putaui, quod varium hominis ingeniũ,inconſtantiámque teſtantur; & hominũ mores præſertim illuſtriũ principum in vtramque partẽ deſcribere,modo nihil affingas,hiſtoriæ lex iubet. Maximiliani diſceſſu relictas in agro Piſano copias Ludouicus reuocauit,Venetos cum Florentinis acri bello commiſſos, Piſas velut Eridis pomum relinquens,omiſit;vtriſque attritis non defuturam aliquando ſibi occaſionem ſpondens,qua voti compos euaderet: hinc Florentini viribus ſuperiores amiſſa nuper caſtella in collibus ſita recuperarunt. Veneti copias augere coacti,vt illorum conatus comprimerent, quadringentos grauis armaturæ equites, leuis ſeptingentos, peditum duo millia in armis habuerunt:hæc inter Venetos,Sfortiam,Florentinos agitabantur.

Hiſtoria ad hominũ maximè Principum illuſtrium mores licitè extendi poteſt.

34 Interea Alexander Pontifex Virginium, ac cæteros Vrſinæ familiæ viros primarios in publico Cardinalium cœtu læſæ Majeſtatis reos declarat:quod Carolũ Regem nihil non hoſtile aduerſus Romanum Pontificem, cæteróſque fœderatos molientem ſequuti arma etiam in Pontificias copias in Appuliam progreſſas conuertiſſent:horum poſſeſſiones ſibi addicit, & inſtructo exercitu anno eius ſæculi nonageſimoſeptimo ineunte inuadi imperat.In hanc expeditionẽ Ludouicus Sfortia,Aſcanius Cardinalis eius frater,Columnæ, Federicus iam Rex Neapolitanus, qui eo nomine Fabricium Columnam equitum magiſtrum Romam miſit,conſenſerunt. Veneti etſi Vrſinis fauebant,atque eorum opera vti in animo habebant,tamen Pontificem ſuo iure vtentem prohibere non audebant,ne fœderi diſſoluendo occaſionem præberent. Iaque vt Guidus Feltrius Vrbinas,qui cõmuni Alexandri,Venetorúmque ſtipendio militabat, Pontificiis ſe iũgeret,permiſerũt,quibus præerat Franciſcus Borgia Candianus regulus. Is Vrſina aliquot oppida aggreſſus facilè cœpit,Trebonianum autẽ valido veteranorum militum præſidio munitum tormẽtis admotis oppugnauit.Braccianum tuẽdum ſuſceperat Bartholomæus Liuianus,qui obſeſſis auxilia, & quicquid ad oppidi conſeruationẽ ex vſu erat, ex aduerſa ripa paruis nauigiis ſummittendo ſuos identidem cõfirmabat,atque interim quadringentos equites machinis bellicis ad caſtra Pontificia deducẽndis attributos,octauo ab vrbe milliari fudit:altera excurſione Cardinalem Valentinũ venationi intentum, quin caperet, parùm abfuit, equi celeritas ex hoſtium prope manibus ereptum liberauit:proſtratis tandem muris,quum reſiſti amplius non poſſet,Trębonianum deditum,cui mox Inſula oppidum acceſſit.Inde tota belli moles ad Braccianum conuerſa;oppidum erat munitiſſimum,propugnator aderat Liuianus adoleſcens, ſed ſenili prudentia, diligentia incredibili, atque ea indole, quæ cognitam poſt

Anno 1497.

Alexandri Pontificis exercitus.

Digitized by Google

bellicam induſtriam, fortitudinémque tanto ante promitteret: exercitum in dies augebat Pontifex, Germanos octingentos, qui bellis Neapolitanis ſtrenuam operam nauauerant, poſtremo addidit; nam Carolum, Vitellociúmque Vrſinos conductas Caroli Regis pecunia copias non contemnendas iam armaſſe intellexerat: tormentis multis locis collocatis muri ingenti bombardarum tonitru, ac fragore quatiuntur; magnas hinc minantur ruinas, inde penitus collapſi deprimuntur. Contra Vrſini longos terræ aggeres lignea materia interiecta excitant, minoribus machinis inſtruunt; próque iis fortiter propugnantes hoſtium inſultantium vim excipiunt, paucis tamen diebus ſuburbium relinquere coacti intra oppidum ſe recipiunt: tum verò Pontificij tanto ardore irruerunt, vt militaria ſigna in ſummis murorum ruinis erexerint, magna tamen ſuorum clade repulſi, Antonio etiam Sabello viro militari, atque illuſtri ſaucio in caſtra redierunt: deintegro oppugnati Vrſini eandem fortitudinem præſtiterunt ducentis ex hoſtibus vel cæſis, vel grauiter vulneratis. In ore omnium erat Liuianus conſilio iuxta, ac manu promptus, qui intus fortiter propugnando, & foris crebris eruptionibus hoſteis noctes, diéſque fatigando nullum quietis illis vacuum tempus relinqueret. Illud verò memoria dignum, quod monitis ſuæ factionis equitibus, qui non procul in oppidis Vrſinæ familiæ addictis ſtationem habebant, vt noctu Pontificios magno impetu, ac pari clamore inuaderent, ipſe in eo tumultu erumpens pedites tormentorum cuſtodiæ attributos in fugam vertit; & minora aliquot tormenta ſecum in oppidum traxit: quædam ex maioribus, quod trahi ſubitò nequirent, obturata clauis inutilia reddidit.

Incredibilis Liuiani in tuendo Bracciano fortitudo & alacritas.

Interea Carolus, ac Vitellocius Vrſini coactis vndique militibus copias ad Surianum Sabini agri oppidum iunxerunt, & ad ſoluendam Bracciani obſidionem progreſſi ſunt. 35
Horum certiores facti Pontificij, ne inter Braccianum, hoſtilémque exercitum interiecti pugnare cogerentur, Bracciano relicto, tranſlatíſque Anguillariam tormentis maioribus illis obuiam proceſſerunt. Inter Surianum in arduo monte poſitum oppidum, Baſſianúmque congreſſi magna vtrimque vi conflixerunt, ac primo quidem impetu Vrſinus equitatus fortiter repulſus eſt, & Francioto Vrſino, Roſſetóque Tifernate captis ad pedites vſque reiectus: ſed Candianus, atque Vrbinas ſine tormentis, ac Germanis tardius incedentibus, in quibus maximam victoriæ ſpem collocabant, iunctos peditibus hoſtium equites inuadere nolentes ſuos reuocarunt; ea cunctatione confirmatis Vrſinorum animis pugna longè grauior redintegrata eſt. Vrſini pedites haſtas Germanicis cubito longiores geſtantes Germanos quamquam veteranos milites magna ex parte trucidarunt, cæteros facilè repulerunt. Hinc perculſi Pontificij equites, quod Italos pedites Germanis nullo modo pares exiſtimabant, in fugam ſe dederunt. Guidus Feltrius Vrbinas, Ioannes Petrus Gonzaga Nugolariæ Comes, aliíque aliquot viri illuſtres capti: Candianus, Fabricius Columna, Bernardinus Lunatus Cardinalis Pontificius legatus equorum pernicitate euaſerunt: quamquam hic morbo ex ea trepidatione concepto paucis poſt diebus extremum vitæ ſpiritum edidit, tormenta bellica, vexilla, atque omnia impedimenta Vrſini abſtulerunt. Victoriæ palmam Vitellocius reportauit, cuius induſtria maximè Tifernates militari diſciplina Gallico, Helueticóque more inſtructi, haſtíſque longioribus muniti Germanos Italis antea formidabiles nullo negotio ſuperarunt: inde totam cis Tiberim regionẽ Vrſini liberè nullo hoſte prohibente populati ſunt; Tranſtiberinam etiam, quæ tuta hactenus ab hoſtium incurſionibus fuerat, traiecto ad montem rotundum fluuio percurſarunt: vnde Alexander nouos militum delectus habere, Proſperum Columnam è regno Neapolitano, Conſaluúmque euocare coactus eſt: paucis tamen poſt diebus Hiſpano, Venetóque legatis authoribus illo verente ne modicus ignis magnum deinde incendium excitaret, fœderatíſque nec opinantibus aliquod malum importaret, iſto vt nobilem familiam in priſtinum ſtatum reſtitueret, annitente pax his conditionibus inita eſt, Vrſinis in præſcriptum tempus, quo Regi Carolo authorati erant, Gallicam militiam ſequi liceret, modo ne aduerſus Rom. Pontificem arma ferrent: iiſdem omnia oppida, arces, pagi, hoc bello amiſſi Alexandro in belli impenſas numeratis quinquaginta numûm aureorum millibus redderentur, quorum triginta Iordane, Paulóque Vrſinis in Oui arce captiuis (nam Virginius vel mœrore, vel veneno, vt quidam tradiderunt, ſublatus erat) è cuſtodia emiſſis viginti reliqua octauo poſt menſe repræſentarentur. Interim Anguillaria, ac Cere vetus apud Aſcanium Sfortiam, Pompeium Columnam, ac Federicum Seuerinatem Cardinales Vrſinorum patronos tãquam bona prædia deponerentur. Omnes præter Vrbinatem recenti prælio capti liberi nullo ære perſoluto abirent: tametſi autem de Vrbinate in libertatem aſſerendo fœderatorum legati ſumma contentione diſceptabant,

Quibus conditionibus pax inter Pontif. Maxim. & Vrſinos inita.

Alexander

Digitized by Google

Alexander tamen, quod Vrſinos aliter imperatam pecuniam conficere non poſſe intelligebat, de illo haud magnopere laborauit. Is mox quadraginta nummûm aureorum millibus exolutis, ac Paulo Vitellio Mantuæ adhuc captiuo gratis liberato, è cuſtodia eductus eſt: ſic Vrſini ex hoſtium ſpoliis, prædáque promiſſam pecuniam confecerunt.

36 Alexander bello ſuſcepto ſua cum ignominia defunctus ad Oſtiam, quæ Iuliani Cardinalis Rouerei pręſidio tenebatur, oppugnandam Conſaluum cum Hiſpanico exercitu miſit, tormentis admotis Menaldus Guerra præfectus ſeſe, arcémque dedidit: inde Cõſaluus centũ grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, mille quingentis peditibus comitantibus triumphali quadam pompa Romam iniit, & ad Alexandrum perductus in publico Cardinalium cœtu roſam, quam Romani Pontifices honoris ergo viris illuſtribus dare, aut mittere ſolent, accepit: mox ad Federicum Soram, cæteráque Ioannis Rouerei præfecti vrbis oppida inuadentem rediit. Federicus autem quamquam regni Neapolitani compos videbatur, tamen Calabriæ partem Hiſpanorum præſidiis occupatam Regis ſui nomine Conſaluus adminiſtrabat, & Andegauenſis factionis viris principibus non ſatis reconciliatus putabatur: fortè enim accidit, vt Biſſinianus dum ex noua arce Neapolitana exit, à Græco milite, cuius vxorem, vel ſororem (vt alij tradunt) conſtuprauerat, multis conficeretur vulneribus. Id quum vel iubente, vel conſcio Federico Salernitanus patratum ſibi perſuaderet, Neapoli ſtatim cauſam diſceſſus non diſſimulans Salernum ſe proripuit; ac quamuis Græcum prehendi, Biſſinianóque tradi in cuſtodiam Federicus imperaſſet, graui nihilominus ſuſpicione (vti inimicis reconciliatis fidere perdifficile eſt) ſe haudquaquam liberauit; at Salernitanum paucis poſt menſibus ditionibus ſuis omnibus pulſum egregiè vltus eſt. Diani tamen circumſeſſum Senogalliam cum omni domeſtico inſtrumento abire permiſit: vbi ſenex, egens, mœrore tabeſcens vitam finiit. Vt ad res Gallicas redeam, multis legationibus à Gallo ad Hiſpanum, & viciſſim ab hoc ad illum miſſis induciæ tamen non ſolùm inter ipſos, ſed inter eos quoque quos intra præſcriptum diem vterque aſcriberet, in octo fere menſes pactæ fuerunt, quæ tertio nonas Mart. cœptæ pridie Kalend. Nouemb. anno eius ſæculi nonageſimoſeptimo finirentur: ſex menſium Bembus, quatuor Iouius pactas fuiſſe ſcribunt. Florentinos, cæteróſque fœderatos Gallus, Hiſpanus ſibi quoque fœdere coniunctos, Federicum etiam, ac Piſanos nominauit, qui, etſi disertè comprehenſi non erant, tamen eaſdem lætiſſimis animis acceperunt, quod diuturnis bellis exhauſti quietem tandem aliquam ſummopere deſiderarent. Hic Ludouicus quamquam palam Veneti Senatus fortitudinem, vires, prouidentiam mirandum in modum collaudaret, & grati animi ſignificationem mirifica auxilij nuper accepti prædicatione declararet, Ioannis item Galeatij primi Mediolanenſium reguli prudentiam in cœlum ferret, qui Venetum Senatum teſtamẽti ſui exequendi arbitrum, authorem ac veluti prædem delegiſſet, tamen Piſas in Venetorum poteſtatem conceſſiſſe ægerrimè ferens, quod vi nequibat, fraudulento conſilio aſſequi aggreſſus eſt. Alexandrum Pontificem, Hiſpanóſque legatos propagati Veneti Imperij inuidia flagranteis ſubornauit, qui Florentinos ad commune totius Italiæ fœdus neceſſariò pertrahendos ſuaderent; & quandoquidem id niſi Piſis redditis fieri nõ poſſet, vt priuata Venetorum (inquam) commoda publicis cederent conſentaneum eſſe: Florentinos à cæteris Italis ſeiunctos continuis legationibus, ac querelis Regem Carolum ad bellum Italicum accendere, in Italiæ quaſi meditullio collocatos, & pecunia abũdanteis magnum ad id momentum afferre; iiſdem ſibi coniunctis nullum ab externis hoſtibus periculum imminere, quibus acriter legatus Venetus interceſſit: Florentinos eo erga Carolum animo eſſe, vt nullo beneficio allici, nullam de ſe fidem facere poſſint, niſi ſe promiſſis ſtaturos ſatiſdent. Porrò nullam tanti eſſe ſatiſdationem, niſi Liburnũ apud fœderatos deponant. Id addidit, quod Florentinos in eã conditionem adduci haud poſſe intelligebat, quod quũ ita poſtea eueniſſet, tanta pertinacia inſtitit, vt rem integram cæteri fœderati, ne Venetos à ſe abalienarent, in aliud tempus diſtulerint. Florentiæ verò commutata Reipub. adminiſtrandæ forma nimia concionum licentia, popularíque libertate vergere ad ſeditionem omnia videbantur: viri primarij non, qua par erat, authoritate pollebant, quorum ambitio populo etiam ſuſpecta erat; in conſultationibus de maximis rebus inſtitutis permulti neque ingenio præſtantes, neque experientia exercitati ſeſe inculcabant, & primas ferre ſæpenumero, ſibique cæteros aſſentiri magna ambitione, ac pertinacia cogebant, ſummus magiſtratus altero ſemper menſe finiebatur, quæ temporis breuitas ad vitandam tyrannidem prudenter inita, ad maiora negotia exequenda prorſus inutilis deprehendebatur, quod qui magiſtratum illum viciſſim obibant, rarò ſibi inuicem conſentiebant. Ciuitas in duas diuiſa erat factiones, numero

Inimicis recõciliatis fidere quàm difficile.

Quid Petrũ Mediceũ de inuadenda Florentia cogitare adegerit.

 ſuperiori,

Digitized by Google

ſuperiori, quæ Hieronymo Sauonarolæ Dominicanæ profeſſionis cucullato tum concionatori celeberrimo ſeſe addixerat, magiſtratus magna ex parte mandabantur: hinc exacerbata altera factio priuatis odiis rem communem peſſundabat. Et dum aduerſam ſuperaret, aut certè deprimeret, neutra fere publicæ vtilitatis rationem habebat. Accedebat ingens tritici, cæteríque commeatus penuria, quæ plebem rerum nouarum cupidam ad ſeditionem incitaret.

Hæc Petrum Medicem à nonnullis ſuæ factionis vocatum Venetis Florentinorum hoſtibus pecunia iuuantibus, Alexandro Pontifice, Ludouicóque Sfortia, non diſſentientibus de inuadenda Florentia cogitare impulerunt: vnde Senis vnà cum Liuiano biduo poſt promulgatas inducias, quibus Senenſes comprehendebantur, profectus cum ſexcentis delectis equitibus, ac quadringentis peditibus nocturnis itineribus Florentiam contendit: prima vigilia quum ad Tabernulas viculum raris domibus aut potius caſis habitatum diuertiſſet, & militibus, iumentiſque cibo recreatis quod reliquum erat noctis properando ſub auroram ſua factione adiuuante Florentiam ingredi ſperaret, ingens pluuiarum vis partim ſub tectis cunctanteis retinuit, partim incedenteis ita vexauit, vt longè poſt Solis ortum Medicea factione iam diſperſa Florentiam appulerit. Tum aduerſa factio ſuis ad arma vocatis, Paulóque Vitellio, qui Mantua fortè rediens pridie Florentiam ingreſſus erat, aſcito, ne vim faceret, aut ne quis tumultus ſuboriretur, facilè perfecit. Senas vnà cum Petro reuerſus Liuianus animum ad vlciſcenda factionis ſuæ diſſidia conuertit, Todiúmque Guelforum opera intromiſſus quinquaginta treis Gibellinæ viros primarios trucidauit, omnium bona diripuit, ſolos prope Guelfos in oppido reliquit; cuius exemplum ſequuti Antonius Sabellus, Terni, Gatteſij, Columnæque Viterbij aduerſus Guelfos eadem prope deſignarunt. Interim deprehenſa de Petro Medice in vrbem immittendo coniuratione grauis ſeditio pœne ſuborta Florentiæ eſt: Nicolaus Rodolphus, Ianotus Puccius, Ioannes Cambius, Laurentius Tornabonus in cuſtodiam traditi: illi quod Petrum aduocaſſent, hic quod etiam mutuam pecuniam dediſſet. Prehenſus eſt, & Bernardinus Nero, quod ſummum tum magiſtratum gerens, quem Confalonerium vocant, & coniurationis conſcius eandem populo, aut nonnullis è ciuibus non indicaſſet; reos cauſa cognita iudices extremo ſupplicio addixerunt, reorum propinqui ad populum prouocarunt: lex enim Reip. recuperatæ initio lata erat, vt reis prouocatio tanquam libertatis vindex ad populum daretur. Sed damnatorum inimici verentes, ne veneranda ſenectus, clara nobilitas, propinquorum multitudo populum permouerent, vt non vniuerſis ciuibus, ſed ſelectis, & tamen multis iudicium de prouocatione permitteretur, impetrarunt. Ibi plures, ſi prouocatio daretur, rem facilè ad ſeditionem venturam docentes; cuius vbi metus imminet, leges ſilere cõſentaneum eſt, ſummum magiſtratum, quique illi adeſſent, vt reos nocte, quæ conſequuta eſt, plecti iuberent, vi quadam, miníſque coëgerunt; ac Sauonarolæ quidem aſſectatores non ſine graui, illius qui non diſſuaderet, nota ſe acriores cæteris præbuerunt: quamuis legem de prouocatione ad populum tanquam ciuitatis, ac libertatis patronam Sauonarola in primis tuliſſet: vnde virorum illuſtrium mortes magnam illi tum inuidiam conflarunt, & mortem poſtea fortaſſe procurarunt.

Cõiuratio de immittendo Florentiam Petro Medice totam pęnè vrbē ſubuertit.

Sub huius anni finem conuentu ſuper renouandis inter Gallum Hiſpanúmque induciis ab Agathopoli (montem Peſſulanum vulgo appellant) Narbonam antea tranſlato, & propter immoderata Ferdinandi poſtulata interrupto, de iiſdem deintegro actum nullas quibus Italica bella interpellarentur, accipere volebat Carolus: Italiam Carolo debellandam Ferdinandus ægrè relinquebat; multò vero magis ſumptus immenſos tolerare nulla certa mercede propoſita reformidabat? Tandem Himberto Bochagio (quidam Paulum nominant) Caroli legato procurante (nam paulò ante Clerius Delphinas, & Michaël Grandimontanus Aquitanus cũ Ferdinando non ſatis cautè egerant) in eas iurarunt: quæ omiſſis Italis, Cæſare autem, Anglóque comprehenſis donec alteruter ab iiſdem ſe recedere profiteretur, & duos amplius menſes inuiolatę manerent vt Cominæus ſcribit, cæteri harũ non meminerunt. Quas fœderatis Italis denuntiauit Ferdinandus, addens non minus ſibi recenteis illis inſciis inducias, quàm ipſis ſe non admonito Vercellenſe fœdus inire licuiſſe: ſe inita ſtatim ſocietate acre bellũ pleroſque menſes in Gallia geſſiſſe: nullis à fœderatis, vti conuenerat, acceptis pecuniis, quod fœdere non ſtarent, conqueſtũ centum quinquaginta nummûm aureorũ millia ſuperioris belli nomine ſibi debita in futuri belli impẽſas, modo repræſentarẽtur, accepta ferre voluiſſe; id quoque fœderatos violata fide recuſaſſe, ſocietatem cõmunis Italiæ libertatis conſeruandæ ergo initã in nonnullorum ruinam deſiiſſe, Venetos oppigneratis Calabriæ, Appuliæque vrbibus non contentos in Piſas

quoque

quoque antiquam Florentinorum poſſeſſionem præter ius, & æquum inuaſiſſe, publica vtilitate neglecta priuata commoda ſequutos, ſe quoque ſuorum commodorum rationem habere debuiſſe: inducias porrò eas feciſſe, quibus ſe non tam à communi ſocietate diuellere, quam fœderatos ſui officij admonere cogitarit: omnia ſibi integra reliquiſſe, vt quum aliam fœderatorum mentem, hoc eſt, eandem omnium in rem communem voluntatem eſſe proſpexerit, tum quoque, & eaſdem diſſoluere, & in priſtinam ſocietatem redire poſſit. Hæc obſcuros Ferdinandi ſenſus explicabant, qui vitandi ſumptus ergo, non ſincera fide inducias faceret, quas ſuo commodo quauis data occaſione diſſolueret: ea quippe natura erat qui fidem non iuriſiurandi religione, quemadmodum & plerique Reges, ſed ſua potiſſimum vtilitate metiretur. Hinc quum paulò ante Italicam Caroli expeditionem ſe, quominus is regno Neapolitano potiretur haud impedimento futurum, neque vlla Alphonſo, tametſi propinquo auxilia miſſurum, nulla cum Neapolitanis, Angliſve Regibus, aut Burgundica familia liberorum ſuorum matrimonia initurum ſacroſancto iureiurando confirmaſſet, quinetiam antiqua Caſtulonenſium cum Gallis fœdera renouaſſet, quæ inter vtrumque Regem, inter vtrumque regnum, inter cunctos vtriuſque regni incolas, inter ſingulos cum ſingulis comparatos execrandis deuotionibus concipi ſolebant: tamen cum primùm Carolum Romam appuliſſe intellexit, legatos quoquouerſus Romam, Venetias, Mediolanum, in Germaniam ad coeundam aduerſus eundem ſocietatem miſit: conditionémque de liberorum matrimoniis, quam ipſe non poſtulante Carolo ſua ſponte obtulerat, contra ius gentium, quo libera matrimonia ſint, iniquámque prætendens pro nihilo putauit. Sed tantam perfidiam breui conſequuta diuina vltio eſt: nam Ioannes princeps Caſtulonenſis eius filius vnicus morbo, quatuor filiarum natu maxima Margarita Luſitaniæ Regina partus difficultate vitam cum morte commutauit: principis vxor nomine quoque Margarita Maximiliani filia ſextum iam menſem vterum geſtans morte viri cognita ex dolore abortum edidit. Illud certe memoria dignum Ferdinandus egerat, quod regno Caſtulonenſi potitus Mauros octingentos fere annos Bethicæ imperanteis aut exciderat, aut tota Hiſpania prorſus eiecerat: vnde Hiſpanos Reges Alexander Pontifex Chriſtianiſſimos appellare orſus eſt: mox nonnullis è Cardinalibus intercedentibus Catholicos, hoc eſt, vniuerſæ, & quoquouerſus propagatæ Chriſtianæ perſuaſionis conſeruatores appellauit.

Ferdinandi Hiſpani fides ſuſpecta.

Hiſpaniarũ Reges quando Catholici appellari cœpti.

39 Sub id quoque tempus reuocato, quem in Galliam miſerat, Ferdinando filio depoſitam arcem Genuenſem Ludouico Sfortiæ genero Ferrarienſis reddidit, præmonito Carolo, vt pecuniæ in præſidiariorum militum ſtipendium impenſæ portionem ex Vercellenſi fœdere repræſentaret: pecuniam offerebat Carolus, ſed arcem non Sfortiæ, ſed ſibi reſtitui poſtulabat: ea enim conditione depoſita erat, vt, ſi à fœdere recederet Ludouicus, Carolo arx in manus traderetur: receſſiſſe autem à fœdere Ludouicum multis argumentis docebat. Ea non ſatis perſpicua cauſabatur Ferrarienſis, & vt Ludouicum violati fœderis conuinceret, requirebat pecuniam apud quoſuis, quos nominaret Ferrarienſis, deponere Carolus paratus erat; & interim Ludouicum arbitrum adigere pollicebatur. At Ferrarienſis aduerſus datum iuſiurandum Ludouici, Venetorúmque precibus cedens arcem genero tradidit, legatóſque deinceps ad Carolum miſit: ſe Ludouici, Venetorúmque ſuis ditionibus imminentium, & bellum prope denuntiantium vi, ac metu coactum Carolo haud ſatisfacere potuiſſe; precari ne beneuolentiam defuiſſe, ſed neceſſitatem ſibi impoſitam, fuiſſe Carolus exiſtimet. Eam excuſationem Carolus non eo, quo debuit, animo accepit, ſed quaſi de re leui ageretur, ſuſque deque tulit; quum aperta illi facta eſſet iniuria, & arx magnum ad res Neapolitanas momentum afferret. Is tum Ambaſiæ agebat, arcémque in primis opere magnifico, vrbémque inſtaurare cupiebat: architectis lapidariis, lignariiſque fabris, pictoribus, atque aliis id genus artificibus vndique, præſertim vero Neapoli àccerſitis, quod quidem præ ſumptus, & rei ſuſceptæ magnitudine haud paucis annis confici poſſet: nec tamen idcirco à rebus Italicis animum dimouebat, quin potius de recuperando regno Neapolitano ſpem magnam conceperat: tam ſæpè ea expeditio variis conſiliis agitata, ac ſubinde interrupta fuit! Mille quingentos cataphractos equites Italos Mantuanus, Vrſini, Vitellij, Rouereus vrbis præfectus in eam expeditionem paratos habebant: Florentini dimidiam ſtipendiorum partem ſe in ſextum menſem exoluturos promiſerant: Bentiuolus quoque ſe Caroli authoritatem, cum primum Italiam ingreſſus foret, ſequuturum pollicebatur, vt ſupra explicaui. Iam in itinere cum centum quinquaginta cataphractis Gallis equitibus erat Aubignius claſſe Florentiam traiecturus, quem ſuarum copiarum ducem Florentini ea conditione depopoſcerant, vt centum Carolus, ipſi quin-

quaginta equitum ſtipendium penderent. Alexander Pontifex erga Venetos malè animatus, quanquam an ſe Carolo adiungeret, nonnihil dubitabat, tamen neutram in partem inclinare, aut ſaltem ne eius hoſtis declararetur omnia potius experiri decreuerat: quin-etiam clam legatum de reconciliatione acturum in Galliam miſerat, quem ſe paulò ante Caroli mortem in Regium cubiculum introduxiſſe Cominæus prodidit. Veneti propter Piſas cæteris fœderatis ſuſpecti, & eoſdem ipſi ſuſpectos habentes aduerſus Ludouicum Sfortiam diſſidij authorem nonnihil moliebantur, Maximilianus Venetis infeſtus cum Carolo agebat, vt eodem tempore totis viribus Carolus in regnum Neapolitanum, ipſe in Venetos inuaderet. Cum Hiſpano Ferdinando commemoratæ nuper induciæ ratæ erant: Baptiſta Fregoſius iterum operam ſuam pollicebatur; inter Ioannem Ludouicum Fliſcum, & Adurnios graues ſimultates intercedebant: omnes Ligures de Sfortia grauiter conquerebantur, quod in Petraſanctæ venditione Lucenſes illis prætuliſſet.

Cur Carolus multis occaſionibus ad rem Neapolitanam recuperandam opportunis toties malè vſus.

Anno 1498.

Tot, ac tam bonæ occaſiones ad rem Neapolitanam recuperandam peropportunæ ſe anno huius ſæculi nonageſimo octauo ineunte offerebant: ſed Carolus nihil ex ſuo (in bellum enim Italicum naturali quodam inſtinctu rapiebatur) omnia ex familiarium ſenſu pertractans, nec quod vellet ipſe, verùm quod alij ſuaderent, ſequutus, Briſſonneto Cardinale maximè hominem quaſi poſſidente, & variis machinis alio trahente, ſolita cunctatione vſus eſt; interim Baptiſta Fregoſius, Sfortia, Fliſcus, & Adurnij inter ſe reconciliati ſunt: ne quid nouarum rerum Ligures molirentur, equites, peditéſque Germani, quos Maximilianus in Italiam adduxerat, Genuam miſſi, vrbem, totámque regionem in Mediolanenſis fide retinuerunt: Mantuanus, Vrſini, Vitellij, Rouereus, euocatos clam milites ſtipendij penuria, quo ſors quemque ferret, abire paſſi, ipſi alia conſilia ſequuti ſunt. Ludouicus Gallicum ardorem iam refrixiſſe ratus Alexandrum, Hiſpanúmque Ferdinandum, vt Venetos Florentinis Piſas reddere cogerent, maiore quàm antea contentione vrgebat. Ipſi Florentini legatos Romam eodem Ludouico impulſore, miſerunt: ſed cum hiſce mandatis, vt ita ſe, modo Piſæ reſtituerentur, cum cæteris fœderatis ad communem totius Italiæ libertatem aduerſus Gallos tuendam coniuncturos ſignificarent, vt ſi id non ſatis procederet, nullam de ipſis iuſtam conquerendi occaſionem Carolo præberent. Hæc res aliquot dies inter Alexandrum Pontificem, Hiſpanum, Neapolitanum, Mediolanenſémque legatos Romæ agitata vehementer à Veneto contendenteis, vt Senatus Venetus in eandem cum cæteris fœderatis ſententiam pedibus iret; neque vnius vrbis vel liberandæ vel occupandæ cupiditate publicam ſalutem proderet, & totam Italiam barbaræ crudelitati in ſeruitutem obiiceret: Piſis enim Florentinis antiquis dominis reſtitutis, hoc eſt, diſſenſionum omnium cauſa ſublata nullam Italis ſupereſſe occaſionem, cur Tranſalpinas vires, externámque gentem in ſua viſcera immittant. Sin præter ſuum morem ſapientiſſimus Senatus in re & iniqua, & publicæ concordiæ penitus aduerſa pertinacius hæreret, quod minime veriſimile eſt, alia ſibi ſequenda conſilia, alia videnda fœdera: vnde breui horrendam rerum omnium commutationem (quod Deus omen auertat) perturbationémque conſequuturam. At Venetus Senatus in priore ſententia perſeuerabat: præſertim quod totam hanc querimoniam à Ludouico emanare intelligebat. Itaque ambitionem ſuam ſpecioſa oratione prætendens non publicæ vtilitatis contemplatione, ſed flagranti neſcio cuius è fœderatis inuidia tragœdiam iſtam excitari eodem legato interprete grauiter conquerebatur: redditas Florentinis Piſas Gallico nomini prorſus addictis, cuius nationis patrocinio Hetruriæ imperium ſibi deſpondeant, animorum ſtudiorúmque immutationem haud effecturas, verùm potentiam ad cæteræ Italiæ ſeruitutem aucturas, cunctos non ita pridem fœderatos vna voce Piſanis ſe libertatem ſartam tectam conſeruaturos promiſiſſe: cæteros mox impenſis parcenteis Venetis totum belli pondus reliquiſſe, ſe magno animo, nec minore ſumptu iuſtam cauſam tuendam recepiſſe: ſi datam communi conſenſu fidem violare cæteri pro nihilo ducunt; at eandem conſeruare Venetum Senatum non ſolum ſuæ, ſed alienæ etiam libertatis, necnon & multis ſæculis quæſitæ exiſtimationis ſemper ſtudioſum in maximis bonis ponere. Itaque nullos ſumptus, nulla pericula, & propter Piſas, & propter communem Italiæ libertatem retinendam terra, maríque ſubterfugiſſe. Quibus enim viribus, aut armis ad Tarrum depugnatum? quibus Galli regno Neapolitano expulſi? quibus Nouaria recepta? Hæc Venetam Remp. non ſuæ, verùm innato publicæ vtilitatis ſtudio munia omnia obiiſſe: neque enim Veneti hiſce periculis obiecti erant, neque verò Gallos in Italiam euocarant, neque iam inuadentes auxiliis iuuerant, alios multa peccaſſe, eorum peccata ne publicè, priuatímque nocerent, Venetos ſua prudentia perfeciſſe. Hæccine igitur tantis officiis, impenſis, laboribus

Florentini per legatos Piſas ſibi non reddi Romæ conqueruntur.

Digitized by Google

laboribus referri præmia? quæ quanquam perſpicua ſunt, tamen ſi integra obliuione inobſcurantur, Venetos nihilominus neque ſuæ Reip. dignitatem prodere, neque fidem fallere ſtatuiſſe.

41 Interim dum hæc inter fœderatos ſæpius Romæ acri altercatione diſceptantur, res noua, & quæ omnium ſenſus repente immutaret, incidit: Carolus ſeptimo Id. April. anno eius ſæculi nonageſimo octauo ex Ambaſianæ arcis porticu adoleſcenteis pila in ſubiectis foſſis ſeſe exercenteis vnà cum Regina vxore deſpectans hora ſecunda pomeridiana (vt Galli numeramus) attonito ſtupore corripitur, vndecima expirat: vnde Italis inter ſeſe prope digladiantibus, aut certè inſtantis belli ſemina iacientibus lætitiam, Gallis verò magnum ſui deſiderium reliquit. *Caroli VIII. mors.* Erat Carolus ſtatura puſillus, corpore exili, imbecillo, morbis obnoxio, gibbis humeris, ore deformi, niſi quod neſcio quis oculorum vigor ingenij acrimoniam deſignabat; ad res ſemel ſuſceptas impetu quodam ferebatur: verùm mox adeo remiſſe ſæpenumero ſe gerebat, vt vix ſuſcepiſſe exiſtimares. Hinc magna quidem illum ſpectaſſe, aut imperandi auiditate flagraſſe, ſed iudicio minùs valuiſſe manifeſtum eſt: rebus Neapolitanis ſe malè conſuluiſſe agnoſcebat, & quæ peccaſſet, ſingula prope nonnunquam enarrabat: ſi id regnum recuperaſſet, haud dubiè meliùs conſulturus. Tanta porrò inerat comitas, & erga omneis cuiuſuis ordinis homines humanitas, vt omnibus ſuis pariter, atque alienis ſemper fuerit acceptiſſimus: paulò ante mortem emendata adoleſcentiæ libertate, ſpretíſque muliebribus illecebris cum vnica vxore rem habebat, ſingulis hebdomadis ſui ſæpius copiam publicè faciebat, iúſque omnibus præſertim egentioribus dicebat, nonnullos è iudicibus, iuríſue dicundi adminiſtris ob rapinas magiſtratu mouebat. Iudiciorum formam ad antiquam ſimplicitatem atque integritatem inſtaurare, Sacerdotes ad eandem normam coercere, tributa (quas tallias vocant) ad duodecies centena Turonenſium librarum millia, quæ illi Turonenſi trium ordinum conuentu conceſſa fuerant, redigere; eáque non Regia authoritate, ſed ex eorundem ordinum permiſſione ad totius regni propugnationem accipere, domeſticum, cæteróſque ſumptus ex Regiis fundis, priſcíſque Gallorum Regum vectigalibus nempe ex portoriis, aliíſque id genus tolerare in animo habebat. Hæc meditantem & re nonnulla iam præſtantem mors repentina viceſimo octauo ſuæ ætatis anno intercepit, ſuis planè luctuoſa, quamuis eum ſucceſſorem reliquerit, qui ſingulari moderatione, ac iuſto imperio Galliam adminiſtrarit. Poſtridie eius diei quo è vita exceſſit, hoc eſt, ſexto Id. April. quem Athenienſium Oſchophoriis quadam ſimilitudine reſpondentem geſtandis ramis tum Chriſtiani feſtum celebrabant, Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis Dominicinæ familiæ cucullatus ſodalis Florentiæ extremo ſupplicio mulctatus eſt. Is antea apud Alexandrum Pontificem delatus, quod in ipſum, Romanæque aulæ deprauatos mores ſuis concionibus vehementius inueheretur, factionéſque Florentiæ aleret, vt ſe Romam purgaturus ſiſteret, iuſſus erat: quò quum ire recuſaſſet, ſublata concionandi facultate ſacris quoque, & Chriſtianorum cœtu interdictus eſt. Idcirco domi tacitus aliquantum quieuit, veniámque errati facilè impetraſſet, ſi in eodem ſilentio diutius perſtitiſſet: ſed quam concionum vehementia ſibi comparauerat authoritatem, ſilentio labaſcere, ac paulatim decreſcere, ſimul & id in quod collimabat, ſibi perire ſentiens ad idem munus obeundum rediit, latámque in ſe ſententiam iniuſtam docens in Pontificem, Pontificióſque aſſectatores, & Romanos πραγματικῶς actius longè, quam antea inuectus eſt: vnde graui ſeditione oborta, quod eius aduerſarij Alexandrum alieniſſimo tempore, qui tum Piſas Florentinis reſtitui procuraret, vltro ad indignationem nulla ex iuſta occaſione prouocari querebantur. Contra Sauonarolæ fautores vt diuinis humana cederent, & quandoquidem manifeſtis vaticiniis, quorum pleraque rerum euentus comprobauerint, perſpicuóque Dei verbo monerentur, vt ſummæ illi prouidentiæ pareatur conſentaneum eſſe diſſerebant, neque permittendum, vt Alexander religionis ſpecie Florentinæ Reip. leges imponeret. *Sauonarola ſacris interdictus.*

42 Huius tumultus certior factus Alexander, ac vehementer irritatus non ſolùm Sauonarolæ Chriſtianis ſacris interdicit, verum & Florentinis ipſis ſe interdicturum minatur. Quapropter Sauonarolæ ſilentium ſummus magiſtratus imperat: verumenimuero & eius ſodales Dominicinæ familiæ eadem in dies publicè in ſacris ædibus declamitabant. Contra Franciſcini, atque aliarum duarum familiarum ſodales à Pontifice, Pontificiiſque ſtabant, & eadem concionandi libertate in Sauonarolam, eiúſque aſſectatores debacchabantur, vt non maior inter ciueis, quam inter iſtos fraterculos (vt ſeſe ipſi vocant) ſeditio efferueſceret; eóque tandem deuentum eſt, vt Franciſcinus neſcio quis Dominicinum Sauonarolæ ſodalem veluti ad ſingulare certamen prouocaret; & quæ ipſe, ac Franciſcina

ſodalitas

Digitized by Google

Dominicini cius ſocij cũ Franciſcino grauis contentio.

ſodalitas aſſereret, vera eſſe, vt aurum igne probaturum, modo idem præſtaret Dominicinus, promitteret: nam & Sauonarola ipſe in ſuarum prædictionum, ac vaticiniorum confirmationem, ſi quando opus eſſet, ſe à Deo Opt. Max. impetraturum, vt per medios ignes illæſus penetraret, in ſuis concionibus aliquando iactitarat. Hanc contentionem ſe inſcio initam, vt dirimeret, Sauonarola ſedulò laborauit; ſed rem multùm progreſſam, & à nonnullis ciuibus ſedandarum factionum ſtudio diligenter procuratam, interrumpere haud potuit. Extruitur media vrbe ingens rogus, ad hunc magno totius ciuitatis, ac viciniæ concurſu ambo ſodales vterque cum ſua familia non ſecus, ac quondam Iudici gymnoſophiſtæ, verum non eodem animo, neque eadem conſtantia procedunt. Sauonarolanus autem ſibi metuens, nec magiſtri ſui vaticiniis fidens Euchariſtiam (vt Chriſtiani vocamus) manibus geſtans eandem ſecum in ignem illaturus propius acceſſit: reclamant Franciſcini, & vt omiſſa Euchariſtia ſine vlla tergiuerſatione ſe ipſe in ignẽ immittat, inſtant: non enim vt vniuerſæ Chriſtianæ perſuaſionis, ſed vt Sauonarolanarum prædictionum periculum duntaxat fiat, nunc agi: quod ſi Euchariſtia igni admoueatur, atque abſumatur, non leuem in Chriſtianis dogmatis minus conſtantibus ſcrupulum, ac dubitationem iniici. Ille in ſententia perſeuerat; vnde tanta inter ciues pariter, ac duarum iſtarum familiarum ſodales exarſit contentio, vt re infecta vniuerſi domum redirent. Bimeſtres, qui tum Florentiæ præerant, magiſtratus aduerſæ factionis erant, quorum patrocinio freti Sauonarolæ inimici arreptis armis in Marci Cœnobium vbi ille habitabat, vi poſtero die irrumpunt, ipſúmque, ac duos eius ſodales in publicam cuſtodiam tradunt: quo in tumultu Franciſcus Valorius vir magnæ authoritatis, & Sauonarolanæ factionis princeps ab eorum propinquis, quibus non ita pridem ad populum prouocatio denegata erat, occiditur, cuius morte contraria factio Medicea adiuncta, longè potentior Alexandro Pontifice, ac Ludouico Sfortia crebris litteris inſtigantibus quæſtionem de Sauonarola cum tormentis habuit. quid autem ille confeſſus ſit, haud planè certum fuit: iudices enim aduerſæ factionis reo infeſti iniqui iudicij ſuſpicionem præbuerunt, & acta ipſa, quæ promulgata tum fuerunt, viri innocentiam teſtari quodammodo videbantur: reum enim auaritiæ, ac flagitiorum calumniis falsò impoſitis & clandeſtinæ cum externis principibus coitionis, ac conſpirationis ſuſpicione planè liberabant. Quæ autem ille prædixiſſet, non diuino inſtinctu, ſed ſagaci coniectura, & diuturna ex ſacris voluminibus ſumpta obſeruatione prædixiſſe teſtabantur: quæ hactenus egiſſet, eo ſpectaſſe, vt coacto vniuerſi Chriſtianiſmi Concilio Sacerdotum corrupti mores in priſtinam integritatem inſtaurarentur, & ad Chriſti, eiúſque comitum normam (quos Apoſtolos nominant) exacti ætatem illam verè auream, ac diuinæ puritati proximam nobis reducerent: quod quidem ſi tandem aſſequutus eſſet, id verò vel ipſo ſummo Pontificatu longè auguſtius præmium exiſtimaturum fuiſſe: Pontificatum enim malis ſæpe artibus quæri: at tantam felicitatem Chriſtianiſmíque tranquillitatem non niſi excellenti quadam virtute, doctrináque, & ſingulari Chriſtianorum beneuolentia pariter ac reuerentia poſſe comparari.

Sauonarola in crucem actus, & flammis conſumptus.

His actis ita euulgatis Sauonarola, eiúſque duo ſodales ſummo Dominicinorum ma- 43
giſtro, & Romolino Pontifici qui mox Cardinalis Surrentibus dictus eſt, iudicibus ab Alexandro datis traditi, atque iis ſacris, quibus Sacerdotes initiantur, exauthorati Florentinis magiſtratibus redduntur, quorum ſententia in crucem ſublati comburuntur: ſed mors conſtanter obita nulla voce emiſſa, quæ vel delictum, vel innocentiam profiteretur, diuerſam ſpectantibus, (vt varia factionum ſtudia erant) coniecturam reliquit, aliis vt planum, & ſeditioſum incuſantibus, aliis vt virum pium, ac ſanctum collaudantibus; confeſſionémque eam, quæ actis contineretur, tormentorum vi extortam eſſe contendentibus, corpus natura imbecillum tantos pati non potuiſſe cruciatus. Sed quid actis illis continetur, quod maiore ſupplicio, aut pœna aliqua dignum eſſe videatur? quod rebus ciuilibus præter profeſſionis ſuæ munus ſe nimis inculcauerit, atque inuoluerit, reprehendi poteſt: quod tanto ſupplicio dignum facinus admiſerit, conuinci nullo modo poteſt: niſi tetrius aliquod facinus, quam quæ actis continentur, prolatum ſit. Reuera quod Gallicarum partium ſtudioſior fuiſſe videretur, & vniuerſi Chriſtianiſmi Concilium totis viribus procuraſſe fateretur, hunc vt virum ſanctum, & qui certò multa prædixerit, Cominæus cum eodem ſæpius colloquutus admiratur, & triduo, aut quatriduo poſt Carolum è vita exceſſiſſe ſcribit.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER OCTAVVS.

CAROLVM ſuas delitias Galli, Ludouicum ſucceſſorem patriæ parentem meritò appellarunt: illius ſingularis humanitas, huius prudentia, fortitudo, erga ſuos charitas eximia commendatur. Ille nondum pubes, hic matura iam ætate duodequadragenarius ad regnum acceſſit, lætiſque omnium animis exceptus eſt: quanquam nonnulli initio tacitè murmurabant, quòd arma bello Britannico aduerſus Carolum tuliſſet, & regni hæreditate, cuius aliquando hoſtis fuiſſet, indignus videretur, ídque antiquis regni Gallici legibus ſancitum prædicabant. Caroli pater Ludouicus Vndecimus, Ludouici Carolus Septimus, huius Carolus Sextus: Ludouici Duodecimi pater Carolus Aurelianenſis regulus: huius Ludouicus Caroli Sexti Galliarum Regis frater germanus; qui Valentinam Ioannis Galeatij primi Mediolanenſium reguli filiam vxorem duxerat, cui præter ducenta nummûm aureorum millia, prætérque muliebrem mundum, qui magni pretij fuit, Aſta vrbs cum adiacente agro conceſſa, conditióque adiecta, vt ſi Galeatij liberi mares, nepotes, cæteríque deinceps poſteri, ſine liberis maribus decederent, Valentinæ, eiúſque poſteris Mediolanenſis ditio hæreditaria redderetur; quam conditionem Bonifacius Nonus Romanus Pontifex tanquam Germanici Imperij vacantis interrex ſua authoritate confirmauit: id enim ius Romani Pontifices ſibi vendicarunt, vt quoties Germanici Imperij quaſi interregnum incideret, eius interim ad ſe adminiſtratio pertineret. Tum autem Vinceſlao, cui acceptum Mediolanenſem principatum idem Ioannes Galeatius tulerat, ob ignauiam, flagitiáque abiecto, atque imperio moto nondum de nouo Imperatore dicendo principes electores conuenerant: Ioanne, ac Philippo Maria Valentinæ fratribus ſine liberis legitimis fato functis Mediolanenſem principatum ſine controuerſia ad Carolum Aurelianum Valentinæ filium iure hæreditario deuenire manifeſtum erat. Sed is Agincurtana, vel (vt alij ſcribere malunt) Azincuriana pugna ab Anglis captus, & totos viginti quinque annos in cuſtodia habitus, víxque tandem magno ære, nec ita dudum liberatus, in eam inopiam inciderat, vt tantum bellum ſuſcipere non poſſet. Ludouicum Vndecimum Galliarum Regem fratris patruelis filium, vt ſibi auxilio eſſet, ſæpius obſecrarat: at Gallorum procerum bello petitus Ludouicus Regias omneis, illuſtrioréſque familias, tametſi in eam coitionem nomen haud dederat Aurelianus, impensè oderat: tantùm verò abfuit, vt Aureliano propinquo opem ferret, vt etiam Franciſcum Sfortiam alieni principatus inuaſorem aduerſus eundem quodammodo fouerit, inter præcipuos (vt primo libro attigi) amicos numerarit: Sauona ad ſubigendam Genuam peropportuna, quod à rebus Italicis abhorreret, etiam donarit. Ludouicus Aurelianus Caroli ſuperioris filius, quanquam Ioannam eiuſdem Ludouici Regis filiam in matrimonio habebat, nihil tamen à ſocero eadem in ſe, qua in patrem, ſuſpicione malè animato impetrare potuit: ſocero vita functo Petrum Borbonium vnà cum Anna vxore Caroli Octaui Regis impuberis ſorore ſibi in regni adminiſtratione præferri moleſtè ferens (quanquam ita Rex Ludouicus teſtamento cauerat) & vt eandem Regiæ ſtirpis proximus obiret multa molitus, vbi nihil ex animi ſententia ſucceſſit, quod viceſimum tertium ſuæ ætatis annum nuper ingreſſus eſſet, & curatore ipſe egeret, (vt ſupra ſcripſi) Annæ Franciſci Britanniæ reguli hæredis filiæ matrimonium ambiens in Britanniam

Anno 1498.

Ludouicus Caroli ſucceſſor.

Quo iure Carolus Aurelianus Mediolanenſem principatum ſibi vẽdicet.

Digitized by Google

Britanniam ſeceſſit. Eandem ambiebant & Rex Carolus, atque Alanus Alebretus nobilis Aquitaniæ regulus; vnde Britannicum bellum exortum: ad fanum Albini captus, bienniόque aut etiam amplius in cuſtodia habitus (vt libro quarto explicaui) nihil tentare potuit, donec Carolo ad regnum Neapolitanum recipiendum profecto, quod quartana laboraret Aſtæ relictus, Nouariam cepit; quam tamen paucis poſt menſibus amiſit: at Caroli morte regno ampliſſimo potitus nihil prius ſuſcipiendum exiſtimauit, quàm vt principatum, qui ad ſe hæreditario iure perueniſſet, ſibi vendicaret. Spem magnam addebat Nouaria nuper capta, quanquam ſuorum diſſenſionibus, & quod de commeatu in vrbem importando non ſatis maturè cauerat, amiſſa, Mediolanenſium clandeſtinæ coniurationes, & crebræ de Ludouico Sfortia tum ad ſe delatæ querimoniæ, præſertim verò eiuſdem Sfortiæ noui hominis erga ſe paulò, ante Aſtæ agentem intolerabilis arrogantia, quam comprimere omnino, hominémque malè mulctare decreuerat.

Hæc regni initio meditatus Rhemos contendit, & ſexto Kal. Iun. anno eius ſæculi 2
nonageſimo octauo ſacris Regiis initiatus eſt: aderat Gallicæ nobilitatis bona pars; in primis autem Illuſtriſſimi quique Galliarum proceres, & qui duodecim patricij, ſiue pares appellantur, duodecim primos etiam appellare poſſumus, aut certè qui eorundem vicem obibant, quos, quandoquidem de iis ſermo ſæpius incidit, nominare non alienum erit: ſex ex primo ordine, qui ſacris addictus eſt, affuerunt: Rhemenſis, qui Regem initiare ſolet, Laudunenſis, ac Lingonenſis Pontifices: hi tres Ducum nomine inſigniuntur. Bellouacus, Catalaunenſis, Nouiodunenſis, hi Comites dicuntur. Sex item ex ſecundo, qui virorum nobilium eſt, ordine: Burgundiæ reguli vicem obibat Alenconius propinquitatis gradu Regi proximus: Normaniæ Renatus Lotharingus, Aquitaniæ Petrus Borbonius Boiorum regulus, Comitis Flandrici Philippus Rauaſtenius Cliuenſis frater, Campani Gilbertus Cliuenſis Niuernenſis Comes, Tholoſani Fuxius: poſteriorum enim horum ſex patriciorum principatus deficientibus maribus liberis ad ſceptrum Gallicum redierunt: hoc eſt, Regio patrimonio acceſſerunt. Galli enim Reges Imperatorum morem ſequuti, cuius in epiſtola his libris præfixa mentionem fecimus, Ducatus, Comitatúſque tametſi perpetuos familiis relinquebant, tamen ad fœminas peruenire legem Salicam, in iis quoque obſeruantes, aut potius Romanorum Voconiam renouantes non ſinebant. Hinc recentiores Ducatus noſtro tempore creati ea conditione fuerunt, vt maribus non ſuperſtitibus ad fœminas etiam peruenirent, quemadmodum de Niuernenſi, aliquótque aliis videre eſt. Et hic ipſe Ludouicus Petro Boiorum regulo Suſannam filiam Carolo Borbonio vltimo eorundem regulo deſpondenti quodam quaſi priuilegio conceſſit, vt Carolus Borbonius Petri gener, eiúſque hæredes Boiorum, Aluernorúmque Ducatus alióſque fundos Regio patrimonio acceſſuros liberè poſſiderent, vt Claudius Seiſſelus Maſſilienſis Pontifex in huius Ludouici hiſtoria annotauit: quod tamen Franciſcus I. huius nominis Galliarum Rex ratum non habuit, vnde malorum noſtrorum omnium fons & origo manauit: & Franciſcus ipſe mox captiuus in Hiſpaniam abductus temerarij conſilij graues pœnas luit, vt ſuo loco ediſſeremus. Kal. Iul. Regiam coronam apud Dionyſiopolim Ludouicus accepit, poſtridie triumphali pompa Lutetiam iniit, & ſtatim quid animo agitaret, haud diſſimulandum putauit. Se ex Regij, ſanctioriſque conſilij decreto non ſolùm Galliarum, ſed & Hieroſolymorum, & vtriuſque Siciliæ (quo nomine Siciliam inſulam, ac regnum Neapolitanum temporis illius, & aliquot ante ſæculorum ſcriptores appellarunt) Regem, Mediolanenſémque regulum inſcripſit: & legatos Romam ad Alexandrum huius nominis Sextum Pontificem Max. Venetias, Florentiam miſit noui Regis nomine congratulaturos, & ſingulis amicitiam oblaturos. Alexander Italiæ quietem ſibi contrariam interpretatus nouos tumultus deſiderabat: Veneti Sfortiæ infeſti, & ex aliorum calamitatibus ſibi aliquid acceſſurum ſperantes eoſdem non minus cupiebant: vnde legatos viciſſim Ludouico Regi congratulaturos repente in Galliam vtrique miſerunt. Florentini tametſi non magnam propter Caroli promiſſa non ſatis religioſè obſeruata in Gallis ſpem reponebant, tamen pro veteri eius vrbis erga Reges Gallos obſeruantia legatos & ipſi miſerunt. Veneti quæ aduerſus Carolum Regem egiſſent, Italicæ libertatis conſeruandæ cauſa ſe egiſſe quadam excuſationis ſpecie aiebant: illum regno Neapolitano haud contentum nonnullas Romani Pontificis arceis, Senas, Liburnum, Piſas, Piſanáſque arceis, Nouariam præſidiis muniiſſe; Genuam tentaſſe, & de reliqua Italia ſubigenda cogitaſſe prætendebant. Florentini recentia Caroli erga ſe merita recenſentes eadem, aut etiam plura à Ludouico ſe ſperare præ ſe ferebant. Omnes comiter excepti, & de coeunda cum ſingulis ſocietate actum; tametſi cum finitimis

Duodecim Parium ſiue Patriciorum Galliæ ordo.

Vnde factũ ſit vt Ducatus ad fœminas deuolui poſſint.

Ludouicus ſe Hieroſolymorũ & vtriuſque Siciliæ Regem Mediolanẽſémque Duci inſcribit.

timis fœdera renouare prius, quam externa bella excitare Ludouicus conſtitutum habebat.

3 Sfortia interim, quanquam quid in illum moliretur Rex Ludouicus haud neſcius, tamen vel Maximiliani affinitate fretus, vel quod nouum Regem non multùm à pecunia paratum tantum bellum regni initio ſuſcepturum non putabat, de Piſis in Florentinorum poteſtatem reducendis conſilium cepit: augebat animum inuidia, metúque tabeſcentem Venetorum potentia, & in Appulia, & in Piſano agro nimis aucta, quæ ſibi, cæteríſque Italiæ regulis, ac liberis ciuitatibus imminebat. Florentinos ſecum in gratiam Sauonarolæ, Franciſcíque Valorij, qui parteis Gallicas tuebantur, redituros morte ſperabat. Tot ſuos labores, verſuta conſilia, impenſas bellicas Piſarum potiundarum ergo toleratas ſibi periiſſe, Venetos ſperatum præmium anteuertiſſe ægerrimè ferebat: Piſas vel armis, vel certis conditionibus in Florentinorum ditionem conceſſuras prius, quàm Italiam arma Gallica inuaderent, ſibi perſuadebat: Senatum Venetum qua prudentia (tametſi ab illa multùm ipſe abfuit) barbaram gentem (ſic Itali externas nationes appellant) tantis ſumptibus, tanto ſuo diſcrimine Italia exterminarat, eadem & communibus periculis conſulturum, & nationem Italico nomini infeſtiſſimam anguſtæ Piſanorum ditionis occupandæ ambitione in communem patriam haudquaquam reducturum; & diuina prouidentia conſtitutum videtur, vt qui Piſanum bellum primus accenderat, eodem incendio abſumptus miſerè periret. Occaſionem dedit Florentinorum pro militum numero ſatis magna clades; ſeptingenti Piſani vtriuſque armaturæ equites, ac mille pedites agrum Volaterranum populati, multáque præda onuſti redibant: hos ad fanum Regale Florentini Ranucio Comite, ac Guilielmo Paccio ductoribus aggreſſi admodum perturbarant, & iam bonam prædæ partem receperant, quum centum quinquaginta Piſani cataphracti equites ſubſidio ſuis miſſi in diſperſos, prædæque intentos Florentinos inuecti permultos cæciderunt, totidem, aut plures etiam captiuos abduxerunt: vix ipſe Ranucius, ac Paccius culpam (vt fit) in ſe inuicem conferentes ad fanum Regale fuga euaſerunt.

4 Hac accepta clade Florentini nouorum militum penuria Vitellios Aretio aduocarunt, & Paulum Vitellium Tifernatem in Ranucij locum ſurrogatum ſummum ſuarum copiarum ducem, legere coacti ſunt: à Sfortia obnixè auxilia poſtularunt, Ludouicum Regem, vt trecentos cataphractos equites in Hetruriam mitteret, Vitellios communi ſtipendio retentos, vti cum Carolo ante conuenerant, ſua authoritate comprobaret, ſtipendij partem numeraret, aliquas ſibi à Venetis inducias impetraret, obſecrarunt. A quo quandoquidem nec ſe Venetis hoſtem, nec ſuſpectum reddere, nec quicquam in Italia commouere prius inſtituiſſet, quàm Mediolanenſem ditionem ſimul inuaderet, ſpem beneuola oratione declaratam, reipſa nihil aliud reportarunt: Sfortiam amicum in primis, ac rerum ſuarum perſtudioſum offenderunt. In Piſanum bellum totius Italiæ oculi conuerſi erant, nullum præterea aut gerebatur, aut imminere videbatur: nam quod tum inter Columnas, Vrſinóſque geſtum eſt, ſopitum ſtatim fuit. Conflixerant ad Monticellum in agro Tiburtino Columnæ, atque Vrſini: hi duo peditum millia octingentos vtriuſque armaturæ equites in aciem eduxerant: Columniorum numerus ſiletur. Poſt longam pugnam Italorum more pugnatam Vrſini in fugam verſi, Carolus captus: ex Columniis Antonius Sabellus Dux bello clarus grauiter vulneratus, ex quo vulnere paucis poſt diebus è vita exceſſit. Iam Vrſini nouos milites conſcripſerant, veteres ex fuga collegerant, ad Palumbare primarium Sabellorum oppidum caſtra habebant, Columnæ, vt Sabellis auxilio eſſent, ſe comparabant; quum Alexandri malignitate comperta, qui vtroſque internecino bello exhauſtos opprimere deſtinarat, ipſi hinc inde, de mutua reconciliatione prudenter egerunt. Carolo Vrſino è cuſtodia emiſſo oppidis, quæ eo bello capta fuerant antiquis poſſeſſoribus reſtitutis, controuerſia de Albano, Tallecotianóque Comitatu ad Federici Regis Neapolitani (cuius ſtipendium Columnæ merebant) arbitrium reiecta, priſtinas ſimultates depoſuerunt, & ſibi inuicem præter Alexandri expectationem inito fœdere cauerunt. Sfortia igitur quanquam initio Florentinos pecunia dumtaxat clam iuuare, apertis armis nullo modo tueri decreuerat, tamen indignatione in dies augeſcente, & Piſarum amiſſarum (ſic ille interpretabatur) dolore percitus ſe Venetorum hoſtem profiteri haud amplius diſtulit, Venetos Piſas Parmenſi, Pontremulanáque via proficiſci prohibuit: Ferrarienſi, quæ multo & difficilior, & longior eſt, copias ſuas circumducere coegit. Apud Maximilianum egit, vt Principum omnium, liberarúmque ciuitatum

Vrſinorum cum Columniis conflictus.

Sfortia ſe Venetorum hoſtem detegit.

Digitized by Google

legatos vno Hiſpano excepto dimitteret, ac paucis poſt diebus eoſdem præter Venetum reuocaret; trecenta nummûm aureorum millia Florentinis, ſed non eodem tempore omnia, mutuo dedit, trecentos baliſtarios (vt vulgò appellabantur) miſit; in totidem cataphractorum equitum, quibus Iacobus Appianus Plumbini regulus, ac Ioannes Paulus Baleonus præfuerunt, ſtipendium contribuit, maiora, ſi res ita poſceret, auxilia pollicitus. Suſpectam Alexandro Venetorum potentiam ita reddidit, vt centum cataphractos equites, ac treis triremes præfecto Villamarino, quibus commeatus Piſas importari prohiberetur, Pontifex Florentinis promiſerit; tametſi aliud mox ſpectans promiſſo non ſtetit.

Contenderat à Federico Rege Neapolitano Alexander, vt Carlotam filiam Cæſari Borgiæ deſponderet, principatum Tarentinum doti diceret; Cæſarem filium magni animi, induſtriæque Romani Pontificis, cui Neapolitanum regnum obnoxium eſt, authoritate, opibúſque fretum, ac Regiæ filiæ matrimonio, principatúque potentiſſimo potitum ſocerum & ab exercitu, & à pecunia inopem, multíſque Neapolitanorum proceribus infenſum regno facilè exturbaturum Alexander ſibi perſuadebat, Sfortiam Mediolanẽſem regulum, vt negotium promoueret, ſocium aſciuerat. Ille vt Pontificem ſibi addiceret, & cum Venetis, qui Appuliæ pleraſque vrbeis poſſidebant, committeret, totus in id incubuit, legatum ſtatim ad Federicum miſit, qui Regem doceret non ſordibus futuri generi natales, ſed Regni ſui conſeruationem potius, ac ſalutem ſpectaret. Quid ſi contemptus Alexander cum Rege Gallo ſocietatem coeat, & de regno Neapolitano paciſcatur: an eaſdem, quas Alphonſus frater, vires, repoſitámque multis annis in bellum pecuniam in promptu haberet? Carolum adoleſcentem, ac pene puerum inuito Pontifice Alphonſum paucis menſibus regno ſpoliaſſe, conſeruando negligenter prouidiſſe: Ludouicum ſucceſſorem matura iam ætate, longa experientia, ac prudentia longè maiore præditum, ab eadem potentia, & quidem aucta prodeuntem Pontifice ſocio quis ſuſtinere, aut eius victorias poterit remorari? nondum Italis nota erant arma Gallica, nunc communi Italiæ malo omnibus formidanda, quibus tota ſimul Italia vix ſeſe opponere audeat. Vnde alia ſperet auxilia, quum Ferdinandus Hiſpanus tametſi propinquus Appuliæ partem non ſecus, ac Veneti etiamnum occupet, & de fœdere cum Gallo agere feratur? Reſpondit Federicus Pontificis à ſe abalienationem ſua quidem plurimùm intereſſe, cæterum ex duobus malis minus eſſe ſubeundum: id maximè, cuius in ipſum culpam nemo conferre poſſit: Appuliæ partem Venetos poſſidere, ſi Tarentina etiam ditio detrahatur, quid ſibi niſi ſolum pene, & inane Regis nomen relinqui? adhæc non minùs à Cæſare Borgia, quàm à Gallo ſibi timendum: illius incertam fidem, Gallorum, quibuſcum ab ineunte ætate educatus ſit, notam eſſe humanitatem: ſibi à genero ſpoliari grauius, quàm Gallicæ virtuti cedere. Repulſam paſſus Alexander ſeſe prorſus ad Regem Ludouicum applicauit, Venetóſque ſecum trahere cupiens Florentinis promiſſa auxilia denegauit: at hi nihilominus ſingulari Sfortiæ ſtudio, ac Pauli Vitellij virtute freti ſe diligenter ad bellum licet anceps in primis, atque difficile comparabant: Piſis enim præter ciues, accoláſque, & finitimos diuturnis bellis exercitatos Veneti quadringentos cataphractos equites, octingentos Epirotas, peditum duo millia præſidio habebant, maiores copias quum res poſceret miſſuri: at Sfortia prius quàm ſe Venetorum hoſtem profiteretur, Ioannem Bentiuolum communi eius, Venetorúmque ſtipendio militantem ſibi vni addixit. Alexandrum Bentiuoli filium, Octauianúmque Riarium Fori Cornelij, ac Fori Liuij Comitem ſuadente Sfortia Florentini ſuæ militiæ aſcripſerunt, ſtipendióque affecerunt. Huius Catharina Sfortia mater Ioanni Medici nuper clam nupta Ludouici Sfortiæ propinqui parteis ſequebatur: quod popularem Florentinorum adminiſtrationem peroſus Ioannem virum eius, fratrémque apud ſuos augere, atque iiſdem magnam Florentiæ potentiam conciliare cupiebat. Lucenſibus idem Sfortia perſuaſit, ne quemadmodum antea conſueuerant, Piſanis in poſterum fauerent, quod à Genuenſibus Serezanam hoc nomine poſtulantibus obtinere haud potuit; quippe tanti eorum amicitiam redimere Florentini recuſarunt: à Senenſibus quinquennales inducias impetrauit, ad eas enim ciuitates Florentini legatos miſerant, quibus Sfortiani aderant, & quaſi commune negotium gerebant.

Carlota Regis Federici filia Cæſari Borgiæ matrimonio iungatur omni conatu inſiſtit.

Interim dum hæc diuerſis in locis agitantur, Florentini equitatu, quam peditatu firmiores, Paulo Vitellio duce copias eduxerunt: Veneti, Piſaníque, qui poſt partam ad fanum Regale victoriam regionem liberè populabátur, è Pontefacco copias reducentes paulatim retroceſſerunt. Vitellius Calcinaria capta peditum ſubſidium expectans ibi ſubſtitit: vnde hoſtilem exercitum, cui præerat Marcus Martinengus populationibus aſſuetum temerè vagari, nullos ordines ſeruare certior factus inſidias ad Caſcinam, vbi hoſtes caſtra poſuerant,

Veneti à Vitellio ad Caſcinam in inſidias perducti; & cæſi.

poſuerant, collocauit: nec opinanteis aggreſſus multos cædit, atque inter hos Ioannem Gradenicum cataphractorum equitum præfectum; Francum Epirotarum, ac centum equites captiuos abduxit. Hinc ſibi metuentes Veneti duces Iacobus Sauornianus, ac Terſias, & maiores copias Venetiis mittendas expectantes ad Marci Vicum Piſanum ſuburbium pedem retulerunt. Aucto peditatu Vitellius Caſcinam proficiſci ſimulauit, vti etiam Veneti, Piſaníque ſibi perſuaſerant: mox traiecto clam Arno, ac præmiſſis tribus peditum millibus, qui vicinos colles occuparent, montanis, confragoſiſque iugis tormenta bellica multorum foſſorum diligenti opera vſus traxit, ac Butto (Butrium quidam vocant) admouit, quod & altero die expugnauit. De Piſis enim vi capiendis deſperans regionem ad dextram Arni fluminis ſitam ſubigere, vt externis auxiliis aditum præcluderet, & loca munita antecapere properauit: vnde propugnaculo in montibus, qui fano Ioannis Venei imminent, erecto, propugnaculum quod non procul à Vicopiſano Piſani erexerant, ac Verruculam monti eiuſdem nominis impoſitam arcem circumſedit: eodem tempore Calcem cepit, & propugnaculum, ſiue caſtellum in monte, quod vico imminens ab aſperitate vulgò doloroſum, aut Petram doloroſam vocant, ne noui milites in oppidum immitterentur, extruxit. Interim Vicopiſani propugnaculum ea conditione deditur, vt tormenta importare in oppidum liceret: inde Vicopiſanum ipſum non ab ea parte, qua Florentini antea ipſo propugnante, ſed qua fanum Ioannis Venei reſpicit, ne qua ſubſidij ſpes obſeſſis relinqueretur, oppugnauit, mœnibus magna ex parte ſolo æquatis ciues de vita, & bonis pacti ſeſe dediderunt. Terruerat pleroſque, quod Butto capto, vt cæteris metum incuteret, tribus tormentorum bellicorum magiſtris natione Germanis manus abſcindi, collóque appendi Vitellius iuſſerat; vt crudelitatem augeat omnibus tormentorum magiſtris, quaſi permulti fuerint, manus præciſas Bembus ſcribit. Vicopiſano in Florentinorum poteſtatem redacto Piſani nuper extructum petræ Doloroſæ caſtellum miſſis ducentis leuis armaturæ equitibus, ac iuſto peditum numero paulò ante lucem aggreſſi oppugnationem tantiſper continuarunt, donec Paulum Vitellium ſuis auxilio futurum in vicinis montibus cum parte copiarum incedentem ſuſpexerunt. Soluta oppugnatione Piſas ſeſe Calcienſi planitie recipientes in Vitellocium cum altera copiarum parte obuiam prodeuntem incurrerunt, cum hoc acerrimè confligenteis à tergo Paulus inuadit: illi in fugam verſi multis equitibus, peditatu prope omni amiſſo Piſas pauci errantes, diſperſique peruenerunt.

Vicopiſanum in Florentinorum poteſtatem redactum.

7 Tum Ferrarienſi regulo, Hiſpanóque legato procurantibus inter Florentinos, Venetóſque de pace actum (quanquam Venetis Piſarum poſſeſſionem pertinaciter retinentibus nihil peractum) Veneti autem quod terra exercitum Piſas traiicere, niſi ſumma cum difficultate non poſſent, Florentinos, ne Piſanis infeſti nocerent, aliis bellis diſtrahere conati ſunt. Vrbinatem ſummum ſuarum copiarum ducem crearunt; partim illi, partim aliis alarum ductoribus quingentos cataphractos equites attribuentes: Carolum etiam, Liuianúmque Vrſinos cum ducentis eiuſdem armaturæ equitibus ſuadente Petro Medice, cuius opera vti decreuerant, addiderunt: cum Ioanne Bentiuolo, vt è Bononienſi in Florentinum agrum copias ſuas emittere liceret, egerunt. Id quum non impetraſſent, ad Senenſes confugerunt: ea ciuitas in duas diuiſa erat factiones, à Venetis Nicolaus Borgeſius, Belantiique ſtabant: à Florentinis Pandolfus Petrucius qui malis artibus ſummam apud ſuos ſibi authoritatem vendicauerat: illi quinquennales inducias Sfortia authore pactas Florentinis Piſarum potiundarum occaſionem daturos aiebant, vt viribus aucti in Senenſes mox irruant: aut igitur integram cum Florentinis, Mompulciani, quod mutuorum bellorum cauſa ſit, iure cedentibus pacem, aut nullum fœdus ineundum, vtendum occaſione, quod diuturnis bellis non poſſint, ſumpto è re nata conſilio ſe ſine cæde, & vulnere conſequuturos: Florentinos Piſis Mompulcianum nunquam ante laturos; quod ſi pertinacius in recipiendo hæreant, Senenſes ſociis Venetis non ſolùm, quod ſuum eſt, conſeruaturos, ſed etiam Hetruriæ principatum aſſequuturos. Mompulcianum autem à Florentinis paulò ante defecerat, cuius patrocinium præter antiqua inter vtroſque fœdera Senenſes receperant. Eam ſententiam Borgeſiana factio populo Florentinis infeſto facilè probabat, ac Florentinos Mompulciani iure nunquam ceſſuros ſatis intelligebat: vnde neceſſaria quadam conſequentia, & Venetis liberum per Senenſem agrum iter pateret, & Petrucij conſilia ſua ad Sfortiam referentis imminuta authoritas in poſterum iaceret. Contra Petrucius (quamquam inueteratum Senenſium erga Florentinos odium cauſam eius premebat) Venetorum potentiam toti

Venetis tranſitus libe. per Senenſem agrum denegatus. Iam Italiæ formidabilem eſſe: eorum exercitum non ſine magno Senenſis Reip. diſcri-
mine in patriam, & quaſi in vrbem intromitti: & vt nullum diſcrimen immineat, bellum
certè in lares patrios, ac focos aliunde trahi, atque immitti querebatur. Senenſes ſi rem
accuratius expendant, domeſticis exemplis, & antiquis, & recentibus ſatis eſſe inſtru-
ctos: gliſcente olim inter Senenſes, ac Florentinos de eodem Mompulciano contro-
uerſia Virtutum Comitem hominem Gallum à Senenſibus accerſitum Senas in ſerui-
tutem redegiſſe; octauum nunc agi annum, ex quo Alphonſus Calaber Ferdinandi
Neapolitani filius dum in eoſdem Florentinos Senenſibus ſociis copias educit, Senas
intromiſſus idem prope ſit aſſequutus; & niſi Hydruntino aduerſus Turcas bello à pa-
tre reuocatus fuiſſet, non ſolùm Senarum, ſed & totius Hetruriæ imperium ſibi confir-
maſſet. Quæ tametſi veriſſima erant; tamen ne plus inſitum penitus ciuium animis
odium poſſet veritus, multos ex amicis in vrbem aduocauit, atque vt ad Poggium im-
periale trecentos cataphractos equites, mille pedites Florentini mitterent, perfecit, qui-
bus viribus fretus aduerſarios perterrefecit, quinquennales inducias Florentinis impe-
trauit; nec ita multò poſt Borgeſium ſocerum interficiendum curauit, ſibique in ſuos
ciues tyrannidem confirmauit.

Veneti nec à Senenſibus, nec à Peruſinis impetrata tranſeundi venia cum parte copia- 8
rum, quas in Flaminia habebant, Petro Medice, Iulianóque eius fratre iunctis montana
Florentinorum caſtella antecapere properantes per vallem Anomonis Fauentino permit-
tente in Appennini iuga euaſerunt, ac Maratam oppidum Flaminiam deſpectans nemine
propugnante ceperunt; inde Maratæ arcem, quam Caſtilioniam vocant, aggreſſi ſunt,
quæ multis rebus ad nec opinatam obſidionem tolerandam neceſſariis, in primis autem
aquæ penuria laborabat. Sed & præfecti diligentia, & cœli clementia, quod deerat, ob-
ſeſſis in tempore ſubminiſtrarunt; tantus enim imber de cœlo repente decidit, vt puteos
paſſim, ciſternáſque impleuerit: tum Comes Ranucius, ac Plumbinenſis Mugellana val-
le appropinquantes, Sfortiani quoque Calatinus cum trecentis cataphractis equitibus,
mille peditibus Cutignela, Fracaſſius cum centum eiuſdem armaturæ equitibus Foro-
liuij profecti, ſe ad ferendam obſeſſis opem comparabant. Vnde Veneti, qui victoriam
in Petri Medicis factione, & celeritate ponebant, nec magnas copias adduxerant, ſe ad
Vrbinatem Rauennam inter, ac Forum Liuij caſtra metatum receperunt, ſpe propemo-
dum rerum bene gerendarum deiecti, quòd præter Florentinorum copias quingentos
cataphractos equites, totidem ſagittarios, & mille pedites Sfortianos, ac Forum Liuij,
Forúmque Cornelij vrbeis opportunas oppoſitas haberent. At Paulus Vitellius Vicopi-
ſano Librafactam contendens tritas vias, quibus vel ſuperatis montibus in Piſanam pla-
nitiem deſcenditur, vel montium ima longo circuitu ambiendo campis Lucenſibus Li-
brafacta petitur, reliquit, nouum iter multorum foſſorum diligentia ſibi muniuit, ne exer-
citum conuehendis tormentis, ſarcinísque impeditum Piſani carperent, incedentémque
locis ſibi opportunis laceſſerent: atque eodem die propugnaculum montis maioris (vt
Librafacta à Paulo Vitellio qua ratione occupata. appellatur) quod in montis vertice Piſani extruxerant, cepit; inde tuto in Librafactæ pla-
na delatus Potitum, veterémque arcem, hoc eſt, duas turres Librafactæ proximas, nec
longo interuallo ſibi ſuccedenteis in ſuam poteſtatem redegit: ex ſecunda, & aliis vici-
nis locis libratis tormentis Librafactæ muros magno crepitu verberauit. Verùm ruinis
murorum in aggeres reiectis arduus adhuc aſcenſus ſupererat, & ducenti præſidiarij mi-
lites ſtrenuè oppidum tuebantur, quod triduana oppugnatione ſcalis admotis nequic-
quam ſæpius aggreſſus machina ex oppido inferiores muri parteis egregiè tuente, ſcaláſ-
que, ac conſcendenteis milites comminuente, de capienda prope deſperauit: ſed fortuna,
quæ ducum audaces, incertóſque conatus ſæpius iuuat, illi non defuit; nam tormento à
ſuis in imam illam machinam emiſſo pila eandem non ſolum, libratorémque in fruſta
contriuit, verum etiam totum oppidum magna cum ruina peragrauit. Vnde attoniti op-
pidani pariter, ac milites, & quod in aggeribus conſiſtere tormentis è veteri arce immi-
nentibus non poſſent, obſidionis die quarto deditionem fecerunt; quorum exemplum
arcis præfectus ſequutus eſt.

Librafacta potitus Vitellius caſtella in vicinis montibus, ampliſſimum verò, ac multo- 9
rum militum capax ſupra Caſtellanam Mariæ Virginis ædem erexit, quod omnem finiti-
mam regionem obnoxiam redderet (vbi aliud quondam Caſtrucius Lucenſis tyrannus
ſua ætate dux egregius ædificaſſe traditur) vt præſidiis ibi, ac Librafactæ collocatis ne
quid Luca, Petraſanctáque Piſas importaretur, prohiberet. Veneti nihilominus, vt
Piſanis opem ferrent, alióve bellum traducerent, omneis occaſiones circumſpectabant:
opportunam

Digitized by Google

opportunam factionis Mediceæ nonnulli ciues Bibiennenſes obtulerunt, Bibiennámque Cluſentinæ regionis oppidum facilè capi poſſe docuerunt. Hanc arripiens Liuianus paucos ruſticorum habitu, qui venalem commeatum veherent, præmiſit: milites, ſed non multos, neque omneis ſimul, verùm ſibi paucis interuallis ſuccedenteis, qui ſe Vitellianos profiterentur, ſequi iuſſit, ipſe cum cæteris Lauerna monte ſuperato ſubſequutus eſt. Illi prima aurora in oppidum præfecti negligentia, qui de vitandis inſidiis admonitus erat, admiſſi coniuratis arma capientibus, ſibique iunctis viribus ſuperiores Liuianum illo ipſo die intromiſerunt, qui, vt acer, & in omneis occaſiones intentus erat, Poppium ſtatim primarium eius regionis oppidum oppugnauit: repulſus proxima Bibiennæ caſtella, nec magna, nec admodum munita, ſed quæ magno vſui (ſi res proſperè ſucceſſiſſet) eſſe poſſent, occupauit. Cluſentinum agrum anguſtum, montoſum, ſterilem, ad Appennini radices ſitum Arnus fluuius interſecat, à Cluſio oppido veteri dictũ, vbi Regem Porſenam ſepultum C. Plinius tradidit, nunc Caſentinatem vocant: is, ſi Poppio Veneti potiti fuiſſent, commodiſſimum Florentino, Aretinóque inuadendo aditum præbebat. Idcirco Florentini imminens diſcrimen animaduertentes Ranucium Comitem è Piſano reuocarunt, vt anguſtiis Appennini obſeſſis Venetum exercitum Liuiano iungi prohiberet: nec ea tamen vti celeritate potuerunt, quin Vrbinas cum ſeptingentis cataphractis equitibus, ſex peditum millibus, inter quos Germani aliquot militabant, in Cluſentinum peruaderet. Hac neceſſitate compulſi poſtremò Paulum etiam Vitellium cum ſuis copiis aduocarunt, cui ſe cum quingentis cataphractis equitibus, ac totidem peditibus Sfortianis Fracaſſius adiunxit, quorum aduentu anxij Veneti, & quod Ranucius Martianus Aretium cum ducentis cataphractis equitibus obtinebat Poppio bis nequicquam tentato factione Medicea iam nihil adiuuante tormenta quæ viis aſperis, montoſiſque ſumma cum difficultate trahebantur, ac bonam ſarcinarum partem vltra Appenninum remiſerunt. Ipſi præſidiis in locis munitioribus collocatis ſimul coacti ſi iam parta tuerentur, nihil præterea molirentur, ſecum præclarè actum exiſtimarunt; præſertim quòd ante Pauli aduentum in præruptis, anguſtiſque Cluſentinorum montium viis, vbi nihil, aut parùm equitatus poterat, crebris incolarum procurſationibus infeſtabantur: at Paulus non repentinam, ſed tutam ſuo more conſequi victoriam cupiens, nec labori, aut ſumptibus parcens nihil fortunæ committendo infirmiora circa Bibiennam caſtella, vicóſque aggreſſus cepit. Bibiennæ præſidium, quod cæteris erat numeroſius, commeatus penuria, præſertim pabuli ad alendos equos deditionem facturum ratus, mox omneis Appennini anguſtias præſertim Montalonis, & paulò infra Auerniæ montis, quas Carolus, atque Liuianus Vrſini inſederant, cæteróſque Cluſentinæ regionis aditus occupauit: occupatos præſidiis, propugnaculis, ductis foſſis muniuit, ne noua auxilia, quæ vltra Appenninum cogente Petiliano circa Rauennam coibant, ad Venetas copias accederent: tandémque nihil hoſtibus præter Bibiennam reliquit; in quam Vrbinas, Liuianus, Aſtor Balconus, Petrus Marcellus Venetus, Iulianus Medices cum ſexaginta equitibus, ſeptingentis peditibus concluſi in Venetis auxiliis ſpem omnem reponebant, quæ Paulus anteuertere feſtinans quatuor peditum millia in ſubſidium ad expugnandam Bibiennam à Florentinis poſtulauit. Non ſatis ſibi conſentiebat ciuitas, alij Ranutio Martiano claris Florentinorum familiis affinitate iuncto, qui primas ante acceptam ad fanum Regale cladem inter Florentinos duces obtinebat, ægréque ſecundas obibat; alij Paulo Vitellio fauebant, cuius virtuti plurimum fidebant. Accedebat quod Paulus inconſultis duumuiris ad bellum adminiſtrandum creatis multa ſolus tranſigebat, & nuper illis inſciis Vrbinati ægroto Bibienna egredi, ac curandæ valetudinis ergo domum redire permiſerat, quicum Iulianus Medices pariter exierat, quem rebellem, patriæque arma inferentem malè mulctare Florentini decreuerant, & Bibiennam Vrbinate retento deditionem facturam, ne magni nominis dux amitteretur, ſuſpicabantur.

Pauli Vitellij infracta conſtantia ſolerſque prouidentia.

10 Ad hæc plura per montanos ruſticos, quàm per Vitellianos milites hoſtibus illata damna multi prædicabant: tum multum etiam antea de Pauli fortitudine, prouidentiaque ſibi polliciti bellum duci pecunia iam exhauſti querebantur. hæc ne poſtulatum ſubſidium Paulus reciperet, obſtiterunt. Interea Elcium Vrbinatis agri oppidum non longè à Florentinorum finibus Petilianus appulit, vbi paulò ante Carolus Vrſinus, ac Petrus Medices conuenerant, quibus relicta ad Bibiennam exercitus parte, ad Stephani pagum in Appennini radicibus Vitellius occurrit: nec montem hybernis adhuc niuibus, frigoréque horridũ, quanquam vere ineunte Petilianus conſcendere auſus eſt hoſtibus deſcendentem

exceptis, Venetis autem interim indignantibus, atque huiuſmodi cunctationem arguentibus. Hæc tum in Italia gerebantur,& continuum de Piſis inter Florentinos, Venetóſque certamen erat. Interim ad bellum Mediolanenſe ſe Rex Ludouicus comparabat, ſed prius res domi componere,quàm foris bellum accendere ſtuduit:ac primùm(quandoquidem magno ære alieno quod Carolus expeditione Neapolitana contraxerat, premebatur,& ad bellum Mediolanenſe ſibi non minore opus eſſe prouidebat, nec plebem tamen nouis pecuniarum indictionibus vexare in animo habebat) munera ciuilia,quæ vulgo Officia vocant, præter ea,quæ ad ius dicundum pertinebant,pretio ambientibus addixit; vnde ſatis multam in ſumptus bellicos pecuniam coegit: at qui poſtea ſucceſſerunt Reges, eorum numerum, æſtimationémque ita auxerunt, ita munera ipſa publica licitatione propoſita malis vſi conſultoribus auctionati ſunt, quod & ad forenſia quoque, &, quæ ad iuriſdictionem ſpectant, tranſtulerunt, vt hæc munerum nundinatio non minus, quàm grauiſſimæ tributorum indictiones, quæ iam in immenſum,infinitúmque excreuerunt, miſeram plebem, quinetiam & cæteros ordines vexent,atque exinaniant: qui enim redemerunt iudices iuriſdictionem,alij ſuorum quoque munerum tractationem,executionémque venalem habent, & quam rei familiaris laciniam licitando fecerunt, eandem eadem, aut etiam acerbiore æſtimatione diuendendo explere conſueuerunt. Deinde litibus forenſibus conſtituendis, & ſublatis ambagibus finiendis, quæ Galliam vniuerſam miſerandum in modum exercent, animum adiecit; & decreta aliquot perutilia edidit, quibus nihilominus ſchola Pariſienſis,hoc eſt,virorum literatorum claſſis intercedens tumultum Lutetiæ,ſed breui mox ſedatum excitauit. Nouam item iudicum decuriam creauit,quam ſummi Conſilij nomine deſignauit: ad quos hominum potentium, qui nimia apud inſtitutos iam Senatus gratia valebant,controuerſiæ referrentur,atque ex bono & æquo dirimerentur, quamuis longè aliter res ceſſerit: nuſquam enim alibi magis viget gratioſorum potentia(vt res bene inſtitutas in contrarium finem conuertere ſæpenumero maligna ingenia ſolent) nuſquam alibi maior exercetur litium nundinatio. Sed anno proximo Senatum Rothomagenſem Kal.Octobr. Georgio Ambaſiano Rothomagenſi Pontifice ſuadente inſtituit: antea enim conuentus ex omnibus ordinibus, ſed non ſtato tempore fieri ſolebant, quos ſcacarium Rothomagenſe appellabant: ea ratione (vt opinor) quod vt in ſcacorum ludo omnium ordinum perſonæ in ludicram ſcenam inducuntur, ita & in hos conuentus certi homines ex omnibus ordinibus aſſumebantur. Hi quaſuis lites ſine vlla prouocatione diſceptabant,qui quandoquidem frequentius conuenire non ſatis commodè poterant,idcirco huiuſmodi conuentus haud ſæpe celebrabant.Interim Balliui,ſiue Seneſchalli qui in Gallis noſtris Romanorum prætorum vicem non tam nunc obire, quàm olim obiiſſe mihi videntur,aut eorum vicarij bonorum poſſeſſiones ex ſua libidine adiudicabant,cæteráſque litium perplexitates ſimiliter diſſoluebant:nec vlla erat niſi ad eoſdem conuentus prouocatio, vnde ingens conſequebatur poſſeſſionum perturbatio, & in fructibus repetendis litium ſæpe conduplicatio. Alterum in Phocenſi prouincia, ſed non eodem tempore addidit: &, quod maximum fuit, viros doctos, & vita integros, quos in hos Senatus cooptaret, vndique conquiſiuit: at quod cum Ioanna Ludouici Galliarum Regis eius nominis vndecimi filia matrimonium non ſponte, ſed metu contraxiſſet, vt inſtrumentis,ac teſtibus facilè confirmauit,eóque nomine cum ipſa rem habere noluiſſet, quod liberorum procreandorum propter corporis imbecillitatem, deformitatémque ſpes nulla eſſet, cum eadem diuortium Alexandro Pontifice permittente fecit.

Ludouici in miſeram plebem ſumma humanitas.

Summum Conſilium.

Ludouicus cum Ioanna Ludouici XI filia diuortium facit.

Diploma attulit Cæſar Borgia ex Cardinale,& Valentiæ Hiſpanicæ Pontifice Valentiæ 11 Gallicæ regulus creatus,ac centum cataphractorum equitum ala à Ludouico donatus,additis in penſionem annuam viginti argenti pondo millibus. Is Oſtienſi portu ſoluēs triremibus, quas Ludouicus Rex miſerat, ſub eius anni vertentis finem in Galliam nauigauit, ingentíque faſtu Regiam aulam ingreſſus, atque honorificè exceptus immenſas Romani Pontificatus opes Gallis eius luxus inſolentibus oſtentauit; edoctus, vt Ludouicum ſuis poſtulatis condonandis propenſiorem, faciliorémque redderet, diploma haud ſecum attuliſſe ſimulauit,vnde Regis indignationem propemodum incurrit; qui à Septenſi Pontifice Alexandri legato rem in celebri Cardinalium cœtu agitatam, tranſactámque certior factus, & Philippum Lucceburgenſem Cardinalem Cenomanum, Ludouicum Ambaſianum Heluiorum,ipſum Petrum Septenſem Pontificem natione Luſitanum,qui de diuortio cognoſcerent, iudices datos, huiuſmodi ſimulationem in bonam partem non accepit: quidam Rothomagenſem, Pariſienſémque Pontifices cum Septenſi de diuortio pronunciaſſe ſcribunt. Id veritus Valentinus diploma exhibuit, & mox à Septenſi conſilium Regi

Regi indicatum vel ſuſpicatus, vel edoctus, eundem veneno clam ſuſtuliſſe traditur. Iudices cauſa cognita doctiſſimis Theologis adhibitis matrimonium nullum eſſe, Ludouico aliam vxorem ducere, Ioannæ alij viro nubere licere pronuntiarunt: ea Biturigum Ducatu donata innupta permanſit, & ſeptennio poſt è vita exceſſit. Ludouicus Annam Britannicam Caroli viduam vxorem duxit, ne Britannia minor priore Annæ cum Carolo matrimonio trium ordinum conſenſu ſceptro Gallico adiuncta, inde diuelleretur; & vel Anglis, vel aliis exteris nationibus Galliæ inuadendæ occaſionem daret. Attulit & galerum Cardinalitium Valentinus Borgia Georgio Ambaſiano Rothomagenſi Pontifici, viro prudenti, & Regi Ludouico intimo, vtrique dono haud magna impenſa parato non vulgare præmium ſibi rependi ambiens: nam præter Valentinum Ducatum Ludouici liberalitate conceſſum Carlotam Federici Regis Neapolitani filiam, quæ in Gallia vnà cum Regina agebat, vxorem mirandum in modum ducere cupiebat, vt aliquam inuadendi regni Neapolitani occaſionem haberet. Illa vel pietate in patrem mota, vel à Rege fortaſſe ita ſuadente clam edocta, niſi prius tum agitata de regno Neapolitano inter Regem, patrémque controuerſia componeretur, huiuſmodi matrimonium inire recuſabat: nam & penſionem annuam, & alias conditiones non contemnendas Ludouico Federicus offerebat. Horum certior factus Sfortia Alexandrum ad ſocietatem ſecum, ac cum Federico, Florentiniſque coëundam, qua antiquis fœderatis ſuus locus relinqueretur, inuitauit: fœderatorum aduerſus Romani Pontificatus Vicarios, hoc eſt, pleróſque regulos, qui vel ipſi, vel eorum maiores vrbium à Romanis Pontificibus adminiſtratores conſtituti, eaſdem occuparant, auxilia promiſit: ingentem ab iiſdem fœderatis pecuniam, qua honoratus Cæſari Borgiæ principatus emeretur, addidit.

Annam Britanicam Caroli viduam vxorem ducit.

Georgius Ambaſianus Rothomagēſis Epiſcopus in S. Cardinalium collegium adlegitur.

12 Quibus repudiatis Alexander maiora à Ludouico Rege ſperans, & deſperatis Carlotæ Arragoniæ nuptiis, vt Carlotam Fuxiam Alani Alebreti nobilis Aquitaniæ reguli filiam Valentinus Cæſar in matrimonium acciperet aſſenſus, ſocietatem cum Ludouico ea conditione confirmauit, vt Mediolano in poteſtatem redacto ſibi ad expellendos Romani Pontificatus vicarios Ludouicus opem ferret: mox cum Anglo primùm, deinde cum Ferdinando Hiſpano, atque Elizabetha vxore pacem Ludouicus iniit, qui omiſſis propter ſumptus immenſos rebus Italicis non ſolùm inde legatos omneis præter eum, qui Romæ apud Alexandrum remanſit, ſed etiam relictis Federico, quas poſſidebant, Calabriæ vrbibus vniuerſas copias ſuas, Conſaluúmque reuocarunt. Difficilior videbatur cum Maximiliano Imperatore reconciliatio, cuius exercitus Sfortiæ pecunia magna ex parte coactus maiorem Burgundiam ingreſſus non multis poſt diebus Ioanne Fuxio duce facile repulſus fuit. Ludouicum Regem Germanico bello implicatum à rebus Italicis ad domeſticas animum conuerſurum, aut ſi inter ipſos conueniret, ſe in fœdere comprehenſum iri (ſic enim Maximilianus diſertè promiſerat) Sfortia ſperabat: at legationibus ſæpius vltro, citróque miſſis inter Philippum Maximiliani filium, quem Auſtriæ Archiducem vocabant, nos vſurpata Græca dictione Archiſtrategum dicere poſſumus, ac Ludouicum Regem conciliata pax fuit, qua pleráſque Atrebatum vrbeis, arceiſque ad præſcriptum tempus Philippus recipere, ipſe viciſſim Ludouico Flandrici Comitatus nomine ſacramento ſeſe obſtringere debebat. Miſſus in Flandriam Guidus Rupifortius Cancellarius, qui in Regis verba iurantem admitteret. Controuerſia de maiore Burgundia, quem Ducatum vocant, ad Pariſienſem Senatum reiecta eſt: ſiquidem eam quoque Mariæ Burgundæ matri quaſi hæreditariam Philippus repetebat; Reges Galli propter Caroli vltimi reguli læſæ Majeſtatis conuicti rebellionem ſibi commiſſam, & nullis Burgundæ familiæ ſuperſtitibus maribus ſceptro Gallico annectendam vendicabant. Hæc pax vt rata eſſet, Maximilianus filio conſulens Sfortia omiſſo, cui ſubiratus, quod crebris pecuniarum immenſarum poſtulatis eius non ſatisfeciſſet, ferebatur, in multos menſes inducias pactus eſt: renouata eſt & cum Heluetiis ſocietas, annuæ penſiones perſolutæ. Veneti ſupererant, ac Florentini, quos inuicem conciliare, ſibíque adiungere Ludouicus cupiens, vt Piſæ quaſi depoſitum quoddam ſibi committerentur, inſtabat, clámque Florentinis, vt iſtud aſſentirentur, eaſdem intra aliquot menſes ſe redditurum promittebat. Sed Florentini quamquam Regis ſocietatem Piſis recuperandis prope neceſſariam iudicabant, tamen antea Caroli promiſſis eluſi, ne eodem reciderent, timebant: nec vrbe inter ardentem potentium ciuium ambitionem, ac nimiam popularis adminiſtrationis libertatem vehementer agitata ſatis inter ſe conuenire poterant, aliis Gallo, aliis Sfortiæ victoriam ambientibus: præſertim quod recenti Piſano bello præſentibus eius auxiliis non ita pridem vſi fuiſſent. Nec minor erat inter Venetos Senatores diſſenſio, omnes

Controuerſia Ducatus Burgundiæ Senatui Pariſienſi agitāda committitur.

Digitized by Google

quidem Piſas Gallo haud committendas cenſebant, idque communi decreto ſanciuerant meliorem, & è ſua dignitate conditionem è Ferrarienſi, qui nondum dimiſſus erat, conuentu expectantes: in hunc Sfortia totus incumbebat, & vt inter Venetos, Florentinóſque conueniret omni ope procurabat, Piſanis rebus compoſitis neutros ratus ſocietatem cum Gallo Rege coituros; nec, vt in Italiam irrumperet, omnino permiſſuros. Contra Alexander, qui ſi Piſæ Regis Galli fidei committerentur, iiſdem ſe potiturum, aut aliam inde occaſionem quæſiturum ſperabat, eundem conuentum diſſoluere mirandum in modum cupiebat: at Venetiis perdifficilis conſultatio magna Senatorum diſſenſione agitabatur, ſi Piſis omiſſis Rex ſocietatem adhuc vrgeret, Cremona, atque Abduana glarea Venetis in Mediolanenſis victoriæ præmium conceſſis, an huiuſmodi ſocietas ineunda foret: præmium quidem ingens eſſe, & Veneto imperio augendo peropportunum, ſed diſcrimen adiunctum tanti eſſe momenti, vt reiiciendum fortaſſe videretur.

Oratio ab Antonio Grimano in Rogatorū Concilio contra Sfortia pronunciata.

Igitur in Rogatorum Concilio huius conſultationis terminandæ ergo coacto Antonius Grimanus vir magnæ apud ſuos authoritatis in hæc verba loquutus fertur: 13 [Qui de rebus ad Rempub. pertinentibus conſultant, Patres ampliſſimi, primum quid Reipub. ſuæ maieſtas, deinde quid vtilitas poſtulet, diligenter ſpectare debent. Magna in Ludouicum Sfortiam poſtremis hiſce annis beneficia contulimus, illius temeritate res turbatas noſtra prudentia reſtituimus; illi Mediolanenſem principatum prope amiſſum conſeruauimus: at homo ingratus pro tantis beneficiis iniurias atrociſſimas rependit; nobis Piſano bello difficili, ac diuturno exinanitis inſultare, Alexandrum Pontificem, Ferdinandum Hiſpanum, Federicum Neapolitanum, Florentinos, omneis denique mortales aduerſum nos concitare non deſtitit, vt ſuſceptum eius hortatu Piſanorum patrocinium abiiceremus, & ſumptus immenſos huc vſque toleratos inſigni noſtræ exiſtimationis infamia cumularemus. Quid quod Auſtriacū Maximilianum, Germanicámque barbariam in hanc Rempub. quotidie accendit, & cum Turca acerrimo vniuerſi Chriſtiani, præſertim autem Veneti nominis hoſte in noſtram perniciem conſilia communicat, ſi quem alium nobis infeſtum reddere poſſit, neminem prætermiſſurus. Hanc igitur belli facem ad certam totius Italiæ internecionem ſe quoquo verſus ſpargentem, & nos alioqui, niſi prouidemus, ſeſéque breui abſumpturam prorſus extinguere debemus: ita & diſcrimen imminens vitabimus, & hominem ingratiſſimum pro Reipub. noſtræ dignitate vlciſcemur. At etiam, vt id præſtemus, præmiis quoque prouocamur, inſtat Rex Gallus Chriſtianorum omnium maximus, ſocietatem noſtram ambit: Cremonam, Cremonenſémque agrum, atque Abduanum victoriæ præmium offert, vt communem hoſtem principatu bis impiè retento, vel quod ad Valentinæ Philippi vltimi Mediolanenſium reguli hæredis filiæ nepotem, vel quod ad fratris filium ab illo ipſo veneno ſublatum, eiúſque liberos pertinet, coniunctis viribus exturbemus. Quantum verò hoc præmium ſit, quantáque noſtræ Reipub. acceſſio, vos animo reputare par eſt, vnde centena quotannis nummûm aureorum millia recipere poſſimus. Mitto quod veluti primus is ſit ad totius Italiæ imperium gradus, ex quo Mediolanum quindecim milliaribus, Parmam, ac Placentiam paucioribus interſtinctam perſtringamus; Gallos autem naturali ſuo impetu externa regna, ditionéſque facilè ſubigere, diu retinere non poſſe, & nuper Caroli, & quondam ſuperiorum Regum, principúmque nos exempla docuerunt. Non eſt è noſtræ Reipub. dignitate, non eſt (inquam) Patres ampliſſimi, vt hominē ingratum, & toties apertam nobis ruinam molitum ſemper inultum abire, atque diutius in ſceleratis ſuis machinationibus exultare patiamur: vnico exemplo permultos clandeſtinos, apertóſque hoſteis propulſare poſſumus. Hunc ſi omittimus, vlciſci eundem non poſſe tacitè confitebimur, & noſtra ignauia multos præterea aduerſum nos excitabimus: quam facilis autem tāto Rege ſocio futura victoria ſit, omnes (ni fallor) perſpectum habetis, qui nuper Nouariam, totúmque adeo Mediolanenſem agrum noſtris copiis è Caroli manibus ereptum probè meminiſtis. Supereſt vt illis reſpondeam, qui Regis potentiſſimi, ſi Mediolano potiatur, vicinitatem nobis, totique Italiæ formidoloſam horrere ſe prædicant, quos ego oro, atque obteſtor, vt quantum Gallo inuidiam, quantam ſuſpicionem noua poſſeſſio conflatura ſit, intelligant: inſignem Germanici imperij principatum quaſi ſibi ereptum Maximilianus pleriſque aliis de cauſis Gallis inimicus inuidebit: patefactum ad regnum Neapolitanum aditum Ferdinandus Hiſpanus, ac Federicus Neapolitanus inique ferent, omnes Italiæ principes, liberæque ciuitates à ſuſpecto Rege ſibi timebunt. Hos omneis, ſi quid aduerſum nos Gallus molietur, ſocios paratos habebimus, quorum pleroſque hodie metuimus. Neque verò Rex ſolus nos aggredi audebit, qui nos aduerſus Sfortiam viribus longè inferiorem tanta

mercede

Digitized by Google

mercede inuitat, & tot, quas nobis parare in promptu eſt, ſocietates metuet. Quem verò ſibi adiungere niſi Maximilianum poteſt? cui tot cum Gallis Regibus ſimultates intercedunt, vt nunquam conuenire poſſe videantur. Diſcrimen igitur incertum, contra certa, atque explorata victoria eſt: victoriæ autem ingens merces, eáque amplificando Veneto imperio peropportuna; quam ſi incerti periculi metu aſpernabimini non prouidentia, ſed noſtra ignauia amiſſam paſſim fama diuulgabit: raro enim ſeſe tam bonæ occaſiones offerunt: quas veluti in veſtigio arripere prudentis, magníque animi eſt, omittere autem inſipientis atque abiecti: curioſa nimis prouidentia, hoc eſt, (vt verè dicam) ignauus metus, non minus, quàm inconſulta temeritas in vitio eſſe ſolet, medium quiddam, qui virtutis locus eſt, ſequi multo ſatius eſt: neque enim ſæpenumero eueniunt, quæ quibuſdam coniecturis, ſed incertis homines ante præſagiunt. Hiſce ego de cauſis coëundam cum Gallo Rege ſocietatem cenſeo, patres ampliſſimi, noſtra Repub. profectò digniſſimam, atque in præſentia, & in poſterum (vt ſpero) vtiliſſimam.]

14 Hunc excipiens Malcio Treuiſanus vir non minori prudentiæ laude cumulatus contrariam huiuſcemodi habuit orationem: [Magnas Reipub. noſtræ à Sfortia illatas iniurias inficiari nemo poteſt, patres ampliſſimi, ſed quo atrociores ſunt, quo nos magis, penitúſque percellunt, tanto nos eaſdem non temeraria indignatione perſequi, verùm maturo conſilio, ac publica vtilitate metiri decet: ne, quam prudentiæ famam Senatus hic ampliſſimus toto pene terrarum orbe iamdudum conſequutus eſt, eam leui de cauſa, & iuuenili quodam ardore præcipitatus prorſus amittat: non deerunt aliquando non minus opportunæ occaſiones, quibus Sfortiam vlciſci nullo, aut minore noſtro periculo poſſimus, quas expectare Senatus prudentis eſt, ne præcipitem temeritatem maiore aliquo malo cumulet: immiſſos Sfortiæ leuitate in Italiam Gallos non ita dudum conquerebamur, vt breui expellerentur, nullos ſumptus, nullum diſcrimen recuſauimus, conſeruatæ libertatis Italicæ laudem omnium conſenſu, & noſtro iudicio nobis vendicauimus. Quæ porrò inconſtantia eſt, vt eoſdem in eandem immittere, & alienam ſtultitiam imitari potius, quàm prioribus noſtris ſanis conſiliis inſiſtere malimus. Recordamini per Deum immortalem, patres ampliſſimi, qui ſenſus veſter nuper fuit, quum Carolum regno Neapolitano tam ſubito potitum cognouiſtis, quo metu attoniti, & de veſtra, & de totius Italiæ libertate prope deſperaſtis: nec conſiſtere prius animo ſatis potuiſtis, donec omnes pene Chriſtiani principes vobiſcum aduerſum vnum coniurarunt. At quæ inter vtrumque diſcrimen collatio eſt: ille pene puer nullis, aut animi, aut corporis dotibus inſtructus, tanto verò interuallo à ſuis diſiunctus, vt non tam Rex, quàm exul videri poſſet, vt alterius regni acceſſio alterum imbecillius Gallicis viribus ſeparatis redderet. Tum etiam propter ditionum ſuarum viciniam Alexander Pontifex, ac Ferdinandus Hiſpanus omneis ſuas vires in illum conuerterant: nunc alteri, vt probè noſtis, longè alia profectò mens eſt: alter à rebus Italicis ita abalienatus eſt, vt iterum hiſce inuolui niſi ſumma neceſſitate nolit. Ludouicus autem Rex, & matura ætate conſtans, & prudentia cum ſummis Regibus comparandus, ſi opulento, commodóque principatu Galliæ ſuæ prope contiguo potietur (nam Allobrogem vel amicitia, vel metu ſibi addictum quaſi clientem ducit) quis illum niſi toto terrarum orbe commoto inde exturbari poſſe ſperabit? Ita nobis tam potenti Regi vicinis pax nec impenſas, nec ſuſpicionem minuet: bellum autem noſtris ceruicibus imminens quoties exardeſcet, toties noſtrum continentis imperium in ſummum diſcrimen adducet. Eius certè, qui ante me ſententiam dixit, prudentiam meo iure requirere videor, qui Sfortiam nobiſcum nulla re conferendum metuit. Subornatos ab illo in nos hoſtes in cœlum vſque fert, quaſi verò in tam diuerſis diuerſarum nationum ingeniis, ac moribus longa, conſtánſque concordia vigere poſſit, ac non potius pro ingeniorum varietate, varij quoque & ſæpius iis contrarij, qui propoſiti fuerunt, poſtremo edantur euentus: quantò formidabilius regnum potentiſſimum vnà vndique coaleſcens, Rege ſapiente moderante, qui quod ſemel propoſuit, nunquam niſi ex ſententia confectum relinquet. Nec video cur veteres Maximiliani, Germanorúmque ſimultates plus aduerſus Gallum Mediolano ſubacto poſſint, quàm aduerſum nos tot claris Imperij Germanici, atque Auſtriacæ familiæ vrbibus olim occupatis, nunc etiam Cremona, atque Abduana glarea eidem Imperio obnoxiis in præmium acceptis. Non video (inquam) cur Maximilianus ſe nobis aduerſus Gallum potius, quàm Gallo aduerſum nos ſocium adiungere cupiat; præſertim quod de nobis Rege ſocio faciliorem, quàm de Rege nobis ſociis idem ſperabit victoriam: barbara nimirum ingenia regnis aſſueta, & Italico nomini, liberíſque ciuitatibus inimica facilius inter ſe coaleſcent. Et ſi bene,

Malcionis Treuiſani cõtraria oratio.

Digitized by Google

bene, quæ recenti memoria Maximilianus in Italia geſſerit, recordamur, cur magnopere eius ſocietas expetenda ſit, non reperiemus. Illud magis animaduertendum cenſeo, vt rem qua de conſultamus, diligenter expendamus, quídque inde conſequatur, tanto ante videamus. Qui Mediolanum olim, totúmque hunc agrum deſcripſerunt, alij Italiæ arcem, alij caput, alij ianuam, alij compedes appellarunt: varij ſunt illi verbis, re principem Italiæ partem omnes confitentur, cui igitur tanti momenti ditionem committemus? an reiectis Italici ſanguinis principibus barbaros arceſſemus? quæ nos huc induxiſſe cauſa diuulgabitur? non vltionis cupiditas: tantum enim Senatum ſui prorſus oblitum ira impotentius efferri nemo ſuſpicabitur: an vetus noſtra erga Reges Gallos amicitia? at nulla inter Reges, liberáſque ciuitates fida ſocietas eſſe poteſt. Quid ergo? Cremona nimirum, atque Abduæ glarea in victoriæ præmium conceſſæ; ingens ſanè præmium. Sed vereor, vt ne tam præmium oblatum, quam eſcam piſci obiectam ſani homines interpretari debeant: quum enim voti compos Rex erit, quod dedit, eadem qua dedit, facilitate reuocabit: multa Florentinis Neapolim proficiſcens promiſerat Carolus, at quibus mox promiſſis ſtetit? Et vt ille promiſſum faciat, an putatis Mediolanenſes æquo animo laturos, vt Cremona, totáque vobis oblata Regio à ſe diuellatur? non ferent, inſtabunt, vrgebunt, Gallos, vel nolenteis in vos concitabunt; & qui viribus præſtant, infirmiores ſemper ſubigere, atque imperium propagare conantur. Quanta præterea huiuſce Reipub. maieſtas hactenus fuerit, meminiſſe debetis, principem inter omnes Italiæ Reges, ac regulos, réſque publicas locum obtinetis. Vt vetera exempla omittam, nuper ad vos Alphonſus, Ferdinandus, ac Federicus Neapolitani Reges, ad vos Alexander Pontifex Carolum Neapoli redeuntem metuens, ad vos Sfortia ipſe, ad vos Piſani tanquam patronos confugerunt. Quod ſi Regem tam potentem, tam vicinum habebitis, quem vobis in poſterum locum relinquetis? ille omnibus vnus receptus erit, vos abiecti, atque deſpecti iacebitis: non ſunt irreconciliabiles cum Sfortia ſuſceptæ inimicitiæ, componi res Piſanæ æqua ratione poſſunt, vitanda leuitatis, ac temeritatis opinio eſt, tollenda omnis ambitionis, atque auaritiæ ſuſpicio, conſeruandus, quem hactenus tenuimus, dignitatis gradus: ſic diuulgatam toto terrarum orbe noſtræ prudentiæ famam augebimus, & Reipub. noſtræ immortalitatem pariemus.] Vtraque oratio attentiſſimis auribus accepta; in poſteriorem firmioribus (vt videtur) rationibus nitentem maiores natu, vſúque prudentiores pedibus ierunt; in priorem maior pars propagandæ ſuæ ditionis auiditate conceſſit: hinc ad legatos ſcripſerunt, quos apud Regem habebant, vti acceptis nuper oblatis conditionibus ſocietatem confirmarent, modo Piſarum mentio nulla prorſus intercederet. Perturbauit Regem illata de Piſis exceptio: nec immerito, quum enim non exiguam Mediolanenſis ditionis portionem ex fœdere Veneti accipere deberent, Piſáſque honeſtis conditionibus relinquere ſtatuiſſent, id authore Rege fieri æquius videbatur, vt ſibi Florentinos adiungeret, quam ſi Florentini, vt meliores conditiones Veneti acciperent, in priſtina cum Sfortia ſocietate remanerent.

Quibus cõditionibus Ludouicus cum Maximiliano fœdus ineat.

Ita ſe Venetis ſuſpectum agnoſcens, & ſi Ferrarienſe colloquium optatum vtriſque 15 ſortiretur exitum neutris ſe ſociis vſurum ſuſpicatus, cum Maximiliano fœdus inire maturauit, ea quidem lege, vt ſibi Sfortiam, Maximiliano Venetos bello perſequi liceret. Igitur ſe cum Venetis niſi Piſis ſuæ fidei commiſſis haud conuenturum declarauit; quod & Florentinis legatis denuntiauit. Sed Cæſar Borgia, Pontificij legati, Iulianus Cardinalis Rouereus, Ioannes Iacobus Triuultius, cæteríque Itali, qui ſuis commodis ſtudentes Regem ad Mediolanenſe bellum accendebant, quíque Galli penitus res Italicas perſpectas habebant, Florentinos longo interuallo diſiunctos, & Piſano bello exhauſtos, aut nihil, aut non multum in hoc bellum, Venetos finitimos, & viribus longè ſuperiores multum conferre poſſe docuerunt: Florentinis relictis Sfortiam ſe Venetis facilè reconciliaturum, quibus iunctis Alexandrum, Federicúmque Neapolitanum fortaſſe acceſſuros, & antiquos fœderatos ſecum pariter in eandem ſocietatem adducturos. Proinde dum res adhuc in integro eſſet, anteuerteret ipſe, nec à ſe ſocios tam opportunos abalienaret. Bellum fœderatorum nomine aduerſus Carolum ſuſceptum ſolis Venetorum, Sfortiæque viribus profligatum meminiſſet, quibus non ſolum Nouariam recepiſſent, ſed & totum agrum Mediolanenſem, Liguriámque defendiſſent: non magnam in Maximiliano ſpem reponendam, qui plurima aggrederetur, nihil prope conficeret, nec Gallis vnquam ſatis æquus fuiſſet. Ita perſuaſus Rex Piſis omiſſis cum Venetis his conditionibus fœdus iniit, vt quo tempore cum copiis agrum Mediolanenſem ipſe, eodem illi finitimas ſibi regiones inuaderent, victoria parta Cremonenſem, Abduanúmque poſſiderent,

Digitized by Google

poſſiderent, niſi quod ducentos quadraginta pedes vltra Abduam, quaſi iuriſdictionis vtriuſque limites, Lecúmque oppidum Rex ſibi excepit. Regium poſtulatum de Piſis apud ſe deponendis tacet Bembus, ne nimiam Piſarum potiundarum cupiditatem, funeſtámque toti Italiæ ambitionem, qua Veneti flagrabant, arguere videatur: mille auri libras in belli ſumptus petitas à Rege ſupponit (quod falſiſſimum eſt) idcircóque rem in aliquot menſes dilatam, ac cæteri Itali, Gallíque hiſtorici huiuſce pecuniæ nunquam meminerunt: Piſas apud ſe deponi Regem enixè flagitaſſe ſcribunt, quæ ſola differendi fœderis cauſa fuit, cuius initi pauciſſimi conſcij fuerunt. De tuendis inuicem ſuis ditionibus inter Regem, Venetóſque actum palam tota Gallia, ac Venetiis fama diuùlgauit: nec Sfortia, quamquam perſpicaciſſimus, & corrumpendis Regis familiaribus aſſuetus, nec Alexander Pontifex tum Regi coniunctiſſimus, quid inter vtroſque conueniſſet, niſi multos poſt menſes certo ſcire potuerunt. Ita anceps, incertúſque Sfortia Ferrarienſe colloquium vrgebat, & Florentinos non authoritate (iam enim illum ſuſpectum habebant) ſed incuſſo metu cum Venetis conuenire cogebat, quod copias ſuas Rege ſibi imminente reuocare ipſe cogeretur. Re in aliquot menſes protracta tandem Herculem Ferrarienſem colloquij huius quaſi arbitrum Venetias Senatus arceſſiuit: recuſabat quodammodo ille, multò verò magis Florentini; quod vt in eundem de Piſanis controuerſiis compromitteretur, Venetos acturos intelligebant, vt aſſentirentur nihilominus Sfortia peruicit.

Bèbus mendacij conuictus.

16 Igitur Ioannes Baptiſta Rodolphus, ac Paulus Antonius Soderinus ciues inter Florentinos primarij cum Hercule Venetias miſſi: diſceptatum primùm eſt an Hercules, vti hactenus, inter vtroſque velut interpres, an verò tanquam compromiſſarius arbiter Piſanis controuerſiis finem imponeret: compromittere recuſabant Florentini, Veneti non ſatis inter ſe conſentiebant. Iuniores Senatores, vt Piſanis libertas ſarcta tecta maneret, & quicquid tum quum in fidem recepti fuerunt, poſſidebant, illis integrum relinqueretur, volebant, nonnulli impenſas intolerabiles repetebant. Seniores, ac prudentiores de Bibienna tuenda deſperantes, & Baiazetis Othomani terreſtri, maritimóque apparatu, quo eam Græciæ partem, quam tum Veneti poſſidebant, aggredi ſtatuerat, attoniti neceſſitati ſeruiendum, nec omnino omnia Piſanis promiſſa ſeruanda cenſebant: ac quod Rogatorum conſilium, quod Venetiis Senatus vice eſt, decemuirûm collegio, quod numero longè inferius eſt, atque ex grauioribus, & iis, qui maiore authoritate præſtant, conſtat, vt Piſanis rebus finem imponerent, ſummam poteſtatem conceſſerat, vt citra inuidiam res tranſigeretur, quod maiorem Senatus partem, & cæteros ciues pene vniuerſos in contraria ſententia eſſe intelligebant; aut nihil cum Florentinis pertractare, aut in vnum Herculem arbitrum compromittere decreuerunt: quod inuidiam in arbitrum redundaturam potius, quàm in ſeipſos exiſtimarent, arbitrium detrectanteis Florentinos recipere Sfortia perpulit, alioqui ab illis ad Venetos tranſiturus.

Variæ diſceptationes ſuper Piſanas controuerſias dirimẽdas.

17 Compromiſſo in octo dies conſtituto, compromiſſarius arbiter hæc octauo Idus April. anno eius ſæculi nonageſimonono pronuntiauit, nempe vt Veneti pariter ac Florentini intra octauum diem ab armis diſcederent, ſeptimo Kalend. Maias vtrorumque copiæ, atque auxilia domum redirent, præſidiarij Venetorum milites Piſis, Bibienna, atque ex omni Florentino, Piſanóque agro exirent: Florentini viciſſim Piſanis, ac Bibiennenſibus læſæ Majeſtatis crimen, omnémque adeo noxam condonarent; belli impenſas, quas ad octingenta nummûm aureorum millia Veneti perducebant, ad centum octoginta reductas Florentini annis duodecim, quotannis quina dena millia repræſentantes, penderent: mercaturas quaſuis terra, marique facere, omnis generis arteis factitare, Piſanis liceret; vrbium, arcium, locorum munitorum, quæ tum Piſani poſſidebant, penes illoſipſos eſſet cuſtodia: ſi præſidio opus eſſet, Piſanos, aut quoſuis alios Florentinis haud ſuſpectos milites imponerent; non plures tamen, quam ante hoc bellum, Carolíque in Italiam aduentum imponi ſolebant: his è Piſanis vectigalibus Florentini ſtipendium ſoluerent; ſolo æquarentur, ſi ita Piſanis videretur, omnes Piſanorum oppidorum, arciúmque muri, ac propugnacula, quæ poſt ipſos in Venetorum fidem receptos Florentini receperant. De cauſis ciuilibus iudex alienigena à Piſanis ex regione Florentinis non ſuſpecta electus cognoſceret: de capitalibus Florentinus Piſarum adminiſtrator ne niſi ex prouocatione cognoſceret; neminem capite, exilio, bonis, niſi ex aſſeſſoris, quem Hercules, eiúſque poſteri, ac quinque iuriſconſultorum, quos Piſani nominarent, ſententia mulctare poſſet, poſſeſſiones omnes, omnis ſupellex, antiquis dominis redderetur, vſusfructus repetendi ius ne eſſet. Cæterum Florentinis ſua iura Piſis, totóque Piſano agro ſarcta tecta perinde, atque ante Caroli aduentum permanerent, ne quid nouarum rerum aduerſus

Anno 1499.

Hercules Ferrarieñſis contentionũ inter Venetos & Florentinos arbiter ſtatuitur.

Ipſius ſententia diſplicet Venetis.

uerſus Remp. Florentinam machinarentur, Piſanis interdictum. Arbitri ſententia Venetiis in vulgus edita magnæ omnium, præſertim Patriciorum, aduerſus Herculem, Senatoréſque compromiſſi authores querimoniæ interceſſerunt: non Piſanis promiſſam fidem præſtitam, non iuſtas belli impenſas ſibi adiudicatas, ſententiam nec è Reipub. ſuæ dignitate, nec è commodo eſſe latam. Piſani verò, quibus iidem compromiſſi authores integram libertatem, quicquid tum poſſiderent, ac cæterum Piſanum agrum, & fortaſſe Liburnicum portum adiudicatum iri callida diſſimulatione perſuaſerant, nihil horum ſibi præſtitum agnoſcentes multo grauius de tanti Senatus violata fide querebantur: quem cæteris omnibus poſthabitis ſequuti iniquiores longè, quàm Florentini aliquando obtuliſſent, conditiones accipere cogerentur. Quam enim ſuæ vel libertatis, vel ſalutis conſeruandæ ſpem Piſani concipere poterunt, ſi Florentini magiſtratus, mercatores, cæteri miniſtri, atque apparitores Piſas intromittentur. Ruſtici autem, qui tectis ſuis relictis in vrbem belli initio confluxerunt; & fortiſſimè ſemper pro libertate pugnarunt, exire, & ad colendos agros ſuos domum redire compellentur? Quis Florentinos, penes quos portarum claues futuræ ſint, noua præſidia immittere prohibebit? quid Piſanis arcium cuſtodia proderit, ſi non maiora, quàm pace præſidia imponere licebit: ſi præſidiarij milites Florentina ſtipendia reſpicient, quæ noxarum commiſſarum erit condonatio, ſi ſupellectilis rebellionis initio Florentinis ablatæ æſtimatio omneis Piſanorum facultates diuturno bello abſumptas excedat, & miſera corpora, veluti nexi iure obligata in perpetuum carcerem obtrudat?

Hæ querimoniæ, vt ſedarentur, Herculi maiores natu vt poſtridie (quamquam præſcripti compromiſſo dies finiti erant) ſententiam aliqua interpretatione moderaretur, hortati ſunt. Is totius pene ciuitatis indignationem in ſe efferueſcentem veritus celatis Florentinorum legatis locorum munitorum nomine Piſarum, arcium, propugnaculorum, portas, etiam ſe complecti declarauit; in quarum cuſtodiam, item in iudicis, atque aſſeſſoris ſtipendium Piſanis ciuibus ex Piſanis vectigalibus quotannis certa portio numeraretur: locos non ſuſpectos ex quibus præſidiarios milites arceſſere Piſanis liceret, Romanam, Mantuanam, Ferrarienſem, Bononienſem ditiones nominauit: ita tamen vt indigenæ duntaxat, externi nulli conſcriberentur: vt Piſani aſſeſſorem (ita enim vulgò appellant) quod vnà cum magiſtratu ſedens iudicia exerceat, ex regione non ſuſpecta ſibi crearent, addidit; ſine quo de nullis criminibus Florentinus magiſtratus cognoſceret. Tum etiam, ne Piſanis Florentini nouum vllum vectigal, nullum tributum imponerent; quin potius ſibi reconciliatos ea, qua cæteræ illuſtres Italiæ ciuitates fruuntur, humanitate tractarent. Hæc non tam, vt re præſtarentur, quàm vt Piſanorum legatorum querelæ aliquantum deferueſcerent, atque vt compromiſſi authores in Rogatorum Concilio ſe commodius purgarent, addita fuerunt: quod Piſanis ſi non integra libertas, at ſatis æquæ conditiones relinqui viderentur. 17

Ad Rogatorum Concilium refertur, ratáque habetur.

Arbitri ſententia ad Rogatorum Concilium relata, an ea rata haberetur multum hinc, & inde diſceptatum, aliis reiicientibus, aliis vt tempora ferebant, non repudiantibus. In primis autem Turcicum bellum terra, maríque imminens, ac Piſarum tuendarum difficultas Senatum mouebant: vnde vt ſententia diſertè rata non haberetur, ſed re præcipua capita præſtarentur, communi voce decretum. Itaque intra octauum diem ab armis diſceſſum, Venetæ copiæ intra præſcriptum ex Hetruria reuocatæ, abiecta prorſus tuendarum Piſarum moleſtia: pleriſque etiam Senatoribus, vt Piſæ in Florentinorum potius, quàm in Sfortiæ poteſtatem venirent, ſe cupere palam profitentibus. Florentini eadem arbitri ſententia intellecta non minus querebantur, impenſas belli ſibi iniuſtè illati hoſtibus reſtituere permoleſtè ferebant: præſertim quòd non in integrum reſtituerentur, ſed ſolum, & inane principatus nomen obtinerent, vrbium portis, ac locis munitioribus Piſanis in cuſtodiam relictis; & quod de criminibus, qui præcipuus vrbis in officio continendæ nodus eſt, non niſi Piſani aſſeſſoris arbitratu ſententiam ferre poſſent. Vrgente nihilominus Sfortia arbitrium quidem ratum habere coacti ſunt: at non additas poſt interpretationes, quarum nondum certiores facti erant, ratas habuerunt. Piſanorum longè maxima fuit indignatio, qui ſe à Venetis quaſi proditos exiſtimantes, & maius quiddam, quam quod arbitri ſententia diſertè explicatum erat, ſubtimentes (nam de additionibus muſſitari neſcio quid audierant) eorum præſidia non ſolùm Piſis, verum etiam è cæteris vrbibus, ac locis munitis expulerunt, & aliquot diebus, an eandem reciperent, an verò reiicerent, incerti fuerunt: hinc metu, quod ab omnibus desererentur, inde propter grauem, & meritò ſuſceptam Florentinorum in ſe iracundiam deſperatione contrariis affectionibus aliò ſubinde, atque aliò trahentibus:

Digitized by Google

hentibus: quamquam autem perturbatis vt à Florentinis meliora ſperarent, illiſque parerent, Sfortia ſuadebat, tamen Genuenſibus, Lucenſibus, ac Pandolfo Petrucio inſtigantibus bene monenti non paruerunt, & experiri extrema omnia maluerunt. Hoc arbitrium quod cum ſumma Venetæ Reip. infamia, ignominiáque coniunctum eſſet, leuiter percurrit Bembus, quam vt aliò deriuet, Ferrarienſem grauiter accuſat; nec idcircò Venetorum ambitionem malorum omnium, quæ tum vniuerſæ Italiæ acciderunt, cauſam excuſat: maxima autem acciderunt, Gallo atque Hiſpano regnum Neapolitanum, eodem Gallo, ac Venetis Mediolanenſem diuidentibus, aut potius dilacerantibus, Cæſare Borgia Valentino Vmbriæ, Flaminiæ, ac Galliæ Tranſalpinæ regulos vel cædente, vel expellente, Romanóſque adeo Vrſinæ familiæ proceres iugulante, Florentinis ac Piſanis in mutuas cædes debacchantibus, ac tandem fato communem perniciem in authores ipſos conuertente Gallo, ac Cæſare Venetum omnem agrum ad ipſa vſque Venetiarum æſtuaria vaſtantibus, quam vaſtitatem ciuitas ipſa extremo in diſcrimine conſtituta vix euaſit; vt quæ totius Italiæ imperium Piſis ſibi adiunctis modò ambiebat, non ita multò poſt de libertate certaret. Nec poſtrema Italiæ pars Liguria ab vrgentis fati malignitate immunis fuit, bis in Gallorum poteſtatem redacta, ac mox commutatis ſæpius dominis mirandum in modum vexata: ita humanam prudentiam, quam ſupra cæteros mortales Veneti ſibi vendicant, Deus Opt. Max. eluſit, quum ſpecioſa, ſed vana hominum conſilia contrariis euentibus terminauit.

18 Vt ad ſuſceptam narrationem redeam, Florentini Piſarum potiundarum ſpe deiecti vrbem ab omnibus auxiliis deſertam vi ſubigere deſtinantes Paulum Vitellium è Cluſentino agro reuocatum Piſas deintegro miſerunt, quæ antea poſtularat, ſumma diligentia ſuppeditare properarunt. Is Caſcinam primum oppugnauit, quæ quamquam & præſidiis, & commeatu, & cæteris rebus ad vrbis conſeruationem neceſſariis, tum etiam lata foſſa, atque aggere ſecundum muros excitato ſatis munita videbatur, tamen altero die, ex quo tormentis verberari cœpta eſt, externi præſidiarij milites ſubita murorum ruina conſternati de vita pacti deditionem fecerunt, Piſanis victori in prædam, ac ſupplicia relictis. Deditionem fecere, & qui turrim ad Arni oſtium, & qui caſtellum ad paludes ſitum, præſidio tenebant, quod caſtellum ad pontem ſtagni vocare Bembus videtur. Arx Verruculana, atque Aſcaniana turris, ne qua mora Piſis circumſedendis fieret conſulto relictæ: ſupererant Piſæ quarum expugnatio rectè perpendentibus vel propter hominum multitudinem, vel propter vrbis naturalem ſitum, additáſque ſumma induſtria, longóque bello munitiones perdifficilis videbatur. Tametſi enim Gurlinus Rauennas duntaxat, paucique alij Venetorum ſtipendia meriti ibi remanſerant; at ciues, ruſticíque ex omni vicinia collecti minimè contemnendi erant; vtpote qui toto quinquennio tanta pertinacia pro libertate decertaſſent, vt cum veteranis militibus conferri merito poſſent. Muri nullis quidem foſſis cincti erant, at magnis lapidibus antiqua ſtructura, & naturali calcis, cæmentique vi inter ſe colligati, ac vaſta latitudine ſolidi tormentis muralibus, niſi diu, multúmque concuſſi haud facilè cedebant, vt longum ſpatium obſeſſis vel ad extruendos aggeres, vel ad ducendas intus foſſas interim relinqueretur. Has nihilominus oppugnandas Florentini Paulo Vitellio, & Ranutio Martiano authoribus ſuſceperunt, qui de capienda intra decimumquintum diem vrbe ſpem magnam iniecerant; omnia, quæ ad oppugnationem neceſſaria erant, vti Vitellius, ac Martianus petierant ſubminiſtrarunt, decem peditum millia, magnam equitum multitudinem coëgerunt; atque ita pridie Kal. Auguſti tormenta è regione propugnaculi, ac turris Stempacis collocarunt. Sic enim præter Florentinorum ſententiam, qui ea parte, qua Arnus auxilia Lucæ aduentantia impedit, collocari volebant, Vitellius iuſſerat: vel quod hoc capto propugnaculo vrbe ſe facilè potiturum ſperabat; vel quod commeatus è montanis vicis in caſtra importandi liberior, & magis expedita facultas erat; vel quod nullos terræ aggeres eo loco Piſani nunquam inde ſe oppugnatum iri ſuſpicantes erexerant. Igitur bombardis viginti (quos canones vocant) Stempacis propugnaculum à Fano Antonij ad ipſum Stempacem, atque inde ad maritimam portam Arno imminentem totos nouem dies ingenti, continuóque impetu concuſſum, muri magna ex parte ſolo æquati: ſed pone muros longam, latámque foſſam Piſani interim duxerunt; excelſum, amplúmque terræ aggerem foſſæ addiderunt, fœminis cum viris in maturando opere ſumma alacritate certantibus, tametſi tormentorum pilis, ſaxiſque vi pilarum violenter intortis multi identidem interibant. Contra machinis ex vrbe in Florentinorum caſtra continuo exoneratis, milites vel foſſis excauatis ſeſe abdere, vel diuerſos, vt natura loci ferebat, tumulos erigere

Florentinorũ res à Paulo Vitellio multùm promotæ.

Quo modo Stẽpacis propugnaculũ à Paulo Vitellio oppugnatum & expugnatum.

Digitized by Google

gere cogebantur,ac par prope cædes vtrimque fiebat. Certabatur etiam crebris inter murorum ruinas,recentémque foſſam excurſionibus, Gurlino autem ſuadente (cuius in vrbe tuenda conſilium Piſani ſequebantur) collocatæ ad Antonij Fanum in ſummis aggeribus machinæ,extructæque ima in foſſa caſulæ (quas caſamattas vulgo appellant) atque ibidem aliæ additæ machinæ, quæ hoſteis ad foſſam implendam accedenteis aut nullo, aut exiguo propugnatorum periculo arcerent; pone aggeres iuuentus armis inſtructa hoſteis alacriter exceptura ſtabat.

Fortuna Vitellio inimica.

His ita conſtitutis decimo die Paulus ad Stempacem prima aurora impreſſionem fieri iuſſit, tanto impetu, vt quamquam Florentini crebris ex Piſana arce tormentorum pilis impeterentur,tamen facilè hoſteis fuderint,ac Stempacem occuparint, Piſanis aggere relicto paſſim in vrbem refugientibus, Petro etiam Gambacurta cum quadraginta, quibus præerat, hippotoxotis vrbe egreſſo,cuius exemplum (ni magiſtratus portas occludi iuſſiſſent) plerique alij ſequi deſtinabant. Quod ſi victoria rectè Vitellius vſus fuiſſet, haud dubium, quin ſumma ſua cum gloria vrbe potitus fuiſſet. At qui dies illi tum lætiſſimus fore videbatur, idem magnarum, quæ poſtea conſequutæ ſunt, calamitatum principium fuit: occaſionis enim, quæ ſeſe offerebat, ignarus non ſolùm ſuos victoriam ſequi hortatus non eſt, ſed & ad aggerem accedenteis, vbi nullos propugnatores offendiſſent, vrbémque diripere acceleranteis reuocauit: quod, vt mox ſeſe excuſans declarauit, parte copiarum Stempacem duntaxat, non totis copiis vrbem aggredi deſtinaſſet. Piſani interim hoſteis occaſione non vſos animaduertentes, & vxorum,liberorúmque lacrymis, atque eiulatu accenſi animis confirmatis ad aggerem Gurlino duce, redierunt; viam à Stempace ad maritimam portam, quam multa humo, multiſque trabibus ſeſe inuicem interſecantibus,ac lignea materia oppilarant, deducentem aggere excitato munierunt;ibi leuioribus diſpoſitis tormentis hoſteis vrbis ingreſſu prohibuerunt.Paulus contra è Stempace minora tormenta in totam prope vrbem exonerans, maioribus aggerem, foſſæque ima defenſacula crebro verberans, & foſſam ipſam ligneis faſcibus impleri iubens nondum de potiunda vrbe deſperabat. Piſani acceptis à Lucenſibus nocte conſequente trecentis peditibus, viribus atque animis aucti ignes arte conflatos in foſſam iniiciebant: tormentis maioribus, ſclopetis, manu aggerem tuebantur; poſtremò bubalum ingentem machinam à violento impetu ita nuncupatam ab interiore area obuertentes ita Stempacis turrim iteratis pilarum eiaculationibus pulſarunt, vt omnia munimenta diſiicerent: Stempacem propugnatoribus denudarent, Vitellium, vt tormenta ibi collocata ad ſe reciperet.Stempacémque pro derelicto haberet,cogerent. Ille nihilominus in inſtituto perſeuerans,muróſque tormentorum vi proſternens(quamquam diuerſis in locis ad quingentas vlnas proſtrati erant) & Stempacem muniens, vt deintegro tormenta ibi collocaret, magnúmque Piſanorum aggerem à lateribus infeſtaret, paulatim aliquid in dies antecapere, quo tutius vrbem vniuerſis copiis aggrederetur, ſtudebat, vt minore ſuorum iactura voti compos eſſet: tametſi Florentini, vt oppugnationem acceleraret,immoderatius vrgebant. Hoc conſilium & prudens, & è militari diſciplina hauſtum fortuna humanarum rerum plerumque domina peruertit:æſtate enim graui ventis peſtilentibus è Piſanis paludibus Florentinas copias perflantibus morbi innumerabiles marceſcentes continuis caloribus milites ſubitò ita oppreſſerunt,vt quum octauo Kal.Septemb.vniuerſis copiis vrbem aggredi pararet, qui ferre arma poſſent, ad impreſſionem obeundam ſatis eſſe non poſſent: nouos milites Florentini ſummittebant, ſed ita ſe propagabat infeſta lues, vt noua ſubſidia creſcentem ægrotorum numerum haud æquarent. Igitur pridie Nonas Septembr. exercitum de victoria deſperans, & non ſecus, atque alij ægrotus via maritima reduxit: tormenta, quæ terra aquis inundante trahere commodè non poterat,ad Arni oſtium nauibus impoſita Liburnum tranſportari iuſſit, fortuna ita omnibus eius conſiliis aduerſante,vt maior pars fluctibus abſorberetur; quæ paulò poſt Piſani eduxerunt,turrímque Arni oſtio imminentem receperunt.

Inſtiterunt Florentini vt præſidio Stempaci impoſito ipſe cum copiis non procul inde in locis ſalubrioribus conſiſteret; ille contra Stempacis turrim, & ſuis & Piſanorum tormentis fere comminutam docens defendi nullo modo poſſe confirmauit. Paucis poſt diebus exercitus in hyberna mittendi ſpecie Caſcinam acceſſitus in vincula coniectus eſt, ac Florentiam repente miſſus: Vitellocius eius frater, tametſi & ipſe graui morbo affectus, conſcenſo celeriter equo Piſas euaſit, ſummáque omnium lætitia exceptus eſt. Inuidiam Paulo conflaſſe Ranutius Martianus perpetuus æmulus, atque alienæ virtutis obtrectator, & bona conſilia in malam partem interpretata

Florentiæ

Digitized by Google

Florentiæ ſuggillans hoc innocenti periculum creaſſe fertur. Qua nocte Florentiam deductus eſt, ea ipſa exquiſitiſſimis tormentis ſubditus, & nihil, quod exiſtimationem ſuam læderet, aut viro forti indignum eſſet, confeſſus, tantum ſe à fortuna deſertum miſerè, & crudeliter ab ingratis plecti queſtus eſt; tamen à Martianæ factionis octouiris capitali ſupplicio damnatus capite poſtridie luit. Mortem accelerarunt, ne Ludouicus Rex, qui iam Mediolanum appulerat, egregium ducem ſuo hortatu Florentinorum ſtipendium merentem ſibi reddi poſtularet. Accuſationis capita fuerunt: ne Piſæ, quo die Stempacis turris expugnata fuit, caperentur, eius malignitate perfectum: eadem de cauſa oppugnationem in multum tempus dilatam, Paulum ſæpenumero Piſanos legatos ad colloquium admiſiſſe, nec eorum mandata cum Florentinis duumuiris militaribus communicaſſe: Stempacem præter eorumdem ſententiam pro derelicto habuiſſe, atque obſidionem ſoluiſſe, cum nonnullis centurionibus de Caſcina, Vicopiſano, tormentiſque in ſuam poteſtatem redigendis egiſſe, vt & in ſtipendij perſolutione, & aliis conditionibus Florentinos quaſi ſibi obnoxios redderet: cum Mediceis clam ſocietatem in agro Cluſentino coiiſſe, atque eodem tempore ad Venetorum ſtipendium, vbi primum Florentinorum ſacramento ſolutus eſſet, quo in paucos adhuc dies auctoratus erat, tranſire promiſiſſe, nec tranſiiſſe tamen: quod cum Florentinis de Piſis Veneti conueniſſent, nec hominem dignati ſtipendio fuiſſent: idcirco Vrbinati, Iulianóque Medici reditus ad ſuos poteſtatem feciſſe. Horum nihil (vt ſupra commemoraui) nec ille, nec poſt eius mortem domeſtici ad quæſtionem abrepti confeſſi fuerunt; indignatum duntaxat addiderunt, quod Ranutium Martianum Florentini ſibi in imperio adæquaſſent, poſtulata eius vel priuata, vel quæ ad ſui muneris obeundi rationem pertinebant, ægrè ſemper admiſiſſent: quódque Florentiæ falſos de illo rumores vbique fererent, virum fortem non ſua culpa, ſed aduerſariorum factione periiſſe conſtans fama fuit.

Paulus Vitellius crudeliter ab Martianæ factionis hominibus tractatus.

21 Percurſis breuiter rebus Italicis, quæ ad illuſtrandam Gallicam hiſtoriam plurimum conducebant, nunc Ludouicum Regem ad Mediolanenſem expeditionem deducamus. Is ſub finem Iunij anno eius ſæculi nonageſimonono Lugdunum iter inſtituit, præmiſſis, qui Aſtam peterent, cum attributis ſibi hippotoxotis mille ſexcentis cataphractis equitibus: Heluetiorum quinque, Vaſconum quatuor, item ex aliis Galliæ regionibus accitis quatuor peditũ millibus: nonnulli ex noſtris peditum numerum ad vigintiquinque, quod veroſimilius eſt, equitũ ad ſex millia perducunt; quibus Ludouicũ Luceburgenſem Lignium propinquum, Eberardum Stuardũ Aubignium, Ioannem Iacobum Triuultium præfecerat: ſexto Idus Iul. vrbẽ ad Regem excipiendum magnifico apparatu inſtructam ingreſſus eſt. Horum iam ante certior factus Sfortia Maximilianum, vt Burgundiam deintegro aggrederetur, vrgebat: ſed ille Sueuis iunctus aduerſus Heluetios pleriſque de cauſis læſæ Germanici Imperij Majeſtatis reos communi Germanorum principum decreto pronuntiatos acre bellũ gerebat multis illatis, viciſſimque acceptis cladibus: quamquam magna ex parte Heluetij, ſed nõ incruentis victoriis ſuperiores euaſerunt; à quo tametſi nullam niſi bello vel victoria, vel aliquo fœdere terminato opem ſperare poterat, tamẽ quod cum Heluetiis, niſi pariter & Sfortia comprehenderetur, ſe fœdus haud initurum Maximilianus polliceretur, illi pecuniam identidem ſubminiſtrare cogebatur: contra clam miſſa Heluetios inopes, ne animis deficerent, néve iniquas cõditiones acciperent, Rex Ludouicus iuuabat. Sic illi iamiam congreſſuri alieno periculo ſibi inuicem præludebant * * * * * * *.

22 Itaque deſperato Maximiliani auxilio, Venetorúmque reconciliatione Alexãdro Pontifice, ac Ferdinãdo Hiſpano à ſuis rationibus abalienatis, Federico Neapolitano cupiente quidem in cõmune bellum conferre, verum & à ſuorum beneuolẽtia & à pecunia prorſus imparato ne ſolus Gallis, ac Venetis potentiſſimis hoſtibus in prædam relinqueretur, ad Baiazetem Turcarum Imperatorẽ bellum iam terra, maríque in Venetos molientem Sfortia legationem miſit: miſit & Federicus qui Gallos diuiſo cum Alexandro Pontifice, Venetiſque Italię Imperio Mediolano, regnóque Neapolitano ſubactis mox in Græciã tranſmittere in animo habere, atque id palam iactitare edocerent; proinde & ſibi in ſummum diſcrimen adductis opem ferre, & Venetos aliò traducturus bello perſequi maturaret. Grata fuit barbaro legatio, qui Gallicum nomen ſemper horruiſſet, & ne Carolus Neapolitano regno potitus in Græciam traiiceret, non ita pridem admodum timuiſſet. Tentauit & Florentinos ſibi adiungere Sfortia, oblatis præſentibus auxiliis ea conditione, vt trecentos cataphractos equites, pedites bis mille auxiliares Piſarum compotes ad ſe mitterent; à quibus tum quoque quingentos eiuſdem armaturæ equites in annum ſtipendio affectos Rex Ludouicus petebat. Contra Mediolano in ſuam poteſtatem

Sfortia ad Baiazetem Turcarũ Imperatorẽ legatio.

Digitized by Google

redacto mille Florentinis eiuſdem armaturæ equites in idem quoque tempus pollicebatur, nec vllum ſe cum Sfortia niſi Piſis in Florentinorum ditionem redactis fœdus initurum recipiebat. Florentinos præterea aduerſus quoſuis Alexander, ac Veneti tantiſper dum armis de re Mediolanenſi diſceptatur, tueri promittebant, quibus poſtulatis ſibi inuicem contrariis Florentini inter ſe alioqui non ſatis conſentientes commodè reſpondere haud poterant. In promptu erat Sfortiæ auxilium, quod ſibi rependi non niſi optima conditione exigebat: in Piſas recipiendas Rex Mediolanenſi bello occupatus non multum conferre poſſe videbatur, quas ab omnibus auxiliis deſertas eadem hac æſtate Florentini in ſuam poteſtatem venturas ſibi perſuaſerant; & plerique quod ſe tuendos aduerſus Venetos ſuſcepiſſet, Sfortiam in has difficultates incidiſſe meminerant: tum ne Piſæ ſubigerentur, impedimento eſſe poterat Sfortia Gallicis armis nondum Italiam ingreſſis. Contra ſe tanti Regis hoſteis profiteri cuius copiæ Venetis, Alexandróque iunctæ non ſolùm Sfortiam ſuperaturæ, verùm etiam totam Italiam non ſecus ac Caroli paucis menſibus peragraturæ viderentur, periculoſum in primis erat. Quid quod per Alexandrum, Venetóſque Florentinorum ſpem fruſtrari, & Piſas conſeruare Rex idem facile poterat, memoriam recentis aduerſus Venetos auxilij vetus odium animis inſitum facilè delebat; quod initio Piſæ Sfortia authore rebellaſſent, & quod hiſce bellis non libertatem Piſis, ſed ſibi principatum vendicare cupiiſſet. His in conſultationem ſæpe reuocatis neutri tandem opem ferre, & Piſas acriter bello perſequi decreuerunt. Ad Sfortiam, ne ſibi obeſſet, hominem ſuis artibus aggreſſi legatum miſerunt, qui Florentinos eadem, quæ ille, ſentire, & poſtulatis eius acquieſcere doceret: cæterum illa certo fœdere tranſigere, & litteris conſignare durum admodum videri, quod in liberis ciuitatibus huiuſmodi conuentorum multos conſcios fieri neceſſe ſit, quæ ſi efferentur, & ad Galli Regis aures peruenirent, præſens ſibi periculum creari; Sfortiæ nihil accedere, Alexandro Venetiſque vt Piſas tueantur, ex Regis mandato repente conaturis: hanc vnam eſſe rationem cur litteris nihil conſignatum velint; primarios vrbis ciues, ex quorum authoritate cæteri pendeant, fide data Sfortiæ poſtulata rata habituros, Florentinos Sfortiam orare, vt ſi qua alia via citra apertum eorum diſcrimen hæc tranſigi poſſint, edat ipſe; ſe, quod obtulerit, æquis animis ſequuturos. His ille auditis nullam inde auxilij ſpem certam ſibi relinqui facilè intellexit, poſtremò Ferrarienſem ſocerum implorans reſponſum etiam durius accepit: Rodigij enim, ac Poleſelianæ regionis ſibi eius opera ablatæ Ferrarienſis memor, ſe, quod illi adeſſe non poſſet, permoleſtè ferre reſpondit: cæterum Venetorum Ferrariæ muros quaſi perſtringentium ſuſpecta vicinia prohiberi, ne officio, atque affinitati ſatisfacere vllo modo poſſet.

Sfortiæ auxiliũ à Florentinis & Ferrarienſi denegatum.

Ita implorato ab omnibus auxilio, à nemine accepto, quod poſtremum fuit, ſe ſuis vi- 23
ribus tueri, & Annonium, Nouariam, Alexandriam vrbeis primis Gallorum conatibus expoſitas munire, Galeatium Seuerinatem Gallis, Franciſcum Gonzagam Mantuanum regulum Venetis opponere decreuit: quamquam mox vel imprudentia quadam, vel auaritia, vel fato ſuo ita hominem trahente, vel quod Galeatio Seuerinati ſatisfaciendum putaret, qui Mantuanum ſibi in imperio præferri, aut etiam adæquari ægerrimè ferebat, eundem à ſe prorſus abalienauit, vetus ſtipendium perſoluere diſtulit, ſacramentum, ac cautiones inſolitas exegit, Venetos Turcicis armis terra, marique imminẽtibus ad ſua tuenda potius, quàm ad aliena inuadenda animum cõuerſuros ratus. Deinde quũ Venetos in dies milites in Brixianũ agrum mittere animaduertiſſet, vt eodem, quo Galli, tempore bellum commouerent, Mantuanũ per Ferrarienſem ſocerum ſibi reconciliare conatus tẽporis anguſtiis prohibitus eſt: Allobroge enim in Regis ſocietatẽ accito, multi iam Galli ad Aſtam conuenerãt, quotidiéque affluebant: & Rex Ludouicus Florentinos legatos multis minis eò perpulerat, vt promiſſum litteris conſignatũ, quo ſe neutiquam Sfortiæ auxilio fore teſtarentur, à ſuis extorquerent, quod in vno Paulo Vitellio in primis tum celebri tota Italia duce non minorem, quàm in cæteris Florentinis auxiliis Sfortiam ſpem collocare didiciſſet. Ita Sfortia omni ſpe deſtitutus Calatinũ cum parua manu, qua nullo modo hoſteis repellere, vix remorari poſſet, Venetis, Galeatium fratrem natu minorem tranſmiſſo Pado Gallis oppoſuit. Hinc mille ſexcentos grauis armaturæ equites, leuis mille quingẽtos, Germanos pedites quingentos, Italorum decem millia attribuit; non vt apertè cum hoſtibus congrederetur, ſed, quoad fieri poſſet, bellũ duceret: Galeatium enim Vicecomitem ad fœdus inter Maximilianũ, Heluetióſque conciliãdum miſerat. Quod ſi fortè iniretur magna præſertim peditum auxilia ſperabat, nullum alioqui inde militem educturus; quod vniuerſi in bellum tota ea regione flagrãs efferatis quodammodo animis incumberent. Commiſſæ

Sfortiæ exercitus & illius duces.

ſunt

Digitized by Google

ſunt velitares aliquot pugnæ, nihil magnum geſtum eſt, donec exercitu in vnum coacto, cuius ſupra numerum deſcripſimus, Idibus Auguſti ad Aratium arcem ſecundum Tanarum amnem ſitam Galli caſtra poſuerunt, quam & paucis diebus partim tormentorum impetu, partim præſidiariorum militum (hi quingēti numero erant) ignauia ceperunt. Inde caſtris ad alteram Tanari ripam tranſlatis Annonium oppidum (Nouium vocat Bembus) è regione Aratij natura, & paucis ante menſibus Sfortiæ induſtria egregiè communitum oppugnarunt. Huic ſeptingenti tyrones præſidio impoſiti erāt, quibus intellecta Aratij expugnatione Galeatius Seuerinas, qui ad Alexandriam caſtra habebat, veteranos addere deſtinarat: ſed Galli anteuertentes, ne externa auxilia Annoniani reciperent, Filizanum inter Alexandriam, Annoniúmque interiectum oppidum Monferratenſi Marchione permittente firmo equitum, peditúmque præſidio implerunt, ac tormentis quadripartito diſtributis Annonium acriter quatientes biduo ceperunt. Eodem impetu arcem mox aggreſſi, cæſis, qui eò confugerant, militibus in ſuam poteſtatem redegerunt; quibus attonitus Seuerinas ſe cum ſuis Alexandriam recepit, peditum ignauiam, & populares Sfortiæ non ſatis fidos arguens, hoc eſt, ſuæ trepidationis culpam in alios conferens.

24 Galli ea hoſtium quaſi fuga alacriores ad quartum ab Alexandria milliare caſtra fecerunt; atque interim Valentium vrbem magno præſidio, multíſque tormentis bellicis inſtructam corrupto Donato Raffaguino præfecto immiſſi ex arce ceperunt. Hic Raffaguinus patria Mediolanenſis viceſimo ante anno eodem, quo Gallos in Valentium intromiſit, die ſacramenti, quo ſeſe Ioanni Galeatio Mediolanenſium regulo, Bonæque matri obſtrinxerat, oblitus Derthonam prodiderat, & Ludouicum Sfortiam pupilli patruum adaperta porta admiſerat: vnde is prodiens Bonam ſe filij tutela abdicare coëgit, eáque ad ſe tranſlata, ac cæſis, qui pupilli parteis tuebantur, Mediolanenſem tandem principatum veneno ſublato fratris filio occupauit, atque ab eiuſdem hominis perfidia imperij, & occupandi, & amittendi occaſionem cepit. Gallis totam eam regionem quaſi fulmen quoddam vi inuſitata penetrantibus Baſſignana, Voghera, Caſtrum nouum, Pons Coroni, ac mox Derthona Antonio Maria Pallauicino præfecto ne hoſtium quidem conſpectum expectante, ſed vltra Padum elabente deditionem fecerunt. Eo nuntio conſternatus Sfortia ad ea poſtremò remedia confugit, quibus homines in extremas difficultates redacti magis impendentem ſuam ruinam declarare, quàm fructum inde aliquem percipere ſolent: Mediolanenſes, quotquot ferre arma poſſent, conſcripſit, populum ſibi infenſum ad concionem vocauit, indictæ pecuniæ portionem remiſit, quod ante in exigenda acerbior fortaſſe videri potuiſſet excuſauit: id enim non ſuæ naturæ cogendi auri minimè auidæ, ſed periculis impendentibus tribuendum, hinc Venetis, inde Gallis imminentibus, ne imparatus opprimeretur, quantum in ſe fuit, prouidiſſe; ne Mediolanenſis ditio hoſtibus in prædam exponeretur, hactenus præſtitiſſe, in longa pace ſuos conſeruaſſe; vnde magnas & Mediolano, & cæteris ciuitatibus opes, ſplendorémque acceſſiſſe meminiſſent. Meminiſſent, qua humanitate ipſe querimoniis omnium audiendis, ſupplicibus libellis reſpondendis, iuri integrè ſine vlla gratia dicundo ſtatis diebus operam nauaſſet, vnúſque inter omneis Chriſtianos principes priuatis deliciis, voluptatibus, vtilitate omiſſa publico officio nunquam defuiſſet: qua beneuolentia Franciſcus Sfortia pater Mediolanenſes non tanquam ſibi obnoxios, ſed tanquam liberos parens indulgentior complexus fuiſſet: ſe paterna imitatione principatum incruentum ſinè grauibus ſuppliciis, ſine vllo ſanguine adminiſtraſſe. Contra Gallorum inſolentiam, immanitatémque ſibi ob oculos proponerent, qui ſi Gallia Ciſalpina aliquando potiantur, non ſecus, atque olim indigenis expulſis colonias huc ſuæ gentis innumerabiles deducent, ac totam Italiam immani barbarie deintegro inficient. Quam ob rem, vt viros forteis decet, pro aris, ac focis acriter pugnarent: ſi primos barbarorum impetus ſuſtineant, & ſuæ exiſtimationi, & in patriam, ſuóſque pietati ſatisfacturos: Gallos in bellis inferendis temerarios eſſe, in continuandis non conſtanteis; poſtremo, ſi fortiter reſiſtatur, animum deſpondere & facilem hoſtibus non ignauis victoriam relinquere ſolitos. Id & ſuperiorum Regum, principúmque, & recenti Caroli bello Italos ſatis ſupérque didiciſſe. Maximilianum ſuſceptas cum Heluetiis controuerſias diremiſſe, & ſe iam ad promiſſum auxilium ferendam comparare; Proſperum Columnam cum firma Neapolitanorum manu in itinere eſſe, Mantuanum ſibi reconciliatum cum trecentis cataphractis equitibus iam Cremonenſem agrum ingreſſum: fidam ſibi operam nauarent, bellum pauliſper ducerent, & ne mox de victoria dubitarent.

Sfortiæ ad Mediolanenſes oratio.

25 Hæc oratio ab homine eloquente multo fuſius explicata Mediolanenſium animos non

Calatini perfidiæ in Sfortiam cauſa quæ.

vſquequaque peruaſit, vetere odio, ac Gallicis armis, ne in populi aures admitteretur, viam obſtruentibus: è concione digreſſus, & minus à Venetis ſibi timendum ratus (quamquam & Carauagium, & vicinas agri Abduani arceis, caſtellàque ceperant) Calatinum cum maiore copiarum parte reuocauit, & Ticinum ire iuſſit, vt Galeatio fratri iunctus Alexandriam vnà tueretur: at is quod frater natu minor, & in re militari ſecum nullo modo conferendus ſibi præferretur indignatus, ambitione beneficiorum acceptorum memoriam abolente clam cum Rege conuenerat. Calatini conſilia paucis ante menſibus ad Sfortiam delata produnt, quibus intellectis diu ſecum meditatum, mox ab imo pectore grauiter ſuſpirantem reſpondiſſe, animum tam ingratum ſibi non facilè perſuaderi: cæterum, ſi res ita ſe habeat, ſibi vt prouideat, haud iam integrum eſſe; non ſupereſſe, cui fidere in poſterum poſſit, ſi à perfamiliaribus, quibus ſumma omnia tribuerit, tam malignè prodatur: non minorem eſſe calamitatem, ſi quis à ſe vana ſuſpicione inductus amicos abalienet, quàm ſi nimium credulus iis plus æquo fidat, de quorum fide dubitare fortaſſe debeat: in deligendis amicis quandam ineſſe felicitatem, periculis impendentibus mutare nec viri conſtantis eſſe, nec omnino tutum: quicquid euenerit, modo ne ſua culpa eueniat, id ſe forti animo laturum. Interim autem dum Pado Calatinus pontem, vt ad fratrem tranſeat, imponit, & de induſtria traiicere cunctatur, Galli admotis bellicis machinis Alexandriam acriter quatiunt. Vrbi præerat Galeatius cum mille ducentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, tribus peditum millibus: is ludicris equitum decurſionibus innutritus equitandi peritia cæteros Italos facilè anteibat, idcirco & magnificè admodum de ſe antea ſentiebat. In verum, nec ſimulatum certamen adductus animum non ſolùm duce, verum etiam tyrone indignum præſtitit, & celatis cæteris alarum ductoribus, ac centurionibus Lucio Maluetio duntaxat conſcio tertio oppugnationis die noctu cum parte leuis equitatus in fugam ſe proripuit, quantum ludicra à veris certaminibus, quantum vtrorumque & duces, & milites inter ſe differant omnibus teſtatus: in quo Sfortiæ callidi alioqui hominis prudentiam omnes merito requirebant, qui neſcio quo fauore aulico inductus in huius gratiam Mantuanum ſtrenuum ducem cum trecentis cataphractis equitibus repudiaſſet, homini ignauo, nec vlla rei militaris experientia probato ſe, liberos, fortunas ſuas, ſuorúmque omneis credidiſſet, Regum quorumdam morem ſequutus, qui adulatorum turba fere ſemper obſeſſi non viros forteis ſæpenumero, ſed apud ſe gratioſos ad magna imperia euehere ſolent. Audita Galeatij fuga, & tota vrbe diuulgata magno tumultu oborto, alij clàm dilabi conabantur, alij ſe abdebant, alij ad hoſteis læto nuncio ſibi conciliandos prodibant.

Alexãdria à Gallis occupata diripitur.

Galli vrbem prima aurora ingreſſi diripuerunt, milites ſpoliarunt, ſacra, prophanáque 26 militari licentia ex æquo habuerunt. Percrebruit rumor litteras Sfortiæ nomine ſcriptas, ſubſignatáſque Galeatium accepiſſe, quibus ob tumultum recens excitatum Mediolanum cum exercitu redire iubebatur, quas mox quaſi à Calatino fratre confictas, vt Gallis Alexandria ſtatim dederetur, Galeatius oſtentabat; perinde, ac ſi exercitum in prædam hoſti obiicere, non incolumem reducere, quoad fieri poſſet, iuberetur: verène, an falsò id iactatum ſit, incertum: at pro certo habitum Alexandriam vix, aut non niſi longa obſidione capi potuiſſe, ſi ſtrenui ducis functus officio Galeatius fuiſſet: quæ conſeruata totum pariter Mediolanenſem principatum fortaſſe confirmaſſet Maximiliano, atque Heluetiis de præcipuis controuerſiarum ſuarum capitibus iamiam conuenientibus, & ad fœdus, quod mox inierunt, inclinantibus. Vnde non defutura Sfortiæ iuſta auxilia in confeſſo erat; ſed diuina prouidentia (vt videtur) quæſitum parricidiis principatum ad alium transferre, & legitimo hæredi reſtituere deſtinans Sfortiæ prudentiam in deligendis ducibus, delectis animum ad reſiſtendum abſtulit.

Principatus ſcelere quæſitus haud diuturnus.

Alexandria triduo capta, quam tam validum præſidium inſidebat, cæteram Mediolanenſem ditionem trepidatione compleuit; & Galli traiecto Pado Mortariam circumſederunt. Hinc Ticinenſes miſſa legatione ſeſe dediderunt; alia ex parte Veneti Carauagio in poteſtatem redacto ponte iunctis lembis extructo Abduam transmiſerant, & ad laudem Pompeij vſque penetrarant, oppidis fere omnibus à Sfortia deficientibus. Nec minor ſuberat Mediolani perturbatio ciuibus paſſim arma capientibus, nec amplius Sfortiæ imperia exaudientibus; in cuius contemptum Antonius Landrianus quæſtorum princeps ex arce prodiens, mediáque vrbe incedens ſub meridiem omnibus aſpectantibus à Simone Horrigono ſcelerato homine cæſus eſt. Perculſus inde Sfortia de Mediolano relinquendo deliberauit, præmiſſis in Germaniam liberis, atque theſauris:

de quibus

Digitized by Google

de quibus iam multum deceſſerat. Hos Aſcanius Cardinalis eius frater Roma, vt fratri adeſſet, nuper reuerſus, ac Cardinalis Seuerinas deducebant: theſauros autem ſuos octauo ante anno legatis apud ſe agentibus, & aliquot familiaribus oſtentarat, quos tam in auro, argentóque facto, quàm pecunia numerata ad quindecies centena nummûm aureorum millia (quos ducatos vocant) vt multa muliebris mundi viríſque adhiberi ſolita ornamenta, cuiuſmodi ſunt torques, & alia id genus prætereantur (quorum ingens numerus erat) perueniſſe fama eſt, tum ducenta ſuperfuiſſe duntaxat prodiderunt: arci ſtipendio, commeatu, cæteríſque ad oppugnationes in multos menſes tolerandas opportunis inſtructæ Bernardinum Curtium Ticinenſem, quem ab ineunte ætate educauerat, ſuis pene omnibus diſſuadentibus præfecit, Aſcanio etiam fratre id munus ſibi depoſcente, fidámque operam pollicente. Tria peditum millia fidiſſimis centurionibus attributa præſidio impoſuit; Auguſtino Adurnio, & Ioanni eius fratri, qui Seuerinatum ſororem in matrimonio habebat, Genuam in fide continendam reliquit. Iſabellæ Arragoniæ Ioannis Galeatij viduæ Barienſem Ducatum, Roſſanenſémque principatum in dotem tradidit, quamuis illa communem viri vita functi, ſuúmque filium, quem cum liberis ſuis Sfortia in Germaniam mittere decreuerat, eidem committere noluiſſet: Borromeis, quæ familia inter Mediolanenſes honeſta, atque illuſtris eſt, Anguiariam, Aronam, aliquot item fundos ad Benacum ſitos, quos illis abſtulerat, reſtituit. Ita rebus, vt neceſſitas vrgebat, conſtitutis quarto nonas Septembris

Sfortiæ theſauri in Germaniam aſportati.

27 Mediolano egreſſus vrbem iam rebellantem ſuis magiſtratibus, aut potius ſuo arbitrio gubernandam reliquit, Comum iter inſtituit Galeatio Seuerinate, ac Lucio Maluetio comitibus aſſumptis, quos ſatis valida cataphractorum equitum, pedítúmque manus ſequebatur. Arce egreſſo obuiam prodiit Calatinus ſuam ad Gallum defectionem aliqua æquitatis ſpecie prætexere cupiens, & quandoquidem Sfortia Mediolanenſi ditione hoſti cederet, ſe militari ſacramento, quo pro eadem tuenda illi ſeſe obſtrinxerat, ſolutum exiſtimare, & quoduis aliud ſtipendium ſequi ſuo iure poſſe declarauit: atque eidem Galli Regis equeſtres, pedeſtréſque copias, ac ducum nomina edidit, móxque eam alam, quam Sfortiæ ſumptu coegerat, ad Regium exercitum deduxit: Comenſem arcem in Comenſium poteſtate Sfortia reliquit, Lario lacu Bellaſiam tranſmiſit, deinde relicto lacu terreſtri itinere Burmium, atque ea ipſa oppida, caſtelláque quæ paulò ante Maximilianum non tam velut Romanorum Regem, quàm ſuum Venetorúmque mercenarium ducem in Italiam aduentantem excepturus magna ambitione peragrarat, humilis, atque abiectus repetiit: vnde Tyramo arci præſidio impoſito, quam paucis poſt diebus Rheti occuparunt, Spruchium vbi Imperatorem conuenire ſperabat, properauit. Abeuntem Galli aliquot equites, & cum ſua ala Calatinus ſequuti, vt inter Comum, Burmiúmque nec opinantem interciperent, haud aſſequi potuerunt. Sfortiæ diſceſſu Mediolanenſes iam ſui iuris ad Gallorum exercitum, qui ſexto inde lapide caſtra habebat, legationem miſerunt, ne quid ſuis rebus detrimenti illorum acceſſus importaret dumtaxat cauentes, cætera in Regis aduentum differentes, à quo antiqua priuilegia, & dignas vrbe à Gallis condita immunitates expectabant: Mediolanenſium exemplum cæteræ ciuitates ſequutæ ſunt. Idem facere & Cremona cupiebat, quæ à ſuperba Venetorum dominatione penitus abhorrebat: ſed Rege pactis conuentis cum Venetis ſtante illis deditionem facere coacta eſt. Idem fecit & Genua, populo, Adurniis, Ioanne Ludouico Fliſco, quinam primi vrbem dederent, inter ſe certantibus; & ne quod ingratitudinis exemplum omitteretur, Bernardinus Curtius arcem, quæ inexpugnabilis ferebatur, duodecimo poſt Sfortiæ diſceſſum die ſine vlla oppugnationis ſpecie ingenti pretio prouocatus dedidit: decem nummûm aureorum millibus, centenaria cataphractorum equitum ala, annua penſione, bona pretioſæ Sfortianæ ſupellectilis parte donatus fertur; verùm tanta cum ignominia, tantáque præſertim Gallorum ab ea perfidia abhorrentium indignatione, atque exprobratione, vt paucis poſt diebus mœrore tabeſcens è vita exceſſerit. Nec cohortium præfecti ab ea infamia alieni fuerunt; præſertim Philippinus Fliſcus, qui ab ineunte ætate in Sfortiæ familia educatus, & honoribus auctus Curtium in eam ſententiam induxiſſe, & cum Antonio Maria Pallauicino Ludouici Regis nomine agente conueniſſe traditur. Ita nobilis principatus ſcelere ante partus, tum quindecim fere diebus amiſſus ad verum, legitimúmque principem rediit.

Ipſe Mediolano ſe proripit.

Mediolanenſium ac omnium penè reliquarum Principatus vrbium deditio Gallis facta.

Bernardini Curtij ingratitudo & perfidia Gallis execranda viſa.

28 Rex tum Lugduni agebat; is de tanta, támque celeri victoria admonitus Mediolanum ſtatim profectus eſt, ac magno plauſu, fauſtíſque populi acclamationibus exceptus bonam indictionum, oblationúmque partem, quas antea Ducibus ſuis Mediolanenſes

pendere ſolebant, Georgio Ambaſiano Cardinale, ac Guido Rupifortio Cancellario hortantibus abſtulit, nec antiquum quidem Mediolanenſium regulorum patrimonium ſibi integrum reſeruauit: ſed Ioanni Iacobo Triuultio Vigeuenum, aliis alios nobiles, opulentóſque fundos dono dedit. Ludouico Mediolani agenti omnes præter vnum Federicum Neapolitanum Italiæ principes vel ipſi, vel per legatos de recepto hæreditario principatu gratulati ſunt, partim, vt ea ſe ſuſpicione, qua plerique in Sfortiam propenſiores fuiſſe inſimulabantur, liberarent, partim vt ſua in tuto collocarent. Omnes benignè, ſed non iiſdem conditionibus excepti: Mantuanus, ac Ferrarienſis ad Regem acceſſerunt; Ioannes Bentiuolus Annibalem filium miſit, illum centenaria cataphractorum equitum ala, Regia Michaëlis ſocietate, annua penſione donatum, hos pecunia quaſi mulctæ nomine accepta, Ferrarienſem maximè, qui depoſitam Genuenſem arcem ex fœdere non reddidiſſet, in fidem recepit. Maiore cum difficultate Florentinorum res tractabantur: nam & Gallorum animis, qui cum Carolo in Italia militarant, inſederat Piſanorum memoria, quos egregios inter Italos bellatores à Florentinis crudeliter habitos, & nimis ſeueris, duriſque imperiis vexatos meminerant. Veniebat in mentem Vaſconum ad Ponteſaccum cæſorum recordatio, & Pauli Vitellij recens & indigna mors, cuius frater Camillus fortem Gallis operam nauans bello Neapolitano ceciderat; & Pauli opera in bellis Italicis Rex vti decreuerat. Fauebat Piſanis, Florentinis infeſtus erat Lignius, priſtinæ cum Briſſonneto Cardinale contentionis memor. Piſanorum cauſam tuendam ſuſceperat Ioannes Iacobus Triuultius, & eum principatum ambiebat, cui aliquando multum Ludouicus tribuerat, Mediolano eius imprudentia amiſſo aliam mentem induit: Piſani autem, quem Rex delegiſſet, dominum accipere parati erant. Sed quod Florentini ad bellum Neapolitanum, conſeruandámque Mediolanenſem ditionem multum conferre poterant, & iam portu Liburnico, maioréque Piſani agri parte potiebantur, in has tandem conditiones ſocietas inita eſt: Florentinos in fidem Ludouicus reciperet, aduerſus quoſuis cum ſexcentis cataphractis equitibus, quatuor peditum millibus tueretur: Florentini viciſſim Italicas Ludouici ditiones cum quadringentis cataphractis equitibus, tribus peditum millibus defenderent; ſupra commemoratis equitibus, necnon & tormentis bellicis ſi opus eſſet, Florentinos in Piſis occupandis, oppidiſque ſuis vel à Senenſibus vel à Lucenſibus recipiendis Ludouicus iuuaret. Quod ſi ante Neapolitanam expeditionem huiuſmodi auxilia Florentini non poſtularent, at ſaltem quum Neapolim Gallicæ copiæ proficiſcerentur, aut cunctæ, aut quæ ſatis eſſe poſſent, inter eundum ad Florentinos in integrum reſtituendos diuerterent, Piſis receptis ad recuperandum regnum Neapolitanum quingentos cataphractos equites Florentini mitterent, quinquaginta nummûm aureorum millia in trimeſtre Heluetiorum ſtipendium, quorum quinque millia huic bello deſtinabantur, Regi penderent: ſex & triginta nummûm aureorum millia, quæ mutua illis Sfortia dederat, Florentini Regi Ludouico repræſentarent; ſi quid tamen illius nomine, aut ſoluiſſent, aut illi expenſum tuliſſent, id Triuultio arbitro de ſumma deduceretur, ſummum ſuarum copiarum ducem Ioannem Rouereum vrbis præfectum Iuliani Cardinalis fratrem legerent.

Florentini in fidem Ludouici quibus cõditionibus recepti.

Per eos fere dies, hoc eſt, octauo Kalend. Nouembris Lutetiæ pons ligneus, cui ſexaginta priuatæ ædes impoſitæ erant, ad Mariæ ædem octogeſimo ante anno extructus, 25
in Sequanam collapſus eſt: mercatorum princeps ſiue præfectus ciuiléſque magiſtratus (quos Scabinos vocant) pecuniariæ mulctæ addicti, quod eorum negligentia pons vitium concepiſſe diceretur. is fornicibus è quadrato lapide compactis, & longè magnificentioribus ædibus (quæ hodie quoque extant) ſuperpoſitis inſtauratus eſt. Tam bonam occaſionem Ludouico in hæreditarium principatum reſtituto Alexander non omittebat; Regem, vt promiſſis ſtet, & Romani Pontificatus vicarios vrbibus occupatis expellat, per legatos admonet: eò miſſi cum trecentis cataphractis equitibus Iuo Alegrius, cum quatuor Heluetiorum peditum millibus Antonius Beſſaius: illi regium, hi Pontificium ſtipendium merebant: Flaminia prouincia, quam ex vicinæ vrbis nomine prouinciam Ariminum Liuius vocauit, à via Flaminia, quam Octauius Auguſtus à Circo Flaminio Ariminum vſque ſtrauit, dici videtur, Romandiolam Itali vulgo appellant: huius ciuitates, quum antea Romanis Pontificibus attributæ fuiſſent, Italia externis armis vexata à priuatis hominibus occupatæ, & à Romano Pontificatu ſeparatæ fuerunt. Hi quum ſe tyrannos, hoc eſt, alienarum poſſeſſionum inuaſores vocari nollent, vt aliquo iure niterentur, à Romanis Pontificibus Maieſtatem ſuam in illo bellorum æſtu non

Ludouicus ab Alexandro Pontifice promiſſa exequi admonetur.

Digitized by Google

non ſatis tuentibus, aut poſtea Auenione agentibus obtinuerunt, vt Romani Pontificatus vicarij in ſuis vrbibus dicerentur, eóque nomine vectigal annuum pendebant: quod & mox magna ex parte pendere recuſarunt, quinetiam non impetrata à Romanis Pontificibus venia externorum principum his conditionibus ſtipendia merebant, vt aduerſus quoſuis, etiam aduerſus Romanos Pontifices ſe fidam illis operam nauaturos promitterent. Id Italis principibus gratiſſimum erat, quibus Romanorum Pontificum potentia olim magis, tum etiam formidoloſa erat: Rauennam, ac Ceruiam Polentinis, qui ex Rauennatibus ciuibus tyranni ſuæ patriæ primùm, mox Romani Pontificatus vicarij euaſerant, Veneti eripuerant. Ceſena extincta Malateſtarum familia præſertim Dominici vltimi reguli ad Romanum Pontificem redierat: Forum Liuij, ac Forum Cornelij Riarij, ac Catharina Sfortia eorum mater, Fauentiam Aſtor Manfredus, Ariminum Pandolfus Malateſta poſſidebat: Piſaurum præterea in Piceno Ioannes Sfortia antea obtinebat. Has ad Romanum Pontificatum, vnde olim vi extortæ fuerant, Alexander iuſtis de cauſis, ſe reuocare velle prætendebat. Cum Ludouico Rege conuenerat, vt Mediolano recepto ſibi in exturbandis hiſce vicariis auxilio eſſet: Venetos tum nimis potenteis, & Gallis fœderatos, quos aggredi non audebat, omittebat.

30 Igitur Valentinus Cæſar, Foro Cornelij paulò ante certis conditionibus recepto Forum Liuij vltimi huius ſæculi, hoc eſt, milleſimi quingenteſimi (vt Chriſtiani numeramus) anni initio aggreſſus eſt, vrbs ſe ſtatim dedidit: arcem & natura, & arte, & iis quæ ad tolerandas obſidiones neceſſaria ſunt, bene munitam Catharina Sfortia virilis animi mulier inſederat, quam precioſa ſupellectile, liberiſque Florentiam miſſis tueri decreuerat; nec vt ſe, arcémque dederet, oblatis conditionibus adducta eſt. Tanta itaque tormentorum copia, tantóque impetu arx verberata eſt, vt muri bona pars, aggérque retro poſitus ſeſe in foſſam effuderint, facilémque oppugnantibus aditum præbuerint. Vbi nulla reſiſtendi facultas reliqua fuit, in arcem interiorem omnia, vt hoſteis repelleret, experta Catharina ſe recepit, quam præſidiarij milites ſequuti in ingreſſu tumultum excitarunt: repente accurrentes Borgiani, atque vnà ingreſſi omneis occidione occiderunt, paucis illuſtrioribus exceptis, qui cum Catharina in turrim confugerant: captiuam Catharinam Cæſar Borgia Romam in mole Adriani cuſtodiendam miſit, vnde aliquantò poſt Iuonis Alegrij precibus educta eſt. Anno ſuperiore huius ſæculi nonageſimo nono Baiazetes Othomanus à Ludouico Sfortia incitatus Venetos terra, marique inuaſerat: claſſem in Græciam, ſex, vt Guicciardinus, ſeptem, vt Bembus, octo, vt Sabellicus, duodecim vt Iouius in ſexti libri epitome ſcribit, ſui nimirum oblitus, (decem enim dumtaxat in Baiazete numerarat) Turcarum equitum millia in Foroiulienſem, ſiue Aquileienſem (vtroque enim nomine à duabus olim claris vrbibus appellatur) agrum Schendero Baſſa duce Illyrici præfecto miſit. Hi ſe tardius ad opem Sfortiæ ferendam acceſſiſſe agnoſcentes (iam enim Mediolano Galli potiebantur) incolas nec opinanteis aggreſſi, ac totam regionem peruagati vſque ad Liquentiam fluuium omnia flamma, ferróque vaſtarunt, & hominum multitudinem innumerabilem captiuam trahentes, vbi ad Tiliauentum amnem peruenerunt, ſenes, & inutiles, & quos vti nullius pretij dedignabantur, occiderunt: cæteros partim ad libidinem, partim ad ſeruilia opera abduxerunt. Andreas Zancanius Veneti exercitus dux, qui præſidio miſſus erat, nunquam è caſtris egredi auſus non multò poſt ignominia notatus eſt.

Anno 1500.

Catharina Sfortia à Cæſare Borgia Romam in Adriani mole cuſtodiẽda miſſa.

31 Nec in Græcia res Veneta melior erat: Antonius Grimanus claſſis præfectus bis amiſſa victoriæ occaſione vel dum Turcica è Sphragiæ inſulæ portu (quem Sapientiæ vocant) exiret, vel dum in Naupactei ſinus fauces ſeſe inferret, pleriſque nauarchis pugnam detrectantibus, aut ſegniter ineuntibus, Melchiore Treuiſano ſucceſſore miſſo Venetias reuocatus eſt, rei malè geſtæ in Rogatorum concilio accuſatus, quum cauſa ſæpius agitata, & in multos menſes protracta hinc hominis honorati potentia propugnante, inde accuſatoribus multis argumentis, teſtimoniis vrgentibus ſuperior videretur, iudicium tandem magiſtratu aduocatorum populi (ſic enim vocatur) depoſcente ad vniuerſi ordinis concilium delatum eſt: vbi vel nobilitatis fauore non multùm adiuuante, vel multitudinis leuitate Senatorum vulgi rumoribus non temerè aſſentientium prudentiam exuperante damnatus, atque in Abſorum abſyrtidem inſulam relegatus eſt: naualem pugnam ad Protum inſulam inter Sporadas commiſſam ſcribit Iouius Albano Armerio, & Andrea Lauredano Venetis trierarchis in hoſteis fortiter irruentibus, & duabus celocibus ingentem Barachi Smyrnei piratæ nauem vtrimque ferreis harpagonum

manibus

Digitized by Google

manibus apprehendentibus, vnde barbari deſperata ſalute incendium excitarint, quo victi, victoréſque pariter concremati ſint: cæteros trierarchos hoc tetro fortaſſe ſpectaculo perterritos timidè in hoſteis proceſſiſſe, idcircò in fugam ſtatim verſos fuiſſe: Grimanum ad Sphragiæ portum, Dauthem Turcicæ claſſis præfectum in Naupacteum ſinum abſceſſiſſe, vnde & Naupactum Venetis ſegniter propugnantibus ceperit: Grimanum quod in trierarchos viros nobiles, qui timidè pugnam, ignauéque inierant, non animaduertiſſet, damnatum ferunt. Hæc tum apud Venetos gerebantur, Foro Liuij, Foróque Cornelij potitus Valentinus Cæſar ad cæteras vrbeis ſubigendas properabat, ſed feruenteis illius impetus nouæ occaſiones retardarunt. Quum enim Rex Ludouicus rem Mediolanenſem, quàm commodiſſimè potuit, conſtituiſſet, iuſtas copias ibidem hybernaturas reliquiſſet, inducias in proximum Maium à Maximiliano impetraſſet, Ioannem Iacobum Triuultium Sfortiæ infeſtiſſimum Mediolanenſibus præfecit; quod indigena eſſet, acceptiorem fore ratus. At longè aliter accidit: Triultio enim plerique familiis non minùs claris orti eam authoritatem inuidebant. Gibellini præſertim, qui, quod Guelfæ factionis princeps haberetur, ab eodem nihil æquum, nihil mite ſperabant: hominem præterea nuper exulem, cuius patrimonium Mediolanenſibus regulis commiſſum fuiſſet, in ſe ſummum imperium habere indignum exiſtimabant. Accedebat quod Gibellinam factionem, quæ toto Mediolanenſi agro tum potentiſſima erat, Sfortiæ ſemper fauerant, Guelfam oderant, ac perſequuti erant: nunc commutatam eſſe ſortem, iam non vnum, ſed plures, hoc eſt, vniuerſos Guelfos ſibi graueis dominos impoſitos tacitè Gibellini querebantur. Conceptam initio eam opinionem augebat Triuultij natura nimis alta, iracunda, factioſa, in eodem ſtatu diu permanere haud ſolita. Itaque ſtatim à Regis diſceſſu, vt ſibi Guelfos addiceret, illis vnis ſe totum dedit, Gibellinos duris imperiis à ſe prorſus abalienauit; nec Galli homini externo, inſolenti præſertim, ſatis æquo animo parebant, nec ad obeunda imperia alacres procedebant. Ad hæc quotidie media vrbe incedens arrogantius, quàm Mediolanenſes reguli ſeſe efferre, & ciueis ſuos faſtidire quodammodo videbatur: ac quum fortè ob oblationem non exolutam (neque enim omnia publica vectigalia ſublata erant) lanij neſcio qui ad arma concurriſſent, vnde & ſuborta ſeditio fuiſſet, ex his nonnullos indicta cauſa medio foro iracundia elatus ſua manu occidit, quod importunum facinus nullus antea Mediolanenſis regulus deſignauerat.

Mediolanenſium tacita de Triultio & Guelfis querimonia.

Id Gibellinos admodum perterruit haud mitius ſecum (ſi ita occaſio ferret) acturum 31
iudicanteis: hinc accenſa nobilitatis, populíque bona pars alioqui nouarum rerum cupida Sfortiæ reditum exoptabat, palámque nomen illius inclamabat, quem pariter, ac fratrem Aſcanium Cardinalem humaniſſimè Maximilianus exceperat; ſe eorum vicem dolere præ ſe tulerat, & in amiſſum principatum potentiſſimo exercitu reducturum promiſerat. Sed varium hominis ingenium, & incertum, quod multas fere ſemper expeditiones eodem tempore ſuſciperet, atque alias aliis perturbaret, vt de Pyrrho quondam Epirotarum Rege celebratum eſt, ſpem eam inanem eſſe conuincebat: animus præterea ſui, aliéníque prodigus, ſemper egens, nouis quotidie pecuniarum poſtulatis iam exhauſtos Sfortias cruciabat. Igitur Maximiliano omiſſo ipſi rem ſuam agere cœperunt, & à multis è Mediolanenſi nobilitate accerſiti octo Heluetiorum millia, quingentos cataphractos minoris Burgundiæ equites (ſexcentos numerat Bembus, trecentos Iouius) Ludouico Valdræio duce ſtipendio affecerunt. Quorum vel certior factus, vel ſuſpicione adductus Triuultius Venetum Senatum admonet, vt quàm ocyſſimè exercitum in agrum Abduanum mittat: Iuonem Alegrium, vt Valentino relicto cum toto equitatu, atque Heluetiis Mediolanum aduolet, quantum diſcrimen immineat, quanta celeritate opus ſit, docet. Ipſe copias ſuas diuidit, partem Comum ad excipiendos primos Sfortianorum impetus mittit, partem ad continendos in Regis fide Mediolanenſes retinet, quos in primis ſuſpectos habebat, cunctas alioqui in hoſtem miſſurus. Sed Sfortiarum induſtria, ac celeritas cæterorum diligentiam anteuertit; neque enim copias omneis expectarunt, ſed, quas in promptu habuerunt, aſſumentes cæteras ſequi iubentes montibus ſuperatis Lario lacu Comum properarunt. Galli, qui vrbem inſederant, de Comenſium tacita defectione admoniti, & viribus inferiores inde excedere coacti ſunt, Comenſes venienteis Sfortias læti exceperunt. Mediolanum Comi amiſſi vbi fama peruenit, continuò Gibellinæ factionis principes, ac populi bona pars ad arma concurrerunt, Triuultius ſe in arcem recepit; noctu cum cataphractis equitibus, qui in ſeptum arci contiguum conceſſerant, Nouariam profectus eſt, abeunteis ad Ticinum

Comum Gallis ereptum.

vſque

Digitized by Google

vſque Mediolanenſes perſequuti ſunt: relictis Nouariæ quadringentis equitibus Mortariam Triuultius cum cæteris petiit: nec tantam de conſeruando Mediolanenſi principatu, quantam de recuperando, quum noua è Gallia auxilia acceſſiſſent, ſpem concepit. Ita præfecti inſolentia, atque in ſuis Guelfis amplificandis ambitione nobilis principatus eadem, qua nuper quæſitus erat, facilitate amiſſus fuit. Gallis Mediolano egreſſis Aſcanius primùm, deinde Ludouicus Sfortia vrbem ingreſſi immutatos cum fortuna ciuium animos offenderunt, magna lætitia excepti ſunt. Ticinenſes ac Parmenſes Mediolanenſium exemplum ſequuti Sfortiana ſtatim vexilla erexerunt: idem Placentia, Laúſque Pompeij feciſſent, niſi Venetæ copiæ relicta Abdua illuc delatæ, ac maturè intromiſſæ eaſdem in fide conſeruaſſent. Alexandria, cæteræque cis Padum vicinæ Aſtæ ciuitates, quod Gallicis armis magis obiectæ eſſent, belli euentum expectare, nec temerè ſeſe commouere ſtatuerunt.

Ducis in bello prudentia quanti momenti.

33 Recuperato Mediolano Sfortia quantum potuit ex Italis equitatum, peditatúmque vndique accerſiuit; Galeatium Seuerinatem ad Maximilianum, vt proſpera recepti principatus initia renuntiaret, miſit, vt numeroſis copiis, multiſque tormentis bellicis ſibi auxilio eſſet, obnixè precatus. Legatus ad Venetos miſſus Cremonenſis Pontifex, quas Senatus imponeret, conditiones Sfortiam accepturum profeſſus eſt, ſed fruſtra: Veneti enim à Regis ſocietate diſcedere recuſarunt. Recuſarunt & Florentini; nec nummos ſibi creditos, quos Gallo Regi repræſentare promiſerant, Sfortiæ reddere voluerunt: à Mantuano eius frater cum aliquot cataphractis equitibus, Mirandulanus, Carpenſis, Corrigienſis, Comites, nonnulliique alij ad Sfortiam acceſſerunt. Senenſes pauculam pecuniam ſummiſerant: igitur quum Valdreio, Burgundiſque equitibus mille quingentos cataphractos equites Italos, Heluetiis Italum peditatum, cuius numerus ſiletur, Sfortia adiunxiſſet, Aſcanium fratrem ad arcis Mediolanenſis oppugnationem continuandam intentum reliquit, ipſe cum valido exercitu traiecto Ticino Vigeuenum arcem, oppidúmque certis conditionibus recepit. Inde Nouariam vrbem celebrem, & omni commeatu abundantem, qua capta Mortaria eiuſdem penuria deditionem facere cogeretur, circumſedit. Timebat præterea, ne Iuo Alegrius, qui audita Mediolanenſium defectione magnis itineribus è Flaminia in agrum Mediolanenſem iam redierat, Nouariam introiret, cuius acceſſu (trecentos enim cataphractos equites, quatuor Heluetiorum peditum millia ducebat) vrbs inexpugnabilis redderetur. Alegrius autem cum Parmenſibus, & Placentinis, vt ſibi liberum iter permitterent, ipſe nihil hoſtile gereret, conuenerat, ac peragrato celeriter vtroque agro Dertonæ appropinquans, quam Gibellini occuparant, à Guelfis inde expulſis incitatus vrbem adortus cepit: captam ne milites, præſertim Heluetij, quibus integrum ſtipendium exolutum non erat, diriperent, prohibere non potuit. Inde Alexandriam peruenit, ibi quod Heluetij quos ſecum adduxerat, ad Sfortiam defecerunt, conſiſtere aliquandiu coactus eſt. Interim Nouariam Sfortia acri oppugnatione vrgebat, vt, antequam Galli ſperata à Rege auxilia acciperent, vrbis compos redderetur: rem enim ad prælium deduci equitatum Gallicum perhorreſcens, atque Heluetiis non ſatis fidens minimè volebat. Galli, qui Nouariæ præſidio erant ad extremas difficultates redacti, & de tuenda deſperantes, de vita, & rebus ſuis omnibus ſecum efferendis pacti deditionem fecerunt, quibus datam fidem hac humanitate arcis præſidiarios, vt idem facerent, inuitans ſanctè præſtitit: quanquam non pauci diſſuadebant, qui adipiſcendi, conſeruandíque magni principatus ergo fidem aliquando fallere licere, & hanc ſelectorum militum manum magni ad vtrumque momenti eſſe contendebant. Vrbe recepta arcem pariter aggrediundam ſuſcepit. Quod ſi tum ad Mortariam præſidio, quod arcem coerceret, relicto acceſſiſſet, Gallos vrbe relicta ſe intra Padum recepturos rumor fuit; quod Triuultio homini factioſo, & ſupra ſuam ſortem inſolenti cum Lignio magnæ familiæ, Regiæque affinitatis principe non bene conueniret.

Nouariæ per Sfortiam oppugnatio.

34 Sed quemadmodum res ſuas Sfortia ſumma diligentia curabat, ita & Rex Ludouicus in ſuas quoque non minore induſtria incumbebat: cùm primùm enim de Mediolanenſium defectione certior factus eſt, quibus bonam publicorum tributorum partem indulſerat, ita (vt par erat) ac dolore incenſus expeditas Vaſconum peditum cohorteis duce Lignio, quem Mediolano rediens ſecum reduxerat, ſtatim accelerare, magnam Heluetiorum manum, ſexcentos cataphractos equites Ludouico Trimullio duce Mediolanum contendere, Georgium Ambaſianum Cardinalem, quem ſummæ rerum præfecit,

Quibus animus Ludouicus in recuperando rem Mediolanenſem incumbat.

Digitized by Google

præfecit, Aſtam properare iuſſit; vt ipſe conſilio, armis Trimullius rem Mediolanenſem adminiſtraret, & quandoquidem ambo prudentes erant, & facilè inter ſe conueniebant, Regiæ de ſe expectationi cumulatè ſatisfecerunt: Priores Ambaſianus, ac Lignius, Trimullius deinde, atque Heluetij Alpeis tranſierunt. Igitur Aprilis initio mille quingenti cataphracti equites cum ſuis hippotoxotis, decem Heluetiorum, ſex Gallorum peditum millia ad Mortariam conuenerunt. In Regio exercitu ſummum imperium Ludouicus Trimullius habebat, ante eius aduentum Gallis Aubignius, ac Triuultius præerant, ſed ita inter ſe diſſentientes, vt mutua æmulatione rem Gallicam peſſundarent: neque enim ſuperiorem (nam regni Neapolitani equitum magiſter Aubignius fuerat, tum quum vnius duntaxat alæ equeſtris Triuultius præfectus eſſet) neque parem idem Triuultius natura nimis inſolens, ac factioſus ferre vllo modo poterat. Vtrique Trimullius Regis legatus ſua munera diſtribuit, & ad Nouariam, cuius arcem Gallicum adhuc præſidium inſidebat, prælio decernere paratus acceſſit: initã inter Heluetiorum vtriuſque exercitus centuriones de Sfortia dedendo colloquia feruntur: Rodolphum Salicem Rhetum, cui Longo cognomen fuit, ac Gaſparem Silenum ab Vrania Heluetium, qui in Sfortiano exercitu militabant, proditionis authores nominat Iouius, cæteri ſcriptores Itali nomina tacent: cæterum Heluetiorum centuriones, quanquam in Nouariæ oppugnatione fortiter dimicarant, apertæ proditionis accuſant: cuius ſuſpicione iam concepta octo Italorum peditum millia, quadringentos equites Mediolano euocatos, vt accelerarent, frequentibus tabellariis Sfortia monebat. Sed interim Galli Nouariam circumſederunt, & iuſtam equitum manum inter vrbem, Ticinúmque fluuium collocarunt, quæ Mediolanenſes Sfortiæ copias Nouarienſibus iungi prohiberet. Tum etiam tumultum in Sfortiano exercitu ob ſtipendium non perſolutum Heluetij excitarunt; interueniens Sfortia, blandéque homines barbaros alloquutus condonata omni ſupellectile argentea, vt nonnihil expectarent, tantiſper dum Mediolano aſportaretur pecunia, perfecit. Vt autem proditionis conſilia interturbaret, leuem armaturam extra vrbem, Burgundóſque cataphractos exire, ad pugnámque ſe parare, cæteros ſequi iuſſit: Heluetij ſe aduerſus fratres, ac propinquos ſine domeſticorum magiſtratuum permiſſione dimicaturos pernegarunt, multi deinde ex illis cum Heluetiis Gallici exercitus ſeſe miſcuerunt: vnde ad ſuos reuerſi ſe domum redire magiſtratus domeſtici mandato cogi Sfortiæ denuntiarunt: quorum ille pluſquam barbaram perfidiam, nec precibus, nec promiſſis ingentibus, nec lacrymis flectere potuit, aut ſaltem obtinere, vt miſerum, ſibíque ſupplicem ducem, in locum ab hoſtibus tutum deducerent (Gallis enim hominem haud ſecum abducturos promiſerant) quod poſtremum fuit, vt Heluetica veſte contectus, atque de more gentis armatus quaſi gregarius miles inter ſe, mixtus elaberetur, fortunæque aleam ſubiret, conceſſerunt: iniquam, vltimámque conditionem, ne Nouariæ relictus fame vrgente, aut vi deditionem facere cogeretur, accepit. Stabant Galli à dextra, leuáque armis inſtructi, quaſi pugnam inituri, inter quos Sfortiani Heluetij longo ordine taciti ingrediebantur. Ibi Sfortia vel agnitus, vel ab ipſis Heluetiis proditus tertio Idus April. anno huius ſæculi primo, hoc eſt, milleſimo quingenteſimo comprehenditur: comprehenduntur & Galeatius Seuerinas, Fracaſſius, atque Antonius Maria eius fratres, ſpectaculum inſignis perfidiæ vel ipſis hoſtibus miſerandum. Vt autem pupillo fratris filio datam tutela ſuſcepta fidem Mediolanenſis principatus inuadendi ambitione, & patruus, & tutor violarat, eundémque mox veneno tollendum curarat, ita eadem quoque perfidia proditus à familiaribus principatum amiſit, & à ſuis militibus in mortem ignominioſam traditus eſt. Pugnam ad Nouariam commiſſam Ferronus, & Bembus ſcribunt, tametſi nunquam ad manus Galli, Sfortianíque venerunt, oſtentatæ duntaxat vtrimque acies fuerunt: Bembus autem ſuo more negligens veritatis indagator Sfortiam veſte pabulatoria, ſtrigoſo in equo ſe inter milites celantem captum prodit: captiuo Sfortia in arcem Nouarienſem perducto, Heluetiis abeuntibus reliquus exercitus paſſim diſſipatus, in prædam hoſtibus magna ex parte fuit.

Sfortia Heluetiorũ more indutus agnoſcitur, ac vinculis traditur.

Tam atroci nuntio Mediolanum perlato Aſcanius Cardinalis, qui Mediolanenſes copias nuper ad fratrem miſerat, deterritus ex vrbe ſtatim exiit, bona Gibellinæ nobilitatis parte hominem comitante: Triuultij enim in primis, Gallorúmque reditum horrebant, quum de via feſſus ad Ripaltam Placentinum vicum noctu conſtitiſſet, Conradus Landus Placentinus vici dominus, atque Aſcanij affinis, & vetus amicus amicitiam cum

Aſcanius Cardinalis eius frater ab amicis proditoriè in manus hoſtium traditus.

cum fortuna commutauit: Carolum Vrſinum, ac Soncinum Benzonium Venetos duces, qui Placentiam inſederant, arceſſiuit, illis Aſcanium, Hermêm Galeatij reguli fratrem, quem mox ad ſe perductum ſorori Maximiliani Cæſaris vxori Rex Ludouicus reddidit (vt Claudius Seiſſelus eundem ſui non ſatis memor Galeatij filium, non fratrem appellans tradidit) & nonnullos Gibellinæ factionis viros nobiles in prædam obiecit, cæteri, iique prudentiores Venetorum inſidias timentes longius proceſſerant. Aſcanius ſtatim, comiteſque Venetias deducti fuerunt: hos Rex, Aſcanium in primis, quod multum ad recuperandum Mediolanum fratri contuliſſet, & in Mediolanenſi ditione captus fuiſſet, per legatos repetiuit: quod Veneti ſpecioſa cunctatione eius poſtulata eludere videbantur, acribus minis additis in id ſedulò incubuit, cuius indignationem, Gallicique exercitus ardorem exhorreſcentes Veneti non ſolum Aſcanium, ac comites, ſed & Baptiſtam Vicecomitem, nonnulloſque Mediolanenſes viros nobiles, quibus liberè in agro Abduano habitandi poteſtatem fecerant, metu dignitatis, ac tanti Senatus maieſtatis rationem non habentes ad Regem ſub cuſtodia miſerunt. Mediolanenſes omni ſpe, atque ope deſtituti legatos ad Cardinalem Ambaſianum miſerunt, defectionis veniam demiſsè petenteis, quam in paucos, qui iam inde aufugerant, & turbam rerum omnium imperitam conferebant: trecentis nummûm aureorum millibus mulctatos Ambaſianus in gratiam recepit, quorum tamen maiorem partem Rex natura mitiſſimus poſtea remiſit. Mulctatæ ſunt & cæteræ ciuitates, vti cuiuſque facultates facilè tolerare potuerunt, nihil enim auarè, nihil acerbè exactum.

36 Ita bello celeriter, feliciterque profligato externo militi miſſio data, domeſticus eo numero, qui præſidio ſatis eſſe poſſet, retentus: Heluetij, qui non procul à Belinzona in alpino oppido abſunt, ſeſe ad ſuos recipientes id dolo inter redeundum forte ceperunt, quod Rex initio paucula ab illis pecunia redimere potuiſſet, eam quanti id oppidum momenti eſſet, haud certior factus numerare recuſauit: at non multò poſt longè maxima id ipſum redimere cupiens obtinere non potuit, ſeróque quantum imprudens erraſſet, intellexit: eo enim oppido egregiè munito Heluetiis, qui incerta ſemper fide fuerunt, & venalem ſemper amicitiam habuerunt, facillimum in agrum Mediolanenſem aditum præcluſiſſet, & ne niſi ſumma cum difficultate Alpeis in poſterum ſuperare poſſent tanto ante prouidiſſet, quibus etiam cæteras Alpium ſemitas veriùs, quàm vias paucis præſidiis obiectis obſtruere potuiſſet. Ludouicus Sfortia ex arce Nouarienſi Lugdunum deductus, vbi tum Rex victoriæ euentum expectans agebat, magno populi concurſu ad vel ſpectandam, vel miſerandam tanti principis calamitatem obuiam prodeunte vrbem ingreſſus eſt; coram Rege, vt ſiſteretur, mirandum in modum cupiebat, id quum obtinere non potuiſſet, Lochias in perpetuum carcerem relegatus eſt, magno ſanè fortunæ ludibrio, cuius ſe filium paulò ante rebus omnibus proſperè, & quaſi ad nutum ſuccedentibus dicere auſus fuiſſet: Piſanorum à Florentinis defectionem, Petri Medicis è Florentia, Regum Arragoniorum è regno Neapolitano fugam ſibi attribuebat, ac vendicabat. Contra vbi mutata ſententia celebrem illam fœderatorum ſocietatem aduerſus Carolum Regem adornaſſet, Ferdinandi minoris in regnum, patriámque reditum, Caroli Regis indignum ac prope turpem iniquis conditionibus acceptis ex Italia diſceſſum, Piſanas arceis non Regis imperio Florentinis redditas, ſed ſuo nutu quibus voluerat, pretio cuius ipſe fuerat arbiter, addictas gloriabatur. Idcirco cæterorum prudentiam, conſiliáque pro nihilo ducens ea quoquo vellet propellere, aut etiam omnino commutare ſua induſtria ſe poſſe confidebat: hinc Latinæ, vulgaréſque odæ admirandam Sfortiæ prudentiam toto Mediolano, totáque adeo Italia canebant: hinc ſe Æthiopem nuncupari, vel à colore fuſco, qui illi natura inerat, vel à Punica aſtutia facilè patiebatur. Hinc ſe & fortunæ filium vocari ſinebat, & ſe ipſe aliquando vocitabat, at illam duram tandem nouercam, atque immitem expertus eſt, quæ vana prioris felicitatis ſpecie inductum miſerrimo decennij carcere, ac morte ignominioſa mulctarit: quanquam ſi cætera omittas, ſolum in fratris filium parricidium ſpectes, maiore pœna dignus fuit. Aſcanius Cardinalis eius frater in turrim Biturigum relegatus eſt, vbi Ludouicus ipſe Rex adoleſcens ad fanum Albini captus biennium, & paulò amplius concluſus exegerat: adeò varia, miſeráque hominum conditio eſt, & fati ſui neſcia.

Ludouicus Sfortia Lugduni deductus, inde Lochias in perpetuum carcerem relegatus.

Fortunæ alea quàm incerta & fallax.

Aſcanius Cardinalis in Biturigum turrim coniectus.

37 Recepto Mediolano exercitum Ludouicus Neapolim miſiſſet, niſi implacabilem Maximiliani animum ſemper antea ſuſpectum, tum verò palam infeſtum horruiſſet,

Digitized by Google

qui nuper inducias proferre recuſabat, & vel vetere erga Reges Gallos odio, vel recenti erga Sfortias amicitia, vel nobilis principatus Germanico imperio obnoxij amiſſione percitus cò arma conuerſurus putabatur; frequentibus enim indictis comitiis Germanos ad Mediolanum repetendum accendebat, & periculum eſſe, ne Galli tantis victoriis ſuperbi Imperij maieſtatem ad ſe iterum reuocare tentarent, identidem monebat. Carolum nuper regno Neapolitano potitum chlamydem Imperatoriam aſſumpſiſſe, ſéque Cæſarem, & Auguſtum inſcripſiſſe: quæ quamuis ad Orientis Imperium referre ſimularit, tamen & ad Occidentis Imperium à ſuis maioribus olim poſſeſſum, ac magis propinquum aſpiraſſe non leuis coniectura fuit: proinde Germanicam exiſtimationem, Imperij ius, fœderatorum poſſeſſiones tuerentur, alioqui Gallos maiora ſemper auſuros, & Italia Imperio ſubtracta poſtremò Germaniam tentaturos. Hæc vt bellum Neapolitanum Ludouicus in aliud tempus differret, & Florentinis ad Piſas recuperandas auxilia mitteret, effecerunt: quanquam Piſani, Genuenſes, Senenſes, Lucenſes centum nummûm aureorum millia, ſi Piſas, Serezanam, Mompulcianum, Petraſanctam Rex aduerſus Florentinos tueretur, offerebant: ſin verò Liburnum, & quicquid Piſani agri Florentini poſſidebant Piſanis reſtitueret, quinquaginta millia Piſani in ſingulos annos ſe dependuros ſpondebant. Horum legatos ad Cardinalem Ambaſianum Mediolani agentem Ludouicus remiſit; à Piſanis ſtabat Ioannes Iacobus Triultius, ac Ioannes Ludouicus Fliſcus: vterque Piſarum dominatum ambiebat, vterque ne Italiæ reguli, liberæque ciuitates nimium viribus pollerent, è re Ludouici eſſe dictitabat. Plus tamen apud Cardinalem Florentinorum antiqua fides, ac recentia in Mediolano recuperando merita potuerunt. Decreti in eam expeditionem ſexcenti cataphracti Galli equites, Vaſconum aliquot cohortes, quinque Heluetiorum millia, ſed quæ Florentinum ſtipendium mererent, at more gentis auaræ, alieníque ſtipendij nimis auidæ duo millia præter & Regis, & Florentinorum voluntatem acceſſerunt: addita eſt tormentorum bellicorum, pilarum, tormentarij pulueris copia, quæ oppugnandis Piſanorum vrbibus, atque arcibus ſatis eſſe poſſet; Iuonem Alegrium veteranum ducem, atque inter Gallos in primis clarum præfectum imponere Ludouicus voluit, at Florentini Belmontanum, cuius tametſi abſentis facilitatem, ac beneuolentiam in reddendo Liburno experti erant, flagitarunt, haud ſatis expendentes, quantum in bellis feliciter gerendis ducis induſtria, longa experientia, confirmata authoritas valeret.

Quid Ludouicum à bello Neapolitano ſtatim poſt Mediolanenſem victoriam ineundo retardarit.

Acceſſit quod tametſi Kal. Maiis Heluetij Florentinum ſtipendium merere cœperant, 38 tamen ipſi, cæteríque toto eo menſe in Tranſalpina Gallia retenti ad pecunia mulctandum Mantuanum Marchionem, Mirandulanum, Carpenſem, Corrigienſem Comites, Ioannem Bentiuolum, Torrelios, qui Sfortiæ ſuppetias tulerant, Piſanis ſeſe muniendi occaſionem dederunt. Comites viginti, Bentiuolus quadraginta nummûm aureorum millia dependit; Mantuanus ſibi pecuniam deeſſe cauſatus ſe, vt ſua tueretur, comparabat, Regem tamen interim per legatos, vt ſibi eam noxam remitteret, orabat. Is, ne differretur Piſana expeditio, omiſſus; à qua Florentini ea cunctatione offenſi prope abalienati erant, tamen præſenti occaſione vtendum potius ducentes alterum ſtipendium fere inuiti Heluetiis numerarunt: vnde Belmontanus Monchiarucolo Parmenſi Torreliorum oppido capto retro iter ad Pontremulum flexit, ſuperatóque Appennino Lunenſem agrum ingreſſus eſt. Lucenſes Petraſanctam Belmontano dediderunt, quibus ille Gallico præſidio arci impoſito oppidi vſumfructum reliquit, Lucenſéſque magiſtratus ſua munia obire permiſit, donec Ludouicus de vtrorumque (Florentinorum inquam, ac Lucenſium) iure ſtatuiſſet. Numeratam Ambaſiano pecuniam ferunt, vnde Lucenſes Regis nomine in fidem receperit: ſed Piſas interim Vitellocius Florentinorum hoſtis acerrimus hominibus propugnaculorum, ac cæterorum id genus defenſaculorum extruendorum peritiſſimis accerſitis diligenter muniendas curarat; in quod opus viri, mulieres cuiuſuis prope ordinis quotidie ſumma alacritate incumbebant, & tamen ſolitis ſuis artibus Piſani obſidionem differre conantes vrbem Regi inſtrumentis etiam publicis & ad Philippum Raueſtenium Genuæ prætorem, & ad Belmontanum miſſis dediderunt, aut dedere ſimularunt. Deditionem Regis nomine temerè ratam habuit Raueſtenius, nec quid Rex Florentinis promiſiſſet, animaduertit. Belmontanus præconem militarem Piſas, qui vrbem depoſceret, miſit: illi ſe vrbem, ſeipſos, ſua omnia Regi permittere reſponderunt, modò ne ſe, quibus libertatis author Carolus fuiſſet,

Piſanorum fraus.

Digitized by Google

fuiſſet, in Florentinorum ditionem, hoc eſt, duriſſimam, acerbiſſimámque ſeruitutem retruderet. Quorum fraude perſpecta legatis, qui deditionis diploma attulerant, dimiſſis, Belmontanus vrbem tertio Kalen. Iul. circumſedit, atque ipſa nocte, poſtridiéque vſque in pomeridianum tempus tormentis ita verberauit, vt muro in ſexaginta vlnas ſolo æquato facilis expugnatio videretur: vbi tormenta conquieuerunt milites nullo ordine, neque expectato ducis imperio oppugnationem aggreſſi murum tranſilierunt: pone murum foſſam altam, latámque inter murum, atque aggerem ductam offenderunt, qua deterriti reliquum diei non tam oppugnando, quàm oppugnationis difficultatem reputando inſumpſerunt.

Quid cauſæ fuerit cur Piſæ à Belmontano circumſeſſæ in poteſtatem ipſius nō venerint.

39 Ita Belmontano non animus, non prompta erga Florentinos beneuolentia, ſed induſtria, atque authoritas defuerunt, qui milites ſub imperio, ac diſciplina militari non continuerit, & re non ſatis perſpecta oppugnationem inire permiſerit: inde oppugnatio in dies remiſſior, & de potiunda vrbe ſpes quotidie infractior euaſit; vel quod Galli priſtinum illum ardorem amiſiſſent, hoſtiúmque munitiones impenetrabiles, atque animos in hiſce tuendis inuictos exiſtimarent, vel (vti magis veriſimile eſt) quod miles nullo imperio coërcitus vrbem, tanquam amicam liberè introire pariter, & inde exire, colloquia miſcere, renouata erga Piſanos beneuolentia illis animos addere, illorum cauſam palam in caſtris coram ducibus tueri auſus eſt: in primis verò Franciſcus Triuultius Triuultianæ Ioannis Iacobi alæ legatus, ac Galeatius Pallauicinus equeſtris etiam alæ in caſtris Gallicis præfectus, qui in Ioannis Iacobi Triuultij gratiam Piſarum principatum ambientis, vt Gallorum exercitus obſidionem ſolueret, procurabant. nonnulli quoque alij eorum exemplum ſequuti ducis imperia contemnere, vigilias negligenter obire, & vt obſidio ſolueretur commeatum, qui in caſtra comportabatur, diripere cœperunt. Hinc cum lectiſſima veteranorum peditum cohorte Tarlatinus hactenus ignobilis, ſed ea mox oppugnatione clarus Piſas, qua in propinquum mare vergunt, Gallis vel conniuentibus, vel negligenter vrbis aditus obſeruantibus ingreſſus eſt: poſtremò ſeditione oborta Vaſcones è caſtris abierunt, quos deinde Heluetij ſequuti ſunt. Cataphracti equites in vicis Piſanorum propinquis aliquantulum commorati, antequam nouum à Rege mandatum acciperent in Galliam quoque Tranſalpinam redierunt: nec Belmontanus horum quemquam in officio continere valuit, vt graueis reiecti Alegrij pœnas Florentini dederint, cuius authoritas militem coërcere, induſtria præclaram oppugnandæ vrbis rationem inire potuiſſet. Piſani occaſione vſi, atque vrbe egreſſi Librafactam oppugnarunt, & præſidiariorum militum inſcitia, ac ſtupiditate ceperunt, qui dum ad locum certaminis cuncti accurrerent, munitiora loca reliquerunt. Id ex Piſanis nonnulli animaduertentes ſcalis muro, qua altiſſimus erat, admotis arcem ingreſſi, hoſteiſque à tergo aggreſſi ad deditionem coëgerunt, fortunæ quoque propugnaculum præſidiariorum ignauia receperunt, & ſuæ ditionis terminos ad Lucenſis agri confinia dilatarunt. De Piſana expeditione nuncium vbi Rex Ludouicus accepit, ſupra quàm dici poteſt, indoluit: grauem nomini Gallico contumeliam inuſtam ratus, quod Gallica arma Italis hactenus, præſertim in oppugnandis vrbibus formidoloſa vnius vrbis nullo veteranorum militum præſidio, nullo clari ducis imperio, ſed ſola ciuium induſtria adminiſtratæ vel eluſa aſtutia, vel repulſa fortitudine fuiſſent. Cercoum igitur ſuperioris ordinis cubicularium Florentiam miſit, vt & veræ ne eſſent, quas Galli huiuſce expeditionis duces, centurionéſque excuſationes attulerant, inquireret, & Florentinos admoneret, ne de potiunda vrbe deſperarent; quin potius, vt Gallicus equitatus in Piſano agro hybernaret, aſſentirentur: qui Piſanos intra vrbem contineret, & ne commeatus importaretur, prohiberet, Regem proximo vere lectiores copias præfectis ſuis magis obedienteis miſſurum, ducémque ſtrenuum, cuius authoritatem reuereantur, additurum: Florentinos præter Regis voluntatem Belmontanum delegiſſe, quem Rex ipſe delegiſſet, hoc eſt, Iuonem Alegrium repudiaſſe; quicquid peccatum ſit, ſibi, non Regi acceptum referre debere.

Librafacta à Piſanis qua ratione capta.

Florentini duobus capitibus afflicti.

40 Florentini oblata à Rege auxilia quadam deſperatione reiecerunt, vnde rumore de renuntiata Regi ſocietate diuulgato Genuenſes, Senenſes, Lucenſes, commeatu Piſanos, militibus, pecunia iuuerunt: & crebræ, magnæque inter ciues Florentiæ ſeditiones excitatæ non ſolum de nuper amiſſis recuperandis, ſed etiam de antiquiſſimis poſſeſſionibus retinendis. ſpem omnem auferebant: Piſtoriam enim, Piſtorienſémque agrum Pancratica, ac Cancellaria factiones ſibi inuicem inſultantes peregrino milite

Digitized by Google

adiuncto rapinis, cædibus, incendiis vaſtabant: nec Florentinus ius ſuum retinere poterat, nec ſonteis pro Imperio mulctare audebat. ita domeſtico pariter, externóque malo res Florentina afflicta laborabat. De Alexandro Pontifice tacitè querebatur Ludouicus, quod initæ nuper ſocietatis oblitus, nihil in recuperando Mediolano contuliſſet; tamen quod cum Maximiliano conuenire nullo modo poſſet, & Germanorum in Italiam irruptionem timeret, quæ & rem Mediolanenſem, & dilatum in proximum annum bellum Neapolitanum perturbaret, cum eodem in gratiam rediit. Huc etiam Regem Cardinalis Ambaſiani vel amicitia, vel monitiones perpulerunt, qui Gallicam legationem (vt vulgò appellant) ambiens, hoc eſt, eam facultatem, qua veluti Romani Pontificis vicarius vniuerſæ Galliæ ſacerdotiis vna Britannia excepta præfectos prioribus decedentibus, aut iiſdem alia quauis ratione cedentibus imponeret, Regi Pontificem ſummopere reconciliare cupiebat: quam, vel quod res noua prorſus eſſet, vel quod Romanæ aulæ quæſtum multum imminueret, magni æſtimatam Ambaſiano Alexander in menſes octodecim permiſit. Ad hæc certas auxiliares copias Cæſare Borgia duce, quoties Rex expeditionem Neapolitanam vel per ſe, vel per legatos ſuſciperet, eodem ſe miſſurum pollicitus eſt: viciſſim trecentos cataphractos equites, duo peditum millia Iuone Alegrio duce ad expellendos Pontificiarum vrbium vicarios Ludouicus ad Valentinum Cæſarem miſit: & ſi qui contra arma ferrent, eos ſe pro hoſtibus habiturum profeſſus eſt; quo terrore perculſi Itali reguli, liberæque ciuitates (magna enim tum Ludouici authoritas erat) propinquis, & fœderatis Pandolfo Malateſtæ Arimini, Aſtori Manfredo Fauentiæ regulo Veneti, eidem Ioannes Bentiuolus auunculus, Ferrarienſis affinis, Florentini fœderati ſocietatem renuntiarunt: quinetiam Veneti Cæſarem Borgiam ciuitate donarunt, ac patritium crearunt, quæ non niſi vel ob ingentia accepta beneficia, vel ad declarandam eximiam beneuolentiam conferre ſoliti ſunt. Igitur Valentinus Borgia, qui ſexcentos cataphractos equites, ſex peditum millia in caſtris habebat, Alegrianis auctus Piſaurum atque Ariminum nemine contra arma ferre auſo cepit: Briſigeliam Dionyſij Naldi ſtrenui centurionis Briſigeliani ciuis opera, ac prope totam Anomonis vallem victoriæ addidit.

Tentauit & Fauentinam arcem eodem Naldo ſequeſtre, sed indicio facto præfectus 41
in cuſtodiam traditus eſt: at Fauentini quamquam ab omnibus deſerti & vallis Anomonis (quæ magni momenti erat) amiſſione nihil perturbati Manfredos indulgenteis dominos experti ſumma diligentia vrbem munierunt, nec vllis Valentini promiſſis, vt ab iiſdem deficerent, adduci potuerunt. Quocirca ad vrbis muros inter Anomonem Marſanúmque fluuios Valentinus caſtra poſuit, ſuburbiúmque quod Forum Liuij reſpicit, tormentis verberari iuſſit. Ibi propugnaculum ingens Fauentini erexerant, quod ſuburbium muris longè ante cinctum vrbis iam pars non contemnenda cenſeretur; totos quatuor dies ſuburbium acriter machinis bellicis pulſatum, præſertim qua porta inter ſuburbium, vrbémque interiacet: quintò oppugnatio tentata, ſed ciuibus egregiè, ac fortiter propugnantibus (paucos enim externos milites habebant) Honorato Sabello, nonnulliſque aliis cæſis Borgiani repulſi ſunt: nec illis vlla interim quies dabatur, Fauentinis crebris excurſionibus, ac tormentis Borgiana caſtra infeſtantibus; & quod maximè vrgebat altæ niues, atque horridum frigus tametſi Nouembri nondum exacto ſub dio pernoctanteis milites prorſus vrebat: tecta enim omnia vrbi vicina, atque arbores Fauentini incenderant. His difficultatibus coactus decimo die Valentinus obſidionem ſoluit, hybernaturúmque in proxima oppida exercitum dimiſit, proximo vere ſe rediturum, & victoriam vel vita redempturum profeſſus primos ſuos conatus irritos cecidiſſe, & Fauentinos imbelles, atque in longa pace educatos veteranis ſuis copiis, quibus egregij duces Ioannes Paulus, ac Iulius Vrſini, Vitellocius, Ioannes Paulus Baleonus, ac plerique alij præerant reſtitiſſe ægerrimè ferebat. At Alexander luſtralem etiam hunc annum (Iubileum vulgò appellant) indixerat, quo integram ſcelerum omnium abolitionem piis Chriſtianis Romam, ac ſacra loca viſentibus, aut ſi commodè eam profectionem ſuſcipere non poſſent, alia pia opera obeuntibus, Romani Pontifices largiuntur. Hic annus primum Bonifacio Octauo eius inſtituendi authore vnoquoque ſæculo ſemel celebrari ſolebat: deinde Clemente Sexto eumdem ad Iudæorum morem, & inſtitutum referente quinquageſimo anno, tandem Pontificum Romanorum matura deliberatione ad viceſimumquintum redactus eſt: poſtremam hanc inſtitutionem à Paulo Secundo nullo exemplo indictam Sixtus Quartus Pauli ſucceſſor

Quo ardore & fortitudine Fauentini à mœnibus ſuis Valentinum Borgiam repulerint.

Anni luſtralis ſiue Iubilei auctor quis.

ſucceſſor ſequutus eſt, quem imitatus Alexander viceſimo quinto poſt anno, hoc eſt, milleſimo quingenteſimo eundem celebrauit magna hominum multitudine ex omnibus Chriſtiani orbis regionibus Romam confluente; quo multi Galli in vrbem proficiſcentes à Mediolanenſibus ad Ludouicum Sfortiam deficientibus, aut defectionem parantibus in diuerſoriis perfidioſè cæſi ſunt, vti mox deprehenſum eſt. Eam omnem pecuniam, & quicquid in Pontificio ærario erat, Alexander ad Valentinum ad Forum Liuij hybernantem mittebat, vt Pontificias vrbes in poteſtatem redigeret. Is ſe ad inſtaurandam deintegro Fauentiæ obſidionem ſedulo comparabat: Fauentini contra in munienda vrbe non minus diligenter laborabant.

42 Igitur anno decimi ſexti ſæculi primo ineunte vrbem ſcalis admotis occupare aggreſſus proditoribus vel promiſſum facere non auſis, vel quadam pœnitentia ſpem eius fruſtrantibus facilè repulſus eſt: vnde in vicinas vrbi arceis, atque oppida conuerſus, Ruſſium, ac nonnulla alia cepit; & præſidia in hiſce collocauit, quæ aſſiduis procurſationibus Fauentinos exercebant, nec vrbe egredi ſinebant, quam primo vere iterum circumſedit, & è regione arcis caſtra metatus magna tormentorum vi muri partem deiecit, ac ſolo æquauit. Galli pariter, atque Hiſpani Fauentinos non ſeruatis ordinibus aggreſſi re infecta redierunt; inſtaurata tormentorum verberatione, quæ plurima ſecum, atque ingentia trahebat, vrbem triduo concuſſit, ac mox vniuerſis copiis oppugnationem indixit: Vitellocio, atque Vrſinis vt principes irrumperent iniunctum, cæteris vt ſuo ordine quique ſequerentur. Hi fortiſſimos è ſuis diligentes haud temerè, ſed pari conſilio, ac fortitudine in murorum ruinas inuaſerunt, & ſpem initio de potiunda vrbe conceperunt: ſed in profundam, latámque foſſam incurrentes, tormentíſque ab vtroque foſſæ limite in latera petiti Fauentinis acriter, & quadam veluti deſperatione à fronte propugnantibus Ferdinando Farneſio, ac nonnullis ſtrenuis ducibus, plurimis autem militibus amiſſis pedem referre coacti ſunt. Ad duo millia cecidiſſe quidam prodiderunt, at Fauentini nihilominus non incruenta victoria potiti (ſuorum enim iacturam non paruam fecerant) & ſe tantis viribus impares reputantes, quibus aliquando cedere conditionibus longè iniquioribus cogerentur, plurimum de priſtino ſuo ardore remiſerunt, & metu prudentiæ nomen inuadente de deditione cogitare cœperunt. Quidam commeatus penuriam, quæ in multos menſes ſatis eſſe haud poterat, Fauentinos huc perpuliſſe ſcripſerunt. quod ſi in alterum menſem hoſtium impetus admodum remiſſos toleraſſent eximiam fortitudinis, & conſtantis erga herum Aſtorem fidei laudem conſequuti fuiſſent: obſidionem enim ſoluere, & copias Gallicas iam in regnum Neapolitanum proficiſcenteis ſequi Valentinus ex fœdere iubebatur: nec tamen iniquis conditionibus, ſi illis Valentinus ſtetiſſet, ſeſe dediderunt, ſibi enim de vita, ac bonis; Aſtori, vt liberè, quo vellet, abire, & auitis poſſeſſionibus frui liceret, cauerunt. Fauentinis ſanctè promiſſum fecit Valentinus, Aſtori datam fidem fefellit: nec tamen quicquam profecit, ſiquidem paulò poſt, vbi res Neapolitanas Gallis minus ex animi ſententia ſuccedere Valentinus animaduertit (iam enim Alexander diem ſuum obierat) ad Hiſpanum Ferdinandum defecit; à quo dignè, atque vti merebatur, acceptus in perpetuam cuſtodiam traditus eſt, vnde elapſus ad Ioannem Nauarræ Regem vxoris fratrem confugit, ibíque non multò poſt, egens, atque inops quadam militari excurſione perinde, ac gregarius miles circiter ſextum decimi ſexti ſæculi annum cæſus eſt. Is tum capta Fauentia Flaminiæ regulus declaratus de Florentia, Bononiáque occupandis cogitauit: vnde miſſo Piſas cum centum leuis armaturæ equitibus Liueroto Firmano Bononiam ipſe contendit. Sed dum ad Petri vicum in Forocorneliani, Bononienſíſque agri confinio caſtra metatur, mandatum à Ludouico accipit, ne quicquam aduerſus Bononiam, ac Ioannem Bentiuolum Regis clientem moliatur: nam quod in Bononienſi fœdere ſe ita Bononienſium, Bentiuolíque propugnationem ſuſcipere, vt nihil de Rom. Pontificis iure decedat, Rex profeſſus ſit, id non ſimpliciter accipiendum, vt Alexander interpretabatur; alioqui fruſtra Regis patrocinio Bononienſes vſi fuiſſent: ſed quo iure tum Rom. Pontifex fruetur, eo vt deinceps fruatur, per Regem licere, neque Ludouicum ea in re interceſſurum (annuum autem vectigal à Bentiuolo vicario Alexander accipiebat) nec tamen vt Bononiam opprimat Pontifex, Bentiuolúmque expellat permiſſurum.

Anno 1501.

Quibus conditionibus Fauentini Valentino dediti.

Eiuſdē miſerādus exitus.

43 Hac denuntiatione perturbatus Valentinus, & grauiter non ſecus, atque Alexander queſtus cum Bentiuolo, vt liberè è Bononienſi agro exercitum deduceret, cõmeatúmque acciperet pactus eſt: Bentiuolus præterea nouem nummûm aureorum millia quotannis

 Valentino

Digitized by Google

Valentino penderet, Caſtellum Bononienſe Bononienſis iuriſdictionis oppidum eidem permitteret, centum cataphractos equites, duo peditum millia in Hetruſcam expeditionem ſuppeditaret; quibus ille auctus cum octingentis cataphractis equitibus, ſeptem peditum millibus in agrum Florentinum miſſo prius Florentiam, qui liberum iter, commeatúmque peteret, legato, Florentinos oratores ſpecioſa interim oratione ſuſpenſos tenens accelerare cœpit. Atque vt Bentiuolum ſuis infeſtum, viciſſimque odioſum redderet, ſe ab Mareſcotorum familia Bononiæ tum opulentiſſima, ac potentiſſima accerſitum ſimulauit: vnde vltionis cupidus Bentiuolus totam eam pœne familiam per Hermem filium, ac nobiles aliarum familiarum adoleſcenteis delendam curauit, vt Mareſcotorum ſanguine polluti perpetuas cum illis inimicitias exercerent, & eiuſdem facinoris participes Bentiuolum nomen quadam neceſſitate ſequerentur. Sed poſtquam ſuperato Appennino Barberinam Valentinus appulit longè alia oratione vſus eſt, ac conditiones valde iniquas poſtulauit: poſtulauit (inquam) vt ipſum cum iuſtis equitum, peditúmque copiis ſtipendio Florentini afficerent, & gradus, quem obtineret, meminiſſent, aliam Reip. adminiſtrationem inſtituerent; quicum certiore amicitiæ vinculo coniungi, & communibus negotiis commodius prouidere poſſet. Hæc non tam ſuis viribus (neque enim vlla ſecum tormenta bellica aduexerat) quàm Florentinorum ſeditionibus fretus edifferebat, quibus illi grauiſſimis fluctuabant: hinc Medicea factione, quod Vitellocium, atque Vrſinos Valentinus in caſtris haberet, ſeſe commouente; hinc populo ab optimatibus admodum diſſentiente, quos de accerſito Valentino tacitè inſimulabant, cuius terrore, quam vellent, Reip. formam inducerent, neque vllus miles, niſi quem ex ſuo agro nuper conſcripſerant, in promptu erat. Verum ſexto ab vrbe lapide caſtra metatus alterum Bononienſis non diſſimile à Ludouico Rege mandatum accepit, vt quamprimùm è Florentino agro fœderato diſcederet, ſin cunctaretur, Aubignium, qui iam cum Gallicis copiis in Galliam Tranſalpinam Neapolim proficiſcens peruenerat, hoſtem expectaret.

Qua ratione [illegible]dus inter [illegible]alentinum & Florentinos iuratum.

Quo nuntio deterritus cum Florentinis fœdus inire maturauit, cuius hæc fere capita 44
fuiſſe traduntur: Valentinum, Florentinóſque in poſterum fœderatos pro ſuis ditionibus tuendis mutua ſibi inuicem auxilia laturos, neutris vtriuſque partis rebelles, ac proſcriptos defendere, vllâve re iuuare, Valentino in primis Piſanis opem ferre nefas eſſet: omnibus quos aliqua ſuſpicione Valentini acceſſus premeret noxa condonaretur, Plumbini regulo Florentini ſocietatem renuntiarent; centum, atque octo nummûm aureorum millia in triennium ternis, æquiſque penſionibus Valentino Florentini penderent: ſed ea conditione vt trecentos cataphractos equites aleret, quibus Florentini quoties è Rep. eſſet, vel ſe tueri, vel hoſtes infeſtare poſſent. Rebus ita compoſitis Valentinus Florentinum agrum hoſtiliter populatus Signiam petiit, vbi & duo noua poſtulata edidit, nempe vt in Plumbinenſem oppugnationem tormenta bellica præberent: tum verò vt primi anni quartam ſtipendij partem repræſentarent; alterum quod fœdere non tenebantur, Florentini palam recuſarunt; alterum, quod vi extortis pactionibus ſtare non decreuerant, in aliud tempus diſtulerunt; iam enim de Ludouici Regis erga ſe voluntate certiores facti liberius reſpondebant. Valentinus Plumbinenſem agrum ingreſſus Scarlinum, & quædam alia oppida, quinetiam Iluam, Planaſiámque inſulas cepit, præſidiíſque ibi relictis, quod tormenta deeſſent, Romam reuerſus eſt.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM
LIBER NONVS.

1 LVDOVICVM Regem in Mediolanenſis Ducatus poſſeſſionem ſuperiore libro induximus, is nunc in regnum Neapolitanum, quamquam non eadem fortuna, deducendus eſt, quod Mediolani compos recuperare ſummopere deſiderarat. Intercedebat Maximilianus, & vetere Gallorum odio, & recenti Sforitæ caſu incenſus omnibus illius conatibus obuiam ibat: hunc per Philippum filium aggreſſus Ludouicus, cuius Burgundicæ, Flandricæque prouinciæ ob quotidiana commercia à bello Gallico plurimùm abhorrebant, inducias ſæculi huius poſtremo anno in aliquot menſes impetrauit nulla Federici Neapolitani mentione facta: quamquam ab hoc quadraginta nummûm aureorum millia Maximilianus, & cautionem de quindecim millibus in ſingulos menſeis dependendis, ſi quando neceſſitas vrgeret, vt in agrum Mediolanenſem moueret, & Gallos à bello Neapolitano auerteret, receperat, vnde nullum cum Ludouico, niſi Federico pariter caueret, ſe fœdus initurum promiſerat. Huc Maximilianum natura leuem, atque inconſtantem ſpes magna impulerat, quod Ludouicus, cui nulli liberi mares erant, Claudiam filiam aliquot menſibus natu maiorem (etenim pridie Idus Octobris anno decimiquinti ſæculi nonageſimono in lucem editam Gallorum annales tradunt) Carolo Philippi filio qui mox Germanorum Imperator fuit, ſe deſponſurum, & Ducatum Mediolanenſem, ſi quando adulti matrimonium contraherent, doti dicturum pollicebatur. Igitur Ludouicus de fœdere cum Maximiliano faciendo prope certus cum Ferdinando Hiſpano ſibi conueniendum putauit, veritus, ne Veneti, qui iam Gallis Mediolanenſi ditione auctis inuidebant, atque Alexander Pontifex Hiſpano iuncti res Neapolitanas, vt nuper Carolo rerum potiente, perturbarent; Ferdinandus enim regnum quoque Neapolitanum non obſcuro iure ſibi vendicabat, quod Alphonſus Tarraconenſium Rex tametſi ab Ioanna Neapolitana Regina adoptatus, tamen milite, atque opibus Tarraconenſium id regnum occuparat, cui in Tarraconenſium regno Ioannes frater Ferdinandi Hiſpani pater ſucceſſerat, quamquam idem Alphonſus fratre prætermiſſo Ferdinandum filium nothum Neapolitani ſucceſſorem reliquerat. Hoc ius animo penitus inſitum retinens, ingentem verò eius potiundi cupiditatem aſtutia, ac patientia Hiſpanica mirè contegens Ferdinandus ita diſſimulauit, vt Regibus Neapolitanis gentilibus pariter, atque affinibus de regno ſæpius aduerſus Gallos dimicantibus ſemper auxilio fuerit, Ferdinandis maiori ſororem, minori ſororis filiam in matrimonium collocarit: poſſeſſam Calabriæ bonam partem Conſaluo, copiiſque ſuis reuocatis quaſi regni Neapolitani ſecurus reddiderit: nec tamen ita diſſimulauit, quin Neapolitani Reges gentiles, atque eadem natura præditi, quid ille animo agitaret, intellexerint.

Anno 1501.

Quo titulo Ferdinandus Hiſpanus regnum Neapolitanũ ſibi vendicet.

2 Regnum itaque Neapolitanum eadem ambitione Ludouicus, ac Ferdinandus inuadere cupientes, ille vt omnem obicem amoueret, hic vt eius, quod tam diu ante concupiuerat, portionem aſſequeretur, inter ſe partiti ſunt, Federicus Gallis Regibus acceptum ferre Alexandro Pontifice aſſentiente, atque eo iure cedente obnoxium agnoſcere, in annuam penſionem quinquaginta nummûm aureorum millia dependere, Tarentum, & aliquot vrbeis vti Ferdinando minori Veneti ante ſuaſerant, condonare paratus erat. Qua conditione reiecta Regem potentem arctiſſimis cum Maximiliano affinitatis

Ludouicus Gallorũ Rex nõ debuerat regnũ Neapolitanũ cum Ferdinando Hiſpano partiri.

Digitized by Google

tatis vinculis coniunctum in Italiam (vbi tum ſolus rerum omnium erat arbiter) riualem Ludouicus immittere maluit, vt quotquot à Gallis deficerent, quemadmodum Italorum præſertim Neapolitanorum varia ingenia ſunt, ad Hiſpanum receptum haberent. At Ferdinandus ita vana auxiliorum ſpe propinquum circumſcripſit, ita variis artibus induxit,

Regnãdi cupido quàm potens.

vt priuſquam ille dolum intelligeret, quam ſortitus erat, regni portionem veluti amicus ingreſſus non ſecus atque infeſtiſſimus hoſtis occuparit, & nullum ius tam ſanctum eſſe, quod non regnandi libido violet, faciſè declararit; nihil catholici, hoc eſt, vniuerſi Chriſtianiſmi propugnatoris nuper adeptum cognomen, nihil Mauri non minus grata Deo Opt. Max. pietate, quàm iuſta regni amplificandi cupiditate Bethica expulſi, vnde immortalem ſibi gloriam compararat, impediuerunt, quo minus non ita magnæ ditionis acceſſione æternam intempeſtiuæ ambitionis nomini ſuo labem inureret: quibus ſparſis paſſim rumoribus, qui Gallicas parteis tuebantur, hoc duntaxat reſpondebant, arma Gallica his, quæ proponebantur, rerum difficultatibus facilè ſatisfactura. Ferdinandus, cuius factum maximè damnabatur, & vulgo fama grauiter percellebatur, ſpecioſa magis excuſatione vſus eſt: Federicum nimirum dudum cum Ludouico clam aduerſum ſe quiddam molitum (nonnulli de Sicilia in Gallorum poteſtatem redigenda incerta admodum ſuſpicione interpretati ſunt) cæterum ſe nequiquam hoc nomine in hanc cogitationem inductum eſſe teſtabantur: ſed quod regnum Neapolitanum recuperare, & ius ſuum perſequi conſtituiſſet Ludouicus, ſibi id aut tueri, aut pro derelicto habere neceſſarium fuiſſe: tueri ſine magna totius Italiæ, atque adeo orbis Chriſtiani perturbatione non potuiſſe, Turcis præſertim res Venetas terra, marique imprimis vrgentibus: pro derelicto habere, nec propter vicinam Siciliam, quam non diſſimili ratione Galli quoque ſibi vendicare conantur, nec propter ius quod maior Alphonſus Ioanni fratri vel inuitus reliquerit, aut quod Federico eiúſve poſteris ſine maſcula ſobole decedentibus ad ſe redire poſſit non debuiſſe: mediam elegiſſe viam, vt quod ſuum iure eſſet, id nihilominus ob ſedanda Chriſtianorum inter ſe bella partiretur, non deſperans ob inſolentem Gallorum adminiſtrationem totum ad ſe aliquando peruenturum: quod ſi euenerit, tum non è priuato, ſed è Reipub. Chriſtianæ commodo, cuius ſemper ſtudioſiſſimus fuerit, vel ſibi conſeruaturum, vel Federici liberis reſtituturum: ſe enim prorſus à Federici nomine abhorrere, quem vel antequam Gallus Mediolano potiretur, cum Turcis de ſocietate egiſſe, & rem homine Chriſtiano indignam auſum eſſe conſtaret.

Hinc qualis ea partitio fuerit, quantáque æquitate concepta ſatis intelligere eſt, vtriſque & Gallo, & Hiſpano facilem ad regnum Neapolitanum aditum ſibi duntaxat parantibus, cæterum ſpe totum deuorantibus, nec primis illis pactionibus ſtare cupientibus. Tum inter eos conuenit, vt Ludouico Neapolis cum tota Campania, ac Samnio, quod hodie Aprutium vocant, Ferdinando Appulia Calabriáque cederet; vterque quod ſuum eſſet, bello quæreret, neuter alteri opem ferre, haud impedimento eſſe duntaxat teneretur: quod conueniſſet, palam haud fieret, donec Gallicus exercitus Neapolim profecturus Romam appuliſſet. Ibi vtriuſque Regis legatos à Romano Pontifice, vt eam diuiſionem Chriſtianæ perſuaſionis amplificandæ ergo, bellíque commodius aduerſus Turcas adminiſtrandi initam ratam habeat, poſtulaturos, vt Ferdinandum Appuliæ, Calabriæque ducem, Ludouicum non amplius Siciliæ, quem titulum ſibi antea Neapolitani

Vnde Neapolitani Reges Hieroſolymorum Reges dicti.

Reges ſemper attribuerant, ſed Neapolis; Hieroſolymorúmque Regem agnoſcat, atque in fidem recipiat: quem alterum titulum Neapolitani quoque Reges vſurparunt, ex quo Federicus ſecundus Germanorum Imperator, idem Siciliæ quoque, & Neapolis Rex, ducta vxore Ioannis Bregnani natione Galli Regis Hieroſolymitani filia eum ſibi primus aſciuit: quamquam Ioannes nunquam integro regno, portione duntaxat potitus eſt, Hieroſolymis, ac pleriſque aliis vrbibus à Saracenis occupatis. Eundem titulum & Luſiniani Cypri inſulæ Reges à Gallis quoque oriundi ſibi arrogabant, quod Almericus Luſinianus Iſabellam Balduini quarti Hieroſolymitani Regis ſororem, ac regni eius hæredem vxorem duxiſſet: quamquam hoc ob ignauiam reiecto Chriſtiani proceres eas regiones incolentes Bregnanum, ſiue Brennanum, aut Brennium à Brenna, quæ in Gallia duplex eſt, altera Campaniæ, altera inter Pictones, Turonéſque interiecta, ita cognominatum Hieroſolymorum Regem ſibi delegerunt: tanta viros principes inuoluit, ac

Ludouici copiæ ad regnum Neapolitanũ pergentes.

torquet ambitio, vt ſpecioſis titulis alienas poſſeſſiones, tametſi nullo iure ſæpenumero aucupentur: Rebus ita compoſitis Ludouicus copias ſuas terra, maríque regnum Neapolitanum petere iuſſit: terreſtribus Ludouicus Armeniacus Nemorenſis regulus, atque Aubignius, maritimis Genuæ prætor Philippus Rauaſtenius præerat: illis Gallorum pe-

Digitized by Google

ditum ſex, Heluetiorum quatuor millia, mille cataphracti equites attributi erant. Nonnulli quadringentos dumtaxat, quod vix veriſimile eſt, at peditum viginti millia numerant, quibus non quidem claſſiarios, ſiue ſocios nauales, ſed claſſe vectos milites annumeratos puto: maritimarum, qui fere omnes pedites erant, numerus non traditur. Vtrobique magna more Gallico tormentorum bellicorum copia inerat; in claſſe tres Genuenſes miræ magnitudinis naues eminebant, ſequebantur triremes ſedecim, ac minores naues permultæ plurimo peditatu onuſtæ. Pedeſtrium pars Salſubium, quod caſtrum carum vocant, pars Lunenſi agro Piſas, inde vtrique in Hetruriam profecti vbi ſeſe illis, qui Cæſarem Valentinum ſequuti erant, equites, peditéſque iunxerunt, Romam pacato itinere contenderunt.

4 Per eos fere dies Camillus Corati Comes, ac Rainaldus Barbiniacus Neapolitani exules, qui Caroli Octaui parteis ſequuti erant, iunctúſque his Carolus ſiue Carlonus quidam homo Gallus vir ſtrenuus, Coratum occuparunt, quod à Giſmundi Arragonij morte Federicus quaſi hæres poſſederat: Coratum autem, & quædam alia finitima oppida Alexander emerat, quæ Giſmundo Lucretiæ filiæ viro condonaret, quibus mox ſe Vigilienſes adiunxerunt: aucti copiis Barolitanum, Bituntinúmque agrum populati ingentem prædam reportarunt, Adriámque deditione ceperunt. Acceſſere deinde Venuſia, Spinatula, Lauellum, Ciripiola, & pleraque alia Appuliæ oppida, quod Ludouici Luceburgenſis Lignij, qui alteram Altamurani principis filiam Carolo Neapoli agente vxorem duxerat, cuius ſororem Federicus in matrimonio habebat, ſe legatum Barbiniacus iactaret. Aduerſus hunc belli apparatum Federicus ſtructæ adhuc in ſe Hiſpanicæ proditionis ignatus Conſaluum Hiſpani exercitus in Sicilia præfectum, vt Caietam maturè tranſmitteret, admonebat: ille ad ferendam opem ſe præſto fore ſimulans nonnullas Calabriæ vrbeis, quaſi in receptum, ſi res ita ferret, reuera, vt regni portionem Hiſpano recenti cùm Ludouico pactione conceſſam facilius occuparet, poſtulauit, quibus receptis claſſem iamiam tranſmiſſurus paratam eſſe iuſſit. Ita Federicus, qui ſeptingentos grauis, ſexcentos leuis armaturæ equites, ſex peditum millia tum quos ad Marinum Columnæ coëgerant, tum quos ipſe ſtipendiis inuitarat, iam in caſtra coïtura expectabat, Conſaluo iuncto tametſi deſperatis Turcarum auxiliis ſe Gallis haud inferiorem fore ſperabat. Italos interim principes, liberáſque ciuitates ingens cura ſollicitos angebat, quod expeditionem hanc diuturni belli, magnarúmque calamitatum initium fore iudicabant: neque enim tantas eſſe Gallici exercitus vires, quæ iunctos Federicum, Conſaluúmque facile debellarent, & Reges tam potenteis alternis cladibus, varióque belli euentu irritatos recenteis ſubinde copias ſummiſſuros, maioribúſque viribus certaturos ſibi perſuadebant: Italos autem à bello tam propinquo non immuneis futuros, aliis Gallicas, aliis Hiſpanicas, vt varia hominum ingenia ſunt, parteis ſequuturis. Verum vbi Romam Gallicæ copiæ appulerunt, longè alia vtriuſque Regis ſenſa, conſiliáque eſſe intellexerunt: ſed ea tamen, quæ quamuis aliud initio præ ſe ferrent, iniectam nihilominus coniecturam non omnino fallerent, quod tantos Reges limitibus non ſatis certis finitimos, in mutuum bellum accenſum iri veriſimile eſſet; id & rei exitus poſtremò comprobauit.

Coiectura de duobus Regibus Gallo & Hiſpano.

5 Gallus itaque tum, Hiſpanúſque legati frequentem Cardinalium cœtum ingreſſi (conſiſtorium illi vocant) ſupra commemoratam regni Neapolitani partitionem exponentes, vt ſecundum eam, quam ſacri belli commodius adminiſtrandi ergo initam obtendebant, vterque Rex in Romani Pontificis fidem reciperetur, poſtularunt, ac facilè impetrarunt. Is nuncius ad Federicum perlatus ſuſceptas belli ducendi rationes mirandum in modum, conſiliáque perturbauit, vnde is relicto Germani Fano ad Capuam retroceſſit. Conſaluus Gallis Roma egreſſis nihil amplius tergiuerſandum ratus ſex triremes, quæ vtramque Reginam Ferdinandi ſui Regis ſororem, ſororiſque filiam deueherent, Neapolim miſit: retinendas triremes, Regináſque cenſebat Proſper Columna, & pro conſeruando regno coactis omnibus copiis quadam veluti deſperatione decertandum: rebus acciſis, vbi animus non deeſt, fortunam aliquando propitiam eſſe. Federicus tamen Reginis abire permiſſis Neapoli Proſperum Columnam, Capuæ Fabricium cum trecentis cataphractis, aliquot leuis armaturæ equitibus; tribus peditum millibus præfecit, ipſe cum reliquo exercitu intermedius Auerſæ conſtitit. Nemorenſis regulus Regius legatus, atque Aubignius Roma profecti Marinum, Cauium, ac cæteras Columnarum arceis, oppidáque obuia incenderunt, vel ob priſtinam à Carolo defectionem, vel ob recentem Fabritij crudelitatem toti familiæ infenſi, quod procerum Neapolitanorum legatos Romam nuper ad ſe miſſos trucidandos curarat. Alia ex parte Alexander Pontifex Ludouico

Rege

Rege aſſentiente quicquid Columnæ in ſua ditione poſſidebant, ſibi commiſſum cauſatus inuadebat. Inde montem Fortinum (vt vulgo Itali appellant) Iulium Columnam oppugnationem toleraturum rati Nemorenſis, atque Aubignius continuato itinere petierunt: verùm is animo fractus, ac militaris decoris immemor maturè abſceſſerat. Tum verò omnia ad Capuam vſque, Vulturnúmque oppida, atque arces in Gallorum poteſtatem conceſſerunt: at, quod vado Vulturnus ad Capuam tranſmitti non poſſet, partem exercitus ibi Nemorenſis retinuit, partem ad fontem, montémque vnde fluuius oritur flectere iter coactus Aubignius aliquot ſupra Capuam milliaribus traiecit; atque ita vrbem ab vtraque regione circumſederunt: Federicus Auerſa relicta Neapolim ſe recepit, Auerſa, Nolaque ad Gallos, ac vicina oppida defecerunt. Bipartitus igitur Gallicus exercitus omnis in vnam Capuam incubuit, vrbiſque muros vtrimque tormentis acriter verberauit: vbi viam ſtrati muri ſatis commodam feciſſe viſi ſunt, oppugnatio indicta, concurſum eſt magnis vtrimque viribus, & pari propemodum pertinacia pugnatum: repulſi tandem magna accepta, nec multo minore illata clade Galli, parúmque abfuit, quin vrbe potirentur. Id hoſtium duces admodum perterruit, & ad fœdus ineundum perpulit: accedebat quod ciuium bona pars, ruſticorúmque, quorum ingens multitudo ex omni agro finitimo in vrbem conuenerat, primum in circulis, mox turbis frequentioribus coëundo Gallorum indignationem nimia obſtinatione haud prouocandam eſſe clamabant: primæ oppugnationi vix reſiſti potuiſſe, nulla à Federico, qui Auerſa hoſtibus expoſita ſe Neapolim ſubduxerit, maritimámque fugam, vt antea Ferdinandus ſpectet, nulla aliunde auxilia ſperari. Quibus igitur viribus fretos patriam in certam perniciem obiicere, & cariſſima omnia in deſertoris Regis gratiam abiicere maturent? ſibi nimirum, liberiſque ſuis, ac coniugibus parcendum, & quandoquidem Gallicæ fortitudinis periculo facto ſe viribus impares agnouerint, Regíque, quantum in ſe fuit, ſatisfecerint, cum hoſte æquis conditionibus, dum res adhuc in integro eſt, paciſcendum.

Hæc in vrbe paſſim vario ſermone iactabantur, quum Fabritius Columna octauo ob- 6
Capua à Gallis capta & direpta. ſidionis die, vt cum Calatino, qui in caſtris Gallicis militabat, de deditionis conditionibus conferre liceret, poſtulauit; quicum dum diutius ex vrbis propugnaculo colloqueretur obſeſsiſque in fœdus intenti negligentius (vt fit quum de propoſitis capitibus prope conuenit) cuſtodias agerent, Galli prædæ auidi id animaduertentes in murorum ruinas repente inſilierunt, vrbémque peruadentes, ac cæſorum prima oppugnatione ſociorum memores rapinis, cædibus, ſtupris, vt in expugnatis vrbibus vſuuenit, omnia fœdarunt: inter tumultum, cædéſque virgines aliquot, ac matronæ nobiles in turrim quandam euaſerant, ac primum victorum ardorem, crudelitatémque vitarant. Sed poſtea captæ ſunt. Captiui Fabritius Columna regni Neapolitani equitum magiſter, Hugo Cardonius, aliíque præcipui duces ſe multo auro liberarunt. Saucium iam priore oppugnatione Ranutium Martianum Vitellocius indignam Pauli fratris mortem vlturus veneno vulneri indito ſuſtuliſſe fertur: gregariorum militum pariter, ac ciuium ingens facta cædes fuit. Capuæ captæ Caieta acceſſit, & ſe ſponte dedidit: vbi Auerſam Galli appulerunt, in nouam arcem ſe Federicus recepit, Neapolitani ſexaginta nummûm aureorum millibus mulctati in Galli Regis fidem tranſierunt. Paucis poſt diebus fœdus inter Ludouicum, & Federicum Nemorenſi, atque Aubignio procurantibus in has conditiones initum fuit, nempe vt Federicus oppida omna, arceíſque in regionibus recenti regni Neapolitani partitione Ludouico attributis ſitas intra ſextum diem dederet, Ænariam dumtaxat inſulam in ſextum menſem retineret; interim, quò vellet, præterquam in regnum Neapolitanum, proficiſceretur, centum cataphractos equites Tarentum mitteret. E duabus Neapolitanis arcibus quicquid vellet, præter tormenta bellica à Carolo octauo relicta educeret, atque exportaret; omnibus omnes noxæ, exquo regni Neapolitani compos Carolus fuiſſet, condonarentur: Sacerdotiis quæ in regno Neapolitano poſſidebant Columna, atque Arragonius Cardinales fruerentur: his ſi conditionibus ſtaret Federicus, Ludouici liberalitatem experturum Nemorenſis, Aubigniúſque promiſerunt. Federicus de indigna Ferdinandi Hiſpani gentilis, atque affinis proditione multa queſtus ſuis in arce relictis Ænaria ſoluit, & quinque triremibus ad Ludouicum in Galliam nauigauit.

Arragoniæ familiæ calamitates. Hic Arragoniæ familiæ calamitates pariter, & humanæ conditionis incertitudinem, 7
inconſtantiámque contemplari in promptu erat: Rex nobili regno exutus, nec de ſuo, in quo pedem poneret, habebat, ad alienas opes confugere cogebatur: nec tam ſuam, quàm pupillorum liberorum, quos plures habebat, vicem querebatur, quam mox conditionem

Digitized by Google

ditionem ſubituri eſſent, incertus: præſertim quod natu maximus, ſed adhuc impubes, Tarenti, quæ ſola vrbs de tanto regno ſupererat, omnis externæ opis inops iamiam obſidionem præſtolabatur; cæteri in arce cum Beatrice amita relinquebantur, quæ Matthiæ fortiſſimi Pannoniæ Regis vxor poſt eius mortem à Lanceloto Boemiæ Rege, vt Pannoniæ regnum ad eundem transferret, matrimonij promiſſione inuitata; quum id bona fide præſtitiſſet, ab ingrato, & regni iam compote repudiata in perpetuo deinde luctu conſederat: Comes erat luctus Iſabella Alphonſi Neapolitani filia Ioannis Galeatij Mediolanenſis quondam reguli vxor, viro, Ducatu, filio vnico priuata, vt ad tantas miſerias nihil addi poſſe videretur. Federici conſilium nonnulli reprehendunt, qui ſi ſui iuris, & nulli obnoxius alicubi conſtitiſſet, in tantis Galli, Hiſpaníque de regno Neapolitano diſſidiis, belliſque à ſuis reuocari potuiſſet: ſed pecunia exhauſtus etiam ſi à ſuis reuocatus fuiſſet, id ſperare vix potuit, tantis Regibus tanta contentione bellum identidem inſtaurantibus, & conditiones à Ludouico Regia familia dignas accepit, Andegauenſi Ducatu, & penſione annua, quæ triginta nummûm aureorum millia, aut etiam amplius conficeret, donatus. In Gallico exercitu erat Gilberti Borbonij Mompenſerij reguli adoleſcens filius; is ad inuiſendum patris ſepulchrum Puteolos conceſſit; in quod incumbens raro pietatis exemplo vi mœroris ſpiritus vitæ authores comprimentis expirauit. *Mœroris vis & effectus.* Ex Appulia interim in Calabriam Conſaluus Hiſpani Dux exercitus tranſierat, & quamquam Calabri Gallis potius, quàm Hiſpanis parere cupiebant, tamen nemine opem ferente in Conſalui ditionem ſponte conceſſerunt: reſtitere duntaxat Manfredonia, ac Tarentum, imperiúmque detrectarunt, illa obſeſſa non multo poſt capta eſt. Tarentum inexpugnabile moram facturum videbatur, circa id Conſaluus caſtrametatus non tam vi, quam cogente fame, longáque obſidione ſe potiturum vrbe ſperabat: ſpem (vt ſæpe fit) in bellis ſuperauit fortuna, aut potius obſeſſorum de auxiliis accipiendis deſperantium non ſatis conſtans fides: Comes enim Potentianus, cui Alphonſi filij curam Federicus demandarat, ac Leonardus Neapolitanus eques Rhodius Tarenti præfectus vrbem tandem in hoſtium poteſtatem commeatus penuria venturam prouidentes (nihil enim opis à Federico ſperare poterant) maturè, & quidem nimis properè de deditione agendum putarunt, ac niſi intra quartum menſem auxilio iuuarentur, vrbem, arcémque ſe dedituros ſpoponderunt; quod ſi aliquantulum diſtuliſſent, Tarentum, Alphonſúmque filium *Tarentũ Conſaluo deditum.* Federico conſeruaſſent: quæ enim de finibus inter Gallos, Hiſpanóſque contentiones mox obortæ ſunt, Conſaluum inde migrare, atque obſidionem ſoluere coëgiſſent. In primis autem exceperunt, vt Tarento dedito Alphonſus, quo vellet, liberè proficiſceretur: (is, vt in Galliam ad patrem accederet, arcanum mandatum acceperat) idque ſacroſancto iureiurando manibus ad tremenda myſteria, ſacrámque Euchariſtiam (vt Chriſtiani vſurpata Græca dictione loquimur) admotis Conſaluus promiſerat: ſed nullam datam fidem, nullam religionem regnandi cœca libido reueretur.

8 Conſaluus itaque magni intereſſe reputans, vt regni Neapolitani legitimus hæres in ſui Regis poteſtatem veniret, neglecto, violatóque iureiurando Alphonſum quaſi captiuum ſub arcta cuſtodia in Hiſpaniam miſit, vbi Regio prope cultu Ferdinando ſe à regno illi reſtituendo non alienum eſſe ſimulante initio educatus eſt. Interim Alexander Pontifex Columnarum, Sabellorúmque arceis, atque oppida vrbi vicina inuaſit, bonáque eorum partem Vrſinis condonauit, ac nouis copiis conſcriptis Vitellocio, quem Capua reuocauerat, ac Ioanne Baleone ducibus Plumbinum tentare inſtituit. Horum certior factus Iacobus Appianus præſidio vrbi, arcíque relicto in Galliam nauigauit, ac quod in fidem à Ludouico receptus eſſet, auxilium petiit. Dum res ob recenteis cum Alexandro pactiones differtur, Pandolpho Petrucio Senenſi procurante vrbs primum, paucíſque poſt diebus arx Valentino abſenti (cuius vicem Vitellocius, Baleóque obibant) & Neapoli cum Gallico exercitu agenti dedita eſt. Formidabilis tum erat toti pœne Italiæ Valentinus Regis Galli potentia fretus: idcirco Ferrarienſem ditionem antiquam Ro. Pontificatus poſſeſſionem Hercules in tuto collocandam putauit. At Ludouicus non *Cur Ludouicus cũ Maximiliano pacem inire tãtopere ambiat.* minus de re Mediolanenſi, quàm de Neapolitana ſollicitus pacem ſumma ope cum Maximiliano inire cupiebat, vt in fidem Mediolanenſis Ducatus nomine reciperetur, & ſe magnis ſumptibus vulgatíſque belli ab eodem imminentis ſuſpicionibus liberaret: tum etiam vt Venetos iam pactas cum illo ipſo inducias clam interrumpere conatos, & eius felicitati non obſcurè inuidenteis malè mulctaret. Eodem Regem alioqui ſatis procliuem Mediolanenſium preces, adhortationéſque impellebant, qui Cremonam, atque Abduanam glaream in Venetorum ius tranſiiſſe ægerrimè ferebant: Brixiam, Bergomum,

Cremam

Digitized by Google

Cremam eadem Venetorum ambitione Philippo Mariæ Mediolanenſi regulo ablatas querebantur; nec minorem Venetos quàm Gallos portionem agri Mediolanenſis poſſidere, Regem vno Ducis nomine ſuperiorem eſſe addebant: ea Georgij Ambaſiani Cardinalis Ludouico intimi Mediolanum mittendi princeps cauſa fuit. Is pleroſque menſes in id ſedulò incubuerat, nec quicquam propter varium, incertúmque Maximiliani ingenium profecerat. Tridenti cum ipſo Maximiliano tandem colloquutus ſtabilem quidem, firmámque pacem inire haud potuit, inducias duntaxat in aliquot alios menſeis protulit, & de magnis interim pleriſque rebus cum eodem communicauit: de contrahendo Caroli Maximiliani nepotis cum Claudia Ludouici filia matrimonio, de Ducatu Mediolanenſi vtrique Imperatoria authoritate confirmando, de bello Venetis inferendo, repetendíſque, quas illi inuaſerant, familiæ Auſtriacæ, ac Ducatus Mediolanenſis vrbibus: de Concilio totius Chriſtianiſmi indicendo, inſtaurandíſque Sacerdotum moribus; & ea quidem lege, vt publica cenſura à ſummis ad infimos gradus deueniat, vniuerſique in ordinem redigantur. Id in eam formam facilè aſſentiebatur Maximilianus Ambaſianum ad ſummum Pontificatum aſpirare haud neſcius.

Huc Ambaſianum virum certè probum non tam priuata fortaſſe ambitio, quàm aſſiduæ Ludouici Regis adhortationes adigebant, qui ſibi non ſolùm Ducatum Mediolanenſem, ſed & regnum Neapolitanum illo Pontifice confirmatum iri prouidebat, & magna tum ſeſe offerebat occaſio. Viciſſim aſſentiebatur Ludouicus, vt iam inita cum quibuſuis, móxque ineunda fœdera, ſocietatéſque hac lege cenſerentur, ne quid de Imperatoris Germanici iure decederet. Illud ſupererat quod Ludouici liberos mares ſi quos in poſterum haberet, Maximilianus ad ſacramentum Ducatus Mediolanenſis nomine præſtandum ſe recepturum pernegabat, & Mediolanenſes exules reſtitui, ac domum reuerti enixè poſtulabat, quod Ludouicus de nonnullis aſſentiebatur, de cæteris prorſus recuſabat: Aſcanium quidem Cardinalem liberum abire patiebatur, de Ludouico Sfortia ſpem addebat, modò è Gallia pedem ne moueret, cui in penſionem annuam viginti nummûm aureorum millia dependerentur. De poſtremis hiſce capitibus quandoquidem conuenire planè haud potuerant,& tamen vt mox conuenirent,prope erat, induciarum tempus auctum. Ambaſianus cum bona ſpe dimiſſus in Galliam rediit. Inducias vt magis confirmaret Philippus Auſtriacus in Hiſpaniam cum Ioanna vxore proficiſcens per Galliam iter inſtituit,ac Lutetiam ſexto Kalend. Decembris appulit; appropinquanti viri nobiles, Pariſienſéſque magiſtratus obuiam ierunt, & Regio apparatu in vrbem intromiſſum acceperunt. Quinetiam & in Senatum tanquam Flandriæ Comes, ac Galliarum patritius admiſſus, aliquot ibi dies commoratus, inde Blæſias, vbi tum Rex, & Regina agebant, multum deſideratus acceſſit: vbi maiore magnificentia, ſingularíque omnium lætitia vnà cum vxore exceptus eadem fere, quæ cum Maximiliano patre Ambaſianus pertractarat, de pace mox ineunda, de matrimonio, cuius ſupra mentionem fecimus, inter liberos contrahendo, de commerciis inter Gallos, Flandróſque habendis, multíſque aliis de rebus cum Rege communicauit: deinde cœptum in Hiſpaniam iter proſequutus eſt. Paulò ante quàm Ambaſianus Tridentum proficiſceretur, cum Florentinis de renouanda ſocietate egerat, & quod conuenire non potuiſſent, Petraſanctam, Mutroniúmque Lucenſibus attribuerat acceptis prius viginti quatuor nummûm aureorum millibus, quot Lucenſes olim antiqui Petraſanctæ poſſeſſores eadem Genuenſibus oppignerarant, ſuſcepto deinde cum Genuenſibus bello Florentini inuaſerant. Eadem de cauſa Florentinis ſubiratus de Petro Medice Florentiam reducendo cum Senenſibus, Lucenſibus, & Piſanis egit: quæ res nec ad exitum perducta eſt, vel quod metum Florentinis duntaxat incutere volebat; vel, quod eam quam à Petro Medice depoſcebat pecuniam, non acceperat. Nullum interim inter Florentinos, Piſanóſque bellum erat, quod Florentini à Ludouico Rege ſeiuncti, ab Alexandro, Valentinóque ſibi plurimum timebant, & ſua conſeruare potius, quàm aliena inuadere malebant. Et Piſani ſuis viribus ſolùm freti res nouas moliri non audebant, alienis niſi pro conſeruando Reip. ſuæ ſtatu non vtebantur, neque vti poterant: rem enim Piſanam plerique permanere in ſuo ſtatu volebant,augeri neque Veneti,neque vlli finitimi volebant.

Ludouico Sfortiæ penſio annua in Galliis qua cõditione aſſignata.

Anno 1502. Ambaſiano Cardinale in Galliam reuerſo Maximilianus alterius huius ſæculi anni initio noua conſilia ſequutus, vt omnia ſemper miſcere ſolitus erat,Hermem Sfortiam vxoris fratrem ad Alexandrum Pontificem, cæteróſque Italiæ principes, ac liberas ciuitates miſit; vt ſibi Italiam petituro, & Imperatoriam coronam ſuſcepturo adeſſent, atque interim Ludouico Regi ſe, ne filias quidem eius ad ſacramentum Mediolanenſis Ducatus nomine

nomine exhibendum admiſſurum denuntiauit. Hermes Romam proficiſcens cum Florentinis, vt centum cataphractos equites triginta nummûm aureorum millia ingreſſo Italiam Maximiliano ſuppeditarent, egerat: at illi paulò poſt cum Ludouico in has conditiones conuenerunt: nimirum vt Florentinos Ludouicus ſuis ſumptibus in triennium aduerſus quoſuis tueretur, qui eorum poſſeſſiones, quibus tum fruebantur, interturbarent, atque interuerterent, Ludouicus centum & viginti nummûm aureorum millia, quadraginta quotannis à Florentinis acciperet, nouo hoc fœdere priora irrita iacerent, Florentinis Piſas bello petere, atque à cæteris ſua repetere liceret. Florentini inde animis aucti, & nihil iam ab Alexandro, Valentinóque metuentes de renouando Piſano bello cogitarunt; & nouam, ſed prius tamen in deliberatione poſitam, ſpretámque, tum autem magiſtra rerum experientia comprobatam eius adminiſtrandi rationem inierunt, omneis ſcilicet totius agri Piſani ſegetes, commeatúmque vel exportare, vel corrumpere ſtatuerunt, vt extrema fame victa vrbs ad officium rediret. Quod conſilium quidam ciuis Piſanus belli initio in medium protulerat: ſic enim & minore impenſa, & tutiore via Florentinos Piſis tandem potituros; vrbis amplæ muris firmiſſimus propugnatoribúſque & plurimis & fortiſſimis adeo munitæ expugnationem perdifficilem fore; ac ſi quando in id diſcrimen incidat, permultos qui libertatem, atque hunc ipſum eius ſtatum conſeruatum velint, in tempore non defuturos, opémque laturos, ita impenſas ingenteis, ſpem potiundi perexiguam futuram: atqui ſi maiora auxilia ad liberandas Piſas conuenient, ne ancipiti prælio, & Florentinis fortaſſe aduerſo bellum profligetur, verendum. Id conſilium quaſi lentum, & longa mora inutile tum repudiatum, temporis decurſu commodius viſum eſt. Vaſtato igitur agro, ſegetibúſque corruptis Vicopiſanum Florentini circumſederunt, quod paulò ante præſidiariorum quorumdam militum proditione Piſani interceperant: arcem præfectus animo conſternatus, non expectato, quod intra paucas horas accepturus erat, auxilio dediderat; quod commeatus in quindecim dies oppido non ineſſet, id ſe recepturos Florentini confidebant: ne importaretur erectis in montibus propugnaculis, viiſque omnibus obſeſſis prouiderant: Fracaſſium cum paucis equitibus nomine Maximiliani è Mantuano agro Piſas contendentem interceperant.

Florentinorũ de exportandis aut corrumpendis Piſanorum ſegetibus commeatuque propoſitum.

11 Interim inter Gallos, Hiſpanóſque de ſuæ ditionis finibus acre bellum exortum; Ludouico quidem Campania ac Samnium, quod Aprutium vocant, Ferdinando Appulia, Calabriáque ceſſerant, ſed finibus non ſatis explicatis. In quatuor haſce regiones Neapolitanum regnum diuiſum olim fuit: in ſex Alphonſus maior partitus eſt, tributi commodiùs exigendi rationem ſequutus: in Campaniam, quam vulgò terram laboris, Plinius Laborinum campum vocat, Aprutium, Appuliam, Baſilicatam, Calabriam principatum: Appuliam rurſus in treis ſeparauit Hydruntinam, Barenſem, Capitanatam, quæ regio à Catapano Græci Imperatoris tum ea regione potientis præfecto litteris tranſpoſitis ita denominata eſt, & quicquid inter Frentonem quem Fortorium, Aufidúmque, quem hodie Lofantum vocant, fluuios intercedit, complectitur. Veterem diuiſionem Galli, Hiſpani recentiorem ſequi volebant: Capitanatam Galli aut nullius antiquarum quatuor regionum partem eſſe, aut Aprutij potius, quàm Appuliæ partem eſſe confirmabant; nullo enim ab Aprutio inſigni limite, ab Appulia Aufido celebri fluuio ſeparari: ſuperiore anno paſtionis vectigal ex æquo Galli, Hiſpaníque inter ſe diuiſerant, atqui ſi Appuliæ pars ſit Capitanata, nihil ex eo vectigali ad Gallos redire. Contra Hiſpani Aprutium montibus definiri aiebant, ad planitiem ſubiectam protendi negabant, in prouinciarum diuiſionibus recentiorem vſum obſeruari, veterem pro exoleto haberi: hinc ſcripturæ vectigal, quod priore anno ex æquo diuiſerant, poſteriore præripere inuicem cupientes vtrique, prout cuique commodũ fuit, inuaſerunt. Creuit & aliunde diſſenſio, Hiſpani Baſilicatam Calabria, quæ in ſuperiorem, inferiorémque diuiditur, contineri, & Beneuentanam vallem Appuliæ partem eſſe contendebant: hoc quidem falsò prorſus, ſiquidem Beneuentum Blondus hiſtoricus, aliique longè ante nõ Appuliæ, ſed Aprutio attribui litteris mandarunt: Baſilicata autẽ, quæ regio montana eſt, hinc Aprutij, inde Appuliæ pars erat: vt regni partitio ab Alphonſo maiore inſtituta huic contentioni anſam præbuiſſe videatur: hinc Tripaldã Hiſpani, qui ius dicerent, miſerunt: at Tripalda ab Auelino Aprutij oppido, vt idem Blondus teſtatur, duobus duntaxat milliaribus diſtat. Has contentiones ſibi moleſtiſſimas (graue enim bellum imminere inde prouidebant) vt ſedarent Neapolitani proceres, Ludouicum Armeniacum Nemorenſem regulum Galli Regis, Conſaluum Ernandem Hiſpani legatos ad colloquium hortati ſunt: Melphim Armeniacus, Atellam Cõſaluus acceſſit, vbi quum mẽſeis aliquot exegiſſent, nec interim tamen cõuenire potuiſſent niſi Capitanata Hiſpani

Quodnam fuerit Neapolitani belli inter Gallos Hiſpanóſque tam atrocis initium.

Digitized by Google

cederent, bellum Armeniacus indixit, & ſtatim, hoc eſt, decimotertio Kal. Iulias altero huius ſæculi anno ſuos Tripaldam vſque procurſare iuſſit.

Hoc belli Neapolitani inter Ludouicum, Ferdinandúmque Hiſpanum initium fuit, & quòd Ferdinandus Capitanata haud cedere conſtituiſſet, id non extinguere, ſed magis accendere Ludouicus deſtinauit: Salernitanum, ac Biſinianum principes, & nonnullos alios primarios Neapolitanos proceres in ſuas parteis pertraxit, ſtipendióque affecit, bis mille Heluetios ſubſidio ſuis miſit, Lugdunum properauit; in Italiam, ſi res ita poſceret, tranſiturus. Nouam tranſeundi occaſionem bellum Hetruſcum dedit, Vitellocio, Vrſinis, Ioanne Paulo Baleone, Pandolpho Petrucio Florentiam Petrum Medicem reducere conantibus: nonnulli ex Aretinis res nouas moliebantur, & cum Petro Medice, Vitellocióque de vrbe in libertatem aſſerenda conuenerant. Aretio præerat Florentinorum nomine Gulielmus Paccius: is paucos huiuſce coniurationis eſſe conſcios ratus, præſidium quod intra aliquot horas cogere potuit, accerſendum non putauit, duos è coniuratis in carcerém coniecit, cæteri populum erga Florentinos iam malè animatum ad libertatem vocantes in Paccium irruunt; ipſúmque, ac reliquos Florentinorum magiſtratus in cuſtodiam tradunt, duos illos coniurationis reos in carcerem coniectos liberant; inter tumultum Aretinus Pontifex Paccij filius in arcem cum paucis euadit. Aretini Vitellocium tempus, de quo cum ipſis conuenerat, non expectatum quærentem accerſunt: nondum enim, vt Florentinorum copiis, quæ Vicopiſanum circumſedebant, reſiſteret, ſi forte Aretium profectæ ex arce in vrbem impetum feciſſent, vt veriſimile erat, ſatis prouiderat: is tamen cum equitatu, peditatúque quem tum fortè habebat, Aretium aduolauit; nonnullos milites Ioannes Paulus Baleo miſit, pecuniam in ſtipendium Pandolfus Petrucius ſuppeditauit, vrbem primum aduerſus arcem muniendam Vitellocius curauit; Tifernum deinde ad maiores copias cõtrahendas rediit. Florentini inter ſe non conſentiebant, viri prudentes reuocandas, quæ Vicopiſanum circumſedebant, copias, & ſtatim Aretium mittendas ſuadebant: magiſtratus rerum gerendarum ignari Aretinum tumultum ab iis de induſtria augeri inclamabãt, qui præſentis Reip. ſtatus pertæſi Vicopiſanum expugnari, Piſaſque eo anno recipi nolint, cogendos è vicinia milites Aretium ex arce inuaſuros. His altercationibus dum tempus teritur, nec in tempore ſubſidium mittitur, Vitellocius & viribus, & animo auctus Aretium reuerſus eſt, quem mox Ioannes Paulus Baleo, cum aliis cohortibus, Fabius Pauli Vrſini filius, Petrus Medices, ac Ioannes Cardinalis eius frater ſequuti ſunt, acceptíſque à Senenſibus tormẽtis bellicis, pilis, ac tormẽtario puluere arcem oppugnare aggreſſi, partem, quæ extra vrbem eminet, ne ſubſidium immitteretur, foſſa, vallóque ſepſerunt. In arce nec commeatus, vt quum nullum periculum imminere videtur, vſuuenit, nec quæ ad tolerandas obſidiones neceſſaria ſunt, ſuppetebant. Itaque qui illi præerant, Herculem Bentiuolum cum Florentino milite Quaratam propinquum Aretio vicum appulſum non vltra progredi audere certiores facti, rerúmque omnium inopia coacti decimoquarto defectionis die ſeſe, atque arcem dediderunt, Pontifex, atque octo primores, vt cum captiuis Aretinis ciuibus permutarentur, retenti. Arcem à fundamentis Aretini euerterunt: Hercules Bentiuolus iam viribus inferior in agrum Florentinum ſe recepit. Aretinorum defectionem Alexandri Pontificis, Valentinique clandeſtinis artibus (vt vulgo ferebatur) ſuſcitatã nonnulli inficiabantur, quod Vrſinos opprimere, quamquã id egregiè diſſimulantes, in animo habebant, quibus Petrum Medicem affinitate, atque amicitia coniunctiſſimũ ſciebant. At Florentini non tam Vrſinos, aut Petrũ Medicem, quàm Alexandrum, Valentinúmque metuebãt, qui Vitellocium, bellique huius ſocios ſtipẽdiis ſuis affectos victoriam perſequi facile permittebant. Itaque tantis viribus ſe reſiſtendo non eſſe animaduertentes Florentini ad Ludouicũ Regem confugerunt, vt recentis fœderis memor, quo nuper eoſdẽ in fidem receperat, & Alexandrũ ac Valentinũ iam Flaminiæ regulum deſignatũ Hetruriæ, atque adeo totius Italiæ imperium ambire, aut certè iam ad Hiſpanũ Ferdinandum Hiſpanos ſpectare, eiúſque affinem Maximilianum ſibi conciliare agnoſcens non ſolùm ſociis, ſed & Italicis ſuis ditionibus maturè prouideret: tentari primùm Regis ſocios vt mox in illum ipſum bellum transferatur.

Ludouicus ad bellum Neapolitanum in dies ſingulos magis accenditur.

Aretinorum defectio cuinam adſcribenda.

Eadem Caroli Ambaſiani, qui Mediolanenſibus præerat, litteræ ad Ludouicum miſſæ admonebant: vnde Rex iam Alexandri, Valentinique inſolentia irritatus, & de regno Neapolitano, ac Mediolanenſi ditione conſeruanda ſollicitus, nam & ſe hoſtem Ferdinandus declararat, & pactæ cum Maximiliano induciæ nuper interruptæ erant, quinetiam Venetos meritò ſuſpectos habebat, Ambaſiano ſcripſit, vt quadringentos cataphractos equites Florentinis auxiliares mitteret: Normanum heraldum Valentino, Vitellocio, Vrſinis, Balcono vt à Florentino agro abſtinerent, atque inde migrarent, imperare iuſſit; Alexandri legato, ac Iuliano Medici apud ſe agentibus magnopere interminatus eſt. 13

Interea

Interea Valentinus cum exercitu Roma egreſſus, atque in Camerteis proficiſci ſimulans, quò iam Franciſcum Vrſinum Grauinenſem regulum Liberotúmque Firmanum cum parte copiarum præmiſerat, vt vaſtato agro Camerinum circumſederent, ad Peruſiam conſtitit: atque à Guido Feltrio Vrbini regulo tormenta bellica in Camertenſem expeditionem poſtulauit: ille quod nuper de vectigali, quod Pontifici Ro. dependere ſolitus erat, conueniſſet, nihil ſibi timens liberè conceſſit. At Valentinus Nuceria profectus tanta celeritate Callium properauit, vt ne militi quidem ad cibum capiendum tempus vllum dederit, & nuncios ſui aduentus anteuertens vrbem repentinus occuparit, vixque Vrbinas, ac Franciſcus Maria Rouereus ſororis filius Romæ præfectus elapſus ſit.

Callio capto Valentinus præter Fanum Leonis, ac Mauiolam arceis totius Vrbinatis agri ditione paucis horis potitus eſt, magna Pandolfi Petrucij Vitellocij, Vrſinorum ſibi idem timentium conſternatione, quem iam erga ſe nō bene animatum ſuſpicabantur. Vrbini aliquot dies commoratus, qui res ſuccederent, tacitus conſiderabat; & an in Florentinos, an in Camertes moueret, incertus erat; in Florētinos mouiſſet, niſi Regis mandata obſtitiſſent, quem iamiam Italiam petiturum rumor erat: interim ipſe, atque adeo Alexander cum Florentinis, vt in certas conditiones ſibi adiungerentur, enixè agebāt, & plerique milites è Valentini exercitu illo non inſcio ad Vitellocium commeabant. Vitellocius autem octingentis equitibus tribus peditum millibus in vnum coactis præter Aretinum agrum Cortonam etiam, & pleraque vicina oppida inuaſerat. Quod ſi repente in Cluſentinum irrupiſſet, haud dubium, quin ad Florentiæ muros, ſi ita viſum fuiſſet, acceſſiſſet: Florentini enim milites tam multis vrbibus, oppidíſque captis ſe ad ſuos diſſipati receperant, & Galli equites adhuc in itinere erant: ſed Fanum Sepulchri Tiferno propinquum magnum victoriæ ſuæ præmium deſtinans, & ne eius oppidi potiūdi cupiditate diſtineri videretur, tot à tergo hoſtilia oppida relinqui haud tutum eſſe obtendens, Anguiariam contendit quæ ſola tormentorum conſpectum præſtolata, quum impetum tolerare non poſſet, hoſtis ſe arbitrio permiſit: inde Fano Sepulchri dedito in Cluſentinum iter inſtituit, & Puppienſes de oppido dedendo compellauit: ſed iam Galli equites Imbaldo Fontrallio Hiraque ductoribus Florentinum agrum ingrediebantur, & peditibus vndique accitis Florentini inter Monteuargum, Laterinámque caſtra poſuerunt. Vitellocius ne viribus inferior prælio decernere, aut ſe turpi fuga ſubducere cogeretur, maturè inde diſceſſit, nec procul ab Aretij muris ſubſtitit; Gallis, Florentiníſque ad Quaratam progreſſis Aretium cum ſuis ingreſſus eſt: quamquam autem ſæpius pro ea vrbe ſe fortiter propugnaturum iactitarat, tamen noua res nouam atque adeo aliam illi mentem iniecerat: Vitellocium, Vrſinos, Baleonum, Petrucium Valentini perfidia pariter, & Vrbinatis ſpoliati miſeranda conditio perculerat, atque eadem ſibi timere cogebat, & Peruſiam Baleonus repetiuerat.

Callii à Valentino qua celeritate captum.

14 Acceſſit grauius exemplum, cum Iulio Camertium regulo Valentinus de pacis conditionibus agere ſimulās vrbem intercepit, Iuliúmque, ac liberos barbara immanitate ſtrangulandos curauit: ſed quod Vitellocium magis perterrefecit, iam Rex Ludouicus Aſtam appulerat, Ludouicúmque Trimullium cum ducētis cataphractis equitibus aliquot peditum cohortibus multiſque tormentis bellicis ad recipiendum Aretiū, cæteráſque Florentinorum vrbeis, & exturbandū Flaminia Valētinum miſerat: Trimullius Parmæ tria Heluetiorum millia Florentinorum impēſis militatura operiens conſederat, Rex autem omneis quotquot aut Valentini potentiam extimeſcebant, aut magno ſuo malo experti erant, admonebat non amplius ſe per legatos rem geſturum, ſed ſeipſum ad exterminandam Valentini tyrannidem Turcica immaniorem profecturum, & dignū de ſceleratiſſimo latrone ſupplicium ſumpturum: Pandolfo etiam Petrucio grauiter comminabatur, qui magnam pecuniæ vim Ludouico Sfortiæ ad recuperandum Mediolanū ſuppeditarat ſemper Maximiliani parteis ſequutus. Valentinus ſe tantæ belli moli tolerandæ haud parem fore reputans, crimen in Vitellocium contulit; Aretinorum rebellionem non ſuo, ſed priuato Vitellocij conſilio adornatam, ad exitúmque perductam, Vrſinos, Baleonum, Petrucium in eandem pariter incubuiſſe, quamuis illi ſuis ſtipendiis militent, non tamen ſe tantum apud ipſos authoritate valuiſſe vt rem ſemel ſuſceptam pro derelicta haberent. Statim itaque Vitellocio Valentinus denuntiauit, vt Aretium, cæteráſque vrbeis Florentinis redderet, alioqui ſe totis viribus concurſurum, & Regis ſocios grauiter vlturum. Hoc nuntio deterritus Vitellocius, veritúſque, vt ſæpius vſuuenit, vt potentiores inter ſe conciliarentur, in ſe vnum viribus inferiorem indignatio incumberet, Imbaldum ducem Gallum accerſiuit, atque Aretium intromiſit. Conuenit vt Aretium, cæteræque Florentinorum vrbes Gallis traderentur, quas Regis nomine tantiſper poſſiderent, dum

Galli opera Vitellocij Aretiū vt intromiſſi.

Digitized by Google

Cardinalis Vrſinus, qui ad Regem proficiſcebatur, eiuſdem mādatum reportaret, Vitellocius cum ſuis omnibus inde migraret, vnus duntaxat alarum Gallicarum ductor cum quadraginta equitibus Aretium intromitteretur, cuius loco obſides fratris liberos Vitellocius Gallis relinqueret. Reclamabant Florentini, & vrbeis ſibi omnino tradi volebant, ſibique iniuriam fieri apud Gallos queritabantur: tum exclamauit Imbaldus, vbinā vero ſunt acuta illa Florentinorum ingenia, quæ quid ipſis ex vſu ſit, accipere non poſſunt? ſi vos cum Vitellocio conuenietis, iidem promiſſorum prædes eritis: ſi nos cum illo conueniemus, Rex promiſſis noſtris, ſi ita videbitur, non ſtabit, & duntaxat, quod commodum erit, exoluet. Vos quoquo modo id fiet, vrbeis ſtatim in Regis poteſtatem venire, vel vt belli impenſis parcatur, vel vt pleræque periculorum ſæpenumero occurrentium occaſiones vitentur, optare debetis: quid ſi commeatus penuria, vel alia de cauſa Galli ſeceſſionem faciant, aut ad aliud bellum auocentur? vos nimirum ſpes veſtra fruſtrabitur.

His placati verbis Florentini dictis conditionibus aſſenſerunt: Vitellocius cum ſuis inde ablatis ſecum tormentis omnibus diſceſſit, cæteras vrbeis Gallis liberè poſſidendas reliquit: Rex Florentinis vnà cum Aretio reſtitui mandauit. Florentini in priſtinum ſtatum reſtituti crebra magiſtratuum bimeſtrium commutatione, & quod primarios ciuecis populus ſuſpectos haberet, ſe in haſce difficultates redactos agnoſcentes (magiſtratus enim temporis breuitas, viros prudēteis ſuſpicioſum populi iudicium vrgentibus negotiis maturè prouidere prohibebat) ſummum iuris dicēdi, atque adeo ipſius ciuitatis magiſtratum, dictatorem fortaſſe dicere poſſemus (Gonfalonnerium illi vocant) antea bimeſtrem quemadmodum erant & cæteri, perpetuum, & qui pariter cum vita terminaretur, eſſe voluerunt, vt princeps magiſtratus in perpetua vrbis vigilia collocatus nunquam à Rep. oculos deiiceret, & curam cum honore publicè delato exæquaret, viros ſummos dignitate augeret, effrenatam populi libertatem ſua modeſtia temperaret. Summi conſilij ſuffragiis, atque omnium prope ciuium cōſenſu creatus eſt Petrus Soderinus vir in primis moderatus, atque illuſtri familia natus, ea autem prudentia, ætate, diuitiis, qui tantam perſonam facilè ſuſtineret. Adde quod ab inuadendæ tyrannidis ſuſpicione hominem orbitas vindicabat.

Principū Italiæ ad Ludouicū Aſtæ degētem ingens confluxus.

Interea ſuo more ad Ludouicum Aſtæ agentem Italiæ principes, liberæque ciuitates, vel ipſi, vel per legatos confluebant: Ferrarienſis in primis, ac Mantuanus, tametſi Regi minimè acceptus, quod Maximiliano Italiam ad accipiendam Imperatoriam coronam cum exercitu adire inſtituenti operam pollicitus fuiſſet: acceſſit & Cardinalis Vrſinus non ſolum vt Aretinam rebellionem, Vrſinos, ac Vitellocium excuſaret, ſed & vt Regem in Alexandrum, Valentinúmque accenderet: ſed nimirum quæ multi enixè cupiūt, raro fere eueniunt, quod paucorum arbitrio, quorum iudicium à multitudinis iudicio plurimum ſæpenumero diſtat, res & bellicæ, & ciuiles geruntur, & vnuſquiſque ſibi priuatim, aut iis quibus deditus, addictúſve eſt, non publicæ vtilitati conſulit. Tantum itaque abfuit vt Ludouicus multorum votis, optatíſque ſatisfaceret, vt Alexandro magis, quàm antea reconciliatus videretur, diſſimulare iuuitum plurimæ occaſiones cogebant: Pontificis ſocietatem ſupra quàm dici poteſt Maximilianus ambiebat; vt ſibi in ſumenda Imperatoria corona adeſſet, profectionémque Italicam à ſe hoc nomine ſuſceptam iuuaret, magnis oblatis conditionibus procurabat; & iam aliquot equitum turmas, peditúmque cohortes Tridentū præmiſerat. Veneti Gallis Genuam, Mediolanum, regnum Neapolitanum inſignes Italiæ terminos inuidebant, & ſe, cæteróſque Italos media regione velut obſeſſos interpretabantur: Ludouico Regi cum quatuor Heluetiorum pagis non leuis erat cōtentio, vt Bellinzona, & Vulturena valle ſibi cederet, depoſcentibus; recuſanti ſocietatem renuntiantibus, & defectionem ad Maximilianū comminantibus: cum Hiſpano nulla pax, nullæ poterant iniri induciæ; & vt in regnum Neapolitanum reduceretur Federicus, quem ſecum idcirco duxerat Ludouicus, aſſentiebatur, nec tamen obtinebat. Cardinalis autē Ambaſianus ad Romanum Pontificatum aſpirans ſemper Alexādrum in Ludouici gratia vel continebat, vel abalienatū reponebat, nec ſibi magis, quam Regi conſulere præ ſe ferebat: Pontificiæ enim opes Gallicis adiūctæ cæteros principes Italia exturbare facilè potuiſſent.

Fœderis inter Alexādrum Pontificem & Ludouicum renouatio.

Igitur Alexāder Trocio cubiculario ſibi in primis fido ad Ludouicum miſſo ſuam, Valentiníque in conſeruando Neapolitano regno operam pollicitus de renouanda ſocietate egit, quam Trocio Romam cum Ludouici mādatis reuerſo Valētinus ſtatim equis curſoribus Mediolanum ad Regem profectus, & præter omnium opinionem honorificè exceptus, penitus confirmauit. Ludouicus Alexandro Pontifici, Valentinóque reconciliatus, quum nihil æqui ab Hiſpano impetrare potuiſſet, eius legatos dimiſit, ex Hetruria copias ſuas in Galliam Tranſalpinam reuocauit, Maximiliano, ſi quid moueret, obuiam prodicturus:

diturus:at homo prodigus bonam pecuniæ partem in expeditionem Italicam coactam dilapidauerat, Germani milites domum redire cœperant; vnde factum eſt, vt in vnum deinceps bellum Neapolitanum Ludouicus incumberet. Iam duo Heluetiorum Vaſconum totidem millia ad Nemorenſem legatum miſerat,qui tum Canuſium oppugnandum ſuſceperat:præſidio erat Petrus Nauarrus vir ſtrenuus cum ſexcẽtis Hiſpanis, qui,quod ne expectaret, dum ad extremas difficultates redigeretur Conſaluus iniunxiſſet (maiorem enim in tot egregiorum militum,quàm in vrbis amiſſione iacturam ponebat) de ſua militúmque vita,armis,ſupellectile pactus vrbe ceſſit. Cõſaluus Capitanata, Appulia, Calabria fere depulſus ſe cum ſuis Barolum, Barletam vulgo appellant, recepit,quod illi cum Gallipoli Hydrunto, Adria Tarento, Coſentia, Semenaria, pauciſque aliis vrbibus adhuc parebat,& magna commeatus,pulueris tormentarij,pilarúmque penuria laborabat;niſi Veneti prope certæ Gallorum victoriæ inuidentes, quod deerat, ſuppeditare maturaſſent,in Siciliam traiecturus. Queſto per legatos Ludouico Senatus Venetus ciuitatem ſuam liberam eſſe reſpondit, homines priuatos ſui quæſtus cauſa merces exportare, atque importare conſueſſe:quicquid factum ſit,Senatu inſcio eſſe factum. Canuſio capto inter Gallos duces de oppugnando Barolo deliberatum:erant in conſilio Ludouicus Armeniacus Nemorenſis regulus, Eberardus Stuardus Aubignius, Iuo Alegrius, Iacobus Chabaneus Palicianus Tortius, Ludouicus Arſius, Petrus Terralius Baiardus, Formantius Caſtilio, Bartholomæus Chandius, ſiue Chandenerius, Thomas Monferratus, Matthæus Aquauiuanus, Mondracus, aliíque alarum equeſtrium ductores;perdifficilem oppugnationem aquæ penuria faciebat. Itaque plures in eam ſententiam iuerunt,vt pars exercitus ad circumſedendum potius, quàm oppugnandum Barolum, ne quid in vrbem importaretur, in vicis propinquis,atque oppidis ſtatiua haberet(Gallorum Italorúmque peditũ decem circiter millia,mille ducẽtos cataphractos equites quidam in id relictos produnt)pars ad recipiendas, quæ in Hiſpanorum adhuc poteſtate erant, Appuliæ,Calabriæque vrbeis mitteretur,contradicente Aubignio, & tum Baroli oppugnationem, in qua victoria conſiſteret, procurante; tum ne exercitus in longinquas regiones diſſiparetur,admodum repugnante. Hoc conſilio,innatáque negligẽtia perfectum quidam putant, vt res in poſterum illis infelicius cederent. Appuliam nihilominus totam præter Hydruntum,Gallipolim, Tarentum,Nemorenſis inde digreſſus recepit,ac mox Barolum rediit;& eodem tempore Aubignius Calabriam ingreſſus Coſentiam diripuit (arx in Hiſpani fide perſeuerauit) atque Hiſpanos, qui tum eam regionẽ inſederant,copiis,quæ nuper è Sicilia traiecerant,iunctos latè fudit.

17 His proſperè ſuccedentibus, & induciarum, quas mox obtinuit, cum Maximiliano ineundarum ſpe fretus Ludouicus in Galliam reuerſus eſt. Quod ſi Nemorenſi, perinde, vt antea,auxilia,cęteráque ad bellum neceſſaria ſummiſiſſet,haud dubiũ quin breui Italia Hiſpanos expuliſſet:antequam in Galliã reuerteretur, Alexandro, Valentinóque de Aretij defectione ſeſe purgantibus, & Nemorenſi, Galliſque res Neapolitanas curantibus opem ferre ſacroſancto iureiurãdo promittentibus trecentos viciſſim cataphractos equites tum ad Bononiam in Romani Pontificis ditionem redigendam,tum ad Vitellocium, Ioannem Paulum Baleonũ, Vrſinos opprimendos pollicitus eſt:non tam quod illos tantis beneficiis adductos fidos ſibi fore ſperaret, nullam ab iis vel fidem, vel religionẽ coli ſatis expertus, quam quod ne hoſtibus adiungerentur, timeret: & iſtis infenſus, quod vt ab inuadendis Florentinis abſtinerent, roganti haud paruiſſent, & ne ad Hiſpanos deficerent veritus, vlciſci tantam contumaciam, arrogantiámque cupiebat: Vitellocij in primis, qui tormenta Aretinis adempta reddere.atque ad Regem adire pollicitus accepta liberè,tutóque adeundi teſſera vtrumque recuſaſſet. Alexandri, Ludouicíque reconciliatio Italos non ſolùm eos,in quos Valentini furor irrumpebat, ſed & alios pleroſque mirandum in modum conturbauit: Pandolfus Petrucius, Vrſini, Vitellocius, Ioannes Paulus Baleonus in eadem fere cauſa erant, & ex æquo Valentini ferociam horrebant. Florentini quod Mantuanum Maximiliano addictum ſummum ſuarum copiarum ducem Ludouico prohibente non legiſſent, paucos equites in armis habebant, & Valentinum non ſecus, atque antea erga ſe animatum interpretabantur, qui Aretinos, cæteróſque Florentinæ ditionis exules in vicina ſua oppida recepiſſet. Metum augebant hoſtium potentia, opes, fortuna hactenus propitia, & ſumma apud Ludouicum authoritas, qua freti pleraque aduerſus eiuſdem voluntatem auſuri viderentur: & vulgo nimium multa, quod ad Aretinam defectionem attinet, & plus æquo ſe Regi tribuiſſe iactabant. Addebant Regem quicquid patraſſent, etſi non æquo, tamen quoquo animo toleraturum: vnde Florentini non minus quam cæteri,qui in Regis fidem recepti erant,ſibi timebant,quod Plumbini regulum, atque

Ludouici in Gallias reditus.

Ludouicus & Valentinus Borgias Florentinis cur ſuſpecti.

Digitized by Google

atque Vrbinatem qui non ita pridem quinquaginta cataphractos equites Gallis auxiliares in regnum Neapolitanum miſerat, eandem obtendenteis ſuis ditionibus exturbatos viderent.

Attonitos magis reddebat recens Bentiuoli exemplum, à cuius Bononienſi ditione Valentinum faceſſere paulò ante Ludouicus iuſſerat, excipientíque Valentino Regem ita cum Bentiuolo conueniſſe, ne quid de Romani Pontificis iure decederet, de eo iure quo tum quum ſocietas cum Alexandro inita eſt, Pontifex Ro. vtebatur, fruebatur, Rex exceptionem intelligi debere reſponderat: at Bentiuolo aduerſus Valentinũ iam ſibi imminentem auxilium nuper depoſcenti Rex idem interpretationem data occaſione immutans, quamuis fœderis verba in genere pronuntiata ſint, ſe tamen hominẽ duntaxat, priuatáſque eius facultates in fidẽ recepiſſe profeſſus erat, quod Pontificij iuris exceptio Pontifici ſuum ius ſartum tectúmque conſeruaret: Bononiam autem Pŏtificiæ ditionis eſſe inficiari nemo poſſet, ſocietatem primùm cum Romano Pontifice initam, cæteras acceſſiſſe eadem repetitæ vbique exceptionis regula metiendas. Re in ſanctiore conſilio multum agitata cæteris diſſentientibus vnus Cardinalis Ambaſianus obtinuit, vt hominem honoratum & authoritate præditum ad Regium mandatum exequendum Ludouicus Bononiam mitteret, qui quod Bononiam Pontificiæ ditionis eſſe conſtaret, Regem in ea aſſerẽda Pontifici affuturum profiteretur: Bentiuolo homini priuato, & ita in Regis fidem recepto ibidem habitare licere, priuatas facultates poſſidere, ciuem non principem agere, vti eius maiores in eadem ciuitate vixiſſent: ita Regibus etiam ſapientibus vnus, & itẽ alter plerumque moderatur, vt non quod viri prudentes ſenſerint, ſed quod pauci illi veluti dictarint, ſequantur: & amittendi regni Neapolitani metus Ludouicum de recta via aliquantum declinare compulit: quamquam vir probus Ambaſianus fuit, & Romanum Pontificatum non minus ad rem Gallicam publicè augendam, quàm ad ſuam dignitatem priuatim amplificandam ambiit. Non ſolùm his quos ſupra commemoraui, ſed etiam Venetis formidabilis erat Valentini potentia, indignatis tũ aliis de cauſis, tum quod paucis ante menſibus Ioannis Baptiſtę Caracioli (Caratium alij vocant) Venetorum militum tribuni vxorem Vrbino profectam, & per Flaminiam ad virum properantem Valentinus rapuiſſet. Ludouicum itaque per legatos admonent indignum cãdore Galliço, & Rege Chriſtianiſſimo prorſus eſſe, ſi crudelem tyrannum tot parricidiis, inceſtíſque domeſticis infamẽ, qui multas prouincias horrenda plurimorum Chriſtianorum ſtrage vaſtarit, tot crudelitatis, perfidiæque exempla ediderit, tot egregios duces, ac viros nobiles fide data, ſtatímque violata nũc tetris ſuppliciis, nunc occultis venenis de medio ſuſtulerit, in eam etiam ætatem, cui barbara Turcarum immanitas peperciſſet, furere inſtituerit, ſuis armis fouere, & in certam innumerabilium prope mortalium internecionẽ augere pergat; quem, ſi res eius nutare cœperint, non magis quam cæteri fidum experiatur, quemadmodum & ante ipſum Carolus expertus ſit. Rex Venetis infenſus, quos ſibi viciſſim clam infeſtos intellexerat, & non tam publico mœrore, quàm ſuis priuatim curis, metúque angi nouerat, ſe pro vetere Gallorum Regum erga Romanos Pontifices obſeruantia Alexandro in Pontificiis vrbibus recipiendis non defuturum, aut certè non impedimento futurum reſpondit, inde maioribus ſuis auguſtum cognomen inditum, & ad ſe propagatum; à quorum pietate ſibi minimè diſcedendum ſit. Cæteris Regis metu nihil molientibus Vrſini, Baptiſta Cardinalis, Vitellocius, Ioannes Paulus Baleonus, Liuerottus Firmanus (Liberottum alij, alij Leporotum vocant) primis periculis obiecti, quamquam pecunia in ſtipendium à Valentino nuper accepta, clandeſtinam ſocietatem coierunt, & cohortes ſuas in tuto collocarunt, vt ſi res ita poſceret, pro communi ſalute decertarent; animos addidit Fani Leonini arx proditione militis præſidiarij recepta: vnde Venetiis, quò paulò ante confugerat, reuerſus Vrbinas totam ditionem paucis arcibus exceptis breui recuperauit.

Veneti moleſtè ferunt Ludouicum ſuis armis Valentinum fouere.

Igitur in Peruſino agro conuenientes, vbi & Hermes Ioannis Bentiuoli patris, Antonius Venafranus Petrucio intimus Senenſium, Cardinalis ac Paulus Vrſini cæterorum ſuæ familiæ nomine, atque Vrbinatis legati affuerunt, deliberatione de communibus periculis habita pro communi ſalute, oppugnandóque Valentino ſocietatem confirmarunt: nouem peditum millia ſeptingentos cataphractos equites ſe ſtatim in caſtra communia miſſuros polliciti ſunt, & munia partiti conuenerunt, vt Imolã Bentiuolus, ipſi maioribus copiis Ariminum, Piſaurúmque inuaderent: ac ne Ludouicũ Regem irritarent, qui fortaſſe Valentini audaciam alienis viribus comprimi haud moleſtè ferret, ſe cum ſuis aduerſus quoſuis eius nomine arma ſumpturos receperunt, qua ratione Columnas quamuis Pontifici infeſtiſſimos, haud ſibi adiunxerunt: Venetos etiam, ac Florentinos Piſarum recuperan

Vrſinorũ & Vitellocij cõtra Valentinum coniuratio.

recuperandarum ſpe, quas in Pandolfi Petrucij poteſtate eſſe prædicabant, in eandem ſocietatem pellicere tentarunt. Rem in incerto Veneti vtram in partem Rex ſe daret operientes, tenuerunt, quos eadem de cauſa Florentini quoque imitati ſunt. Valentino quanquam re nec opinata perturbato (neque enim dum alienas inuadit, ſuas interim inuadi ditiones ſperauerat) tamen neque animus, neque conſilium defuit: auxilium præſens à Ludouico enixè poſtulauit, ſimul & rogauit, quam Vitellocio, quam Petrucio totius huius defectionis architecto fidem adhibendam putaret, quorum alter liberaliter inuitatus, nec ad illum quidem accedere dignatus ſit: alter grandem Ludouico Sfortiæ pecuniam ad recuperandum Mediolanum ſubminiſtrarit, & deinceps ſemper Maximiliani ſectam ſequutus ſit: neque Alexandrum, neque ſe, ex quo Regis amicitiam coluerint, tametſi promiſſis ingentibus prouocatos ad Maximilianum tranſire voluiſſe; & certè maiora à ſe, quàm ab illis debere ſperari, precari Regem ne ſe in tanto diſcrimine deſtitutum velit. Nec ſegnior idcirco in nouis militum delectibus habendis fuit: tum verò ipſe, atque Alexander, Cardinalem Vrſinum per Iulium fratrem, cæteros per idoneos homines aggreſſi, hoſtium indignationem ſedare, & fraudulenta oratione, multíſque promiſſis oneratos ſibi conciliare tentabant, vt vel negligentiores in ſuſceptis rebus exequendis redderent, vel ſuſpicionibus obiectis alios ab aliis ſepararent. Hæc cum patre meditatus Valentinus Hugone Cardonio, ac Michaële Valentino ducibus Hiſpanis cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, quingentis peditibus Ariminum ire iuſſis ipſe Imolæ ſubſtitit, niſi viribus ſuperior haud pedem inde moturus, Vrbinatem agrum hoſtibus permiſit, Flaminiam conſeruare inſtituit, illi Pergulam, ac Forum Sempronij ab arcium præfectis intromiſſi oppidis direptis Callium contenderunt. Inter eundum in Paulum, Franciſcúmque Grauinæ regulum Vrſinos, ſexcentóſque Vitellocij pedites incidentes multos è ſuis amiſerunt, cæteris aut captis, aut fuga elapſis inter captiuos abductus eſt Cardonius, Michaël ad Fortunæ fanum profugit.

20 Hoc deinde ciuibus credito, quibus ſatis fidebat, Piſaurum Valentini mandato properauit (neque enim præſidium, quo vrbem vtramque tueretur, in promptu erat) eodem tempore Bononienſes Forocornelianum agrum percurſarunt. Quod ſi promiſſum Peruſino conuentu militum numerum fœderati repente coegiſſent, Valentinum nimirum in extremas difficultates redegiſſent: ſed dum alij ſpe fœderis cum Alexandro, Valentinoque ineundi cunctantur, alij ad alios reſpectant, nec promiſſa primi exoluere maturant, præceps occaſio ſubito euanuit, & fortunam protinus commutauit: Ludouicus enim Carolo Ambaſiano Mediolani adminiſtratori, vt quadringentos cataphractos equites ad Valentinum mitteret, & res eius perturbatas in priſtinum ſtatum reſtitueret, iniunxit; quod ille cumulatè præſtitit. Hinc attoniti fœderati non amplius communibus negotiis, ſed ſuis priuatim conſulere cœperunt: Cardinalis Vrſinus accuratius cum Alexandro de reconciliatione agebat, Antonius Venafranus inſtigante Petrucio Forum Cornelij petierat, eodem & Romam ad Alexandrum legatos Ioannes Bentiuolus miſerat, prædamque ex Forocorneliano agro exportatam reportandam curarat, omnes redire cum illis in gratiam ſedulò ambiebant. Has legationes Valentinus ea arte tractabat, vt ſuo more diſſimulando omneis impensè falleret: quod vt magis aſſequeretur, Paulum Vrſinum Latini Cardinalis filium ſuæ fraudi pertexendæ peridoneum ratus accerſiuit, ei magnam fidem adhibere præ ſe tulit, eius vice Cardinalem Borgiam obſidem Vrſinis dedit, apud quem non tam de ipſo, aut eius ſociis, qui fida illi opera nauata vanis ſuſpicionibus abalienati fuiſſent, quam de ſua imprudentia familiariter queſtus eſt, qui ſuſpicionibus hiſce locum dediſſet, ſperare ſe nihilominus leuem hanc contentionem non pertinacis odij, ſed ſynceræ amicitiæ confirmationem futuram, illos ſatis perſpicere vt ipſum opprimant, in ſua poteſtate haud eſſe Rege eius propugnationem recipiente, ſe viciſſim victoriam, ſuæque felicitatis ſummam illorum fortitudini, prudentiæque acceptam ferre: ſupereſſe vt in priſtinam, mutuámque amicitiam redeant, ne falſa rurſus in ſuſpicione verſentur, ſe quos poſcent, reconciliationis obſides daturum.

Valentinus Ludouici ope in priſtinum ſtatum reſtitutus.

Qua fallacia & diſſimulatione cõiuratos ad ſe pertraxerit, & malè affecerit.

21 Dum hæc vltro, citróque agitantur, Mariam Varanium Camertis reguli filium Aquileiæ agentem Camertes reuocarunt: arcem fori Sempronij Vitellocius Valentino, Pauloque Vrſino grauiter querentibus cepit, Vrbinatem Guidus Feltrius recepit, eandem fortunam Callij, Agobiæque arces tulerunt; amiſſum eſt, & fortunæ fanum, vt Valentino ſolum Agathæ fanum in ea regione pareret. Paulus nihilominus, quæ cœperat, ad exitum perducere cupiens, atque Imola Bononiam, indéque Imolam ſæpius commeans, vt Bentiuolorum affinium rebus proſpiceret, (Pauli enim filiam Hermes Bentiuolus

Digitized by Google

vxorem duxerat) in has conditiones cum Valentino pactus eſt, cum ea tamen exceptione ſi Baptiſta Cardinalis Vrſinus, (cuius cæteri conſilium ſequebantur) eaſdem ratas haberet, veterum ſimultatum, iniuriarúmque vtrimque acceptarum memoria ſempiterna obliuione deleretur, fœderatis vetus ſtipendium confirmaretur;ſed ea lege, vt in recipienda Vrbinate, cæteriſque ditionibus Valentinum cum ſuis cohortibus ſequerentur: nec tamen cuncti, ſed vnus pro cæteris adeſſet, cui mox abeunti, alius, ſi ita videretur, ſuccederet; ſic omnem, quæ ſuboriri poſſet, ſuſpicionem amoueri: eadem ratione nec Cardinalis Vrſinus Romæ adeſſe cogeretur, controuerſiæ Bononienſes Valentini, Cardinalis Vrſini, Pandolfi Petrucij arbitrio permitterentur. Cum hiſce conuentis Paulus cæteros fœderatos adiit, vt iiſdem ſe ſtare profiterentur. Ioannes Bentiuolus alieno ſe arbitrio permittere recuſauit, id nec tutum, nec honorificum ratus; altero ex filiis Imolam miſſo, obſidibúſque viciſſim acceptis cum Alexandro, Valentinóque conuenit, atque priuatim fœdus iniit, quod eo facilius conceptum eſt, quod Rex Ludouicus à priore deliberatione recedens, in quam Cardinale Ambaſiano vrgente inductus fuerat, dignitatique, & ſuis ditionibus conſulens Bononiam in Pontificis Romani ditionem redire nolebat. Huius fœderis hæ fuiſſe conditiones feruntur: perpetua inter Valentinum, Bentiuolos, ac commune Bononiæ ſocietas eſſet, in annos octo centum cataphractorum equitum ſtipendium, hoc eſt quotannis duodecim nummûm aureorum millia à Bononienſibus Valentinus acciperet: præterea, ſed in proximum duntaxat annum centum cataphractos equites, totidem hippotoxotas Bononienſes ſtipendio afficerent, Valentino militaturos. Hæc rata fore Ludouicus Rex, Florentiníque reciperent, & Alexandri neptis Lunenſis Pontificis ſoror Annibalis Bentiuoli filio nupta confirmaret. Nec idcirco minùs Gallos equites, ac tria Heluetiorum peditum millia ſuo ſtipendio militantia Valentinus quaſi Vrbinatem Camertenſémque agrum inuaſurus crebris nuntiis, litteriſque vrgebat, quod conditiones à Paulo oblatas fœderati eodem Paulo, ac Petrucio huc Cardinalem Vrſinum adigentibus ratas habere decreuerant: recuſabant primum Vitellocius, ac Ioannes Paulus Baleonus, nec perſuaderi poterant, vt ſe Valentino committerent, tandem tamen & ipſi ratas habuerunt. Quorum certior factus Vrbinas munita ſuæ ditionis loca omnia demolitus fani Leonini, Mæuolanáque arce exceptis Venetias rediit. Vrbinates Antonio Sanſouino Valentini nomine veniam pollicenti ſeſe dediderunt; quorum exemplum Camertes ſequuti ſunt, quod in regnum Neapolitanum Varanius regulus aufugiſſet. Pontificium exercitum Palumbariam deduci Alexander mandauit, quam cum aliquot aliis ſuis oppidis Sabelli fœderatorum armis freti receperant, ſed Valentinus arcana animi ſenſa exequi cupiens Imola Ceſenam profectus eſt: vnde Galli equites non Regis mandato, ſed à Carolo Ambaſiano Valentino ſubirato (vt quidam putarunt) vel potius Valentini ipſius rogatu reuocati ad Inſubres redierunt, quorum diſceſſu ſe fœderatis minùs formidabilem fore Valentinus exiſtimauit: Ceſenæ copias ſuas inſtruxit numeroſiores, firmioréſque quàm rumor diſſeminarat; multos & veteranos milites, & viros etiam nobiles aduocarat, dignóque ſtipendio donarat.

Per eos dies Vitellocius, atque Vrſini illo ipſo iubente Senogalliam, vnde Ioanna Fel- 21
tria Vrbinatis ſoror Ioannis Rouerei præfecti vrbis vidua ab omnibus deſerta aufugerat, circumſederant, & vrbe ſimul, atque arce potiti erant: quanquam pupillus præfecti filius in Regis fide erat, ſed mater fœderatis adhæſiſſe ferebatur, idque Rex Ludouicus obtendebat. Ceſena ad fortunæ fanum progreſſus Valentinus, dum copias ſuas cogit aliquantum ſuſtitit, inde Vrſinis, Vitellocióque ſe poſtridie cum copiis ſuis Senogalliam profecturum denuntiauit; proinde ſuas educerent, atque in vicinia collocarent: illi pedites in ſuburbiis, equites in finitimis villis latius diuertere iuſſerunt, appropinquanti Paulus, ac Franciſcus Grauinenſis regulus Vrſini, Vitellocius, Liberottus Firmanus obuiam prodierunt, ſumma cum beneuolentia excepti vadentem ad vrbis portam comitati ſunt, vbi Valentini copiæ in armis ſtantes, atque in ordines diſtributæ ducem operiebantur. Illi iam ſuſpicione concepta, quod numeroſiores,inſtructioréſque, quàm audiiſſent videbant, ad diuerſoria, quæ extra vrbem erant,abeundi veniam petituri ſubſtiterunt; vt porrò pergerent, ab eo qui iam & cogere poterat, rogati (ſubeſſe enim, quod cum illis communicaret, ſignificauit) in vrbem ſequuti, atque in cuſtodiam traditi ſunt. Poſtridie, hoc eſt, pridie Kal. Ianuar. Vitellocius, ac Liberottus ſtrangulati,cæteri in aliud tempus reſeruati ſunt; qui eoſdem ſequuti fuerant, milites pecunia, armis, equis, veſte exuti. Fabius Pauli filius, qui patrem Valentino obuiam prodeuntem, quod mox euenit, præſagiens retinere non potuerat, cum paucis euaſit. Ita Itali ſimulationibus ac diſſimulationibus

Valentini in coniuratos ſumma crudelitas.

huiuſcemodi,

Digitized by Google

huiuſcemodi, & natura inſtructi, & doctrina, exemplíſque patriis innutriti intercepti ſunt, Vitellocius quidem domeſticum fatum vitare haud potuit, tres eius Germani fratres, poſtremus ipſe, iam bellica laude clari violenta morte perierunt: Ioannes natu maximus ab Innocentio Octauo Pontifice ad obſidendum Anxinium miſſus bombardæ pila exanimatus eſt. Hinc vt ætate & morte proximus Camillus Carolo Galliarum Regi militans Circelli oppugnatione lapide in caput ictus occubuit: tertius Paulus Florentiæ capite mulctatus eſt, poſtremus Vitellocius ſtrangulatus: duo hi poſteriores ſuperioribus eo infeliciores, quod non militari pugnantes, ſed carnificis gladio proditi vitam cum ignominiâ finierunt: at Liberottus atrociore fortaſſe ſupplicio dignior, qui Ioannem Frangianum auunculum, ciuéſque ſuæ ciuitatis primarios ad conuiuium inuitatos crudeliter occiderat, vt nefario hoc ſcelere principem locum inter ſuos obtineret. Nec minùs execranda tamen Valentini immanitas, ac perfidia fuit, qui ſtrenuos duces in fidem receptos diuini, humaníque iuris oblitus interemerit.

23 Hac tragœdia alter decimiquinti huius ſæculi annus finitus eſt, ſed tragœdia ipſa in ſequentem quoque annum continuata locum etiam authoribus ipſis reliquit, vt in eadem prope ſcena perſonam ſuam agerent, & iuſtam diuinæ vltionis iram in ſe oſtenderent: Valentinus igitur Alexandrum quam ocyſſimè, vt inter ipſos conuenerat, de inſidiis ad exitum perductis, captíſque, aut cæſis inimicis certiorem reddit. Id ille, ne diuulgaretur, ſedulò cauens Baptiſtam Cardinalem Vrſinum, qui paucis ante diebus non tam iudicio, quàm malo ſuo fato recentibus pactionibus fretus Romam appulerat, in Vaticanum alias cauſas nectens accerſiuit, comprehenſúmque in cuſtodiam tradi iuſſit: comprehenſi ſunt & Renaldus Vrſinus Florentinus Pontifex, Vrſinus Protonotarius (ſic enim vocabatur) Bartholomæi item Liuiani frater, & Iacobus à fano crucis Patricius Romanus inter eius factionis principes numeratus: omnes in Adriani molem cuſtodiis adhibitis coniecti ſunt. Iulius Baptiſtæ Cardinalis frater horum certior factus Palumbaria quam tum obſidebat, relicta Cære vetus occupauit: aliquot poſt diebus Scyllacienſem aut Squillacienſem (vt appellant) regulum filium Alexander ad adeundam arcium, oppidorúmque ditionis Vrſinæ poſſeſſionem miſit, Protonotarium Vrſinum, Iacobúmque à fano crucis è cuſtodia eductos, vt Squillacienſem in eadem intromitterent, comites addidit; deinde in Adriani molem reducendos curauit. Tum Alexander cæſis inimicis, ac iamiam cædendis inſultans Paulum Vrſinum, cæteróſque fidem ſibi priores fefelliſſe iactauit, quod ſingulos ſe ad ipſum, Valentinúmve acceſſuros pacti cuncti pariter acceſſiſſent, ſibi itaque viciſſim & illis fidem fallere integrum fuiſſe. Cardinalis Vrſinus prouecta admodum ætate, & magna in Pontificio illo Senatu authoritate viceſimo poſtquam comprehenſus fuerat die cantharidibus (vt quidam tradunt) aut alio veneni genere ſublatus eſt; quem rumorem tota vrbe diuulgatum vt redargueret Alexander, cadauer aperta facie à propinquis comitatum ad ſepulchrum efferri paſſus eſt: cæteri vadibus de ſe ſiſtendo, quoties ab Alexandro arceſſerentur, datis dimiſſi ſunt. at Valentinus repente properauit. Vitellij audita Vitellocij morte, atque inter eos Iulius vrbis Pontifex inde aufugerant, Tiferno Peruſiam profectus, vnde Ioannes Paulus Baleonus cæteris cautior, qui Valentino diffidens Senogalliam proficiſci recuſarat, ſe paulò ante ſubduxerat; Carolum Baleonum, Oddios, cæteróſque Ioannis Pauli inimicos, reduxit, & vtramque vrbem Romani Pontificis nomine adminiſtrandam reliquit. Supererat Pandolfus Petrucius ſuperioris fœderis, ac ſocietatis architectus, cuius potiſſimum malè mulctandi, Senarúmque, ac Senenſis agri potiundi cupiditate flagrabat: hinc cum toto exercitu cui ſe nuper Bentiuoli auxilia adiunxerant, ad vicum Picuenſem contendit; ibi quum Baptiſtam Cardinalem Vrſinum in cuſtodiam traditum accepiſſet, Franciſcum Grauinæ regulum, Paulúmque Vrſinos ſtrangulari iuſſit; inde legatos etiam Senas miſit, qui Pandolfum Petrucium infeſtum ſibi hoſtem, atque Hetruſcæ quietis perturbatorem vrbe pelli iuberent; id ſi Senenſes præſtent, ſe protinus Romam pacato agmine abiturum. Hominem etiam Alexander, Valentinúſque humaniſſimis litteris, crebríſque legationibus pellicere, ac ſopire nitebantur, vt viuis ſocietatis ineundæ author mortem pariter cum ſociis obiret. Sed ciuium bona pars, quanquam Petrucij nouam tyrannidem oderat, tamen ciuis, quàm externorum dominationem tolerabiliorem rata, nihil temerè commouere malebat, nec ſpem vllam defectionis, aut ſeditionis dabat: quum verò ad vrbem propius acceſſiſſet, nonnulli è ciuibus ſermones ſerere cœperunt, non æquum eſſe ob ſtabiliendam ciuis vnius authoritatem, vt ciuitas vniuerſa in diſcrimen veniret. Hinc Petrucius liberè eam fortunam, quam poſtea fortaſſe cum publico ciuium odio inuitus ſubiiſſet, cum bona eorundem

Anno 1503.

Cardinalis Vrſinus in carcere veneno extinctus.

Digitized by Google

eorundem gratia ſubire maluit, ſe patria migraturum (quandoquidem Valentino ita videretur) teſtatus eſt, modo copias ille aliò traduceret.

Id publico, in primis autem Petrucij conſenſu Valentino denuntiatum: quam conditionem etſi minùs gratam multis de cauſis accepit, vel quod Petrucij diſceſſu aliquam mutationem oborituram ſperabat, vel quod vrbem amplam pro qua Ioannes Paulus Baleonus, aliíque duces, nec pauci milites, ciuéſque plurimi ſuperioribus bellis exercitati propugnarent, expugnatu perdifficilem putabat, vel quod Romam eum exercitum de ſeditione anxius Alexander reuocabat: Petilianum enim Iulius Vrſinus, aliíque eiuſdem familiæ Cære vetus, Fabius atque Organtinus itidem Vrſini Palumbariam reuerſus è regno Neapolitano Mutius Columna ingreſſus erat, Sabellóſque cum Vrſinis nouis affinitatibus coniunctos recentibus auxiliis confirmaturus acceſſerat. Sed quod magis Alexandrum, Valentinúmque deterrebat, id iam Ludouicum Regem permoleſtè ferre in confeſſo erat, qui Petrucium, ac Senenſes in fidem receperat, alioqui Germanico imperio obnoxios; in quos Romani Pontifices nihil vnquam iuris habuiſſent, & Ludouicus Vitellocium, cæteróſque fœderatos reprimi, ac deprimi volebat, omnino perire nolebat, quibus extinctis, aut fortunis prorſus euerſis Alexandri, Valentiníque vires experiretur. Petrucius igitur Senis migrauit Reip. adminiſtrationem familiaribus relinquens, qui rem Senenſem eadem authoritate, iiſdémque præſidiis ita curarunt, vt nihil eius diſceſſu immutatum Valentinus videns, nihil immutandum ſperans Romam cum ſuis copiis Vrſinos ſpoliaturus contenderit, ac primùm Ioannis Iordanis tametſi Regiæ Ludouici ſocietatis eques cum Gallis in regno Neapolitano militabat, nec quicquam aduerſus Alexandrum, Valentinúmque molitus erat, poſſeſſiones inuaſit, vnde ſe Ludouico purgans Alexander nulla ſe auaritia, nulla Iordanis contumelia affectum ditiones eius occupaſſe teſtatus eſt: ſed quod tantis Vrſinæ familiæ iniuriis vexatus eorundem gentilem ſibi tam vicinum haud pati tuto poſſet, Iordanem Squillacienſi principatu, aliiſue ditionibus non minùs opulentis æquo animo compenſaturum. Verùm nec ſic Ludouicus ſibi ſatisfactum putauit, immenſam, infinitámque Valentini, ac patris ambitionem animo metiens, qui ſuperiore anno Florentiam, ac Bononiam, nuper Senas à ſe in fidem receptas aggredi auſi fuiſſent, quoque plus illis indulgeret, eo magis effrenatam eorundem audaciam accendere videretur: quod autem Senis inter ciues non ſatis conueniret, Pandolſum Petrucium Piſis, quò ſe receperat, reuocandum curauit; cum Florentinis, Senenſibus, Bononienſibus egit, vt reddito Florentinis Mompulciano (ſic enim omnem diſcordiarum fomitem prorſus extingui) ſocietatem pro ſuis ditionibus inuicem tuendis coirent, paratóſque milites in armis haberent, ne liberè mox in Hetruriam ſuo more Valentinus inſultaret. Interea Valentinus Varronis vicum, quem ſexcenti Ioannis Iordanis pedites inſederant, cum copiarum parte cepit: vbi & Ludouici mandatum de non vexandis Iordanis poſſeſſionibus accepit, & magna ſua, Alexandríque querimonia Braccianum, quò nuper Iordanes è Regno Neapolitano reuerſus non ſine graui diſcrimine ſemitis ignotis peruenerat, omiſit. Ad Cære vetus Ioannis Vrſini oppidum caſtra poſuit: Cære vetuſtum oppidum arduæ, continuæque rupi impoſitum vel propter religionem celebre olim fuit. Eò Gallis poſt Allienſem cladem Romam infeſto agmine petentibus Sacerdotes, Veſtaléſque virgines auguſtiora Romana ſacra, ſimulachráque deportarunt, & declinante deinceps Romano imperio Italia omni à barbaris vexata ſolum pene inuiolatum remanſit: præſidio erant viri fortes, nec capi facilè poſſe videbatur; tanta nihilominus induſtria, tam multis tormentis bellicis, ligneiſque machinis vel ad ruinam, vel ad ſuperandam murorum, aut certè exæquandam altitudinem admotis, tanta militum fortitudine Valentinus vſus eſt, vt poſt acerrimos multarum oppugnationum interdiu, noctúque toleratos impetus obſeſſi ea conditione ſe dediderint, vt Ioanni Vrſino certa pecunia quaſi venditæ vrbis pretium dependeretur, Vrſiníque cum ſuis omnibus publica fide incolumes Petilianum deducerentur, quod præter Valentini morem, omniúmque expectationem bona fide obſeruatum fuit. Petilianum quoque Valentinus oppugnaſſet, niſi Veneti, vt à Nicolai Vrſini, Bartholomæíque Liuiani poſſeſſionibus abſtineret, antea monuiſſent, & bellum, ſi quid moliretur, indixiſſent. 24

Cur Ludouicus Valentini hoſtes deprimi & non perire omninò deſideret.

Valentini ambitio Ludouico ſuſpecta.

Quibus conditionibus Cære Valentino dedita.

Dum Cæretanam oppugnationem vrget Valentinus, Senas Franciſcus Nardius à Ludouico miſſus appulit, Regis mandatum ſignificauit, nempe, vt Pandolfus Petrucius in priſtinum ſtatum reſtitueretur, ac Senas rediret: hic in Ludouici partibus ſe conſtanter perſeueraturum, Mompulcianum Florentinis redditurum, reliquam, quæ ex fœdere debebatur, pecuniam exoluturum, filium natu maximum obſidem in Galliam miſſurum promiſerat. 25

Digitized by Google

promiſerat. Reuerſus Senas Petrucius Rege, Florentinis, bona ciuium parte ſeſe illi dante, & contrariam factionem ſumptis armis perterrefaciente, vrbem nemine repugnante ingreſſus eſt, & eadem, qua prius, authoritate adminiſtrauit. Id Alexandro, Valentinóque moleſtiſſimum fuit, quibus omnia ex animi ſententia cedebant: Palumbaria, cæteráque Sabellorum oppida deditionem fecerant, acceſſerant vicus Varronis, & Cære omnium antea opinione inexpugnabile, quibus captis nihil ſecundum hunc victoriarum curſum remoraturum videbatur. Hactenus Gallis pro regno Neapolitano propugnantibus res bellicæ feliciter ceſſerant, inclinante viciſſim in alteram partem fortuna initio parua, mox, ingens mutatio conſequuta eſt: Villanouam circumſedebat cum Salernitani, ac Biſſiniani copiis Meletanus comes, Hugo Cardonius Meſſana cum octingentis Hiſpanis peditibus, quos à Ludouico Rege clam deficiens Valentinus de induſtria nuper exauthorauerat, Calabriam traiecerat: totidem partim Siculis, partim Calabris, ac centum cataphractis equitibus adiunctis Semenaria proficiſcebatur, obſeſſis opem laturus, & valle anguſta montibus vtrimque cincta ingrediebatur. Meletanus cum ſuis numero ſuperioribus hoſtem in planitiem elicere cupiens obuiam proceſſit: vbi in conſpectum venere, inter vtroſque exiguus intererat fluuius, aut potius torrens à via, quam Hiſpani tenebant, ſatis excelſo aggere ſeparatus. Hiſpanos, ne in vrbem euaderent, anteuertere properans Meletanus ſignum pugnæ dat; venienteis Hiſpani fortiter excipiunt, & partim vi, magis autem loci iniquitate repulſos in fugam vertunt: nec multò poſt ducenti grauis, totidem leuis armaturæ equites, ac bis mille pedites Hiſpania profecti Meſſanam primum, inde Rhegium appulerunt, quibus Emmanuel Benauidius, atque Antonius Leua præfuerunt: *Antonij Leuæ laudes breuiter recenſitæ.* Leua autem ex gregario milite per omneis militiæ gradus progreſſus, ac tribunus tandem militum creatus, poſtremo à Carolo V. Imperatore dux exercitus lectus celebre nomen ſuum poſteris reliquit. Hi perinde, ac ſuperiores Meſſana Rhegium tranſmiſerunt, quod Hiſpani Aubignio alia in Calabriæ regione bellum gerente paulò ante occuparant.

26 Rhegio profecti Benauidius, ac Leua ad Loſarnum quinto à Calimera milliari caſtra poſuerunt: Calimeram altero ante die Ambricurtius cum triginta cataphractis equitibus, ac Meletanus Comes cum mille peditibus ingreſſi erant, vicum murus humilis nullis turribus interſtinctus, nullæ portæ, ſed ligna dumtaxat ſeſe interſecantia claudebant. Hunc poſtridie prima aurora aggreſſi Hiſpani fortiter primùm repulſi ſunt, pugna redintegrata tametſi obſeſſis ſeſe egregiè tuentibus expugnarunt; capto Ambricurtio in arcem Meletanus euaſit: victores Aubignij metu, qui cum trecentis cataphractis equitibus, quinque peditum millibus appropinquabat, Villanouam protinus abierunt; fugienteis ſequutus Aubignius ad Polliſtrinum ſubſtitit, commeatu deficiente Giracium noctu euadere, prærruptúmque montem aſcendere conanteis Aubigniani à tergo adorientes ſexaginta cataphractos equites, pedites permultos occiderunt. Superuenere tertia ab Hiſpania auxilia numero ſuperioribus paria, ducenti grauis, totidem leuis armaturæ equites, pedites bis mille, Porro Carreta duce, cui Rhegij vita functo Ferdinandus Andriadenſis eiuſdem antea legatus ſucceſſit; quorum aduentu freti, qui Giracium aufugerant, Villanouam redierunt, partémque vrbis arci contiguam Aubignium reformidantes munierunt. nec fruſtra, ille enim relictam vrbis partem Polliſtrino egreſſus inſedit, vallóque muniuit: deinde noua accedere auxilia certior factus Loſarnum ipſe, Semenariam Hiſpani conceſſerunt. Hæc dum in Calabria geruntur, Armeniacus in Barolitanum agrum reuerſus, ne quid Barolum importaretur equitatum, peditatúmque in vicina oppida diſtribuit, vrbem fame, peſtéque afflictam breui in ſuam poteſtatem venturam ſperabat. Materæ ipſe ſubſtitit, neque verò Hiſpanos Tranium, vbi eædem difficultates vrgeant, profecturos: ſed Conſalui prudentia, diligentiáque perfectum eſt, vt miles in ſumma rerum omnium neceſſitate conſtitutus omnia perferret: is enim famis, laborúmque patientiſſimus, & ad omnem morbum imperterritus cæteris exemplo erat, nunc etiam recentia Hiſpanorum, nunc Germanica auxilia in itinere eſſe iactabat; *Conſaluus veri ducis exemplum.* dudum enim Octauium Columnam ad ea conquirenda præmiſerat: nunc ſe Tarentum claſſe traiecturum ſimulabat, & ſua patientia ſibi victoriam non fruſtra deſtinabat. At contra Galli innata nobilitati inſolentia, negligentiáque multum ſibi nocuerunt, & Armeniaci familiares rapinis aſſuetos nonnulli arguebant. Caſtellanetenſes ſanè Gallorum equitum cataphractorum quinquaginta iniuriis prouocati, vt Itali tradunt, aut Petro Nauarro, qui tum Tarenti agebat, inſtigante, Hiſpanóſque clam mittente, primi rebellarunt, ac præſidium Gallicum noctu aggreſſi expulerunt; quod ægrè ferens Armeniacus Caſtellanetum proficiſcitur admotiſque tormentis muri partem deiicit: ſed Iacobi Chabanei Paliciani diſcrimine reuocatus, nec illi

in tempore

Digitized by Google

in tempore affuit, & Caſtellaneti potiundi occaſionem amiſit: Conſaluus enim & de eius profectione, & de Paliciani negligentia certior factus noctu Rubos aduolat, tormentiſque exoneratis tanto impetu muros verberat, tanta militum alacritate nihil tale opinanteis oppugnat (neque enim fame, morbiſque tabeſcenteis auſuros quicquam ſuſpicabantur) vt facilè vrbe potitus ſit, captiuúmque Palicianum, ac pleroſque alios abduxerit, & incolumi exercitu Barolum redierit.

Acceſſit & aliud infortunium (vt aduerſa fortuna pleraque ſimul molitur, nec incomitata ſeſe fere obiicit) miſſos ad intercipiendam, quæ Tranio Barolum exportabatur, pecu- 27
niam quinquaginta Gallos cataphractos equites præſidium Hiſpanicum conuehendæ pecuniæ impoſitum fudit, quæ ſequutam mox rerum mutationem quodammodo præſagiebat. Hic tredecim Italos, quos etiam nonnulli nominant, cum totidem Gallis inter Adriam, & Quadratam equeſtri certamine depugnaſſe, ac victoriam reportaſſe Itali ſcriptores, ſed non vno modo tradunt, vt non obſcurè mendacij ſibi conſcij eſſe videantur: Galli vtroſque, quum præſcripti ſpatij limites tranſiliiſſent, incerta victoria diſceſſiſſe ſcribunt. Sanè Coccius Sabellicus alioqui Gallis iniquus, & temporum illorum æqualis ita ſuis victoriam tribuit, vt fraude partam, non virtute fateatur: ſpatium enim certaminis tam anguſtum ex induſtria deſignatum ſcribit (ſic namque Gallorum impetum Itali ſe eluſuros ſperarunt) vt pauci lanceas fregerint, primóque concurſu quinque Galli, Itali duo finibus egreſſi pro victis habiti ſint: ea enim pugnaturis impoſita lex erat: duos Italos equis deiectos venabulis in hunc vſum ſumptis Gallorum equos, qui cum cæteris numero ſuperioribus decertabant, in illis anguſtiis ſuffodiſſe; duos tamen ex Gallis pertinacius reſtitiſſe, & pugnam diutius traxiſſe, nec niſi ſuorum monitis deditionem tandem feciſſe, alioqui à longè pluribus cædendos; aliter alij hoc certamen deſcribunt. Addunt & aliud Gallorum vndecim cum ſex Hiſpanis, quinque Italis, qui totas ſex horas in agro Tranienſi acriter pugnarint: inclinante ad Hiſpanos victoria Petrum Terralium Baiardum, Torſium, Mundracum, Arturum, Oliuarium Cabanacum cæſorum equorum cadaueribus quaſi vallo quodam obiectis hoſtium impetum eluſiſſe, quum Hiſpani, Italicíque equi cadauerum olfactu, aſpectúque territi ſeſſores excuſſiſſent, Venetos arbitros de victoria non liquere pronuntiaſſe. Hæc Itali, at Symphorianus Campegius ſeptem Gallorum equis cæſis Baiardum, Torſiúmque ita hoſtibus inſtitiſſe ſcribit, vt fuſos in fugam vèrterint. Hoc certamen præceſſiſſe, illud ſucceſſiſſe quidam putant. addunt Petri Terralij Baiardi cum Alphonſo ſiue Alonſo Sotomaiore Hiſpanorum equitum præfecto ſingulare certamen. Erat tum adoleſcens Baiardus, & quadam excurſione Sotomaiorem captiuum abduxerat, humaniſſiméque apud ſe habuerat: is nihilominus ad ſuos reuerſus de Baiardo queſtus eſt; & quod excelſa admodum, robuſtáque ſtatura eſſet, Baiardúmque alacrem, adoleſcentem, ſtatura minorem, quartana laborantem præ ſe contemneret, eundem ad pedeſtrem pugnam prouocauit, equitem enim ſtrenuum eſſe nouerat. Proceſſerunt vtrique armis vndique protecti & lato enſe, quo equites vti ſolent, pugionéque rem geſſerunt, in faciem punctim, qua galea oculis functionem ſuam exercentibus patebat, Sotomaiorem pugione vulnerat Baiardus, vnde plurimus ſanguis effluxit, & conduplicatis pluribus vtrimque ictibus, tandem interim dum Sotomaior qua in hoſtem enſem dirigeret, inſpecturus caput declinat, enſem Baiardus inter galeam, loricámque illi in guttur adigit, hominémque proſternit: ita robur (vt ferebatur) inuictum ars militaris, agilitáſque ſuperauit!

Itali ſcriptores hoc loco improbati.

Baiardi cum Alphōſo Sotomaiore ſingulare certamen.

Per eos dies tres Heluetiorum pagi Bellinzonæ finitimi (Billinzonam alij, quidam Bi- 28
licionis caſtrum vocant) Ludouicum Regem, vt ſibi Bellinzona cederet coacturi Mediolanenſem agrum ingredi tentarunt: Luſarnum vicum, murúmque ſecundùm Verbanum (quem Lacum Maiorem vocant) ductum oppugnare cœperunt. Is liberum è montibus deſcenſum in plana prohibebat, vno dumtaxat portæ aditu relicto, eoque validis præſidiis munito: & Carolus Ambaſianus Mediolanenſis prætor cum octingentis cataphractis equitibus ad Vareſium, vicináque oppida conſederat: aucti numero, nam & Rheti auxilio venerunt, alij murum oppugnarunt, alij iugum muro imminens conſcenderunt, vnde maioribus tormentis præſidium relicta porta ſibi fuga conſulere coegerunt, Luſarnum oppidum ceperunt; arx in Gallorum poteſtate remanſit, cui opem ferre propter viarum anguſtias Gallicus equitatus nequibat. Acceſſere & cæteri Heluetiorum pagi, quanquam initio ſe Ludouici ſtipendium ſequuturos, & aduerſus treis illos arma laturos promiſerant: nam mutata deinde ſententia antiquam nouæ ſocietati anteferendam cauſati ſunt: tormenta bellica, vt Luſarnenſem quatefacerent à Muſocianæ arcis pręfecto popoſcerunt; quæ,

Digitized by Google

quæ, quod Ioannis Iacobi Triuultij erat, tradere præfectus recuſauit, vnde indignati Muſocium oppidũ, ac finitimum agrum populati ſunt. Ambaſianus cõtra copiis, quas in agro Mediolanenſi habebat, coactis, & accerſitis Bononia, Mantua, Ferraria auxiliis non procul ab Alpibus, Verbanóque caſtra metatus eſt. à Venetis quoque auxilia ex fœdere poſtularat, ſed illi promptè polliciti tam lentè, vt nulli vſui eſſent, eadem poſtea ſummiſerunt: inde terra, lacúque (nam & aliquot nauigia armauerat, totóque Verbano dominabatur) commeatum importari in Heluetiorum caſtra prohibebat. Inalpinas arceis, & præſidiis, & rebus omnibus ad propugnationem, victúmque neceſſariis ita muniuerat, vt Heluetij neque longa obſidione quicquam proficere poſſent, neque in planitiem tormẽtis, & equitatu carentes deſcendere auderent. Tum verò rerũ omnium penuria oppreſſi, & quod bello trium pagorum nomine ſuſcepto cæteri nullum ſtipendium mererent, diſſenſione oborta pactis inter Regios, Bellinzonanóſque in aliquod tẽpus induciis domum redierũt. Heluetico bello defunctus Ludouicus in magnã belli quoque Neapolitani cõponendi ſpem venit: Philippus Flandriæ regulus præter ſoceri, ſocrúſque ſententiam Hiſpania Flandriam terreſtri itinere reuerti inſtituit: hic non ſecus, atque initio mater, animo à Gallis non alieno erat, & quamdiu in Hiſpania fuit, pacem inter Ludouicum, ac ſocerum procurauit. Condonata illi per Galliam libera profectio, obſides viri Galliarum principes hoc nomine in Flandriam miſſi, quos tamen Gàlliam ingreſſus Philippus ſe prorſus Ludouico permittens remittendos curauit: decimo Kal. April. Lugdunum, vbi tum Rex & Regina agebant, appulit, incredibili non Lugduni ſolùm, ſed totius adeo Galliæ lætitia, magnificentiáque exceptus eſt, quòd adoleſcentẽ principem tot, tantorumque regnorũ hæredem, & qui ad Germanicum Imperium non dubiis votis aſpiraret, Ludouicus, tum verò Anna regina affinitatis cum illo ineundæ cupida omnibus officiis, ac beneuolentia ſibi deuincire cupiebant.

Helueticum bellum.

29 Hæc certa mutuæ beneuolentiæ argumenta conſentaneos peperere euentus: ſiquidem in conſilio ſæpius aliquot dies congregati, cui interfuerunt Hiſpani legati duo Philippo comites adhibiti, ſine quorum conſilio ſtatuere nihil ille poſſet, (ita Ferdinandus ſocer, ſocrúſque Eliſabetha mandarant) & negotiis ſumma diligentia vtrimque diſcuſſis, atque pertractatis fœdus his tandem conditionibus ſanxerunt, vt regnum Neapolitanum iuxta primam diuiſionem à Gallo pariter, & Hiſpano poſſideretur; regionum controuerſarum, quarum ergo bellum ſuſceptum eſſet, poſſeſſio apud Philippum veluti deponeretur: Carolus Philippi, Claudia Ludouici liberi, de quorum matrimonio ſermo antea habitus, nunc bonis auſpiciis confirmatus fuiſſet, Neapolitani Reges, Appuliæ, Calabriæque reguli inſcriberentur, portionem, quæ Hiſpano ceſſiſſet, Philippus in poſterum moderaretur; quæ Gallo, quem Ludouicus ipſe deſignaret, vtraque futurorum coniugum nomine adminiſtraretur; quum adulti Carolus, Claudiáque matrimonium inirent, portionem ſuam Ludouicus doti Claudiæ filiæ diceret. Hoc fœdus Lugduni in maiore æde, aliiſque publicis locis ſumma omnium lætitia præconis militaris voce proclamatum eſt, & Ludouici Regis, ac Philippi ſoceri, ſocrúſque procuratoris, Hiſpanorúmque legatorum, qui illi aderant, ſanctiore iureiurando confirmatum: Philippum nonnulli (vt erat candido animo) bona fide fœdus iniiſſe, ſocerum, ſocrúmque, atque Hiſpanos legatos ea ſimulatione Ludouicum eluſiſſe, ac ſuſpenſum tenuiſſe tradunt; tantiſper dum ex Hiſpania ipſe, è Germania Maximilianus in regnum Neapolitanum auxilia mitteret. Vtcumque fuerit, doli Ludouicus prorſus ignarus haud fuit: nam & ex Hiſpania milites claſſe tranſmiſſos Maſſilienſes, & Ioannes Dalburgius Vormatienſis Pontifex in Germania pedites in bellum Neapolitanum conſcribi Ludouico renuntiarat: quæ ad Regem delata Philippus certior factus, ne quaſi doli conſcius, perinde vt Peronæ à Carolo Burgundione materno auo Ludouicus Galliarum eius nominis Rex XI. captiuus retineretur, timere cœpit. Se itaque Ludouico purgans quicquid tranſegiſſet, bona fide tranſegiſſe teſtatus eſt: ſi quid fraudis ſocer, ſocrúſque ſuſciperent, ſe ab ea quidem eſſe prorſus alienum. Rex arbitrari ſe Philippum paterna Germanum, materna origine Gallum candore Germanico, ac Gallico, & ſyncera fide in fœdus incubuiſſe reſpondit: ſiquid fraudis ſocer, ſocrúſque eius ſuſcipient, id illis magis, quam ſibi fraudi futurum: ſi datam illi fidem fallent, ſe malum exemplum haudquaquam imitaturum; atque ita ipſe, Annáque Regina, quæ Clandiam filiam Carolo eius filio collocare magnopere cupiebat, Philippum cum non obſcura beneuolentiæ ſignificatione dimiſerunt. Is Breſſam ad Philbertum Sabaudiæ regulum Margaritæ ſororis virum, quæ prioribus nuptiis Ioanni Caſtulonenſi principi nupſerat, diuertit, & legatos ad Regnum Neapolitanum miſit, qui pacem inter Ludouicum, Ferdinandúmque ſocerum initam Gallis, Hiſpaniſque denuntiarent, & vtroſque, donec ratam haberet Ferdinandus, ab armis diſcedere iuberent. Miſit & Ludouicus, qui Gallis eadem

Coniectura de fœdere à Philippo Flandriæ Principe bona fide inito ſtabilitur.

Digitized

renuntiarent: Philippi mandatis parere voluit Nemorenſis, Conſaluus niſi idem Ferdinandus, Eliſabethaque mandarent, parere recuſauit. Conſaluo animum augebat Germani pedites bis mille mittente Maximiliano nuper Barolum appulſi, tum quod Alexandrum Pontificem, Venetóſque à Gallis noſſet abalienatos, & trecentos cataphractos equites, tria peditum millia quæ Perſio duce Genua maturius ſoluere debuerant, vel ſpe ineundæ pacis, vel quæſtorum ſuorum fraude, qui Regiam pecuniam ad ſuum quæſtum auerterant, Ludouicus vrgere diſtulerat; vnde Heroctus quæſtorum princeps, & Regi antea in primis acceptus repetundarum damnatus eſt.

Nemorenſis vbi in ſpe pax amplius non fuit, copias Gallicas propter commeatus opportunitatem diſperſas præter Aubignianas, quæ in Calabria bellum gerebant, cogi iubet, vt ſi occaſio, aut neceſſitas vrgeret, prælio paratus decerneret: ſed fortuna, quæ in bellis plerumque dominatur, aduerſa admodum fuit. Ludouicus Arſius, atque Matthæus Aquauiuanus Atrienſis regulus, qui ſtatiua in agro Hydruntino habebant, ſimul ad Nemorenſem proficiſci conſtituerant, ne Petrus Nauarrus itineri imminens ſeparatos inuaderet: Arſius occaſione data Nauarrum anteuertit, relictus Atrienſis quod Nauarrum, vt ſe Conſaluo adiungeret, Materam tendere accepiſſet, deſtinatum iter ingreſſus eſt. Fortè Rutiliani Barienſis agri incolæ nuper à Gallis defecerant, Nauarrúmque accerſiuerant, vnde is Matera relicta Rutiliam verſus iter flexit, Atrienſémque obuium habuit, qui re nec opinata perturbatus, tamen quod progreſſo longius nullus tutus receptus ſupereſſet, vel vt etſi peditatu inferior, tamen equitatu ſuperior Hiſpanos longè nocturno itinere feſſos aggrederetur, pugnam fortiter iniit: quum diu ſummis vtrimque viribus certatum fuiſſet, ad Hiſpanos tandem inclinante victoria Atrienſis captus, Ioannes Antonius eius auunculus cum multis cæſus eſt. Acceſſit quod Preianes eques Rhodius è prouincia Phocenſi Caietam cum quatuor triremibus nauigans claſſe Hiſpanica, cui præerat Villamarinus, totam eam oram obtinente in portum Hydruntinum Veneto magiſtratu permittente ſe recipere, & ne interciperetur, exoneratis demerſiſque triremibus terra ſe Gallis iungere coactus eſt. Gallis, ne hoſteis laceſſerent, ſed in ſuis ſe præſidiis continerent, Ludouicus iniunxerat, tantiſper dum vel fœdus ratum Ferdinandus haberet, vel maiora illis auxilia ipſe mitteret. Verumenimuero potenteis exercitus tam ſibi inuicem propinquos continere, Gallorúmque ardorem reſtinguere, aut iis, vt bellum traherent, perſuadere magni operæpretij erat, & iam fatalis quædam neceſſitas, vt bellum terminaretur, vrgebat: terminandi occaſionem Aubignius non ſatis felici conſilio dedit. Hiſpanis ad Semenariam coeuntibus Hugone Cardonio, Emmanuele Benauidio, Antonio Leua ducibus, qui vt nonnulli tradunt octo tam equitum, quam peditum millia in armis habebant, Aubignius ſuas quoque, ac Neapolitanorum procerum Gallicas parteis ſequentium copias ad Giriam tertio à Semenaria milliari, Luſarnúmque eodem à Giria ſpatio diſtans oppidum coegit. Illic pedites, hic equites ſtatiua habere iuſſit: tormenta quatuor, vt hoſteis tranſitu prohiberet, ad fluuij Giriæ ſubiecti ripam collocauit, quo die Hiſpani fluuium traiecere, primum agmen Benauidio duce rectà Giriam contendit: poſtremum, mediúmque iter flexit, & altero fere ſupra Giriam milliari fluuium tranſmiſit: colloquebatur ex vlteriore ripa cum Aubignio Benauidius, & ſermonem trahebat: dolum interim ſed tardius Aubignius intellexit.

Itaque tormentis cum præſidio relictis, ipſe cum exercitu ad hoſteis accelerauit, vt traiicientes, incompoſitóſque adoriretur; at illi antequam in conſpectum veniret Aubignius, fluuium traiecerant, & in ordines redacti quamuis nulla ſecum tormenta traherent, Gallis obuiam proceſſerunt. Aubignius & equitatu quamuis rariore, & veterano milite, & fortuna ſua, qua hactenus admodum propitia vſus erat, fretus, & quod hoſte tam prope vrgente nullum receptum haberet, pugnam non detrectauit. Galli pedites feſtinandi auiditate non ſeruatis ordinibus numero longè inferiores Hiſpanis obiiciuntur: equitatus quanquam tanto impetu in hoſteis inuectus eſt, vt eos loco facilè moueret, tamen recentibus turmis accedentibus, numero enim longe Hiſpani quoque equites ſuperabant, fuſus, fugatúſque in his ipſis fere campis Aubignius, ex quibus nobilem paucis ante annis de Ferdinando minore, Conſaluóque victoriam reportarat, ad Angitulanam arcem confugit, & aliquantò poſt deditionem facere coactus eſt, inſigne poſteris inconſtantis, incertæque fortunæ exemplum præbiturus: nimium confligendi ardorem Aubignio ſtrenuo alioqui, prudentique duci multum nocuiſſe tradunt; quod ſi bellum trahere, nec pugnæ neceſſitatem ſubire maluiſſet, haud dubium quin rem Neapolitanam eodem in ſtatu conſeruaſſet; prælio victus, captúſque, & Calabriam amiſit, & Nemorenſi quoque pugnandi neceſſitatem quodammodo impoſuit: Conſaluus enim

Quis fuerit Aubignij cũ Hiſpanis cõflictus.

Calabræ

Digitized by Google

Calabræ victoriæ ignarus, & peſte, faméque perditus exiguo præſidio relicto Barolo exire coactus Ciriniolam quam Gerionem antiquis fuiſſe tradunt, decimo à Barolo milliari contendit, quod oppidum cum Barolo, Canuſióque collatum, vbi Nemorenſis ſtatiua habebat, triquetram prope figuram repræſentat. Propoſuerat ante in conſilio Nemorenſis an prælij aleam ſubire, an verò bellum trahere ſatius eſſet; variabant ducum ſententiæ; alij, quod Hiſpani auxiliis ab Hiſpania, Germaniáque acceptis viribus ſuperiores erant, Galli contra Rubis, ad Caſtellanetum, in agro Hydruntino, nuper in Calabria non paucos milites amiſerant, nihil temerè aggrediundum cenſebant: Melfin, aut aliam vrbem opulentam, & rebus ad ducendum bellum neceſſariis inſtructam deligendam, vbi aut promiſſa auxilia, aut fœderis confirmationem ex mandato Regis expectent. Alij & quidem plures, ſi ambo Hiſpanorum exercitus ſibi inuicem iungerentur, aut primarias aliquas vrbeis nemine reſiſtente hoſtes oppugnarent, quanto in diſcrimine res futuræ eſſent, docebant: nihil Mompenſerio profuiſſe, quod vrbibus ſe continere potius, quàm bello decernere maluit, paulatim vires eius acciſas, rerum omnium inopia tandem ad ignominioſam deditionem coactum; neque Conſaluum ab armis diſceſſiſſe, neque Ferdinandum fœdus habuiſſe ratum: ſera eſſe Gallica auxilia, Gallico nomine dignius vno prælio decernere, quam ſine ferro, & ſanguine fame, morbíſque attritos turpi tandem deditione in hoſtium poteſtatem venire; Conſaluo ſe viribus haud inferiores eſſe, non expectandum vt acceſſione alterius exercitus potentior ſibi mœnibus incluſis inſultet; quæ hactenus Gallis malè ceſſerint, hoſtium dolis accidiſſe, apertis campis non aſtutis, ſed fortibus viris paratam eſſe victoriam, Regis mandatum huiuſmodi eſſe, vt potius admoneat, quam imperet: dum vires prope æquales erant, bellum ducendum fuiſſe, idque Aubignio vitio verti poſſe; hoſtibus nunc duplo ſuperioribus, & tamen adhuc ſeparatis, ne iunctis concedenda vltro victoria ſit, occaſione vtendum.

Debuerint Nemorenſis cum Conſaluo manus cõſerere diu agitatum.

32 Hæc poſterior ſententia potior viſa eſt; poſtquam itaque Conſaluum Barolo egreſſum Ciriniolam contendere Nemorenſis intellexit, eodem & ipſe cum toto exercitu iter inſtituit, tametſi locis ita areſcentibus, vt multi ex vtroque exercitu in ipſo itinere ſiti expirarint: æſtas enim maturius incaleſcens, & longè feruentior, quàm Maij initio eſſe ſolet, de via feſſos, & huiuſmodi caloribus inaſſuetos Gallos nimio æſtu confecerat. Ad Ciriniolam priores Hiſpani appulerunt, & quod oppidum præſidium Gallicum tuebatur, inter vites caſtra metati foſſam, quæ oppidum reſpiciebat, dilatantes, altiúſque fodientes pro caſtris aggerem valli vice excitabant, foſſámque ipſam crebris acutis palis interſtinguentes, quibus ſe viri, equíque inducrent, longuriis, tigníſque ſeſe interſecantibus ſuperinductis, inſtratíſque virgultis humo, ac glebis tegebant, quum Galli aduesperaſcente iam die eodem appulerunt; ac primùm an hoſteis aggredi, an pugnam in poſterum diem differre ſatius eſſet, dubitarunt. Differri ſuadebant Iuo Alegrius, ac princeps Melfitanus, vel quod vix poſtrema diei hora ſupereſſet, vel quod hoſteis poſtridie inde mouere commeatus penuria neceſſe eſſet: interea eundum pugnandi occaſionem non defuturam, veteranos autem milites in ſuis caſtris præſertim incognitis aggredi nõ ſolùm à rei militaris diſciplina alienum, ſed & temeritati eſſe proximum. At Nemorenſis impetu magis, quàm ratione vſus pugnæ ſignum dedit, Galli, Heluetiíque ſummis viribus Hiſpanos aggreſſi ſunt, ac conflictus initio, Hiſpanorum puluis tormentarius vel ex induſtria, vel fortè accenſus in caſtris ingentem flammam excitauit, atque Hiſpanos quadam trepidatione perculit: nec idcirco tamen vel pugnam diremit, vel pugnantium animos prorſus deterruit, ſed de hac pugna, nec qui interfuerunt, nec qui poſt ſcripſerunt, inter ſe conſentiunt. Galli ſe primo conflictu Hiſpanos fudiſſe, tormenta bellica inuaſiſſe, pulueri tormentario ignem inieciſſe paſſim diuulgarunt: interea obſcura iam nocte Gallos equites, dum ſuos ab hoſtibus non diſcernũt, in Gallos pedites irruiſſe, partámque prope victoriam ad Hiſpanos tranſtuliſſe: Hiſpani, Italique Gallos foſſæ ſuperandæ difficultate, hoſtiúmque vi repulſos, & audita Nemorenſis morte attonitos cæca iam nocte, quum nullus forteis à timidis diſcerneret pudor, ſe fugæ mandaſſe prodiderunt: alij Nemorenſem, qui ad primam aciem ſuis animum additurus euaſerat, Gallos in foſſa penetranda multùm laborantes animaduertentem, vt retrocederent exclamaſſe, atque hoſtium caſtra circumeuntem, vt alia ex parte irrumperet, ſclopeti pila cecidiſſe: eam vocem, iis qui cauſam ignorabant, ſubſequutámque ſtatim eius mortem fugæ initium feciſſe, & quod obſcura admodum nox erat, paucos cæſos, inter quos Chandium ſiue Chandenerium, qui Heluetiis præerat, numerant: cæteros paſſim, qua ſors quemque tulit, diſſipatos. Formantius Caſtilio acriter dimicans captus eſt; Arſius multis cæſis Venuſiam, Alegrius Tripaldam, inde Auerſam, alij aliò ſe receperunt.

Scriptorũ de hac pugna Ciriniolana diſſenſio.

Hanc pugnã die Veneri dicato ab Aubigniana octauo, quem Hiſpanis felicem, qui hæc

Digitized by Google

obſeruant, prædicant, ad quartum Kal. Maias (vt ſcribit Sabellicus) commiſſam tradiderunt, quam aliter alij deſcribunt, & ex Gallico exercitu ad tria millia cæſa produnt: ſeſquihora pugnatum fere omnes, qui interfuerunt, conſentiunt; nonnulli culpam in Alegrium conferunt, qui Nemorenſem in poſterum diem prælium differentem timiditatis arguens conſilium mutare coegerit. Poſtquam Galli prælio ſuperiore diſſipati conuenerunt, quid potiſſimum agendum foret, conſultarunt: alij vniuerſos in vnum coactos munito aliquo in loco conſiſtere, & ne hoſtes Neapolim accedant prohibere, alij vrbem ipſam tueri ſatius ducebant: ſed nullus locus, vbi conſiſterent, ſatis tutus videbatur, & à Neapoli tuenda commeatus penuria deterrebat, magnam enim tritici vim Galli Romæ antea coemerant, ſed ne exportaretur, Romani nec vrbi ipſi ad victũ ſatis eſſe cauſati impedimento fuerunt: quod Alexandri Pontificis ad Hiſpanos deficientis conſilio procuratum fama diuulgauit: vnde Trocius inter cubicularios Alexandro antea fidiſſimus, atque intimus, quod clandeſtinam illam defectionem Ludouico indicaſſe diceretur, è Corſica, quò in Galliam traiecturus aufugerat, retractus, & Romæ extremo ſupplicio mulctatus eſt. Igitur vtraque ſpe excluſi Alegrius, Salernitanus, reliquíque proceres inter Caietam, Traiectúmque caſtra fecerũt, ad quorum nomen Galli, reliquique Gallicas parteis ſequuti accurrerunt. Conſaluus victoria prudenter vſus Melfin contendit, Melfitano regulo, ſi ad Hiſpanos tranſiret, ſua omnia, quo iure antea poſſediſſet, poſſidenda in poſterum obtulit. ille in Gallorum fide perſeuerauit, & vrbe cedens vnà cum coniuge, ac liberis Venuſiam ad Arſium ſe contulit. Conſaluus cœptum iter perſequutus vbi Neapoli appropinquauit, Galli ſe in nouam arcem receperunt: Neapolitani legatos de deditionis conditionibus acturos ad Conſaluum miſerunt, & fortunam ſequuti fauſtis venientem acclamationibus pridie id. Maias exceperunt: quorum exemplum ſtatim Auerſani, Capuaníque ſequuti ſunt.

Rerum Neapolitanarum certior factus Ludouicus, qui pacem magis, quàm bellum ſperabat, ſupra quàm dici poteſt, indoluit, non ſolùm quod Hiſpano longè potentior ſua pariter ac ſuorum negligentia ſuccubuiſſet, ſed etiam quod nobile regnum, florem Gallicæ nobilitatis, partam bellis ſuperioribus gloriam, paucis menſibus amiſiſſet, vnde inuadendæ Mediolanenſis, Genuenſiſque ditionis tot hoſtibus vndique imminentibus occaſionem daret. Igitur totis regni Gallici viribus bellum renouare, regnum, bellicámque exiſtimationem pariter amiſſam recuperare, tantámque iniuriam vlciſci pro dignitate ſtatuit: atque interim apud Philippum Flandriæ regulum, quem archiſtrategum (vt Græco verbo vtar) nominabant, grauiter queſtus eſt. Hic Galli hiſtorici cum Italis in re tamen haud ita magni momenti non ſatis conſentiunt: illi Philippum Lugdunum ad Ludouicum acceſſiſſe, hi Blæſias, illi Ludouicum ſecundo apud abſentem, Breſſæque vnà cum Philiberto Allobrogum regulo ſororis viro agentem, cæſo iam Nemorenſi, hi Blæſiis apud præſentem queſtum fuiſſe tradunt: nam prius apud eundem dum recentes in hoc bellum milites Ferdinandus terra marique mitteret, Lugduni queſtus erat, vt ſupra commemorauimus. Blæſias pro Lugduno Itali ſupponunt: Philippum viciſſim in Gallos bene animatum, & Ludouici præſertim affinitatem ambientem ſerio apud ſocerum, ſocrúmque non minore indignatione queſtum fuiſſe vtrique tradunt: fœdus toto Chriſtianiſmo diuulgatum ſacris noſtræ religionis ritibus, horrendáque dirarum interminatione confirmatum ſumma & ſua, & illorũ infamia eſſe violatum: orare vt Deo Opt. Max. iuſtiſque ſuis querimoniis ſatisfaciant. Ante victoriam multa cauſati erant: cur fœdus ratũ habere differrent, nunc generum plura, quam in mandatis haberet, conceſſiſſe, nunc ſe poſt eius ex Hiſpania diſceſſum in meliorem belli conficiundi ſpem veniſſe; nunc à ratione alienum fuiſſe, vt partem regni Neapolitani ſibi cõceſſam maturius idem vſurparet: præſertim quòd ſperatũ matrimonium tenera adhuc Caroli filij ætas incertũ redderet. Poſt victoriam autẽ quanquam fœdere haud ſtare decreuerãt, tamen Philippo aperire animi ſenſa cunctabantur, vt Ludouicus interim ſuſpenſus recentibus auxiliis Caietam, cæteráſque, quæ Gallicis adhuc præſidiis tenebantur, vrbeis iuuare differret. Sed vbi Philippus denuntiauit ſe priuſquam Ludouico purgaretur, haudquaquam inde diſceſſurum, alios tandem legatos miſerũt, qui ſe fœdere haud ſtaturos renuntiarent: hi cũ Philippo altercati mandata quidem ſoceri, ſocrúſque propter eius authoritatẽ ampla, liberáque fuiſſe conceſſerunt, cæterum aliã eorundem mẽtem, aliam illi priuatim mandatorũ exequendorum ſchedulam fuiſſe datam: quibus Philippus reſpõdit & ſchedulam, & mandata ampla ex æquo fuiſſe, ſocerum, ſocrúmque manibus ad ſacra volumina (quæ Euãgelia vocamus) Chriſtiq; cruci affixi ſimulachrũ admotis, quæ ſũma Chriſtianis execratio eſt, deieraſſe ſe quicquid ille trãſegiſſet, bona fide obſeruaturos: ſe tamen tã amplo mandato niſi ex Hiſpanorum legatorum in id miſſorum conſenſu vti noluiſſe: iidem legati Ludouicum ſemper ſuſpenſum tenere conantẽs, quod ille

Quãtis animus Ludouicus ad renouandum reſtaurãdúmque bellum Neapolitanũ incumbat.

34

ille aliquando obtulerat, in memoriam reduxerunt; & Ferdinandum, Eliſabethámque, vt Federicus in regnum reduceretur aſſenſuros prædicarunt: quorum technis cognitis, & quod Philippum idem regnum Carolo filio ambientem à ſe abalienare nollet. Ludouicus ſe nihil cum illis, niſi prius fœdus ratum haberent, pertractaturum palam reſpondit: quibuſcum enim pertractet, vbi nullam fidem, nullam ſacroſancti iuriſiurandi religionem offendat? Hæccine eſſe Regum Catholicorum (quandoquidem illi hoc cognomine tantopere gloriantur) hoc eſt, vniuerſæ religionis Chriſtianæ propugnatorum, an potius impiorum, qui nullam diuinam Maieſtatem reuereantur, elogia, vt tam diras execrationes, tam horrendas deuotiones nullo modo pertimeſcant?

Ludouicus Hiſpanorum legatis cur infenſus.

35 Hæc proloquutus, vt è Gallia ſtatim excederent, edixit, & totus in bellum incubuit: duos firmos exercitus alterum terra, mari alterum Neapolim mittere, duobus æque validis altero in Ruſcinonenſem quà Mediterraneo mari, altero in rapidi fontis agrum (vt vulgo appellatur) quà Oceano Hiſpania alluitur irrumpere, claſſe etiam Caſtulonenſem, Valentinámque oram infeſtare decreuit, ne qua in poſterum in regnum Neapolitanum auxilia tranſmitterentur. Conſaluus interim de expugnanda noua arce ſollicitus ad montis radices, quem à Martino denominarunt, loco paulò excelſiore tormenta collocauit, atque inde exterioris arcis murum acriter verberauit. Verberabant & e Vicentina turri exonerata tormenta, quam paucis ante diebus idem Conſaluus ceperat: tum in duas arx noua diuiſa erat interiorem, exteriorémque arcem, quam ciuitatulam vocabant; exterioris murus antiquus haud altis, firmiſque fundamentis nitebatur, cuniculis ducendis admodum expoſitus, in quos Petrus Nauarrus eorundem mirus artifex ſedulo incumbebat, is puluere tormentario in cuniculorum foſſam condito, igníque admoto muri partē deiecit. Hiſpani ad oppugnationem parati partim qua murus aditum dabat, partim ſcalis in ciuitatulam irruperunt: Galli ex interiore arce, vt hoſteis inde exturbarent, obuiā proceſſerunt, ſed pauci à pluribus facilè repulſi, dū ſe in arcem recipiunt hoſteis prope ſimul admittunt, vnde attoniti fortuna prorſus infeſta ſeſe illo ipſo die dediderunt: poſtridie enim claſſis Gallica ad littus appulit, ſex ingentes naues pleriſque minoribus adiunctis, bis mille pedites, magnum commeatum, magnam pulueris tormentarij, pilarúmque ferrearum vim, armorum omne genus vehebant; quibus conſpectis Hiſpanica, quę in portu Neapolitano anchoras iecerat, indę ſtatim ſoluit, atque ad Ænariam ſumma celeritate trāſmiſit, vbi demerſis aliquot nauigiis, & ne ad pugnam ineundam cogeretur, obiectis, hoſtilis aduentū expectauit. Gallica de capta arce noua certior facta fugientē ſequuta eſt, & quum mole interpoſita ad manus venire prohiberetur, exoneratis ſæpius in Hiſpanam tormentis Caietā nauigauit, cuius diſceſſu Hiſpana nihil amplius timens Neapolim rediit. Conſaluus non expectato Calabro exercitu qui in valle Arianēſi recipienda occupatus erat, Proſpero Columna in Samnium miſſo, Petro Nauarro in obſidione arcis Oui relicto Caietam, in qua belli ſumma conſiſtebat, vt finē bello imponeret, cum cætero exercitu profectus eſt: in hac enim vna regni recipiendi ſpem omnem Galli collocabant, qua amiſſa quid deinceps ſperarent non habebant: vrbs quippe maritima natura, atque arte munita, portu amplo & ad recipiendas, quæ Genua, atque è prouincia Phocenſi mittebantur, claſſes percōmodo opportuna, bellum ſola inſtauratura videbatur. Nec hanc tamen ſolam Galli, ſed, & pleraſque alias poſſidebant; Aquilam nimirum, atque Euandri rupem, & nonnullas præterea in Samnio. In Appulia Ludouicus Arſius Boius ſatis magna, equitū, peditúmque manu coacta Venuſiam inſederat, & vicinum agrū crebris procurſationibus infeſtabat, cui ſe princeps Melfitanus adiunxerat: Roſſanum, Matalonium, aliæque aliquot Andegauenſis factionis procerum vrbes conſtanter in Gallorū fide perſeuerabant. Interim Petrus Nauarrus tectis nauibus ad murum obſeſſæ arcis propius accedens, quà Pizafalconem reſpicit, inſciis Gallis, & rem nouam, inauditámque non animaduertentibus cuniculos egit, deinde immiſſo in puluerem tormentarium igne muri non exiguam partem in aëra eiectam diruit, militéſque, qui ſuperſtabant, eadem ruina pariter oppreſſit; vnde cæteris attonitis arx tanta omnium admiratione capta eſt, vt nulli muri, nullæ munitiones Nauarri cuniculis reſiſtere poſſe viderentur: quemadmodum noua inuenta diruendis arcibus opportuna nondum cognitis, quibus arceantur, rationibus formidabilia initio eſſe ſolent. His primum Genuenſes vſi traduntur, quum Serazanellam anno decimi quinti ſæculi octogeſimo ſeptimo Florentinis propugnantibus oppugnarent, quibuſcum Petrus Nauarrus tum gregarius miles ſtipendium merebat: ſed quod Genuenſes non ſatis muri fundamenta penetraſſent, murus quidem concuſſus rimas egit, euerti à fundamentis haudquaquam potuit, vnde res nullo in pretio habita tum cæteris haud exemplo fuit: Nauarrus ingenio acer quid obfuiſſet, perſpiciens, & quod defuiſſet, addens inſigne poſteris exemplum dedit.

Caieta belli Neapolitani ſumma ac finis.

Cuniculis qui primùm vſi.

Conſaluo Caietam proficiſcente Iuo Alegrius quatuor peditum millia, quadringen- 36
tos cataphractos equites, qui ex Cirmiolana pugna euaſerant, & inter Caietã, fundos, Itriũ,
Traiectum ſtatiua habebant, in vrbem reuocauit: Alegrium Salernitanus, Biſſini anúſque
reguli, ac cæteri factionis Andegauenſis proceres ſequuti ſunt. Vrbeis præſidiis deſtitu-
tas, ac præterea Germani arcem Conſaluus occupauit, & ad Caietæ ſuburbium poſitis
caſtris regionem, quæ portum, ac Rolandi montem reſpicit (ſic enim vulgo appellatur)
tormentis acriter pulſauit: hunc montem vrbi contiguum, atque imminentem Galli ter-
reis aggeribus, propugnaculíſque egregiè muniuerant, ipſe poſtea vrbe potitus muro
cinxit. Vna igitur, atque altera impreſſione aggreſſus, vbi ſuos fortiter repulſos vidit, ter-
tiam, quam vniuerſis copiis aliquot ante diebus indixerat, tentare haud auſus eſt, vel
quod expugnationem tam multis, fortibúſque propugnatoribus vix ſperandam videbat,
vel quod ſuos, ſi forte in montem euaſiſſent, maius diſcrimen ſubituros intelligebat, &
cœnobij locorúmque munitorum, qui ſummo in monte nuper extructi erant, & vrbis
tormentis expoſitos: vrbem nihilominus terra, maríque infeſtare non deſinebat, ſiqui-
dem decem & octo Hiſpanicæ triremes, quibus Raymundus Cardonius præerat, ante por-
tum in anchoris ſtantes vrbis muros impetu non minore quatiebant. Sed poſtquam Salaſ-
ſus Marchio, quem Nemorenſis nuper vita functi vicem obiturũ, & pro Rege copiis Gal-
licis imperaturum Ludouicus miſerat cum duodecim ingẽtibus nauibus quarum ſex Ge-
nuenſium erant, ac triremibus ſeptem Caietanam oram legit, claſſis Hiſpanica ſe ſtatim
Neapolim ſubducere; Conſaluus multis è ſuis amiſſis, inter quos Hugo Cardonius nume-
ratus eſt, paululum ab vrbe ſecedere coactus eſt, ſpeciem tamen quandam obſidionis ſer-
uauit, locis haud multum remotis caſtra metatus: Cætero regno proſperè Hiſpanis om-
nia ſuccedebant: Aquilam, Euandríque arcem, ac totum penè Samnium ſibi Proſper Co-
lumna ſubiecerat: Calabria quoque prope vniuerſa Hiſpanis Cappaciani Comitis pactio-
ne patebat; ſupererat duntaxat Venuſia, quam Ludouicus Arſius egregiè tuebatur, Roſſa-
num item, ac Seuerini fanum, vbi Roſſanenſem regulum Hiſpani circumſederant. Ludo-
uicus autem de conſeruãda Caieta ſollicitus hac & ſuperiore claſſe mille Corſos, tria Va-
ſconum millia ſummiſerat: antequam autem Gallorum res in regno Neapolitano accisæ
eſſent, Florentini de Alexandri Pontificis, Valentiníque inſidiis ſuſpicione concepta Ca-
domenſem pręſidem (Balliuum noſtri vocant) virum militarem cum quinquagenaria Gal-
lorum equitum cataphractorum ala ſtipendio affecerunt, copiíſque ſuis (tametſi ſummi
ducis titulo non addito) præfecerunt; & Regem in auxiliis ferendis promptiorem, & ſu-
ſpectos ſibi hoſteis ad res nouandas, aut quicquam moliendum tardiores futuros rati,
copiis coactis hoc duce in Piſanum agrum ingreſſi matureſcenteis ſegetes deintegro ſuc-
ciderunt: Anxerinam tamen vallem (quam hodie Serelanam vocant) non attigerunt, quod
inter monteis, intérque Lucam, & Piſas ſita difficiles aditus, & inſidiis expoſitos haberet.
Vaſtatis agris Vicopiſanum circumſederunt: præſidio inerant centum Galli pedites,
quibus niſi id dederent, interminatus Cadomenſis ſe in eos tanquam initæ in Regem
rebellionis, & læſæ Maieſtatis reos animaduerſurum, ac menſtruum ſtipendium polli-
citus oppidum deditione cepit. Inde miſſi ſtatim, qui Veruculam, ne qua auxilia intro-
mitterentur, cingerent: Verucula arx ſummis in montibus quinto à Piſis milliario Piſa-
norum bellorum initio extructa eſt. Hæc non ſolùm ad populandum vicinum agrum
opportuna, ſed & ſpeculæ vice erat: nemo enim Piſis exire, quin in eius conſpectu ſit,
poteſt. Huius potiundæ auiditate & Paulus Vitellius, & alij plerique multa conati fru-
ſtra oppugnationem tentarunt: circa hanc niſi Vicopiſano capto caſtra locari haud po-
terant; quo freti Piſani rarius in eadem præſidium reliquerant; conuectis per aſpe-
ros monteis ſumma cum difficultate tormentis obſeſſi de bonis, & vita pacti dedi-
tionem fecerunt. hæc deditio Piſanos mirandum in modum deterruit: raro externo
milite vtebantur, magna & pecuniæ, & commeatus penuria vrgebantur, iacturam in-
gentem acceperant; & ruſtici ſublatam anni ſpem, ſegetéſque vaſtatas ægrè feren-
tes, & in vrbe populi magna pars, pacis magis, quam belli artibus victitare ſolita à
bello abhorrebat, ſine quibus nulla conſeruandæ libertatis ſpes erat: attamen vt in
Florentinorum ditionem redirent, adduci haud poterant, quos tantis iniuriis, támque
diuturno bello afflixiſſent, vt de venia deſperarent. Quamobrem qui rem Piſa-
nam adminiſtrabant, in ſumma cura, ac ſollicitudine verſabantur, & nunc his litteras
commentitias oſtentabant, nunc huius, aut illius principis paratam opem mentie-
bantur; & veris falſa miſcentes ſi quid in Italia fortè eueniebat, eo ad ſuum inſtitutum
abutebantur.

Genuenſes quidem, Lucenséſque antiqui Florentinorum hoſtes, ac Pandolfus Petrucius 37
acceptorum

Digitized by Google

acceptorum beneficiorum immemor Piſanis fauebant, ſed præcipuam in vno Valentino ſpem Piſani collocabant, cui dudum eius vrbis principatum ambienti, quod tantopere expetebat, Piſani ipſi nuper obtulerant. Verùm ne Ludouicum Regem irritaret, rem ſuſpenſam hactenus Valentinus tenebat: fortunam immutatam, & Gallis in regno Neapolitano infeliciter cedere omnia certior factus liberius in idipſum incumbebat; & de Alexandri conſilio cum Piſanorum legatis Romã hoc nomine profectis ſedulò agebat, ac totius Hetruriæ ſibi Imperium deſpondebat: quæ tametſi non falſam ſuſpicionẽ Florentinis, Senenſibúſque mouerant, tamen priuatis commodis publica interuertentibus propoſitam à Ludouico Rege inter ipſos, ac Bononienſes ſocietatem coïre differebant; Senenſibus præſertim Petrucio, licet aliud præ ſe ferret, cedere Mompulciano recuſantibus: Petrucius enim Mompulciani ceſſione ſe totius Senenſis populi in ſe indignationem cõcitaturum obtendebat, vt deintegro ſolum vertere cogeretur: quæ excuſatio à Florentinis reiecta apud Ludouicum quaſi iuſta valuit. At Alexander, Valentinúſque Ludouico prohibẽte ſpe Bononiæ, Hetruriæque occupandæ priuati ab illo prorſus abalienati erant; ad Hiſpanos Hiſpani reſpectabant. Itaque ante Cirmiolanam victoriã clam de ſocietate cum Conſaluo egerant, & octingentos pedites, aliquot equites Hugone Cardonio duce, quibus Conſaluus vteretur, exauthorarant, vt ſupra ſcripſimus: poſt victoriam autem longè audaciores, & maiora defectionis argumenta præbentes triticum Romæ à Gallis emptũ exportari clã vetuerant, quæ Neapolis, regníque deinceps amittendi princeps cauſa fuit. Et tamẽ etiam tum ſe milites conſcribere, quibus Ludouicus rem Neapolitanam tueretur, ſimulabant, quamquam nec interim Piſarum propugnationem apertè recipere, nec Hetruriã aggredi metu Regis audebant: quúmque ille vt ſe vel ſocios, vel hoſteis profiterẽtur, vrgeret, ambiguis reſponſis ſuſpenſum tenere perſeuerabant. Necdum finita erat de Ioãnis Iordanis poſſeſſionibus inter Alexãdrum, Ludouicúmque orta diſſenſio, cuius chirographum chartæ non ſcriptæ aſcriptum, & inter Cardinalis Vrſini ſchedulas repertum, Iordanem cum cæteris Vrſinis conſpiraſſe magnam Alexandro ſuſpicionem iniecerat. Recõciliandi Alexandro Iordanis ſequeſter eſſe, & Braccianũ apud legatum ſuum deponi Ludouicus volebat, cui Iordanes neceſſitate victus, Alexander metu coactus aſſenſus eſt: quod id tum ab Alexandro poſtulaſſet, quum Philippus Flandriæ regulus fœdus ſoceri, ſocrúſque nomine cum ipſo iniret.

Triticũ Romæ à Gallis exportari per Alexãdrum Pontificẽ vetitum regni Neapolitani amittendi cauſa fuit.

38 Parta ab Hiſpanis nuper commemorata victoria vt Iordanes poſſeſſionibus ſuis cederet, compenſationem, quam Ludouicus pronuntiaret, acciperet, Alexander inſtitit. Iordanem ad eas conditiones perduxit, vtque filium obſidem daret, Ludouicus licet inuitus induxit, quod Iordanis poſſeſſiones ad Alexandrum Valentinúmque peruenire nollet, niſi eadem opera ſecum apertam ſocietatem coïrent. Petiliani agebat Iordanis filius: hunc Trano legato Regio (Matthæum Trantium alij vocãt) qui ad portum Herculis ea de cauſa acceſſerat, Petilianenſes committere recuſarunt: Iordanes reuerſus ſe pro filio obtulit, oblatum in nauem Tranus recepit, ſed Ludouicus vt ſtatim dimitteretur, iniunxit. Interea magnos belli apparatus Ludouicus inſtruebat, quibus non ſolum regnum Neapolitanum, ſed & Hiſpaniam terra, maríque inuaderet: Alanus Allebretus, ac Gienſis Mareſchallus ex Aquitania ad rapidum fontem cum quadringentis cataphractis equitibus, quinque peditum partim Gallorum partim Heluetiorum millibus contendebant. Riuius Mareſchallus cum octingentis cataphractis equitibus, octo Gallorum pariter & Heluetiorum millibus Ruſcinonenſem agrum infeſtaturus petebat: claſſis Gallica Caſtulonenſem, Valentinámque oram legebat, Ludouicus Trimullius Regius legatus militari gloria clarus ad regnum Neapolitanum properabat. Hunc tametſi iuſtus, tamen non tantus, quantum Ludouicus deſtinarat, exercitus ſequebatur vel quod celeritate opus erat, vel quod Neapolitani exercitus reliquias firmiores, quam re vera eſſent, vrbeíſque, ac Neapolitanos proceres in fide conſtantiores Regi Alegrius ſignificarat, vel quod ex ipſa Italia non exiguas copias ſua ſigna ſequuturas Ludouicus ſperabat: Florentini enim ducentos quibus Cadomenſis Balliuus præerat, Ferrarienſis, Mantuanus, Bononienſes, Senenſes centenos ſinguli cataphractos equites miſerunt, qui octingentis eiuſdem armaturæ equitibus, & quinque Vaſconum, quos Trimullius ductabat, atque octo Heluetiorum millibus, quos Antonius Beſſaius Diuionenſis Balliuus adducturus erat additi, mille octingentos cataphractos equites, decem & octo peditum millia, aut etiam amplius explebant, vt nullum antea Gallorum Regem tot, tantóſque eodem tempore exercitus habuiſſe conſtaret. Sed Gallicum exercitum Romam traducere, niſi prius de Alexandri, Valentiníque voluntate, quos merito ſuſpectos habebat, Rex certior fieret, haud ſatis tutum videbatur: litteræ enim Valentini ad Cõſaluum interceptæ paulò ante fuerant, quibus ſignificabatur vbi Caietam Conſaluus cepiſſet, vnde regni Neapolitani ſine controuerſia compos eſſet, Valentinum Piſas

ciuibus arceſſentibus ingreſſurum, atque ambos coniunctis mox viribus Hetruriam inua-
ſuros. Hinc Regio exercitu Galliam Tranſalpinam ingreſſo Alexandrum, Valentinúmque
acrius Ludouicus vrgebat, vt tandem aliquando vel amicos ſe, vel hoſtes profiterentur,
qui in ſuis diſſimulationibus perſeuerantes ad Hiſpanos quidem propendebant, ſed certo
diſcrimine retenti, ne Galli Romanum agrum occuparent, vt & Galli, & Hiſpani in Pon-
tificiis ditionibus milites conſcriberent, permiſerunt. Deinde etiam, vt Valentinus cum
quingentis cataphractis equitibus, duobus peditum millibus Regiis iungeretur, obtule-
runt, modò viciſſim Rex Senenſibus propugnationem renuntiaret, & Iordanes ditionum
ſuarum illis poſſeſſione cederet. Poſtremo Alexander ſe communem Chriſtianorum pa-
rentem præſtare, neutris ſe iungere, vtriſque liberum per ditiones Pontificias iter per-
mittere, Florentinos, Bononienſes, Senenſes, tantiſper dum de regno Neapolitano certa-
tur nullis armis infeſtare conſtituit; ídque ipſe ac Valentinus Regi denuntiarunt.

Veneno hauſto Alexander Pontifex in hortis Adriani Cornetani Cardinalis, extinctus.

At verò ad ſummam rerum omnium, quas ſuſceperant, conficiendarum ſpem perducti 39
(vt incerta hominum conſilia, fallacéſque ſpes eſſe ſolent) in ipſo quaſi aditu omnino con-
ciderunt: cœnaturi enim in hortis Adriani Cornetani Cardinalis, quem veneno tollere
Valentinus ſtatuerat, à Vaticano non multum remotis paulo maturius ante horam con-
ſtitutam acceſſerunt, & ſiti ac ſolis ardore victi maioribus poculis popoſcerunt; qui tum à
poculis erat, in principis miniſtri locum fortè ſuffectus rei ignarus, & vinum à Valentino
miſſum generoſius ratus (illi namque vt ſumma cura aſſeruaretur, iniunctum erat) id po-
tiſſimum ſitientibus miniſtrauit. Nec longa mora, Alexander illo ipſo die vita functus in
Vaticanum palatium deportatur: deportatur & Valentinus breui omnium opinione mo-
riturus, verùm & vigore ætatis, & acribus alexipharmacis vſus, & in mulæ exenteratæ,
adhucque ſpirantis vterum inſertus mortem quidem vitauit, eandem tamen in grauem,
longámque valetudinem commutauit. Poſtridie, qui decimusquintus Kal. Septemb. fuit,
in Petri ædem de Romanorum Pontificum more Alexandri cadauer elatum aperta facie
omnibus conſpiciendum iacuit, liuidum os, tumidum ac morbi vi admodum deforma-
tum haud dubium veneni indicium dedit.

Ingreſſo in vrbem Proſpero Columna tota ea factio in armis erat, Fabius Vrſinus cum 40
ſua factione Hiſpanorum quorumdam mercatorum, Pontificiæque aulæ aſſectatorum of-
ficinas, ac domos incenderat, cui nationi Romani infeſti erant. Idem peregrinos milites
cogebat, Bartholomæum Liuianum Venetorum ſtipendium merentem accerſebat: vt
cum tota familia, ac factione Valentinum vlciſcerentur. Vaticanum, pratáque contigua
Valentini milites occupabant: hinc Cardinales, quum in Pontificio palatio tuto coïre non
poſſent, in æde Mineruæ, & conuenerunt, & præter morem ibidem Alexandri exequias
celebrarunt: ne præterea Romam Conſaluus accederet, & quem vellet, Pontificem creari
cogeret. Idem timebant, quod Proſper Columna Marini quandam Hiſpanorum manum
reliquerat, cui, quod Valentinus reconciliatus erat, eandem factionem ſequuturus fereba-
tur. Multo verò magis vicinum Gallorum exercitum metuebant, qui Heluetios expectans,
lentè hactenus inceſſerat: Heluetij enim in publicis ſuis conuentibus vel propter recen-
tem Conſalui victoriam, réſque Gallis in regno Neapolitano minùs proſperè ſucceden-
teis, vel quod gens auara maioris pecuniæ à Rege pertinacia quadam in id bellum incum-
bente extorquendę occaſionem quæreret, delectum peditum à Ludouico poſtulatum mit-
tere diſtulerunt; & magnum ſua cunctatione rebus Gallicis detrimētum attulerunt. Mor-
te Alexandri intellecta Galli non expectatis Heluetiis accelerantes Senenſem agrum at-
tigerant, & Romam (ita Ludouicus mandauerat) iter habebant, quibus Mantuanus, Cado-
menſis Balliuus, Sandricurtius præerant: ille legati Regij nomen obtinebat (nam Trimul-
lius graui morbo oppreſſus Parmæ ſubſtiterat) iſti parem cum illo poteſtatem, maiorem
apud ſuos authoritatem habebant: ad Viterbium tamen paucos dies commorati, quod
Heluetij Senenſem quoque agrum ingreſſi progredi niſi numerato ſtipendio recuſarent,
Romani fœneratores propter vrbis tumultum numerare differrent, cœptum iter perſe-
quuti ſunt. Claſſem quoque Gallicam, quæ ad Caietam in anchoris erat, Oſtiam tranſmit-
tere Ludouicus iuſſerat, vt Conſaluum interciperet, aut certè remoraretur, ſi fortè (vti fa-
ma erat) Romam ire pergeret.

Tumultus Romæ excitati, & deinceps in omnem agrum effuſi vt in cæteris quoque 41
Pontificiis ditionibus plerique res nouas molirentur, effecerunt: Vrſini, cæteríque Romani
viri nobiles Alexandri, Valentiníque armis pulſi ſua repetebant, Tifernum Vitellij redie-
rant; Ioannes Paulus Baleonus tametſi fruſtra Peruſiam prima oppugnatione tentarat, ta-
men auctis viribus, & Florentinis palam opem ferentibus deintegro aggreſſus vrbem non
ſine multa, & ſuorum, & hoſtium clade expugnauit. Plumbinenſes ad arma concurrerunt,

& repulſis

Digitized by Google

& repulſis Senenſibus vrbe potiri conantibus Iacobum Appianũ veterem regulum iiſdem Florentinis iuuantibus intromiſerunt; quorum exemplum Vrbinas, Piſaurenſis, Camertium, ac Senogalliæ reguli ſequuti ſunt: ſola Flaminia, ſiue Ariminenſis Regio (vt veteres) ſiue Romandiola (vt vulgo appellant) Valentino parebat, quæ potentem regulum tot ſingularum vrbium regulis tolerabiliorem experta, qui præ inopia nec ſuos ab hoſtibus tueri, nec in pace quidem ab eorumdem fortunis abſtinere poſſent, in officio manebat: quinetiam & quod ipſis ius ex æquo, & bono dicendum curabat Valentinus, & factiones ſibi inuicem antea inſultanteis, quas vrbium nonnunquam prope internecio conſequebatur, ſua authoritate penitus compeſcebat, bello ſtrenuis dignum ſtipendium, doctis ciuilia munera impartiebatur, nec veterum dominorum recordatione, nec ipſius Valentini vel morbo, vel aduerſa fortuna ab eius beneuolentia dimouebantur; quem etiam tum vt in ſuas parteis pertraherent & Gallos, & Hiſpanos ambitioſè eniti intelligebant: huius enim & militibus ad bellum Neapolitanum, & gratia apud Hiſpanos Cardinales ad nouum Pontificem deligendum vti volebant. Quamquam autem quod Columnis Valentinus reconciliatus erat, magis ad Hiſpanos inclinare videbatur, tamen ex tempore admonitus Gallos ſequutus eſt, quorum præſens auxilium & in vrbe, & extra vrbem in ſuis ditionibus ſibi magis vſui fore ſperabat: Columnatum verò amicitiam hoc duntaxat nomine ambiuerat, ne ſimul cum Vrſinis in ſuam perniciem coïrent. Igitur Kalendis Septemb. Valentino cum Seuerinate Cardinale ac Matthæo Trano legato Regio ita conuenit, vt ſuo milite Valentinus in bellum Neapolitanum, aliáque, ſi quæ fortè interuenirent, aduerſus quoſuis vno Ro. Pontifice excepto Ludouico adeſſet: illi viciſſim Ludouici nomine ſtipulati Valentinum, eiúſque ditiones, quas tum poſſidebat, in fidem receperunt, & vt amiſſas recuperaret Regem auxilio futurum repromiſerunt.

Quã ob rem Valentinus Ludouico & Columnis reconciliatus.

42 Adhæc de ineundis Hiſpanorum Cardinalium in gratiam Ambaſiani in Pontificem eligendi ſuffragiis ſpem Valentinus iniecit: Ambaſianus autem non magis ſibi, quam Ludouico Romanum Pontificatum ambiens (ſibi enim Pontificis nomen, gradúmque reſeruare, opes ac potentiam ad recuperandum Ludouico regnum Neapolitanum cõferre cupiebat) audita Alexandri morte Arragonio, atque Aſcanio Sfortia Cardinalibus comitantibus Romam ſtatim iter inſtituerat, & ea ſpe biennio ante Aſcanium è turre Biturigum eductum (vbi aliquot annos in cuſtodia fuit) Regi reconciliarat, honorificéque habendum curauerat. Accedebat Valentini apud Hiſpanos, nonnullóſque Italos Cardinales gratia: tum verò Ludouici Regis authoritas, ac potẽtia; cuius firmus exercitus Romanum agrum inſederat, Romã quoties vellet in poteſtate habiturus. Hæc ſola ſpes Ambaſiano, ſiquidem ea commodè vſus fuiſſet, Pontificatum conciliare potuit, cæteræ fefellerunt. Aſcanius enim & communi Gallorum odio, qui Ludouicum Sfortiam fratrem Mediolanenſi ditione ſpoliarant, & ſpe eius aliquando recuperandæ accenſus, quam Ambaſiani Pontificatu ſibi præcidi, infringique intelligebat, quicquid gratiæ apud cæteros Cardinales habuit, aduerſus Ambaſianum contulit. Hiſpani item Cardinales non tam acceptis ab Alexandro, Valentinóque beneficiis, quam præſentibus commodis, vt fere hominum mos eſt, & ſuis Regibus addicti alium quemuis potius, quam Ambaſianum delegiſſent. Galli hiſtorici, vt poſtrema ſpes Ambaſianum fruſtraretur, à Iuliano Cardinale Rouereo, vtpote Ligure dolum additum ſcribunt. Is quum de Pontificatu vel propter exercitum Gallicum, vel propter Ambaſiani, Valentiníque ſibi inimici gratiam deſperaret, aliud tempus cõmodius expectare, & Pontificatum tantiſper dum omnibus machinis ad eundem ſibi aditum pararet, apud aliquem cuius vicaria quaſi perſona, & cõmoditate vteretur, veluti deponere ſtatuit: Franciſcum Piccolomineum Cardinalem Senenſem delegit, hominem multum ætate prouectum, & tam graui morbo affectum, vt de diuturniore vita nemo ſperaret, quinetiam Gallis & priuato, & quaſi hæreditario odio infeſtum, cuius patruus Pius Secundus Gallos è regno Neapolitano expuliſſet. Hunc ipſum verò Carolus Octauus ad ſe ab Alexandro miſſum ne in conſpectum quidem ſuum venire ſuſtinuiſſet, non Alexandro iratus (eius enim amicitiam ambiebat) ſed quod ab homine ob patrui memoriam abhorreret: huius perſona quaſi in ſcenam quandam producta Hiſpanos Reges pariter, ac Cardinales necnon Italos ſibi conciliandos Rouereus putauit, atque interim Ambaſiano ſe in primis fauere ſimulauit, quem aggreſſus Cardinalium in illum ſtudia manifeſto conſentire dixit, neque Romanum Pontificatum iam ad alium poſſe transferri; cæterum ſe non diſſimulare, vix quemquam antea in tanto tumultu Pontificem creatum: Romam, Romanúmque agrum Gallicis armis vndique circumſonare, periculum eſſe, nequa mox ſeceſſio Pontificem armis in Petri ſedem impoſitum obiectura fiat: iuberet paulíſper Gallos ex vrbe faceſſere, procul Roma caſtra habere, nihil vel inuidiæ, vel inimicis, quod calumnientur

Difficultates & tumultus inter creandum Pontificem exorti.

Digitized by Google

lumnientur ſuperfuturum: credulum Ambaſianum Gallos ex vrbe excedere, quo iam ſatis multi conuenerant,& ne propius accederent,iuſſiſſe,mox Franciſcum Piccolomineum Pontificem deſignatum. Aliter Guicciardinus & tamen his non multùm diſſentanea tradere videtur:Gallos tum inter Nepeſum,atque Inſulam caſtra habuiſſe, & ad vrbem vſque ſeſe ſpargere, nec Tiberim ante traiicere, quàm Pontifex deſignaretur conſtituiſſe ſcribit, vel quod metuerent ne Hiſpani vrbe occupata Cardinalium collegium ad deſignandum ex ſua factione Pontificem cogerent, vel quod ita Ambaſianus animum ſui ſtudioſis additurus ſtatuiſſet:collegium Cardinalium, hoc eſt,qui Rouerei ſectam ſequebantur obſtitiſſe, & poſt multas altercationes cum Ambaſiano conueniſſe, ne Galli Nepeſum, Inſulámve tranſirent,aut propius vrbē accederent:Valentinus cum ſuis Nepeſum abiret,certa peditum manus vrbi, præſertim verò Cardinaliū collegio præſidio eſſet, quibus tres Pontifices cum ſummo Imperio præeſſent; ac ſi quis tumultus oborietur, conclaue, in quod Cardinales coïbant,iidem Pōtifices aperirent:Cardinales quo quiſque ſtatueret, diſcederent,ne qua vis concluſis inferretur,aut vt omnis collegij cogēdi ſpes omnibus auferretur.

Ita triginta & octo Cardinales conclaue ingreſſos, dum Galli, Hiſpaníque, quíque ſeſe illis dabant inter ſe conuenire non poſſent, imminentis periculi metu intra paucos dies Piccolomineum deſignaſſe, hominem ita & ætate & morbo affectum vt breui eodem ad ſucceſſorem deligendum redituros palam eſſet. Pontifex certè Gallis infeſtior, ne Hiſpanus quidem deſignari potuit,vnde patruum & re & nomine imitaturus Pius III. nuncupari voluit,ac paucis quibus Romæ præfuit diebus,quid animo agitaret, non diſſimulauit. Itaque cum pleriſque præſertim noſtris ſcriptoribus à Guicciardino multum diſſentio,qui deſignatum Ambaſiano aſſentiente produnt,quem Hiſpanis addictum Gallis prorſus infenſum dubitare nemo potuiſſet.Pontifice deſignato Tiberim Galli traiecerūt,& cœptum iter ingreſſi ſunt: nec idcirco tamen vrbs pacata erat,vel quod ſemimortui Pontificis ratio nulla haberetur, vel quod Liuianus,ac Ioannes Paulus Baleonus, qui in Peruſino agro milites conſcribebant, expectabantur: quorum aduentum Valentinus reformidans Romam Pontifice permittente cum centum quinquaginta grauis, totidem leuis armaturæ equitibus,octingentis peditibus rediit, Vrſinis, ac Valentino intra eoſdem muros concluſis nouis quotidie militibus accedentibus rixę,digladiationes,ſeditiones efferueſcebant:& illi quidem Valentini nomen apud Pontificem,Cardinaliúmque collegium de multis criminibus detulerunt: cæterum armis hominem vlciſci cum primum Romam Liuianus, ac Ioannes Paulus appellerent, deliberarunt. Interea Iulius Vrſinus pro tota familia ſe Gallicum ſtipendium ſequuturum Ambaſiano ſpopondit; vno Liuiano excepto,cui liberum locum, honoratáſque conditiones reliquerunt. Verùm is ſuo aduentu omnia conturbauit, tametſi enim initio cum Ambaſiano propemodum conuenerat, mox tamen cum tota præter Iordanem familia, ac quingentis cataphractis equitibus, ſexaginta quotannis in ſtipendium nummûm aureorum millia accepturus ad Hiſpanos tranſiit; & quod Gallicas parteis hactenus Vrſina familia ſequuta erat,excuſationem obtendens Ambaſianum ad Pōtificatum nimis ambitioſè anhelantem à Valentino ſtetiſſe queſtus eſt. Ambaſianus contra culpam in illum ipſum retorquens Venetos Ludouicum regno Neapolitano expellere cupienteis vt Hiſpanicum ſtipendium ſequeretur,cum illo egiſſe,eum quem antea obtinebat, locum apud ſe eidem reſeruaſſe, quindecim nummûm aureorum millia in primam ſtipendij penſionem Hiſpano legato mutuo dediſſe reſpondit: & Venetum legatum, Hiſpanúmque ſimul cum Vrſinis ea de re tranſegiſſe in confeſſo erat. Ioannes Paulus Baleonus qui cum Liuiano Romam acceſſerat,& non ſecus,atque Liuianus à Gallis pariter, & Hiſpanis opulentas conditiones aucupabatur, Florentinis potius, quaſi fide magis integra ſtipendium perſoluturis, quàm Ludouico Regi ſacramento ſe obligare maluit,quamquam Gallis operam nauaturus. At quum in centum quinquaginta cataphractos equites quos in Peruſino agro cogere,& Gallis auxiliares adducere debebat,primam penſionem, hoc eſt, quatuordecim nummûm aureorum millia Ambaſiano numerante recepiſſet, varias cunctationis ſuæ cauſas nectens, & rerum ſucceſſu fidem metiens familiari tum perfidia domo pedem non mouit, nulla vel ſuæ exiſtimationis contemplatione, vel ſacramenti religione reuocatus. Ita antequam Florentinis fidem daret, hominem perfidioſiſſimum cum Liuiano, atque Hiſpanis conueniſſe rumor fuit.

Iacobus Piccolomineus Cardinalis Senēſis Pontifex Max. creatus, & Pius III. nūcupatus.

Pauli Baleoni perfidia execranda.

Cum primùm autem Vrſini ſe Regibus Hiſpanis ſacramento obligarunt, ſimul etiam Columnis in legati Hiſpani diuerſorio reconciliati ſunt, vtriſque ſuas omneis controuerſias ad legati Hiſpani arbitrium conferentibus. Ea reconciliatione attonitus Valentinus migrare Roma, Braccianúmque ſecedere conſtituit, quem inimicis cedentem ſe tutò deducturum Iordanes receperat, Ambaſianóque confirmarat: Vrſini autē, ac Ioannes Paulus 44

Baleo

Baleo ſacramenti quod Ludouico, Florentiniſque dixerat, ſecurus(nam Valentinum Rex in fidem receperat)& perfidiæ mox declaratæ iam tum argumẽtum præbens hominem aggredi parantes, vbi ponte Molis Adriani Valentini præſidio reſiſtente repulſi ſunt, Roma egreſſi longo ambitu ad portam Torroneam peruenerunt, eáque incenſa Vaticanum ingreſſi cum Valentini equitibus acriter dimicarunt. Galli qui Romæ adhuc remanſerant, Valentino opem laturi accurrerunt, ſed numero longè inferiores, & è variis vrbis regionibus coaleſcentes hoſtibus in ordines redactis obiecti cedere paulatim coacti ſunt: Valentinus in Pontificium palatium, inde ad molem Adriani præfecto, qui Alexandri etiam Pontificatu arci præerat, liberum illi diſceſſum pollicente ſe recepit. In ea ſeditione Cadomenſis Balliuus vulneratus eſt, Ambaſianus in magno metu fuit. Cardinalium ſpem Rouerei præſertim non fefellit Pius Tertius, viceſimo enim ſexto ſui Pontificatus die è vita exceſſit: Vrſini adhuc in vrbe erant, & promiſſum Hiſpanis militum numerum implebant: conclaue creandis Pontificibus deſignatum, donec illi è Roma excederent, Cardinales ingredi diſtulerunt: mox pridie Kal. Nouemb. ingreſſi nocte ipſa Rouereum Ambaſiano non repugnante Pontificem renuntiarunt. Hic Alexandro infeſtiſſimus ſemper antea Gallicas parteis, Carolúmque adeo Neapolim proficiſcentem ſequutus erat, eius belli hortator acerrimus: vt de eo bene ſperare Ambaſianus non fruſtra videretur. Pontifex renuntiatus ſe Gallis longè magis, quàm tum Alexandro infeſtum præbuit: Iulius dici voluit.

Pij III. Pontificis Maximi mors.

45 Creationi eius aſſenſus eſt Aſcanius Sfortia Cardinalis eidem prius reconciliatus, aſſenſere & Cardinales Hiſpani, tametſi initio interceſſerant, quod non ſatis multi eſſent, vt eius creationem impedirent, & ſibi conciliandũ potius, quàm fruſtra irritandum iudicarent, alioqui immoderatis eius promiſſis fidem adhibentes, & Valentini iiſdẽ pariter dolis circumſcripti precibus adducti: cuius filiam Frãciſco Mariæ Rouereo fratris filio, atque vrbis præfecto in matrimoniũ dare, amiſſas Flaminiæ vrbeis reſtituere, eundem ſummum Pontificiarũ copiarum ducem creare promiſerat, quam regionem recipere Valentinus mirandũ in modum cupiebat. Verùm egens, & promiſſis exhauſtus Valentino, Venetíſque bonam eius partem occupantibus adimere ſe poſſe deſperabat, quamquam vbi Valentinum in molem Adriani, velut in aſylũ confugiſſe copiis diſſipatis fama diuulgauit, variæ ciuitates, quę conſtantes hactenus in fide fuerant, de auxilio deſperãtes variam ſpem ſequutæ ſunt, & ſibi conſulere cœperunt. Ceſena in Rom. Pontificis ditionem rediit: an in Pontificis, an verò in Riariorum veterum dominorũ ditionem rediret cæſo à primariis ciuibus arcis præfecto Imola dubitabat. Forum Liuij primùm ab Ordelafis, deinde à Riariis Sixto IV. Pontifice iubente poſſeſſum Antonium Ordelafum Florentinis iuuantibus intromiſit: Piſaurum Ioãnem Sfortiam, Ariminum Pandolphum Malateſtam: ſed arcis præfectus acceſſito Dionyſio Naldo Valentini centurione Pandolphum expulit, vrbémque in Valentini fide continuit. Fauentia diutius, quàm cæteræ in Valentini fide permanſit: cæterum Aſtorẽ Manfredum nothum(nam ex legitimis nullus ſupererat)tandem aduocauit. At Naldus Fauentiã ad Manfredos rediiſſe moleſtè ferens, à quibus tum quum Fauentia à Valentino oppugnabatur, ad hoſteis defecerat, Venetis arceis vallis Anomonis cõmiſſas vendidit; vnde & in Fauentinam pręfecto pecunia corrupto intromiſſi ſunt. Iidem multos Flaminiæ vicos ſubegerunt, & parte copiarũ fortunæ Fanum aggreſſi à ciuibus Rom. Pontificis parteis ſequentibus repulſi ſunt. Conuenerunt & cum Pandolpho Malateſta; Ariminóque potiti ad Fauentiam circumſedendam redierunt: Fauentini latam, altámque foſſam inter arcẽ humili loco ſitam, vrbémque duxerãt, ſed toto agro in Venetorum poteſtatẽ redacto viribus inferiores opem à Iulio nouo Pontifice poſtularunt. Ille & à pecunia, & ab exercitu prorſus imparatus deſperato à Gallis pariter, Hiſpaníſque auxilio(neutris enim ſe adiungere volebat) quod poſtremum fuit, ſola Rom. Pontificatus authoritate pugnauit; cuius periculũ facturus miſſo Venetias Tiburtino Põtifice de Romanæ ditionis vrbibus præter ius occupatis grauiter queſtus eſt. Senatum Venetũ cuius hactenus ſemper obſeruantiſſimus fuerit, quũ pro vetere amicitia multo maiora ab illo ſperare debeat, Põtificatus ſui initio vltro bellum indicere, vt magis hominem odiſſe, quam finium dilatandorũ cupiditate flagrare videatur, atrocem iniuriã nullo ſuo merito ſibi inferri: orare, vt quem in inferiore coluerint, eundẽ in ſupremo honoris gradu collocatũ ne contemnant.

Iulius recenter Pontifex renuntiatus Venetos præter ius Romanæ ditionis vrbeis occupaſſe cõqueritur.

46 Non deerant viri prudentes, præſertim qui nimiæ ambitionis culpam deprecati portus Neapolitanos cum Arragonio Ferdinãdo, Ducatum Mediolanenſem cum Ludouico Rege diuidere ante diſſuaſerãt: ita ab hoc bello alieni, vt eius acceſſione Venetorum ambitionem Italis, ſed etiam cæteris nationibus perſpicuam fore dicerent. Verùm & hi pauci erant, & proſpero hactenus rerum ſucceſſu facilè refellebantur, vt vno prope conſenſu Pontificio legato in hanc ſententiã reſponderint ſe poſſidendæ Fauentiæ occaſione vſos nõ videre quid ea in re de Ro. Pontificis authoritate decedat: Alexandrum de vniuerſi Cardinalium cœtus

conſilio

conſilio Fauentia Valentino ceſſiſſe, ante Valentinum nunquam Romanos Pontifices eam vrbem poſſediſſe:ſemper Romani Pontificatus vicariis commiſiſſe;quorum poſtremi,& patrum,& noſtra memoria Manfredi Ro.Pontificem exigua penſione patronum agnoſcentes, cæterum quaſi legitimi domini diu eandem ſuperiorum vicariorum more tenuerunt;quam conditionem ſubire Senatus Venetus non recuſat:Fauentinos à Pontificia dominatione abhorrenteis pertinaciſſimè à Valentino ſtetiſſe, ab illo deſertos ad Manfredum nothum non ad Ro.Pontificem confugiſſe.Etiámne Ro.Pontifex an Manfredum nothum,an vero Senatum Venetum potius clientem agnoſcat, dubitabit? Poſtremò precari vt qua beneuolentia Venetam Remp.Cardinalis proſequutus eſt,in eadem ſummus Pontifex perſeueret. Fauentinis vnica ſpes in Florentinis vicinam vrbem in Venetorum ditionem venire ægrè ferentibus reliqua erat, qui initio ducentos pedites illis auxilio miſerant; pluréis ſe miſſuros polliciti,ſed Iulium à bello abhortere,Ludouicum Regem non ea eſſe authoritate,vt Venetos à Valentini poſſeſſionibus arceret, agnoſcentes ſoli tantam belli molem ſuſcipere haud auſi ſunt. Ita rebus omnino deſperatis Fauentini iam tormentis muros ſternentibus, quæ è Franciſcino cœnobio librabantur, deprehenſa etiam coniuratione, qua nonnulli ex ciuibus Florentinos in vrbem admittere conabantur, pacta Aſtori exigua in victum penſione de deditione egerunt. Fauentia ſubacta Forum Cornelij,ac Forum Liuij capere haud difficile fuit: ſed Veneti Iulium pertinacius irritare nolentes, & bona Flaminiæ parte iam potiti exercitum in hyberna dimiſerunt: Valentino duntaxat Ceſenæ, Fori Liuij, Fori Pompilij, Bretenorij arces ſupererant, quas apud Iulium fide de reſtituendis accepta deponere voluit. Iulius nec dominandi cupiditate victus, & priſtinæ ſynceritatis memor accipere recuſauit: poſtremò vt Venetis Pontificias ditiones infeſtantibus ſeſe aliquo modo opponeret,cum Valentino interpoſita etiam Cardinalitij Senatus fide egit, vt is Speciam traiiceret, inde Ferrariam, deinde Imolam proficiſceretur: eodem centum grauis, quinquaginta leuis armaturæ equites,qui Valentini ſigna adhuc ſequebantur,conuenirent.

Valentino Oſtiam progreſſo, vt inde Speciam nauigaret Iulium arcium non acceptarum 47 pœnituit, quas mirandum in modum ſibi retinere cupiebat: hinc Volaterranum, Surrentinúmque Cardinales Oſtiam miſit,qui Valentino,vt eaſdem apud ſe eadem qua Romæ conuenerat, fide deponeret, perſuaderent: ne Veneti auxilio deſtitutas, aut dolo, aut vi aperta inuaderent. Quod quum recuſaſſet Valentinus,hominem è nauibus retractum,inde in Vaticanum deduci Iulius imperauit, Romanis crudeliſſimum, facinoroſiſſimúmque tyrannum in cuſtodiam traditum gaudentibus, & iuſtas ſuorum ſcelerum pœnas luere cupientibus. At Iulius ne arcium præfecti de domini ſui ſalute deſperantes eaſdem Venetis pretio addicerent,veritus, Valentinum humaniſſimè excepit,& blanditiis,vt chirographis traditis arceis commemoratas reciperet, irretire tentauit: nec ante dimiſit, quam Ceſenenſis Bretonorianæque compos fuit, quamquam nec tum planè dimiſit, vt ſuo loco explicabimus. Ita Valentini potentia Romani Pontificatus opibus,armiſque,atque eius facinoribus & crudelitate breui aucta breui quoque atque vno quaſi momento concidit, & vt diuinam vltionem interueniſſe agnoſcas eaſdem prope fraudes quibus multos mortales exagitauerat, in ſe expertus eſt. Nec meliore fortuna eius milites vſi, qui dum in Peruſino agro vagantur liberè transeundi à Florentinis teſſeram expectantes Baleonorum, Vitelliorum, Senenſium copias ſuis veſtigiis inſiſtere animaduertentes in Florentinum ingredi coacti ſunt: vbi inter Caſtellionem, Cortonámque diſperſi & ad quadringentos fere vtriuſque armaturæ equites pedites non multos redacti Florentinorum iuſſu equis, armis, omni ſupellectile ſpoliati ſunt. Michaël præfectus captiuus abductus,quem Iulius,quod omneis Alexandri domeſticos inſectaretur, hunc verò præſertim Valentini velut emiſſarium, & crudelitatis adminiſtrum ſumma contentione ſibi dedi poſtulauit, & tamen poſtea, qui in quos ſæuire iure poſſet, rariſſimè ſæuiret, liberè abire permiſit. Ambaſianus Cardinalis in Galliam rediturus legationem (vt vulgò appellant) hoc eſt, ius quo vice Romani Pontificis cuiuſuis generis ſacerdotia poſſeſſorum vel morte vel qualibet alia ceſſione vacantia quibus commodum videretur,conferret, & pleraque alia condonaret obtinuit non tam Pontificis beneuolentia,quam denegandi verecundia: abeuntem Sfortia Cardinalis ſequutus non eſt,quamuis ſe in Galliam reuerſurum ſacroſancto iureiurando cõfirmaſſet. Nec tamen Aſcanij Sfortiæ periurium Ambaſianum erga Pandolphum Petrucium cautiorem reddidit, à quo Senis magnificè exceptus tanto verborum, conſiliorúmque artificio circumſcriptus eſt promiſſis de Mompulciano Florentinis reſtituendo additis, vt ad Ludouicum reuerſus Petrucio in Italia ſe prudentiorem offendiſſe quemquam inficiaretur, filiúmque eius Borgneſium paternorum promiſſorum obſidem Ludouico datum ad patrem remittendum curauit.

Quid cauſæ fuerit cur Valentinus cuſtodiæ traditus fuerit.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER DECIMVS.

1 RES Neapolitanas multis aliis de cauſis præſertim verò Valentini clandeſtina ad Hiſpanos defectione labefactatas, Galliſque infeſtas docuimus: de Iulio dicendum eſt. Duos in Hiſpaniam immiſerat Ludouicus exercitus: qui ad Fontem Rapidum progreſſus erat, partim ſtipendij non exoluti penuria, partim Alani Alebreti, Gienſiſque diſſenſione diſſipatus eſt. Et Alebretus in Hiſpania ab ineunte ætate educatus ad Hiſpanos procliuior, ac quondam riualis Ludouico non ſatis reconciliatus videbatur: claſſis etiam quæ Caſtulonenſem, Valentinámque oram legerat, re infecta, nulláque hoſtibus illata memorabili iactura Maſſiliam redierat: qui vero Ruſcinonenſem agrum inſederat, Salſuláſque oppugnabat, & numeroſior, & longè inſtructior exercitus, vbi & cuniculis, & tormentis vrbem magna vi concuſſit, oppugnatione acerrima fruſtra aggreſſus quadrageſimo fere die obſidionem ſoluere coactus eſt: ingentem enim ex tota Hiſpania exercitum, vt obſeſſis auxilio eſſet, Perpennianum Rex Ferdinandus conuocarat: ac quamquam Riuio alter exercitus ad Fontem Rapidum miſſus Alebreto, Gienſique cum ſuis domum reuerſis acceſſerat, viribus inferior tamen retroceſſit, & ad Narbonem conſedit, vt hoſteis ſi forte in Galliam irrumperent, magnæ vrbis præſidio fretus à tergo carperet. Hiſpani paucis excurſionibus in agrum Narbonenſem factis domum Ferdinando iubente redierunt: quemadmodum enim ad ſuos fines tuendos ſatis parati, ita ad Gallos inuadendos nimis imbecilli Hiſpani erant. Nec multò poſt Federico procurante inter Ludouicum, Ferdinandúmque pactæ quod ad Galliam, Hiſpaniámque attinebat, in quinque menſes induciæ, & vt Federicus in regnum reduceretur, aſſentiri Ferdinandus ſimulabat: Neapolitani factionis Andegauenſis proceres, prorſus intercedebant, Ferdinandi ſimulationi Hiſpani legati hoc nomine in Galliam miſſi tantam ſe ad ſui Regis ingenium egregiè accommodantes fidem fecerunt, vt per Ludouicum duntaxat, quo minus reduceretur, ſtaturum Federicus Hiſpanus, Hiſpani & propinqui abditos ſenſus non ſatis agnoſcens, exiſtimaret.

Anno 1503.

2 Factis induciis Rex vterque in vnum regnum Neapolitanum animum conuerterat: Galli Roma profecti per Lauicanum agrum (Valmontonenſem vulgo appellāt) ad Germani Fanum in Caſini montis radicibus ſitū contendebant: Conſaluus Sicca arce, Caſinóque quod ex æde ſacra in arcis formam Galli muniuerant, valido præſidio munitis non procul inde, non vt prælio decerneret, ſed vt hoſteis tranſitu prohiberet, caſtrametatus eſt: Gallis ad pontem Coruum (Fregellas olim fuiſſe putant) Ceperanúmque appulſis Marchio Salaſſus, quique Caietanum agrum inſederant, ſeſe adiunxerunt; Traiecto ** Fundanóque agro vſque ad Lirim fluuium receptis. Galli Sicca arce acri oppugnatione tentata, neque oppugnata viam ſibi ad Germani Fanum propter locorum difficultates aperire deſperantes maritimam oram ſequi ſtatuerunt, ac biduum Aquini commorati immiſſis in Guilielmi arcem ſeptingentis peditibus retro iter flexerunt, Fregelláſque redierunt; inde ad Liris oſtia deſcenderunt, vbi Minturnas olim fuiſſe tradunt. Is locus & ad traiiciendum flumen, quod illi animo intendebant, & ad diuturna ſtatiua percommodus videbatur (totam enim eam regionē, Caietam, Traiectum, Itrium, Fundos vſque ad Lirim poſſidebant) & claſſis Gallica eandem oram legebat: vt autem Lirim traiicerent magni momenti erat,

quo tranſmiſſo ne ad Neapolis muros accederent, prohibere nemo potuiſſet; Conſaluus enim longè viribus inferior locis munitis conſiſtere cogebatur, apertis campis ſeſe committere non audebat. Verumenimuero ſæpe euenit, vt quæ difficillima putantur experientibus facilia, quæ facillima contra videntur, difficilia ſint. Conſaluus Germani Fano egreſſus ex altera Liris ripa ſeſe Gallis ſemper opponebat; & his, quas exercitus fluuios traiecturi ſubeunt, difficultatibus fretus ne in alteram ripam euaderent ſe perfecturum ſperabat. Sed Galli & ex ſua, quæ paulo excelſior erat, & ex nauigiis, quæ propinqua claſſis aduerſo flumine ſummittebat, multis exoneratis tormentis Hiſpanos arcuerunt, fluuiúmque ponte iunxerunt; poſtridie in aduerſam ripam contendenteis Hiſpani fortiter aggreſſi ad medium vſque pontem repulerunt. Ibi crebris tormentorum pilis disiecti pedem referre coacti ſunt; Gallos ſi alacriter, fortique animo pontem tranſire maturaſſent, victoria potituros fuiſſe fama diuulgauit: dum cunctantur, aut potius cunctantis externi ducis imperia faſtidiunt, & victoriæ, & rerum in poſterum bene gerendarum occaſione priuati ſunt. Mantuanus Ludouici Regis legatus inde morbum cauſatus abſceſſit, cui potius fortem, ſtrenuíque ducis animum Itali, quam fidem defuiſſe produnt: at noſtri Mantuani familiares Gallorum conſilia ad Hiſpanos detuliſſe, illum ipſum ſua in traiiciendo Liri cunctatione res Gallicas peruertiſſe tradunt, vnde Gallis tum his, tum aliis de cauſis in ſuſpicionem venit: præſertim verò, quod Euandri arci à Fabricio Columna circumſeſſæ, quæ magni in id bellum momenti erat, opem ferre noluiſſet, vnde acris inter ipſum, Sandricurtiúmque altercatio interceſſit.

Quibus de cauſis Mantuanus in perfidia ſuſpicionē venerit.

Creſcentibus deinde ſuſpicionibus eadem prope fide, qua Ioannes Paulus Baleonus domi remanſit, Mantuanus cum Italici equitatus robore, vt Gallorum vires minuerentur, ſimulata inualetudine diſceſſit, idque illi tum palam Sandricurtius obiecit. Mantuani diſceſſu, qui ſuperfuerunt Itali dilapſi, aut ad hoſteis defecerunt, aut ſe ad ſuos receperunt; ſumma Imperij donec aliter Ludouicus ſtatueret, ad Salaſſum Marchionem delata eſt. Sed parem prope Cadomenſis Balliuus, ac Sandricurtius nothus Galli apud Gallos poteſtatem habebant: hi è curribus, aliáque materia propugnaculum, quod ponte iacto erigi ſtatim oportuit, in vlteriore ripa erexerunt: hinc ponte ſeſe Gallis inferentibus inſultare amplius Hiſpani haud poterant, progreſſuros in agrum Sinueſſanum multa aduerſa retinebant: Conſaluus enim qui Gallorum tranſitum prohibere hyemis inſtantis aſperitate, locorúmque difficultate potius, quàm apertis viribus nitebatur, ad vicum Cinturium vno à fluuio milliari diſtantem loco ſatis excelſo vix anguſtæ, quæ vnica Gallis aditum dabat, imminentia caſtrametatus eadem aggere, foſſáque præalta cinxit: frontem, quæ Gallos reſpiciebat, duobus ab vtroque limite propugnaculis muniuit, nihil rariſſima recta, nihil aquarum inundationem moratus, quæ bonam caſtrorum partem contegebāt, vt miles ſub dio pernoctaturus virgultorum faſcibus terram aquas ebullientem ſternere cogeretur. Sunt enim hæ à Tito Liuio non ſemel commemoratæ Sinueſſanæ aquæ, quæ à Minturnenſium paludibus, quarum antiqui meminerunt, non longè abeſſe, aut potius eædem eſſe videri poſſunt. His difficultatibus perculſi plerique Hiſpanorum duces, vel quod numero longè inferiores erant, vel quod ibi diu ſine morbis conſiſtere milites non poterant, exercitum Capuam deducendum ſuadebant. Conſaluus in ſententia perſtitit, vitā ibi cum laude ponere ſe paratum potius, quàm aliquot vlnis cum ignominia cedendo in centum annos protrahere gloriatus, quæ pertinax (vt ita dicam) conſtantia illi victoriam peperit: nam etſi Galli non tot, tantiſque difficultatibus premebantur, quod turris Minturnenſis, finitimáque regio loco paulo excelſiore ſita non perinde ac Sinueſſana planities aquis obruebatur, & vicini theatri reliquiæ, theatróque annexę pergulæ protecta atque proiecta, ad unctaque diuerſoria, ac frequentes domus hyberna non incommoda militibus præbebant, equitatus autem Traiecti, atque in finitimis oppidis hybernabat; tamen nec ipſi, nec Heluetij corporibus, animiſque obfirmatis, vti Hiſpani, imbrium, niuiúmque aſſiduā vim, hyemiſque maturius accedentis ſæuitiam perferebant. Etenim & cœlum ipſum aduerſus Gallos pugnare quodammodo videbatur, & cœlo infeſtior quæſtorum Regiorum rapacitas, eorúmque, qui commeatus ſubminiſtrandi curam habebant, ad ſummam calamitatum addita omnia perturbabat: neque enim ſtipendium bona fide exoluebant, neque, vt militum numerus impleretur, curabant, & rerum omnium penuria laborare exercitum de induſtria ſinebant. Accedebant ducum inter ſe diſſenſiones adeo graues, acerbæque, vt nihil fere ex militari diſciplina adminiſtrari poſſet. Ita diu temporis iniquitate ſtertentes, otioſique Gallicam illam alacritatem amittebant, & nihil, præter aliquot procurſationes ſibi non multum aliquando felices memoria dignum gerebant.

Sinueſſanæ aquæ & Minturnenſes, eædem.

Pontem

Digitized by Google

4 Pontem interim Fabricio Columna ſuadente Conſaluus incendio deiicere tentauit, lembum arida materia reſinata, piceatáque oppletum addito puluere tormentario noctu in pontem immitti iuſſit: ſed qui id muneris ſuſceperant, ſpatium interiectum non ſatis peritè metientes ignem maturius iniecerunt, priúſque fere abſumptus lembus eſt, quam in pontem impingeret: & Galli exoneratis tormentis, quod ſuperfuit, facilè diſiecerunt. Adhæc ſeptingenti illi pedites arci Gulielmi præſidio relicti, ſtipendij atque eorum, quæ ad victum pertinebant, inopia cæteros relicta arce ſequi properantes inter eundum hoſtibus prædæ fuerunt. Interea Liuianus, aliíque Vrſini cum ſuis equitum, peditúmque copiis ad Conſaluum acceſſerunt, quibus fretus non amplius ſua tueri, ſed hoſteis aggredi cogitauit: nongentos enim grauis, mille leuis armaturæ equites, Hiſpanorum peditum nouem millia in exercitu habebat, peditatus Italici, Germanicique numerus non traditur. Conſaluo rei bene gerendæ Gallorum negligentia occaſionem dedit, qui in tanta hyemis aſperitate fluuio interiecto nihil ab hoſte metuentes in vicina oppida diſperſi hybernabant, ac decem eius regionis milliaria, aut etiam amplius occupabant: Salaſſus cum præcipuis ducibus, & parte exercitus, verum exigua, Minturnis, ſiue ad turrim Liris oſtio imminentem Conſaluo ſeſe opponebat: & quamquam tum commeatus copia Galli abundabant, tamen ob priſtinam inopiam multi in morbos inciderant, bellóque inutiles erant: multi, atque inter eos Cadomenſis Balliuus, Gallorum ducum præſtantiſſimus, è vita exceſſerant. Horum gnarus Conſaluus pontem ex lembis, lintribúſque Liuiano admonente clam extruxit, & ad Lirim è regione Sugij quarto ſupra Minturnas milliari comportari, ac noctu ſexto Kalen. Ianuar. iaci imperauit, vbi nullas Galli præſidio impoſiti vigilias agebant: ponte iacto ſtatim traductus exercitus Sugium occupauit, præſidiarios milites vel cepit, vel cecidit, niſi qui fortè ſalutem fuga quæſierunt, ibique reliquum noctis exegit. Poſtero die Veneri ſacro, quem ſibi felicem Hiſpani prædicant, Conſaluus, qui, vt poſtrema acies inter Calenum (quam Carinulam vocant) arcémque montis Draconis, vbi Sinueſſa fuiſſe olim dicitur, relictum Minturnenſem Gallorum pontem adoriretur iuſſerat, cum prima, ſecundáque traiectis Gallos perſequi properauit. Salaſſus eadem nocte de hoſtium tranſitu admonitus, eáque audacia, & re nec opinata perturbatus, quod nihil niſi primo vere aggredi ſtatuerat, hoſteiſque eadem ſocordia quieturos exiſtimarat, Alegrium primum cum aliquot equitibus, peditúmque cohortibus, vt hoſtium tranſitum impediret, præmittere decreuit: mutato deinde conſilio (neque enim in tempore occurrere Alegrius poterat) ponte diſſoluto cum omnibus, quæ præſto erant, copiis quinquageſimo poſtquam illuc appulerant die, Caietam iter inſtituit, ægrotis, vulneratis, nouem tormentis, multiſque impedimentis relictis.

Minturnenſis Gallorum pons incendio à Conſaluo vt deſtinatus.

Dies Veneris Hiſpanis fauſtus creditus.

5 Conſaluus de Gallorum profectione certior factus Proſperum Columnam cum leuis armaturæ equitatu præmiſit, qui properanteis remoraretur. Hic ob tormenta, quæ conuehebantur tardius ingredienteis, ad Scandium aſſequutus eſt, velitaribúſque præliis laceſſiuit: illi tamen ſeruatis ordinibus incedebant, tormenta præcedebant, ſequebantur pedites, equitatus poſtremo loco hoſtium aduentantium impetum ſuſtinebat. Verum vbi ad pontem Formianum, Molámque tormenta appulerunt, graue prælium conſertum, ad quod poſtrema Hiſpanorum acies fluuio iiſdem lintribus, quibus pons à Gallis interruptus compactus erat, tranſmiſſo acceſſit, & quum aliquamdiu acerrimè conflixiſſent, vbi Petri Terralij Baiardi virtus plurimùm enituit, tandem, ne Conſaluus anteuerteret, qui partem exercitus montano itinere, vt viarum anguſtias antecaperet, emiſerat, Galli pedem retulerunt, & quum ad Metam, qua via, quæ Caietam, Itriúmque ducit, ſeparatur, perueniſſent, tormentis relictis nec ſeruatis amplius ordinibus Caietam petierunt: ibi Bernardinus Adurnius alæ quinquagenariæ legatus occiditur. Per eos dies Fabricius Columna cum quingentis vtriuſque armaturæ equitibus mille peditibus Liri ad pontem Coruum ſuperato vicinis oppidis opem ferentibus Ludouicum Mirandulanum, Alexandrúmque Triuultium cum ſuis fudit, atque ſpoliauit. Et qui Itrij, fundis, ac vicis propinquis Galli hybernabant, Hiſpanos ſibi imminere rati non ad Minturnenſem turrim confugerunt, ſed huc, illúcque diſperſi aut ruſticis, aut hoſtibus prædæ fuerunt. Petrus Medices tum quum ex ea turri Galli diſcederent, lembum cum tormentis quatuor Caietam tranſmiſſurus aſcenderat: is in fluminis oſtio ventos contrarios expertus naue & pondere, & tempeſtate depreſſa miſerè cum ſociis periit. Nocte conſequente Conſaluus ad Caſtellionem (quod Ciceronis Formianum quidã putant) Molámque caſtra poſuit: poſtridie Caietæ appropinquans ſuburbiũ montémque ſuburbio, atque ipſi vrbi imminentem Gallis cedentibus occupauit: alij cõmeatus, reíque nummariæ in militum, præ-

Petrus Medices fluctibus hauritur.

Digitized by Google

ſertim Heluetiorum ſtipendium impendendæ, vrbis dedendæ cauſam fuiſſe, alij non tam commeatum, quam animos viris fortibus dignos defuiſſe, alij de auxilio deſperanteis morbis ingraueſcentibus ad eas conditiones perductos fuiſſe tradunt.

Anno 1504.

Iniqua cõditionis à Conſaluo iuratæ de Neapolitanis captiuis dimittẽdis interpretatio.

Belli Neapolitani infelicẽ exitum Galli in tria maximè capita refundunt.

6 Vtcumque ſit Antonius Beſſaius Diuionenſis Balliuus, Sanctocolumbanus, Theodorus Triuultius ad Conſaluum miſſi de deditione egerunt: remiſſi ad Salaſſum, Petrus Nauarrus, Didacus Mendocius, Petrus Pacæus Kalendis Ianuar. anno huius ſæculi quarto: conuenit inter vtroſque, vt Galli vrbem, arcémque dederent; Galli, Itali, Heluetij cum armis, equis, omnibus impedimentis, terra, marive, quo viſum eſſet, abſcederent, Aubignius, cæterique captiui emitterentur: id in genere aſcriptum Conſaluus ſua interpretatione peruertit, Neapolitanóſque captiuos dimittere recuſauit. Miretur quis fortaſſe Gallos initio viribus longè ſuperiores commeatu, cæteriſque ad bellum neceſſariis terra marique abundanteis tam facilem ſine ferro prope, & ſanguine hoſtibus reliquiſſe victoriam: nam ferro perpauci, morbis quamplurimi, vt vix quarta pars ſuperfuerit, periiſſe dicuntur. Treis infelicis huius euentus cauſas, qui belli rationem perſpectam habuerunt, has potiſſimum attulerunt: in primis longam Gallici exercitus in Romano agro Cardinale Ambaſiano ita iubente retardati moram: tum enim fluuij etiam nauigabiles vadis traiici, itinera conuehendis tormentis firma, ac percommoda, tempus oppugnationibus opportunum facilem in regnum Neapolitanum aditum promittebant, Conſaluus exiguas ſuas copias in munitas vrbeis condere, cætera hoſti permittere coactus fuiſſet; & nondum Vrſinos, cæteróſque Italos in ſuas parteis perduxerat, quos ſuo more fortunam ſequuturos veriſimile erat: quod ſi Gallis proſperè initia ſucceſſiſſent, haud dubium, quin ad ſe ſola quæſtus contemplatione nutantia huiuſmodi auxilia traduxiſſent: præterquam quod Neapolitani Hiſpanicum faſtum, ſuo magno malo experti horrebant, & Galli natura ſua moræ impatientes ferocitatem illam, qua quicquid initio aggrediuntur, facilè perrumpunt, antequam in regno Neapolitano pedem ponerent, prope amiſerant: tum in alieno cœlo diutius commorati antequam hoſtem vidiſſent, morbis tentari cœperant. Acceſſit, quod ſuis ducem externum, cui haud facilè patebant, Franciſcum Gonzagam Mantuanum regulum Gallis meritò ſuſpectum Ludouicus præfecerat: hic ſemper antea Maximiliani, Venetorúmque, dum cum Gallis bellum gerebant, parteis ſequutus, quem ne ſummum copiarum ducem Florentini legerent, non ita pridem Ludouicus diſertè interdixerat, haud vanis coniecturis noſtris hominibus in ſuſpicionem venerat, Italo enim reconciliato quãta adhibenda ſit fides, etiam recentibus exemplis ſatis cognitum eſt. Suſpicionem auxit Euandri arx Gallis propugnantibus penè prodita, cui vt opem ferret noſtris depoſcentibus Mantuanus adduci haud potuit, & res Gallicas nihilominus ſua cunctatione labefactauit: quinetiam eius familiares (vt plerique Itali venales eſſe ſolent) Gallici exercitus conſilia clam ad hoſteis deferre inſimulabantur: hinc crebræ inter illum, noſtróſque duces contentiones, ac iurgia, hinc ſibi malè cõſcius vel ſeditionem in exercitu veritus, ſe morbi ſimulatione ſubduxit nec magna rei militaris experientia præſtabat; prælio duntaxat Foronouano, & quidem infeliciter depugnauerat, neque enim antea, vel poſt in magnis imperiis verſatus eſt, & aliquot poſt annis ad Scalam inſulam Veronenſem pagum nullo muro cinctum negligentia vel centurioni exprobranda (vt ſuo loco enarrabimus) turpiter à Venetis captus fuit: poſtremò quæſtorum Regiorum, eorúmque qui commeatus ſuppeditandi curam ſuſceperãt, auaritia perfecit, vt Galli ad Liris oſtia deducti ſumma initio rerũ omnium penuria laborarint, vnde pleriſque dilapſis exercitus longè infirmior eſſe cœpit: & quamquam mox grauibus ducum pariter, ac militum querimoniis ad Regis aureis etiam permanantibus omnia abundè ſuppeditata ſunt, tamen & qui abierant, non redierunt, & qui per totam eam regionem diſperſi erant, Hiſpanis nec opinato irrumpentibus cum ſuis coniungi non potuerunt; & multi morbis oppreſſi aut perierunt, aut bello inutiles fuerunt. Ingentem quidem pecuniæ, commeatúſque vim Romæ Ludouicus congeſſerat, nihil ex ſe præterquam quod de ſummo copiarum ſuarum duce melius conſuli potuit, prætermiſerat: ſed quemadmodum in corpore humano, vt bene conſiſtat, ſuúmque ritè munus obeat, non ſolum vt caput (quamquam in hoc præcipua vis) verùm etiam vt cætera quoque membra ſuo officio non deſint, neceſſe eſt: ſic in rerum ciuilium, bellicarúmque muneribus obeundis, ſi qui quid laude dignum moliuntur, non ſolum, vt qui præeſt, ſed & qui parent, quæ ſuarum partium ſunt præſtent, conſentaneum eſt.

7 His de cauſis nobilis exercitus morbis, ducúmque diſſenſionibus atque imprudentia magis, quam hoſtium vi fuſus miſerè magna ex parte periit: iis qui terra ingreſſi ſunt, inter redeundum fame, frigore, inualetudine enectis, iis qui mari, ad inualetudinem

dinem addita maritima nauſea inter nauigandum, aut cum primùm terram attigerunt, mortuis, è quorum numero Salaſſus, Sandricurtius, montium in maiore Burgundia Balliuus, ac plerique alij viri nobiles fuerunt. Hoc ipſo anno fœdus inter Baiazetem Turcarum Imperatorem, ac Venetos ſumma vtrimque propenſione, ſtudióque initum eſt: Baiazetes enim ingenio mitis patris iſthac parte multum diſſimilis, & litteris præſertim philoſophiæ Auerroicæ, ac ſuæ perſuaſionis Theologiæ deditus, natura à bellicis rebus abhorrebat: tametſi autem ingenti apparatu terra, marique bellum inſtituerat, atque anno decimiquinti ſæculi nonageſimonono Naupactum Ætoliæ vrbem (Lepantum hodie vocant) ſæculari autem quem Alexander Sextus Pontifex Maxim. condidit, Metonem trinis caſtris adortus triplici, latáque murorum facta ruina dum præſidiarij, ciuéſque ad Venetas quinque triremes auxiliares excipiendas præſidiis non ſatis firmis ad tuendos muros relictis accurrunt, tribus locis irrumpens expugnarat: Coronem, ac Pilum (Nauarrinum Iunco portui impoſitum vulgo appellant) quæ ſedes Neſtoris olim fuit, Metonenſium clade perterritas deditione ceperat, Criſſæo per Cherſeoglebaſſam generum potitus erat, Dyrrachium anno proximo occuparat, in id tamen vel naturæ ſuæ indulgens, vel ne Chriſtianos principes in ſe accenderet, veritus, haud eadem animi contentione incumbebat. Iam enim aliquot triremes Alexander Pontifex Venetis auxiliares miſerat, Lancelotum Boëmiæ, Hungariæque Regem in Turcas incitarat: & Galliæ, Hiſpaniæque Reges Alexandrum imitati ſuas quoque cum Venetis claſſes, ſed non eodem tempore coniunxerant, vt non fruſtra pacis magis, quàm belli artibus inſtructus ſibi timeret, Venetos autem quædam veluti neceſſitas vrgebat: diuturnis namque bellis mercaturæ, quibus ea potiſſimum Reſp. ſuſtentatur, refrigeſcebant, immo fere nullæ erant, maiora enim illis cum Turcis, quàm cum cæteris nationibus commercia ſemper fuerunt. Præterea annona, quam è Turcicarum ditionum regionibus conuehere antea ſolebant, in magno pretio erat, & quæ princeps fœderis cauſa fuit aduerſus cæteros principes bellum gerentes fines ſuos fere ſemper dilatare conſueuerant: Othomanorum potentia eò iam proceſſerat, vt viribus inferiores cedere cogerentur, ſemper aliqua ditionum ſuarum portione ſpoliati. Amurathes Baiazetis auus Theſſalonicam illis ademerat, Mahometes pater ſedecim continuos fere annos cum iiſdem bellum gerens ponte ſupra Euripum extructo Eubœam (quem vulgo Nigropontem nuncupant) bonam Peloponneſi partem, Croiam, Chalcedonem, & alias quaſdam Albaniæ, Macedoniæque vrbeis abſtulerat, quid Baiazetes maiores ſuos imitatus profecerit, ſuprà commemorauimus. In pacis conditionibus, quæ ceperat, retinuit, & Neriton præterea (quæ hodie ſancta Maura dicitur) Venetis condonantibus recepit: hanc enim cum Cephalenia (quæ Leucas olim fuit) Veneti claſſe Hiſpanica, cui Conſaluus præerat, coniuncta anno huius ſæculi primo occuparant: anno tertio Mitylenem Gallica auxiliante, cui Philippus Raueſtenius natione Flandrus Cliuenſis reguli frater præerat, aggreſſi re infecta redierunt. In Benedictum Piſaurum Venetæ claſſis præfectum, quod ſe obſidionis initio aliud quiddam moliturus ſubduxerat, nec commeatum pollicitus ſuppeditarat, Raueſtenius, in Raueſtenium Veneti, & quidam è noſtris quorum ſententiam Claudius Seiſelus Maſſilienſis Pontifex ſequutus videtur, culpam conferunt, quod non expectato Piſauri reditu contradicente Paulo Valereſio, qui Piſauri vicem obibat, & triremibus relictis præerat, oppugnationem aggreſſus ſit, quod Piſauro reuerſo obſidionem, donec ſummus Rhodiorum magiſter accederet, qui in dies expectabatur, continuare recuſarit. Poſtremò quod nulla ratione adductus repente inde ſoluerit, Chiúmque nauigarit; vnde vela faciens ſuæ ſtoliditatis quaſi pœnas daturus in fœdam tempeſtatem incidit, & claſſe cum octingentis viris fortibus amiſſa vix, & præter ſpem ipſe cum quadraginta duntaxat elapſus eſt.

Fœdus inter Baiazetem Turcarũ Imperatorem ac Venetos ſancitum.

8 His bellis defuncti Veneti Andrea Gritto, qui tum Conſtantinopoli captiuus detinebatur, & mox Venetiarum Dux creatus eſt, procurante, quod in multos annos continuatum eſt, cum Baiazete fœdus inierunt: ſed Venetis non tantam bella Turcica, quantam Luſitaniæ ad vltimam vſque Indiam nauigationes hoc tempore inſtitutæ, nec antea cognitæ moleſtiam, iacturamque attulerunt: ante enim omne aromatum genus ex Alexandria Ægypti vrbe Venetias deportare Veneti, & in totum Chriſtianũ orbem magno quæſtu diſtribuere, ac diuendere ſolebant. Indica nauigatione cognita id longè minore impẽſa Luſitani præſtiterunt, atque vniuerſum terrarum orbẽ homini facilè peruium rem poſteris mirandam mortalium primi eſſe docuerunt; quod qua ratione euenerit, paucis aperire non alienum erit. Eudoxus quidẽ Lathurum Regem fugiens, atque è ſinu Arabico ſoluens Gades perueniſſe contra Hanno dum res Carthaginienſes florerent, Gaditano freto egreſ-

Nauigationis Indicæ auctores.

Digitized by Google

ſus in Indiam traieciſſe proditur:ſed illi nauigationes ſuas longè diuerſis temporibus inſtituerunt,nec vlla poſteris,ſaltē quæ ad nos peruenerint,monumenta reliquerunt.At Chriſtophorus Colombus natione Ligur harum nauigationum author peregrinationem ſuam anno deciminquinti ſæculi nonageſimoſecundo Ferdinandi Regis Hiſpaniarum authoritate ſuſcepit: multos eius teſtes habuit, & regiones, quas adiit,hominúmque mores, ſi non ipſe,at per aliquem è comitibus diligenter perſcriptos reliquit.Cuius exemplū multi poſtea ſequuti ſunt,in primis autē Petrus Alphonſus Niger,ac Vincentianus Pinzonus Columbi alumni,atque Aries eius frater,qui ſuis impenſis ille vnam,hi quatuor celoces inſtruxerunt. Albericus item Veſputius, & Ferdinandus Corteſius, ac plerique alij Ferdinandi Hiſpaniæ Regis, necnon etiam Luſitani Emmanuelis Regis ſui auſpiciis eaſdem nauigationes tum in Occidentem, tum in Orientem ſuſceperunt: & quod nonnullæ inter ipſos contentiones intercederent nouum illum orbem nuper repertum Alexandri Sexti Pontificis authoritate ita diuiſerunt, vt linea vna Arcticum polum verſus ab Heſperidum inſulis (caput Viride hodie vocant) in Occidentem, altera verſus Auſtralem in Orientem protenderetur, quoad rurſus coïrent, orbémque in duas parteis æqualeis partirentur, regionéſque hactenus incognitæ ad Occidentem ſitæ Hiſpanis ad Orientem Luſitanis cederent.Hinc Corteſius quartam orbis partem,in eadémque Meſſicanum regnum,Themiſtitanámque vrbem in paludibus Venetiarum inſtar ſitam reperit. Blaſcus autem Nouius ac Magellanus Luſitanus exul Pariam terram Æquatori ſubiectam, Moluchas inſulas auro, gemmíſque celebres Calecutham auream Cherſoneſum, Taprobanam inſulam, Vrabanum Iſthmum Orientalis, occiduíque Oceani quaſi limitem peragrarunt,vt Petrus Martyr Anglerius in ſuis Oceaneis decadibus refert * * * * *.

Vt ad inſtitutam narrationem redeamus, vbi Caietanæ deditionis, tantæque & nobilitatis, & cæterorum cladis nuntius in Galliam perlatus eſt, qui non ferro pugnantes, 9
ſed morbis magna ex parte confecti non ſua culpa, verum ducum vel perfidia, vel ignorantia, commeatúſque penuria, aut in caſtris, aut inter redeundum perierant, magnus Regem in primis, Regiúmque comitatum, ac cunctos etiam ordines mœror,mœſtitiaque afflixit: nobile, opulentúmque regnum, quod recuperare in poſterum deſperabat, ac ſuam pariter exiſtimationem amiſſam Ludouicus permoleſtè ferebat;quantos apparatus, quanta diligentia inſtruxiſſet, quanta verborum iactantia ſibi nimiùm multa promiſiſſet, recordabatur: tum quod ab Rege inope, & numero, & militum robore ſuperior ducum ſuorum culpa, quæſtorúmque auaritia ſuperatus fuiſſet. Itaque non amplius per legatos, ſed ſuo ductu res ſuas ſe geſturum deos hominéſque teſtatus eſt,& Heroëtum quæſtorum principem peculatus condemnauit. Accedebat,quod vires ſuas amiſſo hoc exercitu multum imminutas intelligebat, vt ſi vel Maximilianus, vel Ferdinandus in Mediolanenſem agrum vires ſuas conuerterent,haud ſatis ad reſiſtendum paratus eſſe videretur:præſertim ſi Aſcanius Sfortia Cardinalis, quem Mediolanenſes vnicè diligebant, alterutri iungeretur, Maximilianum, qui bonas occaſiones fere amittere conſueuiſſet, nihil molitum nemo miratus eſt,Conſaluum ſibi non defuturum omnes quaſi pro certo habebant. Hunc, qui Gallicas parteis ſequebantur,Itali,pręſertim Florentini impensè timebant:quamquam enim annuum prope ſtipendium Hiſpanis militibus debebatur,tamen pecuniā victoribus non defuturam veriſimile erat, & metus omnia maiora faciebat;vnde Cōſaluum Mediolanum contendentem ſibi iam imminere exiſtimabant:at Conſaluo pręterquam quod ſtipendium deerat,non tantæ vires præſto erant, quibus & regnum Neapolitanū nuper ſubactum retinere,& aliena inuadere, Mediolanenſémque ditionem tanto interuallo ſeparatam,Galliæque prope contiguam ſibi vendicare poſſet. Et Ludouicus Arſius qui poſt Ciriniolanam pugnam Venuſiam ſeceſſerat,interim dum cæteri Galli ad Lirim cunctabantur Troiam,Seuerini Fanum,& quaſdā alias vrbeis ceperat, & cum non contemnendis copiis totam Appuliam ad defectionē incitabat;quicum plerique Andegauenſis factionis viri nobiles coniuncti erant: aduerſus hunc Conſaluus graui morbo afflictus Liuianum mittere coactus eſt. Interea Ludouicus vt tempus iuſtum reficiendis copiis haberet,& cum Maximiliano & cum Ferdinādo inducias procurabat, quorum legati in Regio comitatu erant: cætera Italia nō tam bello,quam belli metu premebatur. Veneti ſuo more huius belli exitū expectabant,occaſionéſque captabant:Florentini,quod nulla à Rege auxilia ſperabant, dum nihil Conſaluus aduerſus ipſos moliretur, ſecum præclarè actum putabant. Iulius Pontifex magnis rebus ſuſceptis in vnum Valentinum intentus erat, cæteras in aliud tempus differebat. Hic treis duntaxat in Flaminia Fori Liuij, Ceſenæ, Bretenorij arceis tenebat,quas recipere Iulius omni arte,omnibúſque machinis adhibitis contendebat:Fori

Heroëtus quæſtorũ Regiorũ princeps peculatus condemnatur.

Sempronij

Sempronij arcem Antonius Ordelaſus corrupto præfecto paucis ante diebus recuperarat, antichirographum tandem Ceſenæ dedendæ Iulio Valentinus tradidit, quod Petrus Ouiedus Hiſpanus Pontificis nomine ad præfectum detulit: ſed præfectus captiuo hero haud parendum eſſe præfatus hominem, quod exiſtimationem ſuam tentare videretur, laqueo temeritatis pœnas luere iuſſit. Hinc arceis niſi Valentino è cuſtodia emiſſo recuperare deſperans Iulius cum eodem conuenit, vt in arcem Oſtienſem deduceretur, quem Bernardinus Caruaialis Hiſpanus Cardinalis cum primùm Ceſenanam, Bretonorianámque ac Foroliuianæ antichirographum tradidiſſet, & de repræſentandis quindecim nummûm aureorum millibus Romæ prædes dediſſet (tot enim Foroliuianus præfectus in arcis cuſtodiam expendiſſe cauſatus depoſcebat) liberum abire permitteret.

10 Vtque conuentis fide maiore ſtaretur, diploma hac de re in frequenti Cardinalium cœtu Iulius dari iuſſit. Etenim ne ſi ſemel Valentinus ſui iuris eſſet, Foroliuianus præfectus arcem dedere recuſaret, Iulius timebat, alioqui acceptarum ab Alexandro, Valentinóque contumeliarum memor, & iuſto, quo cæteri etiam flagrabant, in Valentinum odio implacabilis. Idipſum ſuſpicatus & Valentinus, ac de Iulij fide nihil ſibi certo promittens à Conſaluo duas triremes, quibus clam elaberetur, teſſerámque Neapolis liberè adeundæ depopoſcit; quod facilè Conſaluus ſe facturum recepit: vnde Caruaialis Cardinalis in eandem cum Valentino ſuſpicionem adductus, & de datis Romæ prædibus Ceſenæque, ac Bretenorij arcibus deditis certior factus inſcio Iulio Valentinum abire permiſit. Is non expectatis Conſalui triremibus clam terra ad Neptuni portum profectus lembo ad arcem montis Draconis nauigauit, vbi Sinneſſam aut non procul inde olim fuiſſe tradunt: hinc rurſus terra Neapolim peruenit, quem honorificè exceptum ſeriis etiam, intimíſque conſiliis aliquandiu Conſaluus adhibuit. Huic aliquot ibi dies commoratus Valentinus ſibi in animo eſſe Piſas adire indicauit, cuius vrbis compos rem Hiſpanam multùm augere, & Florentinos Gallis addictos infeſtare poſſit. Probabat id conſilium Liuianus, & de Mediceis Florentiam reducendis ſollicitus Florentinos quoque eodem tempore ſe aggreſſurum pollicitus eſt. annuit poſtulatis Conſaluus, & oblatis triremibus, vt milites in regno Neapolitano Valentinus conſcriberet, permiſit, quos ſecum in eam expeditionem educeret: & interim cum eo de Hetruriæ, Piſarúmque rebus ſæpius conſultans hominem vana ſpe tantiſper aluit, dum reſponſum iis, quæ iam ſtatuerat, conſentaneum à Ferdinando accepit: tum paratis triremibus, militibúſque poſtridie conſcenſuris Valentinum cum magna beneuolentiæ ſignificatione (qua Ferdinandum maiorem Regem Neapolitanum erga Iacobum Picininum iam morti deſtinatum vſum ferunt) Conſaluus dimiſit: digreſſum è cubiculo in arcem arripi iuſſit, & celeri triremi in Hiſpaniam, vbi in arcem Medinenſem concluſus eſt, traiiciendum curauit, atque immutatæ ſuæ voluntatis culpam in Ferdinandum contulit, qui hominem omnibus facinoribus coopertum, Italicæ tranquillitatis perturbatorem, & res nouas ſemper molientem in cuſtodiam tradendum iudicaſſet. Ad Setabam tranſmiſſum, ibique in cuſtodiam traditum ſcribit Iouius epitome libri octaui, at libro tertio de vita Conſalui eundem fere biennium in arce Medinenſi cuſtoditum tradit. Per eos dies pactæ inter Ludouicum, Ferdinandúmque induciæ fuerunt, ea conditione, vt qui ſub vtriuſque Regis ditione eſſent, liberè inter ſe negotiari, præterquam in regno Neapolitano, poſſent: qua exceptione, quæ ſupererant Gallis vrbes, arcéſue amiſſæ fuerunt: ſupererant autem dumtaxat in Calabria Roſſanum, in Hydruntina regione Oirum, in Appulia Venuſia, Conuerſanum, Arx montana, quibus regionum ab Hiſpanis poſſeſſarum commercio deiectis (ſic enim præſidiis etiam impoſitis Conſaluus cauerat) tam milites, quam ciues in eas difficultates deuenerunt, vt hi ad Hiſpanos deficere, illi abire cogerentur.

Valentinus à Cõſaluo eluſus, & in arcẽ Medinenſem captiuus abductus.

11 Itaque Ludouicus Arſius Caietano fœdere vti dedignatus explicatis vexillis, tympaníſque reſonantibus in Galliam cum ſuis reuerſus eſt: quanquam autem Hiſpani regnum Neapolitanum tum nullo prohibente liberè poſſidebant, id tamen non ſecus, quam hoſtes indignis modis vexabant, milites enim, quibus annuum, aut etiam amplius ſtipendium debebatur, non ex ſtipendio ſicuti antea, ſed ex populi bonis ſibi victum parabant, & quod viſum erat, commeatus ſpecie rapiebant: nec contenti vicos oppidáque hoſtilem in modum diripere, Capuam ipſam totius regni vrbem opulentiſſimam, marinámque arcem ingreſſi exire inde, niſi prorſus exoluto ſtipendio recuſabant. Nec huic malo mederi, nulla aut rara admodum pecunia ex Hiſpania ſummiſſa, Conſaluus poterat: ſi enim ex ipſo regno tantam pecuniam in ſtipendium exegiſſet, cum morbo graui medicinam non minus grauem exæquaſſet, aut etiam morbum ipſum exacerbaſſet: milites porrò ſuo arbitrio

viuere quadam neceſſitate permittens in magnum omnium eius regni ordinum odium incurrit, quod res noua nullo adhuc exemplo inducta intolerabilior videbatur: tametſi enim antea exercitus antiqua Romanæ militiæ diſciplina iamdudum exoleſcente militari licentia pleraque indigna patrabant, & ſibi nimium multa indulgebant, tamen huc vſque ex ſtipendio ſuo victitare, & quiduis pretio quærere ſolebãt. Militarem diſciplinam ſi non aliunde, ex Turcis ſaltem diſcamus, quorum Imperator tyrannorum omnium, quorum memoria extet, crudeliſſimus ſuos tamen ab huiuſmodi rapinis egregiè coercet: ſed & cætera huius diſciplinæ exempla apud Turcas vigent, apud Chriſtianos aut rara, aut fere nulla extant; illorum imperium ſemper augetur, noſtrum in dies decreſcit, vt intra non multos annos (quod Deus omen auertat) interiturum fortaſſe videatur. Recentes inter Gallum, Hiſpanúmque induciæ, vnde pacem conſequuturam veriſimile erat, ac Valentini captiuitas Flaminiam, totámque adeo Italiam Florentinis, Piſaníſque exceptis non ſolùm bello, verùm etiam omni belli ſuſpicione paſſim liberarunt. Forum Cornelij primariis ciuibus cõnitentibus in Pontificis ditionem redierat, redierat & Forum Liuij Antonij Ordelafi morte, cuius frater nothus Ludouicus, quam ſibi conſeruare viribus inferior non poterat, vrbem Venetis certis conditionibus tradere conatus eſt; illi, ne Pontificem grauius irritarent, recipere recuſarunt: arcem præfectus de Valentino in Hiſpaniam abducto, in cuſtodiámque tradito certior factus acceptis quindecim nummûm aureorum millibus Iulio dedidit. Florentini autem contractis maioribus quam antea copiis, & Ioanne Baleono, ac Columnis, Sabelliſque alarum equeſtrium ductoribus ad ſtipendium vocatis Piſanum agrum vaſtare, ſegetéſque corrumpere, aut aſportare decreuerant: eo fidentioribus animis incumbentes, quod poſtremis inter Gallum, Hiſpanúmque induciis, vbi ſuos vterque Rex fœderatos disertè nominarat, Piſanorum inter Hiſpani fœderatos mentio nulla facta eſſet. Quanquam autem parta victoria Piſanis multa pollicitus erat Conſaluus, tamen à Florentinis non alienus videbatur: quinetiam cum ipſis Proſpero Columna interprete clam conuenerat, ne Ludouicum Florentini ſi ad recuperandum regnum Neapolitanum nouum exercitum mitteret, auxiliis, aut pecunia iuuarent, ne Conſaluus viciſſim Piſanis, niſi Florentini ad oppugnandam vrbem tormenta bellica conueherent, auxilio eſſet, quam niſi Gallo ſocietate renuntiata in Florentinorum poteſtatem venire nolebat: tametſi id verbis duntaxat, nulla maiore cautione confirmatum erat.

Florentinus igitur exercitus non ſolùm eos quos antea agros, ſed & Anxerinam vallem, & contiguas Piſis regiones vaſtauit, ad quas prius adire viribus inferior haud auſus erat. Tum Librafactam exiguo præſidio defenſam paucis diebus cepit; & Piſas quidem fames ad deditionem coegiſſet, niſi Petrucius, Lucenſes, Genuenſéſque præſto fuiſſent, quorum impenſis Renatus Saſſetus, aliíque è Conſalui exercitu ducentos equites Piſas deduxerunt, Genuenſes priuatim mille pedites ſummiſerunt: & Bardellus Genuenſis pirata è portu Veneris myoparone, & aliquot minoribus nauigiis commeatum identidem Piſas importabat: vnde conductis tribus Federici triremibus, quæ ad Phocenſis prouinciæ littus in anchoris ſtabant, Florentini Dimante Ricaenſi præfecto Bardellum ſe ſubducere coegerunt, qui interdum tamen ventorum commoditate vſus aliquot lembos commeatus plenos in Arni oſtia immittebat. Terra autem magis etiam Piſæ vrgebantur, nam capta Librafacta Florentini toto agro diſperſi ne quid Luca Piſas importaretur, néue in proximam ſementem terra coleretur, prohibebant; & ſub æſtatis finem milium, cæteráque id genus legumina, quorum fertiliſſimus Piſanus ager eſt, corruperunt, ac nullis impenſis parcentes Arni curſum alio auertere, & è turre Fagian a quinto à Piſis milliari in paludes inter Piſas Liburnúmque interiectas deriuare tentarunt, vt nihil mari in vrbem immitti poſſet. Verùm ea res cum aliis de cauſis exitum non habuit, tum quod paludum ima tandem Arni alueo ſublimiora deprehenderunt, tametſi aliter aquarum libratores paulo ante iudicarant; & vt rarò quæ immoderata cupiditate homines ambiunt, feliciter ſuccedunt, tres illæ conductæ triremes nauem Piſanam tritico onuſtam ad Monœci vſque Herculis portum (Villafrancam hodie vocant) perſequutæ tanta inter redeundum ad Rapallum tempeſtate iactatæ fuerunt, vt vix præfectus cum paucis itineris ducibus euaſerit. Hinc Florentini quos viribus ſibi ſubiicere non poterant, beneficiis allicere tentantes edicto publico ſanxerunt, vt quiſquis Piſanus in fundos, ac prædia rediret, præteritorum veniam, vnáque poſſeſſiones recuperaret. Verùm pauci edicti liberalitate vſi vrbe exierunt, & qui remanſerunt, turbam inutilem edicti ſpecie eiecerunt, ac famis ſubſidium nihilominus ab iiſdem ſuis poſſeſſionibus fruentibus clam nonnullum receperunt. Sed tanta vrgebat rerum omnium penuria, vt qui rure habitare ſoliti erant,

vacillarent,

Digitized by Google

Piſani à Florentinis obſeſſi, & in quam penuria redacti.

vacillarent, ciues, de vrbe Genuenſibus dedenda deliberarent: cuius deliberationis Lucenſes ac Petrucius authores fuerunt, vt impenſis ægrè iampridem toleratis parcerent, & Genuenſes recenti beneficio ſibi deuincirent. Genuenſes vrbis ditionem, ac propugnationem recipere cupientes repugnante Ioanne Ludouico Fliſco, vt Ludouicus, cui in Genuam ſumma poteſtas erat, aſſentiretur, enixè inſtiterunt: rationem ſuæ ambitionis obtendebant, nempe ſi ea ſpe excluſi Piſani Hiſpanis ſe dedant, perpetuum ipſis cum tam propinquis hoſtibus bellum futurum: Hiſpanorum ambitionem tam anguſtæ regionis finibus haud terminatum iri, Hetruriam, Ligures, Inſubres, totam denique Italiam ſpe deuoraturam. Ludouicus Genuenſes propagandæ ditionis ergo bellum non neceſſarium ſuſcipere prohibuit, & tamen ne Piſanos ſuo more pecunia, militibus, aliiſque rebus iuuarent, quanquam Florentinis id depoſcentibus haud prohibuit.

Duas maximè ob cauſas Ludouicus iure ſuo in regnum Neapolitanũ adepto cedere ægrè adducitur.

13 Hoc ipſo tempore inter Gallum, Hiſpanúmque pax agitabatur: vterque Federico, aut Alphonſo eius filio cedere regno Neapolitano ſe velle ſimulabat: matrimonium proponebatur inter Alphonſum, ac Ioannam Ioannæ Hiſpani ſororis filiam, quæ Ferdinando minori Regi Neapolitano non ita dudum nupſerat. Reficiendis viribus Gallus tempus aucupabatur, atque interim cum Maximiliano, Philippóque filio ſocietatem coire cupiebat: graueis impenſas, ſi bellum renouaretur, Hiſpanus horrebat, neuter re vera ſuo iure cedere in animo habebat. Duæ potiſſimum Ludouicum, ne cederet, cauſæ reuocabant, altera, quod Neapolitanis Gallicarum partium viris nobilibus graues admodum conditiones dicerentur, quorum rationem non habere à candore Gallico prorſus alienum erat: altera, quod filius Maximiliani Philippus Flandriæ regulus Carolo filio idem regnum, Claudiámque Ludouici filiam ambiebat, cuius amicitiam ſequi Ludouicus decreuerat. Itaque ſe pacis quidem ſtudio teneri, cæterum & Neapolitanæ ſuarum partium nobilitati, & ſuæ exiſtimationi conſultum velle profitebatur: vbi autem quæ cum Maximiliano, Philippóque filio pertractabat, ad exitum perduci facilè poſſe intellexit, Hiſpanos legatos non, vt vulgò ſolent, ſed maioribus adhibitis ceremoniis dimiſit; apud quos in Regiam accerſitos Regio ſolio ſedens, cui totus Regius comitatus aderat, grauiter de Ferdinando, Eliſabethâque vxore queſtus eſt, qui pacem ſe cupere verbis profiteantur, animo ab ea longè abſint, qui tam duras ſibi, Neapolitanæque nobilitati ſigna ſua ſequutæ leges imponere conentur, Rege indignum eſſe vanis conſultationibus, rerúmque pertractationibus nihil proficientibus tempus inaniter terere, ſatius eſſe, vt è Gallia excedant, & ad Reges ſuos reuertantur. Illis dimiſſis Maximiliani, Philippíque legati acceſſerunt, & quandoquidem de rebus maioris momenti, & ad plureis pertinentibus diſceptatio erat, Siſtaricenſis Pontifex Iulij legatus, ac Finalenſis Marchio ab eodem Iulio priuatim ad id miſſus in concilium adhibiti fuerunt. Hi rebus diu vltro, citróque diſceptatis in has tandem conditiones ſocietatem coierunt, nempe vt Carolo Philippi filio natu maiori Claudia Ludouici filia (quemadmodum antea ſæpius agitatum erat) nuberet: quod matrimonium, vt ratum eſſet (nam tenera adhuc vtriuſque præſertim Caroli ætas erat) huic capiti non ſolùm Ludouicus, ſed & Franciſcus Valeſius Engoliſmenſis regulus (ad quem Ludouico ſine liberis maribus decedente regnum Galliarum redibat) licet vix pubes, cæteríque primarij Regiæ ſtirpis, aliíque proceres ſubſcriberent, ac iureiurando confirmarent: antiquatis prioribus Ducatus Mediolanenſis inueſtituris omnibus (ſic diplomata quibus Mediolanenſes reguli Germanis Imperatoribus ſacramento ſe obligant, eoſdémque patronos agnoſcunt, & viciſſim ab ipſis clientes agnoſcuntur vulgo appellant) nouum diploma conficeretur, quo Ludouicum Maximilianus, eiúſque liberos mares, ſi qui in poſterum naſcerentur, ſuperſtitéſue eſſent Claudiam, ac Carolum; aut ſi Carolus ante nuptias ritè celebratas diem ſuum obiret, eandem Claudiam atque alterum Philippi filium, ſiquidem illi Claudia nuberet, in fidem reciperet, ac iam tum Mediolanenſes regulos agnoſceret. inter Iulium, Maximilianum, Ludouicum, Philippum de tuendis mutuò ſuis ditionibus, ac de repetendis iis quas Veneti occupaſſent, bellóque recuperandis ſocietas rata eſſet: aduerſus Venetos Maximilianus in Italiam cum firmiſſimo exercitu, inde Romam, ſi ita viſum eſſet, corona Imperatoria donandus proficiſceretur: Maximiliano Ludouicus Mediolanenſis Ducatus diplomate ritè expedito, atque in manum tradito ſexaginta florenorum Rhenanorum millia, totidem ſexto poſt menſe dependeret, eidem quotannis ac ſucceſſoribus Germanis Imperatoribus calcaria aurea die Chriſti natali clientelæ munus offerret; intra quartum menſem Hiſpani Reges (ſi ita iis videretur) in eandem ſocietatem admitterentur, ſin admitti recuſarent, an Ludouico regnum Neapolitanum inuadere liceret, haud diſertè additum fuit: ne Comitem Palatinum, cui Gallicis opibus

Quibus conditionibus ſocietas inter Ludouicum & Maximilianum inita.

Digitized by Google

opibus freto graue bellum cum Maximiliano erat, vlla re Ludouicus iuuaret: hac ſocietate Veneti quicquid cum illis Maximilianus, Ludouicúſue antea egiſſent, excluderentur. Hæc capita diplomate ſocietatis ritè confecto diſertè continebantur: extra diploma vt Maximilianus, ac Ludouicus in colloquium venirent, dum temporis, ac loci commoditas ſeſe offerret, Ludouicus Sfortia è cuſtodia eductus in comitatu aulico, aut aliqua Galliarum regione, quam Rex deligeret, addita penſione liber, ac ſui iuris viueret: Maximilianum enim (cuius falſa promiſſa Sfortiæ calamitatem accelerarant) amici affinis tam diuturno carcere macerati pudebat; Mediolanenſes exules in patriam redirent, actum fuit; quæ Tridenti prius inter Maximilianum, Cardinalémque Ambaſianum agitata nondum conuenerant. Hanc ſocietatem tametſi varius, incertúſque in omnibus penè actionibus Maximilianus ſemper fuit, tamen quod in rem eius, Philippíque filij in primis eſſet, adiuncto etiam Iulio Pontifice firmam, ſtabilémque fore omnes ſibi perſuadebant.

Federici Regis Neapolitani & Eliſabethæ Hiſpaniarũ Reginæ mors.

Per eos fere dies Federicus nuper Rex Neapolitanus iam de regno pactione aliqua recuperando deſperans diem ſuum obiit, quum plus ſibi hactenus de Hiſpanis Regibus (vt vnumquemque facilè cupiditas ſua fruſtratur) quam de Ludouico pollicitus fuiſſet: vanam ſuam ſpem non agnoſcebat homo nimis credulus, qui gratuitam tanti regni reſtitutionem ſomniaret, quum antiquitatis recti, æquíque obſeruantiſſimæ rara exempla tantæ magnanimitatis extent. Eos præterea qui tot fraudibus, tantáque ſimulatione regni partem ſibi vendicaſſent, de toto reſtituendo eadem arte diſſimulaturos, quemadmodum & Gallum, qui nihil poſſidebat, facilius aſſenſurum, quam qui totum poſſidebant reddituros, veriſimile erat. Sub huius anni finem fato functa eſt & Eliſabetha Hiſpaniarum Regina, vitæ integritate, prudentia, animi magnitudine apud ſuos celeberrima, quæ Henrico fratri Caſtulonenſium Regi tametſi non ſine ferro, ac ſanguine ſucceſſit: quamuis enim Henricus procreandis liberis haud ſatis natura aptus diu habitus fuiſſet, idcircóque Eliſabetha Henrici germana ſoror viuo fratre principis Caſtulonenſis, qui proximus ad regnum gradus eſt, titulum vſurpaſſet, tamen Henrici vxor Luſitani Regis ſoror ei Beltramiſam puellam forma pulcherrimam peperit. Mortuo Henrico bellum, cuius ſupra meminimus, inde exortum, Luſitano, ac pleriſque Caſtulonenſibus proceribus Beltramiſæ parteis ſequutis. Ferdinandus è Caſtulonenſibus quoque Regibus oriundus & Eliſabethæ vxori tertio cognationis gradu iunctus prælio victor ſibi, vxoríque regnum vendicauit, & aliquantò poſt Ioannis patris morte Tarraconenſi quoque ſucceſſit: quinetiam Mauros Bethica (quam Granatam vocant) expulit, totaque Hiſpania, quæ Pyreneis montibus, Mediterraneo mari, Oceanóque terminatur, Luſitaniæ Nauarræque paruis regnis exceptis latè dominatus eſt: ſed regnum Tarraconenſe, Sicilia, Sardinia, aliquótque aliæ inſulæ Ferdinando à patre relictæ ab ipſo dumtaxat Caſtulonenſe Eliſabethæ hæreditarium communi nomine adminiſtrabatur, cuius negotiis procurandis, edictis promulgandis, legationibus expediendis, & cæteris id genus rebus vterque ſubſcribebat, & nummis cudendis vtriuſque effigies inſculpebatur: morte Eliſabethæ ad Ioannam Philippi Flandriæ reguli vxorem Caſtulonenſe regnum ſine controuerſia redibat: nam quatuor filiarum natu maxima quæ Emmanueli Regis Luſitaniæ filio nupſerat, filiúſque eius longè ante deceſſerant; quanquam eius adminiſtrationem Ferdinando Eliſabetha moritura teſtamento legauerat, vel quod virum vnicè diligebat, vel quod id regni vtilitas poſcebat, vt à ſene prudente, prope indigena, & qui diu eidem præfuiſſet potius, quam ab adoleſcente, externóque regeretur: vel quod Philippus, ac Ioanna filia nulla adhuc propter ætatem rerum experientia præditi regnum ab eodem adminiſtrari, donec ætate prouectiores, & vſu edocti noui regni ſtatuta, mores, conſuetudines, hominum naturam perdidiciſſent, maximo in lucro ponere debebant.

Quo iure regnum Caſtulonenſe Ferdinando Hiſpano acceſſerit.

Anno 1505.

15 Quintus huius ſæculi annus eadem, qua ſuperior, pace, atque animorum tranquillitate tranſmiſſus fuiſſet, niſi res Italicas nonnihil rurſus incenſa inuicem Florentinorum, Piſanorúmque odia conturbaſſent: Ferdinando vxoris morte anxio, & an Philippus gener legatam à ſocru regni Caſtulonenſis adminiſtrationem probaret incerto, regnum Neapolitanum pactis iam induciis conſeruare ſat erat. Quod Maximilianus initam nuper ſocietatem ſolita inconſtantia nondum confirmaſſet, Ludouicus ſuſpenſus erat: Iulius nouarum rerum ſtudioſus niſi adiuncto potente ſocio moliri nihil audebat: Veneti, quid noua ſocietas in ipſos machinaretur, gnari, bello auertendo operam dabant, & cum Iulio maximè redire in gratiam ſtudebant; & aliquot ante menſibus Cæſarem, Ludouicúmque metuentes Ariminum, ac quidquid à morte Alexandri ceperant, modo Fauentiam, Fauentinúmque agrum Iulius ipſis relinqueret, ſe reddituros declararunt: quibus Iulius

& in ſuſceptis rebus conſtans, & animi ſenſa liberè efferens Rauennam, ac Ceruiam, quas nullo iure, non ſecus ac Fauentiam poſſidebant, ſe recuperaturum, nec de Pontificiis poſſeſſionibus turriculam quidem illis relicturum reſpondit, aucto metu huius anni initio Vrbinate ſequeſtro ſe qui equidoccupaſſent (Fauentino Ariminenſique agro exceptis) reſtituturos promiſerunt, modo Iulius legatos ſuos ad obſequium de more exhibendum admitteret. His poſtulatis Iulius & Cæſaris ac Ludouici in componendis ſuis rebus cunctatione deterritus, & Foroliuienſium, Imolenſium, Ceſenanorum, qui bona ſui agri parte ſpoliati erant, precibus victus, & quod multa reciperet, nulli conditioni addiceretur, aſſenſus eſt; arcibus, atque vrbibus reſtitutis octo legati, quot ad nullum antea Pontificem, niſi Venetus fuiſſet, miſerant, Romam profecti ſolemne obſequium præſtiterunt, nec vllum, vnde placatior eſſe Pontifex videretur, argumentum retulerunt. Per id tempus legati à Ludouico Romam Iulio de ſummo Pontificatu congratulaturi obſequiúmque ſolitum exhibituri acceſſerũt: legationis princeps Petrus Pictauienſis Sanctoualerianus fuit, huic comites additi Ebrodunenſis, Ruthenenſiſque Pontifices, Michaël Ritius Neapolitanus exul tum Pariſienſis Senator, Guilielmus Budæus Regi ab epiſtolis iam inter eruditos celebris, ſed nondum eam, quam poſt multis editis libris ſibi comparauit, famam conſequutus. Interim Cardinalem Ambaſianum Haganoam vrbem Ciſrhenanam Ludouicus miſit, quam nuper Maximilianus, ac Philippus filius à Comite Palatino receperant, atque ibi tum venientem Ambaſianum expectabant, vbi ſocietatem initam Maximilianus confirmauit, ac promulgandam curauit: diploma Mediolanenſis Ducatus Ludouico, atque hæredibus in clientelam conceſſi Ambaſiano tradidit, ſexaginta hoc nomine florenorum Rhenanorum millia recepit, totidem, quum in Italiam ingrederetur, accepturus. Sed iam tum præ ſe tulit, nec multò poſt eam expeditionem ſe hoc anno haud ſuſcepturum apertè declarauit, ſine quo nihil moliri Ludouicus decreuerat.

26 Supererat in Italia prope continuum, ſed lentum inter Florentinos, Piſanóſque bellum, quod captata dumtaxat hinc inde occaſione, & quibuſdam veluti excurſionibus gerebatur. accidit autem vt L. Sabellus, aliique aliquot Florentinorum duces Caſcina, quæ illis belli ſedes erat, egreſſi cum quadringentis equitibus & ſatis iuſta peditum manu commeatum Liberafactam ad Anxerim fluuium vrbem ſitam importarẽt, pecuſque ſecum ex Lucenſi agro, qui vltra Anxerim eſt, non tam prædæ, quàm pugnæ ineundæ auiditate abigerent; idcircóque idem iter Remenſi lento gradu redirent, vt Piſanis occurrẽdi occaſionem darent: etenim viribus lõgè ſuperiores erant. Pecoris abacti certior factus Tarlatinus Piſanorum dux cum quindecim grauis, quadraginta leuis armaturæ equitibus ſexaginta peditibus obuiam ire properauit, cæteros, qui nondum parati erant, Piſanos ſequi iuſſit; ac primùm aliquot Florentinos equites, qui ad vicos Piſis circumiectos excurrerant, hactenus perſequutus eſt, dum illi retro ſeſe ad ſuos recipientes ad Capellæ pontem Oloſæ torrenti impoſitum tertio à Piſis milliari peruenirent, vbi Florentinorum copiæ ſubſtiterant, & pecus, muloſque qui commeatum exportauerant, ſubſequenteis expectabant; quas non prius Tarlatinus animaduertit, quàm vt ſe inde reciperet iam integrum non eſſet, vnde ex neceſſitate bonam occaſionem aucupans ſuos, vt pontem aggrederentur, hortatus eſt: vt enim ponte non potiantur, at paucos plurimis reſiſtere in hiſce anguſtiis poſſe, donec cætera Piſanorum manus auxilio veniat: ſin ponte potiantur paratam nimirum ſibi eſſe victoriam, viam enim inter pontem, ac vicinum montem breuem, anguſtam, difficilem, pecore, ac mulis clitellariis ſeſe propellentibus impeditam militum ordines perturbaturam, & rei bene gerendæ occaſionem daturam. Nec mora pontem primus fortiter aggreſſus quanquam repulſus eſt, tamen aliis viciſſim, atque aliis idem tentantibus ipſe redintegrato impetu viam vi ſibi faciens primus tranſgreſſus eſt: equites victorem ducem ſequuti dum cũ poſtremis hoſtium præliantur, ſexaginta pedites fluuium aqua ad humeros vſque pertingente traiiciunt, cæteri Piſani, vt quiſque prior acceſſerat, ſubſequuntur. Ita Florentinos inter mulos, pecuſque impeditos diuerſis ex partibus inuadunt, & pauci multos, tumultuariè collecti in ordines redactos in fugam vertunt. multi in ipſa pugna ceciderunt, longè plures huc illuc diſperſi à Lucenſis agri ruſticis ad victoriæ famam accurrentibus ſpoliati ſunt. Hinc tantum abfuit, vt Piſanum agrum eo anno perinde, ac ſuperioribus Florentini vaſtarent, vt Caſcinenſem, cæteróſque, quod bello quæſierant, vix tueri poſſent. Et, ſi quod maiorem in modum Florentinos perturbauit, Pandolfus Petrucius, vt Piſani agri vaſtationem prohiberet, Ioannem Paulum Baleonum, cui multum Florentini fidebant, quod eius Peruſiam reducendi authores fuiſſent, multis pollicitationibus corrupit, atque ſubtraxit. Is Marcum, & Mutium Columnas, Lucium, ac Iacobum Sabellos aduerſæ factionis

Florentini à Tarlatino cæſi, & quomodo.

Florentini Baleoni ſide deprauata & Pandolfi Petrucij factione perculſi.

factionis duces maioribus copiis nixos Florentinis militare, cum illis idem ſtipendium ob partium diſſenſionem tuto merere non poſſe cauſatus ſe ſubduxit: id tamen tam diu diſſimulauit, donec Florentinos ſua opera plurimum indigere animaduertit, vt temporis anguſtiis oppreſſi rebus ſuis prouidere nullo modo poſſent. Vt magis fidem faceret, Malateſtam filium admodum adoleſcentem cum quindecim cataphractis equitibus Florentinis militaturum reliquit, ipſe aduerſus eoſdem ſe arma haud laturum promiſit; & ſic ad Senenſium ſtipendium cum ſeptuaginta cataphractis equitibus tranſiit, atque eadem qua Gallos antea tum Florentinos quoque perfidia eluſit. Lucenſes eius conſilij conſcij Troilum Sabellum tum Senenſibus militantem ad ſuum ſtipendium cum totidem equitibus aduocarunt, quod tam multa ſtipendia Senenſes exoluere non poſſent. Hæc Florentinos à populando agro Piſano reuocarunt: acceſſit & aliud quod magis ſollicitos Florentinorum animos percellebat; Pandolfus Petrucius, ac Ioannes Paulus Baleonus cum Ioanne Cardinale Medice clam de ea familia Florentiam reducenda agebant: Romam nuper appulerat Liuianus neſcio qua inter ipſum, Conſaluúmque diſſenſione oborta, & magnum militum numerum conſcribebat: is cum ſuperioribus, & cum Aſcanio Sfortia Cardinale conſilia communicaſſe ferebatur, vt ſi res proſperè in Hetruria ſucceſſiſſent, ad inuadendam Mediolanenſem ditionem incumberet. Aſcanio Conſaluus, Venetique nauaturi operam videbantur, præſertim quod Ludouicus veris initio in grauem morbum deſperata prope ſalute incidiſſet, vtpote qui diu ne fari quidem potuiſſet; ex quo tametſi vtcunque mox conualuiſſet, tamen haud diu ſuperſtes futurus ſperabatur, vt Anna Regina mundum omnem muliebrem ſecundo Ligeri in minorem Britanniam deportare conata ſit. Id Petrus Rohanius Mareſchallus Gienſis clandeſtino Ludouicæ Sabaudianæ, quæ Franciſci Engoliſmenſis reguli Ludouico ſucceſſuri mater erat, iuſſu prohibuit, vnde & mox Regia aula excluſus eſt; & Mediolanenſes nomini Sfortiano in primis addicti erant: contra Galli tũ arcibus, vrbibúſque pauci præſidio erant, nobilitáſque adeo morbo Regis adducta magna ex parte diffluxerat, nec ſatis Ludouico cum Maximiliano, Philippóque cõueniebat, cuius Hiſpaniarum nuper Regno aucti Ludouicus potentiam ſuſpectam habebat hinc aduerſus eundẽ Geldubenſi regulo ſuppetias non obſcurè ferebat, & cum Ferdinando Hiſpano aut inducias renouare, aut pacẽ inire cupiebat legatis in id hinc inde incũbentibus.

Interim, dum hæc agitabantur, (vt hominum ſpes, conſiliáque incerta ſunt) Ludouicus 17
ex morbo cõualeſcere occœpit, in quem non multis diebus poſt Ioannæ quondam vxoris ſanctiſſimæ fœminæ mortem inciderat, quod nonnulli ob factum cum ea diuortium quaſi exemplũ diuinæ vltionis animaduerterunt. Aſcanius Cardinalis peſte Romæ graſſante repentina morte ſublatus eſt, vnde re Mediolanẽſi omiſſa Liuianus, Petrucius, Ioannes Paulus Baleonus in Senenſis, Peruſiníque agri confinio conuenerunt: non quod hiſce iam viribus eſſent, vt Mediceos Florentiam reducerẽt, ſed vt Liuianus Piſas ciuibus arceſſentibus ingreſſus Florentinorum fines inuaderet, & occaſione, ſi qua lætior ſeſe offerret, vteretur: quos belli apparatus in ſe comparari Florentini animaduertentes multum de Conſalui voluntate dubitarunt, cui in Nouembrem proximum Liuianum auctoratum eſſe ſcirent. Suſpicionem auxit Plombinas regulus Regis Hiſpani cliens, qui Genuenſes metuens à Conſaluo mille pedites Nuguio Campenſi præfecto, duas triremes, treis naues magnas, aliquot minores auxiliares acceperat. Hæc tam propinqua auxilia, ne Liuiano iungerentur, Florentini timebant: ſed re vera factis cum Ludouico induciis Ferdinandus belli impenſas ægrè tolerans vt Liuiani alæ ad centum cataphractos equites redigerentur, iniunxerat: vnde ille indignatus non ſolùm ſe nouo ſacramento obligare recuſabat, ſed & priore ſe liberatum eſſe iactabat, quod ſtipendium prorſus exolutum non fuiſſet; & quod Conſaluus regni Neapolitani compos bis mille pedites, vt pollicitus erat, ad reducendos Florentiam Mediceos non dediſſet: natura enim rerum nouarum ſtudioſus erat Liuianus, & permanere eodem in ſtatu neſciebat. Conſaluus autem Italiæ tranquillitati ſtudens, aut quod cœptos inter Ludouicum, Ferdinandúmque de pace ſermones interrumpere à ſuo inſtituto alienum duceret, aut quod ob ſuborituras (vt veriſimile erat) Reginæ Eliſabethæ morte inter Ferdinandum generúmque diſſenſiones regnum Neapolitanum ſibi vendicare in animo haberet, non ſolum, vt Liuianus tum Petilianum idcirco profectus, quod ei aut copias dimittere, aut è Pontificiis ditionibus excedere Iulius denuntiarat, nouo ſacramento ſeſe obligaret, inſtitit: verum etiam ne vltra progrederetur, inhibuit, alioqui quicquid in regno Neapolitano poſſidebat, commiſſum eſſe ſciret. Is ſeptem inde quotannis nummûm aureorum millia auferebat, Piſanis quoque, quos nuper in Hiſpani fidem clam receperat, ac Plumbinati regulo, ne eundem in ſuas vrbeis intromitterent;

Quam in finem Cõſaluus in Italia pacẽ ratam haberi velit.

Petrucio, ne tueretur, iniunxit: Florentinis permiſit, vt ſi commodum videretur, peditibus,qui Plumbini agebant,vterentur, quibus,vt Marco Antonio Columnæ parerent,edixit:Ludouicum Comitis Petiliani filium, Franciſcum Vrſinum,Ioannem Ceretanum,qui ſub Liuiano militabant, reuocauit.

18 At Liuianus nihilominus, quem Ioannes Ludouicus Vitellius, ac Ioannes Conradus Vrſinus ſequebantur, cum trecentis cataphractis equitibus quingentis peditibus Scarlinenſem Plumbinatis agrum ingreſſus Campiliam Florentinorum oppidum inde ire perrexit, vbi leui excurſione cum Florentinis, qui Vibonæ copias ſuas cogebant, dimicauit, mox Vignoli quod Plumbinatis oppidum eſt totos decem dies ſubſtitit, atque interim à Piſanis,vt in vrbem reciperetur, obtinuit: vnde cum Florentinis, quibus Hercules Bentiuolus præerat, decernere cupiens decimo ſexto Kal.Septembr. mane exiit ad Campiliam congreſſurus, deinde loci difficultate prohibitus ad turrim Vincentij quinto à Campilia milliari progreſſus eſt, vbi & loci iniquitate, & tormentis hoſtium potius quàm viribus ſuperatus vix fuga cum paucis equitibus in Senenſem agrum euaſit, cæteris fere inter eandem turrim, ac Cecinnam fluuium aut cæſis aut captis. Ea victoria elatus Bentiuolus, atque Antonius Iacominus Florentinorum duces de Piſis oppugnandis Florentiam crebros nuntios,litteraſque miſerunt:rem decemuiri ad ciues qui de maioribus negotiis conſultare conſueuerant, retulerunt. Illi vna voce in contrariam ſententiam ierunt: oppugnationem longam, tempus breue eſſe: autumnum Piſis propter paludum vapores marinis flatibus corruptos ipſis etiam incolis, ne dum exercitibus alienigenis,grauem inſtare, ac peſtilentem, vt Paulum Vitellium non ita dudum experientia docuit: Septembrem ibidem fere ſemper ita pluuiis infeſtum eſſe, vt agrum circumiacentem prope totum inundet; nullis Piſas hoc anno tormentis oppugnatum iri Proſperum Columnam Florentinis ſi non publicè, at tacitè conſentientibus Conſaluo promiſiſſe: ſi promiſſo non ſtetur, Plumbino Hiſpanos ſtatim Piſas traiecturos: commodius aduerſus Petrucium, qui Valentinum, Vitellocium, Aretinos, nuper Liuianum in Florentinos accenderit, victoria Florentinum militem vti poſſe, eundem Senenſium,Lucenſium,Genuenſium ſocietatem coiiſſe,vt communibus impenſis rem Piſanam iuuarent,eundem Conſaluo,vt Plumbinatis, Piſanorúmque patrocinium ſuſciperet, authorem fuiſſe, vaſtandum agrum Senenſem, illi inimicos domi non deeſſe: ſeditionem Senis fortaſſe ſuborituram, aut Florentinos arceis oppidáue aliqua occupaturos, quorum permutatione Mompulcianum recipiant: eodem impetu Lucenſem quoque populandum, vt non ſolùm de alienis, verùm etiam de ſuis rebus tuendis Lucenſes cogitare cogantur. Hæ quanquam firmæ,ſolidæque rationes non obfuerunt, quin vulgus, quod inſano ſuæ cupiditatis ardore potius, quam certa ratione ducitur, Piſarum oppugnationem depoſceret: & Petrus Soderinus Confalonnerius (qui princeps Florentiæ magiſtratus eſt)eodem,quo vulgus ardore perpulſus,ea de re ad populum retulit: illi Piſas circumſedendas vna prope voce declararunt. Sed victrix prudentiæ ſtultitia non diu exultauit, quin potius graueis ſuæ victoriæ pœnas dedit: quanquam enim omnia, quæ ad oppugnationem neceſſaria erant, ſumma cura adminiſtrata ſunt,atque octauo Id. Septembr. ſexcenti cataphracti equites, ſeptem peditum millia ad vrbis muros inter crucis, ac Michaëlis ædes caſtra poſuerunt, vbi olim Galli caſtra metati erant, poſtridiéque ſedecim bombardis (quos canonas vocant) aliiſque minoribus machinis quicquid inter portam Chalcienſem, Franciſcíque turriculam, vbi angulum murus facit, acerrimè concuſſerunt, & triginta, aut etiam amplius muri vlnas proſtrarunt, ac ſub veſperam quadam veluti procurſatione pugnarunt; tamen loci anguſtias tot egregiis propugnatoribus facilè defendentibus nihil admodum profecerunt. Altero die alio loco maior muri pars diruta, muro quem Galli quondam proſtrauerant, Piſani poſtea refecerant,munitioremque reddiderant velut intermedio relicto:at quod Piſani omnis ſexus,omnis ætatis,ac conditionis viri,fœminæ,foſſam duxerant, retróque ſatis excelſum terræ aggerem ſubito excitarant, primæ ſorte eductæ cohortes, vt per murorum ruinas inſilirent, progredi recuſarunt; non ducum authoritas, non preces, non recentis victoriæ memoria viles animas excitauit, vt munus ſtrenui militis obirent: Tiro enim miles tumultuariè conſcriptus neceſſariam oppugnationi fortitudinem præſtare non poterat; ita dedecorata priſtina victoria re infecta in caſtra redierunt, quo die ſexcenti Hiſpani Plumbino ratibus tranſmiſſi Conſaluo mandante Piſas intromiſſi ſunt, poſtridie Caſcinam Florentini reuerterunt.

Piſarum oppugnatio à Florentinis imprudēter ſuſcepta victoriā quam paulò ante obtinuerant obſcurauit.

19 Paucis poſt diebus mille quingenti Hiſpani è regno Neapolitano in Hiſpaniā nauigantes Piſas appulerūt:hi Bientina nequicquā vna oppugnatione tentata(ita Piſani vrgebant) vela fecerunt,pax enim inter Ludouicum,Ferdinandúmque nouo matrimonio conciliata

Digitized by Google

Germana Fuxia Ferdinando Hiſpano nubit.

erat, cuius hæ conditiones fuerunt: Germanam Fuxiam ſororis Ludouici filiam vxorem ducere Ferdinandus promiſit, partem ſuam regni Neapolitani, quam cum Ferdinandus vt occupatam poſſidebat, Ludouicus doti dixit, ea quidem lege, vt ſi prior abſque liberis Germana Regina moreretur, ea portio Ferdinãdo accreſceret; ſin prior Ferdinandus diem ſuum obiret, ad Reges Gallos rediret: Ferdinandus atque vxor in hanc formam à Rom. Pontifice in fidem reciperentur, & Neapolitanos proceres ipſi reciperent: idẽ intra decennium ſeptingenta nummûm aureorũ millia in belli impenſas Ludouico dependeret, vxori in dotem trecenta conſtitueret; ne Ludouicus in poſterum Regis Hieroſolymitani, Neapolitaníque titulos ſibi vendicaret: Andegauenſis, Gallicæque factionis Neapolitani proceres captiui liberè nullo pretio emitterentur, omnes quodã velut poſtliminio domum redirent, poſſeſſiones, munera ciuilia, militaria, quæ belli inter Gallos, Hiſpanóſque ſuſcepti initio poſſidebãt, in poſterum poſſiderent (belli autẽ initium Gallorum ad Tripaldam excurſionẽ pronuntiarunt) Gaſtoni Fuxio vxoris fratri Ferdinandus in recuperando Nauarræ regno auxilio eſſet, quod Catharina Fuxia, ac Ioannes Alebretus vir eius poſſidebant: Iſabellam Federici nuper Regis Neapolitani vxorem viduam cum duobus liberis è Gallia in Hiſpaniam migrare Ludouicus cogeret, cui liberiſque digna conditio daretur, aut è Gallia recuſantem excedere iuberet, neuter aduerſus alterius fœderatos quicquam moliretur: vterque Iulium Pontificem, Ludouicus etiam Florentinos nominatim fœderatos edidit, mutua ſibi inuicem pro tuendis ſuis ditionibus auxilia ferrent: Ludouicus mille cataphractos equites, ſex peditum millia, Ferdinandus trecentos eiuſdẽ armaturę equites, leuis bis mille, quos genetarios appellant, ſex item peditum millia mittere teneretur. Germanam Fuxiam in Hiſpaniam proficiſcentẽ Neapolitani factionis Andegauenſis proceres ſequuti ſunt, Iſabella Federici vidua liberos ad Ferdinandũ deducere recuſans Ferrariam conceſſit. Fœderis huius capita Angliæ Rex Henricus huius nominis VII. cuius filius Henricus princeps Gallenſis Catharinam tertiam Ferdinandi Eliſabethæque filiam in matrimonio habebat, rata habuit, & præs pro vtroque factus eſt, cui ineundo Philippi Flandriæ reguli nouo Caſtulonenſi regno aucti potentia Ludouico formidoloſa, Ferdinando ſuſpecta occaſionem dedit: Philippus enim Eliſabethæ ſocrus teſtamento haud ſtare, quin potius hæreditario regno potiri decreuerat. Pacem inter Gallum, Hiſpanúmque initã Italiæ tranquillitas conſequutura videbatur, verùm nouæ occaſiones noua bella pepererunt: Philippus enim Rex Caſtulonenſis (quem titulum à morte Eliſabethæ vſurpauerat) moribundam ſocrum de regni adminiſtratione ſtatuere non potuiſſe cauſatus, & ab Hiſpanis aliquot proceribus arceſſitus ſe, licet inuitus, vt in Hiſpaniam tranſmitteret, comparabat. Maximilianus noua filij potentia erectus tranſire in Italiam, vt Imperatoriam coronam ſuſciperet, & mox filium Romanorum Regem deſignandum curaret, deliberabat. Ludouicus vtrumque metuens, Philippum maximè, tot, tantorúmque regnorum hæredem, atque in Germanico Imperio patri prope certũ ſucceſſorem de noua cum Iulio Pontifice ſocietate coeunda cogitabat: tametſi igitur anno ſuperiore Iulio ſubiratus erat, quod ſacerdotiis Mediolanenſis Ducatus Aſcanij Cardinalis, aliorúmque morte vacantibus ſine ſuo aſſenſu nouos præſides ſurrogaſſet, Oſcitanum, ac Baiocenſem Pontifices Cardinalis Ambaſiani Ludouicique Trimullij propinquos cum pleriſque, quos nuper Iulius Cardinales crearat, eodem honore ornare ſe enixè contendente recuſaſſet, tamen ad eundem Siſtaricenſem Pontificem illius ipſius legatum amicitiam, & opem aduerſus Venetos ſuo nomine oblaturum miſit. Is benigne à Iulio exceptus, & ſtatim vt rem ad exitum perduceret, ad Ludouicum remiſſus eſt: quanquam autem Iulius magno Venetorum odio flagrabat, tamen de ſocietate cum Rege ſancienda nonnihil aliquando dubitabat, legationem (vt cum vulgo loquar) Cardinali Ambaſiano continuare propemodum coactus: & hactenus multos Pontifex creatus fefellerat: quum enim Sixto, Innocentio, Alexandro ſummo Pontificatu fungentibus ſemper res magnas, nouas molitus fuiſſet, ſéque inde in maxima pericula induxiſſet, Põtificatus ſui initio, & huc vſque ita quietus, ſedatúſque vixit, vt naturæ ſuæ oblitus videretur. Itaque vbi iſthac parte ſatis abunde prouidiſſe ſibi viſus eſt, animi ſenſa aperire non diſtulit. Rebus ita conſtitutis Philippus Flandriæ regulus, ne ſe ingreſſu Hiſpaniæ ſocer Gallo adiuncto prohiberet, veritus, Hiſpanis aliquot proceribus eius parteis ſequutis ita ſuadentibus cum Ferdinando hominem ſuis artibus aggreſſus ſimulatè conuenit, vt ille quidem regnum adminiſtraret, Rex tamen vterque Caſtulonenſis diceretur, quemadmodũ eundem titulum Eliſabetha ſocrus vſurparat: vectigalia certa ratione diuiderentur, qua pactione licet incerta fretus multas naueis Ferdinandus in Flandriam miſit Philippi claſſem aucturas. Is cùm Ioanna vxore, ac Ferdinando minore filio nauem ingreſſus vela fecit, claſſem ingentem multo milite

impletam venti ſecundi biduo proſequuti ſunt, die tertio dira tempeſtate oborta, naues diſiectæ, aliæ demerſæ ſunt, aliæ ad Angliæ, Britanniæque minoris littora euaſerunt: ipſe cum tribus dumtaxat ad Vyminuthum Angliæ portum appulit. Ad hunc honorificè excipiendum Henricus Septimus Angliæ Rex viros primarios, bonámque aulicæ nobilitatis partem obuiam ire iuſſit: illi marina iactatione adhuc grauem in arcem Pindeſorianam deduxerunt, quo Henricus ipſe affinem principē inuiſurus acceſſit: deinde Londinum Angliæ Regiam vnà profecti, interim dum claſſis reficitur, atque in vnum cogitur, aliquot dies hilarè peregerunt, fœdúſque inter ſe renouarunt.

20 Ita Philippus vti Rex in cæteris humaniſſimè habitus, vnum captiui munus obiit, quod Ducem Suffolchienſem qui tum Namurij in cuſtodia erat, de eius vita pactus Henrico tradere coactus eſt, quod Henricus, quoad vixit, ſincere præſtitit, at Henricus VIII. ſuperioris filius paterno iureiurando neglecto Suffolchienſem capite luere iuſſit. Is ſe legitimum regni Anglici hæredē profitebatur; reparata, ac refecta claſſe Philippus Anglia ſoluit, ac proſpera nauigatione vſus eſt: vbi in Hiſpaniam appulit, ad principē ætate florentem (viginti namque & octo annos natus erat) forma præſtantem liberalitate celebrem vniuerſi principes, ac viri nobiles accurrerūt. Ferdinandus ab omnibus deſertus alioqui viribus impar, & qui pactis conuentis fretus haud ſe ad bellum cōparabat, propoſitas à genero conditiones accipere coactus eſt, quæ tamen tolerabiles videri poſſunt: Philippus enim natura mitis, ac liberalis talem ſocero potiſſimum ſe præſtare voluit: conuenit, vt Ferdinandus legata ſibi regni Caſtulonenſis adminiſtratione Philippo cederet; inde ſtatim migraret, nunquā Philippo ſuperſtite rediturus, regno Tarraconēſi paterno Neapolitanóque, atque Indicis inſulis frueretur: in penſionem quoque annuam viginti quinque nummûm aureorum millia è vectigalibus regni Caſtulonenſis dependenda, ac treis magnas præfecturas Iacobæam, Alcantaranam Calatranenſem ſibi reſeruauit. Non defuerunt qui regnū Neapolitanum Philippo aſſerere tentarent, quod Caſtulonenſis opibus, ac milite potiſſimum receptū fuiſſet, quo iure idē regnum aduerſus Federicum Ferdinandus non ita pridem repetebat, nempe quod illud ipſum maior Alphonſus nō tam Ioannæ Reginæ adoptione, quā Tarraconenſium viribus ſibi vindicaſſet: Philippus ſenem ſocerum haud ſpoliare, de ſuo potius augere maluit. Ferdinādus igitur Tarraconem conceſſit, inde in regnū Neapolitanum breui traiecturus quod à morte Eliſabethæ Reginæ Conſaluū ſibi vindicare, aut potius Philippo, quā ſibi tradere in animo habere ſuſpicabatur: ſæpius enim reuocatus in Hiſpaniā Cōſaluus diſceſſū ſemper diſtulerat, & varias ſuę moræ excuſationes cauſatus nūquam inde pedē mouerat; nec moturus, niſi Ferdinādus ipſe coram iuberet, videbatur: tametſi Philippus rebus cū ſocero compoſitis eidem, vt Ferdinando pareret, denuntiarat. Ludouicus autem graui, longóque morbo defunctus variis curis diſtinebatur, & prope contrariis animū ratiocinationibus cruciabat; Venetos oderat, in quos regni Neapolitani amiſſi culpā magna ex parte haud falsò cōferebat: eoſdē operam dare, occaſionemque obſeruare, vt is Mediolanenſi ditione exturbaretur, ſibi perſuaſerat: quibus rebus accenſus Cremonenſem, Abduanúmq; agrū viciſſim illis eripere cupiebat, idcircóque cum Maximiliano, Philippóque filio ſocietatem coierat: contra Maximiliani cū numeroſo potentíque exercitu in Italiam aduentum ſuſpectū habebat, Philippúmq; in primis, in cuius augendā potentiam hæc expeditio conferebatur, extimeſcebat, inter quem, atque Anglū fœdus nuper renouatū ſciebat, & ne quid aduerſum ſe vterque molitus eſſet, incertus metuebat: adhæc ſocietatis cū vtroque coeundæ princeps cauſa fuerat, vt eoſdē à Ferdinando ſepararet, regnúmque Neapolitanū facilius recuperaret, quæ recēti fœdere, nouáque cum Ferdinando inita affinitate ſublata erat.

Conſaluus in Hiſpaniā reuocatus cur redire differat.

21 Hæc meditantem legati Cæſaris adeuntes Cæſarem in Italiam breui tranſiturū ſignificant, proinde promiſſos quingentos cataphractos equites paratos haberet, Mediolanenſes exules in patriam redire permitteret: altera ſexaginta florenorū Rhenanorum millia, quorum ſupra mentionē fecimus, repræſentanda curaret. Duobus prioribus poſtulatis Ludouicus ſe in tempore ſatisfacturum reſpondit, pecuniam ante diem præſcriptam dependere recuſauit: viciſſim Maximilianus nō minùs de Ludouici, quā Ludouicus de eius fide dubitās, & coronæ Imperatoriæ aſſumendæ deſiderio flagrans, vt Philippū filium Romanorum Regem deſignandū curaret, de ſocietate cū Heluetiis ineunda ſumma contētione agebat. Illi poſt multa pagana, ac totius gētis comitia, variáſq; altercationes in Ludouici ſocietate, quę in proximū adhuc bienniū contracta erat, perſeuerarunt: agebat & cū Venetis de exercitu per eorū ditiones deducēdo, qui Ludouici auxilio freti ſe maieſtatem eius obſeruaturos reſponderunt; nullis priuatim ſe promiſſis obſtrinxerunt. Ludouicus præterea à Maximiliano prorſus abalienatus tribus Galliarum ordinibus depoſcentibus, eoque nomine

ad Turones conuenientibus (tametſi arcano eius mandato id procuratum nonnulli tradunt) Claudiam filiam natu maiorem Franciſco Engoliſmenſi regulo qui illi ſine liberis maribus decedenti lege Salica ſucceſſurus erat, deſpondit; idque per legatos Philippo Regi Caſtulonenſi, quem titulum nuper vſurpauerat, ſtatim ſignificauit, atque excuſationem addidit, ſe tam graue poſtulatum, quod ad publicam totius Galliæ tranquillitatē pertineat, tribus ordinibus vno conſenſu flagitantibus, qui Reges Gallos nonnunquam in ordinem redigere ſolent, denegare nullo modo potuiſſe; Geldubenſi quoque regulo auxilia miſit, vt Maximilianū ab Italica expeditione auerteret; at ille iam auerſus erat, atque ad Hūgariam ſpectabat: Lancelotus enim Hungariæ Rex infirma admodū, ægráque valetudine erat, cui ſuccedere hæreditario quodam iure Maximilianus cupiens ad Hungariæ fines properarat: multis enim ante annis Lanceloto (eundē etiam Ladiſlaum vocarunt) Alberti, qui Federici Imperatoris frater fuit, filio Hungariæ Boëmiæque Rege ſine liberis vita functo Hungari propinquos Regibus ſine liberis decedētibus non ſuccedere, Regum creandorū ius tum ad ſe redire cauſati Mathiā Coruinū paternarum virtutū admiratione Regem ſibi delegerūt, qui magna regni nō ita ampli gloria, tot inſignes de Turcis victorias reportauit. Is deſignatus, ne cū Federico Imperatore de regno contenderet, ſe nunquam vxorē ducturum pollicitus eſt, vt eius morte regnū ad Federicum, Federiciue liberos rediret, ſic enim inter illos cōuenit. & quanquam promiſſo non ſtetit, tamen ſine liberis diem ſuū obiit, nec tamen idcirco regnum ad Federicū peruenit: Hungari enim Beatrice Mathiæ vxore procurante (vt ſupra memini) Lancelotum Poloniæ Regem ad regnum Hungariæ ſuſcipiendū vocarunt: vnde bellum Federico, Maximilianóque renouantibus Hungari proceres ſacroſancto iuſiurando obſtricti ſe Lanceloto ſine liberis mortuo Maximilianum Regem deſignaturos polliciti ſunt: hac ſpe relictis rebus Italicis ad Hungariam feſtinauit.

Mathias Coruinus Hungariæ Rex.

Interim dum hæc inter Maximilianum, Ludouicum, Philippum, Ferdinandúmque agitantur, Iulius Pontifex nihil aduerſus Venetos, niſi Ludouico adiuncto, moliri auſus, illum ipſum, vt in recipienda Peruſia, Bononiáque auxilio eſſet, orauit; inde ſi per Regem liceret, coniunctis viribus in Venetos arma conuerſurus. Peruſiam tum Ioannes Paulus Baleonus, Bononiam Ioannes Bentiuolus poſſidebat, quorum maiores in ciuilibus diſſenſionibus ex priuatis ciuibus factionum duces creati cæſis aduerſariis tyrannidem occuparant. Et quoniam hæ duæ vrbes olim in Romani Pontificis ditione erant, idcirco etiam tum aliquot vectigalia verum perexigua Romani Pontifices inde recipiebant. Et vt aliquam antiqui iuris veluti ſpeciem retinerent, ibi Eccleſiæ (vt loquuntur) hoc eſt, Romani Pontificatus vicarios quaſi vrbium adminiſtratores collocabant, ſed Pontificum aut nulla, aut rara authoritas erat, tota potius ad tyrannos tranſlata erat: quinetiam in nonnullis Pontificiæ ditionis vrbibus tyranni ipſi hunc ſibi titulum vendicarant, & Romani Pontificatus vicarij dicebantur. Peruſia vrbi vicina in Romani Pontificis ditione diutius perſeuerarat, Bononia remotior varia fortuna iactata Romanis Pontificibus vel propter Italica bella, vel propter Auenionenſem ſeceſſionem ius ſuum haud ſatis tuentibus nunc libertatem retinuerat, nunc externis principibus ſeruierat, nunc à ſuis ciuibus in ſeruitutem adducta eandem calamitatem ſubierat, nunc ad Romani Pontificis ſe patrocinium contulerat: rediiſſe poſtremo in Nicolai Quinti Pontificis Maximi ditionem nonnulli tradunt, quanquam Platina nihil tale prodit: verum iis conditionibus, vt honorarium titulum Romani Pontifices, ſolidum fructuoſúmque dominatum Bentiuoli conſequuti ſint. Horum poſtremus Ioannes Bentiuolus iam prope ſeptuagenarius multas factionis aduerſæ nobiles familias ſuſtulerat; alias ad eam inopiam redegerat, vt res nouas moliri haud poſſe viderentur: præſertim poſt Valentini è Bononia diſceſſum, qui multas multorum ſe accerſentium Bononienſium litteras ad Bentiuolum miſerat, quorum vltione ciuibus odioſum redderet: populum item non miti, ſed ſuperbo, tyrannicóque imperio coercens in ciuium omnium odium incurrerat, qui alioqui quatuor eius filiorum inſolentiam, intolerandóſque ſumptus ægerrimè ferebant. Horum certior factus Iulius vrbe ſe facilè potiturum ſperabat, Ioanni ipſi priuatim infenſus, quod olim, dum Alexandri VI. Pontificis indignationem fugiens Centium ſui Pontificatus Bononienſis oppidum diuertiſſet, hominem comprehendi Bentiuolus vel iuſſiſſet, vel iuſſiſſe diceretur; & quidquid olim Pontificiæ ditionis fuiſſet, ſe recuperaturum Iulius identidem gloriabatur. 22

Iulij poſtulata facilè Ludouicus admiſit, quem ob ſuam cū Venetis reconciliationē erga ſe malè animatū non ignorabat, & coniurationis Genuenſis Octauiano Fregoſio authore initæ cōſcium ſuſpicabatur: cum illo itaque in gratiam redire cupiebat; præterea Ioannem 23

Digitized by Google

Paulum Baleonum ob perfidiam, & quatuordecim nummûm aureorum millia quaſi perfidiæ præmium recenti bello Neapolitano ablata oderat. Ioannem autem Bentiuolum, tametſi in fidem receperat, tamen ad Cæſaris potius, quam ad ſuas parteis inclinare exiſtimabat. Viciſſim Iulius ſyngrapham, ſiue id diploma, quod Breue vocāt, de Oſcitano, Baiocenſique Pontificibus in Cardinalium cœtum cooptandis Ludouico dedit, & vt Mediolanenſis Ducatus ſacerdotiis eo, quo non ita dudum Ludouicus Sfortia vſus erat, iure, atque authoritate prouideret, conceſſit. Siſtaricenſis Pontifex Aquenſi Pontificatu multarum à Iulio ad Ludouicum, contráque à Ludouico ad Iulium curſitationum præmio donatus eſt: neque tamen ſtatim ea expeditio ſuſcepta eſt, quod Maximilianus cum Hungaro bellum geſturus Italicam profectionem diſtulerat: deinde renouato de regni ſucceſſione fœdere cum eodem Rege conuenerat, atque in Auſtriam reuerſus erat, inde in Italiam tranſiturus. Hinc quatuor legatos id ſignificaturos Venetias miſit, exercitúſque per eorum ditiones traducendi teſſeram poſtulauit, & ſocietatem aduerſus Ludouicum Regem ineundam indicans, è Venetæ ciuitatis, Germanicíque Imperij re eſſe ſubiecit, vt communibus viribus ſe, ac ſua tueantur, aut etiam augeant: qua de re vbi Venetus Senatus diu, multúmque conſultaſſet, in hanc fere ſententiam reſpondit: Se quidem, vt eius voluntati ſatisfaciant, modo citra apertum ſuæ Reip. diſcrimen liceat, paratos eſſe: cæterum raro vllum aut apertius, aut præſentius poſſe occurrere, quod tota Italia tot bellorum calamitatibus oppreſſa, tot acceſſuras verita, ad tam potentis exercitus famam excitata, ad arma concurrere, omnémque illi aduentanti aditum præcludere deliberarit: Galliarum Regem Mediolanenſibus ſuis timentem in eadem ſententia eſſe: ſe ſi à cæterorum ſocietate diſcedant, tanquam priuatis publica poſtponenteis, & patriæ proditores in illorum odia incurſuros: eius exercitum in Italiam progreſſum Italorum omnium, Gallorúmque in ſe arma conuerſurum, longè ſatius eſſe, vt Imperatoriam coronam pacis potius, quam belli nuntiam accepturus in Italiam non vt hoſtis armatus, ſed vt amicus ſola auguſta Maieſtate venerandus intromittatur, quemadmodum & Federicus pater non terrifico, militaríque, ſed pacifico, domeſticóque comitatu ſuſpiciendus Italiam peragrauit, Romámque iniit, & omnium in ſe oculos, beneuolentiámque conuertit. id ſi faciat Italiæ tranquillitatem conſeruaturum, atque Italos omneis, in primis autem Venetos ad Cæſareæ Maieſtatis obſeruantiam prouocaturum. Hi belli apparatus, & Cæſaris ad Venetos legationes in cauſa fuerunt, vt Iulius, qui Ludouicum de auxiliis mittendis compellauerat, Peruſiæ, Bononiæque oppugnationem in aliud tempus differret, quo ſine vllo cæteræ Italiæ tumultu eandem ſuſciperet: ſic enim Rex admonebat, veritus etiam ne Venetos pariter irritaret, qui ſe Bentiuolo, niſi Fauentia illis Iulius cederet, opem laturos denuntiarant. Verum Iulius diuturnæ quietis impatiens, nec amplius diſſimulandum ratus conuocato Cardinalium cœtu tyrannos Pontificiis vrbibus exturbare ſe conſtituiſſe, nec per legatos, ſeipſum potius id bellum adminiſtraturum profeſſus eſt: Regis Galli, Florentinorum, cæterorúmque Italiæ principum ſibi auxilia non defutura, Deum Opt. Max. ſuæ cauſæ actorem, ſacri patrimonij vindicem futurum. Hæc ad Ludouicum delata adeo vana viſa ſunt, vt Iulium miratus ſit, qui Gallica auxilia, de Regis conſiliis incertiſſimus ſibi promitteret: non animaduertens aut ſe cum ipſo in manifeſtam controuerſiam venturum, aut ab inuito auxilia accepturum. Iulius nihilominus cum quingentis cataphractis equitibus Roma exiit, miſſo prius Antonio Montano, qui Bononienſibus denuntiaret, vt venientem Pontificem exciperent, & ſtatiua quingentis cataphractis Gallorum equitibus prepararent: tardius tamen ingrediebatur, quod Peruſiam, niſi de Gallico equitatu certior factus, tranſmittere nolebat: cuius aduentum Ioannes Paulus Baleonus extimeſcens Vrbinate, ac cæteris amicis authoribus Iulio vrbem veterem vſque obuiam proceſſit, illíque ſeſe permittens reconciliatus eſt, Peruſiæ, Peruſiníque agri arcibus deditis Pontificem cum centum quinquaginta cataphractis equitibus ſequi pollicitus: quæ, vt rata eſſent, duos ex liberis obſides Vrbinati dedit.

Ludouicus eodem iure quo Sfortia à Iulio donatur.

24 Ita Iulius cum domeſtico, Romanæque aulæ comitatu Peruſiam ingreſſus in poteſtate Baleoni fuit, Peruſiæ Cardinalis Narbonenſis à Ludouico miſſus Iulio, vt Bononienſem oppugnationem differret, nomine Regis obſecrauit, Maximiliano enim imminente copias Mediolanenſes diſtrahere à ſuis rationibus eſſe prorſus alienum. Qua legatione tametſi permouebatur Iulius, tamen in priore ſententia vel perſeuerauit, vel ſe perſeuerare ſimulauit: quod ſi Ioannes Bentiuolus, qui quatuor liberos promiſſorum obſides ad illum mittere decreuerat, ac iam obtulerat, ipſe acceſſiſſet, non iniquis (vt vulgo ferebatur) conditionibus dimiſſus fuiſſet. Sed dum pugnantibus animi agitationibus Bentiuolus

Digitized by Google

huc illuc diſtrahitur, aut(vt nonnulli tradunt) vxore contradicente nimis cunctatur, Carolum Ambaſianum cum quingentis cataphractis equitibus mandato Regis in itinere eſſe, Bononiámque petere intellexit: Ludouicus namque mutata ſententia, præſertim quod Maximiliani (vt incertus animi erat) bellici apparatus iam multùm refrigeſcere videbantur, Ambaſianum ad Iulium Pontificem proficiſci iuſſerat: Pontifex viciſſim non ſyngrapha, aut ſcripto, ſed verbis dumtaxat nihil ſe contra Venetos moliturum promiſerat: & tamen Peruſia Ceſenam proficiſcens Iulius montanum iter difficile, atque aſperũ ingreſſus eſt, ne planitiem peragrans in Ariminenſem agrum, quem Veneti inuaſerant, incurreret, & de iure ſuo aduerſus illos perſequendo ſententiam mutaſſe putaretur. Ceſenæ Bentiuolum, niſi Bononia migraret, ac quotquot eius ſectam ſequerentur, malis diris deuouit: ibidem Ambaſianum cum ſexcẽtis cataphractis equitibus tribus peditum millibus, qui Pontificis ſtipendium merebant, Bononiam contendere certior factus fidentiore animo reliquum viæ confecit: à Fauentino agro eadem, qua prius ab Ariminenſi, ratione declinauit, montanúmque iter perſequutus Imolam tandem, vbi copiæ eius coibant, peruenit. Peditum numerus non traditur, at quadringentos cataphractos equites ſuo ſtipendio affectos, Baleonij centum quinquaginta, Florentinorum cẽtum, totidem Ferrarienſis, multos item Græcos è regno Neapolitano arceſſitos, ac ducentos leuis armaturę equites quos Mantuanus eius exercitus legatus adduxerat, offendit. Hi quo die Ambaſianus ad caſtrũ Francum, Bononiam appulerũt, & Petri ſuburbium occuparunt: è Caſtro Franco Ambaſianus Bentiuolo ſignificauit Ludouicum, vti in fidẽ receptus erat, illi priuatas ſuas facultates conſeruaturum, modo intra triduum Pontifici pareret. Hic Bentiuolus, liberíque animo fracti, atque eius orationis, qua Petrum Medicem ſine ferro & ſanguine Florentia cedẽtem grauiter increparant, obliti (quãquam paulò ante multas inanes minas effuderant, & fortiter pro vrbe ſe propugnaturos iactitarant) Ambaſianum, vt tolerabiles à Iulio conditiones obtineret, obſecrarunt. Is ad pontem Rheni tertio à Bononia milliari progreſſus has à Pontifice impetrauit: nempe vt Ioanni Bentiuolo, Geneuræ Sfortiæ vxori, cõmunibus liberis, Bononia tuto egredi, & in ea Mediolanenſis agri regione, quam deligerent, habitare, omnem ſupellectilẽ vel Bononia exportare, vel diuendere, antiquo patrimonio, omnibúſque, quas iure quæſiiſſent, poſſeſſionibus frui liceret, quibus impetratis illi ſtatim Bononia ceſſerunt. Ambaſiano, vt hæc rata præſtaret, duodecim nummûm aureorum millia dederunt.

Iulij Pontif. Maximi Bononiã proficiſcẽtis exercitus.

Bentiuolis egreſſis Bononienſes eorum domum ſtructura eximia media vrbe ædificatam funditus euerterũt, & ad Iulium legatos miſerunt, vrbis deditionẽ oblaturos, & Pontificiarũ deuotionum continuationem, Gallorúmque, qui non facile in ordinem rediguntur, in vrbem ingreſſum deprecaturos: quibus impetratis Iulius triumphali quadam pompa Pontificiis omnibus ceremoniis adhibitis Bononiam tertio Id. Nouemb. iniit: Ambaſianum octo, milites Gallos decem nummûm aureorum millibus donauit, Heluiorum Pontificem Ambaſiani fratrem in Cardinalium cœtum breui cooptatum iri pollicitus. Et tamen quibus rationibus Venetos vlciſceretur, tacitè apud ſe cogitans, & vt Ludouicum, Ambaſianúmque ad mittenda in tempore auxilia magis procliues ac ſuſpenſos teneret, Oſcitanum, Baiocenſẽmque Pontifices nõdum Cardinales creauit. Per eos dies Ferdinandus Neapolim traiecit; antequam Barcinone naues conſcenderet, eodem nũtius à Conſaluo appulit ſignificãte ſe Regem, qua debet obſeruantia excepturum, eidémq; pariturum, cui viciſſim Ferdinãdus ſancti Angeli Ducatũ, & quicquid in regno Neapolitano poſſideret, cõfirmauit, ex quibus viginti quotannis nummûm aureorũ millia conficere Conſaluus ferebatur, eundẽ eius regni equitum magiſtrũ declarauit: promiſſionem ſua manu ſcriptã de præfectura Iacobæa illi condonanda addidit, atque ita cum Germana Fuxia vxore Barcinone ſoluit, Phocenſis prouinciæ oram legens, & ad portus appellens (ita Ludouicus iuſſerat) atque adeo Genuæ, vbi aduentantẽ non ſine magna penè omniũ admiratione Conſaluus expectabat, honorificè exceptus eſt: non ſolùm enim vulgus, verùm etiã Iulius Pontifex propter recentem contumaciam, & ſuſpiciones, quas fortaſſe non fruſtra de illo Ferdinandus cõceperat, Conſaluum eius conſpectum vitaturum, rectáque in Hiſpaniam traiecturum ſuſpicabatur. Genua quod nec altum petere conſtituiſſet, ad Delphini portum tranſmiſit, vbi ob ventos contrarios aliquot dies cõmoratus de Philippi generi morte certior factus eſt, qui tantis imperiis hæres deſtinatus corpore valido, ac robuſto in ipſo ætatis flore repentina febri ſublatus incertos fortunæ euentus, temeritatémque ſua morte declarauit, quam luridus Cometes ad occaſum incumbens paulò ante deſignauit: noui cœli intẽperiem, æſtúmque Belgicis epulis haud congruentem morbo cauſam attuliſſe produnt. Ferdinandus, quem plerique in Hiſpaniam, vt Caſtulonenſis regni adminiſtrationem 25

Eius in Bononienſẽ vrbem ingreſſus ſolemnis.

Philippi Flãdriæ Principis mors Cometa deſignatur.

Digitized by Google

tionem reciperet, rediturum putabant, cœptum curſum tenuit, & Caietam, quo die Iulius Imolam ingreſſus eſt, appulit: inde Neapolim profectus ſingulari omnium beneuolentia, atque expectatione exceptus eſt. Senem, ac prudentem Regem, qui tot de prophanis, Chriſtianiſque victorias reportaſſet, ſuáque regna ſapienter adminiſtraſſet, Neapolitanum tot calamitatibus oppreſſum inſtauraturum, vrbeiſque, ac portus à Venetis magna totius regni indignatione poſſeſſos recepturum ſperabant: ad Ferdinandum ex omnibus Italiæ regionibus legati non ſolùm, vt nouum illi regnum gratularentur, ſed & de ſuis cum eodem negotiis pertractarent, ſtatim confluxerunt. Iulius Pontifex tametſi ſubiratus, quod legatos ad præſtandum ſolemne ſacramentum nondum de more miſiſſet, tamen recipiendarum Appuliæ vrbium, portuúmque ſtudio incenſum aduerſus Venetos inflammare cupiebat: contra Veneti eundem ſibi reconciliare tentabant, Florentini, cæterique Hetruriæ populi variè de Piſis cum illo ipſo agebant, quas bello Florentini impenſis deterriti eo anno haud infeſtauerant, neque meſſibus colligendis vti annis ſuperioribus, obuiam iuerant; aut quod Genuenſes, ac Lucenſes Petrucio authore, atque idem de Senenſibus pollicente Piſanis auxilio eſſe promiſerant. At idem Petrucius (quemadmodum anceps, incertúſque erat) idipſum Florentinis indicans nondum finitas inter Florentinos, Senenſéſque inducias in triennium vt ſeſe, Senenſéſque ab illis ſepararet, prorogandas ea conditione curauit, ne ipſe, aut Senenſes Piſanis opem ferrent, impenſiſque ea fraude parcens conſilio nihilominus, omníque alia via, ac ratione Piſanos tuebatur. Sub anni ſuperioris finem Hercule Ferrariæ regulo paulò ante vita functo, cui Alphonſus filius ſucceſſerat, tragicum, ac quadam Thebanorum fratrum de regno contendentium, in mutuámque mortem ruentium imitatione execrandum, & hactenus inauditum facinus vrbem perturbauit, quod inflammatum inceſti amoris ardorem cum effrenata regnandi libidine propemodum exæquaret. Ardebat propinquæ virginis amore Hippolytus Cardinalis Aeſtinus, illa viciſſim Iulium eius fratrem nothum non minori mentis ardore deperibat: rogata cur hominem tantopere deperiret, oculorum eius pulchritudine ſe incendi Cardinali fatetur. Is amore amens, ac plane furens fratrem venantem comprehendi, riuales amoris oculos erui iubet, atque interim tetri huius facinoris cupidus ſpectator coram adeſt: oculi prompta medicorum opera ita reſtituti fuerunt, vt non minùs quam antea ſua actione fungerentur.

Hippolyti Cardinalis Aeſtini & fratris ipſius Iulij funeſtus amor.

26 Hinc Ferdinandus Alphonſi frater natu proximus, Iuliúſque, ille quod Ferrariæ principatum inuadere cuperet, hic quod Alphonſus eius calamitatem, contumeliámque ſúſque déque tuliſſet, nec aliter ſe Cardinalem vlciſci poſſe confideret, intra huius anni vertentis finem aduerſus Alphonſum coniurarunt, cuius coniurationis Albertinus Boſchetus Mutinenſis (cuius ſupra mentionem fecimus) conſcius fuit, nonnullos infimi ordinis homines Alphonſo familiares in ſuas parteis pertraxerunt. Verùm dum fortè diutius data ſæpius occaſione cunctantur detecta, vt vſuuenit, coniuratione Ferdinandus, cæterique coniurationis adminiſtri comprehenduntur: Iulius ad ſororem Mantuani Marchionis vxorem elapſus, & mox eiuſdem mandato ad Alphonſum remiſſus, atque vnà cum Ferdinando in perpetuam cuſtodiam traditus, Boſchetus, cæterique coniurati in parteis diſſecti pœnas dederunt. Hoc ipſo anno Genuæ ſeditione inter nobilitatem, populúmque oborta res tandem eo deuenit, vt Genuenſes aduerſus Ludouicum rebellarint: non quod initio is illorum ſenſus fuiſſet, ſed priuatis ſimultatibus in ciuiles ſeditiones competentibus populi factio potentior nouis magiſtratibus creatis ſibi nimium arrogans Ludouici imperium detrectauit. Id autem vt commodius explicetur, altius repetendum eſt: Genua portuum commoditate, copiáque ad maris imperium nata quodammodo videtur, de quo diu cum Venetis certauit: nec ſolum vicinis Liguribus imperauit, ſed mari latius euagata Orientem, ac Septentrionem ſuis victoriis penetrauit; deductiſque in Corſicam, Cyprum, Aſiam, Thraciam, ac Scythiam coloniis non minus longinquis illuſtris, ac prope nota, quam finitimis populis fuit. Verumenimuero tantam commoditatem, felicitatémque diſcordiæ ciuiles, commune magnorum imperiorum, opulentarúmque ciuitatum malum præſertim vbi populus optimatéſve dominantur, penitus obſcurarunt: non enim vt cæteræ Italiæ ciuitates in hanc, aut illam, ſed in permultas factiones diuiſa ſemper fuit: illic Guelforum, Gibellinorúmque reliquiæ ſupererant, illic populi, nobilitatiſque contrariæ inter ſe factiones regnabant, quæ multas Italiæ præſertim Hetruriæ vrbeis funditus euerterunt: nam populus nobilitatis ſuperbiam peroſus eius potentiam ſeueriſſimis, aut duriſſimis potius legibus conſtrinxit, atque in cæteris magiſtratibus conſortem paſſus Ducatu, qui ſummus magiſtratus eſt, & de-

Anno 1506.

Genuenſium aduerſus Ludouicum rebellionis cauſa, quæ.

Digitized by Google

lectis quoad viuant, conceditur, excluſit. Acceſſerunt Adurniorum, Fregoſiorúmque factiones, qui de Ducatu in alterutra familia multos annos continuato identidem diſceptant: Guelfi enim, Gibellinique viri nobiles, qui ad eum magiſtratum aſpirare prohibentur, vt dux ſuæ factionis deligatur, procurant: Guelfi Fregoſios, Gibellini Adurnios ſuis ſuffragiis iuuant, qua ratione effectum eſt, vt hæ duæ familiæ ex infima plebe ad magnas opes, potentiámque euectæ cæteris, quarum authoritatem ſequi ſolitæ erant, illuſtriores euaſerint.

Genuenſis populi furor & inſolentia.

Hoc igitur anno inclinante quidam ex populo cum nonnullis patriciis, ſeu viris nobi- 27
libus propter eorum inſolentiam rixati ex priuato iurgio (quod in opulentis ciuitatibus, vt tum Genua fuit, ſæpe euenit) publicam ſeditionem excitarunt, populus enim ad arma concurrens aliquot patricios vulnerauit, quendam etiam ex Auriana familia interemit; ac poſtridie concilio omnium ordinum conuocato, cui pauci patricij pridianæ cædis metu interfuerunt, vt magiſtratuum qui inter patricios, populúmque diuidi antea ex æquo ſolebant, tertia pars duntaxat patriciis, duæ reliquæ populo adiudicarentur vi magis, quàm publico ciuium conſenſu obtinuit; cui plebiſcito, neque enim patricij magna ex parte abſentes aſſentiebantur, Roccabertinus Philippi Raueſtenij Genuæ prætoris legatus, ne maior tumultus, cieretur, ſubſcripſit. Nec hoc contentus populus facta paucis poſt diebus recenti ſeditione patriciorum domos expilauit, vnde vniuerſa prope nobilitas Genua exiit. Raueſtenius horum certior factus ex Gallia Genuam cum centum quinquaquinta equitibus, ſeptingentis peditibus rediit, ſed nec authoritate, nec oratione, nec vi furentem populum compeſcere potuit; quin potius multa diſſimulare coactus milites etiam, qui ſequebantur, redire iuſſit. Hinc populus, hoc eſt, infima plebs (quam populi fæcem vocant) inſolentior octouiros nouum magiſtratum creauit, & Romanarum ſeditionum memoriam renouans Tribunos plebis appellauit: Spetiam, vicináſque aliquot vrbeis, quibus Regis nomine Ioannes Ludouicus Fliſcus præerat, cepit. Horum Ludouicum Regem Fliſcus admonuit, & patriciorum pariter, ac ſuam cauſam agens, vt celeritate ſtolidam populi audaciam anteuerteret, ſuaſit; ne ſeditionem in rebellionem conuerſam agnoſcens principem aliquem, qui ſe tueatur, aſciſcat, integra adhuc omnia eſſe, dum nullus populi tumultuantis patrocinium recepit: ſi malum hoc altius radices agat, extirpatu perdifficile futurum. Contra Genuenſis populus per legatos ſeditionis cauſam in nobilitatis ſuperbiam contulit, qua diutius tolerata bonis euerſus corporibus ad omnem iniuriam obiectis ſe tandem in priſtinam libertatem aſſerere coactus ſit; ſe tamen nihil hactenus molitum, niſi quod ad conſeruandam libertatem maximè ſpectet: ſi patricij magiſtratibus ex æquo fruantur, illorum tyrannidem refellere populum nullo modo poſſe. Si Fliſcus Spetia, maritimiſque vrbibus potiatur, quæ Genuam quodammodo obſident, nulla ſibi propter exacerbatam in ſe patriciorum contumaciam libera commercia in poſterum futura, populum Regiæ maieſtatis obſeruantiſſimum eſſe, patricios rerum nouarum ſemper fuiſſe ſtudioſos: ſi quid in ipſo ſeditionum æſtu non publico conſenſu ſed quodam priuatorum ardore populus deliquerit, ſe Regem obſecrare, vt veniam det, & maritimas vrbeis adminiſtrari publico nomine patiatur. Ita patricios ſuis honoribus frueнteis, populum ſua libertate Regia beneficentia potitum ſimul tuto, & cum dignitate victuros, & redintegrata animorum coniunctione publicæ tranquillitatis authorem ſummi Regis maieſtatem adoraturos. Ludouicus ob popularem temeritatem indignatus, quæ ad rebellionem ſpectare videretur, vel Gallorum more nobilitati indulgens primùm nocenteis punire in animo habuit, deinde populares tumultus eadem, qua cientur, leuitate compeſci poſſe confidens, vel ne populus Genuenſis deſperata venia ad Maximilianum deficeret metuens, cuius filius Belgarum princeps, ac Rex Caſtulonenſis Philippus nondum vita functus erat, noxam illis condonare, plebiſcitum de magiſtratibus diuidundis nuper inuectum confirmare decreuit; vrbes maritimæ duntaxat, vt reſtituerentur, edixit: Michaëlem Ricium exulem Neapolitanum hominem doctum Genuam miſit, qui in populum nimia libertate inſoleſcentem ad ſanam mentem reduceret, & Regis liberalitate vti potius, quam ſeueritatem experiri perſuaderet: ſed populus, ac Tribuni Regia liberalitate abutentes non ſolùm vrbeis occupatas non reſtituerunt, verum etiam Monæcon portum ſimul, atque oppidum abrupto in colle, aut ſcopulo potius ſitum quod olim Federicus Ænobardus Germanorum Imperator mœnibus cingendum primus curarat, terra, marique circumſederunt. Id ad rem Liguſticam ſiue conſeruandam, ſiue opprimendam opportuniſſimum erat, & tum à Luciano Grimaldo viro nobili poſſidebatur, quod infeſtum nobilitati populum magis, ac magis accendebat, nec tantam

Michaël Ricius.

populi

Digitized by Google

populi temeritatem Raueſtenius ſedare potuit. Hinc omnia ſurſum, deorſum agi, non ſine magno diſcrimine animaduertens vrbe ceſſit, Roccabertinum, vt vicem ſuam obiret, reliquit. Ludouicus rem ad apertam defectionem ſpectare agnoſcens Genuenſes bello domare, & ad officium reuocare inſtituit, vnde ſuſcepta inter ipſum, Pontificémque de bello Veneto conſilia interrupta prorſus fuerunt, quamquam pari prope ſtudio in id vterque incumbebat. Ludouicus vetere odio incenſus, quod Venetorum opera maximè regnum Neapolitanum amiſſum recordabatur, & Cremonenſem, Abduanúmque agrum recuperare cupiebat, nec quicquam à Maximiliano iam mortuo Philippo timebat; Iulius quod non ſolum Flaminiæ vrbeis Veneti occuparent, verùm etiam Pontifices ſuæ ditionis illo inconſulto crearent, & Romani Pontificis iuriſdictionem magna ex parte ſibi vendicarent, bellum, quoad poterat, maturabat: hinc Ludouicum in Italiam euocabat, & colloquium annuente Ludouico flagitabat.

Regni [illegible] politan. miſſio [illegible] neto; reiecta.

27 Sed eundem cauſam nobilitatis aduerſus populum Genuenſem, cui mirandum in modum deditus erat Iulius, Regem ſuſcepiſſe intelligens ab ea mente, quantum in ſe fuit, reuocare conatus eſt cum aliis de cauſis, tum quod bellum Venetum differri, vel penitus pro derelicto haberi diceret; & quum nihil proficeret, Bononienſis cœli intemperiem ſuæ valetudini infeſtam cauſatus anni huius ſæculi ſeptimi initio ſe migraturum inde prædixit: Romam ſub finem Februarij proximi rediit, reditum eius interrumpere Ludouicus tentauit: ſed quanto maiore ſtudio inſtabat, tanto magis hominem ſuſpicioſum (qui ne Cardinalis Ambaſianus ſuæ vitæ inſidiaretur, metuebat) in ſua ſententia confirmabat: antequam Bononia migraret, in arcis Bononienſis, fundamenta, quæ ad portam Ferrarienſem eius iuſſu extruebatur, eo ipſo loco, vbi quondam Philippus Maria Mediolanenſis regulus alteram non minus infelici augurio condiderat, primum lapidem iniecit, deinde inſtitutum iter perſequutus eſt, ac Fauentiam petiit: Ludouici enim odium Venetis Iuliũ placabiliorem reddidit, quod in dies ingraueſcebat. In bellum Liguſticum magis intentus nauales terreſtréſque copias accuratius inſtruebat, ipſe belli dux adeſſe deliberabat: quantum per ſe, an per legatos bellum adminiſtrare interſit, belli Neapolitani euentu ſatis expertus. Nec hæc Genuenſes in Monæco portu, oppidóque oppugnando occupatos perterrefaciebant: id ſex peditum è vicino agro conſcriptorum millibus Tarlatino duce quatiebant, quem cum Petro Gambacurta, & aliquot militibus Piſani miſerant. Interea arcis Genuenſis præfectus, qui nihil hactenus hoſtile molitus erat, vel Regis mandato, vel ſpe quæſtus pleroſque è populo nec opinantes captiuos abduxit, & portum, ciuitatémque tormentis verberauit; hinc Roccabertinus ſibi metuens ex vrbe exiit, Galli pedites palatio dudum præſidio impoſiti ſe in vicinam vrbi arcem receperunt: ex alia parte Iuo Alegrius cum aliquot equitibus, ac tribus peditum millibus quibuſcum Allobrogum cohortes à Sabaudo regulo miſſæ ſeſe coniunxerant, ad ſoluendam Monœci oppidi obſidionem contendebat; & iam Regiæ copiæ Alpeis ſuperabant, atque in Galliam Tranſalpinam deſcendebant, hinc Tarlatinus tumultuario militi non ſatis fidens ſe ſubduxit. Genuenſes autem propter rerum imperitiam audaces Paulum Nouium è populi fæce, qui fullonicam factitabat, ſibi ducem crearunt, Ludouici inſignia deiecerunt, eorum loco Cæſaris erexerunt; & iam Cæſar vel Iulij Pontificis, vel Genuenſium hortatu Ludouicum rogarat, ne Genuam Germanici Imperij vrbem bello infeſtaret; ſe, vt Genuenſes æquis conditionibus illi parerent, perfecturum pollicitus. Vnde magis accenſus Ludouicus Genuenſes, Iulij Pontificis ac Cæſaris ſuaſu rebellaſſe ſuſpicatus, bellicos apparatus auxit, & ſe ad iter accinxit.

Anno 1507.

Ludouici inſignia ab inſoleſcentibus Genuenſibus deturbata & eorum loco Imperatoris erecta.

28 Genuenſium temeritatem proſper initio euentus, vt maiora auderent, prouocauit: Rapallo recepto vicinam arcem Hieronymus Ioannis Ludouici Fliſci filius cum duobus peditum millibus, & aliquot equitibus noctu inuaſurus in Genuenſium copias ad ferendam opem properanteis incidit, nec congredi auſus in fugam ſe proripuit. Orlandinus ſuperioris frater patruelis cum aliis cohortibus eodem alia ex parte contendens eadem de cauſa ſe quoque ſubduxit: ea fuga, quæ nullam hoſtibus iacturam attulerat, Tribuni, ac cæteri Genuenſes inſolentiores veterem arcem (Caſtellatium vocant) quod olim in montibus Genuæ imminentibus Mediolanenſes reguli Genua potiti erexerant, vt milites tutius ſi quando opus eſſet, ex Inſubribus profecti Genuæ appropinquare, arcique auxilio eſſe poſſent circumſederunt. Præſidiarij Galli numero pauci de vita, armis, atque omni ſupellectile pacti ſeſe dediderunt, quibus violata fide cæſis Genuenſes ſanguinolentis gladiis exultantes in vrbem redierunt; arcem, quam Caſtelletum vocant, vicinámque Franciſci ædem tormentis pulſare cœperunt: ſed iam bona pars Gallici exercitus, ipſéque adeo

Ludouicus in Inſubres deſcenderat,nec tamen Genuenſes omni auxilio deſtituti animum deſpondebant, immo vero propter itinerum anguſtias hoſteis ſe facile repulſuros confidebant. Iulius ſe Gallo hoſtem profiteri non audebat, vana ſpe duntaxat tumultuanteis alebat, Maximilianus nec ſpem quidem auxilij oſtentabat; Ferdinandus tametſi illis conſultum cupiebat, tamen patrocinium recipere, aut ſocietatem Ludouico renuntiare nolebat; trecentos duntaxat externos pedites, nullum ducem magni nominis habebant, & tamen, quamquam certa prope veniæ ſpes proponebatur,in ſua pertinacia perſeuerabant: at Regio exercitu, cui Carolus Ambaſianus ſummus Regiæ familiæ magiſter, ac prætor Mediolanenſis præerat (nondum enim Ludouicus acceſſerat) ad Fornarium vicum Serauallémque progreſſo Genuenſium vanitas, qui non virorum militarium prudentia, ſed inani inconditæ multitudinis clamore, ſtolidáque iactantia regebantur, deprehenſa eſt: ſexcenti enim pedites montium primis anguſtiis tuendis impoſiti, quam abſente hoſte verbis oſtentarant præſenti periculo conſternati animi fortitudinem haud præſtiterunt, Gallorum irrumpentium impetum non tulerunt; immo vero in turpem ſe fugam dederunt, quos cæteri imitati, Genuámque trepidè redeuntes hoſtibus liberum iter nemine ſeſe opponente reliquerunt. Hinc Galli ſuperatis montium aſperrimorum iugis in vallem Pocciferam deſcendentes ſeptimo à Genua milliari caſtra poſuerunt magna ſane Genuenſium admiratione, quod in loco montibus difficillimis vndique concluſo, & in medio hoſtili agro longè aliter,atque ipſi iudicarant,conſiſtere auderent.

Eodem tempore claſſis Gallica, quæ octo triremibus, totidem myoparonibus, & ali- 29
quot minoribus nauigiis, quos fuſtas appellant, conſtabat, in Genuenſi littore conſpecta eſt: ea Genuenſem numero, ac viribus inferiorem (ſeptem enim triremes duntaxat ſex naueis minores habebat) fugientem ad Veneris portum vſque, Spediámque perſequuta eſt; è Poccifera valle ad Riparoſam ſiue Ripariolum non longe à Petri æde ad maris littus extructa, vnde & Harenata vulgo dicitur, Galli nullo hoſte ad manus veniente, ſed procul, & raro numero comparente caſtra ſecunda fecerunt, quo die Ludouicus magna Gallicæ, Mediolanenſis, ac Genuenſis nobilitatis frequentia comitatus ad exercitum acceſſit,& ad cœnobium (Boſchetum vulgo appellant) è regione Riparoſæ diuertit. In eius exercitu octingenti grauis, leuis armaturæ mille octingenti equites, ſex Heluetiorum, totidem Gallorum peditum millia numerabantur, vt voluntarij equites (quos fortaſſe & volones nominare poſſumus) Galli pariter, ac Mediolanenſes, Genuenſéſque, qui in alas diſtributi non erant, omittantur: cæterum equitatum in Mediolanenſi agro propter huius regionis aſperitatem reliquerat: Genuenſes ne Galli via, quæ Caſtellatium, deinde Genuam ducit, ingrederentur, quæ maritima, hoc eſt, ea qua ad Petri ædem itur longè breuior eſt, propugnaculum in monte, quod promontorium vocant, inter Riparoſam, Petrique ædem erexerant, vnde per montis latus ad Caſtellatium iter erat. Igitur illo ipſo die Galli propugnaculum aggredi deſtinarunt, contra octo peditum millia duce Iacobo Corſo Tarlatini legato Genua exierunt (Tarlatinus enim trecentíque Piſanorum pedites, qui ſoluta Monœci portus obſidione Vintemilium conceſſerant, nec terra propter Gallorum exercitum,nec mari propter ventos contrarios Genuam redire potuerunt) montem conſcendentes Galli egreſſos Genua pedites contra deſcendentes animaduerterunt, quibus mixtos peditibus pleroſque viros nobiles obuiam Ambaſianus miſit; & quod hoſtes & numero, & loco ſuperiores erant, duo tormenta in montem ſubuehi, & in hoſtium latera ſæpius exonerari iuſſit. Hinc ſe in montem ad ſuos, qui procul ſubſtiterant, recipere conantes retroceſſerunt, quos Galli ſeruatis ordinibus acriter perſequuti maius quiddam, quam ſperaſſent, aſſequuti ſunt: qui enim propugnaculum inſederant, Genuenſes, ne Galli inter propugnaculum, ſuóſque, qui in ſummo monte ſubſtiterant, interiecti eos omni receptu prohiberent, veriti, valido propugnaculo, quod tormentis diu reſiſtere potuiſſet, relicto aufugerunt: qui autem ad medium montem deſcenderant iter ad propugnaculum ab hoſtibus facilè intercipi poſſe agnoſcentes per aſperas conualles, abruptáque præcipitia trecentis fere amiſſis Genuam redierunt, vrbémque, quæ nec militari conſilio, nec ciuili prudentia adminiſtrabatur, ingenti trepidatione compleverunt: legatos tamen duos ad Regem miſerunt, qui non facta Regis conueniendi poteſtate Cardinalem Ambaſianum adierunt: is niſi ſe, ſuáque Regi permitterent, nihil impetraturos reſpondit. Interim ea populi pars, quæ extrema omnia tentare decreuerat, vrbe egreſſa, è Caſtellatij colle propugnaculo ſpe eius recipiendi appropinquauit, ac treis horas cum Gallis variis excurſionibus æquo prope marte præliata ad Caſtellatium rediit. Rex cum bona equitatus parte armatus cum armatis inter Pocciferam fluuium, à quo vallis

Ludouici Genuam cõtendentis exercitus.

Genuenſium inſolentia in metũ & trepidationem conuerſa.

Digitized by Google

vallis denominata eſt, exercitúmque rei euentum expectauit, nec antequam repulſos intelligeret, ex equo deſcendit. Nocte conſequente quum rumor diuulgatus eſſet, viros è populo primarios cum Rege adhuc Aſtæ agente clam conueniſſe plebe ſe circumſcriptam conquerente Paulus Nouius Dux Nonus, multíque qui nullam à Rege veniam ſperabant, ac Piſani qui Genuæ remanſerant, vrbe egreſſi Piſas aufugerunt: prima aurora iidem legati ad exercitum reuerſi Regi ciues, vrbémque permiſerunt, magno popularis imperitiæ exemplo, qui vana ſpe, incertíſque conſiliis inductus quum diſcrimen procul abeſſet, furibundus, quum iamiam immineret, penitus animo fractus vix octo integros dies bellum tolerarit: Caſtellatio primùm Carolus Ambaſianus præſidium impoſuit, deinde exercitu ad ſuburbia conſiſtere iuſſo (tametſi Heluetij quin vrbem direpturi irrumperent vix contineri potuerunt) Genuam cum aliquot equitum alis, peditúmque cohortibus ingreſſus tria Piſis aduecta tormenta, atque omne armorum genus tam publicè, quam priuatim ſibi traditum in arcem exportari iuſſit.

30 Poſtridie, hoc eſt, tertio Kal. Maias Rex cum omnibus cataphractis equitibus, prætorianíſque hippotoxotis vrbem iniit: vbi relicto equo pedes ſplendentibus nihilominus armis tectus, nudúmque enſem manu tenens ſub vmbella ad maiorem ædem proceſſit; ciues primarij illi obuiam progreſſi lacrimis paſſim obortis ad eius pedes procubuerunt, ex quibus vnus pro omnibus huiuſmodi habuit orationem: [Quamquam ſuſceptarum cum patritiis contentionum initio ciues prope omnes vno conſenſu ius ſuum tueri conati ſunt, Chriſtianiſſime Rex, tamen quæ huic malo læſæ Majeſtatis crimina acceſſerunt, animúmque tuum à nobis abalienarunt, oppida, arcéſque captæ, milites tui præſidiis deiecti, nonnulli crudeliter cæſi, noui ducis deſignatio, & alia id genus, ea in populi fæcem, tribunóſque eius inſolentia creatos, quos ab inſita contumacia, ac temeritate reuocare nullo modo potuimus, non in ſpectatos ciues, & ſuis functionibus honoratos, non in legitimos magiſtratus conferre res, vti geſta eſt, intellecta ſuadebit. Itaque ſi qua vniuerſis mulcta irrogabitur, ſi florentis nuper, nunc vero miſerrimæ ciuitatis iura tollentur, inſontes duntaxat indictas pœnas luent, ſontes, quibus præter vagum corpus, vxores, liberos, nihil, non tectum, non res domi, non ciuitas vlla ſubeſt, quos ne in ciuium quidem numero habemus, exortes pœnæ erunt, neque enim hanc ciuitatem potius, quam aliam quamuis, patriam ſuam agnoſcunt, quum non ſecus, ac grues mutare cœlum, ſic hi vertere ſolum, ſuáque ſecum exportare ſæpius & ſoleant, & poſſint, quod iam etiam præſtiterunt, atque hinc magna ex parte migrarunt. Sed crimen deprecari, atque in alios, præſertim abſentes, (tametſi id ſua abſentia confitentur) conferre, non eſt noſtri inſtituti Rex Chriſtianiſſime: ad tuam clementiam confugimus, in ea ſpes omneis noſtras, opéſque collocamus, illi vni nos vniuerſos, noſtráque omnia credimus, Majeſtatem tuam obſecrantes, vt qua animi magnitudine Mediolanenſibus læſæ Majeſtatis conuictis, maioráque, & atrociora auſis ignouit, eadem & Genuenſibus haud tot, tantorúmque criminum compertis ignoſcat, atque hanc priſtinæ illi tuæ bonitati alteram laudem adiungat. Recordare, Rex Chriſtianiſſime, quantum ex Mediolanenſibus humaniter habitis clementiæ tuæ toto orbe celebratæ fructum reportaris, quem noua accumulanda augere potius, quam ſuppoſita crudelitate obſcurare debebis. Recordare quam auguſtum cognomen quodammodo hæreditarium à maioribus tuis acceperis, vt te Regem Chriſtianiſſimum omnes appellent, Chriſti nimirum, qui bonitatis omnis, clementiæque exemplar eſt, ſimillimum, ciúſque inſtitutorum obſeruatorem acerrimum. Hunc ſi imitabere, téque erga ſupplices miſericordem præſtabis, iam non de hæreditario cognomine, ſed de proprio, ac per te parto tuo iure poteris gloriari: nulla re magis, quam clementia, ac miſerorum ſubleuanda calamitate homines cum Deo Opt. Maximo coniunguntur, cuius primum cognomen eandem infert, alterum potentiam, ſed primum locum bonitas clementiáque obtinet, proximum potentia: vt velis, in te ſitum eſt; vt poſſis tua ſingularis fortuna, aut potius Deus ipſe conceſſit. Hæc duo ſi præſtiteris, Dei munus in terris (quod Regis proprium eſt) cumulatè obieris, & ad diuinam Majeſtatem proximè acceſſeris: hinc te Regem Opt. Max. communicatis tecum diuinis muneribus mortales omnes prædicabunt.]

Genuenſium ad Ludouicum Regem oratio.

31 Hanc orationem ciuium Regis clementiam implorantium lamentabilis clamor conſequutus eſt, nihil tamen Ludouicus reſpondit, quod adhuc humi proſtrati erant, vt ſurgerent duntaxat imperauit, enſémque vagina condens nonnihil de indignatione remiſiſſe viſus eſt: vbi ad maiorem ædem acceſſit, mulierum, puerorum, puellarúmque multitudo innumerabilis vniuerſa albata ipſius clementiam deintegro implorauit: ille natura mitis, &, vt par erat, tanta turbæ innocentis comploratione commotus alium prorſus animum induit,

Ludouici in illos miſericordia commendatur.

induit, & ſe penitus ad miſericordiam effudit: nam quum illos omni libertatis ſpecie ſublata ad eaſdem conditiones, quibus Mediolanenſis ditionis vrbes adminiſtrantur redigere, & vectigal, quod Georgij nomine coactum ad homines priuatos redit, ſibi addicere conſtituiſſet, eam mulctam ad inſontes pleroſque peruenturam animaduertens totam omiſit, & antiquam adminiſtrandæ vrbis rationem quæ ante poſtremum hunc tumultum obſeruabatur, ſponte confirmauit; ne tamen eius bonitate in poſterum abuterentur, ſuum etiam ſeueritati locum reliquit. Genuenſes tam ob læſæ Majeſtatis crimen, quam ob belli, atque ædificandæ arcis impenſas trecentis nummûm aureorum millibus mulctauit; arx ad turrim Codiſanam, mariſque littus ſupra ſuburbium, quo Poccifera vallis, Petrique iam commemorata ædes petitur, condita, & quod portum, bonámque vrbis partem ſibi obnoxiam reddit, Frenum iuſta de cauſa nuncupata eſt. Auxit & præſidium, & vt treis in portu triremes inſtructas, armatáſque haberent, arcémque, ac Caſtellatium munirent, edixit, fœderis ante ſecum initi capita omnia antiquauit; eadémque prope omnia non noua tranſactione, ſed priuilegij ſpecie, vt quum viſum eſſet, reuocare ſibi integrum eſſet, reſtituit, vt nummi Regio nomine, Regiíſque notis cuderentur, quod ſummi imperij argumentum eſt, inſtituit: Demetrium Iuſtinianum, qui omnia Iulij Pontificis conſilia aperuit, & aliquot poſt menſibus Paulum Nouium Ducem, dum Piſis Romam nauigat, interceptum capite mulctauit, Genuenſes in fidem recepit, omnibus veniam dedit, ſexaginta exceptis, quos tamen ſibi dedi non poſtulauit, vt cauſa cognita de iis, quod videretur, iudices pro ſua æquitate ſtatuerent, permiſit, atque ita dimiſſo exercitu Mediolanum rediit, vt Iulio Pontifici, Maximiliano, Venetis ad domandos duntaxat, atque ad officium reuocandos Genuenſes ſe in Italiam tranſiiſſe confirmaret; alioqui parato imparatos aggredi, & quamuis Italiæ regionem occupare perfacile fuit. Sed Iulium nihil placabat: quod Annibal Bentiuolus cum ſexcentis peditibus in agro Mediolanenſi conſcriptis Bononiam ex inſidiis recipere tentaſſet, Ludouico quaſi par pari reddens attribuebat, quæ Genuenſibus conſilia dediſſet, memor; id ſi proſperè ſucceſſiſſet, Regem ſe Romani Pontificatus hoſtem profeſſurum diuulgabat. Heluiorum Pontifici promiſſum dudum Cardinalitium galerum denegabat, quod eius frater Carolus Ambaſianus Bentiuolos in agro Mediolanenſi reſidere permittebat: tametſi id fœdere, cui Iulius ipſe ſubſcripſerat, cautum erat.

Arx Codiſana.

Sed, quod maximè Regis animum percellebat, quum is Genuenſes rebelles ſe bello 32
perſequuturum palam pronuntiaſſet, Iulius ſuſpicione eius aduentum in Italiam cum ingenti exercitu Imperatori, Imperiíque Electoribus (vti vocantur) ſignificauit, Genuenſis belli ſpecie ad Romanum Pontificatum, eiúſve poſſeſſiones, Imperiíque titulum inuadendum deſtinari: quid enim tantis viribus aduerſus Genuenſes opus eſſet, quos ſola authoritate facilè compeſceret? Idem Veneti Cremonæ, Abduanæque glareæ, ac cæteris ſuis ditionibus timentes per legatos ad Maximilianum deferebant: is Flandria nuper reuerſus, vbi fruſtra nepotum, ac regionis adminiſtrationem ſuſcipere contenderat, vt rerum nouarum ſemper ſtudioſiſſimus fuit, bonam occaſionem auidè amplexus Conſtantiam Germanorum principum, liberarúmque ciuitatum concilium indixit; quæ liberæ idcirco vocantur, quod præſcripto vectigali dependendo Germanicum Imperium agnoſcunt, nihil præterea niſi ſponte contribuunt, nemini obnoxiæ ſuis legibus viuunt. Concilium raro antea haud vllum tam frequens fuit, omnes principes Electores, cæteríque prope omnes affuerunt; pauci, quos iuſtæ cauſæ retinebant, liberos, aut fratres, aut magnæ authoritatis propinquos, liberæ ciuitates legatos viros primarios miſerunt: vbi conuenerunt, in frequenti conuentu Pontificium diploma, quod vulgo Breue appellant, multáſque litteras ab aliis miſſas, idem ſignificantes legi Maximilianus iuſſit; quibuſdam disertè aſcriptum erat, Regem conſtituiſſe Iulio Pontificatu abdicato Cardinalem Ambaſianum in eius locum ſufficere, à quo viciſſim corona Imperatoria donaretur. Germani, qui Romanum Imperium Conſtantinopolim primùm, deinde ad Gallos, poſtremò ad ſe Gallorum Regum ignauia (vt prudentia, animíque magnitudo nunquam hæreditaria eſt) tranſlatum fuiſſe meminiſſent, ne id Galli ſuo quaſi iure repeterent veriti, magnam præ ſe indignationem tulerunt. Ardorem per ſe ſatis accenſum inflammaturus Maximilianus huiuſmodi orationem habuiſſe fertur:

Maximiliani Imperatoris oratio ad conuentum Conſtantienſem.

[Magna Imperia magnificentiſſimi » Electores, Illuſtriſſimi Principes, vóſque ampliſſimi legati, paruis ſæpe de cauſis ruunt, » aut ad externos transferuntur: ſi exigua regio ad hoſteis deficit, aut ſe in libertatem aſſe- » rit, non magna initio iactura, videri ſolet; at ſi exemplum, ſi quid de imperantis exiſtima- » tione decedat, ſpectes, maxima nimirum iactura eſt: Heluetij à veſtro Imperio defecerunt, »

nos

Digitized by Google

» nos comitia indiximus, quanti id momenti eſſet, quantam Imperij Germanici dignitati
» notam inureret, ſignificauimus: quod Auſtriacæ noſtræ familiæ vrbes in diſcrimine præci-
» puæ erant, iniuriam priuatim nobis fieri, Imperio nihil, aut parum decedere exiſtimaſtis.
» Sola nobis Sueua ſocietas affuit, Mediolanenſem Ducatum legitimo duce expulſo Gallus
» inuaſit, de hoc quoque apud vos grauiter conqueſti ſumus, quid Gallus moliretur, indi-
» cauimus: vos propter affinitatem, quæ nobis cum Sfortia erat, rem augeri, & conficta
» pericula tanto ante denuntiari ſuſpicati eſtis, nec ſatis fidem verbis noſtris adhibuiſtis,
» an veridici vates fuerimus vos ipſi iudicate. Videram Carolum ab eadem Gallia pro-
» fectum, & mox regno Neapolitano potitum, Imperatoriam chlamydem induiſſe Impera-
» torem ſalutatum fuiſſe: quidam Conſtantinopolitanum addebant, at ille ad Germanicum
» contiguum Imperium, non ad longinquum, & remotum aſpirabat; nec me ambitionis
» humanæ vanitatem metientem fallebat; quid ſucceſſor eius Ludouicus machinetur, fir-
» mis, grauibúſque teſtimoniis audiſtis; non ille, vt initio, rebelles aduerſum vos Heluetios
» tuetur, non agrum Mediolanenſem Imperij veſtri inſignem principatum ambit: Impera-
» toriam Majeſtatem inuadere, ac ſibi vendicare, & vt diuina non ſecus, atque humana iura
» violet, ſacroſanctam Romani Pontificatus authoritatem ſuis vi, armíſque addicere cona-
» tur, quarum alteram maiores veſtri incredibili animi magnitudine ſibi compararũt, atque
» hæreditariam vobis reliquerunt; alteram pari virtute, ita ab hoſtibus inuiolatam conſerua-
» runt, vt quam adhuc retinent dignitatem ſummi Pontifices, eam vobis potiſſimum acce-
» ptam ferant: huc illum non animi fiducia impulit, nõ Gallicæ vires veſtris ſuperiores, quas
» longè inferiores agnoſcit; in veſtris diſſidiis, ac diſſenſionibus, quas mira arte hactenus
» aluit, vóſque inter vos commiſit, ſpem omnem collocat; ſperat ſcilicet, vt quemadmodum
» Heluetios veſtrum Imperiũ declinare, Mediolanenſem principatum vobis ſubtrahi tolera-
» ſtis, ſic & quod ſplendidiſſimum, magnificẽtiſſimúmque vobis maiores veſtri reliquerunt,
» hoc eſt, Imperij Majeſtatẽ indignè vobis eripi veſtra ignauia toleretis. Iacétne prorſus Ger-
» manica illa generoſitas, animíque magnitudo toto olim terrarum orbe celebrata, quam
» Ro. Imperium tum, quum florentiſſimũ fuit, ſolam reformidauit: quum declinare occœpit,
» illi ceſſit, & bellicæ gloriæ, Imperatoriæque Majeſtatis veluti hæredem reliquit? an etiam
» cum maioribus noſtris, qui hoc nobis Imperij decus reliquerunt, vnà ſepulta eſt, nec ad nos
» eorum progeniem dimanauit? Vtinam Germanicæ vires Gallicis inferiores eſſent, minore
» profecto ignominia cederemus, iacturam tantæ dignitatis nihil moraret, modo turpitudo
» nulla ſequeretur; nec fortunæ, aut tẽpori cedere turpe videretur: at quum longè ſuperiores
» ſint, nónne id totum ignauiæ veſtræ penitus aſcribetur? vt qui primas bellicæ laudis parteis
» hactenus tuliſtis, iidem nunc vix in poſtremis hæreatis: nec quod præſtantiſſimum maiores
» veſtri ad vos tranſmiſerunt, militaris gloriæ patrimonium poſteris veſtris relinquatis: pri-
» uatis patrimoniis, patriáque adeo ipſa ſpoliari, quam paternis virtutibus, gloriáque ſatius
» fuit; iſtud ingens, ſolidum, verum patrimonium eſt, quod viros forteis, etiamſi ſolum ver-
» tant, quocumque pergant, ſemper comitatur. Sed me, quem in hoc dignitatis gradu collo-
» caſtis, res ipſas vobis proponere, exempla etiam addere in primis decet, lõga cohortatione
» vti fortaſſe non decet; niſi enim vos res ipſæ cohortentur, vana, inefficáxque oratio effluat
» neceſſe eſt. Supereſt, vt me ad accipiẽdam coronam Imperatoriam Romam proficiſci de-
» ſtinaſſe vos admoneã: tametſi enim veſtris ſuffragiis omnino Imperij Majeſtas nititur, nec
» à quouis alio conferri poteſt, tamen traditum à maioribus morem præterire nullo modo
» poſſum. Eadem profectione & Genuã, & Mediolanum à Gallis occupatum vobis reſtitue-
» re, & audaces eorumdem conatus retundere perfacile erit: vos equidẽ hoc loco mihi non
» defuturos arbitror, immo vero quibus præſidiis veſtros Imperatores maiores veſtri ornare,
» atque armare conſueuerunt, iiſdẽ me, aut etiam maioribus armaturos confido, quandoqui-
» dem noui bellorũ motus, noua nec vſitata ſubſidia flagitant; quãto firmioribus Imperato-
» rem veſtrum auxiliis munietis, tanto magis Germanicum nomen cunctis olim nationibus
» formidabile, nunc vero ipſi Italiæ quaſi incognitũ confirmabitis, & Imperij veſtri conſen-
» tientis terrorem apud cæteras nationes renouabitis. Si veſtræ cũ meis vires coniungentur,
» nobis ſtatim Italia tota cedet, & ſe veſtro Imperio ſubdet: cedet & Gallia, nondum enim
» Guiguegatanæ pugnæ memoria excidit, qua adoleſcẽs, immo vero penè puer fortiſſimum
» Ludouici Galliarum Regis eius nominis Vndecimi exercitum profligaui; ex quo virium
» mearum periculum facere Galli, niſi quibuſdam clandeſtinis excurſionibus, haud auſi
» ſunt: mihi non animus deerit, ab ineunte ætate variis bellis exercitatus, non corpus tole-
» randis laboribus aſſuetum, magnum rerum vſum, atque experientiam ætas non otioſa, ne-
» que mens, ſed in omni aduerſus diuerſas nationes bellorum genere traducta addere potuit,
» vt dignus veſtra expectatione, ac nomine Dux non deſit. Vos ne vobis defuiſſe videamini

proſpicite, ne belli diſcrimina vos deterreant, haud equidem vereor: ſatis enim, ſupérque veſtra alacritas, animíque præſtantia mihi perſpecta eſt. Sumptus ne deterreant, vos oro, atque obteſtor, quos magno & prædæ, & gloriæ fœnore victoria compenſabit.]

33 Hæc oratio omnem eum cõuentum vehementer permouit, qui querimonias eius prioribus comitiis in meliorem partem non acceptas ægrè tulit; & animos indignatione ſucceſos inflammare perfacile fuit: cuncti potentiſſimum exercitum, cui nec Gallia Italiáque coniunctæ reſiſtant, cogendum cenſuerunt, vt antiquum Germanici Imperij ius priorum Imperatorum vel negligentia, vel imbecillitate in Italia amiſſum recuperetur, & Germanici nominis gloria vetuſtate penè obſcurata, Italiſque prope incognita renouetur: quæ magno animorum ardore pertractari cœpta graue bellum Gallis pariter, atque Italis iure metuendum minitari videbantur. Electores maximè, ac nonnullos alios potentiſſimos principes priuata etiam ambitio accendebat, quod Imperatoria dignitas in Auſtriaca familia ter iam continuata Alberto patri, Federico ac Maximiliano deinceps ſuccedentibus propter teneram Caroli Maximiliani nepotis ætatem ad aliam familiam tranſitura ſperabatur. Hæc in cauſa fuerunt, cur Ludouicus Genua recepta exercitum ſtatim dimitteret, vt ſuſpiciones à ſe omneis penitus amoueret: idcirco in Galliam pariter rediiſſet, niſi cum Ferdinando in Hiſpaniam breui tranſmiſſuro, vt regni Caſtulonenſis adminiſtrationem ſuſciperet, colloqui mirandum in modum cupiiſſet: Hiſpani enim Ferdinandum plerique reuocabant, cuius prudentiam antea ſatis experti erant: in primis vero Ioanna filia, quæ vel propter ſexum, vel propter morbum tam graue munus ſuſtinere non poſſet: tantum enim è viri morte dolorem conceperat, vt mente mota, cæteris in rebus hoc duntaxat ſapienter prouiderit, ne quid, quod ad regni adminiſtrationem pertineret, ſua ſubſcriptione confirmaret, omnia in patris reditum differret, at publica negotia ſine Regis, Reginæue ſubſcriptione expediri vetus mos, atque Hiſpaniæ conſuetudo prohibebat. Hinc Ferdinandus octauo menſe ineunte Neapoli diſceſſit, nec propter temporis breuitatem, aut quod immoderata ſibi plerique ſperanda proponerent, conceptæ de ſe expectationi ſatisfecit; & multa occurrebant, quæ Italiæ in commune, aut priuatim regno Neapolitano conſulere prohiberent: Caſtulonenſis enim regni adminiſtratio præcipuum potentiæ eius inſtrumentum diſtractum à rebus Italicis ad Hiſpanicas reuocabat, & vt is Maximiliani, Ludouicíque Regis amicitiam ambiret, vrgebat, ne alter pupillorum Philippi liberorum auus, alter vicinis armis abalienatos ab illo Hiſpanorum quorumdam procerum animos foueret, & abſentem ea procuratione ſpoliaret. Tum homo prouecta admodum ætate opportunam ſuæ ſenectuti ſedem repetere potius, quam longinqua, & ſeparata regna curare cupiebat: fœderis nuper initi ſexto capite Neapolitanis factionis Andegauenſis proceribus Gallicas parteis ſequutis Ferdinandus munera ciuilia, militariáque reſtituere tenebatur, quibus iampridem ſuæ factionis viros primarios donauerat. Itaque ne ſuos à ſe abalienaret, aut illa ab ipſis, aut alia eiuſdem pretij redimere, aut præſenti pecunia ſatisfacere cogebatur: quum regni facultates non ſufficerent, nullum liberalitatis genus exercere, vti noui Reges ſolent, immo vero noua tributa indicere cõpulſus fuit: magnis quidem omnium querimoniis, qui bonam veterum partem, vti ſub Carolo Octauo, ſibi remiſſum iri ſperauerant: nec minus vtriuſque factionis viri nobiles querebantur, alij quod condonatis dudum, poſſeſsíſque muneribus ſeſe abdicare nolebant, alij quod non iuſtas, ſed ad præſcriptã ſummam redactas, aut ſi qua diſceptatio interuenerat nullas omnino compenſationes recipiebant, vt toleratis diu Hiſpanicis rapinis iuſtas ſuæ à Gallis defectionis pœnas perſoluerint: vnus inter omneis præter Hiſpanorum morem ſolida beneficentiæ laude Conſaluus excelluit, qui diuenditis magna ex parte, quæ in regno Neapolitano poſſidebat, publicis muneribus quòd aliunde, quod daret, non ſuppetebat, pecuniáque liberaliter diſtributa gratiſſimam ſibi memoriam diſcedens reliquit. Vela facientem Ferdinandum Iulius Pontifex in Oſtienſi arce aliquot dies commoratus expectabat; at ille colloquium auerſatus, quod ſe niſi vetere perſoluto vectigali in fidem regni Neapolitani nomine recipere Iulius recuſaſſet, recta Sauonam curſum tenuit: petebat Ferdinandus, vt quæ Ferdinando patrueli, eiúſque liberis, ac nepoti deducta de vectigali ſumma antea fuiſſet, ea ſibi quoque deduceretur, & quaſi maioris Alphonſi hæres Rex Neapolitanus agnoſceretur, nulla vxoris habita ratione, cuius nomen, quod ad Campaniam, Samniúmque ſiue Aprutium attinet, fœdere cum Ludouico inito interponi iubebatur.

Quid Ludouicum impulerit Genua recepta exercitũ ſtatim dimittere.

Conſalui beneficentia & liberalitas in regno Neapolitano.

34 Hac forma ipſe viros nobiles Neapolitanos nuper omneis fœdera ſua duntaxat vtilitate metiens, in fidem receperat, vti fere nullam iuriſiurandi religionem coluit: hinc iocatus Conſaluus quum fidem illi ſæpe fefelliſſet, ſe Regem ſuum eius Dei, cuius religione moueretur, ſacramento in poſterum adacturũ prædicauit. Sauonę colloquium Ludouicus, Ferdinan

Ferdinandúſque ſibi mutuo indixerant, quo Ludouicus Ferdinãdum Neapoli ſoluiſſe certior factus prior acceſſerat, pontémque ligneum ad portum extrui iuſſerat: eò vbi Hiſpanæ triremes ad portum appulerunt, Ludouicus paucis comitatus ſine vllis ſtipatoribus in Regiam triremem deſcendit, poſtquam ſermones aliquot hilaritatis plenos inter ſe contulerunt, eodem ponte ad ciuitatem iter ingreſſi Regina media, vir à dextra, à ſiniſtra auunculus inceſſerunt: infinita hominũ omnis ſexus, omnis ætatis multitudine ad tam auguſtum ſpectaculum ex omni vicinia confluente. Ornatiſſimus vtriuſque Regis, Reginæque comitatus partim antecedebat, partim ſubſequebatur; ita pedibus ad arcem peruenerunt, quæ Ferdinando, vxoríque, pars autem vrbis arci proxima Hiſpanis attributa eſt. Ludouicus ad Pontificias ædes è regione arcis diuertit; mirum erat Reges nuper hoſteis acerrimos tantam inter ſe præ ſe ferre amicitiam, tantam de ſe inuicem concepiſſe fiduciam: vter autem maiorem de altero concepiſſet, inter homines conuentus eius rationem, occaſionéſque acutè metientes non leuis diſputatio erat; prior ſe Ferdinando, ſed in ſeſquihoram Ludouicus permiſerat, totum triduum Ferdinandus in Ludouici poteſtate fuit: & Ferdinandus primum Carolo Regi fidem fefellerat, quum Ruſcinone recepto, ne regnum Neapolitanum armis Carolus inuaderet, ſe haud impedimento futurum receperat, ingredienti per Fonſecam legatum, ſi porro progrederetur, bellum denuntiarat, tum ipſi Ludouico quum fœdus à Philippo genero ſancitum ratum habere recuſarat, quæ regni Neapolitani amittendi princeps cauſa fuit, & regni eius, magníque exercitus amiſſio Ludouicum ad vltionem incitatura videbatur, vt par pari referret. Ludouico captiuo nihil, aut non multum Ferdinandus aſſequebatur, ſucceſſorem enim generum Ludouicus Franciſcum Valeſium Gallorum legibus habebat: Ferdinando retento, & in Caſtulonenſi regno, & in Neapolitano graues tumultus ſuborituros veriſimile erat, quibus compeſcendis pupillorum Philippi liberorum ætas nullo modo apta erat. Solus Gallorum candor omnibus nationibus perſpectus Ludouicum ab ea mente reuocabat, alioqui tale quiddam promereri Ferdinandi iterata ſæpius perfidia videbatur; nec minorem de ſe loquendi materiam Conſaluus dux rebus geſtis clariſſimus præbuit; qua aſtutia Meletanum Comitem, Albertúmque Seuerinatem Laini intercepiſſet; qua conſtantia Baroli obſeſſus peſtem, famémque tolerasſet, ac milites vtraque grauiter afflictos, ſtipendióque dudum non exoluto exacerbatos variis artibus in officio continuiſſet, quàm fortiter ad Ciriniolam depugnaſſet, qua animi magnitudine ad Lirim caſtrametatus diu perſeueraſſet, nec commeatus difficultate, nec hyemis aſperitate, nec paludum inundatione victus ceſſiſſet; qua induſtria victoriam ibidem ſibi comparaſſet, Galli pariter, atque Hiſpani recordabantur, & cæteris prædicabant. Quod ſi talem Galli ipſi ducem habuiſſent, nec Mantuanum, Salaſſúmque alienigenas, rerúmque bellicarum imperitos ſequi coacti fuiſſent, haud dubium, quin victoriam facile reportaſſent: ita à ſuis pariter, atque ab hoſtibus commendatus omnium oculos in ſe conuertebat! Augebat admirationem oris majeſtas, & cum comitate coniuncta grauitas, & diſſerentis de ſuis rebus atque alienis militaris facundia. Hominis virtutem Ludouicus admiratus ſummo in honore habuit, & vt in eadem menſa Ferdinando, Reginæ, ſibique quartus aſſideret, vnáque ad cœnam admitteretur, ab ipſo Ferdinando impetrauit. Hic dies Conſaluo lætiſſimus, nec minus eo, quo regno ſubacto victor, ac prope triumphans cum toto exercitu Neapolim iniit, glorioſus fuit, ſed idem velut quidam gloriæ eius terminus fuit: Ferdinando enim ſuſpectus (vt Regibus aliena virtus aut inuidiæ materiam præbet, aut ſæpius formidoloſa eſt) in Hiſpaniámque reuocatus nullum virtutis vel bello, vel pace declarandæ argumentum nactus eſt, veluti priuatus inter ſuos conſenuit, Ferdinandum prope ingratum expertus, & nono poſt anno è vita exceſſit.

Inſignes Conſalui ducis virtutes breuiter recenſitæ.

Eius mors in Hiſpania.

Quid eo colloquio Ludouicus & Ferdinandus pertractarint, vix certo ſciri quicquam, planéque cognoſci potuit, vterque enim fere ſemper tectiſſimus fuit: perpetuam amicitiam iuraſſe, & de conſeruandis inuicem ſuis ditionibus fœdus iniiſſe traduntur; reconciliandum Ludouico Maximilianum Ferdinandus recepit, vt coniunctis viribus bellum Venetis inferrent. Et vt non ſolùm ſibi priuatim, ſed vniuerſo etiam Chriſtianiſmo conſulere viderentur, de inſtaurandis Sacerdotum moribus, conciliόque indicendo compromiſerunt; in quod caput Ferdinandus enixè incumbere ſimulabat, Cardinalem Ambaſianum (in quem ſuorum conſiliorum ſummam Ludouicus contulerat) Romani Pontificatus cupiditate flagrantem ſibi magis conciliaturus, quem hoc nomine ita ſibi addixit, vt non paruam inde res Gallicæ iacturam ceperint, feróque verba rebus haud reſpondere, atque in Ferdinandi animo miras latebras, atque altos receſſus ineſſe Ambaſianus intellexerit: omneis enim machinas Ferdinandus regno Neapolitano metuens ne ad

Romanum Pontificatũ Ambaſianus perueniret, adhibebat; quem ita Ludouico addictum nouerat, vt vniuerſas Romanæ Reip. opes ad eundem augendum, amplificandúmque collaturus videretur, ſi quando voti compos ſummum magiſtratum iniret. De re Piſana etiam egerunt, qua de Florentini toto eo anno ſedulo cum vtroque egerant: Ludouicus enim Piſanis infenſus, quod Genuenſibus ſuppetias tuliſſent, Genua recepta eò vires ſuas conuertere decreuerat: quominus id præſtaret, & Germanicus conuentus, & Ferdinandus in cauſa fuerunt, qui Piſanis, vt in Florentinorum ditionem redirent, ſe perſuaſurum ſpondebat: vterque ſe non exiguam à Florentinis pecuniam accepturum ſperabat, vt Piſæ Florentinis parerent Ludouico ex vſu eſſe videbatur, ne Genuenſibus rebellantibus ſe iungerent, néve in Ferdinandi poteſtatem venirent. Ferdinandus contra Piſas liberas permanere malebat, verùm quod ſine magnis impenſis eodem in ſtatu conſeruari non poſſent, vt honeſtis conditionibus Florentinis deintegro parerent, ſedulo procurabat, quo nomine Florentini ſe cum illo adhuc Neapoli agente fœdus inituros, & centum nummûm aureorum millia perſoluturos polliciti erant: vnde ne Ludouici duntaxat opera Piſis aliquando potirentur, veritus ſi quando illi ſe non adhibito eaſdem recipere tentarent, ſe contra à Piſanis ſtaturum Florentinorum legatis denuntiarat: verumenimuero re Sauonæ accuratius pertractata Piſas Florentinorum Imperio, modo vterque compendium faceret, reſtituere decreuerunt. Hinc Florentini, ne Ferdinandi animum à ſe abalienarent, Piſanum agrum (tametſi id facilè, & ex vſu erat) peruaſtare, ſegetéſque aſportare, aut incendere neglexerunt, quum crebris excurſionibus ad vrbis portas vſque penetrarent, & ruſtici, qui Piſanos ciues multitudine ſuperabant, ægrè totius anni ſpem amittebant, nec ſolita pertinacia ſe Florentinis opponebant: impenſas facere Petrucius recuſabat, Lucenſes clam nonnullas faciebant, vniuerſas ſuſtinere ſoli haud poterant, Ferdinandus nihil omnino impendere decreuerat, die quarto Ludouicus in Galliam rediit, Ferdinandus Barcinonem tranſmiſit, rebus Italicis eodem, quo ſteterant, ſtatu relictis, niſi quod Iulius Pontifex vtrique, præſertim Ludouico infenſus per Cardinalem Praſſidenſem legatum Ioannem, Alexandrúmque Bentiuolos ſibi dedi poſtulauit, qui quod præter fœdus Bononienſe Carolo Ambaſiano authore conceptum Bononiam ex inſidiis inuadere tentaſſent, eodem fœdere ſe tueri non poſſent, Regi liberum eſſe, vt vtrumque dederet; id ſi præſtaret, Cardinalitium galerum ad Heluiorum Pontificem miſſurum Iulium. Ludouicus Ioannem Bentiuolum in cuſtodiam traditum, atque in arcem Mediolanenſem concluſum reſpondit: ſed quod nullius adhuc criminis conuictus eſſet, datam fidem fallere à ſua exiſtimatione eſſe penitus alienum, aqua & igni homini interdiceret Iulius, aliiſque legitimis pœnis inſectaretur, ſe & ſuas habuiſſe conquerendi rationes; nec tamen quod Bentiuolorum domus aduerſus idem fœdus à fundamentis euerſa fuiſſet, aliquando conqueſtum.

Ioannem & Alexãdrum Bentiuolos ſibi dedi Iulius à Ludouico flagitat.

Interim Conſtanțienſis conuentus eadem omnium expectatione continuabatur, quam 36
Cæſar verbis magnificis alebat, ſe hiſce viribus Italiam peruaſurum, quibus nec Galli, nec cuncti Itali Gallis iuncti reſiſtant: Regem Gallum ſe præterea ſacri Imperij hoſtem declaraſſe, Iulio ipſique Cardinalium collegio ſignificauit, quòd cum magno exercitu Italiam ingreſſus Cardinali Ambaſiano Romanum Pontificatum, ſibi Imperium vendicare conaretur, ſe profectionem Italicam adornare, vt Romæ Imperatoriam coronam accipiat, communem libertatem ſtabiliat, Romani Pontificatus authoritatem ſartam tectam reddat, haud ſui officij, ac pietatis fuiſſe vt ſummi Pontificis querelas expectaret, Bononia Iulium, ac Cardinales Gallorum metu profugiſſe, ac vix metus cauſas ſignificare audere. Horum rumor in maius ſemper excreſcens, ac paſſim ſparſus homines ſpe, metu, rerum nouarum ſtudio agitabat: hinc Iulius, Veneti, Florentini, cæterique Itali principes vno Mantuano excepto, ac liberæ ciuitates legatos Conſtantiam miſerunt. Anxius his curis Ludouicus, & cum de Venetorum erga ſe voluntate incertus, tum de Iulij in ſe odio certiſſimus, præſertim quod Cardinalem à Cruce Maximiliano addictiſſimum Cónſtantiam nuper miſerat, Genua recuperata ſtatim exercitum dimiſit (vt ſupra commemorauimus:) hinc Germani principes, liberæque ciuitates falſa, quæ illi Maximilianus obiecerat, coniicientes multum de priſtino ſuo ardore remiſerunt, iidem Maximilianum ad eam potentiam, quæ ſibi poſtea formidabilis eſſet, euehere nolebant; vnde paulatim inter ſe diſſentire cœperunt. Et Ludouicus omnium, quæ Conſtantiæ agerentur, certior factus, opportuna occaſione vſus eſt, ac per homines eò clam miſſos, nec ſe palam inculcantes, ſed ſine arbitris cauſam ſuam agenteis apud principes ſibi amicos obiectas calumnias rerum euentibus facile purgauit: fœdera omnia ita ſe concepiſſe docuit, vt ne quid de ſacri Imperij iure decederet, ſemper exceperit: munera etiam addidit, quæ apud gentem auri auidiſſimam multum profuerunt,

Digitized by Google

& cauſam iuſtam omni ſuſpicione, falsiſque calumniis liberarunt. Conſtantienſis conuentus decimotertio Kalen. Septembr. dimiſſus eſt: octo equitum, viginti duo peditum millia in ſex menſes ſtipendio affecta Maximiliano in profectionem Italicam attribuit, in machinas bellicas, cæteraſque extraordinarias impenſas centum & viginti florenorum Rhenanorum millia addidit, vt milites ad decimumſextum Kalen. Nouembr. prope Conſtantiam conuenirent, edixit: plura additurum fuiſſe rumor percrebuit, ſi expeditionem Imperij nomine penitus (quamquam ipſo ſummo duce) equeſtrium, pedeſtriumque ducum creationem, regionum bello ſubactarum diſtributionem, ex conuentus ipſius præſcripto fieri Maximilianus conſenſiſſet. Ille neque ſocium addi, neque aliud, quam ſuum nomen interponi, nec victoriæ præmia ad alios, quàm ad ſe, ac ſuos redire paſſus decretis ſibi copiis potius, quàm maioribus cum ſupra commemoratis conditionibus contentus fuit. Etſi autem huius expeditionis expectatio ea quæ fuerat, non erat, tamen ſi quas vel ex ſe, vel ex ſuis ditionibus copias addere Maximilianus poterat, quis conſideret, magnum profecto exercitum ex veteranis, fortibúſque militibus, atque ex bellicoſis nationibus conflatum Italiæ imminere palam erat. Accedebat quod ex Heluetiis decem peditum millia ſibi adiungere cupiebat, cui quamquam Antonius Beſſaius, aliíque Galli ſeſe opponebant, & antiquum fœdus cum hoc ipſo Rege nu per renouatum contra veteres cum Auſtriaca familia inimicitias, ac pertinax cruentúmque bellum cum Maximiliano non ita pridem geſtum in memoriam reducebant, quámque Germanici Imperij aucta potentia illis formidoloſa eſſe deberet, exponebant, tamen Heluetij aut ſe Maximiliani poſtulatis ſatisfacturos, aut ſaltem aduerſus eundem haud arma laturos, præ ſe ferebant, ne vniuerſum nomen Germanicum, quod Maximilianus obtendebat, in ſe concitarent.

Conſtantienſis conuentus quando dimiſſus, & quis Maximiliani ad expeditionẽ Italicam apparatus fuerit.

37 Itaque Ludouicus peditatu inferior, an Heluetij, Venetíque ſocietatem renuntiarent incertus, Mediolani ſuburbia, ac cæteras vrbeis, arceiſque munire cœperat illuc ſuos in tempore intromiſſurus. Germanicum exercitum quaſi incitatum aliquem torrentem Italiam penetraturum, ſtipendij penuria non multo poſt diſſoluendum prouidebat, hoc exitu Maximiliani expeditiones omneis propemodum terminatas. Nec minoribus curis, & rerum gerendarum difficultatibus Senatus Venetus diſtinebatur, ad quem Maximilianus treis eximiæ authoritatis legatos miſerat, per quos non ſolum liberam Germanici exercitus per Venetæ ditionis agrum traducendi poteſtatem, ſed & ſocietatem petebat, & ad coeundam victoriæ præmiis inſtabat, quam iiſdem conditionibus ſibi dudum oblatis cum Gallo Rege magno eorum malo coïre poſſit; ſe multis de cauſis à Gallica abhorrere, tanti Senatus ambire, repulſum rebus ſuis conſulturum. Contra Ludouicus & per legatos Venetias miſſos, & per Venetum in comitatu aulico agentem, quàm pernicioſum id vtriſque eſſet, edocebat, perpetuam ſocietatem, vires ſuas omnes offerebat, vt ſimul iuncti Germanos Italis iuxta ac Gallis hoſteis tranſitu prohiberent· neceſſe autem erat, vt vel per Venetum, vel per Mediolanenſem agrum tranſirent. Italiæ tranquillitatem perturbari Veneti nolebant, nec victoriæ præmiis ab ea ſententia dimouebantur: quantam illi inuidiã, quanta diſcrimina Cremonæ, Abduaníque agri acceſſio creaſſet, experientia edocti, neutri permanere maluiſſent, verùm ea Ceſaris importunitas erat, vt vel recuſare, vel liberum illi tranſitum permittere cogerentur; recuſantes primum in ſe belli impetum conuertebant, permittentes ſocietatem Ludouico renuntiabant, qua alterutrorum hoſtibus tranſitum dare vtrique vetabantur. Suſpectus erat Ludouicus Cremonæ, Abduaníque agri recipiendi cupiditate, ſuſpectior Maximilianus pleraſque Auſtriacæ familiæ, Germanicique Imperij vrbeis occupantibus, cuius præterea aucta in Italia potentia illis mirandum in modum formidoloſa erat. Poſt multas igitur in Rogatorum concilio habitas altercationes (res enim magni momenti erat) tandem ſine armis Italiam ingredientem magno cum honore excipere, cum exercitu incedentem ingreſſu prohibere decreuerunt, huc ſe fœderis cum Ludouico initi neceſſitate adduci, atque ad Mediolanenſis principatus propugnationem præſcriptis equitum peditúmque copiis teneri, Maximiliani legatis denuntiarunt, alioqui ad omnia illi præſtanda obſequia paratiſſimos; ea porrò ſe modeſtia vſuros, vt nullis, modo fœderis ratio patiatur, ſeſe eius conatibus opponant, ſempérque tanti principis felicitatem nouis in dies incrementis auctam velint: idcirco fœdus cum Ludouico renouare, aut aliquid addere recuſarunt, ne ſponte ad hoc bellum accedere viderentur, Maximilianum ſcilicet ſperantes, ne hoſtium numerum augeret, aut in Burgundiam, aut in Mediolanenſem Ducatum arma conuerſurum.

Senatus Veneti legatis Maximiliani reſponſum.

38 Venetis diu vtram in partem inclinarent dubitantibus, & tandem Gallo adiunctis Itali principes, liberæque ciuitates, quæ magnam initio pecuniam venienti ſuppeditaturas præ ſe ferebant, illorum exemplũ ſequutæ Ludouici cum ingenti exercitu Genuam proficiſcentis

ciſcentis metu nutabant, & de ſuo erga Maximilianum ſtudio multum remittebant, in quibus præcipuam pecuniæ in tantum exercitum continendum conficiendæ ſpem collocarat, nutanteis immoderata eius poſtulata deterrebant. Ab Alphonſo Ferrarienſi regulo, qui Annam Blanchæ Imperatricis ſororem vxorem duxerat, dotem repetens immenſum quiddam, à Florentinis quingenta nummûm aureorum, quos ducatos vocant, millia, ab aliis item alia, ſed ſupra cuiuſque facultates depoſcebat: vnde omnes prope, tametſi apertè non negabant, reſponſum tamen ſuſpenſum tenebant: ſoli Senenſes ſex Ducatorum millia contulerunt. Hac ſpe deceptus, & pecuniæ inops, quod Heluetiis exolueret ſtipendium in numerato haud habuit: & illi multa excipiebant, necdum vllo ſe ſacramento obligarant, vt nihil inde ſperare poſſe videretur: quod poſtremum fuit, Iulium vt centum nummûm aureorum millia à Germanis in Turcicum bellum collata, quæ ab ipſis aſſeruabantur, nec in alium vſum ſine Iulij mandato transferri poterant, ſibi ſumere, & ad Romani Pontificatus ſtabiliendam authoritatem conuertere liceret, rogauit, quemadmodum & Ferdinando Hiſpano ſacram pecuniam Alexander in bellum Neapolitanum impendere permiſiſſet; ſe vbi Ludouici Sfortiæ liberos in Mediolanenſem Ducatum reduxiſſet, exercitum ibi relicturum, Romam ad Imperatoriam coronam accipiendam inermem (vt Iulius petierat) profecturum teſtatus. Iulius veterum Germanorum Imperatorum in Italia inſolentiam, & in ipſum Romanum Pontificatum vſurpatam authoritatem memoria repetens Regem Gallum in ſe prouocare noluit, neutri ſe dare conſtituit, Maximiliani poſtulatum non admiſit: quod autem Maximiliano plurimum obfuit, conuentu Conſtantienſi dimiſſo bellum non communi Germanici Imperij, ſed priuato eius nomine geri paſſim fama diuulgauit, vnde multùm de expeditionis expectatione deceſſit, tanta tamen diligentia tormenta bellica ad Italiæ fines conuehi curabat, Germaniæ principes promiſſas ſibi copias mittere vrgebat, ac ſibi plura, quàm præſtare poſſet, promittens, Heluetios ad ſtipendium inuitabat, & natura tectiſſimus, ne quis rumor in Italiam emanaret, Pontificium legatum, cæteróſque Italos à comitatu aulico ſegregarat, vt nonnulli magnum quiddam expectarent, alij expeditionis ſuperiorum eius haud diſſimilis apparatum in dies imminutum iri iudicarent; ita in diuerſas coniecturas diſtracti Italorum animi ad illius aduentum ſuſpenſi erant.

Diuerſæ de Maximiliani bellum meditantis voluntate coniecturæ.

Iámque diuo Gallo dicatus dies, qui decimoſexto Kalen. Nouembris celebratur, idem 39
Germanicis copiis, vt ad Conſtantiam conuenirent, præſcriptus aduentarat, & tamen rari milites tantæ expeditionis, quota portio, apparebant; neque vlli ab ipſo Cæſare bellici apparatus profecti cernebantur, niſi quod pecunia vndique conquirebatur, & tormenta de loco in locum trahebantur: quibus autem viribus, quo tempore, quam in regionem incumberet, incertum erat: alij Foroiulienſem, alij Tridentinis montibus Veronenſem, alij Lario lacu, aut per Allobroges Mediolanenſem agrum inuaſurum, nonnulli in Burgundiam impetum facturum ſuſpicabantur, at Ludouicus, Venetíque quibus eius aduentus ſuſpectus erat, prudenter rebus ſuis prouiderant: numeroſum ille equitatum, peditatúmque in Mediolanenſem principatum miſerat: bis mille quingentos etiam Hiſpanos pedites Ferdinando permittente, Maximiliano grauiter de affine conquerente addiderat: eius mandato Carolus Ambaſianus Mediolanenſis prætor concepta de Borrhomeis ſuſpicione Aronenſem ad Verbanum lacum ſitam arcem occuparat: Trimullius cum quingentis cataphractis equitibus Burgundiam, Ioannes Iacobus Truultius cum quadringentis eiuſdem armaturæ equitibus ac quatuor peditum millibus Veronam, Venetis opem laturus inſederat, atque vt Maximiliani vires diſtraheret, ducem Geldubenſem Ludouicus pecunia, ac milite iuuabat, vt Flandricas Caroli Maximiliani nepotis prouincias bello infeſtare perſeueraret: Nicolaum Vrſinũ Petilianum Comitem cum quadringentis cataphractis equitibus, multis peditibus, quorum numerus non traditur, Roueredum Veneti, vt viæ Tridentinæ immineret, Bartholomæum Liuianum cum octingentis eiuſdem armaturæ equitibus Foroiuliũ miſerant. Primum belli veluti ſpecimen mille Germani pedites dederunt, Paulo Baptiſta Iuſtiniano, ac Fregoſino Genuẽſibus exulibus ducibus, qui montibus Venetæ ditionis ſuperatis Caſulum Ludouici Gonſagæ oppidum Germanici Imperij fundũ mira celeritate peruenerunt, vt tranſmiſſo Pado Parmẽſi monte in Genuenſem agrum euaderent: ſed miſſo Parmam Gallorũ equitum, peditúmque pręſidio, qui venienteis exciperent, de tranſitu deſperantes eodẽ itinere Venetis permittentibus, ac Maximilianũ irritare recuſantibus in Germaniã redierunt. Bononiæ plerique Genuenſes exules agebant: hinc Germanos Iulio conſcio Ludouicus Caſulum acceſſiſſe ſuſpicabatur, contra Foroliuienſes exules Fauentia egreſſi Forum Liuij noctu, ſed fruſtra ingredi tentarũt: id Ludouio Venetíſque Iulius aſcribebat, ita mutuis ſuſpicionibus ſeſe viri principes exagitare cõſueuerunt.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM DECAS SECVNDA.

LIBER VNDECIMVS.

1 OCTAVVS huius ſæculi annus etſi bellis aliquot perſtrepuit, tamen non tot, tantiſque exarſit, quot, quantorúmque ſeminaria in conſequenteis annos parturiuit. Huius initio Annibal, atque Hermes Bentiuoli Pepolis, aliiſque nobilium familiarum adoleſcentibus in ſuam factionem pertractis Bononiam ex inſidiis inuadere tentarunt; nec res multum à proſpero euentu abfuit: ſiquidem coniurati Mammoli portam occuparunt, ſed populo Romani Pontificis nomine arma corripiente perculſi porta relicta aufugerunt, Bentiuoli ſe cum ſuis ad Inſubres receperunt. Hic tumultus non tam Iulium aduerſus Ludouicum Regem accendit, quàm ſponte accenſum mitigauit: ſibi enim diſplicere Ludouicus multis argumentis docuit, Ambaſiano iniunxit, vt quoties opus eſſet, Bononiæ opem ferret, nec Bentiuolos in vlla Mediolanenſis ditionis regione habitare permitteret, quos in primis ſuſpectos Iulius habebat, quod Mantuæ in cuſtodiam traditus Dominicinæ Sodalitatis fraterculus Iulium veneno tollendum Bentiuolis inſtigantibus ſe ſuſcepiſſe confeſſus erat; Ambaſianum per homines idoneos ſecum egiſſe addiderat, vt quod Bentiuolis promiſiſſet, exolueret. Hinc Alexandro Bentiuolo magis, quàm cæteri, ſuſpecto dies dictus, vt in Galliam ſeſe purgaturus accederet: per eos dies Ioannes Bentiuolus iam ſeptuagenarius, aut paulò maior mœrore tabeſcens è vita exceſſit: is quadraginta annos Bononiæ ſumma felicitate præfuit nullo interim fortunæ flagello caſtigatus, quin potius vnà cum liberis ab omnibus Italiæ principibus amplis ſtipendiis, honeſtis penſionibus, ſummis honoribus cultus: quamuis nec ingenio, nec prudentia, nec bellica laude, aut alia virtute antecelleret: ſed infelici exitu ſibi obnoxium tandem fortuna declarauit. Huius quoque anni initio caduceatorem Maximilianus Veronam miſit, qui Cæſarem Italiam ad coronam Imperatoriam accipiendam ingreſſurum denuntiaret, & quatuor equitum millibus diuerſoria poſtularet. Veronenſes magiſtratus conſulto Veneto Senatu, ſiquidem ad coronam dumtaxat accipiendam veniret, venientem ſe omni cum honore excepturos reſponderunt: cæterum longè aliud moliri, tantam bellicorum tormentorum vim, tot equitum, peditúmque millia declarare quis inficiari poteſt? Faceſſant arma, illi aditum patere, ſin armis res agatur, ſe ſuis rebus conſulturos. Is tum Tridenti agebat, ac repulſam paſſus ſupplicationem in diem tertium nonas Februar. indixit, cui ipſe interfuit, Imperij Heraldis, Mareſchallóque, (ſic enim vocantur) enſem Imperatorium diſtrictum geſtante antecedentibus, cætera pompa ſubſequebatur, Sacerdotes primo ordine incedebant, ſupplicatione peracta Matthæus Lancus illi ab epiſtolis, ac paulò poſt Gurcenſis Pontifex orationem habuit, qua delectum Imperatorem (ſic ſe, non amplius Romanorum Reges, qui ad coronam Imperatoriam accipiendam proficiſcuntur, nuncupant) Italiam hoſtiliter peruaſurum denuntiauit. tum Cæſar, ne quis ex vrbe egrederetur, edixit, ac nocte conſequente paulò ante lucem cum mille quingentis equitibus quatuor peditum millibus è ſuis ditionibus conſcriptis ipſe egreſſus montanis itineribus Vicentiam contendit, multis panibus, quos Tridenti conficiendos curarat, cæteróque commeatu, ac ligneis defenſaculis

Anno 1508.

Bentiuoli cur Iulio ſuſpecti.

Maximilianus Imperator ſupplicatione quam Tridenti indixerat peracta Vicentiam ire pergit.

Digitized by Google

culis(quos gabionos vocant)in lintres impoſitis,ac ſecundo Athæſi tranſmiſſis; vbi captis montanorum quos ſeptem pagos, ſiue communitates vocant, tuguriolis ad montis, qui vulgo Siagius dicitur, faſtigium peruenit, è cuius radicibus ad Vicentiam duodecim milliaria numerantur; pleraſque foſſas, quas montani multis à Venetis quaſi huius limitis cuſtodes priuilegiis donati ſui tuendi cauſa foderant,humo impleuit,tormentáque admouit: cum cæteri progrediendum ſemper, audendúmque ſuaderent, ipſe mutata ſententia pedem retulit, & quarto, quam Tridento profectus erat die, Volſanum ab Italiæ finibus remotius oppidum retroceſſit. Ea inconſtantia Venetis animos auxit, nec feliciore conatu cum quingentis equitibus bis mille peditibus Brandeburgenſis Marchio Roueredum, vt in vrbem admitteretur, petiit; vnde re infecta poſtridie in Germaniam rediit. Indigni Imperatore primi conatus, ac merito contemnendi Venetos ad maiora audenda incitarunt, multos pedites, quorum maior in montibus vſus erat, conſcripſerunt, Triuultium cum ſuis Verona Roueredum proficiſci iuſſerunt, maiores belli apparatus inſtruxerunt, Ludouicum, vt eodem animo in bellum incumberet,hortati ſunt. Is ad Italiam accedens Heluetiorum quinque millia ſuo, tria Venetorum ſtipendio affecta præmittebat: nam quod illis pecuniam Maximilianus ſuppeditare nō potuiſſet,ad Regem,ac Venetos tranſierunt, quanquam primo ſtipendio exoluto ad Venetorum ditiones tuendas pergere detrectarunt, ſe aduerſus Maximilianum pro conſeruando dumtaxat Mediolanenſi principatu arma laturos profeſſi; vt ea gens parum integra fide promiſſa facere, & maioris ſtipendij aucupandi ergo nouas cauſas nectere ſæpenumero ſolet. Maius Cæſarianorum agmen peditum quinque millia, equites quadringenti in Foroiulienſem agrum peruaſerunt: & vallem Cadurianam,ſiue Cadoranam,(oppidum enim vnde vallis nomen aſſumpſit Cadurium quidam, alij Cadoras vocant) ingreſſi vicum eiuſdem nominis, arcémque vbi rarum præſidium erat, ac magiſtratum Venetum ceperunt. Hinc Liuianum cum ſuis, Georgiúmque Cornarium Veneti Vicentia illuc contendere, atque incolis opem ferre iuſſerunt: alia ex parte Maximilianus cum ſeptem peditum millibus Volſano Bruneccum quibuſdam vallibus percurſis etiam Cadurianam, quæ Tauriſum ducit, peruaſtauit, ac priuati ducis potius, quam Imperatoris officio functus ad quadrageſimum vſque milliare Venetam ditionem populatus eſt, & fanum Martini, vicum Pieuenſem, ac finitima quædam oppida in ſuam poteſtatem redegit.

Ludouicum cum Venetis Maximiliano occurrere aggreditur.

Sub finem Februarij Ænipontem rediens (Iſpurgum vulgo appellant) gemmarum, vaſorum aureorum, pretioſæ ſupellectilis quicquid habuit, oppignerauit, à Germaniæ principibus, vt promiſſa Conſtantienſi conuentu auxilia, pecuniáque in alteros ſex menſes continuaretur, poſtulauit; atque inter eundum Heluetios ad Gallum tranſiiſſe certior factus Vlmam petiit,vt Sueuos,quemadmodum & antea, in Heluetios accenderet. Interim nouem, quæ in agro Tridentino remanſerant, peditum millia tormentis Baiocum arcem è regione Rouereti quatefecerunt,ac tertio die facta deditione ceperunt: Liuianus biduo Cadurium cum equitatu peruenit, ibi pedites expectans anguſtias quaſdam nullo à Germanis præſidio firmatas occupauit, cæteras, quibus Germani redire poterant, incolæ Venetis addicti inſederunt. Germani reditu prohibiti, & maiores in dies copias Liuiano acceſſuras conicientes viam vi ſibi patefacere ſtatuerunt,maturè bello decernendum putarunt. Nec prælium Liuianus diſtulit, itaque acerrimè aliquot horis pugnatum eſt: Germani tandem numero inferiores aut cæſi, aut capti fuerunt, cæſos circiter mille produnt. Inde Cadurianam arcem bipartito exercitu oppugnatam Liuianus expugnauit, ac victoria prudenter vſus Portonauonum, Cremonſam, Goriciam, quam Norciam Strabo vocare videtur, ad Iuliarum alpium radices vrbem ſitam cepit, quam Veneti, vt Turcis excurrentibus, & Natiſonem fluuium (quem Liſontium vocant) audacter tranſmittentibus iter intercluderent, muniendam curarunt: Goriciæ, Tergeſte, Portonum, flumen Illyrici oppidum è regione Anconæ, Poſſonia in Hungariæ finibus acceſſerunt: at Germani Tridento Callianum Roberti Seuerinatis morte, ac Veneti exercitus clade inſigne oppidum profecti tria peditum Italorum millia Iacobo Corſo, Dionyſio Naldio, Vitellio ducibus Bretonico monti præſidio miſſa adorientes facilè in fugam verterunt, quorum ignauiam Germani irridentes munitiones, quas illi erexerant, foſſáſque, quas duxerant, demoliti caſulas etiam, ac tuguriola ſuccenderunt, ac Callianum redierunt. Ex his bonam partem Tridentinus Pontifex aſſumpſit,& duobus additis millibus Ripam Benaco imminens oppidum, quo iuſtum præſidium Triuultius miſerat, oppugnauit, ac primum tormentis prolatis Franciſci ædem biduo verberauit,atque interim vicos Lutronio finitimos populatus eſt. Sed bis mille Rheti (Griſonos vulgo appellant) leui de cauſa irritati, quæ ex ſtipendij ſolutione initium habuit,ſeditionem fecerunt,ac commeatu,qui in exercitum importabatur,

Germanorum ad valle Cadurianam clades.

importabatur, directo cum cæteris ſuæ nationis abierunt, vnde quæ ſupererant ſeptem Germanorum millia pariter diſceſſerunt, Tridentúmque reuerterunt: quorum diſceſſu audacior Venetus exercitus totum eum agrum in plureis diuiſus parteis vaſtauit, ac magna ex parte ſuccendit. Verùm dum tria ex his millia Comitis Agreſtani vicos incendere properant, incolæ non ſeruatis ordinibus diſperſos & nec opinantes aggreſſi fugarunt, atque ex his circiter trecentos ceciderunt: Germanis qui ad Ripam conſederant, diſcedentibus, & cohortibus fere ſeparatis, atque equitibus numero mille ducentis Calliano Tridentum reuerſis Venetus exercitus Petram arcem ſexto à Tridento milliari altero à Calliano ſtadio in montis radicibus ſitam die, quem Chriſto è mortuis excitato Chriſtiani dicarunt, circumſedit. Germanis qui Tridentum inſederant obſeſſis opem ferentibus Veneti obſidionem ſoluerunt, arcémque mox Chreſtanam oppugnarunt; ea non expectatis Tridentinis auxiliis deditionem fecit. Hinc Germani cohortibus in vnum coactis cum ſex peditum millibus, equitibus mille Callianum reuerterunt: ducenti Vuittembergenſes equites Tridento abſceſſerant, Veneti nihilominus cum ſedecim peditum, quatuor equitum millibus ſedecim tormentis ad Petram deintegro oppugnandam redierunt: Petra Rouereto Tridentum proficiſcẽtibus ad dextram cernitur, inde murus duobus fere ſtadiis ad Atheſim fluuium protenditur, murum in parteis æquales porta diuidit, cuius qui compos non eſt, Petræ nocere vix poteſt. Conſiſtebant duo exercitus vix milliari interiecto, & Petram quaſi intermediam in conſpectu habebant: ab altera parte Atheſis fluuius, ab altera montes cingebant, tutus vtriſque præſto erat receptus: Germani arcis, murique compotes Venetos, quum viſum erat, inuadere poterant, ſed eos numero longè ſuperiores aggredi non audebant ne arcem, quæ continuis tormentorum pilis quatiebatur, caperent, impedire dumtaxat volebant. Veneti contra Germanos aggredi muro, atque arce prohibebantur, quum præſidium tormentis impoſitum negligentius forte vigilias ageret, Germani magno impetu irruentes præſidiariis militibus in fugam verſis duo tormenta in ſua caſtra abſtulerunt: hinc Veneti animum deſpondentes Roueretum, Germani ſe Tridentum receperunt, vnde plerique mox diſceſſerunt.

Germanorũ ac Venetorũ ad Petram exercitus.

3 Milites Conſtantienſi conuentu indicti pauci maturè, alij tardius, ſero admodum alij acceſſerunt, nec ſecus fere diſceſſerunt, vix ſimul quatuor millia coierunt: nam qui ad Tridentum, Cadoráſque conuenerunt, ex Maximiliani ditionibus conſcripti fuerunt, Maximilianus ipſe variis de cauſis huc illuc quaſi errans nûnquam iſtis conflictibus interfuit. Vlmenſis conuentus in commodius tempus dilatus erat: ipſe rebus quaſi perditis animo perturbatus ac pudore quodam victus Coloniam ſeceſſerat, nec fere quiſquam, vbinam gentium ageret, ſciebat. Itaque quicquid in Foroiulienſi agro, lociſque finitimis antea poſſidebat, amiſit; & ne Tridentum quoque amitteret, parum abfuit. Id Gallis Veneti aſcribunt, quod Triuultius Venetorum ditiones conſeruare, alienas haud inuadere in mandatis ſe habere iactaret: Maximilianum enim Ludouicus placare potius, quam irritare malebat. Is ab omnibus deſertus poſt cladem in valle Caduriana acceptam per Prælucium domeſticum Venetias miſſum trimeſtres inducias petiit: Veneti nullas niſi vel annuas, vel longiores, & ſibi, Gallóque communes accipere voluerunt; in eaſdem mox incubuit Tridentinus Pontifex pacem inde conſequuturam præfatus. Veneti quandoquidem non ſibi dumtaxat, ſed Regi quoque proponebantur, ſe ab iis non abhorrere reſponderunt: à Maximiliano Tridentinus, ac Serentanus Cæſari ab epiſtolis, à Gallo Triuultius, ac Carolus Gottofredus Senatus Mediolanenſis princeps, à Venetis Zacharias Contarenus coierunt. In omnibus fere capitibus conſentiebant, triennales inducias paciſcebantur, vti quiſque tum poſſidebat, ita & in poſterum vt poſſideret, poſſeſsáſque muniret, conuenerat: ſed Gallus fœderatos non ſolum Italos, verum etiam cæteros quoſuis, atque in primis Geldubenſem regulum induciis comprehendi volebat. Germani poſtremum hunc, cuius ditiones inuadere Maximilianus deſtinarat, in inducias includere omnino recuſabant: Regi ſatisfacere Veneti cupiebant, verum obſtinatos Germanorum animos experti, & captas nuper vrbeis munire properantes ſoli inducias inire, Regi, vt intra certum tempus in eaſdem admitteretur, locum reſeruare ſtatuerunt, ſocietatem inter ſe, Regémque pro ditionibus Italicis tuendis inſtitutam, res Tranſalpinas, vt tueri armis non teneantur, ita nec, vt induciis ſtabiliant, teneri. Triuultius, ac Gottofredus commune bellum communi conſenſu terminari debere proteſtati, & quod Regis reſponſum non expectaretur, queſti, aſſentiri noluerunt. Induciæ nihilominus duodecimo Kalend. Maias pactæ, quas Maximilianus, Venetíque pridie nonas Iunias ratas habuerunt, fœderatos, qui ad eaſdem admitterentur, Iulium Pontificem, Ferdinandum Hiſpanum, Anglum, Hungarum, omneis ſacri Imperij principes, ſuperiorúmque Regum, ac principum, & ſuos fœderatos

Maximilianus Coloniã clam ſecedit.

Induciæ inter Maximilianum ac Venetos pactæ.

Digitized by Google

fœderatos diſertè Maximilianus addidit, quorum nomina intra menſem tertium ederentur: Veneti Gallum, Hiſpanum, eorúmque in Italia dumtaxat fœderatos, ac ſuos nominarunt.

Factis induciis Ludouicus Florentinos ad Cæſarem potius, ſi quidem illi belli initia 4
proſperè ceſſiſſent, quàm ad ſe tranſituros ſuſpicatus, nec alia de cauſa niſi quod Piſarum potiendarum cupiditate flagrarent, Michaëlem Riccium Florentiam miſit. Is primum, quod apud Cæſarem Regis hoſtem, vt cum eodem conuenirent, per legatum egiſſent, queſtus eſt: tum quod tanto impendente bello vaſtandi agri Piſani ſpecie magno exercitu comparato nunquam ſe Regis ſocios profiteri voluiſſent, vt iuſtam de illis ſuſpicionem Ludouicus concepiſſe videretur; eundem tamen veteris ſocietatis memorem hæc ſempiterna obliuione tranſmiſſurum, modò ne Piſas ſine ipſius conſenſu bello infeſtarent. Florentini ſe ad Cæſarem miſiſſe, & Reip. ſuæ conſuluiſſe reſponderunt, quod eius propugnationem ſuſcipere Ludouicus recuſaſſet; in fœdere enim additum eſſe, modo ne quid de ſacri Imperij iure decederet: ſe porro nulla de re cum Cæſare conueniſſe, exercitum haud maiorem, quam ſuperioribus annis habuiſſe, vt nullum ſuſpicioni locum relinquerent, militem auxiliarem ad Ludouicum mittere nequiuiſſe, quod Genuenſium, Lucenſium, cæterorúmque finitimorum auxiliis freti Piſani magnum illis negotium faceſſerent, ſe demirari, cur de Piſanis tantopere ſollicitus Ludouicus eſſet, aduerſus quem Piſani rebelles Genuenſes tueri auſi fuiſſent, Piſanos bello perſequi fœdere cum ipſo inito ſibi permitti. Inde de Piſis in Florentinorum ditionem redigendis agi cœptum: deditionem facturas veriſimile erat, ſiquis Genuenſium, Lucenſiúmque auxilia, pecuniámque, quæ ſæpius ſummittebatur, detraxiſſet, quum enim extra vrbis portas Piſani egredi non auderent, & magna victus penuria laborarent, ruſtici plures numero, quàm ciues, amiſſam anni ſpem hoſtili exercitu omnia vaſtante ægrè ferentes Florentinis reconciliari cupiebant, ciues ipſi re familiari perdita parere æquis conditionibus non abnuiſſent. Verùm Ferdinandus quadam æmulatione percitus ne Piſæ, niſi ſe authore, & pretij, quod à Florentinis expectabat, participe reſtituerentur, legatum Piſas miſit, qui Piſanos in tuenda libertate confirmaret, multíſque promiſſis oneraret; non quod illis opem ferre ſtatuiſſet (neque enim domi ſatis compoſitæ res erant) & quanquam regni Caſtulonenſis adminiſtrationem ſuſceperat, tamen multi adhuc proceres ab eo alieni erant, tum verò Maximilianus nondum nomine Caroli nepotis conſenſerat: ſed quadam virium ſuarum oſtentatione authoritatem in rebus Italicis conſeruare, & ſe parem ſemper Ludouico reddere, innatáque auaritia pretij partem à Florentinis extorquere cupiebat: Regis nihilominus vtriuſque conſenſu res in Galliam tranſlata eſt, & apud Regem diſceptata, vbi poſt multas altercationes, quum pleraque alia, quæ componi haud poterant, incidiſſent, & totum Rex vterque pretium auertere tentaret, re tandem infecta diſceſſum eſt. Induciæ inter Maximilianum, Venetóſque pactæ, quæ aliquam tranquillitatem promittere videbantur, bellum atrox, atque Italiæ exitiale pepererunt. Id adeo Venetorum inſolentia accidit, qui Cæſare repulſo, & aliquot, quas ceperant, velut vrbibus mulctato totius Italiæ ſibi Imperium deſpondebant. Hinc Maximilianum in primis, ſed & Ludouicum irritarunt: alter, quod dum alienas poſſeſſiones inuadit, etiam hæreditarias amiſiſſet ingenti ignominia affectus omneis ſeſe ex hoſtibus vlciſcendi rationes aucupabatur, quem etiam Liuiani è Foroiulienſi agro reditus longè magis accendit: vrbem enim ingredientem triumphali quadam pompa Veneti exceperunt.

Ludouicus Florentinos Piſanis infeſtos eſſe moleſtè fert.

Ludouicus autem & bellorum Neapolitanorum memor, quibus infeſti Gallis Veneti 5
ſemper fuiſſent, & recentibus induciis indignatus, in quibus quum primas parteis obtinere deberet, velut quædam acceſſio additus fuiſſet, & Venetis in tuto collocatis in belli vel regno ſuo, vel Geldubenſi fœderato imminentis diſcrimen veniret, de iiſdem non obſcurè querebatur. Maximilianus, cuius animum acceptæ iniuriæ acrius percellebant, nulla amplius à Germanis auxilia ſperans, qui priuatam eius iacturam publica impenſa ſarcire nollent, quod poſtremum fuit, cum Ludouico de reconciliatione egit, quo ſocio exiſtimationem, atque vrbeis amiſſas recuperare poſſet: nec ab ea & ſuperioribus de cauſis, & Cremonæ, Abduaníque agri recipiendi cupiditate Ludouicus abhorrebat, rem tamen ſuo more ad ſanctius concilium retulit: omnes vno Stephano Poncherio Senonenſi Pontifice excepto in Regis ſententiam conceſſerunt. Poncherius nullam cum Maximiliano, ac Ferdinando inter ſe affinibus, ac pertinacibus Gallorum hoſtibus certam ſocietatem iniri poſſe, vtrumque receptis, quas ſibi vendicet, vrbibus mox in Gallos arma conuerſurum, vtrumque magis, quàm Venetos, metuendum prædixit: cum Venetis ſocietatem iam initam eſſe, niſi per Regem ſteterit, haud facile diſſoluendam. Si tanta Cremonæ potiendæ

An Ludouicũ Maximiliano reconciliari expediret deliberatũ in concilio.

cupiditate

cupiditate Rex ducatur, Venetos diſſoluto ære alieno ea ceſſuros potius, quam vltro in ſe graue bellum concitaturos: tentandum id prius, quam violatæ ſocietatis notam ſubeundam: ſed & Regis ad bellum propenſus, & cæterorum concors animus in ſententia perſtitit. Hic Raublerium Maximiliani conſiliarium ab eodem vt de pace ageret, ac pace conſtituta bellum aduerſus Ludouicum Regem communi conſenſu adornaret, clam Venetias miſſum comminiſcitur Bembus: arcanis Raublerij mandatis cum Ludouici legato per Venetos communicatis Regem totam eam machinam Venetis ſignificantibus ſibi declaratam Maximiliano indicaſſe, atque inde Cameracenſis fœderis ineundi occaſionem cepiſſe ſubiungit, nos veras, & longè vrgentiores ſuſcepti huius belli cauſas paulò ante commemorauimus. Primùm igitur de Caroli Belgarum principis Maximiliani nepotis, ac Geldubenſis reguli controuerſiis diſceptatum eſt: regulum enim antiquum fœderatum, & qui ſibi multum vſui fuiſſet, Ludouicus conſeruare cupiebat. Hoc ipſo tempore Ludouicum etiam aduerſus Venetos Iulius Pontifex incitabat, quibus authoribus Foroliuienſes exules Fauentia egreſſis in patriam redire, noctúque ex inſidiis, vt ille ſuſpicabatur, vrbem ingredi tentaſſent, iidem Bentiuolos agro Mediolanenſi pulſos in ſuas ditiones receperant: Pontificem Vicentinum in demortui locum à Iulio ſuffectum reiecerant, alium in Rogatorum conſilio delegerant, cuius creationem quamuis Iulius haud ratam habuiſſet, tamen is germani, ac ritè creati Pontificis authoritatem ſibi vendicabat. Idcirco Maximum, qui Cardinali Narbonenſi ab epiſtolis erat, deinde Cardinalem ipſum Iulius ad Ludouicum miſit, qui benignè excepti Ludouici mandata ſuis poſtulatis nulla Cæſaris implorata ope ſatisfactura acceperant, & Romam redierant. Sed Iulius animi dubius ſuo more, & Cardinalis Ambaſiani æmulatione ſuſpenſus ad conquerendum, quam ad certum quiddam de bello conſtituendum promptior erat: hinc vltionis cupiditas in Venetos impellebat, hinc timor potentem Regis exercitum in Italiam euocare prohibebat. accedebat quod Aſtenſem, Placentinúmque Pontifices ſine Ludouici aſſenſu Iulius crearat; viciſſim Ludouicus, ne Clareuallenſis inter Mediolanenſia ditiſſimi cœnobij præfectus à Iulio impoſitus in poſſeſſionem mitteretur, intercedebat.

6 Cunctante Iulio, nequicquam præ animi anxietate expediente Maximilianus ac Ludouicus rem maturare decreuerunt, Cameraci à Cæſare Margareta filia Flandricarum prouinciarum adminiſtratrix, à Ludouico Cardinalis Ambaſianus de controuerſiis inter Carolum Maximiliani nepotem, ac Geldubenſem regulum (inter quos in quadraginta dies inducias pacti erant) ſe diſceptaturos ſimulantes coierunt, ne quis enim, quod animo agitabant, aliqua ſuſpicione præſentiret, diligenter cauebant: Cardinalem legatus Hiſpanus ſequutus eſt, tametſi hac in re Maximiliano pariter, Ludouicóque ſuſpectus; quamuis enim Ferdinandus mutuæ inter vtrumque reconciliationis author fuiſſet, tamen res vtriuſque proſperas ſibi formidandas arbitrabatur; Cæſaris ne regni Caſtulonenſis adminiſtrationem vſurparet, Ludouici ne regnum Neapolitanum recuperare tentaret. Id ambo animaduertentes æmulum, cuius animi ſenſa à verbis ſæpius diſcrepare experti erant, intimis conſiliis haud adhibendum putabant, paucis diebus inter Margaretam, Ambaſianúmque conuenit: pactis conuentis mox accerſitus legatus Hiſpanus ſubſcripſit: poſtridie, hoc eſt, quarto Idus Decembr. pax inter Iulium Pontificem, Maximilianum, Ludouicum, Ferdinandum in maiore æde præconis militaris voce declarata, ac Margaretæ, Ambaſiani, Hiſpanſque legati ſacroſancto iureiurando confirmata eſt: nec quicquam præterea additum, ſed in arcanis capitibus res magni ponderis, momentíque comprehendebantur, & ſpecioſis verbis, quaſi ea rerum naturam immutarent, horum principum ambitio tegebatur: ſummos ſcilicet nominis Chriſtiani principes ſacro bello ſuſcepto primum quæ eam expeditionem, tantámque eorum concordiam interturbare poſſent, de medio tollere, Venetóſque cum Turcis multis in rebus conſentienteis, & inter eoſdem principes, vt potentiam ſuam augeant, bella ex bellis ſerenteis malè mulctare, amiſſa repetere, deinde vno, eodémque animo in Turcicum bellum incumbere decreuiſſe: Fauentiam, Ariminum, Rauennam, Ceruiam Iulius Pontifex; Patauium, Vicentiam, Veronam Imperij Germanici vrbeis, Foroiulianas item, Tranſpadanæque Italiæ (quam Marchiam Tarniſmam appellant) quaſi Auſtriacæ familiæ patrimonium Maximilianus; Cremonam, Abduanum agrum, Brixiam, Bergomum, Cremam Ludouicus; Appuliæ portus, vrbeíſque à Ferdinando minore Venetis oppigneratas Ferdinandus Hiſpanus repetebat. Hoc caput, cæteráque quæ conſequuntur Cardinalis Ambaſianus Iulij Pontificis, Ludouicíque Regis vice, quorum mandata ad hæc ſancienda diſertè concepta habebat, Margareta patris, Carolíque Belgarum principis, Hiſpanus legatus Ferdinandi nomine ex eorundem mandatis ſacramento ſanctiore confirmarunt, bellúmque Venetis faciendum decreuerunt, ea quidem

Pax inter Iulium Pontificem, Maximilianum, Ludouicum & Ferdinãdum confirmata.

Digitized by Google

quidem conditione, vt Ludouicus Kalend. Aprilis ipſe non per legatos infeſta in Venetas ditiones ſigna inferret, eodem tempore eoſdem Iulius Pontifex ac Ferdinandus inuaderent, vt inducias inter Maximilianum, Venetóſque pactas iuſta diſſoluendi occaſio prætenderetur, opem à Cæſare tanquam Romani Pontificatus propugnatore Iulius poſtularet, Cæſar ducem vnum, aut plureis ad Iulium mitteret, ipſe non per legatos, ſtatim poſt quadrageſimum belli à Ludouico inchoati diem Venetos adoriretur; ſi quis quod ſuum eſt, recepiſſet, non minus cæteros in ſuis recuperandis iuuaret, omnes ex æquo ad vrbium bello partarum propugnationem tenerentur; nullus niſi de communi conſenſu cum Venetis conueniret: Mantuanus, Ferrarienſis, cæteríque, qui ſibi quaſuis à Venetis poſſeſſiones ablatas quererentur, intra menſem tertium in fœdus reciperentur iiſdem conditionibus quibus quatuor fœderis authores fruituri: receptis in fœdus vel coniunctis cum cæteris viribus vel ſuis armis ſua priuatim repoſcere liceret; de controuerſia inter Blancham Maximiliani vxorem Annæ ſororis Ferrarienſis quondam vxoris dotem repetentem ac Ferrarienſem arbitri iudicarent: Cæſar Ludouicum, Franciſcúmque Valeſium generum Mediolanenſis Ducatus nomine in fidem reciperet, centum nummûm aureorum millia inde acciperet: Cæſar aut Carolus Belgarum princeps nullam ante ſeptimum poſt Venetum bellum profligatum menſem de regni Caſtulonenſis adminiſtratione Ferdinando controuerſiam moueret: Hungarum Iulius in hoc fœdus recipi procuraret, fœderatorum nomina iidem fœderis authores intra quartum menſem ederent, Venetos nominandi poteſtas ne eſſet, fœdus intra ſexageſimum diem ratum haberetur: additum eſt & caput de Flandricis vrbibus recenti bello à Geldubenſi duce captis Carolo reſtituendis: ſed vt viciſſim Geldubenſes à ſe captas Carolus redderet, aſcriptum non eſt.

Poſtridie, hoc eſt, tertio Idus Decembr. Ambaſianus in Galliam rediit, Pariſienſem 7
Pontificem, Albertúmque Pium Carporum Comitem ad Maximilianum miſit, quæ conuenerant denuntiaturos, & vt eadem confirmaret, poſtulaturos. Is nihil moratus pacem vti in Cameracenſi æde promulgata erat, ac cum iiſdem ceremoniis ratam habuit, iureiurandóque ſanciuit. Quidam nulla Iulij Pontificis, Ferdinandíque mandata, nullum conſenſum interueniſſe ſcribunt, quamuis id diſertè aſcriptum fuiſſet; quod ambos partim priuata vtilitate, partim ſua authoritate inuitatos, quæ conueniſſent, rata habituros Maximilianus, ac Ludouicus ſibi perſuaderent. Ferdinandus quidem tametſi totum regnum exiguæ portioni à Venetis occupatæ anteferebat, idque creſcente Ludouici potentia in magnum diſcrimen venire animaduertebat, tamen animi ſenſa callida ſimulatione tegens cum iiſdem ceremoniis capita omnia ſtatim confirmauit: at Iulius natura ſuſpicioſus in cuius mente fere ſemper contrariæ, aut multum diuerſæ animi affectiones acri contentione pugnabant, eadem confirmare diſtulit: hinc Venetorum odium, vrbiúmque recipiendarum cupiditas, inde Cæſaris, ac Ludouici metus ne ille Germanica arma in Italiam inducere aſſueſceret, ſedémque ibi figeret, ne hic amplum principatum magis ac magis augeret, animum ancipitem in diuerſas cogitationes trahebant. Igitur partem ſine cæde ac ſanguine potius, quam totum id quod petebat, cum manifeſtis periculis aſſequi maluit, legatos Venetias miſit, qui Ariminum Fauentiámque vrbeis ſe iam Pontificatu inaugurato occupatas repeterent: eas ſi recipiat, & authoritatem ſuam ſartam tectam conſeruet, iuſtis rationibus ab eo fœdere, cui nullum adhuc aſſenſum præbuerit, receſſurum, & vt id ſoluat, externáque arma ſibi non minus quam cæteris Italis formidanda ab Italia arceat, modis omnibus conaturum: exiguam Venetis duarum vrbium eſſe iacturam, ſi quanta illis belli tempeſtas impendeat tot principibus vnà coeuntibus, recto animi iudicio perpendant. Si Pontificia authoritas non accedat, principes non ſatis inter ſe conſentienteis, ac mutuis ſuſpicionibus penè diſtractos aut nihil magnum auſuros, aut ab armis fortaſſe diſceſſuros: ſin experiri extrema omnia, ſeque illis adiungere cogatur, videant quantam non ſolum ſibi, verumetiam vniuerſæ Italiæ plagam infligant. Super Iulij poſtulatis Senatus non ſemel habitus eſt, alij operæpretium eſſe exiſtimabant, ſi quis Pontificem à cæteris ſepararet, alij id neque honorificum, neque ad bellum auertendum ſatis eſſe ducebant.

Iulij Pontificis à Venetis poſtulata quanti fuerint.

Viciſſet porrò prior, ac melior ſententia, niſi Dominicus Treuiſanus vir magnæ autho- 8
ritatis, atque alter ex Marcianæ ædis procuratoribus, qui ſummus Venetiis ſecundùm Ducem magiſtratus eſt, ſurrexiſſet, & contrariam multis rationibus, vernaculáque eloquentia confirmaſſet: nec è tantæ Reipub. dignitate, nec ex vſu eſſe, ſi quis duas inſignes vrbeis Iulio reſtituendas putet, cuius cum cæteris fœderatis vel ſocietas, vel diſiunctio non magnum ad vniuerſi belli ſummam momentum additura ſit. Itaque fœderatos, vt iuſtas belli cauſas prætenderent, Iulij nomine ſine eius aſſenſu abuſos, non magni pendenteis

Treuiſanus illa non concedere è Reipub. Veneta re eſſe oſtendit.

vtram

vtram is in partem inclinet; nec ob eius à ſe abalienationem ſegnius bellum ſuſceptum perſequuturos: Pontificia arma capere, aut ad belli ſummam quicquam conferre poſſint: cæteras autem Pontificias minas, aquæ & ignis interdictiones, à cœtu Chriſtiano ſeiunctiones, vix inter armorum ſtrepitum exaudiri, neque magis nocituras, quàm bello Ferrarienſi nocuerint, in quo ne pax Venetis glorioſa, cæteræ Italiæ ignominioſa iniretur, haud perficere potuerunt: quanquam cætera tum Italia vniuerſa & armis, & diuitiis florens, necdum tam ſuis, quàm externis copiis, belliſque exinanita aduerſum Venetos coniurauerat: Maximilianum ac Ludouicum iuuenili potius ardore, quàm matura conſultatione fœdus iniiſſe, cæteros in illud ipſum non iiſdem ſtudiis incumbere, Ferdinandum prope inuitum ad id acceſſiſſe, Iulium natura ſuſpicioſum ſolitæ inconſtantiæ, incertíque animi ſigna præbere: non magis igitur Cameracenſe fœdus, quàm aut Tridentinum, aut quod conſequutum eſt, Bleſenſe metuendum; videndum potius qui à Ludouico ſeparari Cæſar, diſiungíque poſſit, cuius diſiungendi, pecuniæ inopia, inueteratum in Gallos odium ſpem magnam oſtentent, diſiunctum nec hunc, nec illum metuendum: accuratè expendenda rerum gerendarum initia, exempláque à maioribus quaſi manu tradita, quod res magnas ſemel inchoatas, ſine ſumma ignominia, ac diſcrimine pro derelicto habere fere nemo poſſit, maiores ſuos, ac ſe deinceps ita ſuæ Reip. amplificandæ rationes inſtituiſſe, vt non obſcurè ad maiora ſemper aſpirarent, atque inde in multorum partim amiſſa ægrè ferentium, partim, ne idem ſibi accideret, timentium odia incurriſſe: id quamuis palam eſſet, & non paruæ rerum mutationes hinc timeri poſſent, ſe tamen nunquam bonas occaſiones prætermiſiſſe; quin potius in ſuſcepta ratione perſtitiſſe, vt partem eorum quæ poſſident, reſtituant, ſerum eſſe periculis impendentibus remedium, quod non tam placaret, quàm inimicos ex eorum timiditate inſoleſcenteis accenderet: Venetos enim quod ſemel comprehenderint, nunquam è manibus amittere, vulgari prouerbio fertur. Si priſca illa, & hactenus obſeruata ratio immutabitur, nonne id aut ignauiæ, aut extremæ de ſuis conſeruandis deſperationi aſcribetur? qui ſemel hoſtibus cedere incipiunt, multum de ſua exiſtimatione amittunt, etiam ſi res haud magni momenti in controuerſia fuit; & quæ ſibi reſeruarunt, longè difficilius conſeruant, quam ſi initio inuictis animis ſeſe periculis impendentibus obieciſſent. Hinc Marathonia pugna vndecim Græcorum cum trecentis Perſarum millibus, hinc eorundem aduerſus innumerabiles Xerxis terreſtreis, maritimáſque copias conſtantia, hinc Romanorum Italia prope tota amiſſa Annibale ad vrbis portas caſtra habente fortitudo celebratur: aut igitur magno animo eiuſmodi poſtulata reiicienda aut his admiſſis longè plura addenda, vnde Venetæ Reipub. conſequeretur euerſio: multa alia hanc ciuitatem aduerſus Chriſtianos principes bella ſuſcepiſſe, diúque magna conſtantia toleraſſe, ex quibus glorioſum, felicémque exitum ſortita ſit, idem & de imminentibus ſperare debere: quæ ſi fortaſſe grauiora videri poſſunt, at Rempub. Venetam nunquam magis floruiſſe, nunquam antea ad hanc authoritatem, diuitiáſque perueniſſe: Deum Opt. Max. iuſtum humanarum rerum arbitrum haud permiſſurum, vt eam Rempub. quæ libertatis, & iuſtitiæ domicilium, ac præcipuum totius Chriſtianiſmi aduerſus Turcas propugnaculum exiſtat, principes ſuæ ambitioni falsò bellum Turcicum prætendentes crudeliter euertant, & Senatum Venetum tantos ad reſiſtendum belli apparatus inſtructurum, vt de ſuis ditionibus tuendis haud deſperare debeat.

Marathonia pugna.

9 Hæc oratio ita pleroſque commouit, vt quod aliquot ante annis non ſemel acciderat, præter Senatorum prudentium ſententiam deterius conſilium ſequerentur: idcirco Iulius Pontifex poſtremo dumtaxat præſcripto die, hoc eſt à Cameracenſi fœdere ſexageſimo, id ratum habuit, ſe non prius, quàm aduerſus Venetos Ludouicus bellum mouiſſet, eorundem hoſtem profeſſurum. Hoc ipſo anno nauis Gallica Britannicæ inſulæ oram legens nauiculam ex viminibus, arborúmque libro contextam cepit; in qua ſeptem inerant homines mediocri ſtatura, colore fuſco, vultu lato, & cicatrice cærulea notato, quibus veſtis è piſcium corio maculis, vt in opere Moſaïco videmus, vbique variantibus ornata: corona è culmo ſeptem appendicibus interſtincta caput redimiebat; cibus, carnes crudæ; potus, ſanguis perinde ac nobis vinum: mutuo colloquebantur, ſed ſermone omnibus, qui audierunt, incognito. Sex ex iis antequam nauis in Normaniam rediret, è vita exceſſerunt, ſeptimus adoleſcens Rothomagum ad Ludouicum Regem cum ipſa nauicula perductus eſt, è longinquis regionibus tempeſtate eo delatos veriſimile eſt. Per eoſdem dies res Piſana in extremas prope anguſtias redacta nutabat.

De nauicula quadam ex viminibus contexta à Gallis capta, & aliquot hominibus nunquã antea viſis in ea repertis.

Anno 1509.

Superiore anno totius agri ſegetes Florentini aut ſucciderant, aut vaſtauerant,

Digitized by Google

eorundem præſidia in oppidis finitimis collocata quotidie ad vrbis portas vſque procurſabant, & ne mari commeatus Piſas importaretur, Bardelli piratæ, cuius ſupra meminimus, filium cum aliquot nauibus ſtipendio ſuo ſibi addixerant. Ita Piſani terra, maríque obſeſſi præ inopia neque naueis, neque externum militem recuperare poterant, & ad Lucenſium, Genuenſiúmque auxilia reſpectantes extrema fortuna ſtabant: illi multis nauigiis minoribus tritico refertis Genuenſes duas naueis totidem myoparones addiderunt, Spetiámque inde vicum Regium tranſmiſerunt, vt Piſas poſtremò nauigarent. Sed, quod in hoc frumentario ſubſidio totius belli ſumma conſiſteret, Florentini quantulam habebant claſſem naue Anglica ad Liburnum forte nuper appulſa, & aliquot minoribus nauigiis auxerunt, copiáſque terreſtreis maritimis auxilio venire iuſſerunt. Florentina claſſis, ſi claſſem vocare licet tantulorum nauigiorum non magnam multitudinem (nam maiores naueis paucas habebant) inter Arni oſtia, fluuiúmque, quem vulgo Mortuum appellant, is ſe in Arnum exonerat, conſtitit, vtramque Arni ripam equitatus, peditatúſque occuparat, & tormenta locis commodioribus collocarat: vnde hoſtium naues præcluſos ſibi omneis aditus animaduertentes Genuam re infecta redierunt. Florentini, vt omnem Piſanis commeatus recipiendi ſpem auferrent, pontem ligneum Arno impoſuerunt, in duabus pontis extremis partibus duo propugnacula erexerunt: Caſcinæ præſidiarios milites ad diripiendum vici Regij portum emiſerunt, qui Lucenſium tabernas pannis ſericis, atque holoſericis refertas compilarunt. Hinc perterrefacti Lucenſes legatos Florentiam miſerunt, ſocietatem in triennium pro ſuis ditionibus tuendis Florentini, Lucenſeſque coierunt ea conditione, ne Lucenſes Piſanos commeatu, pecunia, milite iuuarent: ſi intra annum Piſis Florentini potientur, ſocietatem in duodecim prætorea annos prorogatum iri, intra quod tempus Lucenſes Mutronij, ac Petraſanctæ nomine Florentini bello haud laceſſent, ius ſuum dumtaxat ſartum, tectúmque conſeruabunt, finita ſocietate ſi ita videbitur perſequuturi.

Piſanorum res in extremas anguſtias à Florentinis redactæ.

Sed interim Ludouicus Carolo Ambaſiano Mediolanenſi prætori, vt ſexcentos cataphractos equites Piſanis ſubſidio mitteret, iniunxit; Bardellum ſibi obnoxium, vt Florentinum ſtipendium relinqueret, ad ſuum tranſiret, coegit: vnde Florentini cum ipſo, ac Ferdinando Hiſpano in hæc capita conuenerunt, nempe vt neuter ex ſuis, fœderatorúmque ſuorum ditionibus Piſanos commeatu, pecunia, auxiliari milite iuuari permitteret: ſi eo anno Piſis Florentini potirentur, intra præſcriptum tempus vterque quinquaginta nummûm aureorum millia acciperet, in triennium inter ipſos ſocietas iniretur, qua Florentini trecentis cataphractis equitibus Italicas vtriuſque Regis ditiones, viciſſim vterque Rex Florentinas tueri totidem equitibus teneretur; clam altera quinquaginta millia celato Ferdinando Florentini Ludouico ad eandem diem, atque iiſdem conditionibus promiſerunt; viginti quinque millia vtriuſque Regis miniſtris ex Cardinalis Ambaſiani maximè præſcripto diſtribuenda addiderunt. Sed à rebus Piſanis, quas non deſpicere antea Itali ſolebant, ad bellum Venetum, quod magnam Italiæ mutationẽ portendebat, omnium oculi conuerſi erant: iam enim ſe enixè ad bellum Ludouicus comparabat, & Cardinalis Ambaſianus in ſanctiore conſilio de Venetis queſtus vehementi oratione eorundem legatum perſtrinxerat, quod ſpreta Regis ſocietate præter antiqua Ducum Mediolanenſium cum Venetis fœdera cœnobium Cerretanum Senatus Venetus in Cremẽſi agro muniendum curaſſet; arx enim quondam eodem in loco fuit, quę Franciſci Sfortiæ noui tũ Ducis, Venetorúmque conſenſu anno decimi quinti ſæculi quinquageſimo quarto à fundamẽtis euerſa eſt, ea conditione, ne eandem in poſterum Veneti deintegro ædificare, ac munire poſſent: ad quod fœdus inita inter Ludouicum Venetóſque ſocietas cum in hoc, tum in pleriſque aliis capitibus referebatur. Paucis poſt diebus Lugdunũ Ludouicus acceſſit, equitatus, peditatúſque Gallicus Alpibus appropinquabat, ſex Heluetiorum millia in Italiam deſcendere cœperant: Florentini quinquaginta ex Piſana conuentione, Mediolanenſes centũ nummûm aureorum millia in hoc bellum contulerũt, quod Cremonam, Cremam, cæteráſque vrbeis à Venetis occupatas ad principatum Mediolanenſem redire cupiebant. Contra Veneti, ſi primum impetum ſuſtinerent, malè coaleſcentem horum principum ſocietatem facilè diſſolutum iri ſperantes incredibili diligentia pecuniam, milites, res cæteras ad reſiſtendum neceſſarias congerebant, ac totis ſuarum ditionum omnium viribus decertaturi in aciem progredi deſtinabant: quæque eius Senatus admirabilis prudentia fuit, qui proſpera fortuna modeſtè vtendum, & Iulium reſtituendis duabus vrbibus ab aliis ſeparandum cenſuerant, non minori ardore, quam cæteri, in bellum incumbebant: publicam 10

Belli Veneti euentus toti Italiæ formidabilis.

Digitized by Google

publicam enim ſalutem priuatæ ambitioni anteferentes cæteris, vt ſuam authoritatem ſtabilirent, pernicioſa conſilia non exprobrabant. Non his quæ periculis eadem imprudentia impendentibus ſalutaria proponebantur, ſeſe opponebant, verum, quaſi in eadem ſententia fuiſſent, communem ſalutem communi, eodémque conſilio, atque animo procurabant; & nihilominus totum prope Chriſtianiſmum aduerſum ſe conſpiraſſe animaduertentes omni ope quos poſſent, inde ſubtrahere, ac diſtrahere conabantur: inprimis illos pœnitebat, quod Iulium à cæteris non diſiunxiſſent; præſertim quod Fauentia dumtaxat reſtituta placatum iri ſibi perſuadebant. ad hunc igitur primum, tum ad Cæſarem, Hiſpanúmque Ferdinandum legatos, nullos ad Ludouicum miſerunt, quem ſibi reconciliari poſſe deſperarent.

Veneti ſibi timere incipientes varias ad varios Principes legationes inſtituūt

11 Verumenimuero Iulio conditiones à ſe prius oblatas etiamſi viciſſim offerrentur accipere integrum non erat: Ferdinandus autem, quanquam Cæſarem à Ludouico diſiungere cupiebat, id tamen vix ſe aſſequuturum ſperabat: Cæſar enim tanta indignatione aduerſus Venetum nomen accenſus erat, vt nec conditiones oblatas audire, nec Ioannem Petrum Stellam Venetum ſcribam eaſdem ferentem in ſuum conſpectum venire permiſerit. Reliqua igitur tota ſpes in armis erat, vnde magnum equitatum, peditatúmque conſcripſerunt, claſſem inſtruxerunt, quæ Flaminiæ oram, Appuliæque portus obſeruaret, & ne qua vis inferretur, prohiberet: alias naueis addiderunt, quas in Padum, Benacúmque immitterent, vnde Ferrarienſem ac Mantuanum aut apertum bellum aut inſidias molituros ſuſpicabantur, alias item naueis aliò nauigare iuſſerunt. Verùm non ſolum humana vis, ſed & diuina, aut etiam fortuna ipſa Venetis minari videbatur: ita multi vel fatales, vel fortuiti euentus eam Rempub. perturbarunt! Nauigiolum, quo Rauennam decem nummûm aureorum millia deportari Senatus iuſſerat, medio in curſu demerſum, ars Brixiana fulmine icta, archiuum, ſiue chartophylacium vbi tabulæ publicæ aſſeruabantur, ſubita ruina concidit: &, quod magis Senatum deterruit, nauale ædificium fabricandis nauibus dicatum, quo in toto Chriſtiano orbe nullum magnificentius erat, vel forteſortuna, vel alicuius malo dolo propemodum arſit; neque vlla ope quanquam plurimis concurrentibus extingui potuit ignis prius quàm innumerabilis tormentarij pulueris, cæteræque materiæ eidem conficiendo accommodatæ vis ac duodecim triremes incenſæ fuiſſent. Acceſſit quod Iulium, ac Rentium Vrſinos, & Troilum Sabellum cum quingentis cataphractis equitibus, tribus peditum millibus Veneti ſtipendio ſuo addixerant; addictos tanquam ſibi fundorum ſuorum nomine obnoxios Iulius retinuit; atque vt quindecim nummûm aureorum millia, quæ iam à Venetis receperant, pariter retinerent, compulit: ea in vſumfructum, aut certè in vſusfructus portionem Pontificiarum vrbium à Venetis occupatarum ſe accepta laturum profeſſus. aduerſus Gallos ſe potiſſimum Veneti muniebant, vnde ſe maturius, ac maioribus viribus oppugnatum iri prouidebant: multa fœderatis promiſerat Ferdinandus, multa ſuo more ſparſis rumoribus oſtentabat, re aut nihil, aut parum præſtabat: in Flandriam abierat Cæſar, ſiquid pecuniæ è Caroli nepotis prouinciis gratuito extorquere poſſet, experturus, vt ad condictam diem vix paratas copias habiturus videretur. Iulius magis alienis quam ſuis viribus fidebat, non tam ſibi facturus, quàm cæterorum fortunam ſequuturus. Gallos in Abduanum agrum primum inuaſuros, ipſúmque adeo Abduam ad Caſſianum traiecturos palam erat: hinc Venetus exercitus ad pontem Vicum Ollio fluuio imminentem caſtra fecerat, in quem Nicolaus Comes Petilianus ſummum, proximum Bartholomæus Liuianus imperium habebat: duumuiri militares ſiue Reipub. legati additi erant Georgius Cornarius, & Andreas Grittus illuſtres patricij, ille Foroiulienſi victoria, hic pulſis Rouereto Germanis clarus. Verum de belli ratione conſultantes multum inter ſe diſſentiebant: Liuianus & conſilio & manu promptus, ac proſpera ſuperioris anni fortuna ferox ire obuiam Gallis, atque in hoſtilem, hoc eſt, in Mediolanenſem agrum bellum transferendum putabat: Petilianus vel ſenectute iuueniles ſpiritus, animíque ardorem retundente tardior, vel longa experientia, ac maiore prudentia hoſtium vires expendens fortunam ſine certa quodammodo victoriæ ſpe tentare nolebat, hoſtíque permiſſis Abduanis vrbibus, quæ ad belli ſummam nullo modo pertinebant, ad Vrcios, ſiue Vrceos inter Ollium, Seriúmque fluuios ſitum oppidum caſtra metanda, ibique hoſteis expectandos iudicabat: vti veteribus inter Venetos, ac Mediolanenſes bellis Franciſcus Carmagnola (Carminiolam alij vocant) & deinde Iacobus Picininus egregij ſua ætate duces expectauerant. Si enim Galli caſtra Veneta aggredi tentent, caſtrorum ſitum haud dubiam polliceri victoriam: ſin Cremonam, Cremam, Bergomum, aut Brixiam

Fortuna Venetis infeſta.

Venetarum copiarū duces, qui.

Forundē de bello ineundo diuerſa ſententia.

Digitized by Google

oppugnent, ducendum eò exercitum, nec admodum procul ab hoſtibus loco tuto collocandum: obiiciendam leuem, qua Veneti abundent, armaturam, cæterúmque equitatum, atque hoſteis commeatu prohibendos: ita citra omnem fortunæ aleam, & vrbeis conſeruari, & ferocem hoſtium impetum poſſe facilè retundi.

Vtramque ſententiam Senatus repudiauit, Liuiani quaſi temerariam, Petiliani vt 12
timidam, & periculis impendentibus non ſatis idoneam: dum enim vniuerſæ Venetorum copiæ Gallis opponuntur, ſi ab alia parte Maximilianus irrumpat, qui alij duces obuiam ibunt? tametſi itaque tutiorem ſuo more ſequi malebant, tamen, vt in contrariis ſententiis vſuuenit, mediam, & fortaſſe deterrimam ſequuti ſunt: copias ſuas ad Abduam conſiſtere, hoſteis tranſitu prohibere iuſſerunt, niſi vel quaſi certa victoriæ ſpe, vel vrgente neceſſitate prælio decernere vetuerunt. Ludouico Regi longè alia mens erat, cum hoſtibus enim quamprimum confligere cupiebat. Itaque heraldum bellum denuntiaturum Venetias miſit, vtque inter eundum Cremonæ Venetis magiſtratibus idem ſignificaret, iniunxit: quanquam autem exercitu nondum in vnum coacto nihil mouere prius quàm Caſſianum appuliſſet, deliberarat, tamen vt Iulio ſatisfaceret bellum ad condictam diem non illatum queritanti, & Maximilianum quadrageſimo poſt die in armis eſſe cogeret, mutata ſententia Ambaſianum inuadere in hoſtilem agrum iuſſit: Venetæ copiæ, quæ nondum vniuerſæ conuenerant, ad pontem Vicum tum caſtra habebant. Ambaſianus igitur decimo ſeptimo Kal. Maias Abduam ad Caſſianum tranſmiſit, lembis ſex peditum millia, tormentaque bellica traiecit, Treuium tertio à Caſſiano milliari circumſedit: in oppido erant Iuſtinianus Maurocenus Patricius Venetus Epirotarum præfectus vnà cum filio, Paulus Memius prætor, Vitellius Tifernas, Vincentius Naldius qui Gallos non ſeruatis ordinibus toto agro vaganteis oppidum haud oppugnaturos rati ducentos pedites, Epirotas totidem emiſerunt, quos adorti Galli fugienteis ad oppidi portam vſque perſequuti ſunt. Succeſſere cæteri Galli, & tormentis aliquot prolatis oppidum deditione ceperunt, tres duces, centum leuis armaturæ equites, mille pedites capti: Ambaſianus deditis præterea nonnullis vicinis oppidis Mediolanum Regem iam appropinquantem excepturus rediit. Illo ipſo die Mantuanus centenaria cataphractorum equitum ala à Rege donatus Caſale maius velut oppugnaturus acceſſit: oppidani nulla vi adhibita ſponte ſeſe pariter, ac Ludouicum bonum magiſtratum Venetum dediderunt. Roccabertinus cum centum quinquaginta eiuſdem armaturæ equitibus ponte è lintribus coagmentato, vbi Padum Abdua influit, fluuium tranſmiſit, & Cremonenſem agrum populatus eſt: aliam eiuſdem agri regionem Laudis Pompeiæ præſidiarij milites iacto altero ſupra Abduam ponte percurſarunt, ruſtici montis Briantei incolæ Bergomum vſque prædabundi excurrerunt, quinque agminibus eodem die diuerſis è partibus Venetos laceſſentibus ipſi nuſquam obuiam prodierunt, quod vbi paſſim fama diuulgauit, multum vtique de ſua exiſtimatione amiſerunt. Liuianus tamen paulò poſt magni agminis ductor tranſmiſſo ad pontem Molarem Ollio Mantuanum Caſali diſcedere coegit, neque enim aduentantem Mantuanus expectare auſus eſt.

Ambaſiani in hoſtilem agrũ excurſiones.

Huius belli initium alio quodam belli genere Iulius Pontifex cumulauit: horrendo 13
enim diplomate recitatis, quas Veneti occuparant, Pontificiæ ditionis vrbibus, & quod Bentiuolos exules, vt Bononiam inuaderent, Fauentiam aduocaſſent, quodque Pontificatus, ac cætera Sacerdotia, quibus viſum erat, mandando ius Pontificium vſurpaſſent, grauiter queſtus, vt occupatas vrbeis, perceptóſque ex vrbibus fructus, ac vectigalia intra viceſimum quartum diem reſtituerent, edixit; alioqui eoſdem non ſolùm malis diris deuotos, verùm etiam Chriſtiani nominis hoſteis declarauit: non ſolùm eam deuotionem Venetiis, Venetæque ditionis vrbibus, ſed & quibuſuis qui Venetos hoſpitio, tectóue excepiſſent, inflixit: omnibus vt omnia Venetorum omnium bona diriperent, homines in ſeruitutem redigerent, poteſtatem fecit. Ita ille eorum animos admodum perturbauit: aduerſus diploma libellus Ducis, ac Venetæ Reip. nomine per ignotos homines Romæ diuulgatus eſt, quo grauiter Iulius percellebatur, & ad futurum vniuerſi Chriſtianiſmi concilium, atque adeo ad ipſum, ſi ius humanum omnino ſublatum eſſet, nec ſupplicibus pateret, Chriſtum iuſtum rerum humanarum arbitrum prouocabatur. Pontificias comminationes Regiæ conſequutæ ſunt, Regius heraldus eodem fere tempore Venetias appulit: in Senatum admiſſus Duci, reíque publicæ multis de cauſis breuiter recitatis Galli Regis nomine bellum indixit. Dux rē cum Senatoribus communicata paucis reſpondit: quandoquidem Rex eo tēpore bellum indiceret, quo propter ſocietatem cum ipſo initam, necdū violatam multum ab eodem Veneti ſperarent, & ſe hoc nomine Cæſari infeſtos reddidiſſent, Remp.

Veneti à Iulio Pontifice Max. Chriſtiani nominis hoſtes declarantur.

Digitized by Google

Venetam & ſe tuenda non deſperantem iuſtis armis iniuſtum bellum propulſaturam. Hæc breuis reſponſio magis è Reipub. dignitate viſa eſt, quàm ſi prolixa ſui iuris confirmatione, & vanis de Rege querelis abuſus fuiſſet. In Venetorum exercitu ad pontem Vicum coacto grauis armaturæ duo, leuis, in qua etiam Epirotæ numerabantur, tria, peditum ex omni Italia ſelectorum quindecim, totidem ex Venetis ditionibus ſelectorum quoque millia recenſuerunt: quidam è noſtris quinquaginta pugnatorum millia numerant, & Bembus equitum numerum in hoc bellum conſcriptorum grauiorum ſex, leuiorum quatuor, peditum tria & triginta millia recenſet, quibus celeberrimi tota Italia maiores, minoréſque duces præfuerunt. Hi ad Fontanellam ſexto à Laude Pompeij milliari caſtra poſuerunt, vnde Cremonæ, Cremæ, Carauagio, Bergomo opem ferre facilè poſſent. Ibi quod Ambaſianus vltra Abduam ſe ad Regem recepiſſet, Senatus exercitum progredi, & ad Treuium recipiendum maturare iubet. Contradicebat Liuianus, ac Senatum pugnantia fere inter ſe iubere confirmabat: ad hoſteis propius accedere Senatus iubebat, prælio decernere prohibebat, prælium in ducum poteſtate ſæpenumero non eſſe: ſiquis ſe recipere in loca tutiora tentet, aut fuga interdum ignominioſa ſalutem quærendam, aut maiore cum diſcrimine pugnandum, à ſua, atque adeo ab omnium Italorum militum exiſtimatione alienum eſſe, ſi cum hoſte prope commiſſi prælium ignaui detrectent. Præter eius ſententiam Senatu iubente progreſſus exercitus Ripaltam, ſiue Riuum altum (vt alij nominis rationem ſequuti appellare malunt) vbi nullum præſidium Galli reliquerant, cepit: inde ad Treuium non procul ab Abdua loco paulò excelſiore ſitum oppidum acceſſit. Præſidio erant quinquaginta cataphracti equites, pedites mille, ab Ambaſiano impoſiti Imbaldo Fontrallio Vaſcone, Equite albo (ſic is cognominabatur) ducibus: tormenta ab ea parte, quæ Caſſianum reſpicit, vbi debilior murus, collocata bonam eius partem ſolo æquarunt.

Venetorum exercitus robur, ac pugnatorũ numerus.

14 Galli poſtridie, qui dies octauus Idus Maias fuit, de vita dumtaxat pacti ſeſe dediderunt, captiui duces remanſerunt, milites ſine armis abierunt. Ludouicus ſuis ſubuenire cupiens, ac Mediolano intellecta obſidione egreſſus ad Abduam non longè à Caſſiano poſtridie conſtitit, vbi tres è lintribus coagmentati pontes paulò ante nemine prohibente erecti erant, atque exercitum traiecit hoſtibus, vt tranſitu prohiberent, nullo modo ſeſe commouentibus, Gallis autem cur tam bonam occaſionem omitterent in primis admirantibus. Quidam Venetos duces occaſionis non ignaros à Treuij direptione milites retrahere tentaſſe, nec inde educere potuiſſe tradunt, poſtremò Liuianum igne tectis iniecto exire, ſed tardius, coegiſſe. Gallis omnibus iam ad alteram fluminis ripam appulſis tranſmiſſo Abdua partam Regi victoriam Triuultius exclamauit, vt teſtatur Guicciardinus, tametſi contraria eiuſdem Triuultij, ne Rex Abduam tranſmitteret, ſuadentis de hoc bello præſagia Bembus recenſet. Rex caſtra ſua Venetorum caſtris milliari, aut paulò amplius interiecto contulit: illi locum excelſiorem occuparant, atque aggere, foſſáque muniuerant. Hic aggrediundine ſtatim hoſtes, an bellum trahendum eſſet, conſultatum: nonnulli trahendum iudicabant, quod aggredientis quàm excipientis ſors iniquior fere eſſe ſolet, Cæſarem maturè affuturum: Venetis ne eorum vires diſtrahantur, prælij aleam quamprimùm ſubeundam, alioqui ditiones ſuas variis ex partibus oppugnatas neutiquam defenſuris. At Ludouico pugnæ auido modo loci difficultas ſuorum fortitudinem non infringeret, alia prorſus mens erat: ne Cæſar tardius ſuo more in bellum incumberet, timebat, & vniuerſis regni ſui viribus decertaturus magnam de victoria ſpem conceperat. Si ab alienis auxiliis penderet, nec ſolus bellum profligare poſſet, ignominioſum: ſi conficeret ipſe nullius opis indigens, ſibi honorificentiſſimum putabat: quanquam Regem vti ex captiuis hoſtium numerum, & ad pugnandum alacritatem cognouit, nunquam tantas Venetorum opes exiſtimaſſe, de prælio committendo admodum dubitaſſe, & in conſilio de legatis ad Venetos mittendis conſultaſſe Bembus prodit, qui denuntiarent, quandoquidem fœderati nihil in bellum conferant, neque ſe iuuent, Regem velle ſibi Rempubl. amicam eſſe, cúmque ea fœdus renouare potius quàm congredi, ſed à Ducibus ſuis diſſuaſum legationem in aliud tempus diſtuliſſe; biduo ad Caſſianum in loco munitiſſimo conſtitiſſe. quod falſiſſimum eſſe ſequens narratio confirmabit, & quam malignè pugnam, quæ conſequuta eſt, idem Bembus deſcribat, edocebit. Venetum exercitum in quatuor agmina diuiſum fuiſſe, quartum dumtaxat in quo peditum bona pars ex proordinibus, quemadmodum ille vocat, erat, qui non multum rei militaris vſum habebant, cum Liuiano depugnaſſe ſcribit: at eundem exercitum in duas acies

Bembi teſtimonium improbatur.

 diſtributum

Digitized by Google

diſtributum priori Petilianum, poſteriori Liuianum cum peditatus Italici flore præfuiſſe conſtat: quanquam & prioris & poſterioris Italico more plura agmina fuiſſe non inficior.

Veneti nihil ob Cæſaris metum præcipitandum rati in priſtina ſententia manebant, nihil fortunæ committere, ne quid, quod operæpretium eſſet, Galli facerent, impedire dumtaxat volebant, locis munitis caſtra habere, æquis neutiquam ſe credere, pugnam apertè detrectare decreuerant; Cęſarem haud ita paratum ex Gallorum fortuna ſuam menſurum exiſtimabant. Ita duæ acies mutuo in conſpectu tantulo interiecto interuallo totum diem aduerſæ conſtiterunt, multæ interim leuis armaturæ excurſiones fiebant. Galli etiam prælij occaſionem quærentes tormenta progredi iubebant, ſed Venetis intra ſuas munitiones ſeſe continentibus memoria dignum nihil geſtum. Poſtridie Gallus ad Ripaltam (Reuolutam quidam vocant) caſtra promouit, vt hoſteis oppidi conſeruandi cupidos ad pugnam eliceret, atque inter eundum agminibus in ordines redactis totas quatuor horas ante Veneta caſtra conſedit, vt ſi nihil aliud aſſequeretur, at tacita timiditatis hoſtium confeſſione ſuis animum adderet. Veneti ſe dumtaxat oſtentantes, & venientes ſe excepturos ſignificantes extra caſtra non exierunt, quorum conſilium, quo magis diſplicebat, eò magis Ludouicus laudare cœpit. Interim cum parte peditum tormenta Ripaltam deducta, oppidum intra paucas horas captum: ibi Rex cum toto exercitu multa de Venetorum conſilio ſecum agitans pernoctauit. Die tertio exercitum pergere Vailam, aut Pandinum verſus iuſſit, vt commeatum, qui Crema, Cremonáque ad Venetos deportabatur, interuerteret. Veneti duces, qui nondum ſe è primis illis caſtris commouerant, quid Ludouicus moliretur, intelligebant: nec quin caſtra mutare, & in tutum locum non procul ab hoſtibus ſe ſiſtere cogerentur, dubitabant: in alterum diem profectionem differendam ſuadebat Petilianus, hoſteis anteuertendos Liuianus multis rationibus contendebat. Hæc poſterior ſententia peruicit: duæ viæ Bailam, Pandinumque ducebant, altera inferior ſecundùm fluuium ſinuoſo anfractu longior, altera ab Abdua remotior, at breuior, quæ quaſi recta linea illuc collimabat: inferiore Gallicus exercitus incedebat, in quo duo cataphractorum equitum cum ſuis hippotoxotis, ſex Heluetiorum, duodecim partim Vaſconum partim cæterorum Gallorum, Italorúmque millia recenſebantur. nonnulli militum numerum ad quadraginta millia augent, quod niſi calonum, miniſtrorúmque turbam adiungant, veriſimile non videtur. Superiore Venetus à dextra hoſteis relinquens anteuertebat, cuius numerum paulò ſupra deſcripſimus: regio inter vtrumque interiecta plana quidem erat, verum multis arbuſtis conſita, vt & mutuum proſpectum auferret, & leuem armaturam vtrimque longius excurrere prohiberet. Forte accidit, vt poſtrema Venetorum acies in qua octingenti grauis armaturæ equites, leuis permultæ alæ, peditum Italorum flos duce Liuiano relictus erat, primam Gallorum cui Carolus Ambaſianus cum quingentis cataphractis equitibus & aſcriptis Gallorum more hippotoxotis ſex Heluetiorum millibus præerat, ad Agnadellum (ſic enim locum incolæ vocant) aſſequeretur. Liuianus, qui ſe aut vix citra prælium ad Petilianum recipere poſſe ſperabat, aut confligendi ardore æſtuabat, Petilianum vt ei ſubueniret admonens pugnandi neceſſitatem, vel quid ipſe ſtatuiſſet, indicauit. Ille quemadmodum belli ratio & Senatus decretum iubebat, vt prælio abſtineret, atque iter acceleraret, reſpondit: verumenimuero Liuianus iam ſex tormenta aggeri paululum eminenti, qui torrentem tum pene ſine aqua inter vtramque aciem interiectum coercebat, impoſuerat, & loco fidens (multis enim vitibus conſitus Gallos equites impeditos ſuo impetu vti, aut equos circumducere prohibebat) peditatum commodè inſtruxerat, & Gallos tormentis, ſclopetiſque laceſſerat. Galli nec ſuis viribus ſatis opportunè vti, nec Heluetij corporibus vaſti, & ſclopetariis loco iniquo obiecti Italos agiles inter vineta denſa phalange adoriri poterant, acriter tamen, & æquo prope marte pugnatum eſt, donec Rex de conflictu admonitus Carolum Borbonium Boiorum regulum admodum adoleſcentem cum equitum aliquot turmis præmiſit; ipſe cum ſecunda acie ſuis pugnantibus ſuppetias tulit. Hic tametſi Liuianus nullum vel boni ducis, vel ſtrenui militis officium prætermittebat, Itali pedites pedem referre coacti, & ex vitibus, locíſque iniquis in apertam planitiem reiecti, vbi Galli equites liberè equos agitare, ac quouis ſeſe inferre poterant, tantum hoſtium impetum haud ſuſtinentes acriter tamen reſiſtebant. Sed Ludouicus non magis ſibi, quam quiuis gregarius miles parcens, & ſe tormentorum pilis non minus intrepidè obiiciens ſuorum animos exæquato periculo mirandum in modum accendebat,

Gallorum cũ Venetis ad Abduam acerrimus cõflictus.

vt quot

vt quotquot obuios habuerint, hoſteis facilè perfregerint. Itali equitatus bona pars non multis amiſſis maturius diffluxit, Liuianus cum cæteris fortiter pugnans captus eſt, pedites quoque fortiter & ipſi pugnantes in ipſo certaminis campo magna ex parte ceciderunt, viginti maiora tormenta in Gallorum poteſtatem venerunt. Treis horas pugnatum fuiſſe, ídque pridie Idus Maias, peditum Italorum octo millia cecidiſſe tradunt: quidam è noſtris numerum ad quindecim, alij ad decem millia augent, inter quos illuſtriores Petrum montis Mariæ in Hetruria Marchionem Venetorum peditum tribunum, Saccocium Spoletinum, Francum Burgium nominant: Citolus Peruſinus peditum præfectus multis acceptis vulneribus captus eſt. Ex Gallis ducentos duntaxat, alij quingentos cæſos prædicant: hic Vailanæ, ſiue Abduanæ pugnæ exitus fuit! Liuianus accepto in oculum vulnere, ore prorſus ſanguinolento in Regis tentorium deductus eſt: Petilianus, quicum bona exercitus pars militabat, prælio non interfuit, vel quod, vt ipſe prætexebat, dum ad conflictum properaret, fugientium Liuiani militum agmen ſuorum primam aciem perturbauit, vel quod (vt rumor fuit) de victoria deſperans, & quod Liuianus iniuſſu ſuo, imo vero præter eius ſententiam dimicaſſet, indignatus partem conſeruare tutius, quam totum exercitum aliena temeritate amittere iudicauit.

Liuianus Venetorum dux captus.

16 Ludouicus parta inſigni victoria prudenter vſus Carauagium circumſedit, vrbs ſtatim dedita eſt, arx tormentis admotis poſtridie ſe penitus victori permiſit: igne enim in cellam vbi tormentarius puluis aſſeruabatur, forte fortuna illato, atque inde ſe tuendi facultate ablata milites & arcem, & prætorem, præfectúmque de vita duntaxat pacti dediderunt. Bergomum Carauagij exemplum ſequutum eſt, nec Gallorum aduentum expectauit; ibi quinquaginta cataphractis equitibus mille peditibus relictis, qui tormentis arcem ad deditionem compellerent, Ludouicus Brixiam contendit: ſed antequam illuc appelleret, Bergomi arx dedita eſt, Martino Georgio, cæteríſque Venetis magiſtratibus in cuſtodiam traditis: in omnibus enim ditionibus non Venetorum odio, ſed vt nummos ad perſoluendum militum ſuorum ſtipendium conficeret, ſemper magiſtratus Venetos, cæteróſque viros honoratos Ludouicus excepit. Brixiani olim nomini Veneto addictiſſimi fuerunt, longámque, ac difficilem obſidionem aduerſus Philippum Mariam Mediolanenſem regulum fortiter, pertinacitérque tolerarunt: ſed tum partim Gallorum metu, quibus nihil inexpugnabile exiſtimabant, partim Ioannis Franciſci Gambaræ Comitis, ac factionis Gibellinæ principis ſuaſu poſtridie pugnæ Abduanæ vrbis portas fruſtra contranitente Georgio Cornario, qui, vt præſidium in vrbem immitteret, illuc ſumma celeritate properarat, occuparunt, ac quamuis Veneti exercitus reliquiæ, vnde multi iam diffluxerant, ad muros propemodum acceſſiſſent, ciuéſque Grittus Patricius Venetus, vt reciperentur, obſecraret, tamen eius precibus repudiatis legatos ad Ludouicum de deditione miſerunt. Vrbis exemplum biduo poſt arx ſequuta eſt, ſéque ea conditione dedidit, vt omnes exceptis Patriciis Venetis liberè exirent, ſuáque ſecum aſportarent. Cremenſes quamquam oppidum incolebant munitiſſimum, tamen Sonzini Benzonij ſui ciuis ſuaſu, qui in Venetorum caſtris equitum præfectus militabat, ad Gallos tranſierunt. Venetus exercitus, vt ſe è præſenti periculo eximeret, Piſcheriam profectus eſt, acceſſit Cremona: arx adhuc in Venetorum poteſtate aliquandiu remanſit, & nihilominus poſtea ſeſe, non ſecus ac cæteræ, dedidit. Idem feciſſet & Piſleo, ſi Ludouicus omnibus liberum exitum permiſiſſet: ſed quod eandem multi patricij Veneti, præſertim verò Zacharias Contarenus inter Venetos (vt ferebatur) ditiſſimus inſederat, conditionem admittere recuſauit: idcirco Ludouicus eandem obſidendam curauit, atque interim Piſcheriæ arcem (ſiquidem ſeſe vrbs dediderat) oppugnauit; in eam, quum primum tormentis concuſſa fuit, Vaſcones, ac mox ſequuti Heluetij per murorum ruinas inſilierunt, ac quadringentos præſidiarios milites trucidarunt: præfectum vnà cum filio Ludouicus eo exemplo Cremonenſis præfectum deterrere volens ex arcis feneſtris ſuſpendi iuſſit, alioqui natura mitiſſimus. Ita intra decimumquintum diem portionem eam quæ ſibi Cameracenſi partitione obuenerat, vna Cremonenſi arce excepta armis Ludouicus in ſuam poteſtatem redegit, quæ Mediolanenſis principatus annuum vectigal ducentis, aut etiam amplius nummûm aureorum millibus adaugebat.

Victoriarum Ludouici cõtinuatio & celeritas.

17 In tanta Gallici exercitus felicitate, tam repentina rerum Venetarum commutatione vix cogitari, nedum litteris mandari poteſt, quantus metus non ſolum populum, ſed & Senatum Venetum, quantus dolor inuaſerit. Paucis ante menſibus totius Italiæ Imperium omnibus, quæ ſuſceperant, bellis victores ſibi deſpondebant; tum de retinendis terreſtribus ditionibus penitus deſperabant: omneis iamiam in hoſtium poteſtatem venturas

Veneti tam felici armorũ Galli Regis ſucceſſu vehementer perculſi.

haudquaquam dubitabant, quóque minus rebus aduerſis aſſueti erant, eo magis occurrentibus, immo vero omni ex parte grauiter vrgentibus ſeſe afflictabant, vndique ad publicum palatium ciues cum lamentabili clamore,cum magnis querimoniis concurrebant. Senatores,vbi multum diúque conſultaſſent,periculis omnem humanæ opis ſpem exuperantibus quod opponere poſſent nihil reperiebant: ita proſtrata, afflictáque prorſus res Veneta erat: quos enim haberent exercitus, quos potentiſſimis Gallorum victoria inſolentium armis obiicere audeant? militum ſuorum recenti prælio fractorum paruas, quæ quotidie imminuantur, ſupereſſe reliquias, vt conſpectum hoſtium ſuſtinere non poſſint. Quid ſi Cæſar accedat? quem tanta occaſione inuitatum rumor non longè abeſſe diuulgarit. Nec vero in tantis malis ſuſpectam minus eſſe debere ſuorum fidem, quàm formidandam hoſtium potentiam, ruſticam plebem omnem, & nobilitati infeſtam, & prædæ auidam ad res nouas moliendas paratam eſſe; oppida, vrbeiſque bello ſubactas, & durius fortaſſe habitas ad defectionem ſpectare, & qui deſperatis rebus mos eſt, omnia, quæ euenire poterant, ſibi euentura proponebant; & tamen haud penitus animum deſpondentes ſeque, quoad fieri poterat, colligentes omneis rationes, quibus Iulio Pontifici, Maximiliano, Ferdinando Hiſpano reconciliarentur, indagabant: ſiquidem prorſus de placando Rege Gallo deſperabant. Primum igitur de conficienda in bellum pecunia egerunt, nouos milites conſcripſerunt, ac claſſem Gallicam, quæ Genuæ inſtruebatur, veriti, ſuam, cui Angelus Treuiſanus præerat, ad quinquaginta triremes auxerunt. Verum bonam eorum conſiliorum partem Ludouici celeritas anteuertebat, nec exequendis, quæ deliberata erant, tempus relinquebat. Nulla adhuc Cæſaris arma audiebantur, multa ſuo more ſibi proponebat,nihil propemodum, ſaltem ſuo tempore, exequebatur; & plerumque amiſſis occaſionibus, rem (vt dici ſolet) actam agebat. At Iulius Pontifex quadringentos grauis armaturæ equites, totidem leuis, octo peditum millia ad recipiendas Flaminiæ vrbeis miſerat: Ferrarienſem regulum, cuius tormentis bellicis in ea expeditione vtebatur,Pontificium Gonfalonnerium declararat:Franciſcum Cardinalem Ticinenſem, ac Ioannem Mariam Rouereum Ioannis fratris vita iam functi filium ſuis copiis præfecerat,qui à Guidobaldo (Guidonem Feltrium alij vocāt)Vrbinate regulo auunculo adoptatus ſuperiore anno in eius principatus poſſeſſionem Pontificia authoritate miſſus erat. Hi interiectum inter Ceſenam, Ceruiámque agrum percurſarunt, inde inter Forum Cornelij, ac Fauentiam iter flectentes Solarolum oppidum ceperunt; ac Baſtiliæ tertio à Fauentia milliari aliquot dies commorati Briſigeliam primarium vallis Anomonis oppidum petierunt,in quod paulò ante Ioannes Paulus Manfronus cum octingentis peditibus,aliquot equitibus ingreſſus erat. Hunc ad explorandas hoſtium vires egreſſum, & in inſidias attractum Ioannes Paulus Baleonus, ac Ludouicus Mirandulanus Pontificij exercitus duces cum ſuis fugientem tanto impetu perſequuti ſunt, vt oppidum pariter introierint, víxque Manfronus ex equo lapſus in arcem euaſerit, qua tormentis concuſſa, quicquid tormentarij pulueris inerat, ſtatim arſit: vnde animo conſternatus Manfronus, ac præſidiarij milites ſeſe hoſtibus permiſerunt.

Valle Anomonis in poteſtatem redacta Grauariolum,cæteráque Fauentini agri oppida 18
ceperunt: inde Ruſſium inter Fauentiam, Rauennámque ſitum circumſederunt,in quod ſexcenti externi milites intromiſſi erant; quod tametſi lata, altáque foſſa cinctum erat, & in Pontificio exercitu neque conſilium,neque concordia inerat, vt exiguis viribus reſiſtere haud perdifficile videretur,decimo tamen obſidionis die deditum eſt:at eodem tempore Gallicæ victoriæ fama totam Italiam peruaſerat. Itaque Fauentini rarum Venetorum militum præſidium haud reformidantes, ac prope ſui iuris, niſi auxilium intra decimumquintum diem acciperent, in Pontificis ditionem ſe redituros profeſſi ſunt: cum Pontificiis pacti quingentos pedites Venetos emiſerunt: illi publica fide à Cardinale Ticinenſi Pontificio legato accepta abeuntes Vrbinatis iuſſu ſpoliati ſunt. Fauentinorum exemplum Pontificio exercitu appropinquante Rauennates ſequuti ſunt, quamquam arx in Venetorum poteſtate adhuc remanſit. Ita Gallici exercitus terrore potius quàm ſuis viribus Flaminiæ vrbeis Iulius paucis diebus recuperauit: Ferrarienſis regulus pulſo Ferraria Ludouico Mula Veneto magiſtratu (quem vulgo Prodominum vocabant) is Venetis, Venetæque ditionis incolis ex inita dudum pactione ius dicebat, inſtructis copiis Rodigium, Poleſelianámque peninſulam nemine reſiſtente recuperauit, Venetas naueis Athæſi fluuio vela facienteis tormentis admotis demerſit, Aſulum, Lunatúmque oppida, quæ Mediolanenſi bello aduerſus Philippum Mariam Franciſco Gonzagæ proauo Veneti abſtulerant, Mantuanus recepit. In Iſtria Chriſtophorus Frangipanis Piſiniam, ac Diuiniam,

Digitized by Google

uiniam, Brunſincenſis regulus Foroiulienſem agrum ingreſſus Feltrium, ac Bellonam inuaſit; quibus acceſſit Tergeſte, cætera oppida quæ tantorum malorum Venetis cauſam attulerunt. Ripam Tridentinam, hoc eſt, Tridento vicinam, Agreſtámque Pontifex Tridentinus occupauit. Poſt Vailanam autem pugnam nihil perinde Venetos, atque arx Piſcheriana capta perturbauit: hanc enim natura, atque arte munitiſſimam Gallorum impetum remoraturam ſibi perſuaſerant; & Venetæ copiæ ad Meſtre poſtremum continentis oppidum reiectæ, multúmque imminutæ nullius ducis imperio in tanta rerum perturbatione regebantur, vnde attoniti Veneti terreſtre omne imperium abiicere decreuerunt. Sic non ſolum Cæſarem, ſed & Iulium, ac Ferdinandum placari, quinetiam & Ludouico propius ad vrbem accedendi occaſionem auferri poſſe ſperabant, cuius aduentum magni fortaſſe tumultus anſam præbiturum in primis reformidabant: etenim ne vel populus, vel externi, quorum ingens multitudo in vrbe erat, ſeditionem excitarent, mirandum in modum timebant: populus longiſſimis ſucceſſionibus ciuitatem incolens, ac plerique è populo ex iiſdem, quibus patricij, familiis, eadémque è ſtirpe orti illis ipſis ſe prorſus obnoxios eſſe non mediocriter querebantur: externi prædæ auidi nihil potius, quàm tumultum in tam opulenta ciuitate, in tanta trepidatione optare videbantur. Si terreſtre imperium ſponte Veneti abiiciant, de quo conſeruando aut rata ſpes, aut nulla ſupereſſet, populos mutata fortuna facilius, quàm ſi aperta rebellione ad hoſteis deficiant, in veterum dominorum ditionem redituros.

Piſcheriana arce à Gallis capta de retinendo terreſtri imperio Veneti deſperant.

19 Itaque non ſecus, atque olim Athenienſes Xerxe imminente, niſi quod illi maiore deſperatione ciuitatem etiam, verum loco non ita munito ſitam reliquerunt, maritimum duntaxat imperium ſibi reſeruarunt: Patauij, Veronæ, cæterarum vrbium antiqui Auſtriacæ familiæ patrimonij magiſtratibus, vt inde migrarent, eáſque in ciuium poteſtate relinquerent, iuſſerunt. In Appuliam miſerunt, qui portus, vrbeíſque ſibi oppigneratas Hiſpano Ferdinando gratis reſtituendas curarent. Is ex alienis ſumptibus, periculis, victoriis, callidè rem ſuam adaugens exiguam claſſem parua impenſa inſtruxerat, quæ aliquot, ſed non magni nominis oppida receperat. Miſerunt & in Flaminiam, qui quicquid adhuc poſſidebant, Iulio Pontifici redderent: verum Ioanne Paulo Manfrono, cæteríſque captiuis dimiſſis, tormentis bellicis ſibi reſeruatis, præſidiariis militibus, qui arcem Rauennatem inſidebant, liberè abire permiſſis; præſidiarij tamen interim non expectato, aut potius ſpreto Venetorum mandato ſeſe dediderunt: at Iulius conditiones accipere aliquantum diſtulit, quod iniquius ſecum, quàm cum vel Cæſare, vel Ferdinando egiſſent, quibus nulla conditione adiecta occupatis vrbibus ceſſiſſent. Hinc Grimano, ac Cornario Cardinalibus, vt Veneti malis diris deuoti in Chriſtianam communionem reſtituerentur, contendentibus, quod intra viceſimumquartum diem vrbeis, atque arceis Pontificias reddidiſſent, eiúſque mandato paruiſſent, Iulius non liberè ceſſiſſe, immo vero conditiones adieciſſe, nec vrbium percepta vectigalia repræſentaſſe reſpondit, captiuos retinuit: quinetiam magiſtratus Venetos, qui Reip. mandato vrbeis dediderant, in cuſtodiam tradidit. tot, tantæque calamitates ſibi inuicem ſuccedentes Venetam Rempub. opprimebant, vt poſt amiſſam tantam ditionem vix de conſeruanda libertate ſpes certa relinqui videretur. Veneti igitur animum prope deſpondentes Antonium Iuſtinianum legatum ad Maximilianum miſerunt, qui Ducis, ac Reip. nomine non ſolum antiquas familiæ Auſtriacæ vrbeis, verum etiam terreſtrem omnem ditionem quoquo modo partam offerret, quinquaginta nummûm aureorum millia quotannis dependenda adderet, humili, nec tantæ vrbis maieſtate digna, oratione eius clementiam imploraret: at is non niſi de Galli Regis conſenſu ſe cum communibus hoſtibus conuenturum reſpondit. Venetorum calamitates cæteros Italos variè affecerunt: alij ſuperbam nationem, dominandi libidine incenſam, quæ quicquid occaſio obtuliſſet, quo iure, quáque iniuria inuadere conſueſſet, & malis artibus totius Italiæ imperium vſurpare flagranti ambitione contendiſſet, externis armis opprimi ac barbarorum (ſic illi cæteras nationes vocant) imperio ſubiici lætabantur: alij ciuitatem nobilem, alterum Italiæ oculum (vt enim pietatis Romam, ſic Venetias libertatis primariam ſedem merito vocari, quæ non ſolum Occidentem, verum etiam Orientem ſolem fama ſui nominis impleſſet) in externorum ſeruitutem dedi, gradúmque hunc ad cæteram Italiam opprimendam iaci impensè dolebant: in primis vero Iulius Pontifex, qui Cæſaris pariter, ac Ludouici Regis potentiam reformidabat. Is vtrumque ab occupanda vrbe reuocare, ſuſpicionibus mutuis ſuſpectum reddere, nouis occaſionibus inuoluere decreuit, & ſe Venetis propitium præbuit. Ducis Veneti litteras, quibus vt ſex primarios ciueis legatos admitteret, & Remp. in Chriſtianam

Iulius de Venetis in Chriſtianorum cõmunionem recipiendis cogitat.

ſtianam communionem reciperet, ſuppliciter petebat, in celebri Cardinalium cœtu legi, legatóſque admitti iuſſit, ſe veterem Romanorum Pontificum, aut potius Chriſti ipſius, qui erratorum veniam implorantеis nunquam reiecerit, morem ſequi præfatus: Cæſaris, ac Ludouici legatis contranitentibus, quod nondum Cæſar, quod ſuum erat, recuperaſſet, vti Cameracenſi fœdere cauebatur: ille ſe legatos interim admittere, communionem antequam Cæſar ſua omnia recepiſſet, haud redditurum reſpondit.

Ea prima ſpes afflictis penitus Venetorum rebus affulſit, quam auxit Ludouici Regis æquitas, qui receptis, quæ Mediolanenſium principum olim fuerant, vrbibus, tum enim ſe quoque arx Cremonenſis dedidit, nec vltra progredi, nec alienas vſurpare voluit, Veronenſes legatos vrbis claueis offerentes ad Cæſaris legatos, qui in eius exercitu erant, remiſit. Idem Patauium, Vicentia, cæteræque vel Auſtriacæ familiæ, vel Germanici Imperij à Venetis occupatæ vrbes feciſſent, niſi eaſdem ſemper ad Cæſarem Ludouicus remiſiſſet. Cæſarem igitur ad Piſcheriam expectans, quam vnà cum Aſulo, Lunatóque Mantuano quondam Veneti abſtulerant, conſtitit, vrbémque compenſaturus ſibi retinuit, relictis interim Mantuano vectigalibus annuis: quod ſi nihil cunctatus rectà Venetias contendiſſet, ciuitatem nimirum in ſuam poteſtatem facilè redegiſſet. Tanta enim vrbem trepidatio inuaſerat, vt Georgiani Sacerdotes ſecum ablata aurea, atque argentea, cæteráque ſupellectile Ferrariam aufugerint. Patauium igitur, cæteræque vrbes Tauriſo excepto Cæſaris legatos admiſerunt, ſeſéque illis permiſerunt: quod ſi Tauriſum quoque Cæſar hominem aliqua authoritate præditum, aut cum mediocri præſidio miſiſſet, id profectò non ſecus ac cæteras recepiſſet. Leonardum Triſſinum Vicentinum exulem, qui nuper eius nomine Patauium eodem modo receperat, ſine vllo præſidio miſit: admiſſum Tauriſani exules nuper à Venetis in patriam reducti, eóque beneficio adducti ſpreuerunt, Veneta vexilla erexerunt, eundem vrbe expulerunt, ſeptingentos Venetos milites acceſſiuerunt, mox totum exercitum intromiſerunt, & vrbem ſumma diligentia munierunt. Itaque tum ſe præcipitantius de terreſtribus ditionibus retinendis deſperaſſe Venetus Senatus intellexit. Id verò nimia Cæſaris negligentia, ac prodigalitate accidit, cuius præter nomen nihil hactenus auditum fuit, quamuis Gallici exercitus terrore tot vrbes illi reſtitutæ fuiſſent, quas retinere modicis præſidiis perfacile fuit. Sed poſt Cameracenſem conuentum aliquandiu in Flandria ad colligendas ex Caroli nepotis prouinciis pecunias commoratus eas cum primum attigit, nullo ſuo commodo, ſuo tamen more prodegit, atque ita Imperatoria pompa paludatus Mechlinia egreſſus iter in Italiam inſtituit, quaſi bellum præſcripto tempore inchoaturus. Vbi appropinquauit, ſolitis pecuniæ difficultatibus oppreſſus cunctari, ac tempus inaniter terere coactus eſt; quamuis Gallici exercitus metu Iulius Pontifex veluti ſtertentem quotidie excitaret, enixéque accerſeret miſſis per Conſtantinum Cominatum Macedonem quinquaginta nummûm aureorum millibus, centum præterea millia in bellum ſacrum in Germania coacta veluti condonaſſet, hoc eſt, vt illis ipſis in hoc bellum vteretur, permiſiſſet, addidit. Quid quod centum altera millia à Gallo Mediolanenſis Ducatus nomine acceperat? Vailanæ, ſiue Aguedellinæ pugnæ nuntium Æniponteṁ ingreſſurus accepit; inde Brunſincenſem regulum in agrum Foroiulienſem miſit; haud tamen ſeſe commouit, nummis omnibus, quos acceperat, abſumptis. Poſtremò Tridentum acceſſit, vnde & ad Ludouicum litteras dedit, & quod tot vrbeis eius opera recepiſſet, gratias egit; & vt veterum ſimultatum memoria omnis aboleretur, ſe libellum in Nemetibus aſſeruatum, quo quicquid Reges Galli aduerſus Germanicum Imperium moliti fuiſſent, diligenter perſcribebatur, incendiſſe teſtatus eſt.

Idibus Iun. Georgius Cardinalis Ambaſianus Tridentum appulit, de communibus inter illum, Ludouicúmque negotiis pertractaturus; cui Ludouici nomine quingentos cataphractos equites pollicitus eſt, & rebus ex vtriuſque ſententia compoſitis, vt ad præſcriptam diem ad Gardam oppidum in Tridentinæ, Mediolanenſiſque ditionis finibus Cæſar, Ludouicúſque colloquerentur, conuenerunt: idcirco Ludouicus id iter ingreſſus eſt; & Maximilianus ad Ripam Tridentinam acceſſit: vbi vnam, atque alteram duntaxat horam commoratus retro Tridentum iter flexit, & Regem, vt colloquium in aliud tempus differret, enixè rogauit; ſe ob res in Foroiulienſi agro innouatas diem colloquij obire non poſſe. At Ludouicus, qui incertum hominis ingenium noſſet, & exercitum dimittere in animo haberet, nec tantas impenſas nequicquam tolerare vellet, iam diu enim nouas ſemper moræ cauſas nectentem expectauerat, Mediolanum Matthæo Lanco nuper Gurcenſi Pontifice eiuſdem legato fruſtra reuocante contendit. Quæ cauſa colloquium interruperit in homine tam vario vix certa reddi poteſt: ſi coniectura aſſequi licet, alij periculum

Margin: 20 (beside "Ea prima ſpes"); 21 (beside "Idibus Iun.")

Digitized by Google

culum à Rege imminere illi in aurem inſuſurraſſe traduntur: alij, quod veriſimilius eſt,
quod eadem cum Rege pompa, tantóque, ac tam ſuperbo comitatu congredi non poſſet,
vitaſſe colloquium putant. Ludouici diſceſſus, qui totam Italiam exercitus ſui terrore
obſtupefecerat, magnum nondum bene conſtitutis Cæſaris rebus detrimentum attulit,
qui tametſi eum exercitum habebat, vt deditis vrbibus præſidia iuſta imponere potuiſſet,
tamen vel ſua inconſtantia, vel quod alia quædam moliretur, vel quod Italiam vniuer-
ſis copiis comitatus ingredi, vel quod adiunctis fœderatorum auxiliis Venetias ipſas ag-
gredi ſtatuiſſet, nulla omnino impoſuit: vrbeis alieno Imperio aſſuetas nouum, & inco-
gnitum, & exteræ nationis non æquis animis accipienteis nec beneficiis ſuis prouocauit,
nec militibus muniuit, nec magnæ authoritatis adminiſtratoribus credidit; à Venetiis
oppugnandis vt non omnino alienus, ita non admodum ſollicitus erat Ludouicus: ſuis
enim, quæ iam receperat, contentus alienæ calamitati inſultandum non putabat. Iulius
prorſus abhorrebat, & oppoſitum ad Germanicam barbariem (ſic ille loquebatur) con-
tinendam firmiſſimum Italiæ propugnaculum euerti penitus nolebat: Ferdinandus æmu-
lum Germanum Imperatorem reformidans ſeſe palam opponebat. Florentini interim
Piſano bello finem imponere cupientes nouos milites conſcripſerunt, commeatum in
vrbem importari ſumma diligentia prohibuerunt; quamuis Lucenſes fide parum integra
clam, quoad poterant, ſummitterent, quinetiam authore Plumbinate regulo de pace
actum. Plumbinum è Florentinis Nicolaus Machiauellus publicus ſcriba, atque alij qui-
dam, è Piſanis non ſolùm ciues aliquot primarij, verùm etiam è finitimi agri incolis ſe-
lecti nonnulli conceſſerunt, ſed ne tum quidem conuenire potuerunt: quapropter acrius
Piſas Florentini tripartito exercitu cinxerunt. Partem ad Meſſanam extra plagarum por-
tam, partem è Lucenſis portæ regione, tertiam inter Piſas, atque Arni oſtia collocarunt.
Trina caſtra foſſa alta, erectóque aggere munierunt, & ſingulis pedites mille, atque ali-
quot equitum alas attribuerunt: propugnaculum ducentorum, ac quinquaginta mili-
tum capax ad maius procheum, ſiue egentium diuerſorium (maius hoſpitale illi vocant)
addiderunt, quod montana via quiduis in vrbem inferri prohiberet. Hinc Piſani extre-
ma fame coacti vrgentibus etiam finitimi agri incolis, qui ſe in vrbem receperant, & ciues
numero ſuperabant, cum Florentinis certis conditionibus conuenerunt; quarum illa prin-
ceps fuit, vt tam publicè, quam priuatim Piſanis omnibus in Florentinos commiſſa ha-
ctenus condonarentur, Florentinorum ſupellectilem rebellionis initio direptam iidem
haud reſtituere tenerentur, portoria quædam, ac pleræque tam in vrbe, quam rure impoſi-
tæ pecuniarum indictiones tollerentur.

Piſæ tripartito exercitu à Florentinis obſeſſæ.

22 Florentinos autem in mitiores has conditiones Maximiliani metus induxit, qui in Ca-
meracenſi conuentu Piſanos inter fœderatos numerarat, quamquam eoſdem Ludouicus
hoc nomine in fœdus recipere recuſarat. Piſis ſeſe breui dedendi impoſitam neceſſita-
tem Florentini non ignorabant, ſe nihilominus æquiores præbere, quàm in incertum for-
tunæ arbitrium incidere, maluerunt. Piſarum deditionem Maximilianus iniquiſſimè tu-
lit, vel quod ea vrbs ſibi multum vſui eſſe poſſet, vel quod eandem Florentinis cedendo
magnam inde pecuniã coëgiſſet, cuius penuria pleraſque bonas occaſiones vltro ſibi obla-
tas amiſerat: inter quas illa in primis fuit, quod nullo, aut exiguo admodum præſidio Pa-
tauium, Vicentiam, atque in cæteras vrbeis miſſo ſua cunctatione accenſa ciuium ſtudia
reſtinxit, & Venetis recipiendi Patauij occaſionem dedit. Taurisum enim conſeruatum
illis præcipitatum nimis de abiiciendo terreſtri imperio conſilium declarauit, & ad maio-
ra audenda animos addidit: veniebat in contemptum quotidie magis, ac magis Cæſar,
qui raro comitatu huc illuc errans fortunam tam propitiam ſequi, & res proſperas pari di-
ligentia perſequi, ac ſuo nomine digna prudentia promouere neſciebat: Venetum Sena-
tum etiam Patauinorum arrogantia irritabat, qui pleroſque Venetos ciueis ſuarum Pata-
uini agri poſſeſſionum vectigalia, fructúſque ſecum auferentes interturbabant, immo ve-
ro omnino Venetias aſportare prohibebant; & Patauinum populum viri nobiles Germa-
norum nomine freti, qui nobilitati fauebant, indignis modis vexabant; finitimi autem
agri incolæ Venetis adhuc addicti erant. Horum certior factus Senatus Andreæ Gritto,
ac Chriſtophoro Moro duumuiris militaribus vrbis ex inſidiis capiendæ curam dedit. In
Venetorum exercitu quadringenti grauis armaturæ equites, leuis tam Itali, quàm Græci
bis mille, peditum quinque millia erant, quibus ruſticos Patauini agri incolas bis mille
addiderunt. His Patauinorum fines ingreſſis Grittus cum parte copiarum ad portam Co-
dalungani inuadendam, trecenti pedites cum bis mille ruſticis ad Porterellum regionem
oppoſitam, vt Patauinos perterrefacerent, properarunt, Morus cum cæteris quaſi ad Cita-
dellam

Piſarũ Florentinis deditio Maximiliano moleſta, & cur.

Digitized by Google

dellam caſtra poſiturus inceſſit, & conatus audaces, vt plerumque fit, fortuna iuuit: portam Codalungam apertam plauſtris fœno aliiſque rebus onuſtis vrbem vel ex compoſito, vel fortefortuna ingredientibus Grittus offendit, cuius compos cæteris ſubſequentibus ad maiorem prope aream citius peruenit, quàm captæ vrbis rumor ad multos oppidanos in tam ampla, & raris incolis habitata ciuitate permanaret. Ad primum tumultum Leonardus Triſſinus, qui Patauio Maximiliani nomine præerat, cum trecentis Germanis peditibus, ac Brunorus Seregius Veronenſis cum quinquaginta equitibus (ducentos illi tribuit Bembus) obuiam progreſſi, & Patauinam nobilitatem ſibi affore ſperantes hoſtium primum impetum ſuſtinere tentarunt: ſed tot hoſtibus tam ſubito ciuitatem ingreſſis nobilitas prodire haud auſa eſt. Germani multis è ſuis amiſſis in ciuitatulam, arcémque compulſi: quæ quod nullis ad obſidionem tolerandam rebus neceſſariis munitæ erant, paucis poſt horis ſeſe dediderunt: Veneti, ne ciuitas hoſtium, paucorúmque ciuium inſolentia ſibi amicior diriperetur, diligenter prouiderunt: Iudæorum domos, & nonnullorum, qui Veneto nomini infeſti erant, in prædam militibus condonarunt.

Patauiū captum.

Patauij exemplum Vicentia ſequuta fuiſſet, niſi Conſtantinus Macedo cum paucis vrbem ſtatim introiiſſet. Veneti fortuna prudenter vſi finitimo agro in primis autem Lemniaco arce pariter atque oppido facilè potiti ſunt, quod oppidani vbique, ac ruſtici Veneto nomini addicti erant. Hoc oppidum ad infeſtandum Patauinum, Veronenſem, Vicentinum agrum peropportunum ferebatur. Tentarunt & Marchionicam turrim octauo à Patauio milliari, vnde facilis in Poleſelianam peninſulam Mantuanúmque agrum aditus erat: verum obſeſſis in tempore Cardinalis Ateſtinus affuit. Patauium à Venetis recuperatum Ludouici in Galliam reditum haudquaquam (vt ſuſpicabantur plerique) remoratum eſt: Venetorum potentiam infringi volebat, Cæſaris nimis augeri nolebat: vtroſque longo bello atteri cupiebat: quam impreſſam eius animo opinionem fœdus cum Iulio Pontifice Abbiati renouatum confirmabat; ibi iamiam profecturus cum legato Iulij de mutua ditionum ſuarum propugnatione conuenit. Et nihilominus vt cum cæteris principibus vterque ſeparatim fœdus etiam facere poſſet, modo nihil aduerſum hoc recens ſtrueretur, licebat. Conuenit præterea vt Pontifices quoſuis in omnibus Ludouici ditionibus Iulius crearet, ſed intra præſcriptum tempus à Ludouico deſignatos Iulius præficeret. Hoc fœdere Iulium ſibi addictum fore Ludouicus exiſtimauit: cæterum ne Venetis Maximilianus quadam deſperatione reconciliaretur, & vt Veronam rei nummariæ penuria coactus certo pretio ipſi addiceret (cuius potiundæ cupiditate ardebat) Iacobum Chabaneum Palicianum Ludouicus cum ſeptingentis cataphractis equitibus in agro Veronenſi reliquit; quibus Maximilianus vel aduerſus Venetos, vel pro conſeruandis receptis vrbibus vteretur. Hi Vicentiam Maximiliani iuſſu ingreſſi, ne Verona raro præſidio munita in Venetorum poteſtatem rediret, perfecerunt; & Venetæ copiæ, quæ tum Citadellam circumſederant, Gallorum metu obſidionem ſoluerunt. Interim inter Maximilianum ac Venetos bellum non præliorum apparatu, ſed leuibus duntaxat excurſionibus gerebatur; ac Veneti qui Lemniacum inſederant, Veronenſes viribus inferiores maximè infeſtabant, Veronæ enim ducenti tantummodo equites, ſeptingenti pedites conſederant: hinc Tridentinus Pontifex vrbis adminiſtrator Lemniacum oppugnare decreuit, Mantuanúmque accerſiuit, qui cum centenaria cataphractorum equitum ala, qua nuper à Ludouico donatus erat, Veronenſem agrum ingreſſus ad Scaligeram inſulam Veronenſis agri magnum quidem vicum, ſed nec muro, nec foſſa, vallóve ſeptum ſubſtitit. Is clam cum quibuſdam Veneti exercitus Epirotis, vt ſe ſequerentur, & eo loci ad certam diem adeſſent, conuenerat: illi rem præfectis ſuis indicarant. Itaque Lucius Maluctius cum ducentis equitibus, Citolus Peruſinus cum octingentis peditibus Patauio Lemniacum profecti ſeſe Lemniacenſibus militibus iunxerunt, mille quingentos è Patauino, Veronenſíque agro tumultuariè collectos pedites addiderunt; & ad opprimendum Mantuanum noctu properantes aliquot Epirotas equites præmiſerunt, qui Turcam inclamantes ſe illos ipſos, qui ad Mantuanum deficerent, eſſe ſimularent: Turcæ enim cognomen Mantuano inditum erat. Prima aurora ad diem, de qua cum Epirotis Mantuanus conuenerat, vicum nemine prohibente, nullis diſpoſitis excubiis ingreſſi ſopitos, aut ſemiſomnes comprehenderunt, Bœſium in primis ſororis Cardinalis Anbaſiani filium, tum alæ Mantuanæ legatum. Mantuanus è cubiculi feneſtra prope nudus ſeſe demiſit, & in agro ſiligine conſito delituit: deprehenſum homo ruſticanus, tametſi ille monteis aureos pollicebatur, publicum Venetorum commodum ſuo præferens, vt fere omnes eius regionis incolæ præferebant, atque aliud ſimulans hoſtibus in manus tradidit; à quibus

23

à quibus Patauium primum, inde Venetias magna populi lætitia deductus atque in publici palatij turrim concluſus eſt. Is ſatis ſtrenuam Foronouana pugna operam nauarat: hinc à Venetis eius victoriæ laudem ſibi vendicare conantibus in ſummo honore habitus (eorum enim copiis præerat) & Venetiis triumphali quadam pompa exceptus magnum deinceps tota Italia ſibi nomen comparat: at & bello Neapolitano Regis Ludouici legatus, & hic quantum illi militare munus credendum eſſet, facilè declarauit. Nondum Venetos terreſtrem ditionem repetenteis Cæſar interturbarat, quod hactenus iuſtas copias in promptu non haberet: & ruſtici Veneto nomini addicti progredientem aliquot dies in Vicentinis montibus remorati ſunt: in planitiem progreſſum iidem innumerabili multitudine circumfuſi, ac loco difficili aggreſſi in magnum diſcrimen coniecerunt; quibus pulſis Scalam Vicentini agri oppidulum petiit, cuius agri bonam partem in primis autem Serranallium oppidum peropportunum Veneti occuparant, & Germanos crudeliter trucidarant. Eo recepto Italis peditibus, atque eius regionis incolis par pari retulit, eadem felicitate graſſatus, & exercitu nondum coacto in paruis oppidis capiendis tempus inaniter terens nihil Imperatorio nomine dignum geſſit. Interim tamen de Venetiis oppugandis (vt ſemper maiora viribus ſuſcipere ſolebat) apud fœderatos agebat; Pontificia, Gallica, Hiſpanica, quæ ſimul iunctæ erant, claſſibus vſurus. Sed de hac oppugnatione Cameracenſi conuentu nihil actum erat, & Iulio permoleſta, Ludouico, niſi in communem fœderatorum vtilitatem cederet, haud magis accepta erat, Ferdinandus quod in Ludouici rem vtcumque eueniſſet, magis cedere videbatur, iniquam eſſe prætexens penitus auerſabatur.

Mantuanus Venetias abductus in publici palatij turrim concluditur.

24 Dum Patauinus, Veronẽſis, Vicentinus, ager à Germanis pariter, Italiſque vaſtatur, Foroiulienſis, atque Iſtrianus vtriuſque nationis militibus etiam prædæ erat, & in eadem calamitate verſabatur: princeps enim Hanauenſis Maximiliani iuſſu cum decem Germanorum tam peditum quàm equitũ millibus Foroiulium ingreſſus Monſalcone nequicquam tentato Cadurium, ſiue Cadoras oppidum pariter, atque arcem magna obſeſſorum ſtrage inuaſerat: alia ex parte Veneti Valdiſerum vi, Belluuium deditione ceperant. Brunſincenſis Vtino Foroiulij principe vrbe fruſtra oppugnata ad Auſtriæ ciuitatem inter monteis Natiſoni fluuio imminentem caſtrametatus erat: vrbi præerat Federicus Contarenus cum raro præſidio, ſed & loci natura, & ciuium beneuolentia fretus ſeſe egregiè tuebatur. Huic dum auxilio venit cum octingentis equitibus quingentis peditibus Ioannes Paulus Gradeuicus Foroiulienſis præfectus Germanis obuiam prodeuntibus fuſus, fugatúſque eſt; neque tamen eo caſu neque graui poſt muri ruinam tormentis depreſſam oppugnatione fractus Contarenus Germanis ceſſit: verùm forti animo vrbem in Venetorum fide conſeruauit. In Iſtria Chriſtophorus Frangipanis Venetos magiſtratus cum indigenarum multitudine occurrentes fregit, fugauítque; Caſtrum nouum, ac Raſpum cepit, & totam eam regionem populatus eſt. Aduersùs hunc Angelum Treuiſanum claſſis præfectum cum ſedecim triremibus Veneti miſerunt: is flumine oppido recepto Tergeſte fruſtra aggreſſus Raſpum in ſuam poteſtatem redegit, ac Venetias Foroiulienſi Iſtrianóque agro prædæ expoſito rediit. Nunc enim Veneti milites, nunc Germani idem oppidum iterum, tertióque, aut aliquando ſæpius expugnabant, ciueíſque, ac vicinos agricolas trucidabant, & fortunis omnibus exuebant, cæteráque, quæ belli fert vſus, crudeliſſimè patrabant, vt deſerta vtraque regio propemodũ redderetur. Veneti interim vt Iulio Pontifici ac Maximiliano reconciliarentur, Hungariæ, atque Angliæ Reges, Senatũ item Nuremburgenſem adhibebãt, & ſex iam Senatores Romam legatos miſerant: quibus in primis aderat Londinenſis Pontifex Henrici Octaui, qui paucis ante menſibus Henrici Septimi patris morte Angliæ Rex declaratus erat, legatus: hi non priſtino more ingenti comitatu Pontificia aula obuiam prodeunte, ſed noctu magno ſilentio nemine, vt venientes exciperet, vltra muros procedente vrbem ingreſſi (ita Iulius edixerat) in eius conſpectum haud admiſſi erant: in Cardinalis Neapolitani ædibus cum Cardinalibus, cæteríſque à Iulio deſignatis de ſuis negotiis pertractabãt, & communionem Chriſtianam ſuæ Reip. reddi poſtulabant. Intercedebant Cæſaris, Galli, Hiſpani Regis legati, & Cameracenſis conuentus capita proferebant: verumenimuero rei longè grauioris expectatio omnium præſertim Italorum animos alio auertebat: Cæſar enim cum potentiſſimo exercitu ſe ad oppugnandum Patauium comparabat; Veneti in eius vrbis ſalute ſuam collocantes omneis ſuas copias præter eas, quæ Tauriſo, Iſtriæque præſidio erant, in eandem immiſerant, ingentem commeatum in multos menſes congeſſerant, magnam ruſticorum foſſorúmque multitudinem addiderant, quæ multos aggeres circa muros excitaret, foſſas retro duceret, alios verò in primis aggeres erigeret; qui multis lignis coniunctis, aut ſeſe interſecantibus, ferreíſque

Henricus VIII. Angliæ Rex.

Digitized by Google

laminis firmati aquam, quæ è Liminis arce Patauium deriuatur, alio auerti prohiberent.

Patauij muniendi quanta apud Venetos cura.

Tametſi autem ad grauem oppugnationem diu tolerandam, nihil deeſſe videbatur, ta- 25
men Senatores aliquid ſinguli, quod ad vrbis conſeruationem pertineret, quotidie exco-
gitabant, & in medium proferebant, quæ ſi ex vſu eſſe iudicabantur, ſtatim executioni
vniuerſi mandabant. Multum profuit Leonardus Loredanus Dux Venetus, qui graui ora-
tione in Senatu habita ſuaſit, vt ducenti primarij è Veneta nobilitate adoleſcentes con-
uocatis amicis, ac ſeruis, quoad eorum facultates ferre poſſent, Patauium mitterentur;
& quo magis Senatores incitaret, duos ſuos liberos obtulit; vnde effectum eſt, vt Vene-
tæ nobilitatis flos adiunctis ſibi familiaribus, & quotquot ad militiam idoneos temporis
breuitas accerſere permiſit, Patauium conceſſerit. Soluere properanteis cæteri patricij,
atque ipſi adeo Senatores, ac populus prope vniuerſus tantam in tuenda patria fortitu-
dinem celebrantes ad naueis vſque proſpera illis precantes comitati ſunt: nec minore læ-
titia tam à ducibus, ac militibus, quàm à ciuibus Patauij excepti ſunt, quod nobiles ado-
leſcentes tolerandis militiæ laboribus, ac periculis haud aſſueti communem ſalutem ſuæ
præferrent. Id verò laudibus in cœlum efferebant, ita ſe inuicem ad hoſteis fortiter ex-
cipiendos hortati Cæſari aduentum ſumma alacritate expectabant: is ad vicum Aggeris,
quem Medoacus (ſi Brintam ita appellare debemus nam Timanum nonnulli veteribus
fuiſſe putant) interſecat altero à Patauio milliari peruenerat, pontémque ipſum occupa-
rat, & capta arce Liminis, vbi Medoacus in duas parteis diuiditur, quarum altera recta
Venetias petit, altera Patauium circumducitur, & mox ambæ ad Stratam vicum coëunt,
aquæque curſum alio deriuare aggreſſus tormenta bellica numero, ac magnitudine ipſa
formidabilia, aduentanteíſque quotidie copias viciſſim expectabat. Molem interim, quæ
aquam retinebat, Patauiúmque fluere cogebat, militibus primum vt interſcinderent, im-
perauit: mox ſententia mutata eoſdem ab opere reuocauit, tametſi curſum impedire fa-
cilè potuit: cur ſententiam mutarit, incertum, nam idem poſtea in Bachilione expertus
eſt, cuius aqua ad Longare vicum quinto à Patauio milliari pariter diuiſa partim Ateſte,
partim Patauium defertur. Vbi tormentorum pars Vicentiam appulit, Philippus Roſſus,
ac Federicus Gonzaga Boſſulus cum ducentis leuis armaturæ equitibus, vt tormentis
præſidio eſſent, miſſi inter eundum in quingentos eiuſdem armaturæ equites Patauio
egreſſos quinto à Vicentia milliari inciderunt. Hos ruſtici eius regionis incolæ, qui Ve-
netis toto hoc bello multum vſui fuerunt, deducebant: fuſi Cæſariani, Roſſus captus
Gonzaga equo, armiſque amiſſis noctis beneficio euaſit.

Ex Aggeris vico ad duodecimum milliare Poleſelianam peninſulam verſùs, vt com- 26
meatus maiore copia abundaret, exercitum Maximilianus produxit, Ateſte oppidum
vi captum diripuit, inde Monſilice profectus vrbem nemine reſiſtente, arcem excelſa in
rupe ſitam altero die cepit: deditum eſt & Montanianum; vnde Patauium verſùs iter
reflectens ad pontem Baſſanellum non longè à Patauio ſubſtitit, vbi fruſtra Medoacum
inde Patauium defluentem alio deriuare conatus eſt. Hinc tormentis omnibus, copiíſque
deductis ad Patauium cum toto exercitu propius acceſſit, ac quatuor peditum millibus
in ſuburbio, quod vulgo ſanctæ Crucis appellatur, collocatis vrbem inde primum ag-
gredi deſtinauit: ſed quod locum totius vrbis firmiſſimum eſſe comperit, aut quod Pataui-
norum tormentis eius exercitus eo loci plurimum infeſtaretur, ad portam, quæ Venetias
reſpicit (Portercllum vocāt) exercitum tranſtulit: tum quod eam vrbis partem debiliorem
intellexiſſet, tum vt auxilia terra, nauibúſque Venetiis miſſa Patauium introire prohibe-
ret. Propter paludes autem, aquáſque redundanteis longo anfractu ad pontem Bonolenti-
num ſeptimo aut dudecimo vt alij tradunt à Patauio milliari exercitum circumducere
coactus eſt: ibi ſunt lata paſcua Bachilioni fluuio contigua ad mare item pertingentia, quæ
inter Patauium, Venetiáſque protenduntur; quo tria ruſticorum millia cum innumerabili
pecoris multitudine ſeſe receperant. Hos Cæſariani exercitus Itali, Hiſpanique in prima
acie incedentes magna ex parte ceciderunt, totúmque biduum in percurſandis paſcuis, ac
cogendo pecore conſumpſerunt: Cæſariani etiam pleraque nauigia Venetiis aduerſo Me-
doaco Patauium commeatum importātia ceperant. Cæſar ſuo more cunctator vbi Vene-

Patauij oppugnatio multis ex capitibus illuſtris & memoranda.

tis Patauij rebus omnibus neceſſariis muniendi tēpus dedit, tandem decimoſeptimo Kal.
Octobr. ad portam, quæ Venetias reſpicit, acceſſit: nulla nec eo, nec multis ante ſæculis
tanta expectatione digna obſidio, vel propter vrbis nobilitatem, atque amplitudinem,
vel propter conſequenteis euentus ſuſpenſis omnibus Italis occurrebat: defenſa enim Ve-
netæ Reip. ſtatum confirmabat, & in integrum quodammodo reſtituebat, quod inde ma-
gna ſpes ad cæteras recuperandas ſeſe offerebat: amiſſa eundem euertebat, & Germanis
Italiam aperiebat. Eam ducentos aut paulò amplius annos Veneti pulſis Carrarienſibus
poſſederant:

Digitized by Google

poſſederant: accedebat quod eximiæ & oppugnantium,& propugnantium vires erant,vt incertum quodammodo exitum rectè expendentibus proponerent.In vrbe erant ſexcenti grauis, mille quingenti leuis armaturæ equites, totidem Græci, atque Epirotæ, quibus Bernardinus Montonenſis, Antonius Picus, Lucius Maluetius, Ioannes Græcus, & plerique alij præerant. Duodecim peditum Italorum millia ex omni Italicæ iuuentutis flore collecta ſub Dionyſio Naldio, Citolo Peruſino, Lactentio Bergomenſi, Saccocio Spoletano, aliquótque aliis minoris nominis præfectis merentia, decem item alia ex Illyricis, Græcis, Epirotis quos è claſſe eduxerant millia, & quæ, quamquam non magno numero, tamen non parui momenti erat, Veneta nobilitas, cuius ſupra mentionem fecimus; ea ſe promptè quibuſuis periculis obiiciens cæterorum animos plurimum confirmabat. Et oppidani pro aris (vt dicitur) focíſque pugnare cupiebant: addita erat præterea innúmerabilis penè ruſticorum multitudo certo pretio conducta, quæ aggeribus extruendis, foſſis ducendis, aliíſque id genus operibus exequendis ſtrenuam operam nauabat, ſummum in omneis Petilianus imperium habebat.

27 In Cæſaris autem exercitu inerant ſeptingenti cataphracti equites Galli cum ſuis hippotoxotis Iacobo Chabanæo Paliciano duce, quamquam nonnulli è noſtris horum equitum numerum minuunt,peditum quatuor millia addunt:ducenti eiuſdem armaturæ equites quos Iulius Pontifex,totidem quos Ferrarienſis regulus Cardinale Ateſtino fratre duce miſerat: ſexcentos Italos ſtipendio ſuo affectos, & aliquot leuis armaturæ alas, atque Germanos equites quorum numerus non traditur,ipſe addiderat: peditum Germanorum decem & octo, Hiſpanorum ſex, totidem ex diuerſis nationibus conſcripta millia ſequebantur:duo præterea idem Cardinalis Ateſtinus à fratre adduxerat.Tormentorum diuerſi generis, quorum nonnulla inuſitatæ magnitudinis erant, pilarúmque ac tormentarij pulueris copia innumerabilis vna conuehebatur, quorum bona pars à Rege Gallo profecta erat. Tametſi autem milites ſtipendium ſæpius deficiebat, tamen vel propter Ducis authoritatem, cuius liberalitatem, humanitatémque perſpectam habebant, & non auaritia ſed penuria ſibi haud numeratum ſciebant,vel propter Patauij,ac Venetiarum diripiendarum ſpem nemo diffluebat, in dies potius numerus augebatur. Verum Patauium non ſolum nûmeroſo præſidio, ſed etiam munitionibus ſumma induſtria,ac labore perfectis firmum erat: foſſas extrinſecus murum ambienteis aqua Veneti compleran, propugnacula ad ſingulas portas,& loca opportuna erexerant, & multis tormentis inſtruxerant; & ne ex iiſdem captis periculum vrbi immineret,fornices ſubtus extruxerant,in quos magnam pulueris tormentarij vim coniecerant, vt ſi ab hoſtibus fortè caperentur, ſubiecto igni diſiecta prorſus in aëra diſſiparent: quamuis autem antiquus vrbis murus ſatis ſolidus,tutúſque videretur, tamen retro iuſto ſpatio interiecto veluti vallum ex validis palis, arboribúſque altè infixis extruxerant, mox pingui humo madefacta, ac ſubacta ſpatium illud intermedium implerant, & ad muri pinnas vſque extulerant, pinnas autem ipſas ne tormentis diſiectæ propugnanteis milites vulnerarent,deiecerant. Pone aggerem altam foſſam ſedecim vlnas ſumma parte latam, ima anguſtiorem duxerant, eámque caſulis (quas matas appellant) turriculíſque ad minora tormenta exoneranda idoneis interſtinxerant, quas puluere tormentario ſummiſſo, ignéque iniecto non ſecus ac propugnacula demoliri illis in promptu erat: alterum aggerem eiuſdem cum foſſa,aut paulò maioris latitudinis, cum muro autem eiuſdem altitudinis toto vrbis ambitu, niſi paucis locis, quos tormentis concutere ſitus natura prohibebat,continuarunt:anticam partem ſeptem vlnas latam paulo altius, quam poſticam erexerant, ne propugnatores hoſtium bombardis, aut ſclopetis in cædem,ac vulnera paterent:milites omneis,Venetam nobilitatem,oppidanos, qui arma ferre poterant,in maiorem aream,quæ Antonij vocatur,congregatos fidam, fortémque operam nomini Veneto nauare pollicitos Petilianus publico ſacramento adegit.

Patauinæ oppugnationis & propugnationis apparatus.

28 Hic Patauinæ oppugnationis, ac propugnationis apparatus erat, quum Cæſar à porta Veneta ad Tauriſanam, hoc eſt, quæ Tauriſum reſpicit, & vulgo omnium ſanctorum vocatur, atque inde ad Codalungam, quæ Ciuitatulæ vicina eſt, tria fere milliaria complexus caſtrametatus eſt. Ipſe ad Helenæ ducentis quinquaginta paſſibus à Patauij muro diſtans cœnobium conſedit; inde ſingulis ducibus, prout diſtributi erant, munia partitus tormenta locis commodis collocari iuſſit; in quod opus quamuis ipſe laboris omnis patientiſſimus ſemper coram adeſſet,noctúque,atque interdiu in id nauiter incumberet, multum tempus impendit. Tormentis ſuis locis diſpoſitis Galli, ac Germani pedites magis, vt quid animi propugnatoribus ineſſet, quàm vt iuſta oppugnatione adorirentur, in portæ Codalungæ,cuius è regione fere Palicianus conſederat,impetum fecerunt,præſidiariis accedenteis fortiter excipientibus ſeſe ſtatim receperũt:poſtridie tormenta exone-

rata muros horrendo tonitru concuſſerunt, & pleraque propter magnitudinem, pulueriſque immiſſi copiam non ſolum muros, verum etiam duplicem aggerem, domóſque vicinas magna habitantium ſtrage penetrarunt, continuata in aliquot dies ea fulmina miras variis locis murorum ruinas ediderunt, & Tauriſanæ portæ propugnaculum prope ſolo æquarunt, nec tamen vllum timoris ſignum præſidiarij dabant; quinetiam Epirotæ, qui introire in vrbem recuſarant, in ſuburbiis remanſerant, atque alij leuioris armaturæ equites nunc hoſteis in tentoriis aggrediebantur, nunc miſſa pabulatoribus præſidia inuadebant, nunc totum agrum vaſtantes procurſabant, nunc omneis vias præter eam, qua ad Abanum mõtem itur, obſidebant. At multo nihilominus commeatu caſtra Cæſaris abundabant, agri enim fertilis copiam neque ruſticorum timor, neque Venetorum prouidentia, neque vtriuſque exercitus rapinæ, ac populationes exinanire potuerunt. Lucius interim Maluetius cum numeroſo equitatu ex vrbe exiit, vt quadraginta nummûm aureorum millia Venetiis miſſa Patauium aſportaret: redeuntem adorti Cæſariani paucis cæſis in vrbem quidem compulerunt, cæterum pecuniam haud abſtulerunt, nouo oppugnationis die tormenta Cæſaris expectationi ſatisfeciſſe videbantur. Itaque exercitus omnis, vt ad muros accederet, in armis fuit: deinde aquas foſſarum, quæ paulò ante veluti deſederant, nocte proxima auctas Cæſar animaduertens ſuos in apertum diſcrimen immittere noluit, ad tentoria redire iuſſit; rurſum aqua foſſarum imminuta poſtridie Cæſar portæ Codalungæ propugnaculum, ſed fruſtra oppugnari iniunxit. Igitur illuc conuerſis, quæ in Gallorum caſtris erant, tormentis (Galli autem inter Codalungam, Tauriſanámque portam caſtra habebant) propugnaculum deintegro verberauit, & bonam eius partem demolitus altero die Hiſpanis, Germaníſque peditibus cataphractis aliquot equitibus mixtis, qui nihilominus relictis equis pugnarent, oppugnationem indixit. Hi magno impetu irruentes in ſummo propugnaculo duo vexilla fixerunt, diúque fortiſſimè dimicarunt: ſed foſſæ retro additæ ea erat latitudo, ac profunditas, ea propugnatorum fortitudo, ea tormentorum, atque ignis arte conflati emiſsíque vehementia, vt deſcendere inde turbatis ordinibus cogerentur, multóſque amitterent. Hinc reliquæ copiæ, quæ capto eo propugnaculo (ſic enim ſperabant) ſe ad muros inuadendos comparabant, nihil amplius tentantes in caſtra redierunt.

Maximilianus de expugnãdo Patauio deſperans exercitum dimittit.

Ita de expugnatione Maximilianus deſperans, vbi tormenta in loca tuta conuehenda curauit, decimoſeptimo obſidionis die ſe cum toto exercitu ad arcem Liminis recepit, 29
inde Vicentiam profectus ciues in ſua verba ſacramento adegit, & nulla re memorabili geſta totum pene exercitum dimiſit, quo nihil illi ad exiſtimationem turpius, aut ad dolorem acerbius accidere potuit: quod enim Tauriſum non cepiſſet, receptúmque Patauium amiſiſſet, ſuæ negligentiæ aſcribere cogebatur; & quod mox tardius ad oppugnandum acceſſiſſet, tempus militibus immittendis, commeatibus importandis, muniendæ vrbi dediſſe confitebatur. At nihilominus in Iulium Pontificem, Regémque Ludouicum culpam regerebat, quod alter Venetos legatos Romæ admiſiſſet, alter tardius auxilia miſiſſet, vt ambos ab ipſo abalienatos Veneti intelligentes maiore confidentia in bellum incubuerint; ruſtici Vicentinorum montium aditus audacius obſederint, quibus exturbandis multos dies ipſe impenderit, atque in planitiem ingreſſus oppida à ſe eadem de cauſa aliena, ne commeatus exercitum deficeret, oppugnare coactus ſit: quod ſi maturè Galli acceſſiſſent, ne Patauium quidẽ à ſe defeciſſet. Præterea quod claſſes Ludouicus, Ferdinãdúſque reuocaſſent, Venetos omni metu liberatos vires ſuas omneis ad cõſeruandum Patauium conuertiſſe, ſe à cæteris fœderatis deſertũ in eas difficultates deueniſſe, Ludouicum vicinas Mediolanenſibus vrbeis in ſuam poteſtatẽ redactas inuidere, Ferdinandum eius difficultatibus lætari, vt illi facilius Caſtulonẽſi adminiſtratione cedat, ne quid in Italia poſſideret, timebat: Ludouicus ſe diu eius aduẽtum expectaſſe, magnáſque adeo eo nomine in ſui exercitus ſtipendium impenſas feciſſe reſpondebat. Si tũ Maximilianus acceleraſſet, & eam in conſeruandis, quam Ludouicus in tradendis illi vrbibus diligentiã adhibuiſſet (omnes enim propemodum ſe Ludouico permittebant) vniuerſis, quę ſuæ erant, ſine vlla impenſa fuiſſe potiturum; at ne præſidia quidem, aut viros idoneos miſiſſe, qui ſua authoritate ciues in fide cõtinerent: hinc Tauriſum, Patauiúmque amiſſum, &, niſi ſeptingenti Paliciani equites Vicentiam ſubitò aduolaſſent, eam quoque vrbem, ac Veronam non ſecus ac Patauium in Venetorum poteſtatem fuiſſe redituram, præſentius Gallica, quàm Cæſaris arma Cæſarianis vrbibus auxilio fuiſſe. Ferdinandus ex alienis impenſis quod concupierat nactus, huiuſmodi querimonias nihili pendebat, quæ nimirum amiſſam Cæſari authoritatem reſtituerẽ nequibant, qui tam opportunis, raríſque occaſionibus vti neſciiſſet. Veronæ quoque ciues in ſua verba iurare compulit, & cum Florentinis legatis Lu-

Digitized by Google

douico ita Florentinis ſuadente conuenit, ac quadraginta nummûm aureorum millibus acceptis libertatem,atque omnem ditionem, quam tum poſſidebant,confirmauit:priuilegia ampla addidit,quicquid hucuſque Germanico Imperio debebatur,acceptum tulit: in Germaniam rediturus, vt ſe ad bellum, quod in proximam æſtatem renouare deſtinarat, compararet (ita enim prædicabat)Carolũ Ambaſianum accerſiuit,ad Arſium Veronenſis agri oppidum appulſum quantum Gallicis,ſuiſque rebus diſcrimen impenderet, ſi Veneti Citadella,Baſſianóque potirẽtur,docuit;periculum eſſe,ne Patauina obſidione elati Monſilice, Montauianum, Ateſte adoriantur:non ſolùm de hiſce vrbibus conſeruandis,verum etiam de Lemniaco recuperando cogitandum,ſe ſuis viribus hæc præſtare non poſſe, Regis auxilio indigere,cuius nuper receptæ vrbes in eodem diſcrimine verſentur. Ad ea Ambaſianus ſe Regem certiorem facturum reſpondit, reſponſum ſperare eius poſtulatis conſentaneum. Colloquio hoc finito Cluſam,ſiue Clauſuram abiit:Palicianus cum quingentis cataphractis equitibus in Veronenſi agro relictus miſſione vix à Maximiliano impetrata in Mediolanenſem rediit: Ludouicus enim ſi quid Maximilianus moliretur,præſertim aduerſus Lemniacum,vt illi adeſſet,Paliciano iniunxerat: ſin otioſus maneret,in Mediolanenſi agro hybernaret: interim autem quod nihil Cæſar maturaret, crebri imbres, pluuiæque hyemis initio ſeſe effuderunt, vt in regione humili, aquiſque redundantibus obnoxia caſtrametari nemo poſſet, vnde Lemniaco omiſſo inducias Maximilianus facere cupiebat. Veneti Cæſarem multa conari,nihil proficere experti,quin potius omnia in incerto relinquere, nec magnopere fœderatorum auxiliis iuuari animaduertentes, recuſabant: quum nihil promoueret, rebus ſuis non bene conſtitutis Tridentum tandem rediit, quicquid enim in Italia poſſidebat, hoſtibus quodammodo in prædam relinquebat; iuſta receptis vrbibus præſidia impoſita non erant,ciues eius inconſtantiam experti,ac ſe rurſus in Venetorum poteſtatem venturos prouidentes, & ab illo, & à Germanorum moribus alieni erant, & ad Venetos redire cupiebant.

Controuerſia inter Iulium Pontificẽ & Ludouicum oborta.

Interim inter Iulium Pontificem, ac Ludouicum Regem leui quidem de cauſa, verum quæ maiorem aliquam ſubeſſe indicaret,controuerſia oborta eſt: mortem obierat in aula Romana prouinciæ Phocenſis Pontifex, illi ſucceſſorem inuito Ludouico Iulius deſignarat. Id factum aduerſus pacta conuenta cum Ticinenſi Cardinale Ludouicus aiebat; tametſi enim id diſertè aſcriptum non erat, tamen verbis diſertis Cardinalem pollicitum eſſe, vt ſi qui Pontifices, aut cœnobiorum præfecti in Romana aula mortem obirent, Ludouicus ſucceſſores deſignaret, Iulius præficeret. Id Iulij metu Cardinalis fateri non audebat: Ludouicus ita promiſiſſe confirmabat, Iulius ſe ſcripto duntaxat teneri aiebat; præſertim quod Ludouicus, ac Cardinalis Ticinenſis de promiſſo inter ſe non conuenirent. Aucta controuerſia Ludouicus ſpreta præter morem Cardinalis Ambaſiani ſententia, qui ne ſe Rex à Pontifice abalienaret, ſuadebat, fructibus, ac vectigalibus ſacerdotiorum, quæ Pontifices, aliíve, qui in Romana aula verſabantur, poſſidebant, tota Mediolanenſi ditione manum iniici iuſſit: contra Iulius Heluiorum Pontifici promiſſum Cardinalitium galerum mittere recuſauit. Quamquam autem hæc controuerſia Cardinalium cœtu Iulium ab ea mente reuocante ſedata eſt, tamen multis aliis de cauſis vel propter ſpretas eius de Genuenſibus querimonias, vel propter conceſſam Cardinali Ambaſiano totis Galliis ſacerdotiorum mandandorum poteſtatem, quam vulgo legationem, & Romanæ auaritiæ ſecurim vocabant (tot enim nummos aureos, vti hodie videmus, Romam exportari non ſinebat) vel propter pertinacem eiuſdem Cardinalis ad Romanum Pontificatum conſequendum ambitionem,à Gallis prorſus abalienatus erat. Itaque apud omneis Chriſtianos principes, réſque publicas de Ludouico identidem querebatur;ita tamen, vt eius querimonias à metu proficiſci omnes agnoſcerent. Igitur cum Venetis in primis acerrimis Gallorum hoſtibus redire in gratiam, mox cæteros occaſione data ſibi adiungere ſtatuit: Venetis interdictam Chriſtianorum ſacrorum communionem duabus dictis conditionibus reſtituere deſtinauit, nempe, vt Pontificias ditiones incolentibus libera nullis exolutis portoriis, aut aliis id genus indictionibus Adriatico ſinu nauigatio eſſet; deinde, vt eum magiſtratum, quem non ita dudum Ferrariæ crearant, & Prodominum vocabant, reuocarent. Reſpondebant Veneti Alexandrum Quartum Summum Pontificem ſinus Adriatici cum ampliſſimis priuilegiis ſibi credidiſſe cuſtodiam, quod magnis impenſis, ac parata fere ſemper claſſe id mare aduerſus Turcas, ac piratas pacatum reddidiſſent. Ferrarienſes porro ſponte Clemente Sexto, qui tum Auenione agebat, non repugnante eum magiſtratum accepiſſe: ſed Iulius de priuilegiis ab Alexandro conceſſis neque vllis hiſtoriis, neque ſcriptis publicis conſtare, Venetorum duntaxat neſcioquibus diplomatis, quæ in ſuam rem fidem facere non poſſint, tradi ſubinferebat:

adhæc Alexandrum Venetiis diuertentem ea priuilegia, vt illi ipſi fatentur, conceſſiſſe: vt minis, metúque extorta ſuſpicio ſit. Ferrarienſes autem poſt longum, ac difficile bellum, quibus Romanus Pontifex auxilio non fuiſſet, ad eum magiſtratum recipiendum non ſponte, ſed neceſſitate compulſos, quinetiam nec recipere Romano Pontifice, in cuius fide ſint, non aſſentiente potuiſſe: atqui, ſi vera tradit Blondus Foroliuienſis hiſtoricus, Gregorius Decimus non multis poſt Alexandrum Quartum annis Romano Pontificatu functus Venetiis eandem huius Adriatici cuſtodiam, reiectis Anconitanorum querelis, qui portoria illis pendere recuſabant, in concilio Lugdunenſi confirmauit, quod Iulio Venetos hoc loco non obieciſſe demiror. Eas conditiones Veneti nondum accipere voluerunt, & Maximiliani, Ludouicíque legati ne Venetis Chriſtianorum ſacrorum communio redderetur, magna contentione repugnabant, quod Tauriſum, atque alias aliquot vrbeis, Patauium in primis Maximilianus haud recepiſſet: in eandem cauſam publicè Ferdinandi legatus incumbebat, clam amittendi regni Neapolitani metu contrarium penitus ſuadebat: ex Pontificis enim, Venetorúmque reconciliatione Gallorum potentiam in Italia imminutum iri ſperabat.

Veneti exercitus ad Vicentiam appulſus.

Dum hæc Romæ inter Pontificem, Cæſaris, ac duorum Regum, Venetorúmque legatos vltro, citróque agitantur, Venetus exercitus Vicentiam appulit. Fracaſſius, quamquam Cæſaris parteis ſequutus, vti ea natio lubrica fide, & parum exteris nationibus fida eſſe ſolet, Vicentinis, vt ad Venetos deficerent, perſuaſerat: illi nocte concubia Venetos in vrbem admiſerunt. Hanauenſis, quem Vicentiæ Maximilianus præfecerat, ac Fracaſſius, vt p[illegible]ditionem ad exitum perducerent, in arcem euaſerunt, ac quarto poſt die ſeſe inde ſubduxerunt, arx in Venetorum poteſtatem conceſſit; vrbem à Vicentinis deditam ſcribit Bembus, ea quidem conditione, vt liberè Cæſariani abirent: Germanos quater mille quadringentos pedites optimè armis inſtructos, ac corporibus valenteis, Italos equites centum octoginta exiſſe, quod veriſimile non eſt: tam multi enim, niſi proditi fuiſſent, Vicentinos facilè coërcere potuiſſent: & Guicciardinus paucos vrbi præſidio fuiſſe teſtatur: quod ſi Vicentia capta ſtatim Veronam Veneti properaſſent, eandem quoque in ſuam poteſtatem redegiſſent: ſed caſtra mouere priuſquam arx caperetur, haud tutum putarunt. Cæſariani interim, atque Aubignius cum trecentis cataphractis Gallis equitibus Veronam intromiſſi vrbem facilè conſeruarunt: pedites enim Germani pariter, atque Hiſpani ad quinque millia, & præter Gallos cataphracti Germani equites ducenti, aut etiam paulò plures in vrbe erant. Veneti nihilominus non tam ſuis viribus fidentes, quã proditionis ſpe illecti bipartito exercitu Veronæ appropinquarunt: in vtraque exercitus parte trecentos grauis, quingentos leuis armaturæ equites, tria peditum millia nonnulli fuiſſe tradunt: alij numerũ augent, vt eodem tempore ad muros accederent, conuenerat: ſed eam quæ vltra Atheſim fluuium incedebat, vbi ad vrbis ſuburbia maturius acceſſiſſet, Cæſariani, Gallíque obuiam progreſſi veniẽtem facile repulerunt. Lucius Maluetius ex altera fluuij parte cum altero exercitu aduentans vbi ſuos repulſos intellexit, retro iter flexit, hinc ſimul iterum coëuntes ad Martini vicum quinto à Verona milliari caſtra poſuerunt: ibi bis mille Germanos pedites Baſſiano egreſſos vicinum Citadellæ agrum populati certiores facti, illuc contenderunt, & nihil tale ſuſpicanteis in vallem, quæ vulgo Fidata dicitur, concluſerunt. Germani haud patriæ virtutis obliti ſuis, qui Baſſiani remanſerant, opem ferentibus viam vi ſibi ſtrauerunt non paucis propter viarum anguſtias amiſſis, & Baſſiano relicto abierunt: eo occupato Veneti partem exercitus Feltriam verſus, Citadellámque miſerunt: quibus receptis Scalam caſtellum inalpinum circumſederunt, & ſtatim deditione ceperunt. At in Foroiuliẽſi agro Antonius, atque Hieronymus Sauorniani Venetas parteis toto hoc bello ſequuti caſtro nouo potiti ſunt, neque interim vllæ à Cæſare copiæ aduentabant, vani duntaxat rumores ferebantur, præterquam quod is capta Vicentia Petram Tridentinam ſtatim aduolauit: vt ſæpenumero huc illuc ſumma celeritate properare, nihil conficere ſolebat. Venetus exercitus inde Monſilice Montanianúmque, vt Polcſelianam peninſulam reciperet, atque in Ferrarienſem agrum vna cum claſſe inuaderet, contendit. Id Senatus ſententiarum numerum ſequutus decreuit: prudentiores enim è Senatu nouis bellis occaſionem haud dandam, res prius cum Cæſare, & Gallo potentiſſimis hoſtibus tranſigendas cenſebant. Huc infeſtum in Ferrarienſem regulum odium, vltionis cupiditas, quæ ſapienteis etiam homines de recto ſani iudicij curriculo nonnunquam deiicit, non præſentium cõmodorum vtilitas, aut futurorum ſpes Senatum adegit: quod enim magiſtratum Venetum Ferraria regulus expuliſſet, Polcſelianámque peninſulam recepiſſet, non magnopere querebantur: quod autem Ateſte, vnde olim Ferrarienſes reguli exierant, noménque gentilitium ſumpſerant, à Cæſare Patauinam obſidionem

Eius progreſſus.

31

dionem ſoluente, vti cliens, Montanianum in creditæ pecuniæ pignus accepiſſet, in quæ Venetæ ditionis oppida nullum illi antea ius fuiſſet, id verò non tolerandum putabant. Accedebat, quod Ferrarienſes copiæ Veneto nomini infeſtiſſimæ dum Rodiginam peninſulam in ſuam poteſtatem redigerent, crudeliter victoria vſæ erant, patriciorúmque Venetorum domos incenderant.

33 Itaque Veneta claſſis, in qua decem, & ſeptem triremes, ac pleraque minora nauigia erant, numeroſo, fortique milite inſtructa præfecto Angelo Treuiſano Carbonaria oſtio Padum ingreſſa Corbulas, vicinóſque Pado vicos incendit, totúmque eum agrum populata ad obſcurum vel obſcuræ aquæ lacum aduerſo flumine tranſmiſit: vnde leuis armaturæ equites, qui vela facientem claſſem vel terra ſequebantur, vel comitabantur, vel aliquando anteuertebant, Figariolum vſque in Padi ripa caſtellum ſupra Ferrariam duodecim paſſuum millibus procurſarunt, quæ non tam arx, quam domus ad amœnitatem extructa videri poteſt, eò tamen illuſtrior, quòd Robertus Seuerinas Venetarum copiarum dux bello aduerſus Herculem Ateſtinum Ferrarienſem regulum ſuſcepto delectus eandem Federico Vrbinate egregiè tuente longa obſidione oppugnarit. Huius claſſis fama, quam terra alter exercitus ſequi ferebatur, Ferrarienſis attonitus, quod paucos milites in armis haberet, Ferrarienſes autem & numero, & bellandi exercitatione inferiores eſſent, vt tantis copiis opponerentur, nihil prius potiúſque exiſtimauit, quàm tantiſper dum à Romano Pontifice, ac Rege Gallo auxilia expectat, vt tormentis in Padi ripa collocatis claſſis progreſſum impediret. Treuiſanus itaque nequicquam curſum continuare conatus medio Pado ad paruam inſulam è regione Poleſeliæ vndecimo à Ferraria milliari anchoras iacere ac terreſtrem exercitum, qui Montaniano deditione capto Poleſelianam peninſulam receperat, expectare coactus eſt: interim duo aduerſis Padi ripis propugnacula erexit, pontémque è nauibus extruxit, vt ſi quando opus eſſet, ei quod in vlteriore ripa Ferrariam verſus inchoatum erat, opem ferret: cuius demoliendi antequam perficeretur, Ferrarienſis cupidus non multos, quos vndique acceſſiuerat, milites, Ferrarienſémque iuuentutem ad id oppugnandum miſit: ſed Venetis è nauibus ſuis ſuppetias ferentibus Ferrarienſes in fugam verſos nec ipſe regulus cum equitatu ſubſequutus retinere, aut in hoſtem conuertere potuit: Venetis enim aliis rebus ſuperioribus etiam loci natura, ac minorum tormentorum commodè locatorum numerus victoriam dabat. Itaque ipſe tandem regulus non paucis è fortiſſimis militibus, equitibúſque amiſſis inter quos Hercules Cantelmus adoleſcens magnæ indolis, cuius maiores Sorani duces olim fuerant, ab Illyricis captus, dum ad naues ducitur, lite inter victores oborta cæſus eſt, nam turba ignobilis ſe maturè in fugam dederat, ſe paulatim recipere coactus eſt. Hinc Carolus Ambaſianus Mediolanenſis prætor Ferrariæ metuens Caſtilionem cum centum quinquaginta cataphractis equitibus Gallico numero inſtructis, Iulius Pontifex ducentos eiuſdem armaturæ equites, qui in Cæſaris exercitu militarant, Ferrarienſi auxiliares miſit: Venetos enim in Ferrarienſem clientem ſuum belli cauſis ſibi non ſignificatis arma tuliſſe permoleſtè ferebat, tardius tamen fortaſſe hæc auxilia acceſſiſſent, niſi maiora aliò Venetos diſcrimina reuocaſſent: Ambaſianus enim, quem etiam Calmontium à fundo eiuſdem nominis appellant, ne Verona in Venetorum poteſtatem rediret veritus ex Regis mandato bis mille Hiſpanos pedites, qui propter ſtipendium à Maximiliano non exolutum ſeditionem Veronæ excitaturi videbantur, ad Regium aduocauit: octo nummûm aureorum millia Cæſari, quæ cæteris Veronæ præſidiariis militibus numeraret, Vallegio in pignus accepto mutuo dedit.

Claſſis Veneta rumor Ferrarienſes interturbat.

34 Vallegium autem excelſo in monte ſexto à Brixia milliari ſitum Mincio imminet, firmum quodammodo eius vrbis propugnaculum, vt Ludouicus Vallegij, ac Piſcheriæ compos & fluuium in poteſtate haberet, & Brixiam in tuto collocaret. Ipſe præterea Ambaſianus cum magno equitatu in Veronenſem agrum proceſſit, cuius aduentus, quod ſe ad Vicentiam oppugnandam comparare diceretur, & militum recèns conſcriptorum fama Venetum à Ferrarienſi agro ad ſua tuenda, præſertim ad Vicentiam in officio continendam reuocauit. Igitur quadringentis leuis armaturæ equitibus, totidem peditibus in Poleſelianæ peninſulæ præſidium, claſſiſque ſubſidium relictis in Vicentinum agrum ire Venetus perrexit: pars maior Vicentiam, Lemniacum alij, alij Suauium ad Alpium decliuitatem ſitum, quod paulò ante receperant, ingreſſi ſunt. Et vt Vicentiam, Vicentinúmque agrum à Veronenſium militum incurſionibus vindicarent, foſſam latam, altámque à montis incumbentis radicibus per planitiem, qua Rhodigio Monfortium iter eſt, in quinque fere milliaria ad Atheſis paludes vſque deduxerunt, aquáque immiſſa aggerem ſecundùm foſſam multis propugnaculis interſtinctum excitarunt: Lemniacum deinceps, ac Suauium diligenter munierunt, vt acceſſu hoſteis præſertim hyeme facilè prohiberent. Terreſtris

Digitized by Google

exercitus diſceſſu Ferrariæ capiendæ ſpes Venetis ablata erat, populi vexatio, agríque vaſtatio ſublata non erat, claſſici enim milites, ſociíque nauales ad vrbis portas vſque procurrebant: aliæ enim Venetæ naues alia ex parte Ferrarienſis ditiones aggreſſæ Comaclum ceperant, quum Gallica, Iuliíque Pontificis auxilia Ferrariam appulerunt. Id oppidum Cymaclum appellare mauult Bembus, à fluctibus ni fallor Græca deriuatione ducta, quibus alluitur, & conficiendo ſali percommodum eſt: hinc Ferrarienſis regulus, ac Cardinalis Ateſtinus frater, qui ſuis fuſis loco munito non procul à Ferraria caſtra metati, ſe, ſuóſque ibidem continebant, crebris procurſationibus hoſteis ad propugnaculum vſque laceſſere, & ad pugnam prouocare cœperunt, quibus, fluminis locíque naturam contemplati, claſſis Venetæ diſturbandæ, demergendæque ſpem, ſi tormenta ad ripam fluminis admouerentur, experientia quod perdifficile videbatur facillimum reddente, animaduerterunt.

Hac ſpe ductus Cardinalis rerum bellicarum haud ignarus, ſed magna vir oſtentatione, ad oppugnandum propugnaculum rediit, Venetóſque milites obuiam progreſſos nonnullis cæſis in propugnaculum compulit, & vicinam aggeris partem occupatam muniuit, atque hoſtibus nihil tale ſuſpicantibus circiter tertiam noctis horam tormenta è regione claſſis Venetæ magno ſilentio collocauit, repente mox horrendo velut tonitru diſplodi iuſſit: acceſſit & regulus ipſe in his fundendis, tractandíſque mira dexteritate præditus, & libratoribus magno vſui fuit. Tentauit fugam Veneta claſſis, ſed longiſſimus tormentorum maiorum ordo procul admodum pilas eiaculantium nihil tutum in flumine relinquebat, vt diſcriminis locum mutare potius, quàm diſcrimen ipſum vitare fugiendo videretur: tormentis tamen Veneti viciſſim Ferrarienſes petebant, verùm id quidem fruſtra, quod agger ad Padi ripam extructus pilas excipiebat, & Ferrarienſibus pro munimento erat. In hoc conflictu miſerabilis erat Venetæ claſſis facies, aliæ naues, quæ vim amplius ferre haud poterant, ſeſe dedebant; aliæ puluere tormentario hoſtilium pilarum impetu ſuccenſo deflagrabant: aliæ extrema omnia paſſæ demergebantur. Treuiſanus ipſe claſſis præfectus conflictus initio vix exigua ſcapha fugiens euaſit, eius vero triremis fugam & ipſa capeſſens pilas tormentis intorquens pariter, & excipiens, & quæ remedia in tam iniquo certamine adhiberi poterant, obtendens tandem ad tertium fere milliare multis pilis penetrata, multíſque ex partibus laxata aquis ſuperantibus abſorpta eſt: poſtremo fluuio igne, ſanguine, cadaueribus, nauium fragmentis prope conſtrato quindecim triremes, aliquot magnæ naues, minorum autem multitudo quaſi infinita in Ferrarienſis poteſtatem venit: milites circiter bis mille vario mortis genere, tormentorum pilis diſrumpentibus, aquis ſuffocantibus, igne deuorante perierunt, multi in terram euaſerunt, alij à leui Venetorum equitatu excepti, & in tutum deducti, alij ab hoſtibus perſequentibus capti, alij in ruſticos incidentes crudeliter habiti ſunt: ſexaginta vexilla capta: Treuiſanus ſuum fugiens (id autem aureum erat) litteraſque publicas ſecum abſtulit; naues Ferrariam deductæ & aliquot poſt annis Venetis redditæ. Parta hac inſigni victoria trecentos equites, pedites quingentos Ferrarienſis ad eam claſſem, quæ Comaclum inter duo Padi oſtia Vatrenum & Caprariam interiectum oppidum ceperat, expugnandam miſit, qui aſcitis auxiliis Lauretum non longè à foſſa Clodia nuper à Venetis munitum recuperarunt: & niſi hæc claſſis alieno malo edocta ſe maturè Bobium recepiſſet, eandem, quam prior, fortunam fortaſſe ſubiiſſet. Hic Ferrarienſis obſidionis vix menſtruæ exitus fuit.

Veneta claſſis cum Ferrarienſibus confligentis miſerabilis facies.

Circa Vicentiam res Veneta meliore loco erat: ſiquidem non magna Veneti exercitus pars ruſticorum auxiliis freta in conſpectu prope Cæſaris, qui aliquot equitum turmas, quatuor Germanorum peditum millia ſub ſignis habebat, Scalæ anguſtias Cogolum, ac Baſſianum cepit, oppidum cum aliis de cauſis, tum quod Germanorum in Italiam deſcenſum prohibet, opportuniſſimum: Cæſar de rebus Italicis iam non bene ſperans, & de Paliciano queſtus, cuius diſceſſu Veneti audaciores Vicentiam, cæteraque eius agri oppida cepiſſent, Bolſanum abiit, vt indictorum Ænipontem comitiorum diem obiret: vnde omiſſa, quam inſtituerat Vicentiæ, Lemniacíque oppugnatione Ambaſianus Mediolanum rediit: & vrbes egregiè munitæ, & vicina hyems oppugnationibus infeſta non magnam earum expugnandarum ſpem oſtentabant: Brixiæ, Piſcheriæ, Valegij iuſta præſidia reliquit. Quod autem Veronam Cæſar ſuis viribus tueri non poſſet, ſexcentos cataphractos equites, quatuor peditum millia eidem attribuit, qui à Cæſarianis ſeparati in Zeni ſuburbio, Citadelláque hyberna egerunt. Veronam antiquam, nobilémque ciuitatem Atheſis fluuius diuidit, & aliqua ex parte ambit, qui è Germanorum montibus cadens vbi in plana deſcendit, ſiniſtrorſum curſu flexo montium ima lambit, & mox Veronam ingreditur; vnde egreſſus, atque à montibus recedens curſu leniore per latam, fertilémque planitiem

Verona ſitus, & antiquitas commendatur.

Digitized by Google

planitiem effunditur,quæ pars Veronæ partim in cliuo,partim in modica planitie ſita eſt, Germaniam à tergo habet: in monte ad Georgij portam arx, quæ Petri dicitur,ſita eſt: in altero cliui faſtigio ducentis fere inde paſſibus arx Felicis, quæ loci natura, & muri firmitate validæ ſubiectam vrbem quaſi in poteſtate habent. harum cuſtodia Germanis mandata eſt:in altera vrbis parte,quæ tota in planitiem protenditur,arx vetus Piſcheriam verſus quaſi media vrbe ſpectatur, vnde ponte Atheſis iungitur: trecentis inde paſſibus, aut paulò amplius Vicentiam verſus Ciuitatula eſt, inter vtrãque vrbis muri hemicycli inſtar exterius coniunguntur,intrinſecus murus lata vtrimque foſſa cinctus ab altera ad alteram pertingit,quod inter duos muros continetur,ſpatium Zeni ſuburbium vocatur: hoc cum Ciuitatula Gallis,Gallicúmque ſtipendium merentibus attributum eſt, atque ita Cæſaris, Ambaſianique diſceſſu tum etiam hyemis aſperitate grauiter premente quædam velut ab armis vacatio conſequuta eſt. Inducias cum Venetis paciſci cupiebat Cæſar, quas etiam Iulius Pontifex per Achillem Craſſum Piſaurienſem Pontificem ſuum apud Cæſarem legatum procurabat: idcirco Cæſariani cum Ioanne Cornatio, ac Ludouico Mocenio Venetis legatis ad Hoſpitaletum paulo ſupra Scalam colloquuti ſunt. Sed propter immenſa Cæſaris poſtulata re infecta Iulio ægreferente vtrique abierunt, qui vt, quod mente conceperat,exequeretur, hoc eſt, vt mortales omneis(ſi fieri potuiſſet)aduerſus Gallos concitaret,Venetos ab omnibus cuiuſuis belli moleſtiis liberare contendebat,quos eo deduxerat, vt & Comaclum Ferrarienſi redderent, & ab infeſtandis eius ditionibus abſtinerent, quo beneficio Ferrarienſem à Gallorum amicitia reuocare, & ad ſe traducere moliebatur. Legatum etiam clam ad Henricum Octauum Angliæ Regem eadem de cauſa miſit, & per Sedunenſem Pontificem ad Cardinalitij ordinis gradum flagranti ambitione aſpirantem Heluetios erga Ludouicum Regem iam malè affectos magis irritare conabatur,ideóque Romam appulſum mira beneuolentiæ ſignificatione excepit.

36 Sub huius anni finem Maximilianus, ac Ferdinandus de regni Caſtulonenſis adminiſtratione conuenerunt: res diu in Gallia in Ludouici aula tractata eſt, & ſuadente Cardinale Ambaſiano ad exitum perducta. Is ſe in vtriuſque gratiam inſinuare, & faciliorem ad Romanum Pontificatum inde aditum ſibi parare viſus eſt,haud ſatis prudenter quanti rebus Gallicis ea diſſenſio momenti eſſet,expendens. Igitur ſua diligentia, atque authoritate perfecit, vt Ferdinando, modo nullos liberos mares gigneret, regni Caſtulonenſis procuratio mandaretur, donec Carolus Maximiliani nepos viceſimum quintum ſuæ ætatis annum attigiſſet, ne Carolus viua matre eius regni titulos ſibi vendicaret,ad cuius hæreditatem fœminæ non ſecus ac mares de regionis more vocari ſolent:Maximiliano Ferdinandus ex Cameracenſi fœdere in ſuis ditionibus recuperandis opem ferret, eidem quinquaginta nummûm aureorum millia ſemel, Carolo nepoti quadraginta quotannis penderet,his omnibus Maximilianus aſſentiretur. Ita Ferdinandus omni, quam de Maximiliano conceperat,ſuſpicione liberatus,& quod vnicum hæredem Carolum haberent, liberius,atque apertius ſuſpectos ſemper Ludouici in Italia progreſſus regno Neapolitano timens interturbare, cum Iulio Pontifice conuenire, Maximilianum vna, Anglúmque generum ſecum trahere cœpit: tantum autem abfuit, vt ſibi Ambaſianus ea reconciliatione prodeſſet, vt aditum ad Romanum Pontificatum ſibi quodammodo præcluſerit: etenim & Maximilianus, & Ferdinandus regno Neapolitano metuentes, & Carolo communi nepoti, atque hæredi ex æquo prouidentes nunquam hominem Gallum ad eum gradum peruenire,& Romani Pontificatus vires cum Gallicis,Mediolanenſibúſque conſociari permiſiſſent. Per eos dies Iulius Pontifex Iulianum Medicem Bononiæ in cuſtodiam tradi iuſſit,quod Ioannis Bentiuoli liberos Alexandrum in primis,qui protonotarius vulgo appellabatur, & tum Cremonæ agebat, de Bononia ex inſidiis capienda moliri neſcioquid ſuſpicaretur, criménque in Ludouicum Regem implacabili odio exacerbatus referebat: ne Ludouicus cum potenti exercitu in Italiam penetraret,ac Cardinalem Ambaſianum vi Romanum Pontificem deſignandum curaret, metuebat, eúmque metum non obſcurè indicabat:priuati Ludouicus Aurelianenſis regulus,ac Iulius tum Cardinalis diu in Gallia Alexandro Pontifice in ſumma amicitia vixerant: eam Ludouicus ad regnum Galliæ vocatus continuarat, & quanquam Cardinali Ambaſiano fauebat, tamen Iulium potius, quam quenquam alium ex cæteris Cardinalibus antiquæ amicitiæ memor creatum Romanum Pontificem gaudebat, idque recens creato officioſa gratulatione ſignificarat,& multis præterea argumentis confirmarat,at in ſummo honoris gradu collocati leui de cauſa,aut potius ſuſpicione à ſe inuicem abalienati ſunt,& inſigni Reip. Chriſtianæ iactura reliquum ætatis ſumma animorum diſſenſione traduxerunt. Iulius autem homo antea infimæ ſortis ad ſummum ſacri muneris faſtigium prouectus de Ludouico

Iulianus Medices Bononiæ in cuſtodiã traditus.

palam

Digitized by Google

Nicolai Vrſini Petiliani Comitis mors.

palam identidem, & de Maximiliano conquerebatur. Sub huius quoque anni finem Nicolaus Vrſinus Petilianus Comes, cui ſummum ſuarum copiarum imperium Veneti crediderant, nec vt temere ſe in aliquod maius diſcrimen conijceret, metuebant, prouecta iam ætate (ſeptimum enim & ſexageſimum annum agebat) integra fidei, ac militaris ſcientiæ fama diem ſuum obiit.

Anno 1510.

Anni proximi initio, qui decimus huius ſæculi fuit, eædem inter Iulium, Maximilia- 37
num, Ludouicum, Ferdinandum, Venetos ſuſpiciones erant: bellum temporis naturam ſequebatur, hoc eſt, frigidius adminiſtrabatur, Venetus exercitus ad Bonifacij fanum in agro Veronenſi hyberna agens Veronam veluti obſeſſam tenebat, vnde Carolus Baleonus, Federicus Boſſolus, Sacromorus Vicecomes egreſſi, & ab Epirotis fuſi Carolus, ac Sacromorus capti ſunt, Federicus Gallis auxilio venientibus euaſit. Paucis poſt diebus equeſtri Gallorum ala ab iiſdem Epirotis in fugam verſa Claieta captus eſt: contra Gallorum ducenti cataphracti equites cum tribus peditum millibus propugnaculum non longè à Suauio, quod ſexcenti pedites inſederant, expugnarunt, atque inter redeundum magnam ruſticorum multitudinem obuiam prodeuntium fuderunt. His tumultuariis minorum ducum conflictibus hyems traducebatur, at principes ipſos maiores curæ, bellique in proximum vel comparandi ſollicitudo maior agitabat: Cæſarem in primis, qui ſolus ex fœderatis, quod ſuum erat, Tauriſum (inquam) ac vicina quædam oppida nondum receperat; immò vero, quæ iam receperat, Patauium, ac Vicentiam ſua negligentia rurſus amiſerat. Is igitur de ſuis recuperandis, victoriáque de Venetis reportanda propè deſperans, & negotia ſua de comitiis in alia comitia ſuo more transferens Germanorum conuentum Auguſtam Vindelicorum indixerat, Iulio in primis infeſtus, cuius authoritate adducti Germani principes, præſertim, qui Electores vocantur, vt de pace cum Venetis concilianda prius, quàm de belli apparatu inſtruendo ageretur, poſtulabant: Idcirco Piſaurenſem Pontificem Iulij legatum Romam redire iuſſerat: deinde comitiorum Germanicorum exitus tardos, difficiles, incertos agnoſcens, tum Ludouicum in bello deintegro ſuſcipiendo nunc, quæ in bellicos ſumptus oppida pignoris loco reciperet, quærentem, nunc non ſe priuatim, ſed & Iulium, Ferdinandum Cameracenſi fœdere teneri docentem æqua proferre intelligens, vt is ſolus ſuis viribus Patauium, Vicentiam, Tauriſum, finitimáſque vrbeis recuperandas ſuſciperet, quas iuſto præmio accepto redderet, inducere conſtituit, Veronam tacitè indicabat; vnam atque alteram è vicinis fortaſſe addidiſſet; in ſanctiore Regis conſilio optionem plerique non reiiciendam putabant: dum Veneti terreſtri imperio potirentur, rem Mediolanenſem ſemper in incerto futuram, ſemper maioribus præſidiis, ſæpius exercitu parato opus fore: vna inſigni impenſa facta, firmiſſimo exercitu ſemel comparato, ſi ſupra commemoratis vrbibus potiatur, ſi Venetos è continenti expellat, cæteris deinceps aut finem, aut modum fore, ipſum vero omni ſuſpicione liberatum iri: Maximilianum ſemper egentem nihil magnum vnquam aut fruſtra aggreſſurum, & tamen tribus illis vrbibus receptis aditu Germanis in Italiam patefacto Italos ſibi timenteis reſpectum ad regem ſemper habituros: Venetorum autem compreſſam ambitionem ne quid cæteri aduerſus tales principes moliantur, exemplo facturam: Iulium Gallis penitus infenſum pulſis è continente Venetis aut nullas, aut externas, minúſque fidas ſocietates initurum, atque inde ad Gallos quadam neceſſitate acceſſurum.

Ab his Ludouicus iiſdem rationibus fretus non admodum alienus erat; atque vt in Ita- 38
liam ipſe cum firmo exercitu tranſiret, inclinabat: firmum autem appellabat, quum pluréis mille ſexcentis cataphractis equitibus Gallico numero inſtructis, cum penſionariis, domeſticiſque, ac iuſto peditatu in caſtris habebat. Sed in equitatu ſpem ſemper maximam collocabat: pugnabant tamen aliæ contra rationes, vt animi dubius, incertúſque ferretur; præſertim quod Cardinalis Ambaſianus animi vir maximi, qui Regij conſilij princeps erat, longo, diuturnóque morbo laboraret, nec conſultandis rebus propter morbum intereſſe poſſet, parcebat impenſis Ludouicus non auaritia, ſed populi charitate, cuius rem non vt multi Reges, ſed vt bonus paterfamilias ſumma æquitate moderari cupiebat: etſi Cæſar continuis bellis exagitaretur, Veronam, cuius potiundæ deſiderio flagrabat, ſe facilius ablaturum ſperabat; idcirco decem & octo nummûm aureorum millia Cæſari in Germanorum ſtipendium, cui ille ſoluendo non erat, mutuo dederat, ac duo, & triginta ſe breui numeraturum ſpoponderat. Conditio addita erat, vt Galli non ſolum Ciuitatulam, ſed & veterem arcem, proximámque vrbis portam obtinerent, vt liber ipſis exitus, introitúſque eſſet; & niſi intra annum credita pecunia redderetur, Vallegium Ludouico in perpetuam adminiſtrationem cederet, quod ſimul atque arcem Cæſaris impenſis muniendum curaret. Suſpenſum Ludouici animum, ne priori deliberationi aſſentiretur, Iulius

tenebat,

Digitized by Google

tenebat, quem, ſi ipſe cum exercitu Italiam ingrederetur, magis ac magis irritaret. Iulius enim æmulum Cardinalem Ambaſianum metuens, & quod Verona Regem tandem potiturum ſuſpicabatur, ægerrimè ferens, Venetis communionem Chriſtianorum ſacrorum reddere, atque Heluetios mirandum in modum ſibi adiungere cupiebat. Idcirco Matthæum Sedunenſem Pontificem Cardinalitio galero promiſſo illectum cum magna pecunia Heluetiis diſtribuenda ad ſuos remiſerat.& modis omnibus Anglum à Gallorum amicitia abalienare contendebat, in qua etſi Henricus VII. pater Gallorum prope regnum adeptus permanere moriturus extrema prope voce iuſſiſſet, tamen & iuuenili ardore, & theſauris ſibi à patre relictis fretus, iis qui rebus nouis ſtudebant,& innato Gallorum odio bellum ſuadebant, auſcultabat potius, quàm prudentis patris exemplum ſibi imitandum proponebat; qui noui,crebriſque ſeditionibus agitati regni compos factus Gallorum amicitiam perſanctè coluit, eáque tutus in ſumma ſemper pace vixit.

49 Hæc Ludouicum Regem, qui Lugdunum, vt rebus Italicis prouideret, acceſſerat, in primis ſollicitum habebant: accedebat quod Ferdinandus quaſi amicus,ac publicæ tranquillitatis ſtudioſus eius in Italiam tranſitum diſſuadebat. ſed re vera, ne Verona potiretur, Venetos è continente expelleret, magnos in Italia progreſſus faceret, timebat; idcircóque & Anglum generum non ſecus, ac Iulius clam ad bellum accendebat. Placare igitur Iulium Ludouicus ſatius eſſe duxit, ne ſaltem ſibi hoſtis accederet: præſens ſuberat occaſio: Cardinalis Ambaſianus Iulij æmulus extrema valetudine erat, vnde Iulium ſuſpicionibus liberatum iri veriſimile erat: hinc Oſcitanum Cardinalem Cardinalis Ambaſiani nepotem (ſi ita fratrum, ſororúmque liberos cum Cornelio Tacito vocare nobis permittimus) cæteróſque, qui res ſuas Romæ procurabant, Ludouicus reuocauit: quod re, verbiſque Iulium non tam placare, quàm irritare ſtatuiſſent. Albertum Pium Carporum Comitem hominem doctum, liberalíque ingenio præditum legatum cum amplis mandatis Romam miſit,qui vires,atque authoritatem Regiam Iulio offerret: rerum præſentium ſtatum, præſertim Cæſaris poſtulata cum eodem communicaret, tranſitum Ludouici in Italiam,mittenda Cæſari auxilia in Iulij quodammodo poteſtate poneret:adhæc ne Chriſtianorum ſacrorum communio Venetis reſtitueretur, obſtaret. Sed ea antequam Pius Romam appelleret, promiſſa iam, ac ſancita erat, Veneti enim dictas à Iulio conditiones, quarum nonnullas ſupra commemorauimus, nullum afflictis ſuis rebus aliud perfugium ſupereſſe animaduertentes poſt multas inter ſuos Iuliíque legatos altercationes, acceperant: conditiones autem in publico Cardinalium cœtu promulgatæ, ac lectæ fuerunt, & à legatis Venetis ex ſuæ Reipub. mandato confirmatæ. Has huiuſmodi fuiſſe accepimus: Ne cuiquam Sacerdotia Veneti mandarent, à Romano Pontifice mandata admitterent: lites ſuper Sacerdotiis motas, atque alias quaſuis iuriſdictionis Eccleſiaſticæ (vt vocantur) Romæ dirimi, finiríque permitterent, ne ſuæ ditionis ſacerdotia vllis decimis, aliiſue indictionibus mulctarent, interpoſitam ad vniuerſi Chriſtianiſmi concilium prouocationem reuocarent, omni iure quod in res Pontificias, Romanique Pontificatus ditiones ſibi vindicabant,quale idcumque fuiſſet cederent, præſertim eo, quo prodomini Ferrarienſis magiſtratus creandi poteſtatem vſurparant, nihil aduerſus Ferrariam, vrbeiſque eius ditionis Romano Pontifici obnoxias molirentur, nullum in eaſdem ſibi ius vindicarent: Pontificiæ ditionis incolæ, eorúmque naues, quæque nauibus etiam alienigenarum merces comportarentur, nullum Adriatico ſinu portorium dependerent, nullum ducem,nullum Comitem, aut alium quemuis Romano Pontifici obnoxium læſæ Maieſtatis reum Veneti reciperent: pacta conuenta cum iiſdem inita, ſi quid Romano Pontifici detrimenti afferrent, irrita eſſent. pecuniam, quam ex Pontificiis vrbibus acceperant, omnem rependerent, iacturam inde factam reſarcirent. His ita peractis præſcripto die Veneti legati ad Petri ædem acceſſerunt, & ad Iulij in ipſa ædis ianua Pontificio ſolio conſidentis pedes abiecti Cardinalibus cunctis,multiſque Pontificibus aſſiſtentibus commiſſorum veniam petiuerunt, & adhibitis ſolennibus,vti mos eſt, precationibus, ceremoniiſque ad ſeptem ædes ſacras, quas ſtationes vocant, vota exoluturi Chriſtianorum ſacrorum communionem receperunt, atque in Petri ædem intromiſſi ſacræ Liturgiæ interfuerunt: inde pleriſque Romanæ aulæ proceribus comitantibus domum deducti ſunt, ac paucis poſt diebus Venetias redierunt. Romæ Hieronymum Donatum hominem doctum eiuſdem legationis ſocium Venetorum legatum reliquerunt,qui ſua induſtria atque conditione Iulio acceptiſſimus, Venetæ Reip. negotia diligenter procurauit. Venetis ſibi adiunctis,belliíque quod aduerſus Gallũ accendere animo intendebat,iactis fundamentis, Maximilianũ etiam Iulius à Ludouico ſeparare nitebatur,quanquam is Venetos ad Chriſtianorum ſacrorum communionem receptos, non ſecus ac Ludouicus, moleſtè ferebat.

Ludouicus Iulium Pontificem Max. de rerũ ſuarum ſtatu & propoſito per legatos certiorẽ reddit.

Quibus conditionibus Veneti in Chriſtianorũ cõmunionem reſtituti.

Ludouicus

Ludouicus autem, quid Iulius animo agitaret, aſſequi haud poterat: vana interim ſpe, 40
quid ille moliretur, neſcius animum ipſe paſcebat, ſuſpectam Iulio ſuam Maximilianíque ſocietatem exiſtimabat. Si nihil vltra ſuſciperet, ſi nullam noui metus occaſionem Iulio præberet, quieturum illum, nec maius quippiam aggreſſurum ſperabat: at Iulius omnia moliri, quo Ludouicum Italia expelleret, omneis machinas intendere, Anglum, quaſi Romani Pontificatus propugnatorem, cuius ille non ita multis poſt annis mulierculæ illecebris captus acerrimus hoſtis fuit, & ab antiqua Chriſtianæ perſuaſionis ſinceritate defecit, ad bellum clam vocare, idem per Ferdinandum eius ſocerum tentare, vt Cæſarem Venetis reconciliaret, & à Ludouico diſiungeret, laborare, idcirco ne quod Germani principes, liberæque ciuitates indictis paulò ante Auguſtanis comitiis Cæſari ſubſidium decernerent, clam ſuadere, Venetos in fidem recipere, vt Pontificiæ ditionis clientes cuiuſuis ordinis Venetam militiam ſequerentur, hortari. Illi Ioannem Paulum Balconum Comitis Petiliani nuper vita functi vicem obiturum, copiiſque ſuis præfuturum delegerunt: Rentium Ceretanum peditibus præfecerunt, duos Vitellios, alterum Ioannis, alterum Camilli filios addiderunt. Sed, quod maioris momenti fuit, Heluetios per Matthæum Schinertum Sedunenſem Pontificem ad ſe pertraxit, qui Cardinalitij galeri adipiſcendi ambitione flagrans, & magna apud rudem, barbarámque nationem authoritate pollens crebris & in ſacris ædibus concionibus, & in conuentibus gentis eius orationibus habitis, vt Heluetij religionis ſpecie eluſi acceptis quotannis in ſingulos pagos Rhenanis mille florenis Romani Pontificatus propugnationem ſuſciperent, Iulióque poſcenti certum peditum numerum iuſto ſtipendio militaturum ſuppeditarent, perſuaſerat. Id facilius aſſequutus eſt, quod ſocietatem, cuius extremum tempus inſtabat, cum Ludouico renouare, niſi auctis penſionibus, recuſabant, idcircóque à Gallis abalienati quodam modo erant.

Matthæus Schinerus Cardinalis Sedunenſis.

Heluetiorum origo, ſitus, mores & robur.

De Heluetiis autem, etſi nonnulla libris ſuperioribus ſcripſimus, tamen de iiſdem pau- 41
ca addere non alienum erit: hi in tredecim pagos diuiſi (Cantones ipſi vocant) & inter Rhenum, Rhodanúmque ſiti montem Iuram colunt, nunc Claudij, Brigidæ, Gothardi monteis vocant: ob agri ſterilitatem non tam agricolæ quàm paſtores ab Auſtriacis principibus, quibus paruerant, defecerunt, & ſe in libertatem vindicarunt: deinde mercenariam militiam exercentes ab agro, paſcuiſque reuocati vicinis principibus, præſertim Gallis, operam ſuam locarunt, & ingentibus, robuſtiſque corporibus formidandi ante ſclopetorum vſum raro pares ſibi pedites inuenerunt; ex equo militare & vaſta corporum moles equis agitandis inepta, & armorum corporibus reſpondentium pondus vetant. Singuli pagi ſuis legibus viuunt, ſuos habent magiſtratus, omnium pagorum quotannis, aut ſæpius, vti res poſtulat, nunc hoc, nunc illo loco conuentum agunt, quo pagorum omnium legati ſimul de communi re, de fœderibus, de bello, de pace conſultant: ſiqui vicini principes, liberæue ciuitates mercenarios milites petunt, publico decreto huiuſmodi militia permittitur, qui militaturis præſit deſignatur: huic vexillum publico nomine traditur. Seuerè inter ipſos diſciplina militaris obſeruatur, præfecti ex bono & æquo imperant, milites æquis animis parent; quibus effectum eſt, & quod corporum viribus, animorúmque audacia pollent, vt fortiſſimi pedites cenſeantur: ſed immenſa, humidáque corpora, ſi quando in alienis regionibus, præſertim calidis, diutius militant, morbis in primis obnoxia ſunt, & eorum fortitudinem, veteremque famam ſclopetarij, quorum hodie magnus vſus eſt, procul in vaſta corpora, acutéque collimantes admodum obſcurant. * * * * * Hi ſe, quod in montibus habitant, ac patriam facilè tuentur, quum in plana deſcendunt, & à ſclopetariis, & ab equitatu non minus facile repelluntur, quibus tamen Galli Reges præſertim Ludouicus XI. potiſſimum vſus eſt, quod ſuos militiæ aſſueſcere ſeditionum metu nollet, & quod Heluetij diſciplinæ militaris obſeruantiores à ruſticorum etiam rapinis magis abſtinerent, tametſi & hanc rapiendi licentiam poſtremis bellis ciuilibus à noſtris didicerunt. Heluetiis vicini ſunt Valeſiani, ſiue Vallenſes: à vallibus enim, in quibus habitant, nominantur: hi in ſeptem regiones (communitates, ſiue curias illi appellant) diuiſi Sedunenſi Pontifici obnoxij erant, & Seduni olim vocabantur: maioris Valeſiæ incolæ Germanico, minoris ſiue inferioris à monte Morſo ad Mauricij pontem, quod olim Agaunum dictum putant, vbi Veragri habitarunt, hodie Sabaudico, ſiue Allobrogum ſermone vtuntur, & in ſex regiones ſiue communitates, aut vexilla, vt illi vocant, ſeparantur. Sequuntur Rheti, quos Griſones vocamus, in treis pagos ſiue Cantones ſeparati, quorum Metropolis Curia dicitur, & Pontificem habet, à Conſtantini Magni qui in Germanos bellum moturus ibi conſtitit, curia, hoc eſt, Imperatorio comitatu (ſic enim vulgo appellatur) ita dicta, vt quidam volunt: vtrique Heluetiorum fœderati cum hiſce ſæpe militant, ſed & numero, & fortitudine longè inferiores ſunt, Rheti tamen Valeſianis præferuntur.

Valeſij.

Rheti.

Curia.

Heluetij

Digitized by Google

42 Heluetij itaque recentibus bellis Neapolitanis, vbi ſtrenuam operam nauarant, clari, nimiúmque iam ſibi tribuentes, vt publicæ penſiones augerentur, poſtulabant, de priuatis interim nihil agebatur: tum ſexaginta librarum Turonicarum millia publicè in pagos omneis diuidenda accipiebant, viginti dumtaxat initio Ludouico XI. rerum potiente acceperant, vt libro quarto explicauimus; tum ad ſexaginta peruenerant: viginti præterea addi, vt ſocietas renouaretur, petebant; ac ſuperbè, & pertinaciter inſtabant. Ludouicus, qui ſumptui parcebat, ne ſuos populares graui pecuniarum indictione premere cogeretur, montanorum ruſticorum arrogantiam (ſic enim Heluetios appellabat) grauémque ſibi velut impoſitam pecuniæ indictionem auerſatus cum Valeſianis Georgio Suppreſſano procurante, Rhetiſque ſocietatem iniit, his conditionibus, vt ſuos per Valeſiam, Rhetiámque liberè tranſire permitterent, hoſteis tranſitu prohiberent, iuſtum peditum, quoad eorum regiones pati poſſent, numerum mitterent. Hac ſocietate confirmatus, & quod Heluetios non niſi Bellinzonæ anguſtiis Mediolanenſem agrum ingreſſuros exiſtimaret, vbi magnas copias pauci retinere, commeatúque prohibere, ratas fundere facilè poſſent, penſiones augere Regio magis animo, quam vtili conſilio recuſauit; tametſi multi è ſuis, item ex Heluetiis, qui eius ſectam ſequebantur, viginti librarum Turonicarum millia, quæ tum decem nummûm aureorum, quos ducatos vocant, millia æſtimatione non æquabant, haud tanti eſſe dicebant, vt Mediolanenſem principatum tantis bellis impendentibus in apertum diſcrimen adduceret. Heluetij irritati Iulium minores penſiones pollicentem religionis cauſam obtendente Sedunenſi Pontifice ſequuti ſunt: his adiunctis magnum ad exturbandum Italia Ludouicum momentum ſibi Iulius addidiſſe ratus, belli aduerſus Ferrarienſem mouendi Ludouicum clam laceſſens occaſionem quæſiuit, quod & amplis à ſe beneficiis cumulatus, & cliens Gallo nihilominus amicitiam renuntiare noluiſſet. Alphonſum itaque Ferrarienſem regulum Comaclenſes ſalinas in poſterum exercere prohibuit, quod enim Venetis Ceruiam occupantibus licuiſſet, id illi iam non licere, qui Ferrariam, ac Comaclum fundos Romanis Pontificibus obnoxios agnoſcat: è Ceruiæ ſalinis ſalem quondam in vicinas vrbeis magno quæſtu diſtribui conſueuiſſe, quem tum Comaclenſes anteuerterent, Ceruianáſque ſalinas propemodum inutiles redderent, vt cliens patroni tam inſigne vectigal antecapiat, vſurpétque, iniquum prorſus eſſe. Alphonſus Regia ſocietate, atque authoritate fretus, nec Pontificis minas admodum extimeſcens ſe fundi ſui non Romano Pontifici, ſed Germanis Imperatoribus obnoxij ſumma commoditate, ac præcipuo fructu ſpoliari querebatur: cur foris accerſat, quod domi paruo labore, impenſáque conſequatur, quódque in alienas etiam ditiones diſtribuere poſſit? ſibi ſaltem, ſuiſque liceat de ſuo viuere, nec quod domi quodammodo naſcatur, ab externis magno pretio quærere. Venetos armis, vt aſſentiretur, coegiſſe, quod ex bono & æquo agentibus aſſenſus neutiquam fuiſſet, nempe vt ſalinis ex eorum permiſſione vteretur, idcirco id in exemplum trahi à ratione eſſe prorſus alienum. Hæc Iulius Venetos in priſtinam fortunam atque authoritatem reducere meditatus moliebatur: contra Maximilianus, ac Ludouicus eoſdem totis viribus proxima æſtate aggredi parabant; & quod ab illis ſtaret Iulius indignati ſocietatem arctiorem coierant: conuenerat vt Ambaſianus cum potenti exercitu, cui ſe Germani, qui Veronam inſederant, adiungerent, in Venetas ditiones irrumperet: Cæſar ipſe cum quàm maximis poſſet copiis, atque iis auxiliis quæ à comitiis Auguſtanis expectabat, in Foroiulienſem agrum inuaderet, eóque in ſuam poteſtatem redacto, victoriæ curſum, vti ſeſe offerret occaſio, perſequi maturaret, vt Iulius ſocietatem Cameracenſi fœdere initam continuaret, & in commune bellum conferret, iidem inſtiterunt. At ille qui ſua, non tam ſuis, quam Gallorum viribus à Venetis recepiſſet, & vtrumque iam mirandum in modum timeret, ſe Cameracenſi fœdere teneri amplius negauit: quod primum vt Taruiſum reciperet, deinde, vt pretium æqua æſtimatione acciperet, in poteſtate Cæſaris fuiſſet; à Ferdinando quoque Hiſpano Cæſar ex eodem fœdere, priuatiſque pactionibus, quibus Caſtulonenſi adminiſtratione ceſſiſſet, auxilium petiit. Ille & Cæſaris, & Galli non ſecus ac Iulius vires in Italia imminutas cupiens palam quidem non negauit, re idem quod Iulius præſtitit; quadringentos cataphractos equites obtulit, indignum Rege, ac pene ridiculum ſubſidium. Cæſar non equitem, quo abundabat, ſed pecuniam in militum ſtipendium ſe petere indicarat: per eos dies Verona à præſidiariis militibus propter ſtipendij inopiam grauiter vexata ciues quidam, ac centuriones Venetos accerſierunt: illi è fano Bonifacij

egreſſi ad vrbem acceſſerunt, vt ſcalis admotis Petri arcem occuparent: porta Georgiana intromiſſi dum ſcalas ſimul iungunt (ſingulæ enim ad muri altitudinem pertingere non poterant) vel quod arcis Felicis vigiles ſtrepitu audito ſeſe commouerent, vel quod inani timore perculſi ita ipſi exiſtimarent, ſcalis relictis aufugerunt, & ad fanum Bonifacij redierunt: proditione è ſcalis iudicata, ac deinde cognita nonnulli è Veronenſibus, militibúſque capite luerunt.

Hoc ipſo tempore Iulius de reconciliatione cum Ludouico egit, quod magna ſubſidia 43
Auguſtanis comitiis Maximiliano decerni rumor percrebuiſſet, & quod Maximilianus ipſe ducenta nummûm aureorum millia à Iulio ſibi mutuo dari non ſupplex peteret, ſed imperioſus quodammodo iuberet; alioqui ſe cum Ludouico aduerſus eundem bellum acre geſturum minaretur: & inter Gallum, Anglúmque pax nuper renouata, ac ſolennibus ceremoniis proclamata erat. Itaque cum Alberto Pio Carporum principe Ludouici legato ſeriò Iulius agere cœpit, quicum frigidè antea, & in genere de rebus omnibus pertractarat: at mala mens, vbi metus diuturni malus magiſter officij diſceſſit, ad ſe ſtatim rodiit: poſtquam enim trecenta dumtaxat florenorum Rhenanorum millia Auguſtano conuentu Maximiliano decreta fama diuulgauit, quorum iam bonam partem ille prodegiſſet, hoc eſt, magnum æs alienum inde diſſoluendum contraxiſſet, inanes Cæſaris minæ agnoſcebantur. Et Anglus ne Gallus aduerſus Pontificias ditiones bellum moueret, exceperat, alioqui fœdus nullum fore aſcriptum erat, cuius exceptionis Iulium certiorem reddidit. Hinc Iulius metu ſolutus Ferrarienſem deintegro laceſſiuit, tum ob Comaclenſes ſalinas, tum quod ſimul atque Pontificiæ ditionis incolis Adriatico ſinu libera nauigatio fuit, Pado nauigantibus, ac Venetias merces, aut aliud quiduis importantibus portorium Ferrarienſis indixerat, quam indictionem ſine patroni aſſenſu clientem inſtituere poſſe Iulius negabat; præſertim quod ea Bononienſibus ſibi obnoxiis grauis in primis eſſet. Itaque, ni tolleretur, bellum denuntiabat, vtque metum maiorem Ferrarienſi incuteret, ſuas cataphractorum equitum alas in Bononienſem agrum, ac Flaminiam miſerat. Id animum Ludouici admodum percellebat: Ferrarienſem cuius propugnationem ſuſceperat, & eo nomine triginta nummûm aureorum millia receperat, pro derelicto habere nolebat: bellum aduerſus Iulium propter Anglicum fœdus gerere metuebat. Itaque vt ea de re inter ſe Iulius, Ferrarienſiſque conuenirent, ſumma ope nitebatur: ſed Iulius, vt Ferrarienſi Ludouicus propugnationem renuntiaret, æquum cenſebat, quod Cameracenſi fœdere, ne quis ex fœderatis clientum ab altero editorum propugnationem ſuſciperet, cauebatur, Ferrarienſem autem à Iulio editum fuiſſe: altero capite, ne quis ex fœderatis res ad Romanum Pontificatum pertinentes vſurparet, aut in his ius aliquod ſibi vindicaret, edicebatur: quinetiam fœdere Abbiati inter Iulium Ludouicúmque renouato idem cautum fuiſſe, diſertéque additum, ne Ludouicus Pontificiorum clientum propugnationem ſuſciperet, ſuſceptámque non ſolum hanc, ſed & cæteras quaſuis irritas profiteretur, & in poſterum nullas duceret. Reſpondebat Ludouicus vtriuſque fœderis capita quædam non vſquequaque fuiſſe obſeruata; conuentum fuiſſe, vt Mediolanenſis ditionis Pontifices Ludouicus deſignaret: primum vita functo Iulium inconſulto Ludouico ſucceſſorem creaſſe, fœdúſque ſtatim violaſſe, vt in Venetorum gratiam pleraque alia capita violarit: idem & Ludouico licuiſſe, cæterum, ne res ad arma deduceretur, conditiones proponebat, quibus & Iulio Ferrarienſis quodam modo ſatisfaceret, & Ludouici exiſtimatio ſarta tecta remaneret. Sineret Ferrarienſem Iulius ſuis poſſeſſionibus perinde, atque hactenus vſus eſt, frui: ſin innocentem ex animi libidine patrimonio ſpoliare conetur, Ludouicum fœderato iure ſuppetias ferre, neque in iuſtiſſima cauſa ſuſcipienda à fœdere Cameracenſi recedere. Adhæc Gallos Padum haud tranſmiſſuros recipiebat Ludouicus, niſi vt vel Florentinis fœderatis opem ferrent, vel Pandolfum Petrucium, ac Ioannem Paulum Baleonum vlciſcerentur; quorum alter promiſſam pecuniam non dependiſſet, alter ſacramento militari obligatus & militiam detrectaſſet, & miſſam nihilominus in ſtipendium pecuniam retinuiſſet, periurij ſimul, ac clandeſtinæ proditionis reus.

Iulij Pontificis & Ludouici Regis de re Ferrarienſi diſceptationis cauſa, quæ.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM
LIBER DVODECIMVS.

1 INTERIM dum Iulius Ludouicúſque de re Ferrarienſi inter ſe per legatos diſputant, Ambaſianus, quem Palicianus, Triuultiúſque comitabantur, cum mille quingentis cataphractis equitibus, decem peditum ex diuerſis nationibus conſcriptorum millibus, inter quos nonnulli Heluetij clam aſciti non publico gentis edicto miſſi numerabantur, cum tribus item foſſorum millibus magnam tormentorum copiam, ponteíſque traiiciendis fluminibus accommodatos trahens Rodiginam peninſulam à Venetis derelictam ceperat: cui ſeſe cum ducentis grauis, quingentis leuis armaturæ equitibus, duobus peditum millibus Ferrarienſis adiunxerat: ceperat & Marchionicam turrim Atheſi fluuio imminentem, Coloniam, Montanianum, Ateſte, quorum alterum Ferrarienſi Maximilianus oppignerarat alterum in clientelam dederat. Princeps Hanauenſis Maximiliani legatus cum trecentis cataphractis Gallis equitibus, ducentis quoque cataphractis Germanis, tribus Germanorum peditum millibus Verona egreſſus diei vnius itinere interiecto Ambaſianum ſequebatur: hi relicto à tergo Monſilice, tametſi Veneto præſidio tenebatur, in Vicentinum agrum irruperunt. Leonicum, ac totus ager ſeſe ſtatim dedidit, quod Venetus exercitus, in quo ſexcenti grauis armaturæ equites, leuis pariter, & Epirotarum quatuor millia, peditum octo fuiſſe traduntur, quibus Ioannes Paulus Baleonus, atque Andreas Grittus patricius Venetus præerant, Suauio mouens, & ſemper vti hoſtes ſequebantur, retro iter flectens, ac tutioribus locis caſtra metatus Tauriſo, Meſtréque iuſto præſidio munitis ſeſe tandem Brentellas tertio à Patauio milliari receperat; is locus foſſis, quas tres fluuij Bachilio, Brentellus, Medoacus implent, vndique cingitur. Vicentini, quod Venetus exercitus diſceſſiſſet, & ſe ſuis viribus tueri non poſſent, prædæ expoſiti legatos ad Ambaſianum, in cuius humanitate ſpem omnem collocabant, Hanauenſémque miſerunt. Hi cum ad Barbaranum vicum in collibus ſitum decimo à Vicentia milliari caſtra habebant; quod Venetis paulò ante intromiſſis Germanos expuliſſent, excuſarunt, & culpam in Fracaſſium, ſiue Fracaſſam contulerunt: ſed excuſationẽ Hanauenſis haud admittens eam calumniam Fracaſſio falsò impingi prædicabat, qua de Fracaſſius multis ſe argumentis purgarit: rebelles, qui ſua malignitate à ſuo principe, Venetum exercitum acceſſiuerint, eundem Veronam prope immiſerint, qua, ſi victoriam perſequi maturaſſet, facilè potitus fuiſſet, iure mulctari, atque aliis exemplo eſſe debere: deditionem ſe haud accepturum, niſi illi ſeſe penitus victoris arbitrio permiſerint. Reſponſi huius atrocitate attonitos ſolatus Ambaſianus, vt conditionem acciperent, hortatus eſt: Cæſaris, Hanauenſiſque clementia illis ne deſit ſe operam daturum. Illi neceſſitate coacti viri prudentis monitis paruerunt: tum Ambaſianus Vicentinorum cauſam agens Hanauenſem, ne pœna delictum excederet, immo vero, vt longè eſſet leuior, orauit; non tam quid Vicentinorum peccatum mereretur, quàm quid clementiam Cæſaris deceret, conſideraret: clementiam principibus ſemper beneuolentiam, atque exiſtimationem auxiſſe, crudelitatem contra odium inexpiabile, ac tyrannidis omnibus odioſæ titulos, famámque peperiſſe. ne exemplum proponeret, quo cæteros, qui in eundem errorem, delictúmue incidiſſent, aut mox incidere poſſent, ad extremam deſperationem cogeret.

Anno 1510.

Vicentini à Hanauẽſi Cæſaris legato oppreſſi Ambaſiani opem implorant.

2 Hac oratione, ac multorum aliorum precibus, Vicentinorúmque complorationibus

Digitized by Google

vtcumque mitigatus Hanauenſis Vicentinorũ corpora libera eſſe iuſſit, neque vlli iniuriæ obnoxia, bona omnia prædæ addixit: verum ea haud magna fuit, vrbs enim propter continua præſidia, dominorúmque mutationem, ac totius agri vaſtationem, & diuitiis & incolis exhauſta, quod victor raperet, reliquum haud multum habebat. Raram in vrbe prædam offendentes Germani lapicidinas in Vicentinis montibus Patauium verſus ſitas (Cryptam Maſanicam vulgò appellant) in quas agreſtes cum vxoribus & liberis ad ſex millia ſe condiderant (hæ autem ad tria paſſuum millia ſub terra patere dicuntur, & vnum ſingulæ, duæ enim ſunt paululum ſeparatæ, ídque anguſtum os habent, obſcuræ paſſim, ac viis innumerabilibus, aquáque nonnunquam diſtinctæ) perueſtigare tentarunt: idque facilius perficere ſperarunt, quod ea gens apud ſuos in metallis fodiendis huiuſmodi ſpecus ingredi, ibique operam impendere conſueuit. Vbi maiorem ſpecum nequicquam aggreſſi intro penetrare nonnullis amiſſis prohibiti ſunt, ad minorem ſe contulerunt: vnde pariter repulſi excitatis ignibus circiter mille, aut paulò plures fumo ſuffocarunt: hanc crudelitatem falsò Gallis Bembus tribuit. Vicentia capta in cæteris vrbibus ſubigendis maior difficultas, quam quis initio exiſtimaſſet, apparebat: tantum enim aberat, vt Maximilianus aduerſus Venetos potentem exercitum, vti promiſerat, duceret, vt Germani, qui iam in Italia erant, ſtipendij penuria quotidie dilaberentur, Ambaſianúſque ad conſeruandam Vicentiam conſiſtere cogeretur, nec aliud quicquam aggredi auderet: & tamen de Lemniaco oppugnando conſilium iniit, quo non recepto cæteræ iam captæ vrbes in hoſtium poteſtatem facilè redirent. Lemniacum, portúmque (ſic ea vrbis pars, quæ minor Montanianum reſpicit, appellatur) Atheſis diuidit; ab ea ripa, qua fluuius portum lambit, vnum; ab altera, quæ maiorem vrbis partem alluit, duos canales Veneti aliquot ante menſibus duxerant, aut, vt breuius dicam, fluuium ipſum in quatuor parteis diduxerant, vt in foſſas vrbis lapſus, atque inde in loca humiliora agrum contiguum aquis operiret, & niſi quibuſdam aggeribus, imperuium redderet: vnde ager ipſe priſtina mutata, paludis formam induerat, & vrbem quaſi inexpugnabilem vndique ambire videbatur. Sed Veneti præſidij temeritas expugnatu perfacilem reddidit: Gallico enim exercitu ad Mineruium tertio à Lemniaco milliari appulſo Ambaſianus aliquot equitum alas, peditúmque cohortes, qui vrbis ſitum propius inſpicerent, locúmque caſtris deligerent, præmiſit. Hi quum ad vltimum canalem perueniſſent, víxque dimidia milliaris parte à Lemniaco abeſſent, præſidiarios portus milites, qui venienteis tranſitu prohiberent, obuios habuerunt: ſed Vaſcones, Hiſpaníque fluuium aqua ad humeros vſque pertingente magna alacritate traiicientes, maioréque impetu hoſteis aggreſſi eoſdem in fugam verterunt, & fugientibus mixti equitatu etiam pedites anteuertente portum ingreſſi ſunt. Venetorum militum bona pars in conflictu cæſa: alij dum in alteram vrbis partem traiicere conantur, vndis demerſi, pauci aut tectis abditi, aut aliò diffugientes euaſerunt.

Vicentini plurimi fumo qua ratione à Germanis ſuffocati,

Lemniaci per Ambaſianum oppugnatio.

Hoc proſpero ſucceſſu lætus Ambaſianus non Mineruij, vt propoſuerat, ſubſtitit, ſed 3
ad portum vſque illo ipſo die proceſſit: canalem autem à foſſoribus obſtruendum curauit, & quod Lemniacum, qua portum reſpicit, inexpugnabile propter fluuij latitudinem (quanquam ibi propter erectos aggeres anguſtior eſt) impetúmque exiſtimaret, Molardum cum quatuor Vaſconum millibus, ac ſex tormentis Atheſim traiicere iuſſit, ipſe ad ripam aduerſam caſtra metatus eſt, in primis propugnaculum in ſumma vrbis parte ad Atheſim extructum vterque vtrimque tormentis acriter verberauit, cuius bona parte deiecta, quamuis aggerem retro milites, oppidaníque magna diligentia erigerent, magiſtratus Venetus metu non neceſſario perculſus cum nonnullis patriciis ſe clam nocte conſequente in arcem recepit. Hoc intellecto qui præſidiariis militibus præerat, & propugnaculum hactenus fortiter defenderat, ſuis vitam, arma, ſupellectilem pactus deditionem fecit, vrbs militi in prædam conceſſa eſt: poſtridie arx tormentis concuſſa, defenſacula perrupta, proſtratáque, ac dum turricula à fundamentis, aut paulò infra perfoditur, vt puluere tormentario, ignique adhibito euerteretur, deditio ea conditione facta eſt, vt patricij Veneti in poteſtatem Ambaſiani venirent, milites bacillo pro enſe accepto ſine armis abirent. Hic (vt nullum fere ſolidum gaudium mortalibus fortuna largitur) de Cardinalis patrui morte Ambaſianus certior factus eſt, cuius ſingulari apud Ludouicum Regem authoritate ad ſummos magiſtratus, diuitiáſque peruenerat; Cardinalis autem trecẽta nummûm aureorũ millia teſtamento legaſſe fertur, quæ Iulius, quaſi legari iure nõ poſſent, ſibi tradi poſtulauit; ſed poſtulatum Ludouicus facile reiecit, & Pontificias leges de priuatorũ bonis latas extra Pontificis ditiones nullas eſſe pronuntiauit. Quod autem Germani, qui præſidio vrbi eſſent, non ſatis multos milites haberent, centum cataphractos equites Gallico numero

co numero

co numero inſtructos, mille pedites ibidem reliquit,ac paulò poſt Mediolanum rediturus
Rhetos,Valeſianóſque dimiſit:quod enim Cæſar ad præſcriptum tempus promiſſas copias
non miſiſſet,nihil dignũ habitis deliberationibus edere ſe poſſe intelligebat;tamen inſtan-
te Maximiliano, qui nuper Æinipontem acceſſerat, & ſuo more multa moliens,nihil exe-
quuturus ſe fruſtra torquebat, vt totú adhuc Iuniũ Ambaſianus in armis eſſet, Ludouicus
mãdauit, Maximilianus enim ſe ſtatim in Italiam cum exercitu tranſiturum promittebat.

4 Interea Germani Maroſticam, Citadellam oppidum à Patauinis anno decimi tertij ſæ-
culi quarto conditum,Baſſianum, atque alia quædam finitima oppida, vt commodiorem
Cæſari in Italiã deſcendenti aditum patefacerent,in ſuam poteſtatẽ redigere conabantur:
vnde ad Lungare Bachilioni flumini adiacens oppidũ Ambaſianus caſtra metatus eſt , ne
Venetæ copiæ vel Vicentiam,vbi rarum præſidium erat, interciperent, vel ſeſe Germanis
opponerent.Sed eaſdem ſe Patauium recepiſſe intelligentes Germani ſe rurſum Ambaſia-
no iunxerunt,ac ſimul iuncti Turricellas petierunt,inde Patauiũ ad dexteram relinquen-
tes non ſine magna commeatus penuria, quem leuioris armaturæ equites Patauio, Præſi-
diariique milites Monſilice egreſſi intercipiebant, vel ne caperetur prohibebant,Citadel-
Citadella Germanis dedita.
lam profecti ſunt : ea ſe ſine vlla mora dedidit,cuius exemplum Maroſtica,Baſſianum, fi-
nitimáque oppida ſequuta ſunt. Vnde Ambaſianus Germaníque Turricellas redierunt,&
Patauium iterum ad dextram relinquentes non longè à montibus decimo à Vicentia mil-
liari ad Medoacum caſtra metati ſunt : quod Germani Scala , qua ſuis in Italiam deſcen-
dentibus perfacilis tranſitus erat,potiri ſummopere cupiebant : id oppidum dũtaxat Tau-
riſum inter Vicentiámque in Venetorum poteſtate erat. Igitur Hanauenſis cum Germa-
nis,& centum cataphractis Gallis equitibus Scalam verſus viginti quinque milliaribus in-
de diſtantem proceſſit : ſed montani Venetis addicti occupatis montium itineribus ve-
nientem tranſitu prohibuerunt , quapropter alia via multos pedites eodem miſit ; ipſe ad
Ambaſianum iiſdem, vbi reliquerat , caſtris rei euentum expectantem rediit : pedites via,
quæ Baſſianum ducit,relicta,ne in Couoli anguſtias inciderent,agrum Feltrienſem ingreſ-
ſi ſunt, Feltriáque direpta , atque incenſa caſtellum Nouum in Alpibus paucis defenden-
tibus captum,atque direptum incenderunt:Ciuidale Belunianum ſponte,ne incenderetur
deditum prædæ habuerunt;Scala pariter,ac Couolo præſidio deſtitutis potiti ſunt.Couo-
Couolus mõs ita directus eſt vt ſede lignea funiculo alligata quidquid eò importatur, trahi debeat
lum autem mons ſaxeus eſt tertio à Scala milliari ita directus,vt ſede lignea funiculo alli-
gata homines,& quicquid eo importatur,illuc trahantur,atque demittantur;in eodem arx
eſt,& perennis aquæ ſpecus;inter arcem & flumen anguſta adeo vallis intercedit(quæ ſola
illac ingredientibus via eſt) vt pertranſeuntes ſaxis obruere præſidiariis perfacile ſit. Hoc
ipſo tempore Foroiulienſis ager miſerè vexabatur Venetis,Germanis, regionis ipſius viris
nobilibus viciſſim prædas agentibus , oppidáque ac pagos direptos incendiis vaſtantibus:
ſed hæc,quia nihil memoria dignum geſtum eſt,ſilẽtio prætereunda cenſeo. Iam ad finem
Iunius vergebat,iam ſe Galli ad reditum comparabant,quum nouæ inter Maximilianum,
Ludouicúmque pactiones initæ fuerunt;nempe vt totum adhuc Iulium Galli in armis eſ-
ſent, extraordinarias impenſas, quas hactenus Ludouicus tolerauerat , Maximilianus fa-
ceret,peditum ſtipendium numeraret;& quia pecunia in numerato non erat,eidem quin-
quaginta nummûm aureorum millia Ludouicus mutuo daret , quæ niſi intra vertentem
annum vnà cum totidem,quæ iam mutuo dederat, millibus Maximilianus redderet, Ve-
ronam,Veronenſémque agrum donec credita pecunia repræſentaretur,Ludouicus poſſi-
deret. Hinc Ambaſianus ad oppugnandum Monſilice tum animum adiecit , quum qua-
dringenti Hiſpani equites,quos Maximiliano Ferdinandus promiſerat,lente ſuo more in-
greſſi ſe Gallis,Germaniſque iunxerunt. Medoaco itaque,ac Bachilione quinto à Patauio
milliari traiectis, iter,quoad fieri poterat,accelerare cœpit : ſiquidẽ Patauini, ac Monſilicis
præſidiarij equites milites Gallos commeatu , pabulo iumenta prohibebant , & crebris
excurſionibus incedentem exercitum laceſſebant,qui & Soncinum Benzonium Cremen-
ſem Gallicum ſtipendium ſequutum ceperunt;quem,quod Cremenſis defectionis author
fuiſſet, Andreas Grittus in crucem agi iuſſit. Mons ſilicis (ſi duabus dictionibus ſeparatis
Monſilicis ſiue montis Silicis ſitus.
enuntiare ſatius eſt) in planitie ſitus eſt , inde montis inſtar rupes in magnam altitudinem
exurgit , vnde & loco nomen inditum, in rupis apice arx extructa eſt, cætera rupes tripli-
ci muro certis interuallis interſtincto cingitur ; infimus tam latè patet,vt ad iuſtam oppu-
gnationem tolerandam peditum bis mille præſidium deſideret. Veneti oppido ceſſerunt,
quo potiti Galli tormenta ad murum proximum protulerunt , cuius bona parte proſtra-
ta variis ex locis ordinibus non ſeruatis in hoſtes per murorum ruinas inſilire cœpe-
runt. Septingenti erant præſidiarij milites , qui leuiter primum reſiſtentes , mox intra

Digitized by Google

ſecundùm murum ſe recipere conati ſunt: verùm tantus fuit Gallorum Paliciano præeunte, cuius virtus in ea impreſſione plurimum enituit, Hiſpanorúmque impetus, vt fugientibus mixti in ſecundum, tertiúmque irruperint, bonámque hoſtium partem ceciderint; qui in arcem euaſerant, deditione oblata repulſi ignauiæ grauiores, quam fortitudinis, ſi alacriter dimicaſſent, pœnas dederunt. Germani ſuo more ſanguinarij non ſolum in hoſteis, ſed etiam in tecta ſæuientes oppidum ſuccenderunt.

Nihil præterea memorabile hic exercitus geſſit, niſi quod quadringenti cataphracti 5
Galli equites ad Patauij portas vſque procurſarunt, & quod tuendam Ferrariam, a qua Pontificiæ copiæ non longè aberant, Ambaſianus Caſtilionem cum ducentis quinquaginta cataphractis equitibus miſit. Germani vt Tauriſum, quemadmodum conſtitutum erat, oppugnaretur, inſtabant, alioqui tot oppida nequicquam capta in Venetorum poteſtatem reditura (nam de Patauio potiendo iam deſperauerant) Cæſarem cum promiſſis copiis non aſſuiſſe Ambaſianus opponebat, ex ſuis multos diffluxiſſe, Tauriſum numeroſo præſidio, gnauáque Venetorum opera munitum eſſe, agrum vaſtatum, neque alendo militi ſatis idoneum; ex remotis locis ne quæratur commeatus Venetorum Epirotas, cæterámque leuem armaturam, quæ diligentia & multitudine pollens pabulatores vbique obſeruet, prohibituram, præſertim quod incolæ Venetis addictiſſimi quicquid in caſtris Gallicis fiebat, hoſtibus ſtatim renuntiarent. Interim à Ludouico mandatum Ambaſianus accepit quo præter præſidium Lemniaci relictum quadringentis cataphractis equitibus ac mille quingentis Hiſpanis peditibus cum Germanis relictis, quibus Franciſcum Alegrium Perſium præfecit, ipſe Mediolanum redire iubebatur: Iulius enim Pontifex omneis machinas adhibebat, quibus Gallos tota Italia pelleret: vetere namque ſuſpicione, quam de Ambaſiano Cardinale conceperat, in odium implacabile conuerſa incredibili pertinacia Gallicum nomen inſectabatur. Hinc Venetis contra fœdus Cameracenſe Chriſtianorum ſacrorum communionem reddiderat, hinc cum Heluetiis clandeſtinam ſocietatem coierat ſuarum ditionum tuendarum ſimulatione alienarum inuadendarum occaſionem aucupatus: hinc Ferrarienſem agrum, quod regulum à Gallorum ſocietate diuellere non poſſet, ſalinarij vectigalis ſpecie occupare moliebatur. Germani Ambaſiano profecto nihil magnum aggredi auſi, neque vllum operæpretium ſe facturos ſperantes Leonicum abierant, ibi, quid Maximilianus imperaret, expectaturi. At Iulius, vt magis animi ſenſa tegeret, & Ludouicum Regem imparatum opprimeret, ſemper cum Alberto Pio Regio legato de reconciliatione agebat: Ludouicus, qui maiores ſuos Romani Pontificatus propugnatores meminiſſet, eoſdémque imitari in animū induxiſſet, & Iulium mortuo æmulo Cardinale Ambaſiano ſibi haud amplius infenſum ſolo Comaclenſium ſalinarum nomine ſubiratum exiſtimaret, multa de ſuo iure cedere, & nouū fœdus inire paratus erat: Iulio aduerſus Ferrarienſem ſalinarij dūtaxat vectigalis nomine ius ſuum perſequi ex Cameracenſi fœdere permittebat: neque id ſuſceptæ à ſe propugnationi repugnare interpretabatur. Sed quo faciliorem ſe Ludouicus ad eius poſtulata admittenda præbebat, eo ſe Iulius alieniorem præſtabat, nec ipſa æmuli Ambaſiani morte placatus poſtremò itaque, vt Ferrarienſi penitus propugnationem renuntiaret, à Ludouico poſtulauit.

Ludouicus Ferrarienſem propugnationem dimittere indignum ducit.

Id quum Ludouicus à ſua exiſtimatione alienum eſſe reſpōdiſſet, ſubiecit Iulius ſe cum 6
illo igitur nullo modo conuenturū, & Romani Pontificatus ius perſequuturum. Ferrariēſi ſuadebāt nonnulli, vt omnis ea controuerſia dirimeretur, ne ſalinis Comaclēſibus ad certum tempus vteretur, quum melior ſeſe daret occaſio tū rurſus eiſdem vſurus. Ille Comaclum in Germanici Imperij fide eſſe reſpondit, cui aliquod veluti præiudicium facere à ſua fide ſit prorſus alienum. Albertum Pium Ludouici legatum non ſincere ſua legatione functum quidam non ſine magna cōiectura arguunt, qui priuato odio Iulium ad ſpoliandum Ferrarienſi principatu Alphonſum Ateſtinum incitarit: cuius pater Hercules paucis ante annis dimidiam Carporum Comitatus partem Saxoli, ac quorundam aliorum fundorum permutatione à Gilberto Pio obtinuerat. Verebatur Albertus ne altera parte, quæ ad ſe hæreditario iure peruenerat, Alphonſo viribus ſuperiori, quæ potentū principum ambitio eſt, cedere cogeretur. Videāt magni principes, liberæq; ciuitates, ne temere exterarū nationum legatis vtātur, néue exteris apud exteros præſertim ſuæ nationis maius aliquod munus impertiant, quorū priuatæ amicitiæ, inimiciæue inſigne aliquod detrimentū ſæpius ſuis rebus importent: Iulij enim ab Alberto Pio inflammati ſuſceptum aduerſus Ferrarienſem bellum, & deinceps aduerſus Ludouicum tranſlatum amittendi principatus Mediolanenſis princeps cauſa fuiſſe, & ſpem omnē recuperandi regni Neapolitani penitus abſtuliſſe proditur. Sic paulò ante Ioannes Iacobus Triuultius Mediolanenſibus ab eodem Ludouico

Exterarum nationū legatis rarò vtendum.

prætor

prætor impoſitus ſuis Guelfis nimis addictus, aduerſariis Gibellinis nimis acer inimicus Mediolanenſibus rebellandi, Sfortias veteres dominos reuocandi, atque eiuſdem principatus amittendi occaſionem dedit. In Pontificatus Romani archiuis Iulius diploma reperiſſe iactabat, quo Ateſtini Comaclum in clientelam à Romanis Pontificibus ſe obtinere profeſſi erant: hinc ſe dirarum deuotionibus aduersùs Ferrarienſem rebellem vſurum, armiſque ius ſuum perſequuturum minabatur. Sed longè maiora interim moliebatur: Venetos, Heluetios, Ferdinandum Hiſpanum ſecum aduersùs Ludouicum ſocietatem inituros ſibi pollicebatur, & de Anglo in eandem ſocietatem inducendo non deſperabat: prodigi Maximiliani vires pro nihilo ducebat. Ludouicum religione quadam adductum nullo modo vt aduersùs Romanum Pontificatum arma ferret, perſuaderi poſſe intelligebat, vnde multò audacior in bellum incumbebat: quod ſi cœptum bellum non ſatis proſperè ſucceſſiſſet, ſe eidem facilè reconciliatum iri ſperabat. Itaque inſolentius querelas aduersùs Ludouicum Regem, ac Ferrarienſem regulum, minaſque renouabat, & feſto Petri die, quo Romano Pontifici fundorum vectigalia de more penduntur, Ferrarienſis vectigal accipere recuſauit, quod Alexandro Pontifici antiquum imminuere non licuiſſe aiebat: qui nihilominus Lucretiam Alphonſo collocans Ferrarienſe vectigal ex quatuor nummûm aureorum millibus ad centum redegiſſet; atque illo ipſo die, quum Cardinalem Oſcitanum Roma cum canibus & retibus egreſſum venatum ire intellexiſſet, cui ſimul, ac cæteris Gallis Cardinalibus, vt in Galliam redirent, permittere noluiſſet, clam abire ſuſpicatus hominem prehendi, & in molem Adriani concludi imperauit. *Cardinalis Oſcitanus in Adriani molem concluſus.* Hinc bello veluti Gallis indicto Ferdinandum Hiſpanum regni Neapolitani nomine vectigali, quod nuper Arragonij Reges ſoluebant, duntaxat impoſito equo albo donatus in fidem recepit, quem paulò ante, niſi adiecta de quadraginta nummûm aureorum millibus quotannis dependendis conditione, vti Galli Neapolis Reges dependere olim ſolebant, admittere recuſarat.

7 Huc Iulium non tam vetus inuitauit cautio, qua Neapolitani Reges trecentos cataphractos equites pro tuendis Romani Pontificatus ditionibus quoties ita res poſtulat, ſuppeditare tenebantur, quam Ferdinandi ſibi adiungendi cupiditas perpulit, quem ſuapte ambitione pronum ad commune aduersùs Ludouicum bellum ſuſcipiendum impelleret. Ludouici enim aucta in Italia potentia Ferdinando ſemper regno Neapolitano metuenti ſuſpecta erat: præſertim quod Veronam Germanico Imperio obnoxiam mutuæ pecuniæ ſpecie Maximiliano ſubtrahere, & modis omnibus in ſuam poteſtatem redigere tentaret: hinc Venetos Cæſari reconciliare mirandum in modum cupiebat, ídque ſedulò, ſed clam, & mira diſſimulatione curabat. Ludouicum horum non ignarum, quum claſſis Hiſpanica è Sicilia ad inuadendam maiorem Syrtim vela feciſſet, non leuis ſuſpicio perculit, occultiſſima erant Iulij conſilia; is vt eodem tempore Genua terra, marique oppugnaretur, duodecim Heluetiorum millia Mediolanenſem principatum, Pontificius exercitus Ferrarienſem, Venetus poſſeſſas à Cæſare ciuitates adoriretur, procurabat: omnes tandem ſimul in agro Mediolanenſi, vbi maioribus viribus certaretur, coïrent, de cæteris facilem, & quaſi certam ſibi ſpondebat victoriam. Igitur Genuam primum, & Ferrarienſem ditionem tentandam putauit: illuc vndecim Venetæ triremes Grillo Contareno præfecto, atque Pontificiæ curſum tenuerunt, quæ Octauianum Fregoſium, cuius pater, ac patruus Genuæ duces fuerant, Hieronymum Auriam, & pleroſque Genuenſes exules vehebant: at terra Marcus Antonius Columna à Florentinis ad Iulium tranſiens cum centum cataphractis equitibus, ſeptingentis peditibus tendebat. Is in Lucenſi agro militum cogendorum ſpecie aliquot dies quaſi Bononiam inde profecturus ſubſtiterat, Ambaſianóque in ſuſpicionem venerat; ſed quod de claſſe nihil adhuc acceperat Ambaſianus, idcirco paucos duntaxat pedites Genuam miſit: Iulius enim diſſimulans Columnam, atque Heluetios Ferrariam potituros ſparſo paſſim rumore diuulgarat. Columna quamquam nec Serezanam, nec Spetiam intromiſſus (vt ſibi perſuaſerat Iulius) ad vallem, quam Feritor amnis interfluit (Biſamnem vulgo appellant) vix milliari à Genua diſtantem acceſſit. Hoc ipſo tempore Veneta claſſis Sigeſtro, quam Sigeſtam Tiguliorum eſſe putant, Chiauera, Rapallóque captis ad Entellæ fluuij oſtium non longè à Genuenſi portu appulit: ſed paulò ante Ioannis Ludouici Fliſci filius cum octingentis peditibus ex Genuenſi agro tumultuariè collectis, ac Cardinalis Finalenſis nepos cum totidem, aut paulò pluribus vrbem ingreſſi, tum vero Preianes Gallicæ claſſis præfectus in portum cum ſex triremibus admiſſus, ne tumultus vllus ſuboriretur, impedimento fuerunt. Pontificij, ac Genuenſes exules hoſtium copias confluentibus in dies & ex Liguſtico, & ex Mediola

diolanenſi agro militibus augeri animaduertentes Rapallum Delphini portu nequicquam oppugnato redierunt. Columna terra reditum perdifficilem futurum ratus, cum ſexaginta ſelectis equitibus naueis conſcendit, cæteri cum peditibus eodem, quo acceſſerant itinere redeuntes aut Liguribus, aut Lucenſibus, aut Florentinis prædæ fuerunt. Grillum Contarenum, atque Octauianum Fregoſium timiditatis, ignauiæque accuſarunt, quod viribus longè ſuperiores Preianem, antequam Genuenſem portum ingrederetur, aggredi haud auſi ſint. Is deinde cum ſeptem triremibus, & quatuor magnis nauibus eodem è portu egreſſus Venetam claſſem ad Iluam vſque inſulam, inde ad montem Argenteum perſequutus Genuam rediit: claſſis Veneta Centumcellas petiit.

Interea Vrbinas Pontificij dux exercitus aduerſùs Ferrarienſem mouens Centium, Pieuámque parua quondam Bononienſis Pontificatus oppida, quæ certa compenſatione redempta Alexander VI. Pontifex Maximus Lucretiæ Alphonſo nupturæ doti dixerat, ſola militaris tubicinis hoſtilem exercitum appropinquantem denuntiantis ſignificatione cepit; neque enim illuc Alphonſus præſidium miſerat. Inde porrò progreſſus Bagnacauallum, Lugiúmque, & quicquid vltra Padum Ferrarienſis poſſidebat, in ſuam poteſtatem redegit: Lugianam arcem circumſedit, ſed de aduentu Ferrarienſis cum Gallis equitibus, & ſuis opem ferre obſeſſis properantis admonitus obſidionem relictis tribus tormentis bellicis non ſine tumultu, & trepidatione ſoluit, cuius diſceſſu Ferrarienſis ſua omnia recuperauit. Exercitum auxit Iulius, & quæ amiſerat, non ſolùm recepit, ſed & Lugianam arcem, Mutinámque, in qua nullum præſidium inerat, deditione cepit, Gerardo ac Franciſco Mariis Ranconis patriam Ticinenſi Cardinali Pontificij exercitus legato prodentibus, aut certè ſuos ciues, apud quos plurimum authoritate pollebant, ad deditionem vel ambitione, vel rerum nouarum ſtudio inducentibus, qui Ticinenſem Cardinalem ad caſtrum Francum caſtrametatum acceſſierunt. Ludouici cum Heluetiis fœdus aliquot ante menſibus finitum erat, nec adduci potuit Ludouicus, vt illis penſiones augeret, fere omnibus, qui illi à conſilio erant, aliter ſuadentibus, quàm fortem, quámque vicinum Mediolanenſi agro hoſtem vltro ſibi aſciſceret, exponentibus: coniuraſſe aduersùs Gallos Iulium Pontificem, ac Venetos, quos cæteri fere Italiæ principes, liberæque ciuitates ſequantur: illis ſtrenuum peditatum deeſſe, pecuniam ſupereſſe. Heluetiis ſecum conſociatis iſthac parte longè ſuperiores futuros, Ferdinandum Hiſpanum cum iiſdem clam ſocietatem coiiſſe; incertum ſemper fuiſſe Maximiliani animum, & à Gallicis rebus alienum, neceſſitate victum ad tempus diſſimulaſſe, non magno momento ad hoſteis tranſiturum; quem præſertim Imperij Germanici principes Electores (vti vocantur) Iulio Pontifici, Venetiſque reconciliare conentur: Heluetico peditatu Gallis cataphractis equitibus adiuncto cæteras Chriſtianas nationes minimè pertimeſcendas. Pertinax animus propoſiti nimium tenax bene monentibus cedere noluit: quantum illi profuiſſet Cardinalis Ambaſianus, ſi tantis patriæ bellis ſuperſtes fuiſſet, cuius ſententiam ſuæ Ludouicus præferre, in eam pedibus ire, vix vnquam contradicere conſueſſet: cæteri non eadem authoritate pollebant, & ſe inuicem reſpectantes, ac ſibi quaſi mutuo cedentes, Regiam contumaciam à ſuſcepta ratione dimouere quidem volebant, tentare non audebant. Heluetij autem ſibi plus æquo tribuentes, & poſtulata ſua non admiſſa pernicioſe ferentes, tum Iulij promiſſis illecti Sedunenſi Pontifice inſtigante conuentu totius gentis Lucernam indicto ſe Ludouici hoſteis declararunt, tametſi à Iulio minus, quam à Ludouico ſtipendium accepturi. Cauſam religionis obtendebant, cuius propugnatores videri volebant, & rem Mediolanenſem ſe plurimum perturbaturos propter viciniam confidebant, Regémque tandem coactum opulentiores, quam poſtulaſſent, conditiones oblaturum.

Ludouicus pēſiones Heluetiis augere renuit.

Heluetij Ludouici hoſteis ſe declarant.

Horum certior factus Ambaſianus Mediolanenſis prætor itinerum anguſtias, quæ ex Alpibus Comum perducunt, firmis præſidiis obſederat, omnis generis nauigia è Lario lacu eduxerat, molendinis ferramenta detraxerat, omnem commeatum in loca munita comportarat: incertus tamen an Heluetij in agrum Mediolanenſem deſcenderent, an Bernardi monte ſuperato eàm Galliæ Tranſalpinæ partem, quæ vulgo Pedemontium dicitur, Auguſtana valle adirent, indéque Sauonam, vt Genuam circumſederent, aut Apenninum conſcendentes Ferrariam contenderent, Allobrogem regulum, vt eoſdem tranſitu prohiberet, aut certè prohiberi fineret, induxit; idcircóque quingentos cataphractos equites Hipporhediam miſit. Nec minùs interim præcipuos Heluetiorum centuriones, ciuitatúmque magiſtratus muneribus, ac promiſſis, vt tribules ſuos ab ea expeditione dimouerent, corrumpere tentabat: fruſtra id quidem, tanta enim indignatione vel priuata

auaritia

Digitized by Google

auaritia incenſum, vel Sedunenſis Pontificis concionibus inflammatum vulgus exarſerat, vt retineri nullo modo poſſet, quin potius alienam litem (vt dicitur) ſuam faceret quamquam ſtipendium vix Iulius numerare poterat, quod Fungeri Germani fœneratores, qui dependendum ſuſceperant, metu Cæſaris id præſtare non auderent. Septembris initio ſex Heluetiorum millia accepto Iulij ſtipendio inter quos quadringenti equites partim lanceis, partim ſclopetis armati bis mille quingenti ſclopetarij pedites, quinquaginta maioribus ſclopetis, quæ furcis, ſiue aliis id genus pediculis imponunt, cæteri haſtis, halebardiſque muniti ſine tormentis, ſine nauigiis, ſine pontibus Bellinzonam verſus, quam Breunozonam quaſi Breunorum ſectionem, ſiue limitem quidam appellare malunt, & Breunzonam vulgus nominat, inceſſerunt; ac Triſſiæ fluuij Lucanum lacum (Luganum alij vocant, cuius nulla apud veteres mentio eſt, idcirco vtrumque lacum Verbani nomine complexos exiſtimant) in Verbanum paruo admodum interpoſito interuallo exonerantis ponte occupato, vnde ſexcenti Galli præſidio impoſiti ſeſe ſubduxerant, ad Variſium, quod à quinque vallibus ibi deſinentibus nonnulli Valexium, ſiue Valltexitum appellare malunt, Sedunenſem Pontificem cum nouis delectibus ſubſequentem expectantes, vt ſparſo rumore diuulgabant, ſubſtiterunt. Id Ambaſianum in primis perturbauit, qui bonam equitatus partem Brixiam, Lemniacum, Valegium, Piſcheriam, trecentos cataphractos equites, aut ſaltem ducentos quinquaginta (vt ſupra ſcripſimus) Ferrariam præſidio miſerat: tamen cum quingentis cataphractis equitibus, quatuor peditum millibus ad Caſtilioneam planitiem, quam Orona fluuius alluit, altero à Vareſio milliari ſeſe oppoſiturus acceſſit: Ioannem Iacobum Triuultium non multis comitatum, ſed qui militum numerum ex montanis incolis impleret, ad monteis Brianteos, ſiue Briganteos, vt alij ſcribunt, miſit, vt obſeſſis viarum anguſtiis Heluetios tranſitu prohiberet. Heluetij Vareſium appulſi ſe Romano Pontifici militare, proficiſcendi veniam petere, Ambaſiano ſtatim per tubicinem ſignificarunt, nec impetrarunt: ibi quatuor eiuſdem nationis millia ſex ſuperioribus acceſſerunt.

Eorum exercitus.

10 Dubitabat Ambaſianus an Heluetij, ſiquidem Ferrariam iter haberent, per Mediolanenſem agrum progredi, animo intenderent: vbi Padus, Olliúſque tranſmittendi, & cum Gallicis copiis dubia, & fortaſſe iniqua conditione decertandum erat, an ad læuam flectentes per colles Comenſes ſub Lecco, quod oppidum Abduæ è lacu Lario exeunti imminet, fluuium ibi anguſtum, nec violentum traiicerent; vnde per Bergomenſes, Brixianóſque monteis ad Ollium peruenirent, ac per Brixianum, aut Abduanum agrum ad Mantuanum, vbi nullæ munitæ vrbes ingredienteis tranſitu prohiberent, euaderent. Igitur vtrumuis iter arriperent ex militari diſciplina, qui ſua tueri deſtinarat, cum his haud confligere, equitatu, peditatúque iunctis, ac minoribus tormentis, quæ campeſtria vocant, oppoſitis pariter incedere, & nunc à tergo, nunc à lateribus, nunc à fronte laceſſere, commeatum antecapere, viarum difficultates obſidere, nullam hoſtibus quietem indulgere Ambaſianus ſtatuit. Quarto die Variſio profecti, ac Caſtilionum verſus ſeruatis diligenter ordinibus iter ingreſſi (centeni enim fere ſclopetarios ſemper Gallis obiicientes incedebant) ad ſiniſtram per colles deflexerunt, & Gallos fortiter adorienteis, non minus ſtrenuè repellentes velitaribus pugnis continuatis ad Vedani pontem tandem peruenerunt. Pontem inſederat Molardus cum Vaſconibus, quos numero ſuperiores Heluetij ſclopetorum denſis glandibus pedem referre coëgerunt, & ad Appianum octauo à Variſio milliari caſtra poſuerunt. Ambaſianus ad Aſſarum frequentem ad Brianteos monteis vicum ſexto ab Appiano milliari conſedit: poſtridie Canturium verſus per colles contenderunt, à quorum lateribus Ambaſianus cum ducentis cataphractis equitibus non diſcedebat, cæterum equitatum propter locorum aſperitates, peditatúmque cum tormentis planioribus viis ingredi iuſſerat: verùm vix media itineris parte confecta ad ſiniſtram flectentes, & per colles ſemper incedentes (neque enim minus Gallicum equitatum Heluetij, quam Helueticum peditatum Galli timebant) Comum petierunt, atque in eius ſuburbio, proximíſque vicis eam noctem traduxerunt. Tertiis caſtris Quiaſſam tertio à Como milliari progreſſi Gallos an Bellinzonam Longarana valle reuerterentur, an vero Abduam rectà peterent, incertos reliquerunt: cæterum poſtridie eam dubitationem prorſus ſuſtulerunt. Siquidem ad Triſſiæ pontem reuerſi domum in cohortes diſperſi redierunt; reditus tam repentini cauſam pecuniæ, commeatúſque penuriam fuiſſe putant: ita hic tumultus breui, nec magno labore ſedatus fuit. Ludouicus diſſimulans, & vires ſuas magnificaciens, tum verò Heluetiorum auaritiam inſimulans ſe dubitare aiebat, an Heluetios ad Iulium tranſire, an verò tranſitu prohibere ſibi ſatius eſſet: gentem enim peruicacem,

Heluetij deſerta profectione ſuſcepta domum reuertuntur.

peruicacem, inſatiabilem, ciendis ſeditionibus aſſuetam plus Iulio negotij faceſſuram, quàm præſidij allaturam: vter enim tutior eſt, an qui ſine exercitu eſt, an qui exercitum aduerſum ſe alit?

Coqueluche. Hoc ipſo tempore totam prope Galliam nouum morbi genus inuaſit: (coquelucham 11
vulgo appellabant) caput in primis, tum verò & ventriculum, & lumbos ſubinde vrgens, ac ſeſe remittens nullo ſtato febris acceſſu aut receſſu infeſtabat: ſuccedebant ſurarum dolores, omne cibi genus, vinum quoque languidi auerſabantur, magis tamen alij (vt variæ ſunt corporum conſtitutiones) alij minus affligebantur, pharmaca ſumpta non tam proderant, quàm nocebant. Huius peſtis contagionem pauci euaſerunt, non pauci & magni quidem plerique nominis è medio ſublati ſunt. Vt ad rem redeam, ſi omnes eodem tempore, vt Iulius inſtituerat, Genuam, Mediolanúmque aggreſſi fuiſſent, maior omnino belli moles Gallos vndique perturbaſſet: ſed rarò captis conſiliis res ſuſceptæ reſpondent: qui Genuam ſubigendam ſuſceperant, ante re infecta diſceſſerant, quàm Heluetij in armis eſſent: Heluetij ante domum redierant, quàm Venetus exercitus Mediolanenſem agrum introiret; quamquam ſeſe occaſio non leuis offerebat: Germani enim, qui cum mille quingentis Hiſpanis peditibus quingentis cataphractis Gallis equitibus Vicentiæ remanſerant, multis poſt Ambaſiani diſceſſum dilapſis ſeſe Venetis Patauio egreſſis opponere non audebant. Hinc Veneti Ateſte, Monſilice, Montanianum, Maroſticam, Baſſianum ſine cæde, ac ſanguine recuperarunt, ac progredientes Vicentia Germanis cedentibus potiti ſunt: ita præter Lemniacum quicquid Galli tota æſtate magna impenſa, ac labore quæſierant, breui receperunt. Inde ad Martini oppidum quinto à Verona milliari acceſſerunt; Germani, quique Galli, atque Hiſpani vnà militabant, paulatim retrocedentes, & Veronam quaſi ad tutum receptum confugientes ad Turrim vicum magno in diſcrimine fuerunt, incedenteis enim hoſtium exercitus omnis Græcorum præſertim leuis armatura continenter infeſtabat: verùm Galli equites cum tormentis in poſtremo agmine collocati vrgenteis hoſteis fortiter repulerunt, & ad Villam nouam caſtra poſuerunt, Venetis vix dimidia milliaris parte interiecta caſtra caſtris conferentibus; poſtridie Veronam Venetis iam de priſtino ſuo ardore multum remittentibus, inierunt. Veneti ad vicum Martiniacum reuerſi aliquot ibi dies ſubſtiterunt, & vulgo Lucij Maluetij copiarum ſuarum præfecti (nam Ioannes Paulus Baleonus nuper eorum ſtipendium reliquerat) ignauiam accuſarunt. Hinc Veronam non ſine cunctationis culpa accedentes Felicis arcem tormentis in aduerſo monte collocatis, vicinúmque murum quateſecerunt, vel quod vtrumque terreis aggeribus munire perdifficile eſſet, vel quod equitatus, quo obſeſſi præſtabant, in ea regione haud magnus vſus eſſet. In Veneto exercitu octingenti grauis armaturæ equites, leuis, qui fere Græci erant tria, peditum decem millia erant: accedebat ruſticorum indigenarum Venetis addictiſſimorum multitudo prope infinita. In vrbe trecenti cataphracti Hiſpani equites, centum partim Germani, partim Itali, quadringenti Galli cum ſuis hippotoxotis, pedites Gallico ſtipendio affecti quingenti, Germanorum quatuor millia: quorum præfectus princeps Hanauenſis paulò ante vita functus erat. Veronenſes Germanos oderant, & arma quaſi pro patria propugnaturi in manibus habebant, in quorum defectione præcipuam ſpem Veneti collocabant. Græci equites Atheſim ſub Verona vado traiicientes Veronenſem agrum latè populabantur, interim dum tormenta Veneta vrbem ingenti fragore pulſarent; tametſi viciſſim non leuem ex vrbe iacturam accipiebant, quod in petroſo, aſperóque monte terreos aggeres ducere non poſſent, collapſa muri magna pars defenſacula perrupta erant, vt Germani de tuenda arce dubitarent, cui captæ vrbs deinceps accederet. Itaque ſe ad aggeres non longè ab arce excitatos recipere, atque inde frontem demoliri deliberarunt, ne hoſtes ibi conſiſtere, & ad vrbem viam ſibi parare poſſent. Verumenimuero obſeſſorum, atque obſidentium non eadem virtus erat; reiiciebatur ab omnibus Italicus peditatus, qui Heluetico, Germanico, Gallico, Hiſpanico, vti poſſent, vt quæ natio cæteris olim dominata eſt, eadem viciſſim omnibus militari gloria cedat. Itaque Germani, atque Hiſpani mille octingenti pedites, additíque Galli equites nocte vrbe egreſſi tanto impetu Venetorum tormenta inuaſerunt, vt præſidiis in fugam verſis, multíſque cæſis duo maxima clauis obturarint, duo altera aliquanto ſpatio traxerint: quum interuenientes Citolus Peruſinus, ac Dionyſius Naldius cum bona Veneti exercitus parte, ne in vrbem auferrentur, impedimento quidem fuerunt, cæterum multos è ſuis amiſerunt, ipſéque adeo Citolus, quod tumultu exaudito nullis armis protectus è tentorio accurrerat, fortiter pugnans ibi vitam finiit; hoſtes victores perpaucis amiſſis in vrbem magna cum

Veronenſis obſidio.

laude

Digitized by Google

laude redierunt: vnde animis fracti Veneti, & quod Ambaſianum Heluetiis domum reuerſis Veronenſibus auxilio venire intellexerant, ad Martiniacum vicum primum, deinde ad Fanum Bonifacij ſeſe receperunt.

12 Soluta obſidione Veronenſes pabulatores turmis aliquot equitum comitantibus ſe in Pantænam vallem Feliciano monti contiguam intulerunt, non ſolùm, vt prædas agerent, ſed & vt ruſticos vicinos, qui flagranti ſtudio caſtra Veneta rebus omnibus iuuerant, malè mulctarent: quibus conſpectis reuerſi Græci equites occupato vallis aditu pleroſque interfecerunt, alios ad montis verticem perſequuti ceperunt. Per eos dies Tauriſani Aſulum vrbem à Muſione fluuio non procul diſtantem, cui octingenti Germani præſidio impoſiti erant, atque mox arcem deditione ceperunt: in Foroiulienſi agro, Iſtriàque populationes, cædes, incendia continuabantur, quæ regiones eas penè deſertas reddebant. Tot res aduerſæ nequicquam tentatæ Iulij animum haud retundebant: Veneti qui eius impetus non tam approbabant, quàm neceſſitate quadam ſequebantur, claſſem, quæ Centumcellis in anchoris erat, quatuor magnis nauibus auxerunt; quibus Iulius ſua aliquot nauigia addidit, ac Centumcellis Corytum progreſſus vocato ad prandium Contareno Venetæ claſſis præfecto claſſiarios milites ad pedis oſculum admiſit, vexillum ſuum Pontificiis ceremoniis conſecrauit, & Contareno tradidit. Genuenſes ſe ſua authoritate ad defectionem incitaturum ſibi perſuaſerat, hominem plerique omnes mirabantur, qui iam hoſtis declaratus amplam vrbem firmis præſidiis, ac magna, quæ ad portum ſtabat, claſſe munitam in ſuam poteſtatem redigere ſperaret; quam nuper ſine claſſe, ac prope ſine milite inermem nec opinato aggreſſus nihil profeciſſet, ſuos duntaxat in ſummum diſcrimen adduxiſſet. Claſſi Venetæ, Pontificiæque, quam Genuenſes exules, atque inter ipſos Genuenſis Pontifex Obiecti Fliſci filius ſequebantur, terreſtres copiæ, quas Federicus Salernitanus Pontifex Octauiani Fregoſij frater Iulij ſtipendio cogebat, ſeſe adiungere debebant; quibus Ioannes Saſſatellanus ac Renatus Saſſetanus Pontificij duces cum ſuis Bagnonum Porrectanum (id oppidi, fluuiíque nomen eſt) acceſſuri erant: ad famam Pontificiæ, Venetæque claſſis aduentantis, in qua tres maiores, quindecim leuiores triremes, quatuor aliæ naues erant, Gallica, quæ ex duabus & viginti leuioribus triremibus conſtabat, ad Veneris portum obuiam proceſſit, tota quidem hoſtili claſſe coniuncta viribus inferior, cæterum nauium genere, aut æqualis, aut fortaſſe ſuperior: veloces enim triremes vim maiorum nauium eludere, ac vitare, cæteris aut ſuperiores, aut ſaltem pares eſſe poterant. Igitur paulò ſupra Veneris portum ſibi inuicem intra pilarum iactum appropinquantes, & quaſi ad pugnam concurrentes tormentis ſæpius vtrimque exoneratis ſeſe mutuò ad certamen prouocarunt, deinde à ſe inuicem ſeparatæ (neque enim Gallica hoſtilem coniunctam aggredi, neque Pontificia niſi tota ſimul congredi volebat) Pontificia Sigeſtrum petiit, Gallica in altum vela pandens quid hoſtilis moliretur, obſeruauit: ea è Sigeſtro Liguſticam oram legens è regione portus Genuenſis ſubſtitit. Ioannes Fregoſius biremi in portum ipſum ſe intulit: ſed è Codiſana turri denſis tormentorum pilis petitus ſtatim exire, & ad claſſem redire coactus eſt, præſidiis tota vrbe diſpoſitis contraria factio arma corripere auſa non eſt, Pontificia inde Veneris portum oppugnare nequicquam aggreſſa Centumcellas re infecta ſe recepit: vnde Veneta ſoluens, & in ſuos portus reuertens ad Meſſanæ fretum graui tempeſtate iactata quinque triremes amiſit, cæteræ in Africanum littus primum abreptæ, mox Venetias fractæ, quaſſatæque redierunt.

Aſulus vrbs à Tauriſanis capta.

Claſſis Gallica & Veneta ſibi ad Veneris portũ occurrentes ad certamẽ ſeſe mutuò prouocant.

13 Terreſtres copiæ, quas in Lunenſi agro Salernitanus conſcripſerat, intellecto Gallorum terra, marique apparatu Genuenſem agrum ingredi haud auſæ ſunt: Ioannes autem Saſſatellanus ac Renatus Saſſetanus ſe tranſitu à Florentinis prohiberi cauſati, & Mutinenſem montem conſcendentes (Mutina adhuc Ferrarienſi parebat) Fananum in Appennino ſitum oppidum qua trames per Piſtorium in Hetruriam pertingit, obſederunt, quod etſi primos hoſtium conatus egregiè repulit, tamen deſperantibus de accipiendo à Ferrarienſi auxilio montanis tandem deditum eſt. Nihil hactenus ex animi ſententia Iulio ſucceſſerat; diuturno bello exinaniti erant Veneti, & in magnis rerum difficultatibus collocati: Ferdinandus Hiſpanus plus conſilio clam, quàm aperto auxilio iuuabat, ſolita enim aſtutia à Maximiliani, Ludouicique amicitia palam non diſcedebat; Iulium multis quidem promiſſis onerabat, ſed ita, vt ſemper additis conditionibus ſuſpenſum teneret, procuratam Venetorum cum Maximiliano reconciliationem fere intermiſerat, quod Pontificio exercitu Ferrariam contendente denuntiarat Iulio Maximilianus, vt à Ferrarienſi bello abſtineret: Conſtantinum Macedonem Iulij legatum, qui de Venetis

illi

illi reconciliandis mandata habebat, audire recuſarat; & vt ſe in Galli Regis amicitia magis confirmari palam omnibus faceret, Gurcenſem Pontificem cum mandatis ampliſſimis, vt cum Ludouico de omnibus propoſitis capitibus conueniret, mittere decreuerat: neque id diſſimulabat, quin potius præ ſe ferebat. Principes Electores (ſic enim vocantur) quamquam Iulio fauebant, res tamen Germanicas duntaxat curabant, nihil in bellum conferre ſtatuerant, neque illi vſui eſſe poterant, neque erat quod ab Anglo à rebus Italicis remoto quicquam ſperaret, tametſi & rerum nouarum ſtudioſus, & adoleſcens Romani Pontificatus propugnator videri volebat, ac Iulij legatos in bellum propenſus audiuerat, ſed Gallicum ſolus commouere non audebat, & fœdus cum Ludouico nuper initum iuratus confirmarat; atque ambitioſa legatione, vt ratum viciſſim haberet Ludouicus, procurabat.

Rebus tam deſperatis vix quiſquam præter Iulium tam difficile bellum ſuſcipere auſus 14
eſſet, & pacem, quibus propemodum conditionibus voluiſſet, inire potuiſſet; idque Veneti in primis infauſtis initiis conſentaneos belli exitus formidantes ſuadebant, ſed fruſtra: tanta enim conſtantia in ſemel ſuſceptum incumbebat, vt nemo, ne ex intimis quidem, diſſuadere auderet. Tentauit idem Florentinus legatus. Tentarunt alij, ſed fruſtra. Nouum poſtulatum addidit, Iulius vt Genua libera eſſet, inſtitit. Tum vero Ludouicus Iulium à pace prorſus abhorrere intelligens, Ferrarienſem clientem tueri, & confirmata cum Maximiliano ſocietate, vt Iulium in ordinem redigeret, totius Chriſtianiſmi Concilium procurare, atque in Italiam cum potenti exercitu proximo vere tranſire inſtituit: Cæſari itaque & aduersùs Venetos, & ad inuadendas Romani Pontificatus ditiones antiquum Occidentalis Imperij patrimonium, totámque adeo Italiam ſubigendam, quod eundem iamdudum animo agitare nouerat, Mediolanenſi principatu, Genuenſi, Ferrarienſi, regno Neapolitano, Florentináque Repub. exceptis, opem ſuam obtulit, augendíque Imperij auidum in ſuam ſententiam facilè pertraxit: præſertim quod Gallia, Germaniáque Concilium depoſcentibus, bonam Italiæ partem atque Hiſpaniam Ferdinando illis ſeſe opponere non auſuro acceſſuram confiderent; & plerique Itali Cardinales Iulio infeſti ſe Concilij authores futuros profitebantur: quæ vt plane conſtituerentur, Gurcenſem Pontificem, vt paulò ante indicaui, ſummo ſtudio expectabat: interim vt initium Concilio poneret, & ne Gallia Iulium amplius Pontificem agnoſceret, omneis totius Gallici regni Pontifices, ac pleroſque viros eruditos Turonibus ad decimumſeptimum Kalen. Octobr. coïre iuſſit. Quod conciliabulum primùm Aureliam indictum, mox ad Turones tranſlatum eſt: ea fere in hanc ſententiam diſputata produntur.

1 An Pontifici Romano, vbi neque de religione, neque de fundis eius Pontificatus controuerſia eſt, aduersùs aliquem Chriſtianum principem bellum ſuſcipere, ac ſuis auſpiciis impenſiſque gerere liceat. Non licere, qui aderant, Pontifices, virique eruditi reſponderunt.

2 Tum an laceſſito principi vim vi repellere, nec ſuas ſolùm, ſed & Pontificias aliquot ditiones inuadere liceat, ad eius vim propulſandam in primis idoneas, quas præſertim centenaria præſcriptione amiſſas idem Pontifex eiuſdem principis opera, impenſaque recuperarit, ita tamen vt princeps ipſe non niſi ad præſcriptum tempus eaſdem retinere, rebus compoſitis Pontifici quæ ſua ſunt, reſtituere in animo habeat: Bononiam intelligebant ad repellendos Iulij impetus peropportunam, & Mediolanenſis principatus quoddam veluti propugnaculum obiectam. Licere iidem cenſuerunt.

3 Et quandoquidem idem Pontifex implacabili odio nulla de cauſa ſuſcepto percitus Regem pium regno ſpoliare impius contenderit, regnúmque eius cuiuis inuadenti, quantum in ſe eſt, addixerit (id autem ſibi ius nimis inſolenter, nimis impiè arrogat, quum Chriſtus legatos ſuos, ſiue Apoſtolos, vt vocantur, quorum ſucceſſorem ſe Iulius profitetur, principibus, immo vero inferioribus magiſtratibus parere, non autem eoſdem regnis, aut cæteris ſuis magiſtratibus ſpoliare iuſſerit) an principi priſtinum Romano Pontifici obſequium renuntiare fas ſit non prorſus, ſed quod ad ditionum ſuarum propugnationem neceſſe eſt. Fas eſſe pronuntiarunt.

4 Quid igitur Galliarum Pontifices, cæteríque diuini cultus miniſtri in his, quæ ad Romanum Pontificem referri ſolent, molientur? Antiquis Pontificum decretis, præſertim Concilij Baſilienſis ſtabunt.

5 Quid? an Regi pro fœderati Ferrarienſis reguli ditionibus pluſquam centenaria præſcriptione poſſeſſis propugnare, & vim Pontificiam repellere licebit? Neque illi quin liceret dubitarunt.

6 Ferrariam

Digitized by Google

6 Ferrariam fundum ſibi obnoxium vendicat,ac repetit Iulius: Iulio clientem niſi iuſta de cauſa ſpoliare non licere Ferrarienſis reſpondet, Iulium arbitrum adigit: ſi rem ad arbitros neutri ſuſpectos reuocare recuſet Iulius, vim inferat, an Ferrarienſis ſua tueri, Ludouicus Rex pro fœderato propugnare iure poteſt? poſſe dixerunt.

7 Quid ſi litem Romanis iudicibus permittet Iulius, iique Ferrariam Iulio addicant,an vero iudicio ſtare Ferrarienſis cogetur,præſertim quum Pontificios iudices merito reiiciat Ferrarienſis; & vt admittat, at Romam, qui ius ſuum perſequantur, mittere non audeat? nullo modo cogi reſponderunt:

8 Quid ſi Ferrarienſem regulum, ac ciueis, quique illis auxilio erant, Chriſtianorum cœtu Iulius exterminet? exterminationem nullam, prorſúſque irritam pronuntiarunt.

Communi præterea ſententia, vt legati ad Iulium mitterentur, decretum, qui Pontificem, vt principibus reconciliaretur, admonerent: ſin recuſaret, ex decretis Concilij Baſilienſis de indicendo vniuerſi Chriſtianiſmi Concilio compellarent. Legatos Iulius admittere noluit: hinc Maximiliani Imperatoris, Ludouici Regis, ac quorumdam Cardinalium iuſſu Piſas Concilium indictum. Verumenimuero,qui Regi à conſilio erant, bellum differri aduersùs Iulium diſſuadebant: neque enim ver expectandum, neque hoſti ad colligendas vires, ſocióſque ſibi adiungendos tempus dandum,ſtatim arma ſumenda, pacis vniuerſæ perturbatorem repentino acrique bello perſequendum: Caroli Neapolim proficiſcentis celeritati nuper totam ceſſiſſe Italiam, in reditu cunctantem in graue diſcrimen incidiſſe, & ad indignum victore Rege fœdus ineundum compulſum fuiſſe. Quorum conſilium ſi ſequutus fuiſſet Ludouicus, & Iulium ad extremas difficultates redegiſſet, nec eidem ad concitandos tot aduerſum ſe hoſteis, vti mox concitauit, tempus dediſſet: ſed vel pecuniæ parcens, (plebem enim nouis tributis vexare nolebat) vel quod inuitus aduersùs Romanum Pontificem bellum ſuſciperet, à ſuo cognomine penitus alienum, vel ne cæteros principes, ſi ſolus ſuſciperet, aduerſum ſe irritaret, in ſententia perſtitit.

15 Septembri iam ad finem inclinante Bononiam Iulius eo animo ingreſſus eſt, vt Ferrarienſem agrum ſuis, ac Venetorum totis viribus terra, Padóque adoriretur, neque bellum in proximum ver, quemadmodum Ludouicus, diſtulit. Veneti duas claſſes (ſi ita minorum nauigiorum multitudinem vocare debemus) inſtruxerant: alteram Carbonaria, alteram primario oſtio in Padum immiſerunt, quæ Ferrarienſem quidem agrum, vti & Pontificius exercitus, populabantur: at Ferrariæ appropinquare non audebant, quam præter Alphonſi milites ducenti quinquaginta cataphracti Galli equites inſederant: ſtipendium quidem in octingentos grauis, ſexcentos leuis armaturæ equites, ſex peditum millia Iulius dependebat, cæterum integer numerus non erat; & milites magna ex parte tumultuariè collecti, aut tyrones, aut non magis quàm tyrones ſtrenui erant, vt Romani Pontifices, quorum re vera longè alia eſt functio, bellicis rebus minus accuratè prouidere ſolent. Accedebat quod poſt amiſſam Mutinam ducentos quinquaginta cataphractos equites, pedites bis mille Ambaſianus Ferrarienſi ſubſidio miſerat, qui inter Regium Lepidi, Roberiámque ſubſtiterant; vnde Marcus Antonius Columna, ac Ioannes Vitellius cum ducentis cataphractis equitibus trecentis peditibus è Pontificio exercitu Mutinam profecti erant. Hinc quandoquidem Veronenſes Cæſaris copiæ,cæteræque pleriſque dilapſis admodum imminutæ erant,Venetos,qui totum fore Foroiulienſem agrum,& Rodiginam nuper peninſulam receperant,Iulius impenſè vrgebat, vt partem ſui exercitus in Ferrarienſem immitterent. Trecentos præterea Hiſpanos equites Fabricio Columna duce à Ferdinando ex iure clientelæ, vt ſuprà attigimus, poſtulatos, qui iam in itinere erant, expectabat, quibus, Venetóque exercitu ſibi adiunctis Ferrariam circumſedere in animo habebat. Et Ferrarienſes vtroque exercitu conſpecto aduerſus Alphonſum arma correpturos ſibi perſuaſerat: quamquam tanta Ferrariæ præſidia ineſſe vel eius duces confirmabant,vt & vrbem tueri,& ciues in officio continere facile poſſent,idcirco ſumma diligentia nouos peditum delectus vndique arceſſebat: at Venetorum exercitus præcipites Iulij impetus fruſtrabatur,atque admodum cunctabatur, quod multas ſcaphas Pado tranſmiſſas, vt ad Mantuanum agrum ponte facto fluuium traiicerent Ferrarienſis cum Gallis nec opinanteis aggreſſus abſtulerat, ac duobus Rodiginæ peninſulæ canalibus emiſſas pleraſque alias, ac permulta diuerſi generis nauigia capto etiam præfecto patricio Veneto in ſuam poteſtatem redegerat. Præterea trecenti Hiſpani equites, niſi prius

Digitized by Google

legato Hiſpano regni Neapolitani in fidem recepti diploma Iulius traderet, Truentum fluuium traiicere recuſabant, quod antequam Bononiam appellerent, tradere differebat, ne poſt acceptum moras ſuo more nectentes in tempore non adeſſent; & tamen nec inſtans aſpera hyems, quæ ſui ſpecimen rigido gelu, denſiſque niuibus præbebat, nec grauis morbus, nec ducum prudens conſilium hominem auertere, nec quin ſuis duntaxat viribus Ferraria potiretur, perſuadere potuerunt. Franciſcum Gonzagam Mantuanum regulum qui Venetiis captiuus Baiazetis Turcarum Imperatoris (vt quidam volunt) aut Iulij ipſius mandato emiſſus Bononiam nuper acceſſerat, Romani Pontificatus Gonfalonnerium (ſic ſummum copiarum ſuarum ducem Iulius vocabat) dixit, atque, vt ad Venetum ſtipendium exercitus dux futurus tranſiret, perfecit: tametſi id clam haberi Mantuanus voluit, vel quod munus inuitus ſuſciperet, eóque ſe abdicare cuperet, vel quod Gallos Mantuano agro imminenteis timeret.

Mantuanus Rom. Pontificatus Gõfalonnerius appellatus.

16 Parum abfuit, quin Iulius de ſuo tuendo plurimum laboraret: ſiquidem Piſcheriam cum exercitu profectus Ambaſianus, vt Veronenſibus obſeſſis auxilio eſſet, Venetum exercitum obſidionem ſoluiſſe, ac ſuos, quos Roberiam præmiſerat, Formiginem oppidum expugnaſſe intellexit, vnde ad Mutinam recuperandam accelerare decreuit, quæ raro præſidio, ac nullo fere aggere munita capi facile poſſe videbatur, & Mutinenſes à Pontificia ditione abhorrebant: ſed tumultus Veronæ ob ſtipendium non exolutum à Germanis excitatus iam iter ingredientem reuocauit: hunc vt ſedaret, Germanis nouem nummûm aureorum millia numerauit, & menſis proximi ſtipendium ſe repræſentaturum recepit. Acceſſit & altera mora: Grotta Lemniaci præfectus Veneto exercitu in Patauinum agrum reuerſo Montaniani diripiendi ſibi datam occaſionem putauit: illuc, quem habuit equitatum, ac quadringentos pedites ire iuſſit, perpaucos ad vrbis cuſtodiam reliquit: interim dum ſe Montanienſes acriter defendunt, Venetorum leuis equitatus Gallos oppugnationi intentos fudit, & in fuga quod pontem, quo Gallos redituros tranſire neceſſe erat, perfregerat, multos vel cecidit, vel cepit. Quod ſi Veneti victoriam perſequentes Lemniacum ſtatim oppugnaſſent, vrbe nimirum potiti fuiſſent. Inopinatæ cladis certior factus Ambaſianus nouos milites Lemniacum ſubſidio miſit, & Mutinæ capiendæ ſimul occaſionem amiſit: multi enim pedites vrbem interim ingreſſi muniendæ ſedulam operam nauarunt, & Ambaſiano Roberiam appulſo Pontificius exercitus, in quem Vrbinas ac Ticinenſis Cardinalis Iulij legatus ſummum imperium habebant, quibus Ioannes Paulus Baleonus, M. Antonius Columna, Ioannes Vitellius proxima authoritate accedebant, omiſſa Ferraria Mutinam contendit. Iulius vt prælio decernerent, iubebat: illi quod Gallos & numero & militum robore longè ſuperiores eſſe intelligerent, à tanta temeritate penitus abhorrebant; & in Pontificio exercitu tanta inter Ticinenſem, Vrbinatémque diſſenſio erat, vt hic Cardinalem proditionis inſimulans quaſi captiuum Bononiam ad Iulium traxerit, qui nihilominus ita ſe purgauit, vt eundem ſemper gradum, aut etiam ſuperiorem apud Iulium teneret. Interim dum caſtrâ caſtris conferuntur, & Ambaſianus cum tormentis Roberiæ, Gallicus peditatus Marſaliæ, Pontificius exercitus in Mutinæ ſuburbio, quod Roberiam reſpicit, ſignum pugnæ expectant, multæ hinc inde excurſiones fiebant. Et Ferrarienſis cum Caſtilione, Galliſque equitibus recuperata Rodigina peninſula, Finalique, ac Centio oppido (nam arx in eius fide remanſerat) direpto, vt Ambaſiano ſe adiungeret, properabat.

Cardinalis Ticinẽſis proditionis accuſatus Bononiam captiuus ad Iulium abducitur.

17 Hinc Pontificius exercitus intra Mutinæ muros ſe recepit, partem peditatus in ſuburbio, quod montem reſpicit, collocauit: vix ſe Ferrarienſis Alphonſus commouerat, quum Veneti exercitus pars trecenti grauis, multo plures leuis armaturæ equites, quatuor peditum millia Figariolum exiguum ac debile ad Padum ſitum oppidum, cæterum longa (vt ſupra memini) Roberti Seuerinatis obſidione nobile circumſederunt; quod, & mox Stellatam in aduerſa ripa deditione ceperunt: quibus amiſſis Alphonſus cum ſuis copiis Bondenum appulit, diſpoſitiſque tormentis, ne pons fieret, impediuit. Toto præterea Pado duæ Ferrarienſes triremes dominabantur, donec altera Venetorum claſſe aduerſo Atheſi in Padum immiſſa (ſiquidem firma in Padi oſtiis Alphonſus præſidia collocarat) ſe Ferrariam recipere coactæ ſunt: verum Alphonſus cum iiſdem duobus ** ac pleriſque minoribus nauigiis, priorem, quæ ab Aria primario portu Padum ingreſſa erat, aggreſſus

Digitized by Google

aggreſſus facilè ſuperauit, ſtatimque & hanc perſequutus, quæ ex ** aliiſque paruis nauigiis conſtabat, ac per Carbonariam Poleſeliam appulſa vicino fluuiolo in Atheſim euadere conabatur, aqua naueis licet exiguas haud admittente tormentis acriter infeſtauit: milites Veneti relictis nauibus aufugerunt. Bellum in Italia accenſum belli aliud genus excepit: Iulius Alphonſo Ateſtino Ferrarienſi regulo quique illi auxilio eſſent, diſertè autem Carolo Ambaſiano Calmontio Mediolanenſi prætori ac præcipuis Gallici exercitus ducibus ſacris Chriſtianis interdixit. Igitur Galli Pontifices relicta Aurelia in Turonibus conuenientes vno conſenſu pleraque capita aduersùs Iulium (vt ſuprà ſcripſimus) litteris mandarunt, quibus ad illum perlatis niſi pareret, eidem ad proximum vniuerſi Chriſtianiſmi Concilium dies diceretur; quod vt cogatur, Gallos in primis, cæteráſque pias nationes in tanta religionis perturbatione procuraturas. Altero conuentu, quem quinto Kalen. Octobr. celebrarunt, Concilium Lugdunum in menſem Martium indixerunt, quo die Gurcenſis Pontifex Maximiliani legatus Turones appulit, atque eximiis hònoribus Regis, ac totius aulæ gratulationibus exceptus eſt. Iam Cardinales quoque nonnulli à Iulio deficere cœperant; qumque is Flaminia Lauretanam interim Mariæ Virginis ædem inuiſurus, Bononiam contenderet, Cardinalis à Fano Crucis, ac Cuſentinus Hiſpani, Baiocenſis, ac Maclouienſis Galli, tum etiam Federicus Seuerinas impetrata abeundi venia per Hetruriam eodem proficiſci ſimularunt: Florentiæ publicam liberè per eorum ditiones proficiſcendi teſſeram non præſcripta die, ſed donec reuocaretur, & poſt reuocationem ſibi denuntiatam in quindecim dies obtinuerunt; diúque ibidem commorati Iulio in ſuſpicionem venerunt, idcirco mandatum ab eodem Galli, ac Seuerinas acceperunt, vt niſi eius indignationem ſubire mallent, Bononiam ocyus ſe ſiſterent. Cum Hiſpanis mitius aliquantò egit, & non tam minis, quàm familiari admonitione vſus eſt: illi vbi eandem liberi itineris permiſſionem cæteris Cardinalibus, qui illac tranſirent, impetrare non potuerunt, Lunenſi agro iter ingreſſi Mediolanum conceſſerunt. Interim Iacobum Chabaneum Palicianum cum quadringentis cataphractis equitibus, quatuor peditum millibus Ambaſianus ad Carpum recipiendum miſit, Albertum autem Pium cum paucis equitibus, ac tubicine præmiſit. Ciues, quibus Albertus in primis charus erat, ſeditionem ad eius conſpectum excitare cœperunt, Pontificij quadraginta equites, pedites quingenti vrbe egreſſi Mutinam iter arripuerunt: fugienteis Galli perſequuti, & ad Curtiliam medio inter Carpum, Mutinámque itinere aſſequuti pedites magna ex parte ceciderunt, equites matura fuga euaſerunt. Pontificios antequam Veneta auxilia Hiſpaníque equites coniungerentur, adoriri Ambaſianus ſatius eſſe ducebat: illi aggeribus aduersùs Ferrarienſis tormenta ductis pontem breui iacere ſe poſſe confidebant, vt Hiſpani accelerarent, Reginenſi Cardinali regni Neapolitani Ferdinando Pontificia authoritate confirmati Iulius diploma tradiderat, vt vtroſque anteuerteret, Mutinæ, vt hoſteis ad pugnam attracturus, Ambaſianus appropinquauit. Aliquot excurſionibus pugnatum eſt, cæterum Pontificij viribus inferiores ſe intra vrbis muros, cæteráque loca munita continere perſeuerarunt. Ea ſpe fruſtratus Bononiam belli ſedem, in qua pauci externi milites erant, aggredi ſtatuit, & ciuium non exiguus numerus Bentiuolis fauebat, cæteri tanto diſcrimine imminente neutram in partem propemodum inclinaturi videbantur.

18 Ambaſianum plerique præſertim Bentiuoli huius expeditionis admonuerant, & ne in rebus haud magni momenti (vti hactenus fecerat) tempus inaniter tereret, ſuaſerant, quam ſi paulò maturius ſuſcepiſſet, Bononia (vti veriſimile eſt) potitus fuiſſet. in magnis enim rebus exequendis plurimum celeritas poteſt. Igitur coacto exercitu, quem Bentiuoli cum aliquot equitibus, mille peditibus ſuo ſtipendio affectis ſequebantur, iter inter monteis, viámque Regiam ingreſſus Spilimbercum quo die oppugnauit, poſtridie caſtrum Francum deditione cepit: tertiis caſtris Criſpolani decimo à Bononia milliari ſubſtitit, poſtridie (ſic enim ſtatuerat) vrbem circumſeſſurus, in qua ingens præſertim in Pontificia aula trepidatio erat. Cardinales apud Iulium quod ſe, ipſóſque in tantum diſcrimen conieciſſet, querebantur; aut conſeruandæ vrbi prouideret, quod in his temporis anguſtiis vix fieri poſſet, aut ſe ſtatim cum ipſis matura fuga ſubduceret, aut cum hoſtibus aliquas pacis conditiones iniret, quas illi modo non iniquæ proponerentur, accepturi viderentur. Idipſum & intimi illius obſecrabant: ſolus in tanta perturbatione de Bononienſium fide incertus,

Quid cauſæ fuerit cur Bononia in Gallorũ poteſtatem non venerit.

de Venetis auxiliis, Hiſpaniſque incertior, à rebus prope omnibus imparatus, acri etiam morbo afflictus in ſententia fixus manebat: Marcum Antonium Columnam cum parte Mutinenſis præſidij acceſsiuit, apud Hieronymum Donatum legatum Venetum grauiſſimè queſtus eſt, quod Venetorum militum cunctatione ipſe, omnis Pontificia aula, atque Romanus adeo Pontificatus in tanto diſcrimine verſaretur; non aliam ob cauſam, quam quod Venetæ Reipubl. libertatem magnis impenſis, periculiſque ſuis tuendam ſuſcepiſſet, idcircóque Cæſarem, ac Gallum Regem ſibi hoſteis vltro comparaſſet. Hæccine eſſe grati animi officia? an verò etiam imprudentis, ſtolidíque? ſi enim vincatur, aut neceſſitate victus in pacis iniquas cum Gallis conditiones deducatur, quam de ſua libertate conſeruanda ſpem concipere Veneti poſſunt? poſtremo acerrima oratione, vultu, geſtúque verba quodammodo accendentibus, ſe cum Gallis conuenturum teſtatus eſt, niſi ſibi poſtridie Veneti milites auxiliares adeſſent, qui propter iaciendi pontis difficultatem Padum lembis, aliiſque paruis nauigiis transmiſerant. Bononiæ etiam collegia, & quotquot vrbis adminiſtrandæ curam gerebant, coïre iuſſit, & vt recentis tyrannidis memores moderatam Romani Pontificatus ditionem tuerentur non minus vehementi oratione cohortatus eſt; tyrannos nuper excluſos, vbi redierint, intolerabiliores futuros: pecuniarias commeatus indictiones, qui in vrbem importabatur, magna ex parte ſuſtulit, ídque proclamari præconis voce iuſſit, pleráſque alias ſe ſublaturum pollicitus. Verum id fruſtra: neque enim quiſquam arma corripere auſus eſt, aut Pontificias partes ſequi præ ſe tulit, quod Bentiuolos, & Gallicum exercitum ſibi imminentem timerent. Igitur domeſticorum ſuorum importunitati, Cardinalium querelis, Cæſariani, Hiſpani, Angli legati precibus vrgentibus cedens, &, quanto in periculo verſaretur, intelligens, ad Ambaſianum vti Ioanni Franciſco Pico Mirandulano Comiti ſui adeundi poteſtatem faceret, miſit. Ambaſianus multorum, atque in primis Iulij ipſius precibus commotus, quem ad æquas pacis conditiones perduci poſſe ſperabat, ídque Ludouicum Regem mirandum in modum optare nouerat, & magna tum apud omneis Chriſtianas nationes Romani Pontificis authoritas erat, bonam occaſionem vana credulitate amittens ſe iiſdem caſtris continuit: permiſit nihilominus, vt Hermes Ioannis Bentiuoli liberorum ætate minimus, ſed fortiſſimus ad Bononiæ portam accederet, nunquis in vrbe tumultus fieret experturus: verum ciuitas diuerſo metu agitata, & iam Gallos de pace agere certior facta neutram ſe in partem dedit ſuſpenſa de rei euentu quieuit.

Mirandulanum humaniter accepit Ambaſianus, atque illo ipſo die ad Iulium cum mandatis remiſit, quæ ſi Iulius admitteret, ſe cum illo pacem in hæc capita initurum 19
confirmauit, nempe, vt Alphonſus Ateſtinus Ferrarienſis regulus, quíque illi auxilio fuiſſent, aut arma aduersùs Pontificatum Romanum tuliſſent, ſacris Chriſtianis reſtituerentur: reſtituerentur & Bentiuoli, quibus & mulctæ indictæ remitterentur, & bona ablata, quæ illorum eſſe manifeſto liqueret, redderentur; de iis autem, quæ ante exilium poſſederant, arbitri iudicarent, iidem, vbicumque viſum eſſet, habitarent, modo Bononia milliaribus octoginta, nec propius abeſſent. Aduersùs Venetos nihil præter Cameracenſis conuentus decreta intentaretur, inter Iulium, Alphonſúmque ſemeſtres induciæ eſſent, vti quiſque poſſidet, ita interim poſſideret, arbitri communi vtriuſque conſenſu ſtatuerentur, qui vtrique quod ſuum eſt, addicerent; Mutina ſtatim apud Cæſarem deponeretur, de cuius controuerſia ille cognoſceret, Cutignola Ludouico Regi redderetur, Cardinalis Oſcitanus è cuſtodia educeretur, Cardinalibus abſentibus venia daretur, omnium Regiarum ditionum Sacerdotiis ad Ludouici deſignationem Iulius præfectos imponeret: Mirandulanum Bononiam reuerſum ea ſpe tamen, vt de poſtulatis aliquid Ambaſianus remitteret, data ſibi mandata referentem Iulius patienter audiuit: audiuit patienter & Cardinalium preces, qui vno animo, ſingularíque ſtudio obſecrabant, vt ſi meliores aſſequi non poſſet, oblatas ſaltem conditiones haud prorſus iniquas acciperet. Ille inter metum, ſpémque ſuſpenſus iniquiſſimas eſſe confirmabat; emiſsiſque ex intimo pectore ſuſpiriis, & in graueis nonnunquam exclamationes irrumpens, de Venetis identidem querebatur, ſéque illorum negligentia in hæc diſcrimina incidiſſe profeſſus totum diem incertus conſumebat, donec ſub veſperam Chapinus Vitellius cum ſexcentis leuis armaturæ equitibus, Stellata profectus curſu continuato (ſic Venetus magiſtratus iniunxerat) Bononiam appulit. Quod ſi nihil cunctatus eo die (vt ſtatuerat) Bononiam

noniam Ambaſianus circumſediſſet, nec audiendis alieno tempore hominis tam Gallis infeſti legatis tempus inaniter conſumpſiſſet, ſeditionis in vrbe excitandæ Bentiuolorum parteis ſequentibus occaſionem dediſſet, & hæc auxilia intromitti facilè prohibuiſſet, atque ſuæ mox cunctationis, ſtultæque credulitatis eum, quem debuit, fructum cepit. Is poſtridie ad pontem Rheni Bononienſis fluuij tertio à Bononia milliari caſtra fecit: huc Cæſarianus, Hiſpanus, Anglus legati domeſticos ſuos, qui illis ab epiſtolis erant, ad Ambaſianum miſerunt. Acceſſit & Mirandulanus, quibuſcum Albertus Pius Carpo reuerſus vltro, citróque ad Iulium, Ambaſianúmque ſæpius commeans, totum diem fruſtra conſumpſit: Iulius enim acceptis auxiliis fretus, & quod Bononienſes Ambaſiani cunctatione animaduerſa arma tandem pro tuenda vrbe ceperant, quódque inſtante nocte Fabricium Columnam cum parte Hiſpani equitatus, & ducentis leuis armaturæ equitibus, ac totidem à Venetis expectaret, alia cogitare cœpit: vbi primum Hiſpani equites appuliſſent, ſe nullam pacis niſi Ludouicus Rex Ferrarienſi propugnationem, amicitiámque renuntiaret, conditionem accepturum iactauit. Die tertio nouæ conditiones propoſitæ, nihil peractum. Itaque Ambaſianus de vrbis expugnatione ſimul, ac de pace deſperans, & quod præ commeatus penuria diutius ibidem conſiſtere non poſſet, hyemſque inſtaret, caſtrum Francum, poſtridie Roberiam rediit, ſe multa legatorum precibus condonare, Iulio vt de propoſitis pacis conditionibus deliberaret, tempus dare, à Rege reſponſum expectare cauſatus.

20 Ambaſiani imprudentiam plerique accuſarunt, qui tribus duntaxat peditum millibus (neque enim plures in exercitu habebat) quamuis ſatis numeroſo equitatu amplam vrbem vanis (vt ſæpe euenit) Bentiuolorum, aliorúmque exulum promiſſis inductus oppugnandam ſuſceperit, aut ſuſceptam oppugnationem tam negligenter perſequutus ſit. Piſcheria enim profectus triduum, aut etiam amplius Ferrarienſes copias, Caſtilionémque cum Gallis equitibus fruſtra expectauit; & capto caſtro Franco alterum triduum audiendis, mittendiſque legationibus impendit, quæ cunctatio omnem potiundæ vrbis ſpem ſuſtulit; quum ſtatim Bononiam aduolare, vias, ne qua auxilia intromitterentur, obſidere, Ferrarienſem, Caſtilionémque, vt accelerarent, renouato mandato vrgere debuiſſet: ſed de futuris diuerſæ coniecturæ homines etiam prudenteis aliquando fallunt. Reuerſo ad Inſubres Ambaſiano Iulius apud omneis principes Chriſtianos de Ludouico grauiſſimè queſtus eſt, quod aduersùs Gallorum Regum cognomen, ac Cameracenſe fœdus inuadendæ Italiæ cupiditate accenſus Romanum Pontificem, Cardinaliúmque collegium obſidione cinxiſſet. Igitur Chriſtianorum principum legatos, qui tum aderant, de pace agenteis, & quod cum Ambaſiano inchoarant perſequenteis, penitus reiecit, ne pacis mentio vlla fieret, niſi ſibi prius Ferraria condonaretur, inhibuit. Increſcebat quotidie morbus ingentibus in tanto diſcrimine animi angoribus exacerbatus, nouos militum delectus habebat: Venetos, vt partem exercitus Mutinam Mantuano duce mitterent, quæ ſuis iungeretur, altera Ferrarienſem agrum infeſtarent, incitabat; iam enim pontem inter Frigariolum, Stellatámque iecerant, ſe Regio Lepido, Roberia, Ferraria denique breui potiturum confirmabat. Padum Veneti tranſmittere diſtulerant, ne ſi fortè vita, de qua plerique dubitabant, functus interim fuiſſet, in apertum diſcrimen incurrerent: tandem eius importunitate victi quingentos grauis, mille ſexcentos leuis armaturæ equites, quinque peditum millia Mutinam verſus miſerunt, cæteros ad Padi ripam ſtatiua habere iuſſerunt. Mantuanus in diuturna, grauíque cuſtodia Venetiis habitus idcircóque Venetis infeſtus, Gallis qui Veronæ remanſerant, Mantuanum agrum ingreſſis ſua tueri, quàm aliena bella curare maluit: eò Gallos illius ipſius hortatu, ne Venetis militaret, ab Ambaſiano immiſſos quidam ſuſpicati ſunt præſertim quod morbum paulò poſt cauſatus ſit, vel fortè ſimularit. Si Pontificiæ, Venetæque copiæ coniunctæ ſtatim Regium Lepidum oppugnaſſent, Gallos relicta vrbe pro arce duntaxat propugnaturos veriſimile erat: Italos enim pedites, vt ſumptui parceret, Ambaſianus exauthorarat. Sed dum cunctantur Ferrariámne aggrediantur, an vlterius progrediantur, incertæ, nouos peditum delectus Ambaſianus egit, & Saxolum in Mutinenſi agro ad Setiam fluuium ſitum oppidum, Roberiam eidem fluuio adiacentem, Regium, Parmam tuendam ſuſcepit: Pontificij tamen equites Regium verſus excurrerunt, verum à Gallis fuſi, fugatíque centum amiſſis, aliquot captis in primis autem * * * Comite, cæteri vix euadere potuerunt. Per eos dies Ferrarienſis, ac Caſtilio cum Gallis ad Padi ripam inter Hoſpitaletum, Bondenúmque, *Pontificij equites caſi.*

Digitized by Google

quod veterum Bondomagum fuiſſe putant, è regione Venetorum, qui partim propter hyemis aſperitatem, partim propter commeatus, ſtipendiíque inopiam claſſem domum reducere parati erant, caſtra poſuerunt. Ferrarienſes tormentis in minores naueis impoſitis Venetos aggreſſi octo nauigia demerſerunt, cætera per caſtrum nouum foſſa quæ in Tanarum, Atheſimque ducit, vix ſe in ſua receperunt.

Iulius mox vt exercitus, cui Fabricius Columna præerat (nondum enim Mantuanus acceſſerat) Vrbinate Mutinæ relicto Ferrariam peteret, iniunxit, quod Ferrarienſes conſpectis Pontificiis militibus ſeditionem excitaturos certo ſibi perſuaderet: exercitus præfecti in contraria ſententia erant, & populoſam vrbem validis præſidiis munitam alieno tempore oppugnandam non putabant: verum iter ingreſſos mutati conſilij non ſatis perſpecta ratione reuocauit, Saxolúmque miſit, cui præſidio impoſiti erant quingenti pedites (Vaſcones quadringentos numerat Bembus) Ioanne Caſalenſi Italo homine præfecto. Totum biduum vrbs tormentis pulſata Iulio clangorem ex eo ipſo cubiculo magna cum voluptate exaudiente, vnde paucis ante diebus Spilimbercum hoſtium tormentis concuti non minore moleſtia exaudiuerat: oppugnatio deinde cœpta fœliciter ſucceſſit; milites præfectum ignauum ſequuti cum trepidatione ſe in arcem abdiderunt, quam Caſalenſis eadem timiditate, qua Foroliuianam antea Valentino oppugnante dediderat, neque ſibi neque militibus cauens, hoſtibus nulla addita conditione permiſit. Hic obſcuro loco natus, & infimæ ſortis homuncio, quod adoleſcens ob formæ præſtantiam Ludouico Sfortiæ in deliciis fuiſſet, honoratos militiæ gradus aſſequutus erat. Ambaſiani prudentiam in deligendis vrbium præfectis plerique deſiderabant: Saxolo Formigo acceſſit; inde Montequium oppugnare Iulius volebat Ferrarienſis ditionis oppidum inter viam Regiam, Apenninúmque in Parmæ, ac Regij Lepidi confinio ſitum. Eò contendere Fabricius recuſauit, quod obnoxias Germanico Imperio vrbeis Ferdinandus bello infeſtare vetuiſſet: his obuiam ire Ambaſianus haud poterat, quod ſumptui parcere Ludouicus iuſſiſſet. Itaque Aubignium cum quingentis cataphractis equitibus, duobus peditum millibus præfecto Molardo Regio Lepidi præfecerat, ipſe Parmam conſeruandam ſibi delegerat: Ludouicus enim in ſententia perſeuerans bellum trahere, totas vires proximo vere explicare decreuerat. Verum interim hoſtibus increſcebat animus, Gallis exiſtimatio decreſcebat. Iulius igitur moræ impatiens præcipuos exercitus Duces Bononiam conuocauit, & de eorumdem cunctatione queſtus, vt Ferrariam circumſederent, edixit, nec vrgentis hyemis, aliáſque iuſtas excuſationes admiſit: vnus legatus Venetus haud ſe oppoſuit, vel quod exercitus ad Veneti agri fines appropinquaret, vel quod iratum magis irritare, atque ad iracundiam prouocare nollet, cæteri præceps conſilium damnarunt. Et ne Galli Ferrarienſibus opem ferrent, Mirandulam prius oppugnare idem iubebat, quæ ſimul ac Concordia Ludouici Pici liberis impuberibus, ac Franciſcæ Triultiæ Ioannis Iacobi nothæ filiæ eorum matri, ac tutrici parebat, quos Maximilianus in fidem receperat: vrbes Triultio procurante à Ludouico Rege ſtabant, quarum propugnationem antea Iulius ſuſceperat, ſed temporis habendam rationem aiebat, ne firmæ vrbes in hominum ſibi ſuſpectorum poteſtate relinquerentur: ſi ſponte dederentur, capta Ferraria ſe reſtituturum ſpondebat. Huius conſilij authorem Cardinalem Ticinenſem fuiſſe quidam tradunt, qui clam Ludouici Regis parteis fouebat, vt Mirandula obiecta, Ferrariæ obſidio differretur, quæ nondum ſatis munita, nec iuſtis præſidiis firmata in magnum diſcrimen incurriſſet. In bellum totus ferebatur Iulius, non grandis ætas, non grauis morbus, non aſpera hyems incenſum eius animum retinebat. Ludouicus non tam bellum gerebat, quam futuri belli rationes procurabat: cum Gurcenſi Pontifice conſilia communicabat, verum tarda Maximiliani reſponſa res bene cœptas in longum trahebant. Accedebat Ferdinandi à ſe abalienati ſuſpicio, qui claſſem Turcicam circa Hydruntina littora conſpectam prætendens Hiſpanos pedites Veronæ præſidio relictos reuocarat, & in regnum Neapolitanum redire iuſſerat. An Cameracenſem ſocietatem continuare, etſi Iulius in Venetorum amicitia perſeueraret, Ferrarienſémque principatum ſibi vendicare conaretur, an belli huius ſecum particeps, & cogendi totius Chriſtianiſmi Concilij author ſimul eſſe vellet, rogandum Cæſar, ac Ludouicus, & cum eodem certius agendum putabant. Ferdinandus ſuo more cunctator aliquantò poſt purgandi ſui multis de cauſis, quas illi Cæſar ac Ludouicus imponebant, occaſionem nactus, ſe regni Neapolitani nomine Romanis Pontificibus obnoxij ex clientelæ conditionibus trecentos cataphractos equites Pontificiarum

Iulius exercitus ſui ducibus Ferrariã circumſedendã edicit.

21

Digitized by Google

tificiarum ditionum dumtaxat tuendarum ergo, ad Iulium miſiſſe reſpondit: Hiſpanos pedites Verona acceſſiſſe, quod ad præſcriptam diem Cæſari operam nauaſſent; legatum ſuum ad Bononiam cum Ambaſiano de pace egiſſe, non vti auxilia interim Iulius aduocaret, ſed quod bellum aduerſus Pontificem Maximum nec ſatis pium, nec ipſi Ludouico gratum eſſe noſſet. Cameracenſem ſocietatem continuaturum, & quingentos cataphractos equites, pedites bis mille Cæſari aduerſus Venetos auxiliares miſſurum, non videre cur ſe nouis fœderibus illiget, nec quin aduerſus Chriſtianæ perſuaſionis hoſteis bellum Africanum perſequi ſibi integrum ſit, commiſſurum. De concilio cogendo, Sacerdotumque moribus inſtaurandis Sauonæ ſuam Ludouico explicaſſe ſententiam, in eáque, vt quamprimum concilium coeat, perſeuerare: niſi turbulenta, & bellis flagrantia tempora repugnarent, conſentienteis principes Chriſtianos tam pium opus aggredi debere, diſſentienteis vix quicquam, quod ad communem vtilitatem redundet, præſtare poſſe: tum igitur conuocandum concilium, quum non vltionis libido, ſed ſola pietatis contemplatio mouere vnumquemque videatur: ſeparatim Maximiliani legatis ſe fruſtra illi in conſeruandis vrbibus opem ferre dicebat, quas Ludouico mox certo pretio addiceret, Veronam autem indicabat; & Ludouici potentiam in Italia augeri permoleſtè ferebat.

22 Intellecta Ferdinandi occultiora ſenſa Ludouicum Regem, ac Gurcenſem Pontificem Maximiliani nomine ad renouandum, maturandúmque fœdus incitarunt; Iulio, vt intra duos; Hiſpano, atque Hungaro, vt intra quatuor menſes in id recipi poſſent, exceptum. Maximiliano Ludouicus centum nummûm aureorum millia, quod huius belli fundamentum fuit, partim ſe Gurcenſi repræſentaturum, partim ad præſcriptum diem numeraturum ſpopondit: Maximilianus viciſſim ſe primo vere cum tribus equitum, decem peditum millibus in Italiam tranſiturum, & bellum in Venetos renouaturum pollicitus eſt: in quod Ludouicus conferret, & mille ducentos cataphractos equites, octo peditum millia ſuo ſtipendio militatura mitteret, duas celeres triremes, quatuor minores, quas nothas appellant, adderet, vt Cameracenſe fœdus ſacroſanctum ſit vtrumque procuraturum: quod vt ſtatum fixumque maneat, Iulium Pontificem, Ferdinandúmque vtriuſque nomine rogandos. Id ſi propter Ferrarienſem recuſet Iulius, Ludouicum, vt ea controuerſia ex bono & æquo dirimatur, permiſſurum: ſin penitus à Cameracenſi fœdere, atque ab ipſorum poſtulatis alienum ſe præſtabit, Cæſarem Germanos Pontifices, vti non ita pridem Gallos Ludouicus, conuocaturum, vtrumque indictum concilium perſequuturum. Fœdere publicè præconis voce recitato Gurcenſis amplis muneribus donatus ad Maximilianum rediit: Ludouicus, ac quinque Cardinales concilium promouendum ſuſceperunt, nec niſi de communi conſenſu ſe cum Iulio conuenturos repromiſerunt; & Ludouicus cum potenti exercitu ſe veris initio in Italiam peruaſurum teſtatus, Ambaſiano, vt ſtatim Ferrarienſi opem ferret, mandauit: is Gallis equitibus octingentos Germanos pedites addidit, & ad Caſtilionem properare iuſſit. Contra Pontificius exercitus Marco Antonio Columna, qui Mutinæ præeſſet, cum centum grauis, quadringentis leuis armaturæ equitibus, peditibus bis mille quingentis, relicto Concordiam circumſedit, & tormentis aliquot horas pulſatam illo ipſo die expugnauit, arx mox ad deditionem coacta eſt: quanquam Concordiam & oppidum, & arcem à Paulo Capello Venetarum copiarum legato deditione captam, Iuliano exercitu Mutinæ adhuc cunctante, nec ſe explicante, Bembus prodidit: inde ad Mirandulam Decembri iam inclinante appropinquauit, quanquam hyems ſolito longè aſperior non ſolum milites, verum etiam duces ipſos ab obſidione deterrebat. Iulius miſſo propter Vrbinatis, Ticinenſiſque Cardinalis diſſenſionem Senogallenſi nouo legato coram multis vt Ferraria potitus vrbi parceret, & quoad poſſet, conſeruaret, iniunxit: at vero & temporis iniquitas, & ingens commeatus penuria, qui non niſi ex Mutinenſi agro ſumma cum difficultate importabatur miſeros, & frigore torpenteis milites affligebat: quinquaginta enim cataphracti Galli equites Gardaſtalli, totidem Coregij, ducenti quinquaginta Carpis hybernabant, & totam eam regionem percurſabant. Galli præterea pontibus paſſim diſruptis vias omneis, quibus è Mantuano in Mirandulanum agrum iter eſt, inſederant: tametſi de Carpis oppugnandis falſò rumore perlato Galli equites abſque peditum præſidio, abſque tormentis de tuenda vrbe deſperantes abierunt, & comportandis in hoſtium caſtra alimentis locum dederunt: fuſos à Troilo Sabello, qui cum Venetarum copiarum parte Setiam fluuium Carpos præterlabentem ponte ex lembis confecto traiecerat, falſò Bembus ſcribit. Sub id tempus de necando Petro Soderino Gonfalonnerio Iulius cum Medice Cardinale,

Bẽbi de Gallis à Troilo Sabello fuſis teſtimonium improbatur.

Digitized by Google

M. Antonio Columna, & aliquot Florentinis adoleſcentibus conſilium iniiſſe traditur
cuius opera, atque induſtria Florentinos in Gallorum amicitia perſeuerare ſibi perſuaſe-
rat, & paulò ante factas cum Senenſibus inducias Florentini Ludouico hortante diſſol-
uerant, vnde Iulius irritatus eſt, licèt iidem aduerſus Senenſes ante ſextum menſem arma
capere recuſaſſent.

Anno 1511.

Cœpta tandem vrbis oppugnatio Iulij diligentia incredibili, ardentibus querimoniis, 23
amplis promiſſis, interdum etiam minis, omnia multo celerius maturabantur: nec tamen
eam celeritatem, quam ille deſiderabat, afferebant: repugnabat tempus, foſſores pauci
aderant, tormentorum neque iuſta magnitudo, neque numerus ſuppetebat, neque pul-
uis tormentarius propter humidam hyemem ſuum munus ſatis implebat; in vrbe præſi-
diarij milites quadringenti Alexandro Triuultio præfecto, quod Ambaſianum ſibi auxi-
lio futurum ſperabant, ſeſe egregiè tuebantur, mandatum enim à Rege Ambaſianus ac-
ceperat, ne amicam vrbem in Iulij poteſtatem venire pateretur. Is nouis peditum dele-
ctibus accitis, & copiis vndique conuocatis Ferrarienſi quoque ſuas adiungere parante
Pontificium exercitum intra decimum tertium Kalend. Februar. aggredi Alexandro Tri-
uultio pollicitus erat: verum id conſilium multa interturbabant, breue ad exercitum,
exercituíque res neceſſarias comparandas tempus, ſpatium muniendis hoſtium caſtris
datum, commeatus, tormentorúmque profundo luto denſiſſimis niuibus diluto (neque
enim à multis annis tantas quiſquam viderat) perruptíſque itineribus comportandorum
difficultas, quam ſua imprudentia, ignauiáque Ambaſianus auxit, pecuniæ enim, alia-
rúmque rerum neceſſariarum conquirendarum ſpecie Mediolanum equis curſoribus
conceſſit: tametſi autem ſtatim rediit, tamen fama eam profectionem mulierculæ Me-
diolanenſis amore captum ſuſcepiſſe diuulgante, præſidiarij milites, Mirandulaníque
ciues de auxilio deſperantes animum deſponderunt.

Quid Ambaſianũ remoratũ fuerit quo minus Alexandro Triuultio ſuppetias tulerit.

Ambaſianum ob quaſdam, quæ illi cum Ioanne Iacobo Triuultio interceſſerant, ſimul- 24
tates cunctatum nónnulli tradunt, vt Mirandulanus comitatus à Triuultij nepotibus ad
alios transferretur, quemadmodum priuatas inimicitias publicæ vtilitati anteferre pleri-
que ſolent. Contra Iulius, vt vrbe potiretur, nihil inexpertum, nihil intentatum relin-
quens, magis vrgebat, quod ex domeſticis duo in eius culina cæſi fuiſſent: quinetiam
diuerſorium propter vrgenteis tormentorum pilas mutare coactus, & poſtridie eodem
reuerſus, ac propter noua pericula in Cardinalis Reginenſis diuerſorium profectus Mi-
randulanis id forte animaduertentibus, & maius tormentum eo dirigentibus ingens vitæ
diſcrimen adiit. Poſtremò Mirandulani deſperatis auxiliis bona muri, aggerúmque par-
te deiecta, foſſarum aquis gelu altè concretis, vt non ſolum hoſteis irruenteis, verum
etiam maiora pondera ferre poſſent, veriti, ne oppugnatione in alterum diem indicta
hoſtium impetum ſuſtinere poſſent, decimo tertio Kalend. Februar. quo die Ambaſianus
ipſis auxilio venire, atque hoſteis aggredi debebat, ad Iulium de deditione miſerunt, mo-
do id vita, & bonis ſaluis liceret. Recuſabat ille initio, & vt præſidiarij milites ſeſe eius
arbitrio permitterent, petebat: ſed tandem ſuorum precibus victus oblatas conditiones
accepit, niſi quod Alexandrum Triuultium, & quoſdam centuriones captiuos retinuit;
arx quoque dedita eſt: Triuultia cum liberis, ac bonis abire permiſſa. Mirandulam Ioan-
ni Franciſco Comiti Iulius condonauit, atque illi quaſi bello partam excluſis Ludouici
Comitis liberis ſuo iure ceſſit; nec tamen gratis Ioanni Franciſco Mirandulam Pontifex
Iulius condonauit, in belli impenſas cautionem ab illo de viginti nummûm aureorum
millibus ad præſcriptum diem ſibi dependendis exegit, eiuſdémque filium obſidem in-
terim retinuit, vrbem, vt à direptione vindicaretur ſex nummûm aureorum millibus mul-
ctauit; at milites ex promiſſo agenteis, quin diriperent, vix cohibere potuit, in quam
per muros ſublatus (portæ enim humo oppletæ, aggeréque cinctæ ingredientem excipere
nequibant) ingentem de ſua victoria voluptatem cepit. Ibi quingentis Hiſpanis pediti-
bus, trecentis Italis præſidio relictis Sermedum Mantuani agri oppidum ad Padum ſitum
proceſſit, certa vt ſibi perſuadebat, Ferrariæ potiundæ ſpe inductus: vnde capta Miran-
dula ſtatim Alberto Pio ne de pacis conditionibus, niſi Ferraria prius ſibi dedita, verba
faceret, edixit.

Ludouicus erepta ſibi Mirandula ſerio ad bellum ſe accingit.

Sed noua Ludouici conſilia eam illi mentem immutarunt: quantum enim de ſua exi- 25
ſtimatione capta Mirandula imminutum fuiſſet, metiens, & Iulium à pace penitus alie-
num expertus Ambaſiano mandauit, non ſolum, vt Ferrariam tueretur, verum etiam, vt
Pontificias ditiones ſi ita ferret occaſio, inuaderet, à quibus hactenus, vt abſtineret, iuſſe-
rat, vnde Ambaſianus magnos militum delectus agens ſeſe ad bellum comparabat. Iulius
ex ducum

Digitized by Google

ex ducum ſuorum conſilio Bononiam rediit, vbi paucos dies commoratus vel metu, vel (ſic enim iactabat) vt Baſtiæ Geniuolanæ expugnationem maturaret, aduerſus quam aliquot pedites mittere decreuerat, Lugium primum, Rauennam deinde profectus eſt, Baſtianam expeditionem ſe indignam ratus. Venetæ copiæ propter Gallorum viciniam Ferrariam obſidere haud auſæ ad Bondenum, Pontificiæ, atque Hiſpanæ inter Centium, ac Finale ſubſtiterant, quæ adhuc, tametſi tres menſes finiti erant, Iulio ita poſtulante remanebant. Contra Ambaſianus coacto exercitu peditatu ſine controuerſia ſuperior, equitatu etſi numero inferior, at equitum robore, ac vigore etiam ſuperior, quid potiſſimum agendum eſſet, conſultabat. Ferrarienſis Pontificios è ſuis ditionibus planè iam exhauſtis pellere cupiens, & Ambaſianum, ac præcipuos Gallici exercitus duces enixè ambiens, vt ſuis copiis iunctis hoſteis adorirentur, ſuadebat: Gallos viribus ſuperiores ſuo, tormentorúmque impetu hoſteis, licèt firmioribus locis caſtra poſuerint, facilè repulſuros, & non ſolum amiſſam exiſtimationem recuperaturos, ſed & Ferraria conſeruata Mantuanum agrum ingreſſuros, regulo, quas prætendit excuſationes, præciſuros: cur Cæſari obnoxius, & Regis ſtipendio affectus pro ipſis arma capere prohibeatur, quorum ſi ſe ſocium declarabit, magnas hoſtibus vel commeatus, vel fluuiorum traiiciendorum commoditates deperituras conſtet, Venetis præſertim, qui cum Pontificiis niſi ſumma cum difficultate coniungentur, & milites præterea, quos in Pontificio exercitu habet, reuocabit. Ferrarienſi Gallorum ducum bona pars vel precibus victa, vel ita perſuaſa, in primis autem Ambaſianus aſſentiebatur: at nonnulli ex Gallis ducibus, ipſéque adeo Ioannes Iacobus Triuultius, qui nuper è Gallia illo ipſo tempore, quo Mirandula capta fuerat, reuerterat, in contraria ſententia fuerunt: hoſteis in ſuis caſtris longo otio munitis, & locis ſemper tutioribus noua caſtra metaturos, perſequi, & magni laboris, nec exigui periculi fore; Mutinam, aut Bononiam circumſedere longè ſatius eſſe. Si enim obſeſſis Pontificij opem ferent, & Ferraria in tuto erit, & pugnandi copia fortaſſe non deerit: ſin iiſdem in locis conſiſtent, de altera harum vrbium potiunda non leuis ſpes erit, vnde etiam nolenteis ad ſua tuenda maior neceſſitas attrahet: vbi inde exierint, & apertis campis incedent, victoriæ occaſionem vltro ſe prudenter captantibus oblaturam, Gallóſque voti ſui non minus compotes futuros. Sed quandoquidem Ambaſianus, ac plerique alij Galli duces in priorem ſententiam inclinabant, in quam etiam Ferrarienſis totis viribus incumbebat, ea tandem ſuperior fuit. Verebatur Ferrarienſis, ſi Galli remotius aliquanto ſecederent, ne Pontificij Poleſelianam peninſulam occuparent, vnde Ferraria commeatu, ſpéque adeo omni deſtituta tabeſceret. Igitur Gallicus exercitus per Luceriam, ac Gonzagam progreſſus Raſſoli, Moiæque totum triduum ob hyemis ſæuitiam commoratus à Mirandula obſidenda abſtinuit, quod Iulij diſceſſu ſuburbiis incenſis miles ſub dio pernoctare non poſſet: Concordiam quoque milliaribus quinque diſtantem prætermiſit, ne in exiguis, paruíque momenti vrbibus tempus inaniter conſumeret. Secundis caſtris Quiſtellum, tertiis Setiam fluuium ponte è lembis inſtructo traiiciens contiguum Pado Reuerum appulit: vnde Andreas Grittus qui recuperata Poleſeliana peninſula partem militum Bernardino Montonenſi præfecto Montaniani reliquerat, & cum trecentis grauis, mille leuis armaturæ equitibus totidem peditibus, Pado, vt ſe Pontificiis adiungeret, appropinquabat, direpto prius Guardaſtallo (Gaſtallam hodie vocant) retro iter vertit, ac Montanianum rediit.

Ferrarienſis Iulij milites ſuis ditionibus expellendos eſſe Gallorum ducibus perſuadet.

26 Quartis caſtris Galli Sermedum profecti in finitimos vicos firmis tamen præſidiis diſpoſitis diſperſi ſunt: inde cum nonnullis equitum, peditúmque præfectis Triuultio non accito Stellatam Ambaſianus petiit, vbi venientem Alphonſus expectabat, vt Ferrarienſes copiæ Gallicis ad Bondenum relictis iungerentur, deinde totus exercitus ad quoſdam vicos tribus milliaribus Finali, vbi omnes Pontificiæ copiæ coierant, diſtanteis caſtra facerent deliberatum. Sed reuerſus Sermedum Ambaſianus iter illud perdifficile fore certior factus eſt (ager enim totus aquis vndique redundabat, & hyeme plus ſolito gelu concreſcente tempus aduerſum penitus erat) vt via Regia, & canalis aggeribus Gallos incedere neceſſe eſſet: quam ſimul, atque aggeres Pontificij multis locis interſciderant, & iuſtis præſidiis obſederant. Contra ſentiebat Alphonſus, & prolatis neſcio quibus locorum gnaris, aliiſque tormentorum tranſportandorum peritis iter haud imperuium eſſe, tormentorum vi præſidia deiici, pontéſque mox inſtrui poſſe perſuadere conabatur. Primo conuentu in Alphonſi ſententiam itum: ſed quandoquidem magni momenti res erat, præcipuos duces in conſilium deintegro Ambaſianus vocauit. Hic Triuultius in priore ſententia perſeuerans, itinerúmque difficultate iam propinquas exponens aut Mutinam,

Triuultij de Mutina aut Bononia oppugnanda prudens conſilium.

vbi

vbi multos ſuæ factionis Cardinalis Ateſtinus vir admodum prudens eſſe admonebat, aut Bononiam circumſedendam confirmauit, Ferrariam iuſto præſidio firmatam extra periculum fore, hoſteis ad ſua tuenda neceſſariò reuerſuros, Gallos præterea latis, fertilibúſque campis caſtra facienteis aliquam victoriæ occaſionem reperturos. Ea ſententia omnium voce comprobata (difficultatibus enim ſe propius obiicientibus priſtina erga Alphonſum beneuolentia refrixerat, & nonnulli ex Gallis idem antea ſenſerant) Ambaſianus maiora Ferrariæ conſeruandæ auxilia reliquit, Carpum ipſe iter inſtituit: nondum ſe Mantuanus Regis ſocium declararat, neutram in partem ſe dare in animo habebat; à Iulio, vt Gallos longius à ſuis ditionibus abeſſe pateretur, ab Ambaſiano, vt filium Iulio quaſi obſidem datum intra paucos dies recipere permitteret, petebat. Mutinam interim Germanici Imperij fundum (ſic enim quod vulgo feudum vocant, non ineptè interpretari mihi videor) à Iulio occupatam ægrè ferebat Cæſar: cuius ergo Germani Imperatores iamdudum Ateſtinos clienteis ſuos agnouiſſent, eámque non ſine multis querimoniis repetebat. Recuſabat Iulius tantiſper dum Ferraria ſe potiturum ſperabat: verum vbi Galli viribus ſuperiores euaſerunt Ferdinandi conſilium ſequi in animum induxit, qui ne Cæſarem irritaret Iulius, & vt inter ipſum, ac Ludouicum inimicitiarum ſeminarium iaceret, impenſiſque parceret, Mutinam eidem condonandam ſuadebat, quam mox non magno ære ab ipſo Cæſare, ſi ita videretur, redimeret, cuius prodigalitas, vt omnia venalia haberet, in cauſa erat. Difficultas vna dumtaxat intercedebat: condonare niſi Pontificem Romanum patronum Cæſar agnoſceret, Iulius recuſabat, condonatam recipere nolebat Cæſar, niſi in ipſo diplomate vrbem ſuæ clientelæ eſſe aſcriberetur. His vltro, citroque aliquandiu agitatis Iulius tandem Vitfruchium Cæſaris legatum in vrbis poſſeſſionem mittendum curauit; is M. Antonium Columnam, cæteróſque, qui Romani Pontificatus nomine vrbi præſidio erant, dimiſit; & Ambaſiano Mutinam non amplius in Iulij, ſed iam in Cæſaris poteſtate eſſe indicauit; cui fidem non adhibens Ambaſianus Cardinalem Ateſtinum, vt quod pollicitus erat, re declararet, & Mutinenſes ſuæ factionis ad dedendam vrbem incitaret, rogabat.

Hac ſpe inducti Galli Roberiæ præſidio relicti noctu Mutinam acceſſerunt, vix milliari aberant: at nullum ex vrbe vel nuncium, vel ſignum acceperunt, quod Mutinenſes, 27
quod promiſerant, præſtare non poſſent, aut quod Galli maturius acceſſiſſent. Galli ſpe fruſtrati eadem nocte Roberiam redierunt; iterum Roberia idem tentaturi exierunt, verum aquis exundantibus Setiæ fluuij, qui prope Roberiam fluit, tranſitu prohibiti rurſus re infecta, vnde digreſſi erant, reuerterunt. His de cauſis ſuſpicione de Mutinenſibus concepta Vitfruchius (Videfruſtum vocat Iouius) nonnullos in cuſtodiam tradidit, à Iulio, vt Marcus Antonius Columna cum eodem præſidio Mutinam rediret impetrauit. Mutinam nihilominus Ambaſianus ad Carpum caſtra metatus circumſediſſet, niſi tormenta comportare hyems frigidiſſima, atque humidiſſima prohibuiſſet: tametſi enim Carpo Ruola decem dumtaxat milliaribus abeſt, tamen nullum tota Gallia Tranſalpina magis impeditum iter ſatis eſſe conſtat, & iam Mutinam Cæſari re vera condonatam intellexerat: cum Vitfruchio itaque ne Mutinam, Mutinenſémque agrum infeſtaret, modo viciſſim Vitfruchius neutrā ſe in partem daret, nec Iulio magis quàm Gallis faueret, conuenit. Paucis pòſt diebus Ambaſianus in grauem valetudinem incidit, & Corregium deportatus decimo quinto poſt die è vita exceſſit, tametſi Bembus Rhegij mortem obiiſſe ſcribit: is inſtrumēto publico, quod aduerſus Romanum Pontificem arma tuliſſet, veniam à Iulio ſibi dari poſtulauit, quam viuo adhuc facilè Iulius dedit, at morte præreptus eius certior factus non eſt. Is diu Cardinalis Ambaſiani patrui potentia clarus Mediolanenſem principatum ſuo arbitrio adminiſtrauit, ac Gallicis exercitibus in Italia militantibus præfuit: tanto munere indignum, ac rei militaris imperitum, quique peritis fidem haud adhiberet, Itali, virum prudentem Philippus Cominæus deſcribit: patrui morte multum de ſua authoritate imminutum agnoſcentem militibus ne quid aduerſum ſe Regi indicarent nimis indulſiſſe nonnulli tradunt. Ambaſiani morte Ioannes Iacobus Triuultius vnus ex quatuor Galliarum Mareſchallis tantiſper exercitui præfuit, dum Ludouicus ſucceſſorem deſignaret: is Longauillanum regulum primum, mox Gaſtonem Fuxium ſororis filium admodum adoleſcentem, ſed magnæ indolis præeſſe iuſſit. Triuultius interim Sermedum redit, Baſtiæ, Geniuolanæ, quam Pontificij circumſederant, opem laturus, nec tamen vltra progreſſus eſt; quod Ferrarienſis cum Caſtilione, & Gallis ac ſuis copiis Ferraria egreſſus pedites ſecundo Pado magna celeritate vehi, equites ad Padi ripas gradum adæquare iuſſit, Baſtiámque contendere. Ad Vatrenum fluuium appulſi ponte,

Ambaſiani mors Corregij.

Digitized by Google

ponte, quem ſecum tulerant, iacto hoſteis nec opinanteis, ac diſperſos aggreſſi omneis vno momento fuderunt: ſoli trecenti Hiſpani pedites tormentis cuſtodiendis attributi ſe tueri auſi magna ex parte cæſi ſunt: ſigna omnia, ac tormenta in Ferrarienſis, Gallorúmque poteſtatem venerunt: Guido Vainus, Brunorus Foroiulienſis, ac Meleager eius frater equitum præfecti vix euadere potuerunt. hinc Veneta claſſis, quæ non longè aberat, atque oppugnantibus auxiliatura acceſſerat, metu territa ſe in Padum recepit.

28 De bello acri aduerſum Venetos primo vere inſtaurando, ac de conuocando totius Chriſtianiſmi concilio, niſi Iulius Cameracenſem ſocietatem continuaret, ſequeſtre Gurcenſi Pontifice (vt ſupra commemorauimus) inter Cæſarem Ludouicúmque conuenerat; idcirco omneis hæreditariarum ſuarum ditionum Pontifices, ac Germanos præterea nonnullos, quemadmodum paulò ante in Gallia Ludouicus, Cæſar coire iuſſerat, vt de ratione cogendi concilij, & quo loco cogeretur, viderent. Sed incertus Iulij animus captioſis ac fallacibus Ferdinandi conſiliis circumſcriptus labare, atque aliud agitare cœpit; Ferdinandus rebus Venetorum communibus Cæſaris ac Ludouici armis acciſis (neque enim reſiſtere vtrique poterant) & Iulio Pontificatu abdicato (ea namque de illo concilio ſemel coacto prope certa ſpes erat) nimiam Gallo potentiam acceſſuram animaduertens pacem Chriſtianorum principum vniuerſam Cæſari longè vtiliorem, quam priuatam cum Gallo ſocietatem fore perſuadere conabatur, modo interim vel ſibi hæreditarias, vel Germanico Imperio vrbeis obnoxias, quas Veneti occuparant, aut certè bonam earum partem Cæſar reciperet, Mantuam legatum ſummæ authoritatis cum amplis mandatis mitteret, Ludouico idem perſuaderet, ſe quoque ſuum illuc continuo miſſurum, Iulium tot principum eadem poſtulata æquiſſima minimè reiecturum, Venetos ne ſoli prædæ ſint, Iulij conſilia neceſſario ſequuturos. Sic Cæſarem ſine armis, atque impenſis Gallorum ſi nō manifeſtorum, at certè clandeſtinorum hoſtium potentia non aucta primum quod ſuum eſt, tum verò pacem vniuerſam ſumma ſua cum laude conſequuturum, quæ ſi ex animi ſententia non ſuccederent, quamuis recta ratione metientibus ita ſucceſſura videantur, Cæſari nihilominus ad bellum præſcripto tempore inſtaurandum integra omnia futura, vniuerſum Chriſtianum orbem eius pia conſilia agniturum, qui Chriſtianorum principum ſummus, cui cæteri parere debeant, & ex officio præcipuus Chriſtianæ perſuaſionis propugnator pacis toto Chriſtianiſmo cōciliandæ authorem ſe præbeat; aliorum autem pertinacia, malignîſque conſiliis ad bellum gerendum non ſponte, ſed quadam neceſſitate abducatur: hæc quoquo ſe vertant, in illius ſummam laudem, ampliſſimámque gloriam ceſſura. Ferdinandi conſilium Germanica ſimplicitate quid in ſpecioſa oratione fraudis lateret, haud accuratè ſcrutatus, in bonam partem Cæſar accepit, ad Iulium ſe breui Gurcenſem Pontificem in Italiam miſſurum ſcripſit, quod pius princeps totius Sacerdotum ordinis propugnator, ac Chriſtiani orbis Imperator pacem toto Chriſtianiſmo procurare in animo habeat, Iulium Chriſti legatum in idipſum eadem cura incumbere, & communem Chriſtianorum tranquillitatem perſequi debere: id ſi præſtet Chriſtianis omnibus omnia feliciter ceſſura: ſin alienum ſe præbeat, videat ne Chriſtianos principes, Cæſarem in primis ad quærenda conſtituendæ Chriſtianæ tranquillitati neceſſaria remedia impellat: quod Cardinales non priuato in ſe odio, nec iniuſta de cauſa abſenteis de gradu deiicere conetur, nec ſolum poſſe, nec id ſe vllo modo probare, multo vero minus probare, quod quandam veluti Cardinalium turbam in eum cœtum cooptaturus feratur: præſertim quod paulò ante quam Pontifex crearetur, & ſuo & Cardinalium omnium conſenſu, id ipſi diſertè interdictum ſit, numerum ne augeat, in tranquilliora tempora differat, & tum viros prudenteis doctrina ſimul & vitæ integritate præſtanteis in re Chriſtiana promouenda ſibi conſiliarios cooptet.

Quem in finem Ferdinandus Hiſpanus Cæſarem ad pacis conditiones traducere conetur.

29 Ludouico ſe quam honeſtæ pacis ſtudioſus eſſet gnarum de mittendo breui Mantuam Gurcenſi Pontifice deliberaſſe ſignificauit, vt pacem vniuerſo orbi Chriſtiano procuret: à qua Iulium, cuius Veneti iudicium ſequantur, non alienum fore ſibi perſuadeat, & Hiſpani legati confirment; precari vt legatos eodem quoque mittat. Ferdinandum tam pio negotio haud defuturum pro certo habere, vbi omneis coierint, Gurcenſem apud Iulium acturum, vt omnes omnium controuerſiæ ex bono, & æquo componantur: ſin recuſet Iulius, illi concilium omnium nomine denuntiaturum, ſe nunquam cum Venetis, niſi eadem opera cum Iulio Ludouicus conueniat, fœdus initurum. Hæ litteræ Iulio acceptiſſimæ fuerunt, non quod pacem optaret, ſed quod Venetis, vt cum Cæſare conuenirent, perſuaderi poſſe ſperabat: Cæſarem autem ea neceſſitate, qua cum Ludouico ſocietatem coierat, liberatum, priſtinique in Gallos odij haud immemorem cum multis aliis principibus

aduerſus

Digitized by Google

aduerſus eundem arma ſumpturum non fruſtra ſibi pollicebatur. At Ludouico Regi eædem moleſtiſſimæ re nec opinata omnes ſuſcepti belli rationes perturbabant, de pace enim deſperans Iulij, ne is Gurcenſi Cardinalitium galerum, Cæſari in recuperando Mediolanenſi principatu opem pollicitus eundem à ſe diſiungeret, aut Cæſare Venetis reconciliato ſe ad iniquas pacis conditiones adigeret, timebat: quæ vt non euenirent, at certè bellum differri, bonáſque occaſiones amitti prouidebat, ex multis enim malis hoc minimum ſibi ob oculos ponebat: quodque magis ſuſpicionem augebat, ſocietatem nuper Cæſar cum Heluetiis pro ſuis ditionibus inuicem tuendis inierat. Hæc quoque noua conſilia à Ferdinando in medium prolata nō ignorabat, cuius legatus in Cæſare, Venetiſque conciliandis, quoad poterat, operam nauabat: Iulium clam à Ferdinando ad bellum incitari ſuſpicabatur, in cuius exercitu Hiſpani diutius, quam Neapolitani regni nomine tenerentur, remanſerant; eundem ad concilium interrumpendum omneis machinas adhibere nouerat, vt ſe propemodum cum Iulio conſociatum profiteretur. Claſſem præterea ingentem inſtruxerat, quam etſi aduerſus Africanos Mauros comparari diuulgarat, tamen quonam ea tenderet, incertum erat; quódque ſuſpicionem augebat, pietatis atque affinitatis ſimulatione, blandis ſermonibus, ac fraterna quodam modo adhortatione Ludouicum obſecrabat, ne ſe contra Gallorum Regum cognomen Romani Pontificatus hoſtem declararet: prius quam eam notam ſubiret, de ſuo iure nonnihil remitteret, nec ſe à ſuſcepto aduerſus Chriſtianæ perſuaſionis hoſteis bello reuocaret, antiquum Chriſtianorū principum morem fuiſſe, vt ſacrum bellum ſuſcepturi aliorum opem implorarent, ſe ne interturbetur, atque interim Italia optata pace fruatur, dumtaxat poſtulare: quæ quanquam Regio legato apud ſe agenti mira ſimulatione dixerat, & per ſuum Ludouico non minori artificio ſignificanda curarat, tacitam tamen belli denuntiationem, niſi cum Iulio Ludouicus conueniret, continere videbantur, quod ſuſcipere niſi Cæſare ſocio non auderet.

Belli à Iulio ſuſcepti auctor, quis.

Hæc Ludouicum in primis torquebant, & ne Gurcenſi ſequeſtre de pace ageret, reuocabant, 30
tamen ne Cæſarem irritaret, Mantuam Pariſienſem Pontificem virum honoratum & inter Iureconſultos magni nominis miſit. Interim à morte Ambaſiani nondum deſignato Regis legato (quidam enim Longauillano regulo, alij Gaſtoni Fuxio Regiæ ſororis filio id munus ambiebant, qui ad exercitum ſuperiore anno admodum adoleſcens acceſſerat) Triuultius exercitum ad Sermedum, finitimóſque vicos continuit, hyemis aſperitate ita adhuc vrgente, quanquam Martio ineunte, vt ſub dio miles pernoctare non poſſet. Idibus Martiis Triuultius communicatis cum Ferrarienſi conſiliis Stellatam cum exercitu peruenit, poſtridie paululum progreſſus ad Padum caſtra fecit: deinde inter Stellatam ac Figariolum iacto ex coniunctis lembis ponte, & alterum paulo infra vix milliari diſtantem Ferrarienſis erexerat, tormentáque ſecum deportarat. Hoſpitaletum Poleſelianæ inſulæ oppidum è Bondeni regione Ferrarienſis, Bondenum Triuultius contendit, & Venetos in Mirandulano agro locum inſidiis captare certior factus, illuc Gallos equites præmiſit, qui vbi Bellaetem amœnam potius quàm munitam domum appulerūt, Leonardum Alecium Rhodiæ militiæ equitem Neapolitanum (Salentinum Iouius fuiſſe ſcribit, Appulum vocat Bembus) Venetorum leuis armaturæ equitum præfectum cum quinquaginta equitibus, & qui milites præterea eodem coituros expectabat, nihil tale meditantem aggreſſi, ac pleroſque alios ceciderunt, cæteros captiuos abduxerunt: nocte inſequente Bondenum tormentis pulſare cœpit: verum Pado interiecto propter locorum diſtantiam nihil omnino profecit. Siquidem & qui Bondenum inſederant, aggere pleriſque locis interrupto vicinum agrum inundarunt, vt à caſtris Gallicis Bondenum niſi lēbis accedi non poſſet. Ludouicus, ne Pontificatus Romani ditiones infeſtaret Triuultio mandauit, donec quid Gurcenſis cum Iulio pertractaſſet, intellexerit. Tum, hoc eſt, ſub Martij finem ingens terræ motus Venetias, Patauium, Forum Iulij, Tauriſum, ac nonnulla alia finitima oppida vehementer concuſſit, domóſque permultas diruit. Gurcenſis ad Benacum aliquot dies Iulij reſponſum expectarat, à quo, vt legatos mitteret quibuſcum de communi pace communicaret, contenderat: tandem Petro Vreo Ferdinandi apud Cæſarem legato comitante Mantuam acceſſit. Eodem paucis pòſt diebus Pontifex Pariſienſis appulit, quo Iulium legatos quoque miſſurum cæteri ſibi perſuadebant: at Ligur, vt ad ſe Gurcenſis adiret, inſtabat, non Pontificiæ authoritatis ſibi vendicandæ ergo, (id enim tum non agebat) ſed vt hominem honorificentiſſimè accipiens, multiſque promiſſis onerans, & coràm vehementi oratione flectens in ſuam ſententiam pertraheret, ab omni pace ac fœdere prorſus alienam. Idcirco Hieronymum Vicum Valentinum Ferdinandi apud ſe legatum Gurcenſi, vt ſe inuiſeret, perſuaſurū Mantuam ire iuſſit: non recuſabat ire Gurcenſis, verum præpoſtera

Triuultij à morte Ambaſiani progreſſus.

Venetia ac Patauium ingenti terræ motu concuſſa.

Iulij

Iulij poſtulata eſſe inferebat, diſcutiendas prius omneis Mantuæ controuerſias; mox vbi conuenerint, aut vt conueniant, non longè abſuerint, tum honoris ergo ad Iulium iter inſtituturos. Qui enim Pariſienſem Pontificem Cæſaris hortatu Mantuam profectum, aut ſolum relinquat, aut ſecum deducat? ſi ſolum relinquat, qua ſpe Regis ſui negotia pertractet? ſin ſecum deducere conetur, nec mandatum habere, nec è dignitate ſui Regis eſſe, vt prius, quàm controuerſiæ componantur, aut componendarum magna ſpes oſtendatur, ad hoſtem ſe conferat.

31 Contrà ambo Ferdinandi legati Ferrarienſe negotium totius pacis fundamentum eſſe ducebant, eo compoſito non ſupereſſe, cur Iulius Venetos tueri debeat, Venetos à Iulio deſertos eas pacis leges, quas Cæſar dixerit, accepturos: Iulium non obſcuro iure Ferrariam ſibi vendicare, Ferrarienſem præterea erga ſe non ſatis gratum agnoſcere, vt cliens patronum adeat, ſéque demittens eius clementiam imploret, ſatius eſſe, quam ſi litigatorum more apud arbitros, iudicéſue de ſuo iure diſceptet. Hæc ſi præſtet Ferrarienſis Iulium placabiliorem fore, & multa de ſuo iure conceſſurum: addebant, ſed ſpecioſa admodum oratione, controuerſias, niſi ij quorum de re agitur interſint, non poſſe diſceptari, de re duorum hic dumtaxat agi: Cæſarem, Ludouicum, Ferdinandum tam arcta ſocietate, propinquitate, amicitia coniunctos, vt fratres verè dici poſſint, vnam, eandémque, alteram Iulium ſuſtinere perſonam, illorum omnia vel commoda, vel incommoda communia eſſe, huius ſeparata, illos Mantuæ per legatos adeſſe, hunc, ſed propius, abeſſe, propius quum abſit conueniendum eſſe, nec paruam moram, aut leuem difficultatem bono publico ante ponendam; at per legatos non minus, quam illi, Mantuæ adeſſe poterat Iulius. Poſtremo Gurcenſis de adeundo Iulio Ferdinandi legatis aſſenſus eſt, pacem is optare ſimulabat, bellum interim acre adornabat, Baſtiam Geniuolanam aggredi deintegro Ioanni Vitellio iuſſerat: verum peditum bona pars ſtipendio non exoluto dilapſa erat, & qui Baſtiam præſidiarij inſederant, Padi aggeribus perruptis totum agrum inundarant. Præterea Ferrarienſis duplici claſſe ſuperior Venetam ad Alberti Fanum aggreſſus multis nauigiis captis facilè in fugam vertit: vnde Baſtiæ capiundæ ſpe abiecta Vitellium cum ſuis Iulius ad Finalenſia caſtra miſit. Hoc ipſo tempore Cardinales octo partim vt principes nonnullos ſibi conciliaret, partim vt ſe aduerſus Piſanum concilium muniret, creauit; in his fuere Eboracenſis Pontifex Henrici Angliæ Regis legatus, quem aduerſus Gallos arma capturum pollicebatur: Sedunenſis, quod Heluetios cum Iulio conſociarat, & à Gallis abalienarat: vnum præterea ex Cardinalium conſenſu, cuius mox nomen ederet, ſibi deſignandum reſeruauit, hac fallaci ſpe Gurcenſem illecturus, quem vbi de ſe conueniendo conſenſiſſe intellexit, modis omnibus ambire conatus eſt.

Iulius Pontifex octo in ſacrum Cardinaliū collegium adlegit.

32 Nihil autem auguſtius præſtare ſe poſſe ratus, quam ſi ipſe obuiam prodiret, venientémque in ampla ciuitate exciperet, Rauenna Bononiam profectus eſt: eodem triduo poſt Gurcenſis appulit, ac tam raro cum honore exceptus eſt, vt vix vllus maior Chriſtiano Regi exhiberi poſſet: nec minore cum pompa Gurcenſis Cæſarei legati nomen vſurpans, idcircóque multa Germanica nobilitate comitatus, vrbem ingreſſus eſt, ad vrbis portam legatus Venetus ſeſe plurimum demittens obuiam iit: at Gurcenſis inauditam arrogantiam non ſolum corporis geſtu, ſed verbis etiam oſtentans mirandum in modum indignatus eſt, quod Cæſaris hoſtium legatus coram ſe conſiſtere auſus eſſet: cum hoc faſtu ad publicum Pontificij Senatus conuentum, vbi venientem cum Cardinalibus Iulius expectabat, proceſſit, ac paucis verbis, ſed mira inſolentia enuntiatis, ſe in Italiam à Cæſare miſſum eſſe dixit, vt honeſtæ pacis conditione potius, quam belli graui exitu Cæſar, quæ ſua eſſent, recuperaret: pacis autem conditionem nullam iniri poſſe, niſi Cæſari quicquid ad illum quoquo iure pertineret, Veneti redderent: eadem Iulio mox priuatim eadem iactantia repetiuit. Superbiloquentiam poſtridie res eadem vanitate geſta conſequuta eſt: treis ex eius conſenſu Cardinales Iulius deſignarat, Georgianum, Reginenſem, Mediceum, qui cum illo de communibus negotiis pertractarent: ij ad condictam horam hominem expectabant: at ille quaſi ſe indignum niſi cum Iulio ipſo agere exiſtimans treis ex ſuis comitibus viros quidem nobiles miſit, qui cum ſupra commemoratis Cardinalibus de rebus propoſitis communicarent: Iulium eam indignitatem placidè deuorare, ac concoquere cogebat. Poſt multas igitur altercationes Gurcenſis vt Patauium, Tauriſúmque cum finitimo agro Veneti retinerent, vtramque vrbem à Cæſare in clientelam acceptam agnoſcerent, ingentem, cuius numerus non traditur, pecuniam Cæſari penderent, cæteris omnibus vrbibus cederent, aſſenſus eſt. Verum eadem aſſentiri Venetus nullo modo volebat, conſeruandam potius pecuniam, ſi hæc belli tempeſtas commutetur, aut alio feratur, occaſionem, qua cæteras ditiones amiſſas recuperent, non defuturam.

Gurcēſis legatio ad Iulium Pontif. Max. breuiter recēſita.

Hh Contra

Contra Iulius Venetos partim precibus, partim minis vrgens eorundem Cæſari reconciliandorum ardore flagrabat, huiuſmodi reconciliationem apertam Cæſaris à Rege Ludouico abalienationem interpretatus: verum iam non tanta eius apud Venetos authoritas erat, quod vnde ardor ipſe manaret, intelligebant, & Ludouico non reconciliatum ſecum initam ſocietatem haud diſſoluturum ſibi perſuadebant. Tandem Gurcenſi de duris conditionibus aliquid remittente, Venetis Pontificio ardori aliquanto magis, quàm ſtatuiſſent, cedentibus, Hiſpanis legatis tanquam honorariis arbitris ſeſe in eam pacificationem interponentibus controuerſiæ omnes componi haud difficulter poſſe videbantur.

Supererat Ludouicus Iulio reconciliandus, quod niſi obtineret, nullum Cæſar fœdus inire decreuerat: omnis controuerſia de Ferraria erat, bonam Gurcenſi Cardinalis Ticinenſis, Hiſpaníque legati reconciliationis ſpem dabant: idcirco eam ſe facilè aſſequuturum ratus (nam & Regem nonnihil de Ferrarienſis iure remiſſurum ſciebat) quod raro antea, Iulium adiit: ſed quædam proloquuturum, pluraque dicturum Iulius interpellans hortari cœpit, vt Cæſar Venetis reconciliatus rem Ferrarienſem pro derelicto haberet, præſentem occaſionem, qua tot contumeliis, iniuriiſque prouocatus Gallos vlciſceretur, ne repudiaret: quem poſtquam Gurcenſis multis rationibus aggreſſus ab ea mente dimouere haud potuit, pedes deoſculatus, nec quicquam cum Venetis pactus ſe inde profecturum denuntiauit, atque illo ipſo die multa de Iulio queſtus Mutinam abiit: in primis quod ſuo aduentu quaſi induciis vbique factis Vintemilienſem Pontificem ad intercipiendam Genuam Iulius miſiſſet, ægrè ferebat, cuius certiores facti Galli clam mutata veſte proficiſcentem in Monferratenſi agro comprehenderant, & Mediolanum deduxerant, vbi omneis ſuæ profectionis cauſas indicarat. Gurcenſem Bononia egreſſum ſtatim reuocandum, ſed fruſtra, curauit Iulius, inſtitutum enim iter perſequutus eſt: prius tamen ab Hiſpanis legatis, vt trecentos cataphractos equites à Ferdinando miſſos in regnum Neapolitanum reuocarent, contenderat, quod & illi nihil cunctati aſſenſi ſunt. Mirabantur initio plerique dum concilium totius Chriſtianiſmi indiceretur, & Cæſar, ac Ludouicus cum potentiſſimis exercitibus in Italiam inuadere pararent, cur ſe Iulius à Cæſare abalienaret, Ferdinandi auxiliis priuaret: ſed Ferdinandum ſuo more aliud palam oſtentaſſe, clam Iulium à fœdere cum Gallo ineundo reuocaſſe, cuius potentiam ſuſpectam haberet, Cæſariſque in ſuas parteis pertrahendi ſpem dediſſe, iidem mox exiſtimarunt, & ex euentis facilè iudicarunt. Spe pacis Gurcenſis diſceſſu ſublata licet ad eundem Morauienſem Pontificem Scoti Regis apud ſe legatum, vt cum illo de ſua ac Ludouici reconciliatione tractaret, quarto pòſt die Iulius miſiſſet, non pacis cupidus, ſed vt ea ſimulatione Gallos eluderet, atque interim & vires ipſe colligeret, & Heluetios, atque omneis adeo Chriſtianos principes aduerſus Ludouicum incitaret, arma iterum ſumpta. Gallicus exercitus Maij initio ad circumſedendam Concordiam proceſſit, quamuis tria Rhetorum, Germanorum peditum duo millia ad caſtra nondum acceſſiſſent, quod Normaniæ quæſtor ſumptui parcens pacis ſpecie ſtipendium mittere diſtuliſſet: in exercitu erant mille ducenti cataphracti equites cum ſuis hippotoxotis, peditum ſeptem millia. Quum primum tormentis pulſata Concordia eſt, de deditione agi cœptum: pedites cuſtodias inter colloquendum negligentiores obſeruantes in vrbem repente inſilierunt, nec quin diriperent prohiberi potuerunt: inde relicta Mirandula Bononiam maioris momenti vrbem Bentiuoli ſuæ factionis ciuibus freti oppugnandam ſuaſerunt. Primùm tamen tentandos hoſtium animos, num ad pugnam elici poſſent, Galli duces exiſtimarunt, commeatum intercipiendum, vt vel caſtra mutare, & è locis munitis exire, vel prælio decernere cogerentur.

Eiuſdē querimonia, & diſceſſus.

Concordia à Gallis occupatur.

Itaque Bomportum ſiue Bonum portum vicum Scultennæ fluuio contiguum, qui ſupra viam Æmiliam vetus nomen retinens infra Panarius vulgo appellatur, contenderunt, ac prius Mutinenſem agrum ingreſſi, & ad Cauoſſam caſtra metati Ioannem Paulum Manfronum Venetorum ducem cum trecentis leuis armaturæ equitibus Maſſe eſſe intellexerunt. Eò miſſi quingenti equites, pedites trecenti, de quorum aduentu vel certior factus, vel ſuſpicione adductus Monfronus ad pontem conſtitit hoſtium impetum excepturus, verum pauci ducis fortitudinem imitati aut cæſi, aut vna cum illo capti ſunt, cæteri diffugerunt, exercitus interim ad Bomportum appropinquauit, inde in alteram Scultennæ ripam euadere cupiebat: ſed Pontificius eandem inſidens tranſitu facilè prohibebat, vterque enim ad fluuium caſtra habebat, & hoſtilem tormentis impetebat, quorum pila Peraldus Hiſpanus Pontificij centurio fortè deambulans in fruſta comminutus fuit, & quandoquidem ibi ripa admodum excelſa erat, ponte iacto canalem, qui ſupra Mutinam è Scultenna deducitur, Gallicus tranſmiſit, & ad pontem Foſſæ altæ altero à Mutina 34

milliari

Digitized by Google

milliari peruenit. Deinde ad dextram monteis verſus iter flectens Scultennam latis ripis diductum pertranſiit, & ad locum, qui vulgo Scultennæ arena dicitur, tertio à Pontificio milliari conſedit: poſtridie Plumatium profectus Vitfruchio permittente commeatum à Mutinenſibus accepit. Pontificius viribus inferior apertis campis ſeſe committere non audebat, & tamen, vt Bononiæ appropinquaret, ne quis in vrbe tumultus oriretur neceſſarium ducens, quod Bentiuoli cum Gallis militarent, ad pontem Caſalecium tertio ſupra Bononiam milliari caſtra fecit: vbi quondam Ioannes Galeatius Mediolanenſis regulus Florentinos, Bononienſes, eorúmque fœderatos ingenti prælio ſuperauit. Locus inter Rhenum, & canalem, qui è fluuio deductus Bononiam diuidit, ſitus in primis tutus erat; vnde &, ne canalis obſtrueretur, aut aliò deriuaretur, prohibere haud difficile fuit. Gallicus propter magnos & aſſiduos imbres Plumatij triduum commoratus eſt: interim Caſtrumfrancum deditum, inter quod & Samogiam poſtero die caſtra fecit; inde ad Labinianum, ſiue Lauinianum pontem veterum hiſtoriis clarum, quòd in parua Lauinij, ſiue Labinij (vt facilis eſt earum litterarum commutatio) fluminis inſula Octauius Cæſar, M. Antonius, M. Lepidus conuenientes ſceleratiſſimum ſuum triumuiratum ſtabilierunt, quinque à Bononia milliaribus diſtantem proceſſit. Iulius metu perculſus Bononia cedere, Rauennam proficiſci conſtituit: prius tamen Bononienſes in fide confirmandos putauit, quadraginta viros, penes quos conſtituendæ, adminiſtrandǽque vrbis poteſtas erat, arceſſiuit: quanta ſub Bentiuolis tyrannide oppreſſi fuiſſent, quanta ſub Romano Pontifice libertate fruerentur, explicauit. Solum apud ſe principatus nomen remanere, cui conſeruando legatum, ſiue adminiſtratorem deſignarit, qui nihil ſine magiſtratibus Bononienſibus in rebus magni momenti, & ad Remp. pertinentibus poſſit; & eas, quæ ſui arbitrij ſint, ex eorundem voluntate moderetur, magiſtratus ciuium ſuffragiis creari, publica vectigalia ex magiſtratuum decretis diſtribui, ſe multa publicè, priuatim multis beneficia contuliſſe, plura etiam addere paratum: libertatis ſuæ, auctarum publicarum, priuatarúmque rerum, ſplendoris patriæ memores, ſi eandem egregiè, fortíque animo tueantur, ſe pro Bononia non minus, quam pro Roma ipſa propugnaturum, neceſſariis de cauſis Rauennam proficiſci, rei Bononienſi ſatis, ſupérque interim prouidiſſe; Venetas copias iacto ad Sermedum ponte ſe cum ſuis coniuncturas, quæ non ſolum vrbem, ſed & totum agrum facile à populationibus vendicent, Venetias viginti nummûm aureorum millia miſiſſe, Senatum totidem addidiſſe, vt decem Heluetiorum millia in Mediolanenſem agrum immittant, & Gallos ad ſua defendenda redire cogant. Si nihilominus ſub Bentiuolorum tyrannidem reuerti volent, ſe haudquaquam prohibiturum: ſin communem libertatem defendere, & Romani Pontificatus authoritatem ſequi malint, nullo maiore beneficio vel patriam, augere, vel ſe, cæteróſque deinceps Romanos Pontifices prouocare poſſe: quadragintauirûm princeps Bononienſium erga Iulium beneuolentiam, fidem, beneficiorum acceptorum gratam recordationem in cœlum efferens, quàm felici in ſtatu res ſuæ collocatæ eſſent Bononienſes haud ignorare reſpondit: quantis poſt exactos Bentiuolos diuitiis publicè priuatímque aucti eſſent, meminiſſe, qui è graui ſeruitute bonis antea, vitáque adeo ipſa alienæ libidini obnoxia in veram libertatem reſtituti liberalitatem Pontificiam, adminiſtrationis, publicorúmque vectigalium participes agnoſcerent. Cardinalitiam authoritatem apud ſe renouatam gauderent, multos è ſuis ciuibus Sacerdotiis, atque honoratis Romanæ aulæ muneribus ornatos viderent: bona omnia, liberorum, coniugúmque ſalutem, vitam denique profuſuros potius, quam à Pontificiâ Maieſtate ingrati deficiant. Fluuium prius, ac totum adeo agrum Bononienſium ſanguine redundaturum quàm aliud præter Romani Pontificis nomen Bononiæ colatur; quem inſtauratæ libertatis authorem, perpetuum patronum, ac principem ſe conſeruaturos profiteantur.

Pons Labinianus & Lauinianus, idem.

Iulij ex vrbe Bononia diſceſſus, tumultus initium dedit.

Hac oratione lætus Iulius, & de Bononia ſecurus Rauennam non breuiore via, ſed Forolîuienſi remotiore trecentis Hiſpanis equitibus comitantibus, & in regnum Neapolitanum redeuntibus contendit, cuius diſceſſu varij animorum ſenſus Bentiuolis omneis ſuæ factionis ciues excientibus tumultus initium dederunt; multi tyrannicæ vitæ aſſueti, ex alieno viuere ſoliti, Bentiuolorum reditum deſiderabant, alij inſtante meſſe duos exercitus omnem agrum vaſtaturos prouidentes, his malis defungi quauis ratione cupiebant: alij priſtinum metum nuper Ambaſiano ad vrbem caſtra habente in memoriam reducentes, ne Galli potentiores, ac ferociores ciuitatem diriperent, timebant potius, quam in id diſcrimen venirent, quem fortuna daret principem accepturi: pauci Bentiuolorum antea inimici Pontificiam factionem oſtentatione quadam magis quàm reipſa iuuabant. In hac rerum varietate, animorúmque diuerſis ſenſibus populus partim rerum nouarum ſtudio, partim imminentis periculi metu commotus, atque ingenti

Bononia defectio.

conſternatione turbatus arma cepit: Cardinali Ticinenſi Pontificio legato neque conſilium, neque animus, neque militare præſidium ſuberat, vt tantis tumultibus prouideret, ducentos dumtaxat leuis armaturæ equites, mille pedites externos habebat, cæteri milites Bononienſes erant, quibus quindecim centuriones magna ex parte Bentiuolæ factionis præfecerat, ita in deligendis præfectis ignauus, ac ſocors erat: inter hos Laurentius Arioſtus Bentiuolæ factionis antea inſimulatus, idcircóque Romæ in quæſtionem abreptus, diúque in mole Adriani in cuſtodia habitus, cæteros ad ſeditionem concitandam accendit. Hi vbi arma corripuerunt, clandeſtina conuenticula celebrare, ac rumores turbulentos ſerere cœperunt; quorum certior factus Ticinenſis ſero ſuæ ſtoliditatis, ac ſtupiditatis conſcius, qui ſe imprudens in tantum diſcrimen conieciſſet, ſimulans huiuſmodi centuriones ab Vrbinate, cæteriſque ducibus arceſſi, eos cum ſuis cohortibus ad caſtra ire iuſſit: illi patriam hoſtibus ad portas pene ſedentibus ſe relicturos pernegarunt. Hac ſpe fruſtratus Ramaſſotum cum mille peditibus in vrbem intromittere conatus eſt, verum id quoque populus recuſauit: tum vero animo fractus Ticinenſis, quod adminiſtrationem ſuam populo permoleſtam, ſibi vero nobilitatem infeſtam eſſe noſſet (treis enim viros honoratos ex eo ordine Iulij mandatum ſe ea in re ſequutum prætendens capite mulctarat) clam è palatio poſtico exitu veſte mutata in arcem euaſit tanta trepidatione, vt pretioſam ſupellectilem, hoc eſt, vaſa aurea, argenteáque, ac pecuniam omnem reliquerit, quibus receptis Forum Cornelij Guido Vaino ſororis viro comitante cum centum equitibus contendit, quem ſtatim

Ticinenſis Cardinalis fuga.

Octauianus Fregoſius ſequutus eſt. Ticinenſis fuga intellecta magnus in vrbe tumultus ſubortus eſt, quam occaſionem haud prætermittentes Laurentius Arioſtus, ac Franciſcus Rinucius ex quindecim centurionibus nomini Bentiuolo plurimum addicti ad Felicis, Laminarúmque portas (ſic enim vulgò appellantur) Gallis intromittendis magis opportunas cum ſuis cohortibus accurrerunt, effractiſque ianuis ac reuulſis Bentiuolos accerſierunt. illi Gallorum equitum aliquot turmis comitati vitato Rheni ponte, quem Raphaël Pactius Pontificius præfectus inſederat, fluuium paulo infrà tranſmiſerunt, & Laminarum porta vrbem ingreſſi ſunt. Bononiæ defectionem Pontificij exercitus fuga conſequuta eſt, qui à ponte Caſalecio ad portam Saragoſſianam extentus caſtra diduxerat.

Pontificij exercitus fuga.

Vrbinas quid Bononiæ accidiſſet certior factus tertia noctis hora cum exercitu tanta 36
trepidatione aufugit, vt multas ſarcinas, commeatum, papiliones erectos, fixáque tentoria relinqueret: quinetiam nec eos, qui Gallis oppoſiti ad fluuium excubabant, ſui diſceſſus admoneret. Huius fugæ, atque vrbis receptæ Triuultium Bentiuoli certiorem reddiderunt, & ex Bononienſibus pleroſque in fugienteis emiſerunt, qui cum ruſticis vndique ad prædam magnis clamoribus accurrentibus Pontificios non longè ab vrbis muris Gallis interuenientibus tormentis omnibus, ac reliquis ſarcinis exuerunt, ac pleroſque ceciderunt. Gallici exercitus partem ad Rheni pontem appulſam Raphaël Pactius fortiter excepit, & ſtrenuè pugnans aliquantum detinuit: tandem viribus inferior cum ſuis captus eſt, magnam tamen ſua fortitudine Pontificiis elabendi occaſionem dedit. Venetæ copiæ, & cum his Ramaſſotus in Lucæ monte caſtra metatæ, & de Vrbinatis fuga tardius admonitæ per montium ſemitas, perruptáque itinera multis è ſuis amiſſis (vndique enim montani ruſtici inſultabant) in Flaminiam euaſerunt. Hac incruenta victoria Bentiuolorum induſtria parta quindecim tormenta maiora tam Iulij, quam Venetorum, pleraque minora in Gallorum poteſtatem venerunt; equites plurimi armis exuti, pedites prope omnes vel cæſi, vel diſſipati. Vrſinus Mugnanenſis, Iulius Manfronus, ac plerique alij minoris nominis duces, & centuriones capti ſunt: Bononiæ

Bononienſiũ inſolentia.

nemini vel nobili, vel ignobili vis illata. Hac ipſa nocte, & die poſtero æream Iulij ſtatuam populus deiecit, & fune per vicos abſenti inſultans, vel Bentiuola factione id procurante, vel plebe ipſum belli authorem execrante traxit, cuius occaſione vaſtatum totum ſuum agrum viderent. Galli Bononia Bentiuolis reſtituta ad Fanum Petri in Bononienſis agri finibus Regis mandatum expectantes nono Kalend. Iun. caſtra poſuerunt, incerti an in Pontificias ditiones irrumpere, an vero illic victoriarum ſuarum curſum conſiſtere iuberet: vnde Ioanne Saſſatellano factionis Guelfæ principe Gibellinis pulſis Forum Cornelij dedere parato Triuultius clam admonitus oblatum donec Ludouici Regis reſponſum accepiſſet, recipere recuſauit. Supererat arx Bononienſis Pontificiarum more nec iuſto præſidio, nec commeatu, nec cæteris rebus neceſſariis munita, quæ interim dum obſideretur, Vitfruchius Cæſaris nomine potiri cupiens noctu Mutina eò ſe contulit, Ioanni Vitellio Pontifici, vt ſibi dederetur, perſuaſurus. Is autem iam cum Bentiuolis, ac Gallis de dedenda, accipiendiſque viciſſim intra præſcriptum tempus tribus nummûm aureorum millibus

Digitized by Google

millibus conuenerat, quod & mox re præſtitit: hanc ſtatim Bentiuoli non tam in populi gratiam, quam ne eandem Rex Ludouicus fortaſſe retineret, demoliendam curarunt. Huius victoriæ occaſione Ferrarienſis præter Centium ac Pieuam, Cutignolam, Lugium, cæteráſque Flaminiæ vrbes recepit, atque Albertum Pium Carpis expulit.

Bononiæ captæ accepto nuntio Iulius ingenti dolore confectus non ſolum quod principem ditionum Pontificiarum vna Roma excepta vrbem amiſiſſet, verum etiam, quod ſi victoriam perſequeretur hoſtis, reſiſtere vix poſſet, Venetos vrgebat, vt exercitus reliquiæ à Senatu reuocatæ in Ceſenæ portu naueis conſcenderent, & ſibi opem ferrent: viginti nummûm aureorũ millia Heluetiis in ſtipendium miſſa, quæ Venetiis adhuc remanſerant, repetiuit, vt Cardinalis Nannetenſis natione Gallus è minore Britannia de pace cum Triuultio ageret, ſuaſit. Reſpondit Triuultius Regem pacis conditiones propoſuiſſe, Iulium reieciſſe: ſi eaſdem nunc acciperet, aut alias æquas proponeret, ſe Regem certiorẽ facturum. Acceſſit & aliud quod perturbatorem totius Chriſtianiſmi animum vehementer perturbaret: Cardinalem Alidoſium, quem vulgo Ticinenſem vocabãt, plerique apud Iulium, alij dubiæ fidei, alij timiditatis, alij imprudentiæ accuſabant. Is vbi Rauennam ſeſe purgaturus acceſſit, à Iulio eius conueniendi horam poſtulauit, cuius aduentu lætatus eundem ad prandium inuitauit: proficiſcentem Franciſcus Maria Rouereus Vrbinas regulus, Bononiæ defectione, & exercitus fuga accenſus, quarum culpam in eum conferebat, pugione in pectus adacto ſua manu interemit: Ticinenſem Cadinalitia dignitas, ne violaretur, vendicare debuit. Audita Ticinenſis morte Iulius magnas ad cœlum exclamationes effudit, non ſolum, quod Cardinalem, quem vnice diligebat, cæſum, verum etiam multo magis, quod Cardinalitiam authoritatem ob oculos ſuos conculcatam, atque violatam à fratris filio, Sacerdotalis ordinis, ac gradus propugnator ſeueriſſimus videret: vnde grauiter percitus illo ipſo die Romam iter inſtituens Rauenna migrauit, & (vt multas ſimul calamitates accumulare fortuna ſolet) vix Ariminum appulerat, quum multis libellis Bononiæ, Mutinæ, atque aliis pleriſque locis publicè affixis concilij Piſani conuocationem ſibi ſignificari, vtque illuc ſe ſiſteret, admoneri, aut quodam modo iuberi intellexit. Quamuis enim Gurcenſis Mutina profectus aliquot dies lentius ingrederetur, Scoti legati, qui à ſe Bononiam redierat, reſponſum de conditionibus à Iulio propoſitis expectans, tamen vt reuerſum audiuit, & nihil certi attuliſſe animaduertit, treis ſtatim Cæſaris procuratores cum mandatis opportunis Mediolanum miſit, vt cum Cardinalibus ibi congregatis, ac Ludouici Regis procuratoribus Piſanum concilium in Kalend. Septembr. indicerent. Piſæ delectæ tum propter ſitus commoditatem plurimis, qui eo conuenire debebant, maritimo potius, quam terreſtri itinere illuc tranſmiſſuris; tum quod locus tutiſſimus videbatur, Florentinis & Cæſari obnoxiis, & Gallorum ſociis, & à Iulio Pontifice non alienis, cuius iuſtam recuſandi occaſionem nullam haberet: in Cæſaris, aut Regis ditionibus plerique Pontifices præſertim Iulius tuto coire haud poterat.

Ticinenſis Cardinalis à Rouereo Vrbinate pugione confoſſus.

38 Conſtantia inter liberas Germaniæ ciuitates numerata, & à Cæſare propoſita non ſatis commoda videbatur: quanquam concilio illo celeberrima, quo tres ſimul Romani Pontifices pontificatu abdicati, & magna totius Chriſtianiſmi ſeditio in quadraginta annos propagata ſedata eſt. Taurinum multis propter Gallorum, Heluetiorumque viciniam, Bononia à Iulio recepta Cardinalibus, Bentiuolis reſtituta Iulio ipſi ſuſpecta erat. Vt Piſis concilium celebraretur Ludouico Florentini centum quinquaginta, aut paulo plures primarij ciues in conuentu publico (tot enim coierunt) aſſenſi erant, vel quod recuſare non auderent, vel quod, quid conſequeretur, non ſatis animaduerterent: verum tanto ſilentio res peracta eſt, vt id neque Cardinales, quanquam Ludouico aſſeuerante, neque Iulius ipſe certo ſciret. Cardinales Cæſare, ac Ludouico Rege tum Germanico, Gallico, ac magna ex parte Italico Sacerdotum ordine adiunctis, conuocandi concilij poteſtatem ad ſe delatam prædicabant: ad quos creandi Pontificis poteſtas pertinet, ad eoſdem vbi vel vitio creatus, vel turbata ſuis inexpiabilibus facinoribus re Chriſtiana publicæ maieſtatis reus conuincitur, eiuſdem Pontificatu mouendi poteſtatem pertinere: neque tamen ſe ſolos tantum ſibi munus ſumere, totius Chriſtianiſmi concilium conuocare, neque ſua omnino authoritate cõuocare, ſed Conſtantienſis, Baſilienſiſque Concilij decreta ſequutos, quibus vniuerſum, vno quoque decennio totius Chriſtianiſmi concilium celebrari iubetur, omiſsã impiorum hominum malignitate ſacroſanctam ſanctionem renouare, cui Romanus Pontifex ſine controuerſia parere debeat: in actis Piſani concilij, quæ tum Lutetiæ typis mandata ſunt, contractus, ſiue tranſactio (vt Iuriſperitorum verbis vtar) legitur à publicis ſcribis excepta, & triginta octo Cardinalium, qui in Iulij Secundi creatione conuenerunt, iureiurando ſanctiore in certa verba cõcepto confirmata, inter quos Iulius ipſe nondum Romanus Pontifex

Digitized by Google

ſecundo loco numeratur, qua illi Romanorum Pontificum authoritatem in ordinem redigentes futurum Romanum Pontificem, qui mox ex eo cœtu crearetur, pleraque capita obſeruaturum, ac quum primum creatus fuerit, iterato iureiurando ea ipſa ſanciturum adhibitis diris execrationibus pollicentur; in quæ Iulius iam Pontifex iurauit, quorum quæ ad hanc hiſtoriam pertinent, pauca quædam aſcribemus, ne cuiquam Regi, aut principi, ciuitatíue Romanis Pontificibus non obnoxiæ, ſine diſerto Cardinalium conſenſu, ita vt ſaltem vna, atque altera pars aſſentiatur, bellum Pontifex Romanus inferret. Ne ſocietatem vllam cum vllis Regibus, principibus, liberis ciuitatibus, aut aduerſus eoſdem, niſi eodem accedente conſenſu coiret: nullos Cardinales, antequam numerus infra vicenarium eſſet, crearet: ſi quos crearet, ex eodem conſenſu crearet, qui in hæc ipſa quoque capita iurarent, alioqui Cardinalatus priuilegiis haud fruituri: creatos nec Cardinalatu mouere, nec mulctæ addicere, nec ſine eodem conſenſu ſuppliciis afficere poſſet. Publicum vniuerſi Chriſtianiſmi concilium intra biennium à creationis die numerandum in vrbem liberam, nec vlli ſuſpectam conuocaret: ſin negligentior ea in re deprehenderetur, vna atque altera Cardinalium pars conuocandi concilij poteſtatem haberet: concilium autem de Romani Pontificis negligentia, aliíſque delictis, ſiqua maiora occurrerent, cognoſceret, conuicto legitimas pœnas infligeret.

Multis deinceps vltro citroque inter Iulium & Ludouicum propoſitis, vix quidquam 39
tranſactum eſt. Iulium enim Romam paulò poſt reuerſum, Ferdinandus à pacis rationibus penitus abalienauit, Ludouici enim victoriâ in maiores ſuſpiciones relapſus expeditionem Africanam omiſit: Petrum Nauarrum cum tribus Hiſpanorum peditum millibus inde reuocauit, vt & ſua tueretur, & Iulio animum adderet, aut iam accenſum magis inflammaret: qua ſpe fretus Iulius ſe cum Ludouico, niſi eadem opera cum Cæſare Veneti conuenirent, niſi Ferrarienſis vltra propoſitas conditiones belli ſumptus reſtitueret, niſi in recipienda Bononia ſe Ludouicus illi haud impedimento fore promitteret, de pace acturum recuſauit. Hinc M. Antonium Columnam, ac Ramaſſotum in Bononienſem agrum immiſit, qui nihilominus à Bononienſibus facilè repulſi fuerunt, quanquam interim Cardinalem Oſcitanum Cardinalium precibus victus è mole Adriani emiſit, ea tamen conditione, ne è Vaticano palatio exiret, donec Pontifices, & capti Bononiæ legati Ticinenſis miniſtri è cuſtodia educerentur: Roma autem ſe haud egreſſurum ſatiſdaret, quadraginta nummûm aureorum millibus in mulctam, ſi inde migraret, indictis, mox vt in Galliam rediret, permiſit. Sed ne conuocato concilio intereſſet, eadem mulcta repetita edixit: quod priores pacis conditiones à ſe propoſitas Iulius reſpuiſſet, nouas, & longè grauiores edidiſſet, id vero Ludouicum implacabilem eius animum inde metientem in primis accendit: idcirco Bononiam, ac Bentiuolos in fidem recepit nulla vel militum, vel pecuniæ contribuendæ ſyngrapha, ac cautione exacta. De mittendis ad Cæſarem auxiliis cum Gurcenſi conuenerat, ea tamen conditione, ſi Cæſar ipſe, non per legatos, Italicam expeditionem ſuſciperet: conditione non expectata, vt condictus militum numerus Paliciano duce ſummo Regiæ domus, ſiue palatij magiſtro, quo munere Ambaſiani morte non ita pridem donatus erat, è Mediolanenſibus copiis ad Cæſarem mitteretur, iniunxit. Ænipontem appulerat Cæſar ſuo more incertis conſiliis huc illuc agitatus, nunc priſtino odio incenſus Venetos aggredi cupiebat, ſed de Patauio potiundo deſperans quod tantas copias, tantóſque ſumptus, qui expugnando ſufficerent, ſuppeditare non poſſet, cum iiſdem æquis conditionibus conuenire Ferdinando mirandum in modum vrgente nonnunquam deliberabat, ſine qua vrbe nihil ad belli ſummam profectum expertus erat: nunc vetere inſtituto, quod eius animo altius inſederat, cum magnis Germanorum pariter ac Gallorum copiis Romam proficiſci, atque omneis Romani Pontificâtus ditiones inuadere ſtatuebat. Verumenimuero ſtipendij penuria ſolita prodigalitate, quicquid corradere is poterat, profundente, inanes huiuſmodi deliberationes ſibi inuicem obſtabant: & vt nunc ſeipſum in Italiam deſcenſurum, nunc copias miſſurum polliceretur, ac tempus interim inaniter tereret, in cauſa erant. Permoleſta Ludouico ea inconſtantia erat, qui totum belli pondus vnus ſuſtinebat, & natura ſua non tam parcus, quàm ſuis parcens noua tributa indicere, niſi maiore neceſſitate coactus haud ſolebat: nonnulli tamen Cæſarem, niſi potentiſſimis auxiliis iuuaretur, Ferdinando præſertim hortante ad hoſteis tranſiturum, ac maiores tum neceſſario impenſas futuras, rémque Mediolanenſem in ſummum diſcrimen adductum iri prædicebant.

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER DECIMVS-TERTIVS.

1 DVM inter ſe de bello imminente, atque inter ſuos Cæſar, Ludouicúſque conſultant, bellíque ardor interim nonnihil deferueſcit, ſacerdotum aduerſæ factiones alio belli genere accenſæ magis inter ſe ac magis efferueſcebant. Concilij Piſani præcipui authores Cæſar ac Ludouicus procuratores Mediolanum cum mandatis miſerant; aderant & quinque Cardinales (nouem Concilium Piſanum indixiſſe, litteráſque ad Iulium Mediolano dediſſe ſcribit Bembus) nempe Bernardinus Caruaialis, Cardinalis à Fano Crucis, Guilielmus Briſſonnetus quondam Macloüienſis, tum Narbonenſis Pontifex, Renatus Prianus Baiocenſis, Franciſcus Borgia Cuſentinus, Federicus Seuerinas, qui vt maiorem Concilio authoritatem adderent, in præfatione, aut Concilij inſcriptione quorumdam abſentium tanquam vna conſentientiū nomina ediderant, Amanei quoque Alebreti, Adrianíque ac Finalenſis; verum duo poſteriores vel Iulij metu, vel, quod ita res haberet, ſe haud conſenſiſſe declararunt. In ipſo diplomate quo tum, id eſt, decimoſeptimo Kal. Iun. Mediolani congregati Concilium Piſas in Kalen. Septemb. indixerunt, ſe mandata à ſex abſentibus Cardinalibus habere ſcripſerunt: æſtuabat Iulius, & vt Concilium diſturbaret, machinas omneis adhibebat: nunc Piſanos (vt ita loquar) hoc eſt, Piſani Concilij Cardinales, vt ad ſe redirent, propoſita venia, promiſſis etiam clam additis inuitabat: nunc in quoſdam ſeuerius agens, vt cæteros deterreret, Cardinalem à Fano Crucis, qui Romani Pontificatus adipiſcendi ſpe inductus Concilij Piſani author in primis fuiſſe perhibebatur, Macloüienſem, ſiue Narbonenſem vtroque enim cognomine notus fuit, vtroque Pontificatu aliquando functus, Cuſentinum, niſi intra ſexageſimumquintum diem ſe Romam ſiſterent, gradu Cardinalitio moturum, ac ſacerdotiis priuaturum minabatur: nutantem, in primiſque ſollicitum per legatum conſolabatur Ferdinandus, noménque ſuum in Piſanum Concilium interpoſitum ægrè ferre denuntiabat. Si Caruaialem Cardinalem dignitate, ſacerdotiiſque priuaret, ſibi rem gratiſſimam facturum addebat; tum, vt Bononiam recipiat, copias ſuas ſatis firmas pollicebatur. Hoc nuntio recreatus Iulius, & ab Antonio Sanſouino Cardinale nuper Rauennæ creato admonitus (vt quidam tradunt) Concilium Romam in ædem Lateranenſem indixit, qua indictione Concilium Piſanum diſſolutum, ac diſturbatum iactitabat. Ita & Concilij metu, & belli aduersùs Ludouicum inſtaurandi cupiditate diſtractus, vt grauius nec opinantem obrueret, cum Ferdinando, ac Venetis de fœdere aduersùs Gallos ineundo agebat. Tum vt Florentinis Mompulcianum reſtitueretur, (inter quos, ac Senenſes induciæ iam finitæ erant) non beneuolentia, ſed metu inductus procurabat, ne Gallos opem laturos Florentini accerſerent, quos ad Romanum agrum appropinquare nolebat; aſſentiebatur & Petrucius, quem eodem metu Florentini percellebant: verum, ne in populi Senenſis odium traheretur, aliter bellum vitari, Iuliúmque Senenſibus conciliari, & ipſe, & alij Iulij negotia procurantes non poſſe ſimulabant.

Anno 1511.

Iulij legati ad Ludouicum miſſi de pace agunt, aut ſe agere velle ſimulant.

2 Et ne Mompulcianenſes eius rei certiores facti, vt Florentinorum gratiam magis aucu-

Digitized by Google

parentur, iiſdem ſe dederent, Iulij mandato Ioannes Vitellius cum centum cataphractis equitibus Mompulcianum miſſus eſt, & Iacobus Simoneta ex Romani fori iudicibus (quos auditores Rotæ vulgo appellant.) Huius opera re diu agitata Mompulcianum Florentinis reſtitutum, in viginti quinque annos inter Florentinos ac Senenſes pro ſuis ditionibus inuicem tuendis ſocietas inita eſt: vnde non multos poſt annos Simoneta Cardinalis creatus eſt. Refrixerat aliquantulum inter Germanos Venetóſque bellum: Germani pauci numero ſtipendij indigentes de conſeruanda Verona duntaxat cogitabant: Veneti viribus inferiores quàm vt vrbem tam amplam aggredi auderent, inter Suauium, Leonicúmque conſederant, ac noctu fortè Veronenſem agrum vltra citráque Atheſim, præſertim ſegetes vaſtauerant, quamuis inter redeundum trecentos pedites amiſiſſent: verum Paliciani cum mille ducentis cataphractis equitibus Gallico numero inſtructis, octo peditum millibus appropinquantis rumore diuulgato in locum partim aquis, partim ductis foſſis peninſulæ inſtar acceſſu difficilem inter Vicentiam, ac Lemniacum ſe receperunt (Gallorum tam equitum, quam peditum numerum ad viginti, Germanorum ad duodecim millia præter octingentos vtriuſque armaturæ equites auget Bembus:) nec ibi diu commorati, quod Palicianus cum ſuorum parte cæteris non expectatis, Germanis autem Veronæ aſſumptis iiſdem immineret, primum Lemniacum, deinde Vicentiam, ac poſtremo prælio commiſſo plurimis equitibus interfectis, ducentis captis (vt Bembus fatetur) vrbibus omnibus, ac Poleſeliana peninſula, quæ nunc Ferrarienſi, nunc Venetis prædæ erat, hoſti permiſſa, alij Patauium, Tauriſum alij aufugerunt; quo Veneta nobilitas, quemadmodum & paulò ante, pro vtraque vrbe propugnatura ſtatim conuolauit: his enim duabus vrbibus in fide retentis cæteras recuperare, cum primum Galli à Germanis diſtraherentur, perfacile erat. Leonico, Vicentiáque direptis Palicianus cum Germanis Cæſaris vel aduentum, vel mandatum expectans ad pontem Barbaranum conſtitit, qui inter Tridentum & Roueretum venationi intentus, & pedites interim ad exercitum ſummittens ſe breui Montaniani affuturum pollicebatur, & nunc de Patauio, nunc de Tauriſo oppugnando, nunc de Roma occupanda cogitans, quam in partem ſe daret, ſuo more incertus erat. Nec minores quàm cæteræ Romana expeditio difficultates afferebat, tantum enim Gallorum exercitum ſecum ducere, nec ſe dignum, nec tutum putabat, & eo exercitu longinquam profectionem ſuſcipiente firmum Veronæ præſidium relinquere cogebatur: tum vero Ludouicus ſuos Mediolano procul abſcedere nolebat, quod Heluetij præterquam quod ad Iulium inclinabant, ob naturalem rerum publicarum inter ſe ſocietatem, vt Venetos ſuis ditionibus pellerent ſe arma laturos negabant, nec magnam ſuæ cum Rege reconciliationis ſpem dabant.

Mompulcianum Florentinis reſtitutum.

Variæ expeditiones à Cæſare fruſtra ſuſceptæ.

Ita variæ, quas ſibi propoſuerat Cæſar, expeditiones ad nihilum, vt ſæpe alias, prope reciderunt: quum enim trecentos Germanos grauis armaturæ equites ad exercitum miſiſſet, & Venetorum legatos nihilominus interim admiſiſſet, quibuſcum ſemper de pace tractabat, Palicianum cum exercitu Lungare primum non longè à Vicentia, deinde ad Fanum Crucis aduocauit: tum vt Caſtronouo oppido ſub Alpibus paulò ſubter Scalam potiretur, progredi iuſſit: hæc enim in Foroiulienſem agrum commodior via eſt, & Feltria viginti milliaribus diſtat. Patauini, Tauriſaníque agri ruſtici paſſim cum liberis, & vxoribus in vtramque vrbem confluxerunt, quod Leonicenos cum vxoribus, & infantibus à Germanis magna ex parte cæſos audiiſſent: Tauriſum quoque Baſſiani, Aſulſque Veneti magiſtratus nullo hoſte imminente compulſi, ſed ſolo rumore perterriti conceſſerunt. Palicianus itaque ad Belluuij montem decimo à Tauriſo milliari profectos quingentos equites, bis mille pedites ad occupandum Caſtrumnouum miſit, quo potiti Scalam etiam progreſſi ſunt: quamquam autem ſatis proſperè Gallis, Germaníſque omnia ſuccedebant, ac Guidus Ranconus Veneti exercitus præfectus captus erat, tamen montani ruſtici Venetorum parteis ſequuti Gallicas aliquot cohorteis ab exercitu ſeparatas interceperunt quadringentis fere cæſis, captis autem Maugerone, ac Richemaro præfectis. Verumenimuero bellum iam refrigeſcere cœperat, Ludouicus enim belli apparatum Cæſaris promiſſis haud reſpondere animaduertens è Delphinatu, vbi aliquot dies ſubſtiterat, Blæſias ab Italia procul recedens, Tridentum Cæſar ſpe adeundi exercitus abiecta reuertit: & vt Germani Foroiulienſem, Tauriſanúmque agrum popularentur, edixit; non tam, vt Venetos infeſtaret, quàm vt ab vrbibus, ne prædæ eſſent, pecuniam extorqueret. Galli redeuntes ducentos cataphractos equites Veronæ, vbi peſtis grauiter efferueſcebat, reliquerunt: Germanis enim Foroiulienſem agrum ingredientibus vix alij, quam qui arcibus præſidio eſſent, remanere poterant; vt tamen tutior Verona eſſet, ex ſuis ducentos

centos equites Suauij conſiſtere iuſſerunt: ſed hi Germanica ſocordia nullas vigilias agentes à quadringentis leuis armaturæ equitibus totidem peditibus Venetorum iuſſu immiſſis, aut capti, aut cæſi fuerunt. Palicianus omnibus Cæſaris mandatis paruit, & aſſumpto Aubignio, qui cum trecentis cataphractis equitibus Suauij remanſerat, ad Plauim fluuium caſtra fecit. Germani ab illo ſeparati primum Vtinum Foroiulienſis agri oppidum primarium, vbi Veneti magiſtratus reſidere conſueuerant, circumſederunt, quibus clam fugam capeſſentibus facta deditio eſt, cæteræ vrbes huius exemplum ſequutæ pecuniam contulerunt. Aſulum, Maroſticam, Belluuium, Sacilium, Conoli arcem, portum Gruarium, Motam ad Liuentiam fluuium municipium, Vdertum, Gallos, Germanóſque cepiſſe fatetur Bembus, Antonio Saorniano ex Vtini principibus, ac Foroiulianis ciuibus fauentibus.

4 Superetant Gradiſcæ Matiſoni fluuio imminens oppidum, quod Ludouicus Moſſenicus Venetorum ſummus magiſtratus (prouiſorem illi vocant) cum trecentis equitibus, multis peditibus inſederat: milites primam quidem oppugnationem ſatis fortiter exceperunt, cæterum alteram propulſare recuſantes, vt dederetur authores fuerunt, Moſſenico in hoſtium poteſtate relicto: hinc ad Palicianum quinto à Tauriſo milliari caſtra habentem Germani reuerterunt, ſimúlque ad vrbem Cæſare, vt oppugnarent, iubente appropinquarunt; ſed diligenter communitam animaduertentes, & foſſoribus, multiſque aliis rebus ad oppugnationes neceſſariis indigentes fruſtra adoriri noluerunt, ſéque paulatim receperunt. Nec ita multò poſt Palicianus Ludouico ita mandante Mediolanum rediit, quod Iulij, Ferdinandi, Venetorum noua fœdera ad perturbandam rem Mediolanenſem concepta videbantur, & Heluetij ſeſe quotidie magis ac magis hoſteis declarabant. Gallis redeuntibus Veneti leuis armaturæ equites atque Epirotæ crebris excurſionibus inſultabant, & Medoacum, Atheſimque traiicientes adoriri ſtatuerant. Verum antequam Medoácum Galli tranſmitterent, ducentos è Venetis non longè à Patauio fuderunt, præfectúmque Petrum Lungarenum ceperunt, cæteros ita repreſſerunt, vt nullam poſtea ſuorum iacturam fecerint. Paliciano Mediolanum reuerſo Germani quod trecentos cataphractos equites Gallos vltra priores ducentos in eius vrbis præſidium obtinere non potuiſſent, ſe Veronam recipere coacti quicquid ea æſtate quæſierant, ſtatim amiſerunt: Veneti enim Ioanne Paulo Baleono duce, qui in Lucij Maluetij nuper vita functi locum ſucceſſerat, Vicentia repente potiti ſunt, deinde Foroiulienſem agrum ingreſſi Cormonſa citra Sontium flumen euerſa totum agrum vnis Gradiſcis exceptis recuperarunt: Cæſariani tamen Belluuium diripuerunt, Cadurium, ſiue Cadoras receperunt. His quaſi belli rudimentis (neque enim memorabile quicquam patratum eſt) tota ea æſtas tranſmiſſa Venetis multum ad exiſtimationem ſuam adiicientibus, qui totum biennium cum Cæſare, ac Ludouico æquo Marte propemodum dimicarant, & quamquam viribus inferiores nihil tamen aut parum ex ſuis ditionibus amiſerant: bellum quidem aduersùs Cæſarem gerebatur, ſed belli fortuna non minus Ludouico, quàm Cæſari fortaſſe aduerſa erat: dum enim Cæſaris inconſtantiam Ludouicus horret, dum, ne potentiam eiuſdem nimis augeat, veretur, aut fortaſſe ſumptui parcit, leuem alioqui natura ſua animum ad ſequenda Ferdinandi conſilia impulit, qui Cæſarem iamdudum à ſuſpecti ſibi Ludouici amicitia diuellere cupiebat, & Gallorum amicitiam Cæſar neceſſitate potius quàm ſponte priſtini odij non immemor ſequebatur; vnde non leues immutatæ eius voluntatis ſuſpiciones erant: nam poſt indictum Lateranenſe Concilium, quamquam id liberum (vt ſupra dixi) nullo modo eſſe poterat tamen à Piſano alienus quodam modo videbatur: neque enim Germanos Pontifices (vt ſæpius ante promiſerat) Germanicæ nationis, aut procuratores ſuo nomine acturos illuc miſerat, Ludouici exemplum haud ſequutus, qui vigintiquatuor Pontifices è Gallia illi Concilio affuturos delegerat, cæteris, vt eodem proficiſcerentur, aut procuratores ſuo nomine mitterent, iniunxerat: tametſi ſedecim duntaxat Galli Pontifices tertio Kalend. Nouembr. Piſas ingreſſi numerantur. Quam dilationem vt excuſaret, vel quod ita in animo haberet, vt Concilium aut Mantuam, aut Veronam, aut Tridentum transferretur, ſuæ, Germanorúmque Pontificum commoditati conſulens poſtulauit, ſe quippe Concilio quoque affuturum pollicebatur: quod poſtulatum cæteris permoleſtum vnus duntaxat Cardinalis à Fano Crucis ſumma auiditate recipiebat, qui ſe in Iulij locum ſucceſſurum Cæſaris beneuolentia fretus ſperabat. Concilium ſine Cæſaris authoritate breui diſſoluendum prouidentes Cardinales de communi conſenſu Cardinalem Seuerinatem ad Cæſarem miſerunt obſecrantes, vt Germanos Pontifices, ſuóſque procuratores toties promiſſos ad Concilium adire quamprimum

Suſpicionis inter Imperatorem & Ludouicum ſemina.

Digitized by Google

quamprimum iuberet; magni intereſſe, vt Concilium Piſis feliciter inchoetur, Lateranenſéque anteuertatur, ſemel inchoatum quoquo is mandarit, tranſlaturos. Seuerinatem Cardinalem Galeatius frater nuper à Ludouico Regiorum equorum magiſter creatus eadem Regis nomine poſtulaturus comitatus eſt. Sed & alia pleraque mandata habuit: Ludouicus enim ſemper ſuſpectam ſibi Cæſaris inconſtantiam confirmare conatus nouas conditiones continuandæ ſocietatis ergo offerebat, tametſi de pace cum Iulio ineunda non penitus deſperans: Nannetenſis enim, Strigonienſíſque Cardinales Romæ, in Gallia autem Morauienſis, Tiburtinúſque Pontifices in id ſedulo incumbebant; & vt iniretur, mandatum ad Tiburtinum ſed aliquot interiectis exceptionibus ſuſpectum Iulius miſerat.

Iulius mortuus falsò creditur.

Interim dum hæc agitantur grauis morbus Iulium decimoquarto Kal. Septembr. corripit, quarto poſt die ſpiritibus contractis, ſenſúque omni velut amiſſo è vita exceſſiſſe viſus eſt: mortis rumore diuulgato, plerique Cardinales, præſertim Concilij Piſani authores Romam iter inſtituunt: nec Romæ minor tumultus erat, quod Pompeius Columna Reatinus Pontifex, & Antonius Sabellus adoleſcentes nobiles, ac ſeditioſi populum Romanum in Capitolium conuocatum ad recuperandam libertatem incitarunt: tantiſper dum tumultuantem populum accendunt, Iulius paulò ſe melius habere renuntiatur, ita tumultus paulatim ſedatus. Vrbinatem poſtridie cædis Cardinalis Ticinenſis reum in frequenti Cardinalium conuentu apud ſe habito non ex iuris formulis, ac præſcripto, vt ante ſtatuerat, neque enim id temporis breuitas ferebat, ſed Pontificia authoritate abſoluit, Piſaurum vectigali exiguo impoſito obtinendum tradidit, quod eius hæredes ſequerentur. Idémque diras execrationes in eos, qui ſacroſanctum magiſtratum vel promiſſis, vel aliqua compenſatione, vel pecunia redimerent, diplomate in eodem conuentu edito pronuntiauit, veterémque deligendi Romani Pontificis morem inſtaurauit; Pontifices aliter, hoc eſt, vitio creatos ipſo iure nec Pontifices eſſe, & vt ſeſe Pôntificatu abdicarent, cogendos eſſe ſanxit. Deinde vel forte fortuna, vel bono corporis habitu, melius ſemper habuit: neque enim medicis tribui poteſt. Tanto mortis vitato diſcrimine valetudine recuperata, cum Gallis de pace, cum Ferdinando ac Venetis de belli ſocietate aduerſus Gallos egit. 5

Propenſum clam magis ac magis impellebat Ferdinandus, ne pace cum Iulio confirmata, Galli prima quaque occaſione de repetendo regno Neapolitano priſtina ſtudia renouarent. Et quod hactenus infelices Iulij conatus de proſpero euentu deſperare cogebant, vt bellum maiore authoritate perſuaderet, claſſi quæ ex Africa Petro Nauarro duce in Italiam traiecerat, alteram addidit, cui quingentos grauis, ſexcentos leuis armaturæ equites (quos Genetarios vulgo appellant) tria peditum millia impoſuit. Hæ coniunctæ vel propter numerum, vel propter militum præſtantiam magnum futuro bello momentum allaturæ videbantur. Sola Romani Pontificatus obſeruantia reuocari, quo minùs ſuſceptum bellum profligaret, religionis vel conſeruandæ vel amplificandæ vtrobique cauſam verti, ſe tot militibus ſatisfacere non poſſe, vt Iulius, Venetíque pecuniam in ſtipendium conferant, neceſſe eſſe. Huc vt illos adigeret, Hiſpanos, qui Capreas Tiberij Imperatoris arce nobiles appulerant, ſe breui in Africam traiecturos ſimulare cogebat. At verò Iulium immenſa Ferdinandi poſtulata deterrebant; permoleſtæ erant & aſtutiæ, nam eadem fere, quæ ſibi, Ludouico quoque promitti intelligebat: vt vtroque ad ſuas rationes Ferdinandus abuteretur, ſe varia, ac fallaci ſpe, Ludouicúmque lactari; Venetos à ſe neutiquam defecturos ſciebat: verum ob continua bella exinanitos ſua potius conſeruaturos, quam aliena inuaſuros, hic enim magnis, quas tolerare nequeant, impenſis opus eſſe. De Heluetiis incerta adhuc ſpes erat, qui enim plurimum apud eam nationem poterant, ob priuatas, quas à Ludouico accipiebant, penſiones vt proximo conuentu ſocietas cum Gallis renouaretur ſumma cura, diligentiáque contendebant: Cæſarem natura Gallis infeſtum, & à Ferdinando in eoſdem grauiter accenſum non ignorabat, ſed tanta nuper à Ludouico aduerſus Iulium, Venetóſque Cæſari oblata promiſſa eſſe, vt is ſolus, qui promiſit, promiſſa facere poſſit, nemo prætérea eadem ſe præſtare poſſe confidat: ſi ambo iungantur Piſanum Concilium populoſarum nationum authoritate fretum nihil non auſurum: ſin armis res agatur, an de duobus ſimul Iulius aliquam ſperet, quam ne de vno quidem Gallo ſperare audeat victoriam? In Anglo tota ſpes erat, quem Ferdinandus ſocer Ludouicum quaſi Romani Pontificatus vaſtatorem, prædonémque inſimulans ad bellum Gallicum religionis ſpecie multis querelis accenderat, & magna tum apud Anglos Romani Pontificis authoritas erat. Sed in Rege adoleſcente omnibus corporis 6

Ferdinandi Hiſpani in accendendo contra Gallos Iulio occultum ſtudium.

Digitized by Google

poris dotibus ornato, atque immenſis à patre relictis theſauris ſuperbo plus multo poterat natura inſitum in Gallos odium, regni Gallici à maioribus ſuis aſſumpti, & quaſi hæreditarij tituli, qui bonam eius regni partem diu poſſederant, præſertim Henricus eius nominis Quintus: is enim ætate florens, niſi morte præreptus fuiſſet, vniuerſum, vt veriſimile erat, ſibi vendicaſſet. Accedebat & comparandæ militaris gloriæ iuuenilis quidam ardor nullis adhuc fortunæ reflantis procellis reſtinctus: tametſi eundem Henricus Septimus pater Gallorum opera Angliæ regno potitus, ſi tuto ac feliciter regnare vellet, vt à bello Gallico penitus abſtineret, ſuprema quaſi voce moriens conteſtatus erat. Iulius igitur totus ad bellum ferebatur; Ludouicus ne Pontificatum Romanum Chriſtianæ perſuaſionis columen violare videretur, à bello penitus abhorrebat: Piſanum Concilium dimittere paratus erat, veniam duntaxat Cardinalibus, cæteriſque, qui Concilio aſſenſi erant, condonari volebat, à Bononia reſtituenda alienus erat, quod Iulium non ſincerè, non ſponte, verum Concilij metu de pace agere ſibi perſuadebat, prima quaque occaſione bellum renouaturum ſuſpicabatur; idcircóque ſe magnis oblatis conditionibus Cæſari reconcilians, ne amplam vrbem ad retundendos Pontificis conatus peropportunam Iulio reſtitui pateretur, rogabat, Ferdinandum, Anglúmque hoſteis ſe declaraturos nondum ſibi perſuadebat.

7 Tametſi alterius paratus exercitus audiebatur, alterius conſilia non ignota erant; & vtriuſque legati ſimul heroum ſimulata amicitia, vt Cardinales, Gallique Pontifices ad Concilium Lateranenſe commearent, Bononiáque Iulio redderetur, primum modeſtè rogarant, mox aſperiore, & quaſi minaci oratione contenderant; Anglus ſe à fœdere haud diſceſſurum ſimulabat, Ferdinandus ſolita aſtutia ita perpetuam amicitiam promittebat, vt quamuis eundem multa clandeſtinis conſiliis aduerſum ſe moliri Ludouicus intelligeret, apertè nihilominus hoſtem fore non ſperaret: quibus fretus Heluetiorum primoribus, ſi penſiones augeret, ſocietatem renouatum iri pollicentibus augere recuſauit. Quinetiam ne commeatum è Mediolanenſi agro exportarent, interdixit, vt ſterile ſolum habitantes, & neceſſitate coacti ſocietatem tandem priſtinis conditionibus inirent, quum lenibus opus eſſet, acrioribus remediis vſus. Interim Kal. Septembribus Cardinalium procuratores eorum nomine Concilij Piſis initium fecerunt: hinc Iulius Florentiam, Piſas, & quotquot Piſano conciliabulo fauerent, deintegro malis diris deuouit: hos etenim ante diplomate, quo Lateranenſe conuocarat, cœtu Chriſtianorum exterminatos pronuntiarat. Florentinos præterea ſe armis perſequuturum comminatus Ioannem Cardinalem Medicem in locum Reginenſis nuper vita functi ſurrogauit, & Bononiæ legatum deſignauit, vt Florentinis imminens multis ſuæ factionis iuuantibus, & Mediceorum reditum procurantibus eam Remp. perturbaret: graues enim ſeditiones ciuitatem ſollicitam ac ſuſpenſam tenebant, quod Petrus Soderinus Gonfalonnerius (is apud illos ſummus magiſtratus eſt) maiorem quàm libera ciuitas pati poſſet, & quaſi Regiam authoritatem ſibi vendicaret. Seditioſi ciues in liberis ciuitatibus duo extrema eſſe prædicabant, conſilij publici principem, quales olim Romæ conſules, & aliquando dictatores fuerunt, & popularem conſenſum: intermedium, hoc eſt, Senatum ſiue conſilium publicum deſiderari; vt nobiles, & prudentes ciues ex meritis dignum ſe gradum obtinerent, & Remp. ac communem ſalutem curarent: Soderinum, vt Senatus legeretur, Gonfalonnerium creatum eſſe, vt legatur ambitione quadam, ac ſuſpicione impedire: quorum querimonia etſi non prorſus iniqua videbatur, tamen ita iuſta non erat, vt hoc nomine ſeditiones, aut ſeditionum ſeminaria iacere debuiſſent: in his enim, quæ ad Remp. pertinebant, nihil illis inconſultis gerebatur. Hæc partium diſſenſio primùm ſeditiones in ciuitatem, deinde ſeruitutem induxit: Soderini enim inimici, atque inuidi eundem, ac Cardinalem Volaterranum fratrem Gallo addictos rati contrariam, hoc eſt, Iulij ſectam ſequebantur, Regi ſeſe opponebant: hinc Mediceum nomen Florentinis minus odioſum erat, potentes enim ciues, quamuis Mediceorum reditum nullo modo cuperent, tamen præ ſua in Soderinum inuidia ſe ab illis haud alienos eſſe ſimulabant.

Seditionis inter Florẽtinos nata origo.

8 Hinc Medicea factio, quæ ex ſe non multum poterat, paulatim vires aſſumebat; & nobiles plerique adoleſcentes vel ære alieno oppreſſi, vel priuata indignatione incitati, vel ſpe fortunæ melioris illecti nouis rebus ſtudebant, Mediceorúmque reditum deſiderabant: magnum momentum Cardinalis Medices addebat, qui poſt mortem Petri fratris rem Florentinam pro derelicto habere, neque ad maiorum ſuorum gradum aſpirare ſimulans non minus apertos fratris inimicos, quàm cæteros Florentinos omnes Romam profectos humaniſſimè accipere, atque illorum negotia diligenter procurare conſueuerat, & culpam

Digitized by Google

& culpam omnem in fratrem conferens, vt vetera odia, omnéſque offenſæ eius morte terminatæ viderentur, effecerat. Hæc comitas liberalitate cumulata Florentinorum pleroſque pellexerat, vt non imprudenter Florentinum ſuis acceptum ad perturbandam rem Florentinam Bononiæ vicinæ vrbis legatum Iulius deſignarit: Florentini à Iulij deuotione hoc eſt, à cœtus Chriſtianorum exterminatione prouocarunt, & Concilium non Piſanum, ſed vniuerſi Chriſtianiſmi vocarunt: ſacerdotes ſummus magiſtratus publicè ſacra facere iuſſit, vnde magis ac magis in dies ſeditio ſeſe tota vrbe diffundebat, etenim Iulio parere, aut non parere, cuius propemodum liberum erat. Hinc Hiſpanus, Angluſque legati Ludouico pacem cum Iulio, modo Bononia in Romani Pontificis ditionem rediret, Cardinaléſque propoſita venia, cuius ſe prædes fore ſpondebant, ad Lateranenſe Concilium adirent, obtulerunt. Ille Bononiam non minus, quam ſuperioribus Pontificibus, Iulio parere reſpondit. Cur autem Iulius, niſi vt aliquam bellorum ſementem faciat, plus iuris, quam maiores ſui Romani Pontifices ſibi vendicare conatur? ſe porro Bononiam in eodem ſtatu non alia de cauſa retinere, quam vt ferox Iulij ingenium, hoc ſaltem veluti freno coërceat. Cardinales vero Iulij reſponſum, quo aduerſus Alexandrum Sextum Pontificem quondam vſus erat, aduerſus eundem retorſerunt: pecuniæ quidem diſſoluendæ prædes dari poſſe, vitæ reſtituendæ nullos dari poſſe. Ita Iulius pacis omni mentione ſublata, metu Concilij, Bononiæ recipiendæ deſiderio, & ne, ſiquidem amplius differret, ab Hiſpano, Anglóque deſereretur, ſubtimens bellum modis omnibus adornauit: Hiſpani enim in Africam traiicere ſimulantes Capreis naueis iam conſcendere cœperant. Igitur cum Ferdinando, ac Venetis ſocietatem coiit, quæ Romæ in Mariæ æde, quæ populi dicitur, coram ipſo Iulio, ac Cardinalibus, exterarúmque nationum legatis nonis Septembr. recitata eſt: recitata & paulò poſt Venetiis à præcone, magníſque populi acclamationibus excepta eſt.

Societatis inter Iulium Pōtif. Max. ac Ferdinandum Venetóſque inita capita.

Societatis cauſæ prætendebantur, vniuerſus Chriſtianæ perſuaſionis conſenſus; & ne qua hunc conſenſum ſeditio perturbet, Piſani conciliabuli abolitio, Bononiæ, cæterarúmque Pontificiæ ditionis vrbium, vbi etiam Ferraria comprehendebatur, receptio: ſiqui hiſce intercederent (Ludouicus autem Galliæ Rex intelligebatur) pro hoſtibus haberentur, atque Italia pellerentur; in quod bellum quadringentos grauis, quingentos leuis armaturæ equites, ſex peditum millia Iulius, Senatus Venetus octingentos grauis, leuis mille, octo peditum millia, Ferdinandus mille ducentos grauis, leuis mille, decem peditum millia armaret. Sed in horum ſtipendium ſingulis menſibus viginti nummûm aureorum millia Iulius, totidem Veneti conferrent, vtrique duorum menſium ſtipendium ſtatim repræſentarent, intra quos Hiſpani milites in Flaminiam, aut alio quouis, vti fœderati iuberent, adire tenerentur: Ferdinandus duodecim, Veneti quatuordecim triremes adderent: Raimundus Cardonius Neapolis Prorex vniuerſis fœderatorum terreſtribus copiis præeſſet. Siquæ in Gallia Tranſalpina reciperentur vrbes, quæ Venetorum antea fuiſſent, iiſdem reſtituerentur. Hoc caput in fœdere aſcriptum non eſt, pro Venetis enim arma ſumere, ne Maximilianum offenderet, Ferdinandus videri nolebat, ſed id priuatim Iulius litteris ad Senatum Venetum miſſis pollicitus eſt: Cæſari, Anglóque locum, vt in ſocietatem admitterentur, reliquerunt: de Cæſare incerta adhuc ſpes erat, pro Anglo Cardinalis Eboracenſis eius legatus ſpondebat. Itali viros potenteis, præſertim ſuæ nationis ſemper adulantes Iulij animi magnitudinem ad cœlum ferebant, qui Gallos, Hiſpanóſque inter ſe committens vtroſque nulla Itali ſanguinis iactura pellendos Italia ſuſcepiſſet: victorem enim victoria non incruenta potitum, quin potius ex æquo penè fractum, vt inter pares fere euenire ſolet, Italorum integris adhuc viribus exterminatum iri facile ſperabant. Sed qui rem prudentius expendebant vanam ſpem ſumma temeritate cumulatam ducebant; quis enim militari diſciplina apud Italos penitus ſublata Iulium, Venetóſque militaria munera haud obeunteis, ac mercenario, nec ſtrenuo fere milite vtenteis ſine magni nominis ducibus victoris victores fore, & Gallos, Hiſpanóſue in armis natos, atque educatos prudentibus Regibus moderantibus, ſummis ducibus bella procurantibus, Italia exterminare poſſe ſperaret? præſertim quum Iulius ætate decrepitus (ex alienis namque viribus pendebat) diuturni belli finem viſurus non videretur, cuius morte ſuſceptum bellum omnino perturbatum iri veriſimile eſſet; quum Itali principes inter ſe non ſatis conſentirent, optandum potius fuiſſe, ne tanti Reges Italiæ duas extremas, eáſque primarias regiones inuaderent; proximum eſſe, quandoquidem iam inualiſſent, vt cæteræ intermediæ libertatem retinerent, & altero minitante, ad alterum reſpectum haberent, ne iidem Reges inter ſe committantur, tum enim vniuerſam Italiam prædæ fore:

Digitized by Google

fore: victorem autem æmulo ſublato ſuo arbitrio imperaturum, & graui ſeruitute Italos pariter omneis oppreſſurum. At Iulius hæc nihilipendens, die præſcripto in aula (quæ Regia vel Regum vocatur) Pontificio ſolio ſedens in frequenti Cardinalium cœtu magnis interiectis ceremoniis Cardinales à Fano Crucis, Narbonenſem, Cuſentinum, Baiocenſem Cardinalitio gradu deiecit, atque exauthorauit; idem aduerſus Seuerinatem, deſignauit. Tum verò Hiſpanis arceſſitis Florentinos primum aggredi, & inductis Mediceis à Gallo abalienare conſtituit inueterato Petri Soderini dictatoris odio accenſus, cuius ſuaſu Florentinos à Galli ſocietate haud diſceſſiſſe, & vt Piſis Concilium celebraretur, permiſiſſe conſtabat.

Cardinales à Fano Crucis Narbonēſis, Cuſentinus, Baiocenſiſque exauthorati.

Sed Pandolfus Petrucius, & qui Ferdinandi negotia procurabant, Bononiam potius aggrediundam cenſuerunt: Florentinos tametſi Galli amicitiam ſequuti videri poſſunt, tamen hactenus neutram ſe in partem dediſſe, neminem armis laceſſiiſſe, ducentos duntaxat cataphractos equites Gallo ſuppeditaſſe fœdere, quod illi cum Hiſpano commune erat, obligatos, Gallum vt apertam ſecum ſocietatem inirent, inſtitiſſe, nec impetraſſe, vt Ludouici Regis hoſtes vi, quod is precibus obtinere non potuit, cogant, Florentinóſque ſeſe Gallorum ſocios profiteri adigant, id vero extremæ dementiæ videri: Florentinorum excuſationes nunc accipiendas dum nocere poſſunt, interim diſſimulandum; ſi victoriam mox fœderati reportabunt, non ſolùm victis, verum etiam Florentinis viribus longè inferioribus, quas commodum erit, leges dabunt. Florentinos tum demum vt Piſis concilium celebraretur aſſenſos, quum Bentiuolos Gallorum ope Bononiam reductos, nulla præterea arma, quæ victori reſiſterent, viderent: tum Galli poſtulata admiſiſſe non ſponte, ſed neceſſitate adductos, Cæſarem in procurando Concilio mutuam operam dediſſe, Hiſpanum in eadem ſententia eſſe ſparſo rumore increbuiſſe. qui ſe tot, tantiſque viribus opponerent? pro Bononia Gallos ſolum decertaturos, pro Florentia & indigenas, & Gallos non minus, quam pro Bononia, propugnaturos. Petrucianæ ſententiæ quamquam authoritatem adimebat, quod ſuis Senenſibus priuatim conſulere, fœderatorum rationem non ita habere videretur (Florentiæ enim obſidione totam Hetruriam aut ſociorum aut hoſtium armis vaſtatum iri palam erat) tamen adeo firmis argumentis niti viſa eſt, vt in eam cæteri pedibus irent, quam longè magis ſuborta paulò poſt inter Cardinales, Florentinóſque contentio comprobauit. Cardinales autem primis Concilij actis (vt ſupra memini) haud interfuerunt; ad Fanum quippe Domini, aut Gallos, aut Germanos Pontifices expectantes, aut alia de cauſa ſubſtiterant: vnde diuerſis itineribus digreſſi, quod duo Hiſpani Bononiam contendere videbantur, eoſdem Iulio reconciliatum iri rumor fuit: cum Hiſpano enim legato, qui tum apud Iulium erat, ſemper vel ſimulatè, vel reuera de ſua reconciliatione agebant. Rumorem auxit, quod à Florentinis liberè per eorum agrum tranſeundi veniam petiuerunt; at Mugellanam vallem, quam Seua fluuius diuidit, ingreſſi vel quod initio ita deſtinaſſent, vel quod Cardinalis à Fano Crucis Romanum Pontificatum ambientis ardor recentem metum ſuperaſſet, vel quod ibi Cardinalitio gradu ſe motos intelligentes de reconciliatione deſperaſſent, Lucam repente, vt cæteris iungerentur, iter flexerunt. Hoc ipſo tempore tres Galli Narbonenſis, Alebretus, Baiocenſis Cardinales, vnáque Galli Pontifices Apenninum Pontremulana via conſcenderunt, quos trecenti cataphracti equites Odeto Fuxio Lautrecio duce ſequebantur. Hunc Cardinales delegerant aut quod Piſis ſine cuſtodia publica ſe tutos fore, aut quod hiſce viribus Concilio parere recuſanteis, aut intercedenteis ſe repulſuros confidebant, maioribus auxiliis forſitan acceſſuris; cuius equitatus iam è Gallia Tranſalpina egredientis Florentini certiores facti, & ad Regē, & ad Narbonenſem, cuius conſilium cæteri Galli ſequebantur, eodem tempore miſerunt: Regem admonuerunt. Piſas cum ob agri ſterilitatem, tum ob diuerſoriorum penuriam vix eos, qui ad Concilium accederent, nedum tot equitum turmas capere poſſe: vrbem autem ita adminiſtrari, vt Cardinales cęterique, neque ab externis, neque à Piſanis timere merito debeant. Narbonenſi autem ſe Gallos equites in vrbem haud admiſſuros ſignificarunt, quos vbi ille turmis ſeparatis veluti clam ingredi iuſſiſſet, & quum Piſis appropinquaſſent, aut vi, aut dolo intromiſſum iri ſperaret, aut Florentinos Regis metu aditu prohibituros non putaret, accepto à Rege reſponſo ſe non laborare vt huiuſmodi equites Piſas inirent, Franciſcum Vettorium ad Narbonenſem Florentini legatum miſerunt, qui, ſi Cardinales cum tanto equitatu Piſanum agrum ingrederentur, eoſdem ſe vrbis ingreſſu prohibituros, & pro hoſtibus habituros denuntiaret. Tandem tamen, vt Lautrecius, ac Caſtilio cum centum quinquaginta hippotoxotis Cardinales comitarentur, permiſerunt: tantus

Piſana vrbs celebrando Concilio cur non commoda.

equitatus vel ob antiquum Piſanorum in Florentinos odium, vel ob priſtinam Gallorum erga Piſanos beneuolentiam, vel ne belli ſedes commoda vrbe occupata in Hetruria arcano Regis conſilio collocaretur, Florentinis ſuſpectus fuit: vbi Lucam omnes Cardinales conuenerunt, Cuſentinus valetudine vrgente ibidem remanſit, & paucis poſt diebus è vita exceſſit, cæteri quatuor Piſas profecti à magiſtratibus, & à populo non admodum benignè excepti ſunt. Florentinos enim ſibi timenteis iam permiſſi Concilij pœnitebat.

Cuſentini Cardinalis mors.

Itaque primo conuentu (quam ſeſſionem vocant) quum Cardinales, ac Pontifices ſacram liturgiam, qua diuini Spiritus inſpiratio inuocari ſolet, in æde maiore celebraturi eſſent, eius ædis Sacerdotes veſtimenta ad eam functionem obeundam neceſſaria proferre recuſarunt, deinde maius auſi facinus ædis portas clauſerunt. Cardinalium querimonia ad Florentinos delata magiſtratus ne ædes veſtéſque ad ſacra miniſteria celebranda neceſſariæ denegarentur, ne contrà Piſani Sacerdotes Concilio, illiſque liturgis intereſſe cogerentur, edixerunt: id edictum & ſibi repugnans, & à diuerſis ciuium factionibus emanans Iulium pariter, ac Ludouicum Regem offendebat. Cardinales igitur nec ſe tuto Piſis ſine militum præſidio manere poſſe, & Concilij authoritatem in ciuitate, quæ decretis ſuis non pareret, imminui animaduertentes bonis Concilij initiis factis aliò migrare decreuerunt: verum huiuſmodi deliberationem res vel fortuito oblata, vel conſulto à Florentinis inducta accelerare compulit; Gallum enim militem quodam ioco ſcorto illudentem Florentini quidam milites, Piſaníque ſeditionis initium fortaſſe quærentes aggreſſi ſunt, ſociis hinc inde ſuis opem ferre properantibus alij Franciam, alij Marſoquium Florentinæ Reip. ſignum inclamarunt: duro conflictu inito plerique vtrimque aut vulnerati, aut cæſi: Lautrecio tamen, ac Caſtilione, Florentinorúmque militum præfectis accurrentibus tumultus tandem ſedatus eſt, in quo Lautrecius ipſe, ac Caſtilio, quod ſine armis ad dirimendum feſtinaſſent, vulnerati fuerunt. Cardinales interim, ac Pontifices in Michaëlis æde loco à tumultu non admodum remoto congregati, atque in primis attoniti alterum conuentum in poſterum diem indixerunt (vt quidam tradunt) quo Mediolanum Concilium tranſtulerunt, & Piſis intra decimumquintum, quam appulerant, diem migrarunt, tertio enim Kal. Nouembr. Piſas ingreſſi, idibus eiuſdem menſis inde migrarunt. In actis autem huius Concilij primum conuentum nonis, alterum ſeptimo idus Nouembr. tertium quo Concilium Mediolanum tranſlatum eſt, pridie eaſdem idus celebratum fuiſſe proditur. Septimo idus Decembr. iidem Cardinales, ac Pontifices, cæteríque, qui Piſis conuenerant, Mediolanum inierunt, quibus ſolemni pompa omnis Sacerdotum ordo, omnes cuiuſuis profeſſionis monachi, (vt vocantur) cunctus Senatus Mediolanenſis bona populi pars ad Romanam portam obuiam occurrerunt. Eoſdem Gaſto Fuxius Mediolanenſis prætor honorificè excepit, ibi quinque conuentus duntaxat egerunt. Ambaſiano autem Martio ineunte vita functo Gallicis copiis Ioannes Iacobus Triuultius Mareſchallus paucos menſes præfuit, tantiſper dum legatum Ambaſiani munus obiturum Ludouicus declarat: is Longauillanum regulum primum deſignauit, mox aliquot menſes ante Longauillani diſceſſum, Gaſtonem Fuxium ſororis filium præeſſe iuſſit. 11

Caſtilio Lautreciuſque tumultū Piſis exortum ſedare aggreſſi vulnerantur.

Concilij Mediolanū transferendi decretum.

Cæſar interim neque ſuarum ditionum Pontifices, neque procuratores eorum vicem obituros mittebat, tametſi id Ludouico ac Cardinali Seuerinati promiſerat: verum ſuos prius, quàm Germani nationis totius nomine vnà eodem proficiſcerentur, mittere è dignitate ſua non ducebat, eam enim excuſationem prætendebat, idcircóque Germanos Pontifices Auguſtam Vindelicorum conuocabat, ac Gallis ſemper aut vtroſque, aut eorum nomine procuratores cum mandatis ampliſſimis ad Concilium ituros confirmabat. Et vt ambiguus ſemper, atque anceps erat, non ſolùm Concilij promouendi ſtudium remiſerat, ſed & cum Venetis de fœdere ineundo, in quod Iulius ac Ferdinandus totis viribus incumbebant, agebat: contra de Ferdinando grauiter querebatur, qui à Cameracenſi recedens, recenti non tam fœdere, quam proditione ſe cum Iulio, Venetiſque coniunxerat, ipſúmque tanquam appendicem adiunxerat: hinc Galeatio Seuerinati ſummo Regiorum equorum magiſtro ſe, non per legatos Romam infeſtis armis petiturum, ſi Ludouicus bonam ſui exercitus partem, pecuniámque ſuppeditaret, pollicebatur. At verò & ingentem pecuniam poſtulabat, & Rex Heluetiorum metu exercitum diſtrahere nolebat, & ſolita eius inconſtantia etiamſi poſtulatis eius omnibus ſatisfactum eſſet, nihil certi promittebat; ita Ludouici animum pugnantia inter ſe conſilia diſtrahebant: Si ſocietatem eius redimendam ſibi proponeret, immenſa pecunia opus eſſe, 12

Digitized by Google

eſſe, nec quod operæpretium inde conſequeretur certum eſſe: Cæſari enim non tam vires ſuæ, alienæque iunctæ proderant, quam malè collocata pecunia, atque immanes impenſæ nocebant; & vt Romam Cæſar cum exercitu peteret, vtri felices, an infelices eius belli euentus Ludouico magis officerent, prope incertum erat, ſin miſſum faceret, ad hoſteis tranſiturum prouidebat. Ludouicum præterea circumſcribere cupiens Ferdinandus, vt Lentius is ſe ad bellum compararet, ſpem fallacem iniiciebat, & rem ad manus haud venturam ſignificabat, ideóque Hiſpanum militem tardius incedere, nec ad conſtitutam diem ad Iulium proficiſci iubebat. Idem eadem de cauſa Anglus ſoceri aſtutias imitatus ſimulabat, & Ludouici legato ſe ſocietati Romæ aduerſus Gallos initæ minime aſſenſiſſe, ac paternis inſtitutis monitum in Ludouici amicitia permanſurum prædicabat. Hoc ipſo tempore Tiburtinus Pontifex Iulij legatus pacem his conditionibus proponebat, vt Piſanum Concilium Ludouicus dimitteret, & Bononiæ propugnationem renunciaret: cautionem, ne quid Iulius in poſterum aduerſus Gallos moliretur, ſe additurum promittebat. Sed quis id certo præſtare potuiſſet? Et Ludouicus quidem pacem potius iniquis conditionibus inire, quàm vel Cæſari pecuniam, vel ſuis ſtipendium ſummittendo immenſas belli impenſas, atque ancipites, incertóſque euentus ſubire maluiſſet. Sed & ſe malignis Ferdinandi machinationibus ad iniquam pacem cogi indignabatur, & Iulium Bononia potitum, ac Concilij metu liberatum promiſſis haud ſtaturum ſuſpicabatur. Timebat præterea ne poſtquam Iulij poſtulatis annuiſſet, is mox & noua, vt antea, induceret, & pacem interrumperet, vnde & ſua exiſtimatio valde imminueretur, & Cæſari non leuis contumelia inferretur, quem bello Veneto implicatum deſeruiſſe, ſibi vni conſuluiſſe videretur. Itaque Tiburtino Bononiam Iulio non aliter, quam ſuperioribus Romanis Pontificibus parituram reſpondit: ſi quid amplius Iulius poſtulet, ſe pro viribus interceſſurum, atque armis, ſi opus ſit vindicaturum; ac ſtatim Andream Burgundum Cremonenſem Cæſaris apud ſe legatum ad herum, vt ſocietatem cum eodem confirmaret, remiſit, & nouas conditiones obtulit. Brunecí tum Cæſar non longè à Tridento agebat, quibus diebus Butiſtanium arcem in Cadurianæ vallis faucibus ſitam Cæſariani occuparunt.

Quibus cõditionibus Ludouicus ad pacẽ per Tiburtinum Pontificẽ Iulij legatum inuitatus.

13 Palicianum Ludouicus relictis Veronæ tribus peditum millibus, vt Cæſarem de eius diſceſſu querentem placaret, cum cætero exercitu Mediolanum redire iuſſerat, vt nouos peditum delectus habere, ac collectis vndique copiis Flaminiam aggredi poſſet, quam aut ſaltem bonam eius partem antequam Hiſpani ſuppetias ferrent, in ſuam poteſtatem redigere ſperabat; at repente ſubortus Heluetiorum Mediolanenſem principatum inuadere conantium rumor aliud meditari coëgit, qui Iulio inſtigante non communi omnium, ſed Suiſſani, Friburgenſiſque duntaxat pagorum conſenſu arma capere ſimulabant. Suiſſani curſorem in Mediolanenſi agro à Gallis militibus cæſum, Friburgenſes neſcio quas alias priuatim ſibi illatas iniurias querebantur: quorum conſilium quamuis Ludouico ignotum non eſſet, & qui Regi à conſilio erant, bellicoſam gentem Mediolano propinquam in amicitia retinendam ſuaderent, qui porro multum apud Heluetios poterant ſocietatem auctis penſionibus facile poſſe renouari admonerent, tamen vt viginti nummûm aureorum millia antiquis penſionibus adderet, adduci haud potuit, tantulæ pecuniæ iactura bonam occaſionem reiiciens, quam mox non duplo aut quadruplo, verum immenſis quodammodo theſauris redemptam voluiſſet. Inſtante hyeme (iam enim Nouembris aliquot dies præterierant) torrentibus, fluuiiſque exundantibus, ſine pontibus, ac lembis, ſine maioribus tormentis, quæ id temporis per loca confragoſa, per montium anguſtias, per torrentium voragines conuehere perdifficile erat, expeditionem haud ſuſcepturos ſibi perſuadebat: præſertim quod ſine equitatu apertis campis ſeſe committere non auderent, aut ſi ſe committerent, equitatu Gallico obuiam prodeunte obrui facilè poſſent: omnis ex agris in vrbeis comportatus erat commeatus, vrbes ipſæ firmis præſidiis munitæ erant, nec quibus eas oppugnarent, Heluetij tormenta habebant. His tamen difficultatibus haud deterriti Variſium non longè à Benaco remotum oppidum deſcenderunt, ſeptem minora, quæ vulgo campeſtria vocant, tormenta ſecum trahebant, & aliquem licet non magnum commeatum deuehebant; quorum aduentus metuendus eo magis erat, quod Ambaſianus militari diſciplina non obſeruata militibus nimis multa indulſiſſet, & Gaſto Fuxius nouus prætor admodum adoleſcens eam licentiam ſtatim cohibere non poſſet: vnde indigenæ ſuperbam Gallorum dominationem peroſi, nouis rebus ſtudebant.

Heluetiorum pẽſiones Ludouicus augere dũ renuit, plurimum rebus ſuis Mediolanẽſibus nocet.

14 Nullos præterea nouos peditum delectus ſumptui parcens Ludouicus haberi per-

Digitized by Google

miſerat, mille trecenti duntaxat cataphracti Galli equites in Italia erant, & ducenti præterea prætoriani equites, quos vulgo ducentos nobiles vocant: horum aliquot turmæ Veronæ, Brixiæque præſidio impoſitæ erant, & ducentos nuper Bononiam Gaſto Fuxius miſerat, quod Cardinalis Medices Bononiæ legatus, ac M. Antonius Columna Fauentiam appulerant, & quamquam nullos pedites habebant, tamen ob diuerſas ciuitatis factiones & quod arcis Saſſinianæ ad montis Bononienſis radices ſitæ præfectus eandem Cardinali Mediceo dediderat, maiore præſidio opus eſſe videbatur; cæteri equites tantæ Heluetiorum multitudini reſiſtere haud poterant. Vareſio Heluetij per tubicinem Gaſtoni bellum denuntiarunt: is nondum collecto equitatu paucos ſecum equites bis mille duntaxat pedites habebat, nondum enim nouos, ne Ludouicum auunculum offenderet, conſcripſerat: cum his, quas habebat, copiis Aſſarum milliaribus tredecim Mediolano diſtans oppidum proceſſit, non cum hoſte congreſſurus, ſed eundem commeatu prohibiturus: id enim vnum ſupererat, quod inter Vareſium, Mediolanúmque nulli neque fluuij, neque munitæ vrbes hoſtium impetum retardaturæ intercedebant. Vareſio Galeriam Heluetij iam ad decem millia collecti contenderunt: Fuxius Lemniacum quarto inde milliari cum quingentis cataphractis equitibus Gallico numero expletis & ducentis prætorianis equitibus ingreſſus eſt: poſtridie ante Galeriam tormentis opportunè collocatis prælij fortunam ſubiturus in armis ſtetit. Heluetij oppido tanquam congreſſuri exierunt, deinde Gallicum equitatum excipere haud auſi in oppidum ſtatim redierunt. Interim Mediolanenſes vrbi timentes milites ſuis impenſis conſcribebant, propugnacula muniebant; ſpatia inter aggeres, qui pro ſuburbiis erecti erant, ipſaque ſuburbia interiecta complanabant, vt equites commodè equos agitare, atque hoſtem ſtrenuè excipere poſſent, Gallicum enim exercitum Mediolanum rediturum, & pro ſuburbiis propugnaturum expectabant. At Heluetiorum quotidie numerus augebatur, hinc pugnam haud amplius detrectare ſtatuentes Buſtium progreſſi ſunt, vnde centum cataphracti Galli equites præſidio impoſiti vix amiſſis ſarcinis euaſerunt: progrediebantur Heluetij, Galli retrocedebant, qui ſe poſtremò in Mediolani ſuburbia receperunt: tametſi an pro hiſce propugnarent, quod arcem commeatu ſtudioſè implerent, incertum reliquerunt. Heluetij tandem ad Mediolanum duobus duntaxat interiectis milliaribus caſtra poſuerunt: ſed abſentes Galli equites variis ex locis, Molardus cum Vaſconibus Verona, Iacobus Germanorum præfectus Carpis cum ſuis reuocatus appropinquabant, vt minùs iam Heluetios (quamquam ad ſedecim millia aucti ferebantur) Gaſto Fuxius timeret; ac tum quidem litteræ Heluetiorum ad ſuos magiſtratus ſcriptæ interceptæ fuerunt, quibus ſignificabant Gallos ſibi non magnopere reſiſtere, cæterum mirari cur nullum à Iulio nuntium recepiſſent, nec quid Venetus exercitus deſignaret, accepiſſent: progredi ſemper nihilominus, vt initio deliberarant Mediolano Moguntiam verſus iter flexerunt, neque eam oppugnare tentarunt, nec procul Abdua incedentes de fluuio traiiciendo ſuſpicionem mouerunt. Hinc Galli vt hoſteis Abduæ tranſitu prohiberent, pontem ad Caſſianum iecerunt, quo tempore Heluetius centurio ſuorum nomine accepta publica fide Mediolanum acceſſit, & menſtruum ſtipendium, vt Heluetij domum redirent, poſtulauit, quum multò minus offerretur, receſſit: poſtridie reuerſus maius, quàm pridie, petiit: quum plus quam pridie, non menſtruum tamen, ſtipendium proponeretur, re infecta rurſus abiit, ac per tubicinem Heluetios ab omni pactione abhorrere indicauit.

Litteræ Heluetiorum ad ſuos magiſtratus ſcriptæ, & à Gallis interceptæ.

Deinde præter omnium expectationem Heluetij Comum, mox domum reuerterunt; 15
& an Mediolanum oppugnaturi, an alio tranſituri acceſſiſſent, cúrve nullo hoſte vrgente reuerterentur, aut, ſi ita initio ſtatuerant, cur oblatam pecuniam non accepiſſent, incertum reliquerunt. Inter redeundum Pontificius, ac Venetus curſores eoſdem reuocantes interuenerunt: illi nihilominus cœptum iter perſequuti ad ſuos abierunt: quod ſi maturius Iulius, ac Veneti Heluetios monuiſſent, atque in Mediolanenſi agro retinuiſſent, Hiſpaníque eodem tempore Bononiam circumſediſſent, haud dubium quin res Gallica tot hoſtibus variis è locis imminentibus concuſſa, magnum diſcrimen adiiſſet. Id experientia agnoſcens Ludouicus, quod matura ratione non prouiderat, Fuxio antequam de Heluetiorum reditu certior factus eſſet, vt cum iiſdem quoquo pretio conueniret, mandauit, totum equitatum Gallicum Alpeis tranſire iuſſit, ducentis duntaxat cataphractis equitibus Picardiæ reſeruatis, nouos Vaſconum delectus eodem miſit, Fuxio vt Germanos, Italóſque conſcriberet, iniunxit, vt Florentini ſe belli ſocios profiterentur, vehementer inſtitit, nullam potiorem vnquam ſocietatis occaſionem

Heluetij præter omnium expectationem domum redeuntes à Iulio & Ferdinando reuocantur.

occaſionem futuram ſignificans: cuius magis aut ipſe, aut poſteri Galliarum Reges meminiſſe debeant; tantam belli molem impendere, vt nullum maius fidæ ſocietatis periculum facere poſſint, Bononiam Florentiæ quoddam veluti propugnaculum eſſe, quo Iulij, ac Venetorum arma facile repellant, Florentinos inueteratum Iulij, ac Ferdinandi in ſe odium noſſe, qui reducendis Mediceis ciuitatem ſibi obnoxiam reddere moliantur. Sed ne impendens malum Florentini prouiderent, diuerſæ factiones faciebant: inclinabat ad Gallos dictator Soderinus, Soderini æmuli inuidia cæci Mediceorum reditum non præuidentes vt neutris ſe darent, conſulebant, ſic enim Florentinos in neutrorum odium incurſuros: Florentinos Gallo trecentos cataphractos equites ex fœdere dediſſe, Ferdinando id moleſtum neutiquam fore, qui ex eodem fœdere ſe quoque promiſſos acceptu-rum ſperet, & ſi Florentini quieſcant magno in lucro ponat, eorumdémque fidem inuiolabilem commendet. Si pax inter hoſce Reges inibitur, vtrumque Florentiam ſociam pronuntiaturum: ſi alter victoria potietur, victoris nullo priuato odio accenſi amicitiam eadem pecunia, quæ iam nunc in bellum impendenda ſit, aut etiam minore facilè poſſe comparari, at contra ſi ſe Gallo addicant, magnas ſtatim impenſas faciendas; & ſi victoria ad Hiſpanum declinet, Florentinos vix libertatis compotes futuros, quam maiores eorum à finitimorum bellis abſtinendo, niſi quid priuatim ipſos vrgeret, huc vſque conſeruarint.

Florentini Ferdinandóne an Ludouico ſe dedant incerti.

16 Contra Soderinus quum bellum ita inter finitimos, aut in finitimo agro geritur, vt victoris potentia non admodum extimeſcenda ſit, tum neutris ſe dare perutile ſæpenumero videri: etenim res quieſcentis in tuto collocata ſumptui parcit, & ſi bellum impendeat, abundè parata eſt; & qui bella gerunt, ita pertinaci odio ſe mutuo plerumque affligunt, vt finitimis bonam finium propagandorum occaſionem relinquant; at quum victoris ea potentia futura eſt, cui vix, aut nullo modo reſiſti poſſit, tum in otio ſtertere, nec alterutrius partis fortunam ſequi lubricum, ac periculoſum eſt, victor enim quod iuſtam querimoniarum occaſionem nullam habeat, haudquaquam placatur, cuius ea fere inſolentia eſt, vt omneis pro hoſtibus habeat, qui eandem fortunam ſequuti non ſint: neque minus eos qui auxilia denegarint, quam qui armati contra ſteterint, oderit: neque quicquam ipſo iure, ſed ſua potius ambitione metiatur. Potenteis principes dilatandi Imperij occaſiones ſemper aucupari, an denegati auxilij iniquam exiſtimabunt? præſertim Gallus quicum toties perpetuam vobis amicitiam fore confirmaſtis? qum ſe in tanto, támque præſenti periculo deſertum, contemptúmque agnouerit, quo illum tandem erga vos animo fore ſperatis? quod ſi Iulius, ac Ferdinandus bello ſuperiores euaſerint, an modeſtè erga vos vſuros victoria putatis? quorum alter inueterato vos odio perſequitur, vterque veſtræ ciuitatis ſtatum conuellere conatur, quamdiu enim veſtra Reſpub. in libertate remanebit, tamdiu ad Gallos inclinaturam ſibi perſuadent, quorum ſenſus facilè percipere poteſtis, quum Iulius Ferdinando aſſentiente Medicem Cardinalem legatum ad exercitum miſerit: quiſquis igitur vobis neutram partem ſequi perſuadet, idem victori vos in certam prædam obiicit. Sin ad alteram tranſibitis, ſaltem victoriæ participes, ſi quidem ita fortuna annuet, digna vobis præmia referetis, aut ſi pax inibitur, melioribus conditionibus vobiſcum agetur. Vtram autem ſequamini, quis in dubium reuocabit? quum antiquam amicitiam nouæ, & incertæ anteferendam nemo dubitare poſſit; à qua ſi digna præmia aliquando non recepiſtis, at ſæpius adiuti, & nonnunquam conſeruati fuiſtis. Sed fruſtra ſurdis, aut certè ſanam orationem exaudire nolentibus Soderinus canebat: æmuli id in primis contendebant, ne Florentini Gallicam amicitiam eius opera ſequi viderentur, vnde ab huiuſmodi oratione penitus abhorrebant. Re multum, diúque agitata quum factionibus inter ſe pugnantibus repugnantia quoque ſibi decreta fierent, nihílque certi conſtitui poſſet, Franciſcus Guicciardinus iureconſultus adoleſcens adhuc Gallo legato repugnante ad Ferdinandum miſſus eſt, ſed cum his mandatis, quæ fœderatos nullo modo placarent. Heluetiis autem domum reuerſis Hiſpani Flaminiam ingredi cœperunt, ad quorum aduentum omnes Ferrarienſis, quas vltra Padum poſſidebat, vrbes ſola tubicinis denuntiatione perterrefactæ ſeſe dediderunt, vna Baſtia Geniuolana, quæ ad Padum ſita eſt, excepta; & quandoquidem nondum totus exercitus conuenerat, nec omnia tormenta bellica conuecta erant, Raimundus Cardonius Prorex ad Forum Cornelij ſubſtitit: Petrus Nauarrus Hiſpanorum peditum tribunus cum tribus duntaxat tormentis ad circumſedendam Baſtiam præmiſſus eſt, & quod expugnatu difficilior erat, & Veſtitellus cum centum quinquaginta peditibus præſidio impoſitus ſeſe ſtrenuè tuebatur, atque

Hiſpanorum in Flaminiã aduentus.

Digitized by Google

Baſtia ab Hiſpanis expugnata, validè à Ferrarienſi concuſſa recipitur.

à Ferratienſibus ex altera fluminis ripa duobus erectis propugnaculis terreis crebris tormentorum exonerationibus iuuabatur, duos Nauarrus ponteis ligneos, quibus Hiſpani foſſas aqua redundanteis traiicerent, iecit; & tandem longa, grauiſque oppugnatione pridie Kalend. Ianuarias, hoc eſt, tertio obſidionis die, qui vltimus eius anni fuit, Veſtitello cum ſuis prope omnibus cæſo, Baſtia potitus eſt, centum è ſuis aut paulò pluribus deſideratis, vbi ducentos pedites diſſuadente Ioanne Vitellio relinquens ad Cardonium rediit. Sed vixdum redierat, quum Ferrarienſis nouem tormentis ingentibus Baſtiam ita concuſſit, vt eandem illo ipſo die cæſis præſidiariis omnibus, præfectóque ceperit.

Anno 1512.

Iam duodecimus huius ſæculi annus initium ſumpſerat, & Pontificiæ, Hiſpanæque co- 17
piæ numero, ac militum robore, ducúmque experientia validæ ad Cornelij Forum conuenerant. Hiſpani grauis armaturæ mille, leuis octingenti equites, quos Genetarios vocant, peditum octo millia, & cum Raimundo Cardonio pleraque Neapolitana nobilitas, in qua Fabricius Columna principem locum tenebat: Pontificij grauis armaturæ octingenti, leuis totidem equites, peditum octo millia, quibus M. Antonius Columna, Ioannes Vitellius, Malateſta Baleonus, Ioannis Pauli filius, Raphaël Paccius, nonnulliſque alij præerant, omnes autem Cardinali Medici Pontificio legato parebant: Terminenſis enim regulus qui Pontificiis præeſſe debebat, Tiferni diem ſuum obierat. Vrbinas vero, quod Cardonio præſertim in Pontificiis ditionibus parere dedignaretur, nondum acceſſerat, magnam tormentorum, quæ fere è regno Neapolitano exportata erant, vim ſecum trahebant. Hi primum circumſedendam Bononiam ſuſceperunt non quod non difficilis eius expugnatio videretur (opem enim Galli ferre poterant) ſed quod tum nihil aliud potius occurrebat; tantum autem exercitum otioſum diutius retinere extremæ ignauiæ argumentum fuiſſet: præterea ita inſtabat Iulius, vt ſi quis obſidionis difficultates in medium protuliſſet, Hiſpanicas aſtutias, ac ſimulationem iam ſeſe explicare idem Iulius exclamaſſet. Itaque Cardonius ſummus totius exercitus imperator inter Idicem fluuium, ac Bononiam caſtrametatus eſt; vbi rebus quæ ad oppugnationem opportunæ erant, comparatis & canalibus, qui è Rheno, Sauenáque fluuiis deducti Bononiam alluunt, aliò deriuatis, ad vrbis muros appropinquauit, exercitúmque inter monteis, ac Bononiam ad viam vſque Flaminiam explicauit.

Bononia obſeſſa.

Fabricius Columna cum primo agmine, in quo grauis armaturæ ſeptingenti, leuis quingenti equites, ſex peditum millia erant, ad Rheni pontem iuxta eandem viam conſedit, vt Gallos vrbis acceſſu prohiberet, & vt monteis in poteſtate haberet; Michaëlis cœnobium loco excelſo ſitum, & montanam Mariæ ædem occupauit. Pro Bononia non ſolum populus bellis ſuperioribus armis aſſuetus, & aliquot peditum cohortes, equitúmque turmæ, quos ſuo ſtipendio Bentiuoli conduxerant, propugnabant, ſed & duo Germanorum peditum millia, ac ducentos cataphractos equites Gaſto Fuxius eodem miſerat, quibus Odetus Fuxius Lautrecius, atque Iuo Alegrius clari bello duces, hic longa experientia probatus, ille domeſtica nobilitate, & illuſtribus militiæ rudimentis editis celebris, præerant. Vna erant Antonius Faieta, & Vincentius cognomento Magnus cacodæmon, qui is eſſe videtur, quem magni bellatoris nomine Bembus deſignat, aliíque nonnulli. Et tamen ob longum vrbis ambitum nullis, niſi ad vitandum diſcrimen impendens, acceleratis munitionibus firmatæ, montiſque imminentis, atque infra poſitos propugnatores deſpectantis incommodum ſitum, & quod non paucos tam ex nobilitate, quam è populo Bentiuoli ſuſpectos habebant, non tantam in ſuis viribus, quàm in promiſſis à Gaſtone Fuxio auxiliis ſpem collocabant: nouem nihilominus primis diebus nihil Hiſpani, Pontificiiſque tentarunt, niſi quod è Michaëlis cœnobio quatuor leuiora tormenta, temerè in vrbem exonerarunt, quæ aut nihil, aut non multum hoſtibus obeſſe animaduertentes exonerare paulò poſt deſierunt. Cunctationis cauſæ fuerunt, quod Fuxius ad Finale caſtrametatus, vt obſidionem ſolueret, milites vndique cogebat, & quod vrbs ad res Gallicas vel augendas, vel conſeruandas magni momenti erat, & ad eius exiſtimationem maximè pertinebat, Fuxium Bononienſibus haud defuturum veriſimile erat.

Fœderatorum de ratione in vrbis oppugnatione ſeruanda diuerſa ſententiæ.

Fœderati itaque vrbis oppugnandæ non ſolùm commoditatem circumſpiciebant, verum etiam vt Gallica auxilia acceſſu prohiberent, ſumma diligentia conſultabant: prima ſententia Fabricius Columna cum ſuis in cliuo montis ſub montana Mariæ æde caſtra facere iuſſus eſt, vnde & Gallos vrbis aditu prohiberet, & ſi hoſtium exercitus immineret, à ſuis haud admodum remotus auxilium in tempore acciperet. Huius conſilij authores quicquid Galli in Italia poſſidebant; ex Fuxiani exercitus ſalute pendere omnino prædicabant; vt ad anceps prælium

Digitized by Google

lium cogatur, Fuxium non commiſſurum, neque ſe in eam vrbem concluſurum, vnde Mediolanenſis principatus eius auxilio priuetur, Heluetiis adhuc ſeſe commouentibus, Venetis autem è Veronenſis agri finibus Brixiæ quodammodo minitantibus.

18 Poſtridie hæc ſententia ab illis ipſis fere omnibus, qui pridie in ea fuerant, damnata eſt, fundamento non ſatis firmo nixa, quod immutare in poteſtate hoſtis eſſet: neque enim Gallos Bononiæ opem non laturos certum erat, & ſi repente primum agmen inuaderent, id vel oppreſſuros, vel ſaltem in extremum diſcrimen redacturos palam erat. Cardonio Petrus Nauarrus priuatim conſuluit, vt commeatu in quinque dies comparato, præſidióque cœnobio Michaëlis dumtaxat impoſito omnis fœderatorum exercitus in alteram vrbis partem, vnde Galli acceſſuri erant, tranſiret; inde aduentanteis hoſteis repreſſurus, & vrbem haudquaquam ea regione munitam, à qua nihil ſibi Bononienſes timebant, intra quintum diem expugnaturus. In hanc ſententiam facilè ibat Cardonius, verum vbi ea cum cæteris communicata eſt, ab iiſdem quoque ſtatim damnata eſt; quis enim in regione omnis commeatus indiga (nam in fœderatorum exercitum è Flaminia importabatur) caſtra ponenda ſuaderet? quod ſi intra quintum diem Bononia non expugnabitur (quis autem id intra breue adeo tempus præſtare poteſt?) exercitum diſſolui neceſſe eſt: quis (aiebant plerique) noſtrum exercitum inter populoſam vrbem, validóque præſidio firmatam, ac viribus ſuperiores hoſteis collocabit tot nec opinatis difficultatibus ſæpenumero occurrentibus? an vt mox vana ſpe eluſi, fame perditi, perterrefacti, diſſipatique nos recipere tentemus, Gallis, Bononienſibus, totius agri indigenis nobis inſultantibus? Nonnulli primum agmen numero augendum, & ad montis radices inter Sarragoſſianam, ac Felicis portam foſſa, aggereque cingendum aiebant, vt vrbem ea parte neque congeſta humo, neque muro firmam tormentis verberarent: collocanda in monte leuiora tormenta, quæ cœpta oppugnatione propugnatores à latere infeſtarent. Hæc quoque ſententia repudiata eſt, quod nec Gallos aditu arceret, & primo agmini reliquus exercitus, tametſi monteis in poteſtate habebat, niſi poſt tertiam horam opem ferre non poſſet. In tanta ſententiarum varietate vbi prolatam refellere, quam melius quiddam afferre facilius erat, vrbem tandem ab ea parte, vbi exercitus caſtra fecerat, oppugnandam cenſuerunt, Fuxium quandoquidem diutius cunctatus erat, haud progreſſurum ſuſpicati. Itaque primum agmen ad eadem cum cæteris caſtra reuocarunt, & tormenta ad muros admouenda curarunt: at recenti nuntio de Fuxij aduentu accepto in diuerſas iterum ſententias diſtracti ſunt: omnes quidem, antequam Bononiam iniret, Fuxium adoriendum cenſebant, ſed nonnulli collocata ſemel ante muros tormenta in repentino huiuſmodi tumultu non facilè recipi poſſe, & ſubitarias ex vrbe eruptiones extimeſcendas docebant: alij tot dies fruſtra conſumpſiſſe, vrbem tam diu circumſedere, aggredi non audere, & ignauiæ argumentum eſſe, & obſeſſis animum, auxiliaturis opis ferendæ tempus, atque occaſiones præbere inferebant, amplius haud cunctandum, tormenta ad muros, ſed ita, vt recipi facile poſſint, admouenda, vias complanandas, vt exercitus cum tormentis obuiam Gallis ire poſſit.

19 His aſſentiebatur potiſſimum Cardinalis Medices Iulij legatus, & cunctationem Hiſpanicam Ferdinandi aſtutiis attribuens non temerè ſuſpectam habebat: ſi initio vrbem oppugnaſſent voti fortè iam compotes fuiſſent, errorem errori addere plane deſipientis eſſe: hactenus Iulium crebris nuntiis id depoſcentem fallacibus promiſſis, atque inani ſpe lactaſſe, quid amplius reſpondeat, non habere: quibus verbis irritatus Cardonius, quod homo à bellicis rebus alienus præcipitare ſana conſilia conaretur, in primis querebatur: hic totius prope Chriſtianiſmi cauſam agi, quæ tam maturis, quàm meretur, conſiliis vix conſultari poteſt: Pontifices, ac reſpublicas ad ſuſcipienda bella fere præcipites deſcendere, vbi ſumptus, aut non ſatis proſperi euentus offendunt, præcipitantius ſeſe ſubtrahere ſolere: pacem ille, quum opus erit, procuret, tot duces bello claros eodem, quo ipſe ſit, ſtudio, & longa præterea experientia præditos arma tractare patiatur. Poſtremo Nauarrus, cuius iudicium magna ex parte Cardonius ſequebatur, biduum, aut triduum ſuſceptis tantis de rebus conſultationibus addere breue tempus eſſe intulit: interim quæ & ad vrbis oppugnationem, & ad pugnam inſtantem neceſſaria erant, procuranda, cætera ex hoſtium progreſſu, aut receſſu conſilia capienda. Ita biduum eadem, qua prius, quiete traductum eſt, quod Fuxius, cui Centium, Pieua, ac pleraque alia Bononienſis agri oppida ſeſe dediderant, ad Finale diſperſos adhuc milites, præſertim verò nouos peditum delectus tardius ingredientes expectabat, die tertio tormenta à Stephani porta, qua Florentiam iter eſt, circiter triginta vlnas ad Bononiæ muros admota ſunt, vbi murus ad Caſti-

Digitized by Google

lioneam portam quæ montem reſpicit, flectens angulum facit; ab hac non procul Nauarrus è regione Baracani ſacelli, quod intra vrbem eſt, cuniculos agebat, vt duobus locis inſtituta oppugnatio obſeſſos grauius vrgeret. Interim primum agmen Fuxio opponentes ad Rheni pontem fœderati remiſerunt: intra horas quatuor & viginti murus in longitudinem ad centum vlnas vſque proſtratus, & portæ grauiter concuſſam turrim Galli deſerere coacti ſunt, vt niſi cuniculi retardaſſent, commodè inſtitui oppugnatio potuiſſet: ac parum abfuit, quin temerè nullis ordinibus ſeruatis Hiſpani in vrbem inſilirent: ex his enim nonnulli ſcalis turrim conſcendentes, inde contiguam muris domum ingreſſi, quum nullas cuſtodias offendiſſent, cæteris ſignum dederunt: illi temerè accurrebant, niſi centuriones properanteis retinuiſſent. Id Galli animaduertentes tormento directo domum euerterunt, nonnullos ex hoſtibus ceciderunt, cæteri fugientes in caſtra redierunt. Dum cuniculi aguntur, ponteis ligneos fœderati extruebant, foſſas ligneis faſcibus implebant, ſubiectam muro aream complanabant, vt commodè milites ad muros accedere, & tormenta in murorum ruinis collocari poſſent, inde propugnaturos repulſura.

Horum Galli de vacillantium, & iam trepidantium Bononienſium fide dubitantes Fuxium certiorem fecerunt, ille eodem die mille pedites, poſtridie octoginta cataphractos equites in vrbem immiſit, vnde fœderati Fuxium Bononiam haud aditurum ſibi perſuaſerunt. Si enim progredi voluiſſet, totum ſimul exercitum deduxiſſet, & re vera id præſidium ſatis eſſe ducebat: nec niſi coactus ad prælium deſcendere volebat. Ductis cuniculis primum agmen è Rheni ponte fœderati reuocarunt, vt maioribus vrbem viribus adorirentur: tum Nauarrus tormẽtario puluere muro, ſacelloque per cuniculos ſubiecto ignem admoueri iuſſit: accenſus puluis & murum, & ſacellum ingenti veluti tonitru ita in aërem rapuit, vt ſe inuicem vtrique & oppugnatores, & propugnatores foris, intráque vrbem, in armis ſtantes viderent, deinde repente relapſus in fundamenta murus ita conſtitit, ac ſi nunquam reuulſus fuiſſet: hinc vrbem ab ea parte aggredi fœderati nequiuerunt, & ab altera dumtaxat oppugnare propter propugnatorum multitudinem, ac fortitudinem noluerunt. Id inter diuina miracula reponentes Bononienſes ſacellum mox auxerunt, & longè maiore, quam antea, religione venerari cœperunt. Hoc rumore diuulgato quaſi Deus Opt. Max. pro Bononienſibus propugnaret, quos Iulius, qui ſe Chriſti legatum profiteretur, oppugnaret, Fuxius nihil amplius de Bononia ſibi timendum ratus Brixiam, vbi rarum præſidium reliquerat, properare deliberarat, quò contendere Venetum exercitum didicerat, & conceptæ de Brixianis quibuſdam ſuſpiciones vt vrbi timeret faciebant: primam enim Ludouici Auogarij coniurationem vnius ex coniuratis vxor ad arcis Brixianæ præfectum eius amore capta detulerat. Sed Lautrecius, atque Alegrius, qui Bononiæ præſidio erant, vrbem poſt eius diſceſſum grauius quàm antea oppugnatum iri docentes, & ſpem profligandi hoſtilis exercitus addentes, vt ſententiam mutaret, coegerunt; quanquam, qui cum Fuxio erant, præcipui duces ad Brixiam magis inclinabant. 20

Bononienſium vrbs diuinitus ab hoſtibus defenſa.

Sub veſperam itaque Finali egreſſus die poſtero maturè cum toto exercitu in quo mille trecenti cataphracti equites, ſex Germanorum, octo Gallorum ſimul, atque Italorum peditum millia erant, altis niuibus, grauibúſque ventis ingredientes infeſtantibus iter Bononiam direxit, ac porta Felicis ingreſſus de hoſtibus poſtridie mane adoriendis conſultauit: nec opinantes nimirum, atque eius aduentus ignaros aggreſſus fuiſſet. Sed Alegrius feſſo militi, equiſque quietem indulgere ſuaſit: neque enim aut ille, aut alius quiuis ex Gallis tanti exercitus interdiu via Regia vrbem ingreſſi famam ad circumſedentes hoſteis non perueniſſe exiſtimaſſet, at illi neque poſtero, neque tertio die niſi admodum ſero Gallos Bononiam intromiſſos reſcierunt: fortè enim captus in excurſione Græcus eques, & quid Bononiæ ageretur rogatus, ſe perpauca noſſe reſpondit, quod nudiuſtertius dumtaxat cum Fuxio, & Gallico exercitu vrbẽ ingreſſus fuiſſet. Super his diligentius interrogatus, quum in ſententia perſeueraret, fœderatorum duces magna admiratione obſtupefacti dictis fidem adhibuerunt, ac poſtridie mouenda caſtra cenſuerunt: hyemis enim aſperitatem ſuis infeſtam, & tantæ vrbis potenti exercitu firmatæ viciniam intolerabiles fore iudicarunt. Noctu itaque receptis magno ſilentio tormentis poſtridie, hoc eſt decimo nono obſidionis die prima aurora ad Forum Cornelij eodem, quo acceſſerant, itinere redierunt, & ſtrenuo quoque in poſtremum agmen reiecto non magnopere laceſſiti abſceſſerunt: pauci enim equites Bononia egreſſi; atque in poſtremos inuecti commeatum dumtaxat, ac ſarcinas quaſdam interceperunt, longius abeunteis perſequuti non ſunt. Fuxius ſtatim trecentis cataphractis equitibus, quatuor peditum millibus Bononiæ relictis Brixiam contendit, quæ pridie, quam Bononiam ingrederetur, hoc eſt, quarto nonas Febr. in Venetorum poteſtatem 21

Bononienſis obſidio ſoluta.

Digitized by Google

poteſtatem venerat, arx in Gallorum fide perſeuerarat: Ludouicus enim Auogarius Brixianus Patricius multis in ſuam factionem pertractis Venetos arceſſiuerat. Illi Andream Grittum cum trecentis leuis armaturæ equitibus, tribus peditum millibus Brixiam miſerunt: is Atheſim ad Alberum non longè à Lemniaco tranſmiſit, deinde traiecto quoque Mincio ad montem clarum appulſus noctu ad Caſtagnetum quinto à Brixia milliari caſtra fecit, inde leuem equitatum ad Brixiæ portas vſque miſit. Eodem tempore Ludouicus Auogarius cum octingentis peditibus, quos ex Eutropiana, Sabináque valle collegerat, alia ex parte ad portas quoque appulit, & filium aliò emiſit, ac Marci nomine vbique reſonante vrbs tumultum excitatura videbatur. Sed Grittus nullo ſigno, vti conuenerat, neque nuntio accepto Brixiam firmis præſidiis cohiberi coniiciens haud progreſſus eſt: in eo tumultu Auogarij filius à Gallis extra vrbem excurrentibus interceptus fuit: Grittus Montanianum, vnde initio prodierat, rediit, & ponti, quem Atheſi impoſuerat, præſidium reliquit. paucis poſt diebus à Brixianis reuocatus Atheſim rurſus cum duobus maioribus tormentis, quatuor minoribus, quos falcones vocant, traiecit, & ad Caſtagnetum conſedit. Comes quoque Ludouicus Auogarius cum magna ruſticorum multitudine ex iiſdem vallibus collecta Brixiæ appropinquauit, qua fretus Grittus ſimul & Brixianorum proditione vrbem tripartito oppugnare deſtinauit: ad portam, quæ Turris dicitur, Galli hoſtes fortiter repulerunt: ad Garzulanam, qua Garzula, ſiue Garzetta (vt alij ſcribere malunt) fluuius vrbem influit, milites Baltazare Scipione duce per fluuij cancellos intromiſſi ſunt, Pilarum (vt vocatur) porta Auogarius cum ſuis irrupit: tum Brixiani, quibus armis interdictum erat, ſeſe commouerunt, & Venetis adiunxerunt. Iacobus Daillonus Ludæus cum Gallis ſe in arcem ſarcinis equiſque amiſſis recepit, quos Alda Ioannis Franciſci Gambaræ nuper vxor cum liberis, ac Marcus Martinengius ſequuti ſunt: pars vrbis, quæ Ciuitatula dicitur, à cætera vrbe ſeparata, vbi Gibellini magna ex parte habitabant, præter Guelforum domos, direpta eſt. Brixiæ exemplum Bergomum ſequutum eſt: duæ arces, quarum altera in media vrbe erat, altera paucis ab vrbe ſtadiis diſtabat, in Gallorum poteſtate remáſerunt, tametſi eam quæ intra vrbem eſt, deditione captam ſcribit Bembus. Vrcei noui, ac veteres, Pons vicus, ac pleraque alia oppida in Venetorum pariter ditionem conceſſerunt: quod ſi tantam Veneti in militibus, tormentiſque mittendis, quantam creandis magiſtratibus, qui captas nuper vrbeis adminiſtrarent, diligentiam adhibuiſſent, res nimirum adhuc ambiguas, ancipiteſque longè magis confirmaſſent.

Brixia quomodo à Venetis occupata.

22 Sed dum inſperata quodam modo victoria læti nimis exultant, inermeſque magiſtratus mittunt, Fuxius huiuſmodi cunctationem incredibili celeritate anteuertit: Pado enim ad Stellatam tranſmiſſo, vnde centum quinquaginta cataphractos equites, pedites quingentos Ferrariam miſit, Mincium quoque ad Molendini pontem, vbi Grittus antè flumium traiecerat, ſuperauit, & in ipſo tranſitu à Mantuano liberè proficiſcendi teſſeram poſtulauit, vel vt nec opinato poſtulato incertus deliberandi ſpatium non haberet, vel vt de eius aduentu tardius Veneti certiores redderentur: inde Nugarolum agri Veronenſis oppidum mox Triuilium tertio à Scala milliari diſtans profectus Ioannem Paulum Baleonum, qui Venetorum aliquot tormenta, militeſque Brixiam deduxerat, Caſtrofranco digreſſum cum trecentis grauis, quadringentis leuis armaturæ equitibus, mille ducentis peditibus ad Scalam inſulam caſtra facturum intellexit. Hunc cum trecentis cataphractis equitibus, ſeptingentis hippotoxotis, aggredi cætero exercitu ſubſequente properauit. Iam Scala egreſſum offendens perſequi non deſtitit: Bernardinum Montonenſem, qui pontis ad Alberum iacti præſidio præerat, rumore Gallorum aduentantium perterrefactum, ne à Germanis Veronæ hybernantibus intercluderetur, pontem fregiſſe Baleonus reſcierat, vnde Brixiam confugiſſet, niſi fluuium paulò infra Veronam vado traiici didiciſſet. Inter eundum Fuxium procul aſpexit, & propter eius famam omnem anteuertentis celeritatem præſidiarios Veronenſes eſſe coniectans ſuis in ordines redactis ad Magnanimi turrim nec ab Atheſi, nec à Scalæ turri procul diſtantem hoſteis irruenteis fortiter excepit, grauíque lancearum conflictu inito, cæteris deinde armis certatum: Venetos in fugam verſos Galli ad Atheſim vſque perſequuti ſunt, multi in conflictu ceciderunt, multos vndæ abſorpſerunt, bonam peditum partem, nonaginta cataphractos equites cæſos, paucos è Gallis deſideratos produnt, duo minora tormenta, nulla ſiquidem præterea habebant, capta: inter captiuos illuſtriores Guido Ranconus, ac Baltazar Signorellus Peruſinus fuerunt, equi celeritate traiecto flumine Baleonus euaſit. Poſtridie Meleagrum Foroliuienſem Venetorum ducem cum aliquot leuis armaturæ equitibus Galli offendentes in fugam vertērut pluribus cæſis, nonnullis captis inter quos Meleager ipſe numeratus eſt,

Fuxij in eadem recuperanda incredibilis diligentia.

Venetorum cædes.

eſt, neque horæ quidem momentum ſine progreſſu diffluere ſinentes nono poſtquam Bononia migrarant, die Brixiam appulerunt.

23 Fuxius cum primo agmine ad portam Longæ turris ducentis fere ab vrbe paſſibus caſtra fecit, cæteri paulò remotius ad viam, quæ Piſcheriam deducit, conſtiterunt: ipſe nullam vel ſibi, vel ſuis quietem indulgens Fridiani cœnobium, quod media via inter ipſum, ad montem caſtris Gallicis imminentem ſitum erat, peditibus immiſſis ſtatim oppugnandum curauit: præſidio erant plerique euocati è valle Eutropiana ruſtici, qui grauibus pluuiis interuenientibus cum tormenta exonerare non poſſent, fuſi repente, ac magna ex parte cæſi fuerunt. Poſtridie per tubicinem Brixianos omnem culpam remittens ad deditionem inuitauit, Venetos dumtaxat in cuſtodiam tradendos excepit: illi inſolenter Gritto præſente, atque animos addente reſponderunt, vnde exercitum in alteram vrbis partem propius arcem tranſtulit, & ad ſuburbium quod ad Ioannis portam eſt, conſedit. Die tertio prima aurora ſelectos quadringentos, aut paulò plures cataphractos equites, ac ſex partim Vaſconum, partim Germanorum peditum millia ipſe vnà pedes incedens, & iuxta Pilarum portam conſcendens in primum arcis ſeptum deduxit, atque eoſdem paululum conſiſtere iubens, deinde paucis verbis hortatus, vt Venetis longè & numero, & robore ſuperiores audacter vrbem inuaderent, rogauit; nam quod ad vrbanorum, ruſticorúmque multitudinem attinet, illos ſua trepidatione ſtrenuorum militum ordines potius, animóſque perturbaturos, quam dimicantibus opem allaturos: quantum illi viribus, animíſque præſtent, ſatis Fridiani cœnobij nudiuſtertius oppugnatione compertum. Si ſolidam gloriam, immenſámque vrbis opulentiſſimæ prædam cum periculo comparent, nihil eſſe quod reformident; ne committant vt eius iudicium redarguant quos è Florentiſſimo exercitu ſelegerit, ne ſe ignauiæ ipſi condemnent, ſi vrbeis foſſis, muris, tormentis, militibus inſtructas oppugnare profeſſi æquo campo de paucioribus victoriam reportare non poſſint. His dictis arce exire iuſſit: Galli hiſtorici, quos ſequitur Bembus, cataphractos equites in fronte collocatos fuiſſe, pedites ſucceſſiſſe, quod veriſimilius eſt, quidam Itali pedites anteceſſiſſe ſcribunt. Arce egreſſi Galli in aliquot peditum cohortes cum tormentis aditum intercludere conanteis inciderunt, quibus fuſis in aream palatij Burleti centurionis deſcenderunt, vbi Veneti pedites inſtructis ordinibus venienteis expectabant. Ibi acri conflictu inito, qui in aliquot horas protractus eſt, alteris pro gloria, ac præda, alteris pro vita decertantibus, in quo non minus duces ipſi, quam milites in aperta pericula ruebant, inter quos Fuxij ipſius virtus in primis celebrata eſt, Veneti tandem non incruentam victoriam relinquentes pulſi fuerunt: victores in duo agmina diuiſi alteri per ciuitatem, alteri per Ciuitatulam irruperunt, quibus in ſingulis propè angulis, atque areis Veneti milites, ciueſque quadam deſperatione acriter reſiſtebant. Sed Galli victoriam fortiter perſequentes ſemper hoſteis fuderunt, nec ſe ad prædam prius, quam planè vrbis compotes eſſent, conuerterunt: ita enim Fuxius iuſſerat, quod adeo exactè obſeruarunt, vt ſi quis ad prædam conuolans, à ſuis diſiungeretur, in eum ſocij potius, quam in hoſtem inuaderent, immoderatámque auaritiam præſenti morte mulctarent.

Brixiani ad deditionem amicè inuitati inſoleſcunt.

Veneti Brixia Gallorũ virtute pulſi.

Brixiana oppugnatio cur celebris.

24 Hæc oppugnatio iuſtæ pugnæ laudem, aut maiorem etiam meruiſſe mihi videtur, in qua victi victoribus longè numero ſuperiores fuerunt: neque enim eos, qui ex Gallico exercitu extra vrbem erant, quum in victoriam nihil contulerint, inter victores numerare debemus. Cæſorum porro maior, quam in multis magnorum exercituum pugnis numerus fuit: multi quidem ex Gallis, Germaníſque peditibus, multi ex cataphractis equitibus, quorum certus numerus non proditur, ſed multò plures ex hoſtibus ceciderunt: octo enim millia tam militum, quam ciuium cæſa traduntur, cæteri captiui remanſerunt. In Brixiano autem Venetorum exercitu quingenti grauis, octingenti leuis armaturæ equites, omnes fere Græci, octo peditum millia erant: ducenti dumtaxat Græci equites poſtico oſtio non longè à Nazarei porta euaſerunt: ſed & hi in Gallos qui extra vrbem in armis erant, incidentes, aut cæſi, aut capti fuerunt: cæteræ Gallorum copiæ nondum vrbem ingreſſæ eadem porta non periculorum, ſed præmiorum participes futuræ ad prædam accurrerunt: captiui illuſtriores Andreas Grittus Veneti exercitus Imperator, Antonius Iuſtinianus ſummus Venetorum Brixiæ magiſtratus, Ioannes Paulus Manfronus, vnà cum filio, eques Volpius, Ludouicus Auogarius cum altero ex liberis, Baltazar Scipio vnus ex Antonij Pij Carporum Comitis liberis, Dominicus Buſecius Epirotarum præfectus, Federicus Contarenus ſummus equitum leuis armaturæ præfectus fortiter pugnans ſclopeto cæſus eſt. Virginibus quæ ſe Deo Opt. Max. dicarant, corpora à militum vi Fuxij iuſſu vindicata ſunt, cæterum eorum bona, & qui eò confugerant, prædæ victoribus fuerunt: Ludouicus

Auogarius

Digitized by Google

Augarius publicè capite mulctatus, duo eius liberi non ita multò poſt eandem pœnam ſubierunt Ita Galliæ Tranſalpinæ vrbs nobiliſſima, quæ cæteras diuitiis Mediolano excepto ſuperabat, à Gallis olim condita, tum à Gallis totos ſeptem dies direpta eſt, militum libidini, crudelitati, inſolentiæ expoſita, inſigne proditionis exemplum futura, quam vicinæ cæteræ vrbes nuper ſequutæ erant. Hinc Fuxij nomen toto Chriſtiano orbe celeberrimum fuit, qui celeritatem cum fortitudine exæquans, quindecim diebus Pontificium, Hiſpanúmque exercitum Bononiæ obſidionem ſoluere coegerat, Ioannem Paulum Balleonum cum Venetarum copiarum parte fuderat; ea hoſtium ſtrage Brixiam receperat, vt tantum ducem, aut certè adeò Felicem multis iam ſæculis in Italia haud viſum eſſe conſtaret. Brixia recepta vicinæ vrbes quæ defecerunt, in Gallorum ditionem redierunt: Bergomum anteuerterat; quod enim paucorum conſpiratione defecerat, Gallos antequam Brixia caperetur, communi conſenſu reuocarat. Rebus ita conſtitutis exercitum interim longis itineribus, Brixianáque oppugnatione fatigatum Fuxius refecit, & in prædæ vel partitione, vel conſeruatione ſtertentem ad militarem diſciplinam, quoad potuit, redegit. Tum ex Regis mandato Pontificium, Hiſpanúmque exercitum in Bononienſi agro adhuc agentem adire, atque ad pugnam elicere conſtituit, quicquid tentaret nihil ſupra ſuam fortunam, qua hactenus propitia in primis vſus erat, ſe tentaturum ratus, & iuuenilis ardor ſuæ virtutis conſcius Regis auunculi expectationi ſatisfacere cupiebat, qui regnum illi iam Neapolitanum deſponderat; quo nimirum, niſi immatura morte præreptus fuiſſet, intra paucos menſes potitus fuiſſet, & Gallici nominis memoriam iam prope abolitam apud Turcas vicinam Græciam occupanteis renouaſſet. Tanta in adoleſcente indoles erat, vt non ſolum Galli, verum etiam exteræ quæque nationes de illo magna omnia, & de cæteris non ſperanda ſperarent.

Fuxij nomen toto Chriſtiano orbe celeberrimum.

25 Noua autem conſilia rebus inſperatis interuenientibus Ludouicus inire cogebatur. Anglus enim, qui non ita pridem ſe in ſocietate permanſurum apertè ſpoponderat, ambigua paulò poſt oratione Ludouicum ſuſpenſum tenuerat, poſtremo actis orationi repugnantibus ſe hoſtem declararat, ſiquidem ſcripto Iulij, Ferdinandi, Venetorum ſocietatem, in quam intra præſcriptum tempus admitti debebat, nuper confirmarat; magni præterea in Anglia belli apparatus inſtruebantur, claſſis adornabatur, vti & in Hiſpania, quæ in Aquitaniam tranſmitteret. Vtraque natio Gallici belli ardore flagrabat, & vt ſtolida plebs, quin & aliquando proceres præſertim barbaræ nationis vino ſeſe ingurgitantis leui de cauſa ſæpius, quàm graui, commoueri ſolent, in Angliam triremis appulerat, vinis Græcis, caſeis, & aliis id genus ad potandum illecebris onuſta, quæ Regi, ac regni proceribus dono datæ acceptiſſimæ fuerunt: ad triremem viſendam populus vndique coibat, & nunquam antea in Anglia aut nauem, aut Romana inſignia conſpecta gloriabatur. Conuocati ſunt tres Anglici regni ordines, quæ illi parlamenta vocant, vt noſtri initio parlamenta iudicum conuentus appellarunt, quæ tum ſtataria non erant, ſed modo huc, modo illuc commeabant. In eo conuentu Morauienſis Pontifex, qui diu inter Iulium, ac Ludouicum pacis ſequeſter fuerat, Cardinalitij gradus adipiſcendi ambitione incitatus luculentam orationem habuit, qua fœderatos, præſertim Iulium iuſtis de cauſis Ludouico bellum inferre confirmabat: nec barbaræ nationi rerum Italicarum ignaræ, & Gallis infeſtæ perſuadere perdifficile fuit. Ibidem Iulij legatis procurantibus, vt nonnulli Pontifices regni Anglici nomine Romam ad concilium Lateranenſe proficiſcerentur, ac Ludouici apud Anglum legatus dimitteretur, decretum fuit: neque enim decere, vt apud Regem pium, regnúmque Romano Pontifici addictum eius Regis legatus ſeſe iactaret, qui Romanas ditiones occuparet, prædicabant: At idem ille Rex non multis poſt annis leui de cauſa, hoc eſt, puellæ amore perditus eam pietatem Romanis Pontificibus renuntiauit, ac penitus remiſit, regnúmque ſuum non ſolum ab eorundem fide, ſed & ab omni obſequio prorſus vindicauit: clientes enim Romanorum pontificum Angliæ Reges, non ſecus ac Neapolitani, ſeſe aliquando profeſſi ſunt; quinetiam nouas, & à Romana alienas religiones induxit. Decretum quoque fuit, vt Anglus claſſe Normaniam ac Britanniam infeſtaret, octo peditum millia in Hiſpaniam mitteret, quæ Hiſpanis iuncta Aquitaniam inuaderent.

In Anglia magni belli apparatus ſuſpenſū Ludouici animum tenent.

26 Hæc veterum cum Anglis geſtorum bellorum memoria, quibus nouus hoſtis Ferdinandus accedebat, mirandum in modum Ludouici animum percellebat, & totum equitatum in Italiam miſerat, ducentis dumtaxat cataphractis equitibus exceptis, ac Picardiæ attributis: octingentos addere in animo habebat, ſed quantum tironi, inexpertóque militi fidendum eſſet, nouerat. De abalienato Cæſare non minor illi ſuſpicio erat: quanquam enim Andreas Burgus, quem ad Cæſarem tanta cum expectatione miſerat, eundem in

Cæſarem à ſe abalienari procliuè Ludouicus mali ominis ducebat.

ſocietate

ſocietate perſeueraturum denuntiarat, tamen duras adeo, & querimoniarum plenas conditiones addebat, vt eæ quandam renunciandæ ſocietatis ſpeciem præ ſe ferrent. Etenim vt ex fœdere Cameracenſi ſua Ludouici impenſis reciperet, & vt prædes, aut idoneam cautionem Ludouicus daret, petebat: ſe enim inanibus verborum promiſſis haud amplius fidem adhibiturum, Regem ægrè, vt Pataium in Cæſaris ditionem rediret, pati: ducenta nummûm aureorum millia facilè quotannis expendiſſe, quod quinquaginta millium impenſam Cæſari grauiorem fore noſſet, idcirco ſe non tam Regiis auxiliis iuuari, quàm continuis moleſtiis affligi: alteram Regis filiam Renatam duos nondum annos natam (ſiquidem maior natu Claudia Franciſco Valeſio Engoliſmenſium regulo deſponſa erat) Carolo nepoti deſponderi, ad ſe protinus deduci, maiorem Burgundiam doti dici, inſtitutas de Bononia, Ferraria, concilio controuerſias ſeipſo arbitro diiudicari poſtulabat, vt Gallicus exercitus Romam peteret, aut alioqui imperium in Italia proferret, ſe non permiſſurum profitebatur, & quod omnium grauiſſimum erat, vt hæc illi omnia Ludouicus aſſenſus eſſet, tamen propter innatam eius inconſtantiam, ac leuitatem, quin oblata occaſione ſocietatem renuntiaret, certo Ludouicus conſtituere nequibat: diſſoluendæ enim potius ſocietatis, quam confirmandæ, Cæſarem occaſiones quærere prolatæ iniquiſſimæ conditiones arguebant. Quinetiam & procuratores, quos toties ad Piſanum concilium ſe miſſurum promiſerat, cum Burgo non acceſſerant, & Germani Pontifices Auguſtano conuentu idem concilium tanquam ſeditionis in religione ſeminarium damnauerant; cum ea tamen exceptione, vt ſi firmioribus, quam hactenus, argumentis contraria ſententia confirmaretur, in eandem pedibus irent. quibus de cauſis etſi Cæſarem à ſe abalienatum Ludouicus videbat, tamen in eius gratiam quum omneis ſuas vireis in vnum cogere oporteret, ducentos cataphractos equites, tria peditum millia Veronæ, Lemniaci mille ſuis ſtipendiis alebat. Tum verò Heluetios ad fœderatos propendere palam erat, qui quanquam vt ad ſua comitia prætor Ambianenſis (balliuum noſtri vocant) admitteretur, permiſerant, quem quouis pretio eam nationem ſibi conciliaturum ſui erroris conſcius Ludouicus eo miſerat, inſito nihilominus iam plebis odio, & Sedunenſis Cardinalis concionibus eorum authoritatem, qui Regis cauſam agebant, & ne ab eodem Heluetij diſiungerentur de comitiis in comitia diſtulerant, vincentibus, vt ſex peditum ſuorum millia Germanis peditibus in Gallorum exercitu militantibus opponenda fœderatorum ſtipendium mererent, aſſentiebantur.

De pace nulla ſpes erat, tametſi Nannetenſis, ac Strigonienſis opulentiſſimus Hungariæ Cardinalis de pace etiam in ipſo belli ardore tractabant: prius enim, quàm de pace 27
ageretur, vt Bononia, Ferrariáque ſibi reſtituerentur, ac concilium Piſanum diſſolueretur, Iulius poſtulabat; & rebus verba confirmans Cardinales, Pontificéſque Gallos, qui concilio affuerant, de gradu deiecerat, atque exauthorarat. Philippum Decium eruditiſſimum ſui temporis Iureconſultum quod eidem interfuerat, ſcripto edito illud ipſum confirmarat, Cardinales, quæ ad iuris normam dirigenda erant, deſcripturus ſequeretur, Chriſtianorum cœtu exterminarat; omnis prope Italia Ludouico infeſta erat, nam Ferraria, Bononiaque plus impenſæ, quàm opis ferebant, Florentinos, vt bellum ſecum in Flaminia gererent, vrgebat: ſed fruſtra: magis enim in Iulium, Ferdinandúmque propendebant, ad quem etiam legatum miſerant, & Cardonij proregis Neapolitani legatus Florentiæ fere ſemper manebat. Itaque non amplius de communibus negotiis cum Rege, vti antea, communicabant: &, vt ſocietas continuaretur, roganti (iam enim ad finem propemodum affecta erat) moras identidem neſcioquas nectebant, vt ſibi veras parteis ſequerentur, integrum ſemper eſſet. Siquidem eos, ne quadam deſperatione Gallorum fortunam ſequerentur, Chriſtianis ſacris Iulius reſtituerat, & per Goſſadinum Bononienſem legatum ſuum ſcriptis humaniſſimis litteris ſibi reconciliare tentabat: ita Iulio, Ferdinandóque incitantibus omnes fere principes Chriſtiani, reſque publicæ aduerſus Ludouicum, ac Gallos coniurauerant: is ab omnibus deſertus, & ſolis ſuis viribus fretus, ne ſimul ab omnibus vndique obrueretur, quin potius nonnullos anteuerteret, proſpiciens, Pontificios, Hiſpanóſque, quos in primis oderat, viribus, vt ferebatur, inferiores aggredi, ac tentare belli fortunam volebat; & ſi ea proſperè ſucceſſiſſet, Romam, Romanáſque ditiones quamprimum occupare cupiebat: vtque inuidiam declinaret, & ne ſacras poſſeſſiones ſibi vindicare videretur, bellum concilij nomine perſequi inſtituit: hinc concilij legatum ſuis copiis intereſſe, & quodam modo præeſſe voluit. Fuit is Federicus Cardinalis Seuerinas, vt corporis, ita animi magnitudine clarus, qui magis ad bellicas, quàm ad res ſacras, tractandas natus videbatur: is Pontificiæ ditionis vrbeis, ſi fortè dederentur, in fidem nomine concilij recipere,

Philippus Decius Chriſtianorũ cœtu exterminatus.

Omniũ penè Principum Chriſtianorũ aduerſus Ludouicum coniuratio.

aut

aut vi captas adminiſtrare debebat. Hinc Fuxio, vt fœderatorum exercitum perſequeretur,& ſi fieri poſſet, ad pugnam eliceret, Ludouicus iniunxit, egreſſus Brixia Fuxius Finale petiit: vbi de commeatu è Mediolanenſi agro, cæteráque Gallia Tranſalpina in caſtra comportando ſollicitus, cogendíſque omnibus equitum, ac peditum copiis, quas Ludouicus in Italia habebat, niſi quæ præſidiis vrbium deſtinatæ erant, intentus, tum ob continuos imbres retardatus aliquot dies non otioſus egit; inde ad Fanum Georgij Bononienſis agri oppidum progreſſus eſt: illuc tria Vaſconum millia, mille Belgæ ſiue Picardi (vt vulgò appellantur) mille ex aliis Galliæ regionibus pedites omnes ſelecti ad caſtra acceſſerunt, vt Gallicus exercitus mille ſexcentis cataphractis equitibus (inter quos ducenti prætoriani equites numerabantur) quinque Germanorum, totidem Vaſconum, octo partim Gallorum ex aliis Galliæ regionibus collectorum, partim Italorum peditum millibus conſtaret; cui ſe Ferrarienſis Alphonſus cum magna tormentorum vi nam Gallica Fuxius propter diluta imbribus, ſempérque fere niſi calida iam æſtate Galliæ Tranſalpinæ perrupta itinera Finali reliquerat, cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus ſe adiungere debebat: ſequebatur Cardinalis Seuerinas, & iam in itinere erat.

28 Fuxius igitur & Regis auunculi mandato, & rebus antea geſtis, tum egregia indole, ac naturali gloriæ cupiditate ſtimulatus, ad hoſteis accedere, atque omnes pugnæ conferendæ rationes inire decreuit: ita tamen decreuit, vt temerè ſeſe periculis obiicere, aut locis iniquioribus decertare nollet. Si enim pugnæ facultas non daretur hoſteis commeatu prohibere, aut aliquas illuſtriores vrbeis, ne otioſus reſideret, oppugnare conſtituit: at hoſtium longè alia mens erat, in quorum exercitu Vrbinatis ala iurgij neſcio cuius prætextu dilapſa, mille quadringenti grauis, leuis armaturæ mille equites, Hiſpanorum peditum ſeptem, Italorum nuper conſcriptorum tria millia erant: etenim ſuos equites, nec numero, nec vigore Gallis pares, pedites autem numero quoque longè inferiores agnoſcentes prælij aleam, præſertim antequam ſex Heluetiorum millia in caſtra conueniſſent, ſubire detrectabant, quæ communi Heluetiorum pagorum conſenſu promiſſa, vt Iulij, Venetorúmque ſtipendio arceſſerentur, Sedunenſis Cardinalis, ac duodecim eius nationis oratores Venetiis cum Iulij legatis, Senatúque tractabant. Accedebant Ferdinandi mandata, qui miſſis & litteris, & nuntiis ne confligerent, diſertè prohibebat, priuſquam ipſe pariter, atque Anglus diuerſis è regionibus in Galliam inuaſiſſent: tum enim Ludouicum bonam equitatus, & fortaſſe peditatus partem in Galliam reuocaturum, & certiorem ſine cæde, ac ſanguine victoriam futuram; idcirco nec antea vt Bononia oppugnaretur, permiſiſſet, niſi importunæ, ac querimoniarum plenæ Iulij preces peruiciſſent. Quapropter Cardonius, cæterique fœderatorum duces ne Gallis in prædam vrbes paterent, aut libera ad Romam occupandam via relinqueretur, caſtra ſemper caſtris conferre decreuerant: ſed tutis nihilominus locis conſiſtere, aut magnam aliquam vrbem hoſtibus opponere, nec niſi ſumma occaſione, & quaſi certa victoriæ ſpe in prælium deſcendere. Hinc quum Galli ad caſtrum Guelfum, ac Medicinam non longè à Paduſa diſtans oppidum caſtra feciſſent, fœderati ad Fori Cornelij muros retroceſſerunt. Galli poſtridie iuxta Forum Cornelij milliari, aut paulò amplius interiecto pertranſeuntes ad Bubanum quarto à Foro Cornelij milliari primum agmen, cæteri ad Mordanum, Bagnarúmque diuerterunt, iter infra viam Regiam perſequentes, quod Fuxio Bononienſem agrum ingreſſo Lugium, Bagnacauallum, cæteráque vicina oppida Hiſpanis cedentibus in Ferrarienſis ditionem rediiſſent. Die poſtero fœderati firmo præſidio arci Forocornelianæ relicto Ioanne autem Saſſatellano cum ſexaginta cataphractis equitibus vrbi præpoſito ad caſtrum Bononienſe proceſſerunt; quo die Galli Solarolum vi Cutignolam, ac Granariolum altiſſimam Appennini arcem deditione ceperunt, ibique eo die ac poſtero remanſerunt, vbi Fuxius nouum à Rege mandatum, vt prælium maturaret, accepit. Fœderati ad Muſcarum (vt appellatur) campum acceſſerunt, in his caſtrorum mutationibus ſemper vterque exercitus ſeruatis vbique ordinibus ac militum robore ad hoſteis conuerſo incedebat, quaſi prælium vbique inſtaret: alter vt hoſteis ad pugnam eliceret, alter, ne inuitus ad eandem traheretur.

Fuxius fœderatos ad pugnam elicere deſiderat.

29 Interim Iulius, ac Ferdinandus initio precibus, deinde minis grauioribus Venetos ad pacem, aut inducias cum Cæſare ineundas vehementer vrgebant: illi quanquam Brixiana oppugnatione fracti niſi ſibi excepta Vicentia inire recuſabant: factæ tandem in octo, vel in decem (vt Bembus ſcribit) menſes induciæ, vti quiſque poſſidebat, vt interim poſſideret, permiſſum. Cæſari quinquaginta florenorum Rhenanorum millia Veneti dependerunt, vnde Cæſarem à ſe penitus abalienatum, in cuius gratiam tot impenſas fecerat, Ludouicus

Fœdus inter Imperatorem & Venetos.

intellexit, prudentémque Stephani Poncherij Senonenſis Pontificis ſententiam agnouit, qui Venetorum amicitiam Cæſarianæ anteferendã ſuaſerat, vt libro vndecimo ſcripſimus. Hieronymus Cabauilla Hiſpanus legatus in Regis cõſilium admiſſus mandatum à Ferdinando, vt in Hiſpaniam rediret, ſe accepiſſe declarauit: tũ etiam vt poſtremò Ludouicum hortaretur, ne tyrãnos Bentiuolos aduerſus ſacroſanctum Chriſtianorum Pontificem tueretur, & ne vniuerſam totius Chriſtianiſmi pacem interturbaret; alioqui Ferdinandum nec vniuerſæ paci, nec ſummo Chriſtianorum Pontifici, vt Regẽ Chriſtianum decet, defuturũ. Ita ſpecioſis verbis pietatẽ quandam, ac communem vtilitatem prætexentibus immanem occupandæ Italiæ cupiditatem occultabat. At Fuxius quum fœderatos nec ad pugnã pertrahere, nec ob Flaminiæ vrbium commoditatem commeatu prohibere poſſet, quin potius ipſe prohiberetur, ex Gallorum ducum ſententia Rauennam oppugnandam ſuſcepit: hoſteis enim tantæ vrbi non defuturos, alioqui multum de eorum exiſtimatione deceſſurum, ſuſpicabatur, eam ſolam pugnæ maturandæ occaſionem videri. Ne verò illi, quod ipſe animo agitaret, ante caperent, & Rauennam priores adirent, inter Cutignolam, ac Granatiolum ſeptimo ab hoſtium caſtris milliari caſtra fecit, ac quatuor dies tantiſper dum maiora duodecim, totidẽ minora tormenta Ferraria conuehuntur, ibi traduxit. Fœderati, id quod erat, ſuſpicati M. Antonium Columnã cum ſexaginta è ſua ala grauis, Petrũ Caſtrium cum centũ leuis armaturæ equitibus, Salezarium, ac Paradium cũ ſexcentis Hiſpanis peditibus Rauennam præmiſerunt. Sed Colũna id munus ſuſcipere recuſauit, niſi prius Ioannes Medices Cardinalis Iulij legatus, Cardonius prorex, Fabricius Columna Petrus Nauarrus, cæteríque fœderatorum præcipui duces ſacroſancto iureiurãdo ſe eidem opem laturos, ſiquidem Galli Rauẽnam circumſederent, cum toto exercitu promitterent: quibus ſacramento adactis Rauennam cum ſibi attributis militibus profectus eſt, cæteri ad Fauentiæ muros iuxta portã, qua Rauennam itur, caſtra poſuerunt. Fuxius autem centũ cataphractos equites, mille quingentos pedites ad oppugnandum Ruſſium miſit: oppidani initio, vt populi mos eſt, ſe ſatis ſtrenuè defendebãt, deinde aucto metu de deditione verba fecerũt. Verum dum vltro, citróque colloquuntur, & cuſtodiæ negligentius aguntur, Galli magno impetu in oppidum inſilierunt, quod cæſis circiter ducentis direptum pro caſtris nihilominus fuit: hinc ad Rauennam Fuxius appropinquauit, ac poſtridie ad vrbis muros inter Vitim, Montonúmque amnes caſtra fecit, qui infra Rauennam coeuntes tertio inde milliari in mare deuoluuntur: quanquam mare Rauennæ quondam muros alluiſſe proditur, ad antiquam Rauennam Beſedem fluuium dumtaxat collocat Plinius: Vitim, ac Montonum Bediſum (Beſedem fortaſſe dicere voluit) facere Blondus ſcribit.

Rauenna à Fuxio oppugnatur.

Spatium inter vtrumque fluuium interiectum non ſolùm Galli occupabant, ſed & pars exercitus ponte Montonum traiecerat: die poſtero partim ad Turrim, quæ Vitis dicitur, & inter Adriani portam, Vitímque ſita eſt, partim vltra Montonum tormenta Fuxius collocauit, oppugnationem accelerans, tum vt hoſtium aduentum anteuerteret, atque vrbe potiretur, tum quod commeatus non niſi ſumma cum difficultate in caſtra importabatur: claſſis enim Veneta ad Figariolum in anchoris ſtans quicquid è Gallia Tranſalpina exportabatur, intercipiebat, & in canalis oſtio, qui altero à Rauenna milliari defluens duodecimo ab eadem in Padum influit, demerſis aliquot nauigiis, ne quid Ferraria in caſtra Gallica conueheretur, prohibebat: curribus vero trahere & periculis obnoxium, & perdifficile erat; quinetiam pabulatores ad ſeptimum milliare, aut etiam vltra ab exercitu ſecedere cogebantur. Igitur victus neceſſitate Fuxius oppugnationem illo ipſo die inſtituit, tametſi perdifficilem ſuis in vrbem aditum videbat; in triginta dumtaxat vlnas murus aliqua ex parte effractus erat, nam reliquiæ quindecim fere pedum altitudinem exæquabant, vt non niſi ſcalis aſcendi poſſet: quas difficultates vt militum virtute ſuperaret, tria ſeparatim Gallorum, Germanorum, Italorum agmina in oppugnationem eduxit: decem ſelectos ex vnaquaque ala cataphractos equites iiſdem armis, quibus ex equo pugnare ſolent, tectos peditibus præire iuſſit, qui ſcalis ad murum admotis treis horas fortiſſimè dimicarunt: tandem aditus difficultate obiecta obſeſſíſque ſe ſtrenuè tuentibus, tum leuioribus tormentis è vicino propugnaculo conſcendenteis atterentibus de vrbis expugnatione deſperantes cæſis trecentis peditibus, atque aliquot cataphractis equitibus totidem fere vulneratis in caſtra redierunt. Inter vulneratos Caſtilio, ac Spinæus tormentorum magiſter numerati ſunt, & paucis poſt diebus è vita exceſſerunt. Nimis acceleratam oppugnationem plerique damnarũt, nam etſi pauci vel amiſſi, vel prælio inſtanti inutiles redditi ſunt, at quum fortiſſimi ex toto exercitu ſelecti fuiſſent, non paruum ad victoriam longè facilius conſequendam momentum attuliſſent.

Expugnatio difficilis.

Interim

Digitized by Google

31 Interim fœderati, vt promiſſum facerent, Rauennæque obſidionem ſoluerent, Forum Liuij inter eoſdem amnes ſitum oppidum appulerant; vnde digreſſi, & mille paſſus infra vrbem traiecto Viti Rauennæ appropinquabant, quum Rauennates heſterna oppugnatione attoniti inſcio M. Antonio Columna (vt quidam tradunt) nuntium clam ad Fuxium de deditione miſiſſent, qui tantiſper dum exit, ac cum reſponſis redit, ecce fœderatorum exercitus, & à Gallis, & ex vrbe conſpectus eſt. Tum Galli in ordines redacti tormenta ſtatim ad ſe receperunt, nec amplius de expugnanda vrbe, ſed de pugna capeſſenda cogitarunt. Tum an Vitim exercitum traiiceret, fœderatóſque Rauennæ ingreſſu prohiberet, Fuxius in conſultatione poſuit. Id perdifficile videbatur, vicinus erat hoſtis, vt quæ ſeruandis ordinibus neceſſaria erat, diligentia adhiberi non poſſet, & partem exercitus, quæ prior fluuium traieciſſet, hoſtes facilè diſſipaſſent: at fœderati quum per ſaltum Pinetanum inter Rauennam ac mare interiectum vrbem ingredi poſſent, tertio à Rauenna milliari præter omnium expectationem caſtra poſuerunt, ac reliquum diei, totámque noctem foſſis circum ſua caſtra ducendis operam dederunt. Huc illos vel occaſionis ignoratio, vel quod ſuo conſpectu ademptam Fuxio vrbis expugnandæ ſpem iudicabant, vel ne inuiti ad pugnam traherentur, metus adegit: at ſi Rauennam illo die ingreſſi fuiſſent, eadem ignominia, qua paulò ante ipſi Bononia diffugiſſent, Gallos inde diſcedere, obſidionémque ſoluere coegiſſent. Tum Galli, qui propter commeatus penuriam diutius ibi commorari haud poterant, quid facto opus eſſet, conſultabant: alteram oppugnationem hoſtibus tam propinquis inſtituere præter militaris diſciplinæ rationem videbatur: hoſteis in ſuis caſtris iam munitis (vt veriſimile erat) aggredi non minus temerarium alij cenſebant: poſteriorem tamen conſultationem, vt magis glorioſam, ſéque digniorem ne re prorſus infecta abiret, & quod obiectas difficultates rei bene gerendæ non exigua ſpes exæquabat, Fuxius ſequutus eſt. Pugna in poſterum diem indicta, pons noctu Viti impoſitus, itinera vltra fluuium, vt tormentis primum, tum etiam equiti, peditique peruia eſſent, gnauis foſſorum operis complanata: poſtridie, qui tertius Idus April. fuit, tum Chriſto è mortuis excitato dicatus prima aurora acies ſuo quæque ordine proceſſerunt: primam ductabat Ludouicus Boëzeus Normaniæ Seneſchallus, atque Alphonſus Ferrarienſis regulus: ſecundam Iacobus Chabaneus Palicianus Regiæ familiæ magiſter, Ambaſiano vita functo eo munere donatus: tertiam, quæ quadringentos dumtaxat equites continebat, Iuo Alegrius in ripa fluminis retinuit, vt & ſuis laborantibus auxilio eſſet, & ſi fortè Rauenna hoſtes prodirent, eoſdem in vrbem compelleret. Præibant tormenta quingenariis duodecim Germanorum cohortibus ſequentibus, & ponte fluuium, cæteri vado tranſierunt; inter Germanos, fluuiúmque dextrum cornu firmantem ſeptingenti cataphracti equites incedebant: hæc prima acies fuit. Secundæ octo partim Vaſconum partim Belgarum, quos Picardos vocamus, millia Germanis inhærebant: hos quinque Italorum (cæteri enim diffluxerant) Federico Boſſolo duce contingebant: ſiniſtrum cornu hippotoxotarum, ac leuis armaturæ equitum circiter tria millia claudebant: vniuerſi non recta linea, neque exæquata fronte ingrediebantur, lunam potius ſemiplenam repræſentabant. Sequebantur ad fluuium cum ſexcentis cataphractis equitibus Palicianus ac Federicus Seuerinas Cardinalis Piſani concilij legatus, à vertice ad pedes vſque armis vndique protectus, atque ingenti equo ingens, & corpore & animo inſidens non tam ſacrati, quam viri militaris perſonam ſuſtinere videbatur, nullum ſibi locum delegerat.

Fœderatorũ ad vrbẽ Rauennam aduẽtus & Fuxij de pugna capeſſenda, aut oppugnatione continuanda animi fluctuatio.

Exercitus Gallorum ad pugnam vt diſpoſitus.

32 Fuxius cum triginta ſelectis equitibus huc, illuc ferebatur, vt manus conſerturis animos adderet, vel ſi quando laborarent, præſenti auxilio iuuaret. Is & armorum, & Imperatoriæ chlamydis ſplendore conſpicuus, læta, imberbíque facie, oculíſque micantibus ad
„ ſuos conuerſus ex fluuij aggere ita loquutus fertur: [Quod tantopere ſuperioribus diebus
„ obtabamus, milites, vt apertis campis cum infeſtiſſimis hoſtibus cõgrederemur, id hodier-
„ no die vel fortuna, vel potius Deus ipſe immanium ſcelerum vindex cumulatè nobis ob-
„ tulit: adſunt hoſtes exigua, ſubitariáque foſſa circumſepti: quæ non tam victoriam præbere,
„ quam fugã prohibere, ne elabantur, poteſt. Hos quaſi compedibus vinctos iuſtiſſimæ cauſæ
„ propugnator Deus Opt. Max in veſtras manus tradit: Iulij enim pontificis animum ſatis in-
„ tellexiſtis, qui nullis Chriſtianiſſimi regis beneficiis placari, nullis precibus exorari, nullis
„ conditionibus, tametſi Gallis iniquiſſimis, ad pacẽ induci potuit. ſed quo magis ſe Rex mi-
„ tiſſimus, ac publicæ trãquillitatis cupidiſſimus demiſit, eo intolerabilior: & decrepitus, æta-
„ tis pariter, ac functionis oblitus non ita dudũ ad caſtra properauit: vrbeis non hoſtiles, hye-
„ me poſt hominũ memoriam rigidiſſima inter altiſſimas niues, horridiſſimúmque gelu ſed
„ propter Gallorum amicitiam fortaſſe ſuſpectas expugnauit, diripuit, magna cæde cõpleuit;

Fuxij ad ſuos oratio.

Ambaſianum cunctatione, ac vana ſpe pacis eluſit; atque interim vniuerſos prope Chriſtiani orbis principes, liberáſque ciuitates aduerſus eundem Regem penitus accendit. Quid de Ferdinandi Hiſpaniarum Regis pefidia dicam? qui toties & ſuperiorem,& hunc noſtrum regem,Gallóſque violato iureiurando circumſcripſit. De vtroque nimirũ diuina prouidẽtia pœnas ſumere,& nobis,vt iniurias noſtras fortiter vlciſcamur,eorum exercitus obiicere decreuit. Nequevero gratis ea nobis offertur vltio, milites,magna proponũtur victoriæ præmia,magna merces:non enim ſolum Rauenna,cæteræque Romani Pontificatus vrbes in prædam cedent,ſed Roma ipſa atque in Romam cõgeſtæ tot ſæculis totius Chriſtianiſmi immenſæ opes,ſed ablatum Gallis Ferdinandi perfidia,ac malignis dolis regnum Neapolitanum. Quos vero habetis hoſteis? nempe hos ipſos Hiſpanos,qui nuper Bononiæ veſtrum conſpectum non tulerunt, qui nocturna fuga relicta opima præda ſe trepidi ſubduxerunt, qui paucis ante diebus, ne in veſtras manus inciderent, ſe in Forocornelianos, Fauentinóſque muros abdiderunt. nam quid de Pontificiis, vel ducibus vel militibus dicam? quorum ignauia iamdudum in prouerbium abiit: Hiſpani vero, penes quos ſumma belli futura eſt, quid memoria dignum aduerſus Gallos ſolida vi, infractóque pugnantium robore aliquando geſſerunt? Nunquam apertis viribus congredi, nunquam exæquato Marte fortunam periclitari auſi ſunt; ſemper vel muris, ac terræ aggeribus, vel fluminibus obiectis cunctando locum inſidiis, aut dolis ignauiæ ſuæ teſtibus tempus opportunum quæſierunt: quanquam non hi ſunt Hiſpani veterani,qui diu cum Gallis de regno Neapolitano fortuna variante decertarunt:tyrones ſunt non ita pridem ex Hiſpania in Africam trãſmiſſi,qui ne imbelles quidem Mauros arcu dumtaxat, fragilíque lancea inter fugiendum metuendos ſuſtinere potuerunt. Iſte ipſe Nauarrus,cuius nomen tã celebre nobis inculcare conantur, vix fuga elapſus, quantum inter pugnas vera virtute pugnatas, ac murorum,aggerúmque ruinas ſulphureo puluere ſubiecto excitatas interſit,exemplo memorabili docuit. Quapropter adeſte animis, & quum hæc ſepta ignauorum militum domicilia tormentis noſtris euerſa videritis, pugnam mecum alacres capeſſite.]

Orationem varij tubarum, tympanorúmque ſonitus, & læti militum clamores excepe- 33
runt:ac tum agmina omnia ſuo ordine incedere,& ad hoſtium caſtra vix altero milliari diſtantia accedere cœperunt, qui ſecundùm fluuium à ſiniſtra protegentem caſtra metati, foſſam latam, altámque prout temporis breuitas ferebat, eadem cæteris ex partibus cingentem duxerant;niſi quod viginti fere,aut paulo plus,paſſuum interuallum equitum excurſionibus, præliíſque velitaribus liberum reliquerant. Hi vbi Gallos fluuium tranſmittere proſpexerunt,loco munitiori fidentes ita ſe in ordines explicarunt: octingentos cataphractos equites in fronte ad fluuium collocauit Fabricius Columna, quorum latera ſex peditum millia cingebant: hæc prima acies fuit. Secundæ præerat Raimundus Cardonius prorex, & ad fluuium quoque ſexcentos eiuſdem armaturæ equites, à dextra quatuor peditum millia conſiſtere iuſſerat. Sequebatur eodem ordine, ac caſtrorum ſitu, nempe ad fluuium poſtrema acies ductore Caruaiale Hiſpano, in qua quadringenti grauis armaturæ equites,quatuor peditum millia cenſebantur:peditum latera Ferdinandus Daualus Piſcarius Marchio cum leui armatura tegebat, tormenta ante grauem equitatum locata erant: triginta currus antiquis non diſſimiles, munitos falcibus ac minoribus tormentis onuſtos prælongo venabulo eminente in foſſæ labro ante pedites in hoſteis Nauarrus obuerterat, & cum ſelectis quingentis peditibus liberè circumferebatur, quò occaſio vocaret auxilio futurus. Ita diſtributus Pontificius, Hiſpanúſque exercitus, atque hoſtium aduentum expectans ſeſe intra caſtra, foſſáſque ſuas continebat: ſic enim acies Nauarrus inſtruxerat, cui veterano duci Cardonius rerum bellicarum non admodum peritus non ſecus ac veteres Apollinis oraculis fidem adhibebat. Fabricium Columnam in diuerſa ſententia fuiſſe, atque hoſteis Vitim tranſmittentes aggrediundos cenſuiſſe memoriæ prodiderunt, quam prudentiorem fuiſſe rei exitus facilè confirmauit: nam quum Galli ab hoſtium caſtris circiter duo ſtadia abeſſent,eoſdémque ſeſe nullo modo commouere animaduertiſſent,& ipſi quoque ſubſtiterunt; ac quod lunata acies eſſet,& ſiniſtrum cornu vbi leuis armatura collocata erat latera hoſtium fere aduerſa haberet, illuc bonam tormentorum partem ſubito tranſtulerunt: quæ ſæpius exonerata magnam præſertim equitum (nam pedites à Nauarro moniti & in inferiorem caſtrorum regionem ad Vitis aggerem elapſi, humíque proſtrati diſcrimen vtcumque vitabant) ſtragem ediderunt: tranſlatorum tormentorum laudem Petrus Bembus, ac Paulus Iouius Cælium Calcagninum Ferrarienſem herum ſuum prolixè adulantem ſequuti Alfonſo Ateſtino Ferrariæ regulo falſo tribuunt, & victoriæ partem ſuis vendicare conantur: contra pedites Gallos

Pontificiorũ Hiſpanorúmque pugnam expectatium ordo.

Digitized by Google

Gallos Hiſpanica tormenta grauiter affligebant. In hanc præliandi formam quum horas circiter duas impendiſſent, ſeſeque mutuo laceſſiſſent, ingénſque Italici, Hiſpanicíque equitatus iactura iam facta eſſet, quum pleroſque ad Cardonium, vt pugnæ ſignum daret, Fabricius miſiſſet, & quod Nauarrus contradiceret, ille differret, Fabricius quadam ſuorum vel commiſeratione, vel deſperatione perpulſus equitatum è caſtris nihil vltra ſignum moratus eduxit, atque in hoſteis immiſit: hinc coactus Nauarrus & ipſe pugnæ ſignum dedit.

34 Hiſpani in pedes erecti in Germanos iamiam appropinquantes fortiter inuaſerunt, omniáque ſimul equitum, peditúmque agmina inter ſe mixta in mutuas cædes irruerunt: vix alias vnquam, ſaltem à multis ſæculis, maioribus viribus, aut pertinacioribus animis certatum: alios ſpes, alios ipſum diſcrimen, alios mutuum inter nationes odium, vniuerſos prope gloriæ cupiditas incendebat: nullæ iam foſſæ, nulli fluuij, nulli aggeres concurſum morabantur. Verumenimuero Gallicus equitatus natura ſua firmior Alegrio præſertim cum ſuis equitibus, ac Paridis mille peditibus in latus inuecto hoſtilem iam antea tormentis malè mulctatum tandem ita penetrauit, vt multis cæſis, multis item captis, cæteros in fugam verterit. In eo conflictu Fabricius Columna, Padulius, Bitontinus, ac Piſcarius Marchiones, aliíque nonnulli magni nominis Hiſpani pariter atque Itali duces capti. Cardonius prorex vix animi compos, Caruaialis cum ſuo agmine integro, neque enim in certamen prodierat, Antonius Leua adhuc dumtaxat centurio, ſed dux mox celeberrimus ſibi fuga ſalutem quæſierunt, quam tamen Cardonius non prius, quam ad Picenum agrum perueniret, intermiſit. Pedites Hiſpani quanquam prælongis denſatiſque Germanorum haſtis initio conturbati erant, tamen ſcutis protecti, & ſtrenuè ſeſe inferentes breuibus gladiis magnam cædem faciebant, & prope iam ad medios Germanos peruenerant. Vaſcones, Belgæque cum Italis peditibus fortiter rem gerebant: acceſſit Alegrius, & cum ſuis equitibus in Italos grauiter inuectus, ordines latè perrupit, ſed filio Viuerroo ante oculos cæſo quaſi extra ſe poſitus, nec vltra fatum ſuum moratus, qua denſius agmen erat, eo furibundus irrupit, & multis cæſis (vt ducem magnanimum decebat) ipſe pariter cæſus eſt. Pedem referebant Itali, niſi Hiſpani ex ſecunda acie Samanecco duce illis ſubſidio veniſſent, & grauem Gallorum irrumpentium impreſſionem vtcumque ſuſtinuiſſent, donec fuſo hoſtili equitatu cum Gallico redeuntem Fuxium, & in ſe conuerſum non procul aſpexerunt. Tum Hiſpani ſimul collecti ad fluuium contenderunt, & intermediam inter fluuium, aggerémque viam vtrimque munitam aſſequuti militari gradu, ac ſeruatis ordinibus ſeſe ex pugna ſubduxerunt. Ibi Nauarrus qui ſuorum agmen claudebat, fortiter pugnans captus eſt; cæteris ad prædam conuerſis integram victoriam haud ſibi partam arbitratus Fuxius, ſi Hiſpani non fugientes, ſed quaſi victores abirent, in eos cum paucis equitibus irruit. Illi paucitate contempta laxatis ordinibus viam venienti aperuerunt: mox vndique concluſum adorientes cum ſuis ad internecionem ceciderunt, ex equo vulnerato, atque in ipſum relapſo deturbatum, haſtáque traiectum produnt. Nec longè ab illo paulò poſt Odetus Fuxius eius frater patruelis, à Lautreco oppido Lautrecius vulgo appellatus viginti vulneribus debilitatus inter mortuos inuentus eſt, & ad ſuos relatus, ac mox Ferrariam deductus, ſeduláque medicorum opera curatus priſtinas vires recuperauit. Quod ſi vetus illud dictum verum eſt, eos qui ad ſummum felicitatis gradum peruenerunt, mortem optare debere, ne quid in illos grauius fortuna moliatur, mortem ſanè Fuxio optandam nemo inficiabitur; qui tribus menſibus tot inſignes victorias Imperator antequam miles, prima adoleſcentia adhuc imberbis, tanta celeritate conſequutus ſit, & principem locum inter Chriſtianos duces omnium conſenſu ſibi vendicarit, annum viceſimum tertium non ita pridem ingreſſus: ſiquidem quarto Id. Decembr. anno decimi quinti ſæculi octogeſimo nono natus erat, vt Comitum Fuxiorum Annales tradunt.

Pugna Rauennatis ferVor.

Fuxij Comitis deploranda cædes.

35 Mortuo Fuxio Hiſpani nemine perſequente diſceſſerunt, cæteri diuerſa, celeríque fuga euaſerunt, quorum pleroſque ruſtici trucidarunt. Vrbinas etiam Iulio ſubiratus, & miſſo in Galliam Caſtiloneo ad Ludouicum deficere cupiens, milites qui obuios quoſque perimerent, Piſaurum miſit: qui in agrum Florentinum ſe receperunt, libere, ac tuto ad ſuos magiſtratibus ita mandantibus abierunt, impedimenta omnia, ſigna, tormenta bellica in Gallorum poteſtatem venerunt. Ioannes Medices Cardinalis Iulij legatus ab Epirotis interceptus ad Seuerinatem Cardinalem Piſani concilij legatum deductus eſt: cæſorum numerum ad viginti millia auget Paulus Iouius, & cladem vtrobique fere exæquat; qui plurimum imminuunt, decem millia cæſa tradunt, quorum

Deſiderati in vtroque exercitu, quot.

tertia pars ex victoribus, ex victis duæ reliquæ fuerint. Sed hoſtium omnium mortes vnius Fuxij mors facilè exæquauerit: tanta non ſolum Gallias, verum etiam vniuerſum prope orbem Chriſtianum ſui expectatione commouerat, quem tam celeriter fortuna extulit ſimul, ac depreſſit, vt vix in vllo alio inconſtantiam ſuam magis declaraſſe videatur. Nec tamen incomitatus diem ſuum obiit, cecidere pariter Alegrius, atque Viuerrous filius, Molarcus, Malgero, quem alij Maugeronem vocant, necnon plerique Germani peditum egregij præfecti, inter quos celeberrimus Iacobus fuit, quorum maximè virtute veteranorum Hiſpanorum ferocitas repreſſa eſt. Gallis in caſtra reuerſis Rauennates de deditione egerunt: ſed interim dum conditiones perſcribuntur, cuſtodiáque ſibi negligentius cauent, Vaſcones, atque in primis Iaquinus centurionum omnium perditiſſimus, ac deinde Germani ſcalis murum, quà pridie tormentis depreſſus fuerat, conſcendentes in vrbem irruperunt, & recentis cladis, præſertim vero mortis Fuxianæ memores ducibus inuitis ſacra, prophanáque omnia compilarunt; trucidarunt multos, & quæ belli fert vſus, vim matronis, virginibúſque intulerunt, vnde indignatus Palicianus Iaquinum in crucem tollendum curauit: eam direptionem, crudelitatémque mox vlti Rauennates quum præſidium Gallicum, quod in arce erat, certis conditionibus, nempe vt cum omni inſtrumento tam domeſtico, quam militari incolumes abirent, deditionem feciſſet, quatuor ex Gallis præfectos illuſtriores viuos fide non ſeruata in terram defoderunt, capitibus ac ceruicibus extantibus, atque ita lenta, miſerabilíque morte mulctarunt. Quarto poſt die M. Antonius Columna cum aliis nonnullis liberè ex arce exire, & cum impedimentis ad ſuos redire permiſſi, ſed ea lege ne intra vndecimum Kal. ſextiles aduerſus Gallos, Piſanúmque concilium arma ferrent. Iulius etiam Vitellius Tiſernatium Epiſcopus cum centum quinquaginta peditibus arci præfectus eandem iiſdem conditionibus dedidit, quam non ita multò poſt deditione quoque recepit, at datam Gallis fidem non æquè ſeruauit: quatuor enim ex iis præfectos inſigniores (vt modo commemoraui) rapi ad immane ſupplicium permiſit.

Rauennates in vlciſcenda Iaquini morte facinus cruentũ.

Gallicus exercitus amiſſo Fuxio attonitus quarto à Rauenna milliari ſubſtiterat, Seuerinas autem Cardinalis Piſani concilij legatus, ac Palicianus mandatum Regis expectabant, nec ea authoritate erant, vt milites alio traducere auderent: quorum alij diuidundæ prædæ, alij in loca tuta tranſportandæ intenti erant: vniuerſi fere cæſis tot viris fortibus Fuxij nomen cum lamentationibus inclamabant, illo duce quamlibet expeditionem ſuſcepturi, cui regnum Neapolitanum Ludouico auunculo condonante deſtinari vulgo fama erat. Is ſi ſuperſtes fuiſſet, Romam ſolita celeritate properaturus exiſtimabatur, cuius aduentum nec ipſe Pontifex, nec vlli hoſtes expectare auderent: eius cadauer non tam funebri, quam triumphali pompa Mediolanum elatum, feretri lecticam præcedebant ſigna tam ex Hiſpanis, quam ex Pontificiis relata: capti viri illuſtres Ioannes Cardinalis Medices Pontificis legatus, Ferdinandus Daualus Piſcarius, Petrus Nauarrus, Franciſcus Columna, Ioannes Cardonius, aliíque nonnulli. Sepulturæ datum ſexto Kalend. Maias: nuntium tantæ cladis Romam Idibus Aprilis Octauianus Fregoſius attulit. Pontificia aula ad rumorem obſtupefacta Cardinales ad Iulium ſtatim accurrerunt, vt honeſtis conditionibus, quas à Ludouico Rege ſe impetraturos non deſperabant, pacem iniret ſuppliciter precati; ſatis ſupérque de Italiæ libertate, déquerecu perandis Romani Pontificatus ditionibus certatum, Dei decretum aliud eſſe manifeſtis ſignis animaduerſum: proinde ne contra fata pugnaret, ne forte & Deo ipſi repugnare videatur. Iam Gallos Romam (vt veriſimile eſt) iter intendere, quibus Vrbinas fratris filius, Robertus Vrſinus, Pompeius Columna, Antonius Sabellus, Petrus Marganus, Rentius Mancinus regio ſtipendio affecti iungantur, qui etiam ante Rauennatem pugnam de Roma inuadenda cogitarint. Contra Hiſpani, Venetíque legati res non ita deſperatas eſſe, vt pauca impenſa refici exercitus non poſſit: bonam equitatus partem cum Cardonio, ac Caruaiale euaſiſſe: pedites Hiſpanos, in quibus belli ſumma erat, cæſo hoſtium duce victores potius, quam victos è pugna exceſſiſſe: mortuo Fuxio noua Regis mandata expectand aeſſe: Heluetiorum aduentum Gallos etiam remoraturum, nec æqua concipi poſſe cum Rege victore fœdera: migrãdum Roma potius, & aut in regnũ Neapolitanum, aut Venetias, ſecedendum, quàm ſuperbas Bernardini Caruaialis leges, Federicique Seuerinatis inſolentiã ſubeundam. Pro religione, quæ in eius perſona quodam modo reſideat, non ſolum fœderatos, verùm etiam cæteros Chriſtianos principes, modo animum ipſe non deſpõdeat, egregiè propugnaturos. His difficultatibus anxius Iulius, vt Florẽtini fœderis inter ſe, Regémque Ludouicũ ineundi interpretes eſsẽt Cardinalibus aſſenſus eſt, ita tamẽ, vt intimos eius ſenſus nemo noſſet.

Fuxij funus.

Baſciam

Baſciam Genuenſem ſuæ claſſis præfectum Centumcellas accerſiuit, vnde illum de relinquenda Roma cogitare ſuſpicio fuit: ſed eundem non ita multò poſt dimiſit.

37 Interea Iulium Medicem Rhodium militem, qui mox Pontifex creatus Clemens Septimus appellari voluit, quaſi de ſe liberando apud Iulium Pontificem acturum, re vera, vt quid in caſtris Gallicis ageretur, renuntiaret, permittente Cardinale Seuerinate Ioannes Medices legatus miſit: ille ducum, militúmque Gallorum cladem, vulneratorum multitudinem, equorum amiſſionem, partem exercitus in Rauennate agro diſſipatam, & Regis mandata expectantem quodam modo ſtertere, duces ipſos inter ſe non eſſe concordes, neque Seuerinatis inſolentiam, qui & legati, & ducis munia ſimul obire niteretur, Palicianum ferre poſſe: Heluetiorum aduentum metui: de perſequenda victoria neminem aut loqui, aut cogitare confirmauit. Quibus lætus Iulius hominem in Cardinalium cœtum introduxit, & hæc ipſa deintegro recitare iuſſit: acceſſit quod Vrbinas mutato conſilio illi ducentos cataphractos equites peditum quatuor millia obtulit. Cardinales nihilominus, vt pax iniretur, inſtabant; & paulò ante Rauennatem pugnam Ludouicus Rex pacis ſemper cupidiſſimus Fabricium Carretanum Cardinalis Finalenſis fratrem cum mandatis ad Nannetenſem, Strigonienſémque Cardinales miſerat, qui nunquam inſtitutos de pace ſermones intermiſerant: capita, quibus pax conciliaretur propoſita, hæc fuerunt: Bononiam Iulio Ludouicum reſtituturum, Piſanum Concilium reuocaturum. Eidem Alphonſum Ferrarienſem Lugio, cæteriſque Flaminiæ vrbibus, ac ſalis conficiendi priuilegio ceſſurum, priſcum vectigal depenſurum; nihil autem à Iulio aliud, quàm pacem, petebat Ludouicus, atque hanc veluti pacis appendicem, nempe vt Cardinales, qui Piſano Concilio interfuiſſent, atque Alphonſus Ferrarienſis Chriſtianis ſacris reſtituerentur, & ſuis poſſeſſionibus priuilegiiſque, Bentiuoli autem Bononia excluſi, patrimonio, rebúſque ſibi priuatim quæſitis fruerentur: quibus capitibus tametſi an Rex poſt victoriam ſubſcriberet, Nannetenſis, Strigonienſiſque dubitabant, tamen aliter Iulio proponere auſi non ſunt. Iulius pacis ineundæ ſpecie Gallicum exercitum remorari, & interim quid Cæſar, Anglus, Heluetij, cæterique, in quibus ſpem ſuam collocabat, molirentur, periculum facere volebat: eadem ſe rata habiturum modò Rex his ſubſcriberet, toto Cardinalium cœtu flagitante confirmauit. Ad Finalenſem Cardinalem, qui tum in Gallia agebat, ſed ne Iulio ſuſpectus eſſet, è Regio comitatu ſeſe ſubduxerat, & ad Tiburtinum Epiſcopum Auenionenſem legatum ſcripſit, vt Regem adirent, & cum eodem ſuper commemoratis capitibus communicarent: ſed vt ea ſuo nomine rata haberent conſilium data occaſione mutaturus nullum mandatum miſit.

Cardinales promouendæ pacis cupidi.

Pacis propoſitæ capita.

38 Pacem præclarè inchoatam interturbauit Paliciani diſceſſus, qui vel quod à Normanico quæſtore Heluetiorum, qui tum ad ſigna coïre nuntiabantur, aduentum metuente reuocaretur, vel quod illi cum Federico Cardinale Seuerinate malè conueniret, eidem trecentos grauis, totidem leuis armaturæ equites, ſex peditum millia, magna tormenta octo, reliquit; cæteras copias, atque omne inſtrumentum bellicum in Inſubriam reduxit: quæſtor enim pecuniæ parcens ac proinde (vt ſperabat) Ludouico acceptior futurus ſtatim poſt Rauennatem victoriam Italos multos etiam Gallos quid rerum bellicarum ratio poſtularet, ignarus dimiſerat, & tum Mediolanenſi ditione raris præſidiis munita in magna trepidatione erat. Paliciani diſceſſu Iulius in conſilio ſuſcepto confirmatus eſt: Itali Regiis ſtipendiis priuati non bene iam de re Gallica ſperantes ad Iulium defecerunt: Pompeius Columna Proſpero interprete montem Fortinum apud M. Antonium Columnam depoſuit, & ad Iulium tranſiit: cuius exemplum ſequutus Robertus Vrſinus Iulio Vrſino pariter interprete Archiepiſcopatum Rheginenſem in finibus Calabriæ ad mare ſitum perfidiæ ſuæ præmium tulit; vterque & datam fidem feſellit, & nummos à Rege acceptos turpiter retinuit. Eas ſordes Petrus Marganus imitari noluit, ſuo nihilominus præmio fraudatus non eſt: paucis enim poſt annis à Gallis captus humaniter habitus eſt. Iulius externorum, domeſticorúmque hoſtium metu liberatus Lateranenſis Concilij quinto nonas Maias initium fecit: eo non ſolum bonam Italiæ partem, ſed & Hiſpaniam, Angliam, Germaniam, Hungariam conuenturam certò ſibi pollicitus. Ipſe inſigni pompa Cardinalibus, qui tum aderant, ac multis Epiſcopis comitatus ſacris liturgiis, ac ſolemnibus precibus interfuit: mox Ægidium Viterbienſem Auguſtinianæ profeſſionis ſodalem inter Pontificiæ aulæ aſſectatores celebrem, orationem habere iuſſit. Is multo ſermone, patres ad morum inſtaurationem adhortatus Romanorum Pontificum authoritatem longè, latéque propagauit: tum in Iulij laudes prorumpens hunc

Lateranenſis Concilij initium.

igitized by Google

ſolum, quod Pontificum nemo antea, aut potuit, aut conari auſus eſt, Pontificia arma Regibus metuenda reddidiſſe, amiſſas Romani Pontificatus vrbeis recuperaſſe: Italiæ libertatem ab exteris vel Imperatoribus, vel Regibus aſſeruiſſe, teſtatus eſt: rectiùs tamen facturum (quandoquidem tam feliciter arma tractaret) ſi ea aduerſus Turcas veros Chriſtianorum hoſteis conuerteret.

Ludouicus ad pacē propenſus.

Hac habita oratione patres Lateranenſe Concilium rite & ordine conueniſſe, in eóque omnem totius Chriſtianiſmi authoritatem reſidere pronuntiarunt. Primo conuentu (ſeſſionem illi vocant) Pontifex Cardinales, Epiſcopóſque, qui aderant, ad antiquos mores inſtaurandos cohortatus eſt; cohortatus etiam ad pacem toto Chriſtianiſmo conciliandam, quum enim Florentini de pace agere cœpiſſent, Ludouicus eius cupidiſſimus Gratianopolitanum præſidem cum amplis mandatis Florentiam miſit, inde, ſi res ita poſceret, Romam profecturum: ac quod Iulium non niſi metu coactum ad pacem animum adiecturum putabat, Palicianum, qui iam Parmam appulerat, in Flaminiam cum exercitu redire iuſſit; vt porro ire pergeret, vel certè ſimularet. De reſtituenda Bononia anxius in primis erat Ludouicus, non quod id Cæſar maximè contenderet, ſed quod opportunum quodam modo ea vrbs erat principatus Mediolanenſis propugnaculum. Et quandoquidem Finalenſis Cardinalis, ac Tiburtinus Pontifex de pace ineunda nullum mandatum habebant, id quod erat, nempe Iulium non ſerio ſed ſimulatè agere, ſuſpicatus eſt: capitibus nihilominus ab vtroque prolatis, additis nonnullis exceptionibus, ſed quæ rem ſummam non interturbarent, ſubſcripſit. 39

Hæc ſubſcripta Tiburtini amanuenſis ad Iulium detulit, & Regis nomine, vt mandatum de pace rata habenda Iulius ad Finalenſem Cardinalem, herúmque Tiburtinum mitteret, aut Gratianopolitanum præſidem, qui eadem mandata habebat, Romam acceſſeret, poſtulauit. Sed Iulio ſpes iam confirmatæ erant, mandatum Cardinalis Eboracenſis de coëunda ſocietate acceperat: Cæſar ſpe potiundæ maioris Burgundiæ, Mediolanenſíſque principatus, quam illi Hiſpanus pariter, atque Anglus iniecerant, cum Venetis inducias fecerat. Conſaluum idem Hiſpanus cum recenti exercitu in Italiam ſe miſſurum pollicebatur: tametſi enim hominem ob conceptas de regno Neapolitano ſuſpiciones oderat, tamen eidem regno metuens Conſalui opera vti vel inuitus cogebatur. Hinc metu liberatus Iulius ad ingenium rediit, hoc eſt, omnia miſcere ſuo more deſtinauit; & tamen quod ea capita ſe rata habiturum cunctis Cardinalibus promiſiſſet, iiſdémque ſubſcripſiſſet, ne vel quaſi perfidus, promiſſorúmque violator argueretur, aut tot bellorum, quæ imminebant, author eſſe videretur, rem deintegro in Cardinalium cœtu proponendam iudicauit. Ibi Eborenſis Cardinalis Hiſpanus, atque Eboracenſis Anglus ab illo ipſo ante ſubornati, ille Ferdinandi Hiſpaniæ, hic Henrici Octaui Angliæ Regis nomine, vt in pia cauſa, quam tanta cum dignitate, tantáque penè omnium approbatione tuendam ſuſcepiſſet, perſeueraret, hortati ſunt: iam ſublatas eſſe, quæ illum ad ſubſcriptionem coëgiſſent, occaſiones; Deum Opt. Maxim. ſuæ cauſæ vindicem futurum manifeſtis indiciis declarari: caueret ne fœderatis conſtanti amicitia deuinctis, amicos nuper reconciliatos anteferret, néve vllam pacem iiſdem non conſentientibus iniret. Quibus orationibus ſe mirandum in modum commoueri ſimulans (ita enim cum illis paulò ante conuenerat) ſe à pace prorſus alienum declarauit, ac paucis poſt diebus Ludouico ſe Chriſtianis ſacris interdicturum, niſi Cardinalem Medicem ſuæ libertati reſtitueret, comminatus eſt. Sed cuncti Cardinales ſe de Medicis libertate ad Regem communi nomine ſcripturos polliciti, ne id diploma ederet, impetrarunt. De induciis inter Cæſarem, Venetóſque initis certior factus Ludouicus præſidium, quod Veronæ habebat, reuocauit: duas alas prætorianas, quæ ducentorum nobilium vocantur, præſidiarióſque hippotoxotas, ac ducentos præterea cataphractos equites Anglum imminentem metuens in Galliam accerſiuit. Florentinos recentis victoriæ metu perterrefactos ſocietatem, quæ intra alterum menſem finiebatur, in quinquennium continuare compulit: ita vt Florentini quadringentos cataphractos equites pro Italicis Ludouici ditionibus tuendis, Cutignola excepta, in quam Iulius neſcio quod ius ſibi vendicabat, Ludouicus ſexcentos viciſſim Florentinis, ſi opus haberent, auxiliares mitteret. Sed iam Heluetij ad Curiam Rhetôrum coïbant: tametſi enim Ludouicus, Rhetique fœderati erant, tamen ob antiqua cum Heluetiis percuſſa fœdera ſe illis Rheti, neque tranſitum, neque ex ſuis nonnullos in hoc bellum comites denegare audere declararunt. 40

Iulius Ludouicũ Gallorũ Regem ſacris Chriſtianis ſe interdicturum minatur.

Tanta autem pertinacia Heluetij cum Ludouico inimicitias exercebant, vt quum bellis ſuperioribus, 41

ſuperioribus, antequam domo exirent, aliquot menſium ſtipendium accipere ſolerent, tum florenum duntaxat ſinguli acceperint, atque alacres nihilominus ad bellum prodierint: non enim Germanos ſolum ſibi antelatos dolebant, verum etiam grauiſſimis ſe contumeliis à Ludouico laceratos non minus ægrè ferebant, quos montanos, ruſticóſque paſtores appellare conſueuerat. Id Gallos admodum perterrefecit: exauthoratis enim Italis decem duntaxat peditum millia ſupererant, cataphracti equites mille trecenti: ſed hi trecenti Parmæ relicti præſidio erant, pecuniam tamen ad nouos milites conſcribendos quæſtor Normanicus niſi nouo à Rege mandato accepto ſe ſuppeditaturum pernegabat. Paliciani itaque copias, quæ iam Finale appulerant, item Seuerinatis Cardinalis, quæ in Flaminia erant, reuocarunt: quarum diſceſſu Ariminum, Ceſena, Rauenna cum arcibus in Iulij poteſtatem redierunt, Bononia autem, quam tanta impenſa Galli conſeruarant, quaſi pro derelicto habita in magno diſcrimine erat. Curia Tridentum, Tridento in Veronenſem agrum profecti Heluetij ſe Venetis copiis iuncturi perrexerunt, à Iulio ſimul & Venetis communi impenſa ſtipendio affecti. Maximilianus autem Ludouico ſemper iniquus ſe recenti fœdere adductum illos tranſitu prohibere non poſſe cauſabatur: ad pontem Ollij caſtrametatus erat Palicianus, vt hoſteis remoraretur; mox alio iter intendere certior factus ad Caſtilionum Sexto à Piſcheria milliari conſedit, an in Ferrarienſem, an verò in Mediolanenſem agrum inuaderent, incertus. Et niſi Paliciani litteræ ad quæſtorem Normanicum ſcriptæ ab Epirotis interceptæ fuiſſent, Ferrariam nimirum contendiſſent: quibus ille prudentis ducis haud officio functus, ſi hoſtes Mediolanenſem ditionem adorirentur, ægrè illis reſiſti poſſe ſignificabat. His lectis Sedunus Cardinalis, qui nuper Venetiis redierat, cæterique duces conſilium mutarunt: Villafrancam appulſi Heluetij ſeſe Venetis iunxerunt, quos ad decem & octo millia tum coiiſſe, & quamuis integrum ſtipendium non numeraretur, patienter toleraſſe Bembus ſcribit: in Venetorum autem exercitu quadringenti grauis, octingenti leuis armaturæ equites, ſex peditum millia numerabantur, quibus Ioannes Paulus Baleonus præerat, multáque ſecum tormenta conuexerat. Hinc Vallegio relicto, quod oppido diffideret, Gambaram ſe Palicianus recepit ad Pontem vicum caſtrametaturus; ſex tantum peditum millia in exercitu habebat, cæteri inter Brixiam, Piſcheriam, Lemniacum diſtributi erant; mille cataphractos equites: nam trecentos, qui Parmæ præſidio erant, inſtantibus Bentiuolis Bononiam mittere coactus fuit.

Heluetiorum aduerſus Ludouicū inimicitiæ.

42 Galli igitur duces imminens diſcrimen, & ſe vana ſpe eluſos agnoſcentes, in primíſque quæſtoriam Normanici auaritiam execrati eundem aſſentiri, vt Federicus Bozolus, alíique aliquot Itali centuriones ſex peditum millia conſcriberent, coëgerunt: ſed tardum auxilium vix vſui eſſe poterat. Præterea nec ſatis inter ſe Galli duces conueniebant, nec ſponte Paliciano parebant, & longa, duráque militia exhauſti Mediolanenſi principatu cedere, atque in patriam redire, quam cum hoſtibus longè & numero, & viribus ſuperioribus, decertare malebant. Paliciano digreſſo Vallegium Veneti, Heluetiíque ingreſſi ſunt, & traiecto Mincio in Mantuanum agrum Mantuano Marchione tranſitum prohibere non poſſe profitente diuerterunt. Tum Galli non ſe amplius hoſtibus opponere, ſed in oppida munita recipere decreuerunt, quod tantum Heluetiorum numerum breui ſtipendij inopia diſſipatum iri non fruſtra ſibi perſuadebant. Hinc Brixiæ duo peditum millia, centum quinquaginta cataphractos equites Gallos, Florentinos centum, Cremæ quinquaginta eiuſdem armaturæ equites, pedites mille, Bergomo centum Florentinos eiuſdem quoque armaturæ equites, pedites mille Galli præſidio impoſuerunt. Quod ſupererat nempe ſexcenti cataphracti equites, duo Gallorum peditum, quatuor Germanorum millia ad Pontem vicum (qui locus & ſatis munitus, & ad auxilia Mediolano, Cremonæ, Brixiæ, Bergomo ferenda peridoneus videbatur) iter habuerunt, & inde hoſtibus aliquamdiu ſe reſiſtere poſſe exiſtimarunt. Verum Germanos poſtridie Maximilianus miſſo diplomate reuocauit: qui, quod in patriis eius ditionibus, hoc eſt, in Tirolij Comitatu, vt hodie vocatur, quæ Norici pars eſt, nati erant, ne contumaciæ arguerentur, illo ipſo die abierunt. Ita poſt longas ſimulationes, ac diſſimulationes datam Ludouico fidem Maximilianus fefellit, & cauſam amittendæ Mediolanenſi ditioni præbuit, vt ſerò neglectæ Poncherij Senonenſis Pontificis ſententiæ Ludouicum pœniteret, qui Veneto fœdere ſtandum, nullum cum Maximiliano coëundum iudicarat. Germanorum diſceſſu Palicianus, cæterique Galli duces de conſeruando Mediolanenſi principatu ſpem omnem abiecerunt, & reuocatis quæ vrbibus impoſuerant præſidiis, Pigitonem petierunt. Cremonenſes relicti à Gallis fœderatorum, atque

Pōcherij Senonēſis Pontificis ſententia à Gallis ſpreta amittēdæ Mediolanenſis ditionis cauſa fuit.

atque in primis Maximiliani Sfortiæ, qui Ludouici filius fuit, nomine in deditionem accepti Heluetiis in ſtipendium quadraginta nummûm aureorum millia numerarunt, arx in Gallorum fide permanſit: Sfortiam autem Iulius, Heluetiíque reiecto Cæſare rei Mediolanenſi præficere contendebant. Palicianus tranſmiſſo Abdua, vbi trecenti, quos Bononiam miſerat, cataphracti equites paulò ante reuocati ſe ſuis adiunxerunt, hoſteis, ſiquidem Federicus Gonzaga Bozolus, cæteríque Itali promiſſum peditum numerum adduxiſſent, fluuij tranſitu prohibere ſe poſſe ſperabat: verum ſtipendij inopia quæſtore Normanico nihil ſuppeditante, & quod res Gallis aduerſæ prorſus eſſent, nulli nomina dederunt: vnde rebus penitus deſperatis quarto poſt tranſmiſſum Abduam die ad Fanum Angeli, poſtridie Ticinum peruenit.

Mediolanenſis Principatus rebellio.

Tum toto prope Mediolanenſi principatu rebellante, ac ſeſe commouente Ioannes Iacobus Triuultius, quæſtor Normanicus, Antonius Maria Pallauicinus, Galeatius Vicecomes, atque alij plerique Gallicarum partium viri nobiles, quique Regis nomine rem Mediolanenſem curabant, Mediolano profecti Ticinum abierunt, inde in Galliam properaturi: paucis ante diebus Cardinales, qui Mediolanenſem populum non minus, quam hoſteis extimeſcebant, Iulium Romani Pontificatus adminiſtratione priuarant, qui proximus ad exauthorationem gradus erat, tumultúſque initiis animaduerſis priores aufugerant.

Cardinalis Medicem quomodo Gallicæ cuſtodiæ ereptus.

In eo tumultu, quum Ioannem Cardinalem Medicem Gallicæ cuſtodiæ in Galliam 43
deducerent, & ad Carium vicum Baſſignanam, hoc eſt, Auguſtam Batienorum interiecto fluuio è regione ſpectantem appuliſſent, is ſimulata ægritudine, vt ibi noctem traduceret, à cuſtodibus impetrauit, ac per domeſticos noctu ſollicitato Rainaldo Lallo, alij Zactium vocant, ſatis magnum ruſticorum numerum coëgit, qui poſtridie mane iam ſcapham ingreſſum tumultu excitato è Gallorum manibus eripuerunt: Galli enim hoſteis adeſſe rati potius de fuga, quam de captiuo retinendo cogitarunt, & dignum ſua ſtupiditate, qui ſoli, poſtremique remanſiſſent, exitum habuerunt. Medices elapſus in caſtellum Ligurum deductus eſt. Bernabos Maleſpina caſtelli dominus Gallicæ factionis erat, idcirco eius rei Triuultium certiorem reddidit, hominem Gallis reſtituturum pollicitus. Sed Triuultius non ſponte, ſed quadam neceſſitate Gallicas parteis ſequutus, quod Sfortiano nomini ſemper inimiciſſimus fuiſſet, vt eundem dimitteret, reſcripſit, & quam bene aduerſum Gallos animatus eſſet, facilè declarauit. Palicianus initio Ticinum tueri decreuerat, mox conſilio mutato Gallos inde educere, ſed tardius conatus eſt: fœderatorum enim exercitus, cui ſe Laus Pompeia dediderat, è Fano Angeli accelerato gradu Ticinum interim appulit, arcem Veneti tormentis concuſſerunt, Heluetij ſcaphis fluuium vrbi contiguum traiecerunt: hinc Galli metuentes, ne pons lapideus Ticino impoſitus, quo duntaxat ex vrbe exire poterant, ab hoſtibus occuparetur, illuc celeriter contenderunt: ſed antequam poſtrema acies egrederetur, Heluetij & à porta, quæ Noua appellatur, & ab arce, quam Galli reliquerant, irruentes in egredienteis acriter inuaſerunt; Germanis aliquot cohortibus, quæ cum ſociis non abierant, & aciem claudebant, ſeſe ſtrenuè defendentibus.

Graualonis pontis ruina & depreſſio Gallis exitialis.

Quum ad ligneum pontem, quem Graualonem vocant, ventum eſſet, is armatorum, equorúmque pondere depreſſus ſubſedit, Galli, Germaníque, qui in vrbe vltra fluuium remanſerant, omnes aut capti, aut cæſi fuerunt. Mediolanenſes vrbis ſuæ direptionem ſexaginta nummûm aureorum millibus, Ticinenſes quadraginta, Laudis Pompeiæ ciues triginta, Parmenſes viginti redemerunt; quorum cæteræ vrbes, Crema, Brixiáque exceptis, exemplum ſequutæ ſunt. Sanctæ ſocietatis (ſic enim ſe fœderati appellabant) nomen vbique inclamabatur, quod Gallus miles diu nimia licentia vſus incolis grauis admodum fuiſſet, eo nomine cuncta adminiſtrabantur.

Sed vnus inter omneis Cardinalis Sedunus Iulij legatus primas parteis ferebat: pe- 44
cunia autem omnis, quæ ex deditis vrbibus corrogabatur, Heluetiis in ſtipendium numerabatur; quicquid lucri erat, iidem ſoli ſibi vendicabant: vnde poſt Tigurinum conuentum, qui tum ob hoc ipſum bellum celebratus eſt, innumerabilis Heluetiorum multitudo in Inſubriam confluxit.

Tigurini cōuentus cauſa quænam fuerit.

Parma, ac Placentia ſe Iulio dediderunt, quas ille quaſi Rauennatis exarchatus (ſic enim olim vocabant) fundos obnoxios ſibi vendicabat: ad eundem Flaminiæ vrbes omnes, arcéſque defecerunt. Lucarnum Heluetij, Volturenam vallem, ac Clauennam Rheti occuparunt. Vrbinate cum Pontificiis copiis Bononiæ appropinquante ſpe tuendæ vrbis abiecta Bentiuoli aufugerunt, quam Iulius recentium contumeliarum, ac deiectæ, confractæque ſtatuæ memor ſublatis magiſtratibus cru-
deliter

Digitized by Google

deliter vexauit: eandem vt fama fuit, niſi morte præreptus fuiſſet, demoliturus, & ciues Centium ſui olim Bononienſis Pontificatus oppidum tranſlaturus. Ianus Fregoſius cuius pater Dux Genuenſis fuerat, acceptis à fœderatis copiis Genuam profectus **** Gallo præfecto fuga elapſo eandem ad rebellionem compulit, atque in ipſo penè tumultu Dux creatus eſt: tantus huius victoriæ impetus fuit! Iulius præter omnium ſpem in ſummis ſuis periculis victor amplificatis Romani Pontificatus ditionibus, pulſis Italia Gallis id vnum ſibi reliquum putabat, nempe vt Ferrariam totius belli cauſam in ſuam poteſtatem redigeret, Alphonſúmque Gallis ſemper nimis addictum malè mulctaret. Hunc dolo capere mirandum in modum cupiens Mantuanum Marchionem, vt Ferrarienſem Romam profecturum, veniámque ſuppliciter petiturum honeſtis conditionibus in gratiam reciperet, obſecrantem æquo animo ſe audire ſimulauit. Mantuani preces adiuuabat Ferdinandi Hiſpani legatus, qui Alphonſum ſui Regis affinem prædicans (Alphonſi enim mater Ferdinandi maioris Neapolitani Regis filia fuit) Ferdinandum vt is ſuis ditionibus ſpoliaretur non permiſſurum profitebatur. Etenim & Alphonſum tanto beneficio demereri ſtudebat, & tantum principatum Pontificiis ditionibus iam nimis amplificatis accedere nolebat, & iam ſuſpectum Iulium Ferdinandus habere cœperat, quod ſæpius ſe barbaros omneis Italia exterminaturum iactitabat. In eandem cauſam incumbebant Columnæ magno Alphonſi beneficio prouocati; Fabricium Columnam pugna Rauennate captum ab Alphonſo ſibi dedi Rex Ludouicus poſtularat: hunc, ne dederet, multis excuſationibus ſe Regi Alponſus purgarat, ac mox commutata belli fortuna liberum ſine vllo præmio abire permiſerat. Proſper autem, ac Fabricius Columna ingentibus à Carolo VIII. beneficiis donati vix illo Neapoli digreſſo fidem fefellerant, & ſeſe hoſtibus adiunxerant, vt libro ſexto commemorauimus: idcirco in Gallorum poteſtatem graueis ſuæ proditionis pœnas daturi venire in primis reformidabant.

45 Alphonſus itaque accepta à Iulio publica liberæ profectionis teſſera, cuius etiam præs aſſentiente eodem Iulio legatus Hiſpanus Regis ſui nomine factus eſt, Romam acceſſit; à Iulio ſupplex, vt in gratiam reciperetur, omne obſequium cliens exhibiturus poſtulauit. Supplicem vultu ſatis hilari excepit Iulius, ac ſex Cardinales, qui de ea controuerſia cum illo communicarent, deſignauit: Ferrariam fundi, ſiue feudi (vt loquuntur) legibus, quod nullum aduerſus patronum cliens bellum gerere debet, ad Iulium patronum rediiſſe, cúmque eadem cedere nullo modo poſſe declararunt. Alphonſo tamen Aſtenſi Comitatu ceſſurum (quicquid enim intra Padum contineretur, Romani Pontificatus eſſe Iulius aſſerebat) idcircóque Agringentinum Pontificem Aſtam, quæ pulſis Gallis in fœderatorum poteſtate erat, vt poſſeſſionem eius adiret, ſed fruſtra, præmiſerat. Alphonſus poſtulati eius iniquitate ab ea ſpe, quæ illi iniecta erat, multum alieni, & recenti Rhegij Lepidi caſu perculſus conditionem recuſauit; & ne interim, dum Romæ detinetur, Ferraria Pontificiis armis circumſederetur, extimuit. Rheginenſes enim, vt Parmenſium, Placentinorúmque exemplum ſequuti ſibi deditionem facerent, Iulius inuitarat, idcircóque Vrbinatem cum exercitu in Mutinenſem agrum immiſerat; eandem vrbem Vitfruchius Cæſari vendicare cupiebat. Et Cardinalis Aceſtinus abſente fratre Ferrarienſis præfectus, vt Cæſari, qui nullum in Ferrariam ius habebat, ſe potius dederent, ſuadebat: at illi ſe Ducis, qui non ad Cæſarem, ſed ad Iulium confugiſſet, exemplum ſequi malle reſponderunt, Pontificiáſque copias in vrbem admiſerunt: id cæteri fœderati, præſertim verò quod Parmam, Placentiámque Iulius occupaſſet, ægrè ferebant. Hinc Cardinalis Sedunus ad Vrbinatem ſcripſit non videri cur ille vlterius progrederetur, quandoquidem communes iam hoſteis Italia expuliſſent, idcirco is Bononiam reuerſus pedites dimiſit: at Ferrarienſis non vana de Iulio ſuſpicione concepta per Hiſpanum legatum, Fabriciúmque Columnam, vt bona eius venia reuerti ſibi Ferrariam liceret, poſtulauit: id ſe Iulius non permiſſurum præ ſe tulit. Tum illi teſſeram publica fide datam ſartam tectam ſe conſeruaturos liberè teſtati ſunt, ac ne quid Iulius moliretur, poſtridie mane Fabricius, qui recentis beneficij accepti memor ſemper Romæ Ferrarienſi Comes adhæſerat, cum aliquot equitibus ad portam Lateranenſem contendit, Ferrarienſi, ac M. Antonio Columna ſatis procul ſubſequentibus: ibi cuſtodias auctas animaduertens viribus ſuperior Ferrarienſem expectauit, ac Marinum deduxit; vnde Ferrarienſis, quod terra itinera Iulij mandato intercluſa erant, mari Ferrariam delatus eſt, quem niſi Columnarum opera elapſus fuiſſet, in cuſtodiam traditum iri nemo dubitabat. In Florentinos non minore odio, quàm in Ferrarienſem accenſus Iulius cum Seduno Cardinale egit, vt Florentini equites, qui Lucio Sabello duce ad Regem Ludouicum ex fœdere miſſi

Alphonſus Romam vocatus conditiones ſibi oblatas recuſat.

Ferrarienſis Columnarum opera ſtructas inſidias eludit.

miſſi erant, inter redeundum ſpoliarentur, nam Franciſcus Torrellius cum ſuis Brixiæ præſidio relictus erat: teſſeram liberi in Hetruriam reditus antequam Galli Padum traiicerent, à Seduno Cardinale, ac Ioanne Paulo Baleono, cæteriſque Veneti exercitus ducibus ſibi, ſuiſque Sabellus impetrarat. Quum Cremonenſem agrum ex præſcripto pertranſirent, vnáque Seuerinatis ſummi Regiorum equorum magiſtri ac Triuultij alæ, quæ fere Italorum erant, ingrederentur, atque eandem teſſeram obtinuiſſent, Florentinos, cæteróſque Veneti armis, equiſque exuerunt: quod vt tutius fieret, bis mille pedites Sedunus Cardinalis miſiſſe traditur, qui, quod fortaſſe tardius appuliſſent, nihil prædæ retulerunt. Hinc frendens Sedunus prædam à Chriſtophoro Moro, & Paulo Capella Venetorum legatis militaribus per quoſdam è ſuis repetiuit. Quum illi reddere recuſarent, & poſtridie ad Cardinalem accederent, comprehenſi ab Heluetiis quaſi captiui ad Iacobum Staflerum præfectum Heluetium primùm, inde ad Cardinalem ipſum abſtracti ſunt; quos ille perfidiæ ſuæ præmium ad alios peruenire nolens ſex nummûm aureorum millibus hoc nomine mulctauit: eadem religione Sedunus Nicolaum Caponium Florentinum legatum, qui ab illo ipſo accepta liberi reditus teſſera Caſale ſe receperat, à Montferratenſi Marchione repetiuit.

Florentini armis equiſque ſpoliati.

Interim Veneti Brixiæ, Cremæque potiundæ ergo copias ſuas dimitti volebant: recu- 46
ſabat Sedunus, & omnem exercitum aduerſus Allobrogem, Salaſſúmque Marchionem Ludouici Regis ſocios educendum cauſabatur, reuera eas vrbeis inſtante clam Cæſare in Venetorum ditionem redire nolebat: quum Alexandriæ caſtra haberent Heluetij, è Boſco Veneti ex inopinato abierunt, Padúmque celeriter traiecerunt: tranſitum interturbaſſet Sedunus, niſi Iulio deprecante diſſimulandum putaſſet: illi diuiſo exercitu Brixiam, Cremámque circumſederunt. Heluetij ſoli in agro Mediolanenſi relicti, ac de Gallis ſecuri, vt gens auariſſima eſt, pecuniam vndique corrogabant, & ex ſua libidine indicebant: neque Maximilianus Sfortia, qui veluti precarium ab illis Ducatum obtinebat, prohibere; aut, vt puſilli animi erat, ſuadendo auertere audebat. Ludouicus Rex tametſi ſummo ſuo cum dolore ab aſſerendo eo principatu abſtinebat, tamen vrgentioribus periculis diſtentus ad tuendum regnum animum conuerterat: ad fontem Rapidum maritimam Hiſpaniæ vrbem ſex Anglorum millia miſerat Henricus, vt Hiſpanis iuncti Aquitaniam adorirentur, atque ingenti claſſe Normaniam pariter, ac Britanniam infeſtabat. De reconciliando Cæſare nulla ſpes erat, vt verè admonebat Claudius Seiſellus Maſſilienſis Pontifex Regius apud eundem legatus: omneis enim occaſiones, vt nec opinantem Ludouicum opprimeret, obſeruabat; vt ſæpe aliàs, ac maximè, quum amiſſum ſua fraude Mediolanenſem Ducatum reuocatis quatuor Germanorum peditum millibus gloriabatur. Sic Gallis nihil hoc anno in Italia molientibus Brixia nihilominus Crema, Lemniacum, Caſtelletum, Genuenſis Laterna (ita illam arcem vocabant) Mediolanenſis, Cremonenſis, paucæque aliæ quædam arces eorumdem præſidiis tenebantur: fœderati autem in diuidundis bello partis, aut intra paucos dies partiendis non ſatis inter ſe conſentiebant. Brixia ac Crema ex recenti fœdere Venetis attributæ erant; quod & impensè Iulius flagitabat, at non ſolùm eaſdem, ſed & quicquid Cameracenſi fœdere ei adiudicatum erat, Cæſar, cui ſe dare cogebatur Hiſpanus, ſibi vendicare cupiebat: iidem Mediolanenſem Ducatum ad communes nepotes transferre contendebant. Contra Iulius, Veneti, Heluetij Maximiliani Sfortiæ parteis diuerſo conſilio, ſed eodem ſtudio tuebantur: metuebat Iulius ne Hiſpani, ac Germani non minus, quam Galli formidabiles Italiam tandem opprimerent. Metuebant id quoque Veneti ſed & potentem principem ſibi vicinum eſſe nolebant: Heluetij principem imbecillum, eorum auxilio ſemper indigentem, ex quo quotidianum propemodum quæſtum facerent, hoc eſt, Maximilianum Sfortiam exoptabant, quos, vt in ea ſententia perſeuerarent, inuſitatis honoribus Iulius affecit, & Pontificiis ſignis militaribus attributis Pontificiæ libertatis propugnatores inſcripſit: ita communem vtilitatem ex ſuo commodo ſinguli metiebantur.

Heluetij inuſitatis honoribus à Iulio affecti, &c.

Suberant & aliæ controuerſiæ: Cardonius Prorex cohortes Hiſpanicas, quæ poſt Ra- 47
uennatem pugnam in regnum Neapolitanum abierant, ibique remanſerant, in Inſubriam reducere volebat: Iulius, ac Veneti ſtipendium, quod ab eadem pugna nullum acceperant, hoc eſt, in ſingulos menſes quadraginta nummûm aureorum millia dependere nolebant; pulſis enim Gallis ſe neutiquam teneri aiebant: at ille pulſos dici non poſſe Gallos inferebat, quorum præſidiis Brixia, Crema, cæteræque vrbes, arceſque tenerentur. Parmam ac Placentiam commentitiis rationibus adductis, aut ita longè repetito iure, vt

Digitized by Google

vt nullum penitus eſſe videatur, Iulium occupaſſe, Cæſar, atque Hiſpanus querebantur quas multis ſæculis Mediolanenſes reguli quaſi Germanico Imperio obnoxias poſſediſſent. Querebantur & Romæ Ferrarienſem contra datam fidem retentum, ac Rhegium occupatum: nec minor de Florentinis erat queſtio; nulla Gallo, niſi quadringentos equites ex fœdere cum Hiſpano communi, auxilia miſerant, liberum Hiſpanis poſt Rauennatem pugnam in ſuis ditionibus tranſitum permiſerant, vnde Florentino legato Ferdinandus ipſe gratias egerat: quin idem eidem legato poſt Concilium Piſanum Mediolanum tranſlatum æquas fœderis conditiones obtulerat, ſe aduerſus quoſuis pro Repub. Florentina propugnaturum, modo illi Bononiam, ac Bentiuolos ne tueantur, ne aduerſus Romanum Pontificem arma ferant, ne Concilio Piſano adhæreant. At Florentini domeſticis ſeditionibus diſtracti, & iuri ſuo (cuius rationem non ſemper victores habent) nimis fidentes, quod ſincerè in neutram partem inclinaſſent, opportuna occaſione vti neſcierunt. Iulius enim mox, atque Hiſpanus, ſed longè occultius, Mediceos Florentiam reducere omni ratione tentarunt, quæ tamen omnia in aduentum Gurcenſis differebantur; quem in Italiam ex quo poſt Rauennatem pugnam de pace inter Iulium, Ludouicúmque Regem concilianda agebatur, ne in nouo fœdere, aut rara, aut nulla eius ratio haberetur, Cæſar mittere decreuerat, quicum vt Cardonius, fœderatorúmque legati Mantuæ coïrent, non ita dudum conuenerat.

48 Sub id tempus Laurentium Puccium Datarium (vti Romani pragmatici vocant) natione Florentinum Iulius Florentiam miſit, vt cum Hiſpano legato Florentinos relicto Gallo cum fœderatis conuenire, ac pecuniam in bellum contribuere hortaretur: id enim prætendebat, re vera vt eorum animos de recipiendis Mediceis tentaret. Florentini id quod erat ſuſpicati propoſitam deliberationem in longum trahebant, atque interim litteras à ſuo legato, quem Gurcenſi Tridentum vſque obuiam miſerant, acceperunt; quibus ille ſignificabat Vicentinam pactionem tametſi Cæſaris manu ſubſcriptam, quæ Florentinorum propugnationem ſuſceperat, Gurcenſem nihili ducere: cæterum ſi quadraginta nummûm aureorum millia repræſentent, eoſdẽ ſe è manifeſto periculo, quod illis Iulius ſtruat, facilè liberaturum: pecuniam Florentini æquo animo numeraſſent, ſi tantam in Cæſare authoritatem ineſſe, vt cæteros fœderatos compeſceret, ſéque præſenti periculo liberaret, exiſtimaſſent, quamuis Hiſpanos Cæſarem ſequuturos Gurcenſis iactitaret. Illud imprudenter egerunt, quod ſe veteranis, exercitatíſque militibus ad repentinas hoſtium impreſſiones repellendas non munierunt. Erat tum in Bononienſi agro cum Hiſpanis peditibus, qui è Rauennate pugna euaſerant, Cardonius, qui ob ſtipendium non exolutum ſeditionem excitarunt, & ad illius diuerſorium homini mortem comminati accurrerunt. Ille repente elapſus Mutinam aduolauit: alij in Florentinum agrum ſeceſſerunt, alij ibidem remanſerunt: paucis deinde poſt diebus in vnum congregati ſtipendij partem acceperunt, ibique dum ille Mantua rediret, quò iam Gurcenſis appulerat, ſe expectaturos promiſerunt. Gurcenſi autem Veronenſem agrum ingreſſo Galli, qui Lemniaco præſidio erant, commeatus inopia coacti reiectis, quæ Veneti obtulerant, præmiis vrbem dediderunt: ita Palicianum, vt diſcordias inter Cæſarem, Venetóſque fereret, iuſſiſſe tradunt, quod illis infeliciter ceſſit. Veneti enim diſcedenteis aggreſſi neglecta, quam Gurcenſis dederat, liberè abeundi teſſera nec opinanteis armis, equis, omnibúſque impedimentis, exuerunt. Mantuano conuentu Iulio atque Heluetiis pertinaciter inſtantibus Cæſar, atque Hiſpanus, vt Maximilianus Ludouici Sfortiæ filius Dux Mediolanenſis confirmaretur, conſenſerunt: præſcriptum tempus, quo Gurcenſis Romam profecturus de ſocietate inter Iulium, Cæſarémque, deinde inter eundem Cæſarem, ac Venetos ineunda ageret, vt communi conſenſu, ne deinceps Italiam Gallus inuaderet, prouiderent. Iulianus Medices tam ſuo, quam fratris Cardinalis nomine, vt Florentinos fœderati adorirentur, vrgebat: ſi ſe, fratrémque acerrimos Gallici nominis hoſteis in patriam reducerent, Italiam ſibi in poſterum omni ex parte conſenſuram. Vrgebat idem & Iulij nomine Bernardus Bibiena in Medicea domo ab ineunte ætate vnà cum fratribus educatus, Florentiæ oppugnationem perfacilem eſſe, Florentinos equites, aut Brixiæ concluſos eſſe, aut in cætera Gallia Tranſalpina diſſipatos, ciues inter ſe penitus diuiſos; ex illuſtrioribus familiis pleroſque Mediceis in primis addictos, audentibus fortunam non defuturam. Apud Gurcenſem legatus erat Ioannes Vettorius Soderinus dictatoris frater, quicum neque Cardonius, neque fœderatorum legati quicquam egerunt: ſolus Gurcenſis quanto in periculo ea Reſpubl. verſaretur, docuit; ſi nuper commemoratam pecuniam

Florentini veteranis militibus ſe munire debuerant.

Iuliani Medicei de inuadẽdis Florentinis propoſitum.

niam numerarent, Cæſarem, atque Hiſpanum vrbis propugnationem ſuſcepturos: ſed is nullum mandatum ad exequendum habebat; Florentinos duntaxat magiſtratus horum certiores faciebat, nec Mediceorum conatibus obuiam ibat, nec eam diligentiam, quam debebat, erga Cardonium adhibebat, qui pecuniæ in militum ſtipendium egentiſſimus, & non ſecus ac Gurcenſis cupidiſſimus cum Florentina Repub. potius, cuius certa promiſſa erant, quam cum Mediceis, qui nihil niſi capta vrbe præſtare poterant, conueniſſet, nec is belli apparatus erat, vt ea facilè capi poſſe videretur: ſed propter vel magiſtratuum negligentiam, vel ciuium diſcordiam communi fœderatorum conſenſu bellum aduerſus Florentinos decretum. Iulius Cardinalem Medicem ſtatim legatum Hetruriæ deſignauit, atque vt Pontificias copias arceſſeret, imperauit.

Conuentu Mantuano diſſoluto Hiſpanos in Florentinum agrum Cardonius immiſit, 49
& quod tormentis carerent, duo Medices Cardinalis è Bononia conuehenda curauit, & ſe Cardonio adiunxit: hunc Franciotus Vrſinus, ac Vitellij, ſed ſine militibus comitabantur: Vrbinas enim neque tormentis, neque milite eam expeditionem iuuare voluit, qua ratione fretus non traditur: nam & Iulianum Medicem diu in comitatu habuerat, & Mediceæ familiæ amplitudinem cupere hactenus præ ſe ferebat, nec Iulij patrui diplomatis paſſim editis mouebatur; quibus Pontificiæ ditionis vrbeis vicinas omneis ſuas opes, quoad commodè liceret, omnem militum vim in id bellum conferre iuſſerat. Florentini ſtatim legatos ad Cardonium miſerunt, & quam diligenter nomen Arragonium hactenus coluiſſent, vel poſtremis hiſce bellis ſatis declaratum eſſe dixerunt, ederet quid poſtularet: quicquid à libera ciuitate expectari debeat, id Ferdinandum à Florentinis facilè impetraturum. Ad hæc Cardonius ſe non Ferdinandi ſolùm, ſed communi omnium fœderatorum conſenſu eam expeditionem ſuſcepiſſe reſpondit, qui omnem Italiam in eundem conſenſum vel ſponte, vel vi redigere ſtatuant, dum Petrus Soderinus dictator ſit, ciuitatem ad Gallum ſemper inclinaturam, aliam ad miniſtrandæ Reipub. formam ineant fœderatis non ſuſpectam; quod niſi Mediceis in patriam reuocatis fieri non poſſe confirmabat, de cæteris facile conuenturos. Hæc ad Senatum Forentinum legati referrent, ſe nihilominus interea progreſſurum. Attoniti vel propter Hiſpanorum aduentum, vel propter priuatas ciuium diſcordias, vel quod Pontificias copias alia ex parte in ſe inuaſuras ſuſpicabantur, vel quod è ciuibus pleroſque rebus nouis ſtudere nouerant, tamen quoad temporis breuitas ſinebat, milites conſcribebant, locis commodis collocabant, præcipuas vires ad vrbem conſeruandam aduocabant; nec interim inſtitutos de pace ſermones cum Cardonio intermittebant. Is ſuperato magnis cum difficultatibus Apennino, quod raris foſſoribus pecuniæ inopia vteretur, & inſtrumentis ad exportandas huiuſmodi machinas opportunis careret, Barberinam decimoquinto à Florentia milliari diſtantem vrbem appulſus ſe Reipub. adminiſtrationem mutare nolle, Soderinum duntaxat Gallis nimis addictum magiſtratu mouere, Mediceos non tanquam dominos, ſed priuatos cæterorum ciuium haud diſſimiles, hoc eſt, & magiſtratibus, & legibus obnoxios in patriam reducere ſibi in animo eſſe ſignificauit. Hæc vt in ciuitate ſeditionibus turbata alij aliter interpretabantur, nonnulli dictatoris exauthorationem non tanti eſſe ducebant, vt vniuerſa ciuitas in apertum diſcrimen adducatur: Florentinos tantis fœderatorum viribus reſiſtere non poſſe, in Gallis iam non de alienis ditionibus, ſed de regno ſuo ſollicitis ſpem nullam eſſe: præterea eoſdem, vt Florentini cum fœderatis conueniant, ſuaſiſſe, modo publica maneat libertas, Mediceis nihil præter cæteros ciueis eximium ſibi vendicantibus: Florentinos communem Italiæ conſenſum repudiare non debere, mox è rerum euentu ſibi proſpecturos. Alij vel dictatoris vnius exauthorandi, vel Mediceorum quaſi priuatorum ciuium in patriam reducendorum cauſa bellum eſſe ſuſceptum negabant: ſpecioſa eſſe verba; cæterum dictatorem non alia de cauſa exauthorari, niſi vt capite ſublato publicum conſilium tollatur, publica libertas aboleatur.

Florentinorum de pace ſermones cum Cardonio inſtituti.

His publica concione aduocata agitatis tandem ſtatutum, vt Medicei tanquam priuati 50
ciues in vrbem reciperentur, dictator magiſtratu ne moueretur; omnes enim vno penè conſenſu perſeuerare in populari adminiſtratione cupiebant. Itaque collata in militum ſtipendium pecunia Pratum decem milliaribus à Florentia diſtans oppidum Lucium Sabellum veteranum quidem ducem, ſed parum rei militaris peritum cum centum cataphractis equitibus, bis mille peditibus partim iampridem conſcriptis partim tumultuariè collectis miſerunt, quà Cardonium, atque Hiſpanos tranſituros ſibi perſuadebant: nec eos ſua ſpes fruſtrata eſt. Cardonius enim cum quinque peditum millibus, ducentis

Mediceis Florentiã redire cõceſſum.

cataphractis

cataphractis equitibus, magnis duobus tormentis Barberina profectus illuc appulit, atque illo ipſo die portam, quæ vulgo Mercatalis dicitur, duobus falconibus (ſic minora tormenta appellant) verberauit; ſed quod multo aggere firmata eſſet, nihil profecit. Quum vero nullum fere commeatum ſecum aſportaſſet viarum difficultate impeditus, rarum in ipſo agro reperiret, quod omnem propemodum in loca munita conuehi Florentini iuſſerant, tametſi vix dum finita meſſis erat, ne obſidionem ſoluere cogeretur, veritus, de dictatore magiſtratu mouendo iam non loquebatur: Mediceos duntaxat exæquato cum cæteris ciuibus iure in patriam redire, & certam ſibi pecuniam, quæ triginta nummûm aureorum millia non excederet, in militum ſtipendium numerari poſtulabat: ſi Pratenſes commeatum, interim dum conueniretur, ſuppeditarent hauddubiè inducias pacturus; idcircóque iam Florentinis legatis liberè eundi, redeundíque teſſeram indulſerat. quàm præceps effluit, contemptáque ſemel vix vnquam redit occaſio! principes fere cuncti ferrum auro repellendum, libertatémque pretio conſeruandam, quando aliter non licebat, exiſtimabant; vtque legati ſtatim ad hoſtium exercitum redirent, & res amicè componeretur, procurabant. At Soderinus dictator alioqui natura timidiſſimus, vel quod hoſteis fame oppreſſos ſubito inde moturos ſperaret, vel quod Mediceorum reditum inimicus horreret, ſua cunctatione perfecit, vt quo die legati ad Cardonium redire promiſerant, Florentia non exirent: vnde Cardonius & fame vrgente ſtimulatus, & de legatorum reditu incertus tormenta duo maiora ad portam, quæ montem reſpicit, traſferenda curauit, & murum qua agger extra imminebat, aſcenſúmque muro aliqua ex parte diruto facilem dabat, concuſſit: verùm altero ſtatim confracto, alterum vix multis horis murum in duodecim vlnas aperuit, quo tamen non niſi ſcalis, vel ex ipſo aggere milites conſcenderunt: admouere ſcalas Hiſpani, & ſummum ad murum euaſerunt, vnúmque atque alterum ex propugnatoribus occiderunt: quorum morte deterritæ ad muri hiatum collocatæ ſclopetariorum haſtatorúmque cohortes hoſteis è muro deſilienteis excepturæ in fugam ſe dederunt, & fere omnes ignobili morte perierunt. Prato expugnato ſeditio Florentiæ exorta eſt, dictator ſe magiſtratu abdicare coactus vrbe ceſſit; ciues legatos ad Cardonium, Medicémque Cardinalem miſerunt, cuius opera pax facilè his conditionibus inita eſt: nempe vt Medicei, quíque eorum parteis ſequuti eſſent, tanquam priuati ciues in vrbem reciperentur, quorum bona publicè veniſſent, reddito poſſeſſoribus intra certum tempus pretio redimendi facultas eſſet: Florentini cum cæteris fœderatis ſocietatem coirent, Cæſari quadraginta nummûm aureorum millia, quæ Mantuæ Gurcenſi Medicei promiſerant, Cardonio viginti, in militum ſtipendium octoginta duabus penſionibus dependerent: quadraginta intra paucos dies, quibus exolutis Hiſpani è Florentino agro exirent, altera quadraginta intra alterum menſem accepturi. Societas quoque priuatim inter Hiſpanum, Florentinóſque inita eſt, qua certum cataphractorum equitum numerum pro tuendis Italicis Ferdinandi, Florentiníſque ditionibus mutuo ſibi ſuppeditare debebant. Florentini graui bello defuncti ad inſtaurandum popularem ſtatum, libertatémque conſeruandam animum adiecerunt: dictaturam veteri more annuam fecerunt, vt ad octoginta virorum conſilium, quod ſexto quoque menſe commutatur, & de maioribus negotiis deliberat, qui honoratioribus magiſtratibus intra extráve vrbem functi eſſent adiungerentur, ſtatuerunt: Ioannem Baptiſtam Rodolphum virum nobilem, ac prudentem dictatorem crearunt.

Prati expugnatio.

Societas inter Florentinos & Hiſpanum.

51 Sed publicam libertatem Cardinalis Medices, quamquam aliud præ ſe ferebat, ac Iulianus frater, eiuſdémque factionis plerique ciues, quorum aliqui vnà cum Mediceis exules fuerant, plerique item audaces adoleſcentes rerum nouarum ſtudioſi opprimere tentabant: ſe tyrannidis affectatæ ſuſpectos, ſe ciuibus ſuis odioſos, quod Hiſpanos in patriam immiſiſſent, eandem ad iniquas pacis conditiones adegiſſent, Medicei intelligebant. Prati direptionem, cruentámque ſtragem, bis mille enim cæſi feruntur, ſibi aſcribi non ignorabant. Verumenimuero ad inuadendum Florentinæ Reipub. principatum, vt Cardonius aſſentiretur, opus erat, qui nullum commutandi ſtatus popularis ſtudium præ ſe ferebat: hunc qui primam ſtipendij penſionem expectans adhuc cum exercitu Prati agebat, tam per ſe, quàm per Padullium Marchionem, atque Andream Carroſam Seuerinatem Comitem, qui primas in eo exercitu ferebant, aggreſſus Medices Cardinalis Florentinos ob acceptam tantam iacturam, támque iniquas pacis conditiones Hiſpanis ſemper infeſtos fore docuit. Digreſſo exercitu dictatorem, quem coacti expulerint, fortaſſe reuocaturos, etſi metu adhuc continebuntur, at nihilominus ad hoſteis data

Cardinalis Medices multique eiuſdẽ factionis ciues Florẽtinum principatum inuadere cogitant.

occaſione defecturos: ſe verò, ſuóſque, qui principatum Hiſpanis acceptum ferant nunquam ab eorum ſocietate vel magiſtra neceſſitate diſceſſuros: quidam nummos numeratos putant (vt Hiſpani, aut Siculi, cum Hiſpanis educati nihil ferè gratis faciunt) orationi fidem addituros, vnde Cardonium eius poſtulatis facilè aſſenſum ferunt.

Quibus peractis Cardinalis Medices multis Italis centurionibus, ac militibus comita- 52
tus Kal. Septembr. Florentiam rediit, alij ſeparatim intromiſſi ſunt, nec Florentini magiſtratus Hiſpanorum metu obuiam ire auſi ſunt: poſtridie primariis ciuibus, inter quos Iulianus Medices fuit, in palatium conuenientibus vt de rebus communibus conſultarent, iidem milites effracta porta palatium occuparunt, & vaſa argentea in magiſtratuum vſum ibi aſſeruata rapuerunt, quibus dictator, ac primarij ciues cedere coacti ſunt: deinde Iuliano rogante, ac propemodum edicente populus conuocatus eſt, qui armis circumdatus quinquaginta viros Cardinalis mandato nominatos creauit, ad quos populi ius, ac poteſtas transferretur: quorum decreto præſidium palatio impoſitum, & is Reip. ſtatus, qui decimiquinti ſæculi anno nonageſimoquarto fuerat, reuocatus fuit: ſed liberi longe durius atque imperioſius, quàm pater, rem Florentinam adminiſtrabant. Ita Medicei noui homines, quod iamdudum moliti erant, tandem aſſequuti ſunt, non tam ciuitatis ſtatum mutare, quam eandem à Gallo abalienare cupiebat Ferdinandus. Itaque pulſis Mediolano Gallis ad Cardonium ſcripſit, vt de Mediceorum reditu, atque omnino de rebus Florentinis ita cum illis ageret, vt temporum conditiones ferrent. & rebus ſuis commodum videretur. Verùm aliquanto poſt Iulio propter Alphonſum Ferrarienſem ſubiratus, & quod Iulius barbaros ſe quamprimùm Italia pulſurum identidem minaretur, in ſuſpicionem adductus Florentino legato apud ſe agenti popularem ciuitatis ſtatum, vel quod dictatorem Iulij inimicum Florentiæ retinere vellet, vel quod Medicem Cardinalem Iulio magis, quam ſibi, addictum fore prouideret, haud commutatum iri pollicitus eſt. Sed poſtrema hæc deliberatio ad Cardonium poſtridie duntaxat, quàm res Florentina in Mediceorum poteſtatem venerat, perlata eſt. Quædam prænuntia malorum ſuorum Florentini prodigia narrant, fulmen in portam, qua Florentia Pratum itur, delapſum: quod inſculpta marmori lilia Gallorum Regum inſignia ſecum abſtulerit, ſublatam Gallorum opem ſcilicet portendens: delapſum & aliud in Florentini palatij faſtigium, atque in dictatoris cubiculum, vbi nihil præter argenteam arculam attigit, in quam dictatoris creandi ſuffragia conijci ſolebant: poſtremò in inferiores ſcalas delatum lapidem ingentem, quo totum ædificium nitebatur, ita rapuit, vt peritiſſimi cuiuſdam architecti induſtria ingenioſè eductus videretur.

Prodigia futurorũ Florentiæ malorum prænuntia.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER DECIMVS-QVARTVS.

1 VT Florentinos Mediceis in ſeruitutem addicere, ita Genuenſes Gallis obnoxios in libertatem Iulius vendicare cupiebat; tormentis Genuam miſſis, vt Caſtelletum alteram arcem circumſederent, effecerat: præfectus quod claſſis Gallica è Phocenſi prouincia, antequam Genuenſis rebellionis Ludouicus certior factus eſſet, miſſa milites, & quicquid commeatus, aliarúmque rerum exportabat in terram exponere auſa non eſſet, de auxilio deſperans acceptis decem nummûm aureorum millibus deditionem fecit: Laterna altera ars, quæ portui imminet, commeatum, cæteráſque res ad tolerandam oppugnationem opportunas illo ipſo die recepit. Accepta prima promiſſi ſtipendij penſione Cardonius Hiſpanos Prato mouere, ac Brixiam verſus iter accelerare iuſſit, quam placatis Heluetiis Venetus exercitus ad portam Ioannis caſtrametatus circumſedebat, vrbémque pariter, atque arcem collocatis in diuerſo colle tormentis acriter verberabat. Sed Hiſpanis ad Gairum vicum non procul à Brixia appulſis Aubignius præfectus mādato (vt quidam putant) Ludouici Regis adductus, non priuato erga Venetos odio, ſed vt inter Cæſarem, Ferdinandúmque diſcordias ſereret, eoſdémque ſibi inuicem ſuſpectos redderet, Cardonio armis, equis, impedimentis omnibus ſibi, ſuíſque exceptis, ita tamen, vt ſignis complicatis exirent, ac tormenta relinquerent, deditionem facere maluit. Hoc ipſo tempore & Piſcheria ſeſe Gurcenſi dedidit, qui Brixiæ etiam Cæſaris nomine poſſeſſionem adire tentauit: ſed eandem nihilominus Cardonius fœderatorum nomine, quo in deditionem accepta fuerat, in ſua poteſtate retinuit. Cremam oppugnabat Rentius Ceres cum parte Veneti exercitus, quo quatuor Heluetiorum millia Octauianus Laudis Pompeiæ Pontifex, ac Mediolanenſis adminiſtrator, vt vrbem Maximiliano Sfortiæ vendicarent, mittebat. Verùm his appropinquantibus Benedictus Cribellus auro Veneto, aliíſque promiſſis corruptus Duraſio arcis præfecto aſſentiente, qui ſe Heluetiorum fidei committere nolebat, deditionem fecit. Nec ita multò poſt Romam Gurcenſis iter inſtituit, quem Iulius ſibi reconciliare mirandum in modum cupiens nouis, & inuſitatis honoribus afficiendum curauit; vt primum enim Pontificias ditiones Gurcenſis ingreſſus eſt, eundem Iulius, totúmque eius comitatum ſuis ſumptibus aluit: nouas fere quotidie Pontificum, aut aliorum virorum honoratorum legationes ſummiſit. Quum autem Romæ appropinquare nuntiaretur, totum Cardinalium Collegium illi obuiam mittere deſtinauit: ſed illi rem nouam, & indignam auerſati ire conſtanter recuſarunt; Agmenſis duntaxat, ac Strigonienſis Cardinales paulò extra vrbem obuiam proceſſerunt, & intermedium recipientes quaſi Cæſaris legatum ad Mariæ ædem, quæ populi dicitur, deduxerunt: inde innumerabili hominum multitudine comitatus ad Cardinalium conuentum, vbi venientem Iulius Pontificiis, ac ſolemnibus ornamentis indutus expectabat, proceſſit. Duodecim Heluetiorum legatos idem Iulius eodem in conuentu iiſdem fere ceremoniis paucis ante diebus exceperat, quos duodecim pagi obſequium oblaturos, & quod eam nationem enſe, galero, galea, Pontificiis ſignis militaribus donatam Pontificiæ libertatis propugnatricem declaraſſet, gratias acturos miſerant.

Anno 1512.

Crema à Rētio Ceres oppugnata deditio.

Gurcenſis à Iulio Pōtif. Max. vt honorificè exceptus.

Pacificationis cōmunis totius Italiæ difficultates propoſitæ.

Gurcenſi Romam appulſo de communi totius Italiæ, fœderatórúmque omnium paci- 2
ficatione actum, vt Gallum ad recuperandum Mediolanenſem principatum ſeſe compa-
rantem eodem animo, eodémque conſilio repellerent; verum omniũ difficillima inter Cę-
ſarem, Venetóſque toties agitata reconciliatio videbatur: Patauium, Tauriſum, Brixiam
Bergomum, Cremã Veneti vti poſſiderent, Gurcenſis aſſentiebatur, modo Vicentiam re-
ſtituerent, nullum ius in eas vrbeis, quas Cæſar poſſideret, ſibi vendicarent: ducenta Flore-
norum Rhenanorum millia ſemel Cæſari repræſentarẽt, triginta quotannis dependerent,
vectigal annuum, ac perpetuum earum vrbium nomine, quas tot annis liberè poſſediſſent.
tantam pecuniam ſubito repræſentare, quamuis bonam eius partem Iulius ſe mutuò datu-

Vicentia cur à Venetis nō niſi ægrè eripi poſſit.

rum promitteret; Vicentiam autem reſtituere longè magis Veneti recuſabant, qua reſtitu-
ta vix Brixiam, Bergomum, Cremam retinere poſſe videbantur. Inter Iulium, Ferdinan-
dúmque non minus difficiles conditiones proponebantur, quas vterque non tam vt obti-
neret, quam vt alterius querimoniis obiiceret, in medium afferebat; à Ferdinando poſtula-
bat Iulius, vt in recipienda Ferraria quemadmodum recenti fœdere cautum erat, auxilio
eſſet: Fabricio, ac M. Antonio Columnis, quos Chriſtianis ſacris interdicere Iulius inſtitue-
rat propugnationem renuntiaret quod porta Lateranenſi vna cum Ferrarienſi violenter
erupiſſent, clientémque aduerſus Iulium rebellantem ſuis oppidis Pontificiæ ditioni ob-
noxiis excepiſſent, eidémque euadendi occaſionem præbuiſſent: poſtremò vt idem Ferdi-
nandus Florentinis, Senenſibus, Lucenſibus, Plumbinatibus, propugnationes itidẽ renun-
tiaret, qui in Germanici Imperij fide hactenus fuiſſent, atque Italicis principibus, liberíſ-
que ciuitatibus, præſertim verò Pontificiis ditionibus imminerent. Quibus poſtulatis Hi-
ſpani legati reſpondentes Ferdinandum, modo ſtipendium eodem fœdere promiſſum re-
præſentetur, atque in poſterum exoluatur, ad recuperandam Ferrariam Iulio opẽ laturum
confirmarunt: Fabricij porro, ac M. Antonij Columnæ opera Gallos magna ex parte Italia
expulſos. Hæccine præmia proſcriptionem (inquam) exilium, & ſi quid aliud grauius eſt,
ſingularibus ducibus pro tantis meritis Iulius rependet? Ferdinandum non commiſſu-
rum, vt crudeliter ingratus, aut beneficiorum acceptorum turpiter immemor videri poſ-
ſit, atque homines de ſe benemeritos indignis iniuriis affici patiatur. Quod ad Hetruſca-
rum vrbium propugnationes attinet, Imperij Germanici ius quid exigat, Iulium ſúſque
déque ferre, cæterum quod hæ ciuitates ſuæ libidini non exponantur, non inſulsè queri;
quæ tamen omnia Ferdinandus æquo animo Cæſaris arbitrio permittit.

Principatus Mediolanẽſis Maximiliano Sfortia adiudicatus.

Fœderati omnes Maximiliano Sfortiæ principatum Mediolanenſem adiudicabant, at- 3
que vt in eius poſſeſſionem mitteretur, optabant: at Cæſar Sfortiam in fidem recipere,
aut ducis, aut alio iuſti poſſeſſoris nomine inſignire recuſabat. Gurcenſis autem pariter,
atque Hiſpani magna contentione Parmam, ac Placentiam à Mediolanenſi principatu
contra Germanici Imperij ius extortas querebantur, quem augere potius, quam immi-
nuere ad excipiendos primos Gallorum inſultus debeant, in fœdera Bononiæ duntaxat,
Ferrariæque Iulium meminiſſe, nunc eas vrbeis vſurpare, quas Romani Pontificatus ali-
quando fuiſſe nemo norit, donationes Imperatorias iactari, at earũ priuatum neſcioquod
ſcriptum, quod commentitium eſſe poteſt, duntaxat oſtendi. Quum nemo de ſuo iure de-
cedere æquo animo vellet, ſua vbique, maxima verò inter Cæſarẽ, Venetóſque controuer-
ſia fuit, illo Vicẽtiam pertinaciter repetẽte, Venetis pertinacius reſtituere recuſantibus, nec
de exoluenda pecunia ſatis conueniebat: quos quandoquidẽ ſibi inuicem reconciliare Iu-
lius nõ poſſet, Venetos ſe Chriſtianis ſacris interdicturum, & aperto bello perſequuturum
teſtatus, quod publicam Italiæ tranquillitatem perturbarent, cum vno Cæſare incredibili

Fœdus inter Iuliũ Pōtif. Max. & Cæſarem editum.

Concilij Piſani abolendi ardore perpulſus fœdus coiit, quo legatus Hiſpanus vel quod
mandatum ſatis amplum non haberet, vel quod Venetos ſpe iniecta retinere vellet, Ferdi-
nandum cõprehendi noluit, nam ne quadam deſperatione ad Gallũ deficerent, timebat. In
fœderis proœmio quod ſolemni more in æde Mariæ, quæ populi dicitur, editum, ac reci-
tatum eſt, diſertè ſcriptum erat, Venetis penitus à pace abhorrentibus, Iulio pertinaces pu-
blicæ tranquillitatis ergo deſerente, Cæſarem in fœdus quod anno huius ſæculi vndecimo
inter Iulium, Ferdinandum, Venetos initum eſt, iurare; eodem, prout tum illi poteſtas fa-
cta eſt, comprehendi velle, ídque palam profiteri, ſe nunquam Piſano Concilio aſſenſiſ-

Lateranenſe Concilium à Cæſare vt verum agnoſcitur.

ſe; mandata ſi qua huiuſmodi data ſint, reuocare, Lateranenſe tanquam iuſtum, legi-
timum, verè Chriſtianum agnoſcere, nullum ſe in poſterum Pontificiis hoſtibus, præ-
ſertim Alphonſo Ferrarienſi, ac Bentiuolis, qui Ferrariam, Bononiámque occuparint,
auxilium miſſurum; Germanos pedites, qui Ferrarienſis ſtipendium mereant, ac Fede-
ricum Boſſolum clientem ſuum reuocaturum. Contra Cæſari Iulius aduerſus Venetos,
donec

donec quæ fœdere Cameracenſi illi attributa erant, recuperaſſet, ſe auxilio futurum pollicebatur. Veneti recenti fœdere, & pactis cum Cæſare induciis excludebantur: Iulij, Cæſaris, Ferdinandi hoſtes declarabantur, cui vt in fœdus reciperetur, tempus præſcribebatur. Iulium cum Venetis nullum niſi Cæſare aſſentiente, aut niſi Cæſar ſupra commemorata recuperaſſet, nullum item Iulium, aut Cæſarem niſi de communi vtriuſque conſenſu cum quibuſuis Chriſtianis principibus fœdus initurum: bello Veneto perſeuerante Iulium nihil aduerſus Fabricium, aut M. Antonium Columnas moliturum, aduerſus Iulium, Pompeium eiuſdem familiæ, ac nonnullos præterea rebelles ius ſuum, ſi ita videbitur, perſequuturum. Quamuis Parma, Placentia, Rhegio Lepido Iulius fruatur, interim nihilominus Germanico Imperio ius ſuum integrum reſeruari.

Gurcenſis Cæſaris nomine Concilio Lateranēſi interfuit.

4 Fœderis capitibus editis Gurcenſis tanquam Cæſaris legatus proximo conuentu (quam illi ſeſſionem vocant) Lateranenſi concilio interfuit, & Cæſarem Piſano nunquam aſſenſiſſe, omneis, quotquot eius nomen ibidem interpoſuiſſent, falſo interpoſuiſſe declarauit, atque ita demum Roma profectus vt Mediolanenſis Ducatus poſſeſſioni, quam Maximilianus Sfortia adire tum volebat, ideóque Cæſaris mandato Veronam acceſſerat, intereſſet, Florentiam iter habuit, vbi fœdus Pratenſe Cæſaris nomine confirmauit, acceptáque à Lucenſibus, quorum Cæſar propugnationem ſuſceperat, pecunia, Cremonam petiit; vbi venientem Maximilianus Sfortia, Cardinalis Sedunus, ac Cardonius expectabant, vnde Mediolanum ſimul incedentes inierunt. Quúmque magna inter Sedunum, Cardoniúmque contentio interceſſiſſet, vter vrbis claueis poſſeſſionis argumentum venienti Sfortiæ porrigeret, vicit tandem Sedunus, & claueis publico Heluetiorum nomine tradidit, vt ſe Heluetiorum opera maximè in poſſeſſionem induci Sfortia agnoſceret, quem ſub Decembris finem ſolemni more, atque ingenti lætitia, qui indigenam, nec cum aliis nationibus communem principem deſiderabat, populus Mediolanenſis excepit, & feſtos aliquot dies egit, quorum lætitiam arx Nouarienſis ſua deditione cumulauit: mutuæ inter Cæſarem, Venetóſque reconciliationis nondum penitus ſublata ſpes erat, quod Iacobum Staphileum Romani fori cauſidicum legatum ſuum, ac treis Heluetiorum legatos, vt eandem procurarent, Venetias Iulius miſerat: & Veneti legati Senatu mandante Lateranenſi concilio interfuerunt, ne vel Iulium, vel Cæſarem irritarent: Venetus etiam exercitus in agrum Patauinum redire iuſſus. Tum Hiſpani, ne ſperatam reconciliationem interturbarent, Mediolanum verſus pergere cœperant: ſed iiſdem difficultatibus perſeuerantibus Ferrariæ oppugnationem Iulius diſtulit, quam Cæſare, & Venetis reconciliatis eius Senatus copiis adiutus in ſuam poteſtatem redigere poſſe ſperabat, alioqui & hyeme perdifficilis oppugnatio erat, præſertim quod vrbem ſua natura munitam in dies magis, ac magis Alphonſus muniebat.

Arcis Nouarienſis deditio.

Anno 1513.

5 Hoc ipſo anno ineunte Maio ſex Anglorum peditum millia ad fontem Rapidum vrbem maritimam traiecerant, vt Hiſpanis iuncti Aquitaniam inuaderent, aduerſus quos octingentos cataphractos equites nuper conſcriptos, ac pleraſque Germanorum peditum cohortes ex inferiore Germania Cæſari haud obnoxia aſcitas Ludouicus armauerat. Sed opportuniſſimus ad hoſteis repellendos videbatur Nauarrus; is erat Ioannes Fuxius Albretus, ad quem Catharina Fuxia vxor regnum dotale attulerat, quod & Gaſto Fuxius fœminas arceri eius regni hæreditate prætendens non ita pridem ſibi vendicarat: ad Ioannem miſſus eſt Amanius Alebretus Horuallus, vt eundem Ludouico ſocium adiungeret. Recuſabat ille primùm, & fœdere cum Hiſpano inito ſe prohiberi, & Ludouicum à Gaſtone Fuxio regni æmulo ſtetiſſe, & vt ipſe Biarnenſi ditione Tholoſani Senatus decretò ſpoliaretur, procuraſſe cauſabatur. Gaſtonem Fuxium fato functum, Ludouicum non regni eius æmulum, ſed ſororis filium fouiſſe, Biarnenſis ditionis poſſeſſionem nondum aditam eſſe reſpondit Horuallus, modo cum Ludouico ſocietatem coeat, quicquid poſtulet, aſſequuturum, ac tandem perfecit, vt Alanus Ioannis pater ad Ludouicum accederet, quo aſſentiente, & ſocietas inita eſt, & Biarnenſis ditio Rege Tholoſani Senatus decretum antiquante ad Ioannem rediit. Hanc enim illi Stephanus Poncherius Senonenſis Pontifex, ac Petrus Viachius (quem, ni fallor, alij Peronem Baſchium appellant) arbitri dati addixerunt. Contra Ferdinandus regni Nauarrici occupandi auidus à Nauarro, vt belli ſpectator eſſet, neutri ſe daret, & nihilominus, vt ſuos, Angloſque per regni ſui fines in Aquitaniam tranſire pateretur, arceiſque aliquot, atque vrbeis munitas, tantiſper dum armis res geritur, ſibi permitteret, petebat, quas finito bello bona fide redderet. At Nauarrus quo eius ſenſus inclinarent facilè agnoſcens (perſpecta enim eius, & fides & ambitio erat) incertum diſcrimē ſubire potius, quam regno turpiter cedere maluit:

Biarnenſis ditionis variæ diſceptationes.

& tamen nihil apertè negauit, rem potius, quoad poterat, diſtulit, vt promiſſa interim à Gallo auxilia aduentarent.

Sed Ludouicus, quod Angli diu ad fontem Rapidum quaſi otioſi nihil tentaſſent, & quod Nauarrum belli initiis obuiam iturum ſperaret, aliquanto ſecurior ſimul, & tardior in mittendis fuit. Quorum certior factus Ferdinandus in optima ſpe ſemper Nauarrum ponens, & nec opinantem aggreſſus Hiſpanos, quos Anglis iungere vel decreuerat, vel ſimularat, in eundem repente conuertit, & ſine vlla fere impenſa eius regno ſtatim potitus eſt; ille enim imparatus, & reſiſtere poſſe deſperans ſuperatis montibus Pyreneis in Biarnenſem ditionem aufugit, regno Hiſpanis expoſito, quibus præerat Federicus Toletanus Albanus regulus. Anglorum, qui non longè aberant, metus omnium menteis perturbauit: hinc Pompelo regni metropolis, quam & Pompeiopolim vocant, deditionem fecit, cuius exemplum pleræque aliæ ciuitates ſequutæ ſunt: paucæ arces, Runcitani item, Eſcuaníque montoſa ac difficili regione tuti obſeſſis itineribus Menalio Naualio duce hoſteis repulerunt, & in veteris Regis fide permanſerunt. Sed quum nullum in id regnum ius prætendere poſſet Hiſpanus Romani Pontificis authoritate ſe inuaſiſſe diuulgauit: Iulius enim, quod Gallos Italia expuliſſet, haud mitigatus, & quod Cardinales Mediolano fugientes mandato Regis Lugdunenſes honorificè excepiſſent, indignatus, diploma nuper ediderat, quo Ludouicum, eiúſque fœderatos omneis hæreticorum (ſic eos noſtri qui à vero Dei cultu defecerunt vocare ſolent) pœnis addixerat; Galliamque Chriſtianis ſacris interdixerat. Lugdunenſes mercatorum conuentus quotannis ibidem quater celebrari ſolent, Geneuam, vnde Ludouicus Galliarum Rex eius nominis Vndecimus eoſdem Lugdunum transtulerat, reducere, ac reuocare voluit, & omneis, quotquot Lugdunum in poſterum conuenirent, aqua & igni interdixit. 6

Regnum Nauarricum à Ferdinando facilè occupatum.

Regni Nauarrici compos Ferdinandus vel quod Ludouicum nimis irritare nollet, vel quod ſi quid in Aquitania proſperè gereretur, Anglis acceſſurum videret; vltra progredi non apertè quidem negauit, ſed varias cauſas nectens, Anglóſque diu ludificatus in patriam redire compulit. Illi vt Baionam vrbem maritimam à fonte Rapido non longè diſtantem coniunctis viribus oppugnarent, ſuadebant; ſine qua nullam in Aquitania ſolidam, certámque ſibi poſſeſſionem fore exiſtimabant. Ferdinandus Baionam ita natura, artéque, ac firmis præſidiis munitam reſpondebat, vt nulla vrbis potiundæ ſpes supereſſe poſſet, Mediterraneas potius adeundas, quas neque aggeribus, neque præſidiis, neque iis, quæ ad tolerandas oppugnationes neceſſaria ſunt, firmatas nullo labore in ſuam poteſtatem redigant: Angli nequicquam eas vrbeis expugnari aiebant, quas nullo modo retinere poſſent. In his controuerſiis dirimendis, quum temporis aliquantum impendiſſent, Angli natura iracundi, ac ſuſpicioſi, & ſibi illudi facilè agnoſcentes non expectato Regis ſui mandato vela fecerunt, & in Angliam nullo facto operæpretio reuerterunt. Ludouicus firmam interim claſſem inſtruxit, qua ab Anglico littore ad Herculis columnas toto illo Oceano facilè dominabatur, vnde in magnam regni Nauarrici recuperandi ſpem veniebat: abceſſerant Angli erga Hiſpanos malè animati, exercitus qui in Italia militabat iam redierat, ad quamuis expeditionem paratus: nonnullas Heluetiorum, longè plures Germanorum peditum cohortes habebat, quibus Franciſcum Aurelianum Longauillanum præfecit, hominem rei militaris (vt fertur) non ſatis peritum. Sub eo tamen Franciſcus Valeſius Engoliſmenſis regulus admodum adoleſcens, & ex ſtirpe Regia Ludouico proximus, ac Carolus Borbonius quinquennio fortaſſe maior, necnon Palicianus Mareſchallus in eo exercitu militabant. Aderat & ipſe Nauarrus cum ſeptem è ſuis peditum millibus, atque aliquot equitum alis, qui ad famam huius belli ad veterem Regem aduolarant. Belli Nauarrici initio aliquot peditum cohortes ad Fanum Ioannis Pediporti (vt vulgò appellatur) vltimum eius regni oppidum ad Pyreneorum radices ſitum Ferdinandus miſerat, vt Gallica auxilia, ſi qua interuenirent, aditu prohiberent. Eodem Gallis appropinquantibus Federicum Toletanum Albanum cum vniuerſis ſuis copiis miſit, qui inter monteis, ac planitiem loco munitiſſimo caſtra metatus Gallos tranſitu facilè prohibebat, nec inde Hiſpanos exturbare loci natura repugnante vis vlla poterat. 7

Ferdinandus à Baionæ vrbis oppugnatione quare alienus.

Bellum Nauarricum.

Itaque viſum vt Nauarrus cum ſuis peditibus, ac Palicianus cum trecentis cataphractis equitibus valle Runcitana Pompeloni, vbi populi veteris Regis fama, & Gallicis auxiliis erecti rebellionem parabant, quoad fieri poſſet, appropinquarent, & Runcitanas anguſtias, quibus dumtaxat ad Hiſpanum exercitum commeatus importabatur, occuparent. Illi ad montium faſtigia clam euadentes Borgetum ad eorum radices ſitum fortiter aggreſſi expugnarunt; Baldúmque prætorianæ Ferdinandi cohortis, atque eius oppidi præfectum, 8

Digitized by Google

præfectum, multóſque pedites Hiſpanos ceperunt. Quod ſi celeriter inde ad Runcitanas anguſtias properaſſent, Hiſpanos vndique ab hoſtibus circumuentos fame ad deditionem coegiſſent. Sed cunctanteis Albanus anteuertit, qui relictis ad Fanum Ioannis mille peditibus, atque omnibus tormentis ſumma celeritate per Runcitanas anguſtias Pompelonem euaſit: qua hoſtium intercipiendorum ſpe fruſtrati Nauarrus, ac Palicianus, quibus ſeptem Germanorum peditum millia quadringentos cataphractos equites, quatuor item tormenta ſubſidio Longauillanus miſerat, Pompelonem contenderunt; ac muros tormentis quatere cœperunt, multa Nauarro de Pompelionenſibus ſibi pollicente, quos ſe conſpecto ad arma ſtatim conuolaturos ſperabat. Prima autem dumtaxat oppugnatione tentata quum & horridum frigus (nam Decembres iam idus prætererant) & commeatus penuria vrgeret, Pyreneos deintegro iniquiſſimo tempore ſuperare, vbi tormenta præ viarum difficultatibus reliquerunt, atque in Galliam redire coacti ſunt. Nec Lautrecius in Bardulos cum trecentis cataphractis equitibus, ac tribus peditum millibus irrumpens felicius rem geſſit: nam Fano Sebaſtiani nequicquam oppugnato eam regionem populatus ad exercitum rediit, qui ob hyemem inſtantem, & quod nec hoſtium metus vrgeret, nec rerum bene gerendarum ſpes vlla ſupereſſet, ſtatim dimiſſus eſt. Hoc ipſo tempore Ferdinandus Federici Regis Neapolitani filius Calabriæ regulus (ſic enim ſe inſcribebat) quem Tarenti in deditionem acceptum violato iureiurando Conſaluus in Hiſpaniam miſerat, clam paulò ante ita cum Ludouico Rege pactus, Logronio, vbi tum agebat Rex Ferdinandus, ſe ſubducere, & ad Gallorum exercitum, qui non longè aberat, properare deliberarat. Cuius defectionis certior factus idem Rex Calabrum in arcem Sciatiuenſem, quo viros vel genere, vel rebus geſtis illuſtriores Tarraconenſes Reges amandare ſolent, concludendum, cuſtodiendúmque curauit. Philippus Copolus Neapolitanus, qui clam ad Ludouicum ierat, totiúſque huius coitionis interpres fuerat, in parteis diſſectus eſt, cuius pater Sarnitanus Comes ita variante fortuna Ferdinandi maioris Neapolitani Regis huius adoleſcentis aui iuſſu capite mulctatus erat. Defectionis princeps author Franciſcinus ſodalis ab Alphonſo Ferrarienſi ad Ferdinandum Calabrum miſſus fuiſſe traditur: idcirco indignatus aduerſus Ferrarienſem Ferdinandus Hiſpanus ad Cardonium ſcripſit, vt ſi quando commodum videretur, & id Iulius poſtularet, Hiſpanos pedites iuſto dumtaxat ſtipẽdio accepto ad Ferrariam oppugnandam educeret.

Ferdinandus Calaber defectionis ſuſpectus in cuſtodiam traditur.

9 Quietus initio & ab armis tranquillus annus huius ſæculi decimus tertius fuit (neque enim quenquam Veneti, neque Venetos quiſquam laceſſebat) niſi Tritianam arcem Cardonius cum tribus peditum millibus circumſediſſet, quam Franciſcus Biamenſis præfectus liberum ſibi, ſuiſque cum equis, armis, impedimentis omnibus exitum pactus vltro dedidit. Ludouicus multis Germanis aſcitis, & octingentis cataphractis equitibus nuper conſcriptis potens, vt veteres milites omittantur, qui magno numero fuerunt, recuperandi Mediolanenſis Ducatus ardore accendebatur, interim dum Mediolanenſis, Cremonenſiſque arces eius præſidiis tenebantur. Sed tot hoſtibus aduerſum ſe coniurantibus, præſertim quod Galliæ ſemper Anglus imminens bellum proxima æſtate moturus expectabatur, rem tantam, niſi aliquem ad ſe pertraxiſſet, atque à fœdere ſeparaſſet, aggredi non audebat. Cum Cæſare vel cum Venetis conuenire poſſe videbatur, quos & inter ſe diſcordes, & ab aliis variis de cauſis abalienatos ſciebat: ſpem de Cæſare fecerat Gurcenſis, qui Roma Mediolanum proficiſcens Cardinalis Seuerinatis domeſticum à Regina miſſum æquo animo audierat, viciſsímque alium cum mandatis ad Ludouicum miſerat. ea huiuſmodi fuiſſe traduntur, vt Cæſari Ludouicus contra Venetos auxilio eſſet, Renatam minorem filiam Carolo Maximiliani nepoti deſponderet, doti Mediolanenſem Ducatum, ac ius quod in regnum Neapolitanum ſibi vendicabat, diceret; vt verba rebus ipſis confirmarentur, Renata ſtatim Maximiliano in manum traderetur; recuperato Mediolanenſi Ducatu Cæſar Cremona, atque Abduana Glarea potiretur. Nec minor de reconciliandis ſibi Venetis ſpes erat, qui propter Brixiam à Cardonio occupatam, & propter recens inter Iulium Pontificem, Cæſarémque initũ fœdus indignati iam ad Gallos reſpicere videbantur; idcirco Andream Grittum Brixiæ captum, & in cuſtodiam traditum clam ad ſe Ludouicus acceſsiuit, & multa cũ eodem communicauit: quinetiam & Triuultij domeſticus, qui illi ab epiſtolis erat, quaſi heri ſui negotia curaturus Venetias miſſus eſt, vt cum Andrea Gritto communicata promoueret. Miſerat & ad Annam Reginam duos Franciſcinæ profeſſionis ſodales ſuo more Ferdinandus Hiſpanus, qui huiuſmodi legatis, vt impenſæ parceret, vti ſolebat, vt publicam totius Chriſtianiſmi pacem, aut priuatam inter duos Reges vel procurarent, vel procurare ſimularent. Sed quod iniuſtè

Reconciliationis inter Ludouicũ ac Venetos ſpes iniecta.

Ferdinandus cur pro legatis ſuis religioſis vtiſolitus.

iniuſtè occupato regno Nauarrico cedere nollet, nullum cum eo fœdus ineundum Ludouicus putauit.

Verumenimuero vnam Heluetiorum ſocietatem cæteris omnibus idem Ludouicus præferebat, qui non iam vt mercenarij milites, ruſticiue paſtores, quemadmodum non ita pridem fuerant, ſed vt prudens bene adminiſtratæ Reip. Senatus negotia ſua pertractabant; & eo authoritatis peruenerant, vt in omnibus fere bellis primas tenerent. Hinc Iulius Pontifex, Veneti, cæteríque illuſtriores principes vt fœderati eorum mercenario milite, ſi quando opus eſſet, vterentur, illis annuas pecuniæ penſiones exoluebant: quo fiebat vt magnificè de ſe ſentientes, ſuperbè, atque inſolenter ſe aduerſus quoſuis gererent, & cæteros prope omneis præ ſe vnis contemnerent. Hos nihilominus & quod gens auariſſima eſſet, & quod cum Mediolanenſibus nondum penitus conueniſſent, in ſuas parteis ſenſim pertrahere promiſſa ingenti pecunia Ludouicus ſperabat: Mediolanenſes enim Maximiliani Sfortiæ nomine centum quinquaginta Ducatorum (vt vocant) millia, quum primum Maximilianus in Mediolanenſis Ducatus, arciúmque poſſeſſionem miſſus fuiſſet, & in viginti quinque proximos annos quadragena Heluetiorum legatis promiſerant, vt fœderati eorum mercenario milite quoties opus eſſet, vterentur: quod fœdus tredecim pagi publicè confirmare hactenus diſtulerant. Luganum itaque Lucarnúmque arceis iiſdem condonare, vt eius legati in publica illorum conſilia admitterentur, Ludouicus ſtatuit: Lucernámque quo cuncti pagi conuenire debebant, Ludouicum Trimullium proficiſci iuſſit; qui tametſi comiter eſt exceptus, tamen ſtatim, quod ad rem Mediolanenſem attinebat, ſe nihil impetraturum intellexit. Sex enim pagi iam ratum Mediolanenſe fœdus habuerant, tres habere ſtatuerant, cæteri adhuc rem in incerto habebant. Omiſſa igitur re Mediolanenſi, vt Regi in recuperanda Genua, Aſtenſique Comitatu, qui fœdere Mediolanenſi haud continebantur, auxilio eſſent, poſtulauit: ſed illi tandem ſe Regium ſtipendium accepturos pernegarunt, & cuncti fœdus Mediolanenſe confirmarunt. Qua ſpe deiectus Ludouicus aut cum Cæſare, aut cum Venetis ſibi conueniendum eſſe duxit. Id præſentientes fœderati, in primíſque Gurcenſis Vicentiam toties denegatam Venetis permittebat: at illi, qua de cauſa ſententiam Gurcenſis mutaſſet, coniicientes, animóſque tollentes, vt Veronam quoque, ſed ingenti pecunia redimendam, reciperent, inſtiterunt: qua non impetrata cum Ludouico priſtinum fœdus, quo Cremonam, Abduanámque Glaream accipere debebant, renouare decreuerunt. 10

Cur Ludouicus Heluetiorum ſocietatem præ cæteris ambiat.

Ludouicus ſocietata cũ Heluetijs ineunda ſpe deiectus, ad Venetos Germanoſque ſe conuertit.

In Regio conſilio duæ inter ſe contrariæ ſententiæ vigebant: alterius author erat Poncherius Senonenſis Pontifex, qui Ambaſiano Cardinale vita functo magna apud Ludouicum authoritate pollebat: is in priſtina ſententia perſeuerans, cui bona eius conſilij pars aſſentiebatur, Venetos ſemper Cæſari præferebat: præſertim quod Cæſarem non ita pridem in priuato colloquio dixiſſe conſtabat, ſe decem & ſeptem iniurias ſibi à Gallis illatas data occaſione vlturum, & quicquid cum Gallis vel fœderis inter ipſos, Venetóſque interrumpendi, vel commodioris temporis expectandi, vel bellici apparatus retardandi ergo pertractet, nullum tamen vnquam, quin ſe vlciſcatur, tempus prætermiſſurum. Cæſaris inconſtantiam, malignitatémque ſæpius experientia perſpectam: ſi quid adhuc experiri velit, idem nullam errori ſuo excuſationem relinquat. Ab altera ſententia Anna Regina, nonnullique eius freti authoritate ſtabant, quæ Renatam filiam Carolo Maximiliani nepoti collocare in primis deſiderabat. Ambitionem, atque vtilitatem apud eos, qui rerum potiuntur, ſemper locum principem obtinere, cæteras animi affectiones iſtis plurimùm pollentibus cedere, ac poſthaberi: quod maius beneficium accipere Cæſar poteſt, quàm ſi ſumpta de Venetis vltione ſua recuperet, & ad nepotem Carolum principatum Mediolanenſem transferat? Hiſpanum Ferdinandum vel nolentem Caroli item nepotis vtilitati ceſſurum, & ad eandem ſocietatem vltro acceſſurum. Quid porrò magis Iulium Pontificem perterrefaciat, quàm ſi tantos principes ſibi inuicem reconciliatos, & tam arcta affinitate coniunctos videat? Venetam penitus indignam videri, qua Cremonenſem, Abduanúmque agrum dimidiatam fere Ducatus Mediolanenſis partem iterum recipiant, pro quibus recuperandis totum prope Chriſtianum orbem Ludouicus commouerit: nec eorum auxilia tanti eſſe, vt inde aliquam de cæteris fœderatis victoriam ſperare debeant. Hæc potior omnino viſa ſententia fuiſſet, niſi Renatam ſibi ſtatim in manum tradi Cæſar perſtitiſſet; quam Carolo pactam quoad matura viro fuiſſet, aut ſaltem annum duodecimum impleſſet, Anna mater ſecum retinere conſtanter perſeuerabat. Hinc Aſparrus Lautrecij frater, qui cum hiſce mandatis ad Gurcenſem proficiſcebatur, ab itinere reuocatus eſt. At Ferdinandus Venetos Gallis reconciliari moleſtè ferens, vt iiſdem 11

Veronam

Verónam Cæſar reſtitueret, ingentique inde accepta pecunia bellum in maiorem Burgundiam transferret, auctor erat. In eadem ſententia erat & Gurcenſis, in quam, vt Cæſarem pertraheret, eundem ſibi adeundum putauit: quem Petrus Vreus Ferdinandi apud Cæſarem, ac Ioannes Baptiſta Spinellus Comes Cariatenſis apud Venetos legatus comitabantur. Sed antequam Germanicam profectionem ſuſciperet, ne quid interim, quod animo conceperat, interturbaret, Venetis, vt in totum Martium menſem cum Cæſare inducias facerent, perſuaſit: quibus iidem legati Veronam reſtitutum iri, ſiquidem Cæſari intra præſcriptum tempus ducenta quinquaginta nummûm aureorum millia, item quinquagena in ſingulos annos dependerent, fidem fecerunt.

Veronæ Venetis reſtituendæ cur Ferdinandus auctor ſit.

12 Hæc quidem inter ſe Cæſar, Gallus, Hiſpanus, Veneti conſilia agitabant: at Iulius fœderatorum princeps longè maiora, quam vnquam antea, magis etiam diuerſa animo conceperat: Ferrariam primo vere oppugnare decreuerat, quam iunctis Hiſpanis in ſuam poteſtatem facilè redacturus videbatur: clam à Cæſare triginta Ducatorum millibus Vrbinati fratris filio Senas redemerat, cui præter Piſaurum ex Pontificiæ ditionis vrbibus nihil vnquam condonauit, vt Pontificatus Romani poſſeſſiones amplificaſſe, nihil ſuis excepiſſe gloriari iure poſſet. Vt Senatum poſſeſſionem Vrbinati ſartam tectam conſeruaret, Carolum Baleonum ſtipendio affecerat: vt Ioannem Paulum Petrucij liberis paternæ authoritatis hæredibus & affinitate & amicitia coniunctiſſimum Peruſia exturbaret, Cæſari Mutina in pignus recepta quadraginta item eorundem Ducatorum millia mutuo dare promiſerat. Lucenſibus, quod Ferrarienſi fœderatorum armis diſtento Carfagnanam vallem, quam Anxeris (Serclum hodie vocant) alluit, inuaſiſſent, minabatur: à Cardinale Medice quod Ferdinando magis, quam ipſi addictus erat, nec de Florentinis, vt ante ſperarat, liberè ſtatuere poterat, abalienatus erat, aliúmque Reipub. ſtatum Florentiæ inducere deſtinarat: abalienatus erat & à Seduno, quod Pontificius legatus multorum poſſeſſionibus, aut muneribus occupatis triginta in principatu Mediolanenſi nummûm aureorum millia annua poſſidebat, eundémque Romam reuocarat. Iano expulſo Octauianum Fregoſium Ducem Genuenſem creare in animo habebat, cui cæteri Fregoſij propter eum, quem Octauiani maiores tenuerant, gradum facilè aſſentiebantur, qui Hiſpanos Italia Heluetiorum (quos ſolos admirabatur) ope fretus expelleret, ſecum intentius cogitabat, vt de barbaris omnibus Italia exturbatis iure gloriari poſſet, quod ſæpius in ore habebat: idcirco ne cum Ferdinando Heluetij fœdus inirent impedimento erat. Hæc & plura fortaſſe huiuſmodi, quæ ad hominum notitiam non peruenerunt, animo verſantem lætalis morbus inuaſit. Cum Cardinalium conuentum mortem ſibi inſtare præſentiens conuocandum curauit, cui ipſe propter morbum intereſſe non potuit: diploma tamen prius editum, cuius ſupra meminimus, aduerſus eos, qui Romanum Pontificatum redemiſſent, vt confirmaretur, effecit. Alterum decretum addidit, nempe creandi Romani Pontificis authoritatem Cardinalium dumtaxat eſſe ſanxit. Cardinalibus, qui ab illo defecerant, & Piſani concilij authores fuerant, iniuriam ſibi illatam remiſit: tametſi paulò ante eoſdem & ſuo gradu, & creandi Romani Pontificis ſuffragio priuarat, Chriſtum precatus, vt quam ſua diſceſſione, hoc eſt, ſeditione Chriſtianis vniuerſis iniuriam intuliſſent, remitteret: Fœlici filiæ ſuppliciter petenti, vt Guidum Monſalconium fratrem eadem matre natum Cardinalem crearet, illum eo gradu indignum reſpondit: nec quicquam de priſtina ſua ſeueritate iamiam moriturus remiſit. Cardinales dumtaxat, vt Vrbinatem, cuius opera maximè Piſaurum Ioanne Sfortia vita functo ad Romanum Pontificatum redierat, Piſaurenſem Vicarium deſignarent, precatus eſt; nec quicquam aliud ſuis ex Romani Pontificatus fundis condonauit.

13 Iulij morte diuulgata Hiſpanos in Placentinum agrum Cardonius adduxit, & Placentiam in ducis Mediolanenſis veteris domini poteſtatem redegit, cuius exemplum Parma eodem concuſſa metu ſequuta eſt; recuperauit & vrbeis in Flaminia nuper amiſſas Ferrarienſis, atque Rhegio Lepido appropinquauit. Sed nullo in vrbe tumultu exorto Hiſpanos itidem metuens, qui ſe in Placentinum, Rhegienſémque agrum diffuderant, Ferrariam ſe recepit: nullum præterea in Pontificiis ditionibus bellum, nulla ſeditio, nullus tumultus ſubortus eſt. Cardinales quatuor & viginti Iulio iuſta fecerunt, & Mantuani filio, qui Romæ velut obſes erat, ad patrem remiſſo conclaue Pontificibus creandis attributum liberè ingreſſi ſunt. Die ſeptimo quadam iuniorum Cardinalium inter ſe coniuratione inita, quod nunquam antea acciderat, creatus eſt Ioannes Cardinalis Medices annos ſeptem & triginta natus Leo appellatus.

Iulij Pontif. Max. mors, & funus.

Ioannes Cardinalis Mediceus in eius locum ſuffectus, & Leo appellatus.

Triceſimo poſt creationem die (is Aprilis vndecimus fuit Rauennate pugna celebris, quo

quo captiuus in Gallorum poteſtatem venerat)in æde Lateranenſi de more coronatus eſt, ac tam ſuperba pompa illuc proceſſit, quantam vix quiſquam à multis ſæculis ante viderat: vexillũ Pontificium præferebat Alphonſus Ferrarienſis eius litteris accitus. Rhodium Iulius eius frater patruelis armis vndique protectus, quibus vix exutus mortuo Coſmo Pactio Florentinus Pontifex deſignatus eſt: aderat & Franciſcus Vrbinas vrbis præfectus. Ipſe vectus equo, quo in Rauennate pugna vſus erat, incedebat: ſequebantur purpurati Cardinales ſacras aureas, ac pictas induti veſtes, equis quoque militaribus vecti. Nec ſibi defuerunt Pontifices vel qui ad concilium Lateranenſe conuenerant, vel qui ex tota Italia acerſiti erant; & ne quid triumpho deeſſet effuſa paſſim aurea, argenteáque moneta eſt: ad quem ſpectandum non ſolum Romani, viri, ſenes, pueri, matronæ, puellæ omnis ordinis, ſed & ex vicinis quoque vrbibus confluxerant: nonnulli etiam ex remotis.

Ad Italiæ tranquillitatem nihil, aut parum conferre nouus Pontifex videbatur: quanquam bello tolerando minùs aptus erat, pacis potius (vt veriſimile erat) author futurus. 14 Sed tamen omnia ad bellum inclinabant; Cæſar in priſtina ſententia manebat, nec Veronam reſtituere Venetis decreuerat,vrgentique Ioanni Baptiſtæ Spinello eum Venetum potius, quam Hiſpanum legatum eſſe reſponderat. Idem fœdus Mediolanenſe inter Heluetios, Ducémque nihilipendebat: verum apertiorem induciæ inter Gallum Hiſpanúmque nuper initæ ſuſpicionem mouebant, quæ magnam ad repetendum Mediolanenſem Ducatum occaſionem præbebant. Exhauſti tam longo bello Mediolanenſes vnde promiſſam Heluetiis pecuniam exoluerent, non habebant; ſine qua nequicquam illorum opem implorarent. Cæſar præterquamquod à Venetis abalienatus erat, nondum, qui noui Pontificis ſenſus foret, intelligebat. Veneti cum Ludouico ſocietatem inire ſtatuerant: nouus Pontifex tametſi Gallorum imperium Alpibus terminari cupiebat, tamen iiſdem induciis commotus incertus ferebatur, præſertim quod de Placentia, Parmáque reddendis ſpem cæteri fœderati fecerunt: reipſa nihil præſtabant, & magis vt ad Ducem Mediolanenſem veterem dominum redirent,cupere præ ſe ferebant. Ferdinandus autem de omnibus penè fœderatis querebatur, & has querimonias quaſi recentium induciarum cauſas proponebat:reuera regnum Nauarricum nuper dolo contra ius omne partum conſeruare cupiebat: à quo eadem,qua pepererat,facilitate amittendo parum abfuiſſet: regni enim Caſtulonenſis à morte Iſabellæ vxoris dumtaxat adminiſtrator, ea,qua ſolebat,apud Caſtulonenſes authoritate non pollebat: nec inde pecuniam, niſi magna cum difficultate, extorquebat. Vnde propter ſera auxilia in manifeſtum regni Nauarrici amittendi diſcrimen venerat, quod iterum ſubire minime volebat. Ludouicus pecunia abundans, & huic, & Italico bello ſatisfaciebat, ille quod in Nauarricum impenderet vix habebat: qua moleſtia, periculóque, vt liberaretur, inducias priuſquam Iulij mortem reſciret, iniit. Sed initas poſt noui Pontificis creationem ſibi denuntiatam edendas, publicéque recitandas curauit, cuius inſperatæ à cæteris fœderatis defectionis cauſas permultas afferebat: Iulium, ac Venetos quadraginta in ſingulos menſes nummûm aureorum millia poſt Rauennatem pugnam Cardonio, Hiſpaniſque Mediolanenſe bellum perſequentibus haud dependiſſe cauſabatur: ſe ſolùm communem vtilitatem ſequutum nullum ex communi victoria præmium retuliſſe; nihil prorſus, quo ante eam pugnam non potiretur, etiamnum poſſidere: Iulium Placentiam, Parmam, Rhegium inuaſiſſe, & in potiunda Ferraria nimis intentum ne Mediolanenſis, Cremonenſiſque arces, ac Genuenſis Laterna in fœderatorum poteſtatem venirent, in cauſa fuiſſe: ſe vt Cæſar, Venetique ſibi inuicem reconciliarentur, omne ſtudium nauaſſe; Iulium priuatis commodis conſulentem Venetos fœdere excluſiſſe: Venetos præter eam, qua præſtare dicuntur, prudentiæ famam Vicentiam tanti feciſſe, vt à cæteris fœderatis defecerint, & ſe bello nec opinato inuoluerint, Iulio vt ipſum regno Neapolitano expelleret, conſtitutum fuiſſe; quod ille plerumque & quidem palam non obſcuris verbis teſtatus ſit: ſe tamen à Pontificis, cæterorúmque fœderatorum ſocietate non alienum eſſe, modò illi viciſſim ſtudium ſuum nauent, & pro communi propugnatione cum ipſo conſentiant: quod harum induciarum occaſione futurum non deſperet.

Ferdinandi Hiſpani à cæteris fœderatis defectio, & eius cauſa.

Induciis Cæſarem, Anglúmque inſeruit, quamuis cum eis haudquaquam communicaſſet, in quo ridiculum quiddam prorſus accidit: nam quum inducias tota Hiſpania ſolemnibus ceremoniis proclamari mandaſſet, illis ipſis diebus heraldus Anglus interuenit, qui ingenteis Henrici generi bellicos apparatus prolixè enarrans, vt ſimul Galliam alia ex parte aggrederetur, ex promiſſo egit: nec tamen idcirco ab induciis diſceſſum eſt; quæ plane Italos, quibus grauis, moleſtáque Gallorum potentia erat, conterruerunt. 15

Ludouicum

Digitized by Google

Ludouicum enim exercitu in Italiam miſſo bellum renouaturum pro certo habebant: Venetos ob Cæſaris pertinaciam ad Gallum defecturos prouidebant; in Leone Pontifice nulla ſpes erat, propter ærarij anguſtias. Hiſpani & propter inducias, & propter deficiens ſtipendium, quod vix à Mediolanenſibus continuis bellis exhauſtis corraſerant, nihil moliri poterant: in Heluetiis tota ſpes erat, quos niſi accepta promiſſa pecunia opem haud laturos conſtans fama erat; ſoluendo autem nec Sfortia, nec Mediolanenſes erant: vnde qui mutuam daret, haud reperiebant. Contra Ludouicus iiſdem cauſis, ſed contraria ratione commotus initis induciis exercitum in Italiam educere properabat: properantem vrgebant Mediolanenſes tot Heluetiorum Hiſpanorúmque rapinis vexati, & Gallorum dominationem longè mitiorem, humaniorémque experti, Regem crebris legationibus ad bellum ſuſcipiendum inuitabant, ac cum primùm Alpeis Galli ſuperaſſent, ſe protinus arma ſumpturos promittebant. Vrgebant & Mediolanenſis Cremonenſiſque arces, ac Genuenſis Laterna commeatus inopia deditionem in paucos menſes facturæ: ad quam Gallica nauis vento ſecundo delata Genuenſi claſſe penetrata paulò ante appulerat, & iam præſidiariis militibus commeatum exponebat: quum Andreas Auria rebus poſtea maritimis clarus ingenti naue, cui præerat, inter Laternam, nauémque Gallicam interiectus rudentes, vel quos in arcem Galli iecerant, vel quibus anchoras retinebant, diſcidit, ac fortiter pugnans naue hoſtili potitus eſt. Properandi & alia occaſio erat, Anglum quippe Ludouicus anteuertere cupiebat: qui, quod longa in pace vixiſſet, ad muniendum exercitum armis, equis militaribus, bellicis tormentis plurimis indigebat, & quod eius peditatus, quo fere ſolo Angli vtuntur, eadem de cauſa militiæ aſſuetus non erat, permultas Germanorum cohortes arceſſere cogebatur, quæ intra paucos menſes confici haud poterant. Itaque antequam Anglicum bellum initium cepiſſet, Mediolanenſe Ludouicus affectum, profligatúmque ſperabat. Igitur multos cataphractos equites in Delphinatum, Burgundiámque miſit, & de reconciliatione cum Venetis diligentius pertractauit: quibus Cremonenſem Abduanúmque agrum pertinaciter repetentibus aſſentiri noluerat, hactenúſque ſuſpenſus tenebatur.

Ludouicus ad bellũ Italicum reſumendum accenditur.

16 Et in Veneto Senatu non mediocris controuerſia erat aliis ad Cæſarem, aliis ad Gallum inclinantibus: tandem tamen quum nihil cum Cæſare Verona excluſi ſibi tutum certúmque exiſtimarent, Cremona Abduanáque Glarea omiſſis Andrea Gritto, qui iam non captiui, ſed legati vicem obibat, interprete huiuſmodi fœdus inierunt: nempe vt Veneti decem peditum millia, octingentos grauis, mille quingentos leuis armaturæ equites, pro Genua, Aſta, Mediolanenſíque principatu recuperando mitterent: Ludouicus viciſſim mille quingentos cataphractos, octingentos leuis armaturæ equites, octo Germanorum, ſeptem Gallorum peditum millia in armis haberet, opémque ferret, donec quicquid ante Cameracenſe fœdus in Gallia Tranſalpina, Tauriſanóque agro (quam illi Tranſpadanam Italiam vocant) Veneti poſſediſſent, in ſuam poteſtatem redegiſſent, Cremonam autem ante Cameracenſe fœdus Veneti haud poſſidebant, idcirco in hoc fœdere comprehenſa non fuit: tametſi ita Iouius fœderis ignarus prodidit. Præmiſſi Ioannes Iacobus Triuultius, ac Bartholomæus Liuianus è cuſtodia nuper emiſſus Suſam paucis poſt diebus appulerunt: iſte vt tutis itineribus Venetias peteret, ille vt Gallorum exercitum, cui cum ſummo imperio Ludouicus Trimullius præerat, Alpeis variis itineribus ſuperantem cogeret. Agebat & cum Leone Pontifice Ludouicus, ne ſe hæreditarium principatum repetentem impediret, ſe vltra haud progreſſurum & pacem eius arbitrio initurum pollicitus: ille fratris opera vtebatur, & Cinthium Tiburtinum familiarem cum litteris humaniſſimis, mandatiſque ad Ludouicum miſerat, ſed quæ nihil priuatim, in genere omnia promitterent: vt re vera à Gallis alieniſſimus eſſe deprehenderetur. Etenim vt Proſper Columna ſummam in Mediolanenſi principatu belli adminiſtrationem obiret, aſſenſus erat: quod ſemper Iulius Columnarum odio aſſentiri recuſarat, & Anglo ſe à Cæſaris, Hiſpani, Ferdinandi, eiúſque ſocietate diſcedere nolle ſignificarat; & Heluetios ad Italiæ, præſertim verò ad Pontificiarum ditionum propugnationem hortatus, quo nomine viginti quotannis nummûm aureorum millia (ſic enim cum iiſdem Iulius conuenerat) accipere debebant, ſe Iulianum fœdus continuaturum promiſerat: idcirco necdum cum Ferrarienſi in gratiam redierat, nec Rhegium Lepidum reſtituerat, donec Romam Cardinalis Ateſtinus eius frater reuerſus eſt, qui partim vt Iulij iram declinaret, partim ne Ludouico eundem ad Piſanum concilium vocanti apertè negare cogeretur, ad Pontificatum ſuum Agrienſem in Hungariam receſſerat, & clam Venetis vt cum Cæſare conuenirent, Leo ſuaſerat: quod à Ludouici rationibus alienum erat, & eundem quaſi Pontificis officio

Fœdus inter Ludouicum Regẽ, ac Venetos.

 functus,

Leonis Pont. Maximi de conſtituenda pace toto Chriſtianiſmo diploma editum.

functus, ac pacem toto Chriſtianiſmo conſtituere velle ſimulans diplomate, quod Breue illi vocant, monuerat, vt bellum æquis conditionibus finiret potius, quàm Italiam deintegro perturbaret. Quod Rex in bonam partem interpretatus fuiſſet, niſi idem Anglum ad bellum Galliæ inferendum incitaſſet: Gallos nimirum in Italia dominari Leo nolebat, vel quod inde Romani Pontificatus maieſtatem imminui putabat, vel quod recenteis familiæ calamitates recordabatur, ſe ac fratres aduentu Caroli Octaui patria expulſos. Succeſſorem Ludouicum popularem Reip. ſtatum ſemper Florentiæ continuare voluiſſe, Mediceis aduerſum fuiſſe, ac ſi quando in illos propendiſſe viſus eſt, non tam reipſa propendiſſe quàm eam animi ſignificationem, vt Florentinos ad ſuas rationes accommodaret, oſtentaſſe.

Vetera quidem extabant Gallorum Regum erga Laurentium Leonis patrem, auumque Coſmum beneficia, quæ illis magno emolumento fuiſſent, ſed veterem memoriam 17
recens facilè abolebat: adde indignationem quod Rauennate pugna captus, & in Galliam duci iuſſus eſſet. Sed quod animo agitabat, egregiè ſimulabat, & nihilominus quicquid aduerſus Ludouicum proponebatur, exaudiebat. Heluetij vetere in Gallos odio, & conſeruandi Mediolanenſis Ducatus ſtudio prouocati maiorem ſuorum quam vnquam antea numerum, modo ſtipendium penderetur, offerebant; quod à Leone dumtaxat, à nemine præterea ſperabatur. Cardonij non vna mens erat, ſed ita obſcura, ac varia, vt vtram in partem inclinaret, incertum relinqueret: nunc enim Leoni aduerſus Gallos ſe Hiſpanos educturum pollicebatur, modò ille copias ſuas coniungeret, & trimeſtre ſtipendium numeraret, & vt magis fidem faceret, Parma, Rhegióque milites arceſſebat, atque ad Trebiam fluuium conſederat; tametſi nondum Derthonæ, Alexandriæque præſidia reuocarat: nunc mandatum à Ferdinando inducias cum Gallo factas ſignificante, vt Hiſpanos in regnum Neapolitanum reduceret, ſe accepiſſe dicebat: Hieronymus Vicus apud Leonem Ferdinandi legatus quanquam paulò aliter loquebatur, tamen eadem prope confirmabat. Et ſi Leo Mediolanenſis Ducatus cauſam ſuſciperet, Ferdinandum aduerſus Gallos arma ſumpturum promittebat: nec obeſſe inducias, quibus Romanum Pontificem ſemper Ferdinandus excepiſſet, aduerſus quem arma ferre omnino recuſaſſet: ita ſubdolis verborum ambagibus inducias eludere, & Leonem ad Mediolanenſium propugnationem pertrahere tentabat: nam Romani Pontificatus ditiones exceptas Ludouicus interpretabatur, non ſi quas ſibi haud obnoxias tuendas Leo ſponte ſuſcepiſſet. Quapropter ſi cæteri recentibus induciis adducti à cauſa Mediolanenſium abalienarentur, neque ſtatim in bellum incumberent, Ferdinandum Cardonio, vt Hiſpanos in regnum Neapolitanum reduceret, neque Ludouicum nouis iniuriis laceſſeret, mandaſſe vulgo fama fuit. Hinc & ſe à pace non alienum oſtendebat, & Cæſarem, Anglúmque generum ad eandem ſe inducturum promittebat.

Ferdinãdus quibus modis Leonem ad Mediolanenſium propugnationẽ pertrahere conatur.

Cardonius igitur reuocatis, quæ Derthonæ, Alexandriæque ſub Piſcario militabant, 18
præſidiis redire in regnum Neapolitanum decreuit, idque, quemadmodum fertur, vt maiorem apud Ludouicum Regem gratiam iniret, Triuultio ſignificauit: nec tamen repente abiit: ſed diu ſuſpenſus dubitauit. Quin potius aliud in animo habere præ ſe tulit: nam quum Heluetij quinque ſuorum millia ad tuendum Mediolanenſem Ducatum publico decreto deſtinaſſent, eáque iam in itinere eſſent, vel quod inducias Cæſari nullo modo acceptas intelligeret, vel quod nouum à Ferdinando mandatum accepiſſet, vt ſe ad Leonis Pontificis ſenſus accommodaret, à Proſpero Columna petiit, vt cum Heluetiis ageret, quo loco ipſi, Hiſpanique aduerſus Gallos conuenirent, ſéque certiorem redderet. Sed vbi Heluetij in Derthonenſem agrum deſcenderunt, quò Hiſpanos quoque acceſſuros Proſper ſignificarat, neſcioquibus excuſationibus interiectis, vt ad Trebiam iungerentur, procurauit. Illi alieno poſtulato indignati ſi Hiſpani fugerent, aut cum Gallis congredi metuerent, ſe ſuſque deque ferre, Heluetios huiuſmodi ſociis non multum egere, ſe ad tuendum Mediolanenſem Ducatum ſatis eſſe reſponderunt. Iam plerique ex Inſubribus ſe ad rebellandum comparabant, & Comes Muſocius Ioannis Iacobi Triuultij filius Aſtam primum, deinde Alexandriam in ſuam poteſtatem redegerat, & Galli Suſa profecti gradum accelerabant. Sfortia, qui tardius, vt Alexandriam ingrederetur, acceſſerat, Heluetiis ad Derthonam ſe adiunxit, atque ibidem Hiſpanos in regnum Neapolitanum redire certior factus eſt, vnde cum Heluetiis Nouariam contendit. Mediolanenſes Cardonij Hiſpanorúmque diſceſſu cognito Nouariam ad Sfortiam miſerunt, & quum nulla aut certè non iuſta auxilia præſto eſſent, ſe, ſi cum Gallis conuenirent, ne vrbs diriperetur, excuſarunt. Ille bonam in partem legationem accepit, & rebus

Heluetij Proſperi Columnæ poſtulato indignati.

ſuis

ſuis diffidens Mediolanenſium poſtulatum facilè admiſit. Sacromorus Vicecomes, qui arcem Mediolanenſem circumſedere debebat, fortunam ſequutus à Gallis ſtetit, & in eandem commeatum immiſit.

19 Cardonius itaque quaſi deſperata re Mediolanenſi, vt ſuos in tuto collocaret, cum toto exercitu, in quo mille ducenti cataphracti equites, octo peditum millia inerant, Trebia relicto Romam verſus caſtra mouit: ſed illo ipſo die inter Placentiam, ac Florentiolam litteris Roma acceptis ad priora caſtra rediit. Mutati conſilij cauſa fuit, quod Leo Pontifex, cui paucis ante diebus Placentia ac Parma redditæ fuerant, Hieronymo Morono Sfortiæ legato clam traditis in Heluetiorum ſtipendium duobus & quadraginta nummûm aureorum millibus, an Mediolanenſis Ducatus Sfortiæ conſeruari poſſet, experiri decreuerat. conditionem addiderat, vt ſi eam pecuniam à ſe numeratam palam eſſet, viginti in penſionem Heluetiorum annuam, duo & viginti millia in ſtipendium, quod tres pagi à Iulio repetebant, necdum accipere potuerant, depenſa profiteretur. Cardonio ad Trebiam reuerſo Mediolanenſes repentinæ ſuæ legationis pœnituit, & noua ad Sfortiam miſſa ſe, cum primùm Heluetiis Hiſpani iungerentur, in eius futuros poteſtate confirmarunt: quos, vt in ea ſpe contineret Cardonius, quicum Proſper Columna erat, pontem vt Padum traiiceret, inſtruebat, ſe in dies traiecturum pollicebatur, neque id tamen re præſtabat: namque vt exercitum conſeruaret, prouidebat; & numquid ex animi ſententia ſuccederet, tempus obſeruabat. Si enim traieciſſet, Gallos à fronte, à tergo Venetos habuiſſet, quod diſcrimen ſubire à militari diſciplina alienum eſſe ducebat. Et Veneti Cremona recepta non longè ab Hiſpanis aberant, & Pado iam pontem impoſuerant. Liuianus enim Suſa Venetias profectus vbi Vailani, ſiue Abduani prælij culpam in Petilianum nemine ſeſe opponente reieciſſet, magnificè de hoc bello diſſeruit, & Veneti exercitus dux, quibus ante conditionibus Petilianus, eodem, quo quadriennio ante captus fuerat, die creatus eſt: ita inter proſperas, aduerſáſque res mortales fortuna verſat, & humana conſilia futurorum ignara deludit. Dux creatus Liuianus ad Fanum Bonifacij Veronenſis agri oppidum, vbi exercitus cogebatur, vnà cum Theodoro Triuultio Ludouici Regis legato ſtatim aduolauit; & Veronæ portis eodem, quo Galli Suſa profecti erant, die appropinquauit, quod nonnulli ex Veronenſibus eundem in vrbem admittere conſpiraſſent: ſed quingentis Germanis peditibus Veronam poſtridie fluuio intromiſſis conſpiratione patefacta, vel, vt Hiſpanos tranſitu prohiberet, vel vt occaſione data ſeſe Gallis adiungeret, ad Padum properauit. Nec ſui itineris Senatui prius rationem reddidit, quam Verona vnis caſtris abeſſet: quamuis enim omni ratione contendendum ſuaderet, vt Ludouicus Mediolanenſis Ducatus compos eſſet, victórque fuſis aut cedentibus hoſtibus permaneret, alioqui quæ aliis in locis bello quærerentur in victoris tandem poteſtatem ceſſura palam foret, tamen ne Senatus non tam Veronæ, Brixiæque potiundæ ſtudio, quàm quod alij plerique viri militares in alia ſententia erant, aliud decerneret, timebat. multi enim Mincium haud traiiciendum prius, quam Galli inſigne operæpretium feciſſent, exiſtimabant: quibus ſi fortuna aduerſa ſeſe opponeret, difficilis Venetis copiis per Mantuanum, Veronenſémque hoſtiles agros receptus foret: audaces conatus fortuna iuuit.

Leo Pōtifex Max. Mediolanenſis ducatus Sfortiæ conſeruandi cupidus.

Abduani prælij culpa in quem reiecta.

20 Illi Vallegium ac Piſcheria ſeſe dediderunt: vnde & perterrefactus arcis præfectus ſibi pecuniam aliquantam, præſidiariiſque Germanis pactus abceſſit: montani quoque magno numero Brixiam ingreſſi vrbem in Venetorum poteſtatem redegerunt. Brixiani legati, Liuianum Gambaræ conuenerunt vt deductis Brixiani copiis arce potiretur: ille ne diem quidem vnum intermittendum ratus inſtitutū iter perſequutus eſt, quamuis Venetus magiſtratus, cui belli cura mandata erat, (Prouiſorem illi vocant) idipſum quod Brixiani legati poſceret: tanto impetu in rem ſemel ſuſceptam ferebatur. Vbi commemorata iam celeritate Cremonam appulit, Galeatium Pallauicinum à Cremonenſibus, quod à Ludouico Rege ſtaret, arceſſitum vrbem ingredientem offendit, hominémque cum ſuis ſpoliauit, vt ſolus captæ vrbis laude frueretur, & Cæſarem Feramuſcam cum trecentis equitibus ac quingentis peditibus eidem vrbi à Sfortia præſidio impoſitum, ac præſidiarios milites armis pariter omnibuſque impedimentis exuit. Arx ſemper in Gallorum fide permanſerat: ad quam Rentius Ceres paulò ante commeatum importarat, atque inter redeundum Cremam, cui præfectus erat, ducentos Alexandri Sfortiæ equites ad Serezanam fuderat. Inde ad Cauam, vbi Pado impoſitus pons erat, caſtra metatus Liuianus milites in Pontificias ditiones excurrere permittens Pigitonem adiit: iam enim Soncinum, Laus pompeia, cæteræque Cremonæ vicinæ vrbes, arceſque

Cremona Liuiani virtute capta.

Gallica vexilla erexerant. Sed antequam Cremona migraret, Rentium Ceritem, vt arce potiretur, vrbémque in Venetorum fide confirmaret cum aliquot cohortibus Brixiam miſerat: iam enim Rocandulfus Germanorum præfectus, ac Federicus Boſſolus cum ſexcentis equitibus bis mille Germanis peditibus Verona egreſſi Fanum Bonifacij, vbi Sigiſmundum Caballum, ac Ioannem Fortinum cum trecentis leuis armaturæ equitibus, ſexcentis peditibus Liuianus præſidio reliquerat, petierant: & quod præſidiariorum bona pars ſine vlla militari diſciplina paſſim per agros diſſipata aduentúque hoſtium perterrita Colorgnium fugeret, fugienteis perſequuti Germani ipſos vrbémque ceperunt, & direptam incenderunt. Suauium quoque, & pontem Atheſi à Venetis impoſitum perruperunt, eodem metu niſi montanorum ingens numerus vrbem ingreſſus fuiſſet, Vicentia quoque potituri.

Fanum Bonifacij captum, & incenſum.

Hoc ipſo tempore claſſis Gallica, quæ nouem triremibus, & aliis aliquot nauigiis conſtabat, Preianæ præfecto Genuam opportuna occaſione miſſa eſt: Hieronymum Ioannis Ludouici Fliſci filium è palatio publico egredientem Ludouicus ac Fregoſinus Iani Fregoſij Ducis fratres paulò ante occiderant: Othobonus, ac Smibaldus Hieronymi fratres vel ſibi timentes, vel vltionis cupidi in quaſdam ſuas arces ſeceſſerant, ac cum Ludouico Rege, atque Adurniis de duce exturbando conuenerant. Hi de claſſis aduentu certiores facti cum quatuor peditum millibus Genuæ appropinquarunt. Dux opem à Cardonio, ſed tardius implorarat, ac mille pedites, vt vicinos monteis occuparent, præmiſerat: quibus ab hoſtibus numero ſuperioribus fuſis Dux cum Fregoſino fratre (nam Ludouicum alterum fratrem Caſtelleto præfecerat) vix conſcenſa naue elapſus eſt, Fliſci cum Adurniis Genua potiti Zachariam tertium Ducis fratrem, qui & ipſe cum duobus fratribus Hieronymi cædi interfuerat, cædendum, ac caudæ equinæ alligatum tota vrbe trahendum, circumducendúmque curarunt: Genuam Ludouici Regis nomine Antonellus Adurnius adminiſtrauit. Claſſis autem Laternam & recenti milite, & largo commeatu recreauit, ac direpta Spetia ad portum Veneris conſedit: ita Como, Nouariáque exceptis (ſiquidem hæ duæ vrbes Maximiliani Sfortiæ præſidiis tenebantur) quicquid anno ſuperiore amiſerat paucis menſibus Ludouicus recepit. Sed fortuna quæ raro eodem in ſtatu permanet, & magnas victorias parua ſæpe occaſione corrumpit, felicibus initiis haud pares belli exitus reſeruabat: nam quum interim Nouariam quo ſe Sfortia cum quinque Heluetiorum millibus, atque aliquot Italorum equitum alis, peditúmque cohortibus receperat, Ludouicus Trimullius ſummus Gallici exercitus imperator circumſediſſet, muróſque tormentis ita verberaſſet, vt iuſta ruina deſediſſe viderentur, tamen & quod perdifficilis in vrbem è ruinis deſcenſus erat, & noua Heluetiorum auxilia obſeſſi expectabant, oppugnationem inſtituendam non putauit: nam bona Gallici exercitus pars nondum Alpeis ſuperarat: venientibus Heluetiis potius obuiam ire, & tormentis bellicis carenteis, ac de via feſſos, ſi ita res ferret, aggredi inſtituit. In exercitu treis centenarias cataphractorum equitum alas, ſuam, Caroli Boiorum reguli, Roberti Marchiani, quatuor quinquagenarias, Ioannis Stuardi Albaniæ reguli, Andreani, Buxij Burgundi, Monferratenſis Marchionis, ſex Germanorum peditum millia; quibus Florengius, ac Iameſius Roberti Marchiani filij, Vaſconum quatuor, quibus præerat Ludouicus Beomontius, habebat. Itaque Trecatum ſecedere, & Heluetios appropinquantes antequam Nouarienſibus iungerentur, inuadere Altoſaxo adhuc ad Ticini tranſitum hærente, aut, ſi id minùs ſuccederet, illíque alia via elaberentur, ſaltem reliquum, qui à Gallia ſequebatur, exercitum expectare decreuit: duæ enim in conſilio hæ dictæ ſententiæ erant. In priore de hoſtibus aggrediundis Trimullius, ac Robertus Marchianus, in poſteriore de prælio non faciendo Triuultius fuit: quæ vt ſuperior euaderet Trecatum vitaſſe, ad Riottam contra Trimullij mandatum ex induſtria conſediſſe viſus eſt: natura enim inſolentiſſimus (vt Itali ſcriptores vno ore produnt) in ſua contumacia pertinax errare quàm bonis conſiliis cedere maluit. Tauannius autem cum ſex Menapiorum, Sicambrorúmque millibus, quos Dux Geldubenſis miſerat, iam ad Ambroſij Fanum peruenerat, & ipſe Albaniæ regulus cum aliquot equitum alis, Gallorúmque peditum cohortibus ſubſequebatur.

Genua in Galli poteſtatem redit.

Tormenta igitur cum peditatu Trimullius præire, Trecatum petere, ac Triuultium 22
Mareſchallum hominem indigenam, & totius regionis peritum caſtris locum capere iuſſit: ipſe cum maiore equitatus parte ad Nouariam aliquot horas remanſit, vt ſi Heluetij vrbe egreſſi abeunteis perſequerentur, illorum primos impetus ſuſtineret. At Triuultius vt villis ſuis parceret, quas ad Trecatum habebat, aut vt ſenten-

Triuultij Trecatum petere renuentis peruicacia Gallis pernicioſiſſima.

tiam ſuam reipſa confirmaret, ad Riottam intermedium inter Trecatum Nouariámque vicum loco foſſis, paludibus, & Moræ fluuij anfractibus perincommodo, præſertim equiti, caſtra fecit. Moram autem à Seſithe, vt is ager fertilior redderetur, indito ſuo cognomine Ludouicus Sfortia deriuarat: illuc quum appuliſſet Trimullius, loci incommoditate perſpecta de Triuultio iure queſtus, Trecatum vſque progredi voluit, quod longius Nouaria abeſſe, & venienteis Heluetios ad Trecatum aggredi ſtatuiſſet. Sed iam equi tormentis conuehendis attributi vt commodius pabularentur paululum è caſtris receſſerant, & bona exercitus pars ſibi locū ceperat; quod reliquum diei erat, ad id conficiendum iter haud ſatis eſſe poterat: quapropter malo ſuo, Gallorúmque fato alienæ culpæ pœnas luiturus ibi conſedit, atque pernoctauit, & in diſcrimen quod omnino vitandum ſuaſerat, hoc eſt, in prælium incidit: ac quod poſtridie prima luce inde profecturus erat, & Heluetios Nouaria egreſſuros nemo ſuſpicabatur, neque vallum ligneum imitatione eius, quod Philippus Crepecordius Ludouico XI. rerum potiente ad pontem Arquatum non longè à Lutetia extruxerat, à Roberto Marchiano ædificatum, illúcque ingentibus impenſis comportatum explicatum eſt, quod ad repellendum inſanum Heluetiorum impetum multum profuiſſet. Verum natura loci foſſis, fluuio ſinuoſo (vt dixi) paludibúſque inæqualis, & abrupti, vbi equi paſſim ſupra genu luto inuoluebantur, repugnabat. Denique ita caſtra locata erant, vt eques pediti niſi laxatis inter foſſas, Moræ ſinus, paludéſque ordinibus ſubuenire nullo modo poſſet: at eadem nocte quinque Heluetiorum millia, quæ per Trecatum tranſierant, & ſi illuc Galli, vt conſtitutum erat, illo die appuliſſent, facilè deleri poterant, Nouariam prima vigilia inierunt; qui de hoſtium paucitate, locique natura, vbi equitatus metuendus non erat, ab Italis, qui cum Sfortia erant, certiores facti Gallos eadem nocte aggrediundos ſuſceperunt. Huius ſtrenuæ deliberationis alij Crazium Tigurini pagi magiſtrum, alij Iacobum Motinum Torſanenſem authorem fuiſſe tradunt.

Pugna Nouariana.

23 Tertia igitur vigilia octauo Id. Iunij non multo cibo, breuíque ſomno recreati, ac Nouaria egreſſi aſſumptis octo tormentis campeſtribus ad Riottam duobus milliaribus Nouaria diſtantem contenderunt. Decem Heluetiorum millia fuiſſe traduntur, quanquam Iouius Gallis ſemper iniquus nouem dumtaxat, ſed falsò, numerat, quos Sfortiani equites comitabantur. Gallorum caſtra nulla ex parte munita erant, quod illi nihil tale ſperarent; tamen de hoſtium aduentu per ſpeculatores admoniti ad arma concurrerunt: quanquam magnam trepidationem denſæ tenebræ, réſque nec opinata afferebant, & bonam noctis partem equites in armis fuerant. Paulo poſt cœptam tertiam vigiliam ſe quieti dederant; breui nihilominus tam equites, quam pedites in ordines redacti ſe ad hoſteis excipiendos compararunt. Heluetiorum ſeptem millia Germanis, qui ad tormenta ſtabant, qua parte Trecatum caſtra ſpectabant, appropinquarunt: tria reliqua equitibus, ne peditibus opem ferrent, ſeſe obiecerunt: longum enim inter vtroſque interuallum erat, & foſſis (vt dixi) paludibúſque impeditum: appropinquanteis tormenta initio plurimum infeſtarunt, quod non tam oculis, quam auribus, morientiúmque clangoribus, atque vlulatu percipiebatur. Quum ad manus ventum eſſet, Heluetij Germanos, quibus Galli pedites iuncti erant, horrendo impetu inuadentes non minore excepti ſunt: quanquam locus ad pugnam ineundam Germanis iniquus erat. Ibi duas circiter horas nunc his, nunc illis vincentibus, magna vtrimque contentione certatum: nec tam gloriæ cupiditas, quam innatum inter nationes odium efferatos animos ſtimulabat: multis vtrimque cadentibus tandem Heluetij ſuperiores euaſerunt, & maiorem Germanorum, Vaſconúmque partem ceciderunt: equites foſſis, fluuio, paludibus, intricati haud peditibus auxilio eſſe potuerunt: ſolus Robertus Marchianus liberos ſuos inter cæſos iacenteis audiens, aut quodammodo aſpiciens paterno amore, & quadam deſperatione loci naturam ſuperauit, & cum ſua centenaria ala tanto impetu in Heluetios irrupit, vt ordinibus perruptis ad liberos ſuos peruenerit: quorum altero in ſuum, altero in comitis equum ſublato frendentibus ſimul, admirantibúſque Heluetiis multis illatis acceptiſque vulneribus ad cæteros equites euaſit, & diligenti medicorum opera vſus liberos in priſtinam valetudinem reſtituendos curauit.

24 Hic Iouij impudentiam audire operæpretium eſt, qui Triuultium Gallis equitibus ignauiam exprobrantem inducit: quos ille inter foſſas, paludéſque hoſtibus quaſi vinctos obiecerat: ne ſeparatos, & nondum ſimul iunctos Heluetios Galli ad Trecatum inuaderent, prohibuerat, & Mediolanenſem principatum inſolentia ſua primum, ac nimia in Guelfos ſuos indulgentia, deinde hic auaritia quadam, & villarum ſuarum diripiendarum

metu, aut certè imprudentia ſimul, ac vanitate ſummo Imperatori non obſequutus amiſerat: maior Germanorum Gallorúmque peditum vel in conflictu vel in fuga pars cæſa, perpauci ex equitibus deſiderati ſunt: ex Heluetiis mille quingentos cecidiſſe tradunt, totidem aut paulò plures vulneratos: tormenta viginti duo, equique illis attributi, atque impedimenta fere omnia in victorum poteſtatem venerunt, qui Germanorum, Gallorúmque cædem ad decem millia auxerunt. Gallici exercitus numerum ignoraſſe conuincuntur, quem nos vt à viris fide dignis, qui ipſi pugnæ interfuerunt, inter quos & Petrus Belcarius Peguilio pater meus fuit, accepimus, ita bona fide expreſſimus. Hanc Mediolanenſem expeditionem Carolo Borbonio Boiorum regulo primùm Rex Ludouicus obtulit: ille exercitum haud ſatis firmum eſſe prædicens maiores vires poſtulauit, quæ quum in promptu non eſſent, ſuſcipere recuſauit: idcirco belli exitu comprobante, tametſi adoleſcens adhuc, plus quam Trimullius dux veteranus præuidiſſe iudicatus eſt. Trimullius graui vulnere in ſuram accepto peditatus robur amiſſum animaduertens, Vercellas, deinde Suſam petiit, in Galliam rediturus. Heluetij quamuis victoria potiti, tamen ne prædæ intentos Gallicus equitatus reuerſus opprimeret, diu in armis ſteterunt, neque ſtatim ad prædam accurrerunt: mox vbi nulli hoſtes comparuerunt; quos Trecatum tranſmiſiſſe Sfortiani equites renunciarunt, præda omni, tormentíſque ſublatis victores Nouariam redierunt.

Germanorum, Gallorúmque cædes ad 10. millia aucta.

Poſt eam victoriam Mediolanum, cæteræque vrbes, quæ ad Gallos defecerant, delicti 25
veniam petentes legationes ad Sfortiam miſerunt: omnes ingenti pecunia mulctatæ, Mediolanum ducentis nummûm aureorum millibus, cæteræ vt cuiuſque facultas fuit: omnis autem ea pecunia Heluetiis condonata eſt, vt bellicam gloriam quæſtu honeſtiſſimo cumularent: quo tamen gens auara haud contenta fuit. Monferratenſem, Subalpinúmque agrum (quem vulgo Pedemontanum vocant) cauſam ſuis rapinis ſpecioſam prætendentes, quòd hi populi ad Gallos propendere dicebantur, aut diripuerunt, aut indicta pecunia exinanierunt; à cæde tamen, cæteríſque iniuriis, quas victores inferre ſolent, prorſus abſtinebant: Nouarianæ cladis nuntium interim dum Claudij Lotharingi Guiſæ reguli atque Antoniæ Borboniæ Caroli Vindocinenſis reguli ſororis nuptias celebraret, Ludouicus accepit; vt fortuna lætis triſtia fere miſcere conſueuit. Nec Hiſpani quamuis initio ſeſe quodam metu ſubduxiſſent, quæſtuoſæ victoriæ fructu penitus caruerunt, Heluetiis quod alienæ victoriæ præmia ſibi vendicarent, indignantibus. Ianus enim qui nuper Genuæ dux erat, Octauianúſque Fregoſij ad Cardonium confugerunt; alter, vt in priſtinum gradum reſtitueretur, alter vt in eius locum ſuccederet. Octauianum Leonis Pontificis, Iulianíque fratris amicitia nitentem, & quinquaginta nummûm aureorum millia, cum primum Genua potitus eſſet, pollicitum Cardonius prætulit eidémque tria Hiſpanorum peditum millia Piſcario duce attribuit: ipſe mox, ſi res ita ferret, ſequuturus. Adurnij fratres qui vnum dumtaxat & viginti dies principem locum tenuiſſent, Gallorum auxiliis deſtituti, & ſe haud reſiſtere poſſe prouidentes concionem aduocarunt; & patriæ charitatem ſibi ambitioſa dominatione potiorem proteſtati ſponte vrbe ceſſerunt: quos abeunteis bona Senatus populíque pars, vt bonos viros, & patriæ amanteis piis votis, lachrymíſque proſequuta eſt. Sic nemine intercedente Octauianus Genuæ dux ſalutatus eſt.

Octauianus Genuæ dux ſalutatur.

Liuianus, vbi famam eiuſdem victoriæ accepit, ne ab Hiſpanis interciperetur, eadem, 26
qua acceſſerat, celeritate ad Pontemuicum ſe recepit: atque inter accelerandum tormenta aliquot, quæ difficilius trahebantur, reliquit. Brixiæ nullum præſidium, ne exiguum exercitum imminueret, impoſuit: Rentium Ceritem Cremæ præfecit; ſexcentos autem dumtaxat grauis, leuis armaturæ equites mille, peditum quinque millia ducebat: cum his ad Tombas Vicentini agri non procul ab Atheſi caſtra metatus, largum commeatum ex Veronenſi agro Patauium, Tauriſúmque importandum curauit. Ioannem Paulum Baleonum interim cum ſexaginta cataphractis equitibus mille ducentis peditibus tormentis additis Lemniacum miſit; qui in vrbem nullo præſidio defenſam intromiſſus arcem centum quinquaginta Germanis, Hiſpaníſque peditibus defendentibus, qua vrbis aream reſpicit, tormentis verberauit, atque oppugnationem inſtituit. Inter oppugnandum iniecti à Venetis ignes obſeſſorum puluerem tormentarium accenderunt, arcíſque partem ſuccenderunt: quo in tumultu Veneti partim ruina, qua muri deſederant, partim ſcalis in arcem euaſerunt, & præſidiariis vel cæſis, vel captis, inter quos Villiada Hiſpanus præfectus fuit, arce potiti ſunt. Huc delatus Liuianus ponte extructo, Atheſíque impoſito Veronenſibus arceſſentibus, & aduerſus Germanos rebellare pollicentibus

ad Fanum

ad Fanum Ioannis quarto à Verona milliari caſtra fecit. Poſtridie mane Veronam progreſſus tormenta ad portam, quæ Maximi dicitur, collocauit, portæque turrim, ac murum contiguum vehementi impetu quatefecit. Turris in vrbem relapſa portæ valli vice fuit: muro in quadraginta vlnas aperto oppugnationem indixit, numquis interim in vrbe tumultus suboriretur, expectans: ſed deſcenſus in vrbem muro intus admodum alto perdifficilis erat, & Rocandulphus dux celebris cum tribus Germanorum millibus, ac trecentis cataphractis equitibus deſcenſuros excepturus in armis erat: nec vllus in vrbe tumultus audiebatur. Hinc reuocatis militibus etiam tormenta ad ſe recipere Liuianus cœperat, quum ſubito à Veronenſibus (vt fertur) vel nuntio miſſo, vel ſigno dato deintegro immiſſis militibus acrius, quam antea, oppugnationem inſtaurauit, neque quicquam iiſdem difficultatibus perſeuerantibus, Veronenſibus autem nulla ex parte ſeſe commouentibus, profecit: ita amiſſis ducentis viris fortibus, atque inter eos Thoma Fabrono Rauennate peditum præfecto eodem die ad Fanum Ioannis rediit, ac Veronenſem agrum latè populatus eſt. At iam Cardonius cum Hiſpanis appropinquabat: audita enim Lemniaci expugnatione, & Veronenſium ad Venetos propenſione quum nihil præterea re Genuenſi ex animi ſententia conſtituta in quo operam ſuam præſtaret, ſupereſſet, Cæſari ſuppetias ire decreuit. Itaque tranſmiſſo Pado Bergomum, Brixiam, Piſcheriam deditione cepit: arx vi expugnata eſt. Hinc Liuianus ſuperato Atheſi Albarettum conceſſit, & vt exercitum augeret è Poleſeliana peninſula milites, ac Lemniaci præſidium accerſiuit; & quod Veneti nihil amplius in ea regione præter Tauriſum ac Patauium poſſiderent, Ioannem Paulum Baleonum, Malateſtam Soglianum, & Vulpium equitem cum ducentis grauis, trecentis leuis armaturæ equitibus bis mille peditibus Tauriſum miſit: ipſe Patauium cum reliquo exercitu ingreſſus propugnacula collapſa inſtaurauit, muros aggeribus firmauit, villas, cæteráſque domos vrbi vicinas ad tertium milliare ſolo æquauit, arbores euertit, ne hoſtes Patauio appropinquare niſi ſummo foſſorum labore poſſent: & quicquid ad longam obſidionem tolerandam excogitari poteſt, pari diligentia comparauit.

Verona à Liuiano nequidquam tentatur.

Patauium à Liuiano incredibili diligẽtia munitur.

27 Montaniani aliquamdiu Cardonius conſedit, quò porro pergeret, incertus: Patauium duntaxat, Tauriſúmque reſtabant, quarum vrbium oppugnationes perdifficiles erant: exercitus autem exiguus, nec tantis rebus ſuſcipiendis idoneus, in quo mille grauis, pauci leuis armaturæ equites, decem Hiſpanorum, Germanorúmque peditum millia recenſebantur; & Gurcenſis expectabatur, cuius arbitrio omnia adminiſtrabantur. Interim quæſtor Hiſpanus Bergomi viginti quinque ducatorum millia corraſerat vrbi, quum dederetur, indicta: illuc Rentius Ceres Crema præſidiariorum partem miſit, qui à nonnullis ciuibus intromiſſi, & pecuniam & quæſtorem interceperunt, Cremámque redierunt. Id temporis Antonellus, atque Hieronymus Adurnij Sfortiam Heluetióſque ſupplices adierunt amicitiam inter Ludouicum eius patrem, ſuúmque commemorarunt, quî Ludouicus Sfortia connitentibus Adurniis Genua potitus ſit, quam & multos annos eadem ope tranquillè poſſederit: ſimul Ludouicum Sfortiam Mediolanenſi, & Adurnios Genuenſi principatu Fregoſiis annitentibus expulſos. Huc vſque Sfortianam ſuámque fortunam fere eandem fuiſſe, vt infelicis & afflictæ comites fuerint, ſic vt florentis participes ſint, conſentaneum eſſe, quandoquidem & eadem fides, idémque erga Sfortias animus Adurniis non deſit: quod ad Gallorum Regem, à quo prius expulſi fuiſſent, Adurnij ab omnibus deſerti confugerint vitio non dandum eſſe: vnam, quæ ſupereſſe videbatur, ſpem ſequuti ſunt. Contrà quæ Baptiſta Cardinaliſque Fregoſij, quorum alter alteri in Genuenſi principatu ſucceſſit, aduerſus Ludouicum patrem deſignarint, ipſum probè meminiſſe: quàm porro Octauiano fidere Sfortia poteſt, qui ne ſuæ quidem familiæ ducem pati potuerit, & vt in alterius locum ſuccederet, malis artibus aſſequutus ſit? Heluetiis eadem, quæ Octauianus Hiſpanis dediſſet, præmia promiſerunt: quam porro indignum ſit Hiſpanos alienæ victoriæ fructum percipere, qui interim dum Heluetij fuſo multo ſuo ſanguine cum Gallis de victoria certarent, ad Trebiam quaſi in inſidiis ſediſſent, vt ſi pugna aduerſa foret, ipſi ad fugam parati eſſent: ſin proſpera, in alienam meſſem falcem mitterent. Heluetios Mediolanenſis ducatus propugnationem ſuſcepiſſe: quàm tuto id fiat, ſi Genua vrbs populoſa terra, maríque potens vicina, Mediolanenſi agro imminens Hiſpanis obnoxia ſit, ipſi viderint, quam Galli non ſolum ad Inſubres, ſed ad ipſam Italiam inuadendam, quaſi ianuam appellare ſoliti ſint.

Genua cur Italiæ ianua appellata.

28 His rationibus Sfortia pariter atque Heluetij commoti, ille ſuas cohortes, iſti quatuor millia ad iter ſe accingere iuſſerant. Sed Cardonij erga Sfortiam hominem natura timi-

dum, atque ignauum comminationes, & Leonis Pontificis Octauiano plurimùm dediti apud Heluetios authoritas, ne vltra progrederentur, effecerunt. Felix belli Mediolanenſis initium Ferdinandum Hiſpanum aliquamdiu in officio continuit; ne Leo Pontifex apertè ſe Gallo hoſtem declararet, obſtitit: ille pactis induciis ſtabat: hic Piſani Concilij reliquias prorſus abolere, Lateranenſe etiam Gallos, quemadmodum & cæteras nationes Chriſtianas ratum habere cupiebat: eò vt Ludouicum deduceret, Heluetiis pecuniam haud numeraſſe aiebat, falſis modo rumoribus id iactatum confirmabat: ſe ſummum totius Chriſtianiſmi Pontificem communem ex officio Chriſtianorum omnium parentem cum cæteros omnes, tum verò maximè Ludouicum maximum natu filium (ſic Romani Pontifices Gallorum Reges vocare ſolent) paterna amicitia proſequi: id ne exequatur, Piſano Concilio, & Gallorum à communi cæterorum Chriſtianorum conſenſu diſceſſione prohiberi: redeat ad parentem, vt is redeuntem, obedientémque filium paterno amore complectatur. Ludouicus ſe, ſuóſque Chriſtianis ſacris reſtitui optabat, idque Reginam in primis, atque omneis aulicos, totúmque adeo regnum flagitare nouerat; & niſi cœpta in religione diſſenſio tolleretur, nullum cum Leone fœdus ſibi futurum ſperabat: eam ex priuatis inter ſe, Iuliúmque ſimultatibus emanaſſe; conſentaneum eſſe, vt eiuſdem morte finiatur. Itaque Claudium Seiſellium, Maſſilienſem Pontificem, vt hiſce de rebus ageret, legatum ad Leonem miſit: cuius aduentu decretum Concilij Lateranenſis editum, quo Cardinalibus Gallis, cæteriſque Pontificibus Nouembris menſis purgandæ contumaciæ, quod vocati non acceſſiſſent, præſcriptus eſt. Eos Iulius Chriſtianis ſacris excluſerat, ac muneribus ſuis exauthorarat: illo ipſo die, atque eadem penè matutina hora ſchedula Bernardini Caruaialis, ac Federici Seuerinatis manu ſubſcripta in Lateranenſi Concilio recitata eſt, qua illi ſe non amplius Cardinales nominantes, quicquid in eo Concilio actum eſſet, approbabant, eíque ſe obituros promittebant: vnde & ſe pariter iure Cardinalatu motos profitebãtur, quemadmodum & Iulius eoſdem eodem Concilio confirmante mouerat. Iam de iis in priſtinum gradum reſtituendis actum erat, ſed Cæſaris, Ferdinandíque legatis, & Matthæo Seduno, ac Chriſtophoro Eboracenſi Cardinale intercedentibus res in aliud tempus dilata eſt. At vt Leo in mitiorem partem inclinaret, multa ſuadebant: clementia potius, quàm feruido impetu, miníſque, quibus Iulius vtebatur, Piſani Concilij memoriam abolendam putabat: Ludouicum Regem, qui pro Caruaiale, Seuerinatéque reſtituendis omni ſtudio contendebat, irritare nolebat: ipſe ac frater Iulianus Seuerinatem ſingulari amicitia complexus erat, vnde & ſchedulam publicè legi iuſſerat, & diem, formámque qua vterque inter Cardinales reciperetur, præſcripſerat.

Piſani cõciliabuli abolitionem Leo apud Ludouicum omni ope procurat.

Igitur clam, noctúque nullis Cardinalium inſignibus ornati Romam, atque adeo in 29
Vaticanum palatium intromiſſi fuerunt: poſtridie mane veſtem priuatorum ſacerdotum induti, galeróſque nigros geſtantes palam per id palatium deducti, quo multitudo hominum innumerabilis tanquam ad nouum, admirandúmque ſpectaculum accurrerat, Leonem in cœtu Cardinalium eoſdem expectantem adierunt: ſoli Sedunus, atque Anglus Cardinales intereſſe recuſarunt; quo adorato delicti veniam tum ab ipſo, tum ab vniuerſis Cardinalibus genibus adhuc terræ admotis ſupplices implorarunt: ſe iure, rite, atque ordine Cardinalatu motos à Iulio profeſſi ſunt. Leonis Pontificis creationem comprobarunt, Concilium Piſanum execrati ſunt; & tanquam à communi Chriſtianorum conſenſu alienum (ſchiſmaticum vulgo appellant) damnarunt. Quam profeſſionem palam factam, & in acta relatam ipſi ſubſcripſerunt: deinde in pedes erecti, ſéque ſubmittentes, vniuerſos, qui aderant Cardinales, amplexi ſunt: illi ſe ſuis è ſedibus haud commouerunt: poſtremò veſtitu, cæteriſque Cardinalium ornamentis aſſumptis, eodem, quo ante abdicationem ſolebant, loco ſederunt. Ita priſtinum gradum, at non ſacerdotia, quæ multò ante aliis condonata erant, receperunt. Hic Ludouico in ſpeciem Leo aliquantum ſatisfacere viſus eſt; tamen Venetos Cæſari reconciliare, & bellum in Galliam transferre conabatur: bellum Italicum diuturnum, ac varium Cæſari à pecunia ſemper imparato graue, moleſtúmque eſſe nouerat: eundem Mediolanenſis Ducatus ad Carolum nepotem transferendi ſpe excluſum maioris Burgundiæ occupandæ ardore flagrare intelligebat, à Venetis ingentem in hoc bellum pecuniam, ſi fœdus iniretur, paratam confirmabat: Venetos autem Nouariana victoria attonitos pecuniis exhauſtos, peditatu orbatos, deſperatis ſaltem in hunc annum Gallorum auxiliis tot hoſtibus vndique Galliæ imminentibus, quum Hiſpanus exercitus, cui Veronenſe præſidium ſeſe adiungere debebat, non longè abeſſet, & ſoli totum belli pondus ſuſtinere cogerentur, ad pacem inclinaturos veriſimile erat. At Senatus in priſtina conſtantia perſeuerans nullum ſe fœdus

Caruaialis, Seuerinátſque Cardinales delicti venia implorata priſtinum gradũ recipiunt.

niſi

niſi Verona, Vicentiáque reſtitutis initurum reſpondit. Interim à Leone ducentos cataphractos equites aduerſum Venetos militaturos ex fœdere Cæſar poſtulauit.

30 Id permoleſtum Leoni fuit: Venetos Cæſari conciliare, erga Ludouicum diſſimulare cupiebat: tantulis auxiliis ſe vtriſque hoſtem futurum videbat, cum tamen vehementius Cæſar inſtaret, ne à fœdere diſcederet, poſtulatos equites Troilo Sabello, Achille Torrellio, Mutio Columna ductoribus, vt Cæſarianis iungerentur, accelerare iuſſit: vnde Leonem nunquam à ſuis hoſtibus ſeiunctum iri Veneti iudicarunt. Etuero de Venetis iure queri poſſe videbatur, vel quod dum Liuianus ad Cremonam caſtra haberet, Veneti milites Placentinum agrum, Parmenſémque vexaſſent; vel quod ad ſe nouum Pontificem non ab initio de more oratores gratulaturos, obſequiúmque oblaturos, ſed poſt Nouarianam duntaxat victoriam Gallis in patriam reuerſis miſiſſent. Interim Batallam ſeptimo à Patauio milliari Cardonius proceſſit: vbi Caruaialis cum paucis obequitans à Mercurio Epirotarum præfecto, qui non ita pridem à Cæſare ad Venetos defecerat, interceptus eſt: ac tum Gurcenſis Verona ad exercitum acceſſit, & vti rerum haud experiens erat, è vili ſcriba breui ad magna honorum faſtigia euectus Cardinalis Ambaſiani quadam æmulatione, ſed non eadem prudentia, res bellicas tractare conatus, Patauium oppugnandum conſuluit: duas duntaxat Venetis vrbes ſupereſſe, id, atque Tauriſum: iſtud ad belli ſummam non admodum pertinere. Patauio capto omneis, quæ Cæſari pareant, vrbeis in tuto collocari, Venetis amiſſarum recipiendarum ſpem omnem præcidi: ſe tantum de Hiſpanorum, Germanorúmque virtute ſibi polliceri, vt de potiunda vrbe non deſperet. Cardonius ac cæteri prope omnes duces in contrariam ſententiam iuerunt. Ingenti ambitu vrbem eſſe, quam vix duo numeroſi exercitus circumſedere poſſint: ſibi vnum, cúmque ita exiguum eſſe, vt vix exercitus nomen ſibi vendicare debeat: & Germanos quidem ſtipendium expectanteis haud alacri animo oppugnationem inituros: foſſorum ſibi eam eſſe penuriam, vt promouendis tormentis haud ſatis eſſe poſſint: magna intus eſſe præſidia, florem præterea Venetæ nobilitatis tanquam pro aris ac focis depugnaturum illuc, vt quondam fecerat, accurriſſe. Cæſarem, quum nondum vrbs ita munita eſſet, cum tanto Germanorum, Gallorum, Hiſpanorum, Italorum exercitu, tam numeroſa tormentorum ingentium copia, tanta foſſorum multitudine, oppugnationem tentaſſe; paucis poſt diebus re infecta diſceſſiſſe.

Gurcẽſis Patauium oppugnandum temerè conſulit.

31 Tot tantáſque ducum prudentium rationes vnius Gurcenſis temeraria pertinacia ſuperauit. Itaque Baſſanellam profecti ad canalis labrum vix altero à Patauio milliari caſtra fecerunt: verùm quod tormenta è Patauino propugnaculo eam regionem deſpectante exonerata exercitum magnopere infeſtarent, canalem traiecerunt, & paulò remotius conſederunt: vnde ad Antonij ædem quatuor ſtadiis ab vrbe diſtantem peditatus partem emiſerunt, foſſámque ad portam Antonianam duxerunt, vt minore periculo vrbi appropinquarent, tormentáque muris admouerent. At longum opus, ac diuturnum, & foſſorum penuria extrema erat, quod incolæ initio omnes ſolum verterant, & in longinquas regiones aufugerant; & Patauini milites operi intentos noctu diúque laceſſebant, multóſque cædebant; vnde nec opus admodum promouebatur, & iam commeatus penuria oppugnanteis premebat, quod Epirotæ equites ex aliis vrbis regionibus Patauio liberè egreſſi contiguum agrum crebris excurſionibus peragrabant; nec quicquam ad exercitum comportari ſinebant, & nauigiis minoribus in Atheſim immiſſis alios equites traiiciendos Veneti curabant, qui diuerſis ex partibus pabulatores aggreſſi commeatum aut corrumpebant, aut ſecum auferebant. Quapropter ducibus eius exercitus in conſilium adhibitis, difficultatibúſque expoſitis obſidionem imprudenter ſuſceptam ſoluere potius, quam eodem in errore perſeuerando maiorem aliquam iacturam ſubire, Cardonius ſatius eſſe duxit, cui cæteri duces vera fatenti facile aſſenſerunt. Inde ad Gurcenſem, qui conſilio intereſſe recuſarat, conſentientem ducum omnium ſententiam multis ex ipſis coram eandem confirmantibus Cardonius retulit: ille ſe rerum bellicarum imperitum profeſſus non ſuo iudicio fretum ſed Cardonij ipſius authoritatem ſequutum oppugnationem ſuaſiſſe reſpondit. Cardonium multis & litteris & nuntiis miſſis ſpem Cæſari potiundæ vrbis inieciſſe, atque vt circumſederetur authorem fuiſſe: poſtremo difficultatibus in dies augeſcentibus, ſpe vero capiendæ vrbis penitus abiecta decimooctauo, quàm appulerant, die obſidionem ſoluerunt, & Vicentiam ab incolis deſertam Venetorum leui armatura poſtremos carpente, aut certè laceſſente, contenderunt.

Cardonius Patauinæ obſidionis ſoluẽdæ auctor.

Obſidio Patauina ſoluitur.

32 Interim Pontemuicum, vbi ducentorum peditum Veneti præſidium habebant, Sfortianus exercitus circumſedit: eò Antonium Leuam Cardonius ire, & cum mille peditibus

tibus Sfortianis ſuppetias ferre iuſſerat. Præſidiarij tormentorum vim, primámque oppugnationem fortiter tolerarunt, ac cuniculorum inſidias eadem cautione vitarunt: verum commeatus penuria deditionem triceſimo poſt die fecerunt. Et Syluium Sabellum Sfortia iubente cum ſua ala, ac quadringentis peditibus Hiſpanis Bergomum proficiſcentem Rentius Ceres Crema egreſſus intercepit, ac quæſtorem Hiſpanum illuc ad recipiendam indictam pecuniam reuerſum trecenti Rentiani equites, quingentíque pedites, atque ipſam adeo arcem, in quam ille confugerat, cœperunt. Hinc Syluius Sabellus, ac Cæſar Feramuſca cum ſexaginta grauis, trecentis leuis armaturæ equitibus, peditibus ſeptingentis, ac bis mille è Briganteis montibus arceſſitis Mediolano profecti Bergomum ire perrexerunt. Quorum certiores facti Rentiani præſidio arci, quæ extra vrbem Capellæ monti impoſita eſt, relicto maturè Cremam redierunt. Vicentiæ aliquot dies Cardonius, Gurcenſíſque conſederunt: ac, quod milites ſtipendium deficeret, Proſperum Columnam interim cum aliquot Hiſpanorum cohortibus ad diripiendam Maroſticam, Baſſianúmque miſerunt, vt miſerorum populorum ſpolia (neque enim alioqui in illos quicquam deliquerant) ſtipendij loco eſſent: Ferdinandus tam magnum, támque diuturnum ſuppeditare non poterat; Cæſarem, vt fere ſemper, deficiebat: Heluetios Mediolanenſis principatus vix, ægréque tolerabat; rapto igitur viuendum erat: Vicentiæ non ſine magna commeatus penuria Hiſpani, Germaníque conſiſtebant, quem noctu, interdiúque Venetorum leuis armatura, præſertim Epirotæ modo interuertebant, modo vi extorquebant: quibus illi quod paucos eius armaturæ haberent cataphractos equites opponere cogebantur huiuſmodi velitaribus ſubitariíſque prœliis neutiquam idoneos. Hinc Gurcenſis de Cardonio multa queſtus cum Germanico peditatu Veronam conceſſit: quem, ſed cunctanter, ſequutus Cardonius aliquandiu, tantiſper dum Veronenſes vindemias, ſementémque facerent, Albarecti ad Atheſim commoratus eſt. Interim iidem Veneti equites boues, qui tormenta lentius trahebant, non longè à Veronæ portis Germanis abſtulerunt; iugóque ſolutos abegerunt: milites ſuos, quos alioqui alere non poterat, in Brixianum, Bergomenſem agrum mittere, atque inde Cremam, qua ſola vltra Mincium Veneti potiebantur, Cardonius infeſtare decreuerat: qui rumor paſſim ſparſus, vt finitimi ad ſua redirent, nec ſibi timerent, effecerat: vnde Patauinus ager & incolis & pecore plurimum abundabat; quæ mutandi conſilij Cardonio cauſa fuit.

Itaque Montanianum, Ateſte, vicináque oppida peragrans, quod Veneti pedites Patauio, Tauriſóque conſeruandis attributi erant, ac rapiendi libidine illectus Venetiis appropinquare inſtituit, & tranſmiſſo Medoaco, Pieuaque frequenti vico direpto Meſtre, Margariam, atque ipſa Venetorum æſtuaria vſque penetrauit; iiſdémque velut inſultans, ignauiámque improperans inde in vrbem decem tormenta exonerari iuſſit: mox omnem eam regionem, vnde incolæ penè omnes aufugerant, non minus vaſtantes Itali à Leone Pontifice miſſi in patriam magis, quàm vel Hiſpani impij, Meſtre, Margariam, Luciafuſinam (Licefucinam vocat Iouius) vbi naues verſatili machina è Medoaco in Adriaticum tranſportantur; cæteráque oppida, vicos, ac magnificias Venetorum patriciorum domos rapinis, incendiis, omni denique crudelitatis genere deformarunt. Hinc indignatus Venetus Senatus, tametſi huc vſque nihil fortunæ permittere decreuerat, & Liuiani litteris incenſus, quinetiam priſtinæ fortunæ memor, quæ ſibi nuper Italiæ principatum vendicabat, tum verò quod exiguis, imbecilliſque copiis non ſolum prædæ, verum etiam ludibrio eſſet, periniquè ferens, quod ſapientibus etiam nonnunquam vſuuenit, iræ ceſſit: &, vt idem Liuianus collecto tam ex montanis, quàm è cætera regione, tumultuario exercitu hoſtibus reditum impediret, aſſenſus eſt. Id ille perfacile ducebat, quod fœderatos tanta præda onuſtos inter Venetias, Patauium, Tauriſum, quodam modo obſeſſos commeatu, & fluuiorum, ac montanarum anguſtiarum tranſitu prohibere non magni negotij videretur, quod præſentientes, vel coniicientes fœderati Citadellam pergere properarunt: quam vbi nequicquam oppugnaſſent paulò infra ad Timauum caſtra fecerunt, inde ad vicum Conticellum profecturi, vbi fluuium vado tranſmitti acceperant: ſed Liuianus ex aduerſa ripa exercitu ad pugnam inſtructo, bombardíſque opportunis locis collocatis tranſitum impediuit.

Venetorum regio oppida, vicique latè à Cardonio vaſtati.

Cardonius nihilominus in propoſito perſeuerare ſimulans nocte conſequente clam mouens tertio ſupra Citadellam milliari, vado quod vulgo Nouæ Crucis appellatur, fluuium nullo hoſte occurrente ſuperauit, ad Vicentiámque ſumma celeritate contendit. At quamuis properantes Medoaci tranſitu prohibiturus Liuianus anteuertit: cui Ioannes Paulus Baleonus atque Andreas Grittus Tauriſo egreſſi cum ducentis quinquaginta cataphractis

cataphractis equitibus peditibus bis mille ſeſe adiunxerunt. Venetorum ducum conſilium erat vniuerſis copiis, apertiſque campis haud prælio decernere, viarum potius anguſtias occupare, locis munitis conſiſtere: quoquo tranſirent hoſtes, itinera impedire. Hinc Ioannem Paulum Manfronum cum quatuor peditum millibus Monteccij, Barbaranæ quingentos equites ac regionis pleroſque incolas, ne in monteis hoſtes euaderent, collocarunt: vias item quæ in Germaniam tendebant, ductis foſſis, arboribus iniectis, ſaxis aduolutis obſtruxerant, & per montanos ruſticos obſidendas curarant. Vicentiæ Theodorus Triuultius cum firmo præſidio præerat: ad Vlmum vicum altero à Vicentia milliari, quà Veronam iter eſt, Liuianus caſtra habebat: cuius aditus omneis ſimul & alterius viæ non procul inde diſtantis ita foſſis, vallis, tormentiſque ſepſerat, vt nulla illac euadendi hoſtibus facultas relinqueretur. Veronenſi via ita intercluſa Hiſpanis, Italiſque, qui ad montium radices locis paluſtribus, aquarúmque plenis ingrediebantur, agmen in planitiem extendere, aut monteis ab hoſtibus inſeſſos anguſtis ſemitis conſcendere perdifficile erat: à fronte, à lateribus, quoquò ſe verterent, hoſtes occurrebant: à tergo numeroſa leuis armaturæ equitum manus ſemper imminebat, & poſtremos continuis excurſionibus infeſtabat: vt vix vlla conſultatio tuta ac certa reperiri poſſet. Sub noctem caſtra Venetorum caſtris conferentes vix ſemimilliari interiecto ſubſtiterunt: noctu vbi diu multúmque conſultaſſent, tandem Veronam Tridentina via (tametſi hoſteis Tridento, vbi ratum præſidium reliquerant, ante potituros ſuſpicabantur) redire ſtatuerunt. Itaque prima aurora hoſteis à tergo relinquentes, quo nihil formidabilius ac pernicioſius accidere poteſt, clam ſine tubarum, tympanorúmque ſtrepitu Baſſianum verſùs contenderunt: quorum diſceſſum propter denſas pruinas, quæ ſe latè paſsímque diffuderant, non ſtatim Liuianus animaduertit. Sed vbi animaduertit, cum toto exercitu, in quo grauis mille, totidem leuis armaturæ equites, ſex peditum millia cenſebantur, quaſi fugienteis perſequutus eſt: inſtabant præſertim Epirotæ poſtremis, montani ruſtici è montibus deſcendentes crebris ſclopetorum glandibus à lateribus impetebant, viæ anguſtæ erant, & pleriſque foſſis interſtinctæ, quas curruum ingenti præda onuſtorum multitudo obſtruebat, vt Hiſpanis ſumma ingrediendi difficultas occurreret; qui tametſi properabant, tamen interim, vt ſtrenui veteraníque milites, ordines egregiè ſeruabant: & nihilominus vbi milliare fortaſſe magno labore confeciſſent, vix, quod reliquum itineris ſupererat, ſe confecturos eadem conſtantia atque animi magnitudine ſperabant, vt ſi arma corporáque ſalua euaderent, prædæ equorúmque iacturam non magnipenderent.

Venetorum duces Cardoniū intercipere ſatius quam prælio decernere exiſtimant.

35 Fortunam tam propitiam ſibi quaſi diuinitus oblatam Venetorum ducum temeritas auertit, ad hoſteiſque conuertit: alij Lauredanum Venetorum legatum Liuiano, quod hoſteis iam prope victos fractóſque ignauia ſua impune abire permitteret, improperaſſe, illum indignatum pugnæ ſignum dediſſe ſcribunt: alij Proſperi Columnæ ſtratagema huius victoriæ cauſam fuiſſe tradunt, qui Vicentiam petere ſimularit; in cuius ſuburbiis Tauriſanas cohortes duce Ioanne Paulo Baleono Liuianus collocarat: ipſe Creatiæ altero à Vicentia milliari cum cætero exercitu caſtra fecerat: vbi locus decliuis tormentis collocandis in hoſteiſque dirigendis ſatis aptus erat. Sed ſubiecta vallis inſtruendis ad pugnam copiis non incommoda videbatur: quamquam illuc non niſi anguſta via partim collibus, partim paludibus cincta penetrare poterant: tamen fortunam experiri, quàm ſalutem incerta dubiáque in primis elabendi ſpe quærere, ſatius ac viris fortibus glorioſius ducens Columna Cardonio Piſcarióque Hiſpanorum tribuno monitis, inde aciem, alterà ex parte Germani pedites Laudao duce non minùs truculentam pugnam Non. Octobr. iniere. Itali pedites, quorum Babus, ſiue Babonus Naldius Briſiquellus tribunus erat, in fronte ob eximiam virtutis exiſtimationem collocati ruentium impetum non ſuſtinuerunt; abiectis haſtis in fugam ſe præcipites dederunt: quorum exemplum cæteri fere omnes ſequuti ſunt: nec in tanta ſui exercitus trepidatione ſe dignum quicquam Liuianus geſſit. Pedites alij in colles euaſerunt, alij in paludibus delituerunt, alij aliò, quò fortuna tulit, diffugerunt: equites, qui primo congreſſu fortiter pugnarant, & Germanos equites Ricciano Celembergo Sucharo ducibus vulneratis fuderant, animaduerſa peditum fuga partim Patauium partim Tauriſum repente ſe proripuerunt, quò etiam Liuianus, atque Andreas Grittus aufugerunt. Cæſa peditum quatuor millia, cataphractos equites quadringentos ſcribunt, quod fugâ circumfuſæ fere vndiquaque paludes impedirent: inter hos Franciſcus Caſſo, Antonius Pius cum filio Conſtāte, Meleager Foroliuienſis, Ludouicus Parmenſis numerati ſunt: capti Ioannes Paulus Baleonus, qui nocte ſuperiore

Occaſionis Cardonianū cædēdi amiſſæ cauſa in quem refundenda.

Creatiana pugna, ac eius auctor.

periore ſe Liuiano iunxerat, & dextrum cornu duxerat, cum Iulio Ioannis Pauli Manfroni filio, Malateſta Soglianus, atque alij plerique equitum, peditúmque præfecti.

Tantæ cædi occaſionem etiam dedit Theodorus Triuultius, qui fugientibus Vicentiæ portas occluſit, ne victi, victoréſque vrbem ſimul introirent: vnde plerique progredi, Medoacúmque traiicere conati mediis in gurgitibus abſorpti ſunt; inter quos Hermes Bentiuolus ac Sacromorus Vicecomes à nonnullis numerantur. Iouius à Germanis equitibus obtruncatos ſcribit: Germani autem Cadoranæ cladis memores, & natura truculenti, vt par pari redderent, nemini parcebant. Andreas Loredanus huius pugnæ author quum magnum auri pondus promitteret, liſque inter duos milites de capto interueniſſet, ab altero crudeliſſimè cæſus eſt. Hæc victoria Patauium, Tauriſúmque in apertum diſcrimen adduxiſſet: quamquam illuc Liuianus, huc Grittus cum reliquiis exercitus conceſſerant, & vtrobique quæ ex vſu erant magna diligentia curabant, niſi hyberni imbres iam ſe vehementius effundentes fœderatos ab oppugnandis deterruiſſent, & milites nullo ſtipendio accepto præfectis ſuis non facilè parebant. Tum Veneta nobilitas armis ferendis idonea partitis muneribus in vtramque vrbem, vt non ita dudum, ſumma alacritate properarat. Inde res ab armis ad pacem, quam Italis aduerſus Gallos procurabat Leo pontifex, inclinare videbantur: Venetos enim Cæſari reconciliare, hunc aduerſus Gallos principatu Mediolanenſi eoſdem pulſurus armare decreuerat. Romam contendebat Matthæus Lancus Gurcenſis Cardinalis Cæſaris legatus, eiuſdem ac Caroli nepotis nomine Leoni gratulaturus, atque obſequium præſtiturus: quem ea ipſa de cauſa Franciſcus Sfortia Barienſis regulus à Maximiliano fratre Mediolanenſi duce miſſus ſequebatur. Gurcenſis quamquam (vt antea) Cæſaris legatus ad pontificem accedebat, tamen non eadem magnificentia ac pompa, ſed modeſto comitatu, geſtúque vrbem iniit: nec in ipſo itinere galerum Cardinalitium, quem illi pontifex Pongibuſium vſque miſerat, geſtare voluit. Tum de pace ſerio actum: Gurcenſis Venetíque legati de omnibus, quæ inter Cæſarem ac Venetam Rempub. ortæ erant, controuerſiis, compromittentes arbitrium ad Leonem detulerunt: tametſi verè compromiſſum, arbitriúmve dici haud potuit: vtrique enim rem tanti momenti Leonis arbitrio permittere recuſarunt, niſi is prius vtriſque priuatim, ſed clam ſine eorum conſenſu ſe haud quicquam pronuntiaturum repromiſiſſet. Facto compromiſſo Leo inducias inter vtroſque diplomate, quod Breue vocant, edixit: quæ licèt gratiſſimis animis ab vtriſque acceptæ, tamen à Cardonio non vſquequaque, immo vero nullo modo obſeruatæ fuerunt. Is poſt Vicentinam victoriam vaſtando agro Veneto ſuos alens inter Montanianum atque Ateſte conſederat: militum partem in Poleſelianam peninſulam miſerat; & modo regiones Cæſari obnoxias cauſabatur: modo à Gurcenſi ſe nuntios expectare obtendebat: nec compromiſſi exitus, quàm vel initium, vel medium felicior fuit. Cæſar pleraſque vrbeis retinere, ingentem pecuniam accipere contendebat. Veneti omnes recipere, exiguam dependere volebant: Ferdinandus à ſuo ingenio non diſcedens pacem cupere palam ſimulabat, clàm Cæſari diſſuadebat: idcirco tum Cæſari Brixiam, quam huc vſque retinuerat, Cardonius ei, qui magis ad pacem inclinaret, ſe traditurum profeſſus permittendam curauit: an quod ita Venetis infeſtus fuiſſet, vt iiſdem nullo modo reconciliari ſe poſſe confideret, an quod ad conſeruandum regnum Neapolitanum exercitum paratum habere neceſſarium duceret, an vt Ludouicum Regem principatum Mediolanenſem repetentem impediret, incertum: nimirum quod ſtipendium numerare non poſſet, ſuos rapto viuere permittebat.

Pacificatio inter Cæſarē ac Remp. Venetam ſeriò à Leone Pontif. Maxim. inſtitui cœpta.

Leo quum vtrorumque controuerſias dirimere non poſſet, nihil ſtatuit. Paucis poſt 37
diebus Maranum Foroiulianæ regionis oppidum Germani exulum opera cœperunt: quod ob vicinitatem (ſexaginta enim duntaxat milliaribus Venetiis diſtat) Veneti terra maríque nequicquam expugnare conati ſunt. Acceſſit & Monfalco; adeo tum Venetiis fortuna aduerſa fuit! Tum etiam Florentini Leonis authoritate freti, vt Mutronium ac Petraſanctam reciperent, bellum Lucenſibus intulerunt: quorum propugnationem Ferdinandus ſuſceperat, à quo nullam opem ſperantes, & viribus impares cum Florentinis compromiſſum fecerunt. Leonem pontificem arbitrum ſumpſerunt; Leo vtramque vrbem Florentinis adiudicauit, perpetuámque inter eos pacem deinceps pronuntiauit. Sub huius anni finem Mediolanenſis ac Cremonenſis arces, quibus præerat Carolus Louanius (Louenium alij appellant) ac Ianotus Herbouilla (Bunonium etiam ab eiuſdem nominis fundo vocabant) commeatus penuria in Maximiliani Sfortiæ Mediolanenſis reguli poteſtatem venerunt: ſolam Genuenſem Pharon (quam vulgo Laternam, Galli etiam Liguriæ frenum vocabant) in Italia Rex Ludouicus poſſidebat: quam, ſed fruſtra, Genuenſes

Pax perpetua inter Florentinos ac Lucēſes ſtabilitur.

Digitized by Google

nuenſes cuniculis euertere tentarunt. Ligneam machinam triginta vlnas longam, latam viginti, trecentorum militum capacem Petro Hetruſco inſigni architecto authore fabricarant; eámque lata carina ad formam pontonis explicarant ac ſaccis lana refertis vndique circumtexerant, vt tormentorum pilis facilè reſiſteret: quamquam autem artificioſiſſimè inuenta, extructáque videbatur, tamen, vt in huiuſmodi machinis vſuuenire ſolet, nulli fere vſui fuit. Quum enim noctu ad Phari ſcopulos eam adigere tentarent, vt adhibitis foſſoribus rupem excauarent, cuniculóſque ducerent, quibus tormentario puluere impletis arcem in aëra diſſiparent, quemadmodum Petrus Nauarrus Neapolitanam Oui arcem à fundamentis euerterat, & ſcapha ingentem anchoram conuectam, cui longiſſimum funem alligarant, ad rupis, cui arx ſuperpoſita erat, radices in profundum demerſiſſent, funémque ad machinam perductum, colligatúmque in orbem ligno verſatili colligendo eandem ad rupem trahere conarentur, Galli præſidiarij de inſidiis certiores facti igne tota nocte ſucceſſo ac colluecente diligenter excubantes machinam lente appropinquantem crebris tormentorum pilis, ita vt demergetur, perruperunt; vectores vel cæſi, vel aquis abſorpti ſunt: pauci natando aut ſcaphis excepti, quas ad opem ferendam paratas Genuenſes habebant, euaſerunt.

Ingens machina lignea euertendæ arci Pharon extructa, à Gallis perrupta.

38 Dum hæc in Italia geruntur, Galliſque infeliciter cedunt, Ludouicum Regem de Gallia ſua conſeruanda non minores, immo vero longè maiores curæ diſtinebant; cui maiora etiam pericula impendebant. Conuenerant Maximilianus Cæſar atque Henricus VIII. Angliæ Rex, vt ſeparatis copiis ille Burgundiam, hic Picardiam adorirentur: centum & viginti nummûm aureorum millia Cæſari promiſerat Henricus, quibus tria equitum, octo partim Germanorũ, partim Heluetiorum peditum millia conuocaret. Heluetiis quoque ſeparatim vt Cæſari iuncti in id bellum incumberent, pecuniã pollicitus erat: quibus Cæſar vt nonnullas Burgundię vrbeis retinerent, donec ſtipendium numeraretur, permiſerat: claſſem, qua maritimas Galliæ oras infeſtaret, idem Henricus comparat: Ferdinandum ſocerum tametſi recentibus cum Ludouico initis induciis illigatum ad Cæſarem, atque ad ſe rediturum ſperabat. His vt occurreret Ludouicus, Iacobum Stuardum Scotiæ Regem ſibi fœderatum, vt Anglis bellum inferret, incitabat: Suſfolchiẽſem regulum Anglici regni æmulum in Galliam accerſiuerat: vnde indignatus Henricus Octauus (vt quidam tradunt) fratrem eius in Anglia captiuum capite luere iuſſit. Is cum Henrico Septimo Octaui patri ſuſpectus in Flandriam ad Philippum Maximiliani filium confugiſſet, vnáque cum illo in Hiſpaniam nauigaret, in Angliam ſimul tempeſtate delatus eſt. Henricus Philippum humaniter excepit eique quinquaginta nummûm aureorum millia mutuo dedit, Lilij flore multis gemmis ornato in pignus accepto: quem ab Henrico Octauo redemptum, vt liberos in Hiſpania captiuos reciperet, Franciſcus huius nominis Primus Galliarum Rex Carolo Quinto Imperatori reſtituit. Suſfolchienſem Philippo grauiter conquerente retinuit Henricus: at ſe captiuum haud vita priuaturum iureiurando confirmauit, ſed moriturus quaſi iuſiurandum vnà cum vita ſolueretur, vt poſt ſuam mortem capite plecteretur, iuſſit, vt alij ſcribunt: quod filius ſanguinarius vel teſtamento paterno, vel naturæ immanitate inductus facilè præſtitit.

Maximiliani Imperatoris atque Hẽrici VIII. Angliæ Regis de adoriendæ Galliæ conſpiratio.

39 Vt ad Ludouicum redeam: is ab Heluetiis, quandoquidem in recuperanda Mediolanenſi ditione opem ferre abnuerant, ſaltem in conſeruando Galliæ regno, vt antiqui ſocij auxiliarem peditatum mitterent, poſtularat. Illi niſi Romano Pontifici reconciliaretur, niſi omni Mediolanenſis Genuenſiſque principatus iure Maximiliano Sfortiæ Ludouici filio cederet, eius ſtipendium merere recuſarunt. Hinc maiorem, quam vnquam antea, ex ſuis, Germaniſque peditatum cogere, equitatum etiam, quoad poſſet, augere decreuit. Sed vel quod bonam militum ſuorum partem in Mediolanenſem agrum miſerat, vel quod factas cum Ferdinando Hiſpano inducias inuiolabiles ſperabat, neque enim Maximiliani potentiam nimis augeri, ne ipſe regni Caſtulonenſis adminiſtratione ſpoliaretur, Ferdinandus optbat; in comparando, quem Anglo opponeret, exercitu tardior aliquanto fuit; Præianem tamen cum quatuor triremibus freto Athlantico, vt Nomaniæ, Britanniæque minoris oram maritimam ab Anglorum excurſionibus vindicaret, in Oceanum traiicere iuſſit; quem ad Vidanam, ſiue Breſtium portum perſequutus Odoardus Surrei filius claſſis Anglicæ præfectus, quum magnis nauibus præ limo aſſequi non poſſet, in ſcaphas deſiliit ac Prætoriam Præianis aggreſſus, in prorámque ſcandere conatus, lethali vulnere accepto concidit: is paulò antè oram Aquitanicam luſtrarat ac re infecta redierat. Nec ita multò poſt quarto Idus Auguſti octoginta Anglicæ naues cum viginti partim Normanis, partim Britannicis pari prope ſucceſſu conflixerunt: ventus Gallicis

Odoardus claſſis Anglicæ præfectus à Gallis lethali vulnere confectus.

ſecundus Anglicis aduerſus fuit. Primogherus Brito Chordigeræ præfectus, quæ Annæ Reginæ impenſis ædificata cæteras magnitudine ſuperabat, quum ſe à decem aut duodecim Anglicis vndique cinctum nulla elabendi ſpe videret, Prætoriam Anglorum, quam Regentem vocabant, immiſſis harpagonibus aſtrinxit, ignéque in tormentarium puluerem iniecto, & ſe, & vtramque nauem cum omnibus epibatis incendio abſumpſit: alij Primogherum ſe in mare proieciſſe, & armorum pondere depreſſum periiſſe ſcribunt. Periit & Anglicus Amyralius; cæteræ Anglicæ naues metu perterritæ in altum vela fecerunt.

Angli præ nimio otio ad rē militarem inepti.

At vero Henricus in belli apparatu multos menſes inſumpſit: longa enim in pace Angli vixerant, & bellandi ratio admodum immutata erat: non multum proderant ſclopetis oppoſiti arcus, armatura alia in vſu erat: & quod Angli fere omnes antea pedites militabant, ingens equorum militarium, ingens tormentorum, tormentariique pulueris ac pilarum numerus comparandus fuit: conducendi Germani, atque adducendi, qui Anglos diſciplinæ militaris vſum docerent. Hinc menſe Iulio duntaxat mare traiecerunt, & circa Bononiam dies non paucos commorati ac de Nouariana Heluetiorum victoria certiores facti Taroannam oppugnandam ſuſceperunt, atque illuc proficiſcentes non longè ab Arderis, Odomarique Fano iter ſuum perſequuti ſunt. Poſtremos, qui conuehendis tormentis attributi erant, carpentes trecenti, aut fortaſſe quadringenti cataphracti equites Galli Anglos aliquot pedites trucidarunt: tormentum etiam (quod duplicem colubrinam vocabant) abſtulerunt. Interim Henricus ab Icio portu ad ſua caſtra properabat, & niſi ad Odomari Fanum maturè ſeſe recepiſſet, in eoſdem equites nimirum incidiſſet. Eodem mox appulit & Maximilianus Cæſar ac ſibi mutuò congratulati vnà ad ſua caſtra, Taroannámque perrexerunt. Iuncti exercitus fere octo equitum, peditum quinque & quadraginta millia confeciſſe traduntur. Vrbi pari poteſtate præerant Telignius Rouergas Seneſchallus centenariæ Geldubenſis reguli alæ, atque Antonius Crequius quem à fundo eiuſdem nominis Pandormium vocabant, Grutarianæ legati: ſub quibus Serenus, Hellius, Bornonuilla, Brandhecus quingentorum ſinguli peditum, illi Gallorum, hic Germanorum præfectus defendendæ Taroannæ curam ſuſceperant: rarum in tanta vrbe præſidium, ſed longo diſciplinæ militaris vſu & acceſſuri auxilij ſpe validum. Angli Taroannam appulſi caſtra primum foſſis, curribus ac ponè currus ligneo vallo, tormentiſque ſuo more ſepſerunt, & Germanis ſibi iunctis quaſi in munita vrbe conſederunt. Tum muros pleriſque locis tormentis quatere, & cuniculos agere ceperunt: paucis poſt diebus quadringenti cataphracti Galli equites, Anglos, qui ex arce Guinenſi commeatum in caſtra comportabant, ad Arderao oppidum à Gallis relictum aggreſſi præcurſores quidem magna ex parte ceciderunt, ſed maius Anglorum agmen hoſteis viribus ſuperiores animaduertens ſe curribus vndique concluſit, & ſagittariis locis opportunis collocatis irrdenteis fortiter excepit: tum currus, ſagittarióſque ſemper obiiciens ac paulatim retrocedens Arderao tandem ſe recepit, Gallis, quamquam ſæpius magno impetu irruperant, nonnullóſque è ſuis & plures equos amiſerant, curruum quaſi vallo ad manus venire prohibitis. 40

Cæſaris & Angliæ Regis exercituum occurſus.

Iam vnum atque alterum dimidiatum menſem obſidionem Galli tolerarant: iam muri multis locis proſtrati erant; nec tamen Angli vrbem oppugnare audebant, nec quicquam dignum veteri exiſtimatione patrabant: appropinquanteis enim Galli interdiu, noctúque & crebris excurſionibus & tormentis grauiter affligebant ac permultos, præſertim vero Regio Henrici cubiculo præpoſitum, ceciderant, Talbato Caleſij adminiſtratori alterum crus tormento abruperant; murorum hiatus foſſis, aggeribus, tormentis diligenter muniebant, nec aliud niſi commeatus penuriam timebant: rarus enim in vrbem immiſſus erat. Idcirco Franciſcus Halluinus Piennus, qui Gruturio nuper vita functo in Picardiæ adminiſtratione ſucceſſerat, & ad Blangium non longè diſtans ab Hiſdino oppidum exercitum cogebat, mandatum à Ludouico, vt quantum poſſet, commeatum, cæteráſque res obſeſſis neceſſarias Taroannam importaret, accepit. Nec tamen, quod nondum omnis exercitus coiiſſet, prælio decerneret: vbi coierit Regem ſuis in tempore non defuturum. Piennus de eorum, qui tum aderant, ducum conſilio decreuit, vt octingenti Græci leuis armaturæ equites, quibus præerat Imbaldus Fontrallius natione Gallus dimidiatum porcum ſale conſperſum, & aliquantum tormentarij pulueris ſinguli ferrent, & ad vrbis foſſas vſque penetrantes in loco vbi ab obſeſſis facilè reciperentur, deponerent, & præterea octoginta cataphractos 41

Piennus de mādato Regis Taroannā obſeſſam cōmeatu rebuſque neceſſariis iuuare vt tentarit.

Digitized by Google

phractos equites ſed ſine equis in vrbem immitterent, vt quidam tradunt: mille & quadringenti cataphracti equites ſequerentur, & Græcis, ſi opus eſſet, opem laturi in Guinegatano colle conſiſterent. Illuſtriores autem in eo exercitu Galli duces hi potiſſimum fuerunt: Pienus Picardiæ adminiſtrator, penes quem ob id munus ſummum imperium erat. Ludouicus Longauillanus regulus prætorianorum equitum præfectus, Iacobus Chabanens Palicianus ſummus Regiæ familiæ magiſter, Imbercurtius, Petrus Terralius Baiardus, Baro Beardus, Emarus Prianus, Boniuetus, Bonauallius, alarum equeſtrium præfecti, Faieta Grauillanæ, Malebertus Guiſanæ, Claromontius Andegauenſis Franciſci Engoliſmenſis reguli, Nicolaus Moius Vindocinæ, Franciſcus Sillius Cadomenſis Balliuus alæ Alenconianæ legati. Tum verò ipſe Fontrallius, qui cum ſuis Græcis, quà rariores Angli Taroannam cingebant, ad vrbem aduolauit: quod iuſſus erat, ſtrenuè confecit, & ſe ad grauem armaturam nullis ex ſuis amiſſis recepit: tametſi tria Anglorum millia eam regionem prius occuparant, & ſe Gallis venientibus opponere tentarant. Sed hos obſeſſi ita crebris tormentorum pilis diſſiparunt, vt noſtris appropinquantibus loco cedere cogerentur, quum reliquus exercitus ob interiectas foſſas eodem penetrare non poſſet: aliquot adoleſcentes nobiles Fontrallium comitati in vrbem intromiſſi ſunt.

42 Pienus reuerſo ad ſe Fontrallio, vt ſtatim Blangium rediretur, inſtitit: at pauci prudentis ducis conſilio paruerunt. Longauillanus propter familiæ nobilitatem, Palicianus propter rerum bellicarum experientiam, & honoratum, quo in Regis comitatu fungebatur, munus Pieni imperia dedignabantur, hinc non leuis in exercitu diſſenſio erat: nonnulli vt hoſtium caſtra inuiſerent, ſe à cæteris ſepararunt: alij relictis galeis ac militaribus equis in aſturcones deſilierunt: vehementer enim ſol incaluerat non multum inclinante Auguſto: omnes fere, quaſi nullus inſtaret hoſtis, nullis ſeruatis ordinibus ingreſſi ſunt. At Cæſar, atque Henricus, vbi Græcos equites vrbi appropinquare, & maius agmen ad Guinegatam ſeſe oſtentare animaduerterunt, circiter quinque equitum, peditum partim Anglorum, partim Germanorum decem millia, cum octo campeſtribus tormentis ad Liſiam fluuium properare iuſſerunt: quo tranſmiſſo noſtros anteuertentes & ad Huchinum pagum diſpalatos adorti facilè in fugam verterunt, pauci hoſti obuiam ire auſi fuerunt, plerique nec galeas accipere, nec equos militares conſcendere potuerunt, omnes fere ſe in fugam dederunt: vnde pugnam (ſi pugna dicenda eſt) Calcariam vocarunt, quod noſtri equites plus in calcaribus, quàm in gladiis opis inueniſſent. *Pugna Calcaria, & cur ſic dicta.* Sic vbi ducum imperia negliguntur, nec diſciplina militaris obſeruatur, vſuuenire ſolet: quod Gallicæ nobilitati ſuis præfectis haud facile parere ſolitæ, plerique, nec immeritò fortaſſe, vitio dare conſueuerunt. Hoc nuntio accepto Ludouicus, quod podagra vehementer laboraret, Lutetia profectus ad Ambaſianos lectica vectus eſt, & quod Taroannenſes in extremis difficultatibus verſari intelligeret, necdum vt illis opem ferret, paratum exercitum haberet, vt digna viris militaribus facta deditione exirent, ſuaſit. *Taroannenſes, honeſta & militari deditione pacta vrbe cedunt.* Illi vbi dies treis & ſexaginta (vt noſtri hiſtorici tradunt) obſidionem tolleraſſent tametſi Itali quidam quinquaginta duntaxat toleraſſe ſcribunt) vt omni tam præſidiariorum, quàm ciuium ſupellectile ſalua ſignis explicatis, quaſi ad pugnam egrederentur, equites armati equis inſidentes, pedites ſuis ordinibus tympanis clangentibus incedentes exirent, ab Anglo impetrarunt. At is Taroanna potitus pactis vſquequaque non ſtetit: nam Flandrorum querimoniis perſuaſus vrbis muros demoliri, foſſas humo oppleri, ciuium domos omneis præter maiorem ſacram ædem, ædeiſque eius miniſtris attributas incendi imperauit. Alij aliam, & fortaſſe magis veriſimilem vrbis euertendæ rationem reddunt: quod enim Carolus Maximiliani nepos eam quaſi hæreditariam, Henricus autem bello partam ſibi vendicaret, vt omnis diſſenſio tolleretur, ſolo æquari Maximilianus Henricúſque iuſſerunt.

43 Infeſti Picardiam, ſiue Belgicam agro Pariſienſi viciniorem, premebant hoſtes, ſed non minus timendi maiorem quoque Burgundiam inuaſerant, & in Aquitania ad fontem rapidum, regnúmque Nauarricum bellum gerebatur, nec ſincerè induciis Ferdinandus ſtabat: Heluetij enim Nouariana victoria ſuperbi Ludouicum Regem, vt principatus Mediolanenſis iure cederet, omni ratione cogere ſtatuerant. Idcirco priuatas Lucernatum aliquot domos, quos Regi impenſiùs fauere ſuſpicabantur, incenderant, & in cæteros eiuſdem factionis diligenter inquirentes, quotquot apud ſe plus poterant, vt priuatas penſiones in commune conferrent, iureiurando adegerant: tum communi

decreto arma ſumentes ad vigintiquinque peditum millia, quibus bis mille partim Germani, partim minoris Burgundiæ equites à Cæſare cum pleriſque tormentis Vlricho Vittembergenſi regulo duce miſſi acceſſerunt, maiorem Burgundiam Septembri ineunte ingreſſi ſunt. Ipſe Cæſar quamquam id & illis & Anglo pollicitus erat, vel ſolita inconſtantia, vel de Heluetiis ſuſpicione concepta ſe proficiſcentibus iungere recuſauit; quod Gallis percommodè accidit: Si enim furentibus quodam modo, & quadam velut rabie ruentibus ſe iunxiſſet, facile ea, vti veriſimile eſt, quæ poſtea Helueticorum præfectorum auaritia concepta ſunt, fœdera interturbaſſet. His ſeſe oppoſuit Ludouicus Trimullius Burgundiæ prætor: ſed viribus longè inferior (mille enim duntaxat cataphractos equites, peditum ſex millia in exercitu habebat) & paulatim retro pedem referre coactus Diuioni tandem (quæ princeps Burgundiæ vrbs eſt) venientium impetum ſuſtinere, & quoad poſſet, remorari decreuit. Ea vrbs vaſta, magníque ambitus haud natura, vel arte, ſed ſola militum virtute munita erat: nec ſatis amplus in tantum præſidium prouiſus erat commeatus: tamen, quoad temporis breuitas tulit, muros aggeribus firmauit, & iuſta præſidia vbique conſtituit: &, quod plus profuit, Heluetiorum præfectos per idoneos homines de pace concilianda tentare cœpit: quantum enim diſcrimen non ſolum vrbi, ſed & vniuerſæ Galliæ impenderet, ſapienter prouidebat. Heluetij, quibus ſui præfecti ſuſpecti erant, tormenta mœnibus admouerunt, eáque locis aliquot proſtrarunt: ſed quod ob firmum præſidium, & foſſas intus ad murorum hiatus ductas non facilis aditus erat, in vrbem irrumpere haud tentarunt. Ibi menſem integrum & paulò amplius commorati, tandem, quas obtulit Trimullius, conditiones acceperunt: nec eas, vt Ludouicus confirmaret, præfectis de induſtria vrgentibus expectarunt: hyemem enim inſtare, & ſi maturius accederet, obſidionem aduerſus tam numeroſum præſidium perdifficilem fore præfecti inclamabãt. Præcipuæ conditiones fuerunt, vt Ludouicus omni Mediolanenſis principatus iure cederet: Heluetiis intra præſcriptum tempus quadraginta nummûm aureorum millia (ſexcenta Guicciardinus promiſſa tradit) ob ſtipendium ſuperioribus Italicis bellis non redditum penderet; quorum viginti Trimullius repræſentauit: pro reliquis, & vt priori capiti ſatisfieret, Renatum Andegauenſem ſororis filium, quem à Mazeriis agri Turonenſis oppido etiam Mazerianum vocabant, Rupifortianum Diuionenſem Balliuum ac quatuor ciues Diuionenſes homines opulentos obſides dedit.

Trimullius Heluetiis pacis conditiones proponi curat.

44 Addita fuerunt in ſpeciem potius æqui, & iuris, quam vt reipſa implerentur & altera duo capita, vt Ludouicus ſcilicet damnato Piſano Concilio ad Pontificem rediret, Pontificias vrbeis ne vſurparet, vſurpatáſve retineret; partem item maioris Burgundiæ, quam iureconſulti ſtatuiſſent, Carolo Cæſaris nepoti reſtitueret. Nec ſe vllis viciſſim conditionibus Heluetij aſtrinxerunt: quin in Galliam redirent, aut vt hoſtilem, ſi ita videretur, inuaderent: in quo Trimullius haud admodum laborauit; cum enim exercitũ diſſipare duntaxat ac diſiungere volebat deintegro ſimul non facile inſtante præſertim hyeme coiturum: interim Regem, quæ ex vſu eſſent, prouiſurum. Acceptis obſidibus Heluetij domum reuerterunt: & quod Henrico non admonito cum Gallis conueniſſent, promiſſum ab illo ſtipendium in tempore ſibi non redditum in cauſa fuiſſe dixerunt. Fœdus ita conceptum vbi Ludouicus accepit, non tam propter promiſſam pecuniam, quàm propter Mediolanenſis iuris ceſſionem initio indigniſſimè tulit: omnia enim prius tentanda, quàm eo iure cedendum ſibi putabat: re tamen demum accuratius perpenſa præſenti periculo, tametſi fœdus ratum habere nolebat, ſapienter prouiſum exiſtimauit. Si enim Diuionum Heluetij cepiſſent, rectà Lutetiam nemine obuiam prodeunte contendiſſent: ſex enim tantum præter ſuos Germanorum peditum millia Ludouicus in exercitu id temporis habebat, necdum Geldubenſes copiæ appulerant. Heluetiis Somona fluuio tranſmiſſo ſe Henricus adiunxiſſet: iuncti ac principe Galliæ vrbe potiti cæterum regnum in extremum diſcrimen adduxiſſent. Lutetia autem nulla ex parte munita commeatu præſertim, cæteríſque rebus neceſſariis non prouiſis, vix diu etiam magno præſidio immiſſo aduerſus duos potentiſſimos exercitus obſidionem tolerare potuiſſet.

Taroãna deditio.

45 Taroanna Nono Kal. Septembr. dedita, & paulò poſt præter deditionis conditiones exciſa Henricus adhuc adoleſcens (annum enim viceſimumquartum agebat) & rerum bellicarum rudis, vtpote qui primum cum exercitum vidiſſet, à Cæſare perſuaſus Tornacum præter omnium opinionem circumſedere inſtituit. Quis enim præter Cæſarem, qui Tornacum vel tum vel aliquot poſt annis Caroli nepotis ditionibus acceſſurum ſperabat, vrbem à mari, Icióque portu, quem duntaxat cum Guinenſi arce in continente Angli poſſidebant, longè diſtantem, & Hannonia, Flandriáque vndique cinctam,

Digitized by Google

cinctam, relictis tot, támque commodis Picardiæ vrbibus oppugnandam cenſuiſſet? Quam ſi retinere vellet, ad importandum commeatum, cæteráſque res neceſſarias exercitum quotannis traiicere cogeretur. Id vbi reſciuit Ludouicus in primis lætatus eſt: tametſi Tornacum nullo præſidio firmatum erat (nemo enim Anglos illuc vires ſuas conuerſuros putarat, aut coniectura aſſequi poterat) qui Picardiæ mirandum in modum timeret: & Iacobum Stuardum Scotiæ Regem magno ad Floddum montem in Angliæ ac Scotiæ confinio Tylúmque fluuium prælio, cui Catharina Angliæ regina interfuiſſe dicitur, quarto Idus Septembr. cæſis duodecim Scotorum millibus ſuperatum cecidiſſe didiciſſet: magnum tamen iam exercitum coëgerat, in quo bis mille quingenti grauis cum ſuis hippotoxotis, octingenti Græci leuis armaturæ equites, Germanorum peditum decem, Gallorum octo millia, mille item Heluetij recenſebantur. Cæterum Angli longè viribus ſuperiores erant: in quorum exercitum nouis militibus quotidie confluentibus octoginta tam equitum quam peditum millia coiiſſe ferebantur. Germani enim qui vel cum Cæſare acceſſerant, vel eundem poſtea ſequuti erant, Anglorum ſtipendium merebant. Ipſéque adeo Cæſar in priuatum menſæ ſumptum centum quotidie ab Henrico nummos aureos recipiebat, nec Regis non ita potentis mercenarium eſſe Germanum Imperatorem pudebat. Tornacum proficiſcentes Cæſar atque Henricus ad Inſulam Flandrici agri oppidum decem milliaribus, hoc eſt, quinque leucis Gallicis Tornaco diſtans diuerterunt: leucas autem vulgari noſtro ſermone inde dictas arbitror, quod olim albis lapidibus deſignarentur. Eodem paulo ante Margareta Cæſaris filia patrem Regémque exceptura cum nobiliſſimis, & pulcherrimis Belgarum matronis ac virginibus Gandauo profecta conceſſerat. Ibi aliquot dies conuiuiis, ſpectaculis, choreis impenderunt, interim dum exercitus Tornacum peteret, & caſtra opportunis ad oppugnationem locis collocaret. Ibi Belgæ cum Britannis equorum decurſionibus, ludicriſque præliis, aliiſque certaminibus decertarunt. Henricus enim forma præſtantiſſimus, & admodum adoleſcens, muliebribúſque amoribus deditus his ſe facilè dabat, rerum bellicarum dux nouus obliuiſcebatur.

Iacobus IV. Scotiæ Rex in prælio trucidatur.

46 Vbi ſatis lætitiæ indultum eſt, inſtitutum iter Cæſar Henricúſque perſequuti ſunt. At poſtquam Tornacum appulerunt, Cæſar voti compos, nec quicquam amplius ex ea expeditione ſibi pollicens, atque Anglos militaris diſciplinæ rudes temerarióſque accuſans, ſe ſtatim in Germaniam proripuit. Tornacenſes quamquam libertatem amiſerant, tamen moderati Gallorum imperij memores dominos mutare nolebant. Idcirco quoſuis ferendis armis idoneos conſcripſerunt, & ad triginta millia coaleſcentes pro patria fortiter propugnare decreuerunt. Verum vbi bonam murorum, aggerúmque partem magna tormentorum vi proſtratam viderunt, militiæ haud aſſueti, & ſtrenuo duce carentes ac tantum exercitum in conſpectu habentes, tum vero de Gallorum auxilio deſperantes, quos treis ingenteis fluuios interiectos hyeme iam inſtante traiicere poſſe veriſimile non erat, animis conciderunt, & de deditione verba fecerunt: centum nummûm aureorum millibus mulctati, ne in prædam militibus darentur, Henricum in vrbem admiſerunt: admiſſus arcem extruendam curauit, præſidióque impoſito, quod October ad finem inclinaret, & hyems iam vrgeret, ſe ad reditum comparauit, & Germanos equites, peditéſque dimiſit, nihil dignum tanto exercitu, aut quod è re ſua eſſet, exequutus: nam Taroanna exciſa in Ludouici poteſtate remanebat: Tornacum non niſi magnis impenſis retineri poterat. Reditum eius accelerauit pupilli Scotiæ Regis imbecilla ætas: cuius regno, quod ſororis filius eſſet, prouidere, atque id tamen ad ſuas rationes accommodare in animo habebat: & nuper Ioannes Stuardus Albaniæ regulus è Scotorum Regia ſtirpe Regi proximus Iacobi Regis ad Tylum fluuium nuper cæſi frater patruelis à Ludouico miſſus in Scotiam traiecerat, & regni adminiſtrationem de Scotorum optimatum conſenſu ſuſceperat. Henrico in Angliam reuerſo Ludouicus quoque exercitum dimiſit, Germanos tamen pedites retinuit, maius etiam diſcrimen in proximam æſtatem ſibi impendere veritus: nam ſe rediturum Henricus acerba denuntiatione iactauerat, & Cæſarem ſemper ergà ſe malè animatum Ludouicus ſciebat. Ferdinandum qui ſe de induciis diligenter, variiſque artibus apud vtrumque purgarat, ſuſpectum habebat: & ne eoſdem à ſe prorſus abalienaret, ſimul arma ſumpturum ſuſpicabatur.

Tornacû Anglis quibus legibus deditum.

Ioânes Stuardus Albaniæ regulus.

47 Suſpicionem augebant Ferdinandi litteræ ad legatũ ſuum apud Cæſarem agentem interceptæ: quibus ſe ſacrum bellum ſuſcepturum, & omneis vires ad recuperandum Hieroſolymitanum regnum conuerſurum ſimulabat, aut potius, vt iſtud legatus ſimularet, paſſímque prædicaret, iniungebat. Cæterũ apud Cæſarem ſedulò agebat, vt principatum Me-

diolanenſem ad Ferdinandum communem nepotem, ſed natu minorem transferrent: id ſi ad felicem exitum perduceretur, omnem mox Italiam ſibi ſine vlla exceptione parituram, ipſúmque Cæſarem facile ad Pontificatum Romanum peruenturum, vti ſemper à Mariæ Burgundæ vxoris morte cupiiſſet, & Carolo nepoti natu maiori Germanico Imperio ceſſurum: res tamen ita arduas non ſtatim, ſed temporis decurſu, & captatis bonis occaſionibus perfici ſolere. De Heluetiis quàm ſibi infenſi eſſent, nihil omnino Ludouicus dubitabat: quos etiam ſi æquiſſimas conditiones offerret, placare nullo modo poterat. Acceſſerat recens querela, quod enim datos à Trimullio obſides, niſi Ludouicus promiſſis ſtaret, Heluetij ſe morte multaturos palam comminabantur, illi clam delapſi in Germaniam aufugerant. Itaque ne vel in Burgundiam, vel in Delphinatum Heluetij irrumperent, timebat. His curis anxius, & ne tot ſimul hoſteis infeſtos haberet, Anna Regina in id in primis incumbente, populóque efflagitante ſe Leoni Pontifici reconciliare decreuit: tametſi non ita pridem Iacobo Scotiæ Regi, ne aduerſus Anglum affinem arma ferret, Leo miſſo diplomate iniunxerat. Hinc ſub finem Decembris in octauo Lateranenſis Concilij conuentu legati Regij prolato eius mandato Piſanum damnarunt, Lateranenſe approbarunt: ſex Pontifices Gallos ex iis, qui Piſis conuenerant, Romam profecturos, & totius Galliæ nomine eandem profeſſionem facturos polliciti ſunt. Alios item, qui de pragmatica (vt vocatur) ſanctione diſceptarent ſubſequuturos, de qua arbitrium eidem Concilio permitterent. Quamobrem in eo ipſo conuentu non ſolum Pontifices ſeceſſionis rei, ſed & vniuerſa Gallia Chriſtianis ſacris reſtituta eſt.

Anno 1514.

Anna Galliæ Reginæ mors.

Anni huius ſæculi decimiquarti initio Anna Galliæ Regina quarto Nonas Ianuar. in 48
grauem morbum incidit, quinto Idus diem ſuum obiit, mulier pia in primis ac prudens, idcircóque non ſolum à ſuis Britannis, ſed & ab vniuerſa Gallia multum diúque defleta. In magnum diſcrimen anno ſuperiore Gallia incurrerat: itaque Leo Pontifex, ne Ludouicus animum deſponderet, veritus, atque alteram filiam alterutri Cæſaris, Ferdinandíque nepoti conceſſo in dotem Mediolanenſi principatu collocaret, Heluetiis ſuadere cœpit, ne nimio aduerſus Gallum odio prouecti, quod ex Romani Pontificatus propugnatione, Mediolanenſiſque principatus in integrum reſtitutione concepiſſent, in aliud maius malum præcipites ruerent, & de libertate tandem ſua decertare cogerentur. Noſſe ipſos quam ſibi Cæſar, Ferdinandúſque infeſti ſint: cum his ſi ſe Ludouicus coniungat, non ſolùm de Romani Pontificatus, ſed etiam de totius Italiæ libertate actum eſſe; quinetiam propugnatores ipſos in idem diſcrimen venturos: quis enim tribus his principibus conſentientibus reſiſtat? Bello aduerſus Sueuos, quid ſolus Maximilianus potuerit, Heluetios ſatis fuiſſe expertos, fortunæ aduerſus viros etiam fortiſſimos ſuum ius eſſe: potentes exercitus à multo imbecillioribus ſæpenumero caſu nec opinato ſuperatos. Fruſtra foris arma fortiter tractari, ſi domi conſilium deſit: omneis, quotquot floruerint, Reſpub. non minus pacis quàm belli artibus ad magna imperia perueniſſe: longè ſatius eſſe Diuionenſis pactionis conditiones moderari, quam ſe ſtolida pertinacia præcipitare in præſentem ruinam. Ludouicum maiorem nunc quàm tum pecuniam offerre: inducias in triennium cum Mediolanenſibus paciſci cupere, modò de ſuo iure decedere non cogatur: ceſſionem ipſam plus in ſpeciem, quam reipſa momenti habere. Si enim mox recuperandi Mediolanenſis principatus ſeſe occaſio offeret, ceſſionem apud Regem non plus, quàm ipſe volet, profuturam. Contra Regem hortabatur, vt vitando maiore malo in minus ſe labi quodam modo pateretur: cedere iure Mediolanenſis principatus durum, atque indignum videri, at huiuſce pactionis Ludouicum haud fuiſſe authorem: ne datam à ſuis fidem fallat, eo perductum in nullam infamiæ notam incurrere: laborandum quidem illi eſſe, vt honeſtiores ab Heluetiis conditiones impetret, qua in re Leonem paterno officio ſibi affuturum expectaret. Sed, ſi id impetrari non poſſet, neceſſitati parendum: ne etiam illi à ſocietate, quam cum eius hoſtibus coiſſet, iuſtam diſcedendi occaſionem auferret. Quantò vero turpius eſſe ſi quadam veluti timiditate, atque ignauia naturales hoſteis tanto principatu augeat, qui illum regno ſuo exturbare totis viribus conati ſint, qui toties datam illi fidem fefellerint, vt nihil cum iis certi conſtituere poſſit. Hæc vera aliqua ex parte eſſe Ludouicus agnoſcebat: tamen, quod cohortationi minas Pontifex addidiſſet, leuiter querebatur: ſed omnia prius experiri, quàm de ſuo iure decedere decreuerat. Quam ſententiam omnes qui illi à conſilio erant, omnéſque adeo aulici ac viri nobiles facilè ſequebantur: Regem enim à barbaris hominibus anguſtorum, & penè deſertorum montium incolis eò neceſſitatis adigi indigniſſimum putabant.

Quid Leonem Pontificem impulerit Heluetiorum cum Ludouico reconciliationem procurare.

At

Digitized by Google

Heluetij in Burgundiam inuadere minantur.

49 At longè maior inter Heluetios Gallico nomini infeſtiſſimos pertinacia ſeſe declarabat, qui recentibus victoriis ſuperbi principatum Mediolanenſem aduerſus omneis ſimul Chriſtianos principes ſe defenſuros iactabant, & niſi Diuionenſi fœdere ſtaretur, ſe rurſus in Burgundiam inuaſuros minabantur: tametſi quater centena illa nummûm aureorum millia ſtatim, mox præſcripto tempore octingenta ſe numeraturum Ludouicus ſpondebat: quam temeritatem Sedunus Cardinalis, cuius authoritas apud Heluetios olim flagrantiſſima, tum admodum refrixerat, cæterique, qui apud eam gentem plus poterant, trium horum principum conſenſum horrentes non quidem palam, ſed de conuentu, in conuentum huiuſmodi conſultationem differentes, cohibere conabantur: ſuſpecti enim ſuis ob eas, quas à Ludouico accipere ſolebant, penſiones, quod intendebant palam eloqui non audebant. Quapropter Ludouicus de indomita barbaræ gentis pertinacia nihil boni æquique ſperans de filiæ matrimonio ſeriò cum Ferdinando agebat: in quo, vt quondam, ea potiſſimum difficultas interueniebat, an ſponſa in parentum donec ad nubiles annos perueniret, an in Cæſaris, Ferdinandiue poteſtate remaneret. Nam ſi in parentum poteſtate remaneret, nihil certi ex ea conuentione ſibi ſpondere poſſe Cæſar Ferdinandúſque prædicabant: qui enim datam Ludouico fidem ſæpius fefelliſſent, ne par pari aliquando referretur, timebant. quam difficultatem, cæteráſque, quæ occurrebant, Ludouicus de induſtria ſuſpenſas tenebat, & quæ inter ſe, Cæſarem, Ferdinandum pertractabantur, clam diuulgabat: vt quam ſua intereſſent, cæteri hoſtes animaduertentes ſibi facilius reconciliari poſſent. Hoc matrimonium vt maturaretur Quintænum, qui illi ab epiſtolis erat, Ferdinandus ad Ludouicum miſit, quem ad eundem eadem de cauſa anno ſuperiore miſerat, à quo ad Cæſarem Ferdinando mandante progreſſus, inde ad Ludouicum rediit. Vtque pax facilius iniretur, Quintænum de Ferdinandi mandato inducias iiſdem conditionibus, quibus antea conceptæ erant, in alterum annum renouauit, niſi quod additæ nonnullæ fuerunt: nempe ne bellum Ludouicus interim Mediolanenſibus inferret, quo capite nec Genua, nec Haſta continebantur. Quam conditionem Ludouicus quoad poterat, tacebat; tametſi eandem tota Hiſpania publicè diuulgandam Ferdinandus curauit: vnde ſuſpenſos omnium animos tenebant verum verius eſſet aut quod ille inficiaretur, aut quod hic affirmaret. Cæſari, Anglóque vt induciis, ſi ita videretur, comprehenderentur tres menſes præſcripti: pro vtroque ſpondebat Quintænus, quanquam de Anglo veriſimile non erat: Cæſarem Ferdinandus has inducias matrimonij tantopere ab vtroque optati quaſi pronubas vocans ad ſe pertraxerat.

Ludouicus seriò de filiæ matrimonio cum Ferdinando agere proponit.

Induciæ cum Ferdinando ad annum protractæ.

Cur Leo Pontifex Max. Venetos Cæſari reconciliari velit.

50 Induciæ renouatæ Leonem in magnam ſuſpicionem adducebant, ne quid grauius tres potentes principes inter ſe conſentientes aduerſus Italiam molirentur. Hinc Heluetios, quibus etiam eædem induciæ ſuſpectæ erant, vt cum Ludouico Rege conuenirent, deintegro cohortabatur. Et vt Ludouico, ſi fortè inter eum, Cæſarémque, ac Ferdinandum ſocietas iniretur, difficiliorem in Italiam deſcenſum redderet, Venetos Cæſari reconciliare totis viribus conabatur. Senatus propter res bellicas non ſatis feliciter ſuccedenteis, quibus incendium, quod maiorem, magiſque habitatam vrbis partem hauſerat, nuper acceſſerat, nihil à ſua conſtantia declinans inducias, quæ Cæſari receptas vrbeis magis confirmarent, reſpuebat; aut pacem integram, aut bellum poſcebat. Res diu agitata propter varios belli euentus, diuerſámque ex euentibus ſpem componi haud poterat: quum enim Vicentiam Venetis relinqueret Cæſar, Veronam ſibi exciperet, hanc quoque ſibi reſtitui Veneti depoſcebant: quum Veneti bello afflicti Verona cederent, Vicentia contenti eſſent, Cæſar vtramque retinere contendebat. Quibus contentionibus fatigatus Leo arbiter, ſed ſub certis conditionibus (vt ſupra commemoraui) ab vtriſque delectus, nec ſe quicquam proficere agnoſcens, quanquam vtroſque arbitrio ſuo haud ſtaturos intelligebat, tamen ne per ipſum, quin conuenirent, ſtetiſſe videretur, tandem ſententia ſua pacem inter vtroſque pronuntiauit; ea quidem conditione, vt arma ſtatim vtrimque ponerentur: qua pace ſimul, & ab armis vacatione Ferdinandus quoque comprehenderetur. Cremam Veneti, Vicentiam Cæſar, & quicquid is in Patauino, Tauriſanóque agro Hiſpaniue poſſiderent apud ſe deponerent: cætera vti tum poſſidebant in poſterum quoque poſſiderent, donec reliquæ pacis conditiones ederentur, quas ſe intra annum editurum Leo pollicebatur: vtrique ſimul, & Ferdinandus pacem intra menſem ratam haberent: ac tum demum viginti quinque nummûm aureorum millia Cæſari, altera viginti quinque poſt treis conſequenteis menſes Veneti penderent: ſi intra menſem pax rata non haberetur, ſententia nulla eſſet. Quam nouam arbitrij pronuntiandi rationem ne alterutros offenderet, & quòd legatus Hiſpanus ad pacem confirmandam mandatum à Rege ſuo non

non haberet, tametſi Ferdinandum confirmaturum promittebat, Leo ſequutus eſt: tempus idoneum, quo & à Cæſare, & à Ferdinando mandata legati acciperent, præſcripſit: ſed quod Veneti, niſi omnes pacis conditiones ſtatim ederentur, ratam habere noluerunt, arbitrium nullum fuit.

Hoc ipſo tempore Proſper Columna cum ducentis grauis, totidem leuis armaturæ 51
equitibus, bis mille peditibus Eſenengij, ex altera parte Syluius Sabellus cum ſua equitum ala, ac totidem peditibus Vmbriani, altero vterque à Crema milliari caſtra habebat: vrbi peſte, & commeatus penuria laboranti præerat Rentius Ceres; is leuibus prælijs hoſteis ſæpius prouocabat. Tandem noctu Syluium aggreſſus multos ex eius peditibus cecidit, cæteros fudit: hinc Proſper cum ſuis pedem retulit, & ab obſidione diſceſſit. Rentius inter præcipuos Italiæ duces numeratus eſt: nec ita multò poſt Liuianus cum ducentis grauis, quadringentis leuis armaturæ equitibus, ſeptingentis peditibus in Foroliuianum agrum excurrit: Riccianum Germanorum præfectum cum ducentis grauis, trecentis leuis armaturæ equitibus, ad Portonouum aggreſſus cepit, eius equites aut trucidauit, aut in fugam vertit, ac Portonouum diripuit: inde Oſoſum à Frangipane circumſeſſum contendit. Frangipanis de eius aduentu certior factus obſidionem ſoluit: abeunteis perſequutus Liuianus impedimentis, tormentiſque ſpoliauit, & Goritia nequicquam tentata, cæſis ducentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus bis mille peditibus Patauium rediit. Reditum accelerauit quod Hiſpani Patauinum agrum popularentur, & redeuntem vrbis aditu prohibere decreuiſſent. Poſt cuius diſceſſum Chriſtophorum Frangipanem, qui Gurcenſis Cardinalis ſororem in matrimonio habebat, Ioannes Vetturius Venetorum legatus in Altinatium finibus ex inſidiis cepit: Germani coeuntes Cremonium, ac Monfalconem deintegro receperunt, Venetos Maranum oppugnanteis ſolutis ordinibus aufugere coegerunt, eorum Epirotas fuderunt, Ioannem Vetturium cum centum cataphractis equitibus ceperunt: ita leuibus excurſionibus bellum inter Cæſarem Venetóſque continuabatur, nihil memoratu dignum gerebatur: quæ quidem ſilentio tranſmitti poterant, niſi quam frigidè in bellum Cæſar incumberet, paucis attingere ab inſtituto meo non alienum iudicaſſem. Interim dum lentè bellum in Italia duntaxat geritur, cæteris in locis ab armis abſtinetur, Heluetios enixè per legatos ſollicitabat Ludouicus, vt Diuionenſis fœderis id maximè caput moderarentur, quo Regem Mediolanenſis principatus iure ceſſurum cautum erat: id ſi induceretur, octingenta nummûm aureorum millia certis penſionibus ſe numeraturum, & quadringenta nihilominus eodem fœdere comprehenſa ſtatim repræſentaturum ſpondebat. Sed nullis conditionibus ea natio flecti poterat, quæ victoriis aliquot non minus caſu, quàm virtute, partis inflata cæteras omneis præ ſe deſpiceret, & auri cupiditate incenſa ex alieno iure immenſum quæſtum facere decreuiſſet. Hinc quod Galli obſides mortis denuntiatæ metu ſe ſubduxiſſent, furore amens Genuenſem adminiſtratorem ingentibus minis coegit, vt Gratianopolitani Senatus magiſtrum, qui ea in vrbe Ludouici negotia procurabat, & cum illis ipſis de eodem fœdere pertractabat, ſibi in manus traderet: deditum num quis è ſuis penſiones adhuc à Rege acciperet, aut cum eodem clam aliquid moliretur, percontata, acerrimis quæſtionibus torſit: nec vlla boni & æqui prolata ratio immanem feritatem cohibere potuit. Leonem clam Heluetios cohortari ſuſpicabatur Ludouicus, ne ſe non comprehenſo cum Rege conuenirent: non quo eoſdem ad bellum Gallicum impelleret, à quo, quoad poterat, reuocabat: ſed ne vel à Diuionenſi fœdere diſcederent, vel Regis ſocij à ſe aliquando diſiungerentur. Idcirco eidem ſe propediem cum cæteris ſuis hoſtibus conuenturum, ne omnibus vnus in prædam eſſet, Ludouicus denuntiabat: tantis nimirum belli impenſis exhauſtus erat, vt eorum nonnullis ſe reconciliare cogeretur; Germani quoque pedites ad viginti millia, quorum bona pars tardius, nec niſi interim dum Anglus Tornacum circumſederet, acceſſerat, miſeram plebem grauiter affligebant: quos ideo retinuerat Ludouicus ne imparatus, vt ſuperiore anno, à tot hoſtibus variis ex partibus irruentibus obrui facilè poſſet.

Syluius Sabellus à Proſpero Columna fuſus.

Diuionenſi fœdere Ludouicus ſe grauiter læſum conquerstur.

Primam reconciliationis ſpem Gallis infeſtiſſimus Anglus præbuit, qui renouatas inter 52
Ludouicum Ferdinandúmque inducias, & mox à Cæſare confirmatas moleſtiſſimè ferens palam apud omneis nationes de ſoceri perfidia querebatur: inuitum ſe, & contra poſtremum moribundi patris mandatum ad bellum Gallicum à ſocero impulſum, qui nihil vnquam cum Gallo niſi de generi conſenſu ſe pertractaturum ſanctè promitteret: ter ſocerum datam ſibi fidem fefelliſſe, nuper quidem tum quum maximè bellum arderet, & tantas quantas nunquam antea Rex Anglus eadem in expeditione belli impenſas feciſſet. Quid in poſterum de eo ſperandum? iam ſe à Gallico bello prorſus abhorrere, & ſupremam

Digitized by Google

mam patris vocem, quam falſa ſoceri promiſſa ſibi longè vtiliorem ducere. Hi ſermones quum tota Anglica aula circumferrentur, & ad Longauillanum ibi captiuum perlati eſſent, is occaſione vſus de Ludouici ac Mariæ Henrici ſororis matrimonio agere cœpit; à quo Henricum non alienum nactus Ludouicum de his omnibus certiorem reddidit. Ludouicus & ſuſcipiendorum marium liberorum, & recipiendi Mediolanenſis principatus cupiditate ardens ad Longauillanum ſcripſit, vt porrò pergeret, & quoad poſſet matrimonium promoueret, ſe paucis poſt diebus legatum hoc nomine in Angliam miſſurum. Iam duodecim Germanorum peditum millia, quibus ſtipendium Ludouicus numerarat, in Angliam tranſmiſſura decimo Kal. Maias qui tum Chriſto è mortuis excitato feſtus dies fuit, in Normania coierant vt Suffolcium regulum eius regni æmulum in regnum reducerent. Hoc nuntio accepto Germanos retinuit Ludouicus, & Suffolcium vt conatum ſuum in aliud tempus differret, monuit. Rumore de hoc matrimonio Romam ad Cardinalem Liceſtrianum primum, deinde ad Leonem, perlato, Leo cum eodem Cardinale ſedulo egit, vt Henrico perſuaderet, ne deinceps in bellum Gallicum tanto ardore incumberet: parta iam bellica gloria contentus & fidei à Cæſare, à Ferdinando, ab Heluetiis violatæ memor, ab armis abſtineret: ne Ludouicum cum illis affinitatem iungere, cum iſtis quauis mercede, quoquo pretio, coire ſocietatem cogeret. Id enim Leo ipſe, cæteríque Itali mirandum in modum pertimeſcebant: alioqui & quoquo modo pax fieret, quam impedire non poſſet, in ea gratiam ſuam interpoſitam volebat. Miſſus eſt in Angliam ſummus quæſtor Normanicus, ſed quaſi de redimendo Longauillano acturus: vbi in Inſulam appulit, ſtatim vacatio ab armis in continente dumtaxat inter Gallum Anglúmque proclamata eſt, tantiſper dum quæſtor in Anglia maneret.

De matrimonio Ludouici & Mariæ Henrici Angli ſororis agi captum.

Itali Ludouici ac Mariæ Henrici Angliæ Regis ſororis matrimonium cur auerſentur.

53 Leo rem admodum promoueri certior factus Tricaricenſem Pontificem curſoribus equis ad Ludouicum accelerare iuſſit, Leonis authoritatem operámque omnem oblaturum. Is de Ludouici conſenſu in Angliam tranſmiſit: magnæ initio interceſſerunt altercationes, Bononiam enim Belgicam Henricus, ingentémque auri vim, & Suffolcienſem præterea regulum depoſcebat. Verum hunc dedere, quemadmodum fratrem eius natu maiorem Henrico huius Henrici patri Philippus Cæſaris filius, ſed coactus, dediſſet, Ludouicus omnino recuſauit; Gallia tamen excedere iuſſit, & ad Mediomatrices profecto ſex Turonenſium librarum millia in penſionem annuam quotannis numeranda attribuit: is quoties bellum cum Anglis erat, in Galliam redibat, & tandem (vt ſuo loco dicemus) Ticinenſi prælio cæſus eſt. Poſtremo in vno Tornaco controuerſia conſtitit: vrbem nobilem, Galliſque in primis fidam recipere Ludouicus, Henricus retinere cupiebat: idcirco Tricaricenſem Pontificem ad Ludouicum remiſit Henricus, vt eundem cohortaretur, ne in procuranda vtriuſque regni quiete nimis argutus diſceptator eſſe pergeret, nihil ſigillatim indicaret. Ludouicus, vt populo ſatisfaceret, rem ad frequens conſilium retulit: omnes pacem amplexandam, & vel vnius vrbis iactura redimendam cenſuerunt: tametſi eandem interturbare Ferdinandus conabatur, & Ludouico ad recuperandum Mediolanenſem principatum magna auxilia pollicebatur. Itaque menſis Auguſti initio pax inter Ludouicum Henricúmque in totam vitam, & annum præterea ab alterutrius morte concepta eſt, ea conditione, vt Tornacum Henricus retineret: cui Ludouicus ſexcenta nummûm aureorum millia certis penſionibus dependeret, hoc eſt, centena quotannis Turonenſium librarum millia numeraret: alter alterius regnum, ſi bellum terra gereretur, decem; ſi maritimum eſſet, ſex peditum millibus tueri teneretur: in cæteris bellis mille ducentis cataphractis equitibus Henricum Ludouicus, Ludouicum viciſſim Henricus decem peditum millibus iuuaret, ſed eius ſtipendio afficiendis, cui auxilio opus eſſet. Vterque Scotorum Regem, Carolum Auſtriacum Cæſaris nepotem, Germanicum Imperium, inter fœderatos nominauit; quinetiam & Heluetios: verum ea conditione, vt quiſquis principatum Mediolanenſem, Genuam, Aſtam aduerſus Gallum tueretur, fœdere excluſus eſſet. Pacem ſumma vtriuſque Regis, ac nationis cupiditate initam conſequutum Ludouici cum Maria Henrici ſorore matrimonium confirmauit. Sponſalia in Anglia facta ſunt, quibus Hiſpanum legatum Ferdinandi odio incenſus Henricus intereſſe noluit: nuptiæ Abbeuillæ in Gallia ſeptimo Idus Octob. celebratæ.

Tricaricenſis Pontifex à Leone ad Ludouicum deſtinatus.

Pax inter Ludouicum & Hẽricum concepta, & quibus legibus.

Matrimoniũ Ludouici cũ Maria confirmatur.

54 Hoc ipſo anno decimo quinto Kalend. Iun. ad Germani Fanum Claudiam Ludouici maiorem natu filiam Franciſcus Valeſius Engoliſmenſis regulus vxorem duxerat, cuius matrimonio Anna matre ſuperſtite potiri haud potuerat: quæ filiam Carolo Auſtriaco Cæſaris nepoti collocare deſtinarat, & alioqui Ludouicam Sabaudianam Valeſij matrem acerbo odio proſequebatur. Vix pacis huius conditiones acceptæ vtrimque erant, quum

Cæſaris

Cæſaris mandatum de confirmandis à Ferdinando initis induciis; item alterum ſimul & eiuſdem Ferdinandi de Ferdinandi Auſtriaci communis vtriuſque nepotis natu minoris, ac Renatæ alterius Ludouici filiæ, quæ vix annum quartum attigerat, matrimonio iiſdem conditionibus, quibus antea conceptum erat, necdum confirmatum, ad exitum perducendo ad Ludouicum perfertur. Sed pax ſuis conditionibus ſtetit, matrimonium in aliud tempus dilatum eſt. Pax inter Gallum Anglúmque repente præter omnium penè opinionem inita, Cæſari Ferdinandóque vehementer diſplicuit: qui Mediolanenſis principatus ad alterum ex nepotibus transferendi ſpe ſe fruſtratos videbant. Sed nec Leoni magis accepta fuit, qui eundem principatum ad Ludouicum redire nolebat, & inducias potius inter eos Reges, quàm pacem, aut ſi pax fieret, iniquioribus Ludouico conditionibus eandem conceptum iri ſperauerat; & Ludouici, cæterorúmque principum amicitiam variis artibus, diuerſiſque propoſitis argumentis ambiebat. Itaque per Seuerinatem Cardinalem, qui Romæ Ludouici negotia procurabat, apud Regem egit, vt quandoquidem apertam ſocietatem coire tempora, & diuerſæ occaſiones non ſinebant, ſaltem fundamentum interim iaceretur, à quo firma amicitia, atque arcta ſocietas initium ſumere, paulatim extrui, nitique aliquando poſſet, & deſcripta in hanc rem ad Ludouicum capita miſit, quæ ille grato quidem animo accepit, ſed paulò in reſpondendo prolixior fuit. Hinc ſuſpiciosus Leo cum Cæſare & Ferdinando conuenit, vt pro tuendis ſuis ditionibus mutua in annum dumtaxat ſibi inuicem auxilia ferrent. Nihil præterea addidit: Leonem enim ad regnum Neapolitanum aſpirare, vt id ad Iulianum fratrem transferret Ferdinandus non fruſtra ſuſpicabatur: nam ea de re cum Venetis non ita pridem Leo egerat. Vix conuenerant, quum capita ſupra commemorata, quæ iam rata habuerat, Ludouicus ad eum remiſit: excuſauit ſe Leo ob recentem ſocietatem, quam breuem eſſe, nec aliqua ex parte Ludouico nocere, nec iam deſcripta conuentorum capita impedire docuit. Hinc non diplomate, aut inſtrumento publico, ne in vulgus effluerent, ſed ſcripto vtriuſque manu ſubſignato eadem confirmarunt.

Leonis cum Imperatore, Ferdinandóque ſocietas.

Omnes Ludouicum ad Mediolanenſem expeditionem ſe comparare pro certo habebant: ſed an eandem in proximum annum differret, incerti erant, quod non ſatis magnos belli apparatus videbant: ardentem, quoad poterat, incitabat Leo, & quò illum proficiſci minimè omnium cupiebat, ſedulo impellebat. Monebat copias Hiſpanicas vehementer imminutas, nec ſtipendio affectas, Mediolanenſes ad extremam inopiam redactos, nec ſupereſſe, vnde Heluetiis ſtipendium pendatur, præſenteis occaſiones elabi ne ſineret, rurſum haud fortaſſe redituras. Id moliebatur Leo, tum vt beneuolentiam Regis aucuparetur, tum quod eundem recentibus induciis cum Hiſpano initis, ne hoc anno Mediolanum adoriretur, impediri certo ſciret: quam conditionem induciis contineri Ludouicus ſemper inficiatus alias excuſationes attulit: nuper commemoratam ſilentio penitus tranſmiſit, quæ fortaſſe non ſuſcipiendæ huius expeditionis princeps cauſa fuit. Genuam tamen hoc anno aggredi deſtinabat, quod viginti (vt dixi) Germanorum peditum millia omnémque equitatum paratum haberet, & Laternam Genuenſem arcem Gallicum præſidium teneret; ad quam nonnullum, ſed rarum, commeatum non ita dudum nauigiolis aliquot Genuam petere ſimulantibus importandum curarat. Verum ea in arce penuria erat, vt diutius expectare præſidiarij non poſſent, neceſſitate victi dedere cogerentur: deditam ſtatim Genuenſes Octauo Fregoſio duce permittente à fundamentis penitus euerterunt. Vnde Ludouicus, quod hyems inſtaret, omnes ſuos conatus in conſequentem annum ſibi fatalem diſtulit, quos ad Mediolanenſem principatum armis repetendum conuertere in animo habebat: Leonem Pontificem ad ſe tranſiturum ſperabat, quod ipſum ad Mediolanenſem expeditionem cohortatus erat, quod in reconciliandis ſibi Heluetiis, quod in pace cum Anglo ineunda ſedulam officioſámque operam nauarat: præſertim vero quod omnem ſuam opem in recuperando Neapolitano regno promiſerat, modo id vel ad Iulianum fratrem, vel ad Romanum Pontificatum rediret. Verum Leonis mentem diuerſa eius conſilia animíque ſenſa cum aliis communicata ſatis aperiebant: cum Ferrarienſi regulo Gallorum fœderato penitus conuenire hactenus diſtulerat, quamuis Romæ Pontificatus ſui initio eundem magna reconciliationis ſpe compleſſet, Rhegiúmque poſt Cardinalis Ateſtini ex Hungaria reditum reſtituere pollicitus fuiſſet. 55

Laterna Genuenſis arx dedita & euerſa.

56 Reuerſo Cardinali eadem promiſſa non ſolum verbis, ſed etiam diplomate (quod Breue vulgo nominant) confirmauit, Rhegiíque quaſi oppidi ad ipſius ditionem breui redituri vſumfructum, vt caperet, permiſit. Albertus Carporum Comes tum Cæſaris apud ipſum legatus, Ferrarienſiſque acer inimicus, ac plerique alij vel eodem animi affectu incitati, vel

Digitized by Google

vel Leonem adulantes nunc Iulij res geſtas, laudémque quam ex aucto Romano Pontificatu ſempiternam reportaſſet, illi ob oculos ponebant: nunc fratris Iuliani ad ſummas opes honoréſque promouendi occaſionem elabi ne fineret, ſuadebant: qui ad res nimis arduas ſuſpiciens, atque immoderata ſpe animum interim paſcens, Laurentio fratris filio hæreditaria in Florentinos Medicææ familiæ authoritate, aut (vt verius dicam) dominatione ceſſiſſet, necdum quicquam ſe dignum conſequutus eſſet. Horum cohortationibus impulſus Leo, id quod paulò ante mortem Iulius tentaſſet, ad exitum perducere ſtatuit; vt ſibi Mutinam Cæſar quadraginta nummûm aureorum millibus oppigneraret, egit, atque à pecunia ſemper egente facilè impetrauit. Hanc ſimul, & Rhegium, Parmam, Placentiam in eundem principatum coniungere, & fratri Iuliano vel in perpetuam adminiſtrationem, vel ſub Pontificij legati, ſeu vicarij, nomine tradere, Ferrariam etiam, ſiquando ſeſe occaſio obtuliſſet, addere decreuit. Huiuſmodi oppigneratio, quæ tacitam inter Leonem Cæſarémque ſocietatem indicabat, ſuſpectum Ludouico Pontificem reddidit, & Cæſarem pecunia adiutum Ludouicus quoque permoleſtè ferebat, quem à Mediolanenſi regulo ſtare non ignorabat. Leo Mutinam in pignus longè antè creditæ pecuniæ datam confirmabat. Suſpicionem auxit quod de Selynij Turcarum Imperatoris victoria, qua Hiſmahelem Sophum Perſarum Regem ſeptimo Kal. Septemb. in Calderanis campis non longè à Choi vrbe, quæ veteribus Artaxata fuiſſe putant, ſuperarat, certior factus Leo, omneis principes Chriſtianos ad concordiam, pacémque vniuerſo Chriſtianiſmo conſtituendam cohortabatur, vt coniunctis viribus Turcam ſemifractum, plures enim è victoris, quàm victi, exercitu ceciderant, inuaderent, aut laceſſentem repellerent. Hæc obtendens Leo Petrum Bembum, qui illi erat ab epiſtolis, & non ita multò poſt Cardinalis creatus eſt, Venetias miſit, vt Senatum Cæſari reconciliaret. Id ſi efficeret, & Ludouico potenteis ſocios ſe detracturum, & Cæſarem Sfortiæ Mediolanenſis reguli affinem magna pecunia, quam à Venetis acciperet, auctum Mediolanenſem Gallorum expeditionem interturbaturum ſperabat.

Mutina Leoni oppignerata.

57 Id Veneti, qui à Gallorum ſocietate diſcedere nolebant, Ludouico indicarunt: quapropter is indignatus vt Leoni metum incuteret, intermiſſos de coeunda ſocietate ſermones cum Ferdinando renouauit; quos, ſi Leo iiſdem non commoueretur, ad exitum perduceret: tanto recuperandi Mediolanenſis principatus deſiderio flagrabat: & tamen quod eædem, quæ nuper interceſſerant, difficultates deintegro interponerentur, nihil inter Cæſarem, Venetóſque confectum eſt: quin potius bellum non quidem acre, ſed exiguis vtriſque copiis nunc lentum, nunc latronum more clandeſtinis inſidiis fallax, ac dubium, nunc quibuſdam excurſionibus paululum efferueſcens continuatum eſt. Hiſpani aliquot ob ſtipendium non exolutum defectionem ſimulantes, ac Patauium præfectis ſuis ſuadentibus ingreſſi, de necando Liuiano conſilium ceperant (ſic enim Veneti tradiderunt) vt tumultu ob clari ducis cædem exorto, neglectiſque cuſtodiis cæteros Hiſpanos vrbi appropinquantes intromitterent. Adeo ab illa antiquorum ducum magnanimitate degeneratum eſt, qui vera virtute vincere certantes, ſi quid tale ſtrui præſenſiſſent, id hoſtibus vltro denuntiaſſent. Coniuratione detecta ſonteis Patauini magiſtratus ſupplicio affecerunt: Hiſpanicæ copiæ, quod iamdudum nullum ſtipendium acceperant, numero multum imminutæ inter Montanianum, Coloniam, atque Ateſte conſederant. Inde arceſſentibus Germanis, qui Veronæ præſidio erant, ad turrim tertio à Vicentia milliari diu eoſdem expectarunt, vt coniunctis viribus Patauinum agrum vaſtarent, ſegetéſque vel aſportarent, vel corrumperent. Deinde mutato conſilio, quod Germani non ſatis maturè acceſſiſſent, Citadellam, quam trecenti leuis armaturæ equites inſederant, quo die tormenta admouerunt, facilè ceperunt, & ad priora caſtra circa Vicentiam redierunt. Liuianus ad Timauum loco munito conſederat, & quod prælij fortunam tentare Senatu Veneto mandante prohibebatur, continuis leuiorum equitum excurſionibus hoſteis laceſſebat. Hiſpani ob commeatus penuriam Vicentiam, Brendolinámque arcem Vicentia ſeptem milliaribus diſtantem reliquerunt: & indictis Veronenſi, Brixiano, Bergomenſi, viciniſque agris pecuniis victum interim ægrè tolerarunt. Liuianus inter Patauium, Batallámque loco munito caſtra fecit: vnde miſſis Ateſte quadringentis equitibus, mille peditibus oppidum atque octoginta leuis armaturæ equites intercepit; Ceruera præfectus in arcem euaſit.

Hiſpanorum aliquot defectionem ſimulantium prauum de necando Liuiano conſilium.

Ateſte oppidum à Liuiano interceptum.

58 Vbi recenteis milites à Senatu accepit Liuianus Montanianum profectus Cardonio prælij ineundi poteſtatem fecit. Ille viribus inferior in Poleſelianam peninſulam retroceſſit: inde Veronenſem agrum ad vrbis vſque portas quotidie excurrens Liuianus latè populatus eſt: cui vrbi timens Cardonius relictis Rodigij trecentis cataphractis equitibus ſe cum

ſe cum cætero exercitu Veronam contulit. Cremam interim Mediolanenſes copiæ in proximis oppidis, vicíſque collocatæ, binis caſtris quodam modo circumſedebant: ad Bernardini Fanum, Trauaconiámque foſſam Proſper dux maior, ex altera parte, qua Laudem Pompeiam Crema reſpicit, Syluius Sabellus conſederat: vrbem præterea infeſta lues, ac dura fames grauiter affligebant; accedebat, quod militibus multorum menſium ſtipendium debebatur, & tormentarij pulueris, ac pilarum, cæterarúmque rerum magna penuria erat: tametſi multò ante Senatum Venetum Rentius Ceres horum omnium certiorem fecerat, de dedenda vrbe ſe cogitare fere proteſtatus. Verum in his rerum difficultatibus egregio duci fortuna non defuit: Syluium Sabellum ducentorum grauis, centum leuis armaturæ equitum, mille & quingentorum peditum præfectum nec opinantem noctu aggreſſus facilè in fugam vertit, caſtríſque eius potitus eſt; Proſpero Columna ſocio laboranti ſuppetias ire non auſo Syluius ad Laudem Pompeiam cum quinquaginta equitibus aufugit. Veneti occaſione vſi commeatum deintegro, cæteráſque res ad propugnationem neceſſarias, in vrbem importarunt, & mille quingentos pedites Nicolao Scoto Comite præfecto ſummiſerunt. Rentius recenti milite auctus Bergomum à ciuibus accerſitus introiit: Hiſpani in Capellæ vicini montis arcem euaſerunt, quo tempore Mercurius Epirotarum præfectus, ac Malateſta Baleonus trecentos equites, qui extra vrbem in vicis propinquis ſecuri conſederant, interceperunt. Sed paulò poſt dum Scotus Comes cum quingentis Italis peditibus Bergomo Cremam redit, in ducentos Heluetios incidit: à quibus cum ſuis ſuperatus, captúſque eſt, & ad Mediolanenſem regulum deductus, quem quòd probris aliquando grauiter inceſſerat, capite pœnas luit. Cardonius, ac Proſper Columna, vt Bergomum reciperent, quinque peditum millia Hiſpanicis, Mediolanenſibúſque copiis adiunxerunt. Bergomum appulſi portam, quæ Diuæ Catharinæ dicata inde nomen accepit, tormentis acriter pulſarunt. Rentius tametſi foſſam decem pedes latam ponè muros intus duxerat, & ſacras campanas (vt vulgò appellantur) hactenus inuiolatas in tormenta conflarat, de conſeruanda vrbe deſperans, quod parum munita eſſet, & eius propugnationem temerè ſuſcepiſſet, de deditione egit: ipſe, ac milites tam equites, quàm pedites, ad quatuor millia ſalua omni ſupellectile, armis, equis, liberè, ſed ſine tubarum, ac tympanorum clangore exierunt: Bergomenſes octoginta nummûm aureorum millibus ob defectionem mulctati ſunt.

Nicolaus Scotus Comes captus, & capite damnatus.

Sed interim dum vario euentu ad Cremam Bergomúmque certatur Liuianus de in- 59
tercipiendo Rhodigio cogitans Atheſim ponte iunxit: centum milites ruſticorum habitu aſſumpto in oppidum præmiſit (ſiquidem in illum diem mercatus indictus erat) qui portæ compotes ſumma celeritate ſubſequutum intromiſerunt. Hiſpani, quòd inter ſe Venetáſque copias Atheſis interiectus eſſet, nihil tale metuentes ducenti cataphracti equites, aut paulò plures, in Liuiani poteſtatem venerunt, Garcias Mauricus præfectus Venetias miſſus, atque in cuſtodiam traditus, cæteri Hiſpani Abbatiam firmiſſimum eius regionis oppidum conceſſerunt: mox tota peninſula, Lemniacóque cedentes Ferrariam verſus aufugerunt. Liuianus aliquot dies in ea peninſula commoratus, quod hyems inſtaret, continuíque imbres vadentem militem malè afficerent, terrâ equitatum præmiſit: ipſe peditatu, impedimentis, ac tormentis in naueis impoſitis noctu, ne ab hoſtibus deprehenderetur, Atheſi Patauium delatus eſt, & copias ſuas in hyberna dimiſit, atque inter Patauium ac Tauriſum collocauit. Cardonius ac Proſper ſuas in Poleſelianam peninſulam miſerunt, & Ænipontem profecti cum Cæſare, quid in conſequentem annum ſuſcipiendum eſſet, deliberarunt. Ita bellum inter Cæſarem, Ferdinandum, ac Venetos ducebatur potius, quam gerebatur, aut frigidè adeo adminiſtrabatur, vt multùm quotidie de Germanici Imperatoris exiſtimatione decederet. Sub huius anni finem Fliſci atque Adurnij Mediolanenſi regulo procurante (vt tum rumor fuit) Genuam ingreſſi vſque ad aream palatio ſubiectam peruenerunt: quibus cum Prætorianis militibus obuiam prodiit Octauianus Fregoſius, atque inter cæteros egregiè pugnans hoſteis in fugam vertit, Sinibaldo Fliſco, Hieronymo Adurnio, Ioanne Camillo Montano Neapolitano, qui apud Maximilianum Sfortiam prætorij præfectus fuerat, captis. Hoc ipſo anno legationem perhonorificam Emmanuel Luſitaniæ Rex ad Leonē miſit de ſummo illi Pontificatu gratulaturam, obſequium exhibituram, raraque munera oblaturam: inter quæ Indici duo Elephanti plurimum excellebant, nauibus ex India in Luſitaniam tranſportati; vix alios poſt celebres illos antiquorum ducum Imperatorúmque triumphos Romani viderant: horum in vrbem ingreſſus magno populi concurſu celebratus eſt. At Ludouicus non in otioſis ſpectaculis tempus ignauè terebat, totus in bellum Mediolanenſe ferebatur; Leonem, vt ad ſe

Fliſci Adurnijque Genuam occupare nequidquam moliuntur.

tranſiret,

tranſiret, obſecrabat: ſin id recuſaret, oblatas à Cæſare, Ferdinandóque conditiones ſe acceptúrum profitebatur: Venetorum ſocietatem, regni Gallici potentiam, firmiſſimaſque vires contra Cæſaris, ac Ferdinandi exiguas in Italia militanteis copias, quæ vix ſolis Venetis reſiſtant, illi ob oculos ponebat. Cæſarem, ac Ferdinandum à pecunia prorſus imparatos ne ſuis quidem militibus ſtipendium ſuppeditare poſſe: tantum abeſt, vt Heluetios è ſuis montibus eliciant nunquam inde niſi numerata pecunia deſcenſuros: Mediolanenſes graue aliorum iugum expertos nihil aliud magis quàm ad mitem, & facilem Gallorum ditionem redire velle: Gallos victores nunquam in alienas poſſeſſiones irruiſſe; Mediolanenſem principatum, ac Genuenſem, regnúmque Neapolitanum hæreditarium ſibi vendicare: nihil vnquam aliud, præſertim quod ad Romanum Pontificatum pertineat, attigiſſe: cuius ſemper Gallorum Reges egregij propugnatores fuerunt: Cæſaris, ac Ferdinandi longè aliam eſſe mentem, qui dudum totius Italiæ imperium, aut armis, aut dolis, aut affinitatibus occupare nitantur. Quis enim ignorat Cæſarem omneis Romani Pontificatus ditiones à Germanico Imperio fraudulenter (vt ille prædicat) extortas eidem vendicare in animo ſemper habuiſſe; nunquam id diſſimulauit, ſæpenumero etiam palam iactitauit. Vniuerſam igitur Italiam in libertatem aſſerat Leo, præſenti occaſione vſus nunquam alias fortaſſe reditura: Romani Pontificatus maieſtatem in tuto collocet, Mediceæ familiæ authoritatem ſtabiliat: nec eandem vnà cum ipſa patria in ſeruitutem rapi patiatur.

60 At Cæſari, ac Ferdinando ſuæ rationes non deerant, quibus Leonem ſecum pro propugnanda Italia ſocietatem coire perſuadebant: coniunctos Gallum Mediolanenſi principatu expuliſſe, longè facilius bello partum aduerſus eundem conſeruaturos: meminiſſet Leo ſe Heluetiis pecuniam ſubminiſtraſſe, quum Alpeis Gallicus exercitus Trimullio duce tranſmiſit, ſe vnum Nouarianæ victoriæ cauſam fuiſſe, qui Heluetios domo eduxerit, & vt Gallos nondum coactis viribus vniuerſis adhuc imparatos adorirentur, effecerit, cuius iniuriæ, ſi forte victoria potiatur, Ludouicum non immemorem futurum. Sed dubium, & huc illuc vacillantem longè magis Heluetij confirmabant, qui acceptis in ſingulos menſes ſex florenorum Rhenanorum millibus ſe Alpium anguſtias ſex peditum millibus obſeſſuros, & Gallorum tranſitum impedituros pollicebantur: quod ſi quadraginta eorundem florenorum millia in ſingulos menſes numeranda adderentur, ſe Burgundiam viginti peditum millibus inuaſuros. His Pontifex permotus animi ſenſa aperire cunctabatur; quo enim præcipitem animi inclinatio propellebat, eundem ſuccedens metus inde retrahebat. Tandem quum tergiuerſantem Ludouicus vehementer vrgeret, ſe non ita multis ante menſibus Ludouicum, vt quod ſuum eſt, repeteret, enixè cohortatum eſſe reſpondit, tum quum ſine ferro, & ſanguine facilè recuperare potuiſſet: ea conſilia ad illius hoſteis non ſine magno vtriuſque diſcrimine perueniſſe, qui rebus ſuis ita prouiderint, vt iam non niſi valde ancipiti Marte, cruentáque admodum victoria ſuperare poſſit. Turcam ita recenti victoria auctum eſſe, vt neque ſuæ naturæ, neque Pontificij officij ſit, Chriſtianos principes ad mutua inter ſe bella ferenda cohortari, precari vt quod animo deſtinat, in aliud commodius tempus differat: quum ſe melior dabit occaſio, eandem ab ipſo beneuolentiam, quam non ita pridem declarauit, eadem ad augendam eius exiſtimationem officia expectet.

Leo Nouarianæ victoriæ cauſa.

61 Hæc mandata, ſi ad Ludouicum perueniſſent, Leonem & conſiliis, & armis cum ſuis hoſtibus coniunctum facilè intellexiſſet: verum interim dum perferuntur Kalendis Ianuar. Lutetiæ in regiis ædibus, quas Turriculas vocant, ad vicum Antonianum è vita exceſſit, & anni huius ſæculi decimi quinti initium ſua morte poſteris memorabile reliquit. Febrim ex nimio cum iuuencula vxore concubitu ortam produnt: quam conſequuta dyſenteria podagra laborantem, ac natura debilem, annos item quinque & quinquaginta natum paucis diebus exhauſit. Fuit Rex admodum pius, iuriſque & æqui obſeruantiſſimus, idcirco omnibus ex æquo Galliarum ordinibus chariſſimus. Hinc patriæ pater merito appellatus, quod omnibus iuxta ac familiæ ſuæ bonus paterfamilias, ſumma prudentia, ac diligentia prouideret. Regni initio quum à nonnullis domeſticis in eos, qui aduerſæ factionis fuiſſent, præſertim verò aduerſus Ludouicum Trimullium, quo duce ad Albini Fanum captus fuerat, incitaretur, factas Aureliano regulo iniurias vlciſci haud ſapientis Regis eſſe reſpondit: quales enim erga ſuperiorem Regem fuiſſent, tales erga ſe iam Regem in poſterum futuros. Nec vero minus belli, quàm pacis artibus clarus fuit: Abduano prælio aduerſus Venetos non aliter, quàm gregarius miles, ſe tormentorum pilis expoſuit,

Ludouici XII. Gallorum Regis mors Lutetiæ.

Anno 1515.

Eius inſignes virtutes breuiter recenſitæ.

& inter equites fortiſſimè depugnauit, vt iam alio loco commemorauimus. Bello aduerſus Genuenſes rebelles interfuit, à cæteris ætate prouectior ob corpus valetudini obnoxium abſtinuit. Si fortunam eius ſpectes & priuatus, & Rex variam, inconſtantémque nactus eſt: ex Aurelianenſi principatu non ita opulento ad tantum Galliarum Regnum Caroli Octaui natu minoris, ac duorum eius marium liberorum morte peruenit: Mediolanenſem principatum, ac regnum Neapolitanum mira facilitate ſibi vendicauit, Genuenſes rebelles eadem felicitate domuit; Italiam fere totam aliquot annos ſuo nutu moderatus eſt, Venetorum potentiam cum magnorum Regum viribus exæquandam ſolus vno prælio fregit, &, ſi victoriam perſequi voluiſſet, Venetias ipſas in ſuam poteſtatem facilè redegiſſet; quos poſtea viribus longe inferiores & diuturnis bellis exhauſtos Cæſar, ac Ferdinandus aggreſſi, multiſque annis coniunctis copiis laceſſentes nunquam domare potuerunt; quin potius affecto bello, & fama, & rebus geſtis inferiores diſceſſerunt. Contrà adoleſcens, & priuatus adhuc Ioannam Ludouici Regis eius nominis Vndecimi filiam virginem quidem probam, cæterum deformem, & toto corpore ita mutilatam, ac malè affectam vt ex ea liberos ſuſcipere non poſſet, vxorem ducere coactus eſt: quum Anna natu maior forma præſtantiſſima, quam ille ambiebat, Petro Borbonio nondum Boiorum regulo, ſed inopi adhuc, & à ſtirpe Regia longè remotiori nupſiſſet: nec idcirco ſoceri beneuolentiam, aut vllam ad hæreditarium Mediolanenſem principatum recuperandum opem impetrare potuit. Quo mortuo, & Carolo Rege pupillo relicto tum propter ætatem (nuper enim viceſimum tertium ſuæ ætatis annum ingreſſus erat) tum propter Annæ Caroli ſororis authoritatem, cui pater teſtamento fratrem educandum commiſerat, regni adminiſtrationem Gallorum more tametſi Regi ſanguine proximus haud aſſequutus eſt, quinetiam in Britanniam quadam veluti neceſſitate ſeceſſit: vbi ad Albini Fanum captus, & ad Bituriges deductus biennium, & paulo amplius in cuſtodia fuit. Adde Nouarianam obſidionem pariter ac famem, tot amiſſos in regno Neapolitano exercitus; amiſſos item Mediolanenſem, Genuenſémque principatus: poſtremo Galliæ regnum coniurantibus aduerſus eundem fere omnibus Chriſtianis principibus in ſummum diſcrimen adductum, cui ſe in poſtremo quaſi vitæ actu reconciliare velle fortuna viſa eſt, Anglo in ſocietatem vocato, regno extra periculum conſtituto, & non obſcura recipiendi Mediolanenſis principatus ſpe relicta: cuius expeditionis magnos iam apparatus fecerat, circiter ſedecim Germanorum peditum millia aduocarat, Carolum Borbonium vltimum Boiorum regulum, qui priorem, quam Trimullius ſuſcepit, recuſarat (vt ſupra memini) eidem præfecerat; Molináſque adeo præmiſerat, vt equites, peditéſque maturè Lugdunum contendere iuberet. Hæc meditantem mors repentina, atque inopina præuertit, luctuoſa quidem illis omnibus, qui prudentiam eius, ac bonitatem experti erant, ſed eorum poſteris multo luctuoſior, qui huius regni adminiſtrandi rationem ab illa multum diſcrepantem ad Ludouici exemplum reuocandam, atque ad eam regulam metiendam multis quotidie cum lachrymis depoſcunt.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER DECIMVS-QVINTVS.

Anno 1515.

Franciſcus Primus Ludouici XII. ſucceſſor.

1 LVDOVICO Duodecimo ſucceſſit Franciſcus Valeſius gener Engoliſmenſis regulus huius nominis Rex Galliarum Primus ſocero è Regia ſtirpe gradu proximus. Carolus enim Quintus liberos duos reliquit Carolum Sextum, ac Ludouicum Aurelianenſem regulum: Sexti Carolus Septimus, Septimi Ludouicus Vndecimus, Ludouici Vndecimi Carolus Octauus filius fuit, qui ſine liberis deceſſit. Ludouicus Aurelianenſis treis ex Valentina Philippi Mediolanenſis reguli filia liberos ſuſcepit, Carolum Ludouici Duodecimi patrem, Ioannem Engoliſmæ (Ingoliſmam quidam vocant) Philippum virtutum comites: Ioannis Engoliſmenſis Carolus, Caroli Franciſcus Valeſius filius fuit. Is regni initio non ſolùm antiquo Aurelianenſium iure, ſed etiam recenti, quod ex Cameracenſi fœdere eius principatus nomine ipſe quoque cliens à Cæſare agnitus fuiſſet, eidémque fidem præſtitiſſet, ſe Mediolanenſem regulum inſcripſit, neque tamen ſtatim id bellum ſuſcepit: tametſi bona exercitus pars iam in itinere erat, aliquot menſes de ducum ſuorum conſilio diſſimulare maluit. Is & procera admodum ſtatura, & oris dignitate, & ætatis vigore (viceſimum enim, vt quidam, aut alterum & viceſimum, vt alij tradunt, annum agebat) tum vero mira erga omneis præſertim erga viros nobiles humanitate, & vernacula eloquentia, inſignique multarum rerum memoria præſtans ingentem omnibus de ſe expectationem concitarat. At tantas virtutes vitia non minora comitabantur, vt mox ſuo loco enarrabimus. Rhemis octauo Kal. Febr. noctu ſacris regiis initiatus eſt: ſiquidem has ſacræ vnctionis cerimonias à media nocte incipere mos eſt: quibus perfectis Lauduno, Compendio, Syluanecto peragratis Lutetiam rediens ad Dionyſij Fanum diuertit ac Regiam coronam accepit: mox Lutetiam regali pompa ingreſſus fauſtis omnium acclamationibus, lætiſque gratulationibus exceptus eſt. Ibi de more feſti dies conuiuiis, choreis, ſpectaculis, ludicris equitum peditúmque certaminibus profuſis ſumptibus celebrati: neque enim, vt ſocer, Franciſcus natura prodigus ærario parcebat: quorum vbi ſatietas fuit, ad res ſerias conſtituendas, magiſtratúſque mandandos animum conuertit. Carolum Borbonium Boiorum regulum magiſtrum equitum dixit: Antonium Pratum Senatus Pariſienſis principem iuris quidem (vt ferebatur) peritum, ſed bipedum omnium (vt quidam aiebat) nequiſſimum Cancellarium creauit. Tum enim poſt * * mortem Stephanus Poncherius Senonenſis Pontifex vitæ integritate clarus Regij ſigilli magiſter erat. Iacobum Chabaneum Palicianum Mareſchallatu (vt noſtro verbo vtar) donauit; eius loco Arturum Gouſſerium Boëſium quem pueritiæ ſuæ moderatorem habuerat, ſummum ſuæ familiæ magiſtrum, & ſanctioris conſilij principem eſſe voluit.

Franciſci inauguratio & præclaræ eius virtutes.

Antonius Pratus Iuriſconſultus celeberrimus, ſed nequiſſimus, Galliæ Cancellarius ſtatuitur.

2 Ad nouum Regem multi principum Chriſtianorum, liberorúmque populorum legati acceſſerunt omnéſque benignè à perhumano Rege excepti ſunt. In primis autẽ Anglicus, qui Regis ſui nomine recentis adhuc à ſocero acceptæ iniuriæ memoris ſocietatem cum Franciſco iiſdem conditionibus, quibus antea cum Ludouico concepta erat, coiit: Scotorum Regi, vt intra triennium fœdere cõprehenderetur, poteſtas facta: Maria Henrici ſoror,

Ludouici vidua ſexaginta nummûm aureorum millibus quotannis dependendis in dotem aſcriptis in Angliam remiſſa: ea Suffolcio regulo homini nouo, humilíque loco nato, ſed Henrico chariſſimo, quem Henricus eo principatu donauerat, non ita multò poſt fratre id matrimonium procurante nupſit.

Carolus Auſtriacus Frãciſci ſocietatem cur ambiat.

Succeſſerunt Caroli Auſtriaci, Maximiliani Ferdinandíque nepotis legati, quorum princeps Henricus Naſſauij Comes fuit. Is primum Flandrici, Atrebatenſiſque Comitatus nomine Caroli vicem obiens obſequium Franciſco præſtitit; deinde de matrimonio inter Carolum ac Renatam alteram Ludouici filiam contrahendo egit. Ambiebat Franciſci ſocietatem affinitatémque Carolus, à Flandricis prouinciis bellum cum Gallis reformidantibus, præſertim vero à Guilielmo Croio, quem Carolo Ludouicus tutor à patre Philippo inſtitutus quaſi curatorem dederat, perſuaſus: tum ne Galli poſt Ferdinandi mortem regnum Nauarricum repetentes, quod contra ius fáſque Ferdinandus inuaſerat, ipſum etiam Hiſpanici poſſeſſionem adeuntem interturbarent. poſtremò ne inter Gallum, Anglúmque Reges ſocios interiectus vtrique prædæ foret. Contra Franciſcus ne Carolus tum decimum quintum annum agens à paterni, materníque aui conſiliis pendere cogeretur, Croio non inuito, nec abnuente procurabat vt ſocietas iniretur, propoſitæque matrimonij conditiones confirmarentur. Carolus Borbonius Vindocinenſis regulus, cui Stephanus Poncherius Senonenſis Pontifex, Genliúſque comites additi ſunt, Haiam Hollandiæ vrbem ſub Iunij finem profectus cum Carolo ea, quæ iam in Gallia acta fuerant, communicauit; quæ ille, vti conuenerant, rata habuit, & quod Naſſauum ſibi admodum familiarem miro amore complecteretur, vt Arauſij principis ſoror, quæ cum Regina in Gallia educabatur, eidem nuberet, inſtitit. Idcirco Vindocinenſem redeuntem comitatus Naſſauus Feras vſque Picardiæ vrbem illuc deductam Arauſiam (nam tum Ambaſiæ Franciſcus Lugdunum contendens agebat) vxorem duxit. Ambaſiæ autem Renata Borbonia Caroli Boiorum reguli equitum magiſtri ſoror natu minor Antonio Lotharingiæ regulo nupſit. Ludouica natu maior Ludouico Borbonio rupis Iouiæ principi longè ante nupſerat. Qua autem diligentia Carolum educarit Croius Ciuriæ Marchio non præterire operæpretium eſſe duxi: quanquam nondum decimum quintum annum impleuerat Carolus, tamen nihil in conſilio diſceptabatur, cui ille non intereſſet: litteras vndecumque allatas primus legebat, ſolus ad conſilium referebat; ſiquid memoria lapſus omittebat, qui iam cum illo ea ipſa communicarat, Croius ſuggerebat. Sic vix puberem gerendis negotiis aſſuefaciens tantum, quantum poſtea vidimus, Imperatorem reddidit, aut certè, vt talis eſſet, plurimum contulit.

Fœdus inter vtrumque conceptum, quibus legibus.

Fœderis autem hæ conditiones fuerunt: Renatam Regis Ludouici filiam Carolus, quum ad maturam ætatem perueniſſet, vxorem duceret: ſexcenta nummûm aureorum millia, ac Bituricenſem Ducatum Renatæ poſteríſque eius hæreditarium in vxoris dotem acciperet. Renata annos nouem nata (nam adhuc tenera admodum erat, & vix quartum annum attigerat) ad Carolum deduceretur: eadem omni Mediolanenſis, Britannicíque principatus iure cederet: perpetua inter Franciſcum Regem, ac Carolum ſocietas eſſet: Carolum Hiſpaniarum poſſeſſionem poſt Ferdinandi mortem adeuntem Franciſcus nauibus, ac militibus iuuaret. Cæſar, ac Ferdinandus, ſine quorum authoritate Carolus cum Franciſco contrahebat, intra menſes treis, ſi ita illis videretur, in fœdus reciperentur: regnum Nauarræ Alebreto Germano regi Carolus reſtitueret; Mediolanenſem principatum aduerſus Franciſcum ne tueretur; Geldubenſem, ſiue Gueldrenſem regulum inter fœderatos Franciſcus nominauit: additum quidam putant, vt vtriuſque nomine legati ad Ferdinandum intra menſes treis mitterentur, vt Carolum Hiſpaniarum principem (is ad regnum proximus gradus eſt) ab Hiſpanis agnoſcendum Ferdinandus curaret.

Nonnulli hoc fœdus ad tempus initum putant, quod neuter illo ſtare in animo haberet: 3
& Renatam tantarum prouinciarum cum Regina ſorore hæredem Carolo tot regnorum prouinciarúmque hæredi Franciſcum collocare noluiſſe veriſimile eſt: vtvt ſit, perpetuam certè inter duos hoſce principes amicitiam, ac pacem Arturus Gonffierius Boëſius ſummus Regiæ familiæ magiſter, atque Guilielmus Croius Ciurianus eorum nutritij confirmare ſumma ope contendebant, vt mox ex Nouiodunenſi fœdere illuſtrabimus.

Franciſcus Mediolanenſis principatus iuri cedere renuit.

Agebat & cum Ferdinando de renouandis cum Ludouico initis induciis Franciſcus, ſed conditione de non repetendo Mediolanenſi principatu reiecta: quicum ſi cõueniret, ſe pariter cum Cæſare facile conuenturũ ſperabat. Hinc Venetos ſocietatem cum Ludouico factam cõtinuare cupienteis ſuſpenſos tenebat, vt aduerſus eoſdem cum Cæſare coire ſibi integro eſſet. At Ferdinandus quanquã admodum ſenex bellum in Galliæ Hiſpaniæque confinio horrebat, tamẽ ſi ea conditio adderetur, & nihilominus induciæ prorogarẽtur, neque Leonem,

Digitized by Google

Leonem, neque Heluetios ſibi fidem in poſterum habituros reputans; & ne Leo, cui ſe daret adhuc incertus, Gallis adiungeretur, veritus, inducias niſi iiſdem, quibus cum Ludouico conceptæ erant, conditionibus prorogare detrectauit. Qua ſpe excluſus Franciſcus, & Cæſarem à Ferdinandi conſiliis pendentem valere ſinens cum Venetis ſocietatem renouauit. Supererant Leo Pontifex, atque Heluetij; hi ſolita arrogantia, peruicaciáque ne legatos quidem eius admiſerunt: Leonem à cuius nutu Florentini pendebant, vt neutris ſe daret, dumtaxat obſecrauit, ex rerum euentu, quos ſibi ex vſu eſſe compeririet, ſequuturus. Cæterum neque firmiorem alibi, quam in Gallis Regibus fidem, neque vel ſuæ familiæ priuatim, neque Romanis Pontificibus amiciorem ſocietatem reperturum confirmauit. His ita conſtitutis cataphractorum equitum numerum ad quatuor millia auxit: ſua conſeruare, neminem aggredi velle, & tamen quas Heluetiis in Delphinatum aut in Burgundiam irrumpere minitantibus opponeret, paratas copias habiturum præ ſe tulit. Plerique ita facturum credebant, quod primo fere anno Reges noui nihil moliri, vires ſuas metiri potius ſoleant: at Cæſar, & Ferdinandus conſilia inuicem communicantes longè aliud, nec fruſtra ſibi perſuadebant. Mouebat viros prudenteis iuuenilis Franciſci ætas, atque animus in primis gloriæ appetens; quem Fuxij recens, & toto orbe celebrata felicitas ad tentandas res Italicas facilè permoueret: tum ingentes belli apparatus à Ludouico relicti, vt non de nouo conſultare, ſed iam bene prouiſum, ac magna ex parte inſtructum perſequi videretur. Itaque Leonem Pontificem, atque Heluetios in belli ſocietatem aſciſcendos iudicarunt: Leo ambiguus blandis ſermonibus vtrobique beneuolentiam captabat, neutris ſpem certam oſtendebat.

Cum Venetis ſocietatẽ renouat.

4 Heluetij veterum contumeliarum, quas in illos Ludouicus iecerat, memores penſionum non auctarum dolore perciti, & Germanis, qui in Franciſci exercitu erant, inuidentes (eos enim ſtipendium ſuum anteuertere exiſtimabant) nouis hominibus, qui apud eam gentem ex Gallorum odio ad ſummam authoritatem peruenerant, ſe penitus dabant: Gallorum fautores à ſe prorſus amouebant. Illi vt authoritatem tenerent, nec ab aduerſa factione vincerentur magnas aut fortaſſe immoderatas à Gallo oblatas conditiones vt tota natio reiiceret, perfecerunt. Igitur Cæſaris, Ferdinandi, Mediolanenſis reguli, Heluetiorum legati apud ipſos Heluetios ſub Februarij finem coeuntes ſocietatem pro Italiæ propugnatione coierunt; Leoni, vt in eam reciperetur, tempus præſcripſerunt. Præcipuum ſocietatis caput fuit, vt Heluetij acceptis in ſingulos menſes à cæteris fœderatis triginta nummûm aureorum millibus in Delphinatum, aut in Burgundiam inuaderent, vt Franciſcum Mediolanenſis principatus iure cedere cogerent. Ferdinandus quantas poſſet copias, à fonte Rapido, aut Perpenniano in Galliam eodem tempore immitteret, vt Gallos ab alienis inuadendis ad ſua conſeruanda reuocaret. Interea Franciſcus cogendæ in bellum pecuniæ, conſcribendiſque militibus operam dabat. Nouam rationem reperit Pratus Cancellarius: munera ciuilia (quemadmodum ſupra memini) vt Caroli Octaui æs alienum diſſolueret, & quod reliquum erat, in bellum Mediolanenſe impenderet, vendidit Ludouicus quadam neceſſitate adductus: quæ ad iuriſdictionem pertinebant, nunquam attigit. Pratus Iuriſperitus (vt putabatur) ſed minimè iuris obſeruator præter omne ius, præter omne fas, ius pretio addixit, & venalem Senatui Pariſienſi claſſem vicenariam addidit: quæ tam malè audiit (venales enim magiſtratus, venales quoque ſententias habere conſentaneum erat) vt alteram huius claſſis partem in veteres inſerere, parem numerum ex veteribus parti alteri reddere veteres Senatores coacti ſint: cæteris Senatibus eadem ratione noui Senatores additi: aucta & tributa plebi indicta, & aliæ pecuniæ conquirendæ rationes ab eodem authore inuentæ, vnde ille in omnium iuſtum nimirum ac debitum odium incurrit. Pecuniæ Pratus, militum curam Franciſcus ſuſtinebat: is Petrum Nauarrum in cuſtodia hactenus habitum accerſiuit, quem pugna Rauennate captum Ferdinandus neglexerat, vel quod eius pugnæ infelicitatem Cardonius prorex Neapolitanus, qui maturè fugerat, ac Fabricius Columna, qui improſperè conflixerat, captúſque fuerat, in Nauarrum deriuaſſent; tametſi nemo fortius Nauarro, aut felicius ex eo exercitu illo die pugnarat, neque prudentius victoria ad Gallos inclinante è pugna exceſſerat: ſeruatis enim ordinibus non fugiens, vt alij, ſed veluti receptui canens paulatim gradum retulerat, & ſuos retrocedenteis claudens, ac ſtrenuè ſe gerens Gallorum irrumpentium vi proſtratus in manus hoſtium venerat: vel quod natura parcus, aut potius auarus. Ferdinandus de duce multum ætate prouecto redimendo parum ſollicitus erat. Quanquam autem inops Nauarrus, aut certè tenui fortuna erat, tamen quod ſua virtute ad

Multorũ contra Franciſcũ coniuratio.

Pecuniæ in bellum congerendæ à Prato Cãcellario inaudita ratio.

militares gradus peruenerat, & magni ducis nomen ſibi pepererat, viginti nummûm au-
reorum millibus addictus; & à Ludouico adhuc ſuperſtite Longauillano regulo apud
Anglos captiuo condonatus erat, cui Angli ſui redimendi pretium centum nummûm au-
reorum millia pronuntiarant. Nauarrum ſua pecunia Franciſcus redemit, quam Longa-
uillano numerandam curauit, eundémque ſex aut decem (vt alij ſcribunt) Cantabrorum,
Vaſconúmque millibus præfecit.

Nauarrus præcipuus Hiſpanorum dux Franciſci Galli pecunia redẽptus ab Hiſpano deficit.

Nauarrus tamen prius quam Franciſco ſacramento obligaretur, ſe Ferdinando excuſa- 5
uit: quandoquidem de ipſo redimendo nullam curam Ferdinandus adhibuiſſet, ſe neceſſi-
tati cedere, & alias conditiones ſequi coactum quicquid in regno Neapolitano ab illo ac-
cepiſſet (nonnulla autem oppida ſibi dono data acceperat) ſe renuntiare, ac remittere pro-
feſſus. Conſcripſit & quatuor ex aliis Galliæ regionibus peditum millia Franciſcus, quibus
octo impoſuit ſingulos quingenarum cohortium præfectos Lorgium, Malgeronem, Ricc-
burgum, Lortellium, Lainetum, Onatilleum, Herculem Delphinatem, Commarcum. In-
eunte Iunio quid Franciſcus animo agitaret, res ipſa declarauit: tanti enim belli apparatus
erant, tanta pecunia coacta, tanta tormentorum multitudo Lugdunum comportata, tot
equitum alæ conuocatæ, tot Germanorum Gallorúmque peditum cohortes conſcriptæ,
vt cæteros ſuperiorum Regum exercitus longè ſuperarent, & Regem magnum quiddam
ſuſcipere confirmarent. Quum igitur animi ſenſa diſſimulare amplius, aut celare non
poſſet, Leonem, vt ſecum ſocietatem coiret, apertè rogauit, Iuliano Leonis fratre ad eam
conciliandam adiutore vſus; qui non ita dudum Philbertam Caroli Allobrogum reguli
ſororem Franciſci materteram vxorem duxerat: & Ferdinandi propinquæ è Cardonia fa-
milia, quam paulo ante ambiuerat, Gallicam affinitatem auguſtiorem ratus, vt Franci-
ſcus ſibi perſuadebat, prætulerat. Iulianum præterea ad ſe facilè tranſiturum, Leonémque
fratrem ſimul adducturum ſperabat, vt honeſta conditione donatus dignos tanto coniu-
gio ſumptus ſuppeditare poſſet, perpetuámque Rhegij, Mutinæ, Parmæ, Placentiæ ſibi
à Leone conceſſam adminiſtrationem Gallica affinitate amicitiaque nixus ſibi magis
confirmaret. At paulòpoſt vbi Leonem Ferdinando permiſiſſe intellexit, vt cogenda
toto biennio in ſacrum bellum pecunia, ad hoc abuteretur, de ſpe ſua fere decidit: inde
enim decies centena nummûm aureorum millia, quos ducatos vocant, Ferdinandus con-
fecturus putabatur. Adhæc Albertum Pium Carporum Comitem Cæſaris, atque Hie-
ronymum Vicum Ferdinandi legatos Leo inter intimos habebat, quibuſcum ſua con-
ſilia omnia communicare ferebatur: ſuſpenſum nihilominus Regem Leo tenebat, nec
interim quicquam, vnde ſocietatem ſibi Franciſcus ſpondere poſſet, afferebat, vtpo-
te qui principatum Mediolanenſem ad exteros transferri minimè omnium vellet. Qua-
propter Franciſcus vt intimos illius ſenſus erueret, apertiúſque deprehenderet, alios
legatos ſummiſit, atque inter eos Guilielmum Budæum virum Græcis Latiniſque lit-
teris noſtra ætate celeberrimum, poſtremum item Antonium Mariam Pallauicinum
Leoni perfamiliarem; ſed fruſtra. Iam enim clam pro conſeruando principatu Medio-
lanenſi Leo conuenerat: verum id profiteri, antequam res ipſa neceſſario vrgeret, dif-
ferebat; & vt cum aliqua occaſione à Franciſci amicitia diſcedere videretur, nunc vt
Parma ac Placentia à Romano Pontificatu non diuellerentur, petebat; quas ipſe iam di-
uellerat, & ad fratrem Iulianum tranſtulerat: nunc alia poſtulata admiſcebat; & ne om-
nia admitterentur, ſuiſque ipſe verbis caperetur, ambiguè, variè, reſpondebat.

Franciſcus totus in bellum incumbit.

Leonem ad ſuas partes pertrahere fruſtra tentat

Octauianus Fregoſius Franciſcum reformidans ad Gallos deficit.

Sed quibus artibus Gallos ludificare inſtituerat, iiſdem ludificabatur ipſe, impru- 6
dénſque capiebatur: Octauianus enim Fregoſius Genuenſis regulus magnos Franciſci
in bellum Mediolanenſe inſtructos apparatus exhorreſcens, ſimul & fœderatorum vi-
ctoriam ſuſpectam habens, quod Sfortiam Mediolanenſem regulum, Heluetióſque
erga ſe malè animatos non ignoraret, ſuis rebus conſulendum putauit. Adurnij nam-
que, & Fliſci biennio ante conuocatis clientibus omnibus, aſcitiſque duabus Hel-
uetiorum cohortibus ad Genuæ mœnia acceſſerant, & firmis vrbi ab Octauiano im-
poſitis præſidiis repulſi, aſperáque hyeme afflicti non ſine iactura diſceſſerant: pro-
ximo, hoc eſt, ſuperiore anno ad dolos conuerſi, & à ſuæ factionis ſociis in vr-
bem intromiſſi trecenti, aut paulò plures ad Octauiani palatium (vt ſupra memini)
eo cæſo ſe vrbe facilè potituros ſperantes peruaſerant; & niſi ille maturè cum præto-
rianis militibus occurriſſet, principatum nimirum, vitámque ſimul amiſiſſet. Hinc
Carolo Borbonio equitum magiſtro per idoneos homines ſollicitante ad Gallos à qui-
bus antea prorſus alienus fuerat, facilè defecit, & Leonem nihilominus ita interim
tractauit, vt illi à fœderatis ſe ſtare confirmanti Leo fidem prorſus adhiberet, veteris be-

neficij haud immemorem futurum ratus. Octauianum enim ad Genuenſem principatum aſpirantem, Hiſpanóſque accerſentem multum Leo ac Iulianus frater ſua authoritate iuuerant, & vt Iano fratri præferretur, qui paulò antè Dux fuerat, perſuaſo Cardonio perfecerant, vt libro ſuperiore ſcripſimus. Is cum Franciſco his conditionibus pactus eſt: nempe vt arx quæ Caſtelletum vocatur, & in montibus Genuæ imminentibus ſita eſt, quondam à Mediolanenſibus regulis ibi tum dominantibus extructa, Regi dederetur, Genua Franciſcum Ducem agnoſceret, Ducis nomen in poſterum Octauianus ne vſurparet, Regis nomine perpetuus adminiſtrator eſſet, centenariæ cataphractorum equitum alæ præficeretur, Regiorum equitum ſocietate, annuáque penſione donaretur; fundos aliquot, ſi fortè aliquando Genua pelleretur, in Phocenſi prouincia dono Regis acciperet: Federicus eius frater Salernitanus Pontifex opulentis in Gallia ſacerdotiis ditaretur: Genuæ Franciſcus antiqua priuilegia à Ludouico inducta, aut potius incenſa reſtitueret; Codifanam arcem Genuenſibus penitus inuiſam ne poſthac inſtauraret. Hæc inconſultis ciuibus paucíſque conſciis pacta ita aliquot menſes diſſimulauit Octauianus, vt multis in primis autem Leoni nihil ſibi commune cum Gallis eſſe perſuaderet. Hinc quum Sfortia vel ſuſpicione, vel fama adductus, quæ neſcio quomodo emanarat, antequam Alpeis Galli tranſcendiſſent, quatuor Heluetiorum millia Nouaria Genuam mittere decreuiſſet, Fliſcique & Adurnij operam ſuam pollicerentur, diſſuaſit Leo, & ad iter ſe accingenteis reuocauit, atque Octauianum in officio futurum recepit.

Quibus rationibus Octauianus defectionis ſuſpectus apud Genuenſes ſe purgarit.

7 Hæc cum in vulgus emanaſſent, haud illi, quibus ſe purgaret, ſi non veræ, at certè veriſimiles rationes defuerunt: notæ erant Sfortiæ aduerſus Octauianum inimicitiæ, qui ſemper Adurnios eius hoſteis fouerat. Heluetij autem victoriæ Nouarienſis fructum ab Hiſpanis interceptum dolebant, ad quos non ad ſe confugiſſe Octauianum non obſcurè querebantur. Quinquaginta nummûm aureorum millia Cardonio numerata Genuenſis principatus quaſi venditi pretium ſibi periiſſe gens auara frendebat; idcirco Genua Octauianum expellere mirandum in modum cupiebat: Sfortiam ac Gallum ex æquo Genuenſem principatum ambiiſſe, quum neutri reſiſtere ſe poſſe confideret, ad eum, quicum ſe commodius conuenturum ſperarit, confugiſſe: Leoni non Sfortiæ ſe addictum fateri, contra rem Leonis haud veniſſe: ſi quid aduerſus Leonis fœderatum diſſimulatum ſit, neceſſitati condonandum videri. Alienum ab Octauiani exiſtimatione viris bonis viſum eſt, quod Leoni tot acceptis beneficiis obnoxius rem, vt erat, toties inficiatus eſſet, quódque promiſſis non ſtetiſſet; ſine cuius conſenſu ſe haud conuenturum ſanctè promiſerat. Interim Franciſcus Ambaſia profectus Lugdunum ſub Iulij finem appulit, quò è Flandria rediens Vindocinenſis regulus de iis, quæ cum Carolo Auſtriaco tranſegiſſet, certiorem reddidit. Præcedebat cum prima acie Carolus Borbonius equitum magiſter, atque Eburodunum contendebat: quicum Franciſcus eius frater, Iacobus Chabaneus Palicianus ac Ioannes Iacobus Triuultius Mareſchalli, Franciſcus Trimullius Talmontius Ludouici Trimullij filius, Boniuetus, Himbercurtius, Telignius Rouergas Seneſchallus, Petrus Terralius Baiardus, Baro Beardus, Sacrocæſarianus Comes ac plerique alij cum ſuis equitum alis præfecti, Petrus Nauarrus cum ſuis Cantabris ac Vaſconibus, octo, quos ſupra commemoraui, Galli centuriones cum ſuis cohortibus ac Germanorum peditum circiter nouem millia incedebant. Secundam aciem Rex ipſe ductabat: quem Antonius Lotharingus ac Vindocinenſis reguli, & Vindocinenſis frater Franciſcus Fani Paulini Comes, Ludouicus Trimullius Burgundiæ prætor, Ioannes Stuardus Albaniæ regulus, Renatus Sabaudianus nothus, Oruallus ac plerique alij equitum, peditúmque præfecti, in primis autem Carolus Menapiorum, Sycambrorúmque regulus, quem vulgò Geldubenſem vocabant, Germanorum omnium peditum tribunus, vnáque Claudius Lotharingus ſororis filius, atque Antonij Lotharingi nuper commemorati frater comitabantur. Cum poſtrema acie Carolus Alenconius ſequebatur è ſtipe Regia Franciſco gradu proximus. Hoc ordine incedentes Eburodunum petierunt: in quo exercitu bis mille quingentos cataphractos equites, cum ſuis hippotoxotis, domeſticos Regios, duas prætorianorum equitum, quatuor ſtipatorum Regiorum alas, duo & viginti Germanorum peditum, inter quos duodecim nigræ cohortes à vexillorum colore ita dictæ primas ſibi vendicabant, quibus Tauannius Caroli Geldubenſis legatus, decem Cantabrorum ſimul & Vaſconum, quibus Nauarrus præerat, octo ex aliis Galliæ regionibus millia fuiſſe tradunt: quidam è noſtris Nauarro ſex tantum millia attribuunt. His tria foſſorum millia accedebant: quorum in ſternendis viis, cuniculis foſsíſque ducendis ac cæteris id genus operibus vſus erat. Plerique item nobiles equites nullo ſtipendio authorati, quin potius

Franciſci ad Mediolanenſem expeditionem proficiſcentis inſtructiſſimus exercitus.

tius voluntarij, vt nouum Regem ſibi demererentur, exercitum ſequuti; quorum numerus non traditur. Tantam autem tormentorum multitudinem fuiſſe ſcribunt, vt duobus magnis exercitibus ſatis eſſe poſſet: quibus, tormentarióque puluere, ac pilis ferreis, ferramentiſque ad domandas itinerum aſperitates idoneis conuehendis quinque ſtrenuorum equorum millia bigas, aut quadrigas trahentium attributa produnt.

Regni Gallici administratio Ludouicæ Sabaudianæ tradita.

Franciſcum Gratianopolim vſque Ludouica Sabaudiana mater proſequuta eſt, vnde accepta regni Gallici adminiſtratione Lugdunum rediit. Franciſcus inſtitutum iter perſequutus eſt, de Ferdinando iam ſecurus, qui ne tantus belli apparatus in ſe conuerteretur extimeſcens, initio copias ſuas in Hiſpaniæ, Galliæque confinio conuenire iuſſerat, hoſteis ſi forte eo ferrentur excepturas: vtque Hiſpani promptioribus animis in bellum incumberent, Nauarricum vna cum Caſtulonenſi regno nunquam ſeparandum coniunxerat. Verum vbi Franciſcum recta Alpeis contendere certior factus eſt, copias omneis ſtatim dimiſit, de iis quæ fœderatis de bello Galliæ inferendo promiſiſſet non admodum ſollicitus: neque enim magis quàm ſuperioribus annis promiſſis ſtetit, fœdera omnia, pacta conuenta ſola ſemper vtilitate metiri ſolitus. Franciſcum iam Lugduno profectum legatus Anglicus aſſequutus de ſui Regis mandato à Mediolanenſi expeditione reuocare conatus eſt: quam ſi ſuſciperet, Chriſtianam tranquillitatem prorſus interturbaret. Affinitatem inter Franciſcum Regem ac Carolum Auſtriacum initam ægrè ferebat Henricus ac tantos principes inter ſe concordes ditionibus, quas in cõtinente poſſidebat, finitimos reformidabat, idcirco Ferdinandi legatis auſcultabat; qui Galli potentiam illi meritò ſuſpectam eſſe debere perſuadebant, aduerſus quem, aut certè aduerſus eius ſocerum, cuius ille ſit hæres, prima belli rudimenta fecerit, conatúſque ſuos omneis explicarit: regnum longa pace florens, opulentúmque ac tantos præterea paternos theſauros exhauſerit, nec inde quicquam præter vnicam vrbem à cæteris ſuis poſſeſſionibus longè ſeparatam reportarit, perexiguum tanti exercitus à ſe nuper coacti tantarúmque impenſarum præmium: Franciſcum regno penitus exhauſto ſuccedentem natu quàm tum ille, quum in Galliam tranſmitteret, aliquanto minorem regni initio externa bella quærere, Ducatum nobiliſſimum adoriri: quo potiturum illum ac magna cum gloria in Galliam rediturum veriſimile ſit: aut ſi bona occaſio, fortunáque ſecunda incitarit, ad aſſerendum ſibi regnum Neapolitanum profecturum. His aculeis Hiſpani legati in Franciſcum inuidiam quærebant, antiqua Anglorum aduerſus Gallos odia renouare tentabant, atque Henrico belli Galliæ inferendi occaſionem dare cupiebant. Franciſcus nihil ea oratione commotus (iam enim longius proceſſerat) à propoſito itinere non deſtitit. At Heluetij de eius in Italiam deſcenſu admoniti Gallorum magis odio, quàm ſtipendiorum ſpe, ſe acrius multo quam vnquam antea ad bellum comparabant: præmiſerat pecuniam Leo Pontifex, quam veluti ſtipendij primitias acciperent. Iulianum fratrem mox cum equeſtribus copiis Roma proficiſci iuſſerat, cui poſtea aduerſa valetudine oppreſſo Laurentius Medices Petri filius ſucceſſit; Sedunenſem Cardinalem totius exercitus legatum pronuntiarat. Is vernacula eloquentia potens omneis Heluetiorum pagos ſuperiore anno peragrarat, atque vbique aduerſus Gallos acerbè concionatus, quod Diuionenſi fœdere non ſtetiſſent ad arma populares concitarat. Illi propoſitis paſſim vexillis Mediolanenſem principatum tuendum ſuſceperunt, & ſe Gallici nominis hoſteis declararunt. Tum ad Gallorum aduentum excitatus deintegro Sedunenſis cum triginta Heluetiorum cohortibus Nouariam appulit, Genuam ad pellendos vrbe Fregoſios profecturus, niſi vadere parantem Pontifex Leo reuocaſſet, vt ſupra commemorauimus.

Legatus Anglicus Franciſcum ab expeditione Mediolanenſi reuocare ſtudet.

Cardinalis Sedunenſis Heluetios aduerſus Gallos ad arma concitat.

Cardonius interim aliquot menſes nihil aduerſum Venetos molitus in Vicentinum agrum quaſi cum hoſtibus conflicturus acceſſerat; deinde iter flectens Veronam Mediolanenſi regulo ſuppetias laturus petiit: Pontificias quoque ac Florentinas copias Leo in Galliam Tranſalpinam miſit, vti cum fœderatis non ita pridem conuenerat: tametſi ſolitis diſſimulationibus vſus miſſas ad Rhegium, Mutinam, Parmam, Placentiámque conſeruandas prædicabat ac propemodum legatis Regiis perſuaſerat: quibus ab iiſdem viciſſim perſuaſus Franciſcus mandauit, vt cum Leone etiam ea conditione conuenirent, vt donec dignam ab ipſo compenſationem acciperet, Parmam Leo, Placentiámque retineret. Sed bellum Heluetiis fatale eoſdem ad manifeſtam perniciem trahebat, & tantam barbarorum hominum arrogantiam Deus Opt. Max. inſigni clade mulctare decreuerat. Succedebant quotidie alij aliis noui delectus, & numerum augebant, vt breui ad viginti millia coierint: quorum decem ad Alpium radices itinerum anguſtias obſeſſura mira celeritate proceſſerunt, & ad Suſam caſtra fecerunt, proximáſque hinc inde Alpium vias, 9

Heluetij Franciſcū in Alpibus obſidere conantur.

aut

aut potius ſemitas inſederunt. Hoc conſilio perturbatus Carolus Borbonius primi agminis ductor (neque enim quiſquam, vt anteuerteret, viáſque prior occuparet, monuerat, aut Heluetios id molituros prouiderat) rem ad Franciſcum Regem detulit, Rex in conſilium deduxit. Alij Heluetios viros forteis ex his anguſtiis niſi longè maioribus copiis pelli poſſe inficiabantur, quibus commeatum ſuppeditare in tanta itinerum difficultate nemo poſſit; vt pars exercitus nauibus Sauonam tranſmittat, pars per Ligurum fines eodem contendat, ſatius eſſe. Alij id iter & longinquum eſſe, & multo tempore indigere aiebant: æſtatem porrò iam inclinare, & antequam in Mediolanenſi agro pedem ponant, hyemem initio fere magnam pluuiarum vim effundentem milites in pingui perruptóque ſolo, præſertim vero tormenta grauiter oppreſſuram. Decretum tandem fuit, vt lentis itineribus exercitus ingrederetur, de via non multum deflecteret: Emarus Prianus dux inclytus cum quadringentis cataphractis equitibus, & attributis hippotoxotis quinque peditum millibus Genuam peteret, acceptiſque à Genuenſibus auxiliis Transpadanam Mediolanenſis agri regionem inuaderet, Alexandriam, Derthonam, vicináſque vrbeis in ſuam poteſtatem redigeret. Interea Franciſcus à Carolo Allobrogum regulo auunculo viarum peritos accerſit, qui illis in montibus educati omneis etiam abruptiſſimas ſemitas nouerant. Ille conquiſitos pleroſque, quíque illis quaſi præeſſet Carolum Solerium Moretanum virum indigenam ac nobilem cum fratre mittit: Odeto Fuxio Lautrecio ac Petro Nauarro vigilantiſſimis, experientiſſimíſque ducibus, quibus etiam Ioannem Iacobum Triuultium Mareſchallum addidit, negotium dat, vt cum hiſce monteis vndique perluſtrent, circumſpiciántque, ſi qua via nondum ab Heluetiis occupata exercitus ac tormenta maximè traiici poſſint.

Frãciſcus de tranſitu in ſanctiore cõſilio deliberat.

10 Tantiſper dum hæc conficiuntur, exercitus inter Gratianopolitanum, Brannouicenſémque ſiue Brigantinum agrum veluti ſtatiua quædam habuit; aut certè non multum progreſſus eſt; ita tamen extendebatur, vt Cottiiſne, an Pœninis Alpibus Gallus tranſire deſtinaret, neſcires: duæ enim hæ viæ Lugduno in Italiam proficiſcentibus peruiæ maximè, & tranſitu facillimæ occurrerunt: altera Genebra in Delphinatium finibus, altera mons Ceniſius petitur, vtraque in Suſam Subalpinum oppidum deſinit. Priore Carolus Octauus Galliæ Rex tormenta per Alpeis primus in Italiam tranſportauit, quæ vt propter anfractus aliquanto longior, ita multo facilior eſt: vtriuſque in Italiam exitus Heluetij ad Suſam caſtrametati diligenter obſeruabant: de cæteris eaſdem impenetrabiles tormentis præſertim exiſtimantes haud admodum ſolliciti erant: quibus vt eam illis opinionem confirmaret, aliquot equites, peditéſque Franciſcus in ſumma Genebræ, Ceniſiique culmina præmiſit. Interim intermediam inter Cottias, maritimáſque Alpeis viam Lautrecius, Nauarrus, Triuultius Alpinis illis ruſticis ducibus difficilem quidem, & multi laboris, ſed adhibita diligentia ſuperabilem repererunt, & de communi conſenſu Franciſco tormenta illac tranſportari poſſe retulerunt: id experiri, quam cum Heluetiis loco iniquiſſimo depugnare ſatius viſum. Prima itaque acies, cui Borbonius equitum magiſter præerat, cum tormentis Eburodunum petit; altera, & tertia ſuo ordine ſequebantur: inde ad leuam relicto Genebra, Druentiáque fluuio vado tranſmiſſo ad Argentarias Alpeis deflectens ad Gileſtram caſtra poſuit. Mox ad Pauli rupem abruptiſſimam, quam idcirco ferro aperire neceſſe fuit, itum: deinde in Barcelloniam vallem multis collibus rupibúſque ita impeditam, vt iam ruſtici complanandis itineribus attributi non mano vſui eſſent, trocleis ac funibus tormenta de monte in montem multis præcipitiis interiectis tranſportanda, aut ſæpius propter itinerum anguſtias militum humeris trahenda, nunc virgultorum faſcibus montium voragines complendæ, nunc viarum anguſtiæ tibicinibus, longuriiſque ſuppoſitis dilatandæ erant: ita mira fabrorum induſtria, magno & militum & agreſtium foſſorum labore ad montem Pedeporcium ventum eſt, quem vt cæteros ferro domare noſtri coacti ſunt. Quinto die ad Salaſſorum planitiem peruentum Alpinis omnibus incolis Allobrogis reguli authoritatem ſequutis, & ita Gallis fauentibus, vt nullum de eorum tranſitu Heluetij ac Proſper Columna vel nuntium, vel indicium acceperint. Quin & Carolus Solerius Moretanus à ſuæ ditionis ruſticis admonitus Proſperum cum mille quingentis equitibus à Leone Pontifice miſſum Villafrancam diuertiſſe, vt ſe Heluetiis iungeret, Borbonio equitum magiſtro indicat: Borbonius Paliciano Mareſchallo, Aubignio, Himbercurtio, Baiardo mille equites attribuit, vt Proſperum adoriantur, iubet. Illi mira celeritate vſi iiſdem, qui indicium fecerant, ducibus rupe, quæ vulgo Accipitrum vocatur, conſcenſa, qua vix vllos antea equites permeaſſe fama erat, in plana deſcenderunt, & paulò infra Villafrancam Padum vado

Galli hoſtibus inſciis Alpes, at ſumma cum difficultate ſuperant.

Proſper Columna à Gallis interceptus in vincula agitur, maxima ſuorũ parte vel cæſa vel capta.

vado tranſmiſerunt. Antecedebat Himbercurtius, is vbi vrbi appropinquauit, laxatis equorum habenis, in portam cum ſuis irruit: venientibus portas occludere Columnij conati ſunt, ſed Hallancurtius Belga ac Beluiſius Normanus portam lanceis primi ita pulſarunt, vt eo concuſſu Hallancurtius in foſſam deiectus ſit, Beluiſius lancea immiſſa ne porta occluderetur, perfecerit: inde ad Columnæ diuerſorium delati prandentem offenderunt, ianuis tamen occluſis nonnihil reſtitit: deinde Aubignio ob patrui memoriam, quicum bellis Neapolitanis ſæpe & ſocius verſatus erat, & hoſtis conflixerat, decimooctauo Kalend. Septembr. ſe dedidit. Gallos longè abeſſe, Padum haud vadoſum eſſe, hoſteis ob Heluetiorum propinquitatem eo haud penetraturos ſibi perſuaſerat. Is tamen in Cæſarem Feramuſcam, cui portarum cuſtodia commiſſa erat, culpam poſtea deriuauit: captos mille equites, equos autem circiter mille ducentos magna ex parte Neapolitanos hiſtorici noſtri ſcribunt, Itali numerum minuunt: pauci cæſi, pauci enim reſiſtere auſi; cæteri aut capti ſunt, aut huc illuc diffugerunt. Inter captiuos Proſper Columna, Petrus Marganus, Cæſar Feramuſca, Ioannes Barchalonius ſagittariorum præfectus illuſtriores fuerunt.

Palicianus direpto oppido cum captiuis & præda, quod ad Cunium vicinum oppidum 11
Heluetij caſtra haberent, Foſſanum ſe recepit, ibique donec vniuerſus Gallicus exercitus Alpeis ſuperaſſet, expectauit; cuius bona pars tormenta ſequebatur: cæteri prouinciam Phocenſem versùs magis declinarunt, & aut via Draconiana (vt vulgo appellatur) aut per Petrinæ rupis, aut per Cunij faſtigia in Galliam Tranſalpinam (quæ hodie Italiæ nomine continetur) deſcenderunt. Gallorum tranſitus ac Proſperi calamitas mirandum in modum Leonis Pontificis, Cardonij Proregis, Heluetiorum conſilia perturbauit. Leo natura timidus multùm Proſpero tribuebat, & Heluetios Franciſcum tranſitu prohibituros certo ſibi perſuaſerat: tum metu velut exanimatus Laurentium Medicem Pontificij, Florentiníque exercitus ducem, qui Iuliano patruo ſucceſſerat, atque ad Inſubres properabat, ſe Heluetiis, Mediolanenſibúſque iuncturus, triduóque poſt captum Proſperum, Mutinam appulerat, vt lentius ingrederetur, Roubeiriámque arcem, quam Guidus Ranconus occuparat, ſe oppugnaturum ſimularet, admonuit. Eam Laurentius paulò pòſt numeratis Rancono duobus nummûm aureorum millibus redemit,& in Mutinenſi, Rhegienſíque agro aliquamdiu commoratus eſt. Inde Tiburtinum familiarem clam ad Carolum Allobrogum regulum, cuius ſororem Iulianus eius frater in matrimonio habebat, mittit, vt eo interprete ſe Franciſco Regi reconciliaret: ab Allobroge ad Regem vt tranſiret, Cinthio mandatum dedit, præterita excuſaret, de futuris bonam ſpem oſtentaret. Tum vero & multo magis anceps conſilium Cardinalis Bibiennenſis, alijque nonnulli priuatis magis animi affectionibus,quam heri ſui commodis,aut exiſtimatione commoti homini metu attonito proponebant: periculum enim eſſe aiebant, ne Ferrarienſis regulus ac Bentiuoli vel ſua ſponte, vel Regis ope freti Gallorum parteis ſemper ſequuti, hi Bononiam, ille Rhegium, Mutinámque repeteret: aduerſus tot hoſteis reſiſti non poſſe; beneuolentia prouocaret, quos vi repellere nequiret: Bentiuolis Bononiam, Ferrarienſi Rhegium, Mutinámque reſtitueret. Quod conſilium Leo planè ſequutus fuiſſet, niſi fœdè conſternatum Iulius Cardinalis Medices Bononienſis legatus erexiſſet, atque à tam abiecta cogitatione, degeneríque propoſito reuocaſſet; & tot honeſtiſſimos ciues, qui ad Pontificis parteis tranſiiſſent crudeliſſimis tyrannis in prædam, cruciatúſque obiicere indignum, & nimis à ratione alienum eſſe docuiſſet: præterquam quod partis cedere maioris ignauiæ eſſet, quam eadem acquirere Iulio gloriæ fuit.

Leo legatos ad Franciſcũ de pace cum eo acturos deſtinat.

De Bononia, Rhegio, Mutináque reſtituẽda cogitat.

Cardonius,qui Verona ob ſtipendij penuriam nondum exierat(milites enim,niſi pecu- 12
nia præſto eſſet, ad Heluetios, cæteróſque fœderatos proficiſci recuſabant) recenteis milites, qui Veronæ, Brixiæque præſidio eſſent, à Cæſare ſe expectare ſimulans euentum belli quietus, & in tuto conſiderabat. Cæſar enim non ita pridem Æniponte̅m appulerat, multa pollicebatur, à pecunia ſemper imparatus nihil præſtabat. Quinetiam Heluetij multum ſua ſpe decepti audito Gallorum aduentu Suſa Cunióque relictis ſeſe Mediolanum verſus recipere occœperunt, & propemodum inter ſe ſeditionem excitarunt. Albertus Petra Bernenſium dux Sedunenſis iuſſu, quod Gallis nimis addictus eſſe diceretur, paulò ante in vincula coniectus fuerat, & vix amicorum precibus ſolutus. Is Gallorum aduentu audacior, & Sedunenſem vlciſci cupiens multos non ſolùm ex ſuo, ſed & ex aliis pagis ob ſtipendium ad præſcriptum diem non repræſentatum in Sedunenſem totius eius exercitus, & Leonis Pontificis, & Cæſaris nomine legatum ita accendit,vt ſibi timens Sedunenſis inde ſe Penarolum cum fidiſſimis cohortibus ſubducere cogeretur.

Ad Gallorum inopinatũ aduentum ſeditio inter Heluetios penè exorta.

Pecuniam

Digitized by Google

Pecuniam à Ferdinando promiſſam Didacus Aquila legatus attulerat, & Mediolani (incertum qua ex occaſione) cunctabatur: tumultuanteis ac diſiunctos aggredi cupiebat Borbonius, & facilè ſola prima acie, cui præerat, fracturus videbatur; idcirco Regem ſui conſilij certiorem reddidit. Franciſcus natura iactantior, qui ſibi vni omnia tribui volebat, vt nihil tentaret, donec cum tota exercitus mole ipſe adeſſet, denuntiauit (nondum enim in plana deſcenderat) atque ita conſequendæ inanis gloriæ ſpe bonam occaſionem, vt & aliàs ſæpius, amiſit. Superatis ſupra Fanum Pauli Alpibus, quà nullus antea exercitus iter ceperat, Cunium Franciſcus poſtridie, quàm inde Heluetij mouerant, deſcendit: Proſperum Columnam ad ſe perductum bono animo eſſe ac de ſe bene ſperare iuſſit, eius equites præter paucos illuſtriores gratis dimiſit. Cunio Carmagnolam, Carmagnola Moncallerium profectus eſt; quò illi Carolus Allobrogum regulus auunculus obuiam proceſſit, Taurinúmque deduxit. Per hunc, Renatúmque nothum Sabaudianum Heluetiorum animos tentare cœperat: illi quod nondum vniuerſi coiiſſent, & vt ſe è locis ſuſpectis, populiſque Gallo addictis explicarent, aliquot dierum inducias petierunt. Quibus impetratis Nouariæ ſe Franciſci poſtulatis reſponſuros promiſerunt, Cliuaſiúmque conceſſerunt, & quod à ciuibus ingreſſu prohiberentur, tormentis admotis muri partem deiecerunt: quotquot in armis erant, ſexcentos, aut paulò plures trucidarunt, oppidum diripuerunt, id nimirum, niſi Galli præcurſores ſeſe non procul oſtentaſſent, incenſuri, arci quidem non pepercerunt, vrbem inſtantis prælij metus conſeruauit, quum omnes ad tympanorum pulſationem extra ad ſua ſigna prodiiſſent, deinde ira deferueſcente ſedatioribus animis rediiſſent.

Borbonio hoſtes facilè fundẽdi occaſio adempta.

Heluetiorum inſolens barbaries.

13 Nec mitius cum Vercellenſibus egerunt, qui quamuis vltro portas aperirent, auariſſimæ genti nihilominus prædæ fuerunt: vbi paululum commorati, nec Franciſci legatos, vt polliciti erant, audientes Nouariam petierunt. Ibi Didaco Aquila ne tum quidem pecuniam repræſentante ſeditio acrior renouata eſt, ita vt Sedunenſis ſe in arcem recipere cogeretur; Albertus Petra ac Deſpachius Bernenſium præfecti cum viginti cohortibus domum redirent; quod onuſti præda prius, quàm in aliquod diſcrimen venirent, eam apud ſuos deponere feſtinarent: mox Sedunenſis ad acceleranda Leonis, Hiſpanorúmque auxilia cum tribus Heluetiorum fidiſſimorum millibus inde exiit, quorum duo Ticinum miſit: cum cæteris, & aliquot Sfortianis equitibus Placentiam contendit: Galeatius Vicecomes ac Gambarus ad retinendos in officio Heluetios remanſerunt. Franciſcus hoſtibus veluti fugientibus ſemper imminens Taurino Cliuaſium, inde Vercellas properauit, vbi Leonem ſibi declaratum hoſtem intellexit; Emaro Priano nihilominus, qui acceptis ab Octauiano Fregoſio quatuor peditum millibus Alexandriam, Derthonam, vicináque oppida, atque omnem adeo vltra Padum regionem ceperat, vt à Pontificiis ditionibus abſtineret, iniunxit. Vercellis aliquot dies commoratus Franciſcus, inde Nouariam progreſſus eſt, Nouarienſes illi obuiam proceſſerunt, vrbíſque claueis obtulerunt: arx paucis poſt diebus dedita eſt: eodem ſex Germanorum peditum millia, quæ nigræ cohortes vocabantur, appulerunt, & ſe Gallis adiunxerunt. Vercellis cum Allobroge auunculo nothum Sabaudianum, Lautrecium, quæſtorem Mediolanenſem reliquit, vt fœdus, ſi fieri poſſet, cum Heluetiis inirent. Illi ſolita arrogantia immenſa, immoderatáque poſtulabant: Rex tamen pecunia potius, quam ſuorum pariter, & hoſtium cruore, quod ſuum erat, aſſequi malebat. Igitur quum viginti Heluetiorum legati Vercellas ad Allobrogem acceſſiſſent, is poſtea cum fratre notho ac Lautrecio Galeras (Garlaſcum Iouius & Galeatius Capella vocant) profectus cum ipſis fœdus his conditionibus iniit: nimirum vt firma amicitia, ſocietáſque inter Franciſcum Regem, dum ſuperſtes eſſet, & in decennium poſt eius mortem, atque Heluetios coiretur. Rex Maximiliano Sfortiæ Nemorenſem Ducatum, alam equitum quinquagenariam, vxorem è Regia ſtirpe daret: eidem quotannis in penſionem annuam argenti pondo duodecim millia numeraret. Galli Hiſtorici Nemorenſis Ducatus non meminerunt: in penſionem annuam ſexaginta Turonenſium librarum millia Sfortiæ promiſſa ſcribunt; Heluetiis antiquam penſionem, hoc eſt, quadraginta earumdem librarum millia quotannis ſolueret. Heluetij viciſſim Mediolanenſi penſione, quæ eandem ſummam conficiebat, & quotannis quoque à Sfortia pendebatur, cederent: iidem Heluetij ac Rheti valles, quæ Mediolanenſis olim ditionis erant, reſtituerent. Rex trimeſtre ſtipendium omnibus Heluetiis vel qui in Gallia Tranſalpina militarent, vel in itinere eſſent, repræſentaret: ſexcenta nummûm aureorum millia Diuionenſi fœdere promiſſa ac trecenta præterea pro ſupra commemoratis vallibus certis penſionibus dependeret. Leonem Pontificem, Cæſarem, Allobrogem,

Leo Frãciſci hoſtis deprehenditur.

Fœdus cum Heluetiis nequidquam conceptum.

gem,

gem, Monſerratenſémque regulos fœderatos nominarunt; Ferdinandi ac Venetorum non meminerunt.

14 Verumenimuero hoc fœdus factum pariter ac fractum fuit: magna enim Heluetiorum manus cum Roſtio duodecim pagorum decreto totius exercitus imperatore deſignato interuenit, qui in itinere Albertum Petram ac ſuos gradi præda onuſtos offenderant; maiorem ſibi pollicentes, & ſuperioribus victoriis ſuperbi pecuniam promiſſam, viróſque illuſtres, qui eam deferebant, intercipere, ſimul & noſtros nec opinanteis aggredi Sedunenſis oratione perſuaſi ſperabant; quemadmodum paulò antè Nouariæ ex inſperato aggreſſi victoriam reportarant: Regem enim ſpe pacis Liuiano vt ad Laudem Pompeiam ſubſiſteret, denuntiaſſe, quadringentos cataphractos equites ad deportandam pecuniam amandaſſe, atque à ſe ſeparaſſe, quaſi Mediolanum vrbs ſimul atque arx iamiam ex fœdere dedantur, ad Brigidæ Fanum conſediſſe, exercitum non amplius de prælio, ſed de triumphali in vrbem ingreſſu cogitare idem Sedunenſis aſſerebat: irent bonis auibus, & ſecuros, nihilque tale expectanteis adorirentur: non ad pugnam (inquam) ſed ad victoriæ præmia properarent. Hac oratione pariter, atque opimæ prædæ quaſi certa ſpe accenſa auariſſima natio datam fidem pro nihilo ducens nihil niſi pugnæ ſignum depoſcebat. Roſtius igitur Pontificia pecunia Gambaro reddita (vi enim per Heluetios, qui Ronnam, atque Anglardum ſequebantur, ablata fuerat) Didaco Aquila Hiſpanicam repræſentante omnibus ſtipendium de more perſoluit, Modœtiámque (Moguntiam vocat Galeatius) vbi Regia pecunia ex recenti fœdere numerari debebat, celeriter contendit. Huius deliberationis certior factus Lautrecius Galaratum cum quadringentis cataphractis equitibus ſe recepit; & Regem vt ſibi ſuíſque conſuleret, monuit: is Melegnanum proceſſerat, vt Pontificios, Hiſpanóſque Heluetiis iungi prohiberet; Liuianum autem ac Venetos ſi opus eſſet, arceſſeret, Heluetij Mediolanum conceſſerunt. Interim Raimundus Cardonius Prorex Marcum Antonium Columnam cum centum grauis, ſexcentis leuis armaturæ equitibus duobus Germanorum peditum millibus Veronæ præfecerat; mille ducentos eorumdem peditum Brixiæ reliquerat: ipſe cum ſeptingentis grauis, ſexcentis leuis armaturæ equitibus, ſex peditum millibus non longè à Placentia caſtrametatus erat, pontem ſecum vt Padum traiiceret aſportarat: cui ne vllam querimoniarum occaſionem daret Laurentius Medices, Parma vbi aliquot dies ex induſtria remanſerat, cum ſeptingentis grauis, octingentis leuis armaturæ equitibus, quatuor peditum millibus, Placentiam profectus eſt: quadringentos paulò antè leuis armaturæ equites Mutio Columna ac Ludouico Pethano ductoribus ad Heluetios, vt commeatum cogerent, rogatus præmiſerat, tum quum illi cum Gallis dè fœdere pertractabant. Liuianus contra è Poleſeliana peninſula Atheſi traiecto, vt Pontificios, Hiſpanóſque Padi tranſitu prohiberet, ad mœnia Cremonæ ſumma celeritate properarat, ſecúmque nongentos grauis, mille quadringentos leuis armaturæ equites, nouem peditum millia duxerat. Laus Pompeia inter Mediolanum, Placentiámque intermedia à Rentio Cerite tum Venetum ſtipendium merente (nam paulò pòſt propter mutuas inter ſe, Liuianúmque ſimultates ad Leonem defecit) direpta fuerat.

Sedunenſis Heluetiis Fráciſci adoriendi auctor.

Franciſcus Heluetiorum perfidiæ certior fit.

15 Sedunenſis propter Heluetiorum ſeditionem Placentiam cum mille ex ipſis, & aliquot Sfortianis equitibus ſe proripuerat, ſedata ſeditione Cremonam conceſſerat, vt Hiſpanos ac Laurentium Medicem ad accelerandum hortaretur, & nonnullos è ſuis, ſed non multos Laudi Pompeiæ præſidio impoſuerat. Hi Regem Melegnanum appuliſſe audientes ſtatim aufugerunt. Verum interim dum Cardonius ad Padum conſiſtit, & antequam Laurentius Placentiam iniret, Cinthius Leonis Pontificis domeſticus ad Franciſcum miſſus inter redeundum ab Hiſpanis cum litteris interceptus, tamen propter Leonis authoritatem dimiſſus eſt. At litteræ Cardonium in magnam ſuſpicionem adduxerunt, ne iam cum Franciſco Leo conueniſſet: probè enim Leonis diſſimulationes Cardonius nouerat, vnde Pontificias copias Padum haud tranſmiſſuras ſuſpicabatur. Laurentius ipſe clam ad Regem miſerat, vt ſe purgaret, quod patrui mandato coactus exercitum aduerſus illum duceret; ſe porrò, vt ſemper optaſſet, magíſque ac magis optaret, quoad vel naturalis erga patruum obſeruantia, vel ſua exiſtimatio permitteret, Regi ſatisfacturum. Id verò iam palam erat: cum primùm igitur Placentiam Laurentius appulit, ſtatim primarios vtriuſque exercitus præfectos Cardonius ac Laurentius in conſilium adhibuerunt, & an Padus traiciendus eſſet conſultarunt; qui traiiciendum ſuadebant, Laudem Pompeiam præoccupandam cenſebant: ſic ſe ne Veneti Gallis, aut vt ipſi Heluetiis iungantur, aut fortaſſe vtrumque perfecturos. Heluetios equitatu, ſclopetariiſque indigere: Leonem ac Ferdinan

Variæ variarum de Pado traiiciendo aut non traiiciendo ſententiæ.

Ferdinandum cum ipſis pro Mediolanenſis Ducatus propugnatione conueniſſe, promiſſa ſæpius iteraſſe. Si toties data fides fallatur, bonam Heluetiorum partem, quæ iam ad Gallos inclinat, illuc omnino prolapſuram, & alteram, quæ huc vſque reſtitit, ſecum attracturam: ſic Heluetios ex amicis inimiciſſimos futuros. Quod ſi Gallus vel Heluetios ſuperet, vel cum iiſdem paciſcatur, liberam illi viam Romam vſque, atque ad regnum Neapolitanum patere: quis enim tantis copiis reſiſtat? Qui contra ſentiebant, Laudem iam à Gallis occupatam veriſimile eſſe aiebant: id ſi ita euenerit, ipſis retro cum ignominia, nec fortaſſe ſine diſcrimine cedere neceſſe fore. Gallis ſimul, ac Venetis imminentibus nec pontem ſine tumultu tot equitibus, peditibúſque accelerantibus, hoſtibus autem perſequentibus traiici poſſe: nullum magnum diſcrimen ſine magno quoque præmio propoſito ſponte ſubeundum. Si Laude potiantur, quod inde operæpretium conſequentur? qui ipſi Heluetiis, aut ipſis Heluetij iungentur tanto támque parato Gallorum exercitu inter Mediolanum, Laudémque interiecto? nec fortaſſe tutum Pontificias omneis, Hiſpanáſque copias barbaris hominibus inter ſe non conſentientibus credere, quorum alij, & quidem permulti cum Gallis ſentiant, & à ſociis ſuis diſſentiant.

16 Tandem, vt fluuium traiicerent, decretum: at neutri quod decreuerant, exequi ſtatuerant, crimen potius alteri in alteros reiicere deſtinabant: à meridie nihilominus Hiſpani tranſire cœperunt, Pontificij, vt ſequerentur, ſe compararunt, ne ſequerentur nox interueniens impedimento fuit, profectio in craſtinum diem dilata. Poſtridie nec ipſi tranſierunt, & Hiſpani vltra fluuium progreſſi vnde prodierant, turbatis ordinibus, & cum magna trepidatione redierunt, quod quadringenti leuis armaturæ equites, quid Galli molirentur exploratum miſſi, centum cataphractos Gallos Laudem iniiſſe retulerunt. Pontificiis Hiſpaniſque ad priora caſtra reuerſis Liuianus cum Veneto exercitu Laudem profectus eſt. Itaque dum ad Placentiam Pontificij, Hiſpaníque, ad Laudem Veneti, ad Melegnanum Donatíque Fanum Galli caſtra haberent, Heluetij Mediolani coeuntes crebras inter ſe ſeditiones ferebant, aliis pacem, aliis prælium depoſcentibus. Hos ita tumultuanteis ad concionem deintegro conuocandos Sedunenſis Cardinalis Gallici nominis hoſtis acerrimus curauit, & vt vel victores ingenti gloria, prædáque ditarentur, vel victi perpetuas cum Gallis inimicitias exercerent, recitatis quas & cum Gallis, & aduerſus Gallos, Burgundóſque obtinuiſſent, victoriis hoſteis illorum impetum haud toleraturos, quin potius ſe in fugam daturos prædicans ad pugnam ſtatim ineundam inflammauit. Ibi Helueticæ iuuentutis florem, ibi veteranos prope omneis præfectos, cæteróſque qui bellis ſuperioribus Helueticum nomen in cœlum extulerint, & non ſolùm æquales, verum etiam hiſtoriis veterum celebratos Macedonas, Romanos, Pœnos militari gloria ſuperarint: ibi (inquam) quadraginta Heluetiorum millia coiiſſe, qui quicquid huius orbis ſupereſt, apertis campis vno die debellare poſſint. Si hiſce copiis, hoc eſt, vniuerſis Heluetici nominis viribus Gallos aggredi non audetis, quomodo illis in poſterum reſiſtere ſperatis? vbi magnificæ illæ voces, quibus & Burgundiam ingredi, & vos ſolos Mediolanenſem principatum aduerſus omneis principes Chriſtianos non ita pridem conſeruaturos iactitaſtis? Confirmate victoriam Nouarienſem non locorum iniquitate, non beneficio noctis, non clandeſtina, & præter ſpem arrepta occaſione, vt Galli diuulgarunt, ſed veſtra ſolida virtute partam. Si eadem alacritate hoſteis inuadetis, victorias veſtras, iure ac merito veſtra virtus, ſin animis deficietis, eaſdem fortuna ſibi vendicabit; non eſt cur Pontificios Hiſpanóſque expectetis: Heluetica virtus ſua non aliena ope nixa res magnas ſuſcipere conſueuit: non cum alienigenis modo, ſed ne cum ſuis quidem ſperatam militarem gloriam Motinus Nouarienſis victoriæ author communicare voluit. Altoſaxum cum decem noſtrorum millibus ſequentem, & vix vnius diei itinere ſeparatum, vt expectaret, adduci haud potuit: cum paucis magnum exercitum magnis ducibus imperantibus formidandum aggredi non dubitauit, ingentem gloriam non ſibi ſolùm, verum etiam vniuerſo Heluetico nomini, quam vix vllæ veterum quantumuis illuſtres victoriæ exæquare poſſint, reportauit: prædam opimam fortiter moriens ſociis reliquit, at vobis quæ nunc præmia proponuntur? Longè maior nimirum gloria, ſi Regem potentiſſimum, omnem Gallicam nobilitatem equeſtri laude tantopere ſuperbientem Germanos gloriæ militaris æmulos ſuperabitis: præda autem tanta, quantam vix vllus æſtimare poſſit. Hic enim omneis Galliæ opeis habetis; non ſolùm quod huc bonam partem ſecum aſportarunt, & quod ſupereſt, captiui repræſentabunt: verum etiam quod hoc exercitu deleto vobis totam Galliam ſtipendiariam reddetis; aut veſtro arbitrio, ſi ita videbitur, inde prædas agetis. Galliam

Pp itaque

Traiiciendū eſſe decernitur.

Seditionis ſemina inter Heluetios iacta.

Sedunenſis ad Heluetios ſermo.

itaque inter Europæ prouincias regionem fertiliſſimam, ampliſſimámque vobis victoriæ
præmium proponite: quos enim alios exercitus conſcribere Galli poſſunt, quum ad nouum
Regem flos totius nobilitatis, cæteræque iuuentutis confluxerit? Quapropter vt
nuper dixi, ite bonis auibus, bonas autem aues veſtra virtus, atque innata fortitudo vobis
repræſentabit, & non tam ad pugnam, quàm ad tanta victoriæ præmia properate: tormenta
primùm toto impetu, vt Nouariæ feciſtis, inuadite; horum compotes de victoria
non eſt cur dubitare poſſitis. Quod ſi, vt nonnulli cadant, fortè continget, quemadmodum
nullum prælium ſine cæde committi ſolet, illorum animas ab omni ſceleris labe
Pontificia authoritate perpurgatas relicta in terris ſempiterna ſui nominis gloria in cœlum
ab ipſa morte protinus euolaturas vobis ſpondetote.

His dictis accenſi, quanquam dies ad veſperam inclinabat, Idibus Septembr. Romana 17
porta exierunt, & ſuis ordinibus incedentes rectà ad hoſteis contenderunt; quos vel ſpe
pacis, vel quod iam adueſpraſceret, vix enim vna, atque altera diei hora ſupererat, imparatos,
vt antea Nouariæ, offendere ſperarant. Idcirco non tympanorum clangore, vt
ſolent, ſed vt noſtros nec opinanteis adorirentur, cornibus, quæ obſcurius ſonant, nec
procul audiuntur, quaſi tubarum, aut tympanorum vice vſi ſunt: cornu præſertim argento
cælatum, quod apud Vranienſes Helueticæ libertatis authores magna religione
ſeruatur, geſtatum, quo Heluetij ad ſigna reuocati ſunt, Iouius prodit. At Borbonius
equitum magiſter primæ aciei ductor ſemper ad omne diſcrimen paratus vbi aduentanteis
intellexit, ſuos, quoad temporis breuitas ſinebat, ad hoſteis ſtrenuè excipiendos
cohortatus eſt. Germani tormentorum primi agminis cuſtodiæ attributi fœdus ratum
remanere, ſe nihilominus Heluetiis antiquis hoſtibus dedi exiſtimantes pedem initio
ſeruatis tamen ordinibus retulerunt, hinc datam Heluetiis rapiendorum aliquot tormentorum
leuiorum occaſionem Iouius ſcripſit; ad tormenta Heluetios perueniſſe, verum
loco haud mouiſſe cæteri tradiderunt. At Borbonium cum ſuo equitatu fortiter
Heluetios inuadentem, Regem ex altera parte cum nigris cohortibus, & ſecundi agminis
equitatu incedentem aſpicientes iidem Germani ad pugnam redierunt. Ibi atrox,
cruentúmque prælium conſertum, quod diuerſis euentibus nunc his, nunc illis vincentibus
in quartam vſque noctis horam multis vtrimque cadentibus continuatum eſt;
tanto errore, vt nocte, & puluere ab vtroque exercitu excitato oculorum, tormentis autium
vſum tollentibus Andabatarum fere more pugnarent. Errorem augebat, quod
Heluetij non ſecus ac Galli albas cruces geſtabant; Heluetios dumtaxat clauis ex panno
alba humeris, vel pectori aſſuta diſcernebat. Itaque poſtridie nonnulli Galli in Heluetiorum,
contra Heluetij aliquot in Gallorum caſtris maximè inter Germanos prima
luce reperti ſunt. Gallicum equitatum præſertim primi agminis primos Heluetiorum
impetus excepiſſe conſtat: quo primo congreſſu Franciſcus Borbonius equitum magiſtri
frater, Himbercurtius, Sacrocæſarianus Comes, ac plerique alij viri nobiles cæſi fuerunt.
Magnum diſcrimen adiit & ipſe Borbonius equitum magiſter, & Franciſcus Rex
in tanto errore vel à ſuis non agnitus, vel in hoſteis acrius inuectus paludamento plerisque
locis perfoſſo multas haſtas excepit. Prælium non tubarum, non tympanorum ſonitus,
non ducum iuſſa, non ipſa nox, luna enim pernox erat, ſed vtrorumque laſſitudo,
exhauſtæque vires diremerunt. Itaque tacitis velut induciis factis à ſe inuicem ſeparati
ſunt: ad quartam noctis horam (vt paulò ante memini) pugnatum eſt; cæteram
noctem Galli non ſecus atque Heluetij fere inſomnem traduxerunt. Rex ipſe vt equites,
peditéſque in ordines redigerentur, tormenta locis opportunis collocarentur, omnes ſe
ad craſtinam pugnam pararent, edixit; deinde vt armatus erat, tormento innixus paululum
conquieuit.

Heluetiorum cum Franciſco ad Meleguanū atrox conflictus.

In conflictu vix ſe mutuò dignoſcũt, & cur.

Eandem curam in ſua acie Borbonius, eandem Halenconius adhibuit; & quod ali- 18
quam eius loci portionem vbi primum agmen caſtra poſuerat, Heluetij occuparant, Borbonius
caſtra contraxit, & in foſſæ margine illis ſex Germanorum millia oppoſuit,
caſtrorúmque frontem diſpoſitis commodè tormentis muniit. Vbi craſtinus dies illuxit,
Nauarrus, ac plerique Germani, qui propter noctis tenebras ad deſignatam ſibi
caſtrorum regionem non redierant, nec procul inde ſignis ſolo fixis conſederant in caſtra
reuerterunt, & locum ſuum tenuerunt: conſtiterant tres Gallorum acies æquata penè
fronte, intermedius Rex erat, dextram Borbonius, ſiniſtram Halenconius quaſi duo cornua
tenuerunt. Heluetij, qui noctis beneficio dignam nondum ſua temeritate iacturā ſenſerant,
& quod initio ad ſuum conſpectum aliquot Germanorum cohortes heſterno die
pedem referre viderant, audaciores, tanto impetu in regiam aciem irruperunt vt cohortes

tes

Digitized by Google

tes nigras valentiſſimum Germanorum agmen ſtadio propemodum retrocedere coegerint. Quinetiam ex ipſis quidam, cuius nomen non traditur, penetrato noſtro peditatu Regia tormenta, vbi & cæſus eſt, manu attrectauit, tametſi antequam ad manus veniretur, magnam cædem diſploſa tormenta fecerant, Galioto Ienaloco tormentorum magiſtro ita peritè, quà denſos hoſteis ac confertos videbat, dirigente, vt ſæpius inſtauratos ordines diſſiparit, ruentiúmque impetum retardarit; & ſclopetarij glandibus baliſtarij Vaſcones mutuo recurſu per centurias ſibi inuicem ſuccedentes ſagittis pleroſque configebant. Verumenimuero immiſſus à lateribus equitatus grauem impreſſionem fecit ſtrenuéque pugnanteis Heluetios latè longéque proculcauit, inſtauratóſque ordines, ſiquidem tormenta initio ſtragem ingentem ediderant, ordinéſque laxarant, deintegro perrupit. Circa horam nonam, vt Galli numeramus, hoc eſt tertiam à ſolis ortu vt idibus Septembr. eſſe ſolet, partem ſuorum Heluetij à ſiniſtra ad inuadenda noſtrorum impedimenta, noſtróſque à tergo adoriendos frontem perrumpere iam deſperantes miſerunt: at in hos irruens Halenconius, & cum Halenconio Emarus Prianus, atque Aubignius fortiſſimi duces bonam partem ceciderunt; partem, quæ in propinquam ſiluam ſe condiderat, ſclopetarij, baliſtariíque Vaſcones, ac Coſſeus, Malgeróque cum ſuis hippotoxotis ad internecionem peremerunt.

Gallorũ tormenta ſimul & equitatus magnam in Heluetijs ſtragem faciũt.

19 Vbi quinque circiter horas à prima aurora ad decimam, hoc eſt, quartam à ſolis ortu exæquata vtriuſque exercitus pertinacia pugnatum eſſet, Heluetij vndique oppreſſi receptui canere cœperunt, quum Liuianus, Venetíque equites fortè interueniſſent: is in duas cohortes ſeſe iam Mediolanum recipientes irruens, atque ab iis ſignis conuerſis fortiter exceptus Cepinum Petiliani Comitis filium, ac pleroſque equites amiſit; opportunum tamen quanquam paulò tardiùs noſtris iam pugnando feſſis auxilium attulit: Heluetij enim omneis Venetas copias adeſſe rati maturius retroceſſerunt, & Mediolanum Regia via redierunt. Nec abeunteis noſtri perſequuti ſunt, vel quod equitatus, in quo noſtri exercitus robur fuit, pugnando feſſus (viginti enim circiter horas in armis fuerat) reficiendis equis conſuleret, vel potius quod foſſæ ad viam Regiam ab vtroque margine ductæ ne in Heluetios irrumperetur, impedirent, vel quod Rex Heluetios nimis irritare nollet, amicos potius ſibi in poſterum conciliare mallet. Ex quadraginta (vt multi) vel triginta quinque (vt alij tradunt) quanquam numerum Iouius Gallis ſemper iniquus ad quinque & viginti reducit, Heluetiorum millibus cæſa quatuordecim, vel quindecim millia noſtri ſcribunt; Itali aliter (vt in omnibus prœliis cæſorum numerus fere incertus eſt:) ex noſtris pedites mille quingentos, equitum numerus ſiletur: quanquam ex his non pauci cæſi fuerunt. Vtrorumque numerum item Germanorum nonnulli ad tria millia redegerunt, alij ad ſex auxerunt. Totum autem belli pondus in vtroque conflictu noſtros equites ſuſtinuiſſe conſtat: in poſteriore princeps Talmontius Ludouici Trimullij vnicus filius, Buxius Ambaſianus Cardinalis Ambaſiani ex ſorore nepos, Roia Belga, & plerique alij viri illuſtres perempti ſunt. Claudius Lotharingus Guiſanus Comes Germanorum omnium abſente Geldubenſi regulo auunculo tribunus inter primos depugnans humi proſtratus eſt; quúmque multis haſtis peteretur Adamus natione Germanus eius domeſticus ſeſe ſuper proſtratum proiecit, vulnera quæ herus accepiſſet, excepturus: equitatu noſtro irruente Heluetij repulſi, vix ſpirantem Iameſius natione Scotus prætorianus eques è prælio eduxit. Duæ Heluetiorum cohortes ad villam, ad quam caſtra habuerat Borbonius equitum magiſter, confugerunt; quum deditionem facere recuſarent, igne tectis admoto & Heluetij, & plerique Galli, atque inter hos Ioannes Moius Mailleraius Regij agminis ſignifer, qui vnà ingreſſi erant, fugienteiſque perſequebantur, fumo flammiſque aut ſuffocati, aut abſumpti ſunt.

Cæſorum in vtroq. exercitu numerus.

Duæ Heluetiorũ cohortes fumo, flãmiſque vt abſumptæ.

20 Heluetij Mediolanum reuerſi multum inter ſe diſſentiebant: alij cum Rege conueniendum, alij ad Mediolani propugnationẽ conſiſtendum, maioráque domo auxilia arceſſenda ſuadebant. Poſtridie ad plateam arci ſubiectam coeuntes ſuadente Roſtio Tribuno trimeſtre ſtipendium iam ſibi debitum à Maximiliano Sfortia Mediolanenſi regulo poſtularunt. Id quum ſuppeditare non poſſet, Comenſi via protinus abierunt, nec abeunteis retinere Sedunenſis perdita iam apud eos ob aduerſum prælium authoritate potuit; promiſſum dumtaxat accepit, Heluetios ad liberandam obſidione arcem redituros, cui mille quingenti Heluetij, Itali quingenti præſidio erant (vt Itali hiſtorici tradunt:) noſtri quatuor Heluetiorum millia præſidio relicta ſcribunt. Sedunenſis ſe breui quoque rediturum pollicitus cum Pontificio equitatu, validáque Sedunorum manu

Tridentum, inde in Germaniam ad cohortandum de mittendis promiſſis auxiliis Cæſarem properauit. Vtrorumque auxiliorum ſpe fretus Maximilianus Sfortia Mediolanenſis regulus cum Ioanne Gonzaga, atque Hieronymo Morono, aliquótque aliis viris nobilibus arcem Mediolanenſem ingreſſus eſt, vt Franciſcus frater tum Barienſis regulus in Germaniam quoque proficiſceretur aſſenſus. hic poſtea in paternum principatum reſtitutus Chriſtiernam Chriſtierni Danorum Regis filiam, & Caroli Quinti Imperatoris ex ſorore Iſabella neptem vxorem duxit: vrbs ab omnibus deſtituta Franciſco Regi ſe dedidit, & indictis trecentis nummûm aureorum millibus tribus penſionibus perſoluendis in deditionem accepta eſt: cæteræ vrbes, arcéſque Mediolanenſi, Cremonenſíque exceptis, principis vrbis exemplum, victoríſque fortunam ſequutæ ſunt. Franciſcus ad Melegnanum, Donatique Fanum triduo commoratus liturgiis primo die rite celebratis Deo Opt. Max. de parta victoria gratias egit: altero ſuis omnibus, qui eo prælio ceciderant, parentauit: poſtremo recuperato hæreditario Ducatu pacem ſupplex implorauit, ibique ſacellum victoriæ monumentum erexit; ac quod pleroſque viros nobiles quos ſtrenuam operam vtroque prælio nauaſſe conſpexerat equeſtri honore ornare decreuiſſet, eam dignitatem primùm à Petro Terralio Baiardo viro fortiſſimo accipere voluit: dignitatem enim qua ipſe præditus non ſit, alteri conferre haud rationi conſentaneum putauit: ea confertur verbis conceptis ſiniſtro humero ſtricto enſe percuſſo. Baiardum prætulit, vel quod nuper fortiſſimè pugnantem viderat, vel quod eundem in omni bellici certaminis genere excelluiſſe nouerat, quod equitem, peditem cum multis, cum paucis ſingulari etiam certamine pugnaſſe, magnámque ſemper gloriam reportaſſe intellexerat, vel ne viros principes, ſummóſque duces, ſi ab eorum aliquo dignitatem equeſtrem accepiſſet, aliqua inter ſe æmulatione prouocaret. Baiardus centenariæ tum Antonij Lotharingiæ reguli alæ legatus fuit, quem tametſi maiora nondum militiæ munera conſequutum virtutis ergo commendandum, & altiore iudicij ſui teſtimonio illuſtrandum exiſtimauit: miſſo deinde Mediolanum cum prima acie Borbonio (neque enim vrbem ingredi niſi dedita arce ſe dignum eſſe duxit) Ticinum contendit. Borbonius vrbis adminiſtrationem Aubignio, arcis oppugnationem Nauarro Neapolitana non ita dudum ſupra quam dici poteſt oppugnatione celebrato, commiſit: ipſe ad Regem cum parte ſuorum rediit.

Sacellum à Franciſco in victoriæ monumentū ad Melegnanum erigitur.

Parta de Heluetiis victoria Cardonius vbi tum erat aliquot præterea dies conquieuit, 21
quod milites ſtipendium poſcentes locum mutare recuſarent: deinde aliquantula pecunia accepta, & mutuo datis à Laurentio Medice ſex nummûm aureorū millibus ad Nurei fluuij pontem in regnum Neapolitanum rediturus retroceſſit. Leo Pontifex, tametſi initio Iulij in rebus aduerſis conſtantiam præ ſe ferebat, ſibi nihilominus conſulēdum exiſtimauit: ſuadebant fœderatorū legati, vt Heluetios numerato ſtipendio Leo in fide contineret: ſin cum Gallo ſocietatem coirent, Germanos arceſſeret, nec ſtatim fortunæ cederet. Et Heluetij quidē Tigurina comitia, vt Sfortiæ obſeſſo ſuppetias ferrent, indixerant; & iam de reditu (vt polliciti erant) cogitabant: at Leo natura timidus & conſilij incertus ſe primum hoſti obiectum reputans, quamuis Pontificatus Romani maieſtas Franciſcum à Pontificiis ditionibus inuadendis fortaſſe reuocaret, tamen eundem Parmam, Placentiámque antiquas principatus Mediolanenſis poſſeſſiones repetiturum, atque inde Florentiam, vt Mediceos vrbe pellat, ſi eius amicitiam Leo aſpernetur, peruaſurum ſuſpicabatur. Tarda verò, & dubia Heluetiorum, qui cum Rege ſemper de ſocietate agant, vix ſperanda Germanorum auxilia: &, vt cupiant, in tempore haud affutura ſibi perſuadebat. Neque id quidem fruſtra pertimeſcebat: iam enim pons ad Padum Ticinúmque confluentes parabatur, vt exercitus Parmam, Placentiámque circumſeſſurus tranſmitteretur. Sed Carolus Allobrogum regulus, ac Ludouicus Canoſius Tricaricenſis Pontifex Leonis apud Franciſcum legatus, de eius mandato nuper habitos de ſocietate ſermones renouarunt: nec ab ea Rex ne qua aduerſus ſe noua ſocietas iniretur veritus, & Romani Pontificatus maieſtatem vltro reueritus, alienum ſe præbuit, quæ in hanc fere ſententiam concepta eſt. Pontificatus Romani, Florentinęque Reip. propugnationem Rex ſuſciperet: priuatim Leonem Pontificem, ac Iulianum, Laurentiúmque Mediceos in fidem, clientelámque reciperet: Iuliano munus in Gallia honoratum, ac penſionem annuam, Laurentio item penſionem, ac quinquagenariam cataphractorum equitum alam condonaret; vt Cardonius per Pontificias ditiones in regnum Neapolitanum rediret, idem Rex aſſentiretur. Leo viciſſim copias quas Veronam, quáſque ad Cæſarem miſerat, reuocaret; Parmam, Placentiámque Regi reſtitueret, ea tamen conditione, vt ſalem ex Ceruianis ſalinis coemere Mediolanenſes tenerentur, vti iam Leo cum Sfortia Mediolanenſi regulo conuenerat: alter

Tigurina comitia quem in finem ab Heluetiys indicta.

Pax inter Leonem & Franciſcū vt concepta.

alter alteri pro conſeruandis ſuis Italicis ditionibus, quum opus eſſet, certa militum auxilia mitteret: an Florentini fœdus cum Ludouico Franciſci ſocero initum violaſſent, & ſi quidem violaſſent, quam pœnam ſubirent, compromitteretur. Carolus Allobrogum regulus arbiter ſtatueretur, capita ſocietatis Romam curſoribus equis ad Leonem, vt ea rata haberet, Tricaricenſis detulit.

22 Laurentius interim copias, quas Placentiæ habebat, Parmam, Rhegiúmque, vt reditum Cardonius maturaret, ſe recipere iuſſit: ipſe ad Regem, vt eum ſibi demereretur, acceptis à patruo mandatis artificioſiſſimis ſe contulit; quicquid patruus moliretur, ſe tamen à Rege ſtatutum profeſſurus. Recuſabat initio ſocietatis capita rata habere Leo, & primum quid Tigurinis comitiis decerneretur, audire cupiebat. Tigurini enim, qui pagus inter Heluetios & frequentiſſimus, & Gallis infeſtiſſimus erat, de mittendis Sfortiæ auxiliis pertractabant: tametſi valles occupatas, ac Bellinzonam, Lugarinúmque vrbeis deſeruerant, arceis dumtaxat retinebant (quanquam Lugarnenſem ſex nummûm aureorum millibus præfecto non ita multò poſt numeratis Franciſcus recepit) Rheti Clauennam retinuerunt. At Tricaricenſis quam ſtragem Melegnanenſi pugna Heluetij accepiſſent, exponens, & Regem ſtatim Placentiam, Parmámque oppugnaturum, atque inde in Hetruriam tranſiturum ſignificans, hominem commouit, & vt conditionibus paucis additis capita rata haberet, perfecit. Conditiones fuerunt Leonem præſidia, ac magiſtratus Parma, Placentiáque reuocaturum; vt Rex iiſdem potiretur aſſenſurum: milites, quos Veronæ habebat, non ſtatim, ne grauem Cæſari iniuriam faceret, ſed prima quaque occaſione educturum: Florentinis fraudi ne eſſet, ſi quid aduerſus ſocietatem cum Ludouico Rege initam deliquiſſent. Additum fuit, ne Rex Pontificatus Romani clienteis in fidem reciperet; ne ſi in eoſdem lege agere Leo vellet, impediret: ſin ad arma res veniret, auxilio eſſet: quinetiam, vt ſimul colloquerentur, ſermonem Franciſcus iniecit. Id verò vterque, in primis autem Leo deſiderabat, Franciſcus vt ſua præſentia cœptam amicitiam confirmaret; cæteros Italiæ principes, qui omnes Ferdinando excepto ab illo ſtabant, & ſecum, & cum Leone magis coniungeret; vt oblatis Iuliano, Laurentióque magnis conditionibus Leonem in repetendo regno Neapolitano, aut ſocium, aut ſaltem à ſe non alienum haberet: Leo naturæ ſuæ conſcius, vt ſimulando multa diſſimulandóque ſolitis ſuis artibus florentem Regem, & tanta fortuna erectum ſibi deuinciret, eundémque ab inuadendo regno Neapolitano tantiſper dum Ferdinandus viueret, quem perdita valetudine afflictum haud diu victurum omnes iudicabant, reuocaret: interim occaſiones emerſuras, quæ iſtum felicitatis curſum aut impedirent, aut certè retardarent. Tametſi autem vt Bononiam Regi obuiam procederet, à Pontificia maieſtate plerique alienum, Romam potius Regem ad Pontificem adire conſentaneum aiebant, tamen quod Romam, niſi cum exercitu Franciſcus adire non poſſet, ne eundem quaſi ad propinquum regnum Neapolitanum occupandum inuitare videretur, Bononiam ipſe proficiſci maluit, & ſe ad præſcriptum diem Regem ibi excepturum pollicitus eſt.

A Leone pactis capita rata habentur.

23 Interea Nauarrus oppugnandæ Mediolanenſi arci ſedulam operam nauabat: foſſam ſatis profundam, vnde cuniculos ageret, duxerat: aggerem altum pedes duodecim erexerat, vt in tuto ſubterraneum opus ruſtici ad id conducti conficere poſſent. Maioribus tormentis, quos canonas, aut duplices canonas vocant, turrium, murique aduerſi pinnas, defenſaculáque omnia perruperat; vt in muro conſiſtere, aut è turribus proſpectare nemo poſſet. Foſſarum arcis aquam ita deriuarat, vt ſubtus cuniculi facilè ducerentur: inde imum intra foſſam defenſaculum (caſammatam vulgo appellant) quod Comenſem portam reſpiciebat in aëra diſiecerat: vnde in contiguum propinquum propugnaculum per ruinas Nauarrini ita repentini euaſerunt, vt vix cuſtodes portæ, qua ex arce propugnaculum adibatur, occludendæ ſpatium haberent: & quamuis inde non ita multò poſt repulſi ſint, magnum tamen præſidiariis militibus metum inieceerunt: cui Neapolitanæ arcis ab eodem Nauarro euerſæ fama multùm addebat, pleriſque, ne Mediolanenſi idem eueniret, extimeſcentibus: quanquam longè alius Mediolanenſis ſitus erat: hic enim turrium, murorúmque altiſſima fundamenta ſublicis humido in ſolo fixis nitebantur, quo cuniculos agere perdifficile erat. Tormentarius item puluis humido, paluſtríque propemodum ſolo vim eius obtundente magnum nihil moliri potuiſſet; Nauarrus nihilominus intra paucos dies ſe arcis compotem fore iactitabat. At Borbonius equitum magiſter ſitum arcis perpendens, incertíſque Nauarri promiſſis non magnam fidem adhibens tentare obſeſſorum animos, in primis autem Ioannis Gonzagæ affinis ſatius eſſe duxit; & Regis

Arx Mediolanenſis à Nauarro oppugnatur.

nomine honoratas Sfortiæ conditiones, Gonzagæ digna præmia obtulit. Gonzaga apud Sfortiam authoritate potens pertracto in ſuas parteis Hieronymo Morono Sfortiani conſilij principe, ac duobus Heluetiorum præfectis, vt Sfortia oblatas conditiones quarto nonas Octobris acciperet, procurauit. Hinc plerique Moronum, vel erga herum perfidiæ vel degeneris metus arguerunt: ille in diſſenſionem inter Heluetios Italóſque ſubortam culpam deditionis conferebat. Conditiones autem hæ fuiſſe traduntur: nempe vt ſtatim Mediolanenſem, Cremonenſémque arceis Regi Sfortia dederet, eidem omni Mediolanenſis principatus iure cederet. Sfortiæ viciſſim æs alienum, mutuóque ſumptam pecuniam Rex diſſolueret, profecto in Galliam Rex triginta nummûm aureorum millia quotannis dependeret: ſexaginta promiſſa quidam è noſtris ſcribunt, aut eidem ad Cardinalitium gradum promoto ſacerdotia eandem annui prouentus ſummam conficientia condonaret. Condonaret & noxam Galeatio Vicecomiti, cæteríſque viris nobilibus Mediolanenſibus Sfortiæ parteis ſequutis; præſidiariis Heluetiis ſex nummûm aureorum millia numeraret: Ioanni Gonzagæ quicquid Ducis beneficio in agro Mediolanenſi poſſidebat, ratum haberet, penſionemque annuam adderet: Morono patrimonium, & quicquid Ducis beneficio poſſidebat, perinde ac Gonzagæ, munera item ciuilia confirmaret, eundem ſupplicum libellorum magiſtrum in Gallia crearet.

Arcis Mediolanenſis deditio.

His conditionibus vtrimque confirmatis ex arce Mediolanenſi egreſſus, & Heluetiorum ſeruitute, inanibus Cæſaris promiſſis, Hiſpanorúmque fraudibus defunctus (vt ipſe aiebat) Manleone Ludouici Trimullij fratre Franciſco Pontremulano Comite, aliíſque aliquot viris nobilibus deducentibus in Galliam abceſſit, ludibrio fortunæ nullo ſuo merito ad ſummam dignitatem repente prouectus, repente quoque inde, ſed magno ſuo merito depulſus: ignauum enim ingenium, flagitioſáque, ac ſordida vita nihil viro principe dignum cogitare, nedum exequi ſinebant. Paulò ante arcis Mediolanenſis deditionem quatuor è Veneto Senatu viri primarij Antonius Grimanus, Dominicus Treuiſanus, Georgius Cornarius, Andreas Grittus Franciſco Regi de recenti victoria gratulaturi Ticinum acceſſerunt; & vt ad recuperandas, quas bellis ſuperioribus amiſerant, vrbeis ex fœdere opem ferret obſecrarunt: non magnas eſſe Cæſaris copias, vti nec antea fuiſſent: Pontificias M. Antonio Columna præfecto Veronæ quidem adhuc conſiſtere, cæterum de reditu propemodum cogitare. Cardonium cum primum Leonem recens fœdus ratum habuiſſe intellexit, per Pontificias ditiones in regnum Neapolitanum abceſſiſſe: quapropter haud difficilem fore amiſſarum vrbium receptionem. Franciſcus, vt Sabaudianus nothus auunculus, magnæ tum apud ſe authoritatis, ac Theodorus Triuultius cum ſexcentis cataphractis equitibus, ſeptem Germanorum peditum millibus Venetis ſuppetias ferrent, ſtatim iuſſit. Sed dum nonnihil cunctantur, vel quod eaſdem copias ad circumſedendam Cremonenſem arcem Rex miſſurus erat, vel quod quis obſeſſæ iam Mediolanenſis exitus foret, expectaretur, Liuianus, quem priuato odio incenſum ad perſequendum Cardonium ire parantem Veneti reuocarant vt ſine externis auxiliis ſuis, ſi poſſent, viribus Brixiam, Veronámque reciperent, Brixiam verſùs iter inſtituit: deinde mille Germanos, & aliquot Hiſpanos (vt quidam ſcribunt) nuper vrbem ingreſſos certior factus Bergomatibus paucis ante diebus in Venetorum poteſtatem reuerſis Veronam prius, vel quod ibi vberior commeatus erat, vel quod vrbs minus valida, vel quod Verona capta Brixiam commeatu, aut auxiliis iuuare Germanis perdifficile erat, tentandam exiſtimauit: quam expeditionem non ſtatim poſt Melegnanenſem victoriam ſuſcepit, ne Hiſpani, Pontificiique è Mutinenſi, Rhegienſique agro tranſmiſſo Pado Veronæ opem ferrent. Cardonij diſceſſu ea cura liberatus in grauem morbum incidit: pridie Idus Septembris de pugna ſupra commemorata certior factus, & noctu, diúque properans tum in ipſo conflictu puſillum incuruúmque corpuſculum ſupra vires exercens viſceribus in herniam ex graui armorum pondere contractam defluentibus ſibi morbi eius initium aſciuiſſe fertur, & Octobri ineunte apud Gedas Brixiani agri oppidum nondum ſexagenarius (vt Guicciardinus) vel alterum & ſexageſimum natus annum (vt Iouius tradit) diem ſuum obiit. Alij dyſenteria periiſſe ſcribunt: mortui cadauer totos vigintiquinque dies ſecum milites magna pompa circumtulerunt, Venetiis deinde Senatus decreto in Stephani æde perhonorificè ſepultus eſt. 24

Veneti à Franciſco ſuppetias implorant.

Liuiani mors, & funus.

Iacobus Triuultius in eius locum adſcitus.

Mortuo Liuiano Veneti Ioannem Iacobum Triuultium, vt ſuis copiis præeſſet & Liuiano ſuccederet, à Rege petierunt, quod dux prudens, & Guelfæ factionis eſſet, & Reip. acceptus. 25

acceptus. Antequam is ad exercitum accederet, Veneti Piſcheriam, Aſulam item, & Lonnam à Mantuano derelictas receperunt: vbi in caſtra appulit, Brixiam Senatus circumſedere iuſſit: perdiſſicilem præſertim ſine Gallicis auxiliis Triuultius oppugnationem fore docuit, vrbi vndiquaque munitæ bis mille tam Germanos, quàm Hiſpanos præſidio eſſe, magnam Guelforum multitudinem inde migrare compulſam, hyemem inſtare: turbidum cœlum ingentem pluuiarum vim minari, ſub dio, aut ſub tentoriis pernoctantibus pernicioſiſſimam. Nec prudentis ducis iudicium rei fefellit euentus: quum enim muros, qua Garzetta fluuiolus vrbe exit, tormentis pulſare cœpiſſent, obſeſſi oppugnanteis frequentibus eruptionibus laceſſebant: poſtremo mille quingenti Germani pariter, atque Hiſpani hoſtilium tormentorum cuſtodes (centum cataphracti equites, peditum ſex millia fuiſſe traduntur) aggreſſi cæteris qui in vrbe remanſerant ex muro diſpoſitis ſclopetis, tormentiſque rem nauiter gerentibus eoſdem in fugam verterunt: circiter ducentos ex hoſtibus occiderunt, tormentarium puluerem incenderunt, decem maiora tormenta curribus excuſſerunt, quæ poſtridie ductariis funibus in ſumma mœnia ſuſtulerunt; tametſi Ioannes Paulus Manfronus irrumpentium impetum ſuſtinuit. Vnde Triuultius Gallica auxilia expectans ad Coccaiam decimo à Brixia milliari retroceſſit, Venetis interim alia tormenta, cæteráque, quæ ad inſtaurandam oppugnationem opportuna erant, mittentibus, Regémque de accelerandis auxiliis vrgentibus. Is Renatum Sabaudianum nothum cum trecentis cataphractis equitibus, ſex Germanorum peditum millibus Brixiam properare iuſſit. Cæterum inter eundum tranſmiſſo iam Abdua ad Balneolum oppidum Germani aduerſus vrbem Germanico Imperio obnoxiam conſanguineóſque ſe profecturos pernegarunt: Mediolanenſem nihilominus principatum aduerſùs quoſuis nemine excepto pro viribus conſeruaturos iidem promiſerunt, quorum loco Rex Nauarrum cum ſex partim Gallorum, partim Vaſconum peditum millibus ſummiſit: neque enim, vt obſeſſis Cæſar opem ferret, veriſimile erat, qui nondum Vienna Auſtriæ reuerterat; à qua non procul cum Vladiſlao Hungariæ ac Sigiſmundo Poloniæ Regibus colloquutus erat, & de Mariæ neptis cum Ludouico Vladiſlai filio matrimonio conuenerat, Ferdinandúmque nepotem Annam Ludouici ſororem vxorem ducturum receperat, Bonam autem Ioannis Galeatij Sfortiæ filiam Sigiſmundo deſponderat.

Brixiæ oppugnatio difficilis.

Germani à Franciſco ad Triuultium miſſi cur pugnare detrectent.

26 Igitur inſtaurata oppugnatione duobus locis vrbis muros tormentis verberarunt, ad Pilatum portam arcem versùs Galli, ad Ioannis portam Veneti conſederunt. Venetis Triuultius, Gallis Nauarrus præerat, quod nothus Sabaudianus morbo correptus è caſtris exceſſiſſet: muris proſtratis oppugnatio haud inſtituta eſt, quod obſeſſi foſſis, aggeribus, cæteriſque rebus ad propugnationem neceſſariis ſeſe egregiè muniiſſent. Quapropter Nauarrus ad ſuas arteis recurrit, cuniculos diligenter agere, murorúmque fundamenta perfodere occœpit. Interea M. Antonius Columna cum ſexcentis cataphractis equitibus, quingentis peditibus, Verona egreſſus Ioannem Paulum Manfronum ac M. Antonium Buum, qui Valegio cum quadringentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus præſidio erant, extra oppidum offendens fudit fugauitque, ac Iulium Manfroni filium cepit; inde Lemniacum occupauit. At Nauarrini cuniculi promiſſis eius non ſatis reſpondebant: obſeſſos Vaſconis dicterio admonitos contrarios egiſſe Iouius ſcribit: inter iocandum enim dixerat, vt ſibi Hiſpani cauerent, quum humum Gallina ſcalpere deſiiſſet: per Gallinam Hiſpani acuti homines Nauarrum cuniculorum artificem facilè intellexerunt. Huius dicterij neque cæteri Itali, neque noſtri hiſtorici, quorum nonnulli in ea expeditione fuerunt, vſquam meminerunt: aſſiduos imbres, qui in multos dies continuati ſunt, Nauarrinis cuniculis impedimento fuiſſe veriſimile eſt. Sed Rocandulpho magni nominis inter Germanos duce ac Lodronio Comite cum octo Germanorum peditum millibus auxilio venientibus, quos Triuultius ac Nauarrus ſe Brixiæ ingreſſu prohibere poſſe deſperabant, Veneti, vt honeſta de cauſa obſidionem ſoluere viderentur, cum Hicardo Brixiæ præfecto de auxiliis fortaſſe deſperante, quod de Cæſaris è Pannonia reditu nondum certior factus erat, conuenerunt, vt niſi intra triginta dies Cæſar opem ferret, præſidiarij milites trimeſtre ſtipendium ſinguli acciperent, & cum tormentis, atque omni ſupellectile tympanis clangentibus, ſigniſque explicatis ex vrbe exirent. Veneti autem adeo diligenter itinera obſeruabant, vt nullum de Germanis Brixiani nuntium acciperent, & octo Italorum peditum millia ad Breum pagum Lodroniis Comitibus obnoxium miſerant. Verum hi vbi Auſum arcem petræ impoſitam, quæ conuallem inter monteis ſitam qua Germanis iter erat, claudebat, deditam intellexerunt, ſtatim ad exercitum redierunt. Auſum autem turpiter dedidit Vrſattus Poiulus patritius Venetus,

Facetum de Nauarro dicterium.

ea de cauſa paulò pòſt Venetiis capite mulctatus. Triuultius ac Nauarus, ne Brixianis Ve-
ronenſi præſidio ac Germanis pariter irruentibus opprimerentur, veriti, Gedas conceſſe-
runt: quo iam bonam tormentorum, impedimentorúmque partem miſerant. Germani
poſtquam Brixiam commeatu, recentibúſque præſidiis nemine obuiam prodeunte recrea-
runt, idem iter remenſi in Germaniam redierunt.

Præſidia, cō̄meatúſque Brixiam per Germanos intromiſſa.

Interim dum Brixia oppugnatur, Mediolanum Franciſcus, Halenconio, Carolo Borbo- 27
nio equitum magiſtro, Carolo Borbonio Vindocinenſi regulo, Franciſco eius fratre Fani
Paulini Comite, Antonio Lotharingiæ regulo, Claudio eius fratre Comite Guiſano, mille
octingentis cataphractis equitibus, domeſticis ac penſionariis, quibus Ludouicus Borbo-
nius Rochaſurianus Vindocinenſis patruus præerat, quatuor & viginti partim Gallorum,
partim Germanorum peditum millibus quaſi ad pugnam progredientibus, Regémque co-
mitantibus, triumphali pompa ingreſſus eſt; ac rectà maiorem ædem, quam vulgo Domum
vocant, Deo Opt. Max. diuiſque gratias acturus adiit: inde ad paratum diuerſorium dedu-
ctus eſt. Paucis ibi diebus commoratus Vigleuenum ſeceſſit, quo Monferratēſis Marchio,
atque vxor Halenconij ſoror Regem ſalutaturi acceſſerunt. Illuc omnes Italiæ principes
Rege Neapolitano excepto, in primis autem Leo Pontifex legatos miſerunt. Ibi Pontifi-
cis, Regiſque colloquium in Decembris initium condictum, vt Bononiæ potius quàm
Florentiæ conuenirent, Franciſcus ne longius à Mediolanenſi agro ſecederet, aut quod
cum Heluetiis Allobroge auunculo interprete de fœdere ageret, maluit. Bononiam Leo
Sexto Idus Decembr. biduo poſt Franciſcus iniit: Regi obuiam Cardinales Fliſcus ac Me-
diceus Pontificij legati in Rhegienſem agrum prodierant: Regem non magnus admodum
aulicus comitatus, nulli milites in vrbem ſequuti ſunt. Is in Cardinalium conuentum in-
tromiſſus Pontifici, Prato Cancellario eius vice orationem habente, obſequium, quo non-
dum ne per legatos quidem defunctus erat, præſtitit: mox in eodem palatio triduo (vt qui-
dam) aut ſex diebus (vt alij tradunt) commorati magnam inter ſe beneuolētiam, Rege mo-
re Gallico ſimpliciter & ex animo agente, præ ſe tulerunt, & multis de rebus ſecum inui-
cem communicarunt. Deſtinatā regno Neapolitano repetendo expeditionem Franciſcus
in Ferdinandi mortem, quæ prope inſtare omnium iudicio videbatur, aut in finitas cum
illo pactas inducias, quæ in ſedecim adhuc menſes protendebantur, Leone id vehementer
depoſcente diſtulit, & eius promiſſis contentus fuit, vt Mutina, Rhegiúmque Ferrarienſi
reſtituerentur, inſtitit. Id Leo ſe facturum, modo quadraginta nummûm aureorum millia
Cæſari Mutinæ nomine perſoluta, ſumptúſque in vtramque vrbem impenſi viciſſim reſti-
tuerentur, recepit. Leoni deinde reconciliare Franciſcum Mariam Rouereum Vrbinatem
regulum Iulij ſecundi ex fratre nepotem Rex aggreſſus eſt, qui cum ducentis cataphractis
equitibus Pōtificis ſtipendio authoratus ſub Iuliano antea militarat: ſuccedente Laurentio
non ſolum ad exercitum ire recuſarat, quod Iuliano propter antiquam amicitiā conceſſe-
rat, id Laurentio ſe haud conceſſurū profeſſus, vt ſub adoleſcente ipſe qui vniuerſis Ponti-
ficiis copiis ſæpius imperarit ſecūdas teneret, quinetiam ſuos equites ad exercitum profi-
ciſcenteis, eoſdem antea mittere pollicitus reuocarat, quod iam cum Rege conueniſſet, aut
breui conuenire ſperaret. poſt Melegnanenſem autem victoriam Regem, quoad potuiſſet,
aduersùs Pōtificem accendiſſe ferebatur. Quarum iniuriarū memor Leo, aut potius quòd
Vrbinatem principatū ad Laurētium transferre deſtinarat, rebellantibus clientibus exem-
plum proponēdum eſſe præfatus, Regium poſtulatū admittere recuſauit. Rex ita Vrbinati
fauebat, vt hoc duntaxat nomine à Leonis ſocietate ſibi diſcedendum non putaret: quam-
quam plerique, qui illi à conſilio erant, Ludouico eius ſocero vitio dabant, quod Cæſarem
Borgiam Valentinum ad eam potentiam, quam mox aſſequutus eſt, peruenire conniuen-
do permiſiſſet: nec ſe initio creſcenti, & ad res ſummas aſpiranti opponere maturaſſet.

Franciſci Mediolanū ingreſſus ſolemnis.

Leonis Pontif. Maxim. & Franciſci Regis congreſſus.

Franciſcus Rouereū Vrbinatē Leoni reconciliare fruſtra aggreditur.

Nec meliora de Leone ſperanda, cuius familia Carolo Octauo Florentiā ingreſſo patria 28
expulſa, mox à Iulio Secundo Pontifice, vt Florentinos à Gallorum amicitia auerteret, in
integrum reſtituta ſit. Præterea vt Rex binas ab omnibus Galliarū ſacerdotiis decimas exi-
geret, & vt quotquot in poſterum Pontificatibus, aut cœnobiis præeſſent, Romano Ponti-
fici de nomine proponeret, Pontifex eoſdem nec alios ad ſacerdotia à Rege deſignata pro-
mouere teneretur Leo, ſed non gratis, nec ſine magno præmio aſſenſus eſt. Cautū eſt enim
vt promouendi primi anni ſuorum ſacerdotiorū fructus (Annatas vulgo appellant) non ex
veteri, quæ longè inferior erat, ſed ex ea, quæ mox fieret, & vera tum eſſe deprehendere-
tur, æſtimatione Romano Pontifici penderent. At ſacerdotiorū annuos prouentus, quum
Pontificij paulò pòſt in Gallia æſtimare conarentur, nec teſtes, nec aliam rationem, qua
Pontificium mandatum exequerentur, reperire potuerunt: vnde Leo ſpe ſua fruſtratus ad
veterem

veterem æſtimationem redire coactus eſt; viciſſim ſe pragmaticam ſanctionem (ſic enim vocabant) qua ſacerdotia collegiorum arbitrio adiudicabantur, ſublaturum, & nullas Hetruriæ vrbeis in clientelam recepturum pollicitus eſt. Hæc ita inter eos conueniſſe traduntur: ſed præter ea capita, quæ de ſacerdotiis erant (Concordata vulgo appellarunt) ſcripto nihil mandatum eſt: mox Hadrianum Gousfierium Conſtantienſem in Normania Pontificem Arcturi Gousfierij, quem à fundo eiuſdem nominis Boeſium vocarunt, ſummi Regiæ familiæ magiſtri fratrem in Regis gratiam Leo Cardinalem creauit. Rex iuuenis Italicarum artium haud ſatis gnarus Bononia diſcedens magnam de Leonis amicitia ſpem Gallica ſimplicitate concepit, quam Leo mirandum in modum oſtentabat: Regem Mediolano potiri, ſe Parma, Placentia, Mutina, Rhegio ſpoliari grauiſſime ferebat: quamquam Leo promiſſum non fecit, & duas poſtremas vrbeis Florentiam reuerſus, vbi integrum fere menſem commoratus eſt, Ferrarienſi reſtituere recuſauit: vbi enim de promiſſis nummis cautionem accepiſſet, cum primum Ferrarienſis in earum vrbium poſſeſſionem miſſus eſſet, exoluendis, inſtrumentúmque reſtitutionis de communi conſenſu conſcriptum fuiſſet, non apertè quidem recuſauit, ſed interpoſitis ſuo more aliquot excuſationibus rem in aliud tempus diſtulit. Rex Mediolanum reuerſus exercitum dimiſit, ſeptingentos duntaxat cataphractos equites, ſex Germanorũ peditum, quatuor Gallorum millia Mediolanenſi agro præſidio reliquit. Carolum Borbonium equitum magiſtrum legatum deſignauit, Mediolanenſibus Senatum reſtituit; Ioannem Seluam virum doctrina ac vitæ integritate celebrem Senatus principem conſtituit: & propter amicitiam cum Leone contractam, placatóſque recenti fœdere Heluetios rei Mediolanenſi bene conſuluiſſe ſibi viſus de reditu cogitauit: nam hoc ipſo tempore Heluetij, quamquam eoſdem aduerſus Gallos Henricus Angliæ Rex accendere enixè contendebat, cum Rege fœdus inierunt: quantúmque poſtularet, peditatum ſe miſſuros promiſerunt aduerſus quoſuis militaturum Romano Pontifice, Germanico Imperio, atque Imperatore exceptis. Rex viciſſim Heluetiis antiquas penſiones, ſexcenta nummûm aureorum millia Diuionenſi fœdere promiſſa, trecenta pro vrbibus ac vallibus ditionis Mediolanenſis ab iiſdem occupatis certis penſionibus ſe exoluturum pollicitus eſt: at quinque pagis vrbium, valliúmque poſſeſſoribus eaſdem reſtituere, fœdúſque ratum habere recuſantibus, Rex octo reliquis pecuniæ partem, quæ ad eos pro rata portione redibat, diſſoluere occœpit; quam illi ea conditione, ne aduerſus ſocios quinque pagos militare cogerentur, receperunt.

Hadrianus Gousfierius in ſacrum Cardinalium collegiũ adlegitur.

Ioannes Selua.

29 Rebus ita compoſitis Mediolano profectus Lugdunum, vbi venientem Ludouica Sabaudiana mater ac Claudia Regina expectabant, magnis itineribus contendit, illúcque circa Kalen. Februar. anno huius ſæculi decimoſexto appulit: anni quoque huius initio Petrucius Senenſis Pontifex Leonis familiaris eius auxilio nixus Borgneſium Pandolphi Petrucij filium fratrem patruelem Senis expulit, atque vrbis adminiſtrationem vſurpauit. Id Leo vt vrbs inter Pontificias ditiones, Florentiámque interiecta ſuo nutu adminiſtraretur, aut potius vt eidem Iulianum fratrem, Laurentiúmve præficeret, ſi ita ferret occaſio, occultè procurauit. Franciſci in Galliam reditum accelerauit cõcepta de Anglo ſuſpicio, qui Ioannem Stuardum Albaniæ regulum in Scotiam miſſum, vt regnum quaſi Regis tutor adminiſtraret, ægrè ferens, aut inuidia aduerſus Franciſcum tanto principatu auctum percitus Heluetios promiſſa pecunia aduerſus Gallos incitarat, & Ferdinando ſocero recente, flagrantéque inuidia veterem promiſſorum violatorum memoriam abolente reconciliatus videbatur Stuardus autem Scotorum conſenſu accepta regni eius adminiſtratione quotquot ab Anglo ſtabant, aut clam cum illo ſentiebant, atque inter eos Humeum in primis Regis nutritiũ morte mulctarat; cæteros Scotia expulerat: & ne Margaritæ quidem Scoti Regis matri, Henrici ſorori pepercerat, ſed eandem è Scotia quoque excedere coëgerat. Gulielmum Angoſium eius virum proſcripſerat. Ferdinandus regno Neapolitano timens cum primum de Melegnanenſi victoria certior factus eſt, cum Cæſare rerum ſemper nouarum cupido (quamquam occupatas iam vrbeis aduerſus Venetos tueri Cæſar vix poterat) & cum Henrico genero de renouãdo bello communicarat, quod niſi eiuſdem mors interueniſſet, maioribus & viribus, & conſiliis renouatum fuiſſet: is annos quinque & ſexaginta natus nimio ſemper venandi ſtudio accenſus corpore aſſiduis laboribus afflicto, intemperatóque Veneris vſu exhauſto longa valetudine paulatim conſumptus nullis ad ſanitatem medicorum auxiliis reduci potuit. Fuit Rex prudens in primis, & bellica laude clarus; qui Mauros octingentos annos Bethicæ imperanteis tota Hiſpania expulerat, tot punicas vrbeis à Syrtibus ad Herculis columnas ceperat, nouum orbem Europeis antea incognitum aperuerat; regnum Neapolitanum ſumma prudentia ac pari virtute ſibi vendicarat: cui ſi promiſſorum violationem adimas, quæ ſua ſemper vtilitate metitus eſt, haud facilè, quod in illo reprehendere poſſis, reperias. Nam quod tenacem, auarúmque nonnulli calumniati ſunt, mors ea ſuſpicione vita functum penitus liberauit. Nullos enim,

Frãciſcus in Galliam reuertitur.

Anno 1516.

Albaniæ regulus Scotiæ adminiſtrator.

Ferdinandi Hiſpani mors.

enim, quamuis duos & quadraginta annos regnaſſet, theſauros reliquit, ſed peruerſo iudicio prodigalitas in Regibus ſemper cum rapacitate, & populorum expilatione coniuncta potius quàm parſimonia laudatur; quæ iuſtitia dominante (ea præcipua Regum virtus eſt) ſuis con-

Conſalui Ferdinandi mors, & eximium funus.

tenta ab alienis bonis abſtinet. Triginta circiter dies ante eius mortem Conſaluus Ferdinandus, qui rerum geſtarum gloria clarus magni ducis cognomen accepit, extra eius comitatum, qui illi propemodum interdictus erat, eundem quaſi ingratum accuſans fato functus eſt: cui nihilominus virtutis ergo eximios funeris honores, qui ſolis Regibus tribui ſolent, exhiberi iuſſit: quod populares liberalitatis, prudentiæ, & ſcientiæ militaris tanti viri memores facilè & cumulatè executi ſunt.

Ferdinandi mors, qui Carolum Auſtriacum hæredem teſtamento reliquerat, Franciſco 30
regni Neapolitani repetendi auiditatem auxit: quò Carolum Borbonium equitum magiſtrum cum octingentis cataphractis equitibus, decem peditum millibus mittere decreuerat, quòd Neapolitanorum bona pars audita Ferdinandi morte rebellarat. Carolum Auſtriacum ſuis in tempore opem laturum non putabat, & de Leonis amicitia vel ob ſocietatem nuper initam, vel ob ſuſpectam Italis omnibus præſertim vero Leoni Caroli Auſtriaci potentiam nullo modo dubitabat. Carolus enim tot prouinciarum matris, tot tantorúmque regnorum Ferdinandi aui morte relictus hæres, & Cæſaris non ſolùm patrimonio, ſed & Imperio (vt veriſimile erat) ſucceſſurus ne vniuerſam Italiam ſubigeret, & in regni formam redigeret, Pontificiáſque ditiones Germanico Imperio fraudulenter ereptas (vt quidam putant) in antiquam formam reſtitueret, Imperióque vendicaret, quod Maximilianus auus palam, & quidem ſæpe ſe facturum iactitarat, meritò ſuſpectus eſſe debuit: & id quidem poſtea Imperator fortaſſe feciſſet, niſi in multa variáque bella aduerſus Solymanum Turcarum Imperatorem, aduerſus Gallos, Germanóſque diſtractus fuiſſet. Nec Carolum Franciſcus ſe facilè hoſtem declaraturum ſuſpicabatur; quod in adeunda regnorum Hiſpanicorum, retinendáque poſſeſſione multum illi nocere poſſet. Et nonnulli præſertim in regnum Tarraconenſe ex eadem, ex qua Ferdinandus erat, familia ius ſibi vendicabant: quamuis enim Ferdinando & Iſabella iubentibus totius regni conuentus indictus vetera ſtatuta, quibus fœminæ regni ſucceſſione arcebantur, ita interpretatus fuiſſet, vt iiſdem ſtatutis mares ex fœminis nati haud excluderentur, niſi æquè gradu propinqui, aut fortaſſe coniunctiores è maribus nati ſuperſtites eſſent, idcircóque Carolum Auſtriacum regni hæredem pronuntiaſſet, prolato exemplo, quod poſt Martini Regis Tarraconenſis mortem, qui ſine liberis maribus è vita exceſſerat, Ferdinandus huius Ferdinandi auus Comiti Vrgellenſi è maribus nato, ſed gradu remotiori, antelatus, & Rex declaratus fuiſſet; tamen populus Tarraconenſis tacitè querebatur, & Ferdinandi Iſabellæque potentiam, quemadmodum & aui plus, quàm ius potuiſſe muſſitabat. Vbi enim fœminæ arcentur, arceri & earum liberos rationi conſentaneum eſt: nec plus iuris poſteris ſuis, quàm ipſæ habuerunt, relinquere potuerunt, vt etiam in hoc Gallico regno obſeruari videmus. Hæc nota Franciſco erant; & præterea quod omnes regni Tarraconenſis vrbes peculiarem ſibi Regem depoſcebant. Itaque Carolum, ne Tarraconenſe in controuerſiam vocaret, regno Neapolitano ceſſurum, aut æquis conditionibus ſecum aliquando conuenturum ſperabat.

Imperator Principatum Mediolanenſem aggredi meditans in Italiam deſcendit.

Dum aliena inuadere Franciſcus deſtinat, ſua tueri Cæſare in Italiam deſcendente coactus 31
eſt: Cæſar enim acceptis à Ferdinando centum & viginti nummûm aureorum millibus, Brixia, Veronáque nouis ſubſidiis recentíque commeatu ſubleuatis, quæ magna rerum omnium penuria laborabant, Mediolanenſem principatum ſe aggreſſurum promiſerat. Theodorus autem Triuultius Ioanne Iacobo Mediolanum reuerſo Veneti dux exercitus ſexto à Brixia milliari caſtra habebat: vnde Epirotæ totam eam regionem populabantur, nec quicquam in vrbem importari ſinebant: ac ſemel quidem Brixianos vrbe egreſſos auxiliis hinc inde accurrentibus magna clade accepta in vrbem compulerunt. Deinde Lautrecius, qui Gallis præerat ac Triuultius tria Germanorum peditum millia pecuniam in præſidij Brixiani ſtipendium ferre certiores facti Ianum Fregoſium ac Ioannem Conradum Vrſinum cum copiis ab vtroque exercitu acceptis Auſum miſerunt, vt Germanos tranſitu prohiberent, quorum octingentos ceciderunt; cæteri cum pecunia Lodronium aufugerunt: Cæſar vt Brixianis ad extremas rerum omnium difficultates redactis auxilio eſſet, cum quinque equitum, quindecim Heluetiorum (alij quatuordecim duntaxat numerant) quos quinque pagi à Gallo Rege abalienati miſerant, ſedecim Germanorum peditum vt noſtri hiſtorici aut decem tam Germanorum, quam Hiſpanorum millibus, vt Itali ſcribunt, Tridentum, inde Veronam circa veris initium petiit. Gallicus Venetúſque exercitus Patauio, Vicentiáque præſidio firmatis Piſcheriam, mox Cremonam verſus retroceſſerunt. Cæſar peruerſo conſilio Aſulam ſupra Ollium Cheſiúmque amnes ſitum oppidum circumſedit; deinde re infecta caſtra mo-

uens

uens ad Vrceos nouos Ollium tranſmiſit. Galli Lautrecio duce (nam tum Borbonius equitum magiſter Mediolani agebat) ac Veneti trecentis cataphractis equitibus tribus peditum millibus Cremonæ præſidio relictis quaſi inſequentem Cæſarẽ tranſitu prohibituri Abduam traiecerunt: ita omnis inter Padum, Ollium, atque Abduam concluſus ager Cæſarianis in prædam patuit, Cremona, Cremáque exceptis. Illi Galli, huic Veneti præſidio erant: Sedunus Cardinalis, ac plerique Mediolanenſes exules, Marcúſque Columna cum ducentis cataphractis equitibus Pontificiis Cæſarem ſequebantur. Is Ollio ſuperato Riuoltam vt Abduam tranſmitteret, progreſſus eſt. Galli ac Veneti poſtridie Caſſiano profecti, quod fluuius vadoſus eſſet, ſe Mediolanum receperunt: conuicta Lautrecij vanitate qui ſe Cæſarem fluuij tranſitu prohibiturum litteris ad Franciſcum ſcriptis iactauerat, cui tamen viciſſim Franciſcus tredecim Heluetiorum millia auxilio ventura promiſerat. Itali ſcriptores Cæſare appropinquante Gallos, qui tantis viribus reſiſteretur, conſultaſſe tradunt. Nonnullos vrbem relinquendam, & in Galliam redeundum, quod Heluetij nondum appuliſſent; alios vrbem conſeruandam incendenda ſuburbia cenſuiſſe. In priorem ſententiam pleroſque inclinaſſe, à qua per Grittum, Treuiſanúmque Venetos legatos Guicciardinus, per Ioãnem Iacobum Triultium Iouius reuocatos fuiſſe ſcribit, Triultio enim Iouius quaſi omnem conſeruati Mediolani laudem attribuit: at noſtri Hiſtorici, atque inter eos Martinus Bellaius, qui tum in Borbonij exercitu cum Mommorentio erat, nullam pene Triultij mentionem faciunt, quod in noſtro exercitu ſecundùm Borbonium Lautrecius & Leſcutus eius frater Mareſchallus, ac plerique alij veterani duces primas ferebant. Sic bellicam laudem ab alienigenis ad ſuos ſemper Itali transferre conſueuerunt. Taceo de litteris quas à Triultio ad Staſerum Heluetiorum tribunum ſcriptas Iouius commiſcitur. Sed noſtri, ac plerique, qui tum cum Borbonio erant, eundem nunquam de conſeruanda vrbe dubitaſſe; de ſuburbiis incendendis conſultaſſe, Venetos vt incenderentur authores fuiſſe confirmarunt. Deinde Cæſare tardius incedente mutato conſilio ſuburbia aggeribus, cæteríſque rebus neceſſariis munita, regiones equitum præfectis, ac centurionibus ita diſtributas, vt inde hoſtilem exercitum ſe repulſuros confiderent: nunquam enim Heluetios, atque Germanos oppugnandis vrbibus idoneos noſtri homines iudicarunt, quod Diuioni ac Maſeriarum vrbium haud ita munitarum obſidiones illis temporibus celebres confirmare poſſunt. Cæſarem præterea à pecunia ſemper imparatum obſidionem haud diutius continuaturum Borbonius nouerat. Tum Albertus Petra cum tredecim Heluetiorum millibus appulit, qui ſe pro vrbe quidem propugnaturos, cæterum aduerſus cognatos, qui in Cæſaris exercitu erant, pugnaturos pernegarunt; nec ita multò poſt ſtipendio accepto domum reuerterunt: ducenti duntaxat, aut ad ſummum trecenti cum Petra remanſerunt.

32 Antequam tamen diſcederent, Cæſar ad Lambrum altero à Mediolano milliari appulit: caduceatorem ad Mediolanenſes miſit denuntians, niſi intra triduum Gallos vrbe pellant, ſe iterum rebelles nouo exemplo malè, aut peius etiam, quàm Federicus Barbaruſſa, mulctaturum; qui vrbe incenſa, & quaſi à fundamentis euerſa ſalem in ſolum ſpargi iuſſit, vt ſterile in poſterum remaneret ſempiternum ſuæ indignationis monumentum. At illæ minæ in fumum euanuerunt: tot enim Heluetios & in ſuo, & in Gallorum exercitu coiiſſe animaduertens, & veteres barbaræ gentis aduerſus Auſtriacã familiam inimicitias animo recolens, tum Ludouici Sfortiæ exemplum proponens, ſibi, ne in ſtipendium quidem pecuniam adeſſe, Gallis & vt ſtipendium numerent, & vt vtroſque corrumpant ſupereſſe; quinetiam Iacobum Staſlerum omnium ſui exercitus Heluetiorum tribunum ſtipendium arrogantius depopoſciſſe, mirandum in modum anxius fuit: atque his ſuſpicionibus adductus, & metu quaſi extra ſe poſitus exercitum Abduam versùs redire iuſſit. Heluetij ad Laudem Pompeiam, quæ ſe paulò ante Cæſari dediderat, niſi ſtipendium intra quatriduum penderetur, ſe domum redituros teſtati remanſerunt. Cæſar Abdua tranſmiſſo in agro Bergomenſi aliquot dies commoratus, & ſe ab Anglo pecuniam expectare iactans ſpem illis ſtipendij præbebat, (ſiquidem eam, quæ è Germania mittebatur, Hiſpani Brixiæ præſidio relicti auerterant, & in ſtipendium ſibi iam debitum ſe accepiſſe denuntiarant) Mediolanúmque ſe rediturum minabatur. Id Gallos mirandum in modum ſuſpenſos tenebat: Heluetij enim qui cum Alberto Petra ac Franciſco Georgij Supraſaxi filio tardiùs multò, quàm oportuit, acceſſerant, pagorum ſuorum edictum acceperant, quo Gallicũ ſtipendium relinquere iubebantur: hinc iam bis mille è Gallorum exercitu diſceſſerant, quos ne alij ſequerentur, vti mox ſequuti ſunt, Galli metuebant: quanquam Heluetici magiſtratus Regi ſignificarant ſe ſuis peditibus ſub Alberto Petra miſſis clam mandaſſe, ne à Gallico exercitu diſcederent. Cæſar acceptis à Bergomenſibus ſedecim nummûm aureorum millibus Cremam, vt hinc quoque aliquam pecuniam corraderet, profectus eſt; atque inde re infecta reuerſus Tridentum redire conſtituit,

Mediolanenſes Gallos vrbe eiicere per Maximiliani caduceatorem fruſtra admoniti.

Barbaruſſæ in Mediolanenſes ſumma indignatio.

Imperator Tridentum reditu cogitat.

tuit, idque ſui exercitus præfectis ſignificauit: ſe porrò exacta pecunia & Anglica accepta ad exercitum rediturum,& ſtipendium perſoluturũ pollicitus eſt. Cæſariam Heluetij Laude direpta,arce præterea ſine tormentis capta, direpto item ſancti Angeli oppido ad Abduanam lateam victus penuria coacti tranſierunt, quibuſcum reliquus exercitus ad vicum Romanum cõiunctus eſt; & Abduam deintegro traiecturus ferebatur,quod Brandeburgenſis Marchio ad exercitum Sedunẽſis Bergomum cùm triginta nummûm aureorum millibus ab Anglo miſſis nuper acceſſerat.Idcirco Borbonius quem ferè omnes Heluetij,ac Venetorum bona pars reliquerat, ad Abduæ ripam appropinquauit, vt Cæſarianos reditu prohiberet: Sed quum pecunia in tot militum ſtipendium non ſufficeret, Heluetij Cæſariani ad ſuos Volturena valle redierunt.Tria tam Germanorum, quàm Hiſpanorum millia ad Borbonium tranſierunt, qui tranſmiſſo Abdua hoſteis abeunteis continuis excurſionibus nunc his nunc illis vincentibus laceſſebat.Cæſariani Brixianum agrum ingreſſi nummum aureum ſinguli acceperunt, & ſeparati diuerſis itineribus abceſſerunt: M.Antonius Columna cum Germanis, & aliquot Hiſpanis Veronam petiit.

Ab Heluetiis ſtipendium ſe nullum accipere indignatis deſeritur.

Leonem cum Cæſare conſenſiſſe multæ coniecturæ indicabant: M. Antonius Columna 33
cum ſuis ſemper Cæſarem comitatus, Bernardus Bibiena Cardinalis legatus ad Cæſarem miſſus,qui ſemper apud Leonem neſcioquid aduerſus Gallos machinari, eoſdémque calumniari conſueuerat:quod quingentos cataphractos equites pro Mediolanẽſis principatus propugnatione ex fœdere,vt mitteret,& vt in tria Heluetiorum millia ſtipendium penderet,Leo rogatus, quemadmodum Antonio Mariæ Pallauicino obtulerat, pecuniam neſcioqua tergiuerſatione vſus haud exoluerat,& ſuos non ſatis inſtructos cauſatus Florentinas alas mittere promiſerat: quæ cunctantes, & lentè ſemper incedentes vix Rhegium vſque peruenerunt. Leonem re vera Cæſarem cum tanto exercitu Italiam ingreſſum ægrè tuliſſe ferunt; ne Mediolano potitus cæteram Italiam vti multò ante deſtinarat,opprimeret:ſed partim metu,partim natura ſua ita affecta animi ſenſa, quoad poterat, occultabat, & neutrum nec Cæſarem (inquam) nec Regem offendere volebat. Hinc Bibiennenſem legatum ad Cæſarem mittendum creauit. Regi promiſſum auxilium non miſit: Cæſare Mediolano profecto legatus Roberiæ morbum ſimulans conſtitit, quid tantus porrò exercitus deſignaret expectaturus; poſtremo ne Regem à ſe prorſus abalienaret,vt Florentini tribus Heluetiorum millibus ſtipendium menſtruum numerarent,iuſſit. Quam pecuniam licet Rex accepiſſet,tamen harum ſimulationum gnarus aliam ſe cum Leone ſocietatem inire velle dixit, qua non bello flagrante,ſed pace bene conſtituta duntaxat teneretur.Cæſaris exercitu dimiſſo,aut potius diſſipato, Brixiam,cui ſexcenti duntaxat Hiſpani pedites,ac quadringenti equites præſidio erant,noctu Veneti improuiſo inuadere tentarunt:ſed ſcalæ breuiores,& præſidiariorum ſe acriter defendentium virtus,ne vrbe potirentur, effecerunt. Nec ita multò pòſt Gallicus exercitus Odeto Fuxio Lautrecio duce,quem in Borbonij locum Franciſcus ſuffecerat,eodem appulit;Borbonius enim Cæſare repulſo,ac fœdere cum Heluetiis inito principatum Medionalenſem extra periculum eſſe animaduertens ſponte eius adminiſtratione ceſſerat,& Rege,vt alium ſurrogaret, monito in Galliam redierat: quem tanti principatus conſeruati ergo equitum magiſtrum falſo à Rege declaratum fuiſſe Iouius libro decimo ſexto aſſerit, eorum non ſatis memor,quæ ſuperiore ſcripſerat: regni quippe initio antequam Mediolanenſem expeditionem ſuſciperet, Borbonium Franciſcus equitum magiſtrum dixerat. O præclarum vigentis memoriæ theſaurum, quem tantopere ſibi Iouius librorum ſuorum prooemio vendicat.Brixiam Galli ac Veneti quatuor locis tormentis verberarunt,vt obſeſſi,qui pauci erant, tot locis oppugnationem ſuſtinere non poſſent:qui aliquandiu ſeptem è vicina Germania peditum millia expectantes ſe acriter defenderunt.Deinde quod Auſum,cæteráſque,quibus Italia aditur, anguſtas inter monteis vias præſidiis validis Veneti muniuiſſent, ea ſpe fruſtrati ſibi conſulere cœperunt. Itaque vrbem pridie quam oppugnatio inſtitui deberet Hicardus præfectus Lautrecio dedidit,quemadmodum eandem quatuor ante annis Cardonius ab Aubignio acceperat. Oppugnationem inſtitutam quinque locis, Nauarrinos repulſos & multos ex his cæſos Iouius ſcribit: cæteri Itali, præſertim qui lingua vernacula ſcripſerunt, & è noſtris Bellaius Brixiam haud oppugnatam fuiſſe tradunt. Lautrecius vrbem quaſi poſſeſſionem aditurus iniit, eámque mox Andreæ Gritto Venetorum legato reſtituit.

Brixia à Venetis fruſtra tentata.

Hiſtoricorum Italorum error refellitur.

Hoc ipſo tempore Franciſcum Mariam Rouereum Vrbinatem regulum ſuo principatu 34
ſpoliare,eundémque ad Laurentium transferre cogitans Leo multis de rebus accuſauit: quod Pontificiam militiam cliens ſequutus milites, quorum iam ſtipendium recepiſſet, mittere recuſaſſet,& clam cum hoſtibus,hoc eſt,cum Gallo Rege conueniſſet:quod multò antè Cardinalem Ticinenſem,ac pleroſque alios necaſſet,nec legibus, ſed Pontificis patrui indulgentia abſolutus fuiſſet: quod flagrante inter Iulium patruum, ac Ludouicum Galliæ Regem bello,

Pontificij exercitus Dux ad Ludouicum, vt eius ſtipendium mereret, Baltazarem Caſtilionum miſiſſet: quod tum quoque nonnullos equites peditéſque ad Pontificium exercitum proficiſcentes tranſitu prohibuiſſet, & in ſui principatus Romano Pontifici obnoxij agro Pontificios milites è pugna Rauennate fugienteis perſequutus fuiſſet. Præterea quod ſibi, fratríque Florentiam redire conantibus opem non tuliſſet, indignatus, eundem aliquot ante menſibus bello perſequi cogitarat. Sed quidam pudor, quod Iulij, qui Romanum Pontificatum tantis opibus auxerat, nepotem patrimonio exturbare indignum putabat, multo vero magis Iuliani fratris preces reuocabant, qui patria exul diu apud Guidum Feltrium, & illo mortuo apud hunc honorificè cultus accepti beneficij immemor aut ingratus videri nolebat. Iuliano mortuo Alphonſina Virginij Vrſini filia Laurentij mater ambitioſiſſima fœmina, ac Laurentius ipſe, vt iamdudum meditatum bellum Leo amplius non differret, authores fuerunt. Laurentius cum Pontificiis Florentiníſque copiis agrum Vrbinatem ingreſſus Vrbinum, cæteráſque eius principatus vrbeis Franciſco Maria regulo, quod eos tueri non poſſet, aſſentiente in deditionem accepit. Franciſcus Piſaurum vrbem maritimam, ac valde munitam, cui tria peditum millia præſidio erant, conceſſerat: ſed ſuis non ſatis fidens, quorum bona pars integrum ſtipendium non acceperat, aut vxoris abſentiam non ferens (vt quidam tradunt) Mantuam, quò vxorem filiúmque præmiſerat, Tranquillo Mandolſo arci præpoſito ſe recepit; Piſaurum ac Senogallia Laurentio appropinquante ſe quoque dediderunt. Ita Vrbinate principatu cum Piſauro ac Senogallia ab eodem multò ante ſeparatis, cuius annuum prouentum quinque & viginti nummûm aureorum millibus æſtimatum ferunt, diebus quatuor & viginti Laurentius potitus eſt. Superiorum vrbium exemplum Senogalliæ arx paulò poſt ſequuta eſt: Piſaurenſem biduo tormentis pulſatam, niſi intra viceſimum diem auxilio iuuaretur Tranquillus præfectus ſe diditurum promiſit. Cautum ne vllæ interim nouæ munitiones fierent, quod quum bona fide obſeruatum non fuiſſet, die præſcripto deditionem facere Tranquillus diſtulit: ſed quum deintegro tormentis arx verberaretur, Tranquillum comprehenſum præſidiarij milites ſibi cauentes hoſtibus dediderunt: quem illi, quod promiſſis non ſtetiſſet, in crucem ſuſtulerunt.

Tranquillus Piſaurenſis Præfectus in crucē actus, & cur.

Dedita eſt & arx Maiuolana à Fano Leonis milliari diſtans, cuius ſi pontificij compotes non fuiſſent, vix Fanum Leonis circumſedere potuiſſent. Fanum autem Leonis, quod excelſa prærupt áque in rupe ſitum eſſet, ſola commeatus penuria capi poſſe videbatur, cui circumſedendo duo peditum millia Laurentius reliquit. Tertio obſidionis menſe faber lignarius ſcala longiſſima admota difficillimum rupis latus noctu conſcendit, ſcalámque ſummoueri, & proxima nocte eodem loco reponi iuſſit. Prima aurora ferramentis, quæ ſecum tulerat, adiutus ad rupis faſtigium euaſit, atque eodem die viam locis difficilioribus ſuis ferramentis aperiens illuc, vnde conſcenderat, rediit; ac nocte conſequuta ſcala repoſita ad ſuos deſcendit. Aliquot poſt diebus centum quinquaginta peditum ſelectorum dux eadem ſcala, eadémque via in montis apicem ſocios quaſi manu ducens aſcendit. vix triginta cum tympanis, & ſex vexillis aſcenderant, quum arcis vigiles clara iam luce humi ſtratos viderunt, & ad arma conclamantes ad præſidiarios milites aufugerunt. Quapropter triginta illi erectis vexillis ſigno ſuis dato, nec conſcendenteis ſocios expectantes in præſidiarios irruerunt. Illi tot vexillis cōſpectis montem occupatum rati in arcem confugerunt; qui ad rupis imas radices remanſerant, ſcalis vndique admotis eandem circumſteterunt: tum nonnulli triginta illos eadem via ſequuti portam interim, qua rupis planities adibatur, ſociis aperuerunt: occupata planitie altero poſt die arx dedita eſt. Itaque non ſecus, atque olim Petra Sogdianorum Alexander Magnus, ita Fano Leonis tum Pontificij potiti ſunt.

Fanum Leonis acceſſu difficillimū fabri lignarij arte vt occupatum.

Leo in Cardinalium conuentu lata aduerſus Franciſcum Mariam clientem rebellem ſententia eundem principatu Vrbinate priuauit: mox diplomate omnium Cardinalium manu ſubſignato Laurentium Medicem in eius locum ſurrogauit. Dominicus Grimanus Vrbinas Pontifex Franciſco Mariæ intimus ſubſignare recuſauit, & Roma paucis poſt diebus migrauit, nec ante Leonis mortem rediit. Vrbinatem ſuo principatu ſpoliatum, quod ſecum ſcilicet conueniſſet Franciſcus Rex ægrè tulit; ſed & aliæ Leonis occultæ machinæ eius animum pungebant. Proſper Columna è Gallia rediens Mutinæ Hieronymum Moronum offendit, ibíque aliquamdiu ſubſtitit. Hi ambo communicatis cum Mutio Columna conſiliis, cuius alam in agro Mutinenſi conſiſtere Leo horum conſcius permiſerat, Mediolanenſium exulum opera vrbem aliquam improuiſo intercipere moliebantur; & ne qua è ſua mora ſuſpicio oriretur, quo ſuſcepta res euaderet Proſper expectans Bononiam conceſſerat. Quinetiam Carolo Auſtriaco Hiſpaniarum Regi ne nouo fœdere cum Franciſco coniungeretur, ſuaſerat; & quinque Heluetios

Franciſcus Maria Rouereus principatu Vrbinate motus.

Belli in agro Mediolanēſi per Cæſarem & Anglos redintegradi rumor.

pagos nondum Gallorum fœderatos Verulano Pontifice miſſo, vt Cæſaris amicitiam ſequerentur incitarat. Cæſar autem tũ inter Tridentum atque Ænipontem diu commoratus cum Anglo atque Heluetiis de inuadẽdo rurſus Mediolanenſi Ducatu agebat. Hæc Pontificis aſſenſu fieri Rex ſibi perſuadebat, quem nihilominus placare (tanta Romani tum Pontificatus maieſtas erat) omnibus modis conabatur. Mirandulam, Carpos, Corregium vrbeis Germanico Imperio obnoxias Franciſcus infeſtare decreuerat; has Leonis querelis commotus intactas reliquit, quod earum poſſeſſores Comites Leo in clientelam recepiſſet.

Mauris inferum mare ſuis latrociniis mercatoribus inacceſſum reddentibus, maritimáſque vrbeis ac pagos diripientibus claſſem ad Maſſiliam paratam, cui Petrus Nauarrus cum 36 ſex peditum millibus in Africam traiecturus præerat, obtulit. Leo nonnulla excuſans, alia inficiatus, ne Verulanum quidem Pontificem ex Heluetiis, nec Mutium Columnam ex Mutinenſi agro reuocare, decimas etiam ex Galliæ ſacerdotiis ne Franciſcus perciperet, vti Bononiæ permiſerat, neſcio quibus exceptionibus impedire voluit. Id temporis Veneti Lautrecium ad circumſedendam Veronam ex fœdere accerſierunt: is tranſmiſſo Atheſi ſex Germanorum peditum millia præter Gallos ſecum duxit, & ad Veronam caſtra metatus eſt. Sed mox rumore de Germanorum, Heluetiorúmque, qui cum Cæſare militabant, aduentu increbreſcente; & quod Cardinalis Bibienna nuper apud Cæſarem legatus Mutinæ cum Proſpero Columna ſubſtitiſſet, ſe Piſcheriam Venetis multum querentibus recepit, & exercitum in multas variáſque ſtationes vltra citráque Mincium collocauit; ſublatis ſuſpicionibus tametſi bis mille partim Germani partim Hiſpani Verona egreſſi ad Venetos defecerant, tamen vel pecuniam ex Gallia in militum ſtipendium, vel vt maiorem circumſedendæ vrbis apparatum Veneti inſtruerent expectans, triginta fere dies ibi reſedit. Nonnulli quid tandem inter Franciſcum Galliæ ac Carolum Hiſpaniæ Reges conueniret, expectaſſe ſcribunt. Tum enim Nouioduni Arcturus Gouſfierius ſummus Regiæ familiæ magiſter, Pariſienſis Pontifex atque eius Senatus princeps à Franciſco, à Carolo Guilielmus Croius Ciurianus, à Cæſare magnus eius Cancellarius coierant: interim maturas Veronenſis agri ſegetes colligere, totam eam regionem prædæ habere, partem exercitus Mantuanum agrum Lautrecius populari iuſſit. Mantuani, vt ſe ea moleſtia liberarent, duodecim nummûm aureorum millia dependerunt: hinc, quam vocant Clauſuram, vt Germanis acceſſum præcluderet, occupauit. Sed circiter Kal. Auguſti, quo die Veronæ deintegro appropinquauit, Gallici exercitus Germani vel ſua ſponte, vel clam à Cæſare perſuaſi, quanquam Venetorum ſtipendium merebant, ſe vrbem à Cæſare poſſeſſam oppugnaturos pernegarunt. Idcirco circiter milliare à Verona diſceſſit: quem Veneti, in quorum exercitu quingenti grauis, totidem leuis armaturæ equites, quatuor peditum millia cenſebantur, ſequuti ſunt. Decimo octauo Kal. Septembr. fœdus Nouioduni in hanc ſententiam ſancitum eſt: nempe vt perpetua inter Franciſcum Galliæ ac Carolum Hiſpaniæ Reges amicitia eſſet, alter ad alterius ditiones tuendas mittere auxilia teneretur: Ludouicam Franciſci filiam, quæ primum nuper ſuæ ætatis annum impleuerat, vxorem Carolus duceret: eidem in Gallia cum Regina matre remanenti quotannis, quoad nubilis eſſet, centum nummûm aureorum millia in ſumptum annuum idem Carolus mitteret: pars regni Neapolitani, quemadmodum id inter Ludouicum, Ferdinandúmque diuiſum olim fuit, nouæ nuptæ dos eſſet. Si Ludouica interim decederet, alteram, ſi ea fortè mox naſceretur, ſin minus Renatam Claudiæ Reginæ ſororem Carolus duceret iiſdem conditionibus, quibus paulò ante Lutetiæ conueniſſent: ſi qua ex iis ſine liberis moreretur, pars regni Neapolitani, quæ Gallo olim attributa fuerat, ad Franciſcum rediret, intra ſex menſes regnum Nauarricum Henrico Albreto reſtitueretur: ſin minus Henrico in regno repetendo Franciſcus ſuppetias ferret: intra alterum menſem Cæſar, ſi ita ei videretur, ad fœdus admitteretur. Si admiſſus eſſet, Venetis nihilominus in Verona recuperanda Franciſcus auxilio eſſet: quam vrbem ſi intra præſcriptum diem Cæſar Carolo, Carolus Franciſco dederet, centum nummûm aureorum millia, quo die in vrbis poſſeſſionem Franciſcus mitteretur, Cæſari dependeret: altera centum millia Veneti Veronæ compotes ſexto poſt menſe numerarent: trecenta nummûm aureorum millia à Ludouico Franciſci ſocero Cæſari mutuo data, quo tempore bellum contra Venetos ſocij gerebant, Franciſcus accepta ferret. Si huic capiti Cæſar aſſentiretur, in decem & octo menſes induciæ inter eundem Venetóſque fierent. Ripam Tridentinam ac Roueredum Cæſar, & quicquid in agro Forojulienſi poſſidet, Veneti quas ex Cæſarianis poſſident vrbeis, arcéſque retinerent, donec ſubortas inter eos de limitibus controuerſias Franciſcus ac Carolus componerent. Vterque Romanum Pontificem inter fœderatos numerauit.

Fœdus Nouiodunenſe.

Dum

37 Dum ad Nouiodunum inter Chriſtianos Reges de pace agitur, Campſonem Gaurium Ægypti Sultanum ad Singam fluuium decimo ferè ab Hierapoli milliari Selymus Turcarum Imperator Caierbij Alepi, & Comagenæ prouinciæ præfecti proditione ſuperauit, eodem die hoc eſt ſeptimo Kal. Septemb. quo biennio ante Iſmaelem Sophum in Calderanis campis profligarat. Vtraque victoria Leoni Pontifici occaſionem dedit, vt crucem quaſi militiæ ſuæ inſigne geſtantibus, & ad ſacrum bellum aduerſus communem Chriſtianæ Religionis hoſtem proficiſcentibus, aut ad id conficiendum (ſi ipſi per ſe arma geſtare non poſſent) pecuniam erogantibus, omnium delictorum expiationem condonaret. Iubileas (de quibus ſupra ſcripſimus) indulgentias vocabant: pares fere iis qui ad inſtaurandam Petri Vaticanam ædem pecuniam conferrent, conceſſit: cuius bonam partem Iulius Secundus, vt auguſtiorem redderet, dirui iuſſerat, hinc nata eſt fatalis illa Martini Lutheri Romanæ Eccleſiæ perduellis in Petri Sedem coniuratio, & multis poſt illum aliis aduerſus indulgentias ſcribendi argumentum. Vſque adeo nihil tam ſanctum eſt quod ſacrilega impiorum lingua, & furioſorum hominum maledicentia non vellicet. Non impediuit Nouiodunenſe fœdus, quin Lautrecium Veneti ad oppugnandam Veronam incitarent: quippe an Cæſar ad fœdus admitti vellet, incerti erant, & armis potius recipere, quàm tanto pretio redimere malebant: quanquam pacem cum Cæſare Franciſcus inire cupiebat, rémque ad arma deduci moleſtè ferebat. Sed quod omnia, quæ ad obſidionem neceſſaria erant, Veneti præpararant, & copias multum auxerant, & quod Germani Gallici exercitus milites cum cæteris non amplius vrbem aggredi recuſabant, omni excuſatione ſublata ſociis obtemperandum exiſtimauit. Galli ponte quem ſupra, Veneti altero, quem infra vrbem inſtruxerant, Atheſim traiecerunt. Tormentorum Gallicorum pars ad portam Luciæ, pars altera, cui Germani præſidio erant, ad Maximi portam collocata eſt, vt ſimul arcis, ciuitatíſque murum, qua cum vrbis muro coniungitur, verberarent: quo proſtrato in arcem pariter, ac ciuitatem aditus pateret, obſeſsíque irrumpenteis ſeparatim excipere cogerentur. Veneti ad Michaëlis Fanum inter fluuium canalémque conſederunt, vt Vicentinam portam, quam & Pontificalem vocant, ac tria proxima propugnacula, muróſque contiguos proſternerent, aut certè defenſacula perrumperent. Die tertio defenſaculorum bonam partem, ac viginti muri vlnas, vterque exercitus depreſſerat: muri, qui inter binos hiatus interiectus erat, exteriorem partem ſucciderant, qui quanquam validis tibicinibus fulciebatur, tamen ante deſtinatum tempus in ſuccidenteis collapſus eſt. Vrbi præerat M. Antonius Columna, qui à Leonis ad Cæſaris ſtipendium tranſierat, cum octingentis cataphractis equitibus, quinque Germanorum peditum millibus, mille quingentis Hiſpanis. Is tametſi in humerum ſclopeti glande vulnus acceperat, tamen noctu atque interdiu nullum diſcrimen recuſans in tuenda vrbe laborabat. Gallica tormenta quatuor locis ſeparata ab arcis porta ad Luciæ portam totidem latas muri ruinas fecerant, quibus milites ſuis ordinibus incedenteis vrbem ingredi poſſe videbantur. Veneta quoque parem prope, ſed continuam ruinam ediderant; tamen oppugnationem licet Veneti vehementer vrgerent, Lautrecius inſtituere differebat, & alia adhuc tormenta, vt latior ruina fieret, depoſcebat.

Campſo Gaurius Ægypti Sultanus à Selymo Turcarum Imperatore ſuperatur.

Veneti Lautrecio oppugnandæ Veronæ auctores.

38 Interim dum octingenti pulueris tormentarij cadi in vtraque caſtra importantur, aurigæ qui ſocios ſinguli anteuertere ſtudebant, rotarum illiſu ignem excitarunt, qui puluerem, boues, quadrigas, ac bigas, ipſóſque adeo aurigas vno incendio abſumpſit. Tum nouem Germanorum millia Guilielmo Rocandulpho duce cũ magna pecoris, caſei, farinæque copia Clauſura atque arce Coruaria monti Atheſi proximo Tridẽtum verſus impoſita deditione captis Veronæ appropinquarunt. Idcirco Lautrecius accedenteis vel timens, vel timere ſimulans ſe Villafrancã Venetis inuitis recepit. Venetorum alij cũ Theodoro Triuultio Lautrecium ſequuti Boiulianũ petierunt: alij cum Ioanne Paulo Manfrono Atheſim traiecerunt. Rocãdulphus commeatu importato, recentíque pręſidio impoſito Veronæ ſeptẽ Germanorum millia reliquit: nam Hiſpani ſub Maldonato tribuno, quod cũ Germanis non ſatis conueniret, nec integrum ſtipẽdium acciperent, ad Venetos defecerant, ipſe cũ cæteris in Germaniam rediit. Veneti propter inſtantem hyemem Brixiam tormenta reduxerunt, nec tamen omnem ſpem de Verona potiunda abiecerant: nec enim ſatis abundans commeatus importatus erat, & omneis aditus quibus è Germania exportabatur, obſidentes vrbem in priſtinas neceſſitates redigebant. Idcirco Cæſar de conſeruanda in poſterum deſperans, & pecuniæ quam prodigeret, ſemper auidus fœdus, quod nepoti Carolo diſſuaſerat, ratum habuit, & iam diu ſuſceptum inuadendæ Italiæ conſilium penitus abiecit. Pace inter Cæſarem Franciſcúmque confirmata Heluetij cum Franciſco, ſicuti paulò ante Rheti, quos Griſones vocant, publico decreto conuenerunt: qua in re Galeatius Vicecomes tum Mediolanenſis exul

Imperator inuadendæ deinceps Italiæ conſilium omne penitus dimittit.

Qq 2 plurimum

plurimum laborauit, vnde cum Rege in gratiam rediit, & in integrum reſtitutus eſt. Heluetij vniuerſi certum peditum numerum quoties Rex poſtularet, octo quidem pagi tam pro Regiis ditionibus tuendis, quàm pro alienis inuadendis, quinque vero reliqui, qui hactenus cum Rege conuenire diſtulerant, pro ſuis dumtaxat tuendis ſe miſſuros promiſerunt. Rex viciſſim trecenta & quinquaginta nummûm aureorum millia intra menſes treis, & annuas in poſterum penſiones ſe depenſurum pollicitus eſt. Lugani, Lucarníque arces, quæ magis tritas in montium anguſtiis vias Mediolanum proficiſcentibus quodam modo præcludunt, Regi reſtituere eodem fœdere Heluetiis permiſſum eſt: ſi reſtituerent, trecenta nummûm aureorum millia acciperent; vtramque fœdere vtrimque confirmato demoliti ſunt.

Anno 1517. Sequitur annus decimi quinti huius ſæculi decimus ſeptimus cuius initio Tridentinus 39
Pontifex Veronam acceſſit, & cum Lautrecio de vrbe quam Caroli Hiſpaniarum Regis nomine poſſideri aiebat, reſtituenda inter Veronam, Villafrancámque colloquutus eſt: dies decimus octauus Kal. Febr. quo die nummis promiſſis acceptis, & quindecim præterea nummum aureorum millibus in præſidiariorum militũ ſtipendium diſtribuendis conditione addita, vt Veronenſia tormenta Lautrecius Tridentum deportanda curaret, eundem Veronam Galli Regis nomine intromiſit. Vrbem Lautrecius Andreæ Gritto Veneti Senatus legato reſtituit, Venetis longi & difficilis belli tam felici exitu mirandum in modum exultantibus, in quod à conuentu Cameracenſi ad Veronæ reſtitutionem quinquagies centena nummûm aureorum millia, hoc eſt, quinque milliones (vt vulgo loquimur) impendiſſe traduntur, quorum quinquies centena ex ciuilium magiſtratuum auctione corraſerint. Concordata (vt vulgo appellantur) hoc eſt pacta conuenta inter Leonem Pontificem, ac Franciſcum Regem de mandandis ſacerdotiis vndecimo Kal. Aprilis in Senatu Pariſienſi lecta, ac rata habita fuerunt; deinde tota vrbe promulgata, viris literatis, quam Vniuerſitatem vocant, multum repugnantibus, vim etiam intentare conantibus; qui Regiis præſidiis repulſi famoſos libellos aduerſus nonnullos aulicos, præſertim verò aduerſus Antonium Pratum Cancellarium omnium, quæ regnante Franciſco, poſteáque acciderunt, malorum authorem ediderunt. Cæſare, Franciſco, Carolo, Venetis Nouiodunenſi fœdere ſibi inuicem reconciliatis pax vniuerſo Chriſtianiſmo bene conſtituta videbatur, quæ vt magis ſtabiliretur, colloquium inter Franciſcum, ac Carolum Cameracum indictum erat: eò Arcturus Gouſſerius Boëſius ſummus Regiæ familiæ magiſter, atque Guilielmus Croius Ciurianus, quæ ad Regum conuentum opportuna erant, præparaturi iam profecti erant. Veronam reſtituerat Cæſar, & ad Franciſcum fœderis iureiurando ſanciendi ergo duos legatos miſerat. At interim Verona nondum reſtituta Franciſcus Maria Rouereus Vrbinas regulus noui belli fundamenta iecit, & clam Hiſpanos diripiendis vrbibus aſſuetos, qui nihil magis quàm pacem oderant, exciuit, eorúmque opem, vt in amiſſum principatum reſtitueretur, implorauit. Implorantem Maldonatus tribunus cum quinque Hiſpanorum peditum millibus, octingenti equites Federico Gonzaga Boſſolo, Gaioſio Hiſpano, Succharo Burgundo, Græcis autem Andrea Bua, atque Conſtantino Boccalo ductoribus ſequuti ſunt: inter quos principem locum ob familiæ claritatem, militariúmque munerum gradum, quibus ab ineunte ætate defunctus erat, Boſſolus obtinebat: qui vel propter Rouerei amicitiam, vel Laurentij Medicis odium, quod à Iuliano Pontificij, Florentiníque exercitus duce peditum tribunus deſignatus ſuccedente Laurentio repulſam paſſus fuiſſet, tum quum Gallicum adhuc ſtipendium mereret, huius conciliandi cogendíque exercitus præcipuus author fuit: ij quo die Venetis reſtituta Verona eſt, in Vrbinatem agrum contenderunt.

Verona Venetis per Lautrecium reddita.

Concordata inter Leonẽ Pontificẽ ac Franciſcum Regẽ in Senatu Pariſieñ rata habeatur.

Vmbricum bellum.

De quorum aduentu certior factus Leo Pontifex natura timidus admodum perturbatus eſt: pauci numero, at viri fortes erant, & Hiſpanorum peditum virtus vbique celebrabatur; & ne trium exercituum Cæſariani, Gallici, Veneti reliquiæ prædandi auidæ iiſdem adiungerentur, Leo timebat. Vrbinates Feltriis manſuetis dominis Guido in primis Rouerei auúculo, ipſíque Rouereo addicti erant: quódque magis eius animum percellebat, Rouereum exulem, & omnium rerum indigentem non ſine Franciſci authoritate hunc exercitũ coegiſſe Leo ſuſpicabatur, quas Regi occaſiones dediſſet ſibi malè conſcius, quod Cæſare in Galliam Tranſalpinã deſcendente fœdere cum Franciſco poſt receptum principatũ Mediolanenſem inito non ſteti ſſet; quod diploma de mandandis, quibus vellet, Gallicis, Mediolanenſibúſque ſacerdotiis ab iis quæ Bononiæ, vbi nihil, aut pauca propter temporis breuitatem ſubſcripta fuerant, promiſerat, multum diſſentaneum ad eundem miſerat: ídque idcirco Rex indignatus recipere recuſarat: quod clandeſtinas cum Cæſare, Hiſpano, Anglo, Heluetiis aduerſus eundem machinas ſtruxiſſet: quod ne Veronam reciperent Veneti, nuper impedire cupiens Hiſpanos Neapoli profectos per Pontificias ditiones ſeparatim tranſire permiſiſſet; ſi cuncti vnà tranſirent, ſe haud reſiſtendo eſſe cauſatus: quod decimas 40

è Gallicis

è Gallicis ſacerdotiis percipiendas, quas Bononiæ liberè nulla addita conditione promiſerat, neſcioquibus conditionibus interiectis reuocare quodam modo velle videretur: quod Mutinam, Rhegiúmque Ferrarienſi non reſtituerat, nec in cæteris principibus ſpem collocabat. Quid quod paucis ante diebus Nicolaum natione Germanum, qui Medici Cardinali ab epiſtolis erat, ad Carolum miſerat, vt colloquium Cameracenſe interrumperet? Nec minus Venetos, quàm Gallum, ſuſpectos habebat, non ſolùm ob priſtinum odium, quòd ſe cum Gallis antea coniunxiſſent, ſed & quod ne Veronam recuperarent, nuper impedire voluiſſet. Igitur quotquot potuit Laurentius partim nouos milites conſcripſit, partim ex Florentinis copiis acceſſiuit, & ad Rentium Ceritem, Vitelliúmque qui Rauennæ cum ſuis cataphractorum equitum alis erant, accelerare iuſſit. Sed Hiſpani Pontificios anteuertentes traiecto Pado per Bononienſem, deinde per Fauentinum agrum tranſeuntes, nec vllas Flaminiæ vrbeis, quod præſidiis munitæ eſſent, aggreſſi ad Vrbinates peruenerunt.

41 Laurentius interim Ceſenam, Ariminúmque petiit, vt copias ſemper, quoad poſſet, augeret; at breui effectum eſt, vt plures, quàm vellet, nomina darent, eiúſque ſigna ſequerentur: Ioannes enim Pappius, qui illi erat ab epiſtolis aliquot menſes quaſi legatus apud Lautrecium commoratus quatuor Vaſconum millia, Germanos bis mille quingentos, quos Lautrecius dimiſerat, eiuſdem erga præfectos authoritate vſus Pontificio ſtipendio authoratos inconſulto Laurentio retinuit; & vt Bononiam tenderent, perfecit: ſiue ne Rouereum, vt Hiſpani ſequerentur, timuit, ſiue cum iſtis Laurentium victoria potiturum ſperauit. Id Leo, ac Laurentius propter conceptam de Rege ſuſpicionem ægrè tulerunt, & tamen longius progreſſos, ne hoſtibus adderentur, reiicere auſi non ſunt. Rouereus Vrbinatem agrum ingreſſus Vrbinum regionis Metropolim rectà petiit: vrbi Iacobum Roſſetanum Tifernatem cum duobus peditum millibus Laurentius præfecerat, quod id munus Vitellius ſuſcipere recuſaſſet. Scio Iouium in Leone aliter hunc locum tractare, ſed quæ illi fides adhibenda ſit, prudenti lectori Italicæ hiſtoriæ perito iudicandum relinquo. Primo itaque congreſſu Roſſetanus ſatis ſtrenuè reſtitit, alterum inſtaurare paranti Rouereo vel metu, quod ciues arma corripuiſſent, Rouereíque nomen inclamarent, vel tacita proditione, vt tum fama fuit, deditionem fecit. *Vrbinum in Rouerei poteſtatem redit.* Nulla autem Hiſpani tormenta habebant, & Roſſetanus ſæpius de pellendis vrbe ciuibus, qui arma ferre poſſent, monitus, vt pelleret adduci nequiuerat. Vrbini exemplum cæteræ vrbes, arcéſque, quibus nullum præſidium inerat, fano Leonis excepto ſtatim ſequutæ ſunt: Piſaurum, Senogallia, Gradaria, Mundainum vrbes ab Vrbinate principatu ſeparatæ in Laurentij poteſtate remanſerunt. Recepto Vrbinate principatu Rouereus cum quinque tormentis Vrbini repertis Fortunæ fanum vrbem maritimam petiit (quo Rentius Ceres coniectura adductus Troilum Sabellum cum centum cataphractis equitibus, ſexcentis peditibus miſerat) proſtrato ad viginti vlnas muro, quod puluis tormentarius, pilæque deficerent, vrbem Hiſpani oppugnarunt; repulſi centum quinquaginta milites amiſerunt. Poſtridie inſtaurata oppugnatione ita fortiter ſtrenuéque murum conſcenderunt, vt bona præſidiariorum pars aufugerit. Fabianus Galleſius Troili legatus in muro cum paucis ſtetit, cuius virtute vrbs defenſa eſt. Die tertio quod quingentos pedites Piſauro profectos illuc nauibus traieciſſe, & noctu in vrbem intromiſſos fuiſſe accepiſſent, ad oppidum in montis Barocij vertice ſitum tranſierunt, cuius deſcenſus forum Sempronij atque Vrbinum versùs facilis, at quà Piſaurum reſpicit, difficillimus eſt, ibi conſiſtentes Vrbinati agro præſidio erant.

42 Altera ex parte Laurentius Medices rei militari haud aſſuetus, & è ducum ſuorum conſilio pendens Vaſconibus & Germanis, quos ſupra commemoraui, mille præterea ac quingentos Germanos ex Veronæ præſidiariis, & multos Italos, totúmque Pontificium, ac Florentinum equitatum addidit, Ariminóque Piſaurum contendit: ipſe Piſauri cum equitatu conſedit, peditatum in montibus hoſtem ſpectantibus collocauit. Piſauri vrbis in anguſtæ vallis Vrbinum versùs tendentis aditu ſitæ mœnia, quà Ariminum ſpectat, Iſaurus fluuius quadam ex parte alluit, ibique portum, ſed maioribus nauibus inacceſſum facit, hinc portus vulgo appellatur, arx ad mare propinquum vergit. Inter vrbem, ac fluuium quædam artificum mercatorúmque officinæ exædificatæ erant, quas demoliri, ne vrbi nocerent, Rentius Ceres iuſſit: bona vrbis pars montibus, qui ad mare vſque haud protenduntur, cingitur. Inter hos, ac mare fanum versùs ad duo circiter milliaria lata planities explicatur: in colle duo monticuli ſibi inuicem aduerſi eminent, à mari Candelarius, Vrbinum versùs Nugolarius, in quorum verticibus bina oppida eiuſdem nominis, arcéſque ſpectantur. In Candelario Itali pedites, in Nugolario hoſtibus magis propinquo Vaſcones ac Germani caſtra metati ſunt, non vt cum hoſtibus niſi quibuſdam fortaſſe excurſionibus confligerent; & vt eoſdem à vicinorum agrorum duntaxat populationibus arcerent: neque enim cum ſtrenuis militibus longo

militiæ vſu probatis, niſi certa quaſi victoriæ ſpe, vniuerſo prælio decernere Leo ſtatuerat; quippe non eadem eſſe victoriæ præmia verè exiſtimabat. Si enim Pontificij vincerent, nihil ex victoria præter hoſtium ſpolia reportare poſſent; at ſi hoſtes vincerent, Pontificatus Romani, Florentiæque opes victoriæ præmium futuras. Exercitum ſuum quotidie & experientia meliorem fieri, & nouis auxiliis accedentibus augeri: contra hoſtium deficiente ſtipendio paulatim diſſipatum iri: quinetiam belli huius initio pro maieſtate Pontificia ab omnibus fere Chriſtianis principibus Leo opem implorarat. Cæſari, ac Carolo Hiſpaniarum Regi Rouerei conſpirationem in caſtris Gallicis penè ob Lautrecij oculos factam indicabat: Franciſco Regi ſe neſcioquid de Lautrecio ſuſpicari ſignificauit: nihil præterea addidit. Cæſar pristino odio, innatáque inconſtantia perpulſus iam à Gallo abalienabatur, ſocietatem cum Anglo coierat: cum Carolo nepote non longè ab Antuerpia conuenerat, eique ne ad Cameracenſe colloquium accederet, ſuaſerat: is pariter ac Carolus Franciſcum Leoni in ſuſpicionem veniſſe lætati imploranti ſuppetias ferre promiſerunt, & ſuis ne aduerſus Pontificem arma ferrent, edixerunt. Præterea Comitem Potentianum ad regnum Neapolitanum Carolus miſit, & vt quadringentos cataphractos equites auxiliares ad Pontificia caſtra adduceret, imperauit: vtque beneuolentiam ſuam erga Pontificem prolixius teſtaretur, Franciſcum Mariam Rouereum quaſi rebellem Sorano principatu, quem Ioannes Rouereus præfectus vrbis eius pater redemerat, ſpoliauit.

Imperator Leoni auxiliares copias cum Carolo ſpondet.

At hic vmbricus tumultus Franciſco Leonis amicitiam ſuſpectam habenti non ingratus fuit. Itaque hominem ſuis artibus aggreſſus vanis auxiliorum promiſſis ſuſpendit, ſummum Chriſtianorũ Pontificem armis inuadi ſe plurimum indolere ſcripſit: cæterũ Lautrecium illi in tempore non defuturum: Leonem tamen ſibi hoc malũ imprudentem conſciuiſſe, qui tot Hiſpanos Neapoli profectos per Pontificium agrum tranſire, Veronam petere, & ſociis iungi permiſerit: non enim tam audax facinus niſi numero multum aucti ſuſcipere auſi fuiſſent. Ne tamen de eius amicitia Leo deſperãs ſe penitus cum Carolo Auſtriaco Hiſpaniæ Neapoliſque Rege cõiungeret, trecentos cataphractos equites vt ad Pontificium exercitũ Lautrecius auxilio mitteret, iniunxit: ſimul &, vt nouam ſocietatem coirent, à Leone poſtulauit. Bononienſem enim cuius multa capita Leo violaſſet ac pro nihilo habuiſſet iam nullius momenti videri: querimonias adiecit, quod ipſum quaſi huius conſpirationis conſcium apud cæteros Chriſtianos principes Leo perſtrinxiſſet: quod Georgium Supraſaxum, aut Sopreſſanum (vt alij ſcribunt) ſua negotia apud Heluetios procurantem malis diris deuouiſſet, & Chriſtianis ſacris excluſiſſet. Alias diuulgabat Ludouica Sabaudiana Regis mater, & Leonem palam impietatis ac crudelitatis accuſabat, quod principem de ſe, ſuíſque fratribus benemeritum principatu ingratus ſpoliaſſet: nec eius calamitate contentus eidem Chriſtianis ſacris interdixiſſet; matri, vxorique dotem, & quæ dotis nomine debentur, perſoluere recuſaſſet, vt miſeræ & egentes ad cognatos confugere cogerentur. Hæ querimoniæ Leoni conceptas iam ſuſpiciones augebant. Itaque Laurentius trecentos equites Gallos in Mutinenſi Bononienſique agro aliquot dies ſubſiſtere, deinde Arimini ſtatiua habere iuſſit, vt multum ab hoſtibus ſeparati ei minus nocere poſſent. Acceſſit quod renouata Romæ ſocietate Franciſcus antequam ratam haberet, nonnulla obiecit, quibus Leone magna ex parte cedente ea tandem in hanc ſententiam confirmata eſt. Certas copias ac duodecim in ſingulos menſes nummûm aureorum millia pro tuendis ſuis ditionibus Leo ac Franciſcus ſibi inuicem promiſerunt. Idipſum inter Regem, ac Florentinos, Laurentiúmque Medicem, vbi & Vrbinas Ducatus comprehendebatur, ſancitum fuit: ſed minores copiæ, & ſex dumtaxat in ſingulos menſes nummûm aureorum millia ſuppeditare debebant: Leoni aduerſus Romani Pontificatus clientes atque obnoxios Rex opem ferre tenebatur: mandandorum ſacerdotiorum, ac decimarum percipiendarum, vti Bononiæ conuenerat, Regi poteſtas fiebat, ea conditione, vt pecunia apud quemdam veluti ſequeſtrem in Turcicum bellum dumtaxat impendenda deponeretur: ſed clam inter ipſos conuenerat, vt coactam pecuniam Rex in priuatos vſus, ſumptúſque conuerteret: priuatim ſe nullã opem aduerſus Ferrarienſem à Rege imploraturum Leo pollicitus eſt; quinetiam vt eundem Rex in clientelam reciperet, permiſit. De Mutina, Rhegio, Roberia Ferrarienſi reſtituendis magna controuerſia fuit. Reſtituere Leo apertè non recuſabat; id autem in aliud tempus differebat. Rex contra vt ſtatim reſtituerentur, inſtabat; id vnum caput totam fere ſocietatem diſſoluit. Tandem vt diplomate (quod Breue appellant) Leo intra ſeptimum menſem eas vrbeis ſe redditurum promitteret, conuenerunt: Franciſcus enim, cui ſe Henricus Angliæ Rex hoſtem declararat, & de Cæſaris, Caroli Auſtriaci, Heluetiorum amicitia incertus erat, Leonem plus æquo vrgere noluit. Leo ſi res ſibi bene ſuccederent, nouis promiſſis non magis quàm Bononienſibus ſtare decreuerat. 43

Lautrecius à Franciſco Leoni Pontifici ſuppetias ferre iuſſus.

Franciſci & matris eius Sabaudianæ de Leone querimoniæ.

Societas inter Leonem & Franciſcũ vt renouata.

Interim

44 Interim dum hæc pertractantur Pontificius exercitus mirandum in modum auctus eſt: in eo mille grauis, totidem leuis armaturæ equites, quindecim ex diuerſis nationibus peditum millia cenſebantur: & quod tumultus huius initio pleroſque tyrones neceſſitate coactus Laurentius conſcripſerat, eoſdem paulatim dimiſerat, veteranóſque in eorum locum ſurrogarat, vt iam de committenda pugna de ducum ſuorum conſilio cogitaret. Sed hoſtes loco munitiſſimo conſederant: hinc Camillus Vrſinus cum ſeptingentis leuis armaturæ equitibus, vt totam eam regionem, quæ Vicariatus appellatur, latè popularetur, miſſus eſt; vnde commeatum Rouereus ſuis copiis exportabat. Tum caduceator à Rouerei caſtris ad Pontificia acceſſit, & Suari (is Hiſpanus centurio erat) liberum ad Laurentium aditum poſtulauit; ídque facilè impetrauit, quod Suares clam cum Laurentio de prodendo Rouereo egiſſet. Sed alius eiuſdem nominis centurio, & cum ipſo Horatius qui Rouereo ab epiſtolis erat, ad ea caſtra acceſſerunt. Tum Suares, vt publicè audiretur, poſtulauit: impetrata loquendi facultate mandatum à Rouereo accepiſſe dixit, vt Laurentio denũtiaret, quandoquidem nobilis Italiæ regio ab vtroque exercitu vaſtaretur, vt ſingulari vtriuſque certamine bellum finiatur, ſatius eſſe, aut ſaltem, vt vterque cum paucis in certamen veniat: vtrumuis malit Rouereum Laurentio optionem dare. Laurentius ex ducum conſilio conditionem accepit, modo Rouereus quæ vi occuparat, prius reſtitueret. Hæc loquutus vtrumque in cuſtodiam tradi iuſſit, quòd Rentius Ceres vtrumque capite plectendum iudicaret: at cæteri duces datã fidem haud fallendam cenſuerunt: quorum iudicio permotus Laurentius Sicarem dimiſit. Horatium neſcio quibus calumniis violatam fidem excuſare conatus retinuit: quaſi in adeundi redeundíque teſſera Horatium Pontifici obnoxium, & Rouereo ab epiſtolis eſſe aſcribi debuiſſet. Verumenimuerò longè alia retinendi occaſio fuit, nempe vt vehementi quæſtione adhibita Rouerei conſilia exquireret: interrogatum de huius conſpirationis authoribus ea reſpondiſſe diuulgarunt, quæ Leonis de Franciſco Rege ſuſpicionem magis ac magis augerent. Laurentius igitur, qui Rentij Ceritis & Vitellij conſilia ſequebatur, quod militũ numero, & virtute ſuperior videbatur, hoſtes aggredi, & Sorbolongum vicũ à foro Sempronij quinque milliaribus diſtantem petere decreuit: vnde commeatum è Vicariatu ad Rouerei caſtra exportari facile prohiberet. Verum hoſtes anteuerterunt, & Sorbolongo potiti ſunt: quapropter mõtem Barocium occupare mox inſtituit; ſed & hoc quoque eius cõſilium Rouereus anteuertit: quamuis enim traiecto ad forum Sempronij Metauro, vbi pons lapideus facilè tranſitum dabat, aliud iter ſequi inſtituiſſet, tamen poſtea de hoſtium conſilio coniecturã faciens montem Barocium præoccupauit. Forum Sempronij à mari quindecim milliaribus diſtãs ad Metaurum Aſdrubalis Pœnorúmque cæde inſignem fluuium ſitum eſt. Is è montibus anguſta valle delabitur, quæ quo magis ad mare appropinquat, eo latius ſeſe effundit, atque explicat: ad dextrã regio eſt, quæ Vicariatus vulgo appellatur, collibus fertiliſſimis diues, & frequẽtibus oppidis habitata.

Rouereus bellum cum Laurentio Mediceo ſingulari certamine finire poſtulat.

Forum Sempronij.

45 Circa hanc vterque exercitus pugnandi occaſionẽ quærens diu, & ſæpe caſtra caſtris contulit; ac Laurentius quidem vtroque ſupra commemorato conſilio depulſus, quod nonnulli Rentij ac Vitellij malignitate eueniſſe produnt, qui eius potentiam extimeſcentes eundem Cæſare Valentino Borgia, cuius iuſſu illorum maiores crudeliter cæſi fuerant, haud mitiorem fore ſperabant. Mondolfum tandem munitiſſimum eius regionis oppidum in colle ſitum, cui ducenti Hiſpani præſidio erant, oppugnandum ſuſcepit: noctu, ſed nullo aggere oppoſito tormenta Rentius admouit: cum primum illuceſcere cœpit, octo eorum, qui exonerandis tormentis operam nauabant, & magnam ruſticorum tormentis attributorũ multitudinem præſidiarij Hiſpani tormentis aut ſclopetis necarunt. Antonium autem à fano Crucis tormentorum magiſtrum grauiter vulnerarunt; quapropter re inſperata commotus Laurentius aggeribus extruendis adeſſe ipſe voluit: inter redeũdum ſclopeti glande grauiter in ſummum caput ictus magnum vitæ diſcrimen adiit: cæterum paucis poſt diebus pręſidiarij Hiſpani de auxilio deſperantes de vita & de ſua ſupellectile pacti oppidanos in prædam hoſtibus relinquentes oppidum dediderunt. In Laurentij locum Cardinalem Bibienam legatum Leo ſurrogauit: poſtridie quam is ad exercitum appulit, grauis inter Germanos, Italóſque ſeditio exorta eſt, ita vt multi vtrimque ceciderint. Præcipui exercitus duces, qui tum in cõſilio erant, diſcrimen animaduertentes alas ſuas extra caſtra eduxerunt: ſolus Bibiena legatus flagranteis ira compeſcere conatus ſubſtitit, & ſe pugnantibus immiſcens, nullúmque periculum reformidans centurionũ quorundã opera ſeditionem diremit. Quapropter ne milites irritati leui de cauſa ſeditionẽ deintegro renouarent, vt exercitus ſepararetur, atque in ſtatiua dimitteretur, viſum. Pontificius, & Florentinus equitatus, atque Itali pedites Piſauri, in campis vrbi propinquis Vaſcones, in monte, quem vulgò Imperialem vocant, & Piſauro, quà Ariminum reſpicit, imminet, cæteri pedites ſtatiua habuerũt; ita vt in montis vertice Hiſpani, in medio monte Germani, in radicibus Corſi caſtra metarentur. Ibi treis & viginti dies nullo modo ſeſe commouentes

Grauis inter Germanos Italóſque ſeditio exorta.

 uentes

uentes quieuerunt,niſi quod leuis armaturæ equites nonnullas excurſiones,& velitaria prælia faciebant; nec à monte Barocio,vt quæ receperat,conſeruaret,& alioqui viribus inferior Rouereus pedem mouebat. Die viceſimo quarto inde ante lucem profectus prima aurora ad montis apicẽ,vbi Pontificij exercitus Hiſpani conſederant,appulit:quibuſcum,aut certè cum eorum nonnullis clam defectionẽ molitus erat, vt rei euentus probauit. Tum enim Hiſpani, quos ſecum duxerat,Pontificios Hiſpanos aduocantes,ſi ſalui eſſe velint,vt ſe ſequerentur,inclamarunt:ad quam vocem Pontificij ramos virides capitibus imponentes, ſicuti Rouereani habebant,vocãtes ſequuti ſunt:præfecti cum octingentis, aut aliquantò paucioribus ſe Piſaurum receperũt.Hiſpani vtriuſque exercitus iuncti Germanos Pontificios nihil tale expectanteis aggreſſi circiter ſexcentos ex illis occiderunt,cæteri ad Corſos aufugerunt, & cum ipſis Piſaurum confugerunt. Vaſcones tumultu audito inſtructis ordinibus conſtiterunt,neque ſe loco mouerunt. Rouereus pertractis ad ſe Hiſpanis, Germaniſque cæſis,iam viribus ſuperior cum bona ſpe de Vaſconibus,Germaniſque,qui ſimul à Lautrecij exercitu educti diu vnà inceſſerant,ad ſe perliciendis inter Vrbinum Piſaurúmque caſtra metatus eſt. Vaſconibus præerant Carbo veteranus centurio, atque Ambra adoleſcens nobili familia ortus, & Lautrecij propinquus,idcircóque militibus paulò acceptior. Is Carboni mirandum in modum inuidebat,& clam cum Rouereo de defectione egerat;ac defectioni honeſtam aliquã ſpeciem quærens ante aucta ſtipendia deintegro augeri poſtulabat: Pontificij ſæpius aucta rurſus augere recuſabant.

Hanc controuerſiam Chiſſeus Gallorum equitum præfectus Arimino ea de cauſa Piſaurum delatus, ac Carbo componere inter ipſos totis viribus conabantur: ſed quinque aut ſex diebus poſt Hiſpanorum defectionem Rouereus cum toto exercitu Vaſconũ caſtris appropinquauit:quo cõſpecto Ambra cum maiore Vaſconum parte,ac ſex minoribus,quos *ἰεραχας* (vt Græco verbo vtar) appellant ad Rouereanos tranſiit, quem Lautreciani Germani ſequuti ſunt:mille trecenti pedites duntaxat,ac ſeptẽ centuriones cum Carbone remanſerunt:quamuis hunc quoque cum cæteris ad Rouereum defeciſſe Iouius falsò ſcripſerit. Poſtridie mane Itali pedites ſe prope ſolos in Pontificio exercitu relictos animaduertentes ſtipendia quoque augeri flagitarunt,& tumultuari cœperunt; nec deſierunt prius,quàm flagitata ſtipendia promitterentur:vt in Rouerei exercitu vbi ab inope regulo ſtipendia nulla pendebantur,tantam concordiam,tantamque militum erga præfectos obſeruantiam conſpici,quæ non tam à ducis prudentia,vt de Annibale proditur,quã à militum pertinacia,rapiendíque libidine proficiſcebantur: contra in Pontificio,vbi ad præſcriptum diem ſemper integra numerabantur,tot ſeditiones,tótque defectiones ſe inuicem conſequi mirum eſſet:vbi ducum prudentiã fortaſſe, aut fidem potius requiras, aut certè Pontifici inuadenti fortunam illuſiſſe fatearis. Rouereus viribus auctus Fortunæ fanum deintegro,aut aliquam aliam vrbem maritimam,vt res ſuas in tuto collocaret,oppugnare cupiebat: at Hiſpani quæſtus auidi,quibus iam tertiũ menſem in eius exercitu militãtibus nullum ſtipendium exoluerat,nec iis,qui recèns acceſſerant,Vaſconibúſque pecuniæ indigens numerare poterat, Hetruriam regionem fertilem de bello nihil ſuſpicantem,& ad excipiẽdos hoſteis minimè paratam adoriendam cenſebant,quorum deliberationes ſequi cogebatur,&,Peruſiæ per Carolum Baleonũ & Senis per Borgneſium Petrucium ſe nonnihil moliturum ſperabat. Itaque poſtridie,quàm Ambra ad illum defecit, exercitum Peruſiam versùs dirigere iter iuſſit: vbi in latam planitiem peruentum eſt,Hiſpanos ad concionem vocauit: inter quos loco excelſiore collocatus Maldonati tribuni,Suaris,& duorum præterea centurionum coniurationem in ſe initam explicauit, literis prolatis, & indiciis ita claris,vt communi conſenſu Hiſpani reos morte plectendos iudicarint,cõuictóſque haſtis confoderint; inde iter inſtitutum perſequutus eſt. Sed iam Peruſiam Ioannes Paulus Baleonus ingreſſus erat,& amicis,clientibúſque armatis vrbem tueri ſtatuerat:cui Bibienna legatus Camillum Vrſinum Florentinum ſtipendium merentem cum ſua ala, ac ducentis quinquaginta leuis armaturæ equitibus auxilio miſerat.Vitellius cum ſua ala, ac Chiſſeus cum Gallis equitibus ob fœdus inter Leonem ac Franciſcum nuper initum non amplius ſuſpectis Tifernum inierant.Laurentius Medices vulnere curato Ancona Piſaurum,inde Florentiam curſoribus equis peruenerat,vt præſidiis totam eam regionem muniret:Bibienna legatus cum reliquiis Vrbinatem agrum ingredi iuſſus erat, vt Rouereum ad ſua conſeruanda reuocaret.

Maldonatus Tribunus ac Suares coniuratione in Rouereum conuicti haſtis confodiuntur.

Vbi Peruſiæ Rouereanus exercitus appropinquauit, Ioannem Paulum Baleonum per vrbem, ne quis tumultus oriretur, obequitantem ciuis quidàm aggreſſus à Baleoni comitibus cæſus eſt.Hinc vel metu,vel Peruſinorum,vt ipſe contendebat,precibus,qui ſuum agrum vaſtari ægrè ferebant, cum Rouereo numeratis decem nummũm aureorum millibus, ac commeatu in quatriduum ſuppeditato,vt exercitum ex agro Peruſino ſtatim educeret,pactus eſt: quod Leoni permoleſtum fuit,& Baleono calamitatẽ,quæ mox proferetur,attulit.Tifernum

petere

petere Rouereus decreuerat, ſed quod Cardinalis Bibienna cum reliquo exercitu & Italis peditibus nuper conſcriptis Forum Sempronij oppugnabat, illuc redire coactus eſt. Forum Sempronij interim, & tertio quidem obſidionis die, captum, direptumque eſt. Bibienna de Rouerei aduetu certior factus ad Fortunæ fanum magna celeritate ſe recepit: neque verò melius neque felicius Leoni res vrbanæ, quàm bellicæ ſuccedebãt. Alphonſus Petrucius Cardinalis Senenſis apud amicos præſertim Cardinales ſæpius queſtus erat, quod paternorum beneficiorum, atque inſignium eius officiorũ Leo immemor ſe Borgneſiúmque fratrem patrimonio paterno, principatu, patria denique expuliſſet. Pãdolfus enim Petrucius Alphõſi pater in Leone Iulianóque fratre Florẽtiam reducendis multum laborauerat, & in magna pericula ſæpius incurrerat. Alphonſus ipſe in poſtremis ſuffragiis Põtificiis in cõciliandis Leoni iunioribus Cardinalibus egregiam operã nauarat: tum bonis paternis exutus, quod gradum, quem tenebat, ſatis tueri non poſſet, hæc apud Cardinales, quos variis de cauſis erga Leonem malè animatos ſciebat, Raphaëlem Riarium, Saulium Baudinellum Genuenſem, Franciſcũ Soderinum, Adrianum Cornetanum deplorabat, & Leoni interdum ſe vim allaturum ſignificans grauiter minabatur, qui iuuenis inconſiderati querimonias non inuiti audiebant. Riarius inter Cardinales ob diuitias, familiæ, menſæque magnificentiã, & quod ante cæteros in eum ordinem cooptatus erat, principem locum obtinebat, & ad ſummum Pontificatũ aſpirabat, quem ſibi ereptum prædicabat. Saulius, ſiue Baudinellus Alphõſo intimus erat, & quod in Leone in Pontificem creando omne ſuum ſtudium vnà cum Alphonſo collocaſſet, & nihilominus in quibuſdam ſacerdotiis poſtulandis Cardinale Medice ſibi antelato repulſam paſſus fuiſſet, non minus fortaſſe, quam Alphonſus, at tacitè querebatur. Soderinus Petrum fratrem Mediceorũm opera patria expulſum dolebat. Cornetanum mulieris fatidicæ oraculo deceptum ferunt, quæ Leoni immatura morte ſublato ſenem quendam nomine Hadrianũ humili locó natum, ſola literarum & virtutis commendatione nixum ſucceſſurum prædixerat, quæ omnia in Cornetanum ſatis quadrare videbantur: at nõ hic, ſed Batauus Hadrianus deſignatus erat.

48 Hi Alphonſum, quod temerè effutiebat, vix perfecturum putabãt: cæterum perfectum iam patratúmque voluiſſent: is quadam deſperatione veluti mente motus pugionẽ clam in Cardinalium conuentum ſæpius tuliſſe fertur, vt Leonem nec opinantẽ confoderet: ſed facinoris atrocitate, ſi ſummo Pontifici Cardinalis vim ſua manu attuliſſe diceretur, & vitæ diſcrimine retardatus interceptum inter venandum & à ſuis ſeparatũ necare deliberauit; & ab hac quoque cogitatione iiſdem de cauſis depulſus hominem veneno tollere deſtinauit. Erat tum recentibus experimentis celebris Baptiſta Vercellius chirurgus nobilis, qui Gorium negotiis Florentinæ Reip. præfectum morbo Neapolitano laborantem Florentiæ curabat: hunc per Cardinales familiares, ac Iulium Blãcium cubicularium Leoni commendarat Alphonſus, vt fiſtulam Leoni ima in ſede natam curaret. Verum interim dum hæc moliretur, ſupra commemoratæ querimoniæ in Pontificia aula diuulgatæ fuerunt. Itaque Alphonſus ita in Leonis indignationem incurrit, vt ſolum vertere, & in Latinum agrum ſecedere cogeretur, Antonio, qui illi erat ab epiſtolis, Romæ, vt quod ipſe animo cõceperat, perficeret, relicto. Interea rumor increbuit Rouereum cum exercitu Senas profecturum; id Alphonſi, Borgneſiique fratris eius conſilio fieri Leo interpretatus eſt, & quid Alphonſus moliretur, diligentius inquiſiuit. Interceptæ literæ fuerunt, quibus vitæ Leonis inſidias fieri ſignificabatur. Hinc Alphonſum Leo quaſi eundem, ac fratrem Borgneſium in priſtinũ ſtatum reſtituturus accerſiuit: dubitauit ille nec immerito, & legatum Hiſpanum, vt tuto Leonem adire liceret, interpretem adhibuit: teſſeram liberè Romam accedendi, Alphonſo miſit Leo, & legato Hiſpano ſe nihil in eius vitam machinaturum ſacroſancto iureiurando confirmauit. Ea fide accepta fretus Alphonſus quanquam ſibi malè conſcius repugnantibus amicis exilij tædio & ſpe fortunæ melioris adductus Romam ſe contulit, Leonémque adiit: comprehenſus in interioribus ædibus cum Saulio Cardinale in molem Hadriani concluditur. Prehenditur & Baptiſta Vercellinus, qui tum Florentiæ erat, & Romam deducitur: prehenditur item Pocoinceſta Tiberianenſis ſiue Baguacauallenſis quondam præſidij in Senenſi platea collocati ſub Pandolfo Petrucio patre, ac Borgneſio Alphonſi fratre præfectus, atque Antonius Ninus cum pleriſque epiſtolis arbitrariis notis ſcriptis, quas mox interpretari coactus eſt. Hi omnes Mario Peruſco rerum capitalium præfecto traditi fuerunt, legato Hiſpano multum conquerente, & Alphonſum omni ſtudio liberare cupiente: Leonem non ſibi ſolum, ſed & Regi Hiſpano fidem dediſſe, quam neglecto iureiurando impiè fallat. Cardinalium cauſas præſertim capitales à Cardinalibus duntaxat, non à rerum capitalium præfectis obſcuris hominibus, & Pontificiam maieſtatem magna ex parte adulãtibus diiudicari debere, vti non ita pridem Iulius Secũdus in frequenti Cardinalium conuentu ſanxit, iureiurandóque confirmauit. Leonem plus quàm par ſit ſibi permittere; ſi Cardinales, à quibus creatus ſit, quique eundem gradum tenere potuerunt, per miniſtros

Forum Sempronij captum atque direptum.

Alphonſus Petrucius Leonis vitæ inſidiari deprehenſus.

Detectus Roma cedit.

Alphonſus à Leone Romam reuocatur.

In Adriani molem conijcitur.

miniſtros ſuos ex animi libidine malè mulctare, vita etiam ſpoliare conetur, idque principes Chriſtianos toleraturos putat. Huic Leo reſpondit ſcelus in vitã ſummi Pontificis communis omnium parentis, quod verè parricidium dici poteſt, nulla teſſera tegi, & excuſari poſſe, niſi id disertè aſcribatur: præſertim ſi venenum interponitur, quod omnes diuinæ, atque humanæ leges præ omnibus cædis generibus pariter execrantur. Iulium, quas voluit, leges condidiſſe; ſibi quoque idem licere, maximè in re tam atroci, & propemodum hactenus inaudita.

Peruſcus de ſontibus peracerbam quæſtionem habuit, tormentíſque rem fateri coëgit. 49

Baptiſta Vercellius, Antonius Ninus & Tiberianēſis in partes diſſecti.

Baptiſta Vercellius, Antonius Ninus, Pocointeſta Tiberianenſis in partes diſſecti ſunt: Alphonſus in tormentis conſpirationis conſcios Raphaëlem Riarium, Soderinũ, Cornetanum, Saulium nominauit. Quæſtione habita acta proximo conuentu, quod illi conſiſtorium vocant, ad Senatum delata, Riarius ſellæ impoſitus, in molem Hadriani miſſus: is ſe conſpirationis conſcium fuiſſe pernegauit: cæterum Alphonſum ſæpius apud ſe de Leone queſtum, eidémque comminatum ea aliquando dixiſſe, quibus illum, ſi ſeſe daret occaſio, Leoni mortem oblaturum colligeret: ſed hominem natura leuem, & quadam deſperatione veluti mente motum, quæ verbis iactaret, re præſtaturum non ſperaſſe. Altero conuentu apud Cardinales recentis quæſtionis acerbitate attonitos Leo vehementer queſtus eſt, quod Senatores primos in eo collegio gradus conſequuti eum, quem tueri potiſſimũ debuiſſent, morte indigna mactare conſpiraſſent; vicem ſuam dolere in primis, cuius immenſa liberalitas, quo nomine à multis accuſetur, apud ingratos ſibi nihil proſit, nec immanes eorũ animos placare poſſit: ſupereſſe nonnullos huius conſpirationis vel ſocios, vel ſaltem conſcios, qui ſi ante dimiſſum hunc conuentum culpam fateantur, ſe mitius cum illis acturum. Dimiſſo conuentu nullum poſthac veniæ locum fore pronũtiauit: quibus auditis Hadrianus Cornetanus, ac Franciſcus Soderinus ad Leonis ſolium procumbentes eoſdem, quos cum Riario, Alphõſum ſermones ſecum habuiſſe profeſſi ſunt. Actis quæſtionis in eo conuentu prolatis Alphonſus Senenſis, ac Saulius Baudinellus Cardinalitio gradu deiecti & rerum capitaliũ præfecto redditi ſunt: nocte conſequente Alphonſus ſtrangulatus eſt. Saulius pœna commutata primum in perpetuam cuſtodiam datus; deinde cuſtodia eductus, ſed lento & tabifico veneno antequã educeretur propinato, vt quidam prodiderunt, Soderinus ac Cornetanus decem nummûm aureorum millibus ſinguli mulctati: ille Fundos Leone permittente ſeceſſit, nec ante Leonis mortem inde pedem mouit. Cornetanus ſuſpicioſus clam ſe ſubduxit: nec vſquam poſtea comparuit. Riarius tametſi Cardinalitia dignitate abdicatus, tamen centum nummûm aureorum millibus numeratis in priſtinum gradũ reſtitutus eſt, & Neapolim ſeceſſit, vbi poſtea è vita exceſſit. Alphonſum Senenſem iure fortaſſe ſtrangulatum quis dixerit: quamquam aliquid veteribus Pandolphi Petrucij Alphonſíque officiis condonandum fuit. Ea ipſa de cauſa mox vnum ac triginta nouos Cardinales eodem conuentu priſcis intercedere non audentibus creaſſe fertur. præterea quod ſe Cardinalibus omnibus odioſum eſſe agnoſceret, alios in damnatorum locum ſurrogare, alios aliis de cauſis addere in animum induxit: nam plerique primarij Senatores Cardinales reos quæſtioni, & iudicio præfecti rerũ capitalium committi haud debere proteſtati erant; & vt ſaltem duo ex Cardinalibus præficerentur, poſtularant. Alij mitiores ſententias dixerant: viros inſonteis, vt pecunia in ſumptus bellicos quæreretur, damnatos vulgo muſſitabant.

Alphonſus Cardinalitio gradu deiectus, & ſtrãgulatus.

Interim Bibiennam legatum Pontificiúmque exercitum Rouereus Fanum vſque perſequutus eſt: ad cuius exercitum vndique ſpe quæſtus milites confluebant: inde ad vaſtandum Picenum agrum conuerſus oppida quædam vi cepit; ab aliis, ne diriperentur, pecuniam accepit. Anconam Bibienna legatus præſidium miſerat: idcirco vrbem aggredi Rouereus non audebat, quod nulla maiora tormenta, rarum puluerem tormentarium, pilas non multas haberet: at Anconitani non quod de tuẽda vrbe deſperarent, ſed ne maturas iam ſegetes amitterent, numeratis octo nummûm aureorum millibus cum eodem conuenerunt. Deinde Anximum infeliciter aggreſſus eſt, Corinaltum infœlicius; circa quod duos & viginti dies fruſtra conſumpſit: quod tormentis maioribus, vt dixi, cæteríſque rebus ad oppugnationes neceſſariis careret. Hinc quod nullas ferè, quæ reſiſtere voluiſſent, vrbeis cepiſſet, multum de ſua exiſtimatione amiſit: nec obſeſſis Comes Potẽtianus Põtificij exercitus imperator Leone ita monente opem ferebat, vel quod inferior viribus eſſet, vel quod ſex Heluetiorum millia expectaret, quos Franciſco Rege poſt confirmatum fœdus ſuadẽte Leo acceſſiuerat: tametſi multas, aut veras, aut veriſimiles de Leone ſuſpiciones Galeatius Vicecomes ac M. Antonius Columna Franciſco mouebant: ille non ita pridem in patriam reſtitutus erat, hic Cæſarem parum gratum expertus ad Gallicũ ſtipendium tranſierat. Ambo Leonem totis viribus contendiſſe, vt Cæſarem Heluetióſque in Regem armaret, aſſerebant: & nuper clandeſtinã cum Cæſare, Hiſpano, Anglo, ſed pro ſuis duntaxat ditionibus tuendis, ſocietatem Leo coierat, 50

Rouereus Corinaltum nequicquam oppugnare aggreditur.

quod

Digitized by Google

quod illi per fœdus cum Franciſco initum licebat. Fauebat Leoni nihilominus Franciſcus, & vt hoc bello ſtatim defungeretur, optabat, ne neceſſitate adductus cõfugere ad ſupra commemoratos principes cogeretur, & ne Rouereanus exercitus, cuius robur in Hiſpanis Germaníſque conſiſtebat, tandẽ in Mediolanenſem agrum conuerteretur Cæſare ac Carolo Hiſpano inſtigãtibus nonnihil timebat. Quapropter alteros trecentos cataphractos equites Thoma Fuxio Leſcuto Lautrecij fratre duce Leoni obtulit: addebat propter tanti viri authoritatem, qui in Vaſconibus illuſtri familia ortus eſſet, & multum tam ipſe, quàm eius fratres apud populares ſuos poſſent, Vaſcones relicto Rouereo eius ſigna ſequuturos. Oblata auxilia Leo ſed admodum ſuſpenſus accepit, quod Vaſcones Lautrecio authore Rouereum ſequutos exiſtimaret. Nec hæ mutuæ ſuſpiciones inter Leonem ſolum ac Franciſcum, verum etiam inter Carolum Hiſpaniæ, Neapoliſque Regem vigebãt: qui poſtquam de Leſcuto, & Heluetiis rumorem ſpargi intellexit, Leonem ac Franciſcum iunctos regno Neapolitano iam imminere ſibi perſuaſit. Hæ Leoni multum profuerunt; quem vt ſecum ſociaret, vterque Rex mittendis auxiliis certabat: vbi autem ſuſpicio eſt, ibi nec fides certa, nec conſtans amicitia eſſe poteſt; vt verè dictum ſit, nullam regni ſociis fidem ineſſe.

51 At Rouereus Corinalto nequicquam oppugnato in agrum Vrbinatem rediit, vt tuto meſſis fieret, & ſi qua Piſauri intercipiendi, aut apertis armis capiendi ſpes ſeſe oſtenderet, occaſioni non deeſſet: tametſi Comes Potentianus cum ſuis copiis vrbem inierat, quanti in hoc bellum ea momenti eſſet haud ignarus. Hunc vt commeatu prohiberet, aliquot nauigia Rouereus armauit, & ne quid Piſaurum importaretur, obſeruare iuſſit. At Pontificij contra Arimini ſedecim partim myoparones partim alia eiuſdem fere generis nauigia armis militibúſque munierunt. Hæc claſſis (ſi ita paruorum nauigiorum multitudo non magna vocari debet) Feltrianam aggreſſa poſt acre certamen Prætoriam nauem demerſit, cæteras deinde non magno labore cepit. Hinc Feltrius, ſiue Rouereus (vtroque enim cognomine deſignari poteſt, alterum à matre, alterum à patre hæreditarium ſortitus) de Piſauro potiundo ſpem abiiciens inde caſtra mouit. Properabat interim Leſcutus cum Gallis equitibus ſed Heluetij, antequam domo pedem mouerent, veteres penſiones ſibi repræſentari volebant, nec vllis Pontificiorum legatorum pollicitationibus de ſententia dimoueri poterant. Itaque poſt aliquot dies in hanc diſceptationem fruſtra inſumptos Pontificij ſine publico decreto Heluetiorum duo, quatuor partim Germanorum partim Rhetorum millia conſcripſerunt, quos Gaſpar prætorianorum Leonis præfectus Ariminum adduxit, & in ſuburbiis, quæ ab vrbe eiuſdem nominis fluuius ſeparat, ſtationem habere iuſſit. Vrbem cum ſuburbiis coniungit pons marmoreus ſolus ex quatuor celeberrimis, quos Octauius Auguſtus via Flaminia extruxit, integer relictus; ſuburbia muro ſatis valido cingebantur. Rouereus nec opinanteis opprimere cupiens ſubter pontis fornices fluuiũ vado traiici facilè poſſe ratus, eo noctu milites immiſit, ſed fortè amne maris æſtu aucto vix pectoribus milites extabãt: graue tamẽ prælium commiſſum quo Gaſpar prætorianorũ præfectus cum multis è ſuis cecidit: ſed plures ex hoſtibus interierunt, atque in primis Valaſtichinus ac Vinea centuriones Hiſpani. Bozolus ſclopeti glande vulneratus eſt: nec Rouereus glande quoque in thoracem ictus extra periculum fuit, qui ſe rurſus in Hetruriam conuertit, & inter fana Stephani ac Sepulchri, atque Anglariam Florentinorum oppida caſtra poſuit: qua nequicquam longa oppugnatione tentata inde mouit, & ſub Apennino inter Burgum Tifernúmque conſtitit, in quas vrbeis magna præſidia intromiſſa erant, vix enim vbi tantum exercitum aleret, reperiebat, & quod iis, quæ ad oppugnandas vrbeis neceſſaria erant, carebat, iam de ſuis rebus deſperare cœperat. Nullum ſtipendium ab inope duce recipiebat miles: Rex Gallus atque Hiſpanus Leoni auxilia miſerant, magis etiam ſua authoritate Rouereo nocebant, prælij poteſtatem non faciebat hoſtis, cunctari, & diu ſuos nullo ſtipendio affectos ſimul continere non poterat.

Rouereana claſſis ſuperatur.

Pons marmoreus.

Prælium Ariminenſe.

52 Ad hæc Pontificius exercitus multum auctus erat, nec admodum diſſimili cura, rerúmque difficultate laborabat Leo, qui exhauſtis Romano Florentinóque ærariis, amicorúmque facultatibus ſuis quoque copiis, quæ neceſſaria erant, ſuppeditare vix poterat, & de Galliæ Hiſpaniæque Regum fide non minus, quam antea, dubitabat; præſertim, quo erga ſe Franciſcus animo eſſet, incertus, qui pecuniam recenti fœdere promiſſam tardius repræſentabat: & Leſcutus, qui de Leonis mandato in Flaminia ſubſtiterat, vt equitum partem mitteret, à Leone admonitus, equitatum diuidere recuſarat. His de cauſis inter Bibiennam legatum ac Rouereum, antequam vterque exercitus Apenninum ſuperaret, de pace actum erat: in quam Leſcutus atque Hugo Moncata Siciliæ Prorex Regum ſuorũ nomine ſedulo incumbebant: ſed ob duras, quas Rouereus proponebat, conditiones nihil huc vſque conuenerat. Poſtremò Hiſpani & ſuperioribus de cauſis & minis Hugonis Moncatæ prouocati, qui niſi è Rouerei caſtris diſcederent, de ipſis tanquam læſæ Maieſtatis reis ac conuictis Carolum Regem ſupplicium

Pacificatio inter Bibiennam legatũ ac Rouereum inſtitui cœpta, & quibus legibus.

plicium ſumpturum teſtatus erat, & quod eorum præfectos ingenti pecunia Leo corruperat, vt fœdus in has, quæ mox proferentur, conditiones iniretur, aſſenſerunt: eo quoque Leſcutus Vaſcones adegit, quibus Rouereus ab omnibus deſertus pariter aſſentiri coactus eſt: nempe vt Hiſpanis in quatuor menſium ſtipendium quinque & quadraginta, Vaſconibus ac Germanis ſexaginta nummûm aureorum millia Leo dependeret: illi verò intra octauum diem è Pontificiis ac Florentinis ditionibus, item ex agro Vrbinate diſcederent. Rouereus quicquid in eodem agro poſſideret, Leoni intra eundem diem poſſidendum relinqueret: omnia tormenta, omnem ſupellectilem, præſertim verò celebrem illam Bibliothecam, quam Federicus Rouerei maternus auus inter ſui temporis duces clariſſimus, & præter multas inſignes virtutes, quod bonas litteras, hominéſque litteratos amaret, merito laudatus, magna impenſa, paríque diligentia condiderat, ſecum auferret; & Mantuam liberè concederet: eundem, Vrbinates omneis, & quotquot in hoc bello ab aduerſa parte ſtetiſſent, Leo Chriſtianis ſacris reſtitueret. Hæc capita dum componuntur, ſcriptóque mandantur, vt Hiſpani Vrbinatem principatum Leoni relinquere dicerentur, Rouereus poſtulauit, ac vehementer inſtitit, id enim ſuo nomine fieri moleſtè ferebat, quod illi contra ſuam exiſtimationem eſſe præfati addere recuſarunt: qúmque inde acrior diſceptatio inſtituta eſſet, Rouereus, ne ab Hiſpanis Leoni captiuus traderetur, veritus ſe repente ſubduxit. Hiſpani ſexcenti fere equites, quatuor peditum millia, Vaſcones Germani promiſſa pecunia accepta abierunt; Italis nec quicquam promiſſum, nec exolutum eſt. Rouereus cum Federico Gonzaga Bozolo, ac centum equitibus ſexcentis peditibus Mantuam petiit, ſuam calamitatem hoſtis ac proditorum Hiſpanorum calamitate conſolaturus: intra vertentem namque annum Hiſpani fere omnes, qui in eius exercitu fuerant, à Moncata nauibus impoſiti ad Algerium naufragio perierunt; & aliquot poſt menſes Laurentius Medices è Gallia reuerſus, nec diu principatu Vrbinate lætatus è vita exceſſit.

Vrbinates Chriſtianis ſacris reſtitui poſcunt.

Laurentius Medices è vita excedit.

Hic Vmbrici belli exitus fuit victo quidem pernicioſi, victori autem omni ex parte ignominioſi: qui initio viribus longè ſuperior ducum ſuorum vel ignauia, vel malignitate, omneis bonas occaſiones amiſit: deinde hoſtibus in contemptum veniens ſuis, vt ad hoſteis deficerent, occaſionem dedit. Vnde Leo Pontifex aliena auxilia quaſi ſupplex petere, nouíſque ſeſe fœderibus aſtringere, poſtremo hoſtibus, & inter eos quidem illis, qui bello cauſam præbuiſſent, ſtipendium pendere coactus eſt: quum interim propter ſui exercitus contemptum, hoſtiliſque auctas vires, atque exiſtimationem, inimicis moliendarum inſidiarum anſam dediſſet, magnúmque vitæ diſcrimen adiiſſet. In hoc bellum quod octo menſibus durauit, octingenta nummûm aureorum millia Leo impendiſſe fertur. Vrbinates victor Laurentius, quod ſtudium ſuum erga Rouereum impenſius declaraſſent, niſi proſtratis prius ſuæ vrbis mœnibus in gratiam recipere noluit. Sub æſtatis finem Carolus Hiſpaniarum Rex de ſoluendis centum nummûm aureorum millibus Nouiodunenſi fœdere promiſſis ſemeſtrem à Franciſco dilationem petiit, atque impetrauit. Tum in Hiſpaniam traiecturus, vt regnorum ſuorum poſſeſſionem adiret, primum ad Britanniam Henricum Octauum ac Catharinam materteram Henrici vxorem inuiſurus iter flexit: quo antea Philippus eius pater in Hiſpaniam quoque nauigans ad Henricum Septimum huius patrem tempeſtate delatus erat: inde vela faciens in Hiſpaniam proſpera nauigatione tranſmiſit. Id temporis Veneti ſocietatem, quam cum Gallo pro tuendis inuicem ſuis ditionibus coierant, renouarunt, & in biennium produxerunt: quicum arctè coniuncti de cæterorum principum amicitia haud laborabant: ita vt necdum Leoni Romanis Pontificibus exhiberi ſolitum obſequium præſtitiſſent. Pridie Kalend. Nouembris Martinus Lutherus ad Albertum Brandeburgenſem Moguntinum pariter ac Magdeburgenſem Pontificem ſcripſit, & quinque ac nonaginta capitum, quæ Vinttembergæ aduerſus ſupra commemoratas indulgentias diſputanda promulgarat, deſcriptum exemplum miſit: quibus contraria Ioannes Tecelius Dominicinæ profeſſionis ſodalis apud Forum Francorum Brandeburgenſis ditionis oppidum edidit. Hoc initium perturbandæ Chriſtianæ religionis fuit, vnde tot Chriſtianorum cædes, tot bella conſequuta ſunt; necdum conquieſcunt, vt Chriſtianos mutuis cladibus fractos Turcis tandem in ſeruitutem obiectura videantur. Promulgandis in Germania ſuis indulgentiis Pontificem Moguntinum præfecerat Leo: is Tecelio, aliíſque aliquot eiuſdem profeſſionis ſodalibus ad populum concionari ſolitis id munus delegarat. Quæ res (vt tradunt) Ioannem Stampitium ſummum Auguſtinianorum præfectum virum doctum, atque eloquentem, ac Martinum Lutherum Vinttemburgenſem Theologum malè habuit, quod Pontificias haſce indulgentias antea promulgare conſueuerant: hinc diſputatio, & mox ex diſputatione diſſidium exortum; hoc ipſo anno Taroannam ab Anglo euerſam inſtaurauit Franciſcus, eique nothum Morullium Freſnoium præfecit.

Societas inter Gallos & Venetos inita, continuatur.

Lutheri hæreſeon initium.

53

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER DECIMVS-SEXTVS.

1 DECIMVSOCTAVVS huius ſæculi annus omnia fere inter Chriſtianos quieta promittebat, magna tamen interim bellorum ſeminaria ſpargebantur: quæ ſuſceptæ de religione diſputationes mox implacabilia pepererunt. At Selymus Turcarum Imperator, qui Tomombeium Campſonis ſucceſſorē, Mamaluchóſque perſequutus Memphi Sultanorum Regia (Alcairum vulgo appellant) anno ſuperiore capta, cæſóque Tomombeio ſibi Ægyptum Syriámque ſubiecerat, ac vectigalia ſua fere cōduplicarat, de quo, quod alij fuſius ſcripſerint, plura addenda non arbitror, merito omnibus Chriſtianis timori erat. Mamaluchi fortiſſimi equites Ægypto, ac magna Africæ parte, Syriæque occupatis trecentos circiter annos imperarant: acerrimi diſciplinæ militaris obſeruatores Imperatores (Sultanos illi vocabant) non generis nobilitate ſuperbos, ſed bellica virtute probatos ſibi deligebant. Sultani non Mamaluchorum liberos, verum emptos è Ponticis ſæpius, & ad Scythas vergentibus regionibus adoleſcenteis corporis robore, animíque vigore præſtantes ad Memphim ludo incluſos laniſtis omni armorum genere, præſertim verò equorum domandorum, in gyros flectendorum, atque in bella inſtruendorum peritia erudiendos tradebant: hi vbi bonæ indolis ſpecimen ediderant, in prætorianorum equitum, qui tum ad decem & octo millia cenſebantur, ordinem cooptabantur: ſi ignaui deprehendebantur, Mamaluchis in ſeruitutem tradebantur. Mamaluchi omnes è Chriſtianis parentibus nati aſſumebantur, ſed eiuratis prius Chriſtianis ſacris ad æquum reſcribendi Mahometanis initiabantur. Iudæi autem, ac Mahometani, idcircóque & Mamaluchorum liberi ad equeſtrem dignitatem haud admittebantur; ij tamen paternæ ſupellectilis, poſſeſſionúmq; hæredes erant. Mamaluchi ſinguli plures equos, plures quoque ſeruos, quemadmodū & Galli cataphracti in bellis comites habebant; quorum opera nonnunquam, peditibus nunquam niſi fortè auxiliariis vtebantur. Solis Mamaluchis in tyrannico Imperio armorum tractatio permittebatur: cæteris, quos ſeruorum loco habebant, interdicebatur: ij vel mercaturas faciebant, vel ruſticis operibus victum tolerabant. Et hæc quidem de Mamaluchis obiter dicta ſint: quibus ſuperatis Selymum alij in inſulam Rhodum firmum Chriſtianorum propugnaculum, alij in Pannoniam incolarum virtute olim Turcis formidabilem, tum Regis pupilli Pontificum principúmque inter ſe diſſidentium conſilia neceſſario ſequentis infirmitate facilè ſuperabilem, alij in Italiam, in quam Mahometes auus niſi morte præreptus fuiſſet, Hydrunte capto ſibi aditum pararat, vires ſuas conuerſurum putabant.

Anno 1518.

Mamaluchi.

2 Huius tyranni felicitate attonitus Leo Pontifex, aut certè ſe attonitum ſimulans, vti mirus ſimulationum, diſſimulationúmque artifex fuit, Deo Opt. Max. diuíſque ſupplicationes Romæ fieri decreuit; vbi nudis ipſe pedibus inceſſit, diuiníſque auxiliis imploratis ad humana ſe conuertit, & omnibus principibus Chriſtianis ſcripſit, vt poſitis diſcordiis, mutuiſque inter ſe bellis vno conſenſu ad ſacrum bellum pro communi ſalute ſe compararent; & quod ſibi diſcrimen impendeat, niſi Turcam in ſuo ſolo coniunctis viribus adoriantur, maturè expenderent; viros militares adhiberent, qui cognitis Tur-

Leo Principes omnes Christianos ad sacri belli expeditionem enixè hortatur.

carum prouinciis, ac viribus de genere belli, & quam quiſque princeps Chriſtianus prouinciam, quantis copiis ſibi inuadendam proponeret, viderent: ingentem pecuniam, qui belli neruus eſt, ab omnibus Chriſtianis nationibus erogandam: quæ in nullos prophanos vſus, ſed in ſacrum hoc duntaxat bellum impendatur; ne res præclarè ſuſceptæ in medio curſu inſiſtant, aut penitus retineãtur, atque reuocentur: id omneis principes in ſuis quemque ditionibus curare debere. Conſentaneum porrò eſſe, vt Cæſar cum Pannonico, Polonicóque equitatu cum Turcis præliari ſolito, & cum tot equitum, peditúmque Germanorum copiis, quot tantæ expeditioni neceſſariæ videntur, ſecundo Danubio in Miſiam, atque inde in Thraciam penetret, Conſtantinopolim Turcarum Imperatorum Regiã oppugnaturus: Gallus cum equitatu, ſuóque atque Heluetico peditatu, & cum Venetorum

Inuadendi cõmunis fidelium omnium hoſtis via, & rationes diſcutiuntur.

cæterorúmque Italiæ principum copiis Brunduſio in vicinã Epirum tranſmittat, vbi multi adhuc Chriſtiani ad rebellandum parati ſuperſint. Hiſpani, Luſitani, Angli coniunctis ad nouam Carthaginem claſſibus Gallipolitanum fretum petant, & quam terra Cæſar, Conſtantinopolim mari adoriantur: eundem curſum Leo Pontifex Ancona vela facturus cum centum triremibus ſe tenere velle profitebatur. Hæc poſtquam ſæpius cum principum Chriſtianorum legatis Leo communicaſſet, & de eorumdem principum egregia voluntate certior factus eſſet, quinquennales inducias inter ipſos in frequenti Cardinalium cœtu pronuntiauit, quotquot pronuntiatis non parerent, malis diris acerbiſſimè deuoturus; vtque tam pia expeditio accelerararetur, ad Cæſarem ſancti Sixti, ad Gallum Bibiennam, ad Hiſpanum Gilium, ad Anglum Laurentium Campegium Cardinales eius collegij primarios delegauit: quæ quamuis magna expectatione cœpta eſſent, induciæque ab omnibus principibus acceptæ, qui ſe mira verborum magnificentia ſacrum bellum ſuſcepturos prædicabant, tamen quod & longinquum, & quod nonnullis magis, quàm cæteris vſui eſſet, & quod haud facile tot principum voluntates ſibi conſentire poterant, metu paulatim decreſcente in ſpeciem potius, quàm ſerio mox pertractata, deinde omiſſa penitus fue-

Selymus Turcarum Imperator in Thracia moritur.

runt. Selymus enim enato non ita multò poſt in renibus vlcere tabe lenta per totum corpus ſerpente corpore ſimul & animo æger belli conſilia abiecit, & anno huius ſæculi viceſimo Septembri menſe annos ſex & triginta natus in Cinolio Thraciæ vico, vbi cum patre conflixerat, iuſtas ſuæ in patrem impietatis pœnas luiturus è vita exceſſit. Is natura immanis Achomatem, Corcutúmque fratres, fratríſque filios, ac cæteros Othomanici ſanguinis necari iuſſit: quinetiam & de Solymando vnico filio pariter necando aliquando cogitaſſe fertur; ne in ſe, quod in patrem Baiazetem ipſe patrarat, fortaſſe moliretur.

Selymi morbus diuturnus, & conſequuta mors, vt Chriſtiani principes ſacri belli 3
conſilia penitus abiicerent magna ex parte effecit. At Leo Pontifex ſua conſilia nullo modo omiſit: quin potius hoc ipſo anno magis, ac magis ſuam in delictis condonandis liberalitatem promulgauit: nouum etiam edictum quinto Idus Nouembr. per Caietanum Cardinalem Pontificium in Germania legatum Lincij, quod Auſtriæ ad Danubium oppidum eſt, typis mandari iuſſit; quo indulgentiæ (ſic enim vulgo appellantur) delictorúmque condonationes atque expiationes magis ſtabilirentur: eam eſſe doctrinam Romanæ Eccleſiæ cæterarum omnium magiſtræ ídque Pontifices quoſuis in ſuis prouinciis edere Decẽbri menſe imperauit, grauibus pœnis, ſi qui recuſarent, indictis. Lutherum vero eò perpulit, vt ab ipſo ad proximũ vniuerſi Chriſtianiſmi concilium prouocare cogeretur; ad quod paulò ante Pariſienſis ſchola, ſiue virorum litteratorum claſſis ob

Claudia Regina filium, poſtea Franciſcus nuncupatus naſcitur.

antiquatam pragmaticam ſanctionem prouocarat. Pridie Kalend. Martias hora ſexta pomeridiana, vt Galli numeramus, Claudia Regina filium peperit, quem poſtea de patris nomine Franciſcum nuncuparunt. Leonem Pontificem, quod magnam tum inter ſe amicitiam præ ſe ferebant, rogauit Franciſcus Rex, vt aliquem qui eius nomine infanti ſponſor eſſet, mitteret. Idcirco Laurentius Medices, qui Margaritam Comitis Bononienſis ac * * * Franciſci Borbonij Vindocinenſis, qui Carolo Neapoli redeunti ob-

Baptiſmalis ablutionis cerimonia, & apparatus.

uiam profectus Vercellis dyſenteria perierat, ſororis filiam ambiebat, curſoribus equis in Galliam properauit. Magno apparatu tinctus eſt puellus ſeptimo Kalend. Maias Laurentio Medice Vrbinate, atque Antonio Lotharingo regulo, item Mar-

Magdalenæ Bononienſis cũ Laurẽtio Medices nuptiæ celebrantur.

garita Franciſci ſorore Halenconij vxore pro infante ſpondentibus. Non multis poſt diebus Magdalenæ Bononienſis cum Laurentio nuptiæ pari ſumptu, luxúque celebratæ. Franciſco ſe totum dabat Laurentius, & ſe eandem in poſterum fortunam ſequuturum profitebatur: Hiſpanos recenteis hoſteis oderat, vnde in magna apud Franciſcum gratia fuit: cuius opera Franciſcus perpetuam ſibi cum Leone ætate florente,

& diu

& diu Pontificatu (vt veriſimile erat) fruituro amicitiam rei Mediolanenſi conſeruandæ, regnóque Neapolitano recuperando perutilem ſpondebat. Contra Laurentius Senenſibus, Lucenſibúſque Gallorum ope in ſuam poteſtatem redactis Hetruriæ regnum ſe aliquando conditurum ſperabat. Is diploma à Leone attulit, quo decimas Bononiæ promiſſas Franciſco percipere, pecuniámque in bellum Turcicũ erogatam Franciſco in ſuos vſus conuertere permittebatur, donec belli Turcis inferẽdi ſeſe occaſio opportunior offerret; vt tamẽ ex eadem quinquaginta nummûm aureorũ millia Laurentius perciperet, cauebatur.

Veneti inducias cum Cæſare pactas in quinquennium producunt.

4 Id fere temporis iam pactas cum Cæſare inducias Veneti in quinquennium Franciſco interprete produxerunt, ea conditione, vt ſingulis annis eidem viginti nummûm aureorum millia penderent. Cautum præterea erat, vt exulibus Cæſaris ſigna ſequutis quartam fructuum ex illorum prædiis perceptorum partem exoluerent; quæ ad quinque nummûm aureorum millia redire quotannis æſtimata erat. Pacem fortaſſe, ſi maiorem pecuniam ſuppeditaſſent, conſequuti fuiſſent: verum id non tam Franciſco ex vſu erat, vel vt magis eius amicitiam Veneti colerent, vel ne quid rerum nouarum Cæſar pecunia auctus moliretur. Tum quoque è vita exceſſit Franciſcus Halluinus Piennus Picardiæ adminiſtrator, in cuius locum Franciſcus Rex Carolum Borbonium Vindocinenſem regulum ſurrogauit, & Franciæ inſulæ adminiſtrationem, qua Carolus fungebatur Franciſco eius fratri Fani Paulini Comiti mandauit. Septembri menſe Boniuetus maris præfectus fœdus inter Franciſcum, Henricúmque Reges renouaturus in Angliam tranſmiſit; atque Henricum Grennichi, quæ Regia domus eſt ad Tamiſim fluuiũ tertio à Londino milliari extructa, offendit; & in Anglia vnum, ac dimidiatum menſem commoratus de matrimonio inter Franciſcum Delphinum, tametſi nondum annum impleuerat, ac Mariã vnicam Henrici filiam, quæ quadriennio maior natu erat, contrahendo, déque Tornaco reſtituendo ac renouanda ſocietate, ditionibus vtriuſque Regis inuicem tuendis egit; quibus Henricus facile aſſenſus eſt. Idcirco Chamberlanum vnum ex Anglicis proceribus, ac Fani Ioannis Hieroſolymitani apud Londinenſes præfectum viciſſim in Galliam miſit: quorum aduentu ſocietas inita, & magnis cum ceremoniis mox in vtraque aula promulgata eſt. Quadringenta nummûm aureorum millia pro Tornaco recipiendo Frãciſcus exoluere promiſit: ducenta in arcis ædificationem, atque in tormentorũ cæterarúmque rerum ad propugnationẽ comparatarum æſtimationẽ, quas Henricus relinquere tenebatur: ducenta pro penſionibus non perſolutis, & pro factis in bellum, quo Tornacum Henricus ceperat, impenſis. At quoniam pecunia in numerato nõ erat, quatuor viri nobiles, Franciſcus Mommorencius Rochapotius, Carolus Moius Mailleraius, Antonius Pratus, ſiue à Pratis (vt vulgo loquuntur) Mompeſatius, Carolus Solerius Moretanus, quatuor item nobiles adoleſcentes obſides dati, Hugueuilla, Mormarus, Melodunenſis, Grimaldus: quibus in Icium portum ſiue Caleſium deductis Tornacum Gaſpar Colignius Caſtilio Mareſchallus cum ducentis cataphractis equitibus eò profectus Anglis tradentibus recepit.

Societatis inter Gallum & Angliam auctore Boniueto renouatio procuratur; & in quã ſententiam confirmatur.

Tornacum vi eiuſdem ſocietatis Gallis reſtituitur.

5 Morte Franciſci Bernardini Vicecomitis Galeatius Vicecomes Gibellinæ factionis princeps fuit. Hunc Lautrecius, aliíque nonnulli Ioanni Iacobo Triuultio Guelfæ principi vel inuidentes, vel certis de cauſis ſubirati apud Franciſcum Regem in magna gratia ponebant, ac Triuultio opponebant. Occaſionem dederat Triuultius, qui ſe non ita pridem Heluetiorum ciuitate donari procurarat: quaſi Heluetiorũ ope niti, & neſcio quid aduerſus Regem moliri videretur; Venetis etiam magis, quàm Gallis, ſe dare ferebatur. Tum Veneti exercitus Theodorus Triuultius dux erat; quinetiam Renatus ex eadẽ familia nuper Venetæ militiæ aſcriptus: quódque magis hominem vrgebat, poſt Rauennatem pugnam Ioanni Cardinali Medici tum Pontificio legato, qui poſtea Leo Decimus dictus eſt, in Gallico exercitu captiuo elabendi facultatẽ dederat (vt ſuprà ſcripſimus) aliáſque occaſiones addiderat, ob quas Gallis non iniuria fortaſſe in ſuſpicionem venerat; ideóque & Regi, & iis qui apud Regem multum poterant, minus acceptus erat. Quæ diſſimulare homo natura elatus, difficilis, & qui nunquam in eodem ſtatu permanere didiciſſet, haud poterat, & palam de Rege querebatur; vnde in eius odium penè incurrerat. Purgandi tamen ſui ergo Lutetiam ad Regem acceſſit, & haud benignè exceptus, inter redeundum apud Chatras vicinum Letherico vicum affecta admodũ ætate è vita exceſſit: cui elogium eius mandato tumulo inſcriptum ſatis quadrabat: QVI NVNQVAM VIVVS QVIEVIT, HIC TANDEM MORTVVS QVIESCIT. Hoc quoque tempore Maximilianus Cæſar tertiũ & ſexageſimum vitæ annum, quem Mathematici Climactericùm, & pleriſque fatalem, vocant, ingreſſus, vt Imperatoriam dignitatem in ſua familia retineret, cum ſeptemuiris Imperatoris Germani deſignatoribus agebat, vt alterũ è nepotibus Romanorum Regem crearent.

Theodori Triuultij apud Chatras mors, & elogiũ inſigne.

is proximus ad Imperium, quemadmodum in Gallia Delphinus ad regnum capeſſendum
gradus eſt: itaque Imperatore vita functo neque nouis ſuffragiis, neque vt ratã habeant ſu-
periorem Regis Romani creationem opus eſt: ſed quandoquidem Romanorum Rex haud
creatur prius, quàm is qui iam ad Imperium vocatus eſt, Imperatoriam à Romano Ponti-
fice coronã acceperit, Leonem rogabat Cæſar, vt nouo exẽplo per legatos Cardinales ſibi
in Germania coronam Imperatoriã imponi iuberet: atque initio quidem Ferdinandũ natu
De creando Romanorum Rege diſceptatur.
minorem Regem Romanorum dici malebat, ad Auſtriacæ familiæ ſplendorem pertinere
exiſtimans, vt duo potius in magnis Imperiis, quam vnus dũtaxat verſaretur. Contra Gur-
cenſis, Sedunúſque Cardinales cæterique, qui Gallicam potentiam reformidabant, ne di-
uiſis Imperiis familiam ſuam imbecilliorem, infirmiorémque redderet, inſtabant; & Caro-
lum natu maiorẽ multis regnis, hæreditariíſque prouinciis potentem præferebant, vt Ger-
manicum Imperium multos iam annos in Auſtriaca familia continuatum in priſtinam di-
gnitatem reſtitueret, & ad antiquos fines reduceret. Vix aliquot iam ſæculis Imperatorum
nomen extra Germaniam auditum: hũc vnum eſſe, qui vt Carolum Magnum nomine re-
ferat, ita & Germanicum Imperium anguſtis admodum finibus reſtrictũ ad antiquos pro-
ducere, ac propagare poſſit. Octauianũ Auguſtum, multos præterea ſummos Imperatores,
ne Romanum Imperium diuelleretur, atque veluti in parteis ſcinderetur, quum liberis
maribus carerent, à ſuis familiis alienos adoptione ſucceſſores quæſiuiſſe, vt Imperato-
riam Majeſtatem eandem, quam acceperant, poſteris fruendam relinquerent. Ferdinan-
dum Tarraconenſem tametſi hunc Ferdinandum nepotem ſe nomine referentem quaſi
filium ſecum educarat, vnicéque amarat, tamen omnia regna de quorum nonnullis bello
partis teſtari potuiſſet ad Carolum, quem nunquam viderat, & quaſi pro alienigena habe-
bat, quemque ſibi minus obtemperantem extrema ſenectute expertus erat, tranſtuliſſe,
Tarraconenſéque adeo nomen ſibi hæreditarium, ac natura inditum perire potius, quod
mirum in primis fuit, quàm Hiſpaniam in multa regna, multóſque Reges diuidi maluiſſe:
eundem ſemper Cæſari ſuaſiſſe, vt Carolo Imperium, Ferdinando dignum Auſtriaca fa-
milia patrimonium relinqueret. Præterea ex vſu Chriſtianæ Reipub. eſſe in tanta Turcæ
Imperatoris nobis imminentis potentia vt vnus Chriſtianis omnibus, aut certè plurimis,
imperet, vt exæquata potentia tyrannum occupatis tot Chriſtianorum regnis, atque pro-
uinciis exturbare, aut ſaltem id quod ſupereſt conſeruare poſſit.

Hac oratione commotus, vt par erat, Maximilianus vt Carolus ſibi ſuccederet apud ſe- 6
ptemuiros Imperatorum deſignatores egit. At Franciſcus Rex tantam potentiam cæteris
Chriſtianis principibus, liberíſque ciuitatibus formidabilẽ vni Carolo quæri animaduer-
tens huiuſmodi ad Imperium deſignationem & apud Leonem Pontificem, & apud ſe-
ptemuiros Germanos, quoad poterat, interturbabat. Illi Italiæ ſeruitutem, iſtis Germanicæ
libertatis imminutionem prædicebat, in quas non ita multò poſt penè incurrerunt. Vene-
tos quoque eadem timenteis adiutores adhibebat: verum ſeptemuiri Germani de promiſ-
ſa pecunia fere certi ad Cæſarem & Carolum propendebant: Carolus enim ducenta iam
nummûm aureorum millia in Germaniam miſerat.

Anno 1519.
Maximiliani mors, & eius cauſa.
Interim dum hæc vtrimque pertractantur, antequam ſeptemuiri quicquam pronuntiaſ- 7
ſent annus decimusoctauus effluxit: pridie Idus Ianuarias anni ſequentis Maximilianus
incertæ efficientiæ pharmaco ad vitandum impendentem morbum, vt putabat, hauſto
Velſij, quod Norici agri ad Danubium oppidum eſt, Lincium vulgo appellant, è vita
migrauit, cuius mors longè difficiliorem Imperatoris deſignationem reddidit: eam enim
dignitatem non obſcurè Franciſcus Galliæ, ac Carolus Hiſpaniæ Reges ambiebant: ſed
ita ambiebant, vt in vtroque moderatio ſumma laudaretur: nullis enim contumeliis in-
uicem iactis, nulla belli comminatione vſi, ſed ſola ſua authoritate freti ſeptemuiros ad
Celebre Franciſci reſponſum Caroli legatis datũ.
ſe pertrahere tentabant. Celebratur & illud à Franciſco datum Caroli legatis reſponſum;
vtrique laudi eſſe eam ambire dignitatem, qua eorum maiores ſeſe illuſtriores reddi-
diſſent: neque idcirco eorum amicitiam debere diſſolui, non ſecus ac ſi duo ingenui ado-
leſcentes ſua induſtria, nullis malis artibus, machiníſve adhibitis eandem virginem am-
biant. Si prudentes ſunt, qui minùs placuit, ad arma confugere non debet: permittere po-
tius, vt qui felicior fuit, ſine inuidia ſua felicitate potiatur. Quandam veluti præro-
gatiuam ſibi vendicabat Carolus, quod maiores ſui Auſtriaci reguli Albertus Secundus,
Fridericus tertius eius frater, Maximilianus huius filius Germanicum Imperium con-
tinua ſucceſſione tenuiſſent. Eum porro ſeptemuirorum inoleuiſſe morem, vt Imperato-
rum filios, niſi minùs idonei videantur, in eodem gradu continuent, atque in parentum
locum ſurrogent. At in tota Germania, qui tantam molem ſuſtineat, ſecũ neminem confe-
rendum;

tendum: neque verò ſe adduci poſſe, vt ſeptemuiri ad alienigenas, præſertim ad Gallum Germanorum ſemper hoſtem, Germanicum Imperium transferant, ad Germanos nunquam fortaſſe rediturum: quod igitur auus Maximilianus cœperat, qui iam de donatiuo cum ſingulis ſeptemuiris conuenerat, id ſe facilè perfecturum ſperabat. Caroli negotium diligenter procurabat Erardus Marchianus Eburonenſis ſiue Leodienſis Pontifex Roberti Marchiani frater à Gallo abalienatus, quod Bituricenſem Pontificem Boierij quæſtoris Regij fratrem in Cardinalitij gradus petitione Franciſcus, aut potius Ludouica Sabaudiana eius mater ipſi prætuliſſent. Ludouicæ enim ad Leonem miſſæ litteræ deprehenſæ fuerunt, quibus illa quicquid Franciſcus ſcriberet, vt Bituricenſem Cardinalem crearet, Leonem rogabat. Et Bituricenſis quadraginta nummûm aureorum millia hoc nomine exoluiſſe ferebatur. Indignatus Leodienſis ad Carolum Hiſpaniarum Regem defecit, cuius apud Leonem commendatione ſtatim Cardinalis creatus eſt.

Erardus Marchianus Leodienſis Epiſcopus à Gallo abalienatus, quare.

7 Carolo in primis etiam fauebat Ludouicus Palatinus Comes; aliíque ex ſeptemuiris nonnulli ad eundem magis inclinabant. Franciſcus in Brandeburgenſi Marchione, qui ſe Albertum fratrem Moguntinum Pontificem in ſuam ſententiam adducturum pollicebatur, atque in Ricardo Treuirenſi magnam ſpem collocabat: ex cæteris aliquos ſe pecunia redempturum ſperabat. Brandeburgenſis Gallicas parteis initio tueri præ ſe ferebat: ſed mox, qua occaſione incertum, tametſi nonnullam fortaſſe pecuniam anteceperat ad Carolum tranſiit. Moguntinus qui primus ſententiam dixit, pertinaciſſimè ab Hiſpano, Treuirenſis, qui ſecundus ſententiam rogatus eſt, à Gallo ſtetit; nec fidem, vt Brandeburgenſis feſellit: quorum orationes contrarias quum plerique litteris mandarint, eaſdem huc inſerere ſuperuacaneum putaui. Legati interim Hiſpani Moguntiæ, Galli inter quos ſed ſeſe non prodens, quin potius nomen celans Boniuetus Amyralius fuit, Confluentij quod oppidum ad Rheni Moſæque confluentem ſitum eſt, ſubſtiterunt: ſeptemuirorum autem conuentus ad Forum Francorum de more celebratus fuit. Statim poſt Maximiliani mortem legatos Franciſcus ad Heluetios miſerat, eóſque vt ſe Imperij Germanici candidatum ſua commendatione, & apud Leonem Pontificē, & apud Germanos ſeptemuiros iuuarent, impenſè rogarat. Quot, quantáſque Chriſtianas prouincias paucis ante annis Turcæ Imperatores inuaſiſſent cuiuis perſpicuum eſſe: ad tam potentes, formidabiléſque hoſteis repellendos, amiſſaſque prouincias recuperandas Galliæ, Germaniæ, Italiæ coniunctione nihil eſſe opportunius: in quarum veluti meditullio Heluetij ſedem ſortiti ſunt: idcirco huiuſce coniunctionis authores ſe præſtare debeant, eius præcipuum fructum percepturi, hiſce tribus quaſi propugnaculis in tuto collocati: ſe, ſi eius ratio habeatur Imperatórque deſignetur, bellum Turcicum primo quoque tempore ſuſcepturum. Heluetij fœdere cum Gallis nuper inito ſe Romanum Pontificem, Imperiúmque excepiſſe reſponderunt: pertinere ad Imperij Maieſtatem, Germanicámque libertatem, vt ſeptemuiri Germani liberè, quem velint, Imperatorem deſignent; ſe nullis ſuis interpellationibus libera eorum ſuffragia interturbaturos. Heluetij neque Franciſcum vicinum, ac potentem Regem, cuius vires non ita dudum magno ſuo malo experti erant; neque Carolum, quod multas Auſtriacæ familiæ vrbeis occupaſſent, aliquem potius è Germanis principibus Imperatorem deligi volebant: quod ſi alterum è duobus deligi neceſſe eſſet, Carolum anteferri malebant, cuius regna, atque prouinciæ longis interuallis ſeparatæ, ab Hiſpaniis regnum Neapolitanum, à Belgio Auſtria, non eas vires, quas vnica Gallia, ſuppeditare poſſe videbantur. Ideo & ad Leonem, & ad ſingulos ſeptemuiros ſe Germanicam libertatem haud violaturos ſcripſerunt: nominatim ne Franciſcum Imperatorem deſignarent, ſuaſerunt, & quid ille ipſis ſcripſiſſet, quid item ipſi reſpondiſſent, addiderunt. De Carolo nullam mentionem fecerunt; Leoni priuatim denuntiarunt Gallum, ſi Imperator deligatur, ingentium in Germania bellorum authorem futurum, neque Italiæ auxilio venturum, neque quicquam aduerſus Turcas moturum.

8 Reſpondit Leo, quicquid præ ſe ferret, neutrum perinde atque Heluetij Imperatorem creari cupiens fœderibus inter Romanos Pontifices patronos Regéſque Neapolitanos clienteis olim factis caueri, ne Reges Neapolitani Germanicum Imperium ambiāt, neque vltro etiam delatum accipiant: admonuiſſe ſeptemuiros Germanos ne quid aduerſus Romanorum Pontificum iura, à quibus ipſi deſignandorum Imperatorum ius ac poteſtatem conſequuti ſint, ſibi ſtatuendum putent. Quod autem alium quendam principem ad ſummum illum dignitatis gradum extollendum ſuaſerit, huc ſe non priuata beneuolentia, ſed maturo iudicio adductum: quæ maximè ex vſu Reipubl. Chriſtianæ eſſent, ſuaſiſſe; quod eundem ſingulari ingenio, induſtria, animi magnitudine præſtantem omneis

Franciſcus adipiſcendi regni Romanorum magnam ſpem concipit.

ſuas vires, omneis ſuas opes ad communem ſalutem collaturum iudicarit. Hinc Franciſcus & ſua pecunia, & nonnullorum ſeptemuirorum amicitia, & parta Melegnanenſi prælio gloria fretus vrgente præſertim Turcici belli metu, quum nullum adhuc Carolus ſuæ virtutis ſpecimen dediſſet, bonam quoque ſpem conceperat: vt qui aliquid cupiunt, id ita vt cupiunt, euenturum ſibi facilè perſuadent: quoſdam è ſeptemuiris, aliquot præterea Germanos principes Imperium quaſi hæreditarium in eadem familia in qua tot regna, tótque hæreditariæ prouinciæ coiiſſent, tam diu continuari non facile toleraturos putabat: ne Imperij iura ab eorum pleriſque vſurpata Carolus repetere conaretur, à ſe non eundem metum proficiſci, cui nullæ in Germania cognationes, nullæ affinitates, nullæ vnquam poſſeſſiones fuiſſent. Et ex ſeptemuiris aliquos huiuſce dignitatis competitores fore ſperabat, qui ſi repulſam paterentur, eos ad alium quemuis potius quam ad Carolum ſuffragia ſua tranſlaturos exiſtimabat. Leonem etiam Pontificem tum propter ſocietatem, tum propter recentem affinitatem ſibi quaſi ſuffragatorem fore ſibi ſpondebat; cui ob regni Neapolitani viciniam, Romanóſque Gibellinæ factionis proceres Caroli potentiam formidoloſam eſſe iudicabat: nec ſuam ex æquo, qui idem regnum ſibi vendicaret, Leoni ſuſpectam eſſe reputabat. Itaque Leo qui, vt neuter Imperator crearetur, ad Pontificatus Romani, totiúſque Italiæ libertatem pertinere animaduertebat, in primis anxius erat, ſuam authoritatem apud Germanos ſeptemuiros non magni eſſe momenti videbat: itaque prudenter ſe gerere, ita vt neutrum offenderet, decreuit. Carolum vel quod eiuſdem nationis eſſet, vel quod, vt Romanorum Rex diceretur, Maximilianus fere cum ſeptemuiris conueniſſet, quaſi certo Imperatorem creatum iri ſibi perſuaſit, niſi eidem competitor, qui & aliunde iuuaretur, & gratia apud ſeptemuiros valeret, opponeretur. Id fieri non poſſe, niſi ad aliquem ex ipſis ſeptemuiris Franciſcus opes ſuas, facultatéſque conuerteret: quod illi in medio tantæ ambitionis ardore perſuaderi poſſe non putabat. Expectandum igitur dum is deſperare inciperet, tum id conſilium tanquam poſtremam conſolationem poſſe commodius adhiberi: Carolum ſi rem in ſummam contentionem venire intelliget, vni ex ſeptemuiris æquiore animo, quàm Gallo æmulo ceſſurum.

Franciſco multum initio ſe Leo fauere ſimulauit: quod vt is ſibi perſuaderet, Rober- 9
tum Vrſinum Rheginum Pontificem illi in primis acceptum legatum ad Forum Francorum miſit, vt & ſeparatim, & cum iis, qui rem Gallicam procurabant, Franciſco adeſſet. Admonuit nihilominus vt vehementius, aut cunctantius in eam ipſam incumberet, prout ſeptemuirorum animos affectos, réſque tandem ſucceſſuras præuideret; quæ à Leone callidè cogitata, conſultatáque vt ad exitum perducerentur, maiorem in Regiis legatis prudentiam, in Pontificio conſtantiorem fidem ac grauitatem requirebant. Vt autem maiorem & apud Leonem & apud ſeptemuiros Germanos gratiam iniret, magnámque de Turcico bello ſuſcipiendo ſpem daret, Petrum Nauarrum Franciſcus cum viginti triremibus, aliquótque aliis nauibus, in quas quatuor peditum millia impoſita erant, aduerſus Mauros Italicam maris Tyrrheni oram ſuis latrociniis infeſtantes, maréque adeo ipſum mercatoribus inuium reddenteis ire, &, ſi ita ferret occaſio, in Africam tranſire iuſſit. Tum ne Leo, qui in Imperij petitione Franciſci cauſam ſuſcepiſſe videbatur, claſſis Hiſpanicæ in regnum Neapolitanum profecturæ metu de ſtudio ſuo nonnihil remitteret; tamen inter mutuas haſce inter Franciſcum Carolúmque ſuſpiciones legati ab vtroque Arcturus Gousfierius Boëſius ſummus Regiæ familiæ magiſter, atque Antonius Croius, vt Gallici, aut Guilielmus, vt Flandrici hiſtorici tradūt, & Ariſcotiæ Marchionem Ciuriæque dynaſtam vocant, Carolū appellat Iouius, ſed falsò: Carolus enim tametſi ex eadem familia alius à Giuriano fuit, & Simæus à fundo eiuſdē nominis cognominatus eſt, atque ex duobus aurei velleris equitibus, qui pro Carolo Quinto Imperatore adhuc infante in tinctionis lauacro ſpoponderunt, prior nominatur, ad Agathopolim conuenerunt, de omnibus controuerſiis, quas inter ſe ambo Reges habebant diſceptaturi, & ſolidam pacem conciliaturi. Quod certè, vt viri pij, ac probi, atque inter ſe amici erant, præſtitiſſent, niſi Boëſium præpropera mors magno Chriſtianiſmi vniuerſi malo abſtuliſſet: qui enim Boëſio ſucceſſerunt, & multum apud Franciſcum potuerunt, in primis autem Guilielmus Gousfierius, quem vulgo Boniuetum à Boniueto arce, quam ſexto à Pictauia milliari magnificè exædificauit, vocabant, in fratris locum ſurrogatus longè aliam mentem induerunt. Nam Franciſcus natura iactantior, & laudis gloriæque auidior, ſed qui verum gloriæ iter non ſatis tenebat, ad bellum inclinabat; cuius ardorem Boëſius reſtinguebat. Boniuetus, qui vt antea frater maiora negotia fere ſolus procurabat aliique nonnulli adulatores accendebant: ſed non ita multò poſt iuſtas ſuæ

Nauarrus claſſe inſtructa Mauris occurrere à Prãciſco præcipitur.

Ciurianus regulus.

ſuæ temeritatis pœnas Boniuetus dedit. Gallici exercitus imperator turpiter in Inſubribus & cum ignominia, à Borbonio atque Hiſpanis repulſus: quam dum delere, aut culpam à ſe remouere tentat, bello inſtaurato ſe in mortem, herum autem Regem in captiuitatem præcipitem egit.

Boniueti temeritas vt caſtigata.

10 Conatus eſt & triennio poſt Ciurianus amicitiam inter duos hoſce principes conciliare in Vormatienſi conuentu; quantum incrementum Reſp. Christiana acciperet, ſi inter ſe concordes eſſent, verè auguratus. Sin ſe mutuis bellis affligerent, eiuſdem ruinam vaticinatus: quæ quum ex animi ſententia non ſuccederent, dolore confectus non ſolum ipſe, ſed & Guilielmus Croius eius ex fratre nepos Toletanus Pontifex ea ipſa de cauſa è vita exceſſiſſe traduntur. Hoc fere tempore Laurentius Medices, qui poſt ſuum ex Gallia reditum nunquam bene habuerat, quum paucis ante diebus Magdalena vxor è partu mortua fuiſſet, è vita migrauit: poſt cuius mortem Vrbinatem principatum, Senogalliam, Piſaurum Leo deintegro ad Romanum Pontificatum redire permiſit, & propter ſingulare eorum populorum erga Franciſcum Mariam Rouereum ſtudium Vrbini, aliarúmque aliquot vrbium, arciúmque muros ſolo æquari iuſſit. Fanum autem Leonis, Feltrium, Seſtinúmque agrum, qui Cæſenatis antea ditionis erat, Florentinis expenſæ in bellum Vmbricum pecuniæ quaſi pignus reliquit, aut potius facta ita æſtimatione vendidit, quæ illi æſtimationem iniquam exiſtimantes ægrè recipiebant: ſed iubenti repugnare non audebant. At Florentinæ Reip. adminiſtrationem vel exilij ſui memor, vel vt Mediceum nomen propagaret, vel vt Pontificias, Florentináſque vires, opéſque quoad viueret, coniunctas haberet, repudiato virorum prudentium conſilio Iulio Cardinali Medici Iuliani fratris filio notho credidit: qui quandoquidem legitimi nulli mares à Coſmo Medicei ſplendoris authore oriundi ſupereſſent, vt patriæ libertatem reſtitueret, conſulebant. Vt ad Imperatoria comitia redeamus, Boniuetus maris præfectus ac Robertus Rheginus Pontifex haud ſatis conſideratè in tantis negotiis procedentes, & Brandeburgenſis pollicitationibus decepti ſeptemuiris diu de deſignando Imperatore diſceptantibus Franciſco maiorem, quam par erat, ſpem oſtentabant: quapropter Leoni vt decreta ſibi ſuffragia, ſuáſque opes ad aliquem ex ſeptemuiris transferret, monenti haudquaquam paruit. Interea exercitus Caroli induſtria, atque impenſis quaſi, ne vis ſeptemuiris inferretur, prohibiturus (id enim prætendebat) non longè à Foro Francorum coiit: vnde perterritus Brandeburgenſis ſe de Imperio ad Gallos transferendo cogitare haud fateri auſus eſt. Germani, qui de Caroli deſignatione & coronatione ſcripſerunt, quinque ex ſeptemuiris in Carolum conſenſiſſe, Treuirenſem, quod inde malum Germaniæ impenderet, vaticinatum tandem tamen in eorum ſententiam tranſiiſſe prodiderunt. Alij Treuirenſem palam Brandeburgenſem Imperatorem dixiſſe, cui Brandeburgenſis ipſe ſit aſſenſus, cæteros quatuor dumtaxat à Carolo ſtetiſſe tradunt: ſed etſi diuiſis ſententiis tres à Franciſco, tres item à Carolo ſtetiſſent, Ludouicus Bohemiæ, Hungariæque Rex ſe Carolum Imperatorem, cuius ſororem Mariam in matrimonio habebat, deſignaturum promiſerat. Hinc Boniueti, Vrſiníque Pontificis imprudentiam animaduertere quiuis poteſt, qui ſpe prope explorata, ſed prorſus inani, Franciſcum alebant: quibus quodam modo oſcitantibus, nec quid in comitiis illis pertractaretur, verè, & in tempore Franciſcum admonentibus, Carolus quarto Kal. Iulias Imperator declaratus eſt.

Laurentius Mediceus è viuis tollitur.

Carolus in comitijs Imperator declaratur.

11 Primus autem Franciſcus ex Caputianis Gallorum Regibus Imperium Germanicum ambiiſſe videri poteſt: Caputianos autem Reges voco ab Hugone Capeto oriundos vulgarem loquendi morem ſequutus, quem quod Caputia, ſiue potius Capitia, quæ capitis tegumenta erant, adoleſcens à ſociis adoleſcentibus abſtracta ludibundus in eos ipſos, aut in alios conîiceret, Capetum, aut Caputium, ſiue Capitium, aut Caputianum, ſiue Capitinum dictum putant: quo regnante Bruno è Saxonum familia Othone Tertio eiuſdem familiæ Germanico Imperatore propinquo ſuo connitente Romanus Pontifex declaratus ac Gregorius Quintus vocatus eſt. Is conuentu Romæ habito altero vndecimi ſæculi anno Italis (vt tradunt) aſſentientibus Romanum Imperium apud Germanos perpetuum deinceps eſſe ſanxit: non hæreditarium, vt Carolo Magno, eiúſque poſteris conceſſum erat, ſed quod ſelecti Germani principes ei qui tantum munus ſuſtinere poſſet, vel ſuffragio, vel libera voce mandarent. Septemuiros autem Imperatorum deſignatores alij à Gregorio Pontifice, alij ab ipſo Othone Imperatore delectos putant. Hi ſunt Moguntinus Pontifex, qui cæteros ad deligendum Imperatorem conuocat, & primus ſuffragum fert ac ſententiam dicit: Colonienſis, qui Aquiſgrani in Regem Romanorum conſecrat: Treuirenſis, qui conſecrato manus ſuper caput imponit. Hi Germaniæ, Italiæ,

Imperium quãdo apud Germanos perpetuũ declaratum ſit.

Electorum S. Imperij officia breuiter recenſentur.

lix,

liæ, Galliæ Cancellarij aut (vt alij ſcribunt) Archicancellarij ſuæ quiſque prouinciæ dicuntur : quos ſecundi ordinis quatuor ſequuntur, Comes Palatinus quem alij Comitem Rheni appellant, ſummus palatij, ſiue Imperatoriæ aulæ magiſter, idcirco (vt videtur) Palatinus appellatus : vulgo etiam Dapiferum vocant, quod fercula ad Imperatoris menſam ferat. Is globum Imperatori offert admonens, vt vniuerſum terræ orbem Romano Imperio parere cogat : Brandeburgenſis Marchio Imperatorio cubiculo præpoſitus annulum in manum tradit; monarchiæ (vt illi tradunt) ſymbolum Dux Saxo enſem dat : Bohemiæ dux, qui poſtea Rex creatus eſt, coronam capiti imponit, qua Carolum Magnum olim coronatum ferunt : eam nonnulli argenteam, alij ferream fuiſſe putant: at qui de Caroli Quinti Imperatoris coronatione ſcripſerunt, eam ex puroputo auro eſſe tradiderunt. Bohemi præterea officium eſt, vt poculum Imperatori porrigat : ferream ſiue chalybeam Modoetiæ à Mediolanenſi Pontifice Cæſares accipere conſueuerunt, tametſi eam Bononiæ hic à Clemente Septimo uſmmo Pontifice anno huius ſæculi triceſimo accepit. poſtremus Romanus Imperatoriam coronam auream addit. Treis coronas tres vnctiones antecedunt : duas poſteriores Carolus Quintus Imperator Bononiæ à Clemente Septimo Romano Pontifice accepit : hæ namque ceremoniæ non vſquequaque ſemper obſeruantur; & eidem Carolo treis Pontifices Moguntinum, Colonienſem, Treuirenſem coronam Aquiſgrani impoſuiſſe conſtat.

Palatinus vnde ſic dictus.

Vt ad Germanicum Imperium redeam, id à Caroli Magni poſteris primum ad Saxones principes, qui tum in Germania potentes erant, tranſlatum eſt : nam Conradus Franconiæ dux paucis annis imperauit. Ad ſeptemuirorum Germanorum ſuffragia reuocatum Othone tertio rerum potiente fremebat Hugo Capetus, qui non ita pridem aduerſus Caroli Magni poſteros Galliarum regnum inuaſerat : at ſua conſeruare, quàm nondum ſatis pacato regno aliena appetere maluit. Hugonis poſteri vt id nunquam ambiuerunt, ita neque vti obnoxij agnouerunt : quemadmodum neque Hiſpania, neque Anglia, neque Belgium, neque aliæ aliquot inferioris Germaniæ prouinciæ Belgio proximæ quicquam cum illo commune habent. Sed & Heluetij Germanis viciniores non ſolum Germanico Imperio non parent, verum etiam nonnullas ciuitates, quæ ab illo defecerunt, in clientelam receperunt : vt ab Othone Tertio Germanicum Imperium iiſdem quibus Germania terminis concluſum videri poſſit, niſi quod is & nonnulli poſtea Imperatores in Italiam excurrerunt. At Carolus Quintus Imperatorum poſt Carolum Magnum potentiſſimus id fortaſſe in priſtinam dignitatem reſtituiſſet, niſi Franciſcum æmulum primum, deinde hoſtem fere ſemper expertus fuiſſet. Sed quoniam ij duo potentiſſimi principes implacabili odio inde concepto poſtea exarſerunt, & totum Chriſtianiſmum ſua pertinacia perturbarunt, vtriuſque naturam deſcribere non alienum erit. Franciſcus ſexennio & aliquot menſibus natu maior excelſa admodum ſtatura, ac quadrata fuit, tibiis tamen ad tantam corporis molem ſuſtentandam exilioribus, lata fronte, acribus oculis, naſo oblongo, & paulatim adunco, capillo, barbâque nigra, colore nihilominus prope lacteo, ac ſuaui : decora facies & Regiam maieſtatem, & coniunctam cum maieſtate humanitatem præ ſe ferebat. Corporis dotibus animi dotes reſpondebant: felix ingenium ad quiduis apprehendendum habile, ingens memoria, vernaculæ eloquentiæ facilitas ac mira vis : quas virtutes crebra cum viris doctis familiaritas, & curioſa de omnibus artibus non ſolum ingenuis, ſed & de iis, quæ magis ad opifices pertinent, in percunctando audiendóque ſedulitas plurimum ornabant, tantúmque temporis ſucceſſu profecit, vt totius fere naturæ gnarus videretur. Hinc viros doctos plurimi ſemper fecit, atque honoribus & dignis præmiis ornauit. quo rerum potiente in primis bonæ litteræ antea fere incognitæ in Gallia noſtra floruerunt : itaque magnam regni initio de ſe expectationem concitauit. At in præclaro ingenio duo vitia, alterum virtuti ſimilius, ingens gloriæ cupiditas; alterum ad bruta magis accedens, inſana ad fruendas voluptates libido, regnabant. Hinc ad omnem oſtentationem compoſitus, & de ſe nimis magnificè ſentiens aulicis adulatoribus plurimum ſe dedit : multa bella ſuſcepit, & auocante, aut potius rapiente libidine, bonamque Regiæ gazæ partem diſſipante infeliciter geſſit. Hinc plebem nouis pecuniarum indictionibus inconſultis tribus Galliarum ordinibus, vt olim moris fuit, vexare, veterem Galliæ libertatem imminuere, ſibi nimium multa permittere coactus eſt. Hinc ſe Gallos Reges ex ephœbis eduxiſſe, atque è tutorum poteſtate exemiſſe ſæpenumero iactabat : illi enim antea maiora negotia, & ad rem Galliarum publicam ſpectantia non niſi de principum conſanguineorum, ac duodecim patriciorum conſilio expedire, nihil à plebe, niſi ex trium ordinum conſenſu, exigere ſolebant.

Caroli V. Imperatoris & Franciſci Regis collatio.

ſolebant. Hic aliam viam ſequutus eſt, quam eius poſteri ingredi potius quàm Regum antiquorum veſtigiis inſiſtere maluerunt.

13 Carolus ſtatura quoque quadrata, ſed mediocri, capillo flauo, colore niueo, labro inferiore paulo latiore atque in mentum prominente, facie oblonga ac ſubtriſti, ſermone raro, geſtu moderato, non eam initio, quam mox præſtitit, de ſe expectationem dedit. Is vix dum pubes Guilielmo Croio Ciuriano tutore ita inſtituente gerendis negotiis aſſuetus, & publicis conſiliis adhibitus ac præclarè educatus prudentis potius quàm bellatoris principis indolem præ ſe tulit. Itaque primum non per ſe, ſed per legatos bella geſſit, ac demum duos & triginta natus annos aduerſus Solymanum Turcarum Imperatorem Viennam Auſtriacam circumſedentem prima militiæ ſuæ rudimenta edidit: quamquam antea feliciter per varios duces multa ac grauia bella confecerat;in primiſque Franciſcum Regem per Carolum Borbonium vltimum Boiorum regulum ſui exercitus imperatorem, qui Ludouica Sabaudiana Regis matre procurante patrimonio exutus ad Carolum defecit,ad Ticinum ceperat. Sed repulſo Solymano tantum militaris gloriæ guſtum hauſit, vt cætera fere bella per ſe geſſerit, poſt Carolum Magnum Germanicorum imperatorum potentiſſimus euaſerit; & niſi præclaros eius conatus Franciſcus interturbaſſet, collapſum Germanicum Imperium inſtaurare,Solymanum Turcam vel debellare,vel procul reprimere facilè potuerit. erat enim ingenio perſpicax, conſilio bonus, in bellis magnanimus, domi manſuetus ac facilis, in priuato ſumptu parcus, publicè non illiberalis, nullis voluptatibus addictus, vt omnia diligenter & belli munia, & conſilia obiret. Tot tantíſque virtutibus nonnihil obſtabat infirma fere ſemper valetudo, præſertim quum paulo ætate proceſſiſſet: in conſiliis pertinacia iudicij ſui nimium tenax,in conſeruandis propagandíſque ſuis ditionibus maior nonnunquam vtilitatis, quàm honeſtatis reſpectus: quod vitium illi cum Ferdinando Hiſpano materno auo, ſed & cum omnibus fere rerum potientibus commune fuit. Hunc cum Ludouico Galliarum Rege eius nominis Vndecimo non immerito conferre poſſumus: quem ſibi imitandum propoſuiſſe, idcircóque Philippum Comineum, qui vitam Ludouici perſcripſit, ſecum fere ſemper circumtuliſſe proditur: quem tamen facilitate (alter enim in multos crudelis fuit) & rerum geſtarum gloria longè ſuperauit. Ad Caroli vltimi Burgundiæ reguli magnificentiam, militaríſque gloriæ ambitionem, atque oſtentationem Franciſcus magis accedebat: ſed id vnum Burgundio ſibi proponens nullum voluptati locum dabat; Franciſcus voluptatibus immerſus, vix aliquando ad bellicam laudem ſuſpicere poterat. Cum Antonio igitur triumuiro,aut Demetrio Antigoni filio potius conferatur: quamquam & hi in bellicis muneribus exequendis diligentiores,acrioréſque traduntur.

Caroli V. inſignes virtutes attinguntur.

14 Caroli Imperatoris deſignati fama diuulgata multum, præſertim apud Italos, de Franciſci authoritate deceſſit, pleræque inter eos bellorum cauſæ intercedebant. Neapolitanum regnum ſibi vendicabat Franciſcus, & præter ius, quemadmodum & Nauarricum à Carolo poſſideri indignabatur: iam enim Alebreti in integrum reſtituendi ſpem abiecerat, ſéque ſpecioſis promiſſis eluſum videbat. Centum nummûm aureorum millia Nouiodunenſi fœdere promiſſa quotannis ægrè Carolus dependebat, ſéque eo, vt Hiſpanicorum regnorum poſſeſſionem adiret, quadam neceſſitate adductum querebatur. Accedebat Geldubenſis, ſiue Sycambrorum regulus à Ludouico Duodecimo, deinde à Franſcico in clientelam receptus Flandricarum prouinciarum ex profeſſo hoſtis, qui occaſionem bello vnus præbiturus videbatur: in primis autem Caroli animum augebat Burgundia maior à Ludouico Vndecimo poſt Caroli Burgundi mortem occupata: pecunia magis abundabat Franciſcus: quantam enim concupierat, & quoties viſum erat, extorquebat Galliarum noſtrarum principibus Caroli Borbonij exemplo deterritis mutire non auſis, populo ſine duce nihil moliri,quiduis potius perpeti coacto. Hiſpani, Burgundicæque prouinciæ, libertatem adhuc ſuam ſtrenuè retinebant: pedite Germano, Hiſpanóque Carolus præſtabat: quum fere exæquata potentia eſſet, neuter alterum aggredi, niſi pertractis prius in ſuas parteis vicinis principibus audebat: præſertim, ſi in Italia bellum gerendum erat, conciliandum ſibi vterque Leonem Pontificem exiſtimabat: qui tametſi vt Carolus Rex Neapolitanus Imperium Germanicum oblatum acciperet, præter clientelæ formam, legémque permiſerat, tamen non tam beneuolentia, quam ſi recuſaret, ne in eius odium implacabile incurreret,permiſerat, & ſuo more tectus ac ſimulator vtrumque bene ſperare de ſe iubebat, cui ſe adiungeret adhuc fortaſſe incertus. Sub huius anni finem de Ferraria ex inſidiis capienda (vi enim expugnare perdifficile erat) Alexandri Fregoſij Vintimelienſis Pontificis, cuius pater Cardinalis Genuæ dux fuerat, opera

Diſſenſionum inter Caroli & Franciſci ſemina.

opera vſurus Leo conſilium cepit. Bononiæ commorabatur Vintimelienſis Octauiano Genuenſi regulo gentili ſuo ſuſpectus: idcirco acceptis à Leone decem nummûm aureorum millibus bis mille pedites, quaſi patriam repetiturus conſcripſit, aduerſus quem Octauianus mari claſſem, terra cohortes aliquot inſtruxit. Hinc quaſi ſua ſpe fraudatus Concordiam versùs iter inſtituit: vbi Apenninum tranſmiſit, Mantuanus ſuo more, vbi copias aliquas appropinquare audiebat, ſcaphas omneis quæ ad Padi, Seriæque confluentem erant, Mantuam deduci iubet. Dum alias parat Vintimelienſis, quid animo agitaret nonnullis aperuit: hi ad Mantuanum, quid intellexiſſent, detulerunt. Mantuanus Alphonſum Ferrarienſem ex longo morbo nondum ſatis validum certiorem reddidit: cui vix ille fidem adhibuiſſet, niſi murum, qua Ferrariam Padus alluit, ad quadraginta vlnas humi proſtratum animaduertiſſet: cui reficiendo operas quam plurimas adhibuit, militéſque conſcripſit: nullos enim paratos habebat, & ciues grauibus pecuniarum indictionibus vexati hoſteis fortaſſe non inuiti excepiſſent. Ita Vintimelienſis, quod bene cœperat, & pene ad exitum perduxerat, ſua leuitate corrupit ac re infecta diſceſſit.

Anno 1520.

Sequitur annus huius ſæculi viceſimus quo pax inter Chriſtianos iiſdem quas ſu- 15
pra commemoraui rationibus continuabatur. Sed aliud interim belli genus, quod totum Chriſtianiſmum in mutuas cædes prouocaret, in dies magis ac magis vires capiebat: Leo delictorum expiationem, ac ſuppliciorum, quæ poſt hanc vitam in purgatorio igne ſubeuntur, liberationem promittens, eas de quibus ſupra memini, indulgentias paſſim edi iuſſerat. Tanta autem Pontificiorum miniſtrorum impudentia erat, vt harum obeundarum munus palam nundinarentur inter ſe, & nonnunquam parum ſobrij præſertim in Germania in diuerſoriis aut alea, aut alio ludi genere ad alios transferrent. Acceſſit quod pecuniam, quæ inde in aliquot Germaniæ regionibus corradebatur, Leo Magdalenæ ſorori condonare diceretur. Martinus Lutherus amplum ad oſtentandam vernaculam eloquentiam, qua plurimum pollebat, campum nactus, ac Federici Saxonis reguli potentia nixus haſce indulgentias primum conuellere, deinde Romani Pontificis authoritatem expendere, tum vero damnata aliquot conciliis Bohemorum placita renouare tentauit, atque ex ſuo permulta addidit, quod quidem annis ſuperioribus conatus erat: ſed tum Colonienſium, Louanienſiúmque Theologorum ſententiis damnatus, & Leonis decreto, vt à docendi, concionandíque munere abſtineret, ſéque Romam ſiſteret, iuſſus longè acrior in id incumbebat, & librum de captiuitate Babylonica Romani Pontificis ſuperbam, intolerandámque dominationem ſignificans ſcripſerat: poſtremo à Leone ad vniuerſi Chriſtianiſmi concilium decimoquinto Kalend. Decembris deintegro prouocauit. Huius anni initio miſſis vltro citróque multis legationibus Guilielmi Gousfierij, Boniueti præfecti maris, ac Cardinalis Eboracenſis Angli opera in menſem Maium inter Arderas Belgicum oppidum, Guinenſémque arcem colloquium Franciſci Galliæ atque Henrici Octaui Angliæ Regis indictum: erant ambo & ætatis flore, & corporum proceritate ac pulchritudine; & vt verè dicam, animorum vanitate pares, qui oſtentandi ſui ergo ingenteis impenſas fecerunt, & nullum fere inde operæpretium reportarunt: neque enim firmam inter ſe amicitiam inierunt. Nam Anglus, & erga Carolum, cuius materteram vxorem habebat, affinitate, & aduerſus Franciſcum inuidia diſtractus ita ſe neutrum præſtitit, vt ad Carolum longè magis inclinarit; & ſibi nimiùm arrogans omnium inter vtrumque controuerſiarum arbitrium ſibi vendicare conatus eſt, eius qui arbitrio ſuo non ſtaret ſe hoſtem declaraturum profeſſus. Quod ſi cæteram vtriuſque vitam ſpectes, populares ſuos vterque nouis ingentium tributorum indictionibus vehementer afflixit: potentes regulos, ne afflictis, & ad rebellandum paratis populis ſe duces præberent, vel oblata ex induſtria occaſione, vel falſis criminibus obiectis exilio ſalutem quærere coëgit, aut capite mulctauit. Vterque regnum exhauſtum moriens reliquit; Anglus quidem ab antiqua Chriſtianæ perſuaſionis ſinceritate diſceſſit: Franciſcus tametſi hic conſtans fuit, at cum Solymano Turcarum Imperatore ſæpius conſilia ſua communicauit, atque inde multis Chriſtianis magna detrimenta attulit.

Galli, atque Angli Regũ colloquium.

Vt ad colloquium redeam, maiores in hoc, quàm in coronationem Aquiſgranenſem 16
Cæſar, ſumptus Franciſcus fecit; nec prudenter, quo cum hoſte mox res ſibi futura eſſet, animaduertit. Igitur ambo equis Hiſpanicis inſidentes, & magna procerum ſuorum ac virorum nobilium multitudine comitati mutuo ſibi obuiam prodierunt, & ex equis deſcendentes in papilionem medio itinere erectum ingreſſi ſunt. Franciſcum Boniuetus Amyralius ac Pratus Cancellarius, Henricum Cardinalis Eboracenſis ac Northfolcius &

Susfolcius

Susfolcius reguli, paucíque vtriuſque conſiliarij duntaxat ſequuti ſunt. Vbi aliquamdiu colloquuti negotia ſua in poſterum, iis, quibus potiſſimum fidebant, pertractanda reliquerunt, ſe ad ludicra equeſtria, pedeſtriáque certamina exercenda contulerunt: nam & nobiles matronæ, virginéſque aulicæ, quibus neuter facilè carebat, ad eum conuentum vtriuſque Regis magnificentiam ſpectaturæ è Gallia acceſſerant, & aliquot ibi dies egerunt. Quadratam ligneam domum quatuor diuerſis in vno quoque latere ſed ſibi iunctis ædificiis diſtinctam ac mirè pictam quaſi è quadrato lapide ſtructa eſſet, & magnificentiſſimis aulæis ornatam ex Anglia Henricus aſportarat; vbi Franciſcum Regio luxu excepit. Papilionem quadratum ſexaginta pedes longum, latúmque è panno aureo textili extra, intus è cæruleo holoſerico, in cuius quatuor angulis quatuor minores aliquanto eiuſdem ſumptus papiliones viſebantur, Franciſcus erexerat: quorum funiculi ex filo aureo Cyprio intexti erant, vbi Henricum poſtridie excipere deſtinarat. At fortuna, ſiue diuina prouidentia tantum luxum, tantámque prodigalitatem execrata horribilem tempeſtatem tanto impetu immiſit, vt ruptis funibus ac perticis, paliſque euerſis quinque aureos illos papiliones diſiecerit, humi proſtrarit ac fœdè inquinarit. Itaque ad Arderas conuiuium parare Franciſcus coactus eſt, eo loco vbi poſtea extructum propugnaculum eſt, quod vulgo conuiuij vocatur. Tantus autem non ſolum Regum, ſed & eorum, qui Reges comitabantur, luxus fuit, vt vulgo eum conuentum caſtra aurea appellarint, quod bona pars eorum, qui illuc conuenerant, auro textili veſtiretur. At longè aliud Ludouici Galliarum Regis huius nominis Vndecimi cum Eduardo itidem Anglo, longè aliud eiuſdem Regis cum Caſtulonenſi Rege colloquium fuit: tametſi Caſtulonenſis, atque eius comites, ſed pauci ad ſummam oſtentationem veſtiti erant, de quibus libris ſuperioribus ſcripſimus.

Eorundem magnificentia atque luxus.

17 Longè alia huius Franciſci cum Carolo Quinto Imperatore, de quibus poſtea ſcribemus, colloquia fuerunt: iſtam enim vanitatem meritò Carolus natura modeſtiſſimus illuſiſſet, quanquam ea ſplendori Regio ſatisfecerunt. Celebratis conuiuiis Franciſcus Bononiam, Caleſium Henricus ſe recepit, vbi Cæſarem Cantium appulſum certior factus eſt, ad quem excipiendum ſtatim in Angliam nauigauit, & rebus cum illo compoſitis Caleſium rediit, Cæſar in Belgium tranſmiſit. Caleſio profectus Henricus Grauelinas eandem cum Franciſco amicitiam præ ſe ferens acceſſit: vbi tamen non obſcurum immutatæ voluntatis argumentum dedit: ſi quæ enim inter Cæſarem, Franciſcúmque controuerſiæ mox oborirentur, vt arbiter ab vtroque ſtatueretur, & ſi alteruter arbitrio eius non ſtaret, vt, ſi ita videretur, eiuſdem ſe hoſtem profiteretur, obtinuit; quæ recentibus pactis cum Franciſco initis apertè repugnabant. At Cæſar non inanibus, & nihil profuturis conuiuiis, aut ludicris certaminibus operam dabat: ſed vt primam Imperatoriam coronam acciperet, ſe magnis rebus gerendis dignum præſtans ex Hiſpania ſoluerat, quem tamen Hiſpanici tumultus nonnihil perturbarunt. Cæſarem ad Imperium vocatum Hiſpani non æquo animo ferebant, quod eius abſentiam ſibi multis de cauſis pernicioſam fore putabant. Qui Hiſpanis præerant Belgæ, in primis autem Ciurianus, auarè admodum ſe gerebant: magiſtratus, qui Hiſpanis antea condonari ſolebant, alienigenis pretio addicebant, nulla priuilegia, niſi numerata pecunia confirmabant: quicquid expediebant, venale habebant: vnde ingens Hiſpanorum aduerſus Belgas odium ita exarſerat, vt iam tumultus initia tum, quum Carolus inde ſolueret, audirentur. Poſt eius diſceſſum omnes ſimul populi ad arma concurrerunt, & adminiſtrandi regni formam ex vniuerſi populi conſilio inſtituere conati ſunt: quam ſuo loquendi more SANCTAM CONIVNCTIONEM ſiue ſocietatem vocarunt; neque ſe aduerſus Carolum Regem, ſed aduerſus eius præfectos ſui quæſtus nimis ſtudioſos ſe rebellare teſtati ſunt, aduerſus quos præfecti Regij copias ſuas inſtruxerunt, réſque apertè ad ciuile bellum deducta erat: qua occaſione ſi Franciſcus opportunè vſus fuiſſet, aut Hiſpaniarum partem in ſuam poteſtatem redegiſſet, aut ſaltem regnum Nauarricum præter omne ius à Ferdinando Caroli materno auo occupatum Germano Regi Henrico Alebreto Ioannis non ita dudum vita functi filio reſtituere facile potuiſſet; quod quidem poſtea, verùm infeliciter, tentauit. Nam Melegnanenſi victoria elatus & ſibi nimium arrogans, Carolum autem præ ſe pro nihilo ducens muliebribus amoribus operam dabat, & inani ſpe magna omnia ſibi promittebat: quanquam de eius exiſtimatione præſertim in Germania multum deceſſerat: vel quod in Imperij petitione repulſam paſſus fuiſſet, vel quod Vuittembergenſem regulum, qui ſe eius ope fretus à Sueuica ſocietate ſubduxerat, Vuittembergenſes hoc nomine expulerant, eiúſque Ducatum Carolo vendiderant, ea de cauſa in Caroli clientelam

accepti : regulus patrimonio ſpoliatus ad Caroli clementiam confugere, & quas dediſſet Carolus, leges ſubire coactus fuiſſet ; nec tamen idcirco in integrum reſtitutus fuiſſet. 18

Carolus tametſi bello ciuili Hiſpanico anxius erat tamen ſe diligenter ad accipiendam coronam Imperatoriam comparabat, tum vt verè Cæſar diceretur, tum vt erga Germanos principes & ſibi, & inter ſe mutua beneuolentia conciliatos ſe non ingratum, nec delato munere indignum declararet. Ea decimo Kal. Nouembr. Aquiſgrani ſplendido, non tamen nimis ſuperbo apparatu donatus eſt, quum menſe ſuperiore Solymanus Selymo patri in Turcarum Imperio ſucceſſiſſet : de quo quum multi, iique Germani, quorum nonnulli eidem interfuerunt, copioſè ſcripſerint, plura addere ſuperuacaneum putaui. Haud plures dies ibi commoratus, quod vrbem etiam tum peſtis infeſtaret, Coloniam Agrippinam ſub huius menſis finem profectus eſt : vbi & omnium Imperij ordinum conuentum in diem octauum Idus Ianuarij Vormatiam (Vangiones antiqui Latini vocabant) indixit, & Martini Lutheri libros tanquam à recepta Chriſtiana perſuaſione veterúmque conciliorum traditione, ac Theologorum priſcorum ſcriptis alienos publicè incendi iuſſit. Per legatos & apud Cæſarem, & apud Federicum Saxonem, vt incenderentur, agebat Leo Pontifex, vtque Lutherus vel capite plecteretur, vel ad ſe tanquam ad ſummum Iudicem perduceretur. Hieronymum præterea Aleandrum qui Lutetiæ antea Hebraicæ linguæ profeſſor fuerat, Marinúmque Carracciolum Italos Cardinales ad Saxonem ſummiſerat : & Aleander ſibi, Eccióque Theologo cauſæ Lutherianæ cognitionẽ à Leone mandatam prædicabat. Cur autem Carolus alioqui prudens Imperator Lutheri libros præcipitantiùs incendi iuſſerit, nec Vormatienſis conuentus iudicium expectarit, eam cauſam fuiſſe putant, nempe, vt Leonem ſibi demereretur, & à Franciſci amicitia diuelleret. Eoſdem libros eodem fere tempore incendendos curarant Aleander, ac Caracciolus : at Lutherus audax facinus aggreſſus iuris Pontificij libros, illúdque in ſe Leonis decretum paſſim in Germania diuulgatum Vuittembergæ quarto Idus Decembris publicè incendi iuſſit : ex quibus locos aliquot, iis quæ ſacris libris traduntur, repugnanteis protulit, & pernicioſos libros ex noui inſtrumenti traditione cremari debere confirmauit. Qua in re Cæſarem etiam homo temerarius perſtrinxit, & ſibi eandem cum Leone, & quaſi exæquatam authoritatem arrogauit.

Solymanus Turcarũ Imperator.

Vormatienſis conuentus. Lutheri libri publicè Cæſaris iuſſu cremantur.

Interim inter Ioannem Paulum Baleonum, Gentilémque eiuſdem familiæ diſcordia quædam interceſſit : quod ſibi Peruſiæ omnem authoritatem Ioannes Paulus vendicare conabatur, idcircóque Gentilem vrbe expulerat. Hanc occaſionem repente arripuit Leo vltionis cupidus, & vt Ioannes Paulus ſe Romam cauſam dicturus ſiſteret, iuſſit. Is Malateſtam filium miſit, qui patrem iuſtis de cauſis Gentilem propinquum expuliſſe, & Leoni obtemperaturum doceret. Vt Paulus ipſe accederet, & ſe coram purgaret, inſtitit Leo : ille per amicos Leonis animum tentans, vt tuto ſibi Romam ire liceret, procurauit : verbo promiſit Leo, & quidem prolixè, ſcripto nihil mandauit. Ioannes Paulus tametſi admodum anxius, tamen amicorum, in primis autem Camilli Vrſini generi hortatu perpulſus ad Leonem adire ſtatuit. Appulſum Romam cuſtodiæ Leo tradidit, & in Adriani molem concluſit : cauſam è vinculis dicere coegit, & in acerrimas quæſtiones datum capite mulctauit. Bello Vmbrico Ioannem Paulum cum Franciſco Maria Rouereo conſilia ſua communicaſſe, & à ſe alienum tum fuiſſe, atque in poſterum fore Leo in animum ſuum induxerat, idcirco hominem, qui pro eo, eiúſque familia ſæpius propugnarat, è medio tollere conſtituit ; & Ioannis Pauli perfidia aduerſus Gallos longè ante euidentibus argumentis notata erat, de qua libro nono ſcripſimus. Peruſiæ adminiſtrationem Syluio Cortonenſi Cardinali attribuit : Gentili Ioannis Pauli bona addixit : Pauli enim liberi patrem in cuſtodiam datum intelligentes aufugerant. 19

Ioãnes Paulus Baleonus Leone X. iubente capite plectitur.

Sub huius anni finem Hiſpani pedites circiter ter mille, qui aliquot menſes in Sicilia remanſerant, in Hiſpaniam redire iuſſi Caroli Imperatoris mandato parere recuſarunt, ac Rhegium tranſmittentes, atque inde ad Pontificias ditiones contendentes omniáque, quoquò tranſirent, in prædam vertentes Leonem, eorum quæ non ita dudum Franciſcus Maria Rouereus deſignaſſet, memorem vehementer perturbarunt. Verebatur Leo ne eidem Rouereo, ac Ioannis Pauli Baleoni liberis, cæteriſque ſuis hoſtibus iuncti, aut à nonnullis principibus concitati bello difficiliori cauſam præberent, & Romani Pontificatus, Florentinæúe Reip. ſtatum labefactarent : præſertim quod honeſtas à Neapolitano Prorege oblatas conditiones reiecerant, atque inde audaciores per Appuliam ad Truentum fluuium properabant : ad quos inter eundum plerique alij pedites, equitéſque confluebant. Traiecto Truento Picenum agrum ingreſſi tandem ad Ripatranſonum caſtra metati 20

Ter mille Hiſpani pedites Carolo Imperatori rebelles.

Digitized by Google

metati ſunt, oppidúmque magno impetu aggreſſi multos è ſuis amiſerunt: vnde viribus inferiores, animiſque fracti prius oblatis longè deteriores conditiones acceperunt. Sic tumultus repente exortus repente ſublatus euanuit.

21 Annus huius ſæculi viceſimus primus funeſtis inter Carolum Imperatorem ac Franciſcum Regem bellis initium dedit, Carolus enim ac Franciſcus eadem fere potentia nixi, quanquam nonnullæ inter eos bellorum cauſæ ſuberant, tamen ſuas vires inuicem metientes in apertum bellum erumpere ſubtimebant. Et Henricus Angliæ Rex tametſi initio ad Cæſarem magis inclinabat, tamen ſe mutuæ inter vtrumque amicitiæ interpretem, atque adeo arbitrum eſſe gloriabatur: hinc illud eius vulgatum apophthegma * * * * * * * * Quod ſi eandem perſonam ſuſtinuiſſet Leo, nec vnĩ magis, quàm alteri adhæſiſſet, pacem inter ipſos inuiolabilem conſeruaturus videbatur. Parmam, Placentiámque à Iulio in Romani Pontificatus ditionem deintegro magna cum gloria redactas, à ſe amiſſas indignabatur: niſi magnum quid aggrederetur, Pontificatum ſuum ignobilem, inglorıúmque fore exiſtimabat. Anno 1521.

22 Italiam igitur ab externis nationibus magna ex parte poſſeſſam, quæ ſuas ditiones quotidie propagare ſtudeant, aſſerere in libertatem, quemadmodum & Iulius Secundus, in animum induxit. Si horum principum alteri adiungeretur, alterum Italia pelli facilè poſſe ſibi perſuadebat: ſi neutri adhæreret, ambos mutuo metu, mutuáque diſſimulatione pacem continuaturos,& fortaſſe affinitatem,ſocietatémque coituros, atque Italiam inter ſe diuiſuros; quemadmodum non ita dudum regnum Neapolitanum Ludouicus Duodecimus Ferdinandúſque diuiſerant: quæ ad Italiam manifeſta ſeruitute opprimendam,imminuendámque Romani Pontificatus authoritatem vergerent.Cum vtroque itaque de ſocietate egit:cum Franciſco autem arctius:quandoquidem Cæſarem regno Neapolitano à cæteris ſuis ditionibus multum ſeparato pelli facilius poſſe iudicabat. Ne verò tantiſper dum cum vtroque agit,imparatus interciperetur, Antonium Puccium Piſtorienſem Pontificem ad Heluetios miſit, vt inde ex fœdere, quod primum cum Iulio factum, deinde ab ipſo poſt Vmbricum bellum renouatum erat, ſex peditum millia in Pontificias ditiones adduceret; ídque facilè impetrauit. Hi per Mediolanenſem agrum Franciſco permittente tranſierunt, & partim in Flaminia, partim in Piceno agro aliquot menſes otioſi egerunt. Percunctantibus cur tantam impenſam nihil moliens faceret, rebelles ſibi inſidias ſtruere, aduerſus quos ſe præſens auxilium paraſſe reſpondebat. Quod quum non ſatis veriſimile videretur, alij Cæſaris, alij Franciſci metu, alij vt Ferrariam adoriretur, accerſitos interpretabantur: at iam inter ipſum Franciſcúmque Regem de inuadendo regno Neapolitano pertractabatur, ea conditione, vt Caieta, & quicquid inter Lirim fluuium, Pontificiaſque ditiones continetur, Leoni, cæterum regnum alteri Franciſci filio acquireretur: cuius quod tenellus adhuc, atque infans eſſet, curam, & quodam modo tutelam legatus Pontificius Neapoli reſidens ſuſciperet; regnúmque, donec is ad pubertatem perueniſſet, adminiſtraret. Additum præterea, vt Leoni Franciſcus aduerſus Romani Pontificatus clientes, ſi quando vſus poſceret,opem ferret: quod non minus ad explendam, quam de Ferraria occupanda cupiditatem conceperat, quàm ad cæteros clienteis in fide retinendos Leo addi voluit.

Leo ſex Heluetiorũ millia ſibi aduerſus repẽtinũ hoſtem præſidio futura adduci iubet.

23 Veris initio bellis ciuilibus in Hiſpania feruentibus Franciſcus occaſione vſus Leonis hortatu Andream Fuxium Aſparrum (Sparrum alij vocant ab oppido eiuſdem nominis) Lautrecij fratrem ad Nauarricum regnum recuperandum cum ſex Vaſconum peditum millibus, ac ducentis, aut paulò pluribus cataphractis equitibus miſit: nam Henricus Rex Nauarræ propter teneram ætatem huic ſuſcipiendæ expeditioni non ſatis aptus videbatur. Ioannes autem eius pater paulò ante deceſſerat. Aſparrus regnum illud à Ferdinando Cæſaris materno auo iniuſtè (vt ſupra memini) occupatum quindecim diebus in ſuam poteſtatem redegit: nec eo contentus Hiſpaniam Tarraconenſem ingreſſus Logronium(Iuliobrigam antiquis dictam putant)ad Iberum fluuium ſitum vſque peruaſit:vbi ſancti Columbi(ſic enim vulgo dicebatur) alæ Lautrecianæ legati conſilio inductus,quod neminẽ, qui reſiſteret,offenderat,peditum partem dimiſit; & quod paucis ante diebus ſtipendium acceperant, Columbus auaritia præceps omnibus, qui dimidiatam ſtipendij partem redderent, miſſionem dedit, eámque pecuniam auertit. Hiſpani in ſe armati, vbi Gallos recepto regno Nauarrico non contentos aliena etiam inuadere intellexerunt, ſibi inuicem reconciliati Aſparrum, cui vix dimidia exercitus pars ſupererat, perſequuti fuderunt, multos ceciderunt; ipſum malè mulctatum, ita vt oculis captus ſit, Turnoniúmque, ac multos præterea viros nobiles captiuos abduxerunt; cæteri

Aſparrus Nauarricum regnum occupat ſimul & amittit.

Digitized by Google

in montium prærupta diffugerunt. Pompeiopolim, quam Pompelum Ptolemæus, quidam Pompelonem vocant, regni Nauarrici principem vrbem, ipſúmque adeo regnum Hiſpani eadem facilitate, qua amiſerant, receperunt. Hoc bellum cæterorum, quæ cũ Cæſare Franciſcus geſſit, velut quoddam malum omen fuit. Acceſſit & alia haud magna de cauſa orta, ſed quæ maximum momentum attulit, belli occaſio: Robertus Marchianus Sedanius, quod centenaria eius cataphractorum equitum ala propter rapinas, plebiſque vexationem exauthorata fuerat, ad Carolum nondum Imperatorem paucis ante annis à Franciſco Rege defecerat, à fratre etiam (vt fertur) Eburonum Pontifice illectus, qui eodem Pontificatu, ac Carmitenſi, aliiſque aliquot ſacerdotiis Ludouico Duodecimo connitente donatus fuerat. Is Robertus Ducatum Bullionium poſſidebat, quem ab Eburonenſi Pontifice ſibi adiecta perpetuæ redemptionis conditione venditum Guilielmus Marchianus poſteris hæreditarium reliquerat: eadem enim conditione Gotofredus Euſtachij Bononienſis Comitis filius ad ſacrum bellum profecturus Enſiprando Eburonum Pontifici illum ipſum principatum certo pretio addixerat.

Controuerſia de Hierga oppido inter Carolũ Croiũ Simæum Principẽ atque Emeriũ.

Inter Carolum autem Croium Simæum principem, atque Emerium vel Emeriacum 24
(vt alij appellare malunt) de Hierga non magno ad Arduennam ſiluam oppido controuerſia erat. Secundùm Simæum Bullionij proceres, quos Pares, ſiue patritios vocant, à quibus nulla prouocatio eſt, iudicarant. Accedebat quod nec Emerius in tempore prouocarat; ſed quod ſe bellis Flandricis, quibus ſemper tametſi falsò interfuiſſe gloriabatur, occupatum fuiſſe prætenderet, prouocationi adhuc locum fore ſperabat. Addidit & aliud: magnam pecuniæ vim Carolo Hiſpaniarum Regi mutuam dederat Emerius, tum quum Germanicum Imperium Carolus ambiebat, cuius ſe prædem Ariſcotiæ Marchio fecerat. Huius patruus Ciurianus Caroli nutritius erat: ſe itaque, vt pecuniam repeteret, quadam neceſſitate cogi Emerius aiebat. Sed per interpretes Ariſcotiano ſe tempus ducturum, ſiquidem prouocationis diplomata obtineret, clam ſignificabat. Ariſcotiani itaque, patruíque non obſcura apud Cæſarem potentia perpulſus Brabantinus Cancellarius prouocationis diplomata expediuit, diéſque Simæi hæredibus dictus eſt, vt prolatis vtrimque iudicij actis, atque litis inſtrumentis, lata à Bullioniis proceribus ſententia vel rata haberetur, vel nulla pronuntiaretur: Simæi hæredes quorum longa poſſeſſio erat, Bullionios proceres merum Imperium habere, nec ab illis prouocandi ius eſſe intelligentes ad Robertum Marchianum Ducem Bullionium tutorem ſuum (nam eorum amitam Simæi filiam Robertus vxorem duxerat) confugerunt. Is & à Cæſare ſupplex petiit, & ab Emerio precibus contendit, ne principatus ſui iura diſſoluerent, néue pupillorum cauſam ad aliena, nec ſua, iudicia pattractam labefactarent. Nihil quum impetraret, ad Franciſcum Regem confugit, ab vxore Simæi filia, nurúque è Sallebruciana familia Brennani Comitis filia inductus; quæ priores in Galliam conceſſerant, & cum Ludouica Sabaudiana Regis matre ſæpius colloquutæ, ac iam familiares, Robertum Franciſco reconciliarant. Is reconciliatus ad Regem acceſſit, & ex vulnere adhuc malè habentem ad Remorentinum Biturigici agri oppidum offendit: nam paulò ante dum ludicris oppugnationum ſimulachris operam dat Franciſcus, diuerſoriúmque Franciſci Paulini Comitis aggreditur, nonis Ianuarij (quæ trium Regum Chriſtum adorantium feſta Chriſtiani appellamus) titione grauiter in caput ictus magnum vitæ diſcrimen adiit, & aliquot dies ſe domi continuit. Robertum itaque benignè exceptum in clientelam Franciſcus recepit.

Franciſcus titione in caput ictus de vita periclitatur.

Horum certior factus Cæſar hominem ſibi per eius fratrem Eburonum Pontificem re- 25
conciliare, & ad ſe pertrahere conatus eſt: quæ de prouocatione acta erant, ſe inſcio expedita teſtatus, eidémque ſe prolixè ſatiſfacturum pollicitus. At vir iniuriæ impatiens ius ſibi denegatum armis repetere maluit, Cæſarique Vormatienſem conuentum agenti per heraldum bellum indixit: temeritatẽ hominis penè noui, cuius maiores Ducum Burgundionum clientes fuiſſent, atque inter hos Oliuarius Burgundicæ Philippi aulæ magiſter (vt teſtatur Cominæus) non ſolùm Cæſar, ſed & omnes Germani, qui aderant, principes grauiter acceperunt. Et Guilielmum ex eadem familia quod Borbonium Eburonum Pontificem peremerat, cuius domeſticus antea fuerat, tum eius Põtificatum filio ambiebat, Maximilianus Cæſar (vt iam ſcripſimus) capite plecti iuſſerat: bello indicto Florengius Roberti liberorum natu maximus tribus peditum millibus coactis quingentis equitibus Virtonem Luceburgicũ oppidum in Lotharingiæ, agríque inter Luceburgenſem Lotharingúmque regulos cõmunis confinio, circũſedit. Id temporis legatum in Galliam Henricus Angliæ Rex miſit hortatus Franciſcũ ne temerè in bellum aduerſus Cæſarem irrumperet, ſi quid inter illos controuerſiæ ſubeſſet, ſe componendæ interpretem fore pollicitus; ac

Robertus Marchianus Cæſari bellũ temerè indicit.

primum

Contra Cæſarē nihil tentare à Franciſco admonetur.

primum de Viritone circumſeſſo verba fecit. Franciſcus Roberto Marchiano, vt obſidionem ſolueret, iuſſit: ſi de Emerio quereretur, in illum ſe conuerteret, cęterum aduerſus Cæſarem ne quid moueret. Robertus vndecimo Kal. April. exercitum dimiſit: ſupererant duo capita quibus Cęſar non ſatisfecerat; neque enim paternū Henrico Alebreto regnum Nauarræ reſtituerat, neque penſionē annuam Regni Neapolitani nomine dependendam aliquot annis exoluerat, quanquam à Franciſco vt ſatisfaceret, ſæpius rogatus. Id Anglo per Mompeſatium virum nobilem Franciſcus ſignificauit, quod nouum fœdus inter vtrumque fieri Anglus petebat, id præſtare recenti fœdere cum Leone inito Franciſcus prohibebatur. Et quandoquidem tantiſper dum hæc vltro citróque agitantur cum Heluetiis ſocietatem coiiſſet, qui reiectis conditionibus à Cæſare oblatis Gallo tantum quantum peteret peditatum aduerſus quoſuis, nec vlli aduerſus Gallum ſe daturos promiſerant, legatum ad Leonem, quid de Neapolitana expeditione ſtatuiſſet, rogaturum miſit. Ille tormētorum, equitum peditum numerum ei expeditioni neceſſarium ad Regem deſcriptum remiſit; vtque intra alterum & viceſimum diem reſponſum acciperet, fœdúſque ratum haberetur, inter Leonem Frãciſcique legatos conuenit. At plerique ex proceribus, Regióque conſilio, Leonem Gallis ſemper iniquum fuiſſe docuerūt, notas eius eſſe ſimulationes: tantam tam repente nō fruſtra oſtentari beneuolentiam: caueret Franciſcus, ne dum regnum Neapolitanum ſibi vendicare nititur, principatum Mediolanenſem amittat: non enim, vt vtroque potiatur, Leonem facilè paſſurum, cui tum magis ipſe, quàm Cæſar, metuendus eſſet. Quod vi obtinere non potuit Leo, vt Gallos Italia pelleret, id nunc fraudulentis conſiliis aucupari. Si iam cum Cæſare clam conuenerit, & Gallos Neapolim proficiſcenteis coniunctis viribus adoriantur, ac fundant (neque enim fruſtra Leo ſex Heluetiorum millia tot menſes otioſa ſtipendio affecit) quis pro Mediolanenſibus propugnabit? Hæc Franciſcum, ne ad præſcriptum diem reſponderet, ſuſpenſum tenebant.

26 At Leo aut quod amicitiam Regi ſpe & ſpecie ſimulationis oſtentarat malum clam illi moliēs, aut quod, quandoquidem Rex ad præſcriptum diē non reſpondiſſet, ne machinas eius Cæſari palam faceret, & aduerſum ſe iungerentur, timebat, aut quod Parmæ, Placentiæque recuperãdæ ardore flagrabat, aut quod Lautrecij, ac Menardi Tabellēſis Pontificis inſolentiam, qui toto Mediolanenſi agro Romana diplomata, cæteráque mandata vix admittebant, ſæpius contumelioſa verborū licentia repudiabant, ferre diutius nō poterat, aut quod infelicem belli Nauarrici exitum boni ominis loco habebat, aduerſus Gallum cū Cæſare ſocietatem coire properauit: qui bello Nauarrico irritatus, & à Mediolanenſibus exulibus inuitatus, & à nonnullis, qui illi à conſilio erant, & Ciuriano Gallicæ amicitiæ interpreti inuidebant, incitatus, oblatas à Leone conditiones haud aſpernatus eſt. Is & Leonis, & ſua authoritate Heluetios fœdere cū Gallo nuper inito nondum fortaſſe diuulgato, aut confirmato à Gallica amicitia diſiungere ſperabat, & in Vormatienſi conuentu Martinum Lutherum octauo Idus Maij in Leonis gratiam proſcripſerat: quæ proſcriptio ita Lutherum perterrefecit, vt niſi Cardinalis à Fano Sixti Leonis legatus hominē verbis contumelioſis, ac minarum plenis ad deſperationem adegiſſet, honeſta conditione oblata ad officium rediturus, atque errores ſuos profeſſurus, execraturúſque vulgo putaretur. Societas igitur inter Leonem, & Cæſarem, vt pro ſuarum ditionum propugnatione ſe mutuis auxiliis iuuarent, qua Florentini, præſertim vero Medicea familia cōprehendebatur, Ciuriano inſcio inita eſt. Cauebatur prætera vt pro recuperando Mediolanenſi Ducatu bellum, vti commodior ſeſe offerret occaſio, ſuſciperetur: Franciſcus Sfortia tum Tridenti exul inde pulſus in integrum reſtitueretur à Carolo, quemadmodum Ludouicus eius pater quondam à Maximiliano receptus fuit, in fidem recipiendus: ſalinis Ceruiæ principatu Mediolanenſi potitus veteretur: Leoni aduerſus Romani Pontificatus clienteis lege agere liceret: ſi parere recuſarent, réſque ad arma veniret, Cæſar recuperato Mediolano ſuppetias ferre, præſertim aduerſus Ferrarienſem, teneretur: decem nummûm aureorum millia Iulio Cardinali Medici in penſionem annuam promiſſa, quæ à Toletano Pontifice nuper cum Pontificatum adepto penderentur: Alexander Laurentij Medicis nuper Vrbinatis reguli filius nothus munere in regno Neapolitano eiuſdem annui prouentus donaretur.

Societas inter Leonem, ac Cæſarem.

Ciurianus in Vormatienſi conuentu vita excedit.

27 Quam ſocietatem vbi Ciurianus reſciuit futurorum malorū certus vates dolore victus in Vormatienſi conuentu, vbi Guilielmus Croius Cardinalis Toletanus Pontifex fratris filius paulò ante diem ſuum obierat, è vita migrauit. Hic atque Arcturus Gouſfierius Boēſius ſummus Regiæ aulæ magiſter Cæſarem, ac Gallū amicitia, affinitatibúſque coniungere, atque in perpetua pace continere decreuerant: quod ſi perfeciſſent, vniuerſum Chriſtianiſmū in eadem pace conſeruaſſent, & recuperandorum quæ Turcæ non ita dudum inua-

 ſerant,

Quid iuſtè Carolus in Mediolanẽſem Principatum ſibi vendicet.

ſerant, regnorum, prouinciarúmque magnam occaſionem præbuiſſent. Quod autem ius Cæſar in Mediolanenſem principatum ſibi vendicaret explicare operæpretium eſt. Valentinæ heredes eo excludi aiebat, quod quæ in eius matrimonio contracta erant, à Germanis Imperatoribus rata habita haud fuiſſent: quî autem confirmata fuerint, libro octauo enarrauimus. Quod Ludouicum Sfortiam in fidem Maximilianus recepiſſet, non obeſſe: quicquid enim hic tranſactum erat, Maximilianus poſtea reuocarat. Ludouici autem liberi nunquam in fidem recepti erant: ſupererat inueſtitura (vt loquuntur) hoc eſt poſſeſſio authore patrono adita: qua Ludouicum Regem tam ſuo, quàm Claudiæ filiæ, ac Caroli Auſtriaci, qui poſtea Cæſar fuit, nomine Maximilianus clientem agnouit: cui conditio adiecta erat, vt niſi Claudiam Carolus vxorem duceret, nec per eum ſtetiſſet, inueſtitura nulla cenſeretur; ius omne ad vnum Carolum perueniret, hanc vnam legitimam eſſe Carolus Cæſar aſſerebat. Quæ autem ſequuta eſt, qua Ludouicum Regem, Claudiam filiam, Franciſcum Engoliſmenſem eius virum Maximilianus in fidem receperat, ſuperiorem irritam reddere non potuiſſe idem Carolus aiebat. At Ludouicum Sfortiam ſemel clientem agnitum reiicere, & clientelæ ius niſi iuſta de cauſa Maximilianus corrumpere haud potuit: quæ vero iuſta cauſa eſſe potuit? nec conditionem de Carolo ſupra commemoratam Galli additam, nec Carolum ab auo Maximiliano in fidem receptũ fatentur: quapropter rite Ludouicum Regem, Claudiam filiam, Franciſcum Engoliſmenſem in fidem recipere Maximilianus potuit. Maximilianum quoque Sfortiam, qui Mediolanenſi arce, atque omni principatu Franciſco ceſſerat, quanquam Maximiliani Cæſaris authoritate Mediolanenſem Ducatum receperat, nunquam tamen clientem agnitum fuiſſe, nec fundum, ſiue feudum ad alium transferre potuiſſe Cæſar obiectabat. At hæ de regnis, magniſque prouinciis cõtrouerſię non niſi gladio iudice terminari ſolent.

Belli Belgici Cantabricique initium.

Belli initium Cæſar non in Italia aduerſus Mediolanenſes, ſed in Germania inferiore aduerſus Robertum Marchianum qui eundem in conuentu Vormatienſi prouocarat, 28
fecit: magnum exercitum coegit, cui Henricum Naſſauij Comitem præfecit. Huius ſe ſocium Eburonenſis, ſiue Leodienſis (vt nunc vocatur) Pontifex eſſe iactabat, idcircóque aliquot ciues Eburonenſes, quod Roberti fratris parteis clam ſequi putarentur, in Moſam præcipitari imperauit: aderant & Felix Comes, Franciſcus Scalengius vel Siccingus (vt alij vocant) atque Emerius. Hi Longuias Bullionij principatus oppidum ſedecim ab Eburonibus milliaribus, ſiue octo noſtris leucis, diſtans circumſederunt, admotíſque tormentis verberarunt. Niſellæ præfectus nihil tale expectans, quod ſexaginta dumtaxat præſidiarios milites haberet, oppidum dedidit, & ſe victoris arbitrio permiſit: quem, ac præterea duodecim ex præſidiariis laqueo ſtrangulari Naſſauus, oppidíque murum ſolo æquari iuſſit. Inde ad Muſancurtum proceſſit, præſidiarij præfectum comprehenſum ad Naſſauum deduxerunt, atque oppidum dediderunt: ex his viginti ſtrangulati, oppidum muris denudatum. Deinceps ad Iameſiam arcem, in quam Florengius Roberti liberorum natu maximus ac Sanſius minimus nuper introierant, exercitus progreſſus eſt, ac quatriduum ibi commoratus intentatam reliquit, & ad Florengium octo à Mediomatricibus milliaribus diſtans tranſiit. Germani præſidiarij Iameſium alterum ex Roberti liberis die tertio Naſſauo in manus tradiderunt, & ad Cæſaris ſtipendium tranſierunt; muris euerſis Sanſium petiit, ac pariter euertit. Poſtremò Bullionem eius principatus metropolim ciuibus dedentibus cepit. Interea per Franciſcum Siccingum, qui paulò poſt cum Treuirenſi Pontifice bellum geſſit, in duos & quadraginta dies Robertus Marchianus à Cæſare inducias impetrauit.

Robertus Marchianus inducias à Cæſare impetrat.

Franciſcus Rex bellum non ſolum aduerſus Marchianum fœderatum, ſed aduerſum ſe 29
inſtrui animaduertens (cur enim cum eo, quem omnibus fere ſuis ditionibus expuliſſet, inducias faceret?) exercitum & ipſe conſcribere, vt ſua tueretur, occœpit: prius tamen, quam quicquam aggrederetur, Anglum quid aduerſum ſe Cæſar moliretur, docuit, & vt ſibi, cui bellum Cæſar prior inferret, ex Arderenſi fœdere auxilio eſſet, orauit. Anglus, qui à Cæſare quoque litteras acceperat, Franciſco vt Cæſaris poſtulata admittens nullam bello cauſam daret, ſuaſit: at Cæſaris poſtulata (vt mox explicabimus) iniquiſſima erant. Franciſcus igitur Franciſco Mongommerio, quem Lorgium Carolo Moio, quem Malleraium, Carolo Refugio, quem Bocardum vocabant, Piraldo Malgeroni, Herculi Delfinati, Mommorello Pictoni, vt mille pedites ſinguli conſcriberent, iuſſit; & quod Diuioni Malgero cæſus fuiſſet, Aſnierum in eius locum ſurrogauit. Horum tribunum Franciſcum Borbonium Paulinum Comitem declarauit: Carolo Borbonio equitum magiſtro, vt octingẽtos equites, ſex peditũ millia conſcriberet, Carolo Borbonio Vindocinenſi regulo, vt eundem

equitum peditúmque numerum conficeret, iniunxit. Guilielmo Gouſſierio Amyralio in Nauatricam expeditionem ſex Germanorum peditum millia, quorum tribunus Claudius Lotharingus Guiſanus regulus fuit, duas centenarias cataphractorum equitum alas, ipſius (inquam) Amyralij, ac Ioannis Stuardi Albaniæ reguli, treis quinquagenarias Iacobi Andreani, Sammeſmei, Galeoti Aſſiei tormentorum magiſtri attribuit. Eidem, vt tot pedites, quot opus haberet, ex Vaſconibus, ac Cantabris adderet, permiſit. His ita procuratis Oliuarium Vernadeum Baſtium ad Anglum miſit, ne in malam partem interpretaretur, ſi ſua tueretur, & Cæſari fœderatos eius ipſúmque laceſſenti par pari referret. Is vti inter Cæſarem, Franciſcum, ipſúmque conuenerat, ſe harum controuerſiarum arbitrum obtulit, quibus dirimendis fidam vtrique ſedulámque operam nauaret, Caleſium vterque legatos mitteret, Thomam Eboracenſem Cardinalem pacis interpretem eodem profecturum. Accepit cōditionem Franciſcus modo Leo Pontifex eius fœderatus fœdere, ſi quod iniretur, comprehenderetur, vt pridie nonas Auguſti Caleſium vtrique legati ſe ſiſterent, conuenit. Interim Alenconius cū iuſto equitatu, & ſex peditum millibus, quorum Paulinus Comes tribunus erat, in Rhemorum agro, quid Naſſauus moliretur, expectabat. Franciſcus ex Argiliana arce Burgundiæ maioris Thomæ Fuxio Leſcuto Lautrecij fratris apud Mediolanenſes legato Gallorū Heluetiorúmque ſubſidia mittebat, quod Hieronymum Moronū, atque Hectorē Vicecomitem Mediolanēſes exules neſcio quid machinari, & Leonē Pontificem iam abalienato à ſe animo clam cum Cæſare conſilia ſua cōmunicare intellexerat.

Controuerſiarū inter Imperatorem & Franciſcum arbitrum ſe fore Anglus pollicetur.

30 Amani Fano Tornacenſis agri cœnobio præerat Ludouicus Cardinalis Borbonius de quo illi cum Liqueſio viro inter Hannonianos nobili controuerſia erat. Liqueſius coacta militum tumultuaria manu Amani Fanū aggreſſus eſt. Camperuxius Regius in Tornacenſi agro legatus nihil tale expectans, & præter opinionem interceptus deditionem fecit. Liqueſius inde Mortaniam arcem pariter, atque oppidum oppugnauit, qua pariter & Tornaco Henricus Angliæ Rex Franciſco ceſſerat. Hanc Pranzius præfectus Tornacēſis Balliuus non Liqueſio, ſed Portiano ea conditione dedidit, vt ipſe, ac milites, cum armis, equis, omnique ſupellectile liberè exirent: at oppido egreſſos Cæſariani violata fide ſpoliarunt. Hinc bellum ſibi indictum Franciſcus exiſtimauit; tametſi Mortaniam quoque ſe aliquando poſſediſſe Liqueſius iactabat: Firmieſius quoque è Luceburgica familia Flandriæ adminiſtrator cum mille equitibus, peditum octo millibus, ſex maioribus tormentis Tornacum circumſedit, quod quinto poſt menſe deditione cepit. Hæc tamen adhuc ſuo mandato fieri Cæſar inficiabatur, & priuatis inter Ludouicū Borbonium Liqueſiúmque contentionibus excitari prædicabat. Iam fere nonæ Sextiles inſtabant, ac Iacobus Chabaneus Palicianus Mareſchallus, Pratus Cancellarius, Ioannes Selua Pariſienſis Senatus princeps Caleſium petebant, quum Cæſariani Arderas ſolo æquarant, & Taroannam dolo, ſed fruſtra, intercipere tentarant. In eo conuentu Cæſar Burgundiam maiorem, quem Ducatum vocant, ſibi reſtitui clientelæ iure, quod in Atrebatenſem, Flandricúmque Comitatum Galliarum Reges habebant, ſibi cedi poſtulabat, quod Imperatorem Regis clientem eſſe indignum ſua maieſtate duceret. Hæc poſtulata quum prorſus aliena eſſent, Regij legati reiecerunt, ac re infecta diſceſſerunt.

Tornacum 5. menſibus obſeſſum deditione capitur.

Cæſar clientela iure Burgūdiam maiorē ſibi reſtitui poſcit.

31 Dum conuentus ad Icium portum celebratur, Cæſarianus exercitus Mozonio appropinquabat: oppido præerat cum quinquagenaria ſua cataphractorum equitum ala Mommortius, cui Laſſignium peditum mille præfectum Rex ſocium dederat. his Piſſuum mille quoque peditū, Grangium quingentorū præfectos, ac triginta præterea cataphractos equites addiderat. Rhemenſem portā Monclous alterius Piſſui cohortis præfectus cum quingentis peditibus, ac triginta cataphractis equitibus, Luceburgenſem, quæ Iuoium reſpicit, Razemontius alterius cohortis eiuſdem Piſſui præfectus tuendam ſuſcepit. Propugnaculum, quod Moſæ imminet, Grangius inſidebat: interim ad Donzium vicum amplum, cuius altera Bullioniæ, altera pars Mozonianæ ditionis eſt, Naſſauus cum ſuis caſtra metatur, vnde Cæſariani in Mozonianum agrum excurrebāt. Ea de cauſa per quendam è domeſticis apud Naſſauum Mōmortius queſtus eſt. Naſſauus nihil ſe aduerſus Regem moliri reſpondit: ſi quos huiuſmodi prædatores offenderet Mommortius, eoſdem ipſe perinde, ac merentur, malè mulctaret. Cæterū Moſam Cæſariani traiecerunt, & Moſonium ex improuiſo intercipere tentarunt: ſed pro portis Laſſignius acriter propugnans dum portæ à tergo occluderentur, hoſteis ſuſtinuit, & multis ſclopetorum glandibus tormentorúmque pilis petitus longa trabe foſſam tranſmiſit, atque illæſus in oppidum rediit. Tormentis bipartito admotis partim à pratis, quæ Rhemenſem portam, partim à monte, qui Iuoium reſpicit, oppidi muros Cæſariani verberarunt: à pratis propugnatores, qui ad aduerſam

oppidi partem quæ tormentis è ſupra commemorato colle pulſabatur, ſtabant, ad pedes vſque conſpicuos tormenta à tergo petebant: vnde attoniti tirones milites oppugnationibus nondum aſſueti Mommortium, vt de deditione cum hoſtibus ageret, compulerunt. Ad Naſſauum Mommortius ac Laſſignius adierunt, atque ea conditione, vt cataphracti equites vno dumtaxat, ſed non militari equo contenti ſine vllis præter enſem armis, hippotoxotæ, ac pedites omnibus exuti armis ſcipione in manum aſſumpto abirent, oppidum dediderunt. Ignominioſa deditio hoſtibus animum vehementer addidit, Franciſco Regi magnam moleſtiam attulit, quod duo præfecti ad hoſteis ſimul tranſiiſſent, & oppidum, quod conſeruandum ſuſceperant, tam turpiter dedidiſſent. Dedito Moſonio Naſſauum nothum Naſſauus Henricus præfecit, inde Maſerias contendit, quibus Petrum Terralium Baiardum centenariæ cataphractorum equitum Lotharingi reguli alæ legatum Franciſcus Rex præfecerat. Is vir ingentis ſpiritus, & in omni belli genere exercitatus: magnam, quàm de ſe multis prœliis, ſingularibúſque certaminibus dederat, expectationem hac obſidione ſuperauit. In vrbe erant duæ centenariæ cataphractorum equitum alæ Lotharingi, atque Horualli Campaniæ Belgicæ adminiſtratoris. Carolus Refugius Bocardus pedites mille, mille Mommorellus Picto habebat: ſed Mommorelliani primo tormentorum boatu audito inuitis centurionibus alij portis effugerunt, alij è muris ſeſe præcipites egerunt. At Baiardus homo experiens cæteros ita confirmauit, vt nemo in poſterum ſeſe ſubduxerit. Huc etiam Mommorencius aliquanto poſt equitum magiſter, Claudius Annibaldus paulò poſt maris præfectus, Villaclarus, quem alij Villequerium vocant, atque alij nonnulli aulici adoleſcentes acceſſerunt, vt ſub Baiardo ſtrenuo duce prima ſuæ militiæ rudimenta auſpicarentur.

Moſonij ignominioſa deditio.

Naſſauus expugnare fruſtra aggreditur.

Maſeriarum muros alluit Moſa fluuius Moſonio delapſus, deinde in orbem flexus ad 32
alteram vrbis regionem redit, ac quandam duorum milliariorum circuitu peninſulam efficit, vnum aditum relinquens ad portam quæ Burgundica vocatur, atque Arduennam ſiluam aſpicit. Naſſauus ad portam Burgundicam tormenta bipartito collocauit: aliis enim in locis fluuium interiectum habuiſſet, ac totum triduum vrbis muros acriter pulſauit; deinde obſeſſorum cõſtantiam, fortitudinémque expertus lentius aliquantò in opus incubuit: Galli enim frequentibus excurſionibus eius exercitum quotidie vexabant, & cumulatam vtilitate fere ſemper gloriam reportabant: ita dies circiter triginta egerunt. Interim Borbonius, Vindocinenſiſque reguli Regi Diuioni agenti paratas ſuas copias renuntiarunt: ille quo ſe, ſuóſque ſiſterent, ſignificauit, & Trecas iter inſtituit: aliquot cataphractorum equitum alas in Campaniæ fines miſit, & in oppidis Maſeriis finitimis ſtatiua habere iuſſit, tum vt hoſtium excurſiones prohiberent, tum vt Maſerienſes ſua præſentia confirmarent. Nec multo poſt Franciſcus Sillius Cadomenſis Balliuus Alenconianæ alæ legatus Comitem Riſolquetum cum centum ſelectis cataphractis equitibus ducentis peditibus prædas inter Maſerias, Attigniúmque agentem cum ſua ala aggreſſus fudit: fuſos ruſtici, quos compilauerant, perſequuti fere omneis peremerunt: pauci cum Comite captiui Rhemos deducti ſunt. Iam Maſerienſes præſidiarij milites poſt menſtruam obſidionem non ſolùm puluere tormentario, pilis, commeatu, ſed & militibus plurimum indigebant, quod plerique dyſenteria laborabant, & Mommorelliani obſidionis initio aufugerant. Adhæc Cæſariani à turre, quæ angulum Attignium reſpicientem claudit, ad Bellam turrim (ſic enim vulgo appellatur) & à Bella turre ad portam Burgundicam magnam murorum, aggerúmque ruinam ediderant; vt multis noctu, interdiúque cuſtodiis opus eſſet. Tametſi poſtquam Rhemos Alenconius ad pontem Fauergium quarto à Rhemis milliari, ſex Paulini Comitis peditum millia, ad Caſtellum Portianum, Retellúmque iuſtus equitatus acceſſit, de continuo labore, ac vigilum, cuſtodiarúmque multitudine paululum remiſſum eſt: Franciſcus enim Siccingus, qui in peninſulam tranſiuerat, & tormentis Maſerienſes plurimum infeſtabat, ne interciperetur veritus, fluuium deintegro traiecit, & ſe ad maius Naſſaui agmen recepit. Via Siccingi diſceſſu patefacta Brignacum Lotharingicæ alæ cataphractum equitem, ac Maubuiſſonem Mommorencij domeſticum Baiardus Trecas ad Regem miſit, vt quo in ſtatu res Maſeriis eſſent, intelligens ſuis in tempore non deeſſet.

Rex Baiardo, vt bene de auxilio ſperaret, per eoſdem nuncios ſignificans homines ſta- 33
tim remiſit, & magnis itineribus Rhemos adiit; vbi Alenconium, Horuallum Campaniæ prætorem, Palicianum Mareſchallum Caleſio reuerſum, Caſtilionem item Mareſchallum, cuius ductu ac conſilio maiora fere negotia procurabantur, offendit. Eodem poſtridie Paulinus Comes acceſſit, & vt Attignium cum ſuis properaret, iuſſus ad iter ſe comparauit,

comparauit, atque altero die Attignium ſedecim Maſeriis milliaribus diſtans ſub auroram appulit, ibique ſuos totum eum diem recreauit. Noctis initio Franciſcum Mongommerium Lorgium cum mille peditibus commeatu, rebúſque aliis ad tolerandam obſidionem neceſſariis Maſerias petere iuſſit. Huic quadringentos cataphractos equites Telignio Rouergate Seneſchallo, ac tum caſtrorum magiſtro, & Franciſco Sillio alæ Alenconianæ legato ductoribus in ſubſidium dedit: ipſe cum cætero equitatu, peditatúque ad quartum à Maſeriis milliare præeunteis ſequutus eſt. Lorgio Maſerias intromiſſo quadringenti cataphracti equites ad Comitem Paulinum redierunt, ipſe cum toto eo exercitu Retellum conceſſit. Tum Heluetij ad Regem acceſſerunt, quibus obuiam Ludouicus Trimullius, Sedanius (Eſdanium alij vocare malunt) ac nonnulli alij prodierunt. Naſſauus Regium exercitum in dies augeri, præſertim Heluetiorum aduentu, ſuum contra longa obſidione atteri animaduertens, & de expugnandis Maſeriis deſperans, quod proximum fuit, de ſoluenda obſidione cogitauit, & maiora tormenta ſecundo Moſa Namurium deportari iuſſit. Tum ſecundùm Arduennam ſiluam exercitum ducens Moncornetum, Mauberfontanium, Aubentonem obuia quæque incendio abſumens peragrauit, Veruinas, Guiſamque petiturus: cui ſeſe Franciſcus Rex ad Guiſam opponere deſtinans, prælióque decernere cupiens, partem equitatus hoſteis inſequi, à lateribus nonnunquam ſeſe oſtentare, ne in Regias ditiones excurrerent, prohibere imperauit. Vindocinenſis ad Feruacquas cœnobium, vbi Somonæ fontes ſcaturire incipiunt, ſubſiſtens Nicolaum Moium Malleraium alæ ſuæ legatum, Eſtreum, Longauallium, Roſmenillum ſingulos quingenarum cohortium præfectos Guiſam miſit: Palicianus Mareſchallus cum ducentis cataphractis equitibus Veruinas inſedit, hoſtem, ſi ſe daret occaſio, inuaſurus. Quorum certior factus Naſſauus Aubentone direpto, incenſóque, omnibúſque omnis ſexus, atque ætatis mortalibus viris, mulieribus, ſenibus, vetulis, pueris, puelliſque cæſis, quæ inſolita immanitas cæteris, quæ triginta & amplius annis conſequutæ ſunt, initium dedit; Veruinas à ſiniſtra relinquens ab Iſare ponte Eſtream contendit.

Mongommerius Lorgius Maſerias cõmeatu recreat.

Maſerienſis obſidio ſoluta.

Naſſaui horrẽda immanitas.

34 Franciſcus ad Feruacquas coacto exercitu, vbi Baiardum virtutis ergo Regiæ ſocietatis torque, & centenaria cataphractorum equitum ala donauit, ad Martini montem, à quo non procul Scaldis oritur, progreſſus eſt. Ibi primam aciem Alenconio principi quidem cognationis gradu ſibi proximo, at homini & ingenio hebeti, & à rei militaris functione alieno ducendam dedit, cui quod hominem noſſet, Caſtilionem Mareſchallum adiunxit. Id adeo Ludouica Sabaudiana Regis mater, & Caroli Borbonij equitum magiſtri odio, cui ſecundùm Regem pro magiſtratus ſui iure primæ partes debebantur, & augendæ Caſtilionis authoritatis ergo procurauit: quod Annæi Mommorencij Franciſco in primis accepti ſororem Caſtilio in matrimonio habebat. Eam iniuriam à fœmina acceptam Borbonius aut animo æquo tulit, aut ferre ſimulauit: qui Ludouicam excuſant, ne Borbonius vir acer, & manu promptus prælium inconſideratius iniret, timuiſſe dicunt. At bellis ſuperioribus magnum ſuæ prudentiæ ſpecimen Borbonius dederat, vt vanus is, & muliebris metus agnoſceretur: qui error & Franciſci fortunam, quam poſtea vix vnquam proſperam nactus eſt, commutauit, & Borbonio ægreſcentibus inter ipſum Ludouicámque odiis exitium tandem attulit. Borbonius igitur in media acie cum Rege ſtetit; poſtremæ Vindocinenſis Borbonij equitum magiſtri propinquus præfuit: à Martini monte Paulinum Comitem cum ſuis peditibus Palicianum Mareſchallum Florengium cum ſuis cataphractorum equitum alis & aliquot tormentis Bapalmam Franciſcus miſit, qui quod non ſatis munita videretur arcem oppidúmque incenderunt, & muri partem præſertim ad portas deiecerunt: tum ad Regem prima à Martini monte caſtra habentem reuerterunt. Lendrecium quoque ad Sambram, quem Sabin olim dictum putant, fluuium ſitum Vindocinenſis cum poſtrema acie euertit, atque incendit. XI. Kalen. Nouembris Franciſcus inter Cameracum, Valentiámque Belgicam (Valentianum alij vocare malunt & fortaſſe rectius vt ab aliis Valentiis differat) caſtrametatus Cæſarem cum ſuo exercitu ſe Valentiam recepiſſe certior factus eſt: quicum vt prælio decerneret, pontem ad Villam nouam Scaldi imponere deſtinauit. Eò Paulinum Comitem cum ſuis peditibus miſit, vt tota nocte in opus incumberet, fluuiúmque traiiceret; ac loco munito, aut quem ipſe muniret, interim dum reliquus exercitus ſequeretur, conſiſteret; vt pontem inſtrui, noſtróſque fluuij tranſitu prohiberet duodecim Germanorum peditum, equitum quatuor millia Cæſar miſit. Illi tardius acceſſerunt, & Paulinum Comitem cum ſuis vltra fluuium inter paludes, inter quas Scaldis labitur, loco firmiſſimo conſiſtentem offendentes, bonámque cæteri exercitus partem fluuium traieciſſe procul aſpiciẽtes noſtros

Borbonius primã aciem ſibi in Franciſci exercitu non aſſignari moleſtè fert.

aggredi auſi non ſunt: ſed manifeſtum diſcrimen animaduertentes octingentos equites,
qui peditatum retrocedentem tegerent, & clam elabentis aſpectum fruſtrarentur, poſtre-
mos reliquerunt: peditatum, qua poſſet, diligentia accelerare iuſſerunt.

Iam prima, mediáque noſtrorum acies, quum illi pedem referre, tormentáque campe- 35
ſtria reducere inciperent, fluuium traiecerat: in quibus mille quingenti, aut ſexcenti ca-
taphracti, item aliquot leuis armaturæ equites, viginti ſex ex diuerſis nationibus Gallis,
Heluetiis, Germanis peditum millia cenſebantur. Borbonius equitum magiſter, quam-
quam in media acie cum Rege erat, tamen Caſtilionis ignauiam, qui primæ ſub Alenco-
nio præerat, agnoſcens aliquot equites, quid hoſtes agerent, ſpeculaturos præmiſerat: clam
elabi certior factus, vt quadringenti cataphracti equites cum ſuis hippotoxotis in poſtre-
mos illos octingentos hoſtium equites immitterentur, author fuit, qui paucos facile fun-
dere, & in ſuum peditatum reiicere, ac quid hoſtes animi habeant intelligere poſſint,
cæterum exercitum ſumma celeritate ſequuturum. Id munus & Palicianus Mareſchal-
lus & Ludouicus Trimullius ſuſcipere volebant, & vnà cum Borbonio, quàm bona occa-
ſio amitteretur, apud Regem querebantur. Heluetij etiam prælium inclamabant, & ne
differretur à Rege, qui ante illos in armis erat, continuatis clamoribus depoſcebant. At
Caſtilio natura timidus, & rei militaris rudis, & quod homo nouus ad magnos hono-
res, magiſtratúſque non ſua virtute, ſed aulico fauore peruenerat, & à Ludouica Regis
matre ne quid fortunæ committeret, mandatum habebat, in contraria ſententia fuit; &
quod nubes obſcuriores hoſtium diſceſſum tegebant, quæ id temporis crebræ eſſe ſolent,
inſidiiſque opportunæ eſſent, nihil præcipitandum Regi ſuaſit: cui Franciſcus potius
quàm veteranis ducibus fidem adhibere maluit. Ita Cæſariani ſe Valentiam ſex inde mil-
liaribus diſtantem campis latiſſimis, prælióque faciendo aptiſſimis paucis amiſſis, ac nul-
lo quidem præter Emerium nothum magni nominis, receperunt. Quod ſi bona conſilia
Franciſcus ſequutus fuiſſet, prælíumque maturè iniiſſet, haud dubium quin aut victor
Cæſarem cepiſſet, aut deleto eius exercitu turpiter fugere coëgiſſet. Sed homo oſten-
tandis magis quam gerendis magnis rebus natus, dum adulatoribus ſeſe dat, virorum
fortium conſilia non admittit, omneis fere ſemper bonas occaſiones amiſit, vt ſuis lo-
cis mox ediſſeremus. Cæſar autem diſcrimen animaduertens, ac metu perculſus relicto
ſuo exercitu noctu cum centum equitibus in Flandriam euaſit. Adoleſcens enim adhuc
erat, & nondum eum, quem multis poſtea bellis feliciter conſequutus eſt, militiæ vſum
habebat.

Borbonij & aliorum virorū fortium de adoriendis Cæſarianis prudens conſilium.

Franciſcus itaque nulla re memorabili geſta ad Scaldin non longè ab eo, quo fluuium 36
traiecerat, loco caſtra fecit: ad ſoluendam Tornaci obſidionem properare decreuerat;
pluuiis vrgentibus, exercitúmque affligentibus Octobri ad finem vergente de traiicien-
dis fluminibus deſperans per Atrebatenſem agrum in Picardiam, quæ Belgicæ Galliæ
pars eſt, redire ſtatuit: interim Bochainum Borbonius equitum magiſter, Sommanum
Vindocinenſis deditione cepit. Et Anglici legati Regem adierunt, vt pacem inter Cæ-
ſarem, ipſúmque confirmarent; eóque rem perduxerunt, vt inter eoſdem conueniret.
Tornacenſem obſidionem ſoluere, Mediolanenſem exercitum reuocare Cæſar, Franciſ-
cus quoque exercitus ſuos dimittere tenebatur: verùm de capto per Bonìuetum Amyra-
lium Fonterapido nuntius interuenit; idcirco fœdus, niſi reſtituto Fonterapido ratum ha-
bere Cæſar noluit: quum reſtituere Franciſcus à Boniueto quamquam abſente perſua-
ſus recuſaſſet, bellum redintegratum eſt. Quinque aut ſex diebus ad Scaldin ſpe pacis
fruſtra conſumptis non magnum fluuium ex Atrebatenſi pago, quem vicum vulgo ap-
pellant, atque è ſtagnis Oeſiis in Scaldin non longe à Bochaino defluentem crebris tum
imbribus vehementer auctum quatuor à Duaco milliaribus Galli pridie Kalen. Nouembr.
tranſmiſerunt. Dorlanum inde, mox Ambianos Rex adiit. Interim Borbonium equi-
tum magiſtrum ac Vindocinenſem Hiſdinum miſit. Illi oppidum ſtatim expugnarunt,
arcem Adriani Croij Roëſij Comitis vxore ac Bellano, quem Sucharum vocabant, de-
dentibus ceperunt. Bieo præfecto impoſito triginta cataphractos equites ducentos pe-
dites in arcis, in oppidi præſidium mille Franciſci Mongomerij Lorgij pedites dederunt,
atque inde ad Regem in Ambianis adhuc agentem reuerterunt. Is diſtributis in vrbes
hoſtibus obiectas præſidiis ſub huius anni finem ſe Compendium recepit, & Camperuxio
Tornaci præfecto quandoquidem ſuppetias ire non poſſet, vt honeſtis vrbem conditio-
nibus dederet, mandauit. Is armis, equis, atque omni ſua militum, ciuiúmque ſupellecti-
le excepta ſignis explicatis ac tympanis reſonantibus Tornaco exiit, & Dorlanum vſque
accepto ab hoſtibus præſidio deductus eſt. Quod de capto Fonterapido ſupra comme-
moraui

Fœdus inter Carolū Imp. ac Frāciſcum penè conceptum Fonterapidi per Boniuetum capti nuntius omnino diſſoluit.

Tornacum à Camperuxio quibus cōditionibus deditum.

moraui ita habet: Boniuetus Amyralius cum ſuo exercitu ad Fanum Ioannis Luzij, ſiue Lucenſis ſub finem Septembris appulit. Is paulò ante Burdegalæ,& in aliis aliquot Aquitaniæ vrbibus magnam pecuniæ vim magna acerbitate, quaſi mutua Regi daretur, extorſit: neque Sacerdotibus, aut Senatoribus pepercit; in flagrantiſſima enim & apud Franciſcum Regem, & apud Ludouicam eius matrem gratia erat, & Regio conſilio poſt mortem Arcturi fratris ſummi Regiæ familiæ magiſtri præerat. Quatriduum ibi commoratus Andreanum cum bis mille quingentis Germanis peditibus,aliquot equitibus ad circumſedendam Maiam vrbem miſit: Poignanam interim arcem in monte, quem vulgo Ronceuallem appellant, ſitam oppugnauit. Hiſpanus Mondraco præfectus deditionem fecit, inde Maiam & ipſe conceiſit,tormenta noctu admouit, poſtridie ſæpius exonerari iuſſit: interim Germanos aliò properare, & non longè à Fano Ioannis Luzij ad Eſtagnum vicum caſtrametari admonitos mox ſequutus eſt, ibique biduum cæterum exercitum expectans, & quæ ad ſuperandos monteis proximos neceſſaria erant præparans, conſedit: deinde montibus ſumma celeritate ſuperatis ad Biriatum vicum caſtra fecit, vbi Behaubiam fluuium (ſic enim vulgo appellatur) traiicere decreuerat,qui à Cantabrorum montibus delapſus ad Fontem Rapidum in mare deuoluitur.

37 At Hiſpani noſtros tranſitu prohibituri alia ex fluminis parte ſtabant, & fluuius refluo mari inflatus nullam tranſitus ſpem dabat. Poſtridie mane, quum aquæ mari in ſe reuerſo deſediſſent, Claudius Lotharingus Guiſanus Comes primus Germanis ſequentibus fluuium hoſteis aggreſſurus traiecit. Hiſpani quamquam numero fere pares, quorum Diegus Verus dux erat, primum eorum impetum non expectantes in monteis proximos euaſerunt: Galli ad Fanum Mariæ conſiſtentes magna commeatus inopia laborabant, quem Behaubiana arx à fluuio (vt videtur) appellata interuertebat,& ad exercitum deportari prohibebat. Hanc quum tormentis Boniuetus verberaret, pila per feneſtram in turrim immiſſa hoſtium tormentum,quem canonem vocant,confregit,libratorémque pariter comminuit,vnde attoniti præſidiarij præfectum ad deditionem compulerunt. Arce potitus Boniuetus Fontemrapidum in colle ad fluminis oſtium ſitum vndiquaque circumſedit (neque enim magnus vrbis ambitus erat, quæ partim mari, partim fluuio, partim monte cingitur) exigua muri parte proſtrata, nec ſatis depreſſa Vaſcones, Cantabríque in vrbem irrumpere tentarunt: quibus repulſis oppugnatio in poſterum diem indicta. Quum autem in locum excelſum in vrbem deſpectantem tormenta campeſtria tranſportari Boniuetus iuſſiſſet, quæ à latere Hiſpanos muro ſuccedenteis peterent, obſeſſi oppugnationem non expectantes de deditione egerunt, & quod ſuum erat, exportare permiſſi vrbe ceſſerunt. Hinc magnos ſpiritus Boniuetus concepit, & quouis militari munere dignus ſibi, ipſique Regi viſus eſt. Hoc autem bellum ſe nulla impenſa confeciſſe iactabat, quum ingentem pecuniam crudeliter ab Aquitanis mutui ſpecie corraſiſſet. Vrbem ſolo æquandam ſuaſit Guiſanus, quamquam tum adhuc adoleſcens, in quam commeatus quotannis comportari non niſi parato exercitu poſſet. At Boniuetus apud Regem, Regiſque matrem potens, ſi in Regis poteſtate conſeruaretur, ſibi maiori gloriæ futurum ducens, & prolixè quanti ea vrbs momenti eſſet prædicans, aut potius mentiens præſidium eidem impoſuit; Ludæum præfecit, & pacem inter Cæſarem Regémque initam ſua ambitione interrupit: hæc enim ſola vrbs, ne rata pax à Cæſare haberetur, (vt paulò ante ſcripſi) impedimento fuit. Boniuetus quidem certè ab Arcturo fratre multum diſſentiens, qui pacis author ſemper fuit, Franciſcum initio ad bellum aduerſus Cæſarem incitaſſe fertur: vnde ſibi mortem non ita multò poſt, Regi hero captiuitatem accerſiuit, & totum Chriſtianiſmum ſua ambitione perturbauit. Hi enim duo principes inter ſe commiſſi cæteros fere omneis ſecum traxerunt, & vniuerſos Chriſtianos in mutuas cædes irruere vel perſuaſerunt,vel coëgerunt;Turcis autem eas,quas poſtea uidimus, Imperij augendi occaſiones præbuerunt. Hinc expugnata Rhodus, Pannoniæ amiſſæ, Peloponeſi bona pars, multæ inſulæ, poſtremo Cyprus, omnium denique malorum noſtrorum longa ſeries ex hac vna turbata pace manauit: quæ primum author ipſe, mox Rex herus nimis credulus (vt diuina vltio iuſtiſſima eſt) expertus eſt. Sic magnis principibus euenire ſolet, qui ſeſe aulicis adulatoribus totos dant: virorum prudentium conſilia aſpernantur. nunc Belgico, Cantabricóque bello enarrato ad Mediolanenſe redeamus.

Fontemrapidū vt in Boniueti poteſtatem venerit.

Turcis imperij propagandi occaſiones opportunæ datæ.

38 Inter Leonem Cæſariſque apud Leonem legatos ita de belli Mediolanenſis ratione conuenerat, vt quamprimum in id incumberent: Pontificiis, Florentiniſque cataphractis equitibus numero ſexcentis Neapolitani Cæſaris totidem equites iungerentur, Italorum

Belli Mediolanenſis rationes exponuntur.

lorum millia ſex conſcriberentur, bis mille Hiſpani pedites, qui cum Adurnio in Genuenſi agro erant, ad exercitum, qui ad Mutinam, Rhegiúmque Lepidum conuenire debebat, accederent. Eodem totidem Hiſpanos pedites è regno Neapolitano Ferdinandus Daualus Piſcarius adduceret: duo Heluetiorum millia, qui in Leonis ſtipendio remanſerant, adiungerentur, cæteris antequam Leſcutus Rhegium proficiſceretur in patriam reuerſis: tametſi in his retinendis centum quinquaginta nummûm aureorum millia Leo fruſtra impenderat: communi Leonis ac Cæſaris ſumptu quatuor Germanorum, duo Rhetorum millia adderentur. Decretum præterea fuit, vt cum Heluetiis ageretur, vti ſex peditum millia Leoni ex fœdere mitterent, nullos pedites Franciſco Regi aduerſus Leonem darent: quod fœdus cum Leone initum præcederet, cum Rege ſequeretur; quod ſe, & Leonis, & Cæſaris authoritate aſſequuturos ſperabant: id ſi ita ſuccederet, à Comenſi agro belli initium facere decreuerant: vnde multi exules ex honoratis familiis, & plebs militum rapinis exhauſta rebellatura facilè videbatur. Iam enim beneuolentia illa qua ſe Mediolanenſes Ludouico Regi quodam modo addixerant, in acerbum odium conuerſa erat: quandoquidem Ludouicus eius principatus conſeruandi ſtudioſus militem nunquam ſtipendio ſuo fraudabat, ius cuique reddi diligenter curabat, ne quis expilaretur pari ſapientia cauebat. At Franciſcus in omnem luxum effuſus, in muliebres amores eorúmque adminiſtros, in conuiuia, ſpectacula, cæteráque id genus, necnon & in venationes prodigus, nec equiti, nec pediti in Mediolanenſi agro præſidia agenti ſtipendium ſaltem ad tempus numerabat. aliquando etiam militem defraudabat, & aliquid inde ſubducebat: vnde milites ad rapinas conuerſi omnia prope ſibi licere ducebant. Præfecti Regis negligentiam imitati, nec milites ad priſtinam militarem diſciplinam præſtandam cogebant, nec ius, vt ſub Ludouico, ex bono & æquo dicebant, ſibíque non ſecus ac militibus multa licere gaudebant. Accedebat Mediolanenſium rerum nouarum ſtudioſorum ardor, errórque cum cæteris fere omnibus hominibus communis, qui vt ſe è præſentibus malis eripiant, futura quamquam maiora haud præmeditari ſolent. Adhæc Hieronymus Moronus Senator Mediolanẽſis Ludouico Duodecimo in primis acceptus, Franciſco infenſus, quod inter ſupplicum libellorum magiſtros numerari ambiens repulſam paſſus eſſet, apud Franciſcum Sfortiam Ludouici minorem natu filium Tridenti exulem agebat, & Mediolanenſes exules ad rebellandum totis viribus accendebat, tantiſper dum Lautrecius Mediolano profectus, vt Alebreti Horualli filiam vxorem duceret, in Gallia diutius remaneret. Huius vicem initio obiuit Telignius Rouergas Seneſchallus vir militaris, ac prudens, qui ſua prouidentia, atque humanitate Mediolanenſium animos mirandum in modum ſibi deuinxerat. Succeſſit deinde Leſcutus Mareſchallus Lautrecij frater, cuius aduentu res Mediolanenſes admodum commutatæ fuerunt: vir enim elato, præcipitique ingenio magnam rebellandi auidis occaſionem dedit: quam nactus Moronus Leonem, Cæſariſque præfectos, vt bellum maturarent, vehementer impulit; huius conſilio Mediolanenſem principatum, Genuámque eodem tempore aggredi decreuerunt.

Principatus Mediolanẽſis inuadẽdi occaſio Cæſari oblata.

Neapolitanæ triremes cum bis mille Hiſpanis Pontificiæque iunctæ nauigare Genuam Hieronymo Adurnio duce iubebantur: cuius authoritate, atque Adurniæ familiæ clientelis arma capientibus tumultum in vrbe excitatum iri ſperabant. Manfredus Pallauicinus, ac Ioannes Stultus latro famoſiſſimus cum Germanis mixtis aliquot Italis Comum ex inſidiis intercipere, Mediolanenſes exules, ipſéque adeo Moronus totius rebellionis architectus Rhegium conuenire debebant, vt tribus peditum millibus, quæ vt conſcriberent, decem nummûm aureorum millia per Franciſcum Guicciardinum Mutinæ, Rhegiíque præfectum Morono tradi Leo iuſſerat, ſibi adiunctis Parmam, Placentiam, Cremonam, Mediolanum ſimul adorirentur. Vbi aliquot exules ad Buſſetam Chriſtophori Pallauicini fundum Leſcutus conueniſſe reſciuit, Cardinum Cremonenſem eo miſit Chriſtophoro denuntians, vt exules inde pelleret. Cardinus mandatum non ſtatim exequutus paucos dies in proximo ſuo fundo commoratus eſt: interim Cardinum exploratorem, vt Chriſtophorum comprehenderet, quidam illuc acceſſiſſe retulerunt; quem ille domo abreptum in tam acrem quæſtionem coniecit, vt quicquid rogaretur, dolore victus fateretur: fatentem laqueo ſtrangulari, exules autem Buſſeta migrare iuſſit. Illi Rhegium Iunio ad finem inclinante, multis præterea quotidie eodem confluentibus, ſe contulerunt: quorum pleroſque aut leuibus de cauſis, aut ad eorum opes rapiendas proſcriptos fama erat; quo nomine Lautrecius, Leſcutúſque malè audiebant. Horum certior factus per Federicum Gonzagam Boſſuli Mantuani oppidi principem Leſcutus, eo vt illos

Moronus Mediolanenſis rebellionis auctor.

39

illos comprehenderet, Alexandro Triuultio quinquagenariæ cataphractorum equitum alæ præfecto, ne pacem interturbaret, diſſuadente, cum quadringentis cataphractis equitibus nono Kalend. Iul. Parma profectus ire properauit, Boſſulus cum mille quingentis peditibus ſequebatur. vbi ad alterum à Rhegio milliare appropinquauit, maiorem equitatus partem reliquit, cum cætero Rhegium contendit; & ne tantiſper dum cum vrbis præfecto colloqueretur, exules ſeſe ſubducerent, Ambram cum aliquot equitibus ad Mutinenſem portam, Bonauallem ad præfectum, vt cum eo colloqueretur, præmiſit. Mutinæ, Rhegiique iam aliquot annis præfectus erat Franciſcus Guicciardinus, qui luculenter hanc hiſtoriam vernaculo ſermone ſcripſit. Is Leſcutum Parmam appuliſſe certior factus Guidum Ranconum, & aliquot ex his quos Moronus conſcripſerat pedites in vrbem intromiſerat: ad Parmenſem portam coëuntes Leſcutus ac Guicciardinus alter de exulibus contra fœdus inter Leonem Franciſcúmque initum in vrbem receptis, alter quod cum tanto equitatu in ditiones Pontificias quaſi vrbem ex inſidiis intercepturus inuaderet, querebatur. Interim alia porta, vt farina onuſtus currus intromitteretur, forte aperta Bonauallis quinquagenariæ cataphractorum equitum alæ præfectus irrumpere tentauit; nec ſine tumultu porta occluſa repulſus eſt. Tumultu audito exules qui ad Parmenſem ſtabant, ſclopetos in eos, qui Leſcutum comitabantur, exonerarunt, & niſi Guicciardino timuiſſent, ne Leſcuto quidem peperciſſent. Alexander Triuultius glande ictus biduo poſt Parmæ vitam finiit. Leſcutum in vrbem intromiſſum, donec tumultus ſedaretur, mox præfectus ne rupti fœderis author videretur, dimiſit. Is cum ſuo equitatu, & Boſſuli peditibus aliquot dies ad Corrigiam vicum ſexto à Rhegio milliari ſubſtitit: deinde ad Parmenſem agrum tranſiit. *Alexander Triuultius glande ictus extinguitur.*

40 Et ne Leo Pontifex inde fœderis diſſoluendi, & cum Cæſare conueniendi anſam abriperet, (neque enim iam conueniſſe exiſtimabat) Mottam Groinum Arſianæ alæ ſigniferum curſoribus equis ad eundem miſit, vt ipſum non inuadendarum Pontificiarum ditionum, ſed exulum intercipiendorum, aut pellendorum ergo Rhegium petiiſſe denuntiaret. Pontifex minaci, iratóque vultu Leſcutum cum exercitu ditiones ſuas vexaſſe reſpondit: quanti id momenti futurum ſit, poſtea agniturum. Reuerſum Parmam Leſcutum conuenit Pondormius eius vrbis præfectus, quem Rex Diuiono idcirco ad Leſcutum miſerat, ne quid nouarum rerum aduerſus Leonem moliretur; ne duos ſimul aduerſum ſe hoſteis concitaret. Exules iam plurimos coiiſſe, peditéſque conſcripſiſſe, intelligens Luſcutus tormenta aliquot, puluerémque tormentarium Mediolano mitti ad ſe ſcripſerat, quæ Richeburgus arcis præfectus tradere initio recuſarat: mox Conſeranenſi aut (vt alij tradunt) Tarbellenſi Pontifice Lautrecij abſentis legato iubente multi eius pulueris cadi ex arce educti, vt in diuerſas vrbeis mitterentur, ante portam remanſerant; in quos tertio Kalend. Iul. poſt ſolis occaſum cœlo ſereno fulmen delapſum in turrim portæ arcis inſigne Sfortianorum regulorum opus in qua ducenta quinquaginta tormentarij pulueris millia pondo, mille ducenta figlina vaſa, ſexcentæ lanceæ ad ignem accendendum, ſpargendúmque compoſitæ fuiſſe perhibentur, eandem à fundamentis euertit: lapides in totam arcem, arcíque ſubiectam plateam diſiecti multos vulnerarunt, multos cadentes obruerunt, vt trecenti fere periiſſe tradantur, nam tum plerique deambulantes frigidam auram nocte imminente captabant. Porro terræ motus inde excitatus non ſolum arcem, ſed & totam vrbem concuſſit: admirationi fuit, quod ingentis magnitudinis lapides, quos vix centum boues traherent, quingentos ab arce paſſus eiaculati viſebantur. Turris euulſa fundamenta ſupra portam ſtabant, faſtigium ſolo infixum erat, quod malum omen Gallos in primis deterruit, Leonem ad maturandum bellum prouocauit. Tanta verò arcis deſolatio erat, vt Galli Senatores, cæterique eiuſdem gentis magiſtratus eam introire, & donec centum cataphracti equites Nouaria arceſſiti aduentarent, cuſtodias agere cogerentur. *Leſcutus quidquam contra Leonem moueri à Franciſco prohibetur.* *Arx Mediolanenſis à fundamentis magna totius vrbis deſolatione euerſa, & quo modo.*

41 Leo qui iamdudum, ſed clam, cum Cæſare conuenerat, Leſcuti Rheginenſi profectione intellecta vehementer in Cardinalium conuentu de Rege queſtus eſt, & fœdus iam inter ſe Cæſarémque initum, ac triremes ſuas vnà cum Cæſarianis ad capiendam ex inſidiis Genuam miſſas ſilentio prætermittens. quandoquidem Rhegium Leſcutus intercipere conatus eſſet, Rexque erga ſe, Pontificatúmque Romanum malè affectus eſſet; neceſſario ſe ad coëundam cum Cæſare ſocietatem, quem Vormatienſi conuentu *Leonis de Fräciſco querimonia.*

uentu ſibi, Romanæque Reipub. beneuolum expertus ſit, cogi profeſſus eſt: vt Pontificatus maieſtatem tueatur, eámque tum, perinde, ac ſi contracta nondum fuiſſet, cum Ioanne Emmanuele Cæſaris legato coire ſimulauit. Proſperum Columnam cui belli ſumma committeretur, Romam accerſiuit: Federicum Gonzagam Mantuanum regulum in Gallia Ludouico Duodecimo rerum potiente educatum cum ducentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus ſtipendio affectum Pontificij exercitus Imperatorem deſignauit; tametſi eundem mox Proſpero parere iuſſit.

Proſper Columna Pontificij exercitus Imperator deſignatur.

Is à Franciſco regni initio centenaria cataphractorum equitum ala donatus erat: ſed Carolus Refugius Bocardus eius legatus gratia apud Franciſcum potens Mantuano titulum, ſibi in eam alam imperium datum interpretatus maiorem, minorémque, quem vulgo guidonem appellant, ſigniferos delegit. Quamobrem indignatus Mantuanus tametſi primum diſſimulauit, non ita multò poſt, vt Pontificium ſtipendium ſibi merere liceret, à Rege poſtulauit, ídque impetrauit: bello mox inter Leonem Franciſcúmque declarato ad Regem Regiæ ſocietatis inſigne remiſit, & Gallorum deinde hoſtis acerrimus fuit; bellum apertè, quoniam inſidiæ malè ceſſiſſent, Leo gerere decreuit: Pontificiæ enim Cæſarianæque triremes de quarum aduentu certior factus Octauianus Fregoſius, ne quis in vrbe tumultus oborìretur, ſapienter prouiderat, Genuam appulſæ re infecta redierant; Moroni, exulúmque machinationes Federici Boſſuli, aliorúmque induſtria detectæ nihil profecerunt. Poſtremò Manfredus Pallauicinus cum octingentis partim Germanis, partim Italis peditibus nono Kalend. Iul. quo die Rhegium Leſcutus petierat, Comum profectus, noctúque quod Antonius Ruſcus ciuis Comenſis murum ad domum ſuam ita aperire promiſerat, vt facilis aditus pateret, vrbem ingredi ſperans egregiè repulſus fuerat. Nam Gratianus Garrus ex Grandimontana nobili apud Aquitanos familia ortus vrbis præfectus cuſtodias mixtis cum præſidiariis ciuibus ita diſpoſuerat, vt murum perrumpere Ruſcus non auderet, & hoſteis vigilias negligentius obire animaduertens ex vrbe cum ducentis militibus egreſſus eoſdem perfacile fuderat, hoſtiles ſeptem lembos ceperat, treis demerſerat: deinde magna diligentia Lario lacu vela faciens ad anguſtias, ad quas fugientes hoſtes tranſituri erant, prior appulerat, hoſteis nihil tale ſuſpicanteis aggreſſus vel ceciderat, vel ceperat, Pallauicinum ac Ioannem Stultum Mediolanum miſerat: Germanos incolumes abire permiſerat.

Franciſcus non amplius per inſidias, ſed apertè bellum aduerſum ſe geri intelligens 42
Lautrecium Mediolanum remittere inſtituit: ille ob Regis negligentiam, tótque inutiles impenſas quas Franciſcus in dies faciebat, ſtipendium ſuis militibus defuturum prouidens redire niſi trecentis nummûm aureorum millibus acceptis, quæ ad id bellum neceſſaria eſſe ducebat, recuſauit: cæterum & Regis, & matris eius promiſſis, ac iureiurando, eorúmque qui Regio ærario præerant, tandem victus, qui eam pecuniam priuſquam Mediolanum appelleret repræſentatum iri ſpondebant, ſe ad iter accinxit.

Pallauicinus Lautrecij iuſſu capite plectitur.

Mediolanum ingreſſus Pallauicinum multis cognationibus affinitatibúſque potentem, Leoniſque ipſius propinquum præter multorum Senatorum ſententiam, qui ſubſcribere noluerunt, capite luere iuſſit; & quod multos rei indignitate permouit, bona eius Leſcuto fratri addixit. Viri prudentes, quod nihil antea deliquiſſet, in Galliam mittendum cenſuerunt tot propinquorum velut obſidem futurum qui nunquam interim ſpe eius in integrúm reſtituendi à Rege defeciſſent. Mox ſe ad bellum Lautrecius præparans vt omnis Gallicus equitatus ſexcentis cataphractis Venetorum equitibus, ſex peditum millibus, qui iam per Veronenſem in Brixianum agrum contendebant, adiungeretur, edixit; decem Heluetiorum, ſex Gallorum peditum millia accerſiuit. Proſper autem Columna impoſitis Bononiæ, Mutinæ, Rhegio, Rauennæ, Imolæ præſidiis, non expectatis Germanis Neapolitaníſque copiis, nulla ex Heluetiis auxilia noſtris affutura ſperans ad Niceam fluuium (Lentiam Blondus, & Galeatius Capella vocant vulgarem appellationem ſequuti) qui Rhegienſem agrum à Parmenſi ſeparat, quinto à Parma milliari caſtra poſuit. At Heluetici pagi poſtulatum peditum numerum, quamquam Seduno Cardinale, ac Leonis, Cæſaríſque legatis repugnantibus,

Magni vtrimque belli apparatus.

publice Regi auxiliarem decreuerant; qui tantiſper dum ſe ad iter comparant Georgius Sopraſaxus vel Suppreſſanus cum quatuor Valeſiorum millibus Mediolanum appulit: idcirco Leſcutum fratrem cum quadringentis cataphractis equitibus, quinque Italorum peditum millibus, quorum Fedoricus Boſſulus tribunus erat, Parmam Lautrecius

trecius

trecius paulò antè miſerat. Veneti ad Pontemuicum proceſſerant, Ferrarienſis pedites conſcribebat: vnde, quod maioribus viribus opus erat, ſeptem dies in iiſdem caſtris Proſper remanſit: illuc interim quadringentos cataphractos equites è regno Neapolitano Antonius Leua adduxit, & Mantuanus cum parte ſuorum appulit. Ad Lazari Fanum à Parma vnico milliari diſtans Proſper inde progreſſus eſt, nihil præterea moliturus priuſquam Ferdinandus Daualus Piſcarius cum trecentis cataphractis equitibus, bis mille Hiſpanis peditibus, Germaníque acceſſiſſent. Hi aliquot equitum alas, vt per Venetas ditiones tranſirent, petebant: quibus obuiam partem ſuorum, vt appropinquanteis tranſitu prohiberent, Veneti miſerant, ſpecie magis quàm reipſa Gallis opem ferentes: Germanos enim, qui cum Rhetis ad ſex millia erant, expectare non auſi pridie quam illi Venetas ditiones ingrederentur, ſe Veronam receperunt. Ita Germani nemine prohibente per Valegienſem in Mantuanum agrum peruenerunt.

43 Iam tredecim dies fœderati ad Lazari Fanum ſubſtiterant, quum Piſcarius acceſſit: poſtridie ad Martini Fanum proceſſerunt, quo die Germanorum quatuor, duo Rhetorum millia ſeſe illis adiunxerunt. Tum Parmámne, an Placentiam oppugnarent, deliberatum; & quod plerique milites ob ſtipendij, farinæque penuriam Parma abirent, atque ad hoſteis deficerent, Columna ac Piſcario mutua æmulatione inter ſe diſſidentibus, tandem vt primùm oppugnaretur Parma decreuerunt, & decimotertio die poſtquam ad Martini Fanum appulerant, tranſmiſſo Parma fluuio ad Placentinæ portæ ſuburbium, quod pridie Leſcutus incenderat, acceſſerunt. Parma fluuio eiuſdem cum vrbe nominis, verum non æqualiter, diuiditur: altera pars Placentiam verſus vulgo Cauda pontis dicitur, & quondam ſuburbium duntaxat fuiſſe videtur: quam populi fæx, alteram duplo maiorem ditiores incolunt. Ad Caudam pontis fœderati, quod ibi murus debilior, & quod defenſacula ſeſe inuicem, vt hoſtes appropinquantes in latera peterentur, non reſpectabant, tormenta quarto Kalend. Septembris admouerunt: ſex duntaxat maiora, quos canones, duo minora, quos colubrinas vocant, habebant: & tantiſper dum duo maiora Mantua aſportantur, poſt ſatis latam muri partem depreſſam, ita tamen vt ſine ſcalis conſcendere haud facilè eſſet, ad cuniculos ducendos ſe conuerterunt; ac lentè, quod quæ neceſſaria erant in promptu non habebant, & quod ſolum æſtiuo calore induratum erat, in opus incubuerunt. Proſper enim exulum pollicitationibus fretus modo acceleraret, vrbeis omneis, quemadmodum non ita dudum ad Ludouicum Sfortiam eundem principatum repetentem defecerant, ita ad ſe quoque ſponte defecturas ſperauerat: nec ea quæ ad oppugnandas neceſſaria erant comportauerat: at ſummi duces, quod multa nec opinato interuenire ſolent, ad omnia parati eſſe debent. Interea Lautrecius, qui, quòd milites acceſſiti tardius accederent, nondum ſe commouerat, cum quingentis cataphractis equitibus, ſeptem Heluetiorum, quatuor Gallorum peditum millibus, quos Petrus Pictauienſis à Fano Valerij vulgo nuncupatus illo ipſo die adduxerat, ac Venetis copiis, ſecundo Pado Parmam iter inſtituit; ſex præterea Heluetiorum millia expectans, quæ iam in itinere erant, ſed ſuo more tardius incedebant; quibus adiunctis, vt Parmæ ſubueniret, pugnæ aleam ſubire decreuerat. Is ſui aduentus Leſcutum fratrem certiorem reddidit, & quod Heluetij niſi ſociis iunctis Padum traiicere recuſarent, ſe nonnihil cunctari, bene tamen ſperaret, ſe tormentorum crepitu præſentis auxilij ſignum daturum. Leſcutus, vt acceleraret, monuit, vix enim triduum minorem vrbis regionem; vix biduum alteram tueri poſſe, quod tria Italorum peditum millia transfugiſſent, non prorſus bis mille ſupereſſent, vrbem amplam, magníque ambitus à tam paucis non poſſe retineri. Reſponſo accepto ad vicum Zibellam viceſimo à Parma milliari Lautrecius progreſſus eſt, vnde quadringentos cataphractos equites ad Parmenſia caſtra emiſit. Fœderatos ter minorem, ſiue inferiorem Parmam aggreſſos ſcribit Bellaius ac fortiter repulſos: alij ſemel duntaxat, ídque tumultuariè ſine ducum mandato; cuniculis ad murum vſque ductis Guidus Rauconus Italorum peditum tribunus ad alteram muri partem tormenta promouit: promouentium ſtrepitu audito Galli reductis in alteram vrbis regionem vltra fluuium tormentis priorem reliquerunt.

Parma à fœderatis obſidetur.

Lautrecius Parmæ ſuppetias laturus ad iter ſe accingit.

44 Parmenſes ſub primam auroram fœderatos partim per murorum ruinas partim ſcalis conſcendenteis læti, quod ſub Pontificiam ditionem redire cuperent, exceperunt.

Tt At

At lætitia ſtatim in fletum verſa eſt: fœderati eorum domos non ſecus atque hoſtium compilarunt ac tormenta ad ripam fluminis collocarunt; vt murum, qui aduerſam ripam tuebatur, proſternerent. Illo ipſo die ad Tarrum fluuium ſeptem Parma paſſuum millibus diſtantem Lautrecius appulit: nonnulli vt prælio decerneret, alij vt fratrem Leſcutum cum ſuis, ſi tueri amplius vrbem non poſſet, exciperet; alij vt cum fœderatis conueniret, aduenisse cenſebant. Equitatu præſtabat Lautrecius non tam numero, quam equitum virtute, peditatu inferior videbatur: ſi quis rectè metitus fuiſſet, vires prope pares erant; in bellis parua ſæpe res præter ſpem interueniens magnam affert commutationem. Bononia nuntius ad fœderatorum exercitum miſſus Ferrarienſem cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, bis mille peditibus, duodecim tormentis Finali ac Felicis Fano potitum retulit: periculum eſſe, ne Mutinam, Rhegiúmque oppugnaret, quibus haud iuſtum præſidium ineſſet. Id quidem præuiderat Columna, & Ferrarienſem à Gallis, vt eam expeditionem ſuſciperet, rogari ante nouerat. Sed vel Ferrarienſi ſibi intimo fidens, cuius cum Leone reconciliandi ſe authorem interpretémque præſtiterat, vel exercitum imminui non facilè ſuſtinens, ſemper enim tuto bellare conſueuerat, ideóque maiores copias, quàm neceſſe eſſet, identidem petebat, illuc ex exercitu præſidia non miſerat. Is nuntius vbi ad Parmenſia caſtra noctu appulit, fœderatorum duces ea re perturbati ſtatim conuenerunt, & vt Ranconus eadem hora cum ducentis leuis armaturæ equitibus, octingentis peditibus Mutinam properaret, ſtatuerunt: & tum quod Lautrecius cui iunctos, qui in itinere adhuc erant, Heluetios exiſtimabant, non procul abeſſet, de Parma capienda deſperantes duodecimo obſidionis die ad Lazari Fanum reuerterunt, Germanis ob denegatas, quas impudenter depoſcebant, nouas ſtipendij conditiones ſeſe à cætero exercitu ſeparantibus. vnde fœderati ne ad Gallos Germani deficerent veriti ac de repentini diſceſſus deliberatione attoniti non ſine magna trepidatione abſceſſerunt: quos ſi tum Lautrecius aggreſſus fuiſſet, haud dubium quin & voluntatibus, & locorum interuallis diſiunctos facilè in fugam dediſſet. Germani nihilominus ſocios illo ipſo die ſequuti ſunt.

Fœderati Finalis ac Felicis Fani per Ferrariẽſem capti certiores facti.

Parmæ obſidio ſoluta.

Soluta Parmæ obſidio Leonem non parua moleſtia affecit, cuius præter Hiſpanos totus is exercitus ſtipendium merebat: & Cæſarianos duces ob longam cunctationem ſuſpectos habebat, ſéque illis ſuſpectum viciſſim ſuſpicabatur, ne Parma, Placentiáque receptis pro alieno principatu tantas belli impenſas diutius facere recuſaret. Hoſtibus digreſſis Parmam Lautrecius recentibus præſidiis muniit, & ad Fontanellam caſtra fecit. Fœderati ad Niccam fluuium retroceſſerunt, ſi Galli inſequuti fuiſſent, vlterius Rhegium verſus pedem relaturi, quod ſex Heluetiorum millia ſupra commemorata iam Cremonam appuliſſent. Roccabianeam (is Parmenſis non longè à Pado vicus eſt) partem exercitus Lautrecius miſit, quam biduum tormentis pulſatam vnà cum arce Rolando Pallauicino vtriuſque domino dedente cepit. Deinde exercitum inter Sanctum ſecundum oppidum, Tarrúmque fluuium aliquot dies continuit, quid hoſtes molirentur, expectans. Illi Parma, cæteriſque vrbibus relictis Padum traiicere decreuerant, quod duodecim Heluetiorum millia ſibi auxilio uentura ſperarent (tot enim ab Heluetiis poſtularat Leo.) Heluetij pro tuendis Pontificiis ditionibus obtulerant adiecta conditione, ne aduerſus Franciſcum Regem, Mediolanenſémque principatum militarent. Conditionem accipere Sedunus Cardinalis ac Leonis Cæſariſque legati initio recuſarant: deinde quum aliter educere non poſſent, conditionem tandem admiſerant: quod vbi in Italiam deſcendiſſent, propter gentis auaritiam corruptis præfectis etiam aduerſus Mediolanenſes contra pagorum ſuorum decretum arma laturos exiſtimabant. Traiecto Pado propter regionis fertilitatem commeatum ſibi nunquam defuturum, nec Gallos niſi in Abduæ tranſitu obuiam ſibi proceſſuros fœderati ſperabant; relicta autem ad ſiniſtram Cremona nullas vrbeis, quæ reſiſtant, reperturos. Adhæc Venetos, quum ad eorum fines fœderati appropinquabunt, copias ſuas, aut ſaltem bonam earum partem à Gallorum exercitu ad ſua defendenda reuocaturos. Tum Bonifacius Franciſci Bernardini Vicecomitis filius Alexandrinus Pontifex ob detectas, quas aduerſus Gallos machinabatur, inſidias Mediolano profugit: aliæ quoque Cremonæ detectæ inſidiæ, quas Nicolaus Varolus exulum eius vrbis princeps moliebatur: vnde Cremonenſes nonnulli eius conſpirationis conſcij capite luerunt. Omnibus, quæ ad traiiciendum fluuium neceſſaria erant, comparatis, fœderati ad Briſſel

Heluetij ſe aduerſus Franciſcũ bel laturos pernegant.

ad Briſſellam caſtra poſuerunt,vbi Pado impoſitus pons erat. Antequam autem traiicerent, Vitellium cum centum quinquaginta grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, bis mille Italis peditibus, Piſtorienſem Pontificem cum bis mille Heluetiis Pontificiis vrbibus præſidio miſerunt: neque Heluetios aduerſus Gallorum exercitum educere tutum videbatur ibi plurimos ſuæ nationis reperturos: nec quid Heluetij recèns conſcripti, qui ad Curiam Rhetorum coierant, deliberarent, adhuc certum erat. Kalendis Octobris Padum fœderati tranſmiſerunt, & ad Caſale maius caſtra poſuerunt; ac propter impedimentorum copiam, eorúmque, qui exercitum ſequebantur, multitudinem non ſolum diem,ſed & bonam noctis partem in tranſitum impenderunt. Hinc nonnulla tormenta, pleraque impedimenta, milites permulti, aut labore, aut tenebris iter inſtitutum tenere prohibentibus fatigati inter fluuium ac Caſale diſperſi remanſerunt prædæ hoſtibus, ſi qui irruiſſent, futuri. Quod ſi Lautrecius, qui coactis ſimul omnibus Heluetiis ad Colorgnium, quo die fœderati ad Briſſellam, caſtra fecerat fluuium ponte à ſe inſtructo ad Caſale traieciſſet (tria enim duntaxat inter Colorgnium ac Caſale milliaria interſunt) hoſteíſque tranſeunteis, & circa meridiem, eos qui nondum tranſierant, aggreſſus fuiſſet, ſiquidem ſex milliaribus Colorgnium Briſſella, nec pluribus diſtat, eoſdem nimirum facilè ſuperaſſet: ſed quod eorum, quæ apud hoſteis geruntur, ignari ſunt duces, innumerabiles ſæpenumero bonas occaſiones amittunt.

46 Eadem nocte Iulius Cardinalis Medices, quo non conſulto, tametſi Florentiæ fere ſemper manebat, nihil Leo magni momenti agitabat, Caſale appulit: cuius præſentia Pontificij, ac Cæſariani duces inter ſe diſſentientes (quotidie enim Columna ac Piſcarius in ſe magis ac magis accendebantur) maiore concordia, ac poſito liuore deliberabant. Poſtridie fœderati ſeſe haud commouerunt, deinde quartis caſtris ad Ollium peruenerunt: ad villam, quam vulgo Cortem fraterculorum nominant, ſeditio inter Hiſpanos Italóſque pedites exorta, ac paulò pòſt, ſed nonnullis cæſis, ducum prudentia ſedata: inde ad Bordelanam octauo milliari diſtantem progredi ſtatuerant, ſed viis iam perruptis ad Rebeccum inter Cortem, Bordelanámque intermedium quod à Ponteuico Venetæ ditionis oppido ſolus Ollius ſeparat, conſiſtere coacti ſunt. Lautrecius relictis Cremonæ impedimentis illo ipſo die cum Venetis, ſuíſque copiis ad Martini Fanum quinto à Rebecco milliari peruenerat, hoſteis ſi porro pergerent poſtridie aggreſſurus: id Cardinalem Medicem fœderatorúmque duces admodum perturbauit; quod Veneti, quum copias ſuas initio ad Lautrecium mitterent, id Leoni huiuſcemodi verbis ſignificarant, vt non tam pro Galli Regis victoria, quam quod nullam recedendi à fœdere iuſtam cauſam haberent,miſſas indicarant.Itaque Venetos nunquam ad prælium acceſſuros fœderati ſibi perſuaſerant, quod iam falſum eſſe res ipſa arguebat; nemo autem Lautrecium viribus ſuperiorem ignorabat. Itaque illic Heluetios, quos Sedunus Cardinalis deducebat, & nuſquam cunctaturos promiſerat, intra triduum ac quatriduum affuturos ſperantes eoſdem expectare decreuerunt: magna in fœderatorum caſtris farinæ penuria erat: nam vino, ac carnibus abundabant, nec furni ad coquendos panes ſatisfaciebant, vnde exercitus bona pars farinam carbonibus ſuppoſitam, toſtámque edere cogebatur; ideóque multi Itali pedites diffugerunt. At tertio die Lautrecius, qui ad Bordelanum conſtiterat, tormenta aliquot ad Pontemuicum exportanda curauit, quæ ſub veſperam aduerſus Rebeccum ſæpius exonerata fœderatos periculi gnaros vehementer perterruerunt: neque enim Andream Grittum Venetum legatum Gallos in Venetas vrbeis admiſſurum iudicabant. Itaque poſtridie prima aurora magno ſilentio ſine tubarum, tympanorúmque ſtrepitu Gabionettam ad Mantuani agri fines magna celeritate contenderunt, ſe ingenti periculo vel fortunæ beneficio, vel Lautrecij imprudentia defunctos profeſſi. Si enim pridie quum tormenta ad Pontemuicum Lautrecius mitteret progreſſus aduerſus fœderatos caſtra caſtris contuliſſet, vti multi Galli duces Heluetiorúmque præfecti ſuadebant, haud dubium quin victoriam reportaſſet: neque enim Rebecci diutius conſiſtere, neque inde ſeruatis ordinibus fœderati exire potuiſſent, quos tormenta à Ponteuico identidem diſrupiſſent. Sed Lautrecius peruicacis, ſuperbíque ingenij dux multorum ſententias rogare, &, vt ſolus ſapere videretur, quod minus aliis placuiſſet, ſequi fere ſemper conſueuerat: is hoſteis perſequens poſtquam Rebecco migraſſe animaduertit, ibidem caſtra fecit.

Seditio inter Hiſpanos Italóſque pedites exorta.

Lautrecius peruicacis ingenij dux.

Heluetij autem conſpecto oppidi ſitu donatiuum, quod victoribus dari ſolet, ſe 47
meruiſſe, & quidem iure teſtati ſunt: neque enim per ſe ſtetiſſe, quo minus victoria Lautrecius poriretur. Ad Gabionetam caſtris diligenter munitis aliquot dies fœderati conſederunt; deinde, ne vicini Galli nondum iunctis Heluetiis imparatos adorirentur, Oſtianum eoſdem expectantes proceſſerunt. Interim dum ad Oſtianum fœderati, ad Rebeccum Galli nulla re memorabili geſta cunctantur, Heluetij quos Sedunus Cardinalis, ac Verulanus Pontifex adducebant, Bergomenſem agrum ingreſſi quamuis Sedunus, & Leonis, ac Cæſaris legati vehementer vrgerent, aduerſus Mediolanenſes, Regémque ferre arma recuſabant, & ſe pro tuendis duntaxat Pontificiis ditionibus ſacramento adactos prædicabant. Parmam tamen, Placentiámque Pontificias vrbeis, vti barbara interpretatione fœdera corrumpunt, ſe oppugnaturos ſpondebant, in quas Regi, aut nullum, aut valde obſcurum ius eſſe videretur; quaſi illi alieni iuris arbitrium ſibi vendicarent: nam longe ante, quàm cum Heluetiis poſtremum fœdus iniret Franciſcus, Parma, Placentiáque Leone ſponte cedente potiebatur. Quum ad fœderatorum exercitum appropinquaſſent, vt aduerſus Gallum militarent pleriſque legatis vltro citróque commeantibus incitati ſunt. Tigurini qui & authoritate præſtant, & prudentius ſe gerunt, aduerſus Regem ſe militaturos conſtanter pernegarunt: cæteri nec apertè fœderatorum poſtulata reiecerunt, nec admiſerunt: ſe enim fœderatorum exercitum ſequuturos polliciti an in agrum Mediolanenſem ingrederentur, haud diſertè explicarunt. Sedunus tamen, qui præfectos magnis promiſſis corruperat, quocumque fœderati proficiſcerentur, ſequuturos ſperans, vt progrederentur, ſuaſit. Ita Tigurini ad quatuor millia Rhegium verſus cōtenderunt: cæteri fœderatis inter Gabionetam Oſtianúmque circiter menſem cunctatis ſeſe ad Gambaram Brixiani agri oppidum adiunxerunt, Seduno ac Medice Pontificiis legatis cum ſuis crucibus, pediſque argenteis inter armorum, tormentorúmque ſtrepitum incedentibus, vnde tertiis caſtris ad Vrceos veteres appulerunt: & quod Venetæ ditionis eſſent Vrcei, ſe Veneto Senatui tranſeundi neceſſitate excuſarunt: quemadmodum Andreas Grittus tormenta Gallica quadam neceſſitate ad Pontemuieum paulò ante admiſiſſe Lautrecio cogente prædicarat. Illuc ad fœderatos curſores Heluetici pagorum ſuorum decreto, alij item ad Gallorum exercitum acceſſerunt, ſuæ nationis militibus denuntiaturi, vt ab vtroque exercitu recederent, ac domum redirent: eiuſdem nationis milites mercede conductos in duobus exercitibus ſibi inuicem infeſtis aduerſus propinquos, aut ſaltem aduerſus eiuſdem Reipub. ciues militare indignum eſſe: ſed qui ad fœderatos adibant, in itinere retenti, aut pecunia corrupti pagorum ſuorum mandatum haud denuntiarunt. Heluetij qui cum Gallis erant, non tam propter denuntiatum ſibi mandatum, nec propter diuturni belli tædium, cuius impatientiſſimi ſunt, quam quod Iulij Cardinalis Medicis pecunia corrupti fuiſſent, ſtipendium vix, & ſumma cum difficultate ſibi numerari cauſati propè ſine miſſione abierunt, & ad fœderatorum caſtra magna ex parte defecerunt, vt Bellaius teſtatur; raram enim à Gallia pecuniam recipiebat Lautrecius. Quæ autem è Mediolanenſi agro ægrè exigebatur, ſatis eſſe haud poterat; & trecenta nummûm aureorum millia Lautrecio promiſſa (vt paulò antè ſcripſimus) quæ Mediolanum deferri debebant, quæſtores Regij Ludouica Regis matre Lautrecio infeſta ita iubente in alios vſus conuerterant. Sic animi impotentis mulier res filij proſperas vltionis cupiditate peruertit; Samblancaius quæſtorum princeps quod Regi id, quod erat, indicauit, mox capite luit. Ludouicam enim eam pecuniam auertiſſe palam coram Rege ipſaque teſtatus eſt: illa hominem mentiri clamitans ſtructis calumniis Antonio Prato Cancellario, quem Samblacaij authoritas concepta multò ante inuidia macerabat, coniuente non ceſſauit prius quàm virum innocentem extremo ſupplicio addiceret. Sic principibus, qui vel ignauia retardati, vel voluptatibus dediti negotia ſua non curant, bona à malis conſilia non diſcernunt, probos miniſtros non agnoſcunt, peruerſis, & infidis ſe addicunt, euenire ſolet.

Cur Heluetij Parmam Placentiámque potius quàm alias Franciſci ditiones oppugnare velint.

Curſorū Helueticorū perfidia.

Ludouica Frāciſci Regis mater nimia vltionis cupiditate filij ſui res ſecundas peruertit.

Heluetiis quotidie dilabentibus Lautrecius qui hactenus de conſeruando Mediolanenſi principatu ſperarat, iam ſibi diffidens, quod reliquum erat, Cremonæ, Pigitonenſique arci impoſitis præſidiis hoſteis Abduæ tranſitu prohibere ſtatuit. Lembos, ſcaphaſque omneis vel ad Tritij, Caſſianique arcis, vel ad Abduæ ripam, quam vallo munierat, & natura excelſior erat, deduci imperauit. Fœderati Ollio ſuperato tertiis caſtris Riuoltam (ripam altam Iouius, Reuolutam Bembus 48

vocat)

vocat) quæ milliaribus ſedecim Mediolano diſtat, appulerunt, ac de iaciendo inter Riuoltam, Caſſianúmque ponte deliberarunt; quúmque id propter hoſteis ex aduerſa ripa imminenteis perdifficile videretur, & triduum in his diſceptationibus inſumpſiſſent, interim Proſper à locorum peritis edoctus aſſumptis à Brembo fluuio, qui ad Vaprium in Abduam influit, duabus ſcaphis, & longiore à piſcatoribus condita inter virgulta fluuiique arundines reperta cohortes aliquot Italicas celato Daualo, ne eius laudis particeps eſſet, Vaprium miſit; qui vicus ad Abduam ſitus, nullóque muro circumdatus quinque milliaribus Caſſiano diſtat: in medio vico locus eſt muro cinctus arcis inſtar, quem Hugo Pepulus Bononienſis cum Octauiani Fregoſij quinquagenaria cataphractorum equitum ala à Franciſco Rege ante data, cuius legatus erat, inſidebat. Traiicientium ſtrepitu audito Pepulus ad fluuium cum ſua ala obuiam, verum tardius proceſſit, & crebris ſclopetorum glandibus ſtatim repulſus eſt: quod ſi aliquot ſecum pedites habuiſſet, vti à Lautrecio ſe poſtulaſſe confirmabat, facile paucas ſcaphas tranſitu prohibuiſſet. Acceſſit alter Lautrecij error, ad primum traiicientium nuntium Pepulo nulla ſubſidia miſit, verùm vbi aliquot horas quidnam factu optimum eſſet dubitaſſet, Leſcutum tandem cum quadringentis cataphractis equitibus, & aliquot Gallorum cohortibus, quas tormenta nonnulla ſequebantur illuc miſit. Vaprianam arcem (ſi ita appellanda eſt) Leſcutus ex equo cum cataphractis equitibus deſcendens fortiter oppugnauit: quod ſi tormenta eadem celeritate properaſſent, haud dubium, quin hoſteis Vaprio expuliſſet: at totus fœderatorum exercitus ad primum traiectus nuntium magna celeritate properarat, & iam bona pars ad alteram ripam acceſſerat, duobus quæ ad ponteis iaciendos conuehebantur nauigiis ſecum adductis. Hinc Leſcutus, quamquam eodem momento Gallica tormenta appulerant, totum fœderatorum exercitum ſibi imminere animaduertens, ac de victoria deſperans Caſſianum rediit. Ita paucarum horarùm dilatio, quibus inops conſilij nutauit Lautrecius, hoſtibus fluuij tranſitum, hoc eſt, victoriam, Proſpero Columnæ magnam gloriam ex euentu attulit: nulla enim ſubſidia iis quos Vaprium miſerat, ne fortaſſe res palam fieret, Proſper ſummiſerat: vbi traieciſſe didicit, Italos pedites cum nonnullis equitibus, qui Carauagij Triuilij, aliiſque aliquot locis remotioribus ſtatiua habebant, Vaprium accelerare iuſſit; qui vix hora decimaquarta poſtquam primi traieciſſent, ad Abduam peruenire potuerunt; quod ſi tormenta Gallica ſemihoræ ſpatio maturius appuliſſent, & hoſteis tranſitu prohibuiſſet Leſcutus, & eos qui traiecerant, vel cecidiſſet, vel in ſuam poteſtatem redegiſſet.

Fœderati inſcio Lautrecio Abduam vt traiiciat.

49 Hoſtibus Vaprio potitis Lautrecius ſtatim cum ſuo exercitu ſe Mediolanum recepit; & vt ciuibus à ſe abalienatis metum tetro ſpectaculo incuteret, Chriſtophorum Pallauicinum publicè capite mulctauit: Manfredum eiuſdem familiæ, qui Comum ex inſidiis intercipere tentarat, ac Bartholomæum Ferrarium eius conſpirationis conſcium in fruſta diſcindi paulò antè iuſſerat. Poſtridie quam Leſcutus Vaprio diſceſſiſſet, iacto inter Riuoltam Caſſianúmque ponte, fœderati Abduam traiecerunt, & Mediolanum petere decreuerunt. Proſper tamen damnato in vulgus ſed prudentiore conſilio Melegnanum intermedium inter Mediolanum Ticinúmque oppidum exercitum circumduxit, quod mediis campis caſtra facere hyems dura difficiliſque prohiberet. Et Mediolanum ab ea regione aggredi ſtatuerat, vnde ſi forte repelleretur, Ticinum facilius contenderet, vbi nulla præſidia reliquerat Lautrecius; quod exiguas ſuas copias imminuere nollet. Ea autem belli ſedes, ſi Mediolano ob temporis iniquitatem potiri non poſſet, Proſpero commodiſſima videbatur: omni enim commeatus genere Ticinum abundabat. Lautrecius copiis omnibus Mediolanum deductis vrbem duntaxat primum, quod paucos pedites haberet, deinde ſuburbia etiam, ne hoſtibus hyeme inſtante in diuerſoria paterent, tueri decreuit; prudens conſilium ſequutus, ſi pari diligentia cumulatum fuiſſet. At fœderati triduum Melegnani tormentis expectatis, quæ perruptis itineribus trahere difficillimum erat, die quarto, qui decimustertius Kalend. Decembr. fuit, Mediolanum contenderunt; quo, ſi illo ipſo die potiri non poſſent, poſtridie Ticinum proficiſci decreuerant: quum Pontificij legati, ac primarij eius exercitus duces ad Claræuallis cœnobium quatuor à Mediolano paſſuum millibus conſtitiſſent, vt Heluetios, qui illic caſtra habebant, progredi ſinerent, ſenex quidam plebeia veſte indutus ad legatos acceſſit, ſe Mediolano ideo ad Hieronymum Moronum miſſum denuntians, vt illos ad accelerandum hortaretur; Mediolanenſes enim

Pallauicinus Mediolani capite plectitur.

Mediolanum Gallis vi ereptum.

omneis conſpecto eo exercitu ad arma concurſuros. His dictis quodam modo euanuit, nec quis, nec à quibus miſſus eſſet, nec quo ſe proripuiſſet, quamquam id diligentiſſimè perquiſitum fuit, ſciri vnquam potuit. Fœderati igitur ad Romanam portam acceſſerunt: tormenta maiora ad viam, qua Ticinum aditur, ſubſtiterunt. Piſcarius, qui cum Hiſpanis in fronte exercitus erat, ſub noctem ad foſſam inter Romanam, Ticinenſémque portam appulit, & ad Vincentinum propugnaculum non longè à porta, quæ Ludouici vocatur, nondum ad iuſtam altitudinem erectum ſclopetarios non potiundi ſpe; ſed, vt quid animi hoſtes haberent, experiretur, progredi iuſſit.

Veneti pedites, qui ibi præſidio erant, primum hoſtium conſpectum haud tolerantes ſeſe in fugam dederunt, Heluetiis, qui poſt illos collocati erant, pariter fugientibus: ita Hiſpani foſſam aggerémque nemine obuiam prodeunte transmiſerunt, ſuburbiúmque ingreſſi Theodorum Triuultium mulo ſine armis inſidentem (ægroto enim corpore erat) & ad tumultum accurrentem ceperunt: Andreas Grittus vix ex hoſtium manibus elapſus eſt. Veneti, Heluetiíque ſeſe Gallis adiunxerunt, & ſimul omnes circum arcem conuenerunt, capto ſuburbio de retinenda vrbe deſperantes: præſertim quod ciues ſe ad rebellandum compararent, hoſteíſque acceſſiſſent: ſed iuſtas ſtatim ſuæ inconſtantiæ pœnas dederunt: Hiſpani enim, Heluetiíque nationes rapaciſſimæ, quos cæteri imitati ſunt, decem dies in diripienda vrbe conſumpſerunt, nulliſque interim ducum ſuorum aut monitis, aut minis cohiberi potuerunt. Lautrecius præſidio arci impoſito, cui Maſcaronem Vaſconem præfecit, Comum cum exercitu eadem nocte properauit. Gallis diſcedentibus Gibellinæ factionis ciues Cardinalem Medicem, Proſperum Columnam Mantuanum, cæteróſque fœderatorum duces de tam facili victoria ſtupefactos in vrbem admiſerunt. In cauſa Lautrecij negligentia fuit, qui nullos ad hoſtium caſtra exploratores miſerat, nec eo die eoſdem propter itinerum continuis imbribus perruptorum difficultates tormenta, ſine quibus Mediolanum aggredi non auderent, trahere poſſe exiſtimarat. Itaque non prius illorum aduentum reſciit, quam ſuburbium captum Venetis fugientibus intellexit; & tum fortè nulla arma indutus media vrbe cum nonnullis ducibus ſecutus deambulabat: Leſcutus, qui totam ſuperiorem noctem vigilauerat, in diuerſorio ſuo dormiebat. Como quinquaginta cataphractos equites Bouueto præfecto Lautreciuſs præſidio reliquit; cui Ioannem Chabaneum Vaudeneſſium præfecit; ipſe Regiam pecuniam expectans in Bergomenſem agrum iter flexit. Sed inter eundum Cremonenſes rebellaſſe certior factus, illuc Leſcutum cum parte exercitus miſit, ac deinde cum cætero exercitu ſequutus eſt, cui legatos obuiam Cremonenſes miſerunt, veniámque ea conditione, vt donec Regia pecunia repræſentaretur, exercitum alerent, impetrarunt. Piſcarius interim cum Hiſpanis, Germanis, ac Rhetis Comum circumſedit: quum tormenta muri partem deieciſſent, & de auxilio Vaudeneſſius deſperaret, nec vrbem tueri poſſet cum Piſcario de deditione egit ea conditione, vt milites arma, equos, cæterámque ſupellectilem ſecum efferrent; ſignis explicatis, tympaníſque reſonantibus exirent, atque in Venetas ditiones deducerentur, ciuibus ſua omnia integra remanerent. Deditionis conditionibus vtrimque ſubſignatis Piſcarius Vaudeneſſio ſignificauit, vt milites Galli ſe ad diſceſſum compararent, ac ſua conuaſarent: interim ſe præſidium ad murorum ruinas impoſiturum, & ne quis in deſcendenteis inuaderet, curaturum. Nec ita multò poſt Hiſpani in vrbem irruperunt, militéſque pariter ac ciues compilarunt. Vrbe direpta Piſcarius ingreſſus ſe id admodum ægrè ferre ſimulauit, & militibus pauca reſtituenda curauit: vnde mox ad ſingulare certamen à Vaudeneſſio prouocatus congredi haud auſus eſt, & neſcioquibus argutiis moras nectendo tempus duxit, donec Vaudeneſſius ad Romagnum anno huius ſæculi viceſimotertio cæſus eſt, vt deinceps enarrabimus. Piſcarius culpam in milites conferebat: Columna aut in milites tanti ſceleris reos animaduertendum aiebat, aut certamen ſingulare ſubeundum.

Ciues Mediolanenſes ad rebellandum procliuet.

Vaudeneſſius promiſſas ſibi in Comi deditione cōditiones à Piſcario non impleri indignatus, eū ad ſingulare certamē prouocat.

Hoc ipſo tempore fœderati ad Heluetios, vt eos ſibi conciliarent, Ennium Philonardum Verulanum Pontificem miſerunt. Is vbi Bellinzonam appulit, in cuſtodiam traditus eſt: querebantur grauiter Heluetij non ſolùm de Seduno Cardinale, ſed & de Leone, omnibúſque eius miniſtris: præſertim autem de Verulano Pontifice, qui milites ab ipſis ea conditione accepiſſet, ne aduerſus Gallum Regem militarent: mox corruptis præfectis eoſdem in Mediolanenſes eduxiſſet, quæ princeps

Digitized by Google

ceps eius principatus amittendi cauſa fuit. Capto Mediolano Laus Pompeij, ac Ticinum in fœderatorum poteſtatem conceſſerunt: tum etiam Vitellius Placentiam proficiſcens à ciuibus accerſitus Parmam inter eundum ciuibus item accerſentibus ingreſſus eſt, vnde paulò ante Lautrecij iuſſu Federicus Boſſulus exierat: deinde vt rediret, nouo mandato accepto à Vitellio prohibitus eſt: tametſi id Roberto Seuerinati, qui Leonis ex ſorore neptem in matrimonio habebat, Galeatius Capella tribuit. Magnam tum de potiundo toto Mediolanenſi agro Leo ac Cæſar ſpem conceperant, quod noua auxilia Gallus in tempore mittere non poſſet: & iam maiorem partem occuparant, quod reliquum erat, non magno labore viribus ſuperiores additurì. Adhæc Venetus Senatus tanta felicitate attonitus cum Leone de reconciliatione agebat, & de expellendis è ſuis ditionibus Gallicis copiis ſpem dabat: ſed repentina Leonis mors Kalend. Decembr. interueniens multorum animos immutauit; quem poſt acceptum de Mediolano capto nuncium lætitia, aut veneno (vt alij ſcribunt) ſublatum ferunt. Bernarbos Maleſpina cubicularius, ac miniſter à poculis neſcioquibus ſuſpicionibus iniectis in cuſtodiam traditus eſt: mox Cardinale Medice Romam appulſo, ac ne quæſtio haberetur, prohibente, ne in magnum aliquem principem ſuſpiciones redundarent, liberatus. Leonis impenſis bellum Mediolanenſe gerebatur, raram pecuniam Cæſar ſummittebat; Leonis morte ſuſceptæ de Cremona Genuáque oppugnandis deliberationes iacebant. Cæſariani duces ex Heluetiis mille quingentos dumtaxat retinuerunt: cæteros iam ſe Gallicum ſtipendium ſequuturos iactanteis dimiſerunt. Hiſpanorum etiam aliquot cohortes exauthoratæ, quibus iamdiu ſtipendium ſumma cum difficultate numerabatur. Florentinæ copiæ ſe in Hetrutiam recipere cœperant. Pontificiarum partem Mutinam Guidus Ranconus deduxit: quod reliquum erat, Mantuanus priuato conſilio potius, quam de collegij Cardinalium conſenſu in Mediolanenſi agro continuit; quibus de ſuo ſtipendium etiam numerauit; quo nomine Lautrecius apud Cardinales Romæ queſtus eſt. Illi multum inter ſe diſſentientes id ſuo conſenſu fieri pernegarunt: cæterum in præſentia nihil ſtatuere poſſe, rem ad futurum Pontificem remittere reſponderunt.

Leonis X. mors.

52 Tanta verò Mediolani pecuniæ penuria erat, vt tot dumtaxat milites, quot ad repellendas eorum, qui arcem inſidebant, incurſiones neceſſarij erant, reſeruarint: cæteros in diuerſas eius principatus regiones populorum impenſis victuros dimiſerint. Andreas Ferrarienſis vernacula eloquentia potens tantum in Gallos odium concitauit, quibus deos iratos prædicans, & fulmen in arcem delapſum obiectabat, & multas bonas occaſiones amiſſas oſtendebat, vt qui vel duos dumtaxat nummos aureos habebant, alterum æquo animo in commune conferrent, permulti gratis nomina in militiam darent: vnde ſex Germanorum peditum millia aduocata, totidem ex Mediolanenſi agro conſcripta. Ex Heluetiis qui Placentiæ conſederant, nonnulli Mutinam, vt eam vrbem aduerſus Ferrarienſem Rhegiúmque tuerentur, cum Piſtorienſi Pontifice conceſſerunt: Ferrarienſis enim poſt Leonis mortem cum centum grauis, trecentis leuis armaturæ equitibus, duobus peditum millibus Ferraria egreſſus Bondenum, Finale, Mutinenſem montem, Carfagnanum, Lugium, Bagnacauallum, aliáque ſuæ ditionis in Flaminia oppida receperat; & tum ad Centium olim Bononienſis Pontificis oppidum caſtra habebat. Ex quatuor Tigurinorum millibus, qui Placentiæ remanſerant, mille Parmam Pontificij transferre voluerunt: verum illi ſuos à ſe ſeparare recuſarunt. Cuius rei certior factus Lautrecius, qui tum Cremonæ conſederat, Bonauallem ſiue Bonauallium cum trecentis cataphractis equitibus, Federicum Bozolum cum Gallis, M. Antonium Columnam cum Venetis peditibus, qui ſimul iuncti quinque millia conficere ferebantur, Parmam adorituros properare iuſſit: ſed propter itinerum difficultates duo dumtaxat minora tormenta ſecum trahebant. In vrbe erant ſexcenti dumtaxat Itali pedites ac Mantuani quinquaginta cataphracti equites, tum populus Pontificio quidem nomini addictus, cæterum non ſatis armis inſtructus. Galli pedites ſecundo Pado Turricellas vſque Parma duodecim paſſuum millibus diſtanteis delati ſunt: vbi cataphracti equites Cremona item profecti ſeſe illis adiunxerunt: M. Antonius Columna, qui vnà cum Venetis ad Ollium conſtiterat, ſequi debebat.

Ferrarienſis omnia ſuæ ditionis oppida à morte Leonis recipit.

Parma Lautrecij iuſſu nequidquam tentata.

53 Horum ea ipſa nocte certior factus Franciſcus Guicciardinus qui Cardinale Medice ita iubente Mediolano Parmam conceſſerat, vrbíque præerat, populum vt alacriter

hoſteis exciperet, hortatus eſt, mille haſtis quas biduo ante Rhegio exportandas curauerat diſtributis. Et quod Caudam pontis, ſiue minorem Parmam tueri non poſſet (neque enim muri antea proſtrati adhuc inſtaurati erant) milites omneis, ciueiſque in maiorem recepit. Ad minorem primum cum tribus peditum millibus, & aliquot equitum leuium turmis appulit Bozolus: poſtridie Bonauallis cum cataphractis ac M. Antonius Columna cum bis mille Venetis peditibus. Duo tormenta dumtaxat minora comportarunt (quos ἱέρακας vulgo appellant) quod maiora perruptis ad Padum itineribus trahere perdifficile eſſet; & ne Parmenſibus auxilia Rhegio, Placentiáue mitterentur, timentes ſibi in primis accelerandum exiſtimabant. Verumenimuero Franciſco Guicciardino, quæ ad vrbis propugnationem neceſſaria erant, diligenter prouidente ſcalis muros quatuor locis conſcendere conati, ac repulſi re infecta redierunt. Res tamen Gallica ſe bona ſpe ſuſtentabat: Cremonam, Genuam, earúmque ditiones, Alexandriam, Mediolanenſem, Nouarienſem, Tritianam, Pigitonenſem arceis, Pontremulanam item, quam Sinibaldus Fliſcus ac Nucerinus Comes receperant, Domuſſulam, Aronam, totum Verbanum lacum Gallus poſſidebat, & Heluetios à fœderatis abalienatos vnus ſocios habiturus ſperabatur. Medices, ac Sedunus Cardinales Romam ad Pontificia comitia conceſſerant: Rouereus Vrbinas regulus cum Malateſta, atque Horatio Baleonis fratribus coactis in Ferrarienſi agro ducentis grauis, trecentis leuis armaturæ equitibus, tribus peditum millibus Vrbinatem Ducatum, præter id quod Florentini poſſidebant, Piſaurúmque receperat: Camerino Ioannem Mariam Varanenſem, qui nuper à Leone Ducis titulum impetrarat, expulerat: in eius locum Sigiſmundum adoleſcentem ex eadem Varanenſium familia ſurrogarat. Ioannes Maria Dux nihilominus arcis adhuc compos ſe Aquilam receperat: ad Peruſiam in Baleonorum fratrum poteſtatem redigendam Rouereus inde contendit, cui propter Pontificium ærarium exhauſtum nemo reſiſtebat. Peruſiam quingentos pedites Gentilis intromiſerat, Florentini bis mille, centum & viginti grauis Vitellio, centum leuis armaturæ equites Guido Vaino duce, tantiſper dum Piſauro recipiendo Rouereus intentus erat. Vrbis autem propugnationem illi non tam ſuo quam Cardinalis Medicis conſilio ſuſceperant, qui vel quod Vrbinatem, Baleonóſque odiſſet, vel quod ne vicini eius apud ſuos ciueis authoritatem imminuerent, timeret, vel vt Pontificiarum ditionum ſolus propugnator exiſtimaretur, aditúmque hunc ad Pontificatum iam quindecim ſuffragiorum compos ſibi pararet, (cæteri enim in vnum ambitum collimantes alia omnia ſuſque deque prorſus ferebant) Florentinos in eam ſententiam induxerat.

Pontificia comitia Medicem ac Sedunenſẽ Cardinales Romæ reuocat.

In Mediolanenſi agro bellum apertè non gerebatur: Galli ad Cremonam ponte 54
iacto, in Parmenſem, Placentinúmque agrum aliquoties excurrebant: Tigurini Placentia relicta de pagorum ſuorum mandato domum redibant; quibus Mantuanus ſucceſſit, & accitis è ſuis ditionibus militibus, quibus pecuniam nonnunquam mutuo dabat, vrbem in Romani Pontificatus fide retinuit. Tertio Kalend. Ianuarias Vrbinas, Baleoni fratres, Malateſta, atque Horatius, & Camillus Vrſinus, qui cum voluntariis aliquot militibus nuper acceſſerat, ad pontem Fani Ioannis caſtra metati totum Peruſinum agrum ſuis excurſionibus vaſtabant. Cardinalem Eporedienſem Taurino per Mediolanenſem agrum Romam properantem detinuit Proſper Columna, quod Gallorum parteis ſequi ferebatur. Nuntio Romam perlato Cardinales decretum ediderunt, quo ſe non prius, quam Eporedienſis è cuſtodia emiſſus eſſet, ad Pontificis creationem celebrandam coituros teſtati ſunt. Eo emiſſo triginta nouem Cardinales conuenerunt, conclauéque ſexto Kalend. Ianuarias occluſum eſt, quum viginti quatuor dumtaxat in Leonis creatione coiiſſent.

Cardinalis Eporedienſis à Proſpero Columna vinctus, Cardinalium cæterorum iuſſu & minis diſſoluitur.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER DECIMVS-SEPTIMVS.

Anno 1522.

1 SEQVITVR annus huius ſæculi ſecundus & viceſimus, cuius initium Pontificij interregni malo omine, exitus triſti Rhodi inſulæ expugnatione notatus fuit. Vrbinas aucto exercitu cum ducentis grauis, trecentis leuis armaturæ equitibus, quinque peditum millibus Peruſiam aggreſſurus ſcalis vndique conquiſitis ad Petri ſuburbium conſedit: turrium murorúmque defenſacula ſeptem minoribus tormentis, quæ à Ferrarienſi mutuo acceperat, proſtrauit: pridie nonas Ianuar. oppugnationem, ſed more Italico, non multùm acrem inſtituit: prima aurora admotæ multis locis ſcalæ, ſummiſſi ſæpius recentes milites, ad veſperam protracta dimicatio: Vrbinatis copiæ tandem non ſine iactura repulſæ, vt Gentilis, ac Florentinus magiſtratus de tuenda vrbe bene ſperarent. At eam ſpem repente Vitellij timiditas fefellit: is enim Vrbinatem, Baleonóſque ſibi infeſtos metuens, quibus Peruſinos longè magis quàm Gentili addictos ſciebat, & ne Peruſini ſeditionem excitarent, veritus (ſoli enim milites pro vrbe propugnabant, ciues ſe domi continebant) nocte conſequente inde migrare ſibi in animo eſſe declarauit, alioqui ſe propugnantibus inutilem fore cauſatus, quod ſclopeti glande in minimum pedis articulum, ſed leuiter ictus fuiſſet: à qua ſententia quum à cæteris præfectis dimoueri non poſſet, qui eius ſeceſſionem, aut, ſi verè nominanda eſt, fugam propugnantibus ingentem metum, Peruſinis animum additurum docebant, ne à domeſtico pariter, externóque hoſte ſimul obruerentur, omnes Tifernum ea ipſa nocte conceſſerunt. Peruſini Baleonos in vrbem læti receperunt. Nondum de Pontifice creando inter Cardinales conuenerat.

Peruſia ab Vrbinate circumſeſſa, & capta.

Vitellij fuga.

2 Peruſia capta quorundam animos immutauit: Senis, quò Vrbinatem acceſſurum fama erat, Petrucius inter Medicis ſuffragatores princeps, Florentiæ Medices ipſe admodum timebat: vterque patriæ ſuam præſentiam ſalutarem, abſentiam rerum nouarum ſtudioſis peridoneam agnoſcebat. Itaque multum de ſumma illa contentione Medices remiſit, ad quem ſuffragia ſua conuerteret adhuc incertus. Interim Adrianus natione Batauus, Cæſaris antea præceptor, eiuſdem opera à Leone in Cardinalium collegium vocatus, qui tum Hiſpaniam adminiſtrabat, in medium prolatus fuit: non quod quiſquam eius deligendi ſtudioſus eſſet, ſed vt hominis docti non iniucunda commendatione matutinas horas traducerent: nonnullis autem illi ſuffragantibus Cardinalis à Fano Xiſti hominis eruditionem virtutéſque longa oratione amplificatas perſequutus eſt, vnde quidam illi cedere, alij ſuffragari occœperunt. Hinc matutinis illis horis conſentientibus omnium Cardinalium ſuffragiis homo alienigena, ab extremis Oceani littoribus accerſitus, Pontifex creatus eſt. Peruſiæ Vrbinas, ſociíque duces aliquot dies nequicquam commorati Senas, verùm amiſſa, quæ celeritate indigebat, occaſione, contenderunt, Lactantiúmque Petrucium, quem Senenſi Pontificatu Leo priuarat, ſecum deduxerunt. Qui Senenſibus præerant, in Florentinis auxiliis ſpem omnem collocabant: Florentini magiſtratus ad Medicis Cardinalis nutum omnia reuocabant. Hi cum primum Vrbinatem Peruſia egreſſum

Adrianus, Pontif. Max. creatur.

egreſſum intellexerunt, Guidum Vainum cum centum leuis armaturæ equitibus, aliquótque peditibus Senas intromiſerunt. Sed & dudum mille Beonenſes Heluetios, qui contemptis magiſtratuum ſuorum edictis eoſdem in patriam reuocantibus Bononiæ cum Piſtorienſi Pontifice remanſerant, quadringentóſque Germanos pedites ad ſtipendium ſuum inuitarant. Ioannem quoque Medicem ex Inſubribus accerſiuerant: & niſi mature, ſedulóque rei Senenſi prouidiſſent, ea nimirum in apertum diſcrimen ruitura videbatur. Præſentem rerum ſuarum ſtatum Senenſes oderant, Florentina auxilia propter inueteratum in Florentinos odium non ſponte admittebant; plerique rerum nouarum ſtudio quietem publicam turbare conabantur. Accedebat Cardinalis abſentia; tametſi enim Franciſcus eius ex fratre nepos fortem gnauámque rebus in eodem ſtatu continendis operam nauabat, tamen non ea, qua Cardinalis, authoritate pollebat. Senenſes magiſtratus viríque primarij, vt impendens periculum aut vitarent, aut differrent, legatos cæteris ciuibus non repugnantibus ad Vrbinatem miſerunt: ille quanquam vrbis ſtatum mutare initio voluerat, ac triginta nummûm aureorum millia poſtularat, tamen poſtulata ſua magis ac magis in dies moderabatur; vt periculum eſſet, ne tandem cum Senenſibus vel de magiſtratuum conſenſu, vel præter eorum ſententiam populi tumultu, ſeditionéque conueniret.

Interim dum hæc vltro citróque agitantur, Ioannes Medices cum Heluetiis appropinquare nuntiatur: qui rumor, ne res ad exitum perduceretur, impediuit. Vrbinas enim ad vrbis muros accedens vbi de fœdere deſperare occœpit, nec lōgè abeſſe auxilia certior factus eſt, altero die ad Vrbinates receſſit, exercitus in Peruſinum agrum rediit, Florentini à Cardinalium collegio rogati Peruſiam recuperare cupiebant: ſed propter nuper creati Pontificis abſentiam tres Cardinales, quos Priores vocabant, vno quoque menſe Remp. Romanam adminiſtrabant: horum cæteros vocare, & Senatuſconſulta exequi officium erat. Tres qui tum ſelecti erant Medicis inimici, quod is poſt creatum Pontificem Florentiam rediiſſet, & Florentinæ copiæ è Pontificio agro diſcederent, edixerunt. Hæ Paſſignano direpto, quod portas venientibus clauſiſſet, Vluium tertio à Peruſia milliari appulerant, Peruſiámque, niſi firmius præſidium Baleoni Peruſinis magis, quàm Gentilis eius exercitus comes, accepti introduxiſſent, neglecto Cardinalium edicto oppugnare decreuerant. verum de potiunda vrbe deſperantes, & Cardinalium edicto parere ſimulantes è Peruſino agro in Montfeltrenſem, qui, Fano Leonis Maiuolanáque arce exceptis in Vrbinatis ditionem redierat, ſeceſſerunt. Quo recepto exercitus eſt dimiſſus: neque enim Vrbinas Florentinis reſiſtendo erat; neque Florentini, cur in eius ditiones irrumperent, cauſam habebant. Cardinales ſiquidem Priores Medicis inimici cum Vrbinate pacti erant, vt quas receperat ditiones, eaſdem retineret, donec in Italiam Adrianus Pontifex appuliſſet, aut etiam diutius, ſi ita Adriano videretur; conditione tamen addita ne Florentinos Senenſeſque bello infeſtaret, neque cum vllo principe ſocietatem coiret. In Gallia Tranſalpina res propemodum quietæ erant, quod alteris milites, alteris pecunia deerat: Cæſariani ſtipendio non exoluto prodire ad bellum recuſabant. Itaque Ioannes Saſſatellanus, qui à Veneto ad Sfortianum ſtipendium tranſierat, cum ſua cohorte, aliquótque aliis è principatu Mediolanenſi tumultuariè conſcriptis, Alexandriam miſſus eſt: cui Guelforum temeritas, qui vnà cum Gallis vrbem tuebantur, quod difficillimum putabatur, perfacile reddidit. Egreſſos enim in ſéque temere inſultantes Saſſatellani fortiter repellentes vnà cum fugientibus Alexandriam ingreſſi ſunt, rapiniſque fœdarunt. Paucis pòſt diebus Galli Aſta quoque expulſi.

Guelforum temeritate Alexandria Gallis eripitur.

Interim autem ingentis belli apparatus inſtruebatur: quamuis enim in Helueticis comitiis magnæ ſuper Regiis poſtulatis controuerſiæ exortæ fuiſſent, Tigurino Suiſſanóque pagis Regi infeſtis, Lucernano planè amico, nec inter cæteros magis conueniret; tandem tamen ſedecim peditum millia publico vexillo dato educi permiſerunt: quæ Iacobus Chabaneus Mareſchallus, Renatus Allobrox nothus, ac Galeatius Seuerinas, ille ſummus Regiæ aulæ, hic equorum magiſter per Lepontias, Graiáſque Alpeis Mediolanum deduxerunt. Cæſari Anglus Mediolanenſis principatus armis ſubacti inuidia à Gallo abalienatus magnum auri pondus mutuo dederat, quo fretus Cæſar Hieronymum Adurnium ad conſcribenda Germanorum peditum ſex millia Tridentum miſit; quibuſcum Franciſcum Sfortiam Ludouici natu minorem filium Mediolanum reduceret. Is magnum rei Mediolanenſi conſeruandæ momentum additurus ſperabatur, quod Mediolanenſes Gallorum ſuperbiam rapináſque ſub Franciſco peroſi (nam diſciplinam militarem Ludouicus Rex 4

Ingētes belli apparatus tam à Pontifi̇cis quam Gallis inſtruuntur.

diligenter

diligenter obſeruabat, & nuſquam deficientibus ſtipendiis milites in officio continebat) eundem potiſſimum ſibi principem depoſcebât: quanquam homo alioqui ignauus, eóque principatu indignus erat. Huius deſiderio Mediolanenſes pecuniarum indictiones, quarum extrema penuria erat, æquiore animo toleraturos veriſimile erat. Mediolanenſes quid Cæſar moliretur ignari in quatuor Germanorum peditum millia ſtipendium contulerant, quos Adurnius Tridentum appulſus ad iter paratos offendens Comum interim, dum cæteri coirent, per Volturenam vallem deducere inſtituit. Verum Rhetis tranſitum prohibentibus tanta celeritate per Bergomatem agrum ad Abduæ Glaream properauit, vt Veneti magiſtratus Bergomi agentes properantem remorari, aut impedire non poſſent. His Mediolanum perductis ad cæteros, Franciſcúmque Sfortiam reducendum rediit: quibuſcum pari diligentia reuerſus optatum principem Mediolanenſibus obtulit, cuius deſiderio flagrabant: ſiquidem peruerſis Hieronymi Moroni artibus, hoc eſt, fictis litteris, falſis legationibus, aliíſque id genus argutiis ingens Mediolanenſibus Gallorum odium inſitum erat, vt ab illorum imperio penitus abhorrerent: quibus permultum, ac plus quàm quis facilè credat, acres Andreæ Barbati Auguſtiniani ſodalis, cuius ſupra mentionem fecimus, conciones momenti addiderunt: hortabatur enim vt patriam à barbarorum, externorumque iugo vindicarent: quandoquidem magnam ipſis Deus Opt. Max. occaſionem dediſſet. Parmam vrbem infirmam, paruámque proponebat, quæ inanes irruentium impetus facilè repuliſſet; maiorum exempla addebat, quorum memoria tota Italia celeberrima fuiſſet. Si veteres Romani, Athenienſes, Carthaginienſes, cæterique Chriſtianæ perſuaſionis ignari, verum in bene morata Rep. educati nihil aliud quàm glorioſam apud poſteros ſui memoriam ſperantes mortem pro conſeruanda patria ſponte ſubierunt, quid Chriſtianos facere oportet præter eandem gloriam, beatam etiam vitæ immortalitatem ſibi paratam intuenteis? Quantam illis perniciem Gallorum victoria importatura ſit, perpendere animo iubebat, qui nulla de cauſa irritati tanta cum inſolentia, ac rapacitate illis imperarint: quid magis contumeliis, damníſque affectos facturos expectare debeant? nulla ſcilicet ſupplicia incenſum barbarorum hominum odium, nullas opes inſatiabilem auaritiam, effuſámque prodigalitatem expleturas ſibi perſuadeant. Sibi perſuadeant (inquam) non prius fore contentos, quàm Mediolanenſium nomen penitus extinxerint, antiquámque Federici Ænobarbi memoriam noua crudelitate ſuperarint. Hæc, aliáque id genus pleraque ab homine vernacula eloquentia prædito magna contentione, vultu, geſtúque orationi vim addentibus ſæpius iterata tantum Mediolanenſium animis odium in Gallos concitarunt, vt ſe ſuáque omnia liberè pro tuenda patria deuouerent.

Andreæ Barbati Auguſtiniani acerrimis cõcionibus ingens Mediolanẽſibus Gallorum odiũ iniectum.

5 At Proſper non verbis, ſed factis, rebúſque gerendis vrbis principatúſque propugnationem meditabatur: muros, ac propugnacula reficiebat, foſſas altiores reddebat, aggeribus muniebat; & ſe diligenter ad impendentem obſidionem tolerandam comparabat: nec minore cura cæteris quoque vrbibus prouidebat. Nouariam Philippum Torniellum cum bis mille, Alexandriam Hectorem (Heſtorem vocat Galeatius Capella) Vicecomitem cum mille quingentis Italis peditibus miſit, qui quod ſtipendium deerat, populi impenſis alebantur. Ticinum Antonium Leuam cum mille item Italis, bis mille Germanis: ipſe Mediolani cum ſeptingentis cataphractis, totidem leuioribus equitibus, duodecim peditum millibus conſederat. Et ne Galli vel commeatum in arcem importarent, vel inde in vrbem irrumperent, geminas foſſas viginti circiter paſſus à ſe inuicem diſtanteis inter Vercellenſem, Comenſémque vias, vtramque mille paſſus longam duxit, quoad ſeptum arci ſubiectum protenditur. Terram egeſtam in aggeres eiuſdem longitudinis excitauit, foſſarum limites propugnaculis altioribus muniuit, vnde appropinquanteis hoſteis tormentis repelleret. Argutum inuentum fortuna adiuuit: lapſam è cœlo plurimam niuem antelucanis operis priùs in aggeres iis, quos erigere decreuerat, longitudine, atque altitudine pares congeſſit, ne foſſores tormenta ex arce exonerata infeſtarent. Poſt duplices deinde foſſas duplices quoque terreos aggeres extruxit, eadem niue non ſolùm operi accelerando proficiente, ſed & Heluetios Alpeis ſuperanteis diu, multúmque remorante. Interim Lautrecius Gallicas, Venetáſque copias, quibus Andreas Grittus, ac Theodorus Triuultius præerant, in agro Cremonenſi cogebat: quæ Heluetiis ad Moguntiam vt Galeatius Capella, vel Modoetiam, vt Iouius, Buſſalorum Bellaius vocat, iunctæ Abduam Kalendis Martiis tranſmiſerunt. Nec Chabaneus Mareſchallus, aut Renatus Allobrox nothus quo minus Lautrecius vniuerſis imperaret, quandoquidem Mediolanenſium erat prætor impedimento fuerunt: inde Mediolanum verſùs ſimul profecti intra ſeptum non longè

Proſper Columna totus Principatui muniendo propugnandoq́ inſiſtit.

longè à Proſperi foſſis caſtra poſuerunt. Vbi Lautrecius,conuocatis in domum quandam primariis ducibus qui arci Mediolanenſi opem ferrent, conſultauit:interim exonerato ab hoſtibus tormento, quam colubrinam vulgo appellant, domus lapides diſiecti M. Antonium columnam Proſperi è fratre nepotem, ac Camillum Triuultium Ioannis Iacobi filium nothum ante domum deambulantes, & de extruendo ad infeſtandos inter geminas foſſas hoſteis, atque inde pellendos propugnaculo diſputanteis peremerunt. Triduo ibi exacto tantas munitiones ob propugnatorum multitudinem, alacritatémque perrumpere Lautrecius deſperans, fame vrbem ad deditionem cogere ſatius duxit. Itaque vicinis vrbi molendinis confractis, aquæ item canalibus aliò deriuatis totum adiacentem agrum latè populatus eſt. Quinetiam fœderatorum milites ſtipendij inopia aut ad ſe defecturos, aut ſeditionem excitaturos, aut clam dilapſuros ſperabat: ſiquidem ſoli Mediolanenſes, iique longo bello exhauſti ſtipendium pendebant: rarum Cæſar è regno Neapolitano ſummittebat, vt vix in treis menſeis ſolis Hiſpanis ſuffecerit.

Lautrecius Mediolanum ad deditionẽ fame cogi poſſe exiſtimat.

6 Hac ſpe inductus Lautrecius ad Caſſianum à Mediolano quinto milliari conſedit, ibíque diu reſedit: ſed tantum in Gallos Mediolanenſium odium exarſerat, tanta Sfortiæ Ducis propediem acceſſuri expectatio eorundem animis inſederat, vt omneis moleſtias æquo animo perferrent. Tum ad Gallorum exercitum Ioannes Medices cum tribus peditum millibus, ducentis equitibus acceſſit; quamuis initio Sfortianum ſtipendium ſequi præ ſe tuliſſet: mox pecuniam ſibi in tempore non numeratam cauſatus direpto Buſcheto Parmenſis agri oppido, quod eundem intromittere ciues recuſaſſent, Caſſianum ſe contulit. Circumſedebant Mediolanum Galli: Franciſcus Sfortia pecuniæ indigens Tridenti ſedebat, diutiúſque ſediſſet, niſi Iulius Cardinalis Medices miſſis nouem nummûm aureorum millibus languentis animum excitaſſet: quibus acceptis Croariam arcem, quæ Venetæ ditionis erat,occupauit, ac per Veronenſem in Mantuanum agrum cum ſex Germanorum peditum millibus euaſit; tranſmiſsóque ad Caſale maius Pado Placentiam iniit: quicum ſe Mantuanus cum trecentis cataphractis equitibus ſtipendium Pontificium merentibus coniunxit. Inde Ticinum contendit, Mediolanum prima quaque occaſione profecturus niſi Mediolanenſem viam hinc Lautrecius ad Caſſianum, illinc Veneti ad Binaſcum caſtra metati obſediſſent, Fano Angeli, ac Columbani receptis. Tum Lautrecius de Leſcuti fratris in Genuenſem agrum appulſi aduentu certior factus, qui cum paucioribus equitibus, peditibúſque quam, vt tuto per hoſtilem agrum tranſiret Regiam pecuniam ferebat, Carolum Refugium (Bocardum vulgo appellabant) cum ducentis cataphractis equitibus Gallico more inſtructis, Federicum Bozolum cum ter mille Heluetiis,mille Italis peditibus,quatuor campeſtribus tormentis illi obuiam miſit (Itali peditum numerum ad ſeptem millia augent) hi vbi ad Falconium portum,vt Ticinum traiicerent, appulerunt, vnica laxiore ſcapha (baccum vulgo appellant) pedites cum tormentis tranſmiſerunt. Vbi ad equites peruentum eſt, ſocios ſinguli anteuertere ſtudentes magno impetu in ſcapham irruerunt; vnde quinque, aut ſex in fluuium deiecti perierunt. Hoc animaduerſo, qui ſcaphæ præerat, fœderatorum parteis ſequutus ſecundo flumine Ticinum delatus Franciſco Sfortiæ quid Gallis accidiſſet, denuntiauit. Ille Mantuanum, vt ſeparatos aggrederetur, cum quatuor Germanorum, duobus Italorum peditum millibus, aliquot equitibus ad Geminas Columnas (Gambalotum vulgo appellãt) miſit. Noſtri poſtridie venientes ſpeculati ex oppido perincommodo exierunt, & foſſa obiecta ſe ad prælium compararunt: quum Bocardus equitatu in treis turmas diuiſo ſuperueniens puluere late excitato, ita vt ſimul omnes incedere viderentur, maioris numeri ſpeciem obiecit. Hinc Mantuanus & Gallicum equitatum metuens, & Germanos haudquaquam virtute pares Heluetiis opponere non auſus Ticinum rediit: noſtri cedentem haud perſequuti, quin potius ad Leſcutum, quem Petrus Terralius Baiardus, Petrus item Nauarrus comitabantur, vt iuſſi erant, properarunt, Leſcutóque iuncti Nouariam eductis ex arce quam Gallicum præſidium inſederat,duobus maioribus tormentis circumſederunt: quibus ac quatuor, quæ ſecum tulerunt, Bocardus præfuit, vrbíſque murum ſatis lata ruina aperuit: verum vno ex quatuor confracto in alterum crus ictus paucis poſt diebus è vita exceſſit.

Ioannis Medices ad Gallos defectio.

Leſcuto Regiam pecuniam deferẽti auxiliares copiæ à Lautrecio miſſæ.

7 Leſcutus oppugnatione indicta, Heluetiiſque propoſita (non multos enim Gallos pedites habebat) quum illi prodire recuſaſſent, Gallos equites vt peditum munus obirent, hortatus eſt: illi alacres muro ſucceſſerunt, foſsámque poſt murum obiectam offendentes, ac ſecundùm eam lapſi in domos quaſdam irruperunt, hoſteíſque à tergo adorti fuderunt.

Nouaria à Leſcuto ſtrenuè expugnatur.

fuderunt. Qui in arce erant, Nouarienſes quidē ob foſſas interiectas cominus aggredi non poterāt, cæterum eoſdem ad murum accedenteis maioribus tormentis diſcerpebant. Heluetij noſtros iam in vrbe victores ſequuti eandem rapinis cædibúſque fœdarunt: Torniellus, & cū eo perpauci vitam pacta pecunia redemerunt: cæteri, ſi qui Heluetiorum gladios vitarant, ob inuſitatam in Gallos crudelitatem ſtrangulati ſunt: captiuis enim pleriſque Gallis cor ablatum, vt feræ agreſtes deuorarant, viuis viſcera abſtraxerāt, auenáque ſuppoſita equis laniandos obiecerant, atque alia pleraque id genus exempla barbaris etiam nationibus ignota ediderant. Mantuanus Tornielli nuntiis, litteriſque accerſitus iterum Ticino egreſſus, móxque de capta vrbe certior factus milites, quos Vigleueno impoſuerat, reuocauit: arci dumtaxat præſidium reliquit. Miſſa ad Leſcutum excipiendum auxilia, & nonnulla in capienda Nouaria cunctatio Gallis in re momenti maioris obfuerunt, Sfortiæque clam Mediolanum euadendi occaſionem dederunt, quod hoſtium exercitum imminutum aliqua ex parte noſſet. Is Proſpero per internuntios admonito noctu cū Germanis per loca deuia iter ingreſſus ad Sextum vicum properè contendit: vbi venientem Proſper cum expedito exercitu Mediolano egreſſus excepit, in vrbémque magna populi lætitia deduxit. Mantuanus quod à Pontificiis ditionibus præſertim verò Placentia longius abeſſe nollet, Ticini cum modico præſidio ſubſtitit. Hinc Lautrecius vrbis potiundæ ſpe inductus illuc vires ſuas conuertit, ac bipartito hinc Galli, inde Veneti vrbis muros tormentis verberarunt: quibus ad triginta circiter vlnas depreſſis oppugnationem indixit. Poſtica ad Ticinum, qua aquatum ibatur, porta erat, quod Ticinus vado haud facile tranſmitti poſſet, nec magno præſidio nec defenſaculis ad emittenda tormenta idoneis munita, & rari in vrbe milites remanſerant. Huc Riberacus cum Lautrecianæ alæ, Rochapoſæus cum Sabaudianæ, hoc eſt, Renati Allobrogis nothi hippotoxotis (hi ſimul iuncti quadringenti numero erant) interim dum oppugnatio ferueret, irrumpere iuſſi erant: Columbanus cum bis mille Vaſconibus peditibus ſequi debebat; Riberacus ac Rochapoſæus ſuo muneri non defuerunt, in vrbémque inuaſerunt, ac diu præliati quod Columbanus in ripa fluminis hæſiſſet, nec fortiter rem gerentibus auxilio fuiſſet, tandem repulſi ſunt: vbi Riberacus cæſus, Rochapoſæus vulnere in crus accepto in poſterum claudus fuit; quos ſi Columbanus imitatus fuiſſet, haud dubium quin de capta vrbe reportata victoria fuiſſet. Nocte inſequente bis mille partim Corſi militiæ aſſueti, partim Hiſpani eluſis Gallorum vigiliis non niſi ſero deprehenſi in vrbem paucis amiſſis ingreſſi ſunt: cuius potiundæ ſpem & hac, & aliis pleriſque de cauſis abiicere Lautrecius occœpit, & pecunia à fratre perlata iam deficere cœperat. Adhæc frequentes, denſæque pluuiæ ita itinera perruperant, ita Ticinum inflauerant, vt commeatus neque terra ad caſtra importari, neque aduerſo flumine naueis reiiciente conuehi poſſet. Tum Proſper ſex Germanorum peditum millibus auctus, quos Sfortiæ nuper adduxerat, Mediolano cum toto exercitu egreſſus Binaſcum intermedium inter Mediolanum, Ticinúmque oppidum acceſſerat: vbi aliquot dies ob continuas pluuias commoratus iam ad Carthuſianorum cœnobium intra ſeptum Ticinenſe magnificè ædificatum tribus à caſtris Gallicis paſſuum millibus diſtans proceſſerat, vt noſtros vicinus à Ticini oppugnatione deterreret: ita duo exercitus ſibi inuicem oppoſiti variis præſertim equeſtribus præliis ſeſe laceſſentes ſex aut ſeptem dies traduxerunt: mox commeatus penuria Landrianum ad vicum in Ticinenſis, Landenſiſque agri finibus, inde Modoetiam cum exercitu Lautrecius conceſſit, vt pecuniam è Gallia tranſmiſſam reciperet: quam qui deferebant, Aronæ ſubſtiterant, quod Anchiſes Vicecomes cum quingentis peditibus & aliquot leuioribus equitibus Buſcum vicinum Aronæ oppidum miſſus eandem auertere ſtudebat. Pecunia tardius miſſa belli fortunam commutauit, & Lautrecium viribus ſuperiorem pugnam iniquo loco inire inuitum coegit: Heluetij enim, quorum ſtipendium in aliquot dies retardatum fuerat, moræ impatientes, & longioris belli tædio affecti præfectos ſuos ad Lautrecium miſerunt, qui ſe Gallorum promiſſis haud amplius fidem adhibituros denuntiarent; aut ſtipendium repræſentaret, aut domum ſe remitteret, aut pugnam inire in craſtinum diem iuberet; neque enim periculum detrectare, quin potius primum in prima acie ſibi locum depoſcere: conſederant hoſtes ad Bicoquam Mediolanēſis cuiuſdam viri nobilis domum, tribus Mediolano paſſuum millibus diſtantem, & ad Laudenſem viam ſitam, quæ hortis, ac viridariis latioribus circumdata, altis foſſis more regionis cinctis, aquis vbique ſcaturientibus magnum exercitum in pugnam inſtructum capere poſſet. Hanc Proſper foſſis purgatis, atque dilatatis, aggeribúſque additis, propugnaculis item locis commodis extructis, ac pleriſque tormentis impoſitis munierat, partim vt Gallos à

Tempus Nouariæ expugnandæ datum, Gallis magni ſtetit.

Lautrecius Ticini occupadi ſpe fruſtratus.

Mediolano oppugnando arceret, partim vt quid Heluetij de ſtipendio non exoluto queſti mouerent (id enim iamdudum intellexerat) loco tuto expectaret. Lautrecius, Renatus Allobrox nothus, ſummus Regiæ aulæ magiſter, Iacobus Chabaneus Mareſchallus, quam alienum à rei militaris diſciplina eſſet hoſteis eo loco aggredi docentes Heluetios ab ea pertinacia reuocare tentarunt: quod ſtipendium in tempore repræſentatum non ſit, Regem in culpa non eſſe, qui maturè pecuniam tranſmiſerit, itinera ab hoſtibus obſeſſa impedimento fuiſſe: tolerarent adhuc paucos dies, & ſimul pecuniam, ac victoriam in manibus fore ſperarent. Cur ſe tantis hoſtium munitionibus, tótque tormentis temerarij obiiciant, quos inde fame domitos, ſtipendióque egenteis breui eiicere poſſint? Sed quum nec authoritate, nec precibus, nec promiſſis, nec vlla ratione barbaram gentem flectere potuiſſent, quod poſtremum fuit, ſubire potius prælij fortunam etiam iniqua conditione, præſertim quum diſcrimen apertum in ipſos primum inſani prælij authores redundaret, quàm totum bellum prodere maluerunt. Heluetiorum enim diſceſſu propter exiguas, quæ remanebant, copias Mediolanenſi agro cedendum erat; atqui illi aut dimicare, aut domum abire conſtituerant: conceſſerunt tamen, vt hoſtium caſtra propius inſpicerentur, vt vnde commodior oppugnandi facultas eſſet, perſpectum haberent.

Heluetij Lautrecium inuitum ad pugnā compellunt.

Id munus Pondormio Belgæ viro forti ac ſtrenuo iniunctum fuit: ille rem, vt erat, re- 8
nuntians hoſtium caſtra ita firma eſſe teſtatus eſt, vt vim oppugnantium facilè ſuſtinerent. Heluetij in ſua pertinacia nihilominus perſtiterunt: quapropter Lautrecius non amplius munere ducis functus, ſed barbarorum hominum importunitatem ſequutus pugnam in craſtinum diem * * * indixit. Poſtridie prima aurora tres Gallici exercitus acies Modoetia egreſſæ ſuo quæque ordine incedere cœperunt. Primam ducebat Thomas Fuxius Leſcutus Mareſchallus cum quadringentis, aut paulo paucioribus cataphractis equitibus, & aliquot partim Gallorum, partim Italorum peditum cohortibus, quem Pondormius cum ſua ala ac nouis equitibus antecedebat. Heluetiorum octo millia cum tormentis ſequebantur, quibuſcum plerique Galli ex illuſtrioribus familiis bellicæ laudis cupidiores permiſti erant, Monfortius Lauallæ Comitis maior natu filius, Grauilla, Mallius Anchius Belga, Miolenſis Allobrox, Launaius Regius cubicularius, aliíque nonnulli, qui primo conflictu ceciderunt. Succedebat ſecunda acies, cui Lautrecius, Renatus Allobrox nothus, Iacobus Chabaneus Mareſchallus præerant. Hanc cæteri Galli equites, ac pedites, Heluetiíque implebant; ante quam Nauarrus cum aliquot peditum cohortibus, ac multis foſſoribus, qui vias ſternerent, ingrediebatur. Tertiæ cum Veneto exercitu præerat Vrbinas. Quum verò ad hoſtium caſtra appropinquaſſent, ad ſiniſtram, Mediolanenſémque viam deflexit Leſcutus, pontem, per quem in hoſtium caſtra aditus erat, petiturus: Heluetij rectà ad caſtrorum frontem contenderunt, ſecunda acies ad dextram declinauit: tertia non longè quidem à munitionibus, ſed loco tormentis impenetrabili ſubſedit. Proſper Columna de hoſtium aduentu certior factus Franciſcum Sfortiam regulum cum quadringentis equitibus, ſex peditum millibus Mediolano accerſiuit, pontíſque cuſtodiæ præfecit; cæteros itidem intra caſtra continere ſtatuit, nihil fortunæ permiſſurus. Vbi propius ad munitiones Heluetij acceſſiſſent, necdum tamen tormentis hoſtium, ſclopetíſque expoſiti eſſent (tumulus enim appropinquanteis paulò altior tegebat) quidam ex Gallis vnà ingredientes, vt aliquantum conſiſterent, monuerunt; donec quid Leſcutus, quid item Lautrecius moliretur, quid tormenta Gallica efficerent, in quibus magna ad demoliendas hoſtium munitiones ſpes erat, audiiſſent: hoſtibus enim in diuerſas parteis diſtractis, tormentíſque per recenteis aggeres viam pandentibus, vel foſſas complentibus longè faciliorem in aduerſa caſtra aditum fore: quod ſi feciſſent, aut victores euaſiſſent, aut certè non tam multos è ſuis amiſiſſent. Illi tormentis vti dedignati (neque enim vt diſploderentur, expectarunt) moræ impatientes, & temeritate inaudita præcipites in foſſas irruperunt: verùm antequam eo appellerent, mille fere è ſuis ſclopetis tormentíſque diſcerptos amiſerunt; & quamuis ſummum aggerem vix haſtarum cuſpidibus attingerent, altiorémque multo quàm ſperarant, offenderent; tamen foſſas tranſilire, atque in aggerem, ſed fruſtra, euadere tentarunt. ibi præter nuper commemoratos circiter bis mille perierunt: neque enim illis cum hoſtibus, ſed cum hoſtium ſclopetis, tormentíſque certamen fuit; inter quos Galli paulò antè nominati, Heluetiorum fortiſſimi quique, duo & viginti eorundem præfecti, in primis verò temerarij huius prælij author Albertus Petra numeratus fuit.

Conflictus ad Bicoquā cogentibus Heluetiis initus.

Repulſi erant Heluetij antequam Leſcutus, ac Vendeneſſius hoſtium caſtra circum- 9
euntes in pontem inuaderent, quem firmioribus, quàm pridie fuiſſet, copiis circumſeſſum offenderunt: hic enim Sfortia cum ſex peditum millibus, & ſuis equitibus ſe venientibus oppoſuit.

oppoſuit. Illi nihilominus ſtrenuè inuecti viam vi ſibi fecerunt, atque in intima hoſtium caſtra penetrarunt victoriam ſibi prope ſpondentes, ſi qui ſequebantur pedites illis in tempore affuiſſent. Verum ex omnibus caſtris ſelecti equites, peditéſque eo ſtatim accurrerunt, vt Leſcutus totum prælij pondus ſuſtinens paulatim retrocedere & mutato equo (prior enim confoſſus ceciderat) ad pontem non multis amiſſis, atque inde ad fratrem Lautrecium ſe recipere coactus ſit. Heluetij enim vt temere prima impreſſione irruperant, ita nullis adhortationibus, vt ad certamen redirent, aut alteram ſaltem impreſſionem ſe facturos ſimularent, flecti potuerunt. Et Veneti quaſi ſarcinis cuſtodiendis attributi nunquam ſe loco mouerunt, nec hoſteis quidem aſpexerunt. Quod ſi vtrique munus ſuum impleuiſſent, hoſtes in diuerſas regiones diſtracti Leſcutum, & qui nondum ad pontem appulerant noſtros pedites haudquaquam repuliſſent. Lautrecius quidem ad dextram deflexerat, & aliquot è ſuis equites rubra cruce ſignatos præire iuſſerat eorum veſtigia perſequens, vt aliquem ſibi ad hoſteis aditum eo dolo pararet: ſed dolo maturè cognito ſuos Proſper Columna, vt ſpicas galeis imponerent, ſéque ab hoſtibus diſcernerent, monuit: ita Lautrecij conatus inanis euaſit. Nunquam hoſtes è ſuis munitionibus exire tentarunt: ſoli Hiſpani in Heluetios prima impreſſione repulſos irruere conati ſunt. At Pondormius cui, vt ne quid tale hoſtes molirentur, circumſpiceret, mandatum erat, tanto impetu in Hiſpanos inuectus eſt, vt eoſdem repente in ſua caſtra compulerit, cæteróſque, ne deinceps idem tentarent, perterrefecerit. Lautrecius, ac Chabaneus Mareſchallus (quem vulgò Palicianum vocabant) veri huius pugnæ exitus vates Heluetios, vt ibidem caſtra metarentur, munitionéſque munitionibus opponerent hortati ſunt: aut enim poſtridie Gallos equites relictis equis oppugnationem principes ſuſcepturos, aut ſaltem, ne quis ad hoſteis commeatus feratur, curaturos: id ſi præſtetur, hoſteis intra paucos dies aut fame perituros aut extra munitiones ſuas iuſto prælio decertaturos: quod illi hactenus optarant, & nunc, vt cæſos ſocios vlciſcantur, magis optare debeant; ſe non hoſtium viribus, ſed loci iniquitate ſuperatos.

Lautrecij dolus ab hoſtibus cognitus.

10 Heluetij vt prima impreſſione temerarij fuerant, ita deinde animo fracti in reditu pertinaces fuerunt: hinc vniuerſus exercitus cum tormentis, cum ſarcinis omnibus militari gradu Gallis equitibus poſtremam aciem claudentibus nuſquam laceſſitus Modoetiam poſtridie rediit. Proſperum vrgebat Piſcharius ac quidam alij fœderatorum præfecti, vt noſtros abeunteis, ac ſemiuictos (vt illi prædicabant) educto exercitu adoriretur. At ille, qui ſpeculatores ſummas arbores conſcendere iuſſerat, & quo ordine noſtri diſcederent, didicerat, partam iam victoriam fortunæ permittere, & Helueticam temeritatem noua temeritate abolere ſe nolle reſpondit. Heluetios, qui iam in caſtris Gallicis ſeditionem mouerint, eandem redintegraturos, aut domum abituros: cæteros, quum reſiſtendo non ſint, ſuperatis Alpibus in Galliam reuerſuros: Mediolanenſem Ducatum, de quo controuerſia ſit, fœderatis victoriæ præmium relicturos. Viri prudentis coniecturam rei exitus poſtea comprobauit: temeritatis pœna in Heluetios maximè eius authores redundauit, quorum animos ita afflixit, vt aliquot deinceps annis priſtinam fortitudinem haud præſtare viderentur: ſed & nonnulli ex Gallis equitibus Leſcutum, ac Vendeneſſium ſequutis intra hoſtium caſtra ceciderunt: ex fœderatis pauci, nec vllus magni nominis, præter Ioannem Cardonium Coloſſani Siculi oppidi Comitem. Ita pecuniæ in tempore non miſſæ penuria nobilis principatus amiſſus fuit. At tantam & publicè omnibus, & priuatim ſingulis, qui ditiores eſſe ferebantur, indicendo, nouáſque indictiones Prato Cancellario authore quotidie excogitando ac Regij patrimonij auctionem faciendo Franciſcus corraſerat, vt duobus huiuſmodi exercitibus ſatis eſſe poſſet. Verumenimuero is in omnem luxum effuſus, & muliebribus amoribus addictus, quæ animum voluptatibus occæcatum explerent, dumtaxat cogitabat: quæ ad rem militarem pertinebant, aliis mandabat, quid conſequeretur inde ſecurus: mox negligentiam ſuam duplicatis impenſis ſarcire, ſed fruſtra, plerũque nitebatur; & Ludouica Regis mater mulier auariſſima bonam partem auertebat: hinc antiqua illa Galliæ libertas aboleri, & in miſeram ſeruitutẽ deſinere occœpit. Superiores Reges magis ex ęquo & bono domeſticas, bellicáſq; impenſas moderari conſueuerãt: illis enim Regium patrimoniũ, quod diſtrahere nefas ducebãt, his pecunia ex trium ordinũ conſenſu indicta ſatisfacere ſolebat: Modoetia Titium, vt Abduã traiiceret Lautrecius cũ exercitu profectus Heluetios dimiſit. Illi põte extructo fluuium tranſmittẽtes per Bergomatem agrũ in ſuas Alpeis redierũt, quos Chabaneus Mareſchallus, Allobrox nothus Regiæ aulę magiſter, ac plerique Gallorũ proceres ſequuti ſunt. Poſtridie Lautrecius Ioan. Medicę, ac Federicum Boſſulum cũ ſex equitum alis, ac tribus

Prudẽs Proſperi Columnæ reſpõſum.

peditum millibus ad Laudem Pompeij vrbem tuendo Cremonenſi agro peropportunam miſit: ipſe Ripaltam petiit Cremonam profecturus, atque eam ſaltem Mediolanenſis principatus portionem conſeruaturus: non deerat occaſio. Germani in fœderatorum caſtris ſeditionem mouerant, & menſtruum ſtipendium præter promiſſum pro recenti victoria depoſcebant.

Seditio in caſtris fœderatorũ à Germanis mota.

Reſpondebat Proſper ſummus Imperator, atque Adurnius, qui eos è Germania adduxerat, repulſos quidẽ hoſteis caſtra temerè oppugnanteis: at ibi victoriæ nomen vſurpari nõ poſſe, vbi hoſtis cum omnibus tormentis, cum omnibus impedimẽtis, aperto campo nuſquam laceſſitus abſcedat. Illi occupatis tormẽtis, quinetiam manibus in Proſperum iniectis niſi poſtulatum ſtipẽdium repræſentaretur, hoſtilia minitabantur: hunc tumultum vt ſedaret Sfortia, quod petebãt, intra triceſimum diem ſe depenſurũ polliceri coactus eſt.

Interim Medices, ac Boſſulus Laudem, cui præerat Bonauallius ſiue Bonouallis quin- 11
quagenariæ alæ equeſtris præfectus, inierunt; ac de via feſſi, quod totam noctem iter continuantes prima aurora appulerant, vrbis cuſtodiam Bonauallio curæ fore ſperantes quieti ſe dederunt. Quum fœderati tumultu ſedato Melegnano eadem nocte profecti appropinquarunt, ad vrbem acceſſit prima acies, cæteræ tertio inde milliari ſubſtiterunt. Conſpectis hoſtibus Bonauallenſes vrbe egreſſi quid illi animi haberent, experturi occurrerunt: at tanto impetu repulſi ſunt, vt cum fugientibus hoſtes in vrbem irruperint, noſtróſque, qui mane introierant, ſemiſopitos, pleroſque in lectulis iacenteis quanquam meridiana hora inſtabat, offenderint. Acceſſit aliud infortunium (vt malum malo fortuna accumulare ſolet) pons è ratibus Abduæ à noſtris impoſitus, quà Cremonam iter erat, diſturbatus fuit, vnde plures è noſtris intercepti fuerunt.

Pons Abduæ à Gallis impoſitus diſturbatur.

Ingens ſanè calamitas: quis enim trecentos, aut etiam plures cataphractos equites, pedites ter mille in vrbe ampla, & ſatis firma muris nulla ruina apertis, ſine ſcalis, ſine tormentis veluti feras in cauea captos non demiretur? Medices, ac Boſſulus è manibus hoſtium elapſi Cremonam aufugerunt. Sub veſperam huius calamitatis nuntius Ripaltam ad Lautrecium perlatus eſt, qui reliquias illas exercitus vbi quadringenti dumtaxat cataphracti equites, pedites pauci ſupererant, admodum perturbauit: magnam enim in ea vrbe ſpem propter Abduæ tranſitum noſtri collocabant. In hac perturbatione Pondormius vir ſtrenuus ſeſe Lautrecio obtulit cum ſua ala, & voluntariis equitibus, Cremonam, antequam ab hoſtibus interciperetur, profecturus. Hominis fortitudinem ſibi non incognitam laudauit Lautrecius: quapropter explicato ſuæ alæ ſigno alæ nonnullæ acceſſerunt, plures etiam equites à ſuis præfectis, vt eundem comitarentur, impetrarunt, quibus quid animo deſignaſſet explicauit: per medios ſcilicet hoſteis quantis quantis viribus occurrant, ſi fortuna ita tulerit, viam

Pondormij viri fortis inſigne geſtum.

vi ſibi facturum, ac Cremonam peruaſurum. Illi fortem operam ſe nauaturos promiſerunt: inter eundum quatuor paſſuum millibus confectis mandatum à Leſcuto, vt eundem expectaret, accepit; cui ſuam cunctationem & vrbi, & ſuis equitibus exitialem fore reſpondit, cæterum portarum vrbis potitum illius aduentum expectaturum. Quo quum appuliſſet Ioannem Medicem, Federicúmque Boſſulum ad portam offendit: dimiſſis in diuerſoria ſuis equitibus, ipſe, vt erat armatus, in equo Leſcutum expectauit; is altera poſt hora eodem acceſſit. Poſtridie ſingulis præfectis ſuas regiones cuſtodiendas diſtribuit: neque enim de impendente obſidione dubitabat: Ioannes Medices intra quatriduum circiter mille quingentos tumultuariè collectos pedites adduxit: Federicus Boſſulus ad ſuos profectus nonnullos addidit. Proſper dimiſſo Piſſeonem Daualo Cremonam ſuperato Abdua paucis poſt diebus appulit: Galli Piſſernenſis arcis ad Abduam præſidiarij, quæ inter Italas & natura, & arte munitiſſima ferebatur, fœlici hoſtium ſucceſſu plus, quàm par erat, attoniti deditionem fecerunt.

Interim Lautrecius in Brixienſi agro aliquantum commoratus, quod Gallici exer- 12
citus reliquias nullo ſtipendio affectas Veneti in ſuis ditionibus tolerare nollent, vno & altero ex domeſticis ſuis dumtaxat comitatus, nec nomen ſuum prodens, clam per Heluetios, ne illi inſidias ſtruerent, in Galliam rediit, nec ſperatum ab hoſtibus triumphum, ſed querimonias de nonnullis relaturus, & ſe Franciſco Regi purgaturus: à quo non benignè (vt par erat) exceptus, immo vero reiectus mox Carolo Borbonio equitum magiſtro impetrante ad Regem admiſſus modeſtè queſtus eſt.

Lautrecius in Gallias redux ſe Franciſco purgare cupiens ab eodẽ immeritò reiicitur.

Quid (inquit Franciſcus) an alio vultu tanti principatus amiſſi authorem excipere poſſum? Tum Lautrecius non ſe, ſed Regem ipſum eius amiſſi authorem fuiſſe liberè reſpondit: maturè enim ſe & ſæpenumero Regem monuiſſe ni pecunia in militum ſtipendium præſto eſſet, milites omneis ſe inuito dilapſuros: equitatum menſes decem & octo gratis nullo accepto ſtipendio militaſſe: Heluetios, in quibus robur peditum exercitus erat, eadem de cauſa ipſum

vt ad

Digitized by Google

vt ad Bicoquam contra omnem militarem diſciplinam dimicaret, coegiſſe, inde mox abiiſſe; cæteros & numero perpaucos, & itidem malè affectos reſiſtendo non fuiſſe. At (intulit Franciſcus) ad quos quadringenta, quæ ad te miſſa ſunt, nummûm aureorum millia peruenerunt? Litteras (reſpondit Lautrecius) quibus ad me ea mitti ſignificabas, accepi; cæterum ne vllum quidem teruncium accepi. Tum Iacobus Beluenas Semblancaius quæſtor ſummus accerſitus eſt: qui huiuſmodi quidem mandatum à Rege accepiſſe, ſed Ludouicam Regis matrem pecuniam, cuius expenſæ fidem in promptu facere paratus ſit, antecepiſſe teſtatus eſt. Illa hominem peculatorem mentiri clamitans pecuniam quidem, ſed alio nomine ſibi debitam, ſe recepiſſe profeſſa eſt. At Pratus Cancellarius bipedum omnium (vt ſupra dixi) nequiſſimus qui Semblancaio ob ſummam eius authoritatem inuidebat (hunc enim propter venerandam ſenectutem patrem Franciſcus appellare ſolitus erat) illi iudices è ſua cohorte, hoc eſt, ex iis, quos vel ad Senatum Pariſienſem promouerat, vel ſibi fidos alioqui ſciebat, dedit: tametſi non Semblancaium in Ludouicæ, ſed Ludouicam in Semblancaij ære certo eſſe norat. Addicti certis, deſtinatiſque ſententiis iudices, & Ludouicæ, & Prati metu hominem innocentem (vt ferebatur) extremo ſupplicio addixerunt. Quis autem Franciſci ſocordiam non execretur? qui venationibus, ſcortis, choreis, mimis, ludicris equitum certaminibus, quæ torneamenta à Troianis ludis (ni fallor) appellamus quibus in turnum (vt vulgo loquimur) hoc eſt, in gyrum decurrebatur, totum ſe dedens nullam tanti principatus curam ſuſceperit? eam ad matrem Lautrecio infeſtam, quod de eius impudicitia liberiùs loquutus fuiſſet, reiecerit: Semblancaium, quod vera confeſſus fuiſſet, iniquo iudicio circumueniri, & in gratiam matris innocentem capite luere permiſerit: ne quis in poſterum apud Regem vera fateri auderet, & vt adulatoribus, quorum refertæ principum aulæ ſunt, locus ampliſſimus ad mentiendum pateret.

Semblancaius quæſtor ſummus extremo ſupplicio malè addictus.

Ludouica Sabaudiana cur Lautrecio infeſta.

13 Vt ad Cremonam reuertar, vrbem quoad poterat muniebat Leſcutus: verum Ioannes Medices ſtatim ſeditionem mouit, & vna ex portis occupata, ni ſtipendium repræſentaretur, eam ſe hoſtibus traditurum minatus eſt. Leſcutus pecuniam vndique corradere coactus vix illi ſatisfacere potuit: nec tamen is accepto ſtipendio (vt Italorum ingenia cum fortuna facilè commutantur) ita placatus eſt, quin magnam defectionis ſuſpicionem præberet: non enim ſponte, ſed quod Guidum Ranconum ſibi antelatum & Florentini exercitus ducem creatum ægrè ferret, ad Gallos defecerat, & tum fortunam ab hoſtibus ſtare animaduertens ſpecioſam defectionis occaſionem quærebat. Id metuens Leſcutus, & quod Boniuetum maris præfectum copiis Gallicis rebus Mediolanenſibus auxilio futuris imperatorem deſignatum intellexerat, id munus ad alium, quàm ad Lautrecium fratrem, immo vero ad hominem non illuſtri familia, aut rebus geſtis clarum, ſed aulica dumtaxat gratia potentem delatum indignatus obſidionis initio cum Proſpero conuenire properauit. At Franciſcus non Guilielmum Gouſſierium Boniuetum, ſed Claudium Longauillanum regulum admodum quidem adoleſcentem cæterum illuſtris familiæ & præclaræ indolis miſit. Conditiones æquiſſimæ fuerunt: niſi intra quadrageſimum diem, qui ſexto Kalend. Iulias finiebatur (treis menſes præſcriptos ab aliis diſſentiens ſcribit Bellaius) auxiliares è Gallia copiæ, quæ vel Padum vi tranſmitterent, vel vnam è Mediolanenſis ditionis vrbibus fœderatorum præſidio inſtructam caperent; Cremonam Proſpero, vel cui Proſper iuſſiſſet, Leſcutus traderet. Quicquid Galli in Mediolanenſi Ducatu poſſiderent, fœderatis dederetur, Cremonenſi, Mediolanenſi, Nouarienſi arcibus exceptis: cum omnibus tormentis, quibus trahendis boues more Italico Proſper ſuppeditaret, cum omnibus impedimentis, ſignis explicatis, tympanis clangentibus, equitatu, peditatúque in ſpeciem exercitus incedente Leſcutus exiret, acceptis etiam iumentis, quæ & ægros, & impedimenta veherent Suſam vſque fœderatorum præſidio comitatus deduceretur: quod & Proſper bona fide præſtitit. Conuentum perhonorificum Leſcuto Proſper indulſit; tametſi, niſi Franciſcus opem ferret, ſe breui vrbe potiturum nouerat, vt Genuam raro præſidio firmatam properaret; quo Hieronymus, Antoniúſque Adurnij fratres hominem alioqui cunctatorem trahebant. Hi ſi Genua potirentur, ſe iiſdem fœderis legibus ſtaturos, quibus Auguſtinus eorum pater ſe Ludouico Sforziæ obſtrinxerat, Franciſco filio pollicebantur. At rem adeo præcipitanter actam haud in bonam partem Franciſcus accepit: an prius, quam tormenta murum quaterent, de deditione verba facere viro militari dignum fuit? Commeatus penuriam nonnulli obtendebant, qui ſi diuturnior obſidio fuiſſet, ab arce petendus neceſſario fuiſſet; prouiſis autem arci rebus neceſſariis de vrbe non magnopere laborandum, quæ per arcem, cui Ianotus

Ioannis Medicei rebellio.

Leſcutus quòd de Cremona dedenda præcipitantius pactus fuerit, à Franciſco reprehenditur.

Herbouilla (vulgo Bunonium vocabant) præerat, recipi facillimè poſſet. Vtut fuerit, huius pactionis certior factus Senatus Venetus Annæum Mōmorentium de continuanda ſocietate agentem re infecta dimiſit. Et Proſper acceptis obſidibus (inter quos Franciſcus Riberacus, eius, qui ad Ticinum cecidit, frater, Freſſillius, ac Bonauallius fuiſſe traduntur) Genuam ſtatim magnis itineribus contendit, & miſſa à Franciſco auxilia anteuertit.

14 Genuenſibus Regis nomine præerat Octauianus Fregoſius vir prudens, ac ciuibus charus: cæterum & rerum militiarium non ſatis experiens, & valetudine ita infirma, vt magna ex parte in lectulo decumberet. Is fratris Salernitani Pontificis atque aliorum amicorum opera vſus bis mille Italos pedites in vrbem immiſerat: nam in ciuibus ob diuerſas factiones nullam ſpem certam reponebat, & à Franciſco, quem quid hoſtes molirentur, diligenter monuerat, auxilia expectabat. Petro Nauarro, qui tum Maſſiliæ erat, Franciſcus mandauit, vt Genuam quanta poſſet celeritate nauigaret: is ducentis militibus in duas longas naueis impoſitis (neque enim plures præſto erant) Genuam tum appulit, quum iam Ferdinandus Daualus Piſcarius cum Hiſpanico Italicóque peditatu eam vrbis partem, vbi olim Pharus ſtabat, tormentis verberare occœpiſſet, tubicinémque præmiſiſſet, qui Genuenſibus denuntiaret, vt Gallicum præſidium vrbe pellerent, Antonio Adurnio parerent: claſſem, quoties è re Cæſaris eſſet, paratam haberent: hæc ſi præſtarent, Cæſarem, vt ſuis legibus viuant, permiſſurum. Conditiones accepiſſent Genuenſes rerum nouarum ſtudioſi, niſi Nauarrus, & qui vnà venerant, milites impedimento fuiſſent. Coacti nihilominus Galli fuerunt, vt Benedictum Viualdum Octauiani ac Genuenſium nomine ad Piſcarium ire permitterent. Euerterat turris partem Piſcarius ad portam Codiſanam mari propinquam, vbi & murus hiatum fecerat. Interim dum cum Viualdo colloquitur Piſcarius, & res prope compoſitæ erant, Hiſpani turris cuſtodias negligentius ſuo muneri intentas obſeruantes (vt quum fœderis ineundi ſpes aliqua ſubeſt vſuuenire ſolet) & donec Viualdus in vrbem rediiſſet, Piſcarius ſe nihil hoſtile patraturum pollicitus erat, turrim occupant; & per muri ruinas inſcio Piſcario in vrbem inuadunt. Fit vndique clamor ingens, cohortium ſigna ad muros efferuntur: Piſcarius dimiſſo conſilio ſuos in ordines redactos in vrbem immittit: Proſperum qui in ea regione, quæ Beſania dicitur, caſtra habebat, de capta vrbe certiorem facit. In tanta ciuium perturbatione Nauarrus nuper ingreſſus ſe in magnam vrbis aream recipit, & cum ſuis fortiſſimè pugnans tandem capitur: Galli equites è quinquagenaria Paulini Comitis ala in arcem euaſerunt. Federicus Salernitanus Pontifex cum centurione, qui prætorianis Octauiani militibus præerat, & plerisque tum nobilibus ciuibus, tum militibus nauibus conſcenſis Maſſiliam curſum tenuerunt. Octauianus in lectulo iacens occluſo prætorio per vnum è domeſticis ſe Piſcario deditionem facere proclamari iuſſit; apud quem aliquot poſt menſes è vita exceſſit. Vrbs tum opulentiſſima direpta, domus fere omnes expilatæ niſi quod nonnullæ familiæ nobiles ſuarum direptionem ſchedulis aut pignoribus datis redemerunt. In tanta calamitate illud ſolatio fuit, quod Adurnij fratres exoratis hoſtilis exercitus præfectis ne quis ciuis captiuus retineretur, ne qua mulier vi raperetur, impetrarunt, & re vera cum Viualdo conueniſſe Piſcarius ferebatur. Genuæ direptionem ægerrimè tulit Proſper, quod magnam inde pecuniam, vnde ſtipendium militibus ſolueretur, ſe confecturum ſperabat. At Piſcarius homo ambitioſiſſimus, qui non tam promiſſis ſtare, quàm militum fauorem malis artibus aucupari didicerat, vt & antea Comi fecerat, violata fide illis prædam obiicere maluit.

Petrus Nauarrus Genuenſibus auxilio miſſus, ab hoſtibus fortiſſimè pugnans comprehenditur.

Genua capta ac direpta.

15 Capta vrbe, ac direpta Antonius Adurnius Dux declaratus eſt: is poſt exercitus diſceſſum Caſtelletum tormentis à Florentinis mutuo acceptis circumſedit: tertio poſt die Franciſcinæ ædis arcem, quarto Caſtelletum ipſum certis conditionibus recepit. Proſper cum exercitu magna celeritate in agrum Aſtenſem rediit: quod Claudium Longauillanum cum quadringentis cataphractis equitibus, ſex peditum millibus à Rege miſſum, vt Genuenſibus opem ferret, Alpeis iam ſuperaſſe audiuiſſet: is ad Villanouam Aſtenſis agri oppidum de capta Genua certior factus, donec nouum à Rege mandatum acciperet, ſubſtitit: viribus enim inferior erat, quàm vt cum hoſte confligeret. Franciſcus Genua Cremonáque amiſſis vt in Galliam rediret mandauit. Interim dum hæc in Gallia Tranſalpina, ac Liguria geruntur, Hannibal Bentiuolus, atque Hannibal Ranconus tumultuariè conſcriptis quatuor peditum millibus Bononiam ex inſidiis, ſed fruſtra, capere tentarunt: repulſi enim tribus, quæ comportarant, relictis leuioribus tormentis ſalutem fuga quærere coacti ſunt. Huius conſpirationis haud ignarum, aut fortaſſe authorem Iulium Cardinalem Medicem fuiſſe nonnulli ſuſpicati ſunt: vel vt ſe abſenti Adriano Pontifici commendaret,

Bononia ab Hannibale Bētiuolo fruſtra tentata.

Digitized by Google

commendaret, vel ne quid Adrianus in Italiam appulſus de eius authoritate imminueret, aliis grauioris ponderis curis, hoc eſt, recipiendis, aut conſeruandis Pontificiis ditionibus intentus. Maioris in Hetruria motus initium Franciſcus Soderinus Cardinalis Volaterranus Pontifex dedit, qui Franciſcum Regem, vt Mediceos Florentia pelleret incitarat: & quod Rex à pecunia imparatus eſſet, tot exercitibus exhauſtus, ſtipendium Volaterranus ſuppeditare, intra præſcriptum tempus Franciſcus reſtituere debebat. Cuius conſpirationis certior factus Cardinalis Medices, vt Florentini exercitus imperator in annum Vrbinas declararetur effecit, ea conditione, ne quid de iure, quod in Monſeltrenſia oppida vel Vrbinas, vel Florentini ſibi vendicabant, decederet, Vrbinati ſtipendium Kalen. Septembribus inſtantibus procedere inciperet. Rentius itaque Ceres tum Romæ otioſus Regis mandato ac Volaterrani Cardinalis hortatu cum quingentis equitibus, ſeptem peditum millibus, exulibus, qui non ita dudum Vrbinatem ſequuti erant, ſibi adiunctis in agrum Senenſem ingreſſus eſt: cui paucis ante diebus duo peditum millia, centum leuiores equites, quatuor minora tormenta, quos falcones vocant, clam Horatius Baleonus miſerat, certa, vt ſe Rentio iungeret, pecunia accepta. Verùm mox à Cardinale Medice ad Florentinorum ſtipendium in annum proximum vocatus inualetudinem ſimulabat. Quod ſi primus is conatus proſperè Rentio ſucceſſiſſet, haud dubium, quin pari euentu in Florentinos continuatus fuiſſet. Id illi prouidentes Guidum Ranconum ſummum ſui exercitus imperatorem deſignatum cum iis, quas tum habebat, copiis in agrum Senenſem immiſerunt, tum vt vrbi, & totius agri oppidis præſidiis impoſitis, tum vt commeatu intercipiendo, aut hoſteis prohibendo, eoſdem remoraretur: quibus ſtipendium intra paucos dies defuturum nouerant.

In Hetruria tumultus Franciſco Soderino Cardinale auctore motꝰ.

16 Cluſium igitur antiqua potius Regis Porſenæ fama, quàm præſenti rerum ſtatu, aut opulentia nobile oppidum primum Rentius circumſedit: ſed quod minora quatuor duntaxat tormenta haberet, vrbem firmo militum præſidio munitam capere haud potuit, inde ad Turritam vicum progreſſus eſt; quem centum Ranconi cataphracti equites, quingenti pedites inſederant: vnde pariter repulſus Bagnonum Rapolanum duodecim paſſuum millibus Senis diſtans præteriit, atque ad ipſas adeo Senas quingentis paſſuum millibus interiectis appropinquauit. At Guidus Ranconus, quicquid ille deſtinaſſet, anteuertens illo ipſo die cum ducentis leuis armaturæ equitibus cætero Florentino exercitu ſubſequente Senas inijt: quo effectum eſt, vt propinqua Florentinorum auxilia ac Rentij à minoribus oppidis ſæpius repulſi multùm imminuta exiſtimatio, & ſuos minus alacres redderet, & Senenſes alioqui rerum nouarum ſtudioſos, & ad defectionem paratos in officio contineret. Quum nullus in vrbe tumultus excitaretur, poſtridie inde Rentius abiit ac magna celeritate non magis hoſtium metu, quam commeatus penuria relictis, quæ ſecum trahebat, tormentis, ad Aquam pendentem ſe recepit: quo die Florentinus exercitus Senas ingreſſus à perſequendo Rentio, quod longius abeſſet, abſtinuit: leuiores duntaxat equites ac nonnullos pedites Senis repertos veluti fugienteis carpere permiſit, qui nihil illi, aut parum detrimenti attulerunt. Ibi Rentius, quod in Pontificiis ditionibus eſſet, tuto aliquot dies commoratus deficiente ſtipendio (nam Volaterranus, Montanus, Comenſis Cardinales, quibuſcum de ea expeditione Rege authore tractabat, hominem contemnere cœperant) in maritimum agrum Senenſem populabundus excurrit, Orbitellúmque nequicquam oppugnauit, quem idcirco Florentini, qui exercitum ſuum ad Senenſis, Pontificiique agri limites progredi iuſſerant, ſe etiam in Pontificiis ditionibus perſequuturos comminati ſunt. Hinc Cardinalium collegium (nondum enim Romam Adrianus appulerat) ne paruum incendium in Romano agro excitatum latius manaret timens, vt Florentini ac Senenſes, necnon Rentius ab armis diſcederent, ac ne quid deinceps aut hic aduerſus illos, aut illi aduerſus hunc hoſtile intentarent, datis Romæ ad quinquaginta nummûm aureorum millia prædibus, perfecit. Refrixerat bellum Italicum: at in Aquitania Belgicáque magis ac magis exardeſcebat: Fontem Rapidum (vt ſcripſimus) anno ſuperiore Boniuetus Amyralius ceperat; quo in Galliam reuerſo duodecimum iam menſem eandem vrbem, cui Ludæus præerat, Hiſpani circumſederant, niſi commeatus importaretur breui deditionem facturam; extrema enim fame præſidiatij milites laborabant. Huc Franciſcus Caſtilionem Mareſchallum cum exercitu miſit: is ad Daciorum vrbem duodecimo à Baiona milliari morbo correptus vitam edidit. In eius locum Iacobum Chabaneum etiam Mareſchallum nuper ex infelici Bicoquæ prælio reuerſum Franciſcus ſurrogauit, copiiſque ſuis præeſſe voluit: Annæum Mommorencium tum Venetiis agentem, cuius ſororem Caſtilio in matrimonio habebat, Mareſchallum declarauit.

Ludæus Fōte Rapidum aduerſus Hiſpanos ſtrenuè ac laudabiliter propugnat.

clarauit. Chabaneus copiis omnibus ad Fanum Ioannis Luſij,ſiue Lucenſis intermedium inter Fontem Rapidum ad Baionam oppidum coactis Endaiam contendit: claſſem Gallicam, cui Lartigius Britannici Amyralij legatus præerat, expectaturus. Verumenimuero quum vel ignauia ſua, vel alia de cauſa Lartigius diutius cunctaretur, traiecto fluuio Chabaneus hoſteis ad manus venire non auſos, quibus princeps Arauſius Cæſaris legatus præerat, multis tormentorum pilis emiſſis obſidionem ſoluere, & in monteis fugere coëgit: inter quos Guilielmus etiam Fuſtembergius Comes ſex Germanorum peditum millibus præfectus fuiſſe traditur. Magnam Ludæus de conſeruata vrbe laudem tulit: multum enim cum acerrimis hoſtibus, magis etiam cum extrema rerum omnium penuria certauerat; & multi iam è ſuis vel fame, vel morbis fame conceptis mortem obierant. Vrbi quodammodo receptæ (propemodum enim in hoſtium poteſtate erat) Fraugetum alæ Caſtiloniæ legatum largo commeatu importato Chabaneus Rege ita mandante præfecit: Ludæus enim officio ſuo egregiè functus liberari ea cura, atque in Galliam redire cupiebat. Fraugeto alam equitum quinquagenariam, hoc eſt, Caſtilioniæ dimidiam partem Franciſcus dedit: at is præclarum de ſe Regis iudicium multùm feſellit, vt proximo libro explicabimus.

Suffolcius regulus. In Belgica quoque bellum non minus acre gerebatur: mare tranſmittebant Angli Suffolcio regulo duce, qui Mariam Henrici ſororem Ludouici Galliarum Regis eius nominis Duodecimi viduam vxorem duxerat; cui Burenus Comes Cæſariani dux exercitus ſe iungere debebat. Picardiam, quæ Belgicæ pars eſt, tum adminiſtrabat Carolus Borbonius Vindocinenſis regulus, cui Ludouicum Trimullium Burgundiæ prætorem cum pleriſque cataphractorum equitum alis Franciſcus adiunxit. Franciſcum Mongomerium Lorgium, qui vnà cum Longauillano Genuam miſſus erat, quod arcem commeatus penuria deditam eſſe in itinere intellexiſſet, redeuntem eodem ire iuſſit. Vindocinenſis ac Trimullius, quod viribus inferiores erant, Picardiæ vrbeis firmis præſidiis munierunt. Bononiæ præerat Antonius Fayeta cum quinquagenaria ſua cataphractorum equitum ala: hinc Iacobum Sillium cum centenaria Alenconij ala, cuius legatus erat, Rochabaronem Aruernum cum viginti quinque cataphractis equitibus, Burbarrum cum mille peditibus addiderunt. Præerat & Taroannæ Morullius nothus (vulgo Fresnoium vocabant) vir ſtrenuus cum quinquagenaria ſua ala, & peditum veteri præſidio: tamen quod vrbs ampla eſſet, & munita penes Philippum Chabotum Brionem, qui non multò poſt maris præfectus fuit, ſibi in primis charum, vt aliquam militaris gloriæ famam quæreret, Franciſcus ſummum imperium eſſe voluit. Eodem Dammartinianum Comitem, Liſtenaium, Turonium Vicecomitem, Valguionem cum ſuis alis, quæ ſingulæ viginti quinque cataphractorum equitum erant, Salzeunium Normanum cum mille, Mombrunum cum totidem peditum miſit. Hiſdini præfectus erat Biezius cum triginta cataphractis equitibus: peditibus auctum præſidium quemadmodum & in cæteris vrbibus. Sercuus cum mille peditibus, Landa cum quingentis additi: Montrolium Fani Paulini Comes Vindocinenſis frater ac Claudius Lotharingus Guiſanus Antoniæ eorumdem ſororis maritus in imperio pares cum quadringentis cataphractis equitibus, ſex peditum millibus, quibus præerat Lorgius, inſederunt. Vindocinenſis ipſe,ac Trimullius cum duobus Heluetiorum millibus, & aliquot cataphractorum equitum alis Abbeuillæ ſubſtiterunt; vt quibus auxilio opus eſſet, in tempore ſubuenirent. Et quod nondum Angli cum Cæſarianis coiſſent, Paulinus ac Guiſanus Comites cum quatuor maioribus tormentis Bapalmam oppidum ſimul & arcem expugnarunt, atque incenderunt: inde ad anguſtias Seluſanas (vt vulgo appellantur) contendentes, vt regionem inter Scaldij, Carpamque fluuios interiectam popularentur, hoſteis obuios, atque aditum intercludenteis in fugam verſos Duacum vſque perſequuti ſunt; & vaſtato Atrebatenſi agro graui præda onuſti Montrolium reuerterunt. 17

Bapalma expugnata & incenſa.

Proceſſerant interim Angli in continentem, & impedimenta,commeatúmque,qui anguſto illo Oceani ad Icium portum freto tranſportabatur, expectabant: deinde Cæſarianis iuncti Hiſdinum circumſederunt; quo circiter duos ac quadraginta dies oppugnato obſidionem ſoluere (iam enim Kalen. Nouembr. inſtabant, & denſæ pluuiæ milites ſub dio pernoctare non ſinebant) in Angliam Angli,in Flandriam Cæſariani in hyberna redire coacti ſunt. Orbem Chriſtianum bellis miſcebant Cæſar ac Franciſcus,& cæteros principes Chriſtianos ſecum trahentes mutuis odiis ſeſe in dies magis ac magis laceſſebant. quam occaſionem nactus Solymanus Turcarum Imperator Chriſtianos principes ira, inuidia, vltionis cupiditate inuicem accenſos priuata commoda publicis antelaturos verè 18

Hiſdinum à Cæſarianis fruſtra tentatum.

auguratus

auguratus Rhodum inſulam oppugnare decreuit. Duas Solymano vrbium oppugnationes ſuſcipiendas Selymus pater teſtamento reliquerat, Rhodi ac Belgradi Pannonici oppidi (Taurunum antiquis dictum putant.) hanc Selymus ipſe ſuſceperat, at exercitum peſtis diſſiparat: nec ita multò poſt Selymum lentus morbus, deinde mors ſubſequuta reuocarat. Belgradum Solymanus poſt bimeſtrem obſidionem ob commeatus cæterarúmque rerum neceſſariarum penuriam deditum quarto Idus Septembris anno ſuperiorę ceperat: victoria ea inflatus Rhodiam expeditionem Muſtapha inſtigante, cæteris Baſſis diſſuadentibus ſuſcepit: cui magnum momentum addidit Andreas Meralius Rhodiæ militiæ eques Luſitanus, qui Solymano per captiuum Turcam Rhodiorum murorum bonam partem collapſam, Liladamum nuper creatum Rhodiorum equitum magiſtrum Italorum equitum ſeditione, quam ipſe clam concitarat, perturbatum omnino imparatum eſſe, principes Chriſtianos mutuis bellis laceſſitos nulla auxilia miſſuros indicarat: veniret Solymanus cum numeroſo exercitu, nec cum vllis legatis tantam laudem communicaret, reginam mediterranei maris inſulam poſſeſſurus. Huc hominem inſanum cæca inuidia, atque immanis ambitio quadam deſperatione quaſi extra ſe poſitum adegit. Poſt mortem enim Fabricij Carretani magni Rhodiorum magiſtri ſummum is magiſtratum Cancellarius & inter primarios equites, quos maiore cruce inſigniunt, numeratus ambiuerat. Philippus Villarius Liladamus Gallus ac Thomas Docraius Anglorum equitum præfectus æqualia ſuffragia ceperant: Liladamus vno duntaxat ſummi ſuffragatoris equitis ſuffragio ſuperarat. Meralij ratio nulla habita fuerat; quapropter ille indignatus & ſocios & ipſam Rhodiam militiam tyranno immaniſſimo prodidit. Eadem Iudæus medicus antea Rhodum à Selymo vt qui vrbis ſtatus, quæ vires eſſent, quæ expugnationis ratio iniretur, exploraret ſpeculatum miſſus, & vt ibidem remaneret Solymani iuſſu perſuaſus renuntiabat; qui, vt magis Rhodios falleret, Chriſtiano ritu non ita dudum ablutus erat.

19 Solymanus igitur primum vt Rhodios milites paulatim attereret, ac muniendæ vrbis vel commeatu, vel aliis rebus neceſſariis, vel alia quauis commoditate priuaret, triginta longas naueis præmiſit: quibus decimoſexto Kal. Iulias Co inſulam appulſis Turcæ milites paucis ad nauium cuſtodiam relictis totum agrum populari cœperunt. At Preianes Beloxius inſulæ præfectus vir ſtrenuus prædatores multis cæſis in naueis compulit. Is primus Turcarum conatus Rhodios admonuit, vt quicquid ſaluum vellent, in vrbem comportarent, & ſe ad imminentem obſidionem compararent: quod diligenter exequuti ſunt miſſis ad Adrianum Pontificem, Cæſarem, Gallum, Anglum legationibus; ſed fruſtra. Illi enim nullam Reipub. Chriſtianæ curam gerebant; ſuam quiſque, quanti Rhodus momenti eſſet, haud animaduertentes, nimis anxiè procurabant. Rhodij igitur ſibi priuatim conſulentes domos vrbi vicinas amœnitatis gratia pulchrè exædificatas, hortos, viridaria, quique ea cingebant, muros demoliti totam eam regionem, quoad fieri potuit, complanarunt. Homines ruſtici, mulieres faciem patrio more lacerantes, pueri, puellæque cum ea, quam conuehere poterant, ſupellectile, cúmque omnibus domeſticis animalibus bonam ſegetum partem quamquam non ſatis maturam comportantes in vrbem confluxerunt: quæ quod non adeo ampla eſſet, corrupti mox aëris, multorúmque morborum cauſa fuit: inita militum recenſio. Ad quinque millia qui arma ferre poſſent, numerati ſunt: ruſtici, qui è tota inſula coierant, aggeribus erigendis, cuniculis ducendis, cæteriſque operibus faciendis attributi. Paucis poſt diebus triginta Turcicæ longæ naues in freto quod Lyciam, Rhodúmque dirimit, apparuere auxiliariis pleriſque ad Guidum promontorium non longè ab vrbe Rhodo latitantibus. Ibi aliquot dies veluti ſpatiatæ & nunc ad portum Rhodum appropinquantes, nunc in altum vela dantes Rhodios equites ad naualem pugnam elicere tentabant. Non ferendam eam inſolentiam cenſebat Andreas Meralius, qui vti præmonui, clam Solymanum ad eam expeditionem incitarat; atque adeo ſocios equites in apertum diſcrimen conicere, & vrbem Solymano prodere cupiens prælium nauale ſuadebat. At viri prudentes vniuerſas Solymani vires ſibi imminere, rarúmque ſuæ vrbi, ſi cum hoſtibus conſeratur, præſidium ineſſe animaduertentes nihil fortunæ permittendum putarunt: mille duntaxat pedites qui terra hoſtem arcerent miſerunt. Sexto Kalen. Iulias vniuerſa claſſis, quæ trecentarum, aut etiam plurium omnis generis nauium fuiſſe traditur, ad foſſam (vt vulgo appellatur) Boiúmque promontorium in Orientem verſum tribus ab vrbe paſſuum millibus diſtans appulit: inde in alteram regionem tranſmiſſa extra pilarum tormentariarum iactum vrbe in Parabolinum ſinum traiecit: vbi vſque ad deditionem ſubſedit; triginta, quarum primum mentionem fecimus,

fecimus, triremes, ne quid in vrbem importaretur, prohibituræ toto mari vagabantur: ſed & multæ poſtea diuerſi generis naues acceſſerunt vt tandem quadringentæ coiiſſe tradantur.

Interim dûm milites, tormenta, commeatus in terram exponitur, Fani Ægidij, ſiue Gilij, vt vulgo appellatur præfectus (Priorem illi vocant) Primatem dicere poſſumus Preianes Bidoxius terra marique dux inclytus, necnon Gabriel Tadinus Martinengus cuniculorum ducendorum auertendorúmque, ac muniendarum vrbium mirus artifex Turcicas vigilias fallentes vrbem ingreſſi ſunt. Vrbs ab antiqua aliquantulum diſtans muro ac promuro, tredecim turribus, quinque præcipuis propugnaculis muniebatur, cuius cuſtodia in ſex maiores regiones diuiſa erat: à turri Francica ad portam Ambroſianam, qua ad montem Phileremum iter eſt, Galli Franci præfecto Ioanne Albino ab Ambroſiana ad Georgianam Germani præſidio erant. Succedebant Galli Aruerni, & poſt illos Hiſpani loco ad reſiſtendum difficiliore collocati: quod ibi foſſæ non vt cæteræ altæ latæque forent. Quintam regionem Liladamus ipſe cum Anglis, ſiue Britannis, & Gallis Narbonenſibus defendendam ſuſceperat, ſic enim Iacobus Fontanus tradidit: tametſi Iacobus Borbonius nothus Rhodius eques, qui Rhodi quoque expugnationem, ſed Gallicè & diligentius, veriúſque deſcripſit, vt mihi videtur, eidémque non ſpectator, vt Fontanus, verum egregius bellator interfuit, diſſentire ab eo nonnihil videtur, quicum de hac ipſa ſæpius aliquando colloquuti ſumus: is namque murorum propugnationem in octo ſtationes diuidit, & Narbonenſi, quæ prouinciarum princeps eſt, Raimundum Ricardum, Aruernæ Raimundum Rogerium, Francicæ Ioachinum à Fano Simonis, Italicæ Georgium Emarum, Anglicæ Gulielmum Onaſconem, Tarraconenſi Ioannem Barbaranum, Germanicæ Chriſtophorum Valdenerium, Caſtulonenſi ac Luſitanæ Ferdinandum Solerium, magni magiſtri palatio, locíſque contiguis Thomam Chiſellum Seneſchallum, eiúſque legatum Antonium Breſſolum Morterolum, propugnaculis Aruernorum Ioannem Meſnilum Maupaſium, Hiſpanorum Franciſcum Scarrerium, Anglorum Nicolaum Huſium, Narbonenſium Bringuierium Leoncellum, Italorum Andelotum Gentilem præfuiſſe refert. Rhodiæ militiæ ſignum, quæ crux alba eſt, Antonio Grolleo Paſſino, quem Antonius Clauoſius Mareſchallus, vti moris eſt, propoſuerat, alterum, id eſt, Chriſti cruci affixi, quod ſemper prope magnum magiſtrum extat, & ab Innocentio VIII. Pontifice Maximo primum ad Petrum Aubuſſonium tum magnum Rhodiorum magiſtrum anno decimiquinti ſæculi octogeſimo miſſum eſt, Ludouico Tintauillæ, tertium quod primi vexilli, ipſiúſque Liladami dimidiata inſignia oſtentabat, Henrico Manſello eius domeſtico traditum: Gabriel Pomerolus promagiſter ac Liladami legatus erat: æneis tormentis Deſiderius Tholonius, turri Nicolai, in qua maxima ſpes erat, Guidus Raguſus Caſtellarius Gallus præerat: quatuor vigilum præfecti Claudius Sanctoprius ac Ioannes Bonifacius Galli, Lopides atque Hugo Caputius Hiſpani vitæ, necíſque poteſtatem habebant, & interdiu cum attributis ſibi militibus (centum autem ac quinquaginta ſinguli ſub ſe habebant) vrbem, operáque, noctu vigilias luſtrabant. Idipſum, prout res poſcebat & Liladamus centum militibus ſtipatus factitabat; quatuor quoque ſubſidiorum præfecti deſignati; Aruernæ Germanicæque ſtationi Andreas Meralius Cancellarius cum ſua cohorte, Hiſpanicæ Anglicæque Ioannes Hircius Tricoplierus Anglus, Francicæ, Caſtulonenſi, Luſitanæ Petrus Cluius magnus Franciæ Prior (vt vulgo loquuntur) ſiue Primas, Narbonenſi Italicæque Gregorius Morgulus, Nauarræ Prior opem ferre debebat: hi quoque ſinguli centum, ac quinquaginta ſub ſe milites habebant. Molendinaria moles Franciſco Freſnaio equite Gallo curante, qui mox ad Italicam ſtationem fortiter pugnans cæſus eſt, aggeribus, turribus contabulatis, tormentis egregiè munita erat: non procul inde aliquot veteres naues ſaburra, ſaxóque graues paulò ante murum ad Mandaquium (ita enim is locus appellabatur) depreſſæ vt hoſtium triremes appropinquare prohiberent. In portus faucibus duæ immanis ponderis ferreæ catenæ hoſtili claſſi oppoſitæ fuerunt: altera interior, exterior altera, quæ à Molendinaria turri ad Nicolai turrim obliquè protenſa maritimam oppugnationem, quæ Cortugolo, aliquótque aliis piratis commiſſa erat, inanem, irritámque faciebat.

Rhodiorum equitum ad excipiendum hoſtem apparatus & ordo.

Hic Rhodiorum equitum apparatus erat ad excipiendum hoſtem, ſatis magnus, ſi cæterorum Chriſtianorum auxilia in tempore affuiſſent. Verumenimuero Adrianus Pontifex vir quidem probus, & doctus, cæterum ad res gerendas minimè aptus, Italicarum autem prorſus imperitus, ac Cæſar adoleſcens adhuc, & propter ætatem nondum ea prudentia, quam mox præſtitit, præditus quantum Rhodus orbis Chriſtiani propugnaculum eſſet

by Google

eſſet haud prouidentes Hiſpanos pedites, quos ſecum in Italiam Adrianus adduxerat, aduerſus Gallos neglecta Rhodo in Inſubres miſerunt. Adrianum Romam appulſum hortatus eſt Iulius Cardinalis Medices vt triremes ſuas, eoſdémque pedites Rhodum mitteret portum inuita claſſe Turcica autumnalibus ventis, qui vehementiores eſſe ſolent, facile ingreſſuros: præſertim quum claſſis Veneta quinquaginta triremium è Creta eoſdem comitari, & vires oſtentando, vt in portum Rhodium aduolarent, occaſionem dare poſſet: & multæ minores naues è Creta, aut è nonnullis Rhodi inſulæ arcibus profectæ vrbem interim dum oppugnaretur, ingreſſæ ſunt. Verum Adrianus imprudentia lapſus, aut Cæſarianæ factioni nimis addictus, ab eo conſilio abhorruit, ſeróque errati ſui conſcius auxilium fore nequicquam conatus eſt: miſſas enim triremes in Sicilia ventos ſecundos expectanteis Rhodij equites poſt deditionem in Italiam nauigantes offenderunt. Hac victoria ferox Solymanus Hungariam paucis poſt annis cæſo Rege Ludouico ſubegit, & Chriſtianorum vires merito & ſuo iure contempſit. Quod ſi primo conatu fortiter repulſus fuiſſet, nunquam Hungariam adoriri in animum induxiſſet: multas quidem poſtea de Turcis victorias Cæſar reportauit, ſed cunctæ cum vna Rhodo amiſſa exæquari non poſſunt. Franciſcus Rex obſtinatum in ſe Adriani Cæſariſque animum expertus vi ereptum Mediolanenſem principatum recuperare nitebatur: illos Turcis magis obiectos res ſuas agere ſinebat. Collem igitur Coſmo, & Damiano ſacrum (ibi enim illorum ædes erat) Anglicum propugnaculum ſpectantem Muſtapha Baſſa, qui Solymani ſororem in matrimonio habebat, & totius exercitus, (in quo ducenta pugnatorum millia fuiſſe traduntur) ſummus imperator erat, occupauit, vt Anglicam regionem commodius adoriretur. Italicam Pyrrhus, Hiſpanicam Aruernicámque Achomates, ſiue Achimetus Baſſa; Narbonenſem Natoliæ, id eſt, Aſiæ minoris, Germanicam, atque Antonianos hortos, Romaniæ quæ partim Thraciæ, partim Myſiæ regio eſt, Bellerbeius ſibi delegit. Nec tamen omnes eodem tempore, nec ſtatim regionibus à ſe delectis, aut potius attributis tormenta inſtruxerunt; quorum quadraginta inuſitatæ magnitudinis, cæterorum tantam copiam habuiſſe feruntur, vt duobus magnis exercitibus ſatis eſſe poſſent: ante enim magnos terræ aggeres ab altero vſque milliario ad vrbis foſſas Aſaporum, aliorúmque è Valaquia Boſſinaque arceſſitorum opera conuoluerunt. hos milites omnium, qui ſtipendia merent, viliſſimos ab vrbibus ſibi obnoxiis Turca Imperator accipit, & iis nonnunquam ad remigium, ſæpius ad cuniculos, foſſaſque ducendas vtitur, quos tum in eo exercitu ad quinquaginta, aut ſexaginta (vt alij) millia fuiſſe ſcribunt: & quod identidem fuſte, capite nonnunquam ignauiæ pœnas luerent, duriſſimi ſilicis rupes comminuerunt, in planis monteis erexerunt, monteis in plana protenderunt. Quinto Kalen. Auguſti diſplodi tormenta cœperunt, & fere ad Septemb. Kal. continuato boatu vrbem circumſonarunt. Maiora ſexaginta duo fuiſſe traduntur, quorum ſex ænei canones pilam ſuperficie trium palmorum & ſemiſſis, quindecim item canones quinque aut ſex, duodecim bombardæ nouem aut decem, duæ cæteris maiores pilam ſuperficie vndecim palmorum euomebant. Duodecim baſiliſcorum pilæ bombardarum pilis fere magnitudine reſpondebant. Accedebant mortaria duodecim, ipſa quoque ænea, ſed breuiora, quorum pilæ ad ſeptem aut octo palmos craſſæ in aërem eiaculatæ mox decidentes vrbis tecta, & quicquid obuium erat, conterebant; horum pilas mille ſeptingentas, & paulo plures in vrbem emiſſas, alij bis mille ſcribunt: nec tamen plures, quam quinque & viginti homines peremerunt; inter quos Bringuierius Leoncellus Coſquinenſis propugnaculi præfectus numeratus fuit. Hinc Turcæ à Iudæo Medico admoniti plurimum illis impenſæ, iacturæ inde nihil, aut parum hoſtibus inferri in magnam admirationem adducti (plurimos enim mortales ſe mactaſſe exiſtimabant) ea in poſterum diſplodere deſierunt; mediocrium, minorúmque tormentorum numerus propemodum infinitus fuit.

Iulius Cardinalis Medices Adrianum vt ſuas triremes Rhodum mittat fruſtra hortatur.

Solymani Rhodũ oppugnãtis exercitus numeroſiſſimus.

In Solymani exercitu tormentorũ maiorum, minorúmque numerus propemodũ infinitus.

22 Eodem die Solymanus è portu Fiſci Lyciæ oppidi ſoluens vna duntaxat trireme, vnáque ** comitatus ad claſſis ſuæ ſtationem circa meridiem appulit, quem tota claſſis crebris tormentorum bombis excepit: inde in villam, quam vulgo Megalandra appellabant, vbi illi papilio erectus erat, quarto ab vrbe milliari eques diuertit: cuius aduentu omnia, quæ prius trepidationis ac deſperationis plena erant, inſtaurata Rhodiis tandem extremam perniciem attulerunt. Tormentarij miniſtri, ſclopetariíque longè acrius, quam antea ſuum munus executi ſunt; foſſores nouos cuniculos diligentius egerunt, veteres omneis ſimul quinquaginta promouerunt, humúmque iam aliquot ſtadiis conuectam eo vſque conuoluerunt, donec ad vrbis foſſas admouerunt. Duo ingentia propugnacula murorum vrbanorum altitudinem duodecim pedibus ſuperantia (monteis verius dixeris)

Solymani ad ſtationem ſuã appulſu omnia trepidationis plena inſtaurãtur, eriguntúrque.

alterum

alterum ad Hiſpanicam, Aruernicámque ſtationem, alterum ad Italicam extruxerunt, quibus Rhodij, & ſubitariis eruptionibus, & tormentorum diſploſionibus, & tranſuerſis cuniculis obuiam ibant, plurimóſque foſſores præſertim, ſed & milites trucidabant. Auguſti initio Germanicæ ſtationis murum nullo aggere munitum Romaniæ Bellerbeius acriter concuſſit; ſed quod foſſarum margines muro altiores erant, pilæ muro illæſo ſuperuolantes in arcem ferebantur: hinc tormenta ad turrim Nicolai tranſlata; ea quondam ad portum ſupra molem, cui ſolis Coloſſus inter ſeptem orbis miracula numeratus inſederat, à Burgundiæ regulis extructa crebris duarum & viginti bombardarum pilis duodecim continuos dies pulſata eſt: ſed quod omnia Turcarum munimenta tormenta è turre librata confringebant, ſua interdiu humo Turcæ operiebant, noctu (luna enim pernox erat) deintegro ad lucem vſque exonerabant: quæ tamen, quod permultos præſertim tormentarios miniſtros amitterent, tandem ad ſe retraxerunt, aque aliò tranſtulerunt. Quinetiam id temporis & aliis in regionibus Turcica tormenta magnas ruinas edebant: recentem Anglicæ ſtationis murum intra menſem deiecerunt, tametſi vetus prope illæſus remanſit: vnde noſtri quoque par pari referebant cæſo etiam Turcicorum tormentorum magiſtro, cuius morte adeo indoluit Solymanus, vt vnum è Baſſis ſibi periiſſe mallet, idque palam profiteretur. Tribus item bombardis in foſſa locatis, ex quibus vna pilam vndecim palmorum euomebat, Hiſpanici propugnaculi murum ita verberarunt, vt ad aggerem poſt vrbis murum congeſtum facilis via pateret. Tribus aliis eiuſdem generis bombardis in foſſa pariter collocatis Narbonenſem ſtationem pulſarunt, ac pleraſque temerè, vt ingentem cædem facerent, in vrbis tecta direxerunt. Tandem, vt ad manus venirent, perfoſſo exteriore foſſarum muro multam humum in eaſdem congeſſerunt, qua tecti à tormentorum pilis in vrbem irrumperent.

Turcicorum tormẽtorum magiſter cæditur.

Nec minorem in cuniculis, quàm in tormentis, vrbis capiendæ ſpem Turcæ collocabant, quinquaginta initio (vt ſupra commemoraui) duxerant: verum aliquantò poſt cæteris omiſſis duos & triginta ad deditionem vſque continuarunt, perfecerúntque illi ſuis cuniculis, noſtri anticuniculis (ſic enim iſtos opinor, vt Cæſar anticatones ſuos inſcripſit, appellare poſſumus) vt vrbs pene tota penſilis videretur. Primus à noſtris XI. Kalend. Septemb. deprehenſus ad Fanum Ioannis Fontani cœptus ad foſſas Narbonenſis ſtationis pertingebat. Hunc Gabriel Martinengus aliquot pulueris tormentarij cadis accenſis, aperuit multis ex hoſtibus vel exuſtis vel ſuffocatis, paucis inde elapſis. At Turcæ pridie nonas Septembris multo puluere tormentario prius iniecto, cuniculo, qui Anglici propugnaculi ima penetrabat, ignem admouerunt, tantúmque terræ motum tota vrbe excitarunt, vt ea conuelli, ſedibúſque ſuis extrudi videretur; ſex aut ſeptem muri vlnis, quà meridiem ſpectabat, deiectis: hinc illi ad propugnaculum aſcenderunt, ibidémque ſeptem ſigna fixerunt; ac niſi nocte, quæ ignem cuniculo admotum præceſſit, Martinengus aggerem oppoſuiſſet, tum nimirum propugnaculo, atque ipſa demum vrbe potiti fuiſſent. Verum is tam opportunè extructus eſt, vt vix quatuor pedes ab humo vi ignis abrupta depreſſáque abeſſet. Initum nihilominus graue prælium eſt: militum clamoribus, tubarum, tympanorúmque clangoribus, tormentorum tonitruis omnia circumſonabant; haſtis, ſagittis, igneis facibus, ſclopetorum glandibus res agebatur, vbi Gabriel Martinengus ac Preianes Bidoxius egregiè pro vrbe propugnarunt. Acceſſit Liladamus cum cohorte prætoria, & laborantes ſuos præſenti ope confirmauit: in alteram horam & quidem integram protractum certamen. Repulſi Turcæ multis inter redeundum tormentorum pilis cadentibus, vti & quum ad propugnaculum accederent confertíque ruerent multos quoque amiſerant, in ſua caſtra reuerterunt: ex quibus ad duo millia, ex Rhodiis duodecim, aut quindecim tam equites, quàm ciues cæſi, viginti vulnerati feruntur: inter quos Michaël Argillemo triremium, atque eius propugnaculi auxiliorum præfectus ſagitta penetrante oculum amiſit: Henricus Manſellus domeſticorum Liladami ſignifer ſclopeti glande in pectus ictus vix menſem ſuperuixit. 23

Rhodus cuniculorũ ductu penſilis propemodum redditur.

Quinto idus Septembr. ignem duobus cuniculis Turcæ admouerunt, qui ad Narbonenſem ſtationem ferebatur, nihil aut parum profecit: quamquam ibi aliquamdiu pugnatum eſt. At qui Anglicum propugnaculum penetrabat, muri ſex aut ſeptem pedes, vbi prior deſierat, abrupit, & totum propugnaculum ita concuſſit, vt primum in altum ferri, deinde in labem deſidere videretur. Itaque prope omnes præſidiarij milites inde aufugerunt, ac quum Rhodiæ militiæ ſignum, quæ crux alba eſt, in propugnaculum inferretur, Turcæ ingreſſuri, qui iam ad ruinam acceſſerant, conſpecta cruce veluti amentes ſe in fugam præcipites dederunt. Fugienteis tormenta è Coſquinenſi propugnaculo, aliiſque 24

Crux alba Rhodiæ militiæ ſignum.

aliiſque regionibus pleroſque diſcerpſerunt, quos præfecti nihilominus gladiis, acinacibúſque redire ad pugnam coëgerunt; vt qua murus deſederat, conſcendentes nouem ſigna in ſummo propugnaculo ad nuper extructum à Rhodiis aggerem fixerint, treiſque integras horas acerrimè pugnarint. tandem multis maioribus, minoribúſque tormentis vndique petiti altera fuga ſibi conſulere coacti ſunt: vnum ex fugientibus ſignum Rhodij duntaxat retulerunt: quotquot enim ſupra aggerem ſe in conſpectum dabant, à Turcis ſclopetariis, qui exteriorem foſſæ murum vbique perforatum inſidebant, ſtatim necabantur. Cæſorum in hoc conflictu Turcarum duo millia quidam tradunt: alij ad tria augent, inter quos tres Saniaci, id eſt, prouinciarum præfecti holoſericeis veſtibus induti in foſſis reperti ſunt: ex Rhodiis triginta deſiderati. Decimoquinto Kalend. Octobris circa meridiem Anglicum propugnaculum Turcæ eodem aditu, eodémque loco, quo prius, nullo igne cuniculis iniecto tertia impreſſione peruaſerunt, & quinque vexilla ad aggerem ſuperextructum erexerunt, ac poſt longum, acrémque conflictum multis è ſuis cæſis duobúſque vexillis amiſſis ſe fugæ præcipites mandarunt. Hoc ipſo die ac penè momento ignem iidem Turcæ duobus cuniculis ad Hiſpanicam, Aruernicámque ſtationem iniecerunt, atque huius promurum ad duodecim pedes depreſſerunt, mox in Hiſpanicam per editam prius ruinam conſcendentes cruentum certamen inierunt: verum tormentis confectos in latera perrumpentibus, ſclopetis autem è domibus è regione poſitis frontem denſa veluti grandine petentibus, fugam quoque capeſſere non ſecus ac priores coacti ſunt. Ex Turcis in vtroque conflictu ad tria millia, ex Rhodiis nonnullos equites, ciuéſque & externos milites, quorum certus numerus non traditur, vulneratos, cæſóſque prodiderunt, inter quos Ioannes Hircius Tricoplierus iacuit, Sclopeti glandem in collum Preianes Bidoxius accepit.

25 Biduo, aut triduo poſt Iudæus Medicus, cuius ſupra mentionem fecimus proditionis conuictus in parteis quatuor diſſectus eſt: is ſe ad Pyrrhum Baſſam ne exercitus vrbe tandem potiturus inde moueret (multa enim iam deficere cœperant) ſcripſiſſe confeſſus eſt; qui tamen peccatis ritu Chriſtiano ſua confeſſione expiatis vitam finiit. *Iudæus Medicus proditionis conuictus in parteis diſſecatur.* Decimo Kalend. Octobr. ignis cuniculo ad Anglicum propugnaculum pertingenti admotus eſt: verum ſulphurei pulueris vis per anticuniculum à Gabriele Martinengo oppoſitum ſeſe penitus effudit, nihilque profecit. Poſtridie idem in cuniculo ſub Hiſpanicam ſtationem permeante conati viam igne per anticuniculum aperiente nihil quoque profecerunt: ſed in cuniculum ſub Aruernici propugnaculi promurum penetrantem ignis immiſſus terræ ingentem motum edidit, & murum interiorem rimas agere coëgit, tametſi exterior integer remanſit: & niſi per anticuniculum, ac per rupis, cui promurus innitebatur, rimas impetum ſuum excuſſiſſet, bonam fortaſſe muri partem euertiſſet. In hoc cuniculo plus ſpei, quàm in cæteris, Turcæ collocabant, idcircóque pridie magno numero ad vrbis foſſas coierant, iniectóque igne pleríque ſeſe in foſſas intulerant quaſi proſtrato muro vrbem ingreſſuri. Stantem quum viderent, tormentiſque vndique peterentur, repente ſe proripuerunt, in magnámque admirationem adducti ſunt: hinc vrbem quatuor diuerſis regionibus adoriri ſtatuentes eandem totum hunc poſterúmque diem tormentis vbique pulſarunt. Octauo Kalend. eiuſdem menſis paulò ante lucem bombardas pleraſque & quidem ſæpius in hiatum Hiſpanicæ ſtationis exonerarunt, vt fumus foſſam traiicientes tegeret, noſtríſque irruentium conſpectum amoueret; ac repente conferti per muri ruinas inſilierunt. Idem eodem fere momento ad Anglicum propugnaculum, ad Narbonenſem, ad Italicam ſtationem tentarunt. Princeps autem Ianizarorum præfectus Hiſpanos aggreſſus eſt, quem permultæ cohortes ſequutæ ad aggerem proſtrati muri ruinis oppoſitum circiter triginta, aut paulo plura vexilla defixerunt, acriúſque quam vllum antea, certamen inierunt, quod in ſextam horam, eámque integram protractum eſt. Interim Turcarum pars in Hiſpanicum propugnaculum irruit, atque ibidem quinque, aut ſex vexilla explicauit: nonnulli duntaxat è noſtris in anticuniculis remanſerunt. Huius diſcriminis certior factus Liladamus Anglici propugnaculi tuendi curam Emerico Gombaldo Peloponeſi Balliuo (ſic enim eum præfectum vocant) reliquit: ipſe cum ſua cohorte ad Hiſpanos acceſſit, primúmque aliquot è ſuis Iacobo Borbonio notho præfecto in Hiſpanicum propugnaculum immiſit: illi per anticuniculum ingreſſi mox in ſummum propugnaculum aſcenderunt, treiſque duntaxat, aut quatuor ex hoſtibus offenderunt: cæteros tormenta ex Aruernica ſtatione, atque ex aliis vicinis regionibus diſcerpſerant, aut diſſiparant. *Liladamus Hiſpanis periclitantibus ſuccurrit.* Liladami aduentu noſtrorum vires auctæ; hoſtes vexillis omnibus amiſſis

repulſi. Par quoque in cæteris tribus ſtationibus certamen fuit: noſtri vbique victores re-
manſerunt. cæſorum in quatuor conflictibus Turcarum numerum quidam duodecim
millibus definierunt: alij ad quindecim auxerunt. Ex Rhodiis ducenti perierunt: inter quos
Franciſcus Freſnaius Romaniæ præfectus (commendatorem, vel potius commendatarium
illi appellant) vir militaris, ac ſtrenuus duabus ſclopetorum glandibus proſtratus iacuit;
centum ac quinquaginta vulnerati ſunt; ex quibus Anaſtaſius à ſancta Camella vir do-
ctus non ita multò poſt è vulnere mortem obiit. In his impreſſionibus non ſolum viri,
ſed & fœminæ ſaxa, humum, aquam, quibus hoſtibus noceretur, noſtris autem panem,
edulia, vinum ferentes egregiam operam nauarunt, quarum nonnullæ cæſæ, nonnullæ vul-
neratæ fuerunt.

Anaſtaſius à ſancta Camella & Franciſcus Freſnaius peremptí.

Laudanda mulieris Rhodiarum fortitudo.

Animaduertenda autem in primis Turcarum diligentia eſt, cæteris (vt opinor) na- 26
tionibus incognita: cum primum enim librare tormenta cœperunt, nullum poſtea ad
deditionem vſque ne ad cibum quidem capiendum tempus intermiſerunt, quin vel bom-
bardis, vel minoribus tormentis muros quaterent, vel ſclopetariorum glandibus pro-
pugnatores obruerent, quin cuniculos ducerent, & terræ monteis ad vrbis foſſas addu-
cerent: ſemper enim aliis alij ſuccedebant, quod in tanta multitudine perfacile erat:
& ſuis tyrannus vti ſeruis imperat, vnus ſui iuris eſt: multa ſeruorum millia ſibi
perire, vt regnandi libidinem expleat, pro nihilo ducit. Iraque tam tetram tyrannidem,
cuius ſimilem ab orbe condito commemorare nemo poteſt, tam latè patentem, bo-
nam enim orbis partem occupat, tam diu regnare mirandum certè eſt, & inter diui-
næ vltionis deprauatas penitus hominum menteis punientis exempla numerandum. Lo-
co excelſo extra tormentariarum pilarum iactum ſub papilione ſtabat tyrannus, & ite-
ratas impreſſiones, quoad oculorum acies capere poterat, ſpectabat. Tandem ſuos for-
titer repulſos ægrè ferens, & quadam deſperatione in rabiem verſus Muſtapham Baſ-
ſam huius expeditionis authorem morti addicere decreuerat, niſi cæteri Baſſæ tanti
viri mortem in terra hoſtili paſſim diuulgatam hoſtibus animum additurum monuiſ-
ſent: qua oratione vtcumque mitigatus, & de Memphitici præfecti morte certior fa-
ctus Muſtapham, qui Germanam eius ſororem in matrimonio habebat, illi ſucceſſorem
deſignauit: neque tamen Muſtapha ſtatim inde migrauit: ſed vt ſuæ exiſtimationi ſa-
tisfaceret, itaque tyranni animum placaret, cuniculos magna diligentia, aſſiduóque ope-
rarum labore in Hiſpanicum propugnaculum egit, ita vt pene totum cuniculis, atque an-
ticuniculis ſuffoſſum nutaret. Neque tamen quicquam vi ſulphurei puluéris per anticuni-
culos expirante profecit, quod in cuniculis ad Aruernicum perductis contigit. Hinc Tur-
cæ de capienda vrbe deſperantes, quod rarus puluis tormentarius, pilæque ſupereſſent, ob-
ſidionem ſoluere decreuerant: & iam arma ſupellectilémque plerique conuaſabant: non-
nulli vexillis explicatis ad naueis tendebant. Ianizari etiam redire ad oppugnationes
recuſabant, quum triduo poſt vltimam impreſſionem transfuga clam ſe ex vrbe ſubdu-
cens Turcas monuit Rhodios prope omneis viros bellatores iam aut cæſos eſſe, aut cer-
tè vulneratos; ſi poſtremam impreſſionem continuaſſent, aut poſtridie redintegraſſent,
vrbe fuiſſe potituros. Acceſſere litteræ ab Andrea Meralio ad Turcicos Baſſas miſſæ,
quibus eadem ſignificabantur: quæ toto exercitu diuulgata militum animos prædæ ſpe
ad renouandam oppugnationem deintegro alacres reddiderunt; & quod recens ingen-
tem ſulphurei puluéris pilarúmque copiam recepiſſent, tormentis acrius, quàm vnquam
antea, vrbis muros quatefecerunt: mox treis admodum vehementes in Anglicum pro-
pugnaculum impreſſiones tribus continuis diebus Muſtapha poſtremum conatum edi-
turus inſtruxit, quæ non magis, quam ſuperiores profuerunt: vnde animum deſpondens
Memphim petiturus vela fecit.

Muſtapha Memphitico præfecto ſucceſſor deſignatur.

Turcæ obſidionē ſoluere deſtinantes, Andreæ Meralij proditione ad renouandam oppugnationem accenduntur.

Quarto nonas Octobr. ignem Turcæ cuniculo ad Italicæ ſtationis aggerem pertingen- 27
ti iniecerunt, qui in illos ipſos vim ſuam exerens multos necauit, aut vulnerauit, Rho-
diis nihil nocuit. Pridie nonas Ioannes Breſſolus, qui ad conuocanda Chriſtianorum
principum auxilia miſſus erat, ad portum noctu appulit, eáque iamiam præſto affore
renuntiauit; quæ magnam Rhodiis, ſed inanem lætitiam attulerunt: nulla enim acceſ-
ſerunt, & paucis poſt diebus ſtationis Hiſpanicæ promurum hoſtes occuparunt. Achi-
metus enim Baſſa in Muſtaphæ locum ſuffectus totius exercitus imperator vir dili-
gens, & ſcientia militari præſtans bombardis ingentibus ad exterius foſſæ labrum ad-
motis Hiſpanicum propugnaculum demoliri perſeuerabat; & ſublatis omnibus defenſa-
culis duobus duntaxat, ac tribus exceptis, quæ pilis infima peti nequibant, noſtris ſemper
magis ac magis imminebat: qui quòd hoſtes in ſuperioribus oppugnationibus per muri
ruinas,

Achimetus Baſſa in Muſtaphæ locū ſuffectus.

ruinas, humúmque depreſſam in Hiſpanicum propugnaculum euaſerant, promurum purgarunt, & lapides, humúmque è foſſa per promuri anticuniculos noctu ad ſe retraxerunt, vt nouis aggeribus extruendis materiem paratam haberent, quæ promuri citius amittendi princeps cauſa fuit. Turcæ enim promurum perpurgatum conſpicati per foſſas iam ductas illuc conſcendere conati, quod foſſæ apertæ eſſent, ſclopetorum glandibus aliquot dies repulſi ſunt. hinc nouum cuniculum ſub promurum egerunt, & foſſas ſupra commemoratas tabulatis contexerunt, humóque in foſſas coniecta, tumulóque erecto, cui murum addiderunt, à pilis ex Aruernico propugnaculo emiſſi; tuti etiam Hiſpanici imas, quæ ſupererant, feneſtras obſtruxerunt, tandémque promuro potiti muri ima dolabris continuato labore fodere perſeuerarunt. Pauci erant propugnatores, qui hoſteis promuro arcerent: multi enim ſuperioribus impreſſionibus aut ceciderant, aut vulnerati erant. Itaque ſuis, qui ſupererant, parcere Liladamus ſtatuit, vt accenſis tormentarij pulueris cadis, aliiſque factitij ignis inſtrumentis arcerentur, ſatius duxit: ſed tanta erat Turcicarum operarum multitudo, vt viles animas ſiue mille, ſiue plures identidem ſibi perire Turcarum præfecti nihilipenderent; qui tamen tabulatum corio bubulo contectum ſecundum murum produxerunt, quo tectum id hominum vulgus ab opere reuocari non poſſet: quod poſtremum fuit longum aggerem noſtri muro oppoſuerunt, ac duobus eius limitibus tranſuerſum trium tabulatorum erexerunt, vnde tormentis maioribus, minoribúſque ac ſclopetis hoſteis in latera peterent, quorum ingens cædes inde facta eſt. Liladamus autem præſens diſcrimen agnoſcens ſexto Idus Octobris Breſſolum ad acceleranda Neapolitana auxilia remiſit: prope enim erat, vt æquo pene campo cum hoſtibus confligere cogeretur, atque interim Gabriel Martinengus cuius induſtria tum Rhodiis maximè neceſſaria erat, dum per Hiſpanici propugnaculi feneſtellam, quid hoſtes molirentur, aſpicit, in alterum oculum glande ictus, quæ ad aurem exiit, magnum vitæ periculum adiit, víxque altero menſe, ſed oculo amiſſo, tandem conualuit: cuius vicem Preianes Bidoxius, aliique ab ipſo Gabriele edocti obierunt.

Breſſolus ad acceleranda auxilia Neapolitana à Liladamo miſſus.

28 Quarto idus Anglicum propugnaculum Turcæ ex inopinato adorti vigilibus ſtrenuè reſiſtentibus nihil profecerunt: poſtridie idem conati ſexcentis, aut paulò pluribus, amiſſis repulſi ſunt. Idibus eiuſdem menſis viginti Cretenſes milites, ac quatuor tormentarij artifices Lindo profecti, ac myoparone vecti Rhodum appulerunt, auxilium in tanta propugnatorum paucitate non contemnendum. Murum deinde Turcæ trahere funibus, atque humi ſternere conati ſunt: verum funes pila ex Aruernico propugnaculo emiſſa diſrupit. Illi cuniculo ſub murum ducto ignem decimo Kalend. Nouembr. iniecerunt: is murum haud quidem proſtrauit; in hoſteis, vt inclinaret, duntaxat perfecit: vnde tormentis muro proſtrato ſibi viam in vrbem Turcæ aperuerunt: neque tamen progredi auſi ſunt, quod tormenta ex aggere oppoſito, atque ex molendinis ad Coſquinenſem portum ſitis accedenteis diſcerptura animaduerterent. Quapropter humum ſubtrahentes, quæ hinc ad Anglicum, illinc ad Aruernicum propugnaculum vergebat, murum vltra aggeris longitudinem deturbare, atque ibi viam ſibi in vrbem aperire tentarunt. Contra Rhodij aggerem in longum produxerunt, muróque in duodecim pedum altitudinem perrupto, atque diuiſo ne Turcæ ſecundum eundem diſcurrerent, prohibuerunt. Turcæ muro pleriſque locis perforato multos è Rhodiis præſertim operis trucidarunt, & tormentis aggerem acriter concuſſerunt. Tum noctu ſcapha Lindo duodecim milites, duóſque cuniculorum induſtrios artifices Rhodum tranſuexit, Turcæ opus continuantes foſſas ad recentem Rhodiorum aggerem ducebant, ipſúmque adeo aggerem tormentis diſcerpebant: raræ admodum operæ iam Rhodiis ſupererant, quæ reficere collapſa, atque inſtaurare poſſent. Ibi Liladamus quatuor & triginta dies, noctéſque rarum ſomnum capiens perſeuerauit hoſteis excepturus; quotidie enim grauem impreſſionem expectabat. Nec minus & ad Narbonenſem & ad Italicam ſtationem diſcrimen imminebat: vbi crebra quoque certamina quotidie inibantur.

Rara Liladami diligentia.

29 Tertio Kal. Nouem. Andreæ Meralij Cancellarij proditione ſerui cõfeſſione detecta eſt: ſeruus ſæpius ad propugnaculum Aruernicum cum arcu, aut baliſta arcu ferrea non opportuno tempore commearat, idque non pauci animaduerterant, malámque inde ſuſpicionem conceperant: ſed propter heri authoritatem, cui in primis charus erat, arcanorum conſiliorum conſcius, palam inſimulare non audebant. Perſeuerantis nomen apud Liladamum magnum Rhodiæ militiæ magiſtrum detulerũt: comprehenſus ſeruus, & à iudicibus interrogatus primum nihil prodere voluit: in quæſtionem mox abreptus (multis enim indiciis conuincebatur) heri proditionem confeſſus eſt. Multas à ſe litteras hero iubente

Andreæ Meralij Cancellarij proditio detegitur.

ſcriptas, ſagittæque affixas in caſtra Turcica, atque inter cæteras vnas Septembri menſe poſt grauiſſimam oppugnationem, qua quindecim Turcarum millia cæſa ſcripſimus, miſſas addidit: quibus Turcicos Baſſas ne animum deſponderent, obſidionémve ſoluerent, quin potius acrius oppugnarent Meralius cohortabatur: quum enim & viri bellatores, & omnia ad tolerandam obſidionem neceſſaria deficere incipiant, tandem vrbis compotes fore. Addidit & cætera, quæ ſupra de hac proditione commemorauimus. Meralius in turrim Nicolai concluſus: duo equites maioris crucis inſigne geſtantes iudices dati: interrogatus, quæſtioníque addictus nihil vnquam confiteri voluit. Propoſita eſt ſerui confeſſio, quam attentè audiuit, ipſéque adeo ſeruus productus, quæ eius iuſſu patraſſet, in memoriam reduxit: omnia nihilominus inficiatus ſeruum duntaxat nequam eſſe reſpondit. Acceſſerunt grauia Commendatarij Hiſpani, Græcique ſacrificuli teſtimonia: ille die ipſo, quo Liladamus magnus ſacræ militiæ magiſter declaratus eſt, hunc vltimum Rhodiorum magiſtrum fore, Meralium ſibi dixiſſe teſtatus eſt. Hic aliquando in propugnaculi Aruernici promurum ingreſſus erat, Meraliúmque in foſſam deſpectantem, eius autem ſeruum baliſtam arcu ferream intenſam, cui mediæ chartula affixa erat, tenentem offenderat: quem conuerſus Meralius quidnam porro quæreret, rogarat: is iratum agnoſcens nihil loquutus abſceſſerat, nec id cuiquam viri authoritatem veritus indicarat. reum vbi vidit, palam euulgauit, quod ſeruus ſua confeſſione confirmauit; vt capite vterque plecteretur, mox in parteis quatuor diſſecaretur, ſancitum.

De Meralio eiúſque ſeruo ſupplicium ſumptum.

Seruus natura Iudæus, deinde Chriſtiano more tinctus in ſancta perſuaſione præter multorum opinionem perſeuerauit, atque octauo Idus Nouembris, Meralius biduo poſt nec veniam à Deo Opt. Max. poſtulare, nec Mariæ virginis ſignum ſibi oblatum aſpicere dignatus vitam finiit.

Vt ad oppugnationem redeam ſeptemdecim bombardis continenter ſtatio Italica pulſabatur: aſſiduæ Turcarum operæ murum humúmque fodiebant, & ad ſe trahebant; vt non ſolùm agger ad murum erectus, ſed & recentes aggeres valli loco additi depreſſi iacerent. Hinc partem ædis Mariæ à victoria nuncupatæ, ac Pantaleonis, demoliri Liladamus, nouóſque ibidem rectos tranſuerſóſque aggeres perinde atque in Hiſpanico propugnaculo extrui iuſſit: quamquam opus non ita, vt neceſſitas vrgebat, accelerabatur, quod ligna, tabulatáque deficerent, raræque operæ in vrbe ſupereſſent. Vix autem cuſtodiis ſufficere milites poterant, vt inde reuocari ad opera nequirent; itaque maiorem huiuſce ſtationis partem noſtri pro derelicta habere coacti ſunt; tertiam quæ ad mare vergebat, retinuerunt. Quinetiam bonam Anglici propugnaculi partem hoſtes occuparunt, de quo deſerendo plerique conſultarunt: ſed quod Turcæ eius compotes non ſolùm ad vrbis murum, verum etiam ad portam acceſſiſſent, quod ſupererat vſque ad vrbis deditionem conſeruarunt; cui Ioannes Binus Malicornius præerat.

Robertus Rochamartinus Rhodū cum aliquot equitibus & 100. militibus appellit.

Quinto Idus Nouembris Robertus Rochomartinus arcis Petri legatus Rhodum cum duobus myoparonibus rediit, ſecúmque duodecim Rhodios equites, centum milites adduxit, & aliquantam tormentarij pulueris, pilarúmque copiam aduexit. Poſtridie Idus perrupto ſtationis Hiſpanicæ vetere muro, humóque inter veterem recentémque ſubtracta, murum ipſum recentem bombardis Turcæ vehementer cõcuſſerunt, tandémque proſtrarunt, vt in vrbem aditus pateret. Nec id tamen experti, ſed ſcientiæ militaris periti nouos Rhodiorum rectos tranſuerſóſque aggeres ſex tormentis demoliri cœperunt; quos reficere vel propter operarum inopiam, vel propter aſſiduam tormentorum fulminationem, vel propter continuas glandium ſclopetis miſſarum procellas perdifficile erat: quinetiam foſſas, quas tabulatis operiebant, ad aggeres duxerunt, & ligonibus, aliiſque eiuſmodi inſtrumentis humum trahentes eoſdem depreſſerunt. Noſtri contra foſſas retrocedendo rectas tranſuerſaſque ducebant vt quibuſdam locis vix aliud quam tabulata inter vtroſque intereſſent. Decimoſeptimo Kal. Decembris duodecim Rhodij equites, totidémque externi milites, qui ante obſidionem, vt nonnullis Rhodij inſulæ arcibus præſidio eſſent, miſſi erant, noctu ſcaphis ad vrbem traiecerunt, qui Chriſtiana auxilia ſuo exemplo excitare potuerunt. Decimo Kalen. eiuſdem menſis facta in Italicam ſtationem impreſſio in alteram horam perſeuerauit: cecidiſſe ex hoſtibus fere quingenti, ex Rhodiis nonnulli & cæſi, & vulnerati feruntur: ſed longè grauior tertio Kalend. noſtros vehementer deterruit. Turcæ enim ſignis explicatis multo maiore numero, quam antea ſolebant, in Rhodiorum aggeres inuaſerunt: verum tormenta ex tranſuerſis aggeribus, molendiniſque Coſquinenſibus primos ita diſcerpſerunt, vt cæteri pedem referrent, & ſe in ſuas foſſas proriperent. Noſtris profuit admodum repentinus, denſúſque imber,

imber, qui humum à Turcis Aruernici propugnaculi imis feneſtellis oppoſitam, cuius ſupra mentionem fecimus, depreſſit: Turcas enim recedenteis, nec id animaduertenteis Aruerni tormentis per feneſtellas exoneratis ita oppreſſerunt, vt in hoc conflictu ad tria millia (alij ad quinque numerum augent) cecidiſſe prodantur. Tentata eſt eodem die & ſtatio Italica, verum ſuos ad Hiſpanicam magna accepta clade repulſos Turcæ audientes, & temporis iniquitate retardati nullo vehementi conatu edito ſe ad ſuas foſſas receperunt.

31 Kalendis Decemb. mane aliquot Turcæ ad ſtationem Hiſpanicam velitare certamen inierunt, mox ſe receperunt: Achimetus enim Baſſa tam multos è ſuis in his conflictibus perire animaduertens, vt cæteri animum prope deſponderent, ab illis in poſterum abſtinere ſtatuit. Foſſas iam cœptas producere, Rhodióſque in arctum magis ac magis redigere potius duxit, ac Solymanum vt eoſdem ad deditionem clementiæ ſpecie inuitaret, induxit: duas enim præ cæteris virtutibus in rerum potientibus præcipuè ſolere commendari iuſtitiam ac clementiam. Solymanus Pyrrho Baſſæ, vt in id incumberet, mandauit. Pyrrhus hominem Ligurem tum in eo exercitu agentem (Hieronymum Moniliam Fontanus vocat) ad vrbem miſit, qui fide accepta ſe Chriſtianum eſſe, & Chriſtianorum calamitatibus, vt par eſt, commoueri dixit. Si audiatur, vt conditiones æquiſſimæ in extremas difficultates redactis proponantur, operam daturum. Reiectus, & vt abiret iuſſus, biduo poſt rediit, & cum Matthæo à Via homine item Ligure, ſed Rhodi incola loqui velle dixit. Matthæum Rhodij graui morbo afflictum ad colloquium venire non poſſe reſponderunt: & ſic hominem tormenti crepitu iterum reiecerunt: at is Græcum hominem, qui per Hiſpanicæ ſtationis ruinam ad Turcas transfugerat, poſtridie miſit, qui eadem prope, quæ Ligur, renuntiauit; litteras præterea à Solymano ad Liladamum ſe habere addidit, quibus paſſim per vrbem diuulgatis fit ad Liladamum concurſus: quo res in ſtatu ſint, admonetur, in conſilium itur: rogatus primus ſententiam Preianes Bidoxius ſancti Ægidij, ſiue Gilij Prior, (vt illi ſuas præfecturas appellant) cui munitionum (vt vulgo loquimur) hoc eſt, eorum omnium, quæ ad tormenta maximè, ſed & cæterorum, quæ ad tuendam vrbem pertinebant, cura demandata erat: ille tantam operariorum magnitudinem aut cæſam, aut vulneratam eſſe reſpondit, vt vix qui vnum duntaxat tormentum commoueant, ſuperſint: tantum abeſt vt aggeribus reficiendis, cæteríſque operibus maturandis ſatisfacere poſſint, quæ quotidie inaudita antehac tormentorum hoſtilium fulminatione corrumpuntur: exiguas tormentarij pulueris, pilarúmque reliquias ne mediocrem quidem impreſſionem repulſuras. Secundo loco Gabriel Martinengus egregius propugnandarum vrbium artifex interrogatus eadem fere, quæ Preianes, repetiit: propugnatores perpaucos eſſe addidit, hoſteis cuniculis iam bonam vrbis partem occupaſſe in longum centum pedes, in latum ſeptuaginta progreſſos: niſi quæ obſidionem ſoluerint, præſentia auxilia adſint, breui vrbem in poteſtate hoſtium futuram. Pulchram quidem mortem eſſe pro tuenda religione ſuſceptam; ſed quæ nihil proſit, inutilem videri: adhæc Rhodios ciueis cum familiis hoſtium immanium contumeliis, libidini, ſuppliciis obiici nec pium eſſe, nec humanum.

Solymanus Rhodios ad deditionem conditionibus æquiſſimis clementer pellicere per Pyrrhum Baſſam aggreditur.

32 Quarto idus Decemb. colloquium tyrannus petiit, vexillúmque ad ædem extra vrbem (Limonitrarum vulgo appellant) defigi imperauit: cui noſtri altero ad Coſquinenſia molendina erecto reſponderunt: prodeunt duo Turcæ, & ad Coſquinenſem portam accedunt, quibus Preianes ac Martinengus obuiam eunt. Pauca loquuti litteras à tyranno ad Liladamum reddunt, mox ad ſuos redeunt: in ſumma vrbem ſibi dedi tyrannus poſtulabat: id ſi fieret, omneis cuiuſcumque conditionis ſint, liberos abire cum armis, auro, argento, omníque ſupellectile ſacroſancto iureiurando ſe permittere confirmabat, nullam à ſuo exercitu contumeliam, nullam iacturam paſſuros: epiſtola autem (vt barbari mos eſt) litteris aureis ſubſcripta erat. Sin recuſent omneis ad vnum victoris gladij aciem ſubituros. Quibus vt reſponderetur, aliud conſilium, quod integrum vocant, nos ſanctius dicere poſſumus, in quo omnes maioris Crucis equites, item bini ex ſingulis, quæ ſacram militiam profeſſæ ſunt, nationibus (ſunt autem octo) coïre ſolent, Liladamus indixit. Hi quod priore ſancitum erat, confirmarunt: tertio Idus induciis in triduum initis, obſidibúſque acceptis Grolæus eques Aruernus ſacri vexilli ſignifer (Paſſinum etiam vocant) ac Robertus Perucius ciuis Rhodius iuri dicundo præfectus ad Achimeti Baſſæ tentorium processerunt: pridie Idus mane legatos Achimetus ad Solymani papilionem deduxit. Vbi loquendi poteſtas facta eſt, ſe vt colloquij poſtulati cauſas planius intelligerent, tametſi

Colloquiũ vtrimque indictum.

Obſidibus acceptis legati à Liladamo ad tyrannũ commeant.

litteris ſignificabantur à Liladamo miſſos declararunt. Tyrannus & colloquium poſtulaſſe, & litteras ſcripſiſſe inficiatus (quamquam aliter res habebat) optionem, quæ epiſtola ſua continebatur, deintegro dedit, atque vt intra triduum reſponderetur, edixit, legatóſque dimiſit; ſed Perucius duntaxat in vrbem rediit. Grolæum Achimetus totum eum diem, noctémque conſequentem retinuit, & perhumaniter apud ſe habuit: cui inter cœnandum ſexaginta quatuor Turcarum millia in hac obſidione violenta morte, circiter quinquaginta morbis periiſſe confeſſus eſt. Quum reuerſum in vrbem Perucium, & tyranni mandata litteris conſentanea eloquutum remitteret Liladamus, ecce Rhodij quidam ciues acceſſerunt, & de vrbe dedenda deliberatum ſe audiiſſe dixerunt; quod ſine ipſorum aſſenſu fieri non debere æquum erat: mori ſatius eſſe, quàm ſeſe crudeli tyranno permittere, qui nullis pactis ſtet, & Hungaros poſt Belgradi deditionem contra iureiurando ſancitas deditionis leges immaniter trucidarit. Hinc nouos ad Solymanum legatos Liladamus miſit Raimũdum Marquetum, & Lopidem ſiue Lopeum Hiſpanos, quibus Achimeti tentorium ingreſſis Grolæus remiſſus eſt. Introducti ad tyrannum inducias in aliquot dies produci petierunt: Rhodios equites ex octo diuerſis nationibus, populum ex Græcis & Latinis conſtare; de re tanti momenti tam breui conuenire non poſſe. quibus nihil tyrannus reſpondit: alterum ex Rhodiis legatis dimitti, alterum retineri, atque vrbem acrius, quàm antea tormentis, idque circa decimumſeptimum diem Kalen. Ianuarias concuti iuſſit. Noſtri contra nulla, aut rara tormenta diſplodebant: quicquid ſulphurei pulueris, pilarúmque reſiduum erat, oppugnationibus reſeruabant.

Turcarū qui in hac obſidione perierunt numerus.

Liladami edictum.

Vt autem hoſtibus totis viribus reſiſteretur, edictum Liladamus edidit, vt omnes quotquot ſtationibus attributi erant, ad ſuas quique abirent, neque inde interdiu, noctúve diſcederent, pœna capitis non parentibus indicta: qui vero in ſubſidia deſcripti erant, ſecum ad ſtationem Hiſpanicam, vbi maior ruina erat, & à qua ipſe nunquam recedebat, perſeuerarent. Tum pauci milites Ludouico Dandono (Andugum ſiue Andugium alij vocant) Hiſpano equite duce cum aliquot vini cadis è Creta profecti noctu ad portum appulerunt, quod non exiguum ſolamen fuit: obſeſſorum enim bona pars iam alterum menſem vinum haud hauſerat. Decimoſexto Kalen. Ianuar. Turcæ promurum ſtationis Hiſpanicæ inuaſerunt, & poſt ſatis longum conflictum repulſi fuerunt: poſtridie longè maioribus viribus adorti eodem potiti ſunt noſtris in vrbem ſe recipere coactis: inde imum ſtationis Anglicæ murum dolabris, terebríſque perrumpere cœperunt, & per terræ, lapidúmque ruinas iam ante factas conſcendentes in ſummo vrbis muro aliquot vexilla poſuerunt: verum tormentis pleriſque ex locis petiti non diu ibidem conſiſtere potuerunt, in promurúmque reuerterunt. Is tertius locus erat, vbi viam ſibi ad vrbem aperiebant: nec noſtri quum pauci ſupereſſent, & omnia ad repellendos hoſteis neceſſaria deficerent, vrgenteis, & quotidie noua ſubſidia accipienteis impedire poterant. In tantis rerum anguſtiis communi equitum ciuiúmque Rhodiorum conſenſu Grolæus cum duobus è ciuibus ad Solymanum redire iuſſus; prius tamen ad eundem Baiazetis aui epiſtolam per Robertum Perucium Liladamus miſit; qua liberos, ſucceſſoréſque ſuos quotquot Rhodiam expeditionem ſuſciperent, malis diris, orcóque deuouebat. Lectam epiſtolam (neque enim tyranno loqui, aut ſcriptum offerre, quin eius certior factus ſit, licet) Archimetus diſcidit, proiecit, proiectam pedibus conculcauit, & Perucium contumelioſè acceptum ſtatim abire iuſſit. Tum Grolæus, hoc eſt, decimotertio Kalend. Ianuar. deditionem, vt pacta erat, fecit; qua Coa arx & Petri in Rhodo inſula ſitæ comprehenſæ fuerunt. Triremes Rhodiorum omnes, minoréſque naues cum tormentis, quibus armari ſolebant, Liladamo conceſſæ: quæ ſi ad comportandam omnem Rhodiorum ſupellectilem non ſufficerent, ſe ex ſuis, quot neceſſariæ eſſent, commodaturum tyrannus pollicitus eſt. Duodecim dies tam equitibus, quàm ciuibus, ad conuaſanda ſua omnia præſcripti: ſi qui remanere vellent, iis in quinquennium immunitas oblata, vt intra triennium abire poſſent, poteſtas facta: ne cui contumelia, iniuriáve fieret, exercitus ab vrbe circiter mille paſſus receſſit: viginti quinque equites, totidem ciues obſides dati: vrbem Turca præfectus cum trecentis, aut quadringentis Ianizaris ingreſſus eſt. 33

Deditio Rhodi, & quid in eadē comprehēſum ſit.

Vix deditio facta erat, quum Farra Baſſa cum quatuordecim, aut quindecim Ianizarorum millibus Rhodum appulit: hunc Solymanus multos è ſuis cecidiſſe, cæteros animo concidiſſe agnoſcens è regni Perſici finibus acceſſiuerat; vt recenteis milites nondum aliorum cædibus deterritos in oppugnationibus primos noſtris obiiceret. Quinto die ex duodecim Rhodiis ad diſcedendum conceſſis Farræ Ianizari, aliique ad vrbem 34

Ianizarorum inſolētia, & mala fides.

propius

propius appropinquarunt, ac mox ingreſſi arcis, vrbiſque domos, denique templa ipſa compilarunt: matronis nonnullis, virginibúſque vim attulerunt; omnes qui Mahometana relicta Chriſtianam perſuaſionem profeſſi erant, eorúmque vxores, ac liberos vi rapuerunt, & in patriam ſuam abduxerunt: id an Solymani, Baſſarúmue iuſſu fecerint, incertum: tanta certè in Turcicis exercitibus militaris diſciplinæ ſeueritas eſt, vt ſaltem Baſſis non inuitis feciſſe videantur. Biduo poſt deditionem Achimetus ad ſtationem Hiſpanicam acceſſit, & cum Liladamo de multis rebus colloquutus tandem Solymanum eius videndi deſiderio teneri ſignificauit; vt tantum principem inuiſeret, è re ſua eſſe. Septimo Kal. Ianuar. Liladamus ad Solymani papilionem per Achimetum deductus eſt: ille hominem perhumanè excepit, & per interpretem (lingua enim externa vti Othomanni è dignitate ſua eſſe non putant) regnorum, principatuúmque amiſſiones fortunæ ludibria eſſe dixit: idcirco ne vir prudens inani mœrore conficiatur, par eſſe: quod ad promiſſa ſua attinet, ea ſacroſancta fore confirmauit. Triduo poſt idem Solymanus eques vrbem iniit, & palatium vbi Liladamus habitabat, aulámque, in qua magni Rhodiorum magiſtri edere ſolebant, ingreſſus Achimeto dumtaxat, atque adoleſcente quem diligebat, comitantibus Liladamum accerſiuit, & vt Achimetus Græcè loquens eundem ſolaretur, iuſſit: quæ ſua, ſuorúmque eſſent, colligeret: ſi præſcripti duodecim dies non ſufficerent, ſe quot vellet additurum, promiſſis ſtaturum, ne quid detrimenti accipiat, præſtaturum. Si Turcicam militiam ſequi velit, à Chriſtianis ſuis omnino deſertus, magna ab ipſo præmia, magnos honores conſequuturum. Liladamus gratias egit, quod ſe hominem alienigenam, & in Dei cultu diſſentientem non ſolùm humanitate, ſed & præmiis prouocaret: vinci Fortunæ eſſe, & à tanto principe vinci ſibi honorificum potius quàm ignominioſum; à ſuſcepta ſemel religione diſcedere, impietatis, leuitatis, ignauiæ eſſe, quæ nullam excuſationem mereatur: precari vt boni conſulat, ſi homo id ætatis à boni viri officio non diſcedat. His ſermonibus vltro citróque habitis Solymanus ad ædem Ioannis ſe contulit: mox conſcenſo equo ad papilionem ſuum rediit. Rhodij autem Turcarum vim, latrociniáque metuentes, quicquid potuerunt, magna diligentia ad naueis comportarunt: ſed illuc quoque Turcæ ſequebantur, vſque quod libebat, rapiebant: de quibus Achimetum Liladamus admonendum curauit. Ille ſtatim viros apud Ianizaros authoritate pollenteis miſit, & noſtris ne in poſterum noceretur, prouidit; commeatum in naueis comportandum dari iuſſit: tormentorum, quæ nauibus attributa erant, tranſportandorum poteſtatem fecit. At quod biduo poſt Solymanus inde migraturus erat, Conſtantinopolim nauigaturus, bonam illorum partem noſtri reliquerunt; &, vt eius diſceſſum anteuerterent, quoad fieri potuit, properarunt: multùm enim à barbaræ, perfidæque gentis violentia timebant.

Solymani ad Liladamum ſermo humanitatis plenus.

Kalendis Ianuar. Liladamus abeundi veniam petiturus ad Solymanum rediit: ille hominem cum bona gratia dimiſit, & ne quid damni à ſuis inter nauigandum acciperet, teſſeram dedit. Liladamus conſcenſis triremibus paulò ante noctem è portu exiit in Cretam tranſmiſſurus; vbi propter hyemis aſperitatem aliquamdiu remanſit: Meſſanam Siciliæ vrbem pridie Kal. Maias, Kal. Auguſti Centuncellas appulit, vbi quod Adrianus Pontifex poſtridie nonas in morbum incidiſſet, totum fere eum menſem conſumpſit: Kal. Septembris Romam ingreſſus eſt; & paucis poſt diebus Adrianum paulò melius habentem adorauit. Adriano poſtridie Idus Septembris vita functo ſucceſſit Iulius Medices Cardinalis Clementis nomine aſſumpto, qui Rhodiam militiam adoleſcens profeſſus erat. Is Liladamo, Rhodiiſque equitibus, donec illis melius de habitatione conſuleretur, Viterbium Pontificiam vrbem conceſſit, Chriſtianis principibus communi piáque cauſa neglecta ſeſe mutuis bellis affligentibus. Hanc Rhodi expugnationem quod omnium, quæ hoc ſæculo acciderunt, & tyranni oppugnantis potentia, & propugnantium fortitudine, & clariſſimæ inſulæ, hoc eſt, nobiliſſimi quondam poſt Athenas Græcarum litterarum domicilij, nuper verò firmiſſimi totius Chriſtianiſmi aduerſus immanem Othomannorum tyrannidem propugnaculi amiſſione celeberrima fuit, vt à multis, qui eidem interfuerunt, ex quibus nonnulli etiam de illa ipſa Gallicè ſcripſerunt, audiuimus, fuſiùs explicandam putauimus: quam Ioannitæ Hieroſolymorum equites ducentos & quatuordecim annos ſumma cum gloria poſſederant. Ex Inſubribus redierant Galli, niſi qui paucis arcibus præſidio relicti erant: in ſequentem nihilominus annum bellum grauius expectabatur; neque enim multos, niſi fortè ad Bicoquam ter mille Heluetios, amiſerant. Et Veneti, Heluetiique in ſocietate perſeuerabant, vnde exercitum Cæſariani dimittere non audebant: at ſtipendium omnino deerat: exhauſti erant Mediolanenſes, nihil

à Cæſare, nihil à regno Neapolitano prodibat; vt in Pontificias ditiones bonam exercitus
partem populorum impenſis victuram mittere cogerentur, Cardinalibus Adriano adhuc
abſente grauiter querentibus. Interim Carolus Lanoius à morte Raimundi Cardonij
Neapolis prorex declaratus in id regnũ proficiſcens Romæ cum Ioanne Emmanuele Cæ-
ſaris, cæteriſque fœderatorum legatis conuenit, vt in treis menſeis proximos Mediola-
nenſes viginti, Florentini quindecim, Genuenſes octo, Senenſes quinque, Lucenſes qua-
tuor nummûm aureorum millia penderent. Indictioni metu eius exercitus omnes, licet
inuiti, aſſenſerunt: ſed & in aliquot præterea menſes verum de ſumma non parua dedu-
ctione facta continuata eadem indictio eſt.

Vexata Italia, præſertim verò Pontificiæ ditiones Adriani aduentum deſiderabant; ad 36
quem Cæſar è Belgica in Hiſpaniam nauigans, atque interim cum Henrico Angliæ Re-
ge colloquutus, vt ſe ſummum Pontificem Chriſtiano more adoraturum Barcinone ex-
pectaret, ſcripſerat. At is vel ne eius diſceſſum Cæſar remoraretur, vel ne eius nauigatio
in tempus incommodius, autumnaleſque ventos differretur, vel ne rumores augeret;
quibus quaſi pacem, quam ſummopere conſtituere cupiebat, interturbaturus, maturè ex
Hiſpania ſoluit, & quarto Kal. Septembr. magna populi frequentia Romam iniit, om-
niúmque oculos in ſe quadam admiratione conuertit; quod homo ab extremo orbe,
Oceaníque littoribus arceſſitus, rerum Italicarum ignarus, difficillimo tempore hinc
Chriſtianis principibus inter ſe pertinaciter confligentibus, inde Turca Rhodum graui-

Peſtis Romæ exorta & mirandũ in modũ ſæuiẽs ingentem in vrbe ſtragem facit.

ter oppugnante ſummæ rerum præeſſet; ſub cuius aduentum peſtis exitioſo prodigio mi-
randum in modum in vrbe graſſata eſt; nec is in frigido cœlo educatus, vbi peſtis tanta
contagione ſpargi non ſolet, funeſtam luem more Romano ſeueris legibus coercuit, vn-
de ingens Romæ vaſtitas conſequuta eſt. Demetrium Spartanum fero tauro magico car-
mine manſuefacto, atque ad amphitheatrum immolato huic malo ſe finem attuliſſe, ſcri-
bit Iouius idque ita eueniſſe: mox enim morbus ſiue mago ita procurante, ſiue hyeme
iam inſtante peſtilentem aërem purgante miteſcere occœpit. Ac tum Adrianus ne om-
nino iners, ignauúſque videretur, procurandis Romanæ aulæ negotiis animum adiecit,
de recipiendo Arimino, ac reconciliando Ferrarienſi regulo egit, vt eundem à Galli Re-
gis amicitia, ad ſe, Cæſarémque conuerteret; idcircóque Hiſpanos pedites ſuæ nauiga-
tionis comites primum in Flaminiam, deinde in Inſubres Cæſaris exercitum aucturos

Cæſaris & Angli legati Venetias de ſocietate acturi mittũtur.

proficiſci iuſſit. Cæſar autem, atque Anglus, qui clam Cæſari grandem pecuniam mu-
tuam dederat, legatos Venetias Hieronymum Adurnium, Richardúmque Pacceum de
ſocietate acturos miſerant: expectabantur præterea Ferdinandi Auſtriaci, qui etiam, ſed
multò poſt, fratre cedente Cæſar fuit, legati: cui cum ea Repub. multæ controuerſiæ in-
tercedebant, ideóque vt fœderi aſſentiretur, neceſſarium erat. Quinetiam Anglus bel-
lum per heraldum, ſiue præconem militarem Gallo indixit, niſi cum Cæſare in triennium
inducias in omnibus eius ditionibus faceret, quibus Rom. Pontifex, Sfortia Mediolanen-
ſis regulus, Florentini comprehenderentur: & de penſione annua, hoc eſt, de quinqua-

Frãciſcus inducias cũ Carolo cur admittere recuſet.

ginta nummûm aureorum millibus non perſolutis querimoniam addidit. Inducias Me-
diolano ſibi erepto facere Franciſcus recuſauit, & pecuniam flagitare, qua Cæſarianorum,
cæterorúmque eius hoſtium opes augeat, ineptum prorſus eſſe reſpondit. Hinc renun-
tiata viciſſim amicitia legati vtrimque remiſſi fuerunt. Tum quoque Ioannes Emmanuel
Cæſaris legatus Roma profecturus, vbi aliquot annos magna cum authoritate ſuo mu-
nere functus erat, Florentinis ſchedulam ſua manu ſcriptam, ſubſcriptámque de confir-
mandis ſuæ Reipub. priuilegiis, vti altera ſchedula ſua manu ſubſignata Leoni Summo
Pontifici anno huius ſæculi viceſimo Cæſar promiſerat, reliquit; quam Cæſar mox ratam
habuit, & menſe Martio proximo diploma amplum in eandem ſententiam expediri iuſ-
ſit. Is vbi in Hiſpaniam appulit, ſeuerè in ſeditionis authores animaduertit, cæteris no-
xam condonauit; iis qui in fide permanſerant, digna præmia liberaliter tribuit: Ferdinan-
do in primis Calabriæ regulo Federici Regis Neapolitani maiori natu filio, qui ex Scia-
tiuenſi arce à rebellibus, vt illorum dux eſſet, accerſitus, exire inde noluerat: hunc in
aulam euocatum magno honore affecit: nec ita multò poſt Germanam Fuxiam Ferdinan-
di aui viduam opulentam quidem ſed ſterilem eidem in matrimonium dedit, vt in illo
Alphonſi maioris ſoboles deſineret: nam duo eius fratres iuniores alter in Gallia, alter in
Italia mortem obierant.

Anno 1523. Sequitur annus huius ſæculi tertius & viceſimus, cuius initio Malateſtæ Vrbinate ſe- 37
queſtre Arimino cedentes, haud tamen ſperata præmia retulerunt. Vrbinas ipſe Romam
ad Adrianum acceſſit, & vigente adhuc Iulij patrui memoria, qui Romani Pontificatus
ditiones

by Google

Vrbinas ſacris Chriſtianis redditur.

ditiones mirandum in modum auxerat, Chriſtianis ſacris reſtitutus eſt, atque Vrbinatis Ducatus nomine ea conditione in fidem receptus, ne quid de Romani Pontificis iure decederet. Id adeo additum eſt, ne Monſeltrenſis ager, quem Leo Florentinis mutuo datæ pecuniæ quaſi præmium addixerat, ea fide comprehendi videretur, & ad Vrbinatem rediret. Florentini autem trecenta & quinquaginta nummûm aureorum millia Leoni mutuo dediſſe, & ab eius morte in Pontificiarum ditionum propugnationem ſeptuaginta ſe expendiſſe confirmabant. Receptus quoque in fidem eſt non ſolum Ferrarienſis Ducatus, ſed & Fani Fœlicis, ac Finalis nomine Alphonſus; quæ duo oppida bello aduerſus Leonem flagrante amiſſa poſt eius mortem recuperarat. Mutinæ, Rhegiique recipiendi eidem ſpem dederat Adrianus, ſed quantam Romani Pontificatus labem nouus Pontifex faceret, admonitus, ab ea ſententia reuocatus eſt. Ita principes Italos ad ſe pelliciens eoſdem ad parteis Cæſaris perducere tentabat, longe prudentius Chriſtianiſmo vniuerſo conſulturus, ſi neutram in partem inclinaſſet. Per eos dies qui Mediolanenſem arcem Galli inſederant, poſt diu expectata promiſſa auxilia rebus omnibus præter triticum, quo adhuc abundabant, egentes, morbiſque fere omnes confecti (& iam bona militum pars, atque inter eos Gratianus Garrus vir ſtrenuus interierat) de deditione cum Sfortia egerunt: niſi intra decimum quartum Kal. Maias Franciſcus opem ferret, ſe arce ceſſuros, modo ſua omnia ſecum efferre liceret, polliciti ſunt: quod & mox præſtiterunt, viciſſimque Sfortia promiſſo ſtetit: verum admodum pauci, cæteris vita functis, exierunt. Supererat dumtaxat arx Cremonenſis rebus omnibus etiam tum abundans, quæ à Gallo ſtabat: nec interim Mediolanenſium calamitates decreſcebant, Cæſarianis ſtipendij penuria Aſtam ingreſſis, totúmque agrum Vigleuenum vſque populantibus. Quam vaſtitatem vt auerterent Mediolanenſes centum nummûm aureorum millia in eorum ſtipendium exoluere coacti ſunt; idque non iniquo animo tolerarunt: quòd à Gallis, quos grauiſſimè offenderant, ſi quidem hi victoria potirentur, etiam duriora expectarent: & quod Franciſcum Regem, ſi inſtantem eius impetum retunderent, nunquam Mediolanenſem principatum deintegro inuaſurum ſperarent: Hiſpanos porrò nullo bello imminente vel in regnum Neapolitanum, vel in Hiſpaniam reuerſuros; ſe interim optata pace fruituros.

Galli ad extrema redacti de Mediolanenſis arcis ceſſione paciſcuntur.

38 Venetorum ſocietatem ex æquo Cæſar ac Franciſcus ambiebant, de qua in multos menſes diſceptatum eſt Hieronymo Adurnio Cæſaris legato interim vita functo, in cuius locum Marinus Caraciolus ſucceſſit, quem poſtea in Cardinalium collegium Paulus III. Pontifex Maximus cooptauit: plerique à Galli ſocietate diſcedendum non putabant: alij eius negligentia pleraſque bonas occaſiones prætermiſſas animaduertentes, nec ipſum ad Inſubres acceſſurum, nec exercitum per legatos miſſurum iudicabant: quam ſententiam Ioannis Badueri Veneti apud Franciſcum legati litteræ confirmabant: Franciſcum ita muliebribus illecebris, venationibúſque addictum eſſe, vt bonam Regiorum vectigalium partem in eas prodigat; vt totus in his ſit, raro niſi fortè inter epulas de bello cogitet, aut diſceptet: ſi exercitus cogetur, vt regium patrimonium auctionetur, aut regnum nouis, & antea inauditis indictionibus exhauriat, neceſſe eſſe. Se præterea de Caroli Borbonij Boiorum reguli patrimonio ſuo excluſi indignatione neſcio quid intellexiſſe addebat: vnde is in magnam Regi ſuſpicionem venerit, & clandeſtinam cum Cæſare coiiſſe ſocietatem feratur. Omnes Franciſco tam aduerſam eſſe fortunam, quod eius ignauia magna ex parte accidebat, Cæſari tam propitiam demirabantur: qui cum ſe tota Hetruria, Sfortia Mediolanenſis regulus, Genuenſes coniunxerant: nondum enim Adrianus quaſi pacis toto Chriſtiano orbe conciliandæ cupidus ſe Franciſci hoſtem declararat. Accedebat Ferdinandus Auſtriacus eius frater Venetis propinquus, atque Anglus, qui Galliam Belgicam continuo bello infeſtabat. Hinc re in Rogatorum concilio multum diſceptata quum Andreas Grittus ac Georgius Coruarius primarij ciues, ille à Gallo, hic à Cæſare ſtetiſſet, ſententias ſuas contrariis orationibus confirmaſſent. Senatus quidem nihil adhuc conſtituere volebat, donec quanti Franciſci in bellum apparatus eſſent cognoſceret: & Baiocenſis Pontifex recèns à Franciſco Venetias miſſus vt in menſem proximum deliberatio differretur, rogabat: intra quem maiorem, quàm quis memoria noſtra viderit, exercitum in Italiam tranſiturum pollicebatur. Eodem & Annæus Mommorencius, qui poſtea magiſter equitum fuit, Regi in primis charus, ac Federicus Boſſulus proficiſcebantur: quorum certiores facti Sueſſanus regulus Cæſaris atque Angli legati niſi intra triduum ſuæ conſultationi finem Senatus imponeret, ſe inde migraturos denuntiarunt: qua denuntiatione, & Baduerí legati ſui litteris commotus Senatus in hæc capita cum Cæſare ſocietatem coiit. Inter Cæſarem, Ferdinandum eius fratrem, Franciſcum Sfortiam Mediolanenſem regulum,

Venetorũ ſocietas inter Carolum ac Franciſcum merito diſputanda.

Societas inter Carolũ ac Venetos iurata, & quibus legibus.

regulum, ac Senatum Venetum perpetua ſocietas eſto. Senatus ſexcentos grauis, totidem leuis armaturæ equites, ſex peditum millia, quoties opus erit, in Ducatus Mediolanenſis propugnationem mittito. Eundem copiarum numerum in regni quoque Neapolitani defenſionem, ſi quidem à Chriſtianis inuadatur, impleto: quam conditionem, ne Solymanum Turcam irritaret, Senatus addidit. Quicquid in continente Veneti poſſident, Cæſar aduerſus quoſuis cum eodem copiarum numero tuetor: Ferdinando Auſtriaco vel propter antiquas controuerſias, vel propter Vormatienſe pactum ducenta nummûm aureorum millia intra octo annos Senatus pendito.

Vbi ita conuenerunt, Franciſcum Mariam Vrbinatem regulum dimiſſo Theodoro Triuultio ſuarum copiarum ducem Veneti declararunt. Itali Franciſcum qui ſociis Venetis Mediolanenſem principatum conſeruare non potuiſſet, iiſdem hoſtibus declaratis pro eodem recuperando arma ſumpturum ſaltem hoc anno non putabant: verum vbi exercitum in itinere iam eſſe audierunt, nouam ſocietatem, cuius Adrianus Pontifex velut author eſſet, inire properarunt. Is Romam appulſus Cæſari, Gallo, Anglo vt poſitis diſcordiis in Turcam tot tantiſque victoriis ſuperbum arma transferrent per legatos denuntiarat: cuius belli conſilia, vt commodius expedirentur, legatos viciſſim ipſi Romam mitterent: deinde ex communi decreto in bellum ipſum incumberent. Sed legati Romæ conuenientes vbi rebus pertractandis operam dederunt, rem tot difficultatibus intricatam offenderunt, vt fruſtra conueniſſe viderentur: inducias in breue tempus non admittebat Cæſar quaſi inutiles futuras: diuturnas recipiendi Mediolani auidus Franciſcus inire recuſabat. Hinc Adrianus Cæſari alioqui addictus, cuius præceptor olim fuiſſet, atque inde ad ſummos honores perueniſſet, Iulio Cardinale Medice, ac Sueſſano regulo Cæſaris legato inſtigantibus ne Mediolanenſem principatum Franciſcus reciperet, prohibere, & ſe Cæſari adiungere decreuit. Is autem initio Franciſco Soderino Cardinali Volaterrano vniuerſæ pacis (vt præ ſe ferebat) ſtudioſo magnam fidem adhibebat, eiúſque fere conſilia ſequebatur: vnde Medices Cardinalis Volaterrani inimicus Florentiam ſeceſſerat. At interim Franciſcus Imperialis Siculus exul in Galliam proficiſcens ad Caſtellum Nouum in agro Romano Sueſſani reguli opera cum Volaterrani ad Santonum Pontificem fratris filium litteris interceptus eſt: quibus ille Franciſcum Regem ad inuadendam claſſe Siciliam hortabatur, vt Cæſarianos eò auerteret, ac tum demum longè facilius principatu Mediolanenſi potiretur. Quapropter ſe quaſi proditum ratus Adrianus Medice Cardinale Sueſſanóque regulo iratum accendentibus Volaterranum in molem Adriani concludendum curauit, eique tanquam Pontificiæ Maieſtatis læſæ reo iudices dedit: quod Regem Gallum ad occupandum Siciliam Romani Pontificatus fundum, ſiue feudum (vt vulgò loquuntur) inuitaſſet. Quanquam autem Volaterrano per procuratores, ac cauſidicos cauſam ſuam tueri permiſit, & accuſatio ita lente procedebat, vt deferueſcente ira refrigeſcere & ipſa videretur, tamen quo die comprehenſus eſt, eodem & vniuerſæ eius ſupellectili, & omnibus opibus, quas domi habebat, manus iniecta eſt. Franciſcus Imperialis ad quæſtionem abreptus Comitem Cameratenſem, portuum præfectum, Siciliæ inſulæ quæſtorem ſocios coniurationis indicauit qui cum Gallo ſentiebant, idcircóque mox in parteis diſſecti ſunt.

Coniuratio in Sicilia detegitur.

Volaterranus illius ſuſpectus in vincula traditur.

Adrianus Pontif. Max. noua aduerſus Franciſcum ſocietatis auctor.

Hinc Adrianus, & quod ingentes Franciſci in bellum apparatus audiebantur recitatis in Cardinalium conuentu, quæ à Solymano Turca imminerent, periculis vnum Gallum, qui inducias reiecerit, cur huic non reſiſtatur, in cauſa eſſe confirmauit. Quapropter ſui officij eſſe, qui & Chriſti legatus & Petri ſucceſſor ſit, pacem vbique, quoad poſſit, conciliare; & iis, qui Italiæ quietem, à qua totius Chriſtianiſmi quies pendeat, procurant, ſe adiungere profeſſus Medice Cardinale, qui tum pulſo Volaterrano multum apud ipſum poterat, Sueſſanóque regulo ſuadentibus ad nouam ſocietatem coeundam animum adiecit; idcirco Carolus Lanoius Neapolis prorex Romam feſtinus acceſſit: ea pro Italiæ propugnatione inter Adrianum Pontificem, Cæſarem, Anglum, Ferdinandum Auſtriæ Archiſtrategum, Medicem Cardinalem, ac Remp. Florentinam, quæ eius nutu adminiſtrabatur, Genuenſes, quibus Senenſes ac Lucenſes accedebant, tertio nonas Auguſti inita eſt ea conditione vt in omnem cuiuſque fœderatorum vitam, & in annum præterea rata haberetur. Si quæ inter fœderatos controuerſiæ ſuborirentur, vt arbitrorum, iudicúmque ſententiis, non armis terminarentur, cautio addita eſt: omnibus quibus in eandem admitti vellent, modo id Adrianus Pontifex, Cæſar, Anglus, Ferdinandus Auſtriacus probarent, locus reſeruatus. Si quis quenquam ex fœderatis in Italia adoriretur, communibus fœderatorum viribus repelleretur, exercitúſque compararetur, in quem ducentos

tos cataphractos Adrianus Pontifex, octingentos Cæſar, ducentos Florentini, ducentos itidem Sfortia, ac totidem leuis armaturæ equites mitteret. Tormenta, quæque ad tormentorum impenſas, hoc eſt, ad tormentarium puluerem, pilas, vecturam pertinent, Pontifex, Cæſar, Sfortia ſuppeditare tenerentur. In peditatum, cæteraſque neceſſarias impenſas vigintinummûm aureorum millia vnoquoque menſe Pontifex, totidem Sfortia, ac Florentini, triginta Cæſar, decem Genuenſes, Senenſes, Lucenſes ſimul penderent: & claſſem nihilominus Genuenſes armarent, impenſaſque neceſſarias pro ſuarum ditionum propugnatione facerent. Ea pecunia in treis menſes ſolueretur; & præterea in quot menſes Pontifex, Cæſar, Anglus indicerent: ſummum exercitus Imperatorem Pontifex ac Cæſar deſignarent; vt Carolus Lanoius Neapolis prorex deſignaretur inueterato erga Proſperum Columnam odio percitus Cardinalis Medices procurabat: Mantuanum Adrianus, ac Florentini ſuis copiis præeſſe voluerunt.

41 At Franciſcus Melegnanenſi victoria ſuperbus, & Cæſarem, qui nullum adhuc ſuæ virtutis periculum fecerat, pro nihilo ducens, tot principum aduerſum ſe conſpirantium fœdere haud deterritus belli apparatus ſemper augebat, in Galliam Tranſalpinam inſtante æſtate tranſiturus. Verum antequam Lugdunum accederet, vere iam ineunte præclaram ſua vanitate occaſionem amiſit: Guiſæ Belgico oppido, arcique præerat Nicolaus Boſſuus Longouallius cum quingentis peditibus: is ſequeſtre Liueto ſuæ cohortis pedite Guiſanam arcem ſe proditurum ſimulauit. Liuetus aliquot Longouallij familiares ad Areſcotianum regulum Auennas Hollandicum oppidum deduxit, quaſi certam proditionis ſpem daturos, cuius Franciſcum Regem Longouallius certiorem reddidit. Ille vt rem promoueret, iuſſit, & copias, quibus hoſteis interciperet, comparauit. Re compoſita omnes Flandriæ proceres vt huiuſce laudis participes eſſent, in primiſque Fienneſius eiuſdem prætor rei gerendæ intereſſe conſtituerant, & coactis quindecim Flandrorum peditum millibus, ac ſexcentis Anglis numeroſóque equitatu, vt Gallicas vires aliò auerterent, ſe Taroannam obſeſſuros ſimularant. Proditioni die præſcripta à Gallis Vindocinenſis regulus Picardiæ prætor Perona egreſſus cum quatuor Germanorum, quibus præerat Susfolcius regulus Anglus exul, tribus Gallorum peditum millibus, quingentis cataphractis equitibus ſeſe venientibus opponere, Florengius cum quatuor, aut quinque peditum millibus, trecentis cataphractis equitibus ab Arduenna ſilua ſe inter Auennas, Guiſámque interiicere, hoſteiſque à tergo adoriri, aut ſaltem illis reditum obſtruere debebat, vt de victoria nemo dubitaret. Franciſcus vt huiuſce ſtratagematis, victoriæque laudem ad ſe transferret, Chambortio profectus, quæ amœna & magnificè ab ipſo exædificata in agro Turonenſi domus eſt, curſoribus equis die, qui noctem proditioni deſtinatam præceſſit, Genlium appulit: cuius celeritatis admoniti hoſtes, qui iam in itinere erant (neque enim tam longinquum iter propter multitudinem ſequentium facilè celari poterat) Regem haud fruſtra adeo properaſſe rémque palam factam eſſe ſuſpicati ſe ad ſuos receperunt: ita nimia inanis gloriæ cupiditate ſe magno inſignis victoriæ fructu priuauit oſtentandis potius quàm rebus gerendis idoneus. *Inſignis victoriæ fructus Francisco ereptus.*

42 Franciſcus errati ſui conſcius, ne fruſtra exercitum inſtruxiſſe videretur, Florengium Sedanium remiſit Gallici regni limitibus illic præſidio futurum; Peronæ cæteras copias, vt ſoluta Taroannæ obſidione largum in vrbem commeatum impertarent, coire iuſſit: quibus Vindocinenſem præfecit. Coierunt Germanorum quatuor, quibus Susfolcius præerat, Belgarum peditum totidem millia, quingenti cataphracti equites cum ſuis hippotoxotis, quatuor item centenariæ prætorianorum hippotoxotarum alæ: qui per hoſtium agrum incedentes, vbi Balleulum montem, intermedium inter Atrebates Dorlanúmque oppidum, appulerunt, arcem quam trecenti Hiſpani pedites inſederant, tormentis quateſecerunt, atque ad deditionem compulerunt. Ea à fundamentis euerſa Fuguembergium præmiſſo Ludæo caſtrorum magiſtro Vindocinenſis contendit, tum vt Montralio commeatum acciperet, tum vt hoſteis, qui ad Andinetonem Liſæ fluuio impoſitum oppidum, quarto à Taroanna milliari caſtra habebant, à Fano Odomari accipere prohiberet: nam ab Aëria aduehi Petrapontius quoque alæ Lotharingicæ legatus, atque Eſgullius Taroannæ præſidio impoſiti prohibebant Cæſariani noctu Andinetone profecti Elfaltum petierunt: quos iam de fuga meditanteis Vindocinenſis perſequutus eſt, interim dum Brio cum quadringentis prætorianis hippotoxotis commeatum Taroannam immitteret. Vindocinenſi conſpecto tanta trepidatione Cæſariani ſe in fugam dederunt, vt neque præfectorum ſignum, neque ſua vexilla expectarint. Fugientibus vnus Dinenſis Fienneſij Flandriæ prætoris legatus ſaluti fuit, qui quingentis equitibus ſuorum fugam tegens,

tegens, ne à noſtris animaduerteretur, impedimento fuit. Et Franciſcus Rex per Brionem ne Vindocinenſis exercitum in diſcrimen adduceret, interdixerat. Nec ita multo poſt partem copiarum è Belgica in Galliam Tranſalpinam adducturus Taroannam deintegro recenti commeatu vt in annum & vltra ſufficeret, Franciſcus Aprili menſe recreare decreuit, in idque vt Vindocinenſis ſedulo incumberet, mandauit. Is Montralio ad ſiluam Fuquembergicam vſque, inde Taroannam equitatu deducente tranſportandum curauit: vnde mox Suſfolcium cum Germanis, bis mille Belgas pedites, partémque equitatus Franciſcus accerſiuit, ac cæterum exercitum, Lorgium autem in primis cum ſex peditum millibus Lugdunum Kal. Auguſti ſe ſiſtere imperauit: Guilielmum Gousfierum Boniuetum Amyralium, vt Suſæ ſiti ad montis Ceniſij radices oppidi anguſtias præoccuparet, Annam Mommorencium Mareſchallum ad Heluetios deducendos præmiſit, ipſe mox ſequuturus: ſic enim tum decreuerat. Mommorencius cum duodecim Heluetiorum millibus ad Auguſtam Taurinorum Boniueto Amyralio occurrit.

Franciſcus ab expeditione Mediolanenſi Borbonij controuerſiis reuocatur.

Interim dum hæc agitantur, noua res Franciſcum à Mediolanenſi expeditione reuocauit. Carolo Borbonio Boiorum regulo equitum magiſtro infenſa erat Ludouica Sabaudiana Franciſci mater: quibus de cauſis non ſatis proditur: alij quod fœmina iam natu grandior Borbonij tertium dumtaxat, aut quartum & triceſimum annum agentis matrimonium ambiret, à quo eundem abhorrere reſciiſſet: Renatam enim alteram Ludouici huius nominis Duodecimi Galliarum Regis filiam Borbonius ambiebat, cui vt deſponderetur, Claudia Regina Renatæ ſoror natu maior ſummopere cupiebat. Alij alias cauſas reddunt; & plureis, vt ſemel ſuſceptæ nouas procreant, & quidem prius interueniſſe veriſimile eſt. Muliebre odium vbi conceptum intellexerunt, auxerunt admodum Boniuetus familiarior, vt ferebatur, qui expugnato Fonte Rapido militari quouis munere ſibi dignus videretur; & ſi quod bellum immineret, niſi Borbonius equitum magiſter obſtaret, ſe Franciſci legatum fore nullo modo dubitaret, ac Borbonio expulſo eius magiſtratum ſibi deſponderet: Pratus quod neſcioquid in Aruernis, quo liberos ſuos ornaret, à Borbonio contendiſſet, nec impetraſſet, & Ludouicam adulans ſeſe ad eius ſenſus accommodare cuperet. Hinc Flandrica expeditione, quum Valentianum vſque Cæſarem Franciſcus perſequeretur, primam aciem Carolo Valeſio Alenconio regulo matris ſuaſu attribuit: Borbonium, qui eandem propter magiſtratus authoritatem ſibi vendicare poterat, ſecum in ſecunda retinuit, vt libro ſuperiore enarrauimus. Non multis poſt menſibus Suſanna Petri Boiorum reguli atque Annæ Franciciæ Caroli Octaui ſororis filia, eadem Caroli Borbonij equitum magiſtri vxor, nullis relictis liberis diem ſuum obiit, ſi Bellaio credimus. Alij ante, hoc eſt, Aprili menſe anno huius ſæculi viceſimo primo mortuam ſcribunt, quod ex Monthelonis actione, cuius mox mentionem faciemus, colligere eſt. Si Suſannæ maiores aut potius Borboniæ familiæ initia à prima origine repetentur, longa quidem narratio erit; ſed quod & Carolum Borbonium iniquo iudicio circumſcriptum, & Prati Cancellarij malignitatem declarat, eam pertexere non alienum erit. 43

Borboniæ familiæ initia repetuntur.

Lex Voconia, quid.

Boiorum dominatus quamuis latis finibus explicatus initio Baronia (vt nouis nominibus in rebus nouis vtamur) dumtaxat fuit, & Archimbaldis amplæ familiæ Gallorum Regibus affinitate coniunctæ paruit; in qua (vt in pleriſque aliis Gallorum familiis) lex Romanorum Voconia, qua fœminæ, maribus ſuperſtitibus etiam gradu remotiore diſiunctis, maiorum ſuorum ac paterna etiam hæreditate excludebantur, ſemper obſeruata eſt. Hinc Senatus Pariſienſis decreto, quod areſtum vocant, decimi tertij ſæculi anno decimo tertio edito * * Borbonia Falquaquerij Comitis vxore excluſa eius ex eadem familia propinquus gradu remotior Boiorum Baro declaratus eſt: longa tamen ſæculorum ſerie effectum eſt, vt maribus omnibus ſublatis Beatrix vnica Borboniæ familiæ hæres Roberto Claromontenſi Comiti Ludouici Pij Galliarum Regis filio nupſerit. Quatuor enim Pius ex Margarita Comitis prouinciæ Phocenſis filia liberos ſuſcepit, Philippum Tertium, qui illi in regno ſucceſſit, Ioannem Niuernenſem, Petrum Alenconium, Robertum Claromontenſem Comites: Roberti Ludouicus, qui Iſabellam Philippi Valeſij Galliarum Regis ſororem vxorem duxit, & Borboniam Baroniam in Ducatum erigendam curauit, eidémque Marchianum Comitatum, quam ſuperiorem Marchiam vocant, eadem fide, eadémque conditione poſſidendum adiunxit: duos liberos reliquit, Petrum Boiorum regulum necnon Claromontenſem, Marchianúmque Comitem, ac Iacobum Pontiuienſem item Comitem Vindocinenſis familiæ authorem: quæ nihilominus ſtirpis, hoc eſt, Borboniorum gentile nomen retinet. Petrus commiſſo aduerſus 44

Anglos

Anglos in Pictonibus prælio vbi Ioannes Galliarum Rex huius nominis Primus captus eſt, cæſus Ludouicum Secundum filium reliquit hæredem, qui Ioannis Regis nomine aliquamdiu apud Anglos obſes fuit. Ludouicus Secundus ex Anna Delphinate Ioannem ſuſcepit, cui adoleſcenti Ioannes Biturigum, Aruernorúmque regulus Caroli Quinti huius nominis Galliarum Regis frater Mariam filiam collocauit, conuenítque inter Ludouicum Borbonium Ioannis ac Ioannem Biturigem Mariæ parenteis vt Boiorum, Aruernorúmque Ducatus, ac Claromontenſis, Foreſtanúſque Comitatus (vt ita eam Lugdunenſis Galliæ regionem cum vulgo appellem) maribus dumtaxat ex hoc matrimonio procreandis, eorúmque poſteris modo vlli ſuperſtites eſſent, cederent; in hiſque lex Romanorum Voconia obſeruaretur: quæ pactio matrimonij inſtrumento inſerta mox à Carolo Sexto Galliarum Rege tum rerum potiente confirmata eſt. Alterum quoque inſtrumentum ſed à priore ſeparatum Ludouicus Ioannis pater conficiendum curauit, quo Borbonium Ducatum, Claromontenſémque Comitatum ſi Ioannes filius, eiúſue poſteri ſine liberis maribus decederent, ſceptro Gallico addixit, & Gallorum Reges, vnde & ipſe originem ducebat, velut ſecundos hæredes inſtituit; quod & idem Carolus Sextus ratum habuit, ac ſua authoritate confirmauit. Confirmauit & Carolus Septimus Sexti filius Ioanne Boiorum Aruernorúmque regulo in Anglia captiuo: ſiquidem Ioannes aliquot poſt annos, hoc eſt anno decimi quinti ſæculi decimo quinto pridie Idus Octobris Agincuriano vel (vt alij ſcribere malunt) Agincurtano prælio captus, atque in Angliam tranſmiſſus octodecim annos in cuſtodia fuit, ibíque diem ſuum obiit, & duos ex Maria Biturige ante ſuſceptos liberos Carolum Boiorum, Aruernorúmque regulum, Claromontenſem, ac Foreſtanum Comitem, multorúmque aliorum familiæ Borboniæ fundorum dominum, atque Ludouicum Mompenſerij Comitem hæredes reliquit. Eandem donationem confirmauit & Maria Biturix iam patris hæres, (Ioannes enim eius pater anno decimi quinti ſæculi decimo ſexto nouem & octoginta natus annos vita functus eſt,) atque vt eius liberi ſupra commemorati ratam haberent, procurauit. Et quod Ludouicus natu minor erat, Carolus fratrem quoque dum ad legitimam ætatem perueniſſet, comprobaturum ſpopondit, & ſe veluti eius prædem conſtituit. Carolus ex Agneta Burgunda quatuor liberos mares, fœminas duas reliquit, Ioannem qui magiſter equitum fuit, & ſine liberis deceſſit, Petrum, qui Annam Ludouici Vndecimi eius nominis Galliarum Regis filiam vxorem duxit, Carolum Cardinalem Lugdunenſem, Ioannem Eburonenſem Pontifices. Filiarum altera Geldubenſi, ſiue Sicambro regulo, altera Philippo Breſſano Comiti, qui mox fratris filio mortuo Allobrogum regulus fuit, nupſit. Horum Ludouica Franciſci Regis mater filia fuit: Petrus vnicam filiam Suſannam Ludouicæ conſobrinam ex Anna ſuſcepit.

45 Et quandoquidem Petrus ſine liberis maribus deceſſit, ad Ludouicum Mompenſerij Comitem Petri patruum redire lege Voconiâ iubemur: is Gilbertum, Gilbertus ex Clara Gonzaga Carolum procreauit: Carolus Mompenſerianus Petro mortuo ſtatim aduerſus Annam Petri viduam Suſannæ filiæ Gallico more tutricem, omniúmque Borboniæ familiæ poſſeſſionum vſumfructum ſibi vendicantem interdicto egit, ne ſe maiorum ſuorum hæreditate ſpoliare conaretur: ſe quippe omnium Ioannis ac Mariæ Biturigis poſterorum marium Petro gradu proximum, idcircóque legitimum hæredem; ſimul & à Ludouico Galliarum Rege huius nominis Duodecimo, vt in Borboniæ hæreditatis fidem reciperetur, contendit: quod & facile impetrauit. Ludouicus enim iuris & æqui obſeruantiſſimus illuſtres familias regni ſui firmas veluti columnas interpretatus perpetuas eſſe cupiebat. Itaque Annam hortatus eſt, vt ſi filiæ conſultum vellet eandem Carolo Borbonio collocaret: etenim nō ita pridem inter Petrum eius virum, ac Gilbertum Mompenſerianum Comitem fratres patrueles Chinone conueniſſe, vt ſi Petrus ſine liberis maribus decederet, Gilbertus, aut eius poſteri mares illi in ſupra commemorata Borboniæ familiæ hæreditate ſuccederent. Itaque veterem Ludouici Secundi huius nominis Boiorum, ac Ioannis Biturigum, Aruernorúmque reguli contractū in Ioannis Borbonij, ac Mariæ Biturigis matrimonio conciliando recenti pactione renouatum; ſapientiſſimo Regi aſſentitur Anna prudēs fœmina, & nuper viri, & ſemper Borboniæ familiæ amantiſſima. Menſe Februario quinto huius ſęculi anno Regis mādato cōuocantur Gallię proceres Alenconius, Vindocinenſis, Longauillanus, Nemorenſis reguli & circiter quindecim præterea proceres lectiſſimi: Georgius item Ambaſianus Cardinalis Pontificius in Gallia legatus, Senonenſis, Claromontenſis, Rutenenſis aliquótque alij Pontifices, ac Iureconſulti eruditiſſimi; quorum omnium ſententia matrimonialis Caroli Borbonij, ac Suſannæ item Borboniæ

contractus ſcriptus eſt, irritis Caroli Alenconij, atque eiuſdem Suſannæ, quæ paulò antè facta erant, ſponſalibus: antiquarum Borboniæ familiæ poſſeſſionum Carolus habetur hæres; cæterarum vir atque vxor ſe mutuo, vt ſuperſtiti cedant, hæredes inſtituunt. Suſanna quidem decimum quartum nondum annum impleuerat, nec tamen, quin impleret, multùm aberat: iudicis decretum, quod alioqui interuenire æquum fuiſſet, tantorum procerum, ac Pontificum conſilium ſuppleuit.

Borbonium Pratus Cancellarius malis ſuis artibus patrimonio exuere conatur.

Hæc quanquam aperta erant, nec in controuerſiam cadere debebant, tamen Antonius 46 Pratus Cancellarius Suſannæ hæreditatem, cui falsò vniuerſas Borboniæ familiæ poſſeſſiones tribuebat, ad Ludouicam Sabaudicam Franciſci Regis matrem Suſannæ conſobrinam tanquam gradu propiorem, aut ad Franciſcum ipſum commentitiis de cauſis reuocabat, vt forenſes iſti rabulæ iura omnia tametſi illuſtria obſcurare, ac controuerſa reddere ſolent. Prati ſuaſu Carolum Borbonium mortua Suſanna menſe Maio anno huius ſæculi ſecundo ac viceſimo Ludouica in ius vocauit. Pratus è ſua cohorte, hoc eſt, ex iis quos ipſe aut Franciſci, aut Ludouicæ commendatione in Senatum Pariſienſem allegerat, iudices dedit, qui addictis ſententiis, quod iuſſi erant, pronuntiarent: & iam tum Franciſcus eiuſdem Prati hortatu iudiciaria huiuſmodi munera venalia propoſuerat, licitantibúſque pretio addixerat. Aliquot dilationibus interiectis pridie Idus Februar. anni vigeſimi tertij huius ſæculi cauſam Borbonij egit Monthelo natione Heduus celebris tum Lutetiæ cauſidicus qui aliquot poſt annis Regij ſigilli magiſter fuit: cuius actionis nos exemplum habemus, vnde & multa in hunc locum tranſtulimus. Huius rei indignitate commotus Borbonius equitum magiſter, quod regis mater filio conniuente non ſolùm ipſum ſperato Renatæ Claudiæ Reginæ ſororis matrimonio excluderet, ſed & malis Prati Cancellarij artibus incitata innocentem patrimonio ſpoliare conaretur, clam cum Adriano Croio Roeſij Comite de defectione ad Cæſarem egit. Carolum à Fano Albini (vulgo Mottam Noierium vocabant) in Hiſpaniam miſit. Cæſar promiſſa in vxorem Eleonora ſorore Emmanuelis Regis Luſitani vidua ſe Borbonij amicitiam, affinitatémque ſummopere optare declarauit, ſcriptóque confirmauit, atque optimas conditiones addidit. Interim dum hæc vltro citróque pertractantur Franciſcus Lutetia profectus ad Fanum Petri Monaſterienſis in finibus Boij Niuernenſiſque agri ſitum oppidum appulit, in Tranſalpinam Galliam tranſiturus. Ibi duo Borbonij domeſtici natione Normani (quæ natio vulgo vt parum fida notari ſolet) Argugius, ac Matigno Borbonium cum Cæſare conueniſſe, atque aduerſus Franciſcum multa moliri indicant. Quo nuncio ille retardatus, & Susfolcium cum quatuor Germanorum peditum millibus biduum, aut paulò amplius ad Fanum Petri ſubſedit: deinde Germanis ſequentibus Molinas paucis comitatus ad Borbonium ſe contulit. Inualetudinem ſimulabat Borbonius, vtram in partem ſe daret, adhuc incertus: nam ſi Franciſcus de patrimonio, de quo lis iam inſtituta erat, ipſi bona fide caueret, nunquam ab eo deficere; ſin repulſam pateretur, & innocens ſpoliaretur, ius ſuum tueri, ac tantam iniuriam vlciſci quauis ratione ſtatuebat. Franciſcus cum Borbonio familiariter colloquutus Adrianum Roeſij Comitem cum illo egiſſe, vt ad Cæſarem deficeret, ſe intellexiſſe declarauit: quibus illum aſſentiri vel Regiæ ſtirpis propinquitas, vel honorificentiſſimum, quo fungebatur, munus facile prohiberet: ne tamen lis de patrimonio illata tranſuerſum ageret, ſe (ſiquidem cauſa caderet) illum in integrum reſtituturum, nec quicquam de patrimonio ablaturum ſanctè pollicitus eſt. Borbonius qui Regia promiſſa ſæpius inania eſſe, & Reges ipſos adulatorum artibus in deteriorem partem identidem traduci didicerat, ſibi verba dari interpretatus eſt: cur enim litem Franciſcus perſequeretur, ſi reo adiudicatum reddere ſtatuiſſet? ſe quidem ab Adriano Roeſij Comite, vt ad Cæſarem tranſiret, inuitatum eſſe; verùm haud aſſenſiſſe confeſſus eſt: amoueret lites, ſe Regiæ ſtirpis principem, Regi vno Alenconio excepto gradu proximum incertis venalium iudicum ſententiis ne ſubiiceret, tum fidam, dignámque maioribus ſuis ab ipſo operam expectaret.

Eam ob rem Borbonius ad Cæſarem deficere meditatur.

Franciſci cũ Borbonio colloquium.

Nonnulli Borbonij inimici, aut Ludouicam Franciſci matrem adulantes, vt prehendi Rex hominem iuberet, ſuaſerunt: alij leuibus de ſuſpicionibus, aut ſaltem nondum certis tantum principem tam ſuis charum non ſine graui tumultu, Regíſque ipſius diſcrimine prehendi poſſe docuerunt: in medio ſuarum ditionum eſſe Boiorum, Aruernorum, Marchianorum, Foreſtanorum: ſi comprehendatur, omnes vſque ad pueros, ac fœminas ad ferendam illi opem concurſuros: non iis viribus eſſe quatuor Germanorum millia, & paucas prætorianorum hippotoxotarum alas, vt tot populos ſimul irruenteis ſuſtinere poſſint. In horum ſententiam itum: Franciſcus vt exercitum properare, Alpeſque 47

maturè

maturè ſuperare præſens iuberet Lugdunum contendit. Paucis poſt diebus ſequutus eſt Borbonius lectica vectus, ſed Paliciam Boiorum vicum appellens, vt ſuis poſſeſſionibus manus iniiceretur Senatus Pariſienſis decreto, quod Areſtum vocant, ſancitum eſſe intellexit. Tum ſe cum Rege, Regiſque matre æquo iure certare non poſſe animaduertens, oblatas à Cæſare conditiones quadam deſperatione accipere coactus Perotum Bretonerium Vuartium, quem illi comitem, vt arcana illius conſilia exploraret, Franciſcus reliquerat, præire, ac Regi ſe in itinere eſſe renuntiare iuſſit. Ipſe valetudinem recrudiuiſſe ſimulans, ac retro iter flectens Cantellam ſatis firmam Boij agri arcem, vbi omnis Borboniæ familiæ ſupellex condita erat, ſeceſſit; & vt antequam porro pergeret Regis ſenſa intelligeret, Ioannem Huraldum Heduorum Pontificem cum mandatis ſua manu ſubſcriptis Lugdunum miſit: mandata autem erant vt ſi Franciſcus reuocato Senatus Pariſienſis decreto Borbonium in integrum reſtitueret, omnibúſque quibus ſua de cauſa infenſus eſſet, veniam condonaret, ſe Regi fidam quoad ſuperſtes eſſet, vbicumque, & quoties vellet, operam nauaturum ſanctè promitteret. At Vuartio Lugdunum appulſo Borbonium relicta via Regia ſe Cantellam recepiſſe Franciſcus per exploratores certior factus Ludouica matre, cæteriſque Borbonij inimicis inſtigantibus, Renato Sabaudo notho ſummo Regiæ aulæ magiſtro, ac Paliciano Mareſchallo negotium dat, vt cum quadringentis cataphractis equitibus & prætorianorum hippotoxotarum, quæ tum aderant, alis Borbonium prehendant, aut Cantellæ obſideant; quatuor peditum millia ſequi iubet. Hi Cantellam properantes Heduorum Pontificem ad Pacalderiam vicum à Palicia octo milliaribus diſtantem comprehenderunt: quod ſtatim, vt vltro citróque exploratores diſcurrebant, Borbonius reſciit. Hinc ſpem omnem placandi Regis abiiciens Cantella domeſticis comitatus ſexto Idus Septembr. noctu proficiſcitur: Armentium Aruerni agri oppidulum petit, vnde ſe clam noctu quoque ſubducens vno Pomperano comite in minorem Burgundiam euaſit. Franciſcus Montagnatius Tenſanius, qui me è tinctionis lauacro Chriſtiano ritu ſuſcepit, Borbonij veſte, equóque aſſumptis toto comitatu ſequente paulò ante lucem prælucentibus faſcibus Armentio egreſſus milliari confecto aurora iam diluceſcere incipiente ſe, quis eſſet, declarauit: Borbonium iam abiiſſe denuntiauit, eiúſque nomine omnibus gratias agens, & vt ſe domum quiſque reciperet, admonens triſteis, & de heri ſui fortuna ſollicitos dimiſit. In Peguilonio patris mei, qui anno ſuperiore diem ſuum obierat, fundo cuius arx ſatis firma eſt, vnum, ac dimidiatum menſem latuit familiæ noſtræ amicus & affinis: deinde barba abraſa, nam promiſſam admodum geſtabat, Sacerdotis veſtem indutus in minorem Burgundiam, inde Mediolanum ad Borbonium herum ſe contulit: quem ille octogeſimum fere annum agentem arci Mediolanenſi præfecit. Is quum domi noſtræ eſſet (nam tum ſemper aderam, & decimum ætatis annum iam medium agebam) ſe ab eo Borbonij conſilio, quo è Gallia migrare decreuerat, multum abfuiſſe aiebat, & culpam in Mottam Noierium, Huraldum Heduorum Pontificem, aliquótque alios conferebat.

Borbonij poſſeſſionibus manus iniiciendas Senatus Pariſienſis decernit.

Franciſcus ſummo Regiæ aulæ magiſtro Borbonij cōprehendendi, aut Cantellæ obſidendi curam demandat.

48 Borbonius è minore Burgundia in Germaniam, è Germania per Tridentinas Alpeis ad Mantuanum propinquum, inde Placentiam conceſſit: vbi Genuam profecturum Carolus Lanoius Prorex Neapolitanus in locum Proſperi Columnæ iam moribundi ſuffectus fœderatorum legatus conuenit, & cum illo de belli impendentis ratione communicauit. Finito colloquio inſtitutum iter perſequens Genuam peruenit, ibique ventos ſecundos expectans menſem & nonnihil amplius ſubſedit. Dum traiicere cogitaret, ecce Adrianus Croius Roeſij Comes, ac Lurcius domeſticus illi chariſſimus, quem è Germania in Hiſpaniam miſerat, Genuam appellunt, mandata Cæſaris exponunt: optionem Borbonio dabat Cæſar, vt vel in Hiſpaniam traiiceret, vel in Mediolanenſi agro cum fœderatorum copiis remaneret. Feſtinabat in Hiſpaniam traiicere Borbonius, vt quemadmodum conuenerat, Eleonoram Cæſaris ſororem vxorem duceret; ideircóque vbi in minore Burgundia, Germaniáque aliquamdiu conſtitiſſet, neque Cæſar pecuniam ad iuſtū exercitum comparandum ſuppeditaret, initum prius de inuadenda Burgundia conſilium abiecit, Genuam quanta potuit celeritate contendit. At Cæſar qui Borbonij conſpirationem non eum, quem ſperarat, exitum ſortitam videret, matrimonium differre in animo habebat; & quanquam Borbonio optionem, quam nuper commemoraui, dederat, tamen vt eius legatus copiis Italicis præeſſet, malebat, obſcuros ſuos ſenſus honorariæ legationis munere tecturus; idque vt Borbonius optaret arcano Cæſaris mandato Roeſianus Comes perſuaſit: ille Binaſcum ad exercitum acceſſit. Renatus ſummus Regiæ aulæ magiſter ac Palicianus Mareſchallus Borbonio elapſo Cantellam arcem circumſederunt, ac deditione ceperunt:

Borbonius quid reſponſi à Cæſare impetrauit.

Borboniæ familiæ ſupellex rariſſima, omnéſque Boiorũ Ducum arces in Franciſci poteſtatẽ redacta.

omnem Borboniæ familiæ ſupellectilem, quæ cæteras Chriſtianorum omnium principum paucis exceptis Regibus magnificentia ſuperabat, Carlatinam, cæteráſque Boiorum regulorum arceis in Regis poteſtatem redegerunt. Franciſcus ipſe Sanctoualerianum alterius prætorianorum equitum alæ (centum nobiles vulgò appellant) Emarum Prianum, Valguionem quinquagenariarum cataphractorum equitum alarum præfectos tradi in cuſtodiam iuſſit tanquam huius conſpirationis conſcios, quibus tamen poſtea veniam dedit. Dedit & Huraldo Heduorum Pontifici: qui è cuſtodia emiſſus ſtatim ad Borbonium aduolauit; qua poſt Hieronymi Moroni mortem Mediolanenſis Cancellarius inſtitutus eſt: nec idcirco minus Borbonio vita functo veniam à Franciſco Rege adhuc perhumano, & Iulij Cæſaris clementiam imitante impetrauit: nam ſenex Franciſcus longè durior, atque aſperior fuit.

Borbonij ad Cæſarem defectio Franciſcum ne ad Inſubres transiret, impediuit, atque in Gallia retinuit: magnæ enim Borbonij erant cognationes, magna exiſtimatio. Vindocinenſes, ac Mompenſeriani reguli ex eadem Borbonia familia erant: Antonius Lotharingiæ regulus Borbonij, Claudius Guiſanus Antonij frater Vindocinenſis ſororem in matrimonio habebat: ipſe Borbonius vitæ integritate, liberalitate, fortitudine, rei militaris ſcientia cæteris omnibus non ſolum Galliæ, ſed & cæterarum Chriſtianarum nationum principibus longè præſtabat, atque ab vniuerſis totius Galliæ viris militaribus vnicè diligebatur. Hinc Franciſcus Alenconium, Renatúmque Sabaudum nothum ſibi charos, Vindocinenſem, Palicianúmque Mareſchallum ſuſpectos cum centenariis ſuis cataphractorum equitum alis ſecum retinuit, & pedem è Gallia haud mouere ſtatuit, ne quis grauior tumultus ſuboriretur: præſertim quod ab Anglo in Belgica, à Germanis, qui ad duodecim millia Guilielmo Fuſtembergo, ac Fœlice comitibus à Burgundiæ, ac Campaniæ finibus non longè aberant, bellum ſibi imminere ſuſpicabatur. Hos Motta Noierius à Borbonio in Germaniam miſſus deducebat, qui Coifium Lingonenſis agri oppidum primum, deinde Montem Clarum arcem ſatis munitam inter Iouis, ſiue Iani villam, Calmontiúmque intermediam deditione ceperunt. Cum his Borbonius ingredi Burgundiam ſtatuerat, ſed ab equitatu imparatus, & pecuniæ inops quæ vix in menſtruum quidem peditum ſtipendium ſatis erat, iiſdem ſeſe adiungere noluit: quibus Guiſanus regulus Ludouici Trimullij vicem obiturus Burgundiæ prætor impoſitus cum quingentis cataphractis equitibus occurrit; & quod equitatu carerent, commeatu prohibens extra regni fines abire compulit: poſtremos carpendo pleroſque ad caſtellum nouum cecidit, nonnullos ad Regis ſtipendium vocauit. Non multum Vercellis aberat Boniuetus Amyralius, quicum Mommorencius Mareſcallus ſe cum Heluetiis coniunxerat (duodecim aut etiam quindecim millia fuiſſe traduntur) quum per Regios tabellarios, & Borbonium è Gallia diſceſſiſſe, & ſe Regis legatum declaratum eſſe reſciuit. Vnde ingenti gaudio elatus, quod illi haud diuturnum fuit, ſibi magna omnia pollicebatur: vnum enim Borbonium ſibi obeſſe exiſtimabat, equitúmque magiſterium ſibi deſpondebat: primam aciem quam ſi Franciſcus affuiſſet, ducturus erat, Mommorencio Mareſchallo Regi quidem chariſſimo, verum homini haud militari attribuit, & rectà Mediolanum contendit. Paulò antè Franciſcum Sfortiam Modoetia Mediolanum proficiſcentem Bonifacius Vicecomes equæ Turcicæ inſidens trucidare conatus erat: ſed ſublimis humilem, vtpote puſilla mula vectum, & adactum in guttur pugionem capitis demiſſione declinantem in brachium dumtaxat vulnerauit, ac velociter ſe proripiens Sfortiæ comitibus fruſtra perſequentibus elapſus eſt. 49

Bonifacij Vicecomitis in Franciſcũ Sfortiã conſpiratio.

Sfortia maiorem conſpirationem ſubeſſe veritus Modoetiam rediit. Hectorem ſiue Heſtorem Vicecomitem propinquum Moroni fraude cæſum, ſe peditum cohorte priuatum, atque exauthoratum, præturæ vallis, quæ à Seſithe fluuiolo nomen accepit, repulſam paſſum Bonifacius indignabatur. Palauicinus Vicecomes Alexandrinus Pōtifex tanquam huius conſpirationis ob fratris Hectoris cædem conſcius Morono inſtigante comprehenſus, & in arcem Cremonenſem conditus: multi item Vicecomitum propinqui, atque affines in cuſtodiam traditi. Quæſtione habita vnus & item alter conſpirationem in domo Pontificis initam dixerunt, alij conſtanter negarunt; Bonifacius poſtea id ſe nemine conſcio ſua ſponte molitum ſæpius teſtatus eſt. Fama Sfortiæ cæſi, Regiíque exercitus appropinquantis toto Mediolanenſi agro diuulgata Galeatius Biragus cum quibuſdam Mediolanenſibus exulibus, ac Gallis iam illuc profectis per arcem præfecto, qui natione Allobrox erat, intromittente Valentium oppidum ad Padum ſitum ingreſſus eſt. Sed Antonius Leua, qui Aſtam cum leuioribus equitibus aliquantáque 50

Hiſpanorum

Hiſpanorum peditum parte inſederat, ſtatim cum tormentis illuc aduolauit, oppidúmque (quandoquidem debile erat, nec muniendi ſpatium Biragus habuerat) altero die, arcem non multo poſt recepit, quadringentis hoſtium cæſis, cæteris captis inter quos Biragus fuit. Quanquam autem nonnulli Galli Hiſtorici, Italique fere omnes in Boniueti exercitu peditum triginta, equitum quatuor millia fuiſſe ſcribunt, tamen aliter alij eoſdem numerant. Guicciardinus mille octingentos cataphractos equites cum ſuis hippotoxotis (vt Gallorum mos eſt) peditum Heluetiorum ſex, Rhetorum duo, Valeſianorum totidem, Germanorum Susfolcio præfecto ſex, Gallorum duodecim, Italorum tria millia recenſet; quæ vnum & triginta peditum millia conficiunt. Bellaius qui vna cum Mommorencio huic expeditioni interfuit, mille quingentos cataphractos equites, Gallorum peditum ſex, totidem Germanorum Lorgio & Susfolcio ducibus, Heluetiorum duodecim aut quindecim, quorum nomine Rhetos, Valeſianóſque complectitur, Italorum quos adduxerat Rentius Ceres quatuor millia numerat. Boniuetum Paulinus ac Vademontanus Comites adoleſcentes ſine vllo imperio voluntarij, Mommorencius Mareſchallus primæ aciei ductor, Vendeneſſius Paliciani Mareſchalli frater, Baiardus Maſſerianus, Ludouici Trimullij ex ſorore nepos, Carnutenſis præfectus, quem vulgo Vidamum vocant, & plerique alij alarum equeſtrium ductores comitabantur. Hunc Regij exercitus apparatum diſſipare, aut alio auertere cupientes Cæſar atque Anglus cum fœderatis conuenerant, vt Proſper Columna Mediolanenſem principatum tueretur, Borbonius cum Germanis, cúmque equitatu partim è Germania, ac minore Burgundia, partim è Gallia coacto Burgundiam maiorem, aut Campaniam, Picardiam, Anglus Flandris adiunctis, Fontem Rapidum Hiſpani adorirentur, vt inde in Narbonenſem Galliam irrumperent.

Boniueti exercitus.

51 Quod ſperarat conſpiratione detecta, & Cæſare nullam pecuniam ſuppeditante ab equitatu imparatus præſtare non potuit Borbonius (vt nuper commemorauimus) Anglus tardior in tranſmittendo exercitu fuit. Hiſpani poſtridie nonas Septembr. tum quum Boniuetus Alpeis ſuperaret, exercitum coegerunt: cuius certior factus Lautrecius Aquitaniæ prætor Baiona ad Fontem Rapidum profectus vrbem præſidiariis militibus, commeatu, cæteriſque rebus omnibus ad longam obſidionem tolerandam neceſſariis muniuit: mox Baionam longè infirmiorem reuerſus omnia domeſtica animalia ex propinquis vicis in vrbem deduci iuſſit, tum vt Baionenſibus obſeſſis in victum ſufficerent, tum ne hoſtibus in prædam relinquerentur. Et quod Baiona vrbs maritima vel ad conſeruandam vel ad occupandam totam Aquitaniam magni momenti erat, eandem cum paucis militibus tumultuariè collectis, ac ciuibus tuendam ſuſcepit. Decimo ſexto Kalend. Octobris Hiſpani ad Fanum Ioannis Luſij, ſiue Lucenſis intermedium inter Rapidum Fontem, ac Baionam oppidum appulerunt: poſtridie Baionam tanta vi terra mariſque oppugnarunt, vt niſi paucos præſidiarios milites, ciueiſque attonitos Lautrecij præſentia confirmaſſet, hoſteis in vrbem irrupturos nemo dubitaſſet: totum enim triduum interdiu, noctúque in muris præſertim qua alter fluuius vrbem ingreditur, atque exit, ſeſe opponens Lautrecius vix vnquam ſomnum oculis, aut rariſſimè cepit. Duo enim fluuij magnarum nauium capaces * * Baionam alluunt; alter ex Daciorum vrbe deſcendens Baionam, quà Galliam ſpectat, lambit: alter ex Cantabrorum montibus delapſus eandem diuidit, atque inde egreſſus cum altero coniungitur, ſimúlque in mare deuoluuntur, quod nocte diéque, hoc eſt, ſingulis quatuor & viginti horis bis fluit, ac refluit. Vnde naues etiam ingentes quarum magnam copiam Hiſpani, Cantabríque habebant, ad vrbem vſque penetrare poterant, quod mirandum in modum Baionenſes perterrefaciebat: tamen Lautrecij conſtantiam imitantes milites, ciues, fœminæ, pueri, puellæque, alij audacter ſe hoſtibus opponebant, alij quæ pugnantibus neceſſaria erant tela, lapides, victum ſumma alacritate comportabant, perfecerúntque vt die quarto Hiſpani ſe fruſtra oppugnationem tentaſſe agnoſcentes (& magnũ Lautrecij nomen erat) obſidionem ſoluerint, & ſe ad Fontem Rapidum conuerterint; vbi haud pares propugnatorũ animos offenderunt. Fraugetus enim præfectus paucos dies hoſtium impetum ſuſtinens vrbem munitiſſimam, omnibus ad reſiſtendum rebus abundantem dedidit, & culpam in Petrum Nauarri Mareſchalli, qui Genuæ captus, & ab Hiſpanis in tetrum carcerem conditus non ita dudum pædore confectus mortem obierat, contulit: quem mille peditum præfectum cum hoſtibus ſenſiſſe, & de prodenda vrbe conſilia communicaſſe obtẽdebat, verè, an non, incertum. Fraugetus certè Lugduni publicè quinquagenaria cataphractorum equitum ala ſublata exauthoratus, nobilitatis gradu motus

Baiona nequidquã ab Hiſpanis tẽtata.

Fraugetus ob indignã Fõtis Rapidi deditionẽ Lugduni exhauthoratur.

atque in tributarios relatus eſt, quod vel animo fractus indignam viro militari deditionem feciſſet, vel quod Nauarruli conſpirationi (ſiquidem is verè conſpirraat) maturè, atque in tempore non prouidiſſet.

Capto Fonte Rapido Hiſpani nihil præterea aggreſſi reuerterunt: nec quin ſuo exem- 52
plo Anglos,qui iam in continentē traiecerant, ſegniores,aut ad reditum procliuiores redderent,timuerunt. Angli enim Northfolcio duce ad quindecim millia ſe Flandris quibus Burenus Comes præerat, adiunxerant: & ſimul iuncti peditum quinque & viginti, aut paulo plura, equitum ſex millia conficere ferebantur. Ludouicus Trimullius, quem Picardiæ Franciſcus præfecerat, tantis copiis cum paucis militibus ſeſe opponere non auſus munitas dumtaxat vrbeis conſeruare decreuit. Taroannæ præerat nothus Morullius Freſnoius cum quinquagenaria ſua cataphractorum equitum ala: hinc centenariam Lotharingi reguli alam, cuius Petrapontius legatus erat, ac bis mille pedites addidit; idcirco hanc relinquentes Angli, ac Flandri inter ipſam, & Montralium iter inſtituentes Hiſdino pariter omiſſo Dorlanum circumſedere ſtatuerant.Sed Pondormius Vindocinenſis mandato terream arcem in monte, qui Ambianos reſpicit,anno ſuperiore extruxerat,quæ valido præſidio firmata erat: vnde quatriduo ibi exacto vbi expugnatu perdifficilem hyeme præſertim inſtante animaduerterunt, Corbiam contenderunt. Tam paucos autem milites Trimullius habebat, vt quoties vrbem aliquam hoſtes prætererant, inde præſidium educere, atque in aliam illis obiectam immittere cogeretur. Corbiam igitur quum hoſtes tranſmiſiſſent,& ſecundum aduerſum flumen incederent,Braium Pondormius cum centum quadraginta cataphractis equitibus, mille quingentis peditibus ſe contulit oppidum nec muro, nec ſitu firmum, tribus enim collibus cingitur: vnde oppidi propugnatores è muro deturbare etiam ſaxis in promptu erat. Si hoſtes acrius vrgerent, ſe per aggerem,cui pontes impoſiti erant,recipere, & interim fractis pontibus Pondormius euadere ſperabat: at tam vehementi impreſſione illi in Pondormianos inuecti ſunt, vt ſimul cum illis pertinaciter confligendo aggerem ſuperarint. Ex noſtris Adrianus peditum mille præfectus cum octoginta militibus cæſus eſt: Pondormius in altero aggeris limite ſeſe cum equitatu hoſtibus obiiciens vt ſui pedites ſe Corbiam reciperent, viri militaris officio egregiè functus perfecit. Hoſtes Somona tranſmiſſo Roiam versùs ac Deſiderianos contendere certior factus Trimullius, præſidium illuc mittere decreuit: ſed qui id munus ſuſciperet, quod inter hoſteis iter faciendum erat, nemo reperiebatur. Solus Pondormius, cui vix vlla vnquam bellica functio nimis temeraria videbatur, cæteris muſſitantibus ſe præſidium deducturum, ac fortunam tentaturum promiſit. Noctu peritis itinerum ducibus vſus Rochabaronem Aruernum cum quinquagenaria ſua cataphractorum equitum ala, Fleuracum Dammartinianæ legatum cum totidem, Renatum Palleterium cum mille peditibus in Deſiderianorum oppidum immiſit, & ne eius opera Trimullius egeret, veritus, noctem non expectauit: interdiu quanquam hoſteis reditum ſuum obſeruare non dubitabat, cum ſua, quæ nonaginta cataphractorum equitum erat, & Comitis Laudani quinquagenaria iter ingreſſus quingentos hoſtium equites obuios fregit: ſed in bis mille ſubſidio venienteis incidens equo cæſo proſtratus eſt, ſtatímque Barniculio fratre alæ ſuæ legato, ac Canaplio fratris filio in alterum equum impoſitus via,qua Corbiam iter erat, ab hoſtibus inſeſſa ad Ambianos deflexit Barniculio, ac Canaplio irruentium impetum ſuſtinentibus, qui poſt longum conflictum proſtrati, & cum ſeptem cataphractis equitibus capti fuerunt. Hic tametſi aliquam iacturam Pondormius accepit, tamen hoſteis ita ſua fortitudine perterrefecit, vt niſi magno numero vagari, agreſtiúmque vicos populari non auderent. Roia incenſa Deſiderianos Angli Flandríque adorti tormentis murorum partem aliquantam deiecerunt, noſtri ſuis viribus diffidentes facta deditione, cui Palleterius ſubſcribere noluit, ad Trimullium rebus omnibus ſaluis reuerterunt; quod hoſtes commeatus penuria diu ibi conſiſtere non poſſent, inconſtantiæ damnati.

Pondormius per medios hoſtes præſidium in Deſiderianorum oppidum immiſiſſe laudatur.

Iam Lutetiam trepidare Franciſcus acceperat, à qua duobus & viginti paſſuum mil- 53
libus dumtaxat hoſtes abeſſent: quapropter Vindocinenſem regulum cum quadringentis cataphractis equitibus è Burgundia, Campaniáque accitis in Picardiam miſit. Brionem ſibi chariſſimum, qui paulò poſt rei maritimæ præfectus fuit, equis curſoribus Lutetiam præmiſit, qui in publico ciuium conuentu mandata Regis exponens nulla Vindocinenſis, neque quadringentorum equitum mentione facta ſe, vt Regiam vrbem ſolaretur,à Franciſco miſſum declarauit, quæ vel ad hoſteis repellendos,vel ad tuendam vrbem pertinerent diligenter curaturum. Cui Bailletus alter Pariſienſis Senatus magiſter

Franciſcus Brionem Lutetiæ ſibi ĩ timenti confirmãdæ præficit.

magiſter ciuium nomine ſe quoſuis à Rege miſſos lubenter accipere reſpondit: tametſi quum Carolus Burgundio cum exercitu Lutetiæ appropinquaret, non vnum, aut alterum equis curſoribus Ludouicus Rex huius nominis Vndecimus, ſed Ioachimum Roaldum Mareſchallum virum longa rei militaris experientia probatum cum quadringentis cataphractis equitibus miſit, cuius aduentu vrbs in primis læta, atque confirmata eſt. Brionem vnum quamquam vir ſtrenuus eſt, & Regi charus tantam vrbem confirmare non poſſe: Vindocinenſem nihilominus regulum cum totidem quot Roaldus equitibus in itinere eſſe, nec multum abeſſe ſe intellexiſſe; propter cuius authoritatem, comitúmque robur vrbs ſe in tuto collocatam facilè exiſtimabit. Vindocinenſis appropinquantis fama ad hoſteis perlata ne commeatum interciperet, abeuntéſque carperet, maturè illi Feruaquas cœnobium *** vnde Somona oritur octo ſupra Quintini Fanum paſſuum millibus, Roia, Deſiderianis, Nella incenſis, ſe receperunt: alteris caſtris Præmontium Bohano diſtans altero milliari oppidum appulerunt. Vnde attonitus Bohani munitæ arcis præfectus hoſteis de receptu, non de oppugnandis arcibus cogitare metu aciem mentis præſtringente haud animaduertens (& iam Nouembris aliquot dies præterierant, & nullam hactenus vrbem, arcémve, quæ reſiſtendo eſſet, aggreſſi erant) Præmontium nihil tale expectantibus obuiam prodiit, deditionémque fecit: verum paucis poſt diebus ſex tormentis eò conuectis Bohanum Trimullius præſidiariis militibus à diſſipato exercitu nullam opem ſperantibus recepit. Ita in Burgundia, Picardia Aquitania res Gallicæ ſe magis ducum prudentia, quam ſuo robore ſuſtentabant: niſi quod Fons Rapidus præfecti ignauia amiſſus fuit: viros enim militares Claudium Lotharingum Guiſanum, Ludouicum Trimullium, Odetum Fuxium Lautrecium legatos ſuos Franciſcus delegerat: qui quamuis à militibus imparati eſſent, tamen quod deerat, ſua induſtria ſuppleuerunt, & ne hoſtes aliquod operæpretium facerent, præſtiterunt.

54 At in Inſubribus, vbi tota belli moles erat, & vbi potentiſſimum exercitum coëgerat, de duce peſſimè conſuluit: hominem enim aulicum rerum bellicarum rudem, ſibi præfidentem, cæteros dedignantem, qui aulicorum mos eſt, præfecit, Boniuetum (inquam) Amyralium, qui non ſuo merito, ſed fauore aulico Ludouicæ in primis Regis matris ad eum gradum aſcenderat. Is initio proſpero ſucceſſu aliquantum vſus tanta arrogantia elatus eſt, vt res Gallicas non multò poſt partim imprudentia, partim rei militaris inſcitia peruerterit. Igitur Nouariæ appropinquanti, quæ nec præſidio, nec muris aggere firmatis munita erat, ciues aſſentiente Sfortia deditionem fecerunt: arx nihilominus à regulo ſtetit. Deditionem fecit & Vigeuenum, omníſque adeo intra Ticinum ager in Gallorum poteſtatem eſt redactus. Proſper Columna Franciſcum hoc anno bellum in Inſubribus moturum Venetis hoſtibus declaratis, Borbonij conſpiratione patefacta, finita iam æſtate in animum inducere non poterat; idcirco nec exercitum coëgerat, nec Mediolanenſium ſuburbiorum propugnacula, aggeréſque collapſos inſtaurarat, longa alioqui valetudine afflictus: nunc hoſtili exercitu imminente equitatum, peditatúmque vnà coire iubebat, & ſe hoſteis Ticini tranſitu prohibiturum confidebat: eorum quæ ſibi ad Abduam aduerſus Lautrecium accidiſſent, haud ſatis memor. Itaque lectica vectus ad alteram Ticini ripam cum quatuor Hiſpanorum peditum, totidem Germanorum millibus, ac toto Cæſariano, fœderatorúmque equitatu venientibus hoſtibus ſe opponere ſtatuit, interim dum multi alij milites conſcriberentur: ſed fluuio ob longam ſiccitatem vadoſo quum Galli tam equites, quàm pedites pleriſque locis alij ſcaphis, alij vado in vlteriorem ripam euaderent, alij tormentis, fœderatos præſertim quà Germani ſtationem habebant, arcerent, grauiora primum tormenta Mediolanum remiſit, ipſe mox nullo milite ob Boniueti imprudentiam amiſſo ſubſequutus. Boniuetus enim aulicorum more velut ſtertens, nec hoſtem cedentem perſequutus dum ſuos colligit, & tardiores qui ducis ignauiam imitabantur, expectat illæſum abire paſſus eſt. Proſpero Mediolanum reuerſo tanta conſternatio non ſolum ciueis, ſed & fœderatorum exercitum corripuit, vt ſi Galli fugienteis inſequuti fuiſſent, neminem, qui reſiſteret, offendiſſent: conuocatis tamen præcipuis totius exercitus ducibus, & quid in tam graui caſu factu optimum eſſet, rogatis omnes congruentibus ſententiis, ſi Galli ſtatim vrgerent, vrbem haud conſeruari poſſe cenſuerunt, propugnaculis ſuburbiorum aggeribúſque collapſis, quibus reficiendis omnem diligentiam adhibendam: dum parati ſint, ſi Galli intra alterum, aut tertium diem accedant, vt via Comenſi, aut Ticinenſi in alteram harum vrbium ſe recipiant. Concilio dimiſſo Proſper Antonium Leuam cum centum cataphractis equitibus, tribus peditum millibus Ticinum miſit: alij Leuam paulò ante miſſum putant. At Boniueti

Boniuetus Amyralius rerum bellicarum rudis.

Nouaria deditionem facit.

Boniuetus occaſione ad Mediolanum occupandum opportuna vti neſcius.

ſocordia tam bonam occaſionem arripere neſciuit: triduum ad Ticinum ignauus conſedit, ſuos qui nondum coierant, vt prædicabat, expectans; verum tertia ſui parte omnem fœderatorum exercitum Mediolano pellere ac ſuperare potuit. mox ad Chriſtophori Fanum Mediolano paſſibus mille diſtans caſtrametatus oppugnandæ vrbis conſilium ſuſcepiſſe viſus eſt: neque tamen id tentauit: paucis poſt diebus exercitum ad Clareuallis cœnobium tranſire iuſſit, molendina confregit, aquas quæ Mediolanum influebant, aliò deriuauit, non tam oppugnandæ, quàm obſidendæ vrbis ſpeciem præbuit: tum enim octingenti grauis, totidem leuis armaturæ equites, Hiſpanorum peditum quatuor, Germanorum ſex & quingenti, Italorum tria millia vrbi præſidio erant.

Qui Boniuetum excuſare conantur, eundem Galeatij Vicecomitis, aliquótque aliorum Mediolanenſium exulum conſilium ſequutum ſcribunt: qui ſi Galli Mediolanum irrumperent, quin & pariter diriperent prohiberi non poſſe, ideóque vrbem Regi inutilem fore prædicabant; cui ſi parceret, & magnam inde Regi pecuniam acceſſuram, & fœderatos vrbe ceſſuros pollicebantur. At propugnaculis, aggeribúſque ſuburbiorum inſtauratis animos ſuis fœderatorum duces addiderunt, & ſe diligenter ad vrbis propugnationem comparărunt: militum, pecuniæque penuria treis duntaxat vrbeis præſidiis munire ſtatuerunt, Mediolanum, Ticinum, Cremonam, ad quam Proſper ter mille quingentos pedites miſit; quibus Maynus vrbis præfectus, Franciſcus Solomo Neapolitanus, Bartholomæus Martinengus Brixienſis, Franciſcus Stampa Mediolanenſis præfuerunt. Interim Adrianus Pontifex poſtridie Idus Septembris vita functus eſt, cuius morte res fœderatorum perturbatæ mirandum in modum laborare cœperunt. Rara Neapoli, nulla Roma in militum ſtipendium pecunia Mediolanum mittebatur: Roberiam, Rhegiúmque, interim dum Cardinales ambitioſè de ſucceſſore diſceptant, Ferrarienſis, Carpos Pij receperant. Mutinæ Pontificis nomine præerat Franciſcus Guicciardinus, cui Vidus Rauconus cum centum grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, peditibus mille præſidio impoſitus erat: ſed muri vetuſtate caduci ac debiles, & nullis propugnaculis cincti, foſſæ item humo magna ex parte completæ firmius præſidium deſiderabant. Itaque vel Guicciardini diligentia, qui ſibi hanc laudem vendicat, vel Bartholomæi Cattinarij Cæſaris conſiliarij, cui eandem Galeatius Capella tribuit, & vterque in conſeruanda vrbe fortaſſe laborauit, non ſolùm mille pedites Hiſpani, quos Mediolanum Sueſſanus regulus Romæ Cæſaris legatus mittebat, vrbem ingreſſi ſunt, ſed & Proſperi Columnæ de reſtituenda Ferrarienſi Mutina captum conſilium diſturbatum eſt: quum enim aliunde militi ſtipendium Columna ſuppeditare non poſſet Mutinam Ferrarienſi pretio addicere Carolo Lanoio non diſſentiente deliberarat; quo nomine triginta nummûm aureorum millia ſtatim, viginti in alterum menſem Ferrarienſis repræſentare promiſerat: verùm vrbem bello peropportunam vel à Guicciardino, vel à Cattinario, vel ab vtroque admonitus Sueſſanus regulus Ferrarienſi Gallici nominis ſtudioſiſſimo reddendam non putauit. Modoetiam ceperat Boniuetus, vbi firmo præſidio collocato ne commeatus Mediolanum importaretur prohibebat: deinde Baiardum ac Federicum Boſſulum cum quadringentis cataphractis equitibus, octo peditum millibus Laudem Pompeij miſit; quam nuper Mantuanus cum quingentis equitibus, totidem peditibus ingreſſus erat, & à Boſſulo clam monitus ſtatim exierat, atque ad Pontemuicum ſeceſſerat. 55

Adrian. Ro. Pont. mors.

Laudenſes Mantuani diſceſſu perterrefacti Gallos in vrbem admiſerunt, ibi præſidio relicto Cremonam tranſmiſſo Abdua Baiardus properauit: quam qui arcem inſederant, commeatus penuria coacti, & Gallici exercitus appropinquantis ignari, niſi intra ſextum Kalend. Octobris Franciſcus Rex opem ferret, ſe deditionem facturos receperant, longè illis conſtantiores, qui arcem Mediolanenſem tuendam ſuſceperant: vbi enim promiſſum à Lautrecio auxilium ad præſcriptum diem non accepiſſent, arcem Sfortiæ dediderunt, quamuis commeatu ita abundarent, vt Boniueti exercitum expectare poſſent: quod ſi præſtitiſſent, nunquam tuendum Mediolanum Proſper Columna ſuſcepiſſet, noſtriſque perfacilis victoria fuiſſet. Ad Cremonam ſe Rentius Ceres cum quatuor peditum millibus quos Ferrarienſis ſtipendio conſcripſerat, adiunxit; arce, in qua octo duntaxat milites ſupererant, Bunoo præfecto, ac cæteris vita functis commeatu, ac nouo milite firmata vrbem oppugnare Baiardus ſtatuit; non qua arci iungitur (altæ enim illic foſſæ magnæque munitiones oppoſitæ erant) verum in alia regione tormenta collocauit: tametſi paulò ante ter mille quingentos pedites partim Alexandria, partim Ticino accitos Proſper in eandem immiſerat. Triduo muris ſatis iuſta ruina proſtratis tot, támque denſæ pluuiæ toto quatriduo continenter deciderunt, vt quum miles ad ruinam muri aſcendere niteretur, 56

Cremona à Baiardo fruſtra tentatur.

niteretur, lubrico veſtigio retro pedem referre cogeretur, quod & anno ſuperiore Lautrecio ad Ticinum acciderat, & commeatum ad noſtros importari cædem pluuiæ ac Venetæ, Pontificiæque copiæ non multum inde diſtantes prohibebant: tum Cremonenſes proſtratum murum foſſa interim aggeréque munierant: itaque Baiardus fame vrgente ad Boniuetum ſoluta obſidione ſe recipere conſtituit. Boniuetus de capiendo vi Mediolano deſperans, & ſtipendij inopia, aut fame fœderatorum exercitum diſſipatum iri ſibi perſuadens partem ſui exercitus, quæ adhuc ad Abduam erat, reuocauit, & vt inter Modoetiam Mediolanúmque conſiſteret, imperauit, vt Mediolanenſibus non ſolùm commeatum, qui Laudenſi, Ticinenſique via conuehi ſolebat, ſed & eum, qui è Brianteis montibus accedebat, interuerteret. Contra Proſper Gallos tam prope ſibi imminere, & è loco munitiſſimo armis pelli non poſſe agnoſcens, etenim à Clareuallenſi cœnobio ad Ticinenſem viam Gallorum caſtra protendebantur, vnde Mediolanum vſque tormentorum pilæ intorqueri poterant, eoſdem viciſſim commeatu intercepto repellere ſtatuit, Mantuanus vt cum Pontificio equitatu Ticinum iniret, mandauit. Boniuetus ne Mantuanus atque Antonius Leua pontem, quem Ticino fluuio è regione Vigleueni impoſuerat, deiicerent, veritus alterum ad Torglium vigintiquinque à Ticino vrbe paſſuum millibus diſtantem extrui, & Baiardum, Rentiúmque Ceritem Modoetia relicta Vigleuenum petere iuſſit; quo effectum eſt, vt è Brianteis montibus, totóque ſuperiore agro ingens tritici viníque copia Mediolanum importata ſit: hinc noſtris potiundi Mediolani ſpes omnis ſublata eſt. Interim leues duntaxat, præſertim equitum, pugnæ inibantur, quæ noſtris quodammodo perterrefactis, & ſui ducis infelicitatem quaſi malum quoddam omen ſibi proponentibus plerumque malè cedebant: vnde raro è caſtris niſi magno numero ad recipiendum tuto commeatum exibant. Quam ſuorum deſperationem, aut ex deſperatione ortam ignauiam ſibi gloriæ ducens Boniuetus ſe non vt cæteri duces Gallico impetu, & temeritate, ſed Italica ac conſiderata belli ratione militiam exercere iactabat; quod & mox Franciſco Regi (ea aulicorum hominum aliquando impudentia eſt) perſuaſit: nam quum florentem, numeroſúmque exercitum diuturno bello ſua imprudentia attriuiſſet, & vt proximo libro dicam, ſe ex hoſtili agro infeliciter recepiſſet, tamen hunc receptum cum illo Græcorum, qui cæſo minore Cyro cornu ſuo victores inuitis Perſis per tot hoſtiles prouincias in patriam redierunt (vt in libri quinti fine Iuſtinus ſcribit) Franciſcus veterum hiſtoriarum non ignarus conferebat, ea fortuna quam paulò poſt ſubiit dignus, qui ſpreto veteranorum ducum, vnius Boniueti conſilio vſus turpiter ad Ticinum ſuperatus ſit, & captiuus in Hiſpaniam abductus; quæ ſtolidorum principum, & ſe penitus adulatorum mendaciis permittentium merces eſſe conſueuit.

57 Vt ad Mediolanenſem obſidionem redeam, Boniuetus nihil armis proficiens, dolis hoſteis aggredi tentauit: cum Murgante Parmenſi in legione Ioannis Medicis primipilo clam egit, vt ponte ſublicio, quo extra vrbis aggeres iter erat, Gallos intromitteret. Is quatuor duntaxat conſpirationis ſocios habebat: pluribus, vt eam commodius exequeretur ſibi opus eſſe reputans Ioannem Ferrarienſem cohortis Stephani Columnæ peditem addidit, & cum illo proditionis præmia ſe communicaturum pollicitus eſt. Verum Ferrarienſis proditionis ſeriem Stephano Columnæ, Columna Ioanni Medici indicauit: Medices ſtatim Murgantem, ac ſocios ex diſciplina militari haſtis configendos curauit. Ita Boniueto non felicius doli, quàm arma ſuccedebant; ideóque quod & victus penuria exercitus laboraret, & Heluetij hyemis iam vrgentis aſperitatem tolerare amplius recuſarent, ſiquidem & gelu rigens, & denſæ niues milites grauiter affligebant, per Galeatium Vicecomitem, vt de induciis in proximum Maium continuandis ageretur, procurauit: conuenerunt inter caſtra, & vrbem à fœderatis Alarco peditum Hiſpanorum tribunus, Paulus Vettorius Florentinus legatus, Hieronymus Moronus: à Gallis Galeatius Vicecomes, qui parum fidus noſtris fuiſſe, & ne initio Mediolanum Boniuetus adoriretur, obſtitiſſe traditur, ac Thomas Boierius quæſtor Normanicus. At fœderati victoriæ ſpem interiectis induciis corrumpere abnuentes rem ad Carolum Lanoium reiecerunt, & ſe ab induciis faciendis alienos declararunt: quapropter biduo poſt vt tormenta Ticinum fluuium verſus paulò ante lucem traherentur, Boniuetus iuſſit: ipſe clara iam luce cum toto exercitu ſuis ordinibus incedente, ita vt ad pugnam paratus eſſet, ſubſequutus eſt, atque Abbiatum Mediolano quatuordecim paſſuum millibus diſtans oppidum ſe recepit. Abeuntes perſequi plerique fœderatorum exercitus duces cupiebant, idque pertinaciter à Proſpero contendebant: verum is tuta conſilia incertis præferre ſolitus ab inſtituto ſuo diſcedere noluit.

Boniuetus de capiendo vi Mediolano deſperans, ad dolos ſe conuertit.

Obſidio Mediolani ſoluitur.

Statim

Statim poſt ſolutam Mediolani obſidionem Cardinales, qui dies quinquaginta de creando Pontifice vehementer diſceptarant, in vnum Iulium Cardinalem Medicem conſenſerunt: triginta ſex initio conuenerant, tres deinde acceſſerunt: quum ſedecim ſuffragia largis promiſſis Medices redemiſſet, ſibi Pontificatum pertinaciſſimè deſpondit, aut certè ne alium niſi ex eius conſenſu cæteri eligerent, ſpopondit: ſex enim & viginti, quæ duæ tertiæ partes erant, eorum legibus in nouum Pontificem conſentire neceſſe erat. Hac fiducia nunquam è conclaui exire niſi Pontifex declaratus conſtituerat: eidem tamen Cardinales omnes qui Galli partes ſequebantur, & ex Cæſarianis nonnulli præſertim ſeniores ſeſe opponebant: ſed quum inter ſe conuenire non poſſent, tandem Columna Medicis ante acer inimicus ſe illi clam ſuffragatorem obtulit, ita decimotertio Kalen. Decembris Pontifex adoratus eſt; & Clementis nomen aſſumpſit, vel quod eius Diui feſtus dies inſtaret, vel quod ſtatim Pontifex declaratus Soderino Cardinali Volaterrano Pontifici reconciliatus fuiſſet: cui licet Adrianus conclauis ingreſſu, ſuffragióque interdixiſſet, tamen collegij permiſſione cum cæteris in conuentum admiſſus erat. Boniuetus Abbiato maiora tormenta vltra Ticinum fluuium miſit ac Delphinates, Vaſconéſque pedites dimiſit: quatuor Heluetiorum millia retinuit, recentia à Franciſco auxilia expectans ne loco munito, commeatúque abundanti pelleretur, haud veritus. Tum ne fruſtra tempus omnino tereret, Rentium Ceritem ac Franciſcum Mongommerium Lorgium cum ſeptem partim Gallorum, partim Italorum peditum millibus ad oppugnandam Aronam vrbem ad Benacum ſitam, quam Anchiſes Vicecomes inſederat, ire iuſſit: at noſtros Proſper anteuertens mille ducentos ſelectos pedites illuc præmiſerat: arcem quod vrbi ita immineret, vt niſi caperetur, vrbs retineri non poſſet, totos viginti, aut paulò plures dies tormentis noſtri quateſecerunt: quam quum aliquot impreſſionibus oppugnaſſent, nec admodum proficerent, cuniculos agere Rentius ſatius duxit & bonam muri partem immiſſo puluere tormentario ignéque admoto in aëra ſuſtulit: verum murus non in foſſas reiectus eſt, vt ſperauerat Rentius, ſed in ſua fundamenta integer recidit; vnde noſtri re infecta receſſerunt: ibi Pomerolus tormentorum magiſter eximia in his librandis, exonerandíſque induſtria præditus cæſus eſt. Id temporis Proſper Columna moribundus Carolum Lanoium Proregem, cuius antea aduentum reformidarat, crebris & nuntiis, & litteris vt Mediolanum accederet, inuitabat, rebus bellicis non amplius ſatisfacere poſſe confeſſus: octauum iam menſem cum morbo non ſine veneni, aut poculi amatorij ſuſpicione conflictatus erat: tertio Kalend. Ianuarias è vita exceſſit, quo die aut poſtridie (vt alij tradunt) Carolus Lanoius Neapolis Prorex Mediolanum iniit.

Iulius Cardinalis Medices Rom. Pōtifex creatur Clementis nomine aſſumpto.

Proſper Columna è vita excedit.

58

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER DECIMVS-OCTAVVS.

Anno 1524.

1 ANNI huius ſæculi viceſimiquarti initio fœderatorum duces Carolus Borbonius Cæſaris legatus, Carolus Lanoius Prorex Neapolitanus, Franciſcus Sfortia Mediolanenſis regulus Gallis ad ſummas difficultates redactis, qui bello finem imponerent, conſultaturi Vrbinatem Veneti exercitus ducem, ac Petrum Piſaurum legatum Venetum (Prouiſorem illi vocant) Mediolanum accerſierunt, & de belli ratione diſceptarunt: cum primum ſex Germanorum peditum millia, quæ Carolus Lanoius conſcribenda curarat, acceſſiſſent, cuncti vno conſenſu vt iunctis Venetis copiis Gallos vel armis vel commeatu auertendo arcerent, decreuerunt. Decretum prudens ſola ſtipendij penuria retardabat, multorum iam menſium debebatur, quo non exoluto Mediolano exire milites recuſabant; & ne in poſterum deficeret, prouidendum erat, ne milites è caſtris dilaberentur. Mediolanenſes qui à tanto exercitu liberari cupiebant, & mutuo datam Sfortiæ pecuniam, dum Mediolanum Lautrecius obſideret, receperant, nonaginta nummûm aureorum millia eadem conditione obtulerunt. Clementis ſimulatio tametſi ſuſpecta, Franciſco Regi non ingrata erat, id ſibi magis ex vſu fore ſperanti, quam ſi ſe apertè hoſtem Pontifex declararet. At Cæſar, qui contracta cum Leone amicitia Mediceam deinceps familiam ſemper fouerat, eius animum cum dignitate immutatum veritus non æquo animo ferebat. Interim dum ſe fœderatorum exercitus ad bellum parat Ioannes Medices cum ſua legione aliquótque equitibus Melegnanum oppidum, atque arcem deditione recipit; ac paucis poſt diebus Ferdinandus Daualus, qui ſub Proſpero Columna militare recuſarat, & cum Carolo Lanoio ad exercitum redierat, cum Hiſpanis Mediolano profectus accito Medice clam Rebeccum altero milliari Abbiato diſtans noctu contendit: vbi Baiardus cum ſua centenaria cataphractorum equitum ala, Maſerianus ac Meſmeus cum ſuis quinquagenariis, Lorgius Gallorum peditum tribunus cum ſua legione hybernabant. Mane altera ante diluculum hora noſtrorum vigiles Daualus aggreſſus facilè in fugam vertit. Ad hunc tumultum excitatur Baiardus, & in equum inſilit, tametſi febre laborans medicamentum ea nocte ſumpſerat; quicum Lorgius, cæterique iuncti ſe Abbiatum non multis amiſſis, aut captis, ſed aliquot equis, omnibúſque impedimentis relictis receperunt. In itinere Boniuetum cum exercitu auxilio venientem offenderunt, verùm is à perſequendis hoſtibus, quo conſilio incertum, abſtinuit, & poſtridie legatum ad Heluetios ad conſcribenda noua auxilia miſit. Daualus cum ſuis, prædáque, Mediolanum ſeptemdecim paſſuum millibus Rebecco diſtans nuſquam laceſſitus rediit. Boniuetum ſæpius Baiardus Rebeccum inſidiis opportunum, ideóque præſidium inde deducendum eſſe monuerat: ille maiores copias ſe miſſurum promiſerat, nec promiſſo ſtetit, vt tradiderunt qui Baiardi res geſtas litteris mandarunt. Fœderatis ſtipendium Boniuetus, contra Gallis commeatum tandem defuturum fœderati ſperabant: ſiquidem Abbiato vi pelli poſſe non putabant: vtrique auxilio hi ſex Germanorum, totidem Galli Heluetiorum millia expectabant. Boniuetus Abbiato vbi iuſtum præſidium reliquerat, egreſſus vicinum agrum populari, atque

Ioannes Medices Melegnanum deditione recipit.

incendio

incendio vaſtare cœpit: ſed Germanis ſibi iunctis fœderatorum duces Carolus Lanoius Prorex, Sfortia Mediolanenſis regulus cum ſexcentis grauis, mille quingentis leuis armaturæ equitibus, ſeptem Hiſpanorum peditum, duodecim Germanorum millibus, Italis mille quingentis Binaſcum petierunt. Binaſcum quoque Vrbinas cum Veneto exercitu, hoc eſt, cum ſexcentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, ſeptem peditum millibus acceſſit.

Arx Cremonenſis dedita.

Id temporis arx Cremonenſis commeatus penuria, quem Laude importare fruſtra Federicus Boſſulus tentarat, dedita eſt. Boniuetus Abbiati conſiſtebat, & ducentos cataphractos equites quinque peditum millia in Laudis Pompeiæ, Nouariæ, atque Alexandriæ præſidia diſtribuerat: ſibi octingentos cataphractos equites, octo Heluetiorum quibus paucis poſt diebus tria acceſſerunt, Italorum quatuor, Germanorum peditum duo millia exceperat; vt Galli ſileantur, qui non multi ſupererant. Delphinates enim antea ac Vaſcones (vt ſupra commemoraui dimiſerat) & commeatus in alterum menſem dum noua è Gallia auxilia accederent, ſuppetebat. Idcirco fœderati qui ad Caſerum Abbiato quinque paſſuum millibus diſtans oppidum caſtra habebant, Sfortia Mediolanum, vnde longius abeſſe, ne à Gallis interciperetur, hactenus diſtulerant cum ſex Italorum peditum millibus remiſſo, quem Ioannes Medices comitatus eſt, de ciuium fide iam nihil dubitantes Ticinum, vt & commeatum interciperent & noua auxilia noſtris iungi prohiberent, tranſmittere decreuerunt; ac tribus pontibus infra Ticinum vrbe amne ſuperato ad Geminas Columnas, ſiue Garabalotum poſtridie Kalend. Maias caſtra poſuerunt. Boniuetus fœderatos Ticinum ſuperaſſe certior factus Rentium Ceritem Vigleuenum miſit: magis enim externis, quàm Gallis ducibus vtebatur ſibi ob veterem erga Borbonium obſeruantiam ſuſpectis: ipſe quinto poſt die cum toto exercitu ſubſequutus eſt, Abbiati centum leuioribus equitibus, peditibus mille præſidio relictis. Etenim ne Vigleuenum, cæteráſque Laumellenſis agri, qui intra Ticinum eſt, vrbeis amitteret, verebatur; quibus amiſſis obſeſſus quodam modo Abbiati, & ab auxiliis è Gallia aduentantibus excluſus fuiſſet. Primam aciem, cui Annæum Mommorencium hominem itidem aulicum, & rerum bellicarum imperitum præfecerat, ad Vigleuenum, vicóſque proximos; ſecundam, quam ipſe ductabat, ad Mortarium altero à Geminis Columnis milliari collocauit: quo commeatus vndique Monferrato, Vercellis, Nouaria propinquis vrbibus comportatus affluebat; ibi duos continuos dies prælij hoſtibus poteſtatem fecit, quod ſubire, quamquam ſe & numero & militum virtute ſuperiores prædicabant, fœderati recuſarunt: noſtris enim ſtipendium breui defuturum litteris interceptis nouerant: & multi è Gallis Borbonio fauentes, Boniueto autem homini aulico, ſuperbo, & viris militaribus non ſatis æquo infeſti, quicquid in noſtro exercitu fiebat, ſtatim indicabant. Tum Boniuetum ſui exercitus ducibus minus acceptum meliorem aliquando occaſionem daturum fœderati, in primis autem Borbonius ſperabat. Garlaſcum (Galaratum quidam vocant) quod quadringenti Itali pedites inſederant inter Ticinum vrbem Trumellúmque vbi caſtrametari decreuerat, interiectum oppidum foſſis, aggere, ſitu firmum Vrbinas circumſedit, quod commeatum in fœderatorum exercitum Ticino importari prohiberet: vbi iuſtam muri partem tormentis depreſſiſſet, oppugnationem indixit: ſuis initio prope repulſis nonnulli è Ioannis Medicis legione milites mento tenus foſſarum aquas ingreſſi, quos cæteri ſequuti ſunt, fortiter in oppidum inſilierunt, magnámque præſidiariorum cædem fecerunt. Federatis Binaſci ac Garlaſci caſtra habentibus ducentos Heluetios pedites pabulatum profectos Ioannes Medices offendit: hi venientem conſpicati, quod viribus inferiores erant, in locum acceſſu difficilem ſe receperunt, & de auxilio deſperantes, de vita pacti deditionem fecerunt: promiſſo non ſtetit Medices, deditóſque crudeliter necari iuſſit.

Boniuetus cur externis potius quàm Gallis ducibus vti malit.

Immanis Heluetiorũ bellandi ratio.

Hac immanitate accenſi cæteri Heluetij à Boniueto, vt illis omni belli diritate bellare permitteret, impetrarunt: itaque quotquot aliquot dies ex hoſtibus in Heluetios inciderunt, vita priuati ſunt; quin etſi à Gallis captiui deducebantur, eoſdem nihilominus iugulare Heluetiis licebat; quæ bellandi ratio ſi continuata in poſterum fuiſſet, noſtris profecto admodum profuiſſet, qui nullis interim hoſtium excurſionibus vexabantur: mortem enim fere magis, quàm cæteræ nationes, Hiſpanus horret, & non tam gloriam militarem, quàm lucrum ſequitur: nec prius Hiſpani variis artibus cum Boniueto agere deſtiterunt, quàm intra menſem ad priſtinum bellandi morem rediretur. Vt noſtros Vigleueno, Mortarióque elicerent Sartiranam fœderati contenderunt, cui Hugo Pepulus Bononienſis ac Ioannes Biragus cum aliquot equitibus, ac ſexcentis Italis peditibus

præſi dio

Digitized by Google

præſidio erant: eò Ioannes Vrbinas cum tormentis ac bis mille peditibus Hiſpanis miſſus eſt. Debili oppido capto arx non ſatis firma acceſſit. Auxilio, ſed tardius, Boniuetus ibat: in itinere de ſuorum fortuna certior factus Modoetiæ conſtitit. Id fere temporis milites Mediolanenſibus præſidio relicti Fanum Georgij ſupra Modoetiam, vnde commeatus Abbiatum cōuehebatur, receperunt; Vitellius Stradellam, tum Monteianes ac Boterius alæ Baiardi legatus cum centum, & viginti ſelectis ex toto exercitu cataphractis equitibus ſelectis equis inſidentibus (nam militares bona noſtrorum equitum pars pædore, maciéque confectos amiſerat, aut longa alioqui militia exhauſtos trahebat potius, quàm agitabat) vt aliquot fœderatorum pabulatores interciperent, è caſtris profecti, inſidiſque, aut viarum ignaris ducibus vſi in magnum hoſtium globum inciderunt, & quamuis ſtrenuè pugnarent fere omnes aut capti aut cæſi fuerunt. Federicus Boſſulus Laude egreſſus Pilleonem nequicquam oppugnauit, multos è ſuis amiſit, ipſe vulneratus eſt. Contra Galli equites quatuordecim nummûm aureorum millia, quæ ad fœderatorum exercitum ferebantur, Vertonam inter Placentiámque interceperunt. Interim Vercellas Hieronymus Pectius Gibellinæ factionis princeps, quæ ea in vrbe Guelfa longè potentior erat, à ſociis ciuibus admiſſus in fœderatorum poteſtatem redegit: quapropter ad vicum inter Vercellas, Nouariámque, vbi Boniuetus caſtra habebat, interiectum (Arcum, ſiue caſtra Mariana priſcis dictum putant) fœderati proceſſerunt, & Boniueti reditu, auxiliiſque appropinquantibus intercludendi bonam ſpem conceperunt.

Vercellis captis fœderati, magna Boniueti intercludēdi ſpem concipiunt.

4 Hominem anxium omnibus malè cedentibus ſpes adhuc gemina vel auxilij non remoti, vel hoſtilis exercitus diſiungendi, atque aliò auertendi ſuſtentabat: quinque Rhetorum millia Gallico ſtipendio euocata adducebat Rentius Ceres, quæ per Bergomatem agrum Laudem Pompeij petere, ſéque Federico Boſſulo, multiſque Italis peditibus iungere debebant: vnde fœderatos Mediolano timenteis retroceſſuros, deintegróque Ticinum repetito itinere traiecturos veriſimile erat. Verum aduerſùs Rhetos ad vicum Crauinam inter Abduam, Brembúmque fluuios Bergomo octo paſſuum millibus diſtantem appulſos Ioannes Medices cum quinquaginta cataphractis equitibus, trecentis leuioribus, tribus peditum millibus, quibus trecenti grauis, totidem leuis armaturæ equites quatuor peditum millia à Venetis recens conſcripta acceſſerunt, obuiam proceſſit, & crebris equitum procurſationibus homines pugnis huiuſmodi inaſſuetos vexauit, vt quod Crauinæ equitatum, & peditatum atque adeo ſtipendium à Rentio promiſſum non reperiſſent, quærentes in patriam redire compulerit. Inter redeundum vt Abbiatum, quod ſolum vltra Ticinum à Gallis ſtabat, oppugnaret, mandatum à fœderatis Medices accepit: quo nomine ſex peditum millia Mediolano cum tormentis miſſa ſeſe illi adiunxerūt. Is primum pontem è noſtris ad Buſfalorum Ticino impoſitum pulſo præſidio depreſſit, deinde Abbiatum progreſſus cui Hieronymus Caraciolus Neapolitanus cum Italis peditibus mille præerat, oppidum ab aurora ad meridiem vſque tormentis verberauit, atque oppugnatione indicta illo ipſo die cepit, vt Itali ſcribunt: nam quatriduum tormentis pulſatum, Mediciſque milites prima impreſſione repulſos Bellaius tradidit. Hic Boniueti imprudentiam animaduertere quiuis poteſt, qui Delphinates, Vaſconéſque veteranos milites in Galliam remiſiſſet, omnibus fere vrbibus à ſe poſſeſſis præſidia Italica dediſſet. Magna fuit præda, quàm illic Galli reliquerant, ſed Mediolanenſibus in primis funeſta: inde enim orta peſtis tota vrbe ita graſſata eſt, vt quinquaginta, aut paulò plura hominum millia abſumpſerit. Sartirana capta, Mortarium reliquerat Boniuetus, & alteris caſtris Nouariam appulerat, viribus iam multùm imminutis; quod permulti tam equites, quàm pedites illius imperij pertæſi, & longa militia amiſſis ſtrenuis equis quaſi inutiles, aut morbis confecti paulatim dilapſi erant, atque in Galliam redierant; cunctabatur nihilominus donec octo Heluetiorum millia, qui non procul Eporedia aberant, propius accederent. Fœderati autem firmo Vercellis impoſito præſidio, ne in vrbem noua Heluetiorum auxilia irrumperent, ad Briandrium vicum inter Vercellas, Nouariámque ſitum & foſſis aqua refertis vndique cinctum caſtra fecerunt. Boniuetus Heluetios recens conſcriptos tranſmiſſa Eporedia ad Seſitæ multum aquis intumeſcentis, ita vt traiicere non poſſent, ripam conſtitiſſe certior factus, Nouaria cum exercitu Romanianum eidem fluuio imminens oppidum conceſſit, pontémque inter Romanianum ac Cattinarium, quæ mille fortaſſe paſſibus ſeparātur, extruendum curauit. Fœderati Brionam duobus paſſuum millibus Romaniano diſtantem properarunt. Nocte intempeſta Boniuetus Romaniano profectus ſuperato amne Rauiſingam Eporediam verſus confectis ſex milliaribus, ſed tormentis ſex leuioribus relictis petiit.

Quinque Rhetorū millia à Gallis euocata à Ioanne Medice domum redire compellantur.

Fœderati ad Seſitem ſubſtiterunt, diúque variantibus ducum ſententiis an hoſteis quaſi fugienteis perſequerentur, an miſſos facerent Borbonio, qui quicquid in noſtro exercitu ageretur, ſingulis prope horis admonebatur, in priorem grauiter incumbente, Carolo Lanoio in alteram inclinante, Borbonij tandem ſententia potior viſa eſt. Itaque cum primùm Luna, quæ fere pernox erat, illuceſcere occœpit, fluuium fœderati traiecerunt, & quoad fieri potuit, hoſtes carpere properarunt. Iam Rauinſingam ad duo paſſuum millia poſt ſe noſtri reliquerant; Heluetios, & bonam equitatus partem in poſtrema acie collocarant, ac gradu militari incedebant, quum leuiores fœderatorum equites aliquótque ſclopetarij pedites noſtrorum poſtremos aggreſſi fortiter repulſi ſunt. Prima hac impreſſione Boniuetus ſclopeti glande in brachium ictus; & ne in Borbonij hominis inimiciſſimi manus incideret, veritus imperio ſe abdicauit, ac Baiardo reducendi exercitus munus delegauit; quem Baiardus militari libertate excipiens: [Si rebus integris (inquit) munus hoc mihi delegaſſes, næ Gallicæ exiſtimationi, exercituíque melius conſuluiſſes: quantumuis autem res noſtræ afflictæ ſint, eam nihilominus, quam debeo, patriæ fortem operam præſtabo.] Boniuetus ſtatim ex acie exceſſit, ac mox lectica vectus ſe ſubduxit: Baiardus ac Vendeneſſius Paliciani frater cum fortiſſimis equitum poſtremam aciem clauſerunt. Fœderati numero aucti altera impreſſione in noſtros inuaſerunt, ſed ita à Baiardo ac Vendeneſſio, Galliſque equitibus repulſi ſunt, vt noſtris in poſterum negotium faceſſere auſi non ſint: verum vterque in eo conflictu ſclopetorum furcis impoſitorum glandibus cæſus eſt. Vendeneſſius nullum verbum eloquutus cecidit, Baiardus ex equo exceptus ad quercum ore ad hoſtem conuerſo deponi voluit: quem interim Borbonius inuiſens ſe plurimum eius fortuna commoueri dixit, qui vir fortis, dum ſtolidi hominis imperio paret, cui imperare debuit, in eum caſum inciderit. Cui Baiardus: [Nulla commiſeratione (ni fallor) eget (inquit) viri boni ac militaris officio functus: patriæ quam dedit, vitam reddo popularibus meis ex tanto diſcrimine eductis. Tu verò princeps magnanime, quam piè facias, qui arma contra patriam feras, ipſe videris. Si tibi iuſtam fortaſſe Rex Franciſcus occaſionem dedit, at Gallia naturalis patria nullam dedit: Themiſtoclis, Coriolani, Cæſaris, ac cæterorum, qui armis patriam vexarunt, exitus perhorreſce.] Erat enim Baiardus bonis litteris tinctus, ita puerum Gratianopolitanus Pontifex patruus bene inſtituendum curarat.

Boniuetus ſummũ militiæ imperiũ ad Baiardum transfert.

Sermo Baiardi verè aureus ad Borbonium Principem.

Galli cum Heluetiis iam nullo hoſte inſequente diſcedentes quindecim maiora tor- 6
menta, quæ difficillimis itineribus trahere non poterant ad Baurium Eporedia circiter nouem paſſuum millibus Alpeis versùs diſtans trecentis Heluetiis ac nonnullis eius regionis viris nobilibus commiſſa reliquerunt, quæ mox nihilominus Hiſpani rapuerunt. Inde per Auguſtæ Prætoriæ vallem Heluetij, Galli per Taurinos ſe domum receperunt, Claudiúmque Longauillanum regulum ad Suſam cum quadringentis cataphractis equitibus offenderunt: qui ſi maturius aliquanto acceſſiſſet (duodecim fortaſſe diebus tardius acceſſit) & noua Heluetiorum auxilia ſe noſtris ſtatim adiunxiſſent, vnáque pugnaſſent, & Galli viribus ſuperiores fœderatos facilè repreſſiſſent. At Franciſcus Rex muliebribus amoribus, venationibúſque addictus, & nulli ſumptui parcens, nihil in tempore curabat; nec minores tamen, quàm ſi bene res ſuas curaſſet, impenſas faciebat: ſic biennio ante eundem Longauillanum regulum cum totidem equitibus, ſex peditum millibus Genuæ opem laturum fruſtra miſerat: is non ſecus ac prius nulli vſui fuit, & cum cæteris in Galliam rediit. Poſt Gallici exercitus diſceſſum fœderáti diuiſis copiis Vrbinas Laudem Pompeij, Piſcarius Alexandriam, quæ duæ duntaxat vrbes à Gallis ſtabant, ſiquidem Nouaria Sfortia regulo, ac Ioanne Medice appropinquantibus deditionem fecerat, oppugnaturi conceſſerunt. Illi Buxius Ambaſianus ac Iulius Seuerinas, huic Federicus Boſſulus præerat: qui de auxilio deſperantes tempus, vt Regem ſuarum rerum certiorem facerent, petierunt, & niſi intra decimumquintum diem reſponſum acciperent, ſe vrbeis dedituros promiſerunt. Rex, vt dederent, mandauit. Hi cum omnibus impedimentis ſignis explicatis egreſſi Suſam vſque deducti ſunt; quinque autem Italorum peditum millia has vrbeis inſederant, vt Italo potius, quàm Gallo pedite Boniuetus, non ſecus ac Carolus Burgundio eiuſdem principatus inuadendi cupidus, vtebatur, quod vtrique exitioſum fuit. Boniuetum Franciſcus Ludouicæ matris blanditiis, aulicorúmque adulatorum omnia aliter, quàm geſta erant, renuntiantium mendaciis victus non triſti, vt ante Lautrecium, ſed hilari admodum ore excepit, ac quaſi recuperato, non amiſſo Mediolanenſi

principatu

principatu victor rediret, eo, quo prius, in honore habuit, hoc eſt, ſuorum conſiliorum moderandorum principem eſſe voluit: qui vt ſermonem tota Gallia diuulgatum ſedaret, florentiſſimum ſcilicet Gallorum exercitum eius imprudentia acciſum, Franciſco Regi ne per legatos bellum gereret, ſed cum potentiſſimo exercitu in Tranſalpinam Galliam ipſe tranſiret, perſuaſit: aut enim victoria potiturum, cuius laus in ipſum eius belli authorem, moderatorémque potiſſimum rediret, aut ſi vinceretur, noua clade prioris memoriam aboliturum. At malum conſilium conſultari peſſimum fuit, vt prouerbio fertur, quod is intra vertentem annum confirmauit: victo enim captiuóque Regi hero ſempiternam ignominiam, patriæ multis viris fortibus amiſſis ingentem calamitatem, ſibi mortem prauis ſuis conſiliis peperit. Pontificatus initio ad Cæſarem, Gallum, Anglum Clemens legatos miſerat, aut pacem inter ipſos, aut inducias conciliaturos. Inducias in biennium Franciſcus aſſentiebatur, eaſdem reiiciebat Cæſar, quibus Franciſcus ſe ad nouum bellum præpararet; ſolidam pacem cupiebat, quam Franciſcus æquis conditionibus ſe conſequuturum deſperabat.

7 Omnes autem Clementis de conciliandis duobus hiſce principibus initæ rationes Anglo diſplicebant, qui ambitioſis Cardinalis Eboracenſis hominis arrogantiſſimi conſiliis traductus quicquid conueniret ſiue pax, ſiue induciæ fierent, earum vnus arbiter eſſe nitebatur; quod tamen neque Henricus Rex, neque Cardinalis apertè declarabant: verum ingenti regni Gallici inuadendi cupiditate accendi præ ſe ferebant, non quod id ſe conſequi poſſe ſperarent, ſed quod hac ſimulatione arbitrium ſupra commemoratum ſibi delatum iri confiderent. ita enim loqui poſſumus: ſic namque ſe Cardinali Henricus addixerat, vt non quod ipſe vellet, ſed quod Cardinalis ſuaſiſſet, ratum eſſet: quod de Franciſco, Boniuetóque dicere etiam poſſumus. Ius autem quod ſibi in regnum Gallicum Henricus vendicabat, huiuſmodi erat: Carolo huius nominis Quarto Galliarum Rege, qui Pulchri cognomen habuit, ſine liberis maribus vita functo Edoardus Tertius Angliæ Rex ſororis filius Carolo ſanguinis gradu proximus Galliæ regnum depoſcebat. Trium Galliarum ordinum conuentu celebrato lege Salica, quæ non ſolum fœminas, ſed & earum liberos mares regno arcet, reiectus bellum graue, diuturnúmque cum Philippo Valeſio Caroli Pulchri ſucceſſore, Ioannéque eius filio geſſit aliquot Galliarum prouinciis ſubactis: de quibus retinendis cum Ioanne adhuc captiuo pactus Gallici regni iure ceſſit, ſed & has Carolus Quintus Ioannis filius recepit. Bellum renouauit Henricus Quintus cum Philippo Burgundione Ioannis patris mortem vlturo coniunctus tanta felicitate, vt totum fere regnum exceptis Biturigibus, atque ipſam adeo Lutetiam Regum Gallorum Regiam occuparit. Vbi quum Carolum Sextum, Catharinámque eius filiam reperiſſet, eam ſibi matrimonio iunxit, Carolúmque Sextum mentis haud compotem induxit, vt poſt eius mortem Gallici regni hæres declararetur: licet Carolus Sexti filius, qui poſtea Septimus dictus eſt, patri ſuperſtes viueret. Henrico mortuo Henricus Sextus eius Catharinæque filius Lutetiæ ſacris Regiis initiatus eſt, & Galliæ, Angliæque Rex declaratus. At Carolus Septimus Philippo Burgundioni reconciliatus Anglos ſeditionibus inteſtinis laboranteis tandem ita Gallia expulit, vt præter Caleſium, ſiue Icium portum in continente nihil poſſiderent. Hoc iure certius, quàm ſuperiores Angliæ Reges, niti Henricus Octauus potuit, Henrico Septimo Liceſtriano patre, & Eduardi Quarti Eboracenſis filia matre natus: quæ duæ familiæ diu de Angliæ regno contenderant, & roſam albam altera pro inſignibus, rubram altera geſtabat.

Ius quod Angli in regnum Gallicũ ſibi vendicant.

8 Cæſarem, Gallúmque longo bello attritos tandem in ipſum arbitrum conuenturos ſperabat Henricus, & bellum in Galliam quemadmodum & Cæſar Borbonij authoritate fretus transferre cupiebat: at arbitrij laudem Cardinalis Eboracenſis, qua authoritate apud Henricum valebat, in ſe redundaturam homo ſuperbiſſimus ſibi perſuadebat, & ſe Gallo, cui clam fauebat, hac machina chariorem fore ſperabat. Igitur cum Anglo Cæſar conuenit, vt Borbonio cum Italico exercitu quo Boniuetum profligarat, ſuperatis Alpibus Galliam ingreſſuro, centum nummûm aureorum millia Anglus in menſis primi ſtipendium repræſentaret: totidem in ſingulos menſes à Kalendis Iulij in Decembris finem dependeret, niſi cum potenti exercitu Galliam inuadere ipſe mallet: cui ſiquidem in Galliam exercitum immitteret, tria equitum millia, pedites mille, tormenta, quæque ad tormentorum vſum pertinent, ſuppeditare Flandricæ prouinciæ tenerentur. Vtram conditionem accipere mallet, Anglo Cæſar optionem dabat: ſi victoria ab ipſis ſtaret, Borbonio ditiones omnes reſtituerentur, ac præterea Phocenſis prouincia, qua poſt Caroli

Quibus legibus fœdus inter Imperatorẽ, Anglum, atque Borbonium initum.

Octaui mortem Annæ eius ſorori Lotharingus regulus ceſſerat, Anna Borbonium generum teſtamento hæredem reliquerat: hanc Regio nomine Borbonius poſſideret, ac prouinciæ Rex, vetus Auſtraſiæ regnum quaſi renouans, diceretur: Borbonius Anglum Galliarum Regem agnoſceret, eidémque ſe tanquam obnoxius ſacramento obligaret: ſin recuſaret, fœdus nullum eſſet: nihil Borbonius cum Gallo niſi de conſenſu vtriuſque pertractaret, eodem tempore Cæſar ex Hiſpanis Aquitaniam adoriretur; Cæſaris, Anglíque legati Italiæ principes, liberáſque ciuitates, vt in hoc bellum pecuniam conferant, inducerent, vt ſe in poſterum à Gallicis bellis liberent. Verum nonnulla hujus fœderis capita irrita fuerunt, nam & pecuniam conferre Clemens Pontifex & Anglum Galliarum Regem agnoſcere Borbonius recuſauit: cætera nihilominus Cæſar, Anglus, Borbonius rata habuerunt. Borbonius rectà Lugdunum, quod tum non admodum munitum erat, contendere cupiebat: Lugduno potitus per ſuas ditiones, vnde non paruas equitum, peditúmque copias contraxiſſet, vſque ad Biturigum metropolim, hoc eſt, ad Gallici regni meditullium facile perueniſſet: bonam enim Lugdunenſis Galliæ partem poſſederat, Foreſtanos ſcilicet Belliiocenſes, Aruernos, Boios, Marchianos, & in Pictonibus Caſtelleraldenſes omneis contiguos populos, qui Borbonium bello ſtrenuum ducem, vita integrum, mitem, facilémque dominum vnicè diligebant: Franciſcum in ſcorta venationéſque prodigum, nouis quotidie pecuniæ indictionibus plebem exhaurientem, patrimonium Regium dilapidantem oderant: ex quibus ſi præſentem Borbonium vidiſſent, nec pecuniam, nec militem Franciſcus extorſiſſet; cui metu duntaxat, non æquo animo parebant.

Cur Borbonius copias ſuas in Lugdunū conuertendi cupidus.

Borbonius inuitus ad oppugnādam Maſſiliā adducitur.

At Cæſar, quique Cæſari à conſilio erant, rerum Gallicarum non ſatis gnari, vt ad 9
Maſſiliam oppugnandam ſe Borbonius licèt inuitus converteret, perpulerunt: magnam enim ſpem Cæſar in claſſe ponebat, cui Hugonem Moncatam malignum hominem, impuræque vitæ ſordibus famoſum præfecerat: nec eas copias, quas initio deſtinarant, dederunt: quingentos grauis, octingentos leuis armaturæ equites Hiſpanorum peditum quatuor, Italorum tria, Germanorum quinque millia, quum ad Niceam Allobrogum appulit, ſecum Borbonius habebat; cui Ferdinandus Daualus Piſcarius comes additus erat. Trecentos præterea cataphractos equites, & altera quinque Germanorum millia Carolus Lanoius Prorex ſummittere debebat, verum equites ad conſeruandum Mediolanenſem principatum retinuit: Germanos ſtipendij penuria conſcribere non potuit. Borbonius Cæſaris, non ſuum conſilium ſequutus, prouinciámque Phocenſem ingreſſus partem exercitus Tolonium, quod veteribus Tauroentium dictum putant, veterem Maſſilienſium coloniam miſit, & turrim, quæ portui imminet, cepit: vnde maiora duo tormenta ad exercitum tranſportanda curauit. Cepit & Arelate quondam Sextanorum coloniam: vnde & vulgo noſtris Aix vel Ex quaſi ſex dicitur priore littera, vt ſæpe in marmoribus videmus, ſublata: inde Rhodanum traiicere cupiebat Borbonius, vt in intimam Galliam penetraret exercitum è ſuis prouinciis aucturus, quandoquidem iam de Cæſarianis auxiliis deſperabat. Maiorem Gallici exercitus partem in Boniueti exercitu acciſam, Franciſcum pecuniis exhauſtum, tarda Heluetiorum eſſe auxilia ſciebat: bonam Galliæ partem, antequam Franciſcus copias ſuas opponere poſſet, ſe occupaturum confidebat; quod ſane præſtitiſſet, & ne inde vel teruncium Franciſcus auferret, prohibuiſſet. At Daualus, Hiſpaníque Duces de Cæſaris mandato pertinaciſſimè obſtiterunt, inuitúmque Maſſiliam pertraxerunt. Interea Claudia Regina Ludouici Regis ſuperioris filia ſanctiſſima fœmina Blæſiis ſeptimo Kal. Auguſti è vita exceſſit. Longa Maſſiliæ obſidio, & Cæſarianum exercitum attriuit, & Franciſco cogendæ pecuniæ, comparandíque exercitus ſpatium dedit. Auenionem ſaltem occupare volebat Borbonius, partim vt Rhodanum ſemper in poteſtate haberet, partim vt præſidio impoſito, ſi qua è Gallia Maſſilienſibus auxilia accederent, eadem facilius repelleret. Verum futuræ obſidioni bene conſulentem, & ab hoc quoque inſtituto, ne Clementem Pontificem à ſe abalienarent, Daualus, Hiſpaníque reuocarunt: ita quamuis totos quadraginta dies vrbem multis locis acerrimè tormentis verberaſſent, nihil tamen profecerunt: obſtabat murus antiquæ ſolidæque ſtructuræ: ducenti cataphracti equites cum ſuis hippotoxotis, ac ter mille pedites maturè præſidio impoſiti Brione, qui poſtea maris præfectus fuit, Antonio Rupifocaldio (Barbeſium vulgo ab eiuſdem nominis Santonum oppido vocabant) ac Rentio Cerite præfectis. Ciues Gallico ſceptro addictiſſimi, Hiſpanicóque nomini, quod maior Alphōſus è regno Neapolitano in Hiſpaniā claſſe rediens eam vrbem ex inopinato intercepiſſet, auariſſiméque diripuiſſet, antiquo, atque inueterato odio

Tolonium ſiue Tauroentium.

Claudiæ Reginæ mors Blæſis.

odio infeſtiſſimi. Hi cognito Borbonij itinere è vicis finitimis accerſitis ruſticis hominibus murorum aggeres inſtaurarant, & quæ ad reſiſtendum opportuna erant, diligenter prouiderant.

10 Interea Franciſcus qui iam ex Heluetiis quatuordecim, ex inferioribus Germanis ſex peditum millia Franciſco Lotharingo ac Suſfolcio regulo præfectis conſcribi iuſſerat, partem exercitus Iacobo Chabaneo Paliciano Mareſchallo primæ aciei ductore Auenionem præmiſit, vanum Dauali, Hiſpanorúmque ducum conſilium irridens, qui eam vrbem neglexerant. Ipſe paulatim ſubſequutus eſt; quum appropinquaret, Palicianus Salonium Cranxium inter Maſſiliam Auenionémque intermedium oppidum ſedecim ab vtroque paſſuum millibus diſtans proceſſit. Tum Borbonius & exercitum ſuum longa obſidione attritum, & ſtipendium iamiam militi defuturum, & vniuerſas Galliæ vires ſibi imminere prouidens (Anglus enim ſtipendium in alterum menſem pendere differebat, nec vllum militem in continentem miſerat; & Cæſar, qui quadringenta nummûm aureorum millia ab Hiſpanis ſe accepturum ſperarat, Caſtulonenſibus curiis, ſic illi delectorum virorum ad regia poſtulata reſpondentium conuentum, vt Galli trium ordinum vocant, non aſſentientibus repulſam paſſus erat, vnde nec ſtipendium ad Borbonium mittere, nec niſi exiguas copias in Galliæ, Hiſpaniæque confinio oſtentare potuit) obſidionem ſoluit. Illo ipſo die quo Franciſcus Auenione profectus Maſſiliam contendebat, maiora tormenta ad claſſem deduci, minora quum paulò poſt ad portum Herculis (Monœcum etiam vocant) appuliſſent, in fruſta conteri, mulíſque conuehenda diſtribui iuſſit: ipſe cum exercitu ſumma celeritate ſe ex hoſtili agro recepit. Ita præpoſtero Cæſaris Daualíque conſilio nullum is exercitus operæpretium fecit, magnum ſi Borbonio fides adhibita fuiſſet, vt veriſimile erat, facturus. Franciſcus natura iactantior ſibi nimis multa pollicebatur; & Clementem cæteróſque Italiæ principes, liberáſque ciuitates nihil in bellum contribuiſſe, Anglum menſis alterius ſtipendium, Hiſpanos poſtulatam à Cæſare pecuniam repræſentare recuſaſſe certior factus magnam de recuperando Mediolano ſpem concepit; ac bellum per ſe, non per legatos gerere decreuit. Ne quis diſſuadere auderet, quamquam imminebat hyems, & iam Idus Octobris præterierant, verbis magnificis, oſtentationíſque plenis interdixit: matris conſpectum, quæ Auenione profecta ad illum diſſuaſura pergebat, vitauit: exercitum, in quo bis mille cataphracti equites cum ſuis hippotoxotis, peditum viginti millia cenſebantur, hoſtem velut fugientem ſequi, Capuanum Pontificem, quem Clemens ad illum miſerat, vt inde de fœdere acturus ad Cæſarem properaret, Auenione cum matre ſubſiſtere, ſecum per litteras agere, aut ad Clementem redire iuſſit.

Maſſiliæ obſidio ſoluitur.

Franciſci ad bellũ Mediolanenſe proficiſcẽtis exercitus.

11 In Regis comitatu erant Henricus Albretus Rex Nauarræ, Alenconius, Paulinus comes, Claudius Longauillanus, Albaniæ regulus natione Scotus, Vademontanus Comes (ſic enim à Vadano monte, ſitóque in eius vertice oppido detractis, immutatíſque paucis litteris vulgo appellatur) quamuis Vadano montanus potius appellari debuiſſet, ac Franciſcus Lotharingus eius frater, Ludouicus Trimullius, Iacobus Chabaneus Palicianus, Leſcutus Lautrecij frater, Annæus Mommorencius Mareſchalli, Boniuetus Amyralius cuius fere vnius conſilio Franciſcus vtebatur, Philippus Chabotus Brio Galeatius Seuerinas ſummus regiorum equorum magiſter, Ludouicus Arſius, ac plerique alij magni nominis duces. Picardiæ Vindocinenſem, maiori Burgundiæ, & Campaniæ Celticæ Claudium Lotharingum Guiſanum, Aquitaniæ & Narbonenſibus Odetum Fuxium Lautrecium regulos, Normaniæ Ludouicum Breſeum magnum Seneſchallum, Britanniæ Lauallam præfecerat; Ludouicæ matri ſummam totius regni adminiſtrationem reliquerat. Quum autem vterque exercitus magnum in celeritate momentum poneret, Cæſarianus, vt Mediolanenſem principatum præſidiis deſtitutum confirmaret; Gallicus, vt hunc aſſequeretur, præliúmque faceret, aut ſi fieri poſſet, anteuerteret, eodem die Franciſcus Vercellas, Ferdinandus Daualus cum equitatu, atque Hiſpanis peditibus Albam appulit. Borbonius diei vnius itinere ſeparatus cum Germanis ſequebatur, poſtero die Daualus vicum Iriæ quadraginta fere paſſuum millibus confectis tertio Ticinum vrbem iniit, ſéque Carolo Lanoio Proregi Alexandria profecto adiunxit; quum iam prima Gallorum acies Ticini fluuij ripæ appropinquaret. Ibi conſultatione habita Antonium Leuam cum trecentis cataphractis equitibus, quinque peditum fere Germanorum millibus, præter paucos Hiſpanos Cæſariani reliquerunt: cæteri Mediolanum versùs iter ingreſſi ſunt; quos Hieronymus Moronus

 anteuertit,

anteuertit, primúſque Mediolanum iniit: ſed vrbis vaſtitatem & pecuniæ, commeatúſque penuriam agnoſcens (nam ſupra quinquaginta hominum millia ea æſtate peſtis abſumpſerat, vt nuper dixi, & multi contagionem vitantes ex vrbe exceſſerant) collapſa præterea propugnacula, aggeréſque muris additos aſpiciens, vt tempori cederent, ſéque Gallo dederent, ſuaſit; & commeatu in arcem importato ſtatim abiit. Sfortia eorum, quæ Moronus egiſſet, ignarus Ticino exierat Mediolanum petiturus: paululum progreſſus Ferdinandum Caſtriotum, qui tormentis deducendis præerat, offendit in vrbem redeuntem, & Gallos ſuperato fluuio Succharum cum ſuis leuioribus equitibus profligaſſe denuntiantem: quapropter & ipſe Ticinum quoque rediit, & paucis poſt diebus vnà cum Morono, ac pleriſque Mediolanenſibus Cremonam ſecundo flumine nauigauit.

Cæſariani exercitus duces (ſic enim appellare poſſumus, quod tum cæteri fœdera- 12
ti, nec militem, nec pecuniam niſi fortè admodum raram in hoc bellum conferebant) qui Binaſci caſtra habebant, Sfortiam, Moronúmque clam cum Franciſco conueniſſe ſuſpicati Mediolanum Alarconem cum ducentis cataphractis equitibus miſerunt: cuius aduentu Mediolanenſes, qui cum exulibus Franciſci Regis nomine agentibus colloquebantur, confirmati Cæſaris, Sfortiæque nomina inclamarunt. Verùm Alarco primam Gallorum aciem appropinquare, nullam de tuenda vrbe ſpem ſupereſſe animaduertens porta Romana exiit, Laudémque Pompeij contendit, tum quum Michaël Antonius Salaſſus Marchio cum ducentis cataphractis equitibus, quatuor peditum millibus Vercellenſi, Ticinenſíque introiret. Acceſſit & Ludouicus Trimullius cum maioribus copiis: Alarconem Cæſarianus exercitus ſequutus eſt. Vigleueni de capto Mediolano Franciſcus certior factus quid potiſſimum agendum eſſet, conſultauit. Veterani duces Ioannes Stuardus Albaniæ regulus, Iacobus Chabaneus Palicianus, Leſcutus Mareſchalli, Ludouicus Arſius, ac cæteri fere omnes, vt hoſtem longo itinere fractum, atque fugientem Rex perſequeretur, Ludouicum Trimullium præſidio Mediolani relicto præire iuberet, ipſe celeriter ſequeretur, conſulebant: vnus Boniuetus diſſuaſit, & Franciſcum ad Ticini oppugnationem conuertit: ſi priorem ſententiam ſequutus fuiſſet Franciſcus victoria potiturum veriſimile erat. Cæſariani de via feſſi inter redeundum bonam armorum partem, quæ ferre non poterant, paſſim proiecerant, ac ſemiuicti erant: nec Laudem prolapſis, vt Mediolani, propugnaculis, commeatúque haud prouiſo debilem tueri poterant: & ne Cremonæ opem ferrent, ſua diligentia Trimullius anteuertere, Abduæque tranſitu eoſdem prohibere potuiſſet: cætero Mediolanenſi agro in Regis poteſtatem redacto Ticinum, atque Alexandria tandem fame vrgente ſine vlla oppugnatione deditionem feciſſent. Franciſcus malo conſilio vſus præſidium, quod & arcem, quam ſeptingenti Hiſpani inſederant, obſideret Mediolano impoſuit; ne ciuibus tametſi ſibi antea infeſtiſſimis noceretur, prouidit. Ticinum quinto Kalend. Nouembr. circumſedit: primam aciem ad Antonij ſuburbium non longè ab arce collocauit: ipſe ad Lanfranci cœnobium mille ab vrbis muris paſſibus diuertit, deinde biduum, aut paulò plus vrbem tormentis bipartito verberauit: quamquam autem perdifficilis adhuc aditus erat: tamen, vt quid animi hoſtes haberent, periculum faceret, oppugnationem indixit: quum ad muri ſummas ruinas noſtri conſcendiſſent, latam, altámque foſſam propugnaculis ſe inuicem aſpectantibus munitam offenderunt, & nonnullis amiſſis retro pedem referre coacti ſunt. Oſtentata eſt & altera impreſſio, qua cataphractos equites relictis equis iam ad pugnam paratos Leſcutus Mareſchallus ducere iubebatur: ſed irrumpendi difficultate perſpecta ad exitum haud perducta eſt. Itaque quod de expugnanda vrbe Franciſcus deſperaret, vt foſſæ circumducerentur, propugnacula adderentur, turrium, propugnaculorúmque vrbis defenſacula confringerentur, cuniculi etiam ducerentur, diligenter curauit: & quod Ticinus duobus ſupra vrbem paſſuum millibus in duo cornua diuiditur, infra circiter mille paſſus in vnum coit, maius quod vrbem alluit, in minus (Graualonem vocant) deriuare Rex magnis impenſis aggreſſus eſt, quod ibi murus amnis profunditate tutus nullo aggere muniretur: cuius operis aggrediundi Iacobus Sillius Cadomenſis præfectus (Balliuum noſtri vocant) alæ Alenconianæ legatus author fuit: at denſæ, continuæque hyemis ineuntis pluuiæ totum opus facile diſturbarunt.

Quid cauſæ fit cur Franciſcus capto Mediolano fugientẽ hoſtem non ſit perſecutus.

Franciſcus Ticinũ circumſedit.

Interim dum ad Ticinũ Franciſcus hæret, legatum Clemens Pontifex ad Carolum La- 13
noium miſit tum Laude Pompeij agentem, vt ſaltem inducias procuraret. Lanoius de Germanis

manis auxiliis, quæ Borbonius mutuo ſumptis à Carolo Allobrogum regulo geminis pretioſioribus, vaſiſque argenteis, aut aureis adducere debebat, incertus, inducias in quinquennium aſſentiebatur; ea conditione, vt quicquid intra Abduam erat, Regi excepta Laude pareret, quas Franciſcus Boniueto conſilij ſanctioris principe ſuadente reiecit. Prima induciarum ſpe ſublata Ioannem Matthæum Gilbertum Veronenſem Pontificem Datarium, qui inſignis Romanæ aulæ magiſtratus eſt, ſibi in primis fidum Clemens nihilominus ad Lanoium ſummiſit pacis ineundæ ſpecie ſibi ad Regem aditum moliturum, quicum ſocietatem Clemens capti Mediolani fœlicitate deterritus coire cupiebat: & iam de ſocietatis capitibus cum Alberto Pio Carporum Comite Franciſci legato fere conuenerat. Soncini tum agebat Lanoius, & iam de Germanis auxiliis certus, & quod Ticinum ſe fortiter tueretur, animo confirmatus pacem induciáſque reſpuit. Rex etiam ab vtriſque alienior fuit Boniueti adulationibus inflatus, & non ſolum Mediolanenſem principatum, verum etiam Genuam, & regnum Neapolitanum ſpe deuorabat, quod Cæſarem à pecunia imparatum nouerat; ſe quantam vellet, ſuis imperaturum confidebat: Hiſpani antiquam libertatem retinebant. Inter Clementem, Franciſcúmque conuenit, ne Pontifex, ac Florentini Cæſari palam, clámue opem ferrent: viciſſim vt Franciſcus Pontificem, Florentinóſque in fidem reciperet, & Mediceæ familiæ authoritatem, qua apud ſuos ciueis pollebant, ſartam tectam conſeruaret: ne huiuſmodi ſocietas in vulgus emanaret prius, quàm Clemens id ſe permittere declaraſſet. Cæſariani duces tametſi huiuſce ſocietatis ignari erant, tamen Clementem multis de cauſis ſuſpectum habebant, cui per legatum, vt ſenſa animi aperiret, ſpem ſimul metúmque proponebant. Si in ſocietate cum Leone propinquo, Adrianóque ſuperiore Pontifice inita perſeueraret, multa pollicebantur: ſin ab ea diſcederet, & ſe neutram in partem inclinare ſimularet, Cæſarem aiebant, quum in ſupremum cum Franciſco certamen veniſſet, quotquot illi non adeſſent, pro hoſtibus habiturum. Quibus Clemens acutè reſpondebat: ſui officij eſſe, vt pacem toto Chriſtiano orbe, quoad fieri poteſt, conſtituat: idcirco ſe Chriſtianorum principum bellis haud admiſcere, vt maiore cum authoritate eandem procuret, quam & tum diligentiſſimè procurabat: ſtatim enim poſt captum Mediolanum Capuanum Pontificem ad Cæſarem miſerat, de pace, aut induciis acturum; cui Ludouica Regis mater Lugduni per Narbonenſem Galliam in Hiſpaniam tranſire permiſerat. Is illam ipſam excuſationem de ſocietate non renouata Cæſari propoſuit, eundémque ad pacem hortatus eſt; à qua ob ſummas rei nummariæ difficultates non alienus erat Cæſar, ei Franciſci pecunia abundantis felicitate, & Angli dubia fide commotus: qui non ſolum promiſſam in Mediolanenſem exercitum conferre pecuniam recuſabat, verum etiam mutuo datam, & ſibi aliis de cauſis à Cæſare promiſſam repetebat. Cæſar enim in Hiſpaniam traiecturus, vt Anglum ſibi prorſus adiungeret, penſionem annuam, quam ei Franciſcus dependebat, viginti nummûm aureorum millia, quæ Cardinali Eboracenſi, aliquótque aliis diſtribuebantur, triginta, quæ Margaritæ Angli ſorori Ludouici huius nominis Duodecimi Galliarum Regis viduæ ſingulis annis perſoluebantur, ſe repræſentaturum quotannis promiſerat: necdum quicquam exoluerat. Et Veneti vel potentem Franciſci exercitum veriti, vel ſi Cæſar victoria potiretur, ne pulſo Sfortia Mediolanenſem principatum occuparet, timentes; nec militem vllum, nec pecuniam mittebant. Quibus curis anxius Cæſar in quartanam inciderat, & quod æquas à Franciſco pacis conditiones impetrari poſſe diffideret, vel quod in ſui exercitus robore, ſi quando ſimul coiret, multum confideret, tantiſper dum Franciſcus Mediolanenſem principatum armis vexaret, de pace loqui è ſua dignitate non eſſe reſpondebat.

Clemens Pontifex ſedandis belli Mediolanenſis controuerſiis totus inſiſtit.

Societas inter Clementem & Franciſcum inita, quibus legibus.

14 Franciſcus interim de regno Neapolitano inuadendo, vbi nulla aut admodum rara præſidia Lanoius reliquerat, deliberauit, ac Ioannem Stuardum Albaniæ regulum è Scotorum Regum familia legatum ſuum declarauit; cui ſexcentos cataphractos equites & aliquot leuiores, decem peditum millia attribuit: inter quos nothus Claietanus cum ſua centenaria cataphractorum equitum ala, qua poſt Borbonij diſceſſum eiuſdem legatus nec conſiliorum particeps à Franciſco donatus erat, atque Egulius cum quinquagenaria, viri ſtrenui ac militares, numerati ſunt. Huius expeditionis Clementem Pontificem vel authorem vel ſaltem approbatorem è noſtris Bellaius, ex Italis Galeatius Capella ſcribunt: ſed mihi Franciſci Guicciardini potior ſententia videtur: quam & Ioannes Belcarius Peguilio frater meus, qui tum admodum adoleſcens Stuardi Albaniæ reguli domeſticus eidem bello interfuit, confirmauit. Se enim à Stuardo ſæpius audiuiſſe mihi narrauit Clementem Franciſco ſuaſiſſe ne exercitum diuideret, donec toto Mediolanenſi principatu

Expeditionis Neapolitanæ Clementem Franciſco auſuiſſe auctorem conſtitutur.

potitus eſſet, nullam regni Neapolitani repetendi ſuſpicionem moueret: tot hoſteis Mediolanum illi peperiſſe, quid ſi regni Neapolitani cupiditas accedat? Venetos, qui nunc cum Cæſare de ſocietate diſceptant, tum ſtatim ſe apertos hoſteis declaraturos, vti ſe aduerſus Carolum Octauum declararunt: ne ab ipſo poſtularet, quæ ex officio recuſare cogeretur: ſe enim neutram in partem propenſurum, & ſemper conciliandæ pacis locum reſeruaturum, nec vlla initæ ſocietatis iudicia profeſſurum. Verum ante redditum Clementis reſponſum Padum ad Stellatam Stuardus traiecerat: quinto tamen poſt die nóuo à Rege mandato accepto retroceſſit, Padúmque iterum traiecit, quod Germanica auxilia ad Cæſarianum exercitum appellere inciperent, & ad noua Borbonius conquirenda rediiſſet: ſed & paulò poſt altera Heluetiorum Rhetorúmque auxilia ad Gallicum exercitum acceſſerunt. Hinc Franciſcus Boniueto vrgente Stuardum iter inſtitutum perſequi iuſſit: is Padum ad Stradellam tranſmiſit, Romam petiturus. Tum Clemens pacem aut inducias inter hoſce duos principes vel propter fortem Ticini propugnationem vel propter imminens regni Neapolitani diſcrimen conciliari poſſe ſperans ſocietatem cum Franciſco initam quaſi tum iniretur, Cæſarianis indicandam putauit. Paulum Vectorium triremium ſuarum præfectum ad Lanoium miſit, qui Clementem omni ope contendiſſe ſignificaret, vt ab inuadendo regno Neapolitano Franciſcus abſtineret, nec impetrare potuiſſe: prohibere minus poſſe, ne bellum in ſe transferret: quin potius vt ſibi, ditionibúſque ſuis caueat, neceſſarium videri: nihil tamen quod contra Cæſaris rem ſit, aſſenſurum: Lanoio conſulere vt induciis in aliquot annos factis exiguam principatus Mediolanenſis partem, quæ Cæſaris adhuc, ac Sfortiæ nomine poſſidetur, apud hominem neutri ſuſpectum deponat, neque enim Franciſcum aliter inducias facturum: id ſi fiat, pacis rationem non defuturam: alterum Franciſci filium Cæſar Mediolanenſis principatus nomine in fidem recipiat, vt is principatus à ſceptro Gallico ſeparetur: Borbonio patrimonium reſtituatur, omníque ex parte caueatur, Sfortia honeſtis conditionibus donetur. Id ſi Franciſcus recuſet, Clemens, Veneti, Florentini cum Cæſare coeant, & renouata ſocietate communibus impenſis bellum perſequantur.

Cæſariani duces in primis Lanoius, nam Borbonius nondum è Germania redierat, in 15
tantis rei nummariæ difficultatibus duos exercitus Mediolanenſem Neapolitanúmque in armis continere poſſe deſperantes ab induciis non alieni erant, ipſéque adeo Lanoius cum exercitu Neapolim redire cupiebat. Sed Piſcarius Stuardi Albaniæ reguli exercitum non his eſſe viribus docuit, quibus regno Neapolitano facilè potiatur: multas ibi vrbeis eſſe munitas, quæ non niſi longo, diuturnóque bello capiantur: at bello Mediolanenſi intra paucos menſes finem imponi poſſe. Si hic Cæſari res feliciter ſuccedant, de Neapolitano, quamuis turrim dumtaxat vnicam Cæſar retineat, nullo modo timendum: ſin Neapolim Cæſarianus exercitus reducetur, quin ſtatim Mediolanenſis principatus amittatur, dubitare nemo poteſt, paucis vrbibus quæ adhuc retinentur, vbi de auxiliis deſperarint, victoris fortunam ſequuturis, totúmque adeo bellum in regnum Neapolitanum conuertetur: cuius bona pars victoriæ fama diuulgata vel metu, vel rerum nouarum ſtudio ad victorem deficiet: cedendo enim victoriam hoſti quodam modo concedi. Summam igitur belli hic ponendam, vbi qui vicerit, vtraque ſimul victoria potiatur. In hanc ſententiam itum: Honoratus Caietanus Traiectenſis regulus Neapolim miſſus, vt quanta poſſet pecunia coacta cum Aſcanio Columna, cæteriſque regni proceribus conſeruandis præſertim munitis vrbibus prouideret. Quamuis autem Pontificio legato modeſtè Lanoius reſpondiſſet, aſperas tamen litteras Romam ſcripſit, quibus ſe ab omni fœdere prorſus alienum docebat. Quapropter quum Romam Albaniæ regulus cum exercitu properaret, ſocietatem, non vt antea cum Franciſco initam, ſed quaſi tum iniretur, Clemens promulgauit: qua ne alter alteri noceret, mutuo promitterent, & Cæſaris legatis indicauit, ſeque huc adigi, quadam neceſſitate declarauit. Diploma ſocietatis ſignificandæ quũ Ioannes Corſus Florentinus legatus Cæſari obtuliſſet, Cæſar, qui Clementem in tanto diſcrimine à ſe defecturum ſibi perſuadere non poterat, aut ſibi ita perſuaſum ſimulabat, admodum, vt par erat, commotus nullo odio, nulla ambitione, nulla priuata cupiditate, ſed ſola Pontificis Leonis authoritate adductum bellum ſe aduerſus Gallum ſuſcepiſſe reſpondit. Leonem porro eò impulſum Clemente tum Cardinale Medice inſtigante, omniaque eius conſilia moderante, qui ne quid Gallus in Italia poſſideret, ad totius Italicæ nationis tranquillitatem maximè pertinere diceret: hunc ipſum Clementem ſocietatis paulò ante Adriani Pontificis mortem initæ authorem fuiſſe; idcirco iniquiſſimum eſſe, ſibique moleſtiſſimum, vt qui Cæſarem in tanta diſcrimina coniecerit, coniectum

Piſcarij Stuardi ſententia de reiiciẽdis cum Franciſco inducijs approbatur.

Cæſaris de Clemẽte querimonia.

nulla

nulla vrgente neceſſitate deſerat, totieśque datam fidem fallat, ac fallendæ cæteris exemplo ſit; quam præſtare potiſſimum debuit, perſonæ, quam ſuſtinet, memor. Addebat ſe & ſtatim poſt Leonis,& rurſus poſt Adriani mortem in illum ſua ſtudia omnia, vt Pontifex crearetur,contuliſſe, quo authore Italiæ libertatem conſeruatum iri ſperabat: quantum ad ſe attinet, nec propter immutatam Clementis voluntatem nec propter rei nummariæ penuriam,quæ conatus ſuos fere ſola remoratur, ab inſtituto ſuo receſſurum:regna ſua omnia auctioni potius, vitam periculis quibuſuis expoſiturum, & ſortem quam Deus Opt. Max. rectorum conſiliorum moderator obtulerit, arrepturum.

Præclarum Florẽtini legati de Clemente teſtimonium.

16 Quibus querimoniis Florentinus legatus Clementem ex quo Pontifex creatus ſit, non amplius priuatam Cardinalis Medicis, ſed publicam communis totius Chriſtianiſmi parentis perſonam ſuſtinere reſpondebat:cuius in primis officium ſit,ſolidam vniuerſo orbe Chriſtiano ſtabilire pacem: idcirco Cæſarem identidem monuiſſe ſe nemini priuatim addicturum,publicam dumtaxat cauſam acturum: ſæpius ad illum ea de re ſcripſiſſe,præſertim quum Boniuetus ex Inſubribus diſcederet; quæ commodiſſima pacis ineundæ occaſio fuit, quum optimis conditionibus eandem Cæſar inire poſſet; Cæſarem dumtaxat reſpondiſſe, ſe nihil Anglo non aſſentiente aggreſſurum. Meminiſſet quam ſerio, quámque vehementer ipſe diſſuaſiſſet, ne Cæſar in Phocenſem prouinciam exercitum immitteret, omnem pacis ſpem præciſurum, & Franciſcum ad turbandam deintegro Italiam prouocaturum. Bis ad illum Capuanum Pontificem miſiſſe, nec quicquam profeciſſe: quin & Veronenſem capto iam Mediolano ad Franciſcum ac Lanoium, & vtrumque à pacis rationibus offendiſſe prorſus alienum, Gallicis copiis in regnum Neapolitanum profecturis tranſitum per Pontificias ditiones Clementem denegaſſe;Franciſcum nihilominus,vt accelerarent, & per Placentinum agrum iter inſtituerent, iuſſiſſe non expectato Clementis reſponſo. Idcirco Paulum Vectorium ad Lanoium miſiſſe vt conditionibus, ſi temporis ratio habeatur, non iniquis Anglo, & Venetis à Cæſare propemodum abalienatis, aut pacem, aut inducias faceret; illum conditiones reſpuiſſe, & ſe alienum ab vtriſque declaraſſe. Conditiones iniquas Lanoio oblatas querebatur Cæſar: vt enim Lanoius poſſeſſas vrbeis apud aliquem velut ſequeſtrem deponeret, proponebatur; an idem Franciſcus faceret, disertè non addebatur. Et quamuis Piſcarius, vt cum Rege conueniret, conſulens multa in eius exercitu deeſſe ſignificaret, tamen ſuorum militum virtute fretum, quos ſi totis vtrimque viribus confligatur, victoria potituros ſperet, ſe ad pacem flecti non poſſe fatebatur. At ſi Franciſcus non Boniueti temeritate, ſed bonis Ludouici Trimullij, Paliciani Mareſchalli, Ludouici Arſij, ac cæterorum eius notæ ducum veteranorum conſiliis vſus fuiſſet, haud dubium, quin & prælio, & toto bello ſuperior euaſiſſet. Interim Ticini obſidio, pilis & puluere tormentario deficientibus, refrigeſcebat: ita Franciſcus ac ſanctioris eius conſilij princeps Boniuetus rebus penè omnibus malè prouiderant. Hinc quod Ferrarienſem promiſſis ſeptuaginta nummûm aureorum millibus Franciſcus in fidem receperat, viginti in ea, quæ tormentis neceſſaria erant, conuertit; & ruſticorum bigis, aut quadrigis Clemente permittente per agrum Parmenſem, Placentinúmque ad Gallica Ticini caſtra comportanda curauit, Lanoio vehementer querente quaſi Clemens apertè Franciſco opem ferret: quibus Ioannes Medices, qui à Cæſare ad Regem defecerat,cum ducentis leuioribus equitibus, mille quingentis peditibus præſidio miſſus eſt: nec longè adhuc Albaniæ regulus aberat: Padum tamen ad Cremonam ponte iacto cum ſexcentis cataphractis equitibus, octo peditum millibus vt venienteis tranſitu prohiberent Lanoius, ac Piſcarius tranſmiſerunt, atque ad Monticellum caſtra fecerunt. Sed vbi Thomam Fuxium Mareſchallum cum Gallici exercitus parte ſibi obuiam ire intellexerunt,fluuio iterum ſuperato, vnde digreſſi erant, redierunt. Quibus reuerſis Stuardus Albaniæ regulus Apenninum per Rhegienſem agrum conſcendit: verum adeo lentè incedebat,vt diuulgatum iam rumorem,illum ſcilicet non tam regni Neapolitani ſubigendi ſpe, quàm vt eo Cæſariani exercitus partem auerteret, aut Cæſarem ad aliquas pactiones induceret, eam expeditionem ſuſcepiſſe, confirmaret. Stuardo in Lucenſi agro Rentius Ceres cum tribus Italorum peditum millibus ſeſe adiunxit, qui Maſſilia profecti claſſe, cui Marchio Salaſſus præerat, & Sauonam, Varaginémque nuper deditione ceperat, illuc traiecerunt.

17 Anni huius ſæculi viceſimi quinti initio Hugo Moncata Cæſarianæ claſſis præfectus Genua egreſſus tribus peditum millibus in terram expoſitis Varaginem vrbem inter Genuam ac Sauonam intermediam Gallorum aliquot peditum præſidio inſeſſam circumſedit. Salaſſo auxilium ferenti Cæſariana claſſis pedite deſtituta ceſſit, ac ſtatim vela fecit. Anno 1525.

Salutianus

Salutianus in continentem cum militibus progreſſus, hoſteiſque aggreſſus multos cecidit, cæteros in fugam vertit, aut cepit: inter hos Hugo Moncata numeratus fuit. Cæſarianam claſſem Gallica Genuam vſque perſequuta eſt,& ingentem nauem,quæ vulgo Amytalia vocabatur, ac duas præterea triremes cepit. Id temporis Lucenſes ſibi duodecim nummûm aureorum millia numerare atque aliquot tormenta mutuo dare Stuardus coegit, & per Florentinum agrum tanquam amicum tranſiens in Senenſem peruenit, atque ad Senas Clemente ita depoſcente ſubſtitit. Qui quod aperta vi Stuardi profectionem impedire non poſſet,eandem ſua induſtria remorari, inanémque reddere cupiebat. Quod Mediolanenſi principatu Franciſcus potiretur,Clementi haud moleſtum erat: dum enim Cæſar, ac Gallus duos inſignes Italiæ terminos poſſiderent, pontificatum Romanum intermedium vtriuſque potentia ſuffultum in tuto fore ſperabat; ne alteruter vtroque termino potiretur, laborabat. Itaque à Franciſco vehementer contendit, vt Stuardus inter eundum Senarum vrbis inter Romam Florentiámque interiectæ adminiſtrationem in meliorem formam redigeret, quam alicui ex amicis committi mirandum in modum flagitabat. Mortuo enim Cardinale Petrucio Adriano adhuc ſuperſtite Franciſcus fratris filius patruo ſuccedere conatus eſt, cui propter eius inſolentiam Montenouani (tametſi eiuſdem factionis erant) interceſſerunt; & à Sueſſano regulo Romæ Cæſaris legato, vt ciuitati vel libertatem reſtitueret, vel eidem Fabium Pandolphi Petrucij filium præficeret,enixè poſtularunt. Quæ res diu agitata,tandem Clemente Pontificatus ſui initio procurante terminata eſt, Fabiúſque Clementis, ac Cæſaris conſenſu in Cardinalis patrui locum ſurrogatus eſt, nec ita multò poſt vrbe pulſus. Hinc Clemens, qui populari adminiſtrationi non multum fidebat, Fabium in integrum reſtitui, aut aliquos ex amicis illi ſubſtitui cupiens Stuardum ad Senas conſiſtere coegit. Senenſes, vt ſe huius exercitus moleſtiis liberarent, nonnullis è ciuibus Clementi fidis vrbis adminiſtrationem crediderunt: Stuardo aliquot tormenta, atque aliquantam pecuniam dederunt, quibus acceptis iter inſtitutum, verum lentè, quemadmodum & antea, perſequutus eſt; & ad Faliſcorum montem cum Clemente colloquutus Tiberi ſuperato in Vrſinorum ditionibus tantiſper dum milites Clemente ita permittente conſcribuntur, quemadmodum & Columnæ ad villam Marianam eodem permittente conſcribebant, aliquot dies cunctatus eſt.

Claſſi Imperatoriæ duæ triremes cũ magiſtra naui à Gallis ereptæ.

Cæſariani duces ex longa Stuardi ad Senas mora coniecturam facientes maiorem, 18
quam vulgò ferretur,inter Clementem, Franciſcúmque ſocietatem initam ſuſpicati ſunt. Sed res Neapolitanæ quodam modo frigebant, omnium oculi in Inſubres conuerſi erant, vbi varia contrariarum partium fortuna incertos euentorum animos ſuſpenſos tenebat: præſidium Ticinenſe pecunia in ſtipendium, omniáque fere, quæ ad victum, præter triticum,quæque ad tormenta pertinebant, deficere cœperant. Hinc Germani vel ſponte vel inſtigante præfecto,quem iam clam cum Rege cõueniſſe aut breui conuenturum ſuſpicio erat, ſtipendium tumultuosè depoſcebant. Contra Borbonius è Germania rediens quingentos cataphractos equites Burgundos, ſex Germanorum peditum millia Ferdinandi Auſtriaci Cæſaris fratris impenſis conſcripta adducens appropinquabat:vnde ad Laudem Pompeij coiturus Cæſarianus exercitus hoſtili ſe nihilo inferiorem ducens ferebatur. Quod ad Ticinenſis præſidij ſtipendium attinet, Carolus Lanoius, cæteríque Cæſariani exercitus duces peracuto dolo cauerunt: cum duobus enim ruſticis,qui vinum in Gallorum exercitu venale proponebant, conuenerunt, vt tria nummûm aureorum millia in thecam ligneam cum litteris incluſa Ticinum ad Antonium Leuam ferrent.Litteris ſignificabant, ſtipendium quidem paratum eſſe, cæterum propter itinerum difficultates mitti in vrbem non poſſe; Borbonium cum Germanis, ac Burgundis equitibus non longè abeſſe, Cæſaris copias in vnum coactas Gallicis haud inferiores futuras: tolerarent aliquot dumtaxat dies,tum ſtipendium, atque auxilium non defuturum. Cuius rei ruſtici Leuam certiorem fecerunt: ille excurſione in regionem, in qua ruſtici conſederant facta, hominem, qui thecam è confracto doliolo eduxerat, in vrbem recepit, & Germanis Lanoij litteras publicè legit, ac credulorum animos bona ſpe demulſit. Profuit & ſubita Azornij præfecti Germanorum mors tumultus ſupra commemorati (vt ferebatur) authoris, quem Leuæ opera veneno ſublatum conſtans fama fuit. Vbi Borbonius cum Germanis,& Burgundis equitibus Lanoio iunctus eſt, quin Ticino Cæſariani opem ferrent, nihil præter ingentem pecuniæ inopiam impedimento erat: quæ non ſolum in ſtipendium ſed ne ad conuehenda quidem tormenta, quæque illis neceſſaria erant, ſuppetebat. Piſcarius Hiſpanos primum aggreſſus, & Gallorum exercitum longa obſidione, rigidiſſimáque hyeme acciſum docens, tum ſtipendio longè maiora victoriæ præmia futura oſtendens, vt de victoria

Germani defectionem ob nõ acceptum ſtipẽdiu meditantes quo dolo retenti.

Prudenter Piſcarius Gallorum exercitum inuadendum cõſuluit.

Digitized by Google

victoria non dubitarent, militiámque nullo accepto ſtipendio menſem integrum tolerarent, perſuaſit: quos imitati Germani modo victus interim ſuppeditaretur, idem polliciti ſunt. In equitibus ſumma difficultas erat, qui nulla dudum accepta pecunia in Cremonenſi, Abduanóque agro diſperſi populi impenſis victitabant: vbi in caſtra coiiſſent, de ſuo viuere cogebantur. Hi tamen paucula in menſem repræſentata peditum exemplum ſequuti ſunt.

19 Ita Cæſarianus exercitus, in quo ſeptingenti cataphracti, totidem leuiores equites præter Burgundos, qui cum Borbonio acceſſerant, Hiſpanorum, ac Germanorum peditum ſedecim millia, mille Itali eſſe ferebantur, è Laude Pompeij Mediolanum petere ſimulans ad Melegnanum octauo Kalend. Februarias caſtra fecit, vt Rex vrbi timens Ticinenſem obſidionem ſolueret. Mille trecentis cataphractis equitibus, decem Heluetiorum, quinque Gallorum, ſeptem Italorum peditum millibus Rex ſtipendium pendebat; præter quos tria Gallorum, Rhetorum, ac Valeſianorum ſex millia Mediolano præſidio erant. Sed & præfectorum fraude præſertim Italorum, & Regiorum miniſtrorum negligentia, Boniueti in primis, cui Rex ſummum imperium dabat, peditum numerus longè minor erat. Cæſarianos vbi Laude egreſſos Franciſcus intellexit, Iacobum Chabaneum Mareſchallum, ac Federicum Boſſulum ad caſtellum ſancti Angeli miſit oppidum inter Laudem, ac Ticinum fere intermedium: cui Pyrrhus Boſſuli frater cum ducentis leuioribus equitibus, octingentis peditibus Italis præerat, quod à tergo relictum Cæſarianos commeatu qui Laude exportabatur, facilè intercluſiſſet. Hi perſpecto oppido id & ſatis munitum, & iuſtum præſidium eſſe retulerunt. Cæſariani vbi ad oppidum appulerunt, tormentis admotis ſtatim defenſacula perruperunt, vnde attoniti præſidiarij ſe in arcem receperunt: quum ſe nec tormentis, nec ſclopetis ex vrbe Hiſpani infeſtari viderent, id quod erat, ſuſpicati rubrum pileum haſtæ impoſitum paulo ſupra murum erexerunt (foſſa enim licet alta nullam aquam continebat) quum ſclopetis non peteretur, puerum ſuccollantes num quem pone murum videret, perſpicere iuſſerunt: vbi nemo comparuit, omnes in oppidum irruperunt. Itali timore aucto nullo ſuæ virtutis facto periculo arcem illo ipſo die quo tormentis oppidum pulſari cœptum eſt, dediderunt. Cæſariani præfectos retinuerunt, cæteros ſacramento obligatos ne intra menſem aduerſus Cæſarem militarent, ſine equis, atque armis dimiſerunt: quidam è noſtris Pyrrhum Gonzagam Daualo affinitate iunctum proditionis accuſant; nimiæ ſaltem, & viro militari indignæ timiditatis accuſari poteſt. Hic Boniueti, qui Gallicis copiis vnus imperabat, imprudentiam videre eſt, qui ſuperioris anni experientia haud doctus Italis oppidi tanti momenti præſidium commiſerit.

Caſtellũ ſancti Angeli qui in Cæſarianorum poteſtatem venerit.

20 Franciſcus Cæſarianos ad caſtellum ſancti Angeli accedere certior factus Ludouicum Trimullium Burgundiæ prætorem bis mille peditum præſidio relicto, cum cæteris Mediolano reuocauit, & primarios ſui exercitus duces ad conſilium vocauit. Ludouicus Trimullius, Iacobus Chabaneus Palicianus, ac Thomas Fuxius Mareſchalli, Ludouicus Arſius, cæterique veterani, ac prudentiores duces, vt ſoluta obſidione ad cœnobium Carthuſienſe, aut ad Binaſcum loca ſitu munitiſſima caſtra faceret, conſulebant. Sic illum nihil fortunæ permiſſurum, & victoria ſine cæde, & ſanguine potiturum: Cæſarianum exercitum à ſtipendio inopem vix integrum menſem ſimul permanſurum: diſperſum in oppida, vt neceſſitas coget, breui mox dilapſurum. Germanos qui patienter, ne timiditatis arguantur, Ticini obſidionem tolerant, vbi ſoluta erit, ſtipendium ſtatim flagitaturos, & quod repræſentari non poſſit, grauem tumultum excitaturos: hoſteis non alia de cauſa ſimul contineri niſi vt prima quaque occaſione prælij aleam ſubeant, & domo prodeuntes, ac recentes cum longa obſidione, frigidiſſimáque hyeme accifis confligant. Quantum diſcrimen erit, ſi inter vrbem tanto bellicoſiſſimæ nationis præſidio munitam, ac numeroſum exercitum præfectorum, militúmque virtute, & experientia potentem, qui nihil aliud quàm prælium depoſcat, Rex decertare cogetur? Receptum maturo conſilio initum, ne pro certis incerta ſectemur, nihil in ſe timiditatis continere: belli exitum victoria cumulatum ſolidam gloriam reportaturum: primam diſciplinæ militaris laudem eſſe, ſi quis induſtria, ac conſilio vanos hoſtium impetus eludat, & victoria ſine ſuorum ſanguine potiatur. Clemens Pontifex, cui eam Piſcarius in Cæſariano exercitu inopiam eſſe ſignificarat, vt omnem prope victoriæ ſpem abiiceret, eadem conſulebat. At Franciſcus vni Boniueto fidem adhibens, & vanitate noua veterem augens turpe ſibi eſſe ducebat, ſi venienti hoſti quaſi metu perculſus cederet: ſæpius enim, vt omnino vanus erat, ſe nunquam inde niſi victorem diſceſſurum, aut morte victoriam redempturum iactitarat,

Franciſcus magno ſuo damno Trimullij primariorumq́; ducũ conſilium reiecit.

eúmque

cúmque ſermonem (quæ ſumma imprudentia fuit) tota Gallia, atque adeo Italia diuulgarat: itáque ſuis quaſi verbis illigatus niſi quod verbis teſtatus erat, te præſtaret, ſibi ignominioſiſſimum putabat. Se caſtra ſua ita, vt perrumpi nequirent, muniturum; hoſteis, vt eodem loco conſiſtere non poſſent, commeatu prohibiturum ſperabat: quem quod emere non poſſent, vi raperent, illis cito defuturum ſibi perſuadebat. Et Guidum Ranconum Mutinenſem, virum militarem, Franciſcúmque eius fratrem, ac Ioannem Ludouicum Pallauicinum Manfredi fratrem, quem Mediolani anno huius ſæculi primo & viceſimo capite plecti Lautrecius iuſſerat, Regi Ioannes Medices reconciliarat: hi de Cremona, vbi rarum præſidium erat, & vnde commeatus ad Cæſarianos exportabatur, intercipienda ſpem dabant; ad quos vt iuſtum equitum, peditúmque numerum conſcriberent, pecuniam Franciſcus miſerat. Pallauicinus cum quadringentis equitibus, bis mille peditibus ad Caſale Maius Franciſcum Ranconum cum tribus, aut quatuor peditum millibus atque aliquot equitibus ſequentem expectaturus acceſſit, atque interim Cremonenſem agrum populabatur. Aduerſus hunc Sfortia, qui tum Cremonæ remanſerat, Alexandrum Bentiuolum cum prætorianis ſuis, ac Rodolphi Varanij Camertis equitibus, mille quadringentis peditibus miſit. Pallauicinus numero ſuorum fidens, etſi Franciſcum Ranconum poſtridie ſibi iunctum iri nouerat, è vico quem ſatis commodè munierat duodecimo Kal. Martias egreditur. Primo congreſſu hoſtium equites fundit: quum autem Sfortiani, pedites eius retro pedem referre cogerent, ſuis opem ferens, ac fortiter pugnans equo deiectus, & cum multis è ſuis captus eſt: ita ille dignum ſua temeritate, Bentiuolus fortitudine præmium, hoc eſt magnam laudem tulit.

Pallauicinus nimia ſua temeritate à Bentiuolo captus.

Acceſſit & aliud infortunium: bis mille pedites Itali, quos Sauona Franciſcus accerſiuerat, Alexandrinum agrum ingreſſi ad Vrbam fluuium (Burmiam in vita Ferdinandi Dauali vocat Iouius) de via feſſi ſubſtiterunt. Hos nihil tale cogitanteis Gaſpar Maynus Mediolanenſis Alexandriæ cum mille ſeptingentis peditibus præfectus facilè fudit, & fugienteis Caſtellatium vſque perſequutus ſimul cum illis in oppidum introiit, armíſque ſpoliatos præter duos centuriones dimiſit. Ioannes item Iacobus Mediquinus Mediolanenſis, qui poſtea Marchio Melegnanenſis dictus eſt, ob Hectoris Vicecomitis necem quadam relegationis ſpecie ad arcem Muſſiam, vt illi præeſſet à Sfortia miſſus erat: is Clauennæ arcem ad extremum Larium lacum in monte ſitam ſatis longo ab oppido interuallo intercipere cupiens milites aliquot in vicinis rupibus noctu occultauit; qui præfectum mane egreſſum ceperunt, & ad arcis portam adducto niſi ea aperiretur, ſtrictis gladiis mortem minati ſunt, quam præfecti vxor viro timens aperiri iuſſit; Mediquinus cum trecentis peditibus ſubſequutus arce ſimul & oppido potitus eſt. Hinc Rheti maiores inſidias aduerſum ſe ſtrui rati non ſolum in armis fuerunt, ſed & ſex ſuorum millia, qui in Gallorum exercitu erant, reuocarunt. Quum ad primum nuncium non redirent, altero ſe rebelles bonis mulctaturos, ac proſcripturos indicarunt: quapropter quin die ante prælium quinto abirent, nullis nec precibus, nec promiſſis retineri potuerunt. Quidam è noſtris Thecanum Rhetorum præfectum promiſſis ſex nummûm aureorum millibus vt à Rege deficeret, conueniſſe, atque vt huiuſmodi defectio, ſeu potius proditio aliqua vel æquitatis, vel neceſſitatis ſpecie tegeretur, Mediquinum, Clauennæ arcis præfectum intercepiſſe ſcribunt. Franciſco hæc tria futuræ pugnæ mala omina acciderunt: at quod peſſimum omen erat, nullum ipſe munus ducis obibat: cum Anna Mommorencio, ac Brione, aliquótque aliis ſibi charis, ſed rerum militarium imperitis tempus inaniter terebat, cura totius exercitus ad vnum Boniuetum tranſlata, & à ſe velut relegata. Et ſi quando conſilium capiendum erat, ſæpius ipſe non aderat: quin omnia ad Boniuetum deferens cæterorum, & quidem veteranorum ducum nullam rationem habebat. 21

Rheti inſtante pugna Franciſcum deſerunt.

Franciſcus vnius Boniueti conſilia alijs aliorum ducum præferendo plurimis ſibi nocuit.

Per eos dies Caſalenſis eques ab Anglo miſſus ad Cæſarianum exercitum appulit, multáque Regis heri nomine promittens vniuerſos bona ſpe implere conatus eſt. Anglus enim partim ſuſcepta ex Franciſci proſperis ſucceſſibus inuidia, partim quod Anglicas quaſdam naueis Galli ad Scoticum littus cepiſſent, ira percitus, Paceum etiam legatum ſuum, qui tum Tridenti erat, Venetias miſit, vt ſe in ſocietate iam dudum inita permanere teſtaretur; & Venetos, vt in eadem perſeuerarent, induceret: quos eo facilius adductum iri ſperabat, quod diploma Franciſci Sfortiæ in fidem Mediolanenſis principatus nomine recipiendi Cæſar ad Lanoium miſerat. Clementem etiam, vt Cæſarianis opem ferret, per eundem Paceum Anglus orauit, cui Clemens ſe fœdere cum Franciſco nuper inito prohiberi reſpondit. Sed exercitibus tam ſibi inuicem propinquis nihil, aut parum principum legationes proderant, prælio decernere, aut alterum breui diſſolui neceſſe erat: tanta 22

enim

Digitized by Google

enim in Cæſariano rei nummariæ penuria erat, vt Germani in duodecim dies nummûm dumtaxat aureum, quo vix panem emere poterant, Hiſpani nihil acciperent, & è caſtris abire, vt victui neceſſaria pararent, cogerentur; & menſis Daualo promiſſus iam præterierat. Capto Angeli Fano Franciſcus caſtrorum formam commutarat: primam aciem, cui Palicianus Mareſchallus præerat, in ſuburbio ad Iuſtinæ portam relinquens loco non mouerat. Rhetos ad Fanum Lanfranci collocarat: ipſe cum ſecunda ad Mirabellum amœnam intra ſeptum domum, vbi olim Mediolanenſes reguli venationi operam dantes habitare conſueuerant, tranſierat: deinde Alenconio cum tertia ibi relicto extra ſeptum ad Pauli, & Iacobi cœnobia excelſa, & ſubiectam planitiem deſpectantia, Ticinóque vrbi admodum propinqua diuerterat, & vt hæ duæ acies ſibi mutuo auxilio eſſent, ſepti murum interiectum proſtrauerat. Caſtra autem Gallica ſupra ad viam, qua Mediolanum petitur, infra ad fluuium vſque protendebantur: quibus quum Ticinum vndique cingeretur, & Graualo, ac Ticinus, Turriculáque è regione Darſinæ ſita in Gallorum poteſtate eſſent, vrbem, niſi amne traiecto, aut via per ſeptum ſibi patefacta Cæſariani ingredi haud poterant. At inter vtraque caſtra quadraginta dumtaxat paſſus ſexto Idus Februarias intererant; & ſe è propugnaculis hinc inde milites ſclopetis minoribus mutuo laceſſebant, fiebant excurſiones frequentes; inter quas quum Hiſpani vrbe egreſſi Ioannis Medicis aliquot milites ex improuiſo aggreſſi cecidiſſent; ille noctu poſitis inſidiis eoſdem obſeruans decimo tertio Kalend. Martias ſatis procul vrbe attraxit, atque omnes concidit. Paucis autem poſt horis quum Boniueto eò profecto rei geſtæ ordinem narraret, locúmque commonſtraret, paulò ſupra talum ſclopeti glande vulneratus oſſe fracto è caſtris exceſſit, quem fere omnes eius milites vel ſequuti ſunt, vel dilapſi.

Caſtrorũ formæ poſt captum Angeli Fanum à Frãciſco commutatur.

Ioannes Medices inſidiis poſitis multos Hiſpanos vt conciderit.

24 Nocte, quæ diem Mathiæ ſacrum, Cæſari vero natalem præceſſit, Cæſariani duces quum amplius exercitum pecunia exhauſti continere non poſſent, & in Gallorum exercitum peditum bonam partem diffluxiſſe, veteranos duces nullo loco haberi, nihil denique ex diſciplina militari fieri noſſent, Boniueti arrogantia, & neſcioquibus gratioſis aulicis bona conſilia omnia perturbantibus (quotidie enim è caſtris Gallicis ad Borbonium exploratores ventitabant, qui quicquid fieret, denuntiarent) Mirabellum petere decreuerunt, vt ſi Rex pugnandi poteſtatem faceret, prælio decernerent (neque enim eundem cum ſuis caſtris munitiſſimis aggredi auſi fuiſſent) ſin minus Ticinenſe præſidium longa obſidione acciſum reuocarent, nouum immitterent; & vt noſtros aliò auerterent, eoſdem à Lazari Fano, ab amne, ab ea regione, quæ Padum reſpicit, noctis initio crebris impreſſionibus prouocarunt. Sub mediam noctem equitatum in duo, peditatum in quatuor agmina dimiſerunt: in primo peditum agmine ſex partim Hiſpanorum, partim Germanorum millia aliquot Italis mixtis duce Marchione Vaſtio collocarunt. Secundum ex Hiſpanis dumtaxat, quibus Daualus Piſcarius. Tertium & quartum ex Germanis conſtabat, quibus Borbonius ac Lanoius præfuerunt; ac ſic vniuerſi tunicas albas ſuper arma induti, vt ſe à Gallis diſcernerent, magno ſilentio ad ſeptum proceſſerunt. Circiter duas ante lucem horas appulſi ſexaginta muri vlnas nemine è noſtris id deprehendente proſtrarunt: ea Boniueti in collocandis vigilibus negligentia erat! Septum ingreſſi rectà Mirabellum contenderunt: id prouidens Iacobus Galiotus tormentorum Gallicorum magiſter ea opportuno loco collocarat: ſed tenebris adhuc obſcuris dãni nihil inferebat. die tamẽ diluceſcere incipiente poſtremos paulò magis afflixit, qui vt diſcrimen vitarent, atque in vallem propinquam tutam à tormentis euaderent, celeri curſu accelerare cogebantur. Id Rex è caſtris ſuis excelſo loco poſitis deſpiciens, & Alenconianam, Brionámque alas Hiſpanos aliquot fudiſſe, & tormenta minora quatuor abſtuliſſe monitus veréne, an falsò incertum, hoſteis capeſſere fugam ratus nullis ſpeculatoribus, qui rem certius explorarent, præmiſſis è caſtris exiit; & ſecundam aciem, quæ tum prima fuit, inter tormenta ſua atque hoſteis collocauit. Cæſarianorum duo priora agmina bonam occaſionem arripientia mixtis cum equitibus tribus Hiſpanorum ſclopetariorum millibus aduerſus regem contenderunt. Rex cum equitatu atque Heluetiis, & Germanis ſtipendium ſuum merentibus in ruenteis inuectus primo congreſſu hoſtium equites fudit, Ferdinando Caſtriota Fani Angeli regulo, qui ad Theſſalorum Reges familiæ ſuæ originem referebat, eorum præfecto interempto, ac duo priora hoſtium agmina aliquantum repulit. Verum ſclopetarij Cæſarianis equitibus mixti, quod vix quiſquam antea expertus erat, multos è noſtris peremerunt, & Gallici equitatus robur retuderunt;

Eiuſdem Medicei è caſtris diſceſſu pleriq; Franciſci milites dilabuntur.

Pugna Mirabellana.

Ferdinandus Caſtriota interemptus.

quæ victoriæ cauſa non poſtrema fuit: & Borbonius, ac Lanoius accerſiti cum duobus
poſterioribus, & cætero equitatu prælium redintegrarunt. Tum Heluetij priſtinæ virtu-
ti nullo modo reſpondentes, vbi paululum conflixiſſent, ad viam Mediolanenſem de-
clinarunt, & ſe è prælio ſubduxerunt. Germani qui cum rege ſub Franciſco Lotharin-
go, ac Suſfolcio Anglo præfectis militabant, fortiter hoſtes exceperunt: ſed pauci
nempe quatuor, aut ad ſummum quinque millia à duobus poſterioribus Cæſarianorum
Germanorum agminibus vndique cincti fere omnes cum præfectis conciſi fuerunt:
quorum ſi virtutem Heluetij imitati fuiſſent, prælium anceps admodum, atque incer-
tum reddidiſſent.

Iam prælij totum pondus in Franciſcum conuerſum erat (quanquam alia ex parte 24
Palicianus Mareſchallus cum prima acie, ſed ſucceſſu haud feliciore pugnabat) & Rex
ſtrenuè pugnans equo ſuffoſſo in pedes erectus ſeſe egregiè nondum agnitus tuebatur,
quum Pomperanus, qui cum Borbonio è Gallia migrarat, eodem appulit. Is Regem
agnoſcens in pedes deſiliit, enſémque ſtrictum manu tenens cæteros vt paululum ſe-
cederent, monuit. appulit ſtatim & Lanoius, cui ſe Franciſcus dedidit. Conflictu fer-
uente Antonius Leua cum Ticinenſi præſidio Ticino egreſſus, noſtróſque à tergo ad-
ortus in fugam vertit. Alenconius poſtremæ aciei ductor cum quadringentis cataphra-
ctis equitibus pugnæ ſe haud admiſcuit, ſed rebus deſperatis impedimentis relictis ſe
ſubducens in Galliam rediit, quem ex hoſtibus magnæ prædæ intentis nullus perſe-
quutus eſt. huius fuga, à quo protegi debebant, ſe commotos à prælio ſubtraxiſſe Hel-
uetij poſtea diuulgarunt. Si ſe in caſtris ſuis Franciſcus continuiſſet, hoſteiſque Tici-
num ingredienteis, exeunteiſque tormentis dumtaxat laceſſiiſſet, haud dubium quin
paucis poſt diebus Cæſaris exercitu ſtipendij pecunia diſſoluto incruenta victoria po-
titus fuiſſet. Cæſa hoc prælio aut fluuio inter fugiendum abſorpta noſtrorum octo mil-
lia, hoſtium ſeptingenti feruntur: inter noſtros Ludouicus Trimullius Burgundiæ præ-
tor, Iacobus Chabaneus Palicianus Mareſchallus, Franciſcus Lotharingus Lotharin-
gi reguli frater, Suſfolcius Anglici regni æmulus, Boniuetus Amyralius qui Borbonij
patrimonio ſpoliandi vnà cum Prato Cancellario author, ne in eius manus incideret,
victoria iam deſperata in confertiſſimos hoſteis ruit, & ſtrenuè mori, quam acerri-
mo inimico ludibrio eſſe maluit. Aubignius, Seuerinas ſummus, Martatinus primus
Regiorum equorum magiſter, Calmontius Caroli Ambaſiani quondam Mediola-
nenſis prætoris filius illuſtriores fuerunt: Leſcutus Mareſchallus, Renatus Allobrox
nothus Regiæ aulæ magiſter ex vulneribus paulò poſt captiui vitam ediderunt. Capti
ſunt & Henricus Alebretus Rex Nauarræ, Franciſcus Borbonius Fani Paulini Co-
mes, Ludouicus Niuernenſis reguli patruus, Mommorencius Mareſchallus, Philip-
pus Chabotus Brio, Florengius Roberti Marchiani filius, Lorgius, Rochapotius, Mon-
teianes, Mompeſatius, Boeſius, Curto, Langeus, atque alij penè innumerabiles. Captus
eſt & Hieronymus Leander Brunduſinus Pontifex Clementis legatus, ac paulò poſt
Lanoij iuſſu dimiſſus.

Franciſcus Lanoio ſe dedit.

Victoriæ nuncio Mediolanum perlato Theodorus Triuultius, ac Chandius rerum 25
capitalium præfectus ex vrbe exceſſerunt, & in Galliam abierunt; omniſque adeo Me-
diolanenſis principatus ſtatim in Cæſaris poteſtatem conceſſit. Poſtridie huius pugnæ
Franciſcum Lanoius clam militibus in arcem Piſleonenſem deducendum curauit: vere-
batur enim, ne milites, quibus multorum menſium ſtipendium debebatur, Regem quaſi
ſtipendij prædem futurum retinerent: præſidio arci impoſito Alarco Hiſpanus præfuit.
Duæ autem res Lanoium, cæteróſque Cæſarianos duces ſollicitos potiſſimum tenebant:
primum vti Regem eo loci collocarent, vbi de aſſeruando non multum laborarent: tum
vt militibus ſtipendium promiſſum exoluerent, Regem vel Neapolim, vel in Hiſpaniam
deducere decreuerant: verum claſſe præſtabant Galli, vt mari nec in illam, nec in hanc
tuto nauigare poſſent. Terra peti Hiſpania non poterat, Neapolis poterat: verum ma-
gno exercitu opus erat, cui ſtipendio non affecto Regem committere non audebant:
idcirco cum Clemente mirandum in modum fœdus inire cupiebant. At victoriæ fa-
ma diuulgata omnes Italiæ principes, liberæque ciuitates Cæſaris potentiam horre-
bant, & ſibi ſeruitutem imminere exiſtimabant, Gallorum viribus attritis, atque Hel-
uetiis, qui bellis ſuperioribus tanta cum gloria militarant, adeo ignauè recenti præ-
lio defunctis: vnde præſentia Italis, prætertim Romano Pontifici auxilia præſto eſſe
conſueuerant. Veneti in primis attoniti erant, non ſolùm quod à poſtrema ſub Adriano

In arcem Piſleonēſem clam deducitur.

inita

inita ſocietate nulla iuſta de cauſa receſſerant, verum etiam multo magis ob antiquas
cum ipſis familiæ Auſtriacæ inimicitias, & bella à Maximiliano Cæſaris auo non ita pri-
dem renouata; quibus ille quicquid Veneti è Germanico imperio occupaſſent, diuturno
bello repetiuerat, nec aſſequutus erat. Clemens in eodem metu erat: in cuius ditionibus
raræ munitæ vrbes, populi inter ſe Guelforum, Gibellinorúmque factionibus diuiſi. Et
Gibellini veteri perſuaſione Germanico Imperio addicti erant: Pontificatum Romanum
pecunia exhauſerat Leo, nullam Adrianus reliquerat. Ipſe nouus Pontifex nihil in nume-
rato habebat, Florentiæ etiam timebat: Florentini enim poſt expulſos à Carolo Octauo
Mediceos annos octodecim libertati fruendæ aſſueti Mediceorum reditum non æquis
animis ferebant, & ne ad recuperandam libertatem aſpirarent, ſuſpicionem mouebant,
quam à Cæſare Clementi ſubirato conſequuturi videbantur: ipſe quamuis cum Leone
magnis impenſis ad augendā Cæſaris potentiam factis aliquando conſtantiſſimus fuiſſet,
tamen Summus Pontifex creatus ſe cōmunem Chriſtianorum parētem cauſatus ſocieta-
tem cū Adriano initam confirmare noluit, & Gallis Mediolanenſem agrum ingredienti-
bus aliquantam pecuniam ſubminiſtrauit. vbi vero Franciſcum Mediolano potitū intel-
lexit, tanto ſucceſſu deterritus ſtatim cum illo ne alter alteri noceret, fœdus iniit. Tametſi
autem Cæſari ſe purgarat, quod totos viginti dies nihil Lanoius, cæterique Cæſariani du-
ces ad illum ſcripſerant, & quod de Mediolanenſis principatus defenſione deſperās Gallis
ad regnum Neapolitanum proficiſcentibus ſibi conſulendum putarat: & ſibi nihilominus
ita conſuluerat, vt aduerſus Cæſarem licet magnis oblatis conditionibus ſocietatem cum
Gallo inire recuſaret, tamen Cæſariani maius quiddam fœdere contineri ſuſpicati erant:
quo & Gallorum exiſtimationem multum auctam, & Venetis propoſitum exemplum
videbant, quod & litteris in Regis tentorio poſt victoriam repertis patefactum eſt. Ac-
cedebat quod tormentarium puluerem, pilâſque Ferraria ad Gallorum exercitum per
agrum Parmenſem, Placentinúmque conuehi, & Albaniæ regulum in regnum Neapoli-
tanum contendentem Florentino, Romanóque tanquam amicum excipi permiſiſſet.

26 Hæc Clementem ſecum reputantem legati Veneti adeunt, vt ſocietate inita decem
Heluetiorum millia in Italiam arceſſant, hiſque Italos equites, peditéſque, quot viſum
erit, adiungant, perſuadere conantur: Germanos, qui Ticino præſidio erant, quum non
magis poſt, quam ante victoriam ſtipendium acceperint, ſeditionem mouiſſe, tormenta
occupaſſe, vrbem in poteſtate habere: cæterum exercitum eorum exemplum ſequutum,
quum præfecti vnde ſoluant, non habeant, noua quotidie rebellionis ſigna dare. Itaque
ſi occaſione vſi ſtatim in armis ſint, & ditiones ſuas à præſenti diſcrimine tutas reddent,
& Cæſarianos in maximas difficultates redigent, quibus in Regis cuſtodiam non medio-
crem exercitum alere neceſſe erit. Ludouicam Regis matrem, quæ Galliam adminiſtrat,
ſe cum ipſis, vt filium recipiat, coniunctam & Albaniæ regulum cum ſuo exercitu,
quadringentóſque cataphractos equites è prælio elapſos, recenteíſque alias copias miſ-
ſuram, nec ſumptui parſuram. Quod ſi Cæſarianis, vt res ſuas conſtituant, tempus de-
tur, omnes Italiæ populi cum illis conuenire, & pecuniam, quanta poſcetur, numera-
re, hoc eſt, illos ex difficultatibus, quibus irretiti tenentur, explicare, atque iiſdem ſe
in perpetuam ſeruitutem ſubiicere cogentur. Addebant Ferrarienſem Gallis antea ſem-
per addictum, & poſtremo hoc bello penè ſocium quum in eodem metu ſit, à ſocietate
non alienum futurum: cuius vrbs munitiſſima, ingens, vt fertur, pecunia, nec minor re-
rum ad bellum neceſſariarum copia magno vſui futuræ ſint. Inclinabat ad coeundam
ſocietatem Clemens, & iam nihil, niſi vt ſcripto mandaretur, ſupereſſe videbatur: hinc
Hieronymum Ginucium Romanæ iuriſdictionis πραγματικὸν ad Anglum equis curſori-
bus miſerat, vt ſe tantæ Cæſaris potentiæ opponeret, ſuaſurum; quum Capuanus Pon-
tifex illi quondam ab epiſtolis, qui ſtatim poſt victoriam Placentia profectus ad La-
noium acceſſerat, quid ille animo agitaret, intellecturus Romam inde rediit, & cer-
tam conueniēdi cum Cæſare ſpem attulit, vnde Ginucium antequam in Angliam tranſ-
mitteret, Clemens reuocauit: vt Albaniæ regulus Italos equites, peditéſque dimitte-
ret, & Corneti, quod antiquis caſtrum nouum ex Tarquiniæ vrbis ruinis auctum fuiſ-
ſe putant, claſſem Gallicam cum cæteris expectaret, perfecit. Is è Centuncellarum por-
tu ſoluens mutuo acceptis à Clemente aliquot triremibus (neque enim Gallicæ tranſ-
portandis eius copiis ſufficere poterant) in Galliam rediit: viciſſim, vt Aſcanius Colum-
na, aliique Cæſaris parteis ſequuti, qui in agro Romano coierant, & Vrſinorum ditiones
vexabant, arma ponerent, Lanoius iuſſit.

Veneti Clementem ad exercitū conflandū hortantur.

Fœderis inter Clementem ac Cæſarem initi capita.

Vt in fœdus, quod cum Lanoio icturus erat, Veneti reciperentur mirandum in modum Clemens laborabat: verum illi pecuniam, quam poſcebat Lanoius, pendere recuſabat: tantam enim, quantam in bellum impendiſſent, & vt in poſterum non milites ſed pecuniam conferrent, depoſcebat; quod & à cæteris, qui Adriani fœdere comprehendebantur, exigebat. quod ſe difficiles Veneti præbebant, Clementi ex vſu erat: ſiquidem Lanoio, ne res nouas illi molirentur, ſuſpicionem mouebat. Tandem omiſſis Venetis fœdus inter Clementem, ac Cæſarem Lanoio pro Cæſare, Ioanne Bartholomeo Gattinario cum mandato ampliſſimo pro Lanoio ſpondente, Romæ, Kalendis Aprilis ictum eſt: cuius præcipua hæc capita fuiſſe traduntur. 27

1 Inter Pontificem, ac Cæſarem perpetua amicitia eſto.

2 Vterque Mediolanenſem principatum Franciſco Sfortiæ ſartum tectum conſeruare cum certo militum numero tenetor.

3 Romani Pontificatus, Florentinæque Reip. ditiones, priuatim Mediceam familiam cum ea, qua Florentiæ pollet, authoritate, Cæſar in fidem recipito.

4 Cæſari Florentini pro impenſis quas Adriani fœdere contribuere tenebantur, centum nummûm aureorum millia numeranto: etenim vt fœdus in annum integrum à cuiuſque fœderatorum morte inuiolatum maneret, diſertis verbis ſancitum erat.

5 Cæſariani duces copias omneis è Pontificio agro educunto; nec niſi de Pontificis conſenſu reducunto.

6 Venetis locus relinquitor, quo intra viceſimum diem æquis conditionibus, quas Pontifex, ac Cæſar dicent, in fœdus recipiantur. Fœdus intra quartum menſem Cæſarem ratum habiturum Lanoij nomine Gattinarius promiſit: ſin ratum non habeat Cæſar, Lanoium centum nummûm aureorum millia à Florentinis exoluta redditurum, ac fœdus quouſque reddantur, inuiolatum permanſurum. Addita ſunt & tria ſeparata à priore diplomate nempe vt in ſacerdotiorum regni Neapolitani litibus Clemens ea iuriſdictione vtatur, quæ in regni eius in fidem recepti diplomatis continetur; vt Mediolanenſis principatus incolæ ſalem à Ceruiæ ſalinis accipiant, eo pretio, eáque forma, qua Leo cum Franciſco Galliarum Rege primum, deinde cum Cæſare ipſo anno huius ſæculi primo & viceſimo conuenerat: vt Ferrarienſis Rhegium, Ruberiam, cæteráſque quas poſt Adriani mortem interregno perſeuerante occupauit, Clementi reſtituat, Lanoius procuret. Vbi Clemens quod ad hæc tria capita attinet, in integrum reſtitutus erit, Cæſari centum nummûm aureorum millia dependet: Ferrarienſémque & antiquis iuribus, & ſacris Chriſtianis reſtituet: conditionem tamen qua ſe Adriano centum nummûm aureorum millia depenſurum Ferrarienſis promiſerat, ſi quidem à pactis cum ipſo capitibus recederet, non remittet. Clemente in integrum reſtituto an ſupra commemoratæ vrbes, ac Mutina Romanum Pontificem, an Cæſarem patronum agnoſcant, Iuriſperiti videant, & ex eorum decretis alterutri adiudicentur.

Piſtorienſis Pontifex iuſſu Clementis Franciſcum inuiſit.

Clementis conſilium alij vt ignauum, ac timiditatis plenum damnarunt, quod Italiæ libertatem prodere viſus eſſet; alij vt prudens celebrarunt: neque enim victores ſtipendij penuria diſſoluiſſet, quos vnius opulentæ vrbis præda ſimul continere poſſet. Heluetij priſtinam fortitudinem non retinebant, Galli bona nobilitatis parte amiſſa aut capta potentem exercitum breui conficere nequibant. Icto fœdere Clemens Piſtorienſem Pontificem Lanoio permittente, vt Franciſcum inuiſeret, ac conſolaretur, miſit. Poſt multos ſermones vltro citróque coram Alarcone habitos, quibus Clementem vt ſibi amici officium erga Cæſarem præſtaret, Franciſcus orauit, voce ſummiſſiore vbi Albaniæ regulus ageret, rogauit; quem dimiſſis Italis in Galliam cum cæteris rediiſſe magna cum moleſtia intellexit. Tum Lucenſes promiſſis decem nummûm aureorum millibus, Senenſes quindecim, totidem Monferratenſis Marchio cum Lanoio conuenerunt, & in Cæſaris fidem recepti ſunt. Ferrarienſis quinquaginta Lanoio ea conditione, vt niſi cum Cæſare conueniret, ea ſibi reſtituerentur, mutuo dedit. Mediolanenſes primi centum promiſerant: quibus, atque his quæ Cæſar Genuam, ſed poſt victoriam miſerat, vndique acceptis Germani ſtipendio exoluto dimiſſi: nec vllum perſequendæ aduerſus quemquam victoriæ ſignum datum. Quinetiam fœdus cum Clemente initum Lanoius ratum habuit; & vt cum Venetis quoque conueniret, plurimum laborauit. Victoriæ primum nuncium cum litteris Franciſci Regis manu ſcriptis ſexto Idus Martias Cæſar accepit, ſtatímque ad ædem ſacram Deo Opt. Max. gratias acturus 28

Digitized by Google

acturus ſe contulit. Poſtridie ſupplicatione indicta, ac ſumpta S. Euchariſtia (vt Græco verbo vtar) quod corporis & ſanguinis Sacramentum Chriſtiani vocamus, templum Mariæ extra Madritium quam Mantuam Carpetanorum olim dictam putant, vbi tum agebat, inuiſit; nec ignes accendi, cæteráque publicæ lætitiæ ſigna edi permiſit. Hæc non de victoriis aduerſus Chriſtianos, ſed aduerſus Chriſtiani nominis hoſteis partis edenda præfatus, admirandámque animi modeſtiam & verbis & geſtu præ ſe tulit. Legatis diuerſarum nationum & proceribus, qui illum circumſiſtebant, ſe lætari dixit, quod præſens Dei Opt. Max. auxilium expertus ab eo, quanquam nullo ſuo merito, ſe diligi manifeſto argumento deprehendere videretur: & licet ſibi vni victoriam aſcribere debeat à ſociis omnibus deſertus, eandem tamen ſibi cum ipſis velle eſſe communem: pace vbique inter Chriſtianos conſtituta arma aduerſus Chriſtianæ perſuaſionis hoſteis debere conuerti, vnde veros Chriſtiani ſperare triumphos iure poſſint. Quum Remp. ſuam legatus Venetus excuſaret, excuſationiſque cauſas nonnullas adderet; excuſationem quidem haud veram eſſe aſtantibus ſibi dixit, at ſe pro vera nihilominus habiturum.

Admiranda & verè Chriſtiana Caroli Imperatoris modeſtia.

Et quod nihil, niſi maturo conſilio exequi conſueuiſſet, viros ſuæ aulæ primarios in conſilium vocauit, atque vt quî ſe erga Franciſcum Regem gerere, ac victoria vti deberet, liberè conſulerent, orauit. Inter quos Doſimeus Pontifex qui Chriſtiano ritu Cæſari à confeſſionibus erat, ita loquutus fertur. [Quanquam, princeps inuicte, quicquid in hoc inferiore mundo geritur, Dei prouidentia geritur, tamen aliis alij eius effectus illuſtriores eſſe ſolent: quorum ſi quem aliquando animaduertimus, hunc certè præcipue præ cæteris notare debemus: victoriæ enim facilitas manifeſtam Dei voluntatem, ac beneficentiam declarauit: potentiſſimi erant hoſtes, locis munitiſſimis conſiſtebant, rebus omnibus ad bellum neceſſariis abundabant, quæ contra in tuo exercitu aliter eſſe deprehendebantur. at is nihilominus eoſdem omnibus partibus ſuperiores in ſuis penè caſtris aggreſſus paucis horis facilè fudit, & coniunctam cum immenſa præda gloriam reportauit. Quo igitur Deo magis acceptam victoriam referre debes, eò te quoque eadem ad bonitatem eius celebrandam, augendámque gloriam magis vti decet. Augeri autem commodius non poteſt, quam ſi Remp. Chriſtianam externis pariter, domeſticiſque hoſtibus liberes: quantos paucis annis progreſſus Turcæ fecerint, quot imperia, regna, prouincias, inſulas occuparint, nemini ignotum eſt; & nunc Hungariæ imminent, Regemque ſororis tuæ virum patrimonio ſpoliare moliuntur: Hungariæ ſi compotes erunt, perfacilem in Germaniam, Italiámque ſibi viam patefacient. In viſceribus autem noſtris Lutheriani hoſtes non minus graues hærent, venenatam ſuam doctrinam ſpargunt, niſi tua pietas maturè prouideat, omneis Chriſtianas prouincias peruagaturi: vt illos repellas, hos cohibeas conſtituta toto Chriſtianiſmo pace opus eſt: aliis bellis implicatus gratius hoc Deo Opt. Max. officium præſtare non potes. Et vt hos vtroſque hoſteis omittamus, quid ſceleratius, quid deteſtabilius, quam augendorum finium, propagandi imperij ergo tantas Chriſtianorum edere ſtrages? tot flagitiis, ſacrilegiis, aliiſque execrandis facinoribus patrandis omnem dare licentiam? Hæc qui ſponte faciunt, nullam à Deo Opt. Max. veniam ſperare poſſunt: ſin coacti eò adiguntur, niſi dum poſſunt, eadem cohibere conantur, in non minorem, quam illi cœleſtis numinis indignationem incurrunt. Pax igitur vniuerſo Chriſtianiſmo bene conſtituta victoriæ tuæ fructus vberrimus videri debet, quò vt peruenias quid de Rege ſtatuere poſſis, expendere non erit alienum. aut enim eundem in perpetuam cuſtodiam trades, quod non ſine inſigni crudelitatis nota fieri poteſt: aut propoſitis duris conditionibus quicquid poteris, extorquebis; quæ duæ ſententiæ infeſta vtriuſque nationis Hiſpanicæ (inquam) ac Gallicæ odia magis augebunt, perpetua bella parient, te immani ambitione omnium regnis, principatibúſque inuadendis inhiare declarabunt, te à ſociis potentiam tuam, ambitionémque horrentibus abalienabunt; nec te tamen aut certè vix voti tui compotem facient: Rex enim iniquis conditionibus liberatus tibi ſempiternus hoſtis erit: cui ſi Italiæ principes, liberæque ciuitates iungentur, ſi Anglus accedet, qui ſimul iunctos vincere poteris? quum Ludouicum Galliarum Regem eius nominis Duodecimum aui tui Maximilianus Cæſar, ac Ferdinandus Hiſpaniarum Rex bellatores egregij illis omnibus vſi ſuperare nequiuerint. perpetua ergo cum Chriſtianis tibi bella ſpondeto: ſin digna principe Chriſtiano humanitate vſus Franciſcum Regem vel affinitate iunctum, vel beneficio deuinctum, vel vtroque illigatum dimittes, quæ poſtrema

Quid ſibi cum Franciſco captiuo agendum ſit ſui ſanctioris conſilij viros conſulere iubet.

Egregia Doſimei Epiſcopi pro Franciſco Rege oratio.

deliberatio eſt, illum tibi perpetuum amicum parabis: te alieni non appetentem, tuo contentum eſſe declarabis: Italorum omnium, Anglíque ſuſpiciones, quas de tua potentia nimis aucta concipere potuerunt, hoc vno præclaro officio defunctus abolebis: illos fideles amicos pro clandeſtinis hoſtibus tibi reddes, & eam, quam Chriſtiani omnes optare debemus, pacem obtinebis: motas de religione controuerſias compones; poſtremo de externis bellis cogitabis: vbi imperij tui fines propagare tibi glorioſum pariter, ac fructuoſum erit. Sic ſummi Imperatores Alexander Macedo, ac Iulius Cæſar, ſic Romanus Senatus florente Rep. victis ſæpe Regibus regna ſua reliquerunt, & cum modeſtiæ laude nomen ſuum immortale reddiderunt.]

Federici Toletani.

Quum dignam ſua profeſſione orationem Doſimeus Pontifex habuiſſet, Cæſar neque approbantis, neque diſſentientis ſpeciem præ ſe tulit, aliquantulúmque tacitus conſtitit: deinde cæteris, vt ſententias quoque dicerent, innuit. Tum Federicus Toletanus Albæ regulus magnæ apud eundem authoritatis ita orſus dicitur. [Fateor iudicium meum, potentiſſime Imperator, à communi nihil diſcrepare, neque me ingenij acie altius, quam cæteros penetrare profiteor; tritas vias, & vſitatas ſequendas arbitror, quibus maiores tuos inceſſiſſe compertum habemus: nouæ & inuſitatæ deliberationes plauſibiliores fortaſſe, ac magis glorioſæ videri poterunt: at fallaciores, multiſque periculis magis expoſitæ quam quas vſus, ac longa experientia comprobauit, tandem eſſe conuincuntur. Magnam Deî beneficentia, ducúmque, ac militum tuorum fortitudine victoriam conſequutus es, quam Rex captus inſigniorem reddidit: ea ſi bene vteris, victoria integra frueris; ſin minus, ſtatim cum rumore ipſo eadem effluet. Qui victoria vti neſcit, in maiorem ſæpius, quàm qui vincitur, ignominiam incurrit: illi enim prudentia, huic fortuna, quæ in bellis plerumque dominatur, defuiſſe dicitur. Si Franciſcum Regem beneficij accepti memorem tecum in perpetua amicitia victurum, ſi Clementem, & cæteros Italiæ principes, liberáſque ciuitates, atque Anglum poſitis ſuſpicionibus ſemper in ſocietate perſeueraturos, mihi perſuaderem, in priorem ſententiam fortaſſe & ipſe pedibus irem: ſed quis id ſibi polliceri poteſt? quum ſumma beneficia ſumma plerumque ingrati animi ſignificatione compenſentur, vt prouerbio fertur; & ſupra commemorati principes à fœdere non ita pridem inito nulla iuſta de cauſa receſſerint. Et quandoquidem apud quem beneficium colloces, diligenter conſiderare ſapientis eſt, quis Franciſci natura bene perſpecta ab eo expectare poteſt, vt beneficium acceptum pari, vel maiore beneficio rependat? vt rependere ſapientes iubent: plus apud illum ignominiæ, quam beneficij accepti memoria, plus ira, atque indignatio quàm rectum officium, plus inuidia, qua ante Imperij æmulus, ac repulſam paſſus, nunc turpiter ſuperatus flagrat, quam vel affinitas, vel liberatio, vel recta conſcientia valebunt. Ea eſt non ſolum Regis huius arrogantiſſimi, ſed omnium penè mortalium natura, is mos, atque conſuetudo: vnde paucos quos non immerito diuinos appellemus excipere poſſumus: tantum autem abeſt, vt beneficium agnoſcat, vt illud potius vel extinguere omnino, vel admodum imminuere conetur: ſéque adeo non bonitate tua dimiſſum, ſed ſui retinendi difficultate liberatum prædicet. Hinc igitur, ſiquidem liberè dimittatur, non totius Chriſtianiſmi læta pax, ſed noua bella, nouæ cum Italis Anglóque aduerſum te ſocietates ne in diſcrimen, quod nuper vitarint, recidant, potentiámque tuam ſibi formidabilem augeri ſinant, orientur. Tuus exercitus ſperato tantæ victoriæ præmio excluſus non eundem vigorem obtinebit: fortuna ſe contemptam indignata ad hoſteis fortaſſe deficiet. Nunc igitur Italos attonitos tibi parere compelle, Regem aliis conditionibus, quàm quibus aduerſum te in poſterum rebellare non poſſit, ne dimitte. Si huc adducere non potes, fac vt Neapolim deducatur: collapſum multorum Imperatorum negligentia Germanicum Imperium in integrum reſtitue: cura vt re perinde ac nomine ſis Imperator, vt tibi Chriſtiani omnes pareant, téque vnum Cæſarem, ac dominum agnoſcant. Sic & Turcas repellere, & Lutherianos in viam reducere poteris; aliter non poteris. Qui enim Chriſtianos Reges viribus propemodum pares in vnum conſentire, & res tantas exequi ſperat, is fruſtra ſperat, vt bella olim à pluribus in Turcas ſuſcepta facile docuerunt: vnde tanta Turcis potentia, niſi quod nullum is tyrannus imperij ſocium habet: hactenus ſe Franciſcus tibi parem, aut fortaſſe viribus ſuperiorem exiſtimauit: quod regnum vbique compilans pecunia magis abundabat: dum in tua poteſtate eſt, illum ita debilita, vt te Imperatorem agnoſcere, tibique deinceps parere cogatur. Sic Alexander Macedo, ſic Iulius Cæſar, ſic Romani regibus,

,, Regibus, à quibus nihil, aut parum timebant, regna reliquerunt. Imperij æmulos, vt Da-
,, rium Perſarum Regem, vt Pompeium Romanæ Reipub. imperium ſibi quodam mo-
,, do vendicantem, vt Carthaginienſes, penitus euerterunt. Non eſt cur Italos ſimul, aut
,, cum Ludouica Regis matre ſocietatem coituros reformides: etenim & illud pariter co-
,, gitabunt, te quoties Regem liberare in animo erit, non ſolùm eam ſocietatem diſſo-
,, luturum, ſed & eundem aduerſus ipſos conuerſurum. Illis igitur, dum in metu ſunt,
,, formidoloſa arma tua redde: vt ſe imperio tuo ſummittant, perfice; erga ſummiſſos
,, clementia vti tibi perhonorificum erit.]

31 Vbi loquendi finem fecit, omnes totius Chriſtiani orbis imperium, ſiue monarchiam (vt Græco verbo vtar) quod rem magis explicare videtur, Cæſari deſtinantes illi aſſenſerunt, neque vlla in re contradixerunt. Aſſenſus eſt & ipſe Cæſar, non tam quid priuatim ſentiret indicans, quàm ne à communi conſilij ſententia diſcedere videretur. Miſſus itaque in Italiam Bearenus Comitis Roëſij filius ſummus Cæſaris cubiculariorum magiſter, vt vnà cum Cæſarianis ducibus Franciſco ſperatæ libertatis conditiones proponeret: is cum Borbonio ac Lanoio ad Piſleonenſem arcem, vbi adhuc Rex erat, acceſſit. Conditiones duriſſimæ fuerunt, nempe vt Franciſcus Cæſari regni Neapolitani ac Mediolanenſis principatus iure, quod ſibi vendicabat, Burgundia item maiore tanquam proprio Cæſaris patrimonio cederet: Borbonio Phocenſem prouinciam condonaret, vt cum eius patrimonio coniungeretur, indéque regnum nemini obnoxium conderetur; vt Anglo tam ſuo, quàm Cæſaris nomine ſatisfaceret. Aliæ præterea quædam addebantur; quibus conſtanter Franciſcus ſe potius captiuum moriturum, quam liberis ſuis regnum vlla ex parte imminutum relicturum reſpondit: quod ſi id etiam aſſentiretur, idem tamen, vt præſtet, in ſua poteſtate non eſſe: antiqua enim Gallorum ſtatuta regnum imminui niſi de trium ordinum conſenſu non permittunt, qui publicam regni vtilitatem priuatis regum commodis anteferre conſueuerunt: proponerent conditiones, quæ in eius poteſtate ſint, tum ſe earum nullam recuſaturum. Conditiones viciſſim haſce obtulit: ſe Cæſaris ſororem Eleonoram vxorem ducturum: Burgundiam maiorem quaſi dotis nomine poſſeſſurum liberis ex hoc matrimonio naſcituris hæreditariam: Margaritam ſororem Alenconij Lugduni paulò ante vita functi viduam Borbonio collocaturum: eidem quicquid ablatum ſit, reſtituturum, & nonnihil præterea additurum; Anglo pecunia ſatisfacturum, libertatem ſuam magno auri pondere redempturum: ſi quando Cæſar Romam ad coronam Imperatoriam accipiendam proficiſceretur, claſſem, terreſtrémque exercitum auxiliarem miſſurum. Cum his mandatis Bearenus ad Cæſarem rediit, cui comes additus eſt Annæus Mommorencius Mareſchallus, qui aliquot poſt annis magiſter equitum fuit.

Quænam à Beareno libertatis conditiones Franciſco propoſitæ.

Quas item conditiones Franciſcus Cæſari obtulerit.

32 Ludouica Regis mater huius victoriæ accepto nuntio attonita Carolum Borbonium Vindocinenſem citerioris Belgicæ, hoc eſt, Picardiæ, Claudium Lotharingum Guiſanum regulum maioris Burgundiæ ac Celticæ Campaniæ, Odetum Fuxium, Lautrecium Aquitaniæ prætores arceſſiuit. Etenim ne Vindocinenſis Borbonij Boiorum reguli propinquus res nouas moliretur, & regni fortaſſe adminiſtrationem Rege capto, pupillis eius liberis Regiæ ſtirpis Franciſco abſente, Borbonio gradu proximus ambiret, ſubtimebat: Alenconius enim cum cæteris cæſus vulgo ferebatur, qui non multis poſt diebus Lugduni diem ſuum obiit. Quum Lutetiam Vindocinenſis appuliſſet, viri è Senatu, ciuibúſque primarij, vt regni adminiſtrationem ſibi vendicaret, hortati ſunt: lege enim Salica vti regno, ita & regni procuratione fœminas excludi: id munus ſi ſuſcipere vellet, Lutetiam, cæteráſque principeis Galliæ vrbeis eius parteis ſequuturas. quod quidem Prati Cancellarij odio, qui Borbonij patrimonio ſpoliandi, & tot nouarum pecuniæ indictionum impudens tyrannidis adminiſter, author eſſet, conſulebant. Vindocinenſis in tantis regni periculis vnam concordiam ſalutarem eſſe animaduertens nouis tumultibus cauſam præbere noluit, & ſe totum ad regni conſeruationem contulit. Interim ingens totam Galliam luctus afflixerat; publicè ſummos bellorum duces, ac florem nobilitatis Franciſci arrogantia, negligentiáque, ac Boniueti temeritate amiſſum omnes dolebant: priuatim alij parenteis, alij fratres, alij propinquos aut captos, aut cæſos querebantur: & quod luctum augebat, ne regnum ad externos transferretur, impenſè timebant. Cæſare victore, cui ſe Borbonius tanti nominis dux adiunxerat, atque Anglo hoſtibus, rari ſupererant viri militares; liberi Regij tenelli adhuc erant quinque enim Claudia Regina nuper moriens

Gallicarum rerum afflictio, & Ludouicæ Regis matris perturbatio.

tized by G

Franciſco reliquerat, tres mares quorum natu maximus nondum octauum annum impleuerat: fœminas duas. Fœmina damnabatur, Ludouica (inquam) Regis mater, quæ ſi filius diu in cuſtodia haberetur, ne regni procuratione iis, quibus trium ordinum conſenſu adiudicaretur, cedere cogeretur, mirandum in modum metuebat: idcirco Vindocinenſem Lugdunum appulſum, quem Lutetiæ ad id ſollicitatum intellexerat, ſtatim ſanctioris conſilij principem declarauit: regni fines præſidiis muniri; pecuniam in bellum, ſi quod inferretur, cogi; claſſem Centumcellas petere iuſſit, vt Albaniæ regulum cum ſuo exercitu reduceret. Hugonem Moncatam è cuſtodia eduxit per quem & ad Cæſarem ſcripſit, & liberandi filij conditiones propoſuit; quæ cum his quas Franciſcus Beareno propoſuerat, fere eædem fuerunt. Verumenimuero præcipuum negotium in placando Anglo erat, qui ſi diſiungeretur, Cæſari pecunia exhauſto reſiſti poſſe videbatur.

Hugo Moncata vinculis eluitur.

Anglus autem tametſi poſt acceptum victoriæ nuntium omnia lætitiæ ſigna ediderat, ſéque in Galliam cum exercitu tranſmiſſurum promulgarat, legatos etiam ad Cæſarem miſerat, vt ambo è diuerſis regionibus ſimul in Galliam irrumperent; tamen à priſtino inſtituto non recedens clam etiam ad Ludouicam miſerat, vt ad ſe fidum hominem allegaret: quicum ſua conſilia communicare poſſet. Illa ſtatim legatum cum mandatis ampliſſimis miſit, & ne capto filio humanæ conditionis memor inſultaret, obſecrauit. Anglus Cardinalis Eboracenſis conſilium ſupra commemoratum ſequutus, vt omneis duorum horum principum controuerſias ad ſuum arbitrium reuocaret, eodem tempore cum Regis matre de fœdere ineundo, & cum Cæſare de bello Galliæ inferendo agebat: quem vt magis incitaret, ſe filiam quamuis nondum nubilem ad illum miſſurum pollicebatur: de quo matrimonio multi antea ſermones, vltro citróque habiti erant. Sed ſimul omnia propemodum, aut certè maiora victoriæ præmia depoſcebat, Normaniam ſcilicet, Aquitaniam, & bonam prouinciæ Narbonenſis partem, quam Vaſconiam appellant: quinetiam & Galliæ Rex inſcribi volebat. Deinde vt bellum communibus impenſis non per legatos gereretur, ſed vt vterque vnà cum ſuis copiis adeſſet, poſtulabat: quæ poſtulata periniqua Cæſar iudicans, Anglúmque prioribus fœderibus non ſtetiſſe agnoſcens (in grauibus enim Galli Regis periculis, quum ſeſe bonæ occaſiones offerrent, nunquam exercitum, vt pollicitus erat, in Galliam immiſerat) nec futuris ſtaturum ſuſpicatus, tum pecunia exhauſtus pacem cum Gallo, quàm Anglicam ſocietatem ſibi vtiliorem exiſtimauit, & iam à matrimonio filiæ eius abalienatus erat: in cuius dotem pecuniam duntaxat mutuo acceptam recipere debebat. Ad Iſabellam Emmanuelis Luſitaniæ Regis & Heleonoræ ſororis filiam nubilem liberorum ſuſcipiendorum cupidus animum adiecerat, ex cuius dote immenſa auri pondera accepturus ferebatur; & Hiſpani vt Reginam ſuæ nationis haberent, multa ſe addituros pollicebantur. Quinetiam vt cum Luſitano Rege multis affinitatibus coniungeretur, Carolus laborauit: Ioanni enim Emmanuelis filio Catharinam ſororem, eiuſdem Ioannis filio Iſabellam filiam ſuam collocauit; Mariam autem Ioannis filiam Philippo filio vxorem dedit. Accedebat Cardinalis Eboracenſis ad Gallum propenſio, & à Cæſare abalienatio; à quo ſe iam deſpici intelligebat: quum enim ante victoriam Ticinenſem ſemper ſua, nihil aliena manu ad illum ſcribere ſoleret, & in ſubſcriptione hæc verba addere, (TVVS FILIVS, ET COGNATVS CAROLVS) poſt victoriam nihil ſua manu ſcribebat, & in ſubſcriptione ſolum Caroli nomen apponebat. Hinc Anglus Ioannem Ioachinum Genuenſem Ludouicæ Regis matris legatum humaniſſimè excepit, & cum eadem Franciſci filij nomine ſpondente fœdus iniit, quo inter cætera cautum fuit, ne quid eorum, quæ Franciſcus poſſideret, pro eodem redimendo Cæſari traderetur: militem præterea auxiliarem, quum opus eſſet, pecuniámque mutuo dandam pollicitus eſt, & exercitum, quem vt traiiceret, paratum habebat, dimiſit; nec in eius impenſas quicquam poſtulauit. 33

Inter Anglũ & Ludouicam Sabaudianam fœdus in quam ſententiam conceptum.

Vix cum Lanoio Clemens conuenerat, quum nouus è Gallia legatus Romam appulit cum mandatis Ludouicæ Regis matris ampliſſimis, vt cum ipſo ſocietatem coiret: miſſus erat & Venetias alter cum iiſdem penè mandatis. Et multi vt Italiæ libertati Clemens conſuleret, bonáſque conditiones non reiiceret, ſuadebant, maturiùs oblatas dubio procul haud reiecturus. Sed in Gallia tanta perturbatio erat, fœmina præſertim rerum potiente, vt res ſæpius differrentur, & initio omnium animi in Anglo reconciliando occupati erant: nullam tamen Clemens Cæſarianis ſuſpicionem mouere voluit. 34

Digitized by Google

voluit: vbi Lanoium fœdus ratum habuiſſe, & præconis voce publicè proclamari iuſſiſſe intellexit, non expectato Cæſaris decreto idem in æde Lateranenſi Kalendis Maij non minoribus cum ceremoniis, quam in Pontificia corona accipienda vſus erat, publicè edi, legíque iuſſit cui proclamationi & ipſe interfuit; vt Florentini promiſſam pecuniam exoluerent, perfecit: vt Veneti oblatas conditiones acciperent, atque in fœdus reciperentur, quoad potuit, laborauit, cui multas nihilominus conquerendi, occaſiones Cæſariani dederunt. Etenim viginti quinque nummûm aureorum millia interim dum fœdus pertractabatur, à Florentinis perſoluta in centum numerum quorum tertio fœderis capite mentio facta erat, recipere Lanoius recuſauit, & ſuum hic mandatum interceſſiſſe impudenter negauit: milites è Parmenſi Placentinóque agro non reuocauit: Senis Montenouanos, qui Pontificis parteis ſequebantur à contraria factione bonis ſpoliari permiſit; & quod Clementi moleſtiſſimum fuit, Ferrarienſi, vt in fidem Cæſaris reciperetur, nec Rhegium, Ruberiámque Clementi reddere cogeretur, ſpem iniecit. Quorum nomine Cardinalem Saluiatum conqueſturum Clemens ad Lanoium miſit, cui Lanoius ſi Ferrarienſis vrbeis ſupra commemoratas reſtituere differret, ſe armis coacturum reſpondit. Sed aliud in ore, aliud in pectore habere res ipſa coarguebat: & quod maiorem pecuniam à Clemente de redditis, quàm à Ferrarienſi de relinquendis illi hiſce vrbibus accepturus erat, omnes aut Pontificis deprimendi aut Ferrarienſis ad ſe pertrahendi, aut Italiæ opprimendæ ergo Cæſarianos hæc moliri interpretabantur. Quæ magnas Clementi moleſtias, magnas ſuſpiciones mouebant; eaſdem Cæſar paulò poſt vehementer auxit: nam quum fœdus ratum habuiſſet, tria capita ſeparatim adiecta rata habere differebat, aut potius recuſabat. Quod ad Ferrarienſis vrbeis attinet, ſe nullum Germanico Imperio, in cuius fide eſſe ferantur, præiudicium allaturum: quapropter huiuſmodi controuerſiam aut iudicibus permittendam, aut ad ſelectos vtrimque arbitros eſſe reuocandam. Vt Mediolanenſes ſalem à Ceruiæ ſalinis in poſterum accipiant, neque Lanoium, neque cæteros, qui negotia ſua procurabant pro Sfortia ſpondere potuiſſe: ea res inter alios acta, & tranſacta erat: Sfortia enim cum Ferdinando Auſtriaco propter miſſa recèns Germanorum auxilia, vt ſalem deinceps ab ipſo Mediolanenſes accipiant, iam conuenerat: operam nihilominus daturum, vt Ferdinandus frater aliquanta accepta pecunia Mediolanenſes à Ceruiæ ſalinis, quoad Clemens vixerit, ſalem accipere patiatur.

Cur Clemens de Lanoio conqueratur.

35 Caput de regni Neapolitani ſacerdotiis non admittebat Cæſar, niſi iis, quæ fidei præſtitæ diplomatis continebantur, maiorum ſuorum Regum Neapolitanorum obſeruatio, atque ea, qua vſi erant, conſuetudo adderetur. Hinc diplomata à Cæſare miſſa, quibus fœdus confirmarat, accipere & ſua ad illum mittere Clemens recuſauit: & quod fœdus intra quartum menſem confirmatum non fuiſſet, centum nummûm aureorum millia à Florentinis perſoluta repetiuit. Lanoius conditionem de reddendis hiſce nummis fœderi haud inſertam, ſed ſeparatim per procuratores ſuos cum iureiurando quidem, at ſine ſuo mandato adiectam reſpondebat: idcirco fœderis inſtrumentum vitiare non poſſe, quod intra quartum menſem ratum Cæſar habuiſſet. Et Cæſariani duces victoria inſolentiores aduerſus Clementem pleraque deſignarant, & palam ſermones de opprimenda Italia ferebant: Mutinam Germanici Imperij Ferrarienſi reſtituendam, Bentiuolis Bononiam: Senas, Florentiam, Lucam, Imperij fundos, in Cæſaris poteſtatem redigendas, quæ anxium Clementis animum admodum torquebant; nec qui reſiſteret, occurrebat Gallis Italiam Cæſari quaſi in prædam obiicientibus: quem cum terreſtri, maritimóque exercitu comitari Romam vſque promittebant. Interim inter Cæſarianos, Venetóſque de continuanda ſocietate vt cum Adriano facta erat, diſceptabatur, & poſt multas altercationes tandem non ſecus ac cæteri attoniti, & quaſi ſoli relicti Petro Piſaurenſi legato ſuo, vt eandem renouaret, & pro non factis hactenus, vti tenebantur, impenſis octoginta nummûm aureorum millia promitteret, mandatum dederunt: centum depoſcebat Lanoius, ibique quaſi fixus hærebat. Dum de tantilla pecunia diutius diſceptatur, quod in iis quæ ſponte non fiunt, accidere ſolet, nempe vt nihil fiat, tum quoque accidit. Siquidem Anglum ad Gallos inclinare, & Gallorum res non perinde ac fama erat, deploratas eſſe intellexerunt, & quòd Germanis dimiſſis Cæſarianus exercitus non his eſſet viribus, vt noua tum bella moliri poſſet, rem ſuſpenſam tenuerunt, poſtremóque nihil dependerunt. Hinc ſolliciti de Rege Cæſariani eundem Genuam, inde Neapolim deducere cogitabant: iam

arx

Cur Franciſcus in Hiſpaniam deduci cupiat.

arx noua, vt ibi aſſeruaretur, exornabatur, quod Regi moleſtiſſimum erat: in Hiſpaniam enim deduci cupiebat, vt commodius cum Cæſare agere, & cum eodem anniténte Eleonora ſorore, quam tum ambiebat, de propoſitis conditionibus conuenire poſſet. Cupiebat idem Lanoius, ſed quod Galli claſſe præſtarent, hærebat. Miſſus eſt ad Ludouicam Regis matrem Mommorencius, vt ſex triremes Lanoio mutuo daret, quæ Franciſco in Hiſpaniam appulſo redderentur. Hæ ſedecim Cæſarianis iunctæ, Hiſpanóque milite impletæ Regem in Delphini portu, Lanoiúmque exceperunt: vnde ſexto Id. Iun. ſoluentes, ac felici nauigatione vſæ poſtridie in Hiſpaniam appulerunt, Borbonio, Daualo, cæteríſque Cæſarianis ducibus ac militibus, qui in Italia remanebant, eaſdem Neapolim nauigare exiſtimantibus.

Franciſci in Hiſpaniam deducti, vbi nuncium Cæſar accepit huius deliberationis adhuc ignarus, mirum quanta lætitia affectus eſt, & vt in arce Sciatinenſi non procul à Valentia aſſeruaretur, edixit, vbi Tarraconenſes Reges magni nominis proceres olim in cuſtodiam tradere conſueuerant. Id inhumanum, & ab iis, quæ Regi in Italia promiſerat, multum alienum Lanoius agnoſcens vt in loco amœno, & venationibus opportuno ad Valentiam Rex ſubſiſteret, donec aliter Cæſar ſtatuiſſet, impetrauit; & iuſto præſidio addito, cui Alarco præerat, ad Cæſarem cum Mommorencio profectus eſt. Vbi quæ hactenus in Italia geſta ac pertractata erant, Lanoius explicauit, vt cum Rege conueniret, ſuaſit, nullam cum Italis fidam ſocietatem iniri poſſe confirmans. 36

In arce Madritia aſſeruatur.

Rex in arcem Madritiam à mari, Galliæque finibus longè diſtantem deductus, vnde quoties vellet, ſed mulæ inſidens, & cum iuſto præſidio exire poſſet: neque enim ad colloquium Cæſar, niſi prius cum ipſo conueniſſet, aut quin conueniret, non multum abeſſet, admittere volebat. Rediit in Galliam ſtatim Mommorencius, vt Margarita Regis ſorore Alenconij vidua arceſſita fœdus maiore cum authoritate ſanciretur: ac ne quæ nouæ difficultates interuenirent, in Decembris finem pactæ induciæ fuerunt. Decretum vt aliquot triremes ad arceſſendum Borbonium in Italiam redirent, ſine quo Cæſar nunquam ſe cum Rege conuenturum præ ſe ferebat. Et vt ſe ad pacem vniuerſi Chriſtianiſmi, præſertim vero Italiæ conſtituendam promptum oſtenderet, Clementem vt Saluiatum Cardinalem legatum ſuum accelerare iuberet, monuit: ad quem etiam Lopidem Vtardum ſub finem Iulij miſit, vt matrimonium ſuum cum Iſabella Emmanuelis Luſitaniæ Regis, & Eleonoræ ſororis ſuæ filia, qui ſecundus cognationis gradus eſt, ſua authoritate comprobaret. Anglo autem ſeſe excuſans popularium ſuorum voluntati, ac precibus reſiſtere non potuiſſe obtenderat: per eundem Lopidem Sfortiæ in Mediolanenſis principatus fidem admiſſi diploma ea conditione miſit, vt Sfortia centum nummûm aureorum millia ſtatim, mox quingenta certis penſionibus penderet. Lopidi aliud quoque diploma tradidit, quo Piſcarium Mediolanenſis ſui exercitus Imperatòrem declarabat: Hiſpanos pedites in Salaſſo agro ſtatiua habere, cæteris miſſionem dari, ſexcentos cataphractos equites in regnum Neapolitanum redire, cæteros ad Mediolanenſis principatus propugnationem relinqui, pecuniam quam Genuam ad armandas quatuor maiores naueis miſerat, in eiuſdem exercitus ſtipendium conuerti iubebat, quod profectionem ſuam Italicam in aliud tempus diſtuliſſet. Caraciolum Mediolano Venetias ad renouandum fœdus allegauit, vt ſe pacis vbique inter Chriſtianos conciliandæ ſtudio flagrare omnibus palam faceret. Franciſci in Hiſpaniam diſceſſus ingenti moleſtia Clementem Venetóſque affecit: nam propter multas vel eius in Italia aſſeruandi, vel in Hiſpaniam deducendi difficultates Cæſarem ad æquas pacis conditiones venturum ſibi perſuadebant. Vbi Franciſcum vana ſpe illectum hoſtibus ſui in Hiſpaniam tranſportandi facultatem dediſſe viderunt, irritas omneis quas Ludouica eius mater obtulerat, ſocietatis conditiones facilè intellexerunt. Aucta in dies Cæſaris authoritate omnia quodam modo ad monarchiam tendere; Italos haud iam ſui compotes eſſe, quas ille dederit leges aut vi, aut ſponte ſubeundas.

Borbonius Franciſci diſceſſu in Hiſpaniam ſibi celatum moleſtè ferens in Hiſpaniã traiicit.

Nec minor Borbonium, Piſcariúmque animi ægritudo torquebat: vterque ſibi celatum huiuſmodi diſceſſum variis de cauſis iniquiſſimè ferebat: Borbonius quod relicto propter Cæſaris affinitatem patrimonio patria exul, ſi quid inter Cæſarem, Regémque ſe inſcio conueniret, magni ſua intereſſe exiſtimaret: quapropter in Hiſpaniam quamprimum nauigare in animo habebat, niſi triremes in reditu tardiores eius nauigationem remoratæ fuiſſent. Piſcarius & de Cæſare, & de Lanoio querebatur: de 37

Cæſare,

Digitized by Google

Cæſare, quod Ticinenſem victoriam Lanoio potiſſimum, qui minimas parteis tulerat, acceptam referret: de Lanoio, quod illum quaſi dedignatus tanti momenti, Regis ſcilicet in Hiſpaniam traiiciendi, conſilium celaſſet. Itaque vehementeis ad Cæſarem litteras ſcripſit; quibus Lanoium admodum percellebat. Si cætera huius belli conſilia perinde atque hoc Piſcarium Lanoius celaſſet, non ſolum Rex haud captus fuiſſet, ſed Cæſariano exercitu in regnum Neapolitanum reuerſo Mediolanenſis principatus in Gallorum poteſtatem recidiſſet: ſic enim Borbonio ad deducendos Ferdinandi Auſtriaci milites occupato Lanoius ſtatuerat, cuius inconſideratam deliberationem multis rationibus reiiciendam Piſcarius vix, ægréque conuiciſſet, hunc de aliena victoria triumphare; cuius amittendæ potius, quàm conſequendæ penè author fuiſſet: in ipſo enim prælij feruore animi conſiliique inopem ſæpe effœminatas voces effudiſſe, &, PERIIMVS, PERIIMVS (inquam) atque alia huiuſce notæ verba non ſemel ingeminaſſe: quæ ſi inficiari conetur, Piſcarium quod obiicit, ſingulari certamine, vt diſciplinæ militaris iubent leges, confirmaturum. Piſcarij indignationem auxit Carporum Comitatus à Cæſare denegatus, cuius poſſeſſionem ſtatim poſt victoriam bona erga ſe Cæſaris voluntate fretus adiri iuſſit: at eundem Comitatum biennio ante Proſpero Columnæ Cæſar condonarat, qui quamquam hoc nomine in fidem receptus haud fuerat, tamen Veſpaſianum Proſperi filium paternorum meritorum hæredem Cæſar eſſe voluit, eidémque Comitatum adiudicauit. Id in ſuam contumeliam factum Piſcarius quondam Proſperi acer inimicus iudicans, & apud Cæſarem, & apud Italicum Cæſaris conſilium & paſſim vbique grauiter queſtus, Cæſarem quaſi nimis erga ſe ingratum accuſauit. Hæ querelæ tota Italia diuulgatæ nouarum rerum moliendarum occaſionem dederunt, quam pertexere non alienum erit.

Piſcarius aduerſus Lanoiū cur indignatus.

38 Bellum Leo Pontifex ac Cæſar non tam Franciſci Sfortiæ in Mediolanenſem principatum reducendi ergo, quamquam id obtendebant, quam vt Franciſcum Galliarum Regem Italia pellerent, ſuſceperant: ſed parta victoria tametſi Mediolanenſis ac cæteræ arces, munitæque vrbes Sfortiæ traditæ erant, tamen regionis huius opportunitas ſuſpicionem, quam de Gallo conceperant, in Cæſarem conuertit: quem non ſecus ac Gallum ad eundem principatum ſibi vendicandum, indéque ad totam Italiam opprimendam aſpirare non falſi vates præſagiebant: cæterum Galli metu, & ne Itali, qui potentiam eius augeri nolebant, præſertim verò Mediolanenſes, qui ſuæ nationis principem flagrantiſſimis ſtudiis deſiderabant, aduerſus ipſum conſpirarent, ambitionem, quam fixam animo retinebant, comprimere adhuc, donec melior ſeſe offerret occaſio, ac diſſimulare exiſtimabant. Dux igitur erat Sfortia, ſed & Cæſari, cuius viribus principatum ſuum tuebatur, & Cæſarianis ducibus ita obnoxius, vt Dux nomine tenus, re Cæſariani exercitus quæſtor videretur: nullum enim militibus ſuis ſtipendium Cæſar, id omne Sfortia perſoluebat, quod nouis & antea inauditis pecuniæ indictionibus corradere cogebatur. Si quando pecunia deerat, populorum impenſis, & ſuo quidem arbitrio Hiſpani gens auariſſima ac rapaciſſima viuebant; quæ etſi grauiſſima erant, & penè intolerabilia, tamen Gallorum odio ac metu, quos grauiter offenderant, vtcumque patiebantur, eundémque belli, ac malorum ſuorum finem fore ſibi perſuadebant. Poſt Ticinenſem autem victoriam quum iam nihil à Gallo timeretur, eædem nihilominus calamitates continuabantur, & ſemper alendus, ſtipendióve afficiendus erat Cæſarianus exercitus; quæ Sfortiæ conceptam animo ſuſpicionem augebant. Accedebant & Lanoij, cæterorúmque Cæſarianorum ducum diuulgati plerique ſermones, quibus Cæſarem ad hunc principatum inuadendum hortari videbantur: & multæ de mittendo ad Sfortiam præſtitæ fidei diplomate dilationes, & poſt miſſum immenſa pecunia bellicarum impenſarum nomine à Lanoio poſtulata eodem referebantur: ſiquidem quadringenties ſeſtertium, hoc eſt, millionem (vt vulgo loquuntur) & ducenta præterea nummûm aureorum millia Lanoius depoſcebat. His ſuſpicionibus adductus Hieronymus Moronus Sfortiæ Cancellarius conſiliorúmque omnium moderator, quum Cæſarianum exercitum admodum imminutum videret, multis Hiſpanorum cohortibus cum Rege, & Lanoio, aliis item aliquanto poſt cum Borbonio in Hiſpaniam profectis, & plerique præda graues, quò quemque ſua commoditas vocarat, dilapſi erant, Piſcarium de Cæſare grauiter ac merito queſtum aggreſſus eſt, eidémque ſi patriæ libertatis memor ab ingrato Cæſare deficiat, regnum Neapolitanum meritorum ſuorum quæ Cæſar vt debuit, non agnouit, præmium propoſuit: eam

Piſcario ſi à Cæſare deficere velit regnum Neapolitanū pro præmio proponitur.

ſi patriæ pietatem præſtet, Clementem, & Venetos Cæſarem ſe ad opprimendam Italiæ libertatem comparantem prouidenteis illi non defuturos.

Huius conſpirationis certior factus Clemens quamquam admodum anxius, ab eadem tamen ſe non alienum oſtendit: & Cæſarem nihilominus vt ſui exercitus ducibus ſatisfaceret, monuit, non vt conſpirationem aperiret; ſed vt (ſi res non bene ſuccederet) aliquem ad reconciliandum Cæſarem ſibi aditum pararet. Veneti ſe promptiſſimos declarabant: in eam quoque Ludouicam Regis matrem nomen daturam omnes ſibi perſuadebant: quæ difficiliores de filio liberando, ex quo in Hiſpaniam tranſierat, conditiones proponi intelligebat. Et vero quin feliciter conſpiratio ſuccederet, ſi ſincerè Piſcarius in opus incubuiſſet, nemo dubitauit. Initio Morono aſſenſiſſe, vt ambitioſiſſimus erat, plerique exiſtimabant: deinde vires ſuas metientem & Gallos ſemper de fœdere cum Cæſare agenteis animaduertentem (iam enim vt Margarita Regis ſoror in Hiſpaniam proficiſceretur decretum erat) indéque Ludouicæ promiſſa inania eſſe ratiocinantem, & ne ea muliebri animi mollitia conſpirationem per filiam Cæſari indicaret, metuentem ſeſe reuocaſſe, conſpirationis ſocios prodidiſſe, rémque omnem ad Cæſarem, ſed tardius detuliſſe produnt: ante enim Antonius Leua ac Ferdinandus Marinus exercitus quæſtor Cæſari indicarant; vt de tam diuturno Piſcarij ſilentio plerique mirarentur. Tandem igitur Ioannem Baptiſtam Caſtaldum domeſticum ad Cæſarem miſit, quid Itali molirentur, ſignificans, & de Cæſaris conſenſu vt nemo ex conſpiratoribus inficiari poſſet, rem ad exitum perducere velle ſimulauit. Cum Sfortia conſilia ſua communicauit: cum Morono egit, vt Dominicum Saulium cum diplomate, quod Breue vocant, Clemens ad illum mitteret eadem de re ſecum communicaturum. Decretum erat vt ſocietas inter Clementem Pontificem, Ludouicam Regis matrem, Venetos, cæteróſque principes Italos, aut liberos populos iniretur, exercitúſque conſcriberetur, cuius Piſcarius ſummus dux eſſet: is Hiſpanos ſeparatim in diuerſis Mediolanenſis principatus regionibus ſtatiua habere iuberet: ex iis, quos poſſet, ſibi adiungeret, cæteros cum Antonio Leua, qui ſecundum illum plurimum apud milites poterat, trucidaret; deinde ad regnum Neapolitanum inuadendum properaret, quem hoc nomine in fidem Clemens recipere teneretur. Vno ſe ſcrupulo retineri ne ad opus aggrederetur, Piſcarius ſimulabat: an enim eius exiſtimatio, ſi aduerſus Cæſarem, cui ſe ſacramento obligarat, arma caperet, læderetur dubitabat. Quæſtio in hoc vertebatur, an potius Cæſari vtili domino (vt Iuriſperiti loquuntur) hoc eſt reuera poſſeſſori, an potius Clementi primario patrono Piſcarius regni Neapolitani cliens parere deberet: Clementis enim iuſſu arma capere videri volebat. Hæc quæſtio in genere nulla interpoſita perſonarum mentione & Romæ Clementis, & Mediolani Sfortiæ iuſſu inter viros eruditiſſimos diu, multúmque diſputata eſt. Rem vehementer vrgebat, Ludouica Regis mater, & quingentos cataphractos equites, magnúmque auri pondus promittebat, cuius metu Cæſarem ad æquiores conditiones adductum iri ſperabat.

Coniurationis aduerſus Cæſarem ineundæ capita præcipua, & vt à Cæſare detecta.

Piſcarius circa coniurationẽ ſcrupulo quodã ſe retineri ſimulat.

Nec minus Italos accendebat Moronus, & quamuis ab ipſis deficeret Piſcarius (iam 40
enim illum ob multas dilationes ſuſpectum habebant) Hiſpanos Italia perfacile pelli poſſe confirmabat. At ſine Piſcario nihil tentare audebat Clemens, præſertim quod ne Cæſar in Italiam tranſiret, adhuc timebat: Cæſarum namque potentiam cum exercitu Italiam ingredientium Romani Pontifices horrere in primis ſolebant. Id ne eueniret, Sigiſmundum Sanctium, qui Alberto Carporum Comiti ab epiſtolis erat, in Galliam miſit, vt poſtremo ſocietas rata haberetur: is equis curſoribus per Bergomatem agrum tranſiens noctu iuxta Sebinum lacum à latrone hoſpite cæſus eſt: diu celata mors, vt Cæſarianorum ducum, ipſiúſque adeo Piſcarij iuſſu cæſus putaretur, effecit; quos detectum paulò poſt crimen, & mulctatus latro, tum litteræ incolumes Venetias tranſmiſſæ ſuſpicione liberarunt. Interim Lopides Vtardus in Italiam properans in morbum apud Allobroges incidit: hinc Cæſaris diplomata, quibus Franciſcus Sfortia Mediolanenſis principatus nomine in fidem recipiebatur, Piſcarius Cæſariani exercitus Imperator declarabatur, Marinus Caraciolus Venetias Cæſaris legatus proficiſci iubebatur, vt eum Senatum ad renouandam ſocietatem incitaret, Mediolanum Lopides miſit. Sfortia Cæſaris diplomate dux renuntiatus Cæſarianis quinquaginta nummûm aureorum millia perſoluit, nec idcirco conſpirationem, quoad potuit, cum Piſcario promouere intermiſit: munus ſibi iniunctum Piſcarius quaſi inuitus ſuſcepit, ne

à conſpira

Digitized by Google

à conſpirationis conſiliis diſcedere videretur, & ſuo more nouis ſemper dilationibus vtebatur; Moronúmque, ac cæteros ſuſpenſos tenebat. Occaſionem auxit Sfortiæ valetudo adeo grauis vt de vita eius ſpes nulla supereſſet: vnde exercitum augere, & duo Germanorum peditum millia arceſſere, plura vt, quum opus eſſet, itineri ſe darent, retinere Piſcarius coactus eſt: omnes enim Sfortiæ morte Mediolanenſem principatum ad Cæſarem patronum redire pro certo habebant. Verumenimuero omneis conſpirationis ſupra commemoratæ rationes paruo momento fortuna euertit: Franciſcus enim de Cæſaris humanitate deſperans in eam valetudinem incidit, vt niſi ægrotum Cæſar inuiſeret, bonáque ſpe impleret, actum de illo eſſe medici omnes, quibus eius cura commiſſa erat, iudicarent. Cæſarem ad iter ſe comparantem interpellauit Gattinarius Cancellarius, & ne Regem inuiſeret, niſi pariter & cuſtodia liberaret, conſuluit; alioqui hanc humanitatis ſpeciem non liberalem, ſed mercenariam videri: quæſtus enim cauſa, non animi magnitudine inſtitui. Dignum Cæſare conſilium, quod tamen aliis aliter ſuadentibus ſequutus non eſt; quin equis curſoribus Madritium petiit: Regem, quod extrema valetudine erat, paucis verbis, ſed conſolationis plenis affatus, vt bene de libertate ſperaret, hortatus eſt: qui inde vel iuuentæ vigore morbi vim ſuperante, vel libertatis ſpe naturales vires refocillante, melius habere cœpit, ac tandem conualuit.

Franciſcũ in grauem morbum lapſum Cæſar inuiſit.

41 Iam in itinere erat Margarita Franciſci ſoror Alenconij vidua: ea Septembri menſe è foſſis Marianis ſoluens Barcinonem primum, deinde Cæſarauguſtam appulerat: inde Madritium tum quum Franciſcum Cæſar inuiſeret, petiit. A Cæſare benignè excepta quum aliquot poſt diebus, hoc eſt, quarto nonas Octobris de Franciſci fratris, atque Eleonoræ Cæſaris ſororis matrimonio verba feciſſet, id ſine Borbonij conſenſu Cæſar contrahi non poſſe reſpondit: cætera fœderis capita per delectos vtrimque viros diſceptabantur. De Burgundia maiore ſumma diſceptatio erat, de cæteris facile conueniſſent: hanc ſibi reſtitui Cæſar tanquam patrimonij portionem pertinaciſſimè contendebat. Galli vt in Eleonoræ dotem acciperetur, aut vt ad vtrum pertineret, in iure diſceptaretur, aſſentiebant; reſtituere omnino recuſabant. Ita re infecta Margarita Regis ſoror in Galliam rediit: cum Cæſare tamen Ebredunenſis qui mox Turnonius ac Tarbellenſis Pontifex, qui Grandimontanus Cardinalis dictus eſt & Ioannes Selua Pariſienſis Senatus princeps remanſerunt, atque initos de fœdere ſermones continuare non intermiſerunt. Hoc ipſo tempore Saluiatus Cardinalis Pontificius legatus ad Cæſarem acceſſit, & vt capita fœderis cum Lanoio initi rata haberet, tabuliſque Auguſtalibus Mediolanenſem Ducatum Sfortiæ confirmaret (id enim veluti quoddam Italicæ libertatis pignus eſſe) inſtitit. Repugnabat ipſe Lanoius, nec Rhegium, Rubeˈriámque Clementi reſtitui volebat; quo ſuadente Ferrarienſis ad Galliæ fines Hiſpaniam profecturus peruenerat: ſed quod liberum per Galliam tranſitum Ludouica Regis mater negaret Ferrariam reuerti coactus eſt. Tum de Cæſaris, atque Iſabellæ Ioannis Luſitaniæ Regis ſororis matrimonio agi cœptum, quam vxorem Cæſar ducere ſtatuerat, tametſi Anglo ſe eius filiam ducturum iureiurando ſanctiore promiſerat: ſorori in dotem nongenta nummûm aureorum millia Luſitanus dabat: quorum quadringenta iam, ſed mutuo data Cæſar acceperat. Hiſpani vltra quadringenta, quæ ſuis Regibus in neceſſitate conſtitutis olim ſponte dabant, & vulgo ſeruitium vocabant, tum verò quaſi vectigal annuum exigebantur, ſi matrimonium conficeretur, altera quadringenta pollicebantur. Permittere cunctabatur Clemens vel vt Cæſarem facilius ad ſuas rationes adduceret, vel vt ſi bellum moliretur, ne eidem pecuniam belli neruum, inſtrumentúmque præberet: quæ tantiſper dum cum Cæſare Saluiatus pertractat, Piſcarius, qui Cæſarem de graui Sfortiæ morbo per Caſtaldum admonuerat, vt pro ſua prudentia rebus Mediolanenſibus prouideret, mandatum acceperat.

Margarita Frãciſci ſororis in Hiſpaniam nauigatio.

Matrimoniũ Cæſaris & Iſabellæ Ioã. nis Luſitaniæ Regis ſororis promoueri cœptum.

42 Sfortiam in dies melius habere certior factus, quamquam ipſe Nouariæ grauiter ægrotabat, eundem principatu Mediolanenſi ſpoliare inſtituit; quod conſpirationis aduerſus Cæſarem patronum initæ conſcius, ac particeps fuiſſet: partem exercitus Ticini collocauit; Germanos ad Laudem Pompeij ſtatiua habere iuſſit, quas duas vrbeis diligenter munierat: milites quos per Pedemontanum, Salaſſúmque agrum diſtribuerat, Nouariam reuocauit: eodem Hieronymum Moronum acceſſiuit vnum omnium (vt dixi) Sfortiæ conſiliorum arbitrum, cuius confeſſione, & Sfortiam læſæ Cæſareæ maieſtatis conuinceret, & conſilio deſtitutum in ſuam poteſtatem redigeret: Moronus enim

ingenio acer, & apud ſuos authoritate pollens omneis Piſcarij machinas facilè repulſurus videbatur: ea eſt humanæ prudentiæ infirmitas, tametſi in nonnullis vt ſumma celebratur, vt mala impendentia vix miſeri mortales aliquando vitare poſſint. Odioſum ſe Hiſpanis, & ab iiſdem ambiguæ fidei inſimulatum Moronus nouerat: eidem ſe vim allaturum palam ſæpius Antonius Leua minitatus erat; quàm Sfortiæ neceſſarius eſſet, videbat: ſine quo regulus quaſi corpus exanimatum iacebat. Inter Piſcarium, Moronúmque pleræque nuper ſuſpiciones interceſſerant: omnes ne in certum carcerem ſe prudens, vidénſque coniiceret, conſulebant: tamen vel antiquam amicitia, vel data fide, quam recentibus litteris receperat, fretus ſe Piſcario permiſit: quem aliquanto ante omnium Italorum nequiſſimum, perfidioſiſſimúmque eſſe amicis dixerat. Nouariæ benignè à Piſcario exceptus eſt, deinde in interiore cubiculo de conſpiratione, in primis verò de trucidandis Hiſpanis colloquuti ſunt Antonio Leua ſub aulæis condito, vt omneis illorum ſermones exaudiret: vnde digreſſus Leuæ iuſſu in Ticinenſem arcem pridie Idus Octobris miſſus eſt. Illuc paulò poſt & Piſcarius conceſſit, vt in illum planius inquireret: ille conſpirationem omnem vt inſtructa, atque adornata erat, confeſſus eſt, Sfortiámque eius conſcium, approbatorémque declarauit, quod Piſcarius, Cæſarianíque potiſſimum quærebant. Dum Piſcarius Ticino, Laudéque Pompeij potitus vt Cæſarianus exercitus in tuto collocari poſſet, Cremonam, Tritij, Lecci, Piſſeonis arces, quæ quod Abduæ imminent, vulgò Ducatus Mediolanenſis claues appellantur, ſibi dedi poſtulauit, nihil vltra ſe petiturum, innouaturúmve pollicitus, regulus omni conſilio deſtitutus ſtatim dedi imperauit. His non contentus, vt Mediolanum admitteretur, quo facilius inter ſe colloqui poſſent, petiit: eadem facilitate admiſſus arcem Cremonenſem, Ioannem Angelum Ricium, qui Sfortiæ, Politianum qui Morono ab epiſtolis erat ſibi dedi, vt an Sfortia ipſe aduerſus Cæſarem conſpiraſſet, inquireretur: poſtremò vt arcem Mediolanenſem foſſa cingi pateretur, poſtulauit.

Sfortia coniurationis aduerſus Cæſarem accuſatur.

Ad poſtulata tam aliena Sfortia Cremonenſem, Mediolanenſémque arceis ſe nomine, & iuſſu Cæſaris, cuius fideliſſimus cliens ſemper fuerit, poſſidere reſpondit: 43 ſi liberè proficiſcendi teſſeram det Piſcarius, ſe ad Cæſarem miſſurum, eidémque innocentiam ſuam probaturum; interim arceis nemini deditururum, neque vt Mediolanenſis foſſa cingatur, paſſurum: quæ enim maior innocenti iniuria inferri poteſt, quam vt indicta cauſa velut in carcerem condatur? Ioannem Angelum ſolum habere ex iis, qui negotia ſua procuratint: Politiano magis etiam egere, vt coram Cæſare eundem ſiſtat, probétque Moronum tantiſper dum ipſe extrema valetudine erat, multa eius nomine expediiſſe, tametſi omnium inſcius omnino erat, quibus nunc innocentia eius oppugnetur. Quum ſcriptis libellis vltro citróque miſſis aliquot dies inſumpſiſſent, tandem Mediolanenſes, cæteróſque eius principatus incolas quamquam inuitos in Cæſaris verba iurare Piſcarius coëgit; & Cremonenſem, Mediolanenſémque arceis foſſa cingere aggreſſus eſt. Selectos octingentos pedites Sfortia ſecum habebat; quibus, & auxiliorum, quæ Clemens, Venetíque pollicebantur, ſpe fretus ſe tueri deſtinarat: & operas interim, quæ foſſas ducebant crebris tormentorum pilis, tametſi iis quas Proſper Columna duxerat aliquanto remotiores erant, infeſtabat. Mediolanenſem principatum à Cæſare occupatum Itali omnes iniquiſſimè ferebant, ſéque in apertam ſeruitutem coniectos videbant, quamdiu hunc cum regno Neapolitano Cæſar poſſideret. Cruciabatur in primis Clemens, cuius machinæ omnes aduerſus Cæſarem inſtructæ in lucem prodierant: quibus nulla iuſta de cauſa irritatus non ſolum Mediolanenſem principatum Sfortiæ conſeruare, ſed & Cæſarem regno Neapolitano ſpoliare, eiúſque exercitum delere conatus erat. Omnes Piſcarij malignitatem, perfidiámque damnabant, qui non ſecus, ac cæteri aduerſus Cæſarem initio conſpirarat: & vt non conſpiraſſet, fidámque ſemper Cæſari operam nauaſſet, tamen quod alios ad conſpirationem ſua authoritate incitaſſet, & miris artibus pellexiſſet, vt eoſdem mox proderet, gratiámque Cæſaris ex aliorum noxis aucuparetur, id vero homine probo indigniſſimum erat. Porro erga Clementem qui grauiſſimè percellebatur, ingratiſſimus erat; à quo multa beneficia, nuper verò perpetuam Beneuenti adminiſtrationem acceperat. Caraciolus Cæſaris legatus Venetos octoginta nummûm aureorum millia depenſuros, & ſocietatem renouaturos ſperabat, modo conditio nuper adiecta vt in poſterum non milites, ſed pecuniam conferrent, induceretur. At Senatum Mediolanenſis principatus occupatus ſuſpenſum tenebat: hinc ſe ſolos aduerſus Cæſarem hoſteis relictos

Cæſari innocentiã ſuam probaturũ ſe promittit, ſi Piſcarius abeundi teſſeram præbeat.

Piſcarij malignitas, perfidia, & ingratitudo.

Digitized by Google

relictos videbant, & bellum ſe in eorum ditiones tranſlaturum Piſcarius minabatur. Si cum Cæſare conuenirent, breui eundem vniuerſo Mediolanenſi principatu potiturum conſtabat, nulla ſibi, cæteriſque Italis libertatis ſpe relicta: tametſi autem renouata ſocietas impendens diſcrimen vitabat, tamen Cæſarem tanto principatu augere, & Gallos ab omni Italorum ſocietate excludere, è re ſua eſſe non ducebant: quapropter Caraciolo ſibi nunquam vt à ſocietate diſcederent, in animo fuiſſe reſponderunt; ſed bellum initio pro Italiæ libertate ſuſceptum, cuius finem, vt Sfortia in Mediolanenſem principatum reduceretur, fœderati omnes ſtatuerunt; quod certum Italicæ libertatis fundamentum eſſe iudicabant: nunc contra quum reductum pelli videant, ſocietatis iura violari in confeſſo eſſe: Cæſarem ſuppliciter precari, vt nihil innouet, Sfortiæ Mediolanenſem Ducatum confirmet, & ſe fidiſſimos ſocios expectet.

44 Senatus reſponſum quamquam ambiguum erat, nullum tamen bellum peperit, quod Piſcario quotidie morbus augebatur, & Mediolanenſis principatus ſibi confirmandi cupiditas, aliaque maiora negotia Cæſarem aliò trahebant, nec vt nouum bellum moliretur, ſinebant. Per eoſdem fere dies, hoc eſt, decimoſeptimo Kalend. Decembris Borbonius ad Cæſarem acceſſit, cuius aduentu quod liberaliter, & magno cum honore quaſi ſororis virum à Cæſare exceptum Ebredunenſis Pontifex, cæterique Galli legati videbant, difficiliores ineundi cum Cæſare fœderis conditiones futuras iudicabant. Hinc Baiocenſis multo diligentius cum Clemente de ſocietate agebat, in quam Anglus ac Veneti acrius incumbebant. Acceſſit Decembris initio Piſcarij peropportuna mors, quem Deus Optim. Maxim. arcano, ac ſeuero (vt videtur) incomprehenſibilis prouidentiæ iudicio perfidiæ ſuæ præmiis frui aliquando noluit. Fuit is ex Aualorum familia ex Hiſpania oriunda, cuius maiores cum Alphonſo ſeniore in regnum Neapolitanum traiecerant, ibique deinceps habitarant. Adoleſcens pugna Rauennate captus eſt, deinde omnibus Hiſpanorum in Italia bellis interfuit, quos peditum tribunus multarum vrbium ſpoliis mirandum in modum ſibi addixerat: ingenio acer ac callidus, conſilio bonus, ætate iuuenis (nondum enim ſextum & triceſimum annum impleuerat) experientia ſenex erat: ſed Hiſpanica arrogantia, atque ingenium fallax, malignum, ex omnibus fraudibus concretum, omni perfidia notatum ſupra commemoratas virtutes penitus obſcurabant. Ad ſingulare certamen à Ioanne Chabaneo Vendeneſſio Paliciani Mareſchalli fratre, quod datam fidem feſelliſſet prouocatus, nunquam prodire auſus eſt, vt alio loco enarraui. Piſcarij mors maiorem opprimendi Cæſariani exercitus ſine duce relicti occaſionem dare videbatur: tum enim in Hiſpania Borbonius ac Lanoius erant: & Antonius Leua ac Vaſtius Marchio non eam, quam Piſcarius apud milites authoritatem habebant: obſidionem nihilominus Mediolanenſis arcis Cæſar vrgebat, quæ capta cæterum principatum Cæſari obnoxium reddebat, & Pontificias ditiones haudquaquam firmis vrbibus, arcibuſve munitas inter hunc, regnúmque Neapolitanum interiectas in prædam exponebat. Hinc Clemens qui ſuo more cunctabatur, ad coëundam ſocietatem incitabatur; qua ipſe, ac Veneti mille, atque octingentos grauis, bis mille leuis armaturæ equites, viginti peditum millia armare, Galli quingentos cataphractos equites cum ſuis hippotoxotis mittere & ſingulis menſibus in Heluetiorum ſtipendium quadraginta nummûm aureorum millia pendere, Galli ſimul ac Veneti ingentem claſſem, qua vel Genuam, vel regnum Neapolitanum adorirentur, inſtruere debebant. Ludouica Regis mater alterum exercitum ad Hiſpaniæ fines ſe miſſuram promittebat, vt domeſtico bello Cæſar implicatus Italicum vel omitteret, vel negligentius curaret. Et Sfortiæ deſiderio, nouiſque quotidie tributorum indictionibus vexati Mediolanenſes ad rebellandum parati erant. Ferrarienſem ad ſocietatem acceſſurum, ſiquidem Rhegium illi Clemens relinqueret, Veneti pollicebantur.

Piſcarij mors, patria, & ortus.

45 Hæc ſi vt ſcripto mandabant, ita & re præſtitiſſent, Cæſarem multum conturbaturi videbantur. Contra veteranus Cæſaris exercitus raro ſtipendio quum neceſſitas vrgebat, contentus, & multa pati, militaribúſque aſtutiis vti ſolitus multarum vrbium, arciúmque firmiſſimarum compos donec Germanica auxilia ſummitterentur, bellúmque vno prælio terminaretur, toleraturus videbatur. Et Itali Gallos quoties Franciſcum Regem Cæſar dimitteret, non ſolum à ſocietate defecturos, ſed & cum Cæſare aduerſus fœderatos arma laturos ſuſpicabantur, quam ſuſpicionem ex illorum animis euellere perdifficile erat. Clemens natura timidus ac lentus hinc à

Cæſare per legatos, inde à Venetis, cæteriſque Italis, à Ludouica Regis matre, ab Anglo ad ſocietatem inuitatus vtram in partem ſe daret, incertiſſimus erat: præſertim præcipuis ex familiaribus, qui plurimum apud illum poterant, inter ſe diſſentientibus. Hi erant Nicolaus Scombergius natione Germanus ac Matthæus Gilbertus Genuenſis: ille Cæſaris parteis ſequebatur, hic ad Gallicas magis inclinabat, quamuis Leone Pontifice Gallis infeſtiſſimus fuiſſet. Horum diuiſis ſtudiis diu ſuſpenſus Clemens tandem vt cum cæteris aduerſus Cæſarem arma caperet, aſſenſus eſt. Deſcriptis ſocietatis capitibus quum nihil, niſi vt ſubſcriberentur, ſupereſſet, Erreram Hiſpanum militem Rhodium à Cæſare cum mandatis æquiſſimis, vt ferebatur, ad ſe miſſum Genuam appuliſſe certior factus eſt: & quamquam legati, qui ſocietatem procurabant, vt illo ipſo die, quemadmodum pollicitus erat, ſubſcriberet, inſtabant, ſubſcriptionem tamen in Erreræ aduentum diſtulit. Cæſar vbi Piſcario Mediolanenſis principatus occupandi poteſtatem feciſſet, ne ea res noua bella excitaret, veritus, cum Saluiato Cardinale ita conuenerat, vt Clementi magna ex parte ſatisfacere videretur; cui Rhegium, Rubeniámque reſtituere, Sfortiæ Mediolanenſem principatum conſeruare, & ſi interim moreretur, Borbonium in eius locum ſurrogare, atque hoc nomine in fidem recipere promittebat. Hunc enim Ferdinando Cæſaris fratri, & Georgio Auſtriaco Maximiliani Imperatoris filio notho Capuano Pontifice ſuadente Clemens prætulerat. Addita erant & alia quædam capita, ſimul & conditio, modò Clemens ea rata haberet.

Romam octauo Idus Decembris Errera appulit, & de bona Cæſaris erga Clementem voluntate quædam præfatus capita ſocietatis obtulit: tametſi autem de ſale, & regni Neapolitani ſacerdotiis aliter, quam cum Lanoio tranſegerat, quædam inſerta erant, ſubſcripſiſſet nihilominus Clemens, ſi ſincerè cum Sfortia actum fuiſſet: ſed quum nulla de crimine læſæ Majeſtatis illi impoſito, nulla de venia danda, ſi hoc nomine arceſſitus in iudicium fuiſſet, nulla de reſtituendo principatu vel in ſocietatis capitibus, vel in Erreræ mandatis fieret mentio, Sfortiam tanquam læſæ Majeſtatis reum principatu ſpoliare, eundémque Borbonio addicere in Cæſaris poteſtate erat: mortem enim ciuilem (vt Iuriſperiti loquuntur) quum quis crimen admiſit, quo vita priuari debeat, cum naturali iidem Iuriſperiti exæquant. Itaque Erreræ Clemens reſpondit nullam ſibi vnquam priuatim cum Cæſare intercesſiſſe controuerſiam: ſi qua in poſterum intercedat, illum ipſum arbitrum appellaturum. Quod ad publicam Italiæ rem attinet, eam niſi Sfortia in principatum ſuum reſtituto haud poſſe ſtabiliri, verba item in genere enuntiata haudquaquam id præſtare: precari Cæſarem, quicum ſemper fuerit coniunctiſſimus, ne ſibi aliter ſentiendi, & noua conſilia ſequendi neceſſitatem imponat. Sermonem excepit Sueſſanus regulus Cæſaris legatus, & Clementis ac Cæſaris eandem ſententiam eſſe dixit: verba neſcio qua ſcribarum negligentia enuntiata dubitationem afferre: eam omnem ſe intra alterum menſem ſublaturum modo intra id tempus Clemens vulgo iactatam ſocietatem ne coëat. Additum eſt, ne quid interim innouaretur, præſertim vero ne quid in arcem Mediolanenſem ſtrueretur, modo viciſſim hoſteis qui circumſedebant, Sfortia ne infeſtaret. Quam is conditionem accipere noluit: trahi tempus, vt Cæſar interim rebus ſuis prouideret, in confeſſo erat: at Clemens nihilominus Sueſſani reguli poſtulatis aliorum principum legatis multum conquerentibus aſſenſus eſt. 46

Cur Clemens ſocietatem cum Cæſare inire differat.

Anno 1526.

Anni huius ſæculi viceſimi ſexti initio Errera cum litteris Clementis manu ſcriptis in Hiſpaniam rediit, quibus conſpirationem Clemens neque inficiabatur, neque fatebatur: ſed culpam omnem in Piſcarium conferens Sfortiam quoad poterat, excuſabat, qui ſi quid erraſſet, Moroni conſiliis deceptus erraſſet. Itaque vt publicæ tranquillitati conſulens hanc illi veniam Cæſar condonaret, obſecrabat. Cæſar tantiſper dum Erreræ reditum expectabat, omneis deliberationes ſuſpenſas tenebat, Borbonium toties dilatum cum Eleonora matrimonium vrgentem in aliud tempus differebat, quaſi ſuum prius cum Iſabella Luſitana celebraturus, multorúmque principum morem ſequebatur, qui vtilia potius, quam honeſta conſilia amplecti ſolent: etenim vt eandem Eleonoram Franciſco Regi collocare ſibi adhuc integrum eſſet, prouidebat. Aliquot diebus poſt celebratum Cæſaris, atque Iſabellæ matrimonium Errera ad Cæſarem reuerſus exemplum capitis, quo Sfortia in integrum reſtitueretur, Clementis iuſſu diligenter, prolixéque ſcriptum obtulit, Saluiatúmque, niſi huic capiti Cæſar aſſentiatur cum ipſo haud conuenturum confirmauit. Anceps nimirum conſultatio, an cum Rege Cæſar, 47

Cæſaris atque Iſabellæ matrimonium celebratur.

an vero

Digitized by Google

an vero cum Clemente potius, ac Venetis, cæteriſque adeo Italis conueniret. Franciſcus tandem, quum nulla alia eius liberandi ratio inueniretur, Burgundia maiore ceſſit: quum hæc conſultatio in conſilio ſanctiore propoſita fuiſſet, Mercurius Gattinarius Cancellarius, ac plerique alij cum Italis, Carolus Lanoius, Henricus Naſſauus Comes, cæterique Burgundi aut Flandri cum Rege conueniendum cenſuerunt. In hanc patrimonij recuperandi ergo magis Cæſar inclinabat: Saluiatum nihilominus prius rogauit, an vt Borbonius Mediolanenſis regulus declaretur, Clemens aſſentiretur, cum Italis nimirum ſocietatem hac conditione coiturus. Quum ille ea de re ſe mandatum non habere reſpondiſſet, cum Rege paciſci, eidémque Eleonoram ſororem collocare decreuit: quod quidem poſt multas Cæſatis preces aſſenſus eſt Borbonius non tam Mediolanenſis principatus conſequendi cupiditate, qui illi præter Lanoij, Gattinariíque ſententiam promiſſus fuit, quam quod patrimonio exutus ſe ad Cæſaris ſenſus accommodare cogebatur: ac tum ne Franciſci, Eleonoræque matrimonio intereſſet, in Italiam profecturus Barchinonem petiit.

48 Fœdus inter Cæſarem ac Regem poſtridie Idus Februarias in hanc ſententiam factum fuit: inter Cæſarem ac Regem perpetua amicitia, perpetua pax eſto: in quam admittantur, quicumque de communi conſenſu admitti volent. Rex intra diem ſextum Idus Martias ad Fontem Rapidum in vtriuſque regni finibus è cuſtodia educitor: intra vndecimum diem Kalend. Iul. maiorem Burgundiam, qui Ducatus appellatur, Nuceriam arcem, Caſtellum Chinonium huius Ducatus appendices, Comitatum Carcellenſem, Vicecomitatum Anſonenſem, præfecturam Laurentianam minoris Burgundiæ appendicem Cæſari Franciſcus reſtituito, ea quidem conditione, vt in poſterum Gallorum Reges patronos non agnoſcant; quam quidem conditionem ad Flandricum etiam, Atrebatenſémque Comitatum produxerunt. Eodem momento quo Rex liberabitur, duo eius liberi natu maiores Cæſari in manus traduntor: ac patris veluti prædes in eius locum ſurrogantor, aut certè loco minoris natu duodecim primarij Gallorum proceres obſides ſunto. Regni Neapolitani, Mediolanenſis principatus, Genuæ, Aſtæ, Tornaci, Inſulæ, Duaci, Hiſdini Cæſari Rex omni iure cedito. Viciſſim Regi Cæſar eo quod in Peronam, Deſiderianos, Roiam, Bononienſem, Guinenſem, Pontiuienſem Comitatum hactenus ſibi vendicauit, iure cedito. Inter Cæſarem ac Regem perpetua ſocietas eſto, qua pro ſuis ditionibus tuendis alter alteri quingentos cataphractos equites, decem peditum millia mittere teneatur. Eleonora Cæſaris ſoror Franciſco deſpondetor, ea in dotem ducenta nummûm aureorum millia duabus penſionibus perſoluenda recipito cum mundo muliebri, qui Cæſaris ſororem deceat. Delphinus, hoc eſt, Franciſci Regis maior natu filius Emmanuelis Luſitaniæ Regis, atque Eleonoræ filiam, quum ad legitimam ætatem peruenerit, vxorem ducito. Vt Henricus Albretus regno Nauarræ Cæſari cedat, Franciſcus procurato: ſin is recuſabit, auxilio ne iuuato: vt Sicambriæ ſiue Gueldriæ, Zulfiique regulo vita functo earum ditionum primariæ vrbes Cæſari ſe dedant, Franciſcus quoque procurato. Vittembergenſem regulum, Robertúmque Marchianum auxilio ne iuuato: Cęſari in Italiam profecturo duodecim triremium, quatuor maiorum nauium, quatuor myoparonũ omnibus rebus præter milites inſtructorum claſſem, quam poſt tertium menſem à die cœptæ nauigationis numerandum recipiat, Franciſcus mutuo dato. Loco terreſtris exercitus, quem Franciſcus obtulit, ducenta nummûm aureorum millia numerato. Addunt promiſſos præterea quingentos cataphractos equites cum aliquot tormentis, ſtipendium item in ſex peditum millia; ídque in ſex menſes, quum Cæſar Romam ad capiendam coronam Imperatoriam pergeret. Anglo debitas penſiones quæ ad quingenta nummûm aureorum millia peruenerant, Franciſcus pendito, aut Cæſari, qui ſe has perſoluturum receperat, repræſentato. Vterque (Cæſar inquam atque Rex) à Clemente, vt vniuerſi Chriſtianiſmi Concilium indicat, contendito: vt pace inter Chriſtianos bene conſtituta aduerſus Chriſtianæ perſuaſionis hoſteis arma transferantur: quo nomine cruce ſignatorum priuilegia, & quas vocant, indulgentias Clemens indicat. Borbonium Franciſcus intra duos & quadraginta dies in integrum reſtituito: omnem ſupellectilem omneis fructus ex Borbonij patrimonio perceptos reddito: ne eundem in regnum Gallicũ reuocato, aut vt ibidem maneat, cogito: Borbonio prouinciam Phocenſem apud iudices Regi, ſibíque non ſuſpectos repetere fas eſto: quotquot Borbonium ſequuti ſunt, in integrum non ſecus atque herus reſtituuntor: capti bello milites intra quindecim dies vtrobique

Quibus legibus fœdus inter Cæſarẽ ac Regem ſancitum.

liberantor: quæ ante bellum Margarita Flandrica Cæſaris amita poſſederat, deintegro poſſideto. Arauſius princeps è cuſtodia educitor; eidem Arauſius principatus, cæterúmque patrimonium quod Cæſaris partes ſequutus eſſet, ereptum, Salaſſus item ager Michaëli Antonio Marchioni reſtituitor. Franciſcus cum primùm in aliquam Galliarum vrbem admiſſus erit liberi, & ſui iuris omnia huius fœderis capita rata habeto: vt Delphinus annos quatuordecim natus eadem rata habeat, curato. Multi in hoc fœdere de communi conſenſu nominatim deſignati fuerunt, & inter hos Heluetij: ex Italis nemo præter vnum Clementem, qui quaſi huius fœderis conſeruator in ſpeciem potius, quàm vt id reipſa præſtaret, aſcriptus eſt. Poſtremo additum eſt, vt ſi Rex quacumque de cauſa his capitibus non ſtaret, in eandem cuſtodiam rediret. Sed nos iam Attilios regulos, & ſpecioſa veterum Romanorum exempla ridemus: nec magis Cæſar ipſe erga Borbonium, quod ad Eleonoræ ſororis matrimonium attinet, rem longè minoris momenti, promiſſo ſtetit.

Omnes huiuſcemodi fœdus admirati ſunt: nec quiſquam fuit, qui Regem ſuæ li- 49
bertati reſtitutum maiore Burgundia ceſſurum exiſtimaret, paucis exceptis, nimirum fœderis ipſius authoribus; quos pecunia corruptos plerique ſuſpicati ſunt. Clamabat ac reclamabat in primis Gattinarius Cancellarius, & quamquam Cæſar iratus iubebat, ſubſcribere tamen recuſauit, in rebus adeo Cæſari pernicioſis authoritate, quam Cæſar ipſe dederit, haud vſurus, ſiue potius (vt aiebat) haud abuſurus: cuius damnata pertinacia Cæſar ipſe ſubſcripſit, & Madritium ad confirmandam affinitatem, ineundámque cum Rege amicitiam ſe contulit. Magna erant amicitiæ redintegratæ indicia: priuatim ſæpe, diúque de communibus negotiis conferebant, ſæpe ſimul eadem concordia ſe publicè oſtentabant: poſtremo in eodem curru ad arcem non longè inde diſtantem, vbi Eleonora Cæſaris ſoror erat, vecti ſunt, & ſponſalia celebrarunt: & tamen inter tot amicitiæ argumenta eadem circa Regem cuſtodia manebat, nec maior vlla libertas eidem permiſſa erat: itaque vt frater honorabatur, vt captiuus detinebatur, quæ diuturnam inter ipſos concordiam haud fore deſignabant. Vbi aliquot quaſi feſtos dies in hæc impenderunt, diplomata quibus Ludouica Regis mater fœdus ratum habuerat, Delphinúmque cum fratre potius, quàm cum duodecim Galliæ proceribus ſe adducturam, & breui Baionam appulſuram indicarat, Madritium perlata ſunt. Quapropter Rex inde profectus ad Fontem Rapidum iter inſtituit, quem Lanoius, & Alarco cum his, quos ad Regis cuſtodiam habere ſolebat, militibus, comitati ſunt. Id temporis Cæſar ad Clementem ſcripſit ſe vniuerſæ pacis conſtituendæ ergo Franciſcum Regem in regnum ſuum liberum remiſiſſe, eidem ſororem collocaſſe, Clementem fœderis conſeruatorem delegiſſe, cui parere ſemper filius obſeruantiſſimus cupiat: ſed paucis poſt diebus litteris Clementis manu ſcriptis quas Errera attulerat, reſpondit, & per eundem Erreram ſua quoque manu partim amicè, partim ſatis acerbè reſcripſit: quarum ſumma erat, Sfortiam ſe in integrum reſtituturum, ſi læſæ Majeſtatis non conuincatur; cui iudices tanquam patronus dabit: ſin manifeſtè conuincatur, ſe Borbonium Mediolanenſis principatus nomine in fidem recepturum, vti Clemens, dum Sfortia extrema valetudine erat, poſtularit: idcirco nec eundem principatum ſibi retinuiſſe, nec Ferdinando fratri tradere voluiſſe, precari vt quæ Clementis authoritate prouocatus fecerit, eadem facta Clemens ſua authoritate approbet. Reſponſum quoque ad caput de Sfortia reſtituendo, quod Clemens diligenter dictandum curarat; item fœderis cum Clemente ineundi exemplum idem Errera attulit cum mandato, vt ſiquidem id Clemens admittat, Sueſſanus regulus Cæſaris legatus ſanciat. Fœderis hæc ſumma erat: ſi læſæ Majeſtatis Sfortia non conuincatur, in fœdere comprehendatur; ſin conuincatur, in eius locum Borbonius ſuccedat. Poſſeſſæ à Ferrarienſi Romani Pontificatus vrbes reſtitui iubebantur, ſed ea conditione, vt Ferrarienſem Ferrariæ nomine Clemens in fidem recipiat, eidémque centum nummûm aureorum millia Adriani fœdere in mulctam addita condonet: vt à Pontificiis vrbibus ſalem Mediolanenſes accipiant, Cæſar non aſſentiebatur, & in regni Neapolitani ſacerdotiis non præſtitæ fidei inſtrumenta, ſed Regum Neapolitanorum morem, conſuetudinémque ſequi volebat. Et quoniam vt Cæſarianus exercitus depenſis centum quinquaginta nummûm aureorum millibus ex Italia diſcederet, cum Saluiato legato actum erat, aliquantum temporis interim elapſum Cæſar cauſatus vt ducentorum ſummam conficeret, quinquaginta addidit,

Gattinarius Cancellarius fœderi ſubſcribere recuſat.

Franciſci & Eleonoræ ſponſalia.

Carolus V. fœderis cum Franciſco initi Clementem certiorē reddit.

by Google

addidit, quæ Clemens, cæterique Itali, atque ipſe Cæſar regni Neapolitani nomine perſolueret: exercitum autem vel in regnum Neapolitanum, vel in Africam tranſportare ſibi in animo eſſe Cæſar aiebat.

51 Hæc capita Sueſſanus regulus, atque Errera Clementi obtulerunt, & vt vel ſyllabam immutarent, in ſua poteſtate non eſſe addiderunt: quæ fortaſſe Clemens admiſiſſet, ſi de principatu Mediolanenſi ita ſtatutum fuiſſet, vt nullam ipſe, cæterique Itali ſuſpicionem inde merito concipere debuiſſent. Sed Borbonium Regi implacabilem hoſtem reputans, quem Franciſcus ampliſſimo patrimonio præter ius ſpoliarat, eundem vel vt res ſuas in tuto collocaret, vel vt in patriam rediret, Cæſari ſemper obnoxium fore exiſtimauit: & non ſolùm vt exercitus ex Inſubribus diſcedat (cuius vexationem Mediolanenſes, Clemens, cæteri finitimi tanti, quanti iudicaretur, redimerent) curaturum, verum aut vltro retenturum, aut ſaltem vt alterum recipiat, quoties Cæſar belli ſignum dabit, paratum futurum. Et quod in fœdere inter Cæſarem, Regemque inito Pontificatus Romani, eiúſque ditionum, cæterorúmque Italorum mentio nulla facta erat, Cæſaris potentiam nimis auctam Italiæ ſeruitutem interpretatus conditiones à Cæſare oblatas accipere noluit, & donec de Regis voluntate certior fieret, an ſcilicet in Galliam reuerſus recentis fœderis conditionibus ſtare in animo haberet, liberam ſibi deliberandi facultatem retinuit. Franciſcum enim adhuc in Hiſpania agentem, necdum liberum ſermones quoſdam effudiſſe intellexerat, quibus ſe fœderis iniquis conditionibus haud ſtaturum indicarat. In qua ſententia vt illum confirmaret Paulum Vectorium ſuarum triremium præfectum ſtatim in Galliam miſit: vt tum, quum is regni ſui fines ingrederetur obuius fieret, de reditu Clementis nomine gratularetur: ſocietatem, de qua tam diu inter Italos matrémque eius diſceptatum eſt, in cauſa fuiſſe indicaret, cur illum Cæſar maturius dimiſerit: Clementem pacis vniuerſæ cupidum optare, vt Cæſar, atque Rex in Turcam arma conuertant, quem vt Hungariam aggrediatur, magnos belli apparatus facere intellexit. Verumenimuero præcipuum, arcanúmque mandatum erat, vt Regis abditos ſenſus excuteret, num Madritianum fœdus obſeruare decreuiſſet; ſi ita affectum videat, nihil amplius addat, ne Cæſarem ſibi infeſtiorem reddat: ſin dubitantem, aut vt ab eodem fœdere recedat, procliuem offendat, currentem impellat, ac Clementem, cæteróſque Italos ſocietatis cum eodem ineundæ cupidiſſimos doceat. Eodem tempore & Gambaram cum iiſdem fere mandatis ad Anglum allegauit, & vt Veneti Andream Roſſium eadem Regi ſuaſurum in Galliam mitterent, author fuit. Quum verò Paulus Vectorius Florentiæ morbo correptus è vita exceſſiſſet, in eius locum Capinum Mantuanum ſurrogauit: tametſi quod duo eius legati in Galliam proficiſcentes in itinere interierant, mali ominis loco habuit. Interim ipſe, ac Veneti Sfortiam, vt fortiter obſidionem toleraret, confirmabant, ac bona ſpe implebant; ne cum Cæſare, antequam ſocietas ſancita eſſet, conueniret.

Clemēs conditiones ſibi à Cæſare oblatas reiicit.

52 Vbi ad fontem Rapidum Franciſcus, Ludouica eius mater Baionam appuliſſet, de eius permutatione cum liberis quorum natu maior nondum octauum annum impleuerat, actum fuit. Franciſcus quem Lanoius, atque Alarco cum quinquaginta equitibus comitabantur, ad fluuij, qui Galliam, Hiſpaniámque ſeparat, ripam ad aduerſam ripam Lautrecius Aquitaniæ prætor cum duobus eius liberis natu maioribus ac totidem equitibus decimo quinto Kal. Aprilis acceſſit. Maior ſcapha in qua nemo erat in medio fluuio anchoris fixis immota ſtabat: ad hanc Rex cum Lanoio, Alarcone & octo armatis hominibus minore ſcapha vectus appropinquauit. appropinquauit in altera ſcapha & Lautrecius cum Regiis liberis, & totidem armatis, & ſimul omnes, exceptis Regiis liberis, & Alarcone, qui in ſuis ſcaphis hinc, illincque remanſerant, in maiorem ſcapham immotam conſcenderunt. Tum Lautrecius è minore ſua ſcapha Delphinum in maiorem immotam ſuſtulit, & Lanoio, Lanoius Alarconij, qui in minore ſcapha ex altera parte remanſerat, tradidit. Suſtulit & Aurelianum alterum è Regiis liberis Lautrecius, & Lanoio, ille pariter Alarconi tradidit, eodémque momento Rex in Lautrecij ſcapham ſaltu ſe demiſit: & quum ad terram appuliſſet, atque in ſuo ſolo pedem poſuiſſet, in Turcicum equum celeritate mirabili celebratum, ad idque præparatum inſiliit, ac veluti inſidias veritus continuo curſu ad Fanum Ioannis Lucenſis octo inde paſſuum millibus diſtans, paululúmque ibi commoratus Baionam pari celeritate properauit, vbi incredibili matris, ac totius aulici comitatus lætitia exceptus eſt: inde ſtatim litteras

Franciſci cũ liberis ſuis permutatio.

Franciſcus Baionæ incredibili Ludouicæ matris, ac totius nobilitatis lætitia excipitur.

 ad Anglum

ad Anglum ſua manu ſcriptas miſit, recuperatámque libertatem illi magna ex parte acceptam tulit, eius deinceps ſe conſilia ſequuturum, perpetuúmque amicum futurum pollicitus. Appulſum Baionam Franciſcum legati Cæſaris conuenerunt, & vt Madritianum fœdus, præſertim vero caput de maiore Burgundia ratum haberet, poſtularunt. Ille fœderis pleraque capita non ſolum ad ſe, ſed & ad treis tam Burgundiæ, quam cæterarum ſuarum prouinciarum ordines pertinere reſpondit: quibuſcum ſe communicaturum, & ex eorumdem conſilio Cæſari ſatisfacturum addidit. Paucis poſt diebus Clementis, Venetique legati ad Regem acceſſerunt, quos ille benignè excepit, & in primis colloquiis, quæ ſeparatim cum vtroque habuit, grauiter de Cæſaris inhumanitate queſtus eſt, qui humanæ conditionis oblitus, quæ tot fortunæ iniuriis obnoxia eſt, ipſum in arcta cuſtodia habuerit, nec niſi duriſſimis conditionibus liberarit. Duos dumtaxat Gallorum Reges bello captos fuiſſe Ioannem huius nominis Primum, ſe quoque ſui nominis Primum Galliarum Regem ex eadem, ex qua Ioannes, Valeſia familia oriundum: illum ab Eduardo Tertio huius nominis Angliæ Rege benignè exceptum, magnis ſemper honoribus affectum, in libera cuſtodia relictum, ad eandem menſam ſæpius vocatum, ea demum cum Eduardo familiaritate coniunctum fuiſſe, vt frequenter vnà venationibus, aucupiiſque operam darent. nec minus æquas inde Eduardum pacis conditiones retuliſſe: quin potius capti Regis amicitiam ita ſibi confirmaſſe, vt Ioannes in Galliam reuerſus, & ſui planè iuris in Angliam ad inuiſendum hoſpitem redierit, & grati animi inſigne documentum dederit. Se verò longè aliter habitum, à Cæſare nunquam niſi moribundum inuiſum dum ſortem ſuam iniquiſſimam execratus diutius ſuperſtes eſſe nollet. quod Cæſaris officium (ſi tamen officium appellandum eſt quod non ab ingenua & liberali charitate, ſed ab inſigni auaritia emanauit, ne Cæſar ſcilicet ſperati quæſtus iacturam faceret) ſeruile potius, ac mercenarium obſequium vocari debet: perpetuos carceres facinoroſis hominibus eſſe deſtinatos; bello captos, & fortunam minus propitiam expertos iiſdem detineri Chriſtianorum leges non permittunt. Se dum Rhemis ſacris Regiis inauguraretur, ne quid de Gallico ſceptro imminueret, ſacramento diriſſimis execrationibus obligato obſtrinxiſſe; ídque in Piſleonenſi arce, & Madritij ſæpius teſtatum fuiſſe: ſe nihilominus maiore Burgundia primaria ſceptri Gallici prouincia cedere, & nouo ſacramento vetus abiurare compulſum: quis hæc promiſſa ab homine, qui ſui iuris non eſt, vi extorta facienda iudicabit? Cæſarem ita ſibi omnem Chriſtianiſmum addicere decreuiſſe, vt ſolus regnet, cæteros in ſeruitutem redigat. Quapropter vt hanc inſolentiam compeſcat, ſedulo operam daturum, & Anglo, qui in eadem ſententia eſt, cæteriſque adeo, qui libertatem ſuam tueri volent, non defuturum. Clementis, ac Venetorum, quorum præſertim ditionibus Cæſar imminet, officium eſſe, vt tam bonam occaſionem non omittant: quin potius vt maturè ſe tam ambitioſis Cæſaris conatibus opponant. Franciſcum de Mediolanenſi Ducatu recipiendo iam non laborare, liberos dumtaxat ſuos, Italiæ libertatem modo Itali ipſi ſibi non deſint, conſeruare. Solidam cum Clemente, Venetis, cæteriſque quos eadem fortuna, idémque metus coniungere debet, ſocietatem coire cupere: eadem Ludouica Regis mater, eadem omnes, qui Regi à conſilio erant, vel ſentiebant, vel ſentire præ ſe ferebant. Franciſcus enim caput de reſtituenda Burgundia non obſeruare ſtatuerat, eius vice octingenties ſeſtertium vt liberos reciperet, offerebat: eam conditionem ſi Cæſar acciperet, cum illo conuenire, ſin recuſaret, cum Italis ſocietatem aduerſus Cæſarem coire decreuerat.

Franciſcus Cæſaris in ſe inhumanitatem accuſat.

Interim omnes Mediolanenſis principatus incolæ, quos quinque nummûm aureo- 52
rum millia Cæſarianis quotidie pendere fama erat, præſertim vero Mediolanenſes ad rebellandum ſe compararunt, magnúmque tumultum excitarunt: & niſi Antonius Leua, ac Vaſtius Marchio cum nonnullis Mediolanenſium viris nobilibus occurriſſent, & ſe publicis vectigalibus contentos fore, à priuatis hominibus nihil exacturos, nec nouos milites in vrbem immiſſuros promiſiſſent, Cæſariani nimirum in magnum diſcrimen incurriſſent. Poſtridie quod alij milites vrbi appropinquare dicerentur, renouatus eſt tumultus adeo acer, vt parum abfuerit, quin Cæſariani ex vrbe exirent: & quidem certè exiiſſent, ſi populus primo impetu aduerſus ipſos progreſſus fuiſſet, nec ſe ad veterem curiam, in qua rerum capitalium præfectus habitabat, diripiendam conuertiſſet. Vnde dum prædam quiſque domum comportat, nec militaribus ducibus vſus hoſteis perſequitur, Cæſariani locis opportunis munitis populi inſcitiam eluſerunt

Mediolanenſium aduerſus Cæſarianos rebellio.

* * *

* * * * * * * In eo tumultu præſidiarij arcis Mediolanenſis milites in Germanos impetum fecerunt, verum quum populus opem non ferret, ſe in arcem receperunt. Eodem tempore huius tumultus rumor, & oblatæ à Franciſco ſocietatis conditiones Romam perlatæ fuerunt, quæ Clementem, Venetóſque ad maturandum bellum incitarunt: ſe fœdere inter Cæſarem, Regémque inito quaſi præteritum, nullámque ſuarum ditionum factam mentionem, imo vero poſt id percuſſum fœdus Cæſarianos milites in Parmenſem, Placentinúmque agrum immiſſos Clemens indignabatur: arcem Mediolanenſem propter commeatus inopiam haud diutius obſidionem toleraturam nouerat, quæ ad eum principatum recuperandum magni momenti erat; & Cæſarianos ante meſſem aggredi opportunum videbatur, vt in munitas vrbeis, quarum potiebantur, commeatum importare non poſſent. Vnus ſcrupulus Clementis animum Venetorúmque pungebat, ne liberorum recipiendorum deſiderio Franciſcus à ſocietate deficeret: ſed tantæ erant ſocietatis coniunctæ vires, vt iis reſiſtere Cæſar à pecunia imparatus non poſſe videretur: & Franciſcum armis potius magna ſua cum gloria, quam implendis fœderis iniquiſſimis conditionibus liberos recipere malle veriſimile erat. His rationibus fretus Clemens, & quod maturius, hoc eſt, ante Ticinenſem pugnam ſocietatem cum Rege non coiiſſet, pœnitentia ductus, cuius timiditate Romanum Pontificatum, atque Italiam in ſeruitutis diſcrimen adductam non ſolum cæteri Itali, ſed & omnis Pontificia aula obiectabat, Venetique eius iudicium ſequuti legatis ſuis in Gallia agentibus mandatum dederunt, vt cum Rege iis ferè conditionibus, quibus cum Ludouica eius matre conueniſſent, ſocietatem coirent. Et vt arcem Mediolanenſem obſidione liberarent, non expectata ſocietatis confirmatione exercitum cogere decreuerunt: Vrbinatem Veneti cum ſuo equitatu, & ſex peditum millibus ad Abduam vſque progredi iuſſerunt: & quod duodecim Heluetiorum millibus ad hanc expeditionem opus eſſe Vrbinas aiebat, Ioanni Iacobo Mediquino arcis Muſſiæ præfecto vt ſex, Octauiano Sfortiæ Laudenſi Pontifici vt altera ſex millia adduceret, iniunxerunt: quorum nihilominus vel negligentia vel auaritia effectum eſt, vt res bene cœptæ malo exitu terminatæ ſint, vt mox ſuo loco ſcribemus.

Veneti vt arcem Mediolanenſem obſidione liberent, copias cogere decernunt.

53 Interim Cæſar propter dilatam fœderis confirmationem, & ſermones cum legatis Baionæ habitos in ſuſpicionem adductus Lanoium, atque Alarconem, qui vnà cum obſidibus, & Eleonora ad Victoriam vrbem ſubſtiterant, ad Regem miſit, qui Baiona Cogniacum contenderat: ibi magnificè excepti (Lanoium enim recuperatæ ſuæ libertatis authorem Franciſcus agnoſcebat) quum vt fœdus ratum haberet, inſtarent, Franciſcus à tribus Galliarum ordinibus, præſertim Burgundiæ, vt eam prouinciam à Gallico ſceptro diuelleret, obtinere non potuiſſe reſpondit, cætera fœderis capita ritè obſeruaturum: id vt obſeruet, quod in poteſtate ſua non ſit, religione nulla teneri: quod tamen Cæſaris & amicitiam, & affinitatem ſemper optarit, Burgundiæ loco octingenties ſeſtertium æquo animo numeraturum, & in perpetua beneuolentia cum Cæſare victurum; licet Clementis, Angli, Venetorum adhortationes non deſint, quæ ipſum ad bellum renouandum inuitent. Hoc reſponſum ad Cæſarem perferendum curauit Lanoius, & de illo admittendo ſpem Franciſco iniecit: hinc oblatas ſocietatis conditiones confirmare Franciſcus diſtulit: & quod ſe adhuc quædam cum Cæſare pertractare, Italos legatos celare non poſſet, id illis vltro indicauit: ſed niſi Sfortiæ Mediolanenſis principatus, Italiæ ſua libertas confirmaretur, nunquam ſe cum Cæſare conuenturum addidit. Cæſar ſe illuſum indignatus, & quod præter omnium, qui illi à conſilio erant, ſententiam nimis credulus fuiſſet, pudore ſuffuſus, Italos ſuſpicione liberare pòtius, Sfortiámque in ſuum principatum reducere, quam cum Rege conuenire maluit: & infirmo, debilique principi, licet de ſe malè merito, quàm potenti, & quodam modo ſuæ felicitatis æmulo quaſi metu cedere ſibi auguſtius eſſe duxit. Tametſi Clementem à ſe abalienatum ſuſpicabatur: qui licet nullam hactenus rerum maritimarum curam habuiſſet, tamen Africanorum piratarum arcendorum ſpecie Andream Auriam, qui Gallicum antea meruerat, cum octo triremibus promiſſis in annum triginta nummûm aureorum millibus ad ſuum ſtipendium vocarat; quod eo ſpectare, vt Genua occuparetur, Cæſar interpretabatur. Igitur ad omnem euentum ſe comparans Borbonij in Italiam tranſitum accelerauit: triremes ſeptem quæ in Monœco portu erant, Barchinonem nauigare, vt cæteris iungerentur, centum nummûm aureorum millia expediri iuſſit, ſine quibus Borbonij in Italiam acceſſus inutilis fuiſſet. Hugonem Moncatam

Franciſcus ſe Madritiano fœderi ſtare non poſſe legatis expoſuit.

Borbonius in Italiam maturare iubetur.

catam ad Clementem cum mandatis, vt eidem ſatisfaceret, quemadmodum aiebat, miſit: verum vt per Galliam iter inſtitueret, voluit: & ſi à Lanoio Franciſcum Burgundia ceſſurum intelligeret, ne vltra progrederetur; aut ſi progrederetur, mandata prout ſeſe occaſiones darent, immutaret. Vbi Cogniacum Moncata appulit, Cæſarémque caput de Burgundia haud moderaturum Franciſcus certò didicit, ne Clementem, Venetoſque à ſe ſuis dilationibus abalienaret, vrgente in primis Anglo ſocietatem ſexto Idus Maias in hæc fere capita coiit.

Societatis contra Cæſarem contractæ articuli recenſentur.

Inter Clementem Pontificem, Franciſcum Regem, Venetos, Sfortiam, cuius nomine Pontifex, Venetíque ſpondebant, perpetua ſocietas eſto: qua Sfortia in Mediolanenſem principatum reducatur, liberi Regij ſuæ libertati reddantur: ſocietas Cæſari denuntiator: in quam intra tertium menſem admitti poſſit, modo liberos Regios pretio, cuius Anglus arbiter erit, liberet, Sfortiámque in integrum reſtituat, & cæteros Italiæ principatus, liberáſque ciuitates in eo, in quo ante cœptum poſtremum bellum erant, ſtatu relinquat. In bellum, quo Sfortia obſidione liberandus, atque in integrum reſtituendus eſt, octingentos grauis, ſeptingentos leuis armaturæ equites, octo peditum millia Clemens Pontifex, Veneti totidem tam equites, quam pedites, trecentis duntaxat leuioribus equitibus additis, Sfortia quadringentos graues, trecentos leues equites, quatuor peditum millia ſuppeditare, Franciſcus Rex quingentos cataphractos equites cum ſuis hippotoxotis ſtatim in Italiam mittere, & quadraginta ſingulis menſibus quamdiu bellum continuabitur nummûm aureorum millia in Heluetiorum ſtipendium Clementi Venetíſque pendere tenetor. Et quoniam Sfortia obſeſſus ſuppeditare nihil poteſt, eius vice, donec poſſit, impoſitum illi militum numerum Clemens, Venetíque implento. Cæſari ſtatim quacumque regni parte volet Franciſcus bellum inferto cum bis mille cataphractis equitibus, ac decem ſaltem peditum millibus, ſi plura addere non poteſt: duodecim leuiores triremes idem Franciſcus armato, quæ cum tredecim Venetis, Aurianiſque à Clemente mercede conductis iunguntur; quibus Genua primum, deinde regnum Neapolitanum addito terreſtri exercitu inuadatur. Si eo regno fœderati potientur, quem volet Clemens Pontifex declarabit, atque in fidem recipiet: ſeparato tamen capite additum erat, vt non niſi ex fœderatorum conſenſu Clemens Regem declarare, atque in fidem recipere poſſit. Verum eidem cenſus antea pendi ſolitus, & aliquis ſiue Ducatus, ſiue Comitatus, cuius prouentus annuus quadraginta nummûm aureorum millia conficeret, reſeruabatur, quem alicui ex propinquis, ſiue familiaribus condonaret. Vt Franciſcus quid emolumenti ex Italicis victoriis reportaret, certò noſſet, Cæſari intra quartum menſem ex quo regno Neapolitano excluſus eſſet, in ſocietatem ſupra commemoratis conditionibus admitti, & redire in regnum permittebatur: ſin optionem recuſaret, Franciſco cenſus annui, perpetuíque ex eodem percipiendi poteſtas fiebat. Franciſcus Sfortiam quacumque ex cauſa Mediolanenſis principatus nomine infeſtare prohibebatur, immo vero cum fœderatis aduerſus quoſuis pro eodem propugnare, & vt inter ipſum, atque Heluetios ſocietas renouetur, procurare tenebatur. Franciſco viciſſim Sfortia cenſum annuum Clementis, ac Venetorum arbitratu pendere, quem tamen minoris, quam quinquaginta nummûm aureorum millibus æſtimare non poſſint. Idem Sfortia vxorem ex familia Regia, quam Franciſcus deligeret, ducere, & Maximilianum fratrem fraterna charitate colere, eidémque, quæ ad cultum, impenſáſque domeſticas pertinent, loco penſionis, quam à Rege recipere ſolebat, ſuppeditare iubebatur. Franciſco Aſtenſem Comitatum recipere, & idem in Genuam ius patronatus, quod non ita dudum Octauianus Fregoſius agnouerat, ſibi vendicare fas erat: quod ſi Antonius Adurnius regulus iiſdem conditionibus quibus Octauianus Fregoſius Regem patronum agnoſcere vellet, in ſocietatem admittebatur: regno Neapolitano in fœderatorum poteſtatem redacto, aut Cæſariano exercitu ita debilitato, vt non magnopere ab eo timendum ſit, cæteri fœderati Franciſco Regi ſi fortè Cæſar aliquam Galliarum regionem adorietur, ſuppetias ferunito, ac mille grauis, mille quingentos leuis armaturæ equites, decem peditum millia, aut pecuniam in totidem militum numerum implendum mittunto. Vtrum autem horum ſuppeditent, optio Franciſco data eſt: nulli ex fœderatis, niſi ex cæterorum conſenſu cum Cæſare conueniendi poteſtas eſto. Si fortè Cæſar in ſocietatem admittetur, eidem cum eo, quem Clemens Pontifex ac Veneti aſſentientur, militum numero Romam ad Imperatoriam coronam

accipiendam

Google

accipiendam proficiſcendi poteſtas eſto: ſi quiſquam è fœderatis è vita excedet, ſocietas nihilominus in ſuo ſtatu maneto.

55 Anglum ſocietatis conſeruatorem fœderati delegerunt: & vt in eandem admitteretur, permiſerunt: admiſſo triginta nummûm aureorum millia annui prouentus in regno Neapolitano, Cardinali Eboracenſi decem, aut in eodem regno, aut in aliqua alia Italiæ regione promiſerunt. Ferrarienſem in ſocietatem tametſi Franciſcus, ac Veneti vehementer inſtabant, Clemens Pontifex admitti noluit: Florentini quoque ſilentio prætermiſſi ne commerciis, quæ in prouinciis Cæſari obnoxiis exercebant, interdicerentur, mercéſque ibi iam expoſitæ amitterentur: quos Pontifex aduerſus fœderatos nihil molituros ſpopondit, & vt ſocietatis priuilegiis fruerentur, obtinuit. Contractam ſocietatem Franciſcus confirmare diſtulit, donec Clemens, ac Veneti ratam prius habuiſſent: deinde arcis Mediolanenſis obſidione liberandæ ſpecie belli initium ſumptum. Miſerat ante Placentiam Guidum Ranconum Clemens ſui exercitus ſummum ducem cum Pontificio equitatu, ac quinque peditum millibus: ſummiſit & Vitellium cum Florentino equitatu, & aliquot peditum cohortibus, ac Ioannem Medicem Pontificiorum peditum tribunum declarauit. Venetus autem exercitus Vrbinate duce in Brixiano agro coibat. Interim Hugo Moncata Mediolanum appulit, qui tametſi initæ cum Rege ſocietatis non ſecus ac Lanoius ignarus erat, tamen ex habitis cum Rege ſermonibus nihil ex Cæſaris ſententia ſucceſſurum prouidens iter inſtitutum perſequutus erat. Is cum Caraciolo Cæſaris nuper apud Venetos legato, cui plurimum Sfortia fidebat, arcem ingreſſus, ac multa de Cæſaris humanitate præfatus, vt eandem Cæſari permitteret, ſuadere conatus eſt. Sfortia propter iniurias ſibi à Cæſarianis ducibus illatas ſe ad Clementem, Venetóſque confugiſſe teſtatus ſine illorum conſenſu de arce ſtatuere non debere reſpondit. Tum Moncata intulit Cæſarem Caraciolo criminis Sfortiæ illati arbitrium detuliſſe, non vt omnia ad ſummum ius reuocet, ſed adhibita moderatione mitiorem ſententiam pronunciet, ac ſic integra Cæſaris exiſtimatione Sfortia in ſuum principatum reducatur: tamen vt obſidio ſolueretur, aut ne quid poſt innouaretur, quod Sfortia flagitabat, aſſentiri Moncata noluit, arcem ad extremas difficultates redactam, & pactionem cum vno Sfortia confectam nullius eſſe momenti arbitratus. Hieronymum Moronum ex Tritiana arce Modoetiam deduci Moncata, ac Caraciolus imperarunt, vt inquiſitione facta Caraciolus haberet, quod pronuntiaret. Inde Romam Moncata profecturus ad Senatum Venetum ſcripſit, vt amplum mandatum legato ſuo Romæ agenti mitteret, quo vnà cum Clemente de rebus communibus ageretur.

Ferrarienſem Clemens in ſocietatẽ admittere recuſat.

Hieronymus Moronus Modoetiam deducitur.

56 Romæ vnà cum Sueſſano regulo Moncata ante Pontificem conſtitutus pacem, aut bellum ſe quaſi in manibus geſtare magnificis verbis propoſuit: & quanquam ad pacem Cæſar magis inclinabat, tamen ad vtrumque & animo, & viribus ſuis fretum paratum eſſe denuntiauit. Cui Pontifex multum de Cæſarianis ducibus, legatiſque queſtus, illos ſuis ſimulationibus, diſſimulationibúſque, tardúmque Moncatæ acceſſum effeciſſe reſpondit, vt quum antea ſolutus, ac liber fuiſſet, nunc certis pactionibus irretitus teneretur. Poſtridie reuerſi Cæſarem ſtatuiſſe dixerunt, vt Sfortiam in integrum reſtituat; petere dumtaxat vt arx Mediolanenſis apud Caraciolum deponatur: donec de crimine Sfortiæ affícto cognitio quædam in ſpeciem habeatur. Cæſarem quoque vt cum Venetis æquis conditionibus conueniat, exercitúmque è Gallia Tranſalpina educat, paratum eſſe, modo ſtipendium, de quo toties diſceptatum eſt, dependatur. Vnum id à Clemente viciſſim poſtulare, ne ſe inter ipſum ac Galliarum Regem interponat, & vtrumque res ſuas agere patiatur. Adhæc Clemens ſe ſemper Cæſaris amicitiam coluiſſe, publicum ſemper, nunquam priuatum commodum ſpectaſſe, nunquam æquiores, quam nunc proponantur, conditiones popoſciſſe teſtatus, nunc ſe longè magis, quam quum recuſarentur, angi declarauit: iam enim vt eaſdem accipiat, niſi datam fidem fallat, ſibi integrum non eſſe: quod non ſua culpa, ſed Cæſaris cunctatione accidit, qui tam diu proferre deliberationem ſuam retardarit: communem Italiæ libertatem, ancipitem Sfortiæ ſalutem perpuliſſe, vt cum Rege ſocietatem coiret. Interim litteræ Antonij Leuæ ad Sueſſanum regulum, aliæ item eiuſdem Leuæ, ac Vaſtij ad Hugonem Moncatam iam Romæ agentem interceptæ fuerunt, quibus populi Mediolanenſis aduerſus Hiſpanos manifeſtum odium, totiúſque exercitus ingens diſcrimen explicabant, Moncatámque rogabant, vt æqua pactione rebus

Conſtãs Clementis Pontificis ad Cæſaris legatos reſponſum.

by Google

rebus tam dubiis ſubueniret, ipſóſque eorum, quæ Romæ pertractata eſſent, ſtatim certiores redderet. Verum in ſocietatis ducibus non tanta erat confidentia, quantus in Cæſarianis metus: Vrbinas enim Veneti exercitus imperator inter Italos experientia & exiſtimatione princeps plus fortaſſe, quam par erat, Hiſpanis, Germaniſque tribuens, Italóſque cum illis nulla ex parte conferendos exiſtimans traiicere Abduam, antequam quinque aut ſex Heluetiorum millia acceſſiſſent, recuſabat: & vt Pontificius exercitus Pado infra Cremonam ſuperato ſe Venetis adiungeret, poſtulabat, vt ſimul iuncti Abduæ appropinquarent, ibique venienteis Heluetios expectarent, qui natura tardi multis interiectis difficultatibus retinebantur. Et Landenſis Pontifex homo vanus, & Mediquinus Muſſiæ arcis præfectus, qui pecuniæ acceptæ bonam portionem in priuatum vſum conuerterat (& inter eoſdem non parua æmulatio intercedebat) non ea authoritate erant, vt pauca, quæ ſupererat, pecunia tantum numerum domo excirent: & Regij miniſtri apud Heluetios agentes difficultates augebant, num id Rex probaret, eáque illius mens eſſet, incerti: neque enim Regem Clemens, Venetíque de conſcribendis hiſce Heluetiis certiorem fecerant: quòd Albertus Pius Regis apud Clementem legatus (vt homo ambiguæ fidei erat) Pontificem monuerat, ne id Franciſco indicaret, ne Clemente, Venetíſque Cæſaris hoſtibus declaratis ſocietatem Franciſcus confirmare differret, & aliquid interim cum Cæſare pertractaret. Ita Vrbinatis, Heluetiorumque cunctatio præſens, deſtinatúmque arci Mediolanenſi auxilium fruſtrata eſt, & præcipuam recuperandi Mediolanenſis principatus, hoc eſt conſequendæ de Cæſarianis victoriæ occaſionem euertit.

Dum hæc in Italia geruntur Franciſcus Cogniaci Lanoium ſuſpenſum tenebat, & 57
Gallorum procerum, qui Ticinenſi prælio cæſi fuerant, munera familiaribus diſpertiebat. Loco Renati Allobrogis nothi (Amatum alij vocant) Annæum Mommorencium Mareſchallum eius generum Regiæ aulæ magiſtrum, Philippum Chabotum Brionem Boniueto ſubſtituens, Amyralium, hoc eſt rerum maritimarum præfectum deſignauit: Paliciano, Leſcutóque Mareſchallis Theodorum Triuultium, ac Florengium Roberti Marchiani liberorum natu maximum ſurrogauit: Burgundiæ pro Ludouico Trimullio Chabotum Brionem, Delphinatibus pro Boniueto Franciſcum Borbonium Paulinum Comitem, Normaniæ pro Alenconio regulo Ludouicum Brezeum magnum (vt vocabant) Seneſchallum, Narbonenſi prouinciæ (Languedocium vulgo appellant) pro Carolo Borbonio Boiorum regulo proſcripto Annæum Mommorencium prætores, ſiue adminiſtratores dedit.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER DECIMVS-NONVS.

1 POSTQVAM bellum Cæſariani ſibi certo impendere viderunt, ne ab externo ſimul, domeſticóque hoſte opprimerentur, Mediolanenſem populum in primis compeſcere ſtatuerunt, qui ex quo arma ſumpſerat, quotidie maiora audens, atque inſolentior non ſolùm imperatum commeatum non ſubminiſtrabat, ſed & Hiſpanos à ſociis ſeparatos offendens crudeliter trucidabat. Hinc ſeditionis anſam captantes Leua, ac Vaſtius, vbi milites, qui paſſim per Mediolanenſem agrum diſtributi erant, accerſierunt, vrbique appropinquare nouerunt, vt nonnulli populi præfecti ex vrbe exirent, poſtularunt: vnde tumultus exortus, aliquótque Hiſpani per vrbem fortè deambulantes cæſi fuerunt. Tum iidem Leua, ac Vaſtius ſe recentibus pactionibus non amplius aſtrictos eſſe teſtati, treis, aut quatuor è Mediolanenſibus coram ſe trucidari iuſſerunt, & è diuerſoriis ſuis cum quadrato Germanorum agmine egreſſi populo, vt ad arma conclamaret, occaſionem dederunt: qui licet veterem curiam, Pontificiſque turrim initio inuaſiſſet, tamen clamoribus potius, quam armis depugnantem, & nihil ex diſciplina militari patrantem Hiſpani loci excelſioribus, munitioribúſque occupatis, maioribus ac minoribus ſclopetis, aliquótque tormentis facilè repreſſerunt, multóſque ceciderunt, plures vulnerarunt. Ad hæc Germani igne multis domibus iniecto progredientes, & arceſſiti Hiſpani iam muris appropinquantes ita populum perterrefecerunt, vt vrbis excidium veritus colloquium peteret: quo impetrato arma ſe poſiturum, Cæſarianis ducibus deinceps obtemperaturum, atque vt ſupra commemorati præfecti, multique alij ex vrbe exirent, aſſenſurum promiſit. Tum Cæſariani duces vrbis portis diligenter occluſis tumultum prius, quàm accerſiti milites introirent, ſedarunt, & ne deintegro excitaretur, certis locis firma præſidia collocarunt. Etenim tumultu renouato ne milites à diripienda vrbe, quæ diu exercitum alere, & ſtipendij partem dependere poterat, prohibere non poſſent, verebantur: tum milites tantæ vrbis ſpoliis ditatos vix retinere poſſe ſperabant. Rebus compoſitis accerſitos milites Cæſariani duces in vrbem intromiſerunt, populo arma abſtulerunt, militibus diuerſoria deſcripſerunt, quibus vt Mediolanenſes victum non militarem, ſed lautum, & opiparè apparatum tum etiam veſtem ſibi ſuppeditare cogerent, atque abdita domorum perquirendorum armorum ſpecie ſcrutarentur, pecuniámque, aut pretioſam ſupellectilem conditam raperent, permiſerunt: qui, vt nimia libertas milites ſemper nequiſſimos reddit, ſeruos, & ancillas quæſtione adhibita dominorum arcana indicare cõpellebant, dominíſque fuga elapſis matresfamilias, aut liberos, quaſi victus, ſtipendiíque obſides vinctos detinebant, & nullum crudelitatis genus prætermittebant: vt plerique è Mediolanenſibus ſe è tectis præcipitarint, in puteos coniecerint, aut alio mortis genere vitam vltro finierint.

Anno 1526.

Mediolanenſium inſolentia per Leuã ac Vaſtium compeſcitur.

Hiſpanorum in Mediolanẽſem populum crudelitas nefaria.

2 Vexabant Mediolanenſes crudeliter Hiſpani: nec mitior in Laudenſes erat Fabricius Maramaldus mille quingentorum Neapolitanorum peditum tribunus: qua indignitate commotus Ludouicus Viſtarinus eius ciuitatis patritius, qui ſub Cæſare militauerat, & quaſi ſine ſtipendio milites ſuos retinere non poſſet, miſſionem petierat, atque

impetrarat, cum Vrbinate conuenit vt octauo Kalend. Iul. qui dies Ioanni ſacer eſt, Malateſtam Baleonum cum tribus, aut quatuor Venetorum peditum millibus in vrbem intromitteret; id vt præſtaret, noctu propugnaculum, in quod Malateſtam admittere decreuerat, ſex dumtaxat militibus inſeſſum inuiſit: & quanquam datam teſſeram enuntiarat, tamen illi ſuſpectum eius aduentum habentes repugnantem armis pellere tentarunt. Ad quem tumultum & alij accurrerunt, acrique conflictu inito Viſtarinus vulneratus in magnum diſcrimen veniſſet, niſi Malateſta ſcalis propugnaculo admotis in tempore affuiſſet. Propugnaculo potiti vrbémque ingreſſi Veneti Maramaldum cum parte ſuorum ad muros appropinquantem repulerunt, in arcémque confugere coegerunt; & milites qui in vrbe remanſerant, armis ſpoliarunt. Ad Oragium Ollio imminentem vicum caſtra metatus erat Vrbinas, & de capta vrbe certior factus eadem nocte pontibus iniectis Ollium, Abduámque ſuperauit, atque eodem cum parte exercitus acceſſit, firmóque præſidio impoſito, vt ſi Cæſariani auxilio venientes per arcem irrumperent, reſiſtendo eſſet, ad exercitum rediit. Nuntio captæ Laudis Mediolanum perlato Vaſtius cum leuiore equitatu, ac tribus Hiſpanorum peditum millibus illuc ſtatim properauit. Hiſpani per arcem in vrbem immiſſi & vſque ad plateam latiorem progreſſi cum præſidio Veneto acriter initio conflixerunt, & ſi diutius iiſdem animis in conflictu perſeueraſſent, vrbe potituros veriſimile erat: Veneti enim ita ſe aduerſus arcem firmarant, vt portam, qua ingreſſi erant, vicúmque eò tendentem in poteſtate haberent, vt ſi maior vis pedem referre cogeret, tuto exire poſſent; & receptum paratum habentes pugnaturi pertinacius non videbantur. Sed Vaſtius vel quod præſidium Venetum firmius, quam exiſtimarat, offendiſſet, vel quod exercitum Venetum ſuis auxilio venturum ſuſpicaretur, Hiſpanos reuocauit, & relicto arci præſidio dux adoleſcens nec nimis ferox Mediolanum rediit. Nec ita multò poſt Vrbinas quod cum Veneto exercitu duos magnos amnes traieciſſet gloriatus præſidium Laudis deintegro auxit, & tormenta aduerſus arcem diſpoſuit victoriam confirmaturus. Verum quod arx anguſta multorum militum capax non eſſet, nec reſiſtere poſſe videretur, Antonius Leua, ac Vaſtius equitum alas aliquot, qui nocte conſequente præſidiarios arcis milites reciperent, miſerunt, eoſdémque Mediolanum reuocarunt. Laus capta magnum promouendis fœderatorum rebus momentum afferebat, ſi rectè viribus ſuis vſi fuiſſent: vrbs enim admodum munita, atque opportuna Abduam, cuius traiectio antea perdifficilis videbatur, in illorum poteſtate ponebat: ne Cæſariani Cremonæ, cui Conradinus cum Germanis mille quingentis præſidio erat, opem ferrent, aut Pontificias ditiones vexarent, impedimento erat, fœderatis totam eam regionem ad Mediolani, Ticinique muros vſque obnoxiam reddebat: hæ tres enim vrbes triquetra quaſi forma ſibi oppoſitæ viginti paſſuum millibus à ſe inuicem diſtant, & tum nullas, quæ reſiſterent, interiectas habebant. quapropter ſi fœderati ſubito inde profecti Mediolanum ſtatim circumſediſſent, haud dubium quin Cæſarianos in extremas difficultates redegiſſent; vbi pauci equites, tria dumtaxat Germanorum (ſiquidem Laude capta mille quingenti Ticinum miſſi erant) Hiſpanorum quinque, aut ad ſummum ſex millia tam ad arcis obſidionem, quam ad vrbis propugnationem remanſerant: quibus & ſex menſium ſtipendium ſaltem Hiſpanis debebatur, & rarus ſupererat commeatus. Ad hæc non minus à domeſticis hoſtibus, hoc eſt à Mediolanenſibus, quos crudeliſſimè vexabant, quam ab externis ſibi timebant: fœderatorum autem tam Pontificiorum, quam Venetorum numerum ad viginti millia producebant: inter quos etſi multi tyrones tumultuariè collecti reperiebantur, at multi etiam, & præfecti, & milites veterani erant.

Qua ratione Laus Pōpeia in Venetorū poteſtatē redacta ſit.

Fruſtra Vaſtius Laude Pompeia Venetos expellere tentat.

Verumenimuero Vrbinas, cuius fidem plerique ſuſpectam habebant, vel quod ita ſentiret, vel quod Clementis potentiam nimis auctam nollet, ſine quinque, aut ſex Heluetiorum millibus aduerſus veteranum exercitum caſtra caſtris conferre differebat. Meminerat ſe principatu quondam à Leone pulſum, à Clemente tum Cardinale vehementer oppugnatum, Catharinam Mediceam Laurentij infeſtiſſimi hoſtis filiam ſex aut ſeptem annos natam Ducis Vrbinatis nomen adhuc retinere, Florentinos Fanum Leonis, ac Monfeltrenſem agrum patrimonij ſui portionem poſſidere videbat. Si tanta felicitate Cæſarianos Italia fœderati pellerent, ne veteris odij memor, aut familiæ augendæ cupidus in ipſum rurſus Clemens arma cōuerteret, metuere videbatur. Alij re vera Italos, cum Hiſpanis, Germaniſque nullo modo conferendos reputantem Heluetiis expectandis moras interpoſuiſſe exiſtimarunt. vtut ſit primis caſtris ad Fanum Martini, alteris, ad veterem Laudem à Columna Pompeio olim cōditam à noua quinque paſſuum millibus diſtantem 3

Vrbinatis fides cur multis ſuſpecta.

proceſſit,

ized by Google

proceſſit, & vtrobique diem integrum ſubſedit: hic ſe Pontificius exercitus Veneto adiunxit, ac ſic coniuncti pridie Kalend. Iulias Melegnanum appulerunt: ibi in conſilium itum. Vrbinas in ſententia perſeuerans ſine Heluetiis Mediolano appropinquandum non putabat, at cæteri duces in contraria ſententia erant; qui regionis habita ratione, quæ locis ſuapte natura munitis abundat, dummodo exercitus incedens ordines ſeruet, caſtriſque commodus locus prius, quàm illuc exercitus commeet, deligatur, nullum imminere diſcrimen aiebant: neque veriſimile eſſe tam rarum Cæſarianorum exercitum, cuius maior pars tam ad arcis obſidionem, quam ad vrbem in officio continendam relinquenda ſit, vrbe egreſſurum, aut hoſteis adoriturum. Præterea Cæſarianos vrbem ſolum munire, de ſuburbiis, quorum munitiones pleriſque locis collapſæ facilem adi[t]um præbent, nondum ſollicitos fuiſſe: his ſi fœderati potiantur, vrbe quoque breui potituros nemo dubitarit. Etenim & Proſper Columna & plerique alij magni duces aduerſus eos, qui ſuburbiorum compotes eſſent, vel propter eorum ſitum, vel quod permultæ priuatorum domus vrbi pro muro ſunt, Mediolanum tueri ſemper difficillimum eſſe duxerunt. Quid? quod arx ſtat à fœderatis, ad quam etiam ſibi parare aditum poſſint. At quanquam Veneti ſolum exercitus imperator erat Vrbinas, tamen propter longam eius in re militari experientiam, aut vt contentiones, quæ crebris ducum æmulationibus excitari, & pernicioſiſſimæ eſſe ſolent, vitarentur, cæteri eius iudicium ſequebantur.

4 Tum fortè ducenti pedites ex arce Mediolanenſi egreſſi, & per hoſtium munitiones elapſi Melegnanum ad fœderatorum exercitum peruenerunt, Sfortiamque niſi breui auxilium feratur, deditionem neceſſario facturum denuntiarunt. Quorum oratione moti Franciſcus Guicciardinus huius hiſtoriæ ſcriptor in eo exercitu Pontificius, ac Petrus Piſaurenſis Venetus legatus Vrbinatem vt poſtridie, qui quintus nonas Iulias fuit, ad Fanum Donati quinque millibus paſſuum Mediolano diſtans progrederetur, ſuis precibus perpulerunt. Tertio nonas fœderati paululum progreſſi loco munito tribus ab vrbe paſſuum millibus conſederunt, quo die quingenti Heluetij ad exercitum acceſſerunt. Ibi iterum ad quam vrbis regionem caſtra ponerentur, conſultatum fuit: tametſi autem, vt arci primum opem ferrent, antea deliberarant, vicit tamen Vrbinatis ſententia, qui ad Romanam portam contendendum, & ad vicos illi propinquos nonis Iulij caſtra metanda iudicauit. Verum nocte, quæ nonas præceſſit, Borbonius qui paucis ante diebus cum ſex triremibus Genuam appulerat, ab Antonio Leua, Vaſtióque acceſſitus Mediolanum cum octingentis peditibus Hiſpanis ingreſſus eſt, & centum nummûm aureorum millia in militum ſtipendium impendenda attulit. Hinc Cæſariani animis confirmatis ſuburbia defendenda ſuſceperunt, quorum ignarus Vrbinas, aut certè ſe ignarum ſimulans loco caſtris deſtinato relicto nonis Iulij exercitum rectà ad Romanam portam contendere imperauit: quúmque Cæſariani pro portis fortiter propugnarent, & in reficiendis aggeribus multum laborarent tribus tormentis Romanam verberauit, equitibúſque ex equis deſcendere, & ad oppugnationem ſe comparare iuſſis ſcalas expediri edixit quaſi impreſſionem facturus, mox horam tardiorem cauſatus exercitum magna victoriæ ſpe impletum ibidem caſtra habere voluit factis dumtaxat aliquot ſclopetariorum aduerſus propugnatores impreſſionibus. Noctis initio aliquot Hiſpani porta egreſſi in milites Italos, qui ad tormenta excubabant, irruerunt, & nihilominus fortiter repulſi ſunt: tametſi Italos Vrbinas non ſatis ſtrenuè reſtitiſſe cauſabatur. Hinc vel quod eum ſpes de ſuburbiis occupandis fruſtrata eſſet, vel quod ita ſtatuiſſet, cæteris ducibus inconſultis circa tertiam noctis horam tormenta reduci, omneiſque ſe ad reditum comparare & legato Veneto, vt id Pontificio ſignificaret, iuſſit. Quo nuntio accepto Franciſcus Guicciardinus, cæterique re noua, & præter omnium expectationem imperata attoniti Vrbinatem conuenerunt, & ſi noctu quaſi fugiens exercitus diſcedat, Sfortiam de auxilio deſperantem ſtatim deditionem facturum monentes, vt pauliſper conſiſteret, & ſi caſtra non ſatis tuto loco poſita exiſtimet, vt in alium transferri iubeat, obſecrarunt. Ille præter ſuam ſententiam exercitum ad vrbem acceſſiſſe niſi noctu ſe recipiat, in manifeſto diſcrimine eſſe, ſe quamdiu Veneti exercitus ſumma poteſtas ſibi credita ſit, vt aliud imperet haud permiſſurum præfatus Venetis receptus ſignum dedit, quos Pontificij ſequi coacti ſunt. At Ioannes Medices Pontificij peditatus tribunus eam ignominiam auerſatus ante ſolis ortum inde migrare noluit, & Cæſarianis haud perſequentibus, immo vero tam ſubiti diſceſſus cauſam admirantibus nuſquam laceſſitus Melegnanum poſtremus acceſſit.

Vrbinas nulla vrgente neceſſitate ſoluẽdæ Mediolani obſidionis auctor.

Hic Franciſci Regis negligentiam accuſant, qui quum primum bellum in Inſubribus cœptum eſſet, triremes ſuas, quas ad Maſſiliam habebat, cum Aurianis coniunctas Genuam obſeſſuras, & ſaltem Borbonij ex Hiſpania in Italiam reditum impedituras promiſerat: Genuam autem maritimis commerciis, commeatúque prohibitam in fœderatorum poteſtatem facile venturam omnes iudicabant. At Gallicæ triremes partim pecuniæ inopia, partim trierarchorum negligentia nuſquam comparuerunt: & promiſſa quingentorum cataphractorum equitum, Heluetiorúmque auxilia longè tardius quam conuentum erat, ad Inſubres acceſſerunt. Quod ſi Borbonius reditu prohibitus fuiſſet, nec in ipſo neceſſitatis articulo Mediolanum iniiſſet, nunquam Cæſariani ſuburbia tuenda ſuſcepiſſent, ac ſic breui ex vrbe exire coacti fuiſſent. Sed Franciſcus in regnum reuerſus ad priſtinam vitæ conſuetudinem rediit, & muliebribus amoribus præſertim Annæ Piſſeleuæ, quam Ludouica filij ingenium perſpectum habens ſecum duxerat, venationibúſque ſe totum dedit; & dum ceruum perſequitur, ex equi lapſu magnum vitæ diſcrimen adiit: in has voluptates omnino prodigus quamuis nouis quotidie tributorum indictionibus, magiſtratuúmque inſtitutionibus pecuniam vndique corraderet, tamen domeſticis, bellicíſque ſumptibus ſatisfacere haud poterat, aut ſaltem nihil in tempore curabat: ac ſibi nimis indulgens rerum bellicarum curam gratioſis aulicis harum imperitis, ciuilium matri, & Prato Cancellario homini nequiſſimo delegabat. Igitur fœderatorum exercitus, quo die communi fœderatorum conſenſu ſocietas magnis adhibitis ceremoniis Romæ, Venetiis, in Gallia proclamabatur, hoc eſt, octauo Idus Iulias malo augurio, nulla vrgente neceſſitate Mediolani obſidionem ſoluit, ac ſe Melegnanum recepit, vbi diu nullo operæpretio facto Heluetios expectando commoratus eſt: cuius receptus nuntius Clementem ingenti, Venetóſque mœſtitia affecit, lætiſſimum in dies capti Mediolani nuntium expectanteis. Clementem in primis, qui ad bellum ducendum neque pecunia, neque animi conſtantia ſatis firmus erat; & pleriſque locis tumultus ſuboriebantur: Carporum præſidium trecenti pedites, atque aliquot equites Pontificias ditiones vexabant, ac pecuniam Roma, Florentiáque ad exercitum tranſportare prohibebant: quibus repellendis, Pontificiæ vrbes nouis præſidiis indigebant. Moncata ac Sueſſano regulo Roma profectis Aſcanius, ac Veſpaſianus Columnæ in ſuis oppidis vrbi vicinis milites cogebant: populus Romanus erga Clementem malè affectus erat, quod Andrea Auria Africanorum piratarum expellendorum ſpecie ad ſuum ſtipendium vocato (commeatum enim in vrbem piratæ, atque omnis generis merces importare prohibebant) nouum tributum indixerat, quod pendere recuſarant Lanij, & in diuerſorio Sueſſani reguli Cæſariani legati paulò ante, quam Roma exiret, tumultuantes coierant: quò Hiſpani ferè omnes, qui tum in vrbe erant, armati accurrerant, qui tumultus nihilominus ſtatim ſedatus fuit: ſed ne renouaretur, metum incuſſit.

Aduerſus Clementem Romæ tumultus excitantur, quibus de cauſis.

Et Senenſis Reipub. ſtatum mutare idem Clemens nequicquam conatus eſt, quò Vir- 6
ginium Vrſinum Anguillariæ, & Ludouicum Petiliani Comites, aliquótque alios præfectos cum nouem tormentis, mille ducentis equitibus, peditum octo millibus circa Idus Iulias miſit: quibus ferè diebus quinque Heluetiorum millia ob Octauiano Sfortia Laudenſi Pontifice (Aretinum vocat Galeatius Capella) & à Ioanne Iacobo Mediquino Muſſiæ arcis præfecto conſcripta Melegnanum appulerunt. Sed nec hi Vrbinati ſatisfaciebant, is enim & alios qui Franciſci Regis nomine conſcribebantur, expectandos aiebat: vt conſulto bellum ducere, & arcem Mediolanenſem dedi prius, quam progrederetur, optare videretur. At Heluetij operam ſuam fœderatis neceſſariam eſſe animaduertentes & ex neceſſitatibus mercatorum, non bellatorum more quæſtum facere cupientes poſt multas dilationes Regi niſi penſiones antiquæ omnino perſoluerentur, publicè milites dare recuſarunt: quæ quum ad magnam pecuniæ ſummam perueniſſent, & tam breui repræſentari non poſſent, præfectos legati Regij priuatim conducere, qui quos poſſent, milites adducerent, coacti ſunt: qua in re multum temporis inſumptum eſt, nec ita ſelectos milites eduxerunt, ac ſi publico decreto conſcripti fuiſſent. Interea Cæſariani, quos fœderatorum exercitus Melegnani deſidioſè ſedens nullo modo interpellabat, ex hoſtium imminuta exiſtimatione ſuam augentes, non ſolum vrbē, ſed & ſuburbia diligenter muniebant: nec amplius Mediolanenſem populum, quem ſublatis armis in miſeram, durámque ſeruitutem redegerant, metuebant: quorum tyrannidem præſertim Hiſpanorum (nam Germani longè modeſtiores erant) plerique vitantes relicta omni ſupellectile, vxoribus, liberis ſe clam ex vrbe ſubduxerant: cæteri apud

Vrbinas arcem Mediolanenſem dedi conſultò optaſſe viſus.

apud Borbonium queſti, vt aliquem tandem malis ſuis finem imponeret, ſupplices obſecrarunt. Ille ſtipendij penuria milites in ordinem redigi non poſſe reſpondit: ſi triginta nummûm aureorum millia in menſtruum ſtipendium repræſentent, ſe ne in poſterum militibus prædæ ſint, vlláue iniuria afficiantur, perfecturum. Illi quamuis ægrè admodum poſtulatam pecuniam numerarunt, ſed licet ſtipendio accepto bonam militum partem ex vrbe exire, & in ſuburbiis ſtatiua habere iuſſiſſet, iidem nihilominus hoſpitia priſtina retinebant, nec minus, quam qui in vrbe remanſerant, hoſpites vexabant: cui malo mederi Borbonius haud poterat, Hiſpanis iamdudum huiuſcemodi rapinis aſſuetis, & aduerſus externum ducem contumacibus, quippe qui nec ſuæ nationis imperatoribus in alieno ſolo militantes parere didiciſſent: & quam ſua opera neceſſaria eſſet, reputantes præfectis etiam vel odio, vel æmulatione incitantibus inſolentiſſimè ſe gerebant. Quorum exemplum imitati fœderatorum milites (quanquam hi, quos nunquam ſtipendium deficiebat, non eandem rapiendi occaſionem habebant) non minus cæterum agrum Mediolanenſem compilabant. Iam fames Sfortiam præſidiarióſque Mediolanenſis arcis milites adeo premebat, vt deditionem non multum differre poſſent: itaque nocte, quæ nonas Iulias præceſſit, trecentos partim milites partim mulieres, ac pueros emiſerunt, qui ſuperatis hoſtium foſſis, aggeréque qui arcem extra circuibat, Melegnanum petierunt: Germani quidem audito tranſeuntium ſtrepitu ad arma conclamarunt, cæterum nemo aut obuiam progreſſus, aut abeunteis perſequutus eſt. Hæc turba Melegnanum appulſa, & vrgentem obſeſſorum neceſſitatem, & foſſas quæ arcem cingebant adeo anguſtas eſſe ſignificans, vt eaſdem mulieres, puerique haſtarum auxilio tranſmiſerint, fœderatorum duces, vt arci opem ferrent, coegit: quibus etiam Vrbinas, ne ſolus culpam ſuſtineret, aſſenſus eſt. Itaque Melegnano profecti fœderati quartis caſtris inter cœnobium Caſaretum, Ambrámque fluuium caſtra poſuerunt: vnde pars exercitus illo ipſo die Modoetiam deditione, poſtridie arcem tormentis admotis cepit. Ibi multi fœderatorum præfecti foſſas, aggerémque hoſtium arcem claudentem aggrediundum cenſuerunt; quibus apertè non repugnabat Vrbinas, cæterum difficultates proponens ne in eam ſententiam iretur, obſtabat. Tum Mediquinus Muſſiæ arcis præfectus, qui inter Heluetios munus ſummi præfecti obibat, eorum nomine loquutus, quum bellum, vt Sfortiæ auxilium feratur, inſtitutum ſit, Heluetios demirari ait, cur in tanta Mediolanenſis arcis neceſſitate tempus fruſtra vanis conſultationibus teritur, nec interim Sfortiæ forti animo ſubuenitur, ſe dignam his ducibus, tantóque exercitu conſultationem expectare: precari vt quum ad arcem accedetur, ſibi dignus ſua fide, atque Heluetico nomine locus, & periculi bona pars tribuatur, vt nouo exemplo ſe maiori bus ſuis non inferiores confirment.

Sfortia fame premitte trecentos arce Mediolanēſi eiicit.

7 Iam omnes Vrbinatem ab auxilio arci ferendo abhorrere, ideóque in conſultationibus tempus fruſtra ducere videbant quum Sfortiam cum Cæſarianis de deditione agere, ac penè iam conueniſſe nuntius nondum tamen certus affertur: cui fidem Vrbinas facilè adhibuit, idque fœderatorum copiis feliciter ceſſiſſe addidit ingenti diſcrimine liberatis, quas nimia Sfortiæ liberandi cupiditas in anceps admodum conſilium præcipitare potuit: imprudenteis nimirum fuiſſe, qui tantis munitionibus circumcluſo opem ferri poſſe exiſtimarint, nec ita multò poſt de deditione certiores facti ſunt. Sfortia enim qui vix iuſtum in alterum diem commeatum habebat, de auxilio deſperans quod fœderatorum exercitum triduo ante ad Cæſarianorum munitiones caſtra habentem nullo modo ſe commouiſſe, nihil tentaſſe vidiſſet, vt deditionis ſpectatorem, non diuturnæ obſidionis vltorem acceſſiſſe quis exiſtimaret, cum Borbonio tandem nono Kalend. Auguſti conuenit, vt arcem Cæſari dederet, ea tamen conditione, ne quid de ſuo iure decederet: ſuis omnibus tam domeſticis quam militibus libera abeundi cum omni ſupellectile poteſtas eſſet: donec Cæſar cauſam ſuam cognorit, de eáque ſtatuerit, Comum ſibi ad habitandum permitteretur cum omnibus fructibus, ac vectigalibus, cui ex aliis Mediolanenſis principatus vrbibus alia vectigalia addantur, quæ ſimul cum Comenſibus triginta nummûm aureorum millia annui prouentus impleant: ſtipendium militibus, qui arci præſidio erant, perſolueretur, quod ad viginti nummûm aureorum millia peruenire ferebatur: Sfortiæ libera Cæſarem adeundi poteſtas eſſet, qui Ioannem Angelum Ritium, ac Politianum Caraciolo ſuæ cauſæ arbitro à Cæſare dato in manus traderet, modo is interrogatione habita eoſdem dimitteret, & in locum tutum deducendos curaret: Alexandrinus Pontifex in cuſtodiam traditus è Cremonenſi arce liber exiret, Sphorcino Caſtellum Nouum Dertonenſis agri traderetur.

Deditio arcis Mediolanenſis in quā ſententiam concepta.

Nulla Cremonenſis arcis facta mentio eſt, quamuis eandem Cæſari, aduerſus quem omnes ferè Itali coniuraſſent, Sfortiam innocentia ſua fretum permittere debere Cæſariani æquum ducebant, in ídque vehementer incumbebant; & fame vrgente eius dedendæ Iacobo Philippo Sacco Sfortia poteſtatem fecerat. At Saccus vir prudens ex Cæſarianorum verbis, vultúque recipiendæ Mediolanenſis arcis cupiditatem metiens Sfortiam nunquam id caput aſſenſurum confirmauit, & re infecta ad Sfortiam redire ſimulauit, quem illi non multum progreſſum illico reuocarunt, idcirco Cremonenſis arx ſilentio prætermiſſa eſt:

Arx Cremonenſis ſupradictæ deditionis articulis non comprehenſa.

quanquam enim rarum admodum in Mediolanenſi commeatum ſupereſſe Cæſariani exiſtimabant, ideóque deditionem non niſi in paucos dies differri poſſe credebant, tamen quibuſuis conditionibus eandem recipere malebant, an fœderati illi opem ferrent incerti. Nam ſi ita accideret, de tuendis munitionibus arcem claudentibus deſperantes aperto prælio decernere ſtatuerant, cuius dubium euentum oblatis æquis conditionibus vitare ſummæ prudentiæ fuit. Poſtridie Sfortia ex arce exiuit, & Antonio Leua, aliquótque aliis Cæſarianis præfectis honoris ergo ad hoſtilis exercitus vallum comitantibus fœderatorum caſtra ingreſſus eſt: atque inde iniurias ſibi illatas non Cæſari, ſed Piſcario, aliiſque Cæſaris præfectis attribuens Comum repugnantibus amicis omnibus proficiſci ſtatuit. Proficiſcentem Sphorcinus, vt vrbem reciperet, cum præſidio præmiſſus reuocauit, & Laudem Pompeij deduxit; quod Cæſariani ſe Comum illi ad habitandum conceſſuros, non autem Cæſarianum præſidium inde educturos promiſiſſe cauſarentur: & quod nullum ex fœderis cum Borbonio initi capitibus, præterquam quod ipſe cum ſuis liberè exiret, obſeruatum fuiſſet (nam bonam eius ſupellectilis partem, quam iumentorum, curruúmque penuria ſecum aſportare non potuerat, Hiſpani rapuerant) tametſi alioqui Cæſarem nullo modo irritare conſtituerat, ſocietatem ſuo nomine Clemente, ac Venetis ſpondentibus conceptam, factámque publico inſtrumento confirmauit.

Columnarum ac Senenſium cum Clemente reconciliatio per Moncatam promoueri cœpta.

Hoc ipſo tempore Moncata de Columnarum, ac Senenſium cum Clemente reconciliatione agebat, non tam quod eam ad exitum ſe perducturum ſperaret, quam vt Clementem in comparandis his, quæ ad hoc penè domeſticum bellum pertinebant, negligentiorem redderet, tantiſper dum Lanoius cum claſſe in regnum Neapolitanum appelleret. 8
Reconciliationis veluti ſequeſter Veſpaſianus Columna Proſperi filius, cui Clemens plurimum fidebat, Romam ſe contulit: cuius ſpe fretus Clemens, qui iam Senenſem exercitum reuocare in animo habebat, aliquantum diſtulit, vt non tam ſuorum ducum ſocordia, quam æqua pactione obſidio ſolui videretur: quanquam propter vel ducum negligentiam, mutuáſque inter ſe æmulationes, vel militum ignauiam, vt ſeptimo Kal. Auguſti ſolueretur, Florentiæ decretum fuit. At pridie quadringenti pedites Senis egreſſi in tormẽta Pontificia, quorum cuſtodia Iacobo Corſo credita erat, impreſſionem fecerunt: Pontificij in fugam verſi Florentinorum decem, Peruſinorum tormenta ſeptem, commeatum, impedimenta omnia hoſtibus reliquerunt: atque vt priuatis publicæ calamitates adderentur, eodem tempore Clemens & profligati ſui exercitus & Solymani cum potẽti exercitu Hungariam ingreſſi nuntium accepit.

Clementis exercitus à Senenſibus fuſus.

Inter Clementem, ac Veſpaſianum Columnarum cæterorum nomine agentem reconciliatio in hæc capita XI. Kal. Septembr. facta eſt: nempe vt Columnæ Anagniam, & quicquid nuper cepiſſent, reſtituerent: milites ſuos in regnum Neapolitanum reuocarent, nec vllos in Pontificiis ditionibus retinerent. Columnis Cæſaris ſtipendium merere, & pro regno Neapolitano propugnare fas eſſet. Contra Columnis noxas omneis hactenus admiſſas Clemens condonaret, Cardinalem Columnam Chriſtianis ſacris reſtitueret; ne Clemens Columnarum oppida, arceſſue aut inuaderet, aut per Vrſinos inuadi permitteret, cui reconciliationi fidem adhibens Clemens milites omneis, quos Romæ habebat, dimiſit. At Pompeius Cardinalis, Veſpaſianus, Aſcanius Columnæ, atque Hugo Moncata (nam Sueſſanus regulus Marini paucis ante diebus è vita exceſſerat) vt proditionem dudum meditatam exequerentur circiter octingentos equites, tria peditum millia ad Anagniam coegerunt, & tribus portis occupatis Lateranenſi Romam duodecimo Kal. Octobris ingreſſi ſunt.

Nefarium Pompeij Cardinalis & Columnarum in diripiendo Pontificio palatio Petríque æde ſacrilegium.

Pompeius quidem ita ambitione ardens, vt Clementem trucidare, Romanúmque Pontificatum armis inuadere ſtatuiſſet. Clemens de vita anxius in Pontificio ſolio, vt quondam Bonifacius Octauus à Sarra Columna interceptus, mori deſtinarat, & vix Cardinalibus vrgentibus tandem ſe in molem Adriani recepit. Interim dum Columnenſes milites Pontificium palatium Petri ædem, non magis ſacræ quam prophanæ ſupellectili parcentes, ac prope tertiam Vaticani ſuburbij partem diripiunt (nam à cæteris raptores tormenta ex

Digitized by Google

Adriani mole diſploſa repulerunt) in vrbe autem nemini vis allata fuit. Tumultu ſedato, qui trium horarum fuit, Moncata Ciboo ac Rodulpho Cardinalibus obſidibus acceptis Clementem conuenit, atque vt victor induciarum conditiones propoſuit: quæ poſtridie in hanc fere ſententiam acceptæ fuerunt.

9 [Inter Clementem tam ſuo, quam fœderatorum nomine agentem, ac Cæſarem in quatuor menſes induciæ ſunto, ex quibus duos eximere vtriſque fas eſto: in has cæteri fœderati intra duos menſes, ſi ita videbitur, admittuntor. His non ſolum Pontificiæ ditiones, ſed & regnum Neapolitanum ac Mediolanenſis principatus, Florentini, Genuenſes, Senenſes, Ferrariæ regulus, cæterique Romani Pontificatus clientes comprehenduntor: Clemens intra Padum Mediolanenſem ſuum exercitum reuocato: Andreæ Auriæ, ac ſuas triremes arceſſito: Columnis, cæteriſque qui huius tumultus argui poſſint, noxam condonato: Philippum Strozam, ac Iacobi Saluiati filium huius pactionis obſides dato, atque intra alterum menſem Neapolim mittito: ni miſerit, triginta nummûm aureorum millia mulctæ nomine dependito: Cæſariani ac Columnæ cum ſuis militibus omnibus Roma, atque adeo ex omnibus Pontificiis ditionibus exeunto.] Hæ conditiones ab vtriſque vltro acceptæ ſunt; à Clemente quod rarus in Adriani mole ſupererat commeatus: à Moncata quod è re Cæſaris multum erant, & quod milites quos ſecum adduxerat, præda onuſti magna ex parte dilapſi erant. At eædem fœderatorum res ſatis proſperè in Tranſalpina Gallia, Liguriáque ſuccedenteis penitus interruperunt. Interim dum Columnatum proditio in Hetruria, Latióque adornabatur ne fœderatorum exercitus Heluetios expectans nihil agere videretur, Malateſta Baleonus cum trecentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, quinque peditum millibus Cremonam inſtante Sfortia miſſus eſt: cui centum cataphracti, ducenti leuiores equites, mille Germani, trecenti pedites Hiſpani præſidio erant. In cuius oppugnatione quum totum Auguſtum menſem nequicquam Baleonus inſumpſiſſet, Vrbinas cum Venetis peditibus, & parte equitatus illuc proficiſci coactus eſt, tredecim Heluetiorum millibus, qui Regis ſtipendium merebant, iam ad fœderatorum exercitum appulſis: qui poſtquam & tormentis vrbem acriter verberaſſet, & cuniculis aggreſſus fuiſſet, Cæſarianos tandem vt de deditione nono Kal. Octobris agerent, compulit: ij niſi intra Septembris finem auxilio iuuarentur, ſe ex vrbe exituros, & Germani in Germaniam, Hiſpani in regnum Neapolitanum abituros, nec intra quartum menſem pro Mediolanenſi Ducatu propugnaturos promiſerunt. Quæ pactus Vrbinas Mantuam, vt vxorem inuiſeret, conceſſit, neque donec vrbs dederetur, expectauit; tametſi inducias Romæ factas intellexerat: quin tradendæ vrbis diem prorogauit, nec niſi circa Idus Octobris rediit, paulò poſt Cremonam recepit. Hic Vrbinatis diſceſſus tantum fœderatis detrimentum attulit, vt conſulto eorum cauſam prodere videretur, qui & ab ipſis Cæſarianis multis de cauſis vel imprudentiæ, vel proditionis accuſatus eſt: primum quod ad Mediolanum circumſedendum tardius acceſſiſſet: tum quod nulla de cauſa (vt ſupra commemoraui) octauo Idus Iulias obſidionem ſoluiſſet: & quod paucioribus, quam par erat, copiis, ac minore apparatu Cremonam per Malateſtam Baleonum aggreſſus fuiſſet: & qui ſummus error fuit, quod tredecim Heluetiorum millibus tam diu deſideratis ſibi iunctis Mediolanum bipartito non circumſederit, vt commeatum, qui Ticinenſi via importabatur, interuerteret: quod ſolus exercitus ad Ambram (ſic is locus appellatur) caſtrametatus præſtare haud poterat, quum Mediolani potiundi ſe magna occaſio obtulit. Tot enim morbis, qui in vrbe erant, milites affligebantur (quemadmodum in diuturnis obſidionibus vſuuenire ſolet) vt vix ad excubias etiam ſatis eſſe poſſent, ſi tum oppugnati fuiſſent, haud reſiſtendo futuri.

Vrbinas Cremonã ad deditionem cogit.

Quibus de cauſis Vrbinas proditionis vel imprudentiæ accuſatus.

10 At Vrbinas tam bona occaſione relicta cum Veneto exercitu Cremonam petiit, & alteram pariter non minus opportunam Genuæ recipiendæ amiſit: nam ad Pontificiam, Venetámque claſſem ſe Gallica Petro Nauarro præfecto Sauona ex ciuium conſenſu potita ad Liburnum adiunxerat, & inter nauigandum aliquot naueis tritico onuſtas, quod Genuam importabant, interceperat: ea ſedecim triremibus, quatuor myoparonibus, quatuor maioribus nauibus conſtabat, & duodecim magnæ naues communibus fœderatorum impenſis Maſſiliæ armabantur: itaque Nauarrus conſuluerat, vt Cæſarianam claſſem breui noua Carthagine ſoluturam adorirentur. Pontificia ac Veneta ad Delphini portum, Gallica ad Sauonam conſtitit: vnde totum id mare velificantes ita ſibi obnoxium reddebant, vt nihil Genuam (vbi magna commeatus penuria erat) importari poſſet: quod ſi quatuor duntaxat peditum millia cum aliquot equitibus à continente itinera

Vrbinas Genua potiri facilè potuit.

obſediſſent, quod perfacile fuit, haud dubium quin Genua fame coacta deditionem feciſſet. Id & Nauarrus & Auria crebris tum litteris, tum nuntiis depoſcebant, quos vana ſpe alebat Vrbinas, & Cremona capta, cuius deditionem intra paucos dies ſibi pollicebatur, ſe miſſurum aiebat: quam prorogato tradendæ vrbis die, & ſuo ad vxorem diſceſſu multum retardauit, & ſimul vtramque occaſionem penitus amiſit. Fœderatorum ſocietatem pridie nonas Septembris Pontificius, Gallus, Venetus legati Cæſari indicarunt, in quam conditionibus ibidem appoſitis admitteretur. Aderat & Anglus, qui Regis ſui litteras Cæſari obtulit, quibus ne ſocietatem pro vniuerſa pace, Italiæque libertate conceptam aſpernaretur, modeſtè ſuadebat. Legatis Cæſar, vt ſocietatem aduerſum ſe initam approbet, à maieſtate ſua alienum eſſe reſpondit: cæterum ita ſemper vniuerſæ pacis ſtudio flagraſſe, vt ſi mandata habeant, vt idem præſtent, eam nunc inire paratus ſit. Sed longè aliam eius eſſe mentem legati facile intelligebant: hæc autem proponere, vt fœderatorum bellicos apparatus retardaret, & Anglum, ne iiſdem adiungeretur, ſuſpenſum teneret. Etenim claſſem quæ quadraginta nauium, quibus ſex peditum millia diſtribuerat, eſſe ferebatur, diligenter inſtruebat, interim dum Franciſcus rex venationibus, conuiuiis & matronarum choreis ſe totum dabat, tametſi alioqui pecunia exhauſtus: res enim magnas ſæpe meditabatur, & inchoabat, verùm inchoatas libinibus impotentibus dominis alio rapientibus, & præclare cœptas fere ſemper negligebat: Lanoius ex Cæſariana aula octauo Kal. Octobris profectus nouam Carthaginem petiit, vt inde in regnum Neapolitanum cum vniuerſa claſſe nauigaret.

Vt ad fœderatorum exercitum redeam, Vrbinas Mantua reuerſus vbi de Mediolano 11
vel vi vel fame recipiendo deſperauit, vt Genuam aliquam exercitus partem mitteret, quæ terra commeatum in vrbem importari prohiberet, quemadmodum fœderatorum claſſes iam dudum flagitarant, & adhuc vrgebant, caſtra mutare, & loco remotiore, ſed tuto collocare, ita tamen vt commeatum, qui Ticino Abbiatóque importabatur, interuerteret; Modoetiam item munire, ibíque firmo præſidio relicto ne quid è Brianteis, ſiue Briganteis montibus, locíſque finitimis Mediolanum inferretur, impedire ſtatuit. Quibus ex animi ſententia conſtitutis Michaël Antonius Salaſſus Marchio, quem feliciorem, quam prudentiorem ducem Franciſcus vocare conſueuerat, cum Gallis peditibus, aliquot Heluetiorum cohortibus, atque equitibus Genuam contendere iuſſit: ſed in ſuis omnibus deliberationibus tardus erat Vrbinas, & fœderatorum exercitus admodum imminutus: in quo præter Gallicum, Venetúmque equitatum quatuor Heluetiorum, Rhetorum duo, Gallorum peditum cum Salaſſo Marchione quatuor, totidem ex Ioannis Medicis cohortibus millia fuiſſe tradunt. Decem peditum millia Veneti ſuppeditare debebant, verum vt is numerus expleretur, multum vtique aberat. Tandem igitur pridie Kalend. Nouembris Ambra mouentes fœderati primis caſtris ad Pioltellum quinque inde paſſuum millibus conſederunt: abeunteis vehementi impreſſione facta, vbi Borbonius ipſe affuit, Cæſariani perſequuti ſunt: ibi conſiſtere tantiſper, dum Modoetia muniretur, inde Melegnanum locum caſtris deligere, & capto Abbiato, ſi ita ferret occaſio, Salaſſum Genuam mittere Vrbinas decreuerat, quæ dilationes ſuperioribus additæ res fœderatorum adhuc integras penitus euerterunt. Quamuis enim mille quingentos duntaxat pedites Andreas Auria poſtularet, quibus totidem adderet, & Genuam extrema fame laborantem ad deditionem cogeret, eoſdem nihilominus mittere recuſauit Vrbinas totidem in agri Vicentini præſidium mittendos cauſatus, quod Georgius Fronſpergius cum magna Germanorum peditum manu appropinquare diceretur: Georgium autem Fronſpergium in primis Gaſpar filius, qui Germanis Mediolani præerat, Alphonſus Vaſtius Marchio, atque Antonius Leua, antequam Mediolanum Borbonius accederet, arceſſiuerunt. Is iam vna, atque altera profectione Italiam ingreſſus res Cæſarianas magna ſua cum laude promouerat, ac tum quod Cæſari Ferdinandóque eius fratri pecunia non ſuppeteret, publicam neceſſitatem priuatis ſuis facultatibus ſuppleuit, & quatuordecim Germanorum peditum millia in ſingulos nummum aureum pactus obiecta totius penè Italiæ præda ſua authoritate commouit; & acceptis à Ferdinando Auſtriaco equitibus, aliquótque tormentis per Tridentinos ſaltus in Italiam iter inſtituit: vnde per Mantuanum agrum ad Burgum Fortem octauo Kalend. Decembris appulit. Inter eundum quatuor minora tormenta (falcones vocant) Pado deportata à Ferrarienſi regulo accepit, quorum vno exonerato Ioannes Medices cum leui armatura Germanis inſultans, quos tormenta accepiſſe neſciebat, in femur paulò ſupra genu ictus. Mantuam deportatus eſt, vbi annos duos & viginti natus decimo poſt die acer adoleſcens, & ſupra

Fœderatorum exercitus.

Ioannes Medices glande ictus vita excedit.

ætatem

ætatem prudens è vita exceſſit, quarto Kalend. ad Roberiam Germani caſtra fecerunt, quo illis aliquantam pecuniam Ferrarienſis, & nonnulla tormenta, quæ campeſtria vocant, miſit,

12 Per eos dies Lanoius Corſica profectus qui ad Florentij Fanum cum quinque & viginti nauibus appulerat (duas enim vi tempeſtatis amiſerat, quinque à claſſe ſeparatæ huc illuc adhuc errabant) ſex Gallicas, quinque Pontificias, totidem Venetas triremes ſub veſperam obuias habuit: acre certamen conſertum nox diremit: fœderatorum triremes aſperum mare, & ventis agitatum ad promontorium Delphini portus ſe recipere coëgit: vbi & cæteras fœderatorum triremes, quæ in Veneris portu remanſerant, illa ipſa nocte expectabant. Poſtridie tametſi hoſteis ad Liburnum vſque perſequuti ſunt, haud tamen eoſdem aſſequi potuerunt, quos ad Corſicam, vel Sardiniam confugiſſe rati non eam, quam potuerunt, in perſequendo diligentiam adhibuerunt. Lanoius curſum continuans tempeſtatibus vrgentibus ad Stephanium Hetruriæ portum euaſit: vnde, quo in ſtatu res Neapolitanæ eſſent, incertus Pignaloſio milite Rhodio Romam ad Clementem miſſo eundem de Cæſaris erga ipſum beneuolentia certiorem fecit, & ſedato mari Caietam curſum tenuit, quò & pleræque naues in Siciliam ventis agitantibus abreptæ, quibus Ferdinandus Gonzaga vehebatur, paulò poſt appulerunt. Germani lentè progredientes pridie nonas Decembris ad Caſtellum Nouum Parma decem paſſuum millibus diſtans Idibus ad Fidentiolam Placentini agri oppidum conſederunt, vbi Borbonium expectanteis aliquot dies traduxerunt. Is Mediolano Hiſpanos ſtipendium pertinaciter flagitanteis educere haud poterat, quapropter & ſacra vaſa è templis auferre, & ex Mediolanenſibus ditiores vt pecuniam conferrent, ad quæſtionem abripere coactus eſt. Eadem de cauſa & Hieronymus Moronus capite mulctandus pronuntiatur, qui nocte, quæ diem ſupplicio deſtinatum præceſſit, viginti nummûm aureorum millia pollicitus è cuſtodia emiſſus, & paucis poſt diebus inter primos Borbonij conſiliarios numeratus fuit. Interim Clemens Columnarum armis deterritus fœderatorum claſſe Barchinonem vt cum Cæſare coram de pace ageret, nauigare deſtinauit, & Paulum Aretinum cubicularium ad Franciſcum in Galliam miſit, & ab eodem centum nummûm aureorum millia mutuari nec tamen decimas è ſacerdotiis percipiendas illi, niſi mediam partem acciperet, aſſentiri, nec Pratum Cancellarium in Cardinalium cœtum recipere volebat. Franciſcus vim Clementi à Columnis illatam deteſtatus, & nullam Cæſari fidem adhibendam in poſterum docens ne inducias vi factas ratas haberet, conſuluit. Has ſi interrumperent, viginti nummûm aureorum millia in ſingulos menſes promiſit: idem conſulebat & Anglus miſſis quinque & viginti nummûm aureorum millibus. De pace nihilominus Clemens & cum Lanoio, & cum ſummo Franciſcinorum præfecto Cæſaris legato agebat: tum quum tertio nonas Decembris Petrus Nauarrus cum viginti octo Pontificiis, Gallicis, Venetis triremibus ad centumcellarum portum & Rentius Ceres in regnum Neapolitanum nauigaturus Sauonam appulit. At Cæſar & de ſua claſſe in regnum Neapolitanum perducta, & de Germanis Italiam ingreſſis certior factus à pace ſe prorſus alienum præbuit: & vt Franciſcus Madritianum fœdus prorſus obſeruaret, & de Sfortiæ cauſa iudices ab ipſo dati cognoſcerent, poſtulauit. Hinc Lanoius cum claſſe Pontificias ditiones inuaſurus decimotertio Kalend. Ianu. Neapoli ſoluit. Pridie eaſdem Kalend. Germani Nuram fluuium traiecerunt, vt Trebia quoque traiecto Borbonium, Hiſpanóſque expectarent: & an Borbonius Mediolano egreſſus Placentiam circumſederet, an verò in Hetruriam rectà contenderet, adhuc incertum erat.

Hieronymus Moronus morte damnatus pecunia liberatur.

13 Illo ipſo die & Ferrarienſis legatus minis potius perpulſus, quàm ſponte inuitatus cum Lanoio conuenit, vt Ferrarienſis herus ſummus Cæſaris in Italia legatus cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, quibus de ſuo ſtipendium penderet, deſignaretur, quæ pecunia illi mox reſtitueretur, Carpum, Nouianamque arcem, quæ Alberti Pij fuerat, in dotem Margaritæ Cæſaris filiæ nothæ Herculi eius filio deſponſæ acciperet. Veſpaſianus Columna ac Vaſtius Marchio iure, quod in vtrumque ſibi vendicabant, cederet: ducenta nummûm aureorum millia, ſi Mutinam reciperet, Cæſari penderet, à quibus pecunia omnis poſt Ticinenſem pugnam Lanoio mutuo data deduceretur; ſi non reciperet, eadem pecunia Ferrarienſi redderetur: nullum fœdus Cæſar niſi eodem Ferrarienſis comprehenderetur, faceret: vt Chriſtianis ſacris Ferrarienſis à Clemente reſtituatur, Cæſar curaret. Certabat pertinaciter Cæſar cum Gallo pro maiore Burgundia, cum eodem Gallo, atque Italis pro Mediolanenſi principatu in ſuam poteſtatem redigendo: at interim Ludouicum Vladiſlai ex Anna Candala Galla filium Mariæ ſororis

Ferrarienſis cum Lanoio in quam ſententiam conuenerit.

ſororis ſuæ virum à Solymano opprimi, & paterno Hungariæ regno ſpoliari ſinebat. Solymanus enim primum Belgrado, deinde Rhodo potitus Chriſtianis principibus ſeſe mutuis bellis atterentibus Hungariam regionem fertiliſſimam, & virorum fortium quondam alumnam aggredi ſtatuit, ac traiecto ad Belgradum Sauo fluuio Varadini arcem expugnauit. Præerat Sirmio, id eſt regioni quæ inter Sauum, Drauumque fluuios vſque ad Danubium ſita eſt, Paulus Tomoreus Collocenſis Pontifex ex Franciſcino ſodale inuitus (vt fertur) ad eum Pontificatum vocatus. Is in præſidium arcis mille pedites atque aliquot equites reliquerat, & in alteram Danubij ripam cum bis mille equitibus ſeſe receperat; ac Solymanum remorari, &, ſi iuſtæ vires coïrent, Draui tranſitu prohibere deſtinarat: quod munus Stephano Batorio Stephani Batorij, qui rem Tranſyluanam ſub Mathia Coruino magna ſua cum laude adminiſtrarat, ex Andrea fratre nepoti Rex Ludouicus dedit: qui licet podagra laboraret, iniunctum ſibi munus obire cupiens optimates, qui cum copiis adeſſe debebant, conuocauit: at illi partim priuilegia citantes, quibus ſe ſub Regiis duntaxat vexillis militare debere iactabant, partim alias cauſas nectentes adeſſe recuſarunt: vnde re infecta ad Regem Toluam ſedecim Hungaricis milliaribus Buda diſtantem rediit, & à re Mugacium (Mohaczium vocat Stephanus Brodericus Hungariæ Procancellarius huius hiſtoriæ ſcriptor) oppidum medio fere itinere inter Budam ac Belgradum ad Danubium ſitum præmiſſus eſt, quem quum Hungari proceres citatis iiſdem priuilegiis ſequi recuſarent, Ludouicus Rex hæc dixiſſe fertur: [Quandoquidem rem meo capite decerni cupitis, vt veſtro interim parcatis, ego lubens „ pro patriæ ſalute hoc caput deuouebo:] quæ præfatus Bathan cum exercitu petiit; quò „ quum conueniſſent, propter Regis ætatem, qui vnum duntaxat & viceſimum annum agebat, de deligendo eius legato, qui vniuerſis copiis imperaret, agi cœptum: ac quum plurimorum ſuffragia ad Tomoreum inclinarent, eum Ludouicus cum Georgio Scepuſto Ioannis Vaiuodæ fratre totius exercitus imperatorem declarauit. Recuſauit initio ſiue ſimulatè, ſeu verè, & ex animo Tomoreus, & multos alios duces rei militaris peritiores nominauit: in primis Palatinum Comitem præſentem, ac Ioannem Vaiuodam abſentem veteranos, & magnis exercitibus ducendis aſſuetos: quinetiam profeſſionem ſuam ab eo munere alienam addidit. Recuſauit & Georgius Vaiuodæ frater, & tandem ea conditione ſuſcepit, vt nullus, niſi Tomoreus & collega deſignaretur, & vt; quum Vaiuoda frater acceſſiſſet, eo munere ſe abdicare integrum eſſet; quod vtrumque facilè conceſſum eſt: ita Mugacium Quinqueccleſienſis Pontificatus oppidum inter Bathan, & Draui oſtia ſitum contenderunt.

Varadini arx à Solymano expugnatur.

Pauli Tomorei Collocenſis Epiſcopi ſimulata ſubmiſſio.

Supra Bathan Danubius in duas parteis ſinditur, maior pars vlteriorem Hungariam, 14 quæ plana eſt, diuidit: minor Bathan, Magaciúmque alluit; & paulò infra in vnum coëunt, inſulámque efficiunt. Mugacium vndiquaque planitie cinctum ab Oriente minus Danubij brachium, à Septemtrione Bathan, ab Occaſu Quinqueccleſias, à Meridie Drauum fluuium quinque milliaribus Hungaricis diſtantem habet: inter quem & Mugacium non tamen ab hoc procul paluſtris quædam regio, quæ nec palus, nec fluuius dici poteſt, ac vitiferi colles interiecti ſunt: vltra quam circiter quinque aut ſex equitum millia conſiſtebant, qui partim cum Tomoreo ab initio militarant, partim cum Petro Pereno, atque aliis ducibus ad eum mox acceſſerant; quos ab vlteriore Danubij ripa in hanc citeriorem Regis mandato adduxerat, vt cum Regio exercitu coniungerentur. Ad hos caſtris ad Mugacium locatis Tomoreus profectus Regem vt ad Regium exercitum celeriter pergant, iunctíque caſtris loco tuto poſitis hoſtem aduentantem expectent, mandare declarauit: qui ab illo ipſo ſubornati (vt ferebatur) pedem referre, quum hoſtis vrgeat, non tutum receptum, ſed apertam fugam dici debere reſponderunt: vnde amiſſa pugnandi alacritate Hungari antea inuicti patriam hoſti in prædam relinquentes, nec maiorum ſuorum fortitudini reſpondentes ſe turpiter ſubducant: Sacerdotes otio, & inertiæ aſſuetos conſentanea ſuis moribus Regi conſilia dare: veniat Rex, & victoria ſibi à Deo Optim. Maxim. deſtinata potiatur: Solymanum quidem magnam tormentorum vim, numeroſum exercitum, ſed imbellem adduxiſſe omneis viros forteis partim in Belgradi, partim in Rhodi oppugnatione cæſos: hic vix viceſimum quemque arma, quibus hoſtem impetat, habere. Hæc Tomoreus ambitione ardens per idoneos homines dici procurarat, vt ante Ioannis Scepuſij Tranſyluani Vaiuodæ aduentum pugna iniretur, quem Regiis copiis præfuturum propter magiſtratus authoritatem imperio ſibi abrogato nouerat. Nocte intempeſta ad Regem nuntius affertur Solymanum cum omni exercitu traiecto Drauo imminere, pugnam non poſſe differri, orare

Hungaros,

Hungaros, vt Rex ad caſtra properet, & ſecum prælio cum hoſte decernat. Rex ad hunc nuntium anxius Cancellarium ad caſtra mittit, vt Palatinum Comitem, Strigonienſem Pontificem, Tomoreum admoneat tantulis copiis aduerſus potentiſſimum Solymani exercitum confligendum non videri, milites ab eo ardore reuocent: illis Ioannis Tranſyluani Vaiuodæ ac Chriſtophori Francipanis virorum militarium conſilia opponant, qui ad Budam, aut alium remotiorem locum donec omnia, præſertim Tranſyluanorum auxilia conueniſſent, hoſtem expectandum iudicaſſent: contra eos vehementer damnaſſent, qui Regem cum tam exiguis copiis hoſti potentiſſimo obieciſſent.

15 Nihil quum profeciſſet Cancellarius eadem nocte eo miſſus, & reuerſus, Rex ſub auroram ad caſtra acceſſit, & Tomoreum ex alteris caſtris hoſti vicinioribus ſuperiore nocte arceſſitum in conſilio, quod ſtatim conuocauit, interrogauit quot in vtriſque Hungarorum caſtris militum ineſſe millia exiſtimaret. Ille viginti millia ineſſe: quot contra in hoſtium, trecenta reſpondit: quum is numerus omneis metu perculiſſet, multitudinem eam inermem, & imbellem, idcircóque haud metuendam eſſe addidit. Tum quot ibi milites ad pugnam habiles eſſe iudicaret, interrogatus; ſeptuaginta millia ſubiecit. Is quoque numerus Hungarorum numerum longè ſuperabat, & trecenta maiora tormenta Solymanus trahere ferebatur. At quamquam vires nullo modo pares erant, tamen plures ad pugnam magis inclinabant: Hungarica enim nobilitas, quæ nunquam caſtra Turcica viderat, & leuibus duntaxat excurſionibus cum iiſdem pugnare conſueuerat, celebratis recenti memoria maiorum ſuorum victoriis inflata ſe vel exiguo numero ingentia Turcarum agmina conciſuram iactabat. Et tum ab alteris caſtris nuntius interuenit, qui in conſilium admiſſus mandatum ſe ab iis, qui ibi militabant, ſe habere dixit, vt Regem admoneat, vires illis hoſtium eſſe exploratas; modò animi non deſint, paratam eſſe victoriam: ſi qui Regi aliter ſuadere nitentur, eos ſe pro hoſtibus habituros, & in Regia caſtra inuaſuros: ita pugna decernitur. Tomoreus ad ea caſtra mittitur, vt paululum pedem referant, & Regiis adiungantur, ſuaſurus, quod ille ægrè impetrauit. Hinc circiter mille paſſus infra Mugacium vtraque caſtra coierunt, ita tamen vt aliquo interuallo diſiungerentur. Tum ad exercitum naues Buda miſſæ tormentis, pilis, puluere tormentario onuſtæ ad exercitum appulerunt, & auxilia è Croatia & vicinis regionibus acceſſerunt, vt Regius exercitus quinque & viginti tam equitum, quam peditum millia implere diceretur. Sacrati autem antiſtites de gentis more ſtipendiarij non integras, ſed ſemiplenas alas adduxerant, nec iuſtam in belli ſumptum pecuniam attulerant. Naualium copiarum nullus in eo prælio vſus fuit: triduum caſtris caſtra collata ſunt interiectis duobus duntaxat paſſuum millibus, & omnibus fere horis leuia certamina inibantur, quibus Hungari fere ſuperiores erant: quæ res innatam illis arrogantiam maximè auxit. Die, qui pugnam præceſſit, in quaternas acies equitatum omnem Barbarus Imperator diuiſit, quæ mutuò ſibi ſuccedentes diſtinctis diei noctiſque ſpatiis Hungaros continuo laceſſerent, & ita conſtringerent, vt nemo pabulatum, nemo lignatum, ſed ne ad propinquum quidem Danubium aquatum niſi magno ſuo periculo propter Barbarorum multitudinem ire auderet. Quarto Kalendas Septembris eædem difficultates continuabantur; magis etiam Hungaros Barbari vrgebant, vt labore exhauſtos in ſupremum certamen adducerent.

Hungarorum aduerſus Solymanũ exercitus.

Pugna ad Mugatiũ decernitur.

Barbari copiarum diſpoſitio.

16 Hungarorum exercitus in duas acies diuiſus fuit: in prima Tomoreus ac Georgius Scepuſius Vaiuodæ frater nullum ſibi certum locum delegerant, ſed quo diſcrimen vocabat, eò aduolabant. Dextrum cornu Banus, ſiue præfectus Croatiæ, ſiniſtrum Petrus Perenus curabat; tormenta in principiis collocarant. In ſecunda acie Rex erat, quæ lapidis iactu duntaxat à priore diſtabat, & toto equitatu fere conſtans paucos à lateribus pedites habebat. Vtraque acies in oblongam ſeriem protenſa ne ab hoſtibus multitudine longè ſuperantibus circumueniretur: delecti quibus Regis cuſtodia committeretur Gaſpar Raſcaius, Valentinus Toruucius, Ioannes Calaius cum ſuis equitum alis, vt ſi victoria ad hoſteis inclinaret, Regem maturè è præſenti periculo abducerent. Caſtra catenatis vallata curribus leui præſidio munita ad dextram relicta: acies loco plano à Danubio quingentis, Mugatio mille paſſibus inſtructæ; inter quem, & Danubium paluſtris, ac limoſa aqua arundinibus referta interiecta erat, vbi in fugam verſi multi ex Hungaris poſtea ſuffocati ſunt. Iam pomeridiana hora tertia præteribat, & multi ad caſtra redeundum iudicabant, quum prima Turcarum agmina per vallem collibus ſubiectam, quæ Hungaris ad dextram erat, ad pugnam tacitè incedentia ex haſtarum cuſpidibus eminentibus apparuerunt: eò treis præfectos cuſtodiæ Regis attributos cum ſuis

alis

alis Tomoreus exploratum præmittit, quos barbari irruentes pedem referre coëgerunt. Signo pugnæ dato quum prior Hungarorum acies ſucceſſiſſet, tormentáque non magna tamen hoſtium iactura diſploſiſſet, barbari vel vi repulſi, vel conſulto cedentes vt tormentis ſuis Hungaros perſequenteis obiicerent, fugam capeſſere videbantur. Qui rumor ad Regem perlatus, vt omnes accelerarent, effecit: ſed quum ad Turcica tormenta ventum eſſet, eáque graui boatu intonare cœpiſſent (permulta enim,& ingentia erant) dextrum Hungarorum cornu pilarum ſuperuolantium fragore fortaſſe deterritum paululum declinauit:tametſi illæ ex loco inferiore libratæ nullos pene trucidarunt: nonnulli in fugam ſe dederunt; & Tomoreus fortiter pugnans cecidit, cuius mors magnum cæteris pauorem incuſſit: quibus hoſtium vim non ſuſtinentibus Rex à præſidio ſuo deſtitutus (neque enim adhuc redierat) via elabendi prærepta ad vicinam paludem deflexit, ibique equo ſe reflectente lutulenta aqua ſuffocatus interiit: alij quingentis vltra Mugatium paſſibus progreſſum in terræ hiatu Danubij inundatione aqua referto abſorptum ſcribunt. Conflictus in horam & dimidiam alteram protractus: tormenta, quæ vel in acie, vel in caſtris, vel in nauibus erant, impedimenta item omnia hoſti in prædam ceſſerunt. Poſtridie mille quingenti ex illuſtrioribus Hungaris captiui coram victore exercitu capite mulctati ſunt: ſic barbari Tyranni Mahometi ſuo humano ſanguine libare conſueuerunt: deinde in omnem vicinam regionem effuſi equites obuia quæque incendiis, ſtupris, cædibus nulli nec ſexui, nec ætati parcentes fœdarunt. Solymanus paucos dies ad Mugatium commoratus, omnibus quos prædatum miſerat, ad ſe reuocatis Budam à Danubio non recedens contendit, & ſextis, aut ſeptimis caſtris eodem peruenit; Quinqueccleſienſi vrbe inter eundum incenſa arcem intentatam reliquit.

Tomoreus fortiter pugnãs occumbit.

Rex quoque Hungarorum aquis extinguitur.

Maria Regina accepto aduerſi prælij nuntio de viri morte adhuc incerta omnem ſupellectilem, quæ in eo tumultu colligi potuit, nauibus impoſitam Danubio deportari iuſſit, & Buda profecta Poſonium trepidè confugit. Zegedinum appulerat Ioannes Sce- 17
puſius Vaiuoda cum Tranſyluanis copiis, & quod prælium haud dilatum iri intellexerat, vt vel ſolus eidem intereſſet, conſcenſis leuibus rhedis ad Regem properabat. Zagabriam peruenerat Chriſtophorus Francipanes:Boëmi partim prope Albam Regalem,partim prope Iaurinum(Iauarinum alij vocant)erant.Marchio item Brandeburgenſis ac Boëmiæ Cancellarius non multum inde aberant: magna, & ſalutaria auxilia niſi Franciſcini ſodalis ambitio, Hungaricæque nobilitatis arrogantia Regem adoleſcentem, atque imperitum ad certum exitium præcipitare coëgiſſent. Budam progreſſus Solymanus omnem citeriorem Hungariam populatum miſit, nullas arceis firmiores, vrbeiſve oppugnauit: Marathum duntaxat locum ſiluis conſitum Strigonio vicinum, quo ſe multi Hungari cum vxoribus, & liberis condiderant, prædatores aggreſſi ſunt, multóſque ibi amiſerunt: & quum in Hungarorum caſtra curribus vallata irrumpere non poſſent, tormenta eo trahere coacti ſunt, caſtríſque perruptis Hungaros omneis internecione ceciderunt. Sed nec Budæ, Budanæve arci Solymanus recedens præſidium reliquit: quo autem conſilio regnum opulentum tam facilè occupatum non munierit, incertum; niſi quis fortè imminentem hyemem, & neſcio quos tumultus in Aſia minore excitatos illi maturi reditus cauſam præbuiſſe coniiciat.

Hũgari omnes Marathi latentes internecione caſi.

Anno 1527.

Anni huius ſæculi viceſimiſeptimi initio nihil Italiæ calamitates remorabatur, niſi 18
Hiſpanorum contumacia, qui Mediolanenſium opes omneis, vxores, liberos prædæ loco habentes inde migrare nolebant, & vt aliquam excuſationem obtenderent, ſtipendium omne debitum repoſcebant: tandem quinque menſium accepto ad iter ſe compararunt, & Padum tertio Kalend. Februar. traiecerunt. Antonius Leua cum Germanis omnibus, qui antea in Mediolanenſi principatu erant, ac mille ducentis Hiſpanis peditibus vt eundem tueretur, remanſit. Ad Placentiam circiter viginti dies Cæſarianus exercitus conſtitit, quod nullum Germanis, nondum promiſſum Hiſpanis ſtipendium Borbonius exoluiſſet, qui etiam de vrbe oppugnanda cogitabat; idcircóque tormenta à Ferrarienſi petebat: ſed Ferrarienſis in tanta rei nummariæ penuria intempeſtiuam in circumſedendis vrbibus moram eſſe docens, præſertim alieno tempore hyeme vehementer vrgente Bononiam, aut Florentiam, aut ipſam adeo Romam vrbeis opulentas, nec ita munitas non abſurdo conſilio petere ſuaſit, vnde ſuis copiis vel accepta pecunia, vel obiecta ingenti præda ſatisfacere poſſet. Borbonius itaque è Placentino agro profecturus Hiſpanis aliquantam pecuniam, Germanis autem ſingulis binos nummos aureos dedit. Interim Rentius Ceres vbi ad Pontificium exercitum acceſſit, qui non multum à Neapolitano diſtabat (iam enim Ceperano Lanoius appropinquabat) conſilio Vitellij repudiato, qui

qui duo peditum millia Tibure, totidem Pileſtrini, quod reliquum erat, Velitris collocandum iudicarat, vt Lanoium Romam aduentantem repellerent, exercitum ad Ferentinum, quod Anagnia quinque paſſuum millibus, totidem Fruſinone diſtat, caſtra habere iuſſit. Fruſinoni mille octingentos pedites ex Ioannis Medicis cohortibus, quæ vulgo Nigræ appellabantur, cum Alexandro Vitellio, Ioanne Baptiſta Sabello, Petro Birago leuiorum equitum præfectis præſidio impoſuit, tum quum triginta ab Anglo per Roſſellum, decem à Gallo per Rabaudangeum nummûm aureorum millia Clemens accepit. Franciſcus enim ob decimas, quas illi è ſacerdotiis Galliarum percipere hoc anno Clemens permiſerat, præter quadraginta, quæ in Heluetiorum ſtipendium ſingulis menſibus fœderatis, & præter viginti, quæ priuatim Clementi ſingulis quoque menſibus pollicitus erat, triginta inſuper nummûm aureorum millia intra menſem eidem Clementi ſe repræſentaturum promiſerat. Cum Lanoio nihilominus ſemper de pace Clemens agebat, quicum ne conueniret Franciſcus ac Venetus Senatus timentes (ingentem enim metum Clemens præ ſe ferebat) ne quod alter ſine altero fœdus cum Cæſare iniret, ſe recenti pactione deuinxerunt. Progrediebatur tamen Lanoius, & coactis duodecim peditum millibus, qui præter Hiſpanos, Germanóſque quos ſecum claſſe deportarat, Itali erant militiæ aſſueti, aliquantóque equitatu Fruſinonem duodecim paſſuum millibus Ceperano diſtantem vrbem nec admodum munitam, cui priuatorum ciuium domus pro muro magna ex parte erant, nec commeatu abundantem duodecimo Kalen. Februar. circumſedit: ſed quod excelſo in monte ſita, & valido præſidio firmata erat, nec tormentis maioribus pulſabatur (treis enim duntaxat ſemicanones, quatuor mediocres colubrinas, vt vulgo appellantur, Lanoius admouerat) non niſi diuturna obſidione, & commeatus penuria capi poſſe videbatur, adeóque hoſteis obſeſſi contemnebant, vt trium alarum equeſtrium bona pars, ac trecenti pedites Fruſinone egreſſi Larnatum, vbi Hiſpanorum quinque cohortes conſederant, petierint, duas ex illis in inſidias attraxerint, octoginta ex illis occiderint, inter quos Peraldus fortis centurio repertus fuit, permultos cœperint, duo ſigna ſecum retulerint: quinetiam & quadringentos pedites, quos Pontificij duces ſubſidio mittere deſtinarant, recipere recuſarint. *Fruſinonis obſidio.* *Obſeſſi Fruſinone egreſſi ingentem in Hiſpanis ſtragem edunt.*

19 Nec minus tamen de pace agebatur: ſummus enim Franciſcinorum magiſter, ac Capuanus Pontifex, vnáque Cæſar Feramuſca Neapolitanus Romam cum Cæſaris mandatis redierant, Cæſarémque Columnas Romam hoſtiliter ingreſſos ægrè tuliſſe, & cum fœderatis pacem inire cupere docebant: cuius Clementi Cæſar ſiquidem Barchinonem, vti deſtinarat, nauiget, arbitrium deferat: & aſſentiente Lanoio inducias in biennium vel triennium Clementi, Venetiſque proponebant: quibus vnuſquiſque vti poſſidebat, omnia interim poſſideret, ea tamen conditione, vt centum quinquaginta Clemens, Veneti quinquaginta nummûm aureorum millia dependerent. Pacis autem adeo auidus, aut belli, bellicarúmque curarum Clemens pertæſus erat, vt, quò Venetos ad eandem prouocaret, licet pecuniis exhauſtus integram ſummam ſe perſoluturum promitteret. Itaque pridie Kalen. Februar. pactæ in octo dies induciæ fuerunt, quibus Pontificij vltra Ferentinum, Cæſariani vltra Fruſinonem progredi, & ſeſe inuicem laceſſere prohibebantur. Tum perlongas Cæſaris manu ſcriptas litteras officij, ſtudij, beneuolentiæ plenas Clementi Feramuſca obtulit, & vt inducias ſupra commemoratas Lanoio, Pontificióque legato ſignificaret, Roma profectus eſt: atque illo ipſo die Pontificium exercitum Fruſinonem properantem offendens legato, qui Romæ cum Clemente conueniſſet, indicauit. Legatus ſpe victoriæ inductus clam exercitus ducibus vt gradum accelerarent, mandauit: interim Feramuſcam ſpecioſis verbis remoratus eſt: ad Fruſinonem in montis radicibus anguſtiæ quædam pontis non multum diſſimiles erant, quà neceſſario iter inſtituendum erat. His quatuor Germanorum cohortes præſidio Lanoius impoſuerat, quos aggreſſus Stephanus Columna primæ aciei ductor cæſis ducentis, quadringentis vnà cum vexillis captis in fugam vertit: vnde Cæſariani in locum munitiorem retroceſſerunt, & liberum ad oppidum Pontificiis aditum reliquerunt. Pontificij aduerſa hoſtium caſtris non longo interuallo interiecto caſtra poſuerunt, & magnam de victoria ſpem conceperunt, quam nimirum conſequuti fuiſſent, ſi hoſtium diſceſſum diligentius obſeruaſſent. Poſtridie nihil memoria dignum geſſerunt, nec vllum adhuc diſceſſus ſignum Lanoius dabat: at tertio die tertia vigilia fere exacta incenſo, qui ſupererat, puluere tormentario, multiſque pilis ferreis, atque aliquanto commeatu relicto, clam ſine vllo ſtrepitu ſe ſubduxit, & Cæſanam, inde Ceperanum reuerſus eſt. *Clemens belli pertæſus pacē quoquo pacto procurat.*

20 Hinc animo confirmatus Clemens, & à fœderatorum legatis incitatus, quibus aliter

ſatisfacere non poterat, regnum Neapolitanum terra, maríque adoriendum ſuſcepit: nam Rabaudangeus, qui decem nummûm aureorum millia ob decimas recèns conceſſas, & totidem ad Rentij exercitum, ſtipendio afficiendum attulerat, ne quid numeraret, mandatum habebat, niſi Guilielmo Langeo, Alberto Pio, ac Rentio aſſentientibus; & ea quidem conditione, ſi Clemens in fœdere perſeuerans cum Cæſare nullo modo conueniret. Pontificiæ, Venetæque triremes duæ & viginti coiiſſe traduntur, Gallicarum numerus non traditur: omnibus Vademontanus Lotharingi frater ex antiqua Andegauenſium regulorum familia ortus tanquam legatus Pontificius præerat: Maritimum, terreſtrémque exercitum in eandem regionem Clemens irrumpere ſuadebat, vt coniunctis viribus quicquid ſuſciperent, facilius in ſuam poteſtatem redigerent. At Rentius, cuius nutu Gallica pecunia diſtribuebatur, ſex peditum millia conſcripſit, vt Aquila, quò Montorij Comitis liberos cum bis mille peditibus præmiſerat, potiretur, quod feliciter ſucceſſit: de appropinquantibus enim certior factus Aſcanius Columna vrbe ceſſit. Augebat exercitum, quoad poterat, Lanoius, ſed quod bonam eius partem in vrbium præſidia diſtribuerat, quod reliquum erat, terreſtribus fœderatorum copiis haud poſſe reſiſtere videbatur. Verum lentè omnia fœderati adminiſtrabant: Pontificius enim exercitus donec maiora tormenta Roma aſportarentur, Rentius in Samnium, in aliam regionem claſſis appelleret expectans, nondum pridie Idus Februarias ſe Fruſinone commouerat. At duodecimo Kalend. Martias Ceſanam Cæſariani relinquentes Ceperanûm retroceſſeruut: hinc Pontificius exercitus Fanum Germani tranſmiſit. Lanoius autem nihil fortunæ permittere cupiens Caietam, Hugo Moncata Neapolim ſe recepit. Clemens nihilominus pecunia exhauſtus, & quod fœderatorum exercitus Borbonio Romam contendenti non ſatis ſtrenuè reſiſtebat, vt Boſſellus Angli legatus Regis ſui nomine ad Lanoium proficiſceretur, procurauit. Hinc Cæſar Feramuſca Romam cum mandatis acceſſit, quibus expoſitis Clementem in primis anxium, conſiliíque incertum relinquens poſtridie ad Lanoium rediit. Veneti vt Clementem ab ea mente reuocarent, Martij initio quindecim nummûm aureorum millia, intra quindecim proximos dies totidem altera promiſerunt. At fœderatorum claſſis, quæ Gallicam expectans magna cum iactura aliquot dies otioſa manſerat, ventorum vi agitata ad Pontiam inſulam ſeptimo Kalend. Martias ſe recepit; deinde eam oram legens Molam Caietanam diripuit: inde quarto nonas Martias Burgum maritimum oppidum facta graui impreſſione cepit: poſtridie arx dedita eſt; quibus Græca turris, Surrentum, & aliæ quædam partim vrbes, partim arces acceſſerunt: & paulò ante nonnullas naueis tritico onuſtas, quod Neapolim exportabant, ceperat; vnde vrbs magna victus penuria laborabat. Captum eſt & Salernum, vbi triremes quatuor relinquens Vademontanus quibus Horatius Baleonus præerat, conſpectas aliquot hoſtium naues perſequutus eſt. Interim Salernitanus princeps per arcem in vrbem cum manu ſatis numeroſa ingreſſus ab Horatio fortiter repulſus eſt ducentis è ſuis, aut paulò pluribus cæſis, multis captis. Rentius Tallacotio, Sicilianóque pridie nonas Martias captis Soram contendebat: Montorium Comitem, vt Aquilam recuperaret, Lanoius è cuſtodia eduxerat, verum is à liberis ſuis captus nihil profecit.

Claſſis a regni Neapolitani inuaſionē à fœderatis inſtructa ac Vademontano commiſſa.

Mola Caietana direpta.

Lanoius Mōtorij Comitem vinculis eximit.

Rebus adeo proſperè ſuccedentibus tamen vel Clementis ad pacem inclinantis, vel 21
miniſtrorum eius negligentia commeatus deficere, & milites è terreſtri exercitu tertio nonas Martias dilabi cœperāt. Sexto Idus Cæſar Feramuſca, ac Sereno, qui Lanoio ab epiſtolis erat, de pace acturi Romam appulerunt: pridie vrbē inierat Gulielmus Langeus cum amplis Franciſci Regis promiſſis, ſed rara pecunia: decem enim duntaxat nummûm aureorum millia attulerat: quamquam viginti in militum ſtipendium, qui naues magnas, quæ Centumcellis expectabantur, conſcenſuri erant, totidem Clementi ſe mittere Franciſcus ſcripſerat: & vt regnum Neapolitanum ad vnum è ſuis liberis transferretur, qui Catharinam Mediceam Laurentij filiam vxorem duceret, poſtulabat. Verumenimuero fœderatorum claſſis neque nouo milite, neque magnis, quæ promiſſæ erant, & Franciſci pariter, Venetorúmque ſumptibus armari debebant nauibus aucta, ſimul captas vrbeis retinere, quibus præſidia relinquenda erant, aliáſque capere, & vltrà progredi non poterat: & terreſtris exercitus ad quem cōmeatus Roma nauibus deportatus pridie Idus Martias propter horridas tempeſtates nōdum peruenerat, non ſolum non progrediebatur, ſed Pipernum multis quotidie dilabentibus ſe recipere coactus eſt. Rētius quod debitū militibus ſtipendium non mitteretur, Romā nulla re memorabili geſta redierat, nec Lanoium, vt deſtinarat, cōcludere potuerat. Tum pacis ſpes Clementis animo inſita eundem longè negligentiorem reddebat, hominem natura timidum cōmouebat, quod neque Pontificius

exercitus

exercitus ex Inſubribus rediens, neque Salaſſus Marchio pompæ, & ludicris equitum certaminibus, quàm ducendis copiis aptior cum Gallico, neque Vrbinas cum Veneto Borbonium in Hetruriam, aut Romam proficiſcentem prohibere poſſe videbantur: & Vrbinas, qui vnà cum ſuperioribus Borbonium anteuertere deſtinarat mutato mox conſilio ſe duntaxat ſequuturum, & quidem procul declararat. Is enim & veteris Leonis ac Clementis in ſe odij, & Feltrenſis agri, ac Fani Leonis Florentinis in creditæ pecuniæ præmium attributi memor non ſolùm vt Venetus exercitus fœderatis inutilis eſſet, perfecit; ſed quod ad illum ſummam ſuorum conſiliorum referebant, res eorundem prodidit: ac ne Borbonio Romam petenti iter impediretur, clandeſtinis ſuis artibus procurauit. Quod præſentiens Franciſcus Guicciardinus Pontificius legatus, Clementi vt vtrumque Vrbinati reſtitueret, conſuluit.

Vrbinas cum Borbonio ne eius profectionem Romam interturbaret iniiſſe creditus.

22 Clemens iræ potius, ac veteri, recentique odio indulgens, quam præſenti neceſſitati ſeruiens viro prudenti bene conſulenti parere noluit. Accedebat quod Franciſcus in mulierum aulicarum conuiuia, mundúmque, ac venationes prodigus, atque inde pecunia exhauſtus, & rerum bellicarum ſecurus nullis fere promiſſis ſtabat. Clementi præter quadraginta nummûm aureorum millia, quæ in Heluetiorum ſtipendium ſingulis menſibus dependebat, viginti in bellum Neapolitanum ſingulis quoque menſibus ſe perſoluturum, Rentiúmque Ceritem, vt id promoueret, miſſurum promiſerat, ac promiſſum menſe Octobri vt vi pactas cum Hugone Muncata, Columniſque inducias Clemens nullas duceret, ſuadens iterarat. At Rentius pridie nonas Ianuarias Romam duntaxat appulit, & poſtridie Idus viginti nummûm aureorum millia à Franciſco miſſa accepit: ex quibus quatuor in penſionem & neſcio quas impenſas, decem in militum in Samnium ducendorum ſtipendium vt paulò ante attigi, retinuit; ad Clementem ſex duntaxat reliqua peruenerunt: propter decimas, quarum etiam ſupra memini, permiſſas viginti nummûm aureorum millia intra octo dies, triginta quinque intra duos menſes Clementi idem Franciſcus pollicitus erat: at Clemens per Rabaudangeum decem duntaxat accepit. Paulo Aretino Pontificio cubiculario pridie Idus Februarias è Gallia recedenti, vt Clementem ad bellum magis incitaret, viginti nummûm aureorum millia Romam ſe miſſurum Franciſcus confirmarat; at ea poſt Langeum miſſa Sauonam haud tranſmiſerunt, & in alios vſus impenſa ſunt. Duodecim ex fœdere triremes Franciſcus mittere debebat: at illæ tam raro milite instructæ erant, vt qui in terram exponerentur, nulli eſſent, diúque Sauonæ inutiles quieſcerent: quæ ſi initio Pontificiis, Venetiſque iunctæ fuiſſent, magnum ad recuperandum regnum Neapolitanum momentum attuliſſent. Ad hæc potentiſſima magnarum nauium claſſis, quam in regnum quoque Neapolitanum Franciſcus ſe miſſurum pollicitus erat, nunquam è Phocenſi prouincia, Sauonáve ſoluit. Hæc Clementem ad pacem ineundam etiam inuitum incitabant: in Placentino agro adhuc Germani ſubſiſtebant: Placentiæ Guidus Ranco cum ſex peditum millibus præſidio erat; vnde Paulus Luſaſcus, nonnullique alij Pontificij leuiorum equitum præfecti cum aliquot peditibus ac cataphractis equitibus egreſſi Scalengium, Succarum, Grugnium Burgundos cum octoginta equitibus, centum peditibus ceperunt. Tertio Idus Martias quum in Hetruriam properare Cæſariani decreuiſſent, Germani, quibus ſtipendium toties promiſſum non exoluebatur, grauem tumultum concitarunt, & niſi Borbonius ſe clam è diuerſorio ſuo ſubduxiſſet, in magnum nimirum vitæ diſcrimen incurriſſet: etenim omnem eius ſupellectilem diripuerunt, & ex eius domeſticis virum nobilem trucidarunt: hinc Vaſtius Marchio Ferrariam ſe contulit, & aliquantum pecuniæ reportauit, qua tumultus ſedatus eſt.

Borbonii ſupellex à Germanis tumultuantibus direpta.

23 Id fere temporis, hoc eſt decimoquinto Kalend. Aprilis Vrbinas ad Venetum exercitum ad Fauſtini Fanum non longe à Ruberia metatum acceſſit, & Venetis indubitatam victoriam non fœderatorum armis, ſed hoſtium difficultatibus, quibus impediebantur, comparandam pollicebatur: tametſi cum Borbonio ne eius profectionem interturbaret, clam conueniſſe ferebatur. Clemēs igitur, & ſupra commemoratis de cauſis, & Vrbinatis perfidia, Florentinorúmque ſeſe in libertatem aſſerere cupiētium abalienatis ſtudiis, ac Senenſium cum Cæſarianis coniunctis voluntatibus perterrefactus, tū Pontificiis, Florentiniſque ditionibus cauere cupiēs cum Feramuſca ac Sereuone Romam à Lanoio miſſis in has conditiones conuenit; nempe vt in octo menſes induciæ eſſent: in Cæſarianorum ſtipendium Clemens ſexaginta nummûm aureorum millia numeraret: quicquid è Pontificiis, regni Neapolitani, Columnarum ditionibus captum eſſet, antiquis dominis redderetur: Pompeius Columna ad Chriſtianā ſacra rediret: in Cardinalitium

Quibus conditionibus Lanoius cum Clemēte paciſcatur.

gradum reſtitueretur: Franciſcus Rex ac Veneti intra præſcriptum tempus ad has inducias admitterentur: & ſi quidem admitterentur, Germani ex Italia; ſin non admitterentur, ex Pontificiis, Florentiniſque ditionibus excederent; Lanoius Romam accederet, vt Borbonium aſſo contendere, & induciis ſtare cogeret. Et Guicciardinus Pontificius legatus Borbonij litteras interceperat, quibus magnas ſui exercitus difficultates exponens Lanoio ſuadebat, vt cum Clemente, prout Cæſaris Majeſtas permitteret, conueniret. Pactis induciis captæ vrbes, arceſque reſtitutæ, Pontificia claſſis reuocata fuit, cuius exemplum Gallica, Venetáque imitatæ ſe ad ſuos receperunt. Lanoius Romam acceſſit, cuius aduentu inducias Borbonium ratas habiturum Clemens ſperans copias omneis præter ducentos leuiores equites, ac bis mille ex nigris cohortibus pedites dimiſit. Pactis induciis Feramuſcam ſtatim Clemens ad Borbonium miſit, vt iiſdem ſtaret, & exercitum è Pontificiis ditionibus educeret: quem ab iis alienum, milites vero longè alieniores Feramuſca offendit bellum pertinaciter depoſcenteis, vel quod magnam prædam inde ſperarent, vel quod promiſſa pecunia in duorum menſium ſtipendium haud ſatis eſſe poſſet, vnde induciis ſtaturos rumor fuit, ſi Clemens quadraginta addens centum nummûm aureorum millia exoluiſſet. Interim Bononienſem agrum diripientes ad pontem Rheni pridie Kal. Aprilis progreſſi ſunt, tanto belli ardore ſuccenſi, vt hominem nobilem à Lanoio ad Borbonium miſſum vt induciis pareret, Hiſpani trucidaſſent, niſi is ſubita fuga ſalutem ſibi quæſiuiſſet: & Vaſtium Marchionem qui ne Cæſaris mandatis repugnare videretur, vti ad Pontificium legatum ſcripſerat, vel alia de cauſa in regnum Neapolitanum ſeceſſerat, iidem milites rebellem declararunt. Salaſſus ac Pontificius legatus relicto Bononiæ Italicarum aliquot cohortium præſidio nocte quæ Kalend. Apriles præceſſit cum cætero exercitu Forum Liuij petierunt, & in Forum Cornelij præſidium immiſerunt, à quo non procul nonis April. Borbonius caſtra fecit. Poſtridie Lanoius Florentiam appulit, vel cum Borbonio, vel cum iis quos ille mitteret, colloquuturus.

Borbonij milites nullis induciis ſe bellum intermiſſuros pertinaciter affirmant.

Cæſarianum autem exercitum niſi maior nummorum ſumma proponeretur, retineri non poſſe pro certo erat, quos Florentinis Clemens, ſi Rempubl. ſuam ſaluam vellent, numerandos relinquebat. Idibus Aprilis Borbonius ad Villafrancam quinque à Foro Liuij paſſuum millibus caſtrameratus eſt: quo die quingentos pedites omneis fere Hiſpanos ab exercitu, in quo magna commeatus penuria erat, ſeparatos Salaſſus armis ſpoliauit. Poſtridie Meldulam Germani oppugnarunt, & quamuis dedita fuiſſet, incenderunt. Decimoſexto Kalend. Maias ad Fanum Sophiæ oppidum Florentinis obnoxium hoſteis vel diligentia, vel dolo anteuertere cupiens Borbonius ſubſtitit: poſtridie litteras à Lanoio, Pontificióque legato ad Fanum Petri ad Balnea accepit, quibus Lanoium illi obuiam ire ſignificabatur. Vtríque Borbonius Fanum Petri colloquio incommodum eſſe reſcripſit: poſtridie, hoc eſt, decimoquarto Kalend. Maias ad Fanum Mariæ ad Balnea in Alpium radicibus colloquuturos. At Borbonius nihil huiuſmodi colloquium moratus Apenninum illo ipſo die Aretinis iugis conſcendit: Lanoius ſpe lapſus Borbonium conuenire haud potuit,& ruſticis à Cæſariano exercitu ſpoliatis ipſum adorientibus in magnum vitæ periculum incidit. Interim Guicciardinus Pontificius legatus Borbonij celeritatem ſuſpectam habens Salaſſo perſuaſit, vt Borbonium anteuertens cum copiis ſuis Briſigelam contenderet: vnde ſuperatis Alpibus decimo Kal. Maias ad Fanum Laurentij Mugellani caſtra poſuit: hinc Vrbinas Gallorum alacritate perſpecta, à quibus procul ſeparari niſi ſuſpicione iam de illo concepta vehementer aucta non poterat, Barberinum petiit. Borbonius Apennino tranſmiſſo ad Stephani Pieuam ſubſtitit, quod oppidum eius milites oppugnare aggreſſi fortiter repulſi ſunt: poſtridie,hoc eſt,nono Kalen. confectis octodecim paſſuum millibus non longè ab Aretio conſedit: at fœderatorum duces Franciſcus Guicciardinus Pontificius legatus, Salaſſus, Vrbinas, aliique præfecti ad Barberinum coëuntes vt fœderatorum exercitus vltra Florentiam duceretur,& loco tuto collocatus Borbonio opponeretur, deliberarunt: inciſámque tredecim paſſuum millibus Florentia diſtantem Federico Boſſulo ſuadente delegerunt. Sed tumultus grauis ſexto Kal. Maias Florentiæ concitatus, quamquam eodem die ſedatus Salaſſum, Vrbinatémque in vrbe retinuit. Et Veneti legati ſuos vltra Florentiam progredi nolebant, niſi Florentini ſeſe fœderatis adiungerent, & decem peditum millia in ſocietatem conferrent, quod ad Clementis arbitrium poſtea delatum eſt. Clemens Lanoium nihil apud Borbonium profeciſſe certior factus (& iam Heluetios, ac nigras cohortes dimiſerat, & Vademontanus cum claſſe Gallica Maſſiliam nauigarat)

Quingenti pedites Hiſpani armis per Salaſſum exuti.

24

Digitized by Google

nauigarat) neceſſario ad belli conſilia rediit, & ſocietatem cum Gallo, ac Venetis ſeptimo Kalend. Maias renouauit, qua iſti ingentem pecuniam conferre debebant; Clemens autem, ac Florentini quantum eorum facultates ferre poſſent: verum huiuſmodi ſocietatem neque Franciſcus, neque Veneti comprobarunt: Borbonius de capienda Florentia deſperans, à qua fœderatorum exercitus non procul aberat, aut quod id conſilium initio fortaſſe ſuſceperat, ex agro Aretino ſine impedimentis, ſine tormentis Romam ſumma celeritate properauit, nec victus penuria, nec denſis imbribus, qui aliquot dies continuati fuerunt, exercitum remorantibus, & ſui aduentus nuntium propemodum anteuertit: neminem neque Viterbij, quo non ſatis maturè Clemens præſidium miſerat, neque alio loco, qui eius profectionem impediret, offendit.

Clemens bellum redintegrare aduerſus Borbonium cogitur.

25 Hoſtilis exercitus appropinquantis nuntio accepto Clemens ad ea remedia confugit, quæ tum prodeſſe nullo modo poterant, in tempore capta multum profuiſſent: tres Cardinales pretio indicto creauit: at ea pecunia ob tumultum numerari haud potuit: Romanos conuocatos orauit, vt pro aris ac focis aduerſus nefarios latrones à vera religione abhorrenteis fortiter pugnarent: qui ditiores eſſent, pecuniam in militum ſtipendium mutuam darent, ſed nemo quicquam contulit. Dominicum Maximum virum inter Romanos opulentiſſimum centum duntaxat nummos aureos obtuliſſe memoriæ proditum eſt: cuius auaritiæ meritas ſtatim pœnas dedit, vna cum liberis captus, & omni ſupellectile amiſſa magno ære poſteà in libertatem reſtitutus. Vitellius, qui Aretio præſidio erat, fœderatos de Borbonij diſceſſu, verum tardius, admonuit: illi vt Guidus Ranconus cum ſuo, ac Calatini Comitis equitatu, & quinque Pontificiorum, Florentinorúmque peditum millibus Romam ſine impedimentis repente aduolaret, reliquus exercitus ſequeretur, edixerunt: ſi enim cum tormentis ingrederetur Borbonius, eundem Ranconus anteuerteret: ſin ſine tormentis, vrbem cui Clemens ſex peditum millia præſidio eſſe ſcripſerat, hoſtium impetum, donec priora auxilia accederent, facilè toleraturam. Sed Borbonij celeritas, & Rentij imprudentia fatale vrbis excidium maturarunt: Rentius enim, qui in repentino tumultu paucos milites ſtrenuos, magnam ex Cardinalium Pontificúmque familiis, ex artificum officinis, ex cauponum tabernis hominum militiæ haud aſſuetorum turbam conſcripſerat, & Vaticano ſuburbio debile quoddam vallum, verum eius iudicio ſatis validum adiecerat, eam de tuenda vrbe, ſuburbiíſque ſpem concepit, vt Tiberis pontem perfringi paſſus non ſit: quem multi vt ſi Vaticanum ſuburbium conſeruari non poſſet, vrbs ſaltem conſeruaretur, deiiciendum putabant: quinetiam vt Veronenſis Pontifex Clementis nomine ad Ranconem ſcriberet, author fuit, vt ſexcentos duntaxat, aut octingentos ſclopetarios mitteret, ipſe cum cæteris copiis ſe coniungeret plus ibi, quam in vrbe concluſus ad belli ſummam profuturus: quæ tamen litteræ nihil nocuerunt: multum enim adhuc aberat Ranco ſiue Ranconus, vt in tempore adeſſe non poſſet. Quódque magis mirum fuit, ſi homines fatum ſuum vitare non poſſe mirari debemus, Clemens qui Rentium ſemper inter omneis Italos duces contempſerat, illi vni vrbis tuendæ ſummam crediderat, adeo imminentis periculi præter naturam ſecurus, vt non ſolum homines bello inutiles ex vrbe excedere, ſed & ſupellectilem Tiberi exportare prohiberet: ipſe verò conſtanter maneret nullo metu deterritus, quum Lanoio ad Fruſinonem caſtra habente de Roma relinquenda cogitaſſet.

26 Borbonius tertio nonas Maias in pratis vrbi propinquis caſtrametatus tubicinem ad Clementem miſit, & vt ſibi in regnum Neapolitanum contendenti vrbs pateret, poſtulauit. Quod quum negatum fuiſſet, poſtridie primo diluculo exercitus in armis fuit, & denſa pruina eius conſpectum auferente Vaticano ſuburbio per montem, qui vulgo Sancti Spiritus dicitur, deſcendens appropinquauit. Portentum narrat Bellaius Gallicæ hiſtoriæ ſcriptor: Signifer Pontificius cuſtodiendæ muri Vaticani ſuburbij ruinæ attributus Borbonium cum paucis inter vineta accedentem vt locum oppugnationi commodiſſimum, notaret, intuitus tanto terrore perculſus fuit, vt in ſuburbium fugere ſe exiſtimans, contra per ruinam deſcendens rectà ad Borbonium contenderit. Borbonius multos milites vexillum ſequi ratus (nondum enim pruina penitus diſcuſſa erat) pauliſper ſubſtitit, ſuos qui ſequebantur, expectans, & vt pugnæ ſignum daretur, mandauit. Signifer tubarum, tympanorúmque ſtrepitum in Borbonij caſtris exaudiens ad ſe rediit, & quum circiter trecentos

Borbonio ingreſſus in vrbem Romanam à Clemente negatur.

Portentoſum Bellaij narratu de quodã Signifero Pontificio.

extra ſuburbium paſſus confeciſſet, lento gradu per eam, qua egreſſus erat, ruinam in ſuburbium reuerſus eſt. Borbonius iter ſibi quaſi diuinitus commonſtratum ratus oppugnationem accelerari iuſſit, & primus ſcalam manu tenens ingreſſus eſt, quam quum

Borbonius in femur à ſuis ictus è ſcalis diſturbatur.

ruinæ admouiſſet: & aliquot gradus confeciſſet, ſclopeto à ſuis emiſſo in femur ad inguen ictus cecidit: id an fortuito, vt in bellis pleraque id genus accidunt, an conſulto euenerit, incertum. Lanoius certè Borbonium de Cæſare merito queri nouerat, cui ſororem Eleonoram in matrimonium dare Cæſar promiſerat: quo promiſſo, vt quadam æqui ſpecie liberaretur, alterum addiderat, ſe illi Mediolanenſem principatum condonaturum pollicitus: at ea mox conditione dedit, vt eum militum numerum aleret, in cuius ſtipendium quadruplicata eius principatus vectigalia ſatis eſſe non poſſent:

Borbonij cædes à nonnullis in Lanoium reiecta.

quod vt conficeretur, in priuatorum fortunas irrumpendum fuit. Ita Borbonium & Mediolanenſibus, qui compilabantur, & militibus quibus integrum ſtipendium non pendebatur Cæſar pariter odioſum reddidit, cui ſe fere ſemper contumaces præſtiterunt: in quem an Lanoius alioqui propter vitatum colloquium, & propter ſuſpicionem de illo conceptam infeſtus clam quiddam molitus ſit, affirmare non auſim.

Borbonio Romam diripere in animo non fuiſſe * * * Peſchinus ex illuſtri Boiorùm familia, qui huic expeditioni interfuit, mihi confirmauit; iuſtam in militum ſtipendium pecuniam inde conficere, & acceptas à Cæſare iniurias vlturus regnum Neapolitanum inuadere deſtinarat, quò illum extrema deſperatio adegerat: quæ deliberatio ſi initio bene ſucceſſiſſet, haud dubium, quin Franciſcus illi reconciliatus (tanto in Cæſarem odio, inuidiáque flagrabat) opportuna auxilia miſiſſet. Et Itali Borbonium potius, à quo nihil timebant, quam Cæſarem eo regno potiri optaſſent. Fuit Borbonius excelſa, quadrata, robuſta ſtatura, colore fuſco: cuius nos expreſſam effigiem habemus, & quem ſæpe, ſed pueri admodum in Cantellana arce, vbi erudiebamur, vidimus. Vir in primis vita integer, alieni non appetens, ita temperans, vt cum vnica vxore rem habere diceretur, quamquam corpore mutila procreandæ ſoboli non adeo apta videbatur. Hiſtoriarum & veterum, & recentium mirandum in modum ſtudioſus, bello ſtrenuus, foris ac domi ex equo clarus: ſuis vero Boiis, cæteriſque populis obnoxiis ita charus, vt multis poſt eius mortem annis, quod de Carolo Burgundione celebratum eſt, cæſum fuiſſe non crederent, rediturúmque ſperarent: patrimonio iniquè exutus, à Cæſare circumſcriptus & in alieno ſolo quaſi exul, tum externo, alienigenæque militi non tam imperans, quam parens multa præter naturam ſuam, & vi-

Borbonij funus, & elogium.

tæ inſtitutum patrare coactus eſt. Mortui cadauer Germani Caietam deportarunt, & in æde * * * hoc addito epitaphio collocarunt. AVCTO IMPERIO, GALLO VICTO, SVPERATA ITALIA, PONTIFICE OBSESSO, ROMA CAPTA CAROLVS BORBONIVS IN VICTORIA CÆSVS HIC IACET. Cæſum Borbonium Arauſius princeps eius propinquus, qui iuxta conſcendebat, pallio operiri juſſit, ne ducis morte conſternati milites ab oppugnatione diſcederent; qui vbi circiter duas horas fortiter pugnaſſent, tandem in ſuburbium inuaſerunt: nam Pontificij magna ex parte tyrones erant: & Gibellini, Columnenſiſque factionis milites ſe ſanctos fore ſperantes non magnopere repugnabant. Ducenti Heluetij Clementis ſtipatores, ex quibus vix quinquaginta ſuperfuerunt, qui mox in Petri æde cæſi ſunt, & cum his aliquot veterani milites ſtrenuè pro vrbe Leonina propugnarunt: treis impreſſiones factas, duabus prioribus Cæſarianos repulſos, tertia viciſſe, qua & Borbonium cecidiſſe Germani tradunt: tamen quod ſine tormentis vrbes non facilè capiuntur, ex Cæſarianis circiter mille, ex Pontificiis tam in oppugnatione, quam in primo ſuburbij ingreſſu, vbi quoſuis obuios victores trucidabant, circiter quatuor millia cecidiſſe traduntur. Iouius cæſorum numerum ad ſeptem millia auget: idem in Borbonij exercitu militum quadraginta millia fuiſſe ſcribit, Germanorum treis legiones, Hiſpanorum ſex millia, Ioanne Dorbino tribuno, quod reliquum eſt ex equitatu & Italis peditibus, quibus Fabritius Maramaldus, Sarra Columna, Ludouicus Gonzaga (vulgo Rodomontes dictus) præfuerunt implet: at tam numeroſum exercitum non fuiſſe conſtat.

Clemens in Vaticano palatio pugnæ euentum expectans poſtquam hoſteis in ſuburbium irrupiſſe audiuit, in molem Adriani vnà cum aliquot Cardinalibus confugit, ac num via Romana cum leuiore equitatu, quem ſibi ad corporis cuſtodiam reſeruarat, euaderet conſultans, quod illi perfacile fuit, à Berardo Patauino, qui è Cæſariano exercitu aufugerat, reuocatus eſt: Cæſarianos enim Borbonij morte perculſos, vt cum ipſo conuenirent, cupere renuntiauit. Qua ſpe ductus Clemens legatos ad Cæſarianorum præfectos

fectos miſit, & in arce nec commeatu, nec rebus ad reſiſtendum neceſſariis, nec natura munita remanſit deterius conſilium ſequutus. Victores Cæſariani primum ad diripiendam Petri ædem, Vaticanúmque palatium accurrerunt: deinde totum ſuburbium, quam Leoninam vrbem vocant quod Leo Quartus eius nominis Pontifex eam muro primus cinxerit, multas interim cædes patrantes percurrerunt. Sub veſperam Hiſpani Germanis mox ſequentibus in Tranſtiberinam regionem, ipſámque adeo Romam Xiſtino ponte nemine ſeſe opponente penetrarunt: vnde Romani fere omnes, niſi qui ſe vel ob factionem Columnenſem, vel ob Cæſarianarum partium ſtudium ſanctos fore ſperabant, paſſim, (vt in tanto tumultu) effugerant: in prædam verſi non ſacris ædibus, non Regum, principúmque legatis, non ſuæ nationis hominibus, nec ipſis quidem Cardinalibus, aut Pontificibus pepercerunt, & virgines tam Deo ſacras, quam cæteras, matresfamilias generoſas peræquè vel in ipſis ſacris ædibus conſtuprarunt; Gothos etiam, qui nongentis, atque octoginta annis vrbem ante ceperant, immanitate ſuperantes. Germani à primo impetu, quo armatos vel ceciderant, vel repulerant, minus feroces libertatem captiuis modico pretio dabant, ad menſas & pocula ruebant, nec in quemquam ſæuiebant, niſi in Cardinales, Pontifices, cæteróſque ſacris miniſteriis addictos, quos Lutherianæ ſectæ labe infecti miro odio proſequebantur: & tamen hos probris potius ac ludibriis, quam gladiis inceſſebant. Cardinalis Senenſis Cæſarianarum partium ſtudioſiſſimus vbi cum Hiſpanis certo pretio tam pro ſua libertate, quam pro palatij ſui immunitate conueniſſet, à Germanis captus, & palatio direpto, vnde pugnis contuſus, apertóque capite alio deductus eſt libertatem ſuam quinque nummûm aureorum millibus redimere coactus eſt.

Clemens Roma iā ab hoſtibus occupata in Adriani molē aufugit.

Cæſarianorū in diripiēda vrbe Roma immanitas plus quam Gothica.

29 Eandem fortunam Cardinales à Minerua, & Ponſeta ſubierunt; & per totam inſuper vrbem veſtibus ſacris induti, aſiníſque, aut vilibus mulis inſidentes per ludibrium deducti ſunt: quod & pleriſque Pontificibus accidit: in quos, & in templa, & ſtatuas Germani magna ex parte Lutheriani rabiem ſuam effundebant. At Hiſpani longè crudeliores præter vim mulieribus, virginibúſque multò petulantius illatam tormentis, & ſuppliciis familiarum arcana exquirebant, & inter tormenta multos necabant, omnémque captiuorum ſubſtantiam inuſitata feritate rapiebant. Itali verò in ſuos non minus ſæui, vtpote ex fœda teterrimorum latronum colluuione collecti Hiſpanorum, qui ſtrenui milites erant, virtutes non imitabantur, ſed vitia longè ſuperabant. Per turbas virgines ſacræ necnon & aliæ, matronæque cum magno eiulatu ad exſaturandam nefariorum latronum petulantiam palam trahebantur: domi in tormentis clangentium planctus, clamoréſque exaudiebantur: tota ciuitas in continuo mœrore erat: pauca palatia immunitatem magna pecunia vel repræſentata, vel prædibus datis promiſſa redemerunt. Quæ crudelitas eo grauior fuit, quod in multos menſes producta, nec niſi vti clauus clauo trudi ſolet, grauiore malo depulſa eſt. Peſtis enim inuſitata in Germanos præſertim calido cœlo inaſſuetos & vino ſeſe ingurgitanteis deinde in cæteros graſſata vrbem penè vaſtam, deſertámque reddidit, & eam prædonum multitudinem, quæ ſuperſtes fuit, in vicinam regionem diſperſit: prædones enim potius, ac latrones, quam milites dici merebantur, qui nullius ducis imperio parebant, duces ſuos potius ſibi parere cogebant. Poſt Borbonij mortem Philbertum principem Arauſium imperatorem ſibi, ſed non eadem authoritate delegerunt. Rediit Romam Alphonſus Daualus Vaſtius, qui paulo ante in regnum Neapolitanum ſeceſſerat, atque Hugo Moncata cum omnibus fere Germanis, atque Hiſpanis qui in regno Neapolitano militabant: ita vt tum octo Hiſpanorum, Germanorum duodecim, Italorum pèditum quatuor millia in eo exercitu militare dicerentur. Equitum, quibus Ferdinandus Gonzaga præerat, numerus non traditur. Eodem acceſſit & Lanoius à Pontifice arceſſitus & quod eius exercitus imperator eſſe ſperaret: ſed ne ſibi ab inſanis militibus vis afferretur, ſe ſubducere coacti ſunt. Et Arauſius Senas vrbis conſeruandæ ſpecie cum centum quinquaginta equitibus conceſſit, ibíque aliquamdiu habitauit: vrbis prædam decies centenis nummûm aureorum millibus æſtimatam ſcribunt. Ex captiuis in libertatem reſtitutis maiorem etiam ſummam confectam putant. Quanto humanior, ac clementior Totilas? qui Roma potitus libera ciuium corpora, inuiolatam mulierum ingenuarum pudicitiam eſſe iuſſit, réque præſtitit, bona dumtaxat militibus in prædam conceſſit.

In ipſos Cardinales ſæuire non reformidant.

Poſt Borbonium præfecturæ munus Principi Arauſio collatum.

30 Vt ad Clementem redeam, quo die Roma capta eſt Guidus Ranco litteris ad ſe miſſis haud retardatus, officiúmque ſuum Clementi teſtari cupiens cum leuiore equitatu, atque octingentis ſclopetariis ad pontem ſalarium appulit, & hoſteis vrbe potitos intel-

ligens Ocriculum ſe recepit; quo cæteri eius milites poſtea conuenerunt. Ranconem præſenti occaſione non vſum nonnulli reprehenderunt, qui Cæſarianis ita ſpoliis, captiuiſque quærendis, vel in tuto loco collocandis intentis, vt ad ſigna nullo modo conuenirent, ad quæ aliquot poſt diebus ſæpius reuocati nunquam conuenerunt, ad molem Adriani Clementem liberaturus non acceſſerit; quò ſi accurriſſet, maius etiam fortaſſe quiddam in tanto tumultu conſequutus fuiſſet. Sed nec Ranco quanta in vrbe Cæſarianorum perturbatio eſſet, penitus norat, & paucos Italos haud ſtrenuos milites viris fortiſſimis obiicere non leue diſcrimen fuiſſet. Clementi reliqua auxilij ſpes in fœderatorum exercitu erat, qui quinto nonas Maias Florentia profectus (ad perſoluendum enim Heluetiis ſtipendium Veneti tardiores fuerunt) non multum proceſſerat. Etenim ſexto Idus ad pontem Granauolum, vbi de Roma capta nuntium acceperunt, poſtridie Orbitum appulerunt: vnde Salaſſus, Federicus Boſſulus, Hugo Pepulus cum toto fere ſuo equitatu Romam contenderunt, vt nocte proxima ad molem Adriani appropinquantes, inde Clementem, ac Cardinales, cæteróſque viros illuſtres educerent. Verum inter eundum Boſſulus huius conſilij author, qui vnà cum Pepulo præcedere, Salaſſus, vt ſubſidio eſſet, non longè ab vrbe ſubſiſtere debebat, equo in ipſum relapſo ita concuſſus fuit, vt longius progredi non poſſet. Pepulus ad molem non noctu, vt conſtitutum erat, ſed claro iam diluculo acceſſit, & ſe ab hoſtibus conſpectum cauſatus, vel, vt Federicus obiiciebat, nimio timore perculſus ad Salaſſum re infecta rediit.

Rãco à multis reprehenſus quod Clementem non liberaſſet.

Vrbinas, ne Clemens liberetur cunctando more ſuo fraudulenter efficit.

Interim Peruſiam Vrbinas ſeceſſerat, vt Gentili Baleono expulſo, qui Clementis partes ſequebatur, vrbem in Malateſtæ, Horatiíque Ioannis Pauli liberorum poteſtatem reduceret: quorum alter in mole Adriani cum Clemente, alter in Inſubribus cum Veneto exercitu erat, quod & ſtatim præſtitit; & conſulto diutius, quàm par erat, commoratus poſtridie Idus ad Orbitum cæteris fœderatorum ducibus iunctus, ac Clementem in hoſtium poteſtatem venire cupiens more ſuo miris cunctationibus vſus eſt: quanquam vt in liberando Pontifice fortem, gnauámque operam nauaret, Veneti mandarant: primùm difficultates receptus ſi Clementem inde eruere non poſſent, longa oratione expoſuit: deinde ab Orbitanis prædes, qui redeuntibus copiis commeatum exhibendum præſtarent, exegit: & ſemper nouas moras nectens tandem vt ipſe decimo quarto Kal. Iunij ad Nepeſum, Salaſſus, ac Guidus Ranco cum Italico peditatu ad Braccianum caſtra facerent, obtinuit; poſtridie ad Inſulam (ita locus is nouem paſſuum millibus Roma diſtans appellatur) profecturi. Tum quod nullam differendi auxilij occaſionem haberet, vt milites duodecimo Kalend. recenſerentur cenſuit: quum quindecim peditum ad pugnam paratiſſimorum millia reperiſſet, vt ad montem Marium loco tutiſſimo, & tribus paſſuum millibus Roma diſtante caſtra fierent, viſum eſt, quemadmodum & Clemens enixè flagitabat: vnde ſi Clementem ad ſe perducere non poſſent, facilis receptus erat: quod quum non probaret Vrbinas, & Ranco cum toto pontificio equitatu, atque peditatu ad molem Adriani ſe proxima nocte acceſſurum promitteret, modo illi Vrbinas cum cæteris copiis ad treis Tabernas ſubſidio veniret, in hanc ſententiam iuit, quam tamen ita eluſit; Montem Marium ſe Clementis mandato inuiſere ſimulauit, nec treis Tabernas tamen prætergreſſus eſt: & quum bonam noctis partem in hoc iter eundo, redeundóque inſumpſiſſet, expeditio in ſequentem noctem dilata eſt. poſtridie ſubornati exploratores foſſas moli Adriani à Cæſarianis circumductas longè altiores, latioréſque, quam re vera eſſent, murum item porticus quæ à Vaticano palatio ad molem pertingit pleriſque locis perruptum renuntiarunt, quod peræquè falſum erat. His tamen fidem adhibens, aut adhibere ſimulans Vrbinas Clementi opem ferri non poſſe pronuntiauit; & illi quoque Ranco aſſenſus eſt: à quibus quum Salaſſus, Gallique liberandi Pontificis mirandum in modum cupidi, aliique præfecti diſſentirent, eoſdem acerrimè refellit Vrbinas, & fraudulentis ſuis artibus, ne Clemens liberaretur, ac fœderatorum exercitus Kal. Iunij retrocederet, & non ſecus atque in Inſubribus inutilis eſſet, effecit: quo die Petrus Maria Roſſus, atque Alexander Vitellius cum ducentis leuioribus equitibus ad hoſteis defecerunt. Clemens animaduerſis Vrbinatis dolis, quem ſibi ſemper infeſtum expertus erat, ac vitæ ſuæ metuens Columnis, ac Germanis hoſtilia omnia minitantibus Lanoium Senis arceſſiuit, quicum facilius ſe conuenturum ſperabat: at is vbi accepta à Cæſariani exercitus præfectis libere accedendi teſſera Romam appulit, Germanóſque pariter & Hiſpanos erga ſe malè animatos agnouit, ibidem commorari non auſus Neapolim redire ſtatuit. Inter redeundum Vaſtium Marchionem, Hugonem Moncatam, Alarconem obuios habuit, & ab iiſdem perſuaſus Romam vnà reuerſus eſt:

ſed

ſed militibus minus acceptus in his quæ vel ad bellum, vel ad pactionem cum Clemente faciendam pertinebant, nullo loco fuit.

32 Clemens igitur poſtridie nonas Iunias iiſdem, quibus ante poterat conditionibus conuenit: nempe vt Cæſarianis, quadringenta nummûm aureorum millia penderet, centum ſtatim, quæ ex his, quæ in eo tumultu in Adriani molem importata erant, ſoluerentur; quinquaginta intra viginti dies: quod reliquum erat, nempe ducenta quinquaginta intra duos menſes ſequenteis: quæ omnibus Pontificiis ditionibus dependenda indicerentur: molem Adriani, arcem Oſtienſem, Centumcellas, Caſtellanam ciuitatem (Veios olim fuiſſe putant) Parmam, Placentiam, Mutinam Cæſari permitteret: quas quoad ſibi videretur, Cæſar retineret. Clemens, ac tredecim Cardinales in Adriani mole captiui detinerentur, donec priora illa centum quinquaginta millia perſoluerentur: deinde Neapolim, vel Caietam deducerentur, quid de ipſis Cæſar ſtatueret, expectaturi: cæterorum nummorum obſides Sipontinus, Piſanus, Piſtorienſis, Veronenſis Pontifices, Iacobus Saluiatus, Simo Ricaſolus, Laurentius Rodolphus Cardinalis frater traderentur: nummorum autem tertia pars Hiſpanis, duæ reliquæ cæteris attributæ erant: Guilhelmus Langeus, Rentius Ceres, Horatius Baleonus, Albertus Pius Galli Caſalenſis eques Angli legatus, cæterique qui in molem confugerant, Clemente, ac Cardinalibus exceptis liberi exirent: Columnas Chriſtianis ſacris Clemens reſtitueret: quum Roma exiret, legatum ibidem, iuriſdictionémque eam, quæ à Rota nomen accepit, relinqueret. Vbi ita conuenerunt, Alarco cum tribus Hiſpanorum, totidem Germanorum cohortibus Adriani molem ingreſſus Clementem, ac Cardinales in arcta, duráque cuſtodia habuit. Caſtellanam ciuitatem fœderatorum præſidium inſederat, quam Cæſari tradere recuſauit. Recuſauit & Centumcellas tradere Andreas Auria, niſi prius quatuordecim nummûm aureorum millia in ſtipendium ſibi debita reciperet. Parmam & Placentiam mandato Clementis adiit Iulianus Leno Romanus architectus, vt eaſdem Cæſarianis traderet, Ludouicus Lodronij Comes vt Cæſarianorum nomine reciperet: at Parmenſes, Placentiníque clam à Clemente moniti Hiſpanorum dominatum ſubire recuſarunt. Eo ipſo die quo Clemens cum Cæſarianis conuenerat, Mutinam Ferrarienſis receperat; tametſi ne quid noui aduerſus Pontificem moliretur, Veneti ſignificauerant: verum & ipſi Rauennam oppidum, atque arcem cæſo clam præfecto, Ceruiam item, ac Salinas inuaſerunt. Ariminum Sigiſmundus Malateſta occupauit: Pontificias enim ditiones nemo, niſi ciues ipſi, atque incolæ ſibi prouidentes, tuebatur.

Clemens cum Cæſarianis paciſcitur.

Parmenſes Placentiniq; Hiſpanorum dominatum ſe ſubituros pernegant.

33 Romæ extrema fortuna Clemens, Florentiæ non multo meliore ſtabat; Cortonenſis enim Cardinalis poſt Romam captam à Medicei nominis fautoribus deſertus, quod pecuniam continendæ in eodem ſtatu ciuitati neceſſariam niſi duris indictionibus cogere diffideret, nec de ſuo promere vellet, ſaltem donec quid fœderatorum exercitus Clementi opem laturus proficeret, intellexiſſet, animum deſpondit; & quanquam ſatis multos in vrbe milites habebat, & palatio occupato populus attonitus erat; tamen nihil mouere auſus fortunæ ceſſit, ac neſcioquibus priuilegiis impetratis, præſertim vt Medicei Florentiæ priuati ciues manerent, & ab omnibus rebus hactenus aduerſus Reip. ſtatum procuratis abſoluerentur, populo ad concionem vocato liberam Reip. adminiſtrationem reliquit: ac poſtridie Idus Maias vnà cum Mediceis Lucam petiit, vbi damnata ſua timiditate pœnitentia ductus Piſanam, Liburnicámque arceis retinere voluit; ſed has Pontificij præfecti Clemente obſeſſo de auxilio deſperantes nummis aliquot, vt fertur, acceptis paucis poſt diebus Florentinis dediderunt. Populus in libertatem reſtitutus Nicolaum Caponium virum prudentem, & magnæ authoritatis Gonfallonerium, hoc eſt, ſummum magiſtratum creauit: cuius ſi ſano conſilio paruiſſet, libertatem ſuam diutius ſaltem conſeruaſſet. Verumenimuero Mediceorum odium ita ciuium animos exacerbarat, qui ſua ambitione patriam prorſus exinanierant, vt ſuperbiam, tyrannicámque familiam proſcribere, & ex omni hominum memoria, ſi fieri poſſet, euellere modis omnibus conarentur. In bellum enim Vmbricum, quod aduerſus Vrbinatem regulum Leo X. ſuſcepit, tam pro inuadendo, quàm tuendo eo principatu quingenta nummûm aureorum millia, aut etiam paulo plura Florentini impenderant: totidem in Mediolanenſe aduerſus Ludouicum eius nominis XII. Galliarum Regem, ſi quis impenſas poſt Leonis mortem factas annumeret. Adde trecenta millia ante Clementem Pontificem creatum Lanoio, Cæſarianiſque ducibus perſoluta: adde ſexcenta etiam millia in hoc poſtremum bellum collata. Itaque Mediceum nomen, eiuſque factionis ciues inſectati Medicea inſignia ex omnibus publicis ædificiis euulſerunt; Leonis, Clementiſque ſtatuas confregerunt:

confregerunt: Clementis, totiúſque familiæ patrimonium perſoluendo antiquo ære alieno addixerunt, plura niſi Caponij Gonfallonnerij authoritas, ac prudentia obſtitiſſet, patraturi: qui tamen immoderatam infeſtorum ciuium iracundiam compeſcere haud potuit. hinc Clemens Cæſari reconciliatus eoſdem in duriſſimam, quam huc vſque tolerant, ſeruitutem redegit.

Romæ in colligenda promiſſa à Clemente pecunia, eáque, quam captis ciuibus imperarat, operam dabat Cæſarianus exercitus, & res Cæſaris ſúſque deque ferens inde exire nolebat: principem Arauſium imperatorem delegerat, verùm is imperatoris nomen inane dumtaxat gerebat: ipſe enim ſibi exercitus imperabat: nihil ex diſciplina militari omnia potius inſano quodam tumultu exequebatur. Hinc Lanoius, ac Vaſtius ſibi magis, quam antea metuentes ſe iterum clam ſubduxerunt: peſtis autem in flaccida primum Germanorum corpora æſtiuis Romani cœli caloribus haud aſſueta, deinde in cæterum exercitum graſſata eius bonam partem abſumpſit, ac ne quod operæpretium facerent, impediuit. Ita bonæ occaſiones Cæſaris potentiam aucturæ amiſſæ fuerunt: Bononiæ occupandæ in primis, in quam licet Hugo Pepulus pedites mille Venetorum ſtipendio militantes immiſiſſet, tamen Laurentio Maluetio pleroſque è ciuibus exciente Bentiuola factione adiuncta (quod non ſine tacito Ramaſſoti conſenſu accidiſſe tradunt) vix ea, & ſumma cum difficultate in Clementis poteſtate conſeruata eſt: interim Gallo potentiſſimi exercitus colligendi ſpatium datum eſt, quo ſi rectè vſus fuiſſet regnum Neapolitanum facilè recepiſſet. Verum Franciſcus (vt ſæpe dixi) in ſcorta, & venationes prodigus ſuſceptas expeditiones ſtipendij penuria magna ex parte imperfectas relinquebat. Is octauo Kal. Maias ita fere cum Anglo conuenerat: nimirum vt vel ipſe, vel Aurelianus alter eius filius Mariam Angli filiam vxorem duceret: vter autem duceret in colloquio quod in Maium ſequentem inter Caleſium, Bononiámque compromiſerant, decerneretur; ne regni Gallici titulum amplius Anglus vſurparet: quinquaginta nummûm aureorum millia quotannis in penſionem reciperet. Anglus ad ſocietatem cum Clemente, Gallo, Venetíſque initam admitteretur: bellum aduerſus Cæſarem in Flandria intra menſem Iulium moneret: in quod nouem peditum millia, Gallus bis totidem cum iuſto equitatu, tormentorúmque numero conferret, quæ ſocietas amborum nomine Cæſari ſignificaretur: moneretur Cæſar, vt vel Regios liberos reſtitueret, pacémque æquis conditionibus amplecteretur, vel bellum ſibi indictum putaret. Miſſi ab vtroque, qui Cæſari hæc indicarent, mandatáque ſupra commemorata denuntiarent: ſed paulòpoſt accepto Romæ captæ nuntio nouum fœdus ictum, quo Franciſcus, ac Veneti decem Heluetiorum millia in bellum Italicum mitterent: menſis primi ſtipendium Franciſcus, alterius, & ſic deinceps Veneti penderent: decem Gallorum peditum millia Nauarro duce Franciſcus, totidem Italorum Veneti adderent. Et quandoquidem Franciſcus, atque Anglus totam belli molem in Italiam transferre cupiebant, conuenit vt Anglus in ſex menſes decem peditum millia in bellum Italicum ſtipendio afficeret: bellum Flandricum in aliud tempus differretur. Fœderatorum exercitus Odetus Fuxius Lautrecius Imperator Anglo depoſcente declaratus eſt propemodum inuitus: Franciſci enim ingenium perſpectum habens in impenſas inutiles prodigum, in neceſſarias nimis parcum, quod ſæpius expertus erat, delegatum ſibi munus haud ſponte ſuſcepit, veluti præſaga mente infelix ſibi futurum auguratus. Ad Viterbium conſederant fœderati, vt Peruſium, Orbitum, Spoletum, vicináſque vrbeis in Romani Pontificis fide continerent: deinde Cæſariani exercitus partem Roma exiſſe certiores facti (peſtis enim vrbem vehementer affligebat) Orbitum primum, inde ad oppidum Pieuam retroceſſerunt, in Florentinum agrum, ſi Florentini permitterent, tranſituri, quos tamen quinque peditum millia conferre, & in fœdus nomen dare coegerant: quod Cæſar ægerrimè tulit, qui eodem tempore Ferrarienſi, vt cum Florentinis eius nomine conueniret, iniunxerat. Timebant fœderati numero admodum imminuti, quod Venetis, Salaſsiſque militibus, & Heluetiis aliquot menſium ſtipendium debebatur, ne Cæſariani accepta ſtipendij parte vniuerſi Roma egreſſi in ipſos conuerterentur. peſtis autem ita Romæ graſſabatur, vt in ipſam etiam Adriani molem magno Clementis diſcrimine penetraret, cuius nonnulli miniſtri ea lue polluti perierunt.

Bona pars exercitus Cæſarianorum peſte abſumpta.

Fœdus inter Franciſcũ & Angliũ ſancitur.

Odetus Fuxius Lautrecius fœderatorũ exercitus dux declaratur.

34

Clementem Cæſariani præfecti Caietam deducere cupiebant: ſed ille variis artibus, quoad poterat, obſtabat. Cæſar vt in Hiſpaniam deduceretur, optabat: at omnes Hiſpani proceres, populique nimis inhumanum, immo vero nefarium eſſe clamabant, ſi Cæſar Romani Pontificatus propugnator ſummum Chriſti legatum in cuſtodia detineret. 35

Interim

Interim Gallus, atque Anglus legatos ſimul pro eodem liberando ad Cæſarem miſerunt, quibus benignè Cæſar reſpondit, ne Anglum nimis irritaret, veritus: & quod de pace etiam legati verba feciſſent, ea vt Anglo authore pertractaretur, aſſenſus eſt: paulò ante, hoc eſt, pridie Kal. Iulias Lautrecius ſummus fœderatorum exercitus imperator (ita enim Gallus, atque Anglus vocari voluerāt) è Regio comitatu diſceſſit, & aſſumptis octingētis cataphractis equitibus inſtitutum iter perſequutus eſt. Anglus in ſingulos menſes, qui Kal. Iunij cœperant, triginta nummûm aureorum millia in Germanorum ſtipendium ſe collaturum pollicitus eſt: Germanis (hi ad decem millia coierant) Ludouicus Lotharingus Vademontanus præerat: Andream Auriam cum octo triremibus promiſſis in ſingulos annos triginta ſex nummûm aureorū millibus Franciſcus ad ſuum ſtipendium vocarat. Antequam Lautrecius Alpeis ſuperaret, Venetæ, Sfortianæque copiæ iunctæ Melegnanum petierunt; quas Antonius Leua cum octingentis Hiſpanis, totidem Italis peditibus, & paucis equitibus obuiam progreſſus pedem referre licet numero ſuperiores coegit. Id temporis Ioannes Iacobus Mediquinus Muſſiæ arcis præfectus, qui Gallicum ſtipendium merebat, arcem Mungutiam inter Comum & Leccum intercepit, vbi Alexander Bentiuolus tanquam in patrimonio habitabat. Eam vt reciperet, Ludouicum Barbianum illuc Antonius Leua miſit, qua nequicquam oppugnata Barbianus Modoetiam rediit. Sub Iulij finem Cardinalis Eboracēſis mille ducentis equitibus comitatus Caleſium tranſmiſit, cui Ioannem Cardinalem Lotharingum Franciſcus obuiam miſit: ipſe ad Ambianos proceſſit. Poſtridie, hoc eſt, pridie nonas Auguſti Eboracenſis eodem appulit, & ingenti pompa, ſuperbóque comitatu vrbem ingreſſus, atque honorificentiſſimè exceptus de his quæ tum ad pacem, tum ad bellum pertinebant cum Franciſco communicauit: is trecenta nummûm aureorum millia partim in bellum Italicum impendenda, partim Franciſco, ſi opus eſſet, mutuo danda ſecum attulerat. Et quandoquidem pacis vniuerſæ mox coeundæ capita Cæſar ad Anglum miſerat, vterque Rex ſe pacem perlubenter vniuerſam, & priuatam accepturum reſpondit, modo liberi Regij in Galliam remitterentur, quorum nomine vicies centena nummûm aureorum millia dependerentur: Clemens in antiquam libertatem, Pontificiæ ditiones in priſtinum ſtatum reſtituantur: omnes Italiæ potentatus, liberæque adminiſtrationes in quo nunc ſunt, eodem in ſtatu perſeuerent. Et ſi quidem his capitibus Cæſar aſſentiretur, vt Angli filia Aureliano, Franciſci verò cum Eleonora Cæſaris ſorore matrimonium continuaretur: ſin minus, Franciſco ipſi nuberet, decretum fuit. Quibus quum Cæſar aſſentiri noluiſſet, ſocietas inter vtrumque Regem priuatim renouata, & publicè ſexto Idus Auguſti proclamata eſt; & vt omneis ſuas vires in bellum Italicum conuerterent, additum fuit, cuius cauſam Clementis libertatem proponebant; liberam autem belli adminiſtrationem vni Lautrecio permittebant. Caſalenſis eques Angli nomine Lautrecium ſequutus eſt, vt Germanis triginta nummûm aureorum millia ſingulis menſibus diſtribueret, & vt, an numerus ſemper expleretur, videret.

Franciſci & Cardinalis Eboracēſis ad Ambianos congreſſus.

Pax inter Franciſcū & Anglum renouatur, ac publicè proclamatur.

36 Diſceſſurus Eboracenſis Gambaram Protonotarium ad Clementem allegauit, vt tantiſper dum in cuſtodia eſſet, ipſum in Gallia, Germania, Anglia legatum ſuum crearet; quod palam Franciſcus aſſentiebatur, clam vero diſſuadebat. Interim bellum in Italia planè refrixerat: paucos milites Antonius Leua habebat, neque quicquam moliri audebat. Germani Romæ ſeſe vino obruentes ignauè ſedebant: Hiſpani circa Romam diſperſi vicinum agrum diripiebant: vtrique res Cæſaris pro nihilo ducentes neque ſe commouebant, neque ſuis ducibus parebant. idcirco nullum hoſtibus metū inferebant. Arauſius princeps ad ſedādum Senenſem tumultum pedites aliquot præmiſerat, ipſe cum centum quinquaginta equitibus ſequutus erat, ibique adhuc manebat: Senenſes enim aduerſa factione excitante Montenouanæ familiæ domos nonnullas diripuerant, & Petrum Borgneſium virum magnæ authoritatis, filiúmque eius, ac ſedecim præterea, aut paulò plures occiderant. Germani centum prima nummûm aureorum millia à Clemente promiſſa partim numerata, partim mercatoribus Genuenſibus ex decimis regno Neapolitano indictis, ac Beneuenti auctione ſpondentibus vel ſumma cum difficultate receperant, vel accepta referebant: quod reliquum erat, minaciter depoſcebant; id captiuus Clemens dependere haud poterat. Itaque erecto in campo Floræ patibulo illuc prædes tanquam affixuri deduxerunt; deinde Roma egreſſi ſine vllis magni nominis præfectis Terano, Marmáque direptis cum Spoletinis commeatu accepto, liberóque tranſitu permiſſo conuenerunt. Hinc fœderatorum exercitus qui ad lacum Thraſimenum (hodie Peruſinum vocant) conſederat, vltra Peruſiam ad Pontēnouum proceſſit, ſed admodum imminutus: Salaſſus enim trecentos dumtaxat cataphractos equites, totidem leuiores, tria Heluetiorum millia, mille Italos pedites, Vrbinas quingentos graues, trecentos leues equites, mille Germanos, bis mille pedites Italos, Florentini octoginta

graues centum quinquaginta leues, quatuor peditum millia in caſtris habebant: quibus præter cæterorum morem agro ſuo timentes ſtipendium liberaliter exoluebant. Vrbinatem palam Franciſcus, ac Lautrecius proditionis arguebant, Veneti ſuſpectum habebant: idcirco vxorem, filiúmque eius, qui tum Venetiis erant, in cuſtodiam ſed liberam dederant. Conſilium eiuſdem in primis damnabant, qui Lautrecium Romam nulla re in Inſubribus tentata accedere ſuadebat. Rediit paulò poſt ad exercitum Vaſtius, & binos ſingulis militibus nummos aureos dedit; quibus acceptis Germani, quibus cum Hiſpanis non ſatis conueniebat, Romam reuerſi ſunt: Hiſpani, atque Itali in Vulſinenſem agrum, & vicina Romani oppida diſperſi ſunt: omnes propter peſtem ita numero imminuti, vt in toto Cæſariano exercitu vix ad decem millia ſupereſſe dicerentur. Itaque nihil memoria dignum vel Cæſariani, vel fœderati in agro Romano tota hac æſtate geſſerunt. neque verò magis Venetæ, Sfortianæque copiæ in Inſubribus profecerunt, quæ licet non procul Mediolano, vt maturas ſegetes colligerent, caſtra poſuiſſent, præſidiúmque hoſtium centum peditibus cæſis triginta cataphractis equitibus captis fudiſſent, tamen peditatu Veneto ſtipendij penuria magna ex parte dilapſo, vt nimis ſumptui parcere ea Reſpublica ſolet, ſegetes non aſportarunt.

Vrbinas ipſis Venetis proditionis ſuſpectus.

At Lautrecius Auguſto ineunte ſuperatis Alpibus in Galliam Tranſalpinam cum parte 37
exercitus progreſſus bellum prope ſopitum excitauit, omniúmque oculos in ſe conuertit. Is cæterum exercitum expectans, ne nihil agere videretur, Boſcum Alexandrini agri oppidum circumſedit; cui mille pedites Germani, pariter & Hiſpani præſidio erant, & ſe magna pertinacia tuebantur: quos alioqui deditionem facturos Lautrecius, niſi ſeſe illi ſine vlla exceptione permitterent, ad pactionem admittere nolebat, quòd aliquot Heluetios crudeliter trucidaſſent. Et Ludouicus Londronij Comes Alexandriæ præfectus, quod ibi vxorem, liberóſque reliquiſſet, illis auxilij ſpem dabat, animóſque addebat, qui nihilominus poſt toleratum decem dies tormentorum impetum cuniculos etiam metuentes ſeſe Lautrecio permiſerunt. Is præfectos retinuit; milites ea conditione dimiſit, vt Germani per Heluetiam in Germaniam, Hiſpani per Galliam in Hiſpaniam redirent, Boſcóque ſine armis exeuntes bacillum dumtaxat loco enſis geſtarent: tametſi Lautrecium mox arma reddidiſſe Bellaius prodidit: Ludouico autem Comiti vxorem, ac liberos liberaliter reſtituit. Hanc victoriam altera ſtatim conſequuta eſt: Genuam petebant quinque naues, quatuor tritico, quinta mercibus onuſta, & ad Delphini portum anchoras iecerunt, illis nouem triremes Genua egreſſæ ſubſidio venerunt: interim Cæſar Fregoſius cum bis mille peditibus Genuam contendere nuntiatur; quo effectum eſt, vt omnes fere milites, qui ad Delphini portum ſubſtiterant, claſſem relinquentes Genuam properarint. quorum certior factus Andreas Auria Genuenſem claſſem illo ipſo in portu concluſit, quem cæteræ Gallicæ triremes, quæ captis quinque nauibus frumento onuſtis inter Delphini portum, Genuámque conſederant, aſſequutæ ſunt, & victoriæ participes fuerunt. Ex nouem triremibus vna exuſta fuit, cæteræ pariter ac naues in Auriæ, Gallorúmque poteſtatem venerunt: nauis Iuſtinianæ merces, quas ex Oriente reportabat, centum nummûm aureorum millibus æſtimatæ feruntur. Eodem tempore pedites, quos Adurnij conſcripſerant, vt Genuæ præſidio eſſent, ad Priacoocum in Liguſticis montibus cæſi ſunt, quibus calamitatibus, & fame etiam magis, quam hoſtium viribus oppreſſi Genuenſes legatos de deditione ad Lautrecium miſerunt: Antonius Adurnius dux ſe in Caſtelletum arcem recepit, vrbs in Galli poteſtatem rediit, cui Franciſcus Theodorum Triultium Mareſchallum præeſſe voluit. Alexandriam deinde Lautrecius contendit, in cuius exercitu octo Heluetiorum, qui quotidie dilabebantur, Nauarrinorum, hoc eſt, eorũ qui ſub Petro Nauarro militabant, decem; Vaſconum quos nuper Baro Bearus adduxerat, tria millia, tria item in Mediolanenſi agro conſcripta fuiſſe traduntur: octingentos cataphractos equites paulò ante numerauimus, quibus accedebant Venetæ copiæ, ſed terra, marique longè rariores, quàm quas ex fœdere conferre debebant.

Boſcũ à Lautrecio ſtrenuè expugnatũ.

Genuenſis claſſis ab Andrea Auria concluſa, & in Gallorum poteſtatem redacta.

Alexandriam inſederant mille quingenti pedites, & quingentos poſtea per colles Al- 38
bericus Barbianus immiſit: hi tolerata aliquot dies obſidione ſua omnia excipientes deditionem fecerunt. capta Alexandria magnam inter fœderatos controuerſiam excitauit: hanc enim Lautrecius ad receptum, ſi fortè aliquando fortuna aduerſa foret, aut ad commodiorem auxiliorum, quæ è Gallia, atque Heluetiis ſequerentur, tranſitum ſibi ad tempus reſeruare, ibidémque quingentos pedites relinquere cupiebat, cui Sfortianus, Venetúſque legatus Franciſco ad recuperandum Mediolanenſem Ducatum occaſionem quæri ſuſpicati vehementiſſimè interceſſerunt; ad quos & Anglus acceſſit. Poſt multam igitur altercationem vrbem Sfortiæ Lautrecius, ſed multum indignatus reliquit: vnde à cætero Mediolanenſi principatu occupando longè alienior fuiſſe traditur vel hac ipſa de cauſa, vel quod ſi

Lautrecius Alexandriã ad deditionẽ compellit.

totus

totus reciperetur, Clementem, Venetos, Sfortiam à ſocietate diſceſſuros, aut ad eandem non multum collaturos, controuerſiámque de regno Neapolitano Cæſari, Gallóque dirimendam relicturos ſuſpicabatur. Poſt receptam Alexandriam Lautrecium vel ad Mediolanum vel ad Ticinum oppugnandum proceſſurum nemo dubitabat. Antonius Leua abiecta omni auxilij ſpe cum centum quinquaginta cataphractis equitibus, quinque peditum tam Germanorum, quam Hiſpanorum millibus Mediolanum tueri poſſe diffidens ſe Ticinum recipere cogitauit: deinde ibi rarum commeatum ineſſe, & milites ſuos rapto, quemadmodum Mediolani, viuere non poſſe reputans, ac viro militari nunquam honeſtas conditiones defuturas ſibi perſuadens Mediolani conſiſtere decreuit: à Mediolanenſibus exeundi libertatem redimentibus aliquantam pecuniam militibus, quibus multa ſtipendia debebantur, diſtribuendam coegit, Ludouicum Barbianum Belliiocoſi Comitem Ticinum miſit. Lautrecius quanquam Heluetiorum numerus admodum imminutus erat, capto Vigleueno pontem Ticino impoſuit, tranſmiſsóque fluuio ad pagum Benerolum Mediolano quatuor paſſuum millibus diſtantem caſtra poſuit, quaſi eam vrbem oppugnaturus, quemadmodum & Veneti conſulebant. Sed poſtquam Ludouicum Barbianum nocte ſuperiore Mediolanum quadringentos pedites miſiſſe, & Ticini octingentos dumtaxat ſupereſſe intellexit quod facilius erat aggreſſus poſtridie, qui quartus Kal. Octobr. fuit, ad Carthuſianum cœnobium magna celeritate properauit, Ticinúmque circumſedit.

Ticino Lautrecij iuſſu pons impoſitus.

59 Antonius Leua Lautrecium iter mutaſſe certior factus, Ticinúmque tantulo præſidio hoſtibus reſiſtere non poſſe animaduertens illuc treis peditum cohortes miſit, quæ aditu prohibitæ Mediolanum redierunt. Ticinenſes ſtatim Barbianum, quod nullam tuendæ vrbis ſpem concipere poſſet, vt legatos ad Lautrecium mitti permitteret, obſecrarunt. Recuſauit ille opportunum deditionis tempus non defuturum præfatus: ſed tormentis quatuor continuos dies muros quatientibus quum tanta ruina facta eſſet, vt obſeſſi numero pauci vallo opponendo ſatis eſſe non poſſent, Barbianus tubicinem ad Lautrecium ire iuſſit, quem quod in tempore conuenire non potuiſſet (ad Venetum enim exercitum ſeceſſerat) Galli interim per ruinas in vrbem impetum fecerunt: quo animaduerſo Barbianus portam vrbis aperiri iuſſit, & egreſſus ſe Gallis permiſit, atque à Lautrecio Genuam in cuſtodiam miſſus eſt. Ticinum Galli diripuerunt, ibíque octo dies manſerunt. Interim Franciſcus Sfortia è Laude Pompeij Ticinum acceſſit, & cum Veneto legato de oppugnando Mediolano cum Lautrecio egit, quo capto de recipiendis Germanicis auxiliis ſpes Cæſarianis nulla ſupereſſet. Contra Florentini ne Cæſariani Roma egreſſi agrum ſuum vaſtarent timentes, vt Romam Lautrecius ire maturaret, ſuadebant. Is Venetis, Sfortiæque reſpondit, ſe à Gallo, Anglóque Regibus, quorum opibus hic exercitus nititur, mandatum habere, vt Romam Clementem liberaturus acceleret; his neceſſariò ſibi eſſe parendum. Lautrecium in hanc ſententiam conceſſiſſe putant, vel quod Veneti ſemper auarè in ſocietatem conferentes Sfortia in ſuum principatum reſtituto, Cæſariſque potentia, atque authoritate imminuta nihil collaturi viderentur, vel vt Franciſco pro recipiendis liberis Mediolanenſem principatum Cæſari offerre ſemper integrum eſſet: de fœdere enim adhuc Gallus, Anglus, Venetus legati cum Cæſare pertractabant. Cæſar has fœderis conditiones proponebat, vt Gallus quadringenta & quinquaginta nummûm aureorum millia, quæ Cæſar Anglo debere fatebatur, diſſolueret, aſſentiebatur: de reliquo vſque ad vicies centena millia prædes depoſcebat. Depoſcebat & duodecim triremes, vt in Italiam tranſiret: equitatum & peditatum antea poſtulatum ſilentio prætermittebat: vbi conueniſſent, vt omnis Gallorum exercitus ex Italia ſtatim excederet, addebat. Quod caput Franciſcus, niſi liberi prius ſibi reſtituerentur, admittere recuſabat. à Venetis petebat, vt Ferdinando fratri quod ex ducentis nummûm aureorum millibus Vormatienſi pactione promiſſis reliquum erat, exoluerent. Id legatus Venetus aſſentiebatur modo Ferdinandus omnibus eiuſdem pactionis capitibus ſatiſfaceret, arceíſque, atque oppida ibidem aſcripta redderet. Petebat deinceps vt centum nummûm aureorum millia ſemel exulibus perſoluerent, aut quinque millia annua iiſdem perſoluenda præſtarent: vt quicquid ex fœdere debebant, repræſentarent, fœdúſque renouarent: poſtremo Rauennam Romano Pontifici, Mediolanenſi regulo quicquid ex eo principatu occuparant, reſtituerent. A Florentinis ob factas impenſas, & quod fœdere non ſtetiſſent, triginta nummûm aureorum millia repetebat; ac quum Alexandria Ticinóque captis aliquid ex poſtulatis imminuere ſperaretur, tum ſuo more obiectis difficultatibus haud cedens ſe pertinaciorem, duriorémque præſtabat à pace nimirum alienus erat, quod paruo ſumptu exercitus ſuos continebat, ob rapinas quas eius milites ſtipendij loco habebant. Contra Gallum in omnem luxum prodigum, Venetóſque diuturni belli impenſis exhauſtos

Ticinū à Gallis direptum.

Cur Lautrecius Venetis Sfortiaq́; Mediolanū oppugnare cōſultātibus aſſentiri diſtulerit.

videbat; & noua auxilia è Germania, quoties res poſceret, arceſſere poterat. Tum felicitati ſuæ multum tribuebat, quam non magis prudentia ſua, quam Franciſcus Rex imprudentia, atque in mulierum aulicarum luxum, venationes, aucupia, ædificationes prodigalitate augebat. Cuius enim imprudentiæ fuit, Boniuetum Amyralium, hominem aulicum rei militaris imperitum Mediolanenſibus ſuis copiis præficere, quum Ludouicum Trimullium, Lautrecium, Chabaneum Mareſchallum veteranos duces domi haberet? & niſi Carolum Borbonium equitum magiſtrum, vt iam explicaui, patrimonio ſpoliaſſet, quem huic præferret, neminem reperiſſet. Quando aulici luxus ſuperbiam, ædificiorū nque, ac venationum inſaniam vel grauiſſimis bellis vrgentibus intermiſit? & tam multas bonas occaſiones eadem imprudentia amiſit: quemadmodum, vt cæteras nunc omittam, quum ad Valentianum Belgicum oppidum Caſtilioni Mareſchallo primam aciem ducendam reiecto in ſecundam Borbonio equitum magiſtro dedit. Quod ſi Borbonio, Trimullio, Chabaneo Mareſchallo fidem adhibuiſſet, haud dubium quin tum Cæſarem in ſuam poteſtatem redegiſſet.

Hæc Cæſaris felicitatem auxerunt, & toto Chriſtiano orbe celebrarunt; qui domi parcus quanquam ex omnibus regnis ſuis, prouinciiſque ſibi obnoxiis non tantam, quantam Franciſcus ex vnica Gallia pecuniam recipiebat, tamen impenſis bellicis facilè ſatisfaciebat. Id temporis Lautrecius vrgebat, vt fœderatorum claſſes ad inuadendam Siciliam deſtinatæ vnà coirent, attributúmque munus obire maturarent. Veneta ad Cretam ſtabat: cui ſedecim triremes Andreæ Auriæ iungi debebant, qui in Genuenſi littore Rentium Ceritem cum peditatu expectabat. Nec ita multò poſt quadringentos cataphractos equites, tria peditum millia in Galliam Lautrecius remiſit.: cum Venetis quos Rauennam Cardinalium collegio reddere hortabatur, & cum Sfortia conuenit, vt copias ſuas ad Laudrianum pagum munitiſſimum duobus paſſuum millibus Mediolano diſtantem collocarent: vnde Mediolanenſi præſidio oppoſiti Ticinum, Modoetiam, Abbiatum, Melegnanum, Binaſcum, Vigleuenum, Alexandriam facilè conſeruarent. His peractis cum mille quingentis Heluetiis, totidem Germanis, ſex partim Vaſconum partim ex aliis Galliæ regionibus conſcriptorum peditum millibus Padum decimo quinto Kalend. Nouembris è regione Fani Ioannis tranſmiſit, cæteros Germanos expectans, quibus Vademontanus præfuturus erat. Expectabat & aliud Germanorum agmen, quos Heluetiorum loco ex quibus perpauci remanſerant, Franciſcus conſcribi iuſſerat. Abbiatum quinto Kalend. Nouembris cum quatuor peditum millibus, tormentis ſeptem Antonius Leua circumſedit, poſtridie deditione cepit. Ad quod recuperandum Nauarrum cum ſuis Vaſconibus, atque Italis peditibus Lautrecius redire iuſſit, is oppidum facilè recepit, Sfortia firmiore præſidio muniuit. Cunctari Lautrecium fœderati videbant: is ſe Germanos & qui Vademontanum ſequebantur, & qui in Heluetiorum locum ſuccedebant (Heluetij enim Romam ire recuſabant) expectare reſpondebat: nonnulli pecuniam è Gallia nondum allatam remorari eius iter aiebant: ſed quod parum abeſſe videbatur, quin Cæſar cum Gallo conueniret, eam vero germanam cunctationis huius cauſam plerique iudicabant.

Abbiatum Antonio Leua deditum.

Inter Placentiam & Parmam ſtatiua faciebat exercitus: Lautrecius ipſe Placentiæ ſubſiſtebat, vnde minis potius, quam ſponte Ferrarienſem in ſocietatem nomen dare coegit. Ferrarienſem inde honorata cum Gallo affinitas ad ſe trahebat: inde ne Gallus liberorum recipiendorum ergo cum Cæſare conueniret, metus trahebat: tandem vbi Georgio Fronſpergio, atque Andreæ Burgenſi, quos Ferrariæ magno in honore habebat, cum fœderatis conueniendi neceſſitatem probauit, cum iiſdem in has conditiones ſocietatem coiit. Fœderatorum autē omnium legati, atque Innocentius Cardinalis Cibous Bononiæ legatus Cardinalium, qui Parmæ coierant, nomine Ferrariam conceſſerant: rem enim tanti momēti coram ſe pertractari à Lautrecio Ferrarienſis impetrauit: vbi vel eius ingenium, vel fœderatorum, vt eundem ſibi adiungerent, cupiditatem agnoſcere in promptu fuit. Fœderis hæ conditiones fuerunt: vt in ſex menſes, ſex aut decem nummûm aureorum millia Ferrarienſis in ſocietatem conferret, quod ad Franciſci Regis arbitrium referebat. Franciſcus vt ſex millia duntaxat conferret, pronuntiauit, vt centum cataphractos equites ſtipendio affectos ad Lautrecium mitteret. Contra fœderati Ferrarienſis, Ferrarienſiúmque ditionum propugnationem ſuſceperunt: eidem Cutignolam quam nuper Hiſpanis Veneti abſtulerant, loco Adriæ veteris, & prope deſertæ vrbis, quam is pertinaciter depoſcebat dare, & palatia, quæ Venetiis, Florentiæque poſſederat, reddere promiſerunt. Nouianam arcem, in Mantuani agri finibus ſitam, quam tum circumſedebat, ab Alberto Pio emere permiſerunt. Si Mediolanenſis Pontificatus fructus Cæſariani retinerent, tantundem

Ferrarienſis in fœderatorum ſocietatem quibus legibus adſcitus.

tandem quanti hi æſtimarentur, Pontifici Ferrarienſis filio reſtituerent. Cibous Cardinalis Clementis, & totius collegij nomine Ferrarienſem in ſui Ducatus fidem receptum iri pollicitus eſt: Clementem prætereà Mutinæ à Maximiliano emptæ iure ceſſurum, ſalinarum obligationes nullas habiturum, fœderatorum propugnationi, quam Ferrarienſi fœderati pollicebantur, aſſenſurum; quicquid tum poſſideret, Pontificiis diplomatis eidem, eiúſque poſteris poſſidendum relicturum * * * eiuſdem filium Cardinalitio galero, Mutinenſique Pontificatu donaturum confirmauit. Poſtremò vt Renata Ludouici eius nominis Duodecimi Galliarum Regis filia Herculi Ferrarienſis filio natu maiori nuberet, Carnutúmque Ducatum in dotem acciperet, additum eſt.

Fœderatis adiunctus eſt & Mantuanus Marchio inſtante Lautrecio, tametſi antea Cæſarianum ſtipendium merebat: tum fœderatorum exercitus Salaſſo & Vrbinate ducibus ad Fulgineum, montem Faliſcorum, vicinúmque agrum ſtatiua habebat, admodum imminutus, quod Heluetiis, & Salaſſi peditibus aliquot menſium ſtipendia debebantur: Veneti enim, qui nouem peditum millia in armis habere tenebantur, & illic, & in Inſubribus vix tertiam partem habebant. Sub Nouembris finem Hiſpani ad Cornetum, & Tuſcanellam, Germani Romæ rapto viuebant: ad quos Senis rediit Arauſius, nec ibi diu moratus in contumacia perſeuerantеis reliquit. Lautrecius autem quanquam Germani appulerant, Parma ſeſe non commouebat iiſdem de cauſis quibus antea cunctatus: ex qua, & Placentia, eorúmque agris quinquaginta nummûm aureorum millia corraſerat; Bononiam in Pepulorum poteſtatem redacturus videbatur, vt Galli parteis ſequeretur: ſed Clemens è cuſtodia emiſſus ne id præſtaret, obſtitit: tametſi enim poſt acceptum capti Clementis nuntium totum menſem & amplius nihil Cæſar ſtatuerat, tamen Lautrecium Italiam ingreſſum, & Anglum fœderatis adiunctum auidiſſimè in bellum incumbere certior factus Franciſcum Angelium ſummum Franciſcinorum magiſtrum, ac Verteium Miglianum cubicularium in Italiam miſit, qui mandata ad Lanoium Proregem, Hugonémque Muncatam deferrent, quibus cum Clemente conueniret. Mandata duo præcipua capita continebãt: alterum vt Clemens militibus, vti in ordinẽ redigerentur, promiſſam pecuniam repræſentandam curaret, vel aliter ſatisfaceret: alterum ne Clemens ſui iuris factus hoſtibus adiungeretur. Mandatis duræ cõditiones addebantur vel obſidum, vel vrbiũ, quas vt fœdus ſanctè obſeruaretur, ſibi tradi Cæſar poſtulabat. Quum Angelius Caietam appulit, Lanoius iam fato functus erat, Muncatámque, donec aliter Cæſar ſtatuiſſet, in ſuum locum ſurrogarat, ad quem etiam Cæſaris mandata dirigebantur. Communicatis cum Hugone Muncata conſiliis Angelius, ac Miglianus Romam contenderunt, quos Sereno Muncatæ ab epiſtolis comitatus eſt: Muncata tam maligna ſua natura, quàm quod Clementem oderat, ab eodem liberando alienus erat. Contra Angelius Cardinalitij galeri ſpe pietatis ſpeciem mentitus à Clemente ſtabat. Miglianus quod id è re Cæſaris eſſe non putabat, ſeſe opponebat: & quod reſiſtere non poſſet, Neapolim abiit: vbi nõ ita multò poſt vrbe obſeſſa excurſione quadam ſclopeti glande victus cecidit.

Angelio cõditiones quibus cum Clemente conuenire cupiat Imperator, traditæ.

Caroli Lanoij mors.

Diſceptatio de Clemente reſtituendo.

43 Longa fuit diſceptatio, quæ dum difficultatibus ſuccreſcentibus ducitur, Clemens Lautrecium vt Romam acceleraret, monebat; nihil ſe niſi vi cum Cæſarianis conuenturum, & vbi ſui iuris erit, pactis haud ſtaturum pollicitus. Interim à Clemente dati obſides multo vino ſopitis Germanorum cuſtodiis per vaporarium foci tubum elapſi ad Vrbinatis caſtra in Vmbriæ finibus haud remota peruenerunt; quorum fuga Clementis libertatem maturauit: neque vero is ſibi deerat, vt ſe liberaret, nihil intentatum relinquens. Moronum in primis ad ſe pertraxit filio eius Mutinenſi Pontificatu donato, eidémque triticum quod Corneti habebat, duodecim nummûm aureorum millibus æſtimatum dono dedit: Moronus autem inter Cæſarianos multum authoritate poterat, & in omnibus conſultationibus primas ferebat. Pompeium etiam Columnam Cardinalem mira arte ſibi reconciliauit Anconitanam illi legationem pollicitus (quid verò hac dictione Pontificij ſignificent libris ſuperioribus explicauimus:) à quo quum in Adriani mole inuiſeretur, eidem libertatem ſuam acceptam ferre velle dixit, vt Pontifices Romanos & in poſtremum gradum abiicere & in priſtinam dignitatem reſtituere in illius poteſtate eſſe vniuerſus orbis Chriſtianus agnoſceret. Cui orationi quum preces, lachrymáſque addidiſſet, Columna mortalium omnium arrogantiſſimus blanda hac adulatione captus, & tanti viri ſortem miſeratus vt liberaretur, omni ope laborauit. Acceſſere humaniora Cæſaris mandata, quibus ſibi ſatis eſſe declarabat, ſi Clemens liber, & ſui iuris neutram in partem magis inclinaret. Sed præcipua eius liberandi cauſa & Lautrecij appropinquantis metus, & Cæſariani exercitus ad regnum Neapolitanum tuendum deducendi neceſſitas fuit: neque enim Roma Cæſariani migrare niſi ſtipendio perſoluto, aut ſaltem hoc nomine prædibus

Verteius Miglianus ſclopeti glande interemptus.

Obſides à Clemẽte dati clam elabuntur, & quomodo.

Inſolens Columnæ arrogantia.

acceptis volebant, neque in eius compenſationem prædam Romæ, & in vicino agro factam annumerari ſinebant. Eadem neceſſitas ne à Clemente tam firmas eorum, quæ in poſterum moliturus eſſet, cautiones exigerent, in cauſa fuit.

Cæſar cũ Clemẽte quibus capitibus cõuenerit.

Poſt longam igitur diſceptationem Angelius, ac Sereno Muncatæ nomine ſtipulati in 44
has conditiones, quas mox & Muncata ipſe ratas habuit, pridie Kal. Nouembr. cum Clemente conuenerunt. Ne vel Neapolitani regni, vel Mediolanenſis principatus nomine Clemens ſe Cæſaris hoſtem declararet: Cæſari in omnibus ſuis regnis decimam è ſacerdotiis percipere, in Hiſpania autem etiam eam, quæ in bellum Turcicum conferebatur, pecuniam in priuatos ſuos vſus transferre permitteret: Cruciatam, ſiue cruce ſignatorum pecuniam vulgo appellant, quòd Chriſtiani, qui aduerſus Turcas bella ſuſceperunt, ſemper crucis inſigne geſtarunt. Fœderis obſeruandi quaſi quædam pignora Cæſari Oſtiam, Centumcellas, quas paulò ante Cæſarianis Andreas Auria reliquerat, Caſtellanam ciuitatem, Foriliuij arcem traderet, & ad certum tempus apud Cæſarem veluti deponeret. Hippolytum, Alexandrúmque Mediceos obſides adderet, & tantiſper dum Parma arceſſerentur, Piſanum Venetum, Triuultium Mediolanenſem, Gaddium Florentinum opulenti publicani filium Cardinales Mediceorum vice daret, quos Neapolim perductos Cæſariani in nouam arcem condiderunt. Germanis Clemens ſexaginta Hiſpanis triginta quinque nummûm aureorum millia repræſentaret, atque ita Roma vnà cum Cardinalibus liber exiret: liberum appellabant, vbi Orbitum, Spoletum, aut Peruſiam deductus fuiſſet: tantundem Germanis decimo quinto die poſt ſuum ex vrbe diſceſſum, quod reliquum erat, tam Germanis, quam Hiſpanis intra menſem tertium dependeret; quæ in ſummam redacta trecenta quinquaginta nummûm aureorum millia numero ſuperabant. Quibus vt ſatisfaceret, & ſe liberaret, decimas Neapolitani regni ſacerdotiis indixit, vendundorũ etiam nonnullorum fundorum poteſtatem fecit. Militibus Franciotum Vrſinum, ac Paulum Cæſium Cardinales obſides tradidit: pro quibus Pompeius Columna ſe vadem obtulit, eoſdémque in Sublaqueanum ſeceſſum deducendos curauit. Pactis, conuentíſque conſtitutis Clementem Hiſpani quarto Idus Decembris in locum tutum deducere tenebantur, quos ille anteuertit: Muncatam enim ſibi infeſtum metuens, & ne quid immutaretur, veritus, nocte quæ illum diem præceſſit, diſpenſatoris ſui miniſtrum mentitus ex Adriani mole, quaſi

Clementis ſerui habitu indutus euaſio ex mole Adriani.

quæ ad diuerſoria diſceſſuri Clementis pertinerent, curaturus exiit: quem Ludouicus Gonzaga Rodomontes cum ſclopetariorum manu in pratis moli vicinis excepit, & ad montem Faliſcorum deduxit. vnde dimiſſis peditibus Orbitum vſque perduxit; quam vrbem noctu nullis Cardinalibus, paucis dumtaxat militibus nuper hoſtibus comitantibus ingreſſus eſt, exemplum memorabile ſucceſſoribus relinquens: qui ex tam aduerſa fortuna, miſeróque ſtatu in priſtinam authoritatem paucis menſibus ſit reſtitutus: tanta Chriſtianorum principum erga Romanum Pontificem obſeruantia eſt! Clementem ſtatim Vrbinas, Salaſſus, Federicus Boſſulus, qui paucis poſt diebus fato functus eſt, Ludouicus Piſanus legatus Venetus libertatem gratulaturi inuiſerunt: quos vt è Pontificiis ditionibus exirent, precatus eſt, & Cæſarianos pariter exituros confirmauit: Lautrecio quoque per litteras gratias egit, cuius appropinquantis metu ſe libertatem conſequutum profeſſus eſt.

Per eos dies Lautrecio Placentia profecto Antonius Leua Hiſpanos, atque Italos Mediolano exire iuſſit, vt locorum non ſatis munitorum potiti commeatui in vrbem importando, cuius ibi magna penuria erat, viam aperirent; hi regionem (quam vulgò Seprium vocant) percurrerunt. Philippum etiam Torniellum cum mille ducentis peditibus aliquot equitibus Nouariam miſit, cui quadringenti Sfortiani pedites præſidio erant, quos Torniellus per arcem, quæ ſemper à Cæſare ſteterat, vrbem ingreſſus nullò negotio fudit, ſpoliatóſque dimiſit. Tum Germani alij Aronam, alij Mortariam inierunt: quibus vt Laumellenſem agrum tuerentur, aliquot peditum cohortes Sfortia addidit, vt ægrè excurrere, vicinúmque agrum populari Torniellus poſſet. Fiebant tamen ſæpenumero excurſiones, quibus hoſtes pariter, atque amici diripiebantur, ager totus vaſtabatur. Per eoſdem dies Aurianæ triremes, quatuordecim Gallicæ, Venetæ ſedecim ad Labronæ ſtationem, hoc eſt, ad portum Liburnicum coierunt: vnde recepto cum tribus peditum millibus; qui in terram exponerentur, Rentio Cerite Idibus Nouembris vela fecerunt. Tametſi autem ad inuadendam Siciliam deſtinatæ erant, tamen Andrea

Auriane triremes vi tempeſtatis ad Sardiniã coortæ diſſipantur.

Auria ſuadente, qui iam ad Cæſarem deficere deſtinarat, ſe ad Sardiniam conuerterunt: Auriæ enim Lautrecius aſſenſus eſt, Sardinia capta facilius acceſſuram Siciliam ratus; & vt aduerſa fortuna ſæpe alteram ſecum trahit, grauis tempeſtas ad Sardiniam coorta totam claſſem diſſipauit: Gallica vna triremis in Sardiniæ littoribus demerſa eſt, quatuor

Digitized by Google

quatuor Venetæ multum vexatæ ad Liburnicum portum redierunt, quas mox & octo conſequutæ ſunt: cæteræ Gallicæ ventorum impetu ad Corſicam abreptæ cum quatuor Venetis ſe ad portum Veterem receperunt. Tandem maritima ea expeditio iacuit Andrea Auria, ac Rentio Cerite multum inter ſe diſſidentibus.

46 Rhegium Lepidi vbi appulit Lautrecius, Clementem è cuſtodia eductum reſciuit. Itaque Parmenſem arcem Pontificiis relinquens, & poſtremos Germanos expectans Bononiam petiit, quo paucis poſt diebus non ſex, vt deſtinatum erat, ſed tria dumtaxat Germanorum millia appulerunt: viginti tamen adhuc dies, quis tandem tam diu pertractati inter Cæſarem Regémque fœderis exitus foret, expectans Bononiæ conſedit; & interim ad Clementem legatos miſit, vt ſe palam à fœderatis ſtare declararet: quos, & Gregorium Caſalem equitem Angli legatum (& iam annus huius ſæculi viceſimus octauus cœperat) Clemens nunc bona ſpe implens, nunc ſeſe excuſans quaſi à militibus, pecuniáque imparatus nihil fœderatis profuturus, ſibi multum nociturus eſſet, diu ſuſpenſos tenuit: Cæſarianos enim ſibi vndique imminere: poſtremò ſi Lautrecius progrederetur, ſe ad ſocietatem rediturum ſimulauit: tum enim Germanos Roma exituros ſperabat, qui miſeræ vrbis reliquias abſumebant, & prioribus pactis haud ſtantes aliam pecuniam depoſcebant. Sub anni ſuperioris finem, & huius initium poſt longam diſceptationem, vt Mediolanenſem principatum Sfortiæ redderet, cum Venetis, Florentinis, cæteriſque fœderatis conueniret, Cæſar aſſentiebatur; vna dumtaxat controuerſia ſupererat, an Franciſcus Lautrecij exercitum reuocaret prius, quàm liberi eius reſtituti fuiſſent: liberos ſibi prius reſtitui Rex, Gallicum exercitum Italia prius excedere Cæſar poſtulabat. Vterque obſides Anglo dare paratus erat, ſed promiſſorum non eadem ratio erat: Cæſaris promiſſum longè maioris, Regis non ita magni momenti erat: & Angli legati pro Rege ſpondendi mandatum habebant, pro Cæſare non habebant; mandato quoque tempus præſcriptum erat, quod tranſilire legatis fas non erat. Cæſar à pace alienior videbatur, quod Neapolitanum regnum etiam amiſſum reſtituendis Franciſci liberis ſe recuperaturum ſperabat. qui illi à conſilio erant ad pacem magis inclinabant, quam vnus Gancellarius multo ante in Hiſpaniam reuerſus ſuis cauillationibus interturbabat. Igitur duodecimo Kal. Februar. Gallus, Anglúſque legati quos Venetus, Sfortianus, Florentinus ſequebantur, vt dimitterentur, à Cæſare petierunt: quibus ſe cum conſilio communicaturum, & antequam proficiſcerentur, vt legati eius in tutum locum deducerentur, æquum eſſe reſpondit. His digreſſis Gallus Anglúſque heraldi bellum illi Regum ſuorum nomine denuntiarunt: quod ille alacriter accepit, & vt Gallus, Venetus, Florentinus legati in triceſimum à ſuo comitatu milliare amandarentur, edixit, ac cuſtodiis adhibitis cum quibuſuis communicandi, aut aliquid ſcribendi facultatem ademit: Sfortiano tanquam ſibi obnoxio vt in ſuo comitatu remaneret, imperauit, aduerſus Anglum nihil innouauit. Pacis ſpe ſublata Lautrecius quinto Idus Ianuarij Bononia profectus per Flaminiam, Picenúmque ad Truentum amnem præter Clementis, Florentinorúmque ſententiam contendit. Fabium Petrucium, ac Montenouanos Senis in priſtinum ſtatum reducere Clemens, Florentini agro ſuo timentes Gallos Cæſarianis opponere cupiebant. At Lautrecius alteram viam & tormentis conuehendis commodiorem, & commeatu magis abundantem delegit: & ne Cæſariani Senis, aut Viterbio, aut alia aliqua vrbe munita obiecta iter eius remorarentur, timebat: tum Fori Cornelij arcem Ioannes Saſſatellanus Clementi reddidit, quam, dum in cuſtodia Clemens eſſet, occcupauerat. Cum Sigiſmundo quoque Malateſta Pandolphi filio Clemens de reſtituendo Arimino conuenit.

Anno 1528.

Cæſari bellũ Galli Anglique Regum nomine denuntiatum.

Fori Cornelij arx Clementi reſtituta.

47 Conditiones fuerunt, vt Sigiſmundi mater dote frueretur: ſorori innuptæ ſex nummûm aureorum millia in dotem Clemens numeraret: Sigiſmundo, patrique duo nummûm aureorũ millia annuæ penſionis quotannis perſolueret: Sigiſmundus Arimino ſtatim exiret: pater ibidem remaneret, donec Clemens conditiones ratas habuiſſet. Ariminenſis arx interim in Guidi Ranconis Sigiſmundi conſobrini, qui Gallicum ſtipendium ſequutus cum Lautrecio militabat, poteſtate eſſet. Quas conditiones quum Clemens implere differret, arcem deintegro Sigiſmundus inuaſit, Clemente de Rancone multum conquerente, quaſi eius aſſenſu Sigiſmundus in arcem rediiſſet, & Lautrecium Venetóſque ſuſpectos habente, quaſi illum multis ſemper difficultatibus agitatum fluctuare optarent: Lautrecium, quod licet Bononia profectus Vademontanum vnà cum Longauillano regulo quem Franciſcus ad Clementem, vt ſe Cæſaris hoſtem declararet, mittebat, allegaſſet, nihil tamen impetraſſet; tametſi quod metueret Lautrecij exercitu ad Neapolitanum regnum properante Clemens non habebat: Venetos, quod Rauennam in ſolo fertili ſitam retinere cupiebant, vnde magna tritici copia Venetias quotannis importaretur;

Cur Veneti atq; Lautrecius Clementi in ſuſpicionē veniant.

& in Rauennate agro multas Veneti poſſeſſiones habebant. Accedebat quod Lautrecio inſtante fœdus cum Ferrarienſi quanquam ſuo etiam nomine initum ratum habere Clemens recuſabat, quod tum in hoſtium poteſtate conſtitutus ſui iuris non eſſet, cum eodem nunc liber conuenire non recuſabat: vnde Ferrarienſis centum cataphractos equites, & ſex nummûm aureorum millia in ſingulos menſes promiſſa ad Lautrecium mittere differebat; ita Galli parteis ſequuturus, vt ſibi locum ad placandum Cæſarem relinqueret, & in omnem euentum ſibi, ſuiſque prouideret. quapropter Georgium Fronſpergium, atque Andream Burgenſem Ferrariæ adhuc retinebat. Lautrecius nihilominus iter inſtitutum perſequutus ad Truentum amnem, qui Pontificias ditiones, regnúmque Neapolitanum diuidit, quarto Idus Februarias appulit. Franciſcus vbi legatum ſuum in cuſtodiam datum reſciuit, Cæſaris legatum in Caſtelletum Lutetiæ arcem condi, mercatoréſque Cæſari obnoxios paſſim in Gallia retineri edixit. *Cæſaris legatus Lutetiæ in vincula datus, quare.* In cuſtodiam dedit & Cæſaris legatum Anglus, quem mox nihil in ſuo innouatum certior factus dimiſit. Henricum vrgebat Franciſcus, vt bellum acre in Flandria mouerent, cui vt initium daret Flandricum agrum quaſi hoſtilem populari iuſſit. Flandri agrum ſuum dumtaxat tuebantur, in Gallicum non irrumpebant: ita Margarita Auſtriaca Cæſaris amita Flandriæ adminiſtratrix iubebat, pacem enim inter Cæſarem, Regémque fieri cupiebat.

Anglus cur à Flandrico bello alienus.

Anglus quanquam à Cæſare promiſſæ vrbes debitæ pecuniæ pignus futuræ, vbi bello paratæ eſſent, illi tradi debebant; tamen ob ſuorum cum Flandris ſublata commercia, vnde eius vectigalia multum imminuerentur, à bello Flandrico prorſus abhorrebat: ſed quod fœdere obligatus apertè recuſare haud poterat, quadraginta dies ab eo quo ad bellum communibus impenſis gerendum inuitatus erat, numerandos petiit, vt Flandricis mercatoribus ſeſe ad ſuos recipiendi tempus daretur; ita enim fœderis conditiones ferebant. Franciſcus Henricum ab hoc bello alienum animaduertens vt Hiſpaniæ littora, præſertim vbi ſal conficitur, claſſe adorirentur, ſuaſit; habere enim qui ſuos illuc accerſerent. Anglus legato in Galliam miſſo vt inter Franciſcum, ſéque & Flandricas prouincias induciæ in octo menſes proximos eſſent, perfecit: quo vt facilius Franciſcum pertraheret, in ſingulos menſes triginta nummûm aureorum millia in bellum Italicum pollicitus eſt: iam enim ſex menſes fœdere comprehenſi, quibus eandem ſummam conferre tenebatur, elapſi erant. Bellum quotidie magis, ac magis accendebatur, mutua principum inter ſe odia inflammabantur, qui ſe viciſſim non ſolum armis, ſed verborum quoque contumeliis prouocabant: controuerſiis, belliſque quæ cum Rege habebat, vt profundendo tot Chriſtianorum ſanguini parceretur, ſe ſingulari certamine perlubenter finem impoſiturum Gratianopolitani Senatus principi tum Regis legato biennio ante Cæſar dixerat: id heraldo Gallico bellum ſui Regis nomine denuntianti Cæſar repetiuit. Qui ſermones quum ad Franciſcum Regem perlati fuiſſent, Franciſcus conuocatis quinto Kalend. Apriles totius Galliæ proceribus coram omnibus principum, liberarúmque ciuitatum legatis totóque aulico comitatu in maiore Pariſienſis palatij aula ingenti pompa Regali ſolio ſedens Nicolao Perenoto Granuellano Cæſaris legato vt dimitteretur petenti ſeſe excuſauit & quod eundem in cuſtodiam dediſſet, Cæſarem in cauſa fuiſſe docuit, qui violato gentium omnium iure in ſuum, fœderatorúmque legatos id prior auſus eſſet: ſed quandoquidem, vt Baionam proficiſceretur, decretum erat, vt tam ipſe quam eius, fœderatorúmque legati eodem tempore liberè ad ſuos redirent, vt litteras ſuas ad Cæſarem ferret, precatus eſt. *Duelli libellus à Franciſco ad Cæſarem miſſus.* Hæ libellum duelli continebant, quas quum ferre recuſaſſet Granuellanus, heraldum vnà cum illo ſe miſſurum, qui eadem denuntiaret, adiecit: vt illi liberè Cæſarem adeundi, redeundíque teſſeram dari Granuellanus procuret, orauit; ſin id non permitteret Cæſar, vt nullam ignorantiæ ſpecioſam cauſam obtenderet, libellum alta voce coram tota ea concione legi, & in acta referri imperauit, qui hæc fere continebat: [Cæſarem heraldo Gallico dixiſſe Franciſcum datam Cæſari fidem feſelliſſe; id quoties Cæſar dixerit, toties eundem mentiri armis diiudicantibus Franciſcus arguet. Locum certamini deſignet Cæſar, Franciſcum arma quibus ſuam exiſtimationem tueatur portaturum. Anglum ſibi fœderatum eadem prope ignominia à Cæſare notatum, quem pro ſua prudentia vt magni animi Rex eſt, Cæſari conſtanter reſponſurum Franciſcus non dubitat: at ſi aliqua inualetudine impediatur, Franciſcum ſe eius vicem obiturum, & pro eius exiſtimatione fortiter propugnaturum profiteri.] Paucis poſt diebus Anglus eadem magnificentia, iiſdémque verborum contumeliis Cæſarem ad ſingulare certamen prouocauit.

Et quoniam harum prouocationum inter viros nobiles frequens hodie eſt vſus, idcirco libelli à Franciſco miſſi cauſæ à noſtris hiſtoricis multis verbis Gallicè enarrantur, 49

quibus

quibus non minus longa Cæſaris reſponſio attexitur: nos quod verborum duntaxat contentiones fuerunt ad exitum non perductæ, & quod cauſæ ipſæ vel aliis locis explicabuntur, vel iam explicatæ ſunt, hic perſequendas non duximus. Nec tamen ita bellicis rebus deditus erat Henricus Angliæ Rex, quin & amoribus vel potiorem locum daret, quibus victus ad inſaniam quandam delaberetur. Catharinam Ferdinandi Tarraconenſis Regis, & Elizabethæ Caſtulonenſium Reginæ filiam ſanctiſſimam feminam vxorem duxit Arcturus Henrici Septimi Angliæ Regis maior natu filius, quæ viro non ita multo poſt immatura morte ſublato de patris ſocerique conſenſu Iulio Secundo Pontifice Maxim. approbante Henrico viri prioris Germano fratri nupſit, ex quo filium qui paucis poſt menſibus fato functus eſt, ſuſcepit: ſuſcepit & filiam, nec vllos poſtea liberos genuit: vnde quod inceſtum matrimonium eſſe videretur, Regem priuari maſcula prole Angli murmurabant: tametſi propter teneram Catharinæ ætatem Arcturus cum illa rem nunquam habuiſſe traditur. Quam calumniandi anſam arripiens Thomas Vulſeus mox Eboracenſis Cardinalis nuncupatus Henrico ſuadere cœpit, vt repudiata Catharina aliam ex qua liberos mares procrearet, vxorem duceret: non deeſſe Theologos Pariſienſes, qui matrimonium inceſtum firmis rationibus nullum eſſe confirment. Id procurabat Eboracenſis, non vt Henrico liberi mares, quorum cupidiſſimus erat, naſcerentur, ſed vt vel Cæſarem vlciſceretur, qui illum mortalium omnium arrogantiſſimum contemnebat: vel vt Franciſcum Regem demereretur: ſiquidem matrimonium inter Henricum, & Renatam Ludouici Duodecimi Galliarum Regis filiam procurare in animo habebat: nondum enim Ferrarienſi Renata nupſerat, quum de diuortio faciendo cœpti ſermones fuerunt. Eboracenſis ſe omnibus Angliæ ordinibus exoſum agnoſcens perfugium quo vel viuo, vel mortuo Henrico vteretur, ſibi parare cupiebat: & Franciſcus inimicitias quacumque ex cauſa inter Cæſarem, Anglúmque ſeri gaudebat. Henricus non tam liberorum marium ſuſcipiendorum ergo, quam quod Annam Bolanam humili loco natam, ſed in Reginæ aula educatam deperibat, Eboracenſi auſcultabat: neque tamen quod animo conceperat vel illi, vel aliis indicabat.

Henrici Angliæ Regis diuortiũ, & illius auctores.

Vide lib. 18. non longe à principio.

50 Quod vbi tandem Eboracenſis coniectura aſſequutus eſt, neque diuortij diſſuadendi, neque Regem à Bolanæ matrimonio reuocandi authoritatem ſibi vendicare auſus eſt: quinetiam vt malum conſilium conſultori ſæpenumero peſſimum eſt, temeraria ea de diuortio faciendo ſuaſio illi biennio poſt mortem peperit, vt mox ſuo loco explicabitur. Igitur Henricus acceptis multorum Theologorum, Iureconſultorum, aliorúmque virorum eruditorum conſultationibus, qui vel quod ita iudicarent, vel quod eius gratiam demereri cuperent, matrimonium eius cum Catharina nullum eſſe cenſuerunt, legatos ad Clementem nuper è cuſtodia eductum miſit, vt de illo ad ſocietatem reducendo, Rauennáque eidem reſtituenda agerent: ſed ſummum mandatum erat, vt Clemens matrimonium eius cum Catharina nullum eſſe pronuntiaret, diuortiúmque fieri permitteret: ob recentia ſua erga Clementem beneficia, magnámque Cardinalis Eboracenſis apud eundem authoritatem, cuius ille, & Leonis ante negotia apud Anglos ſemper diligentiſſimè procurarat, multum de Clemente, qui nullis niſi Galli, eiúſque viribus nitebatur, ſibi promittebat: & ne Cæſarem metueret, cuius Catharina matertera erat, illi quatuor peditum millia in ſui cuſtodiam quotannis ſtipendio afficere pollicitus eſt. Clemens in vrbe Veteri tum reſidebat inter Cæſarem, Gallúmque neuter, nec magnam in vtroque ſpem reponebat: quapropter Angli amicitiam plurimi æſtimans Regium poſtulatum apertè reiicere auſus non eſt; quin potius eius admittendi ſpem iniecit: ſed quemadmodum id exequeretur, anxius, aut anxium ſe ſimulans tempus ducebat, ac Regis, Regiorúmque miniſtrorum animos optati potiundi ſpe accendebat: à quibus importunè vrgentibus quaſi victus Campegium Cardinalem legatum aliquot poſt menſibus in Angliam miſit, cui ſimul atque Eboracenſi huius cauſæ cognitionem delegauit. Sed & Campegio diploma dedit (Bullam decretalem Pontificij vocant) quo matrimonium nullũ eſſe pronuntiabat. Id vt clam Anglo, Eboracenſíque Cardinali oſtenderet, & ſi res in iudicio aliter ſuccederet, ſe editurum profiteretur, mandarat: vt Anglus rem in iudicio tranſigi fineret, nec, ſi differretur, moleſtè ferret. Campegio autem vt iudicium, quoad poſſet, differret, nec diploma niſi nouo accepto mandato ederet, iniunxerat: quod quum Cæſari reconciliatus, & metu liberatus in ignem poſtea proiici iuſſiſſet; idque Campegius exequutus fuiſſet, commutatáque ſententia cauſa Romam ad duodecimuirale iudicium, quod Rotam appellant, reuocata fuiſſet, mirandum in modum indignatus eſt Anglus, & tandem à Romani Pontificiis authoritate diſceſſit. Vademontano, Longauillanóque regulis eadem fere Clemens, quæ prioribus Lautrecij legatis reſpondit, ſe à pecunia, militibúſque imparatum nihil fœderatis profuturum, ſibi ſi ſe Cæſaris hoſtem declararet, multum obfuturum: quinetiam ſi neuter maneat, plus illis profuturum

Romani Pontificii iugum excutit.

futurum vniuerſam totius Chriſtianiſmi pacem conciliaturus. Et quod Vademontanus ad
Lautrecium, Longauillanus in Galliam rediret, cum hoc Piſtorienſem Pontificem miſit,
vt hæc ipſa planius Franciſco explicaret, & inde in Hiſpaniam tranſiret mandata de pace ad
Cæſarem perlaturus.

Franciſcus, tametſi quod Clemens neuter eſſe perſeueraret non admodum ægrè ferebat, 51
tamen ne qua alia ad Cæſarem Piſtorienſis mandata haberet, veritus, eundem in Hiſpa-
niam tranſire haud paſſus eſt. Vt eodem tempore, quo Lautrecius regnum Neapolitanum
ingrederetur, fœderatorum claſſis vel Siciliam, vel id regnum ſimul adoriretur, inter fœ-
deratos conuenerat: ſed multa ne id re præſtaretur, obſtabant: duodecim Venetorum tri-
remes tempeſtate ad Sardiniam oborta admodum concuſſæ vt inſtaurarentur, portu Li-
burnico quarto Idus Februar. ſoluentes Cretam nauigarant. Veneti nihilominus duode-
cim alteras earum loco ſe miſſuros pollicebantur: claſſis Gallica propter eandem tempe-
ſtatem afflicta, & propter Andreæ Auriæ Rentiique Ceritis diſſenſionem perturbata erat:
quapropter vt Auria, qui cum ſuis octo & totidem Gallicis triremibus ad Liburnicum por-
tum appulerat, in regnum Neapolitanum; Rentius, qui propter valetudinem Piſis reman-
ſerat, cum cæteris Gallicis, quatuor Bernardini, totidem Venetorum triremibus, Siciliam

Auriæ perfidia res Gallorum maritimæ nullum progreſſum faciunt.

adoriretur, decretum fuit. Sed Auria, qui clam cum Cæſarianis conuenerat, ſuas quoque
triremes inſtaurandas cauſatus ſe cum illis, & octo Gallicis Genuam recepit, & res Galli-
cas apertè prodidit. Eo authore Genuenſes ſe in libertatem vindicare cupientes, vt ſibi li-
beram ſuæ Reipub. adminiſtrationem Rex permitteret oblatis ducentis nummûm aureo-
rum millibus poſtularant: quapropter niſi Genuenſibus libertas reſtitueretur, Regem Si-
cilia potiri Auria nolebat, idque quoad poſſet, impedire deſtinarat. Accedebat quod Sa-
uonam, quæ antea Genuenſibus obnoxia erat, Rex ſibi addixerat, vt ibi naues inſtrueret,
& portus commoditate vteretur: ne propter vel Regis authoritatem, vel vrbis ſitum, pau-
cis annis Sauona mirandum in modum augeretur, Genua veluti deſerta relinqueretur,
Genuenſes timebant: quam idcirco pertinaciter repetebant, in idque Auria vehementer in-
cumbebat, & ſpecioſas ſuæ defectionis cauſas tacitè aucupabatur: ita res maritimæ iace-
bant. At terreſtres magnos progreſſus faciebant: Lautrecius enim cum exercitu Luceria
profectus Troiam, vbi Cæſariani conſederant, prælium facturus acceſſit, montémque Troiæ
propinquum vt hoſteis ad ſiniſtram relictos ad pugnam eliceret conſcendit: at illi è ſuis
caſtris exire noluerunt, leuibus duntaxat excurſionibus noſtros laceſſierunt: hinc tormenta
duodecim maiora (canones vulgo appellant) ſex notha, totidem mediocria in eoſdem di-
rigi iuſſit, ac poſt leuia aliquot prælia caſtra caſtris conferens in lato ac plano montis verti-
ce inter quem, & Cæſarianos vallis duntaxat interiecta erat, ſubſedit; ibíque octo dies præ-
lij faciendi occaſionem quærens traduxit. Interim grauis tempeſtas omnia tentoria, papi-
lionéſque euertit & milites frigore torpentes ita afflixit vt plerique morerentur. Tum cen-
tum quinquaginta leuiores equites tredecim peditum cohortes quæ Nigræ vocabantur,
& ſub Ioanne Medice antea militarant, Horatius Baleo Florentinarum copiarum præfe-
ctus ad Lautrecium adduxit. Hinc Cæſariani viribus inferiores ſine tubarum ac tympano-
rum clangoribus magno ſilentio ſe noctu ſubduxerunt, & per Crepacorij iuga è Samnio in
Campaniam deſcenderunt.

Aquila in Gallorũ poteſtatem venit.

Lautrecius vbi Aſculum peruenit, Petrum Nauarrum cum ſuis Vaſconibus, & Canta- 52
bris Aquilam miſit, quo appropinquante princeps Melfitanus diſceſſit: Aquilanus Ponti-
fex Comitis Montorij filius Franciſci Regis nomine ciuitatem iniit. Lautrecium ſequeba-
tur, ſed iter ad dexteram flectens Salaſſus cum ſuo agmine: Venetæ item copiæ, quadrin-
genti leuis armaturæ equites, quatuor peditum millia ex iis qui in Romano agro hyberna-
uerant: & pro cæteris, quos in Neapolitanam expeditionem mittere tenebantur, tria &
viginti nummûm aureorum millia in ſingulos menſes ſe perſoluturos, in Siculam autem
ſex & triginta omnis generis naueis miſſuros Veneti promiſerant: ſed longo bello exhauſti
promiſſam pecuniam non facile ſuppeditabant. Neque verò alacrius, immo fortè ſegnius
ſuppeditabat Franciſcus in omnem luxum, & vanas impenſas (vt ſæpe dixi) prodigus: quum
enim Lautrecio à ſe digredienti centum & triginta nummûm aureorum millia in ſingu-
los menſes pollicitus fuiſſet, ex iis iam ducenta debebat, & in treis ſequenteis ſe ſexaginta

Lautrecius grauiter de Franciſco qui ſibi digredienti promiſſa nõ obſeruet, conqueritur.

millia duntaxat in ſingulos ſuppeditaturum, nec vltra bellicos ſumptus toleraturum de-
clarat. Hinc Lautrecius in deſperationem verſus Franciſci ſocordiam execratus eſt, qui
neque vlla ratione, neque data fide, neque ſua vtilitate motus tot inutiles impenſas face-
ret, neceſſarias omitteret: nec ſe quum & ſumptus bellicos, & bonam virium ſuarum par-
tem ad Fontem Rapidum conuertiſſet, amittendi principatus Mediolanenſis cauſam fuiſſe
recordaretur. Aquilæ exemplum totum Samnium (Aprutium nunc vocant) ſequutum eſt:
ſequutæ

ſequutæ fuiſſent & exteræ regni Neapolitani regiones, niſi Cæſarianus exercitus tandem Roma exiiſſet. Ciuitatulam Truento ſeptem paſſuum millibus diſtantem paruam quidem, at egregiè munitam Venetorum Germani deditione ceperunt, & ducentos Hiſpanos ſclopetarios, vt præſidio eſſent illuc proficiſcenteis anteuerterunt. Roma exire diſtulerant Cæſariani, quod Germani duorum menſium ſtipendium ab eo die ſcilicet, quo Clemens ex vrbe egreſſus erat, flagitarent (nam Hiſpani pecuniam nec petierunt, nec receperunt) quibus ille viginti nummûm aureorum millia, quaſi duos Cardinales obſides liberaturus, totidem populi Romani nomine perſoluere coactus eſt. Has cauſas obtendebat Clemens ne Lautrecio conquerendi occaſionem præberet; qui tamen Pontificia pecunia hoſtilem exercitum ad Neapolitani regni propugnationem deduci grauiter queſtus eſt. Igitur decimotertio Kalend. Martias is exercitus multum imminutus Roma exiit: in quo mille quingentos vtriuſque armaturæ equites, Hiſpanorum quatuor, Germanorum quinque, Italorum duo, aut ad ſummum tria millia fuiſſe tradunt: tam multos diuturna peſtis abſumpſerat, & patratorum ſcelerum pœnas dare coëgerat. Lætus fuiſſet populo Romano tam crudeliter vexato is dies, niſi Vrſini cum ſuarum ditionum populis Romam irrupiſſent, & miſeræ vrbis reliquias prædam ſuam feciſſent. *Roma ab Vrſinis direpta.*

53 Cæſariani Latina via incedentes, quibus Arauſius ac Vaſtius præerant, Vallemontonium Latij oppidum (Lauicos olim fuiſſe putant) quod portas aperire, commeatúmque præbere ciues recuſaſſent, tormentis admotis expugnarunt: inde in Campaniam profecti ad Lenam flexerunt, & per Sidicinos, atque Aliſanos ſuperato Apennino in Appuliam traiecerunt, Troiámque contenderunt. Cæſariani Roma egreſſi ne Lautrecius rectà Neapolim peteret, effecerunt: ſi enim hoſteis obuios habuiſſet, tormenta haud conuehere, niſi ſumma cum difficultate potuiſſet. Itaque Appuliam verſus tendere, & maritimum iter longè commodius ſequi deſtinauit, tum vt commeatum exercitui abundantem compararet, tum vt paſtionis vectigal, quod menſe Martio colligi ſolet, antecaperet: in tantis enim rei nummariæ difficultatibus permagni id momenti erat: ad octoginta enim nummûm aureorum millia peruenire conſueuerat, quod viribus ſuperior anteuertit. Iam Sulmo, ac vicina oppida vel Hiſpanorum odio, vel Gallorum deſiderio tanto ardore ad Gallos deficiebant vt ad triginta paſſuum millia legatos Gallis deditionem facturos mitterent. Quarto nonas Martij Lautrecius ad Seuerini Fanum appulit, Nauarrus vltra progreſſus Nuceriam, altero die Fogiam iniit, tum quum Hiſpani, qui ſe Troiam, Barolum, Sipontum receperant, aduerſa porta ingreſſuri eſſent: quæ vrbes in Gallorum poteſtatem redactæ ad ſuppeditandum exercitui commeatum opportuniſſimæ erant: poſtridie nonas Nuceriam Lautrecius petiit; is tum viros nobiles duntaxat, qui nullo ſtipendio inuitati ſponte ad exercitum acceſſerant (volones dicere poſſumus) ad duodecim peditum millia in caſtris habebat, equitatum, & cæterum exercitum Fogiam miſerat. Vbi vero quinque Hiſpanorum, totidem Germanorum millia, mille quingentos Italos pedites Troiam iniſſe reſciuit (ita præmiſſus Nauarrus indicarat) quicquid Fogiæ erat, præter præſidium accerſiuit, atque hoſtibus pugnandi copiam facere decreuit: ac quarto Idus Mart. Nuceria egreſſus inter eandem, ac Troiam ab illa tribus, ab hac quinque paſſuum millibus caſtra fecit. Nuceria enim, ac Barolum duodecim inter ſe paſſuum millibus diſtantes Troia octo duntaxat ſeparantur, quæ excelſo in colle ſita ex Harporum ruinis creuiſſe fertur. Cæſariani ſuos Barolo Sipontóque accerſierant, & Troiæ commeatu abundabant, pedites nihilominus Germanis exceptis nullum iamdudum ſtipendium acceperant. Hi aliquot excurſiones fecerunt, & poſtridie extra vrbem, ſed non procul loco munito in ipſo colle caſtra poſuerunt. Lautrecius pridie Idus exercitum circumducens, qua meridiem collis ſpectat, aſcendit; & conſerto graui conflictu locis ſublimioribus potitus Cæſarianos tormentis partim in vrbem compulit, partim poſt vrbem caſtrametari coëgit.

54 Hi duo exercitus ita ſibi oppoſiti (& vicinorum oppidorum, arciúmque bona pars in Gallorum poteſtate erat) multas graues in ſe inuicem impreſſiones præſertim noctu faciebant. Ibi Cæſariani quid potiſſimum ſibi agendum eſſet, conſultarunt: Arauſius prælio decernendum iudicabat, quod Gallicus exercitus quotidie creſceret, Cæſarianus imminueretur: at Vaſtius, & Dorbinus vt bellum duceretur, & victoria in conſeruandis vrbibus collocaretur, authores fuerunt; quæ ſententia potior viſa eſt, eámque Alarco abſens poſtea confirmauit. Ita duodecimo Kalend. April. primo diluculo craſſiore nebula exorta Arianum petierunt, & per Crepacorij iuga, ſed aliquanto poſt, in Campaniam deſcenderunt Gallis deceptis, & ſerò poſtremos perſequentibus. Cedentibus, & quaſi ſine vllo ordine fugientibus inſtandum exiſtimabant Vademontanus ac Guidus Ranco, in quam ſententiam plerique alarum ductores ibant. Contra Nauarrus veterem bellandi morem

Cæſarianorũ duces vrbes cõſeruare, & bellum ducere ſatius duckt quam cum Lautrecio confligere.

ſequutus

ſequutus vrbeis quæ commeatum interuerterent à tergo reliquendas non putabat: quem Gallis accelerantibus, & nihil, niſi quod hoſtis reliquiſſet, reperientibus cito defuturum prædicabat, cui Lautrecius aſſenſus eſt. Rei euentus priorem ſententiam potiorem fuiſſe docuit: vndecimo Kalend. Aprilis Nauarrum cum duobus tormentis, & ſuis peditibus, ac Nigris cohortibus quæ nuper Aquilam nulla de cauſa niſi prædandi auiditate prouocatæ diripuerant Melſin Lautrecius miſit: ipſe ad Lioneſſam Anfido fluuio imminentem, & ſex Aſculo paſſuum millibus diſtantem conſedit. Parua muri facta ruina Vaſcones, ac Nigræ cohortes præter ducum ſententiam impreſſionem fecerunt, & repulſi multos è ſuis Vaſcones, circiter ſexaginta Nigræ cohortes amiſerunt: iidem ſub veſperam impreſſionem iterarunt, eandémque fortunam experti ſunt. At nocte conſequente plura tormenta Lautrecius ſummiſit, quibus bipartitò vrbis muri pulſati magnas ruinas ediderunt: quapropter ruſtici, quorum in vrbe non parua erat multitudo, metu conſternati tumultum ciere cœperunt: vnde præſidiarij milites numero ſexcenti (vt tradit Guicciardinus) relicta propugnatione ſe cum Sergiano Caraciolo Melfitano principe in arcem receperunt: qui vrbe direpta quum poſtea de vita pacti (vt ipſi aiebant) vel nulla exceptione addita (vt Galli confirmabant) deditonem feciſſent principe cum paucis è ſuis incolumi recepto vnà cum ruſticis & bona ciuium parte cæſi ad tria millia feruntur. Melfitani principis alam, duas Hiſpanorum, treis Italorum cohortes vrbi præſidio fuiſſe Iouius prodit.

Nono Kalend. Cæſariani Ariano profecti Tripaldam quinque & viginti paſſuum millibus Neapoli diſtantem peruenerunt, quibus Hugo Muncata Prorex, princeps Salernitanus, Fabricius Maramaldus cum tribus peditum millibus, duodecim tormentis ſeſe adiunxerunt. Et Alarco cum duobus peditum millibus Neapoli exiturus ferebatur, vt vectigali paſtionis cum cæteris opem ferret. At lautrecius largum in exercitum, qui inter Aſculum, Melfinique diſperſus erat, commeatum coacturus ad Anfidum conſederat, & interim Barolum Tranium, cæteræque vicinæ vrbes, Manfredonia, quæ olim Sipontus fuit, excepta deditionem fecerunt: arx quoque Venuſina, quam ducenti quinquaginta Hiſpani inſederant, Nauarro dedita eſt, vt ſine vlla controuerſia vectigal paſtionis Lautrecius receperit: ſed quod propter bellicos tumultus vix ad mediam eius, quam conficere ſolebat, ſummam perueniret: hæc Lautrecij felicitas Ferrarienſem impulit vt Herculem filium Renatam Ludouici Duodecimi huius nominis Galliarum Regis filiam vxorem ducturum in Galliam mitteret: quod matrimonium de induſtria hactenus diſtulerat Neapolitani belli euentum præſtolatus. Id fere temporis claſſis Veneta Petro Lando, qui poſtea Venetiis dux fuit, præfecto Monopolim, Molam Pulinianum ciuibus Hiſpanorum odio vltro accerſentibus cepit: nam quas vrbeis ante Abduanam victoriam Ludouici Duodecimi Galliarum Regis auſpiciis partam in regno Neapolitano Veneti poſſederant, eaſdem vt victores reciperent, inter Franciſcum Regem, ipſóſque conuenerat; quibus vicinæ acceſſiſſent, niſi Senatus litterjs Neapolim tranſmittere Landus iuſſus eſſet. Relicto Appuliæ raro præſidio nempe quinquaginta grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, peditibus mille quingentis (ſiquidem à Cæſare ſola Sipontus ſtabat) tertio nonas April. ad Manardi rupem Lautrecius caſtra fecit: Cæſariani qui Neapolim magna celeritate properabant. quam duntaxat ac Caietam tueri decreuerant, Nola direpta commeatum quem Capuæ receperant Neapolim deportandum curarant & primum dimiſſis Italis præter Fabricium Maramaldum ſexcentorum peditum præfectum ad Martini collem conſederant. Poſtridie vrbem Vaſtio admodum repugnante tam Germani, quam Hiſpani ad decem peditum millia ingreſſi erant: equitatus numerus non proditur, cuius tamen Romæ agentis ſupra facta mentio eſt. Vrbem Vaſtius Cæſarianis prædæ fore prouidebat, at cæteri duces militibus duntaxat, vrbíque conſeruandæ conſulebant: hinc ditiores è ciuibus alij Capreas, alij Ænariam, alij Prochitam, aliò alij ſeceſſerunt: nonnulli ad Lautrecium tranſierunt, qui non multò poſt in montibus vrbi vicinis caſtra poſuit, eáque foſſis ac præaltis aggeribus ad mare vſque muniuit.

Baroli, Trany, Manfredonia, vicinarumq́ vrbium deditio Lautrecio facta.

55

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER VIGESIMVS.

1 LAVTRECIVM libro ſuperiore Neapolim magna felicitate deduximus, at is non eadem vrbis obſidionem perſequutus eſt: quod non tam ipſius culpa, quam ſtipendij, vt ſupra commemoraui, penuria, claſsíſque Venetæ ac Gallicæ, cui Barbeſſius præerat, cunctatione accidit, & in quærendo commeatu, deportandóque paulò tardior fuit, quo magno in primis opus erat: etenim in eius exercitu equorum viginti, hominum octoginta millia fuiſſe traduntur, quorum vix tertia pars bello apta erat: adeo ab antiqua illa militari diſciplina deſciuimus, quam ſoli Turcæ hodie retinuiſſe videri poſſunt, itáque quoquo ſe vertunt, victores propemodum euadunt. Fame Neapolis ad deditionem cogi potuit, ſi maturè de commeatu auertendo laboratum fuiſſet: id prouidens Lautrecius Philippum Auriam Andreæ Auriæ Gallicæ claſſis præfecti legatum cum octo longis, duabus maioribus nauibus accerſiuit, qui tametſi primo appulſu treis naueis frumento onuſtas cepit, multúmque Neapolitanis nocuit: tamen portum tantula claſſis ita vndique obſidere haud potuit, quin multa ſæpius in vrbem importari inuita pateretur. Accerſiuit & Venetam claſſem, at illa priuata commoda publicis præferens, & Tranio, Monopoli, Puliniano deditis Brunduſium, Hidruntúmque addere cupiens ad oppugnandam Neapolim, in qua victoria conſiſtebat, haud feſtinauit. Decimoquinto Kal. Maias ad quintum à Neapoli milliare (Cauianum appellant) Lautrecius caſtra poſuit, quo die Cæſarianorum leuiores equites, qui permulti erant, largum à Lautreciano exercitu commeatum abduxerunt, ea noſtrorum negligentia fuit: & quod magis nocuit Hermæ Fanum in Martiniani montis faſtigio iam Cæſariani munierant, vnde Gallos ad bonam vrbis partem appropinquare prohibebant: XI. Kalend. paulùlum progreſſus ad Caſorium tribus ab vrbe paſſuum millibus diſtans ſubſedit: vbi excurſione facta noſtri Cæſarianos vrbe egreſſos fortiter repulerunt, Verreiúmque Romam à Cæſare miſſum trucidarunt: poſtridie mille quingentos duntaxat paſſus confecit: tertio Kalend. Gallorum exercitus inter Podium Regale amœnam ab Alphonſo minore ædificatam domum, ac Martini montem caſtra ſua muniuit, ita vt nonnullæ cohortes vix quingentis ab vrbe paſſibus abeſſent.

Anno 1528.

Numeroſus Lautrecij exercitus.

Verreius trucidatus.

2 Lautrecius ipſe in Arragonij Montalti villa prætorium fixit: tum in conſultatione poſitum fuit, an vrbem vi, tormentíſque aggredi, an potius obſidere, & ne commeatus illuc importaretur, prohibere magis expediret. Qui à priore ſententia ſtabant, commeatum Gallis potius, quam Cæſarianis defuturum docebant: numeroſum enim Cæſarianorum leuiorem equitatum totum vicinum agrum prædæ habere, Gallos inde excludere palam erat. Auriana autem claſſis ne mari aliquando importaretur, impedire haud poterat: quatuor enim triremes farina onuſtæ Caieta Neapolim petentes nuper vrbem ingreſſæ erant, atque aliæ quotidie ſuccedebant. Veneta ſæpius à Lautrecio accerſita, & ſe in dies affuturam pollicita nullo modo feſtinabat: Veneti ipſi promiſſam pecuniam non exſoluebant; & ex duobus, ac viginti nummûm aureorum millibus, quos in ſingulos menſes conferre fœdere tenebantur, iam ſexaginta millia debebant: raram è Gallia Lautrecius recipiebat: multi iam è Gallis non tam propter ingenitam ſolo aëris intemperiem, quæ fere Autumno ibi accidere ſolet, quàm quod frequentes pluuiæ milites ſubdio pernoctanteis

Lautrecius cũ ſuis quomodo Neapolis inuadi poſſit, deliberat.

noctanteis grauiter affligebant, ægrotare cœperant. Lautrecius tamen propter propugnatorum multitudinem, & fortitudinem, ac propter Martiniani montis ingenteis munitiones vel vrbem capi poſſe deſperans, & fortaſſe ſumptui parcens, ne militi ſtipendium mox deeſſet, vrbem obſidere potius, quam vi tentare Cæſarianis vel ſtipendium, vel commeatum, vel vtrumque breui defuturum coniiciens ſatius duxit; & ne ſui longo otio ſterterent, vel vt hoſtium vires, alacritatémque experirentur, excurſiones fieri permiſit: tum Mantuani octoginta cataphracti equites, Ferrarienſis centum ad Lautrecium acceſſerunt. Hic tametſi à Gallo in fidem receptus, tamen vt de belli euentu certiorem coniecturam faceret, diu cunctatus ſuos mittere diſtulerat. Id temporis quadraginta cataphracti equites ex Albaniana, Vademontanáque ala ſelecti Gruffio duce Vicum oppidum pariter, atque arcem ex inſidiis interceperunt, ac tam opima præda è vaſis aureis, argenteiſque, cæteráque pretioſa ſupellectile potiti ſunt, vt ſinguli cataphracti mille ducentos nummos aureos auferrent; præterquam quod multa furtim ſublata erant: ibi & Cæſaris ſigillum repertum ferunt. Lautrecius obſidioni intentus duo propugnacula erigenda curauit, alterum ad Magdalenæ paludes quod Cantabrorum propugnaculum vocarunt, quod id duo ſtrenui centuriones Martinus ac Raimonetus Cantabri tuendum ſuſceperunt: alterum longè ſpatioſius ad Martini collem Nauarrus extruxit: quod diſturbare conati Cæſariani magno impetu in noſtros inuaſerunt, nec minore repulſi ſunt. Huic Buria cum Delphinatibus, Grandimontanus cum Vaſconibus præfuerunt, & Cæſarianos in arcto poſitos crebris excurſionibus grauiter infeſtarunt. Aliquot poſt diebus octingenti Hiſpani tunicas albas induti Cantabrorum propugnaculum adorituri Neapoli noctu egreſſi ſunt: abiectos in humum, occaſionémque obſeruanteis propugnaculi vigiles deprehenderunt, ídque clam præfectis ſuis indicarunt. Illi milites in ſuas ſtationes diſtributos ad pugnam paratos eſſe iuſſerunt, tum quinam tàm prope accederent, interrogarunt. Hiſpani nullo reddito reſponſo mira alacritate in ſummum propugnaculi vallum conſcenderunt, ac pari excepti poſt durum conflictum ducentos quinquaginta è ſuis amiſerunt: è Cantabris Martinus ex vulnere nonnullis poſt diebus interiit: Raimonetus in genu ſclopeti glande grauiter ictus alteri innixus diu pugnare coactus eſt.

Obſidendam eſſe decernitur.

Hiſpani noctu Neapoli egreſſi, & Catabrorum propugnaculum adorti ſtrenuè repellantur.

Interim Venetam claſſem diligenter arceſſebat Lautrecius: contra Cæſariani Auria- 3
nam, antequam cum Veneta coiret, aggredi parabant; nec tam ſuæ claſſis numero, quàm militum virtuti fidebant: ſex enim triremes quatuor magnarum nauium ſcaphas, duos myoparones mille Hiſpanis ſclopetariis ex toto exercitu ſelectis impleuerunt, quibus Hugo Muncata Prorex, Vaſtius, Aſcanius Columna equitum magiſter, Rieus Burgundus, Valdreus cognomento Pulcher, cæterique celebriores eius exercitus duces, quinetiam ducenti Germani Glornio duce, vt eius laudis participes eſſent, acceſſerunt: neque enim de victoria dubitabant: addiderunt & pleraſque piſcatorias ſcaphas, vt maioris claſſis ſpeciem oſtentarent. Erat tum Philippus Auria cum octo triremibus in ora Salernitani littoris non longè à promontorio, quod vulgo Vrſi Caput vocant, conſpectáque hoſtium numeroſa claſſe, vt procul cernenti videbatur, initio nonnihil commotus eſt: deinde propius accedens vbi nullas in malorum ſummitatibus caueolas deprehendit, quæ aliquot ſpeculatores, ſimul & propugnatores continere ſolent, vt in onerariarum nauium carcheſiis deni, aut etiam plures collocari conſueuerunt, qui omni miſſilium genere propugnant, merito hoſtium imprudentiam contempſit. Pridie de hoſtilis claſſis aduentu à Lautrecio admonitus erat Philippus, & quadringentos ſelectos ſclopetarios Croco Aruerno præfecto acceperat, & ſeſe ad pugnam rei naualis peritiſſimus diligenter compararat: ac paulò ante quam ambæ claſſes inter ſe committerentur, Nicolaum Lomellinum cum tribus triremibus quaſi fugientem in altum vela facere iuſſit, vt emenſo aliquanto circuitu hoſtiles triremes vento ſecundo vſus in latus inuaderet: ipſe cum cæteris quinque hoſtibus obuiam prodiit; & quum appropinquaſſet eoſdem anteuertens ingens tormentum (Baſiliſcum vocabant) in prætoriam Hugonis Muncatæ nauem exonerari iuſſit, vt fumo diffuſo ſuæ conſpectum auferret: cuius pila quadraginta ex hoſtibus, atque inter eos trierarchum trucidauit: deinde alia tormenta diſplodi imperauit, quæ multos quoque occiderunt. Contra è Muncatæ prætoria emiſſa tormenta Philippi trierarchum peremerunt: tum acris conflictus ſclopetis, ſaxis, atque aliis miſſilibus armis, item collocato pede initus eſt. Sed Genuenſes cautiores non è tranſtris aperti, vt Hiſpani; immo verò per feneſtellas obiectis craſſis aſſeribus pugnabant: tantiſper dum duæ prætoriæ paribus animis, verùm non eadem induſtria decertabant, tres Cæſarianæ duas Genuenſes vehementer premebant; at Lomellinus cum tribus ſuis triremibus maturè

Vtrinſq; claſſis conflictus acerrimus.

laborantibus

Digitized by

laborantibus auxilio veniens Hugonis Muncatæ prætoriam in latus pulſauit, Neptuniæ malum pefregit, vnde antennis cadentibus permulti, atque inter eos Hieronymus Tranenſis tormentorum magiſter oppreſſi fuerunt. Philippi prætoria, ac Maura Hugonis Muncatæ prætoriam, vbi Hugo fortiter pugnans cæſus eſt, Gibbam cui Cæſar Feramuſca præerat, depreſſerunt. Cæteræ Philippi triremes interim Peregrinam ac Donzelliam à tribus Cæſarianis fere captas receperant, & ſcaphas hoſtiles in ſuam poteſtatem redegerant: duæ duntaxat Hiſpanæ triremes malè iam mulctatæ vix euaſerunt. Vaſtio, atque Aſcanio Columnæ armorum ſplendor ſaluti fuit, ne cum cæteris perirent: pauci ex Hiſpanis euaſerunt, niſi qui duabus illis triremibus, quæ ſe in fugam dederant, vehebantur, quarum tamen altera paulò poſt ad Gallos tranſiit.

4 In hoc conflictu inſignis Turcarum atque Æthiopum opera fuit, quibus è remigio eductis libertatem Philippus promiſerat. Hi ſolis ſcutis, ac gladiis armati in hoſtiles triremes inſilientes fortiter rem geſſerunt: è Cæſarianis mille cæſi feruntur: Hiſpani fere omnes aut cæſi, aut vulnerati fuerunt. Vaſtium Aſcanium, ac Camillum Columnas, Salernitanum principem, nonnullóſque alios viros illuſtriores ad Andream Auriam Philippus miſit, cæteros obſcuriores ad tranſtra, remigiúmque adegit, vt Turcarum Æthiopúmque vicem obirent. Hæc victoria magnam Gallis, quinetiam fortaſſe maiorem, quàm expediret, de potiunda Neapoli ſpem iniecit: Lautrecius enim lentiùs ad ea, quæ neceſſaria erant, prouidenda mox incumbere viſus eſt; Cæſarianos autem ne commeatus deficeret timenteis admodum perturbauit. Nullum enim amiſſo maris imperio inde acceſſurum, à continente autem Puteolis in Gallorum poteſtatem redactis, vnde plurimus Neapolim importabatur, ſe ratum accepturos ſperabant; & farinæ, carnium, vini iam magna penuria erat. Hinc poſtridie eius victoriæ multos bello haud idoneos ex vrbe expulerunt, militibus autem commeatum diſtribuentes Germanis vberiorem admetiti ſunt. Hæc Lautrecij ſpem alebant, quam longè magis nonis Maij interceptus myoparo cum Cæſarianorum ducum ad Cæſarem litteris adauxit, quibus ſignificabant exercitus eius florem amiſſum, triticum vix in menſem & dimidiatum alterum ſupereſſe, farinam molis truſatilibus confici, Germanos tumultus initia ciere, pecuniam, qua ſtipendium illis exoluatur, nullam præſto eſſe: rebus tam afflictis nullam ſpem ſupereſſe, niſi breui & magna pecunia, & expedita terra, maríque auxilia mittantur. His malis & peſtem accedere, quæ inter Germanos præſertim natura ſordidos, & à ſociorum ea lue infectorum contubernio minimè abſtinenteis læiſſima contagione ſerpit. *Summa vtriuſq; exercitus difficultates.* Contra in Lautreciano exercitu ſumma inerat aquæ penuria: nulla enim à Podio Regali ad caſtra Gallica reperiebatur, præterquam quæ è ciſternis hauriebatur, quas etiam Cæſariani venenis infecerunt, vnde morbi quotidie toto exercitu augebantur. Iidem Cæſariani leuiore equitatu longè ſuperiores non ſolum vberem carnis, viníque copiam in vrbem importabant, ſed etiam ne in Gallorum caſtra importaretur, prohibebant. Multi Lautrecio vt leuiorem equitatum augeret, conſulebant: quod conſilium ita ſpernebat, vt bonam Gallici equitatûs partem Capuæ, Auerſæ, Nolæ, atque in cæteris vicinis vrbibus ſtatiua habere pateretur: alij vt peditum ſeptem aut octo millia conſcribi iuberet, ſuadebant. Tum ſibi pecuniam deeſſe cauſabatur, quamquam paulò ante è Gallia, è paſtionis vectigalibus, ex vrbibus captis non exiguam receperat; & Neapolitani Andegauenſis factionis principes rogati non ægrè aliquantam contuliſſent: adeo rebus gerendis ſummi imperatoris nocet aliquando pertinacia.

5 Poſt naualem Philippi Auriæ victoriam maritimum Stabiarum oppidum ſe Lautrecio dedidit: *Stabiarũ oppidum Lautrecio ſe dedit.* ſe dedidit & Germani Fanum, ſed arx in poteſtate Cæſaris remanſit: Caietanum præſidium fundos recepit, & Simo Romanus in Calabria res Gallicas admodũ promouebat. At hæc ad victoriam non ſatis erant, quæ in Neapolis poſſeſſione conſiſtebat: cuius potiundæ ſpem nondum Lautrecius abiecerat tot Hiſpanis prælio nauali cæſis: idcirco Gallicam, Venetámque claſſem ne quid in vrbem importaretur, crebris litteris, nuntiiſque arceſſebat. Ipſe caſtra propius vrbem, Martiníque montem collocauit, foſſámque inde ad mare vſque perduxit; cuius extremam partem valido propugnaculo muniuit: ac ſic viam, qua ſumma commeatus copia in vrbem inferebatur, obſtruxit. Podium Regale nihilominus caſtra quidem in longum extendens, ſed in arctum redigens, ne aquæ commoditate priuaretur, haud deſeruit: etenim Martini montem ducta inter ipſum, vrbémque foſſa, ne mutuo ſibi auxilio eſſe poſſent, vbi claſſes appuliſſent, in ſuam poteſtatem redigere, deinde vrbem ipſam terra, maríque aggredi ſperabat; cui conſilio, prudenti quidem multa ſe opponebant. Foſſorum penuria in primis, deinde militum frequentes morbi, qui foſſam mille paſſus longam ad mare vſque duci non ſinebant, & claſſes nullo modo properabant.

Andreas Auria de ſua ad Cæſarem defectione certus cum ſuis triremibus Genua pedem non mouebat; nulli de claſſe, quæ Maſſiliæ inſtructa erat, nuntij adferebantur: Veneta Hydrunto, Brunduſióque potiendis intenta priuatim ſibi conſulens, publicam vtilitatem prodens ſuo more cunctabatur: Hydruntum enim intra decimumſextum diem, niſi auxilio iuuaretur, deditionem promiſerat. Brunduſium Venetos receperat: duæ arces à Cæſare adhuc ſtabant, quarum maior, quæ intra vrbem ſita eſt, breui deditionem factura videbatur: quæ extra vrbem mari adiacet, inexpugnabilis erat. Quarto Idus Maias tormenta Gallica è montis cliuo turrim, quæ contiguam planitiem plurimum infeſtabat, quatiebant: nonnunquam etiam in vrbem dirigebantur, & ſæpe ad Antonij Fanum excurſiones fiebant: poſtridie Idus librata è montis vertice tormenta treis turriculas inter Genuariam, Capuanámque portam ſitas acriter pulſarunt, & ne propugnaculum quod Cæſariani in vrbe extruere cœperant, perficeretur, prohibuerunt. Multi quotidie Neapoli exibant, cocto enim tritico fere omnes, pane rari veſcebantur. Germani ob panis, vini, carníſque penuriam ſe diſceſſuros minabantur, víxque falſis de auxilio breui accipiendo litteris retinebantur. Decimoquinto Kalend. Iunias foſſa cuius ſupra memini augebatur; & duo tormenta è foſſæ propugnaculo diſploſa duo molendina quibus duæ Germanorum cohortes præſidio erant, ædi Magdalenæ vicina contriuerunt; quæ antea quod præſens ſemper à Neapolitanis auxilium acciperent, Galli adoriri diſtulerant. Huc vſque res Gallis proſperè ſucceſſerant, ſed mox variis de cauſis de ſtatu

Variæ cauſæ ob quas Gallorum res deinceps affligi cœpta, recenſentur.

ſuo declinare cœperunt. Philippus Auria arcano Andreæ mandato, qui ad Cæſarem deficere conſtituerat, ſe Puteolos cum ſuis triremibus recepit: hinc Neapolim vbi ſoli fere milites remanſerant, multa ſcaphis inferebantur. Veneta claſſis recepto Hydrunto recuperandæ maiori Brunduſinæ arci affixa erat: morbi toto exercitu Gallico augebantur, ita vt cohortes Nigræ, quæ tria millia conficere ſolebant, multis vel mortuis, vel ægrotis vix duo implerent: è Gallis illi cœlo non aſſuetis longè etiam plures interibant. Interim dum ad Neapolim ſumma vtriuſque exercitus difficultate certatur, Antonius Leua Ticinum negligentius cuſtodiri monitus id intercipere properauit. Vrbi præſidio erat Petrus Lungena cum quadringentis equitibus, mille peditibus Venetis, atque Annibal Picenardus Cremonæ præfectus cum trecentis Sfortianis: noctu eò cum Hiſpanis delatus Leua ſcalas tribus diuerſis regionibus admouit, & in vrbem præſidio haud animaduertente introiit, inde Abiatum petiit; præſidiarij deditionem fecerunt. Aronam oppugnare decreuerat, ac Federicus Borrhomæus cum illo conuenit, & Cæſaris parteis ſequutus eſt.

Hērico Brūſuicenſi Duci Italica profectio quomodo ſucceſſerit.

Id fere temporis Henricus Brunſuicenſis regulus Tridento profectus cum decem peditum millibus, ſexcentis cataphractis equitibus, inter quos plerique viri nobiles eminebant, Atheſim ſexto Kalen. Maias traiecit, & clauſura repulſus in Veronenſem agrum deflexit: cui Franciſcum Borbonium Paulinum Comitem cum iuſto exercitu Franciſcus Rex opponere decreuerat, ſed voluptatibus addictus rerum bellicarum ſecurus nihil in tempore curabat. Paulinus enim Comes non prius in Galliam Tranſalpinam appulit, quàm Germani commeatus, ſtipendiíque inopia coacti in Germaniam redirent, neque ſecum tam numeroſum exercitum quàm Rex pollicitus erat adduxit; ac diu Aſtæ ſuos expectans,& de parando commeatu ſollicitus reſedit. Tum enim magna tota Italia,præſertim verò in Gallia Tranſalpina rei frumentariæ raritas erat. Et Veneti qui duodecim peditum millia mittere,& ſe cum Borbonio coniungere debebant, non ſolùm ſe cum illo non coniunxerunt, ſed Vrbinatis reguli imperatoris ſui conſilio vſi copias eas, quæ Sfortianis iunctæ cum Antonio Leua bellum gerebant, reuocarunt, & ſuis duntaxat vrbibus conſeruandis operam dederunt. Hinc Germani ad lacum Benacum deſcendentes Piſcheriam,Riuoltam, Lunatam deditione ceperunt, & totum fere lacum ſibi obnoxium reddiderunt,atque aliquantam pecuniam oppida, vicóſque qui cōtribuere recuſabant,incendentes inde conflarunt.Germanos Antonius Adurnius Genuam deducere conabatur, ſed ſtipendio carentes, & cum Antonio Leua, qui hoc nomine Mediolano egreſſus erat, colloqui cupientes per Brixianum agrum lentè incedebant: quibus Georgius Fronſpergus, atque Andreas Burgus obuiam proceſſerunt, & vt Abduam peterent cum Leua colloquuturi ſuaſerunt. Leua cum ſex peditū millibus,ſedecim maioribus tormentis quinto Idus Maias fluuium traiecit, & non longè à Germanorum caſtris Bergomo tribus paſſuum millibus diſtantibus conſedit. Copias Venetas diuiſerat Vrbinas, & Bergomi,

Laudē Pompeij nequidquam tentauit.

vbi ipſe ſubſtitit, Brixiæ, Veronæ collocarat. At Leua Germanis perſuaſit, vt antequam in regnum Neapolitanum concederent amiſſas principatus Mediolanenſis vrbeis recuperare contenderent. Illi Laudem Pompeij decimotertio Kal.Iun. circumſederunt; vnde egreſſus

egreſſus Sfortia regulus, & Brixiam profectus Ioannem Paulum fratrem nothum cum tribus Italorum peditum millibus vrbi præfecerat: tormentis bipartitis vbi duplex proſtratorum murorum ruina ſatis iuſta viſa eſt, Antonius Leua, quà latior aditus patebat, Hiſpanos inſilire iuſſit: illi treis totas horas fortiter pugnarunt, & tandem propugnatoribus ſeſe egregiè tuentibus repulſi ſunt. Hinc de expugnatione Leua deſperans vrbem fame ad deditionem cogere inſtituit: nondum enim maturis ſegetibus tam rarus ibi inerat commeatus, vt ſolis militibus panis reſeruaretur, ciues vel fame perirent, vel magno ſuo periculo inde migrarent. Et Germani peſte infici cœperant, ac ſtipendij commeatúſque penuria partim per Helueticum, partim per Rheticum agrum domum redeuntes quotidie dilabebantur.

7 Nec id Brunſuicenſi admodum curæ erat, qui ante ſuſceptam Italicam profectionem magnam Georgij Fronſpergij exemplo parandorum ſpoliorum ſpem conceperat: experientia doctus res Italicas difficiliores, quam concepiſſet, offenderat, & pecunia exhauſtus milites retinere haud poterat. Quinetiam ſpe Laudis potiundæ abiecta recipiendæ pecuniæ ſpem omnem Leua auferebat, atque abeundi, quas poterat, illi occaſiones dabat: ne ſi in Inſubribus remaneret, & adminiſtrationis, & ſpoliorum ſocium haberet. Hinc tantiſper dum tempus fruſtra ad Laudem terunt, collectas ſegetes toto Mediolanenſi agro conterendas, frumentúmque Mediolanum tranſportandum curauerat: poſtremò quum tertio Idus Iulias vrbem deintegro oppugnare decreuiſſent, Germani ſeditionem fecerunt, atque ex his mille via Comenſi diſceſſerunt: cæteri non ſine tumultu tormenta ad ſe recipientes obſidionem ſoluerunt, quam ſi paucos adhuc dies continuaſſent, haud dubium quin deficiente commeatu Laude potiti fuiſſent: quapropter Vaſtius ita permittente Andrea Auria apud quem captiuus detinebatur, Mediolanum ad Brunſuicenſem acceſſit, & vt milites retineret, ſuaſit: bis mille cum Leua remanſerunt, cæteri eadem via Comenſi abierunt. Fœderati interim Clementem, vt Cæſarem malis diris deuoueret, Imperióque, ac regno Neapolitano priuaret, rogabant. Ille ſe pecunia exhauſtum nihil fœderatis profuturum, Cæſaris hoſtem declaratum ad pacem conciliandam non amplius idoneum futurum reſpondebat. Ad hæc, ſi Cæſari Imperium abrogare conetur, totam Germaniam ius dicendi Imperatoris tot ſęculis adeptam aduerſum ſe concitaturum, Lutherianos præſertim iamdudum à Romanis Pontificibus abalienatos, quos id ius fruſtra ſibi vendicare accuſant; & de Imperio ad Gallos transferendo, ſuſpicionem iniecturum. Tandem importunè vrgentibus ſi Rauenna ſibi reſtitueretur, ſe eorum poſtulatis ſatisfacturum pollicitus eſt: hinc Angli legati Venetias conceſſerunt, & de Rauenna reſtituenda egerunt: quod quum obtinere non potuiſſent, indignabundi abſceſſerunt. Neapoli carnis ac vini magna erat penuria, quod nihil mari importabatur: Veneta enim claſſis duarum, ac viginti triremium tam diu expectata quarto Idus Iunias tandem acceſſerat, & totum id mare poſſidebat. Tametſi autem Cæſariani equites crebris excurſionibus ſemper aliquid reportabant, tamen id tantæ multitudini ſatis eſſe haud poterat; & deficiente ſtipendio, ac peſte grauiter vrgente Germanos retinere perdifficile erat, ex quibus nonnulli quotidie ad Gallos tranſibant. Sola Arauſij principis charitas plurimis iam promiſſis deceptos in officio continebat, qui Prorex poſt Hugonis Muncatæ mortem res Neapolitanas adminiſtrabat. Is Cataium Vaſconem cum multis è ſuis, qui Carolum Borbonium ſequutus fuerat, ac Fabricium Maramaldum in cuſtodiam tradi iuſſit; hunc tamen non multò poſt dimiſit, ne ſeditionis concitandæ authores eſſent, aut ad hoſteis deficerent, timebat. Contra in Gallorum exercitu morbi in dies augebantur, quapropter poſtremæ, quas Lautrecius ducere cœperat, foſſæ ad exitum haud perducebantur: ac quod ad commeatum attinet, idem non ſatis diligenter prouidebat: & de hoſtium Græcis equitibus, Germaníſque ad ſe tranſituris magnam ſpem conceperat, quæ nimis credulum tandem poſt multa clandeſtina colloquia fruſtrata eſt: hinc pedites mortuorum, ægrotorúmque vicem ſubituros, leuioréſque equites quos exercitus depoſcebat, nullos conſcripſit: quod ſi horum quadringentos duntaxat acceſſiiſſet, Cæſarianorum excurſiones facilè repreſſiſſet: quinetiam Cæſarianos ob commeatus ſtipendiíque penuriam ac peſtis ſæuitiam Neapoli profecturos ſuſpicabatur, idcirco ne Caietam concederent Capuæ præſidium collocauit, & vias quæ in Calabriam tendebant, muniit, ac poſtremarum foſſarum iam intermiſſarum curam deintegro Nauarro iniunxit, quarum dimidia pars perficienda reſtabat. Hæc ſi diligenter Lautrecius curaſſet haud dubium quin Neapoli potitus fuiſſet: ſed pecuniam belli neruum defuiſſe, peſtémque bona cœpta corrupiſſe noſtri ſcribunt: non enim ſolum gregarij milites, ſed & plerique magnæ authoritatis viri Pontificius, Venetúſque legatus, ac Galli viri nobiles non pauci mortem obierant.

Neapoli ſummà victus ſtipendijq́ penuria.

Ex Cæſarianis prædabũdis 400. circiter à Lautrecio vel fuſi vel capti.

Per eos dies Lautrecius Cæſarianos per Criptam prædabundos exiiſſe certior factus 8
nocte quæ diem ſeptimum Kal. Iul. præceſſit, Gallorum, Florentinorúmque aliquot tur-
mas, Nigras ac nonnullas Heluetiorum, & Germanorum cohortes illis obuiam ire, Buriam
cum Vaſconibus montem cui Cripta ſubiecta eſt, inſidere, quamprimum clamorem pu-
gnantium audiret, deſcendere hoſteiſque Criptæ aditu prohibere iuſſit: noſtri Cæſaria-
nos fuderunt trecentis, aut cæſis, aut captis, & centum militaribus equis, magnâque præ-
da potiti ſunt. At Buria vel negligentia, vel metu nuſquam comparuit, qui ſi officio ſuo
non defuiſſet, tota ea manus in Gallorum poteſtatem veniſſet. In hoc conflictu Ferdi-
nandus Gonzaga ex equo deiectus, captúſque eſt, ſed captum Germanorum Cæſariano-
rum ardor liberauit. Tum noua res, cuius multæ ſuſpiciones ante conceptæ erant Lautre-
cium de potiunda Neapoli adhuc bene ſperantem admodum perturbauit. Andreas Au-
ria palam à Franciſco Rege defecit, quam defectionem aliquot ante menſibus animo ſuo
inſitam magna fraude (aut vt verè dicam) indigna viro militari proditione texerat. Con-
ſtituerat Franciſcus vt eodem tempore Lautrecius regnum Neapolitanum, fœderato-
rum claſſis Siciliam inuaderet: coierant ad Liburnum octo Andreæ Auriæ, quatuorde-
cim Gallicæ, Venetæ ſedecim triremes, & recepto cum tribus peditum millibus, quos in
terram exponerent, Rentio Cerite Idibus Nouembris inde vela fecerant; ac quamuis ex
Regis mandato Siciliam petere ſtatuiſſent, tamen ita ſuadente Auria ad Cæſarem iam de-
ficere deſtinante ad Sardiniam ſeſe conuerterunt. Nec ab eo conſilio Lautrecius alienus
fuit, capta Sardinia tutiorem faciliorémque fore in regnum Neapolitanum, ac Siciliam
tranſmiſſionem ratus. Ad Sardiniam appulſa fœderatorum claſſis Rentij pedites in ter-
ram expoſuit, quibus ſocios nauales nonnullos addidit; ac primum Genuenſe caſtellum
Sardiniæ oppidum circumſedit, tormentiſque verberauit. Caſtellani ſe poſtridie deditio-
nem facturos promiſerunt: at oborta tempeſtas claſſem ſe inde recipere, & in Herculis
inſulam, quam vulgo Aſinariam vocant, curſum tenere compulit. Rentius cum ſuis in
Sardinia remanſit: is claſſem ad Genuenſe Caſtelletum redeuntem admonuit ſe Sur-
ſam vicinum oppidum omni commeatus, quo claſſis plurimum indigebat, copia refertum
occupaſſe: huc curſum dirigeret, & milites inedia, nauſeâque tabeſcenteis affatim re-
crearet. Rentius interim Inſulæ interiora penetrans Sardorum copias ſibi obuiam prodi-
re per exploratores didicit: quadringenti, aut paulo plures erant equites, pedites circi-
ter quatuor millia. Rentiani vix tria implebant, Rentius collocatis inter vepres ſclope-

Sardi in inſidias à Rẽtio attracti, & fuſi.

tariis præcedenteis equites paulò remotior expectauit. Sardi in inſidias delapſi ac pleri-
que ſclopetariorum glandibus traiecti, atque inter eos dux, ſigniferque ceciderunt: cæ-
teri conſternati ſe in fugam dederunt, ſequenteiſque pedites proculcarunt, neque vllus
poſtea ex Sardis ſe hoſtibus oppoſuit. Rentius Saxerim præfecti inſulæ ſedem expugna-
uit: vbi tanta commeatus omnis generis copia inerat, vt milites antea fame prope ene-
cti, ſeſeque ingurgitantes in varios morbos poſtremo in peſtem inciderint. Acceſſit &
magna inter Auriam Rentiúmque diſcordia, & grauis tempeſtas ita claſſem diſſi-
pauit, vt quatuor Venetæ triremes Liburnum redirent, quas mox octo ſequutæ ſunt:
Gallica vna ad Sardiniæ littora aquis abſorpta eſt, cæteræ in Corſicam ventorum im-
petu reiectæ ſunt, quæ mox cum reliquis quatuor Venetis ſeſe ad portum Veterem con-
iunxerunt.

Quarto Idus Februar. anni huius ſæculi viceſimioctaui duodecim Venetæ quæ mul- 9
tum iactatæ, afflictæque ſe Liburnum receperant, Corcyram, vt inſtauraretur, abie-
runt: totidem tamen alteras ſe miſſuros Veneti promiſerunt. Quum cæteræ in eundem
portum conueniſſent & Lautrecius inter Auriam Rentiúmque malè conuenire intel-
lexiſſet, Auriæ vt in regnum Neapolitanum cum ſuis, Rentio vt in Siciliam nauiga-
ret, mandauit: hæ enim omnes tum ad Liburnum ſtationem habebant. Auria nihilo-
minus ſuas quoque inſtaurandas cauſatus cum ſuis octo, & totidem Gallicis Genuam diſ-
ceſſit; quas tamen crebris Lautrecij & litteris & nuntiis fatigatus Philippo Auria legato
& propinquo ſuo præfecto non multo poſt Neapolim miſit. Rentius graui morbo affe-
ctus adhuc Piſis agebat: Auriam, ne Sicilia in Regis poteſtatem veniret, Sardiniam pro-
poſuiſſe pro certo habitum fuit: ſiquidem hoc ipſo tempore Auria inſtigante, vt plerique
exiſtimarunt, ducenta nummûm aureorum millia vt libertati reſtituerentur Franciſco Re-
gi Genuenſes obtulerunt, ac repulſam paſſi ſunt. Auriæ à Rege abalienatum animum
coniectura aſſequens Lautrecius Gulielmum Bellaium Langeum hominem doctum &
non minùs bellica, quam ciuili prudentia præditum equis curſoribus ad Regem miſit ob-
ſecrans ne Auriam rebus naualibus tam exercitatum, & ad Siciliam, regnúmque Neapo-
litanum recuperandum tam ſibi vtilem reiiceret, quin potius Regia liberalitate retineret.
Langeus

Langeus Auriæ alioqui familiaris per Genuam iter inſtituit, & vt arcanos eius ſenſus eliceret, hominem inuiſit: cui humaniter accepto, & in palatium ſuum recepto Auria apertè declarauit ſe fidelem Regi operam nauaturum modo Rex debitas ſibi penſiones repræſentaret; capti Arauſij,& in libertatem Madriciano fœdere reſtituti rationem haberet; ſalinarium vectigal,quod Rex Sauonam tranſtulerat, Genuenſibus & priuilegia quibus ſub ipſo,cæteriſque ſuperioribus Regibus vſi erant, reſtitueret, curaturúmque vt Genuenſes ſemper duodecim triremes ſuis impenſis paratas haberēt quas Rex, quibus velit, militibus impleat;duas duntaxat ad portus cuſtodiam retinerent. Langeus,vbi Lutetiam appulit, Lautrecij mandata,& quid ab Auria intellexiſſet,Regi expoſuit. Re ad conſilium deducta Annæus Mommorencius Regi intimus, cui Sauona cum omnibus vectigalibus dono data erat, portus fructuoſiſſimi auaritia inductus Antonium Pratum Cancellarium ſubornauit, qui Auriæ poſtulata ſuperba, intolerabilia, à ratione prorſus aliena diceret: tametſi autem Langeus, ſi Auria à Rege ad Cæſarem deficeret, Genuæ, regníque Neapolitani amiſſionem prædicebat tamen Barbeſſius ex Rupifocaldia familia Mediterranei maris ſummus præfectus (Amyralium noſtri vocant) deſignatus eſt: cui vt Genuam peteret,Regias,Auriæque triremes in ſuam poteſtatem redigeret,ipſúmque adeo Auriam, ſi fieri poſſet, comprehenderet mandatum eſt: quæ non tanto ſilentio obſeruata ſunt, quin ad Auriæ aures peruenirent. Hinc Barbeſſio cum quatuordecim triremibus Sauonam appulſo Auria Genua primum deinde Ericem cum ſuis ſe recepit, captiuóſque Vaſtium, & Aſcanium Columnam ſecum abduxit: vide quid Mommorencij auaritia, Prati malignitas,Regis in re tanti momenti ſocordia perfecerit. *Vaſtius & Aſcanius Columna captiui.*

10 Sauona profectus Barbeſſius, Genuam iniit, & cum Auria mox colloquutus eſt: Auria Barbeſſium à Rege mandatum habere reſpondit vt ipſum comprehendat, eiúſque triremes in ſuam poteſtatem redigat: ſe, ne id fiat, ſedulo curaturum: Regias nihilominus triremes illi traditurum. At Antonius Auria Andreæ propinquus longè ſceleratior Regias, quibus præerat, retinuit, & ad Cæſarem defecit. Noua auxilia ob peſte abſumptam bonam exercitus partem, pecuniam in militum ſtipendium;& vt aliquem in ſuum locum ſufficeret, ſibi in Galliam redire Rex permitteret, in dies poſcebat Lautrecius. Franciſcus Philippum Chabotum Brionem ſibi chariſſimum illi ſucceſſorem mittere primum deſtinauit: deinde quod tantam perſonam fortaſſe homo aulicus,adoleſcens,rerum bellicarum rudis ſuſtinere non poſſet, Lautrecium continuare maluit. Nauarrum principem Henrici Regis Nauarri fratrem paucis comitatum Neapolim miſit, quorum bonam partem adoleſcentes nobiles laudis militaris auidi ſponte non aliquo ſtipendio inuitati implebant. Miſit vnà & aliquantam pecuniam,ſed non eam,quam Lautrecius ſperabat. Nauarrum ad Nolam in terram expoſuit Barbeſſius cum tam paucis, vt auxilium à Lautrecio petere cogeretur. Candalo Vaſconum, Hugoni Pepulo Nigrarum cohortium præfecto id munus aſſignatum: in quos quum non procul Neapoli tranſirent,Cæſariani magna vi irruerunt,parique excepti ſunt: Galli opem laturi è caſtris at tardius exierunt, hoſteíſque repulerunt. Exæquatum certamen dici potuit, niſi quod Candalus ac Pepulus præcipui noſtrorum duces capti Neapolim abducti ſunt,ac mox cum nonnullis Cæſarianis permutati: verùm Candalus è vulneribus non multo poſt interiit. Poſtremo Rentium Ceritem eodem miſit Franciſcus, qui è Sardinia reuerſus cum Venetis, Mediolanenſíſque reguli copiis remanſerat. Hunc ad Herculis portum exceptū Nicolaus Bellaius eques Rhodius duobus myoparonibus,& aliquot minoribus nauigiis ad eandem Nolam deduxit:vbi Rentius ad caſtra Gallica appulit, vix tertiam exercitus partem ſuperſtitem, aut bello aptam reperit:cæteri aut peſte abſumpti erant, aut grauiter ægrotabant:pauci ab hoſtibus cæſi erant. Iam Vademontanus Nauarrus princeps, Candalus, Camillus Triuultius ac præcipui duces ea lue infecti perierant, Lautrecius ipſe & corpore & animo æger ducis iam munus vix obire poterat;Rentium tamen in Samnium,vt nouos milites conſcriberet, miſit. Is à Neapoleone Vrſino copias, quibus Iordanis patris, auíque Virginij poſſeſſiones recuperabat, & iam Scipionem Columnam Reatinum Pontificem collatis ſignis ad Manlianum victor interemerat, impetrauit, eáſque ad Lautrecium præmiſit,aliis conſcribendis intentus. Sed Focaldius quem cogendæ in Samnio pecuniæ Lautrecius præfecerat, nullam ſe habere dixit: quapropter in Galliam reuerſus in carcerem conditus eſt, ac paulò poſt tametſi peculatus prope conuictus Prati Cancellarij opera liberatus: Rentius paucis militibus conſcriptis Neapoleonis copias ſequi coactus eſt. *Indignum Antonij Auriæ ſcelus.*

11 Vt ad Auriam redeam, Franciſcus tardius errorem ſuum agnoſcens Petrum Franciſcum Nucerium ad Auriam miſit:Sauonam Genuenſibus reſtituere,viginti nummûm aureorum millia iam Auriæ debita, totidem altera pro Arauſio principe, quem fœdere Ma-

driciano liberarat, repræſentare: ſi Vaſtium, & Aſcanium Columnam Regi tradere vellet, iuſtam eo nomine pecuniam exoluere; ſin retinere mallet, liberam illi optionem relinquere promiſit. Quas omneis conditiones Auria reiecit, & his cum Cæſare conuenit: nempe vt Genuæ ſua libertas ſub Cæſaris propugnatione reſtitueretur; reſtitueretur & Sauona: Auriæ qui Hiſpanicum nomen acerbiſſimè inſectatus erat, venia daretur; idem duodecim triremes militaturas ſemper paratas haberet: ſexaginta nummûm aureorum millia quotannis acciperet: additæ & nonnullæ aliæ honoratæ conditiones fuerunt. Veriſſimam Aurianæ defectionis cauſam fuiſſe putant, quod Genuam in libertatem vendicare, & ſummam inde authoritatem, ingenteiſque diuitias ſibi comparare cuperet. Id quum à Gallo impetrare non poſſet, à Cæſare ſe impetraturum ſperauit, vti mox impetrauit. Ob hanc defectionem Barbeſſius Sauonæ magna rerum Neapolitanarum iactura diutius commorari coactus eſt, & quingentos pedites Gallos, Germanos mille ducentos vt Genuæ præſidio eſſent, in finitimo agro reliquit, quod in vrbe peſtis infeſta lues acerbiſſimè graſſaretur: inde cum tota claſſe quæ nouemdecim triremibus, quatuor myoparonibus, duobus minoribus nauigiis conſtabat, & Nauarrum principem vehebat, regnum Neapolitanum petiturus vela fecit. Ad Centumcellas nihilominus recuperandas inſtante Clemente imprudenter ſubſtitit: nam Philippus Auria de Andreæ mandato quarto nonas Iulias è littore Neapolitano ſoluit; & antequam ſolueret, Neapolim commeatum ſuis myoparonibus importauit: quod ſi fidelem, vti initio, Gallis operam nauaſſet, vrbs fame victa, vt veriſimile eſt, deditionem feciſſet. Philippi diſceſſu claſſis Veneta, quæ à mari ad Petri Nauarri foſſam vſque ſuam ducere ſtatuerat, opus relinquere, & ne quod nauigium Neapolim ingrederetur, prouidere coacta eſt: quod vt diligentius exequeretur, minora nauigia totum id littus interdiu, noctúque percurrere iubebat. Maior etiam terra diligentia adhibebatur; tot enim, tantáque idoneis locis Lautrecius præſidia collocarat, vt Hiſpanos pabulatum egredienteis facilè repelleret, qui ſæpius malè mulctati conſpectis Gallis ſine conflictu magna ex parte fugiebant: ſicque vrbis ad extremam neceſſitatem redactæ intra paucos dies potiundæ magna ſpes Lautrecium ceperat. Nec minorem de Germanis, quibuſcum dudum clam egerat, ad ſe tranſituris conceperat: ij enim niſi ſtipendium & commeatus breui ſuppeditaretur, defectionem apertè minabantur.

Quid Auriã à Franciſco deficere impulerit.

At Idibus Iuliis triremes Venetæ præter eas, quæ ad Caietam ſubſtiterant, panem 12
biſcoctum, qui deficiebat, aliáque victui neceſſaria comparaturæ in Calabriam ſeceſſerunt: quatriduo poſt, hoc eſt decimoquinto Kal. Auguſti claſſis Gallica ad Neapolitanum littus appulit. Sed interim magna tritici quod ad finem menſis non ſuppetebat, cæteríque commeatus vis Neapolim mari importata eſt. Accedebát & alia pleraque infortunia quæ fere ſemel cœpta ſeſe comitari ſæpenumero ſolent: à morte non longè aberat Vademontanus, Lautrecius in inualetudinem inciderat: morbi in caſtris magis ac magis augebantur. Claſſis Gallica octingentos duntaxat pedites aduexerat: cæteros partim ad Genuæ præſidium, partim ad Centumcellanam arcem oppugnandam reliquerat, quæ magna Barbeſſij imprudentia fuit: nam ſi continuo curſu Neapolim nauigaſſet, nec Centumcellis viginti, aut paulò plures dies fruſtra reſediſſet, nec militum numerum Clementi Pontifici obſequutus minuiſſet, haud dubium quin Neapolis in Lautrecij poteſtatem veniſſet. Claſſis propter maris æſtum, quod multum intumuerat ad terram appellere non potuit: illi obuiam Candalus cum cataphractis equitibus Gallis, quorum numerus non traditur, & numeroſo Vaſconum, Heluetiorum, Germanorum agmine proceſſit, tum vt Regiam pecuniam acciperet, tum vt octingẽtos pedites claſſe vectos in caſtra deduceret. In redeunteis Cæſariani magna vi irruerunt: quum noſtri è caſtris ſubſidio veniſſent, hoſteis repulſos, & exæquato, vt ſupra cõmemoraui, certamine diſceſſum alij tradunt: alij Cæſarianos viribus ſuperiores fuiſſe, & ex Gallis centum aut paulò plures cæſos, totidem fere captos ſcribunt. Sed res Gallicas in primis Lautrecij inualetudo afflixit, qui tametſi animi vigore corporis imbecillitatem ſuſtentabat, tamen omnibus, quæ opus erant, prouidere haud poterat. Is quum conualeſcere cœpiſſet ob continuos labores exantlatos, animíque æſtũ nocte quæ inter diem decimumoctauum ac decimumſeptimum Kal. Septemb. interceſſit in Arragonij Montalti villa, vbi prætoriũ fixerat, diem ſuum obiit, & ſine vlla funebri pompa cumulo arenæ ſuperiniecto conditus eſt: dux certè præſtantiſſimus, niſi quod peruicaci ingenio quod ſemel animo concepiſſet, pertinaciter ſequi; ab aliis, vt magis ſapere videretur, nonnunquam præter rationem diſſentire, eorumdémque prudentia monita faſtidire conſueuiſſet: alioqui ſeuerus diſciplinæ militaris exactor, vita integer, iuſti adeo tenax, vt inexorabilis diceretur: peculiari elogio VRBIVM EXPVGNATOR, quemadmodum olim Demetrius Macedo appellatus eſt. Cadauer eius ſabulo erutum Hiſpanus miles, vt ea natio

Odeti Fuxij Lautrecij mors, ſepultura, & elogium.

natio auariſſima eſt, Neapolim deportauit, & in cella vinaria condidit emptorem expectans, qui ingenti pretio redemptum ad Fuxiæ gentis ſepulchra reportaret: at nemo inhumatum redemit, duos enim dumtaxat liberos marem, ac fœminam adhuc infanteis reliquit, quorum tutores ſepulturæ iacturam non magnifecerunt. Arauſium principem, Ferdinandum Gonzagam, cæteróſque primarios Cæſariani exercitus duces tanti Imperatoris reliquias ab Hiſpanica auaritia non vendicaſſe, nec virtuti debitum, vt Chriſtiano homine dignum eſt, teſtimonium reddidiſſe mirum eſt: at Senatus, populúſque Romanus atra in veſte illi parentauit patriæ liberatorem appellans, quod Cæſarianos vrbi extremum excidium afferenteis inde retraxiſſet: & vt parentalia Laterana in æde quotannis inſtaurarentur, edixit.

Fuxij cadauer ab Hiſpanis ereptũ, & cæ.

13 Vademontanum maiorum pietas ab ea fortuna aſſeruit, cuius cadauer ſacratæ virgines Franciſci profeſſionem ſequutæ in cœnobium ſuum ab Andegauenſibus Regibus, vnde Vademontanus originem ducebat, conditum deportandum curarunt, & in ſua æde honorificè ſepelierunt. Lautrecio ſucceſſit in imperio Salaſſus, at non eadem prudentia res Gallicas multum declinanteis adminiſtrauit. Andreas Auria cum duodecim triremibus ad Caietanum portum appulit, & Barbeſſio de priſtina diligentia non parum remittente, aut Aurianam claſſem metuente, commeatum ſæpius Neapolim importauit. Sarnitanus Comes aſſumptis mille peditibus Hiſpanis Sarnum recepit, atque auctis copiis Nolam XI. Kal. Septemb. in poteſtatem ſuam redegit: Valerius Vrſinus, qui vrbi præſidio erat, à Salaſſo, vt opem ferret, poſtulauit: Salaſſus bis mille pedites noctu miſit, qui à Cæſarianis Neapoli egreſſis fuſi, fugatíque ſunt. Gallis ſola ſpes in Rentio, & Melfitano ſupererat, non quod Neapoli ſe potituros confiderent, ſed vt tuto obſidionem ſoluerent. Melfitanus autem Cæſarem ſæpius obſecrarat, vt quandoquidem cum principatu ſua omnia amiſiſſet, captiuúſque cum vxore ac liberis detineretur, eius liberalitate redimeretur; id quum non impetraſſet, Cæſari ſacramentum remiſit, & ad Gallos tranſiit. Hunc paulò ante mortem milites conſcribere & ad circumſedendam Caietam ire Lautrecius iuſſit, vbi is ſedulam operam nauabat. Lautrecio mortuo, & claſſe Auriana Caietam appulſa ſe ad Rentium recipere coactus eſt: Salaſſus, Nauarrus, Ranconus, Hugo Pepulus grauiter ægrotabant: caſtra Gallica fere ſine imperio erant. Hinc Fabricius Maramaldus à Capuanis accerſitus cũ quadringentis peditibus Neapoli egreſſus Capuam cepit: Capuani præſidium Gallicum ſpecie pecoris, cæteríque commeatus adducendi vrbe exire perſuaſerant, deinde alia porta Maramaldum intromiſerũt: quapropter Galli Puteolis relictis Auerſam contenderunt, verum Capua, Noláque amiſſis commeatus aliunde peti haud poterat. Itaque Galli caſtra deſerere, atque Auerſam verſus noctu iter inſtituere coacti ſunt: quos perſequuti Cæſariani, & poſtremos carpentes Petrum Nauarrum, ac pleroſque viros illuſtres ceperunt. Salaſſus cum parte copiarum euaſit & Auerſam ſe contulit; & quod reſiſtendo non eſſet cum Arauſio in hæc fere capita Guido Rancono interprete tertio Kal. Septemb. cõuenit: nempe vt Auerſam oppidum pariter, atque arcem cũ tormentis, omnibúſque quæ ad tormenta pertinent, Salaſſus dederet: Salaſſus, cæteríque illuſtriores præfecti captiui retinerentur; Rancono excepto, qui huius pacti interpres libertate donatus eſt: cum cæteris Gallis, qui Auerſæ non erant, Venetíſque ageret Salaſſus, quoad poſſet, vt cætero regno Cæſarianis cederent. Galli, quos liberè abire conuenerat, ſigna, equos militares, arma, omnem ſupellectilem relinquerent: ex quibus viri nobiliores dumtaxat equos ſuos militares, aut minores, aut mulos ſecum abducerent. Hoc tamen caput aliter Bellaius recitat, & omnibus tam cataphractis quam leuioribus equitibus equum vnum ſecum abducere permiſſum ſcribit. Itali intra ſex menſes aduerſus Cæſarem arma ne ferrent. Auerſa direpta Cæſariani octo menſium ſtipendium repetentes Neapolim redierunt: poſtridie Rentius, ac Melfitanus princeps Capuæ appropinquabant, & quid Auerſæ Gallis accidiſſet, certiores facti in Samnium reuerterunt, quod ſolum cum paucis Appuliæ, Calabriæque vrbibus fœderatis parebat. Hi Barolum, & nonnullas alias vrbeis maritimas inſederant, quas vſque ad Cameracenſe fœdus retinuerunt; quo quicquid Galli in regno Neapolitano poſſidebant, Cæſari adiudicatum eſt: ad iſtos Galli Auerſa egreſſi ſeſe receperũt: Pomperanus ſub ipſam Auerſæ deditionem ex morbo interiit. Hic Lautrecianæ expeditionis infelix exitus fuit, cuius permultas, qui interfuerunt, aut qui de ea ſcripſerunt, cauſas afferunt: ſed duas in primis; alteram quod obſidionis initio Podij Regalis aquæ ductus Lautrecius ſucciderat, vt Neapolitanos molendi commoditate priuaret: aqua in planitiem effuſa, nec vllum exitum reperiens ſolis æſtu aduſta aërem corrupit, & Gallis caloris impatientibus morborum cauſam præbuit; & ciſternas à Cæſarianis veneno infectas noſtri prodiderunt. Acceſſit & peſtis Cæſarianorum malignitate in caſtra Gallica inuecta, qui illuc ex vrbe nonnullos ea luc

Vademõtan⁹ honorificè inhumatur.

Salaſſus Lautrecij munus obire iuſſus.

Capua à Cæſarianis capta.

Petrus Nauarrus in Cæſarianorum manus lapſus.

Salaſſus cũ Arauſio quibus capitibus conueniat.

Lautreciana expeditio duabus maximè de cauſis infelix.

lue infectos de induſtria miſerunt. Alteram addunt quod ſæpius ad Franciſcum Regem Lautrecius ſe Neapoli potiturum ſcripſerat: quapropter ne ſe ipſe mendacij argueret, illic potius mori, quam mille paſſus retrocedere maluit. Sic enim antea Mediolani prætor ſe hoſteis Abduæ tranſitu prohibiturum ad eundem Regem ſcripſerat, nec tamen præſtiterat. At alij Gallici exercitus præfecti morborum cauſas agnoſcentes locum mutare, & Capuam, aut in aliam ſalubrem regionem ſecedere maturo conſilio ſuadebant: quum enim totum fere regnum Galli in ſua poteſtate haberent, neque commeatum, neque pecuniam illis defore, Cæſarianis autem omnia breui defutura perſpicuum erat; pertinax animus neque fatum ſuum vitare, neque melioribus conſiliis aſſentiri potuit.

Percurſis rebus Neapolitanis ad Franciſcum Borbonium Paulinum Comitem redeamus, quem Venetis, Sfortianiſque copiis iunctum Brunſuicenſi regulo Franciſcus Rex opponere decreuerat, eíque quingentos cataphractos equites (quadringentos dumtaxat alij numerant) totidem leuiores ductore Boeſio, ſex Gallorum, quatuor Germanorum peditum millia attribuerat. Illis Franciſcus Mongomerius Lorgius, his Monteianes Britannus præerat: mandatum à Rege habebat Paulinus Comes, vt ſi Brunſuicenſis regulus in regnum Neapolitanum cõtenderet, eundem ſequeretur, alioqui in Gallia Tranſalpina remaneret. Quum Brunſuicenſem ſtipendij penuria in Germaniam rediiſſe cõperiſſet, Placentia profectus ad Monticellum cum Vrbinate Venetarum copiarum duce tertio Idus Auguſti colloquutus eſt, vt ad Laudem Pompeij conuenirent, ſtatuerunt. Initio Auguſti ante hoc colloquium Antonius Leua, quantum poterat, omnis generis commeatum Mediolanum importandum curabat: meſſis enim adeo ſterilis erat, vt vix in octauum menſem ſufficere poſſe videretur. Mox Melegnanum profectus eſt, vbi diutius commorari ſtipendij penuria prohibebatur: interim tamen dum illic conſiſteret, fœderatorum copiæ ſeſe XI. Kal. Septemb. coniunxerunt: quadringentos cataphractos equites, quingentos leuiores, mille quingentos Germanos pedites, tria Gallorũ millia habere in exercitu Paulinus Comes ferebatur: verum partim eius, partim miniſtrorum negligentia vt is numerus impleretur, multum vtique aberat: quin & Heluetiis nongentorum ſtipendium quum trecenti dumtaxat eſſent, pendebatur. Pro Heluetiis, Germaniſque, qui expectabãtur duodecim in ſingulos menſes nummûm aureorũ millia Veneti Paulino exoluere pollicebantur: iidem trecentos cataphractos equites, mille leuiores, ſex peditum millia, Sfortia bis mille ſelectos pedites miſerat. Antonius Leua quatuor Germanorum, tria Italorum millia, mille Hiſpanos pedites, trecentos leuiores equites ducebat: ſeptingentos pedites ad Ticini, ad Fani Angeli præſidium quingentos reliquerat; Abduanum agrum Nouariámque hoſtibus permiſerat. Vrbinas Ioannem Naldium cum tribus peditum millibus trecentis leuioribus equitibus, ſex tormentis ad oppugnandum Angeli Fanum ſiue caſtellum miſit.

Brunſuicenſem ſtipendij penuria in Germaniam redire compellit.

Naldius dum caſtra metatur, hoſtilis tormenti pila diſcerptus cecidit: Vrbinas ipſe ſuccedens Fano Angeli potitus eſt. Nono Kal. fœderatorum copiæ ad Fanum Zeni Lambro fluuio imminens, & Melegnano bis mille quingentis paſſibus diſtans caſtra poſuerunt: ſeptimo Kal. traiecto Ambra Melegnano appropinquarũt. Leua cum ſuis ſe in oppidũ recepit, & poſt aliquot excurſiones copias ſuas in apertum campum quaſi pugnaturus eduxit. Quum tormenta circiter horam vtrimque intonaſſent, prælijque inſtantis ſpeciem præbuiſſent, nocte appropinquante in oppidum rediit. Poſtridie Mediolanum ipſe cum ſuis, Landrianum fœderati conceſſerunt: vnde Mediolanum petere, & dolo, aut vi aggredi deſtinarunt. Sed hunc conatum frequentibus pluuiis diſturbantibus ſe ad Ticini oppugnationem conuerterunt: cui ducenti dumtaxat Germani, octingentique Itali præſidio erant; & miſſis vltra Ticinum aliquot peditibus Vigeuenum ceperunt. Ad Fanum Alexis tribus paſſuum millibus Ticino diſtans quinto Idus Septemb. Paulinus Comes appulit: quum vrbi appropinquaſſent, noua res nouam cõſultationem facere coegit. Graſſabatur Genuæ adeo peſtis, vt ciuitas & à præſidiariis militibus prope deſerta in ſolitudinem redigeretur; Theodorus Triultius præfectus ſe in arcem conderet. Andreas Auria hac occaſione vſus cum aliquot triremibus eò acceſſit tametſi exigua operæpretium aliquod faciendi ſpe inductus: quingentos enim dumtaxat milites, quos in terram exponeret, habebat. Claſſis Gallica, quæ ad portum ſtabat, ne ſibi reditus in Galliam intercluderetur, metuens neglecta Genua Sauonam properè nauigauit, quò prætoria Barbeſſij triremis non ſine eius ignominia prima appulit. Itaque quum pauci præſidiarij milites Genuæ remanſiſſent, & ciues ob Sauonam ereptam à Gallis abalienati eſſent, Auria in vrbem, quãquam Triultius dux veteranus, ſed minimè pugnax in palatium redierat, paucis obuiam prodeuntibus facilè admiſſus eſt. Genuæ amiſſio Franciſci Regis negligentia accidit, qui ſolitis voluptatibus indulgens rerum bellicarum obliuiſcebatur; nec exercitum ſuum Neapolitanum tam ſubita 15

Genua peſte adeo infeſtata vt in ſolitudinẽ propemodum redigatur.

Genua Gallis per Andream Auriã erepta.

ſubita clade periturum, & vt periiſſet, claſſis ſuæ reditum, & Paulini Comitis vicinitatem rem Genuenſem ſatis confirmaturam putabat. Theodorus Triuultius, qui in arcem redierat, opem à Borbonio Paulino Comite petebat, & ſi ter mille pedites mitterentur, vrbis ſe deintegro compotem futurum aſſerebat: illuc Galli properare cupiebant: at Vrbinas ſcaphas ad pontē Pado imponendum & cōmeatum tam breui parari non poſſe aiebat. Quapropter ex illius ſententia decretū eſt, vt Monteianes Alexandria, vbi tum erant, profectus ter mille partim Heluetios, partim Germanos pedites, qui ad Borbonij exercitū accedebāt, Genuā duceret: quò ſi ire recuſarent, eoſdē ad Borbonium adduceret, & illorum vice tria Gallorum peditum millia Genuam properatura acciperet: ita Ticini cōtinuata obſidio eſt.

16 Poſtridie Idus Septembris ad Ticinum fluuium, ſed vltra, nouem fœderati maiora tormenta collocarunt, vt propugnaculum tormentorum officinæ contiguum acriter verberarent; quod paucis horis magna ex parte diſruptum eſt. Ab eadem regione ſupra collem quinque ſtatuerunt, vt duo vicina propugnacula demolirentur: tria in fine collis, vt murum proſternerent: citra fluuium tria, vt facta impreſſione propugnatores in latera peterent: ſiquidē ibi angulus propugnatores tegens prominebat. Tormenta omnia ſupra commemorata Venetorum erant, Gallica defenſaculis obruendis attribuebantur. Hæc tormentorum fulminatio in diem decimum tertium Kal. Octobris continuata eſt: tum tribus propugnaculis, & muro ad ſingula lata ruina proſtrato, aqua etiam è foſſis deriuata inſtituta oppugnatio eſt. Fœderatorum copiæ in treis ordines diuiſæ fuerunt: primum locum ſors Venetis dedit, alterum Gallis; Sfortiani qui mille ducenti pedites dumtaxat erāt, poſtremo loco priores ſequuti ſunt: quum Veneti ad manus non venirent, & ſclopetis dumtaxat procul rem gererent, Lorgius inter ipſos, murúmque irruens, & qua ruina muri latius patebat, irrumpens hoſteis aggreſſus eſt. Signifer, qui præcedebat, ac duo ſtrenui centuriones Florimundus Challius, ac Grandzaius, qui Lorgij latera tegebant cæſi fuerunt. Poſt longum certamen quod duas horas continuatum ferunt, in vrbem peruaſit: pro qua etſi ducenti Germani dumtaxat atque octingenti Itali cum paucis Hiſpanis propugnabant (quanquam ad duo millia Iouius numerum auget) tamen ſtrenuè ſe tuebantur, niſi tribus illis citra fluuium locatis tormentis obtriti fuiſſent, diutius pugnaturi. Petrus Biragus ſclopeto in femur ictus domū deportari noluit, ne deterriti milites fugam capeſſerent. Petrus Botticella eodem modo vulneratus domum rediit: ſeptingentos ex propugnatoribus cecidiſſe tradunt: cæteri cum Galeatio Birago & Aponte centurione Hiſpano ſe in arcem receperunt, quam & paulò poſt dediderunt. Vrbs bis antea direpta non magno diripientium cōmodo eandem fortunam ſubiit. Ticino capto Vrbinas Mediolanum oppugnandum non putauit: duobus enim magnis exercitibus opus fore: vt Abiatum, Fanum Georgij, Modoetia, Comum capiantur, ne Mediolanum commeatus importetur, & vt Genuam præſentia auxilia mittantur, ſatius eſſe. Caſtelletum enim Andreas Auria circumſedebat, & diligenter cuniculos agebat; & quandoquidem Germani propter ſtipēdium non exolutum illuc ire recuſarant, Borbonius Paulinus Comes cum cētum cataphractis equitibus, bis mille peditibus eam expeditionem ſuſcepit, niſi auxilium vſui eſſet, ſe breui rediturum pollicitus; & ſe quinto Kal. Septemb. ad iter accinxit, quem Ticini Vrbinas expectare debebat, vbi quatuor Venetorum peditum millia, mille Sfortianos reliquerat. Tum Mediolanenſibus Antonius Leua nouum, ac dirum vectigal indixit, ne cui farinam domi vel conficere, vel reſeruare fas eſſet, illis exceptis, qui huius vectigalis acerbitatem pecunia redemiſſent: à quibus in ſingulos tritici modios treis nummos aureos exigebat: conſtitutis tabernis panis Cæſaris nomine venalis tanto pretio proponebatur, vt multi laquei metu fame interirent. Hac edicti ſeueritate nouem menſes equitibus ſtipendium numerauit: pedites partim Nouariam, partim in alia Laumellenſis agri oppida, ac Mediolanēſis agri pagos diſtribuit: quibus vt populorū impenſis totam hyemem victum pararent, & victus ſpecie quicquid liberet, raperent, permiſit: nec is, aut Cæſar, quanquam multis legationibus fatigatus, vt huic malo maturius finem imponerent, ambitione ciuilis prudentiæ æquitatem, ac Chriſtianæ pietatis authoritatem pro nihilo ducente, vlla miſericordia flecti potuerunt. Ita florentiſſima totius Italiæ vrbs quondam Romanorum Imperatorum ſedes, atque ager fertiliſſimus diuitiis omnibus exhauſtus, deformatúſque eſt.

Ticini obſidio acrius premitur.

Oppugnatio inſtituitur.

Mediolanenſes nouo & acerbiſſimo vectigali ab Antonio Leua indicti opprimuntur.

17 Borbonius relictis Nouij tormentis Gauium viginti quinque paſſuum millibus Genua diſtans Kal. Octobr. appulit: poſtridie arcem Furnariam cepit, ac deinde Genuam verſus progreſſus, vbi ſeptingentos Corſos in vrbem ingreſſos intellexit, ad oppidum Furnarium rediit: quatuor autem dumtaxat tā è ſuis, quàm è Monteianis copiis peditum millia, mille ex fœderatorum caſtris Nicolao Doro præfecto miſſa habebat, & ſtipendij penuriam in cauſa eſſe obtendebat; Galli quotidie dilabebantur, & in Galliam redibant. Hinc de

recipienda

recipienda Genua deſperans Monteianem cum trecentis peditibus Sauonam à Genuenſibus circumſeſſam miſit: ſed quod foſſis cincta erat, omneiſque aditus Genuenſes inſederant, Monteianes ad Borbonium redire coactus eſt, qui ſexto Idus Octobris Alexandriam reuerſus, & mox inter Alexandriam ac Ticinum cum Vrbinate colloquutus eſt, ſed cum illo perpauci milites remanſerant. Hinc Vrbinate in fœderatorũ exercitu vix quatuor peditum millia ſupereſſe docente Antonium Leuam quatuor Germanorum millia, mille quadringentos Italos, Hiſpanos ſexcentos paratos habere, vt Borbonius Alexandriæ, Vrbinas Ticini noua auxilia expectarent, deinde initum de Abiato, Mortaria, Nouariana arce conſilium exequerentur, ſtatuerunt. At Sauonenſes Monteianem vrbis ſuæ aditu prohibitum certiores facti cum Genuenſibus de vrbe dedenda, niſi intra aliquot dies auxilio iuuarentur duodecimo Kal. Nouembr. conuenerunt. Hinc Borbonius quicum mille dumtaxat pedites remanſerant Sauonenſibus opem ferre cupiens ter mille à Sfortia atque Vrbinate poſtulauit: illi mille ducentos miſerunt. quapropter cum tam paucis Sauonenſibus adeſſe non auſus vrbem in Genuenſium poteſtatem venire paſſus eſt; qua potiti Genuenſes in portu duo magna nauigia ſaxis ingentibus plena depreſſerunt: addita atrociore pœna ſi quis in poſterum repurgare conaretur. Id temporis & Theodorus Triuultius Caſtelletum dedidit Gallo non ſatis fidus aut certè dux ignauus (vt à pleriſque inſimulabatur) qui rebellionis initia non repreſſiſſet, aut rebellionis conſcius ſuccreſcere permiſiſſet. Deditum Caſtelletum Genuenſes à fundamentis penitus euerterunt & nouam adminiſtrationis formam de qua prius ſub nomine libertatis egerant, Andrea Auria authore induxerunt, vt quadringenti primarij ciues magiſtratus honoratiores, præſertim verò ducem in biennium crearent, decreuerunt, abrogata lege, qua ad ſummum illum magiſtratum viri nobiles aſpirare prohibebantur: ad quem vt omnes in poſterum peruenire poſſent, noua lege ſanxerunt, vt factionem inter nobiles, ac populum omnino tollerent: quemadmodum & Guelforum, ac Gibellinorum, atque Adurniorum & Fregoſiorum factiones penitus ſuſtulerunt; viginti octo illuſtriores nobilioreſque familias delegerunt: cæteras, in primis autem Adurniorum, & Fregoſiorum prorſus extinxerunt, & in populi ordinem redegerunt, vt nullum, quod ad magiſtratus capeſſendos attinet, inter ciueis diſcrimẽ eſſet. Sic temporis progreſſu factionum omnium, ſeditionúmque memoriam ſimul extinctum iri cenſuerunt: nullæ tamen maioris momenti deliberationes ſine Auriæ conſenſu ratæ erant; ad quem maiora quæque negotia perinde, atque antea ad ducem, vel propter viri naualibus victoriis clariſſimi exiſtimationem, vel propter duodecim triremes Cæſaris ſtipendio affectas, quæ nullo inſtante bello in portu Genuenſi ſtatiua habebant, referebantur. Quam authoritatem facilius Auria conſeruabat, quod pecunia publica illius mandato non impendebatur, eam enim nullo modo attingebat: quod de Duce, cæteriſque magiſtratibus creandis, déque rebus etiam minoris momenti non laborabat, neque ſe interponebat. Ita ciues in pace agentes, & mercaturis faciendis potius, quam ambitioni dediti, ac malorum priſtinorum memores illi ſponte ducis authoritatem tribuebant; ſibi nomen dumtaxat retinebant. Id ille longè ante concupierat, idcircóque à Gallo ad Cæſarem defecerat: Ducis nomen reiiciebat, potentiam magna prudentia ſibi reſeruabat.

Genuenſes Caſtelletũ ſibi deditũ à fundamentis euertunt.

Per eos fere dies claſſis Gallica cum Auriana inter Monoecum portum, & Niceam Allobrogum conflixit: Auriana vna triremis depreſſa eſt. Monteianes, ac Villacerra agreſtium hominum cohortis dux cum quinquaginta equitibus, duobus peditum millibus Vitada, quæ duobus & viginti paſſuum millibus Genua diſtat, ſub Veſperam duabus ante Solis occaſum horis profecti Genuam contenderunt, vt Andream Auriam in ſuo palatio, quod ad mare ſitum fere ad vrbis muros vſque pertingit, comprehenderent: ſed eò pedites ob longum iter noctu haud peruenire potuerunt, clara iam luce appulerunt; idcirco tumultu oborto Auria poſtico oſtio euadens in ſcapham deſiliit, & ſe ad triremes ſuas recepit, neque poſtea ibi ſine præſidio pernoctauit. Galli palatio direpto ad Borbonium Paulinum Comitem nuſquam laceſſiti reuerterunt. Hoc ipſo tempore bis mille Hiſpani pedites à Cæſare Genuenſibus ſubſidio miſſi Genuam appulerunt, quos Genuenſes ſe ſuis viribus facile tueri poſſe confidentes, & ab hoc militum genere nihil egregium ſperantes alioqui Hiſpanis infenſi in vrbem recipere noluerunt: erant enim tirones prope inermes, veſte vili, ſparteiſque calceamentis contemnendi: eoſdem tamen Antonius Leua per Ludouicum Barbianum, cui à Bello Iocoſo oppido cognomen erat, & Ticini à Lautrecio captus, atque in Genuenſem arcem miſſus non ita pridem euaſerat, accerſiuit, fortique ipſorum opera vſus eſt, cui ne iungerentur Borbonius Paulinus Comes impedire voluit; at Vrbinas Gallis ſẽper iniquus in alia ſententia erat. Et Veneti ab Andrea Nauagerio ſuo apud Cæſarem legato, qui nuper ex Hiſpania redierat, perſuaſi, & an cum Cæſare conuenirent, 18

Andrea Auria palatium à Gallis diripitur.

hæſitantes

hæſitantes tametſi tandem poſt multas diſceptationes in fœdere perſeuerarunt, frigidè in bellum incumbebant. Nondum propter Auerſanam Cæſarianorum victoriam, ac Salaſſi cum Arauſio factum fœdus regnum Neapolitanum à bellis conquieſcebat: etenim Simo Romanus quem cum centum quinquaginta leuioribus equitibus, quingentis Corſis peditibus Acerra, quæ ſeptem paſſuum millibus Neapoli diſtat, in Calabriam Lautrecius miſerat, Barolum per arcem inuaſerat; & copias ita auxerat, vt non contemnendæ viderentur: cui plerique alij, ac poſtremò Rentius Ceres, ac princeps Melfitanus ſe adiunxerunt, quas vt magis augerent, & Cæſarianum exercitum in regno Neapolitano vſque ad æſtatis initium retinerent, Rentio pecuniam Rex Franciſcus numerandam curauit. Et Veneti poſſeſſas vrbeis retinere cupiebant, ac duodecim triremes in bellum promittebant; quas vt impenſis ſuis armarent, impenſáſque ex octoginta nummûm aureorum millibus, quæ contribuere Lautrecio polliciti erant, deducerent, Franciſcus inſtabat. Illi recuſabant: Anglus quod promiſerat, ſe perſoluturum confirmabat: Florentini in tertiam Rentianarum copiarum partem ſtipendium pollicebantur. Interim Arauſius Federicum Caietanum, Ferdinandum Vrſinum Grauinæ, atque Henricum Pandonium Bouiani regulum Bonifacium Oriæ oppidi in Salentinis dominum; & quatuor Neapolitanos viros nobiles capite plecti, eorúmque bona fiſco adiudicari iuſſit: quibus ſuppliciis, mulctíſque & in aliis vrbibus aduerſus eos, qui Gallos ſequuti erant, vtebatur. Abſentium pariter bona Cæſari adiudicabat, indéque vt maiorem pecuniam in militum ſtipendium conficeret, nullum exactionis, crudelitatíſque genus omittebat, quorum omnium Hieronymus Moronus arbiter erat, vnde & Bouianũ in præmium accepit. Sub huius anni finem Aquila propter Cæſarianorum iniurias, vrbis Pontifice, ac Montorio Comite perſuadẽtibus, ad fœderatos defecit. Anno 1529.

19 Sequitur annus huius ſæculi viceſimus nonus, cuius initio Cæſariani ne propter Aquilæ, ac Matrices defectionem, coactáſque in Appulia copias bellum renouaretur, vt Vaſtius cum peditibus Hiſpanis in Appuliam, Arauſius cum Germanis Aquilam contenderet, decreuerunt. Quum Aquilæ appropinquaret Arauſius, qui à fœderatis ſtabant, inde receſſerunt: quapropter Aquilanos, & totius eius agri incolas centum nummûm aureorum millibus mulctauit, Matrice quoque deditionem fecit: in Appulia res longè difficiliores erant. Barolum Regis Galli nomine inſiderant Rentius Ceres, Melfitanus princeps, Federicus Carrafa, Simo Romanus, Camillus Pardus, Galeatius Farneſius, Ioannes Conradus Vrſinus mons, fanúmque Angeli, Nardum Hydruntini agri, caſtrúmque Gallis parebant. Tranium, Pulinianum, Monopolim Veneti poſſidebant, quibus bis mille pedites, ſexcenti Epirotæ equites præſidio erant: Barolum vrbem & ſitu, & hominum induſtria, & firmo præſidio valde munitam aggredi non auſus Vaſtius Monopolim, cui Camillus Vrſinus, ac Ioannes Velturius legatus præerant, menſe Martio circumſedit. Quatuor duntaxat Hiſpanorum peditum, Italorum millia duo in caſtris habebat: nam bis mille quingenti Germani in Appuliam tranſire noluerant, in Samnio remanſerant. Monopolis mari tribus ex partibus cingitur: quarta, qua terram attingit, muro trecentorum paſſuum, foſſáque munitur: hic vnum ad maris littus duo ſatis magno interuallo ſeparata propugnacula Vaſtius erexit: quæ portam ad mare, ipſúmque adeo mare ſibi obnoxium reddebant, perficiebántque ne commeatus, aut auxiliares milites in vrbem immitterentur. Aprilis initio quum murus ſatis lata ruina proſtratus fuiſſet, oppugnationem indixit: repulſus quingentos, aut paulò plures milites, & magnum foſſorum numerum amiſit; & quod tormenta ex vrbe exonerata ſuis plurimum nocerent, mille quingentos paſſus retrocedere coactus eſt. Tum Veneti vrbe egreſſi tria illa propugnacula percurrerunt, & aliquot ex hoſtibus trucidarunt, nouúmque ad ſuum portum extruentes viam triremibus auxiliariis aperuerunt: paulo poſt nihilominus Vaſtius ad priora caſtra rediit, murúmque ita perrupit, vt vix quatuor pedes è terra emineret.

Monopolis à Vaſtio oppugnata, nec expugnata.

20 Sub finem Maij nouum militum ſubſidium Monopolitanis à Rentio ſummiſſum certior factus obſidionem ſoluit: at Barolitanum præſidium, collectíque cum Rentio milites magnas prędas faciebant; & pedites quibus præerat Federicus Carrafa è monte Angeli deſcendentes Seueri fanum ceperunt ac vico opem ferentes Cæſarianos obſidionem ſoluere coegerunt: deinde idem Carrafa militibus in aliquot nauigia impoſitis Lancianum, quod Cæſariani centum ſexaginta cataphracti equites inſederant, petiit, víque cepit: trecentos militares equos, magnam item aliam prædam reportauit, neque vllum ibi præſidium reliquit: multi quoque exules vndique prædas agebant, vt vix indictam pecuniam Cæſariani exigere poſſent. Melfitam præterea Melfitanus princeps cepit; vbi Federicus Carrafa lapide ictus cecidit. Et Veneti Brunduſium receperunt, ſed in arcis oppugnatione Simo Romanus tormenti pila diſcerptus eſt: quod ſi aliquantam pecuniam, modicaque

Brunduſium in Venetorũ poteſtatem redit.

que auxilia Franciſcus Rex ſummiſiſſet, haud dubium quin Cæſarianos in magnas diffi-
cultates conieciſſet. Interim in Gallia Tranſalpina bellum quoque, ſed frigidè continua-
batur: Borbonius Paulinus Comes Serauallem ſub finem Martij cepit; arcis præfectus ſe
neutram in partem inclinaturum pollicitus eſt: at quum Serauallem ex inſidiis Cæſariani
recepiſſent, Ludouici Barbiani Hiſpanos Mediolanum properanteis Borbonius impedire
deſperauit: præſertim quod milites ſtipendio non exoluto quotidie dilabebantur: non
multam enim pecuniam Franciſcus mittebat. Et Borbonius dux non admodum proui-
dus, neque prudens bonam eius partem in priuatos vſus impendebat, nec minorem Regij
miniſtri auertebant. Quò vires ſuas conuerterent inter Regem, Venetoſque diſceptaba-
tur: Genuam Rex inuadere cupiebat, quæ ne in eius poteſtatem veniret Venetos metuere,
& callidè impedire ſuſpicabatur. Veneti paucos milites cum Antonio Leua remãſiſſe op-
ponebant, occaſione vtendum, Mediolanum oppugnandum; quo recepto communes co-
pias Genuam profecturas. In hanc ſententiam itum, & vt ſedecim peditum millia conſcri-
berentur, decretum, quibus dimidiatum Rex, dimidiatum item Veneti ſtipẽdium pende-
rent. Hæc deliberatio menſe Martio Vrbinate abſente facta eſt, qui ſe Vrbinum receperat:
quod Arauſius cum Germanis capta Aquila progreſſus fuiſſet, nec longè à Romani agri
finibus abeſſet. Eum rurſus Veneti ad ſtipendium ſuum iiſdem conditionibus, quibus cum
Nicolao Petiliano, Bartholomæóque Liuiano conuenerant, reuocarunt, & trecentos equi-
tes, ac tria peditum millia ad Vrbinatis agri præſidium, vti tenebantur, miſerunt; quibus
Ianus Fregoſius præfuit. In Venetorum exercitu ſexcenti inerant cataphracti equites, le-
uiores mille, peditum quatuor millia. hi Caſſianum octauo Idus Aprilis ceperunt.

Hoc fere tempore Hiſpani Ludouico Barbiano Duce Genua profecti Mediolanum ac- 21
ceſſerunt, aduerſum quos, ne Antonio Leuæ iungerentur tam multa hyeme Paulinus Co-
mes, Venetique moliti erant. & de illorum itinere Sfortiam Venetóſque Paulinus Comes
certiores fecerat, ac centum quinquaginta cataphractos equites obuiam miſerat. Veneti
vno die tardius, ac minore, quàm polliciti erant, à numero ſuos ad Sfortiam miſerunt: ſed
quod Placentinorum lembis Padum Hiſpani tranſmiſerant, nec tam difficile iter ſuſce-
piſſe videbantur niſi tutum ad Placentiam receptum ſperaſſent, id verò Clementem Pon-
tificem ad Cæſarem inclinare fœderatis ſuſpicionem iniecit. Nec fruſtra: ſuos enim Flo-
rentiam reducere cupiebat, quod ſe à Cęſare potius, quam à Gallo impetraturum ſperabat:
& Cęſaris felicitas, auctáque in Italia potentia nutantem ad ſe pertraxit. Hinc Franciſcum
Campanum in Angliam ad Cardinalem Campegium miſit, vt diploma de diuortio Hen-
rici Regis cum Catharina Cæſaris matertera faciendo incenderet, cuius cognitionẽ Cam-
pegio ipſi, Cardinalíque Eboracenſi attribuerat. Id propter morbum Clementis Campe-
gius hactenus diſtulerat: nouo mandato accepto quod diſtulerat, re præſtitit: quapropter
diuortij cauſam ad Romanum forum, quod illi Rotam vocant, Clemẽs reuocauit, magna
Henrici indignatione, qui diploma à Campegio repetens flammis datum intellexit: quam
etiam in Cardinalem Eboracenſem conuertens (hunc enim ſi matrimonium Henrici cum
Anna Bolana probaſſet à Clemẽte, quicquid petiiſſet, impetraturum iudicabat) rapta om-
ni ſupellectile, quæ magni pretij erat, eundem Regio comitatu expulit, & in Pontificatum
ſuum abire iuſſit exiguo ſacerdotiorum ſuorum prouentu fruiturum (treis autem Ponti-
ficatus poſſidebat & Angliæ Cancellarius erat) deinde inimicis eius aurem præbens, qui
Regem ex priuatis ſermonibus Cardinalis deſiderio affici notarant, hominem ad dicẽdam
cauſam ob deprehẽſas ad Franciſcum Regem datas literas, aut alia ex occaſione in aulam
pertrahi imperauit. Is inter eundum ſanguinis fluxu vexatus, & vel metu correptus, vel in-
dignatione accenſus expirauit, quid in principum aulis fortuna, aut inuidia poſſit, inſigne
exemplum præbiturus: multos enim annos ita Henricum ſibi deuinxerat, aut quodã mo-
do poſſederat, vt non quod ipſi, ſed quod Cardinali collibuiſſet, ratum eſſet.

Cardinalis Eboracenſis Angliæ Cancellarius Regis matrimonium approbare nolens Regio comitatu expellitur ac paulò poſt moritur.

Per eos dies duo viri nobiles, quos Margarita amita pacis conciliandæ ergo ad Cæſa- 22
rem miſerat, ex Hiſpania in Flandriam cum mandatis ampliſſimis reuerterunt. Pacem op-
tabat Rex Franciſcus, ſine qua de liberis recipiendis prope deſperabat. Ab ea non alienus
erat Cæſar vt facilius in Italiam ad coronam Imperatoriam accipiendam tranſmitteret,
bellum nihilominus continuabat Paulinus Comes fanis Angeli, Columbaniq́ue captis; &
quod quatuor duntaxat peditum millia Mediolano præſidio erant, de eodem oppugnãdo
cogitabat, cum Mortaria tormentis vehementer concuſſa ſexto nonas Maij deditionem
feciſſet, & Torniellus relicta Nouaria arce tamen retenta Mediolanum conceſſiſſet: nihil
enim intra Ticinum præter Goiam, atque Abiati arcem Cæſariani poſſidebant. Igitur ad
Bellum Iocoſum Mediolanenſis agri oppidum Paulinus Comes, atque Vrbinas colloqu-
ti Mediolanum duobus exercitibus circũſedere ſtatuerunt, Venetis ſe duodecim peditum
millia,

millia, Paulino octo, cui Sfortiani ſe adiungere debebant, in armis habere iactantibus. Hac ſpe ſuperato Ticino Abiatum à ciuibus relictum Paulinus Comes ingreſſus arcem certis conditionibus recepit: inde Gazanũ octo paſſuum millibus Mediolano diſtans progreſſus iterum ad Binaſcum de Mediolani oppugnatione tertio nonas Iunij cum Vrbinate communicauit: & quum Venetos ſex dũtaxat peditum millia in caſtris habere compertũ fuiſſet, re ad Sfortiã relata Vrbinas Germanos Fœlice præfecto in Italiam accerſiit, Andream Auriam ad deducendum in Italiam Cæſarem ſexto Idus Iunij Genua ſoluiſſe, & in Hiſpaniam nauigaſſe obtendens an Mediolanũ, an vero Genuam oppugnare debeãt, ſe dubitare profeſſus eſt: re vera omnia ad pacem inclinare animaduertens Venetos qui Bergomum muniebant fruſtra de Mediolano recipiendo laborare, eáſque impenſas inutiles fore monuerat. Tempus itaque ducẽs vt Veneti ad Caſſianum, Sfortia ad Ticinum, Galli ad Abiatum caſtra haberent, commeatúmque Mediolanũ importari prohiberent, ſuaſit; à qua ſententia dimoueri haud potuit: vnde Paulinus mandatum à Rege habere declarauit, vt niſi Mediolanum oppugnaretur, Genuam contenderet, ſe Abiati remanſurũ negauit. Genuam iter intendit, duodecimo Kal. Iulias Landrianum duodecim paſſuum millibus Mediolano diſtans petiit. Nocte conſequente violenti imbres horrendis tonitruis miſti ita vicinum fluuium auxerunt, vt tormenta traiici non poſſent, atque ibidem poſtridie ſubſiſtere cogeretur: die tertio Ticinum adire cupiens Guidum Ranconum cum prima acie, & bona impedimentorum, tormẽtorúmque parte præmiſit: ipſe cum media, poſtremáque tardius inceſſit. Antonius Leua vel coniectura adductus, vel de hoc conſilio per exploratores pridie certior factus, quos inter Italos noſtri exercitus habebat, noctu ſuos albis tunicis indutos Mediolano eduxit hoſteis perſequuturus: cuius fortuna conatum adiuuit. In itinere erat Paulinus Comes, tormentorum currus fracto axe lutulenta via conciderat: ad id ſubleuandum, axémque alium ſupponendum, non ſolum pedites operam nauabant, ſed & plerique ex nobiliſſimis equitibus in pedes deſilierunt: cui operi intentos, & nec opinanteis Leua aggreſſus eſt. Huic Paulinus Comes relicto equo cum bis mille quingentis Germanis peditibus ſeſe oppoſuit, & fortiter pugnauit: ſed Germanis poſt leuem conflictum cedentibus, & ſe Germanis Cæſarianis dedentibus (etenim ex ea Germaniæ regione quæ citra Rhenum eſt, nec magnam Germanicæ fortitudinis exiſtimationem habet, collecti erant) in equum reſilire coactus eſt; ac dum latam foſſam equi ſaltu ſuperare conatur, captus eſt. Ioannes Thomas Galleranus, ac Ioannes Hieronymus Caſtilio Italorum peditum præfecti obliqua via ſe ſubduxerunt: Galli ſoli relicti aut ceciderunt, aut capti ſunt, aut fuga ſalutem quæſierunt. Capti ſunt & Lignacius, Carbo, Claudius Ranconus, aliique nonnulli equitum vel peditum præfecti. Prima acies, ac fere omnes Galli equites duce Annebaldo Ticinum primum, deinde paulò ante noctem Laudem Pompeij ſe receperunt, vnde in Galliam reuerterunt.

Franciſcus Borbonius Paulinus Comes captus.

23 Poſt infelicem hanc Gallorum cladem, aut potius fugam, neque enim multi ibi perierunt, quæ magna Paulini Comitis imprudentia accidit, à bellis in Italia ceſſatum, principum omnium animi ſe ad pacem conuerterunt. cum Clemente Pontifice conuenire cupiebat Cæſar, ne quid profectionem ſuam Italicam interturbaret: quicum vt magis in gratiam rediret, & vt Clemens acceptas à Cæſariano exercitu iniurias, detrimentáque ſempiterna obliuione tranſmitteret, poſtulata eius fere omnia admiſit. Res in hæc fere capita Barcinone acta eſt: [Inter Clementem Pontificem, Cæſarémque perpetua pax,

Fœdus inter Clementem ac Cæſarem.

„ amicitiáque eſto. Si Cæſarianus exercitus è regno Neapolitano migrare volet, per om-
„ neis Romani Pontificatus ditiones liberè tranſito. Alexandro Laurentij Medicis Vrbi-
„ natis reguli filio Margaritam filiam notham Cæſar deſpondeto: nouæ nuptæ viginti
„ nummûm aureorum millia annua doti dicito: generum in priſtinum ſtatum, quo ma-
„ iores eius, antequam Florentia pellerentur, fruebantur, reducito. De reductionis im-
„ penſis Pontifex, Cæſárque conſentiunto: in poſſeſſionem Ceruiæ, Rauennæ Mutinæ,
„ Rhegij, Ruberiæ Pontificem Cæſar vel armis, vel alia via reſtituito; ita tamen vt ne quid
„ de Romani Pontificatus, aut de Germanici Imperij iure decedat. Reſtitutus Pontifex
„ Cæſarem regni Neapolitani nomine in fidem recipito: præſtitæ fidei munus equum al-
„ bum veteris cenſus loco accipito. Pontifex, ac Cæſar, vbi in Italiam appulerit, colloqun-
„ tor, & de Italiæ tranquillitate, atque adeo de vniuerſi Chriſtianiſmi pace pertractan-
„ to. Si Ferrariam recuperare volet Pontifex, eidem Cæſar tanquam princeps Romani
„ Pontificatus propugnator cum omnibus ſuis viribus adeſto: de belli impenſis, genere,
„ & iis, quæ conſequentur, vt tempora ferrent, conſentiunto. De Franciſci Sfortiæ Mediola-
„ nenſis reguli læſæ Maieſtatis rei cauſa iudices ab vtroque ſelecti cognoſcunto, vt vel ab-
„ ſolutus in integrum reſtituatur, vel conuictus principatus amiſſione mulctetur. quod

poſterius ſi acciderit, alium Cæſar de Pontificis conſenſu, & vt Italiæ tranquillitas poſtu- „
labit, Mediolanenſibus præficito. Vt Ferdinandus Hungariæ Rex Mediolanenſes è Cer- „
uiæ ſalinis ſalem quoad Clemens vixerit, & biennium poſt eius mortem, accipere permit- „
tat, Cæſar frater procurato: quemadmodum fœdere inter Leonem Cæſarémque inito ſan- „
citum, & poſtrema regni Neapolitani accepta fide confirmatum fuit: ita tamen vt factæ „
cum Gallo Rege pactiones non comprobentur, & ne quid de Germanici Imperij, Hun- „
garique Regis iure decedat. Neuter nouas ſocietates, fœderáue aduerſus hoc inito, præ- „
ſertim quod ad res Italicas attinet, neque iam inita obſeruato. Veneti nihilominus in fœ- „
dus admittuntor, ſiquidem poſſeſſis in regno Neapolitano vrbibus cedent, & poſtremo „
fœdere quod cum Cæſare, Ferdinandóque fecerunt, ſtabunt, promiſſáque facient, & Cle- „
menti Rauennam, Ceruiamque reſtituent. Lutherianos, cæteróſque nouarum ſectarum „
authores ad veterem perſuaſionem Cæſar, Ferdinandúſque reducunto: ſin minus id à „
pertinacibus obtinere poterunt, armis cogunto. Clemens remediis ſacro ciuilique iure „
præſcriptis vtitor, cæteróſque principes vt in hoc pium opus pro viribus incumbant, hor- „
tator. Neuter alterius clientes vſurpato, eorúmue ſe propugnatorem conſtituito: propu- „
gnationes aliter conceptæ intrà menſem irritæ habentor.] „

Vt hæc ſocietas inuiolata permaneret, Alexandri Medicis quem vnicum ſuæ familiæ heredem inſtituere Clemens decreuerat (namque Hippolytum Iuliani filium Cardinalitio galero donarat) Margaritæque Auſtriacæ matrimonium ſupra commemoratum poſtea celebratum fuit. Id temporis, & de aliis rebus, ſed capitibus ſeparatis conuenerunt, nempe vt Cæſari, Ferdinandóque quartam fructuum partem, qui è ſacerdotiis prouenîebant, percipere Clemens permitteret: quemadmodum paulò ante Adrianus Pontifex permiſerat, vt ad bellu n Turcis inferendum paratiores eſſent. Vt omnibus qui in Pontificem, Pontificiáſque ditiones deliquerant, eaſdem expilarant, expilandis aſſenſerant, Clemens eam culpam condonaret, eoſdémque ſacris Chriſtianis reſtitueret: vt cruce ſignatorum diploma quod Cæſari minus amplum quàm ſuperiora Clemens conceſſerat, idcircóque id edere Cæſar diſtulerat, ea forma idem Clemens concederet qua antea & à Iulio & à Leone conceſſa erant. Vbi de his capitibus omnibus conuenerunt, tametſi nondum ſubſcripſerant, nuntium de ſuorũ victoria, & de Franciſco Borbonio Paulino Comite capto Cæſar accepit, vnde nonnulla commutaturum quidam ſuſpicabantur: at is ſtatim illo ipſo die, qui tertius Kal. Iul. fuit, ſubſcripſit & ad maiorem Barcinonenſis ædis aram ſacramento ſanctiore confirmauit. Hoc ipſo tempore vt Cæſari Rex Franciſcus reconciliaretur per mulieres magna diligentia procurabatur, vt vetus mos olim in Gallia vſitatus renouari videretur: mulieres enim in concilia magnis de rebus conuocata apud Gallos admitti Iulius Cæſar litteris mandauit, & Franciſcus mulieribus nimis addictus huiuſmodi conuentus facilè comprobauit: Cameracum (Somarobrinam à fluuio, vel fluuium ab vrbe antiqui vocarunt) ſeptimo Idus Iulias Ludouica Sabaudiana Franciſci mater, ac Margarita Auſtriaca (quam Flandricam vulgò appellabant) Cæſaris amita conuenerunt, magna pompa vrbem diuerſis portis inierunt: Heleonoram Cæſaris ſororem cum Ludouica Cameracum iniiſſe falsò ſcribit Iouius: neque enim tum, ſed anno proximo Heleonora in Galliam acceſſit. ad domos duas contiguas, vnde vnius ad alteram priuatus aditus patebat, diuerterunt, atque illo ipſo die ſimul colloquutæ ſunt. Eodem & Londinenſis Pontifex, ac Suſfolcius regulus (Angli enim Regis conſenſu hic conuentus indictus erat) eodem Capuanus Pontifex à Clemente miſſus, necnon & fœderatorum legati acceſſerunt: quanquam iſtis, quæ pertractabãtur, aliter quàm inter nobiles matronas conuenerat, renũtiabantur. Franciſcus enim, ſi cum Cæſare non conueniret, bellum continuare in animo habebat: idcirco fœderatos vana ſpe alebat, & nullum fœdus, niſi eodem comprehenderentur, ſe initurum prædicabat: liberorum enim recuperandorum cupiditas his ſimulationibus vti cogebat. Decimo Kal. Auguſti fœderis inter Clementem Pontificem Cæſaremque initi nuntius Cameracum perlatus eſt, qui hunc conuentum admodum perturbauit. Margarita enim tum ſibi magis fidens nonnullas minoris Burgundiæ vrbeis, Axonam in primis pertinacius repetiuit, vt Ludouica de reditu cogitaret. 24

Pacificatio inter Franciſcum ac Cæſarē à nobilibus matronis promoueri cœpta.

Cameracenſe fœdus.

Tandem & Pontificiis & Anglicis legatis cohortantibus in hæc capita conuenerunt: 25
[Nempe vt Franciſcus Rex duodecies centena nummûm aureorum millia Cæſari pro „
recipiendis liberis numeraret. Quicquid Maria Luceburgenſis Vindocini reguli mater „
in Flandria, Atrebatibus, Brabantia, Hannonia, quicquid item Mompenſerianus regulus „
in iiſdem regionibus poſſidebat, pro quadringentis nummûm aureorum millibus Cæſa- „
ri idem Franciſcus oppigneraret, aut oppignerandum curaret, quas poſſeſſiones Cæſar „
pretio intra præſcriptũ tempus reſtituto veteribus dominis redderet: altera quadringenta „
millia

„ millia Cæſaris nomine Anglo exolueret, pro quibus mutuo acceptis Odomari Fanum, atque Æriam ſe Anglo oppigneraturũ Cæſar promiſerat, nec promiſſum fecerat. Quingenta item millia eidem Anglo dependeret, quam mulctam ad Anglũ diuertens dum in Hiſpaniam poſt Ferdinãdi aui mortem nauigat ſibi Cæſar impoſuerat, niſi Mariam Angli filiam in matrimonium acciperet: poſtea enim Iſabellã Emmanuelis Luſitani Regis filiam vxorẽ duxit. Porro lilij florem auri puri puti variis gemmis ornatum, quẽ Philippus Cæſaris pater Anglo oppignerarat, Cæſari reſtitueret: is à Philippo Burgundiæ regulo, cui Bono cognomen fuit, ad hæredes tranſmiſſus erat. Flandrici, Atrebatenſis, Aſtẽſis Comitatus patronatu cederet: ij enim tres Comitatus Gallico ſceptro olim obnoxij erãt. Iure quoque quod in Mediolanẽſem principatum, Regnúmque Neapolitanum Franciſcus ſibi vendicabat Cæſari pariter cederet: Caroli Borbonij Gallia pulſi poſſeſſiones ſibi commiſſas, vt prædicabat, legitimis hæredibus relinqueret. A Venetis poſſeſſas in regno Neapolitano vrbeis Cæſari reſtituendas curaret: ſin id obtinere non poſſet, ſe illorum hoſtem declararet: in quod bellum triginta in ſingulos menſes nummûm aureorum millia impenderet: duodecim triremes, quatuor maiores naues, totidem myoparones adderet ſtipendio in ſex mẽſes exoluto. Veneti, Florentiníque, ac Ferrarienſes in fœdus reciperentur modo intra quatuor menſes de omnibus controuerſiis cum Cæſare conuenirent, ita quodam modo excludi videbãtur. Virorum nobilium regni Neapolitani, qui Gallicas parteis ſequebantur, facta nulla mentio eſt. Poſtremo Heleonoram Cęſaris ſororẽ Emmanuelis Luſitaniæ Regis viduam vxorem duceret: ex qua ſi marem filium ſuſciperet, is maioris Burgundiæ hæres eſſet.]

26 Addita ſunt & alia quædam, ſed non magni momenti capita, quæ conſulto prætermiſimus: pax nonis Auguſti in maiore Cameracenſi æde proclamata eſt. Rebus ita compoſitis Guilielmum Bellaium Langeum virum doctum pariter ac militarem Franciſcus in Angliam miſit, vt cum Henrico de nongentis quinquaginta nummûm aureorum millibus, quorum ſupra mentionem fecimus, conueniret. Indignabatur Henricus quod ad conuentum Cameracenſem inuitatus non fuiſſet, tamen quod Catharinam vxorem Cæſaris amitam repudiare in animo habebat, æquiorem ſe præbuit. Cauſæ diuortij erant, quod Catharina Arturi Henrici Septimi filij natu maioris vidua Henrico, qui poſtea octauus Angliæ Rex dictus eſt, viri prioris fratri de Ferdinandi patris, ſocerique conſenſu Iulio Secundo Pontifice maximo authore nupſiſſet: eam veniam in gradu affinitatis tam propinquo Pontificem dare potuiſſe plerique viri docti negabant. alij aliter ſentiebant. Franciſci nihilominus authoritate, Langeíque diligentia perfectum eſt, vt viri doctiores Lutetiæ, & in cæteris, quæ tum in Galliis noſtris celebrabantur, litteratorum hominum collegiis, Bononiæ item, quæ Pontificiæ ditionis eſt, Patauij, Ticini diuortium probaretur, matrimonium Catharinæ ſecundum nullum eſſe pronuntiaretur: Henricus autem vt ſe erga Franciſcum non ingratum declararet quadringenta nummûm aureorum millia, quæ ex vicies centenis reſtabant, Franciſco in quinque annos æquis penſionibus ſoluenda credidit: eidem quingenta, quod Cæſar eius filiam vxorem non duxiſſet, promiſſa, Henrico verò Franciſci filio eius nomine è tinctionis lauacro ſuſcepto lilij florem dono dedit.

27 Sub Autumnum impura lues (ſudorem Anglicum plerique appellabant, quod hac lue Angli ſæpius laboraſſe traduntur) Belgium maximè, ſed & Germaniam inferiorem, ſuperiorem etiam cum magna hominum ſtrage inuaſit. Sudabant vehementer eo morbo correpti, deinde quum cohorruiſſent, febri acutiſſima cruciabantur: poſtremo niſi remedium adhibebatur, intra vertentem diem, hoc eſt, intra viceſimam quartam horam moriebãtur. Remedium erat vt ægroti in lectis decumbentes ſtragulis bene contecti nullum ventum ſentirent ſed ne ſpirantẽ quidem leuiter aërem haurirent. Tametſi autem victus ratio præſcribebatur, præcipuè tamen ne intra illas viginti quatuor horas ſomnum caperent, cauebatur: ſi qui cuſtodũ negligentia interim dormiebant, dormiendo interibant: quo de morbo plerique tum medici quemadmodũ & poſtea ſcripſerunt. Acceſſit & frugũ magna raritas præſertim in Flandricis, Gallicíſque prouinciis. hoc ipſo anno Rhodij equites ſeptennio ante Rhodo pulſi de Clementis Pontificis, Cæſaríſque conſenſu in Melitam inſulam commigrarunt. Cæſar cum ingenti claſſe, quæ mille equites, peditum nouem millia vehebat, totos quindecim dies marinis tempeſtatibus vehementer iactatus tandem pridie Idus Auguſti Genuam appulit, vbi de Cameracenſi pace certior factus eſt; quo temporè Fœlix Vintembergus cum octo Germanorum peditum millibus Galliam Tranſalpinã ingreſſus eſt. Huius bellici apparatus fama per Italiam diuulgata attoniti Florentini legatos ad Cæſarem miſerunt ſocietatem cum Gallo initam excuſaturos, & obſequia Germanis Imperatoribus exhiberi ſolita oblaturos. Cæſar, niſi prius cum Clemente conuenirent, per Cancellarium ſe cum illis nihil pertractaturum reſpondit: Florentinam ciuitatem

Sudor Anglicus.

Ingens Cæſaris claſſis, & eius Genuam appulſus.

Imperij fundum, quod cum ſuis hoſtibus ſocietatem coierit, ſibi commiſſam priuilegia omnia amiſiſſe. Miſit & Ferrarienſis: miſerunt quoque Veneti, quibuſcum actum mitius. Interim de Franciſco Sfortia, Venetiſque Cæſari reconciliandis, Florentinis autem bello perſequendis ſedulo Clemens per legatos agebat, & benignè audiebatur: Cæſar enim Clementi prolixè ſatisfacere, res Italicas componere, & ſe ad Solymano reſiſtendum comparare cupiebat, qui Hungariam ingreſſus Viennam Auſtriacam oppugnaturus ferebatur. Spellam igitur Arauſius Septembri ineunte, deinde Peruſiam deditione cepit, Florentiam petiturus (hunc enim ſui exercitus legatum Cæſar declararat) quibus paulò poſt Cortona, atque Aretium acceſſerunt. vnde Florentinorum bona pars, vt ſe Clementi permitterent, deliberarat, quibus Gõfalonnerius, aliquótque populares magiſtratus, ac temerarij adoleſcentes interceſſerunt: qui, ſi poſtridie Arauſius aliquantum progreſſus fuiſſet, ab ea pertinacia deſtitiſſent, nec intercedere auſi fuiſſent. tam parua occaſione fatale vrbis excidium vitari potuit! Et Florentiam nondum munitam ſine tormentis, ſiquidem acceleraſſet, facile capere potuiſſet: ſed tormenta à Senenſibus, Lucenſibúſque expectare ſimulans Florentinis autem aggerum erigẽdorum, vrbíſque muniendæ ſpatium dans bellum ducebat: ita vt nono Kal. Nouembr. caſtra in vicinis collibus locaret. Tum autem trecentos grauis, quingentos leuis armaturæ equites, bis mille quingentos Germanos pedites, bis mille Hiſpanos, ter mille Italos Sarra, Columna, Petro Maria Roſſo, Petro Ludouico Farneſio, Baptiſta Sabello ductoribus in caſtris habebat; & totidem mox Ioannes Saſſatellanus, atque Alexander Vitellius adduxerunt. Nec ita multò poſt, hoc eſt, paulo ante Kal. Nou. Clemẽs Bononiam prior ingreſſus eſt, quem magnorum principum morem nonnulli eſſe putant, vt qui authoritate præſtat, vrbem colloquio deſtinatam prior ineat. Et Clemens Bononiam ſuæ ditionis vrbem prior ingredi debere videbatur, accedentem Cæſarem excepturus; quò paucis poſt diebus Cæſar appulit, & vrbem triumphali pompa ingreſſus eſt. Venientem expectabat Clemens ligneo ſuggeſtu ad Petroniani templi veſtibulum erecto: vbi cum Cardinalibus, ac Pontificibus medius conſederat: eò Cæſar à duobus Cardinalibus per gradus deductus Clementem adorauit, & mox ad oſculum admiſſus eſt: deinde vbi pauca inter ſe contuliſſent, Cæſar ad maximam aram Deum Opt. Max. precaturus acceſſit. Clemens in palatium rediit, ad quod mox Cæſar ipſe diuertit ſolo pariete inter vtriuſque cubile interiecto: cuius exigua portula ſe mutuò adire, vnáque colloqui ſine arbitris poterant.

Magnorum Principum mos in ingreſſu vrbiũ ſeruari ſolitus.

Clementis & Cæſaris congreſſus.

Paulò antè Solymanum Viennenſem obſidionem ſoluiſſe Cæſar intellexerat: poſt multas enim impreſſiones ſuis ingenti ſtrage repulſis Octobri iam inclinante, qui illis in regionibus quaſi hyemis initium eſſe ſolet, quòd non ſatis magnam tormentorum ingentium copiam attuliſſet, Conſtantinopolim, quod trium menſium exercitui incedenti iter eſſe putant, redire coactus eſt, ſe proximo anno cum potentiore, munitioréque exercitu rediturum non ſemel iureiurando interpoſito comminatus. Viennæ conſeruatæ laudem Philippus Palatinus, Nicolaus Salina, qui Ticinenſi prælio, quo Franciſcus Galliæ Rex captus eſt, fortem operam præſtitiſſe ferebatur, Guilielmus Rochandulphus Regiæ Ferdinandi aulæ magiſter, Ioannes Caziauer cum aliis aliquot præfectis ſibi vendicarunt. Hi centum maiora ac currulia tormenta idoneis locis; trecenta autem minora quæ anſerini oui craſſitudinem exæquanteis pilas euomebant, in murorum corona collocarant. Commodè accidit quod autumnalibus pluuiis fluuios augentibus circiter Idus Septembris dumtaxat Solymanus Viennam appuliſſet, & bonam tormentorum partem ad Poſſonium amiſiſſet: vnde egreſſus Volfangus Hoderus cum iuſtis copiis, magnóque tormentorum apparatu, claſſem Turcicam aduerſo flumine Vienna contendentem vehementer oppreſſiſſet, & magnas pleraſque naueis vnà cum tormentis depreſſiſſet: cætera, quæ terra vehebantur, pugnis campeſtribus potius quàm muris perrumpendis idonea erant: alioqui Vienna in orbem ædificata nullis extantibus propugnaculis, ariſque circa muros extructis aggeribus facilè poſſe capi videbatur: tormentis ſuæ expectationi non ſatisfacientibus cuniculos Turcæ duxerunt, nec multum profecerunt, Germanis anticuniculos opponentibus: tentata igitur aliquot impreſſionibus Vienna ſupremam, eamque vehementiſſimam, Idibus Octob. Solymanus indixit: vnde Turcis magna ſua cum clade repulſis triceſimo obſidionis die inde migrauit, & Conſtantinopolim rediit. At Ferdinandus de Lutherianorũ tumultu, Solymaníque reditu ſollicitus fratrem, vt in Germaniam tranſiret, hortabatur: quinetiam Cæſar ipſe & ſumptui parcens, militum enim ingẽtem multitudinem in armis habebat, & quod Sfortiam ſociis Venetis principatu Mediolanenſi pelli non facilè poſſe ſperabat, ſe vtriſque æquiorem præſtitit: quem per ſe ſatis pronum magis, ac magis impellebat Clemens, vt cæteris reconciliatus vires ſuas omneis in Florentinos conuerteret: interim tamẽ Ludouicus Barbianus, quem Bononiam proficiſcens Antonius Leua

Leua legatum ſuum reliquerat, Fanum Angeli cepit. Et Germani Venetorum ditiones populabantur, nec idcirco cœpti de pace ſermones intermittebantur. Tandem Sfortia accepta liberè Cæſarē adeundi teſſera Bononiam ingreſſus, & ante Cæſarem conſtitutus ſe non cōmemorata teſſera, ſed innocentia fretum ad Cæſarem acceſſiſſe profeſſus eſt, & teſſeram ad Cæſaris pedes abiecit. quod illi in primis gratum fuit, eam ſemper ſuam fuiſſe mentem: Cæſaris clementiam atque humanitatem omnibus hactenus patuiſſe; ſe ſolum Piſcarij, atque aliorum quorundā malignitate ab hiſce aliquādò excluſum, precari vt cauſam ſuam cognoſcat, aut cognitores, quos volet, adhibeat; totū fere menſem in pertractanda Sfortiæ, Venetorúmque cū Cæſare reconciliatione impenderunt, vbi Clemens plurimū laborauit.

Veneti, & Sfortia cum Cæſare reconciliati.

29 Tandem decimo Kal. Ianuar. in hæc capita conuenerunt: vt nimirum Cæſari 400. nummûm aureorum millia intra annū 500. in decem conſequenteis annos ſingulis annis quinquaginta Franciſcus Sfortia penderet: ſibi Comum, arcémque Mediolanenſem Cæſar retineret: primi anni pecunia exoluta Sfortiæ reſtitueret, quem horum nomine in fidem recepit. eam ſummam vt conficeret Sfortia, & vt eos, qui Cæſari à conſilio erant, muneribus ſibi deuinciret, ingentia tributa non ſolùm Mediolanenſibus, ſed etiam totius principatus incolis fame, peſte, longo bello exhauſtis indicere coactus eſt. Veneti Clementi modo omnibus qui aliquid aduerſus ipſum machinati eſſent, aut re peregiſſent, veniam indulgeret, Rauennam, Ceruiámque, Cæſari quicquid in regno Neapolitano poſſidebant intra Ianuarium proximum ſe reddituros, & quod reliquum erat ex ducentis nummûm aureorum millibus Ferdinando Cæſaris fratri promiſſis, & quinto vltimi fœderis capite declaratis diſſoluturos, viginti quinque millia intra menſem, totidem pòſt ſingulis annis: exulibus ob fundorum ſuorum fructus quinque nummûm aureorum millia quotannis, Cæſari centum, intra decem menſes quinquaginta, totidem anno conſequente depenſuros polliciti ſunt. Conuenit præterea vt de iuribus Patriarchæ Aquileienſis Vormatienſi fœdere aduerſus Hungariæ Regem reſeruatis iudices, aut arbitri viderent: Vrbinas hoc fœdere comprehenderetur, vel quod ſe Venetis adiunxiſſet, vel quod eius propugnationem illi ſuſcepiſſent: Brunoro Gambaræ iidem Veneti reconciliarentur: quicquid Veneti modo poſſident, in poſterum poſſiderent qui ab anno huius ſæculi viceſimo tertio rebelles declarati eſſent, & Maximiliani aut Cæſaris, aut Hungari Regis parteis ſequuti fuiſſent, in integrum reſtituerentur, ita tamen vt eorundem bona publico ærario adiudicata hoc capite non continerentur, mutua pro Italicis ſuis ditionibus tuendis auxilia fœderati inuicem ferrent: Sfortiam quingentos grauis, totidem leuis armaturæ equites, ſex peditum millia, ac iuſtam tormentorum copiam vt Venetis opem ferat Cæſar in armis habiturum promiſit: idem Sfortiæ Veneti repromiſerunt. Si cui ex fœderatis bellum inferretur, hoſteis huiuſmodi, corúmue legatos, aut curſores per ſuas ditiones tranſire, inde commeatum aut aliud quippiam bello commodum auferre cæteri fœderati prohiberent. Si quis regnum Neapolitanum inuaderet, Veneti quindecim leuiores triremes bene, vt conuenit, armatas auxiliates mitterent: hoc fœdere omneis quorum propugnationem aliqui ex fœderatis ſuſceperunt, comprehenderentur, Ferrarienſis quoque modo cum Clemente Pontifice, ac Cæſare conuenerit. Cæſar milites omneis quos in Mediolanenſi principatu habebat, reuocauit, iis exceptis quos arci Mediolanenſi, ac Como præſidio reliquit, & vtrumque tempore præſcripto Sfortiæ reſtituit: quemadmodum & Veneti Clementi promiſſas vrbeis, Cæſari quicquid in Appulia poſſidebant, reddiderunt.

30 Nouum fœdus grauioris belli Florentinis inferendi cauſa fuit; in quos Cæſar de Solymano haud amplius ſollicitus quatuor Germanorum peditum millia Hiſpanos bis mille quingentos, trecentos leuiores equites cum tormentis viginti quinque ſummiſit, quibus Vaſtium Marchionem præfecit: ſed vbi ſe cum cæteris coniunxerunt, vniuerſis Arauſius præfuit, qui propter vel ignorantiam, vel rei difficultatem Florentiam potius obſedit, quàm oppugnauit, quæ obſidio in octo ſequentis anni menſes continuata eſt. Florentiæ præſidio erant nouem aut decem peditum millia, quibus Malateſta Baleonus præerat; Stephanus Columna ſecundum gradum obtinebat (equitum numerus ſiletur & paucos fuiſſe veriſimile eſt) ij in æde Nicolai poſt ſacram liturgiam rite celebratam ad vrbis propugnationem ſacramento ſe obligarunt: Neapoleo tamen Vrſinus ſtipendio accepto ſe ſubduxit, Braccianum rediit, ſéque Clementi, ac Cæſari reconciliauit. Clemens Pontifex nihil, quo ſuos Florentiam reduceret, prætermittens apud Franciſcum egit vt Claromontium Florentiam mitteret, qui quod Florentinis Franciſcus opem ferre non poſſet, excuſaret: paternam charitatem, vt pro liberis recipiendis multa inuitus concederet, impuliſſe: quin vt cum Pontifice, & Cæſare

Florentinum bellum.

ſi non æquis, at non omnino iniquis conditionibus modo ſcilicet libertas conſeruaretur, conuenirent, hortatus eſt. Sed quod magis Florentinos deterruit, Vignium legatum ſuum Florentia reuocauit, Æmilium Ferrerium hominem priuatum ne Florentini penitus deſperarent, reliquit. Clemens vt viciſſim Franciſco ſatisfaceret, Antonio Prato Cancellario per Tarbellenſem Pontificem (is poſtea Cardinalis Grandimontanus vocatus eſt) galerum Cardinalitium, nec ita multo poſt legationem Gallicam miſit. Quid autem hoc nomine vulgo deſignetur, libris ſuperioribus explicauimus. Vt bello Florentino citius finem imponerent, Pontifex ac Cæſar Senas proficiſci deliberarunt; inde Romam, vbi Cæſar Imperatoriam coronam acciperet. 6

Legationis Gallicæ nomine quid intelligēdū.

Sed hanc deliberationem Ferdinandus, atque Electores, cæteríque Germani principes interruperunt, & Cæſarem in Germaniam accerſierunt: Ferdinandus Romanorum Rex declarari, Electores Germanica comitia, cæteri principes vniuerſi Chriſtianiſmi concilium celebrari volebant: quibus aſſentiens Cæſar coronam Imperatoriam Bononiæ die Mathiæ dicato, qui illi natalis, ac fortunatus fuit anno huius ſæculi triceſimo populis vndique confluentibus accepit, neque magnas impenſas fecit, neque ingentem pompam aliorum more circumduxit ſemper mediocritate contentus. Antequam Bononia migraret Clementis, ac Ferrarienſis reguli controuerſias componere ſtuduit, qui apud illum ſe eius arbitratu ſtaturos compromiſerunt. Et Bononiam Ferrarienſis accepta liberè accedendi teſſera nonis Martij ingreſſus erat: Ferrarienſem Ducatum Pontificatus Romani fundum, ſi ſummo iure diſceptaretur, ſibi adiudicatum iri ſperabat Clemens, quod Ferrarienſis cliens aduerſus Clementem patronum bellum geſſerat, ac pleraque hoſtiliter patrarat: idcirco vt Ferrarienſis ea culpa ſibi remiſſa, Ducatum ſuum ex compromiſſo retinens Mutinam, Rhegiúmque Clementi reſtitueret, Cæſarem pronuntiaturum. Et Clementi Cæſar adhibito iureiurando promiſerat, ſi de eius in illas ciuitates iure liqueret, ſecundum Clementem pronuntiaturum: ſin ius obſcurius eſſet, & à Ferrarienſi ſtare videretur, præſcriptum compromiſſo diem expirare paſſurum. Vt autem Mutinam interim apud Cæſarem Ferrarienſis deponeret, conuenerat, in cuius gratiam Florentia legatum ſuum Ferrarienſis reuocarat, & foſſores aliáſque operas militares ad Cæſaris exercitum miſerat. Paucis poſt diebus, hoc eſt, decimo Kalend. Apriles Cæſar Bononia migrauit, quem Cardinalis Campegius Pontificius legatus comitatus eſt. Cæſari Clemens de cogendo vniuerſi Chriſtianiſmi concilio modo id ad conuincenda Lutherianorum impia dogmata conduceret, in Italia celebraretur, eidemque Cæſar intereſſet, aſſenſus eſt. Vbi Mantuam Cæſar appulit, acceptis ſexaginta nummûm aureorum millibus Ferrarienſem Carporum nomine in fidem recepit: Federicum Mantuæ Marchionem ducem creauit. Pridie Kal. Clemens Romam rediturus bello Florentino in eodem fere ſtatu remanente Bononia diſceſſit. Volaterræ enim ſe Clementi permiſerant, ac reconciliarant, arx in Florentinorum fide perſeuerarat, quam Cæſariani duobus maioribus tormentis, tribus minoribus (colubrinas vulgò appellant) à Genuenſibus acceptis quatiebant. huic opem ferre cupientes Florentini centum quinquaginta equites, quinque peditum cohortes Empolim miſerunt. Numerum auxit Franciſcus Perrucius Empolis præfectus, & cum bis mille peditibus quingentis equitibus arcem Volaterranam ſexto Kalend. Maias ſub veſperam ingreſſus eſt, atque illo ipſo die vrbis partem occupauit. Poſtriſtie Volaterrani quibus Ioannes Baptiſta Borgneſius, ſed cum paucis præerat, ſeſe dediderunt tormentis omnibus in Florentinorum poteſtatem redactis. At Perrucius Empoli ſatis munitæ (vt putabat) rarum præſidium reliquerat: qua occaſione vſus Vaſtius oppidum cum Hiſpanis circumſedit, & paucis amiſſis expugnauit; cuius amiſſio Florentinos mirandum in modum perturbauit. Etenim & ad commeatum Florentiam importandum, cuius iam magna penuria erat, & ad Cæſarianum exercitum illa Arni regione caſtra habentem inuadendum opportuniſſimum erat. Iunij initio Maximilianus Sfortia Ludouici maior natu filius, qui iure, quod in principatum Mediolanēſem ſibi vendicabat, Franciſco ceſſerat, Lutetiæ è vita exceſſit, & funere magnificè inſtructo in Carmelitarũ æde quarto Idus Iunias ſepultus eſt. Eodem menſe Annæus Mommorencius ſummus Regiæ aulæ magiſter, necnon Mareſchallus (vtrumque enim munus obibat) duodecies centena nummûm aureorum millia pro Regiis liberis redimendis Cameracenſi fœdere promiſſa ad Fannum Ioannis Lucenſis tulit: affuit & Briandus Angli legatus cum creditæ Cæſari pecuniæ ſchedulis. Quo tempore & Caſtulonenſis equitum magiſter cum Heleonora Cæſaris ſorore, & regiis liberis ad fontem Rapidum acceſſit. Margneris fluuius è Cantabrorum montibus defluens, & Gallos à Cantabris

Anno 1530.

Empolis à Vaſtio expugnata.

Maximiliani Sfortiæ mors Lutetiæ.

31

Cantabris ſeparans Fontis Rapidi muros alluit. è regione eſt Andaia Galliæ vicus, quo Mommorencius, Briandúſque conceſſerunt, & iiſdem fere ceremoniis, quibus Franciſcus cum ſuis liberis paulò ante permutatus erat, pecuniam quoque, & ſchedulas cum iiſdem liberis permutarunt, quæ ſigillatim enarrare ſuperuacaneum duximus. Heleonora cum liberis Regiis Kalend. Iunij Galliam ingreſſa eſt: venientibus obuiam Franciſcus, qui tum Burdegalæ agebat, proceſſit; & Heleonoram in Verienſi Veſtalium Claræ cœnobio non longè à monte Marſano Aquitaniæ oppido vxorem duxit, quæ anno proximo tertio nonas Martias Regiam coronam ad Fanum Dionyſij accepit; & Lutetiam magna pompa decimoſeptimo Kal. Apriles ingreſſa eſt.

Regij liberi redemtes & in Gallias remiſſi.

32 Vt ad rem Florentinam redeam capta Empoli Vaſtio ſe Fabricius Maramaldus adiunxit, & fere ſex peditum millia in armis habentes Volaterras circumſederunt, tormentíſque admotis quum circiter quadraginta muri vlnas depreſſiſſent, treis impreſſiones fecerunt: repulſi quadringentos aut paulò plures milites amiſerunt: quapropter murum deintegro tormentis pulſantes latiorem ſibi viam aperuerunt, & Hiſpanis, Italíſque mixtis grauiore quam antea impetu in vrbem irruerunt, ac maiore cum detrimento reiecti obſidionem ſoluerunt. Ferrucius Volaterris profectus Piſas ad conſcribendos milites properauit, in quo Florentinorum ſpes omnes collocatæ erant: graui enim fame laborantes extrema omnia experiri decreuerant: conſilium fortaſſe temerarium, niſi ad id ſuſcipiendum homines de ſalute deſperanteis neceſſitas adegiſſet: etenim per regiones à potenti hoſtium exercitu occupatas tranſeundum erat. Ferrucio cum parte exercitus prodiit Arauſius ne relictam adoriretur cum Malateſta Baleono clam pactus, vt Florentini ſuſpicati ſunt: inter ſancti Marcelli oppidum, ac Geminianum dimicarunt. Arauſius inter primos depugnans militis potius, quam imperatoris mortem obiit: at eius milites nihilominus victoria potiti ſunt, & Ioannem Paulum Ceritem, Ferruciúmque ceperunt. Quamuis autem Florentinis reliqua ſpes nulla ſupereſſet, & extrema fame laborarent, magiſtratus tamen in ſua pertinacia perſeuerabant, niſi peruicaces, vt neceſſitati cederent, Malateſta Baleonus vi quodam modo coëgiſſet: quem vel miſeræ ciuitatis contemplatio, vel potius vt tum ſuſpicio fuit, nimia in patriam Peruſiam redeundi cupiditas permouiſſe viſa eſt: quod paulò poſt à Clemente Cæſare etiam inconſulto impetrauit. Igitur quinto Idus Auguſti quatuor Florentinorum legati ad Ferdinandum Gonzagam, qui mortuo Arauſio, abſente autem Vaſtio copiis Cæſarianis præerat, acceſſerunt; quibuſcum poſtridie Gonzaga in hæc capita conuenit: nempe vt intra paucos dies in Cæſarianorum ſtipendium octoginta nummûm aureorum millia Florentini penderent: Clemens, ac Florentini Cæſari poteſtatem facerent, vt quam vellet, modo libertas conſeruaretur, Reipub. adminiſtrandæ formam præſcriberet: Clementi, eiúſque familiaribus factæ iniuriæ condonarentur, quouſque Cæſar ſententiam ſuam pronuntiaſſet; Malateſta Baleonus cum bis mille peditibus in vrbe remaneret. Bartholomæus Valorius Pontificius legatus Malateſta qui in Clementis gratiam redire magnopere cupiebat, ſubornato, & ſibi adiuncto conuocato de more in publicam aream populo, magiſtratibus metu aſſentientibus, vt decretum fieret, obtinuit, quo duodecim factionis Mediceæ ciuibus Reip. adminiſtrandæ ratio permittebatur; quam ad eam formam, quæ ante annum huius ſæculi viceſimumſeptimum obſeruabatur, reduxerunt. Cæſariani accepto ſtipendio in Senenſem agrum abierunt, Malateſta de Clementis conſenſu Peruſiam rediit, & Florentiam eius arbitrio regendam reliquit.

Vaſtius Volaterras nequidquã oppugnat.

Neceſſitas temeritatis ſuada.

Arauſius interemptus. Ioãnes Paulus Ceres, Ferruciúſque capti.

Quibus capitibus Florentini cum Cæſare conuenerint.

33 Mediceæ factionis magiſtratus partim vltionis cupiditate, partim quod ea Clementis mens eſſet, recentis pactionis ſenſum inuertentes, verba malignè ſequuti factas Clementi iniurias condonatas fatebantur: Reipub. factas condonatas negabant. Itaque ſex primarij aduerſæ factionis ciues capite mulctati, multi proſcripti, multi in carcerem conditi fuerunt: ea Clementis in ſuos populares clementia fuit. Cæſar duodecimo Kalend. Februar. miſſis in Germaniam litteris omnium ordinum conuentum Auguſtæ ad diem ſextum Idus Aprilis indixerat: decimo Kalend. Apriles Bononia profectus Mantuam, inde Oenipontem conceſſerat, vbi cum Ferdinando fratre aliquantum commoratus eſt; & interim Mercurius Cattinarius eius Cancellarius nuper Bononiæ Cardinalis creatus è vita exceſſit: in cuius locum Nicolaum Peronotum Granuellanum è minore Burgundia ſurrogauit: Idibus Iunij Auguſtam Cæſar ſub veſperam iniit; cui obuiam principes, qui illic coierant, proceſſerunt: inter Ferdinandum fratrem, Cardinalémque Campegium Pontificium legatum medius vrbem ingredi deſtinarat, ſed de more Imperij admonitus ſolus inceſſit. Moguntinus, ac Colonienſis Pontifices anteceſſerunt:

Auguſtanus conuentus.

Ferdinandus ac Campegius proximè ſequuti ſunt: poſtridie qui dies feſtus erat Corporis Chriſti memoriæ dicatus ſacræ liturgiæ interfuit operante Moguntino, cui principes omnes affuerunt Saxone, Lantgrauio, Luneburgicis fratribus, Georgio Brandeburgico Anhaldio exceptis: quamquam vt adeſſent, concionatoréſque ſuos dimitterent, Cæſar illis denuntiarat: qui in conciliis liberas eſſe ſententias, concionatores ſuos ante cognitionem cauſæ dimittere non poſſe reſponderunt.

Hoc controuerſiarum inter Cæſarem, ac nouæ perſuaſionis principes initium fuit, 34
quæ vltro citróque in Decembrem vſque agitatæ componi nullo modo potuerunt: & quoniam ab aliis fuſius explicatæ ſunt, eas meritò præterire poſſimus. Exitus huius conuentus fuit, vt Cæſar nihil in Chriſtiana perſuaſione immutari, veteres ritus obſeruari iuberet: Proteſtantes (ſic enim vulgo appellantur) illis ſtare recuſarent, & vniuerſi Chriſtianiſmi concilium depoſcerent, cuius initium Cæſar intra vertentem annum pollicitus eſt. Et vt indiceret, vehementer à Clemente contendit, quamquam Lutherianos, cæteróſque nouarum in religione rerum ſtudioſos concilium popoſciſſe viri prudentiores iudicabant; non quod id re vera expeterent (erant enim illorum pleraque dogmata antiquis conciliis damnata) ſed quod Clementem nunquam id aſſenſurum putabant, idcircóque ſe doctrinam ſuam maiore cum authoritate apud rudem populum defenſuros ſperabant. Conuentus Regis Romanorum creandi ergo ad diem quartum Kalen. Ianuar. Coloniam tranſlatus eſt. Interim Saxo (vt nuper dixi) Lantgrauius, cæterique Proteſtantes tam principes, quam liberæ ciuitates non quemquam inuadendi, ſed ſui tuendi ergo vndecimo Kalend. Ianuar. Smalcaldiæ fœdus ineunt: inde litteras ad Cæſarem ſe intellexiſſe ſcribunt concilium Auguſta Coloniam tranſlatum, vt Ferdinandus eius frater Romanorum Rex deſignetur: id aduerſus legem Carolinam introduci, quam Cæſar, ac ſeptemuiri Electores ſanctam, inuiolatámque conſeruare debeant; precari ne quid aduerſus libertatem Germanicam innouetur. Eadem fere paucis poſt diebus ad ſeptemuiros collegas ſcribit Saxo: Ferdinandíque deſignationi per Ioannem Federicum filium, ſuóſque legatos intercedit. At Coloniæ primo conuentu cauſas cur fratrem Romanorum Regem declarari cuperet Cæſar expoſuit, ſe quod variis regnis, prouinciíſque hæreditariis à ſe inuicem multum diſiunctis imperet, in Germania præſto ſemper eſſe non poſſe: rem Germanicam in lubrico eſſe conſtitutam propter ſubortas de religione contentiones, propter immenſam Solymani potentiam Germanorum ceruicibus ſemper imminentem, propter ruſticorum bellum, & alia pleraque id genus: ſe quidem Spiræ de illorum conſenſu Senatum inſtituiſſe, ſed pleroſque eidem non parere. Quapropter vt princeps deligatur, qui ſecundum à ſe locum teneat, pacem alat, improbos coërceat, vires externas (ſi fortè impendeant) repellat, neceſſarium videri: fratre Bohemiæ, Hungariæque Rege ſe non inuenire potiorem, cuius regna ſint aduerſus Turcicam immanitatem veluti duo Germaniæ propugnacula.

Smalcaldicum fœdus.

Anno 1531.

Ferdinandus Romanorum Rex declaratur.

Tiberis exũdatio tanta, quãtam nemo mortaliũ antea viderat.

Septemuiri Electores Saxone tamen abſente Ferdinandum Romanorum Regem no- 35
nis Ianuarij anni ſequentis declararunt, qui cum Cæſare, cæteríſque principibus Colonia Aquiſgranum profectus tertio Idus eiuſdem menſis ſacris Regiis initiatus eſt. Superiore menſe quum biduum pluiſſet & Tiberinas fauces ita vehemens Auſter occupaſſet, vt retrocedere amnis cogeretur, in mare ſe exonerare non poſſet, tanta fuit Tiberis exundatio quantam mortalium nemo, qui tum viuebant, antea viderat. Ea bonam vrbis partem operuit, & multos dies ædificiis inſultans miras edidit ruinas vt altera vrbis captæ facies repræſentari videretur: ſed & totum Latium eædem aquarum moles plurimis detrimentis affecerunt. Et in Friſiis, Batauis ac Zelandis poſt denſiſſimas pluuias triduo continuatas, horrenda tonitrua, terræ ingentes motus, colluctantium ventorum conflictum, Oceanus fractis aggeribus qui marinos æſtus coërcere ſolent, ſe in continentem effudit, & multa oppida, pagóſque abſorbuit: quam cladem turrium, templorúmque ſumma faſtigia ſupra aquam extantia teſtabantur. Sequentis anni initio ingens quoque terræ motus Luſitaniam afflixit: Vlyſſiponem in primis, & nonnullas alias vrbeis, ita vt Rex, & Regina, omnéſque adeo eius prouinciæ incolæ relictis domibus in tentoriis habitare cogerentur, & nihilominus terræ hiatus metuentes ſæpius locum mutabant. Aquiſgrano diſcedens Cæſar Bruxellas contendit, quem non ita multò poſt Maria ſoror Ludouici Hungariæ Regis bello Turcico quinquennio antè cæſi, vel ſuffocati, vxor adiit: eam mandata Flandricarum prouinciarum adminiſtratione in Margaritæ amitæ nuper mortuæ locum ſurrogauit; & quod reliquum huius anni erat, ibi traduxit. Nullis bellis ſtrepebat Chriſtianus orbis, hic tamen annus futurorum ſeminarium

Varij & inopinati caſus in Luſitania & Hollandia.

videri poterat: Cæſar Germanos vel ſibi, & inter ſe reconciliare, vel niſi Solymanum horruiſſet, nouæ perſuaſionis propugnatores vi cogere moliebatur. Gallus recentium fœderum iniquitate prouocatus, quod Flandriæ, Attrebatúmque patronatu, & regni Neapolitani, Mediolanenſíſque principatus iure cedere coactus erat (quamquam id iam ad Regios liberos matris Claudiæ morte transmiſſum erat) Gulielmum Langeum ad Smalcaldici fœderis ſocios principes, liberáſque ciuitates miſit, & de renouanda ſocietate, arctiúſque coëunda cum Anglo egit. Anglus à Cæſare abalienatus, quod diuortium eius cum Catharina amita Cæſar impediebat Gallo ſe facilè dedit. Erant & aliæ Galli de Cæſare querimoniæ, quod liberorum ſuorum domeſticos ad remum adegerat: quod Aſtenſem Comitatum antiquum Aurelianenſium regulorum patrimonium Franciſco abſtulerat, & mox Carolo Allobrogum regulo condonarat: quod adeo ægrè Franciſcus tulit, vt Allobrogem aliquot poſt annis ſuis ditionibus expulerit.

Quid cauſa fuerit cur Frāciſcus Carolum Allobrogem ditionibus ſuis expulerit.

36 Fœdus igitur primum cum Anglo ſui inuicem tuendi, non quemquam inuadendi ergo Franciſcus init; quo fœdere nihil conceptis cum Cæſare fœderibus derogabatur. Huius præcipuum caput fuit, quò cætera referebantur, vt ſi alteruter in ſuo regno ab hoſtibus inuaderetur, Gallus quingentos cataphractos equites Anglo auxiliares eius tamen ſtipendio afficiendos mitteret: duodecim naueis armis, commeatúque inſtructas, quæ tria peditum millia veherent, & omnem oram Anglicam tuerentur, adderet. Viciſſim Anglus ſex Anglorum peditum millibus Gallo eius ſtipendio afficiendis opem ferret, totidem naueis eodem modo inſtructas adderet: neuter cum aliis principibus ſocietatem niſi in eandem vterque admitteretur, coiret. Finito Auguſtano conuentu, nouæ perſuaſionis propugnatores, quos Proteſtantes vulgo appellant, quòd edicto conuentus Vormatienſis intercesserint, & ſuam interceſſionem palam profeſſi ſint, vetera Germanorum Imperatorum cum Gallis Regibus fœdera in memoriam reducentes, & ne ſimulata in Solymanum expeditione totam belli molem in ipſos Cæſar conuerteret, metuentes ad Galliæ, Angliæque Reges decimoquarto Kalend. Martias ſcripſerunt, & quî in Vormatienſi Auguſtanóque recenti conuentu cum Cæſare & Pontificiis conuenire non potuerint, exponunt: precantur vt ſua authoritate apud Clementem, Cæſarémque agant vt vniuerſi Chriſtianiſmi concilium pium, & liberum celebretur, quo omnes huiuſmodi controuerſiæ terminentur. Multa ad doctrinæ ſuæ defenſionem addunt: poſtremò rogant, vt in conſeruandis Germanici Imperij priuilegiis, ſuíſque priuatim poſſeſſionibus, ſi fortè in ipſos Cæſar arma ferret, auxilio ſint. Illi à Gallo de auxilio nihil adhuc certi, ſpem duntaxat bonam reportarunt. Franciſcus ſe rem omnem cùm Anglo fœderato communicaturum, deinde illis reſponſurum pollicitus eſt: porrò vt Concilium conuocetur ſibi admodum probari, in eóque conuocando operam ſuam pollicetur, non ſolum quod id pium in primis, immo vero neceſſarium exiſtimet, verum etiam quod pro ea, quæ ſemper inter Gallos Reges, Imperiíque principes neceſſitudo fuit, illorum voluntati ſatisfacere cupiat. Scire ipſos quî in omnibus à ſe ſuſceptis aduerſus Cæſarem bellis Germani in Gallia negotiari, & perinde vt in patria ſua liberè habitare conſueuerint: hæc vndecimo Kalend. Maias reſcripſit: deinde re cum Anglo communicata ad eos cum amplis mandatis Gulielmum Bellaium Langeum miſit: quantos enim ſumptus Rex in hoc bellum conferret, & quoniam à Gallia longè ſeparati erant, ne imparati opprimerentur, quantam pecuniam præmitteret, rogarant. De quibus omnibus Bellaius cum illis conuenit, & pro conſeruandis Germanici Imperij priuilegiis, próque priuatis eorum poſſeſſionibus tuendis ſocietatem coiit; quam viciſſim & ipſi ab Anglica non multum diſſimilem iiſdem conditionibus cum Rege coierunt: vtrobique enim ſe inuicem tuendi, non inuadendi quemquam ſocietas inita eſt. Franciſcus centum nummûm aureorum millia apud Bauaros depoſuit, quibus vterentur Proteſtantes, ſi aduerſus illos bellum Cæſar moueret.

37 Reuerſum è Germania Bellaium Franciſcus, qui tum in minore Britannia erat, ad Anglum miſit, vt cum Pomeraio legato ſuo quæ cum Proteſtantibus acta erant, exponeret: quibus intellectis quinquaginta nummûm aureorum millia ſe in hanc ſocietatem Henricus collaturum promiſit, & colloquium à Franciſco poſtulauit, quod in ſequentem annum dilatum eſt. Quinetiam legatos ad Solymanum Franciſcus miſiſſe fertur tanto in Cæſarem vel odio vel inuidia flagrabat. Non deerat occaſio: Ioannem Vaiuodam, qui à Ludouici Hungariæ Regis morte regni Hungarici portionem occuparat, clientem Solymanus agnouerat: hunc Ferdinandus Cæſaris frater Annæ Ludouici ſororis maritus regno pellere contendebat, vnde Pannonicum bellum exortum. Eodem fere tempore

Pannonicum bellum vnde exortum.

legati

legati à Vaiuoda Hieronymus Laſcus, qui apud Solymanum eius negotia pertractarat, à Cæſare Balanſo ad Franciſcum Regem acceſſerunt: ille vxorem Vaiuodæ, & pecuniam, vt exhauſtum bellis ſuum regnum tueretur, petebat. Propoſita eſt Iſabella Regis Nauarri ſoror, quam Vaiuoda vxorem duceret, promiſſa pecunia, modò ea in Franciſci Regis fœderatos non impenderetur: neque enim à factis cum Cæſare fœderibus Franciſcus recedere volebat. Balanſo potentiſſimum Solymani exercitum ad Hungariam appropinquare, atque Auſtriæ minari renuntiauit: cui ſi non æquè numeroſum, at certè non minùs firmum Cæſar opponet, vt inſolentem barbariam timere non debeat: Franciſcum nihilominus ſororis virum rogare, vt in tam ancipiti bello re nummaria, Gallico equitatu, Maſſilienſibus, cæteriſque, quas in Mediterraneo mari habet, triremibus ſibi auxilio ſit. Reſpondit Franciſcus ſe in huiuſmodi bello quod contra noſtræ perſuaſionis hoſteis ſuſcipitur, non ſolùm pecuniam (vt mercatores ſolent) verum etiam ſeipſum omneiſque adeo regni ſui vires expoſiturum, vt ſi res bene ſuccedat bonam partem veræ laudis, ſin minus, damni eandem referat: equitatum ſui regni eſſe robur, quem ſine iuſto peditatu, ac bona tormentorum copia in diſcrimen coniicere non debeat; quin & vnà intereſſe velle, vt alacrioribus ſuorum animis vtatur. Si tantæ Cæſaris vires ſunt, quantas Balanſo prædicauit, Germaniæ haudquaquam timendum: at Italiam ab omni præſidio eſſe deſertam, in quam Solymanus claſſem ſuam immiſſurus traditur: huic ſe, atque Anglum cum quinquaginta bellatorum millibus ſubſidio venturum. Porrò æſtatem ad finem vergere vt equitatus tam longinquam viam hyeme conficere non poſſit quin inutilis reddatur, antequam hoſtem viderit. Quantum ad claſſem attinet, piratas tam grauiter Phocenſem prouinciam, omnémque eam oram Gallicam vexare, vt ab illius præſidio claſſis recedere non poſſit.

Generoſum æquè ac piũ Fráciſci reſponſum.

Hæc Cæſari iam ad Ratisbonenſem conuentum ire meditanti Balanſo retulit. Cæ- 38
ſar Gallo inuidiam quærens, vt in ipſo conuentu exponerentur, curauit. Cæſar dum in Belgica Flandrica non gerendis bellis, ſed negotiis pertractandis operam dabat, rem Florentinam conſtituere ac Ferrarienſis cum Clemente controuerſias componere in animum induxit: illic non ſinceri arbitri munere perfunctus ſuppreſſo libertatis nomine, quam Florentini ſua deditione exceperant, eam fere Reipub. adminiſtrandæ formam, quam nuper Clemens induxerat, confirmauit, Alexandróque genero poteſtatem quaſi Regiam conceſſit: quam ille, atque eius ſucceſſores, vt fieri ſolet, admodum auxerunt, & ſi verè loquendum eſt, in tyrannidem verterunt. Vt autem arbitrij iniquitatem ſpecie aliqua tegeret, ſe non arbitrum, ſed vt Imperatorem hæc ciuitati obnoxiæ imperare præ ſe tulit, quod ciuitatem bellum aduerſus ipſum cum hoſtibus ſuis molitam ſibi commiſſam prædicaret: omnia nihilominus priuilegia Florentinis reſtituit, ea tamen conditione, vt ſi quid aduerſus Mediceam familiam innouarent, omnibus priuarentur. Sed vt vel hic Clementi gratificari, vel Florentinos Gallis nimis, vt putabat, addictos vlciſci voluit, ſic in Ferrarienſi controuerſia ſe à Clemente alienum declarauit: quam vbi viris doctis cognoſcendam attribuiſſet, Mutinam, ac Rhegium Ferrarienſi adiudicauit, & vt Clemens acceptis à Ferrarienſi centum nummûm aureorum millibus eundem Ferrarienſis Ducatus nomine in fidem reciperet, pronuntiauit, modo antiquum vectigal Ferrarienſis dependeret. Quod præter id quod Bononiæ Clementi promiſerat, ſecundum Ferrarienſem pronuntiaſſet, ſe excuſauit Cæſar: addidit non ſe, ſed Vaſionenſem Pontificem eius legatum in cauſa fuiſſe cur pronuntiarit: diu enim diſtuliſſe, & à Ferrarienſi ius ſtare prædixiſſe; Vaſionenſem aliter interpretatum, & ius à Clemente ſtare iudicantem vt pronuntiaret, perpuliſſe: ſi enim tam vehementer vrgentem reieciſſet, ſuſceptum arbitri munus obire nolle viſus eſſet; quod à ſua exiſtimatione alienum erat. Quam excuſationem facilius admiſiſſet Clemens, niſi eoſdem ad eandem formam inter ſe conciliare Cæſar antea conatus fuiſſet: quódque Clemens magis ægrè tulit, in Mutina & Rhegio ſummum ius ſpectauit Cæſar: in Ferraria, vbi ſummo iure agendum erat, beneuoli arbitri officium obire viſus eſt. Itaque arbitrio ſtare Clemens recuſauit: & oblatum antiquum vectigal die Petro dicato vt mos eſt, accipere noluit: Mutinam nihilominus apud ſe depoſitam Ferrarienſi Cæſar reſtituit; ita aliquandiu inter Clementem ac Ferrarienſem, nec pax, nec bellum fuit. Sub finem Iulij viſus ingens Cometa qui ad Auguſti propemodum finem ſtellarum fixarum inſtar apparuit: Ludouica Caroli Sabaudiæ reguli ſoror, Franciſci autem Galliæ Regis mater decimo Kalend. Octobris è vita exceſſit.

Controuerſiarũ Ferrarienſis cum Clemente arbitrium Cæſari commiſſum.

Ludouicæ Sabaudianæ Fráciſci matris mors.

Anno 1532.

Anni huius ſæculi triceſimiſecundi initio omnia adhuc vt ante pacata erant: Cæſar 39

Belgio

Belgio profectus Ratiſbonam vt indictum conuentum ageret, petebat: Kalend. Februarij Moguntiam iniit: ibi Moguntinus Pontifex, ac Palatinus princeps de pace concilianda ſermonem iniiciunt. Ille vt in id incumbant, hortatur, atque iter ſuum perſequitur: conuentus indicitur Scumfurtum Imperij oppidum ad Menum fluuium ſitum in Aprilis initium: vbi quum Proteſtantes (hi ſeptem principes erant & viginti quatuor ciuitates, qui, vel eorum legati tum aderant) propoſita à Cæſare capita admittere recuſaſſent conuentus alter Nurimbergam indicitur ad diem tertium nonas Iunij. Ibi quod Solymanus in Hungariam, Auſtriamque breui tranſiturus ferebatur, quamuis de rei ſumma non conuenirent, tamen quod potentem exercitum, quo barbarus repelleretur, comparare neceſſe erat, in hoc conueniunt, nempe vt nemini vlla iniuria religionis ergo inferatur, donec vniuerſi Chriſtianiſmi concilium coeat; aut ſi coire non poſſit, donec in Imperij Comitiis huius diſſidij ſummouendi ratio aliqua ineatur. Cæſarem vt intra ſex menſes concilium denuntietur, intra vertentem annum inchoetur, procuraturum: ſin minus id præſtare poſſit, vt in Imperij conuentibus de re ſumma tractetur: perfecturum. Hanc concordiæ formulam, qui pacis conciliandæ velut arbitros ſe gerebant, decimo Kalend. Auguſti admiſerunt. Cæſar, qui Ratiſbonæ conuentum agebat, per litteras admonitus quarto nonas eiuſdem menſis ratam habuit. Decretum fuerat in Auguſtano conuentu vt Cameræ Imperatoriæ (ſic enim vulgo appellant) quam Spiræ de Germanorum conſenſu Cæſar conſtituerat, iuriſdictio emendaretur. Id vt conficeretur, binos Cæſar ſuo nomine deſignauit, Moguntinum, Palatinúmque Electores in primis, Spirenſem item atque Argentinenſem Pontifices, Ioannem Palatinum Simmerium, Philippum Marchionem Badenſem delegit. Horum legati Kalendis Martiis Spiræ conuenerunt, & decreta quæ tam ad iudices, quam ad cauſidicos, & litigatores pertinebant, ſcripto mandarunt: quæ Ratiſbonæ oblata Cæſar perpaucis adiectis comprobauit. Interim dum hic conuentus celebratur, Auſtriaci, finitimarúmque gentium legati Solymanum magnum equitatum præmiſiſſe, ipſum cum maiore ac prope infinita peditum multitudine ſequi (ſexcenta enim bellatorum millia in caſtris habuiſſe fertur) ſe in ſummo diſcrimine verſari nuntiant, vt omnes Imperij ordines non pecuniam, ſed militem mitterent, decretum: ac ſic conuentus ſexto Kalend. Auguſti finitus eſt. Clemens Pontifex in ſingulos menſes quadraginta nummûm aureorum millia promiſit: Hippolytum Medicem Cardinalem legatum deſignauit, qui vt ad bella magis, quam ad ſacra munia tractanda natus erat, pleroſque veteranos equitum præfectos, ac centuriones, milites item ſecum duxit. Cæſar Vaſtium cum Hiſpanis, & magna Italorum tam equitum, quam peditum multitudine in Germaniam tranſire iuſſit: Albanum regulum Hiſpanici equitatus præfectum, Antonium Leuam, Ferdinandum Gonzagam, & cæteros magni nominis duces arceſſiuit: Germanos quàm celerrimè potuit conuocauit, vt equitum triginta, peditum nonaginta millia in caſtris habuiſſe prodatur, quamuis præſidia vrbibus impoſita lixas, illuſtriúmque virorum famulos in hunc numerum non includas. Gallus ac Britannus Cæſari infeſti, item Heluetij niſi accepto ſtipendio militare haud ſoliti nulla ad hoc bellum auxilia miſerunt.

Ratiſbonenſis conuentus.

Caroli V. in Hungariam contra Solymanum proficiſcētis potentiſſimus exercitus.

At tanti bellici apparatus hominum expectationi nullo modo ſatisfecerunt: Solymanus enim qui non vrbeis expugnare conſtituerat, ſed cum Cæſare vnico prælio decernere cupiebat, nulla maiora tormenta trecenta duntaxat mediocria (quæ campeſtria vulgo appellant) ſecum aduexerat, tardius in Hungariam appulit, & Valeriæ prouinciæ Norico à Meridie contiguæ oppidum Guntium (Guintium vocat Iouius, alij Iuuotium) non admodum munitum quod tormentis muralibus careret, menſtrua prope obſidione factis interim aliquot impreſſionibus capere non potuit, Nicoliza (Nicolaum Iurixium nonnulli vocant) fortiter propugnante: vt vexilla Turcica Nicoliza erigeret, Turcis ſe amicum profiteretur, commeatum præberet, Ianizerorum decuriam intra portæ limen admitteret, qui ſtatim exierunt, duntaxat Solymanus obtinuit. Inde non rectà Viennam, vbi trinis caſtris poſitis Cæſar conſederat, ſed à Danubio in Leuam recedens ad Carinthiæ fines ſe conuertit, & ad Muram fluuium, quem antiquis Sauariam fuiſſe putant, caſtra poſuit: nec multùm vltra progreſſus Belgradum reuerſus eſt, miſſis interim Caſono duce quindecim equitum millibus, qui Lintium vſque procurſarunt, & totam eam regionem incendiis, cædibúſque crudeliter vaſtarunt multis vtriuſque ſexus mortalibus vel cæſis, vel in ſeruitutem abductis. Sed in reditu à Cæſarianis cum ſuis fere omnibus Caſonus cæſus eſt: alterum agmen à noſtris intercipi haud potuit, & Feriſio duce alia via ad Solymanum euaſit. Præter hanc prædatoriam excurſionem

Caſoni cædes.

vbi

Digitized by Google

vbi bonam equitum partem amiſit, nihil memoria dignum Solymanus geſſit. Quod ſi in Hungaria hybernaſſet, aut ſaltem aliquam hyemis partem traduxiſſet, Cæſarem in magnas difficultates redegiſſet, qui nec tantum exercitum alere, nec ſtipendio afficere potuiſſet. Et Gallus hoc ipſo anno principatum Mediolanenſem inuadere, Britannus illi auxilio eſſe deſtinarat. Ferunt Venetos, qui ſe toto hoc bello quaſi neutros geſſerunt, ne ſi vno prælio hoc bellum terminaretur, victor totum terrarum orbem ſibi ſubiicere vellet, timenteis apud Solymanum ingenteis atque inuictas Cæſaris copias prædicaſſe, apud Cæſarem longè numeroſiores, firmioréſque Solymani diuulgaſſe, atque ita opportuno dolo, ne concurrerent, impedimento fuiſſe.

Venetorũ dolus.

Nec ſe acriorem, quam Solymanus bellatorem Cæſar præſtitit: neque enim venienti Solymano occurrit, neque poſt eius diſceſſum Ioannem Vaiuodam Hungaria expulit; quod facillimè potuit, & Ferdinandus frater vt eò tenderet, impenſius orauit: ſed vxoris inuiſendæ, vt ex ea maſculam prolem ſuſciperet, deſiderio flagrans (hanc enim diſceſſus ſui cauſam obtendit) in Italiam, inde in Hiſpaniam redire properauit. Expeditionem quidem Hungaricam Italis peditibus & aliquot Germanorum cohortibus mandauit, ſed quod Fabricium Maramaldum Italis Vaſtio ſuggerente præfeciſſet, cæteri præfecti indignati in Pannoniam ire, niſi Rex Ferdinandus, atque Antonius Leua, aut Vaſtius illis præeſſet, recuſarunt. Gregarij milites, niſi ſtipendium trimeſtre penderetur, cuius repræſentandi nondum aduenerat dies, miſſionem petiuerunt, Regémque Ferdinandum pecunia exhauſtum non ſoluendo eſſe diuulgarunt; & omnes Maramaldum tanquam nimis imperioſum præfectum oderant. Itaque ſeditione oborta, quam nec Vaſtius ſæpius conuocando, nec ipſe Cæſar illos adeundo ſua præſentia ſedare potuit, contentis itineribus, ne quis abeunteis inſequeretur, in Italiam redierunt, & quaqua tranſibant, omnia incendiis, rapinis, cædibus, ſtupris fœdarunt, eadem Germanos non ita pridem in Italia patraſſe cauſati. Hinc Pannonica expeditio iacuit: Cæſar nullos, ne ſimilem fortaſſe ſeditionem excitarent, in eorum locum ſurrogauit. Sic magni, prudentéſque principes, quales & Cæſar & Solymanus fuerunt, malis interdum conſiliis traduci, & paruis de cauſis bonas nonnunquam occaſiones amittere conſueuerunt. Cæſar in Italiam partem exercitus reducturus ordinem quo quiſque incederet, præſcripſit; quem leuitate ingenij non obſeruauit Cardinalis Medices Pontificius legatus, & cæteros anteuertere voluit, vnde hominem cum Petro Maria Ruſſio eius conſilij authore comprehendi Cæſar imperauit: quinto nihilominus poſt die Cardinalem deinde, ne Clementem irritaret, Ruſſium quoque dimiſit. Reuerſus in Italiam Cæſar alterum colloquium à Clemente petiit; & Mantua litteras ad Imperij ordines quarto Idus Nouembris dedit, vt ſe abſente Ferdinando fratri parerent: ſe, vt Ratisbonæ promiſit, cum Clemente de concilio colloquuturum, Germaníſque ſatisfacturum. Sub huius anni finem Clemens, ac Cæſar Bononiæ eadem beneuolentiæ ſignificatione, at non eadem qua prius animorum propenſione conuenerunt: concilium, vt Germanis ſatisfaceret, depoſcebat Cæſar, ab illo Clemens penitus abhorrebat. 41

Pãnonica expeditio quibus difficultatibus interrupta.

Ad hæc quid in patriam nuper deſignaſſet, memoria repetens magnum inde in ſe odium conflatum iri timebat: quam quum prudenti adminiſtratione ſe bene conſtituere velle iactaſſet, in grauem ſuorum ſeruitutem coniecerat; nec pacto ſteterat: in deditionis enim conditionibus, vt libertas ſarta tecta maneret, conuenerat. Cæſar ſe quidem exercitum dimittere propter graueis impenſas & à ſe & ab Italis tolerandas velle prædicabat: cæterum id commodè præſtare non poſſe, niſi fœdus non ita dudum Bononiæ initum renouaretur, & vniuerſi Itali tam principes, quam liberæ ciuitates eodem pro totius Italiæ propugnatione amplificato comprehenderentur: vt quid quiſque contribueret, ſi à Gallis bellum immineret, decerneretur: quinetiam vt Catharina Medicea Franciſco Sfortiæ Mediolanenſi regulo nuberet, flagitabat: vt Clementem ad eum principatum conſeruandum magis aſtringeret, & matrimonium eiuſdem Catharinæ cum altero Franciſci Regis liberorum, de quo multi ſermones vltro citróque habiti erant, interrumperet. Horum neutrum Clementi placebat: ſe inter Chriſtianos principes nemini hoſtem, immo vero potius quaſi communem parentem præſtare cupiebat; & ne Gallus ab eius authoritate diſcederet, timebat, quem eò à Britanno impelli ſatis intellexerat: eadem ratione & Sfortiæ affinitatem repudiabat, ne ex profeſſo ſe Galli hoſtem declararet: machinas tamen omneis adhibuit, vt quin fœdus renouaretur, per eum haud ſtetiſſe Cæſar exiſtimaret: & ad id pertractandum delecti à Clemente Hippolytus Cardinalis Medices, Iacobus Saluiatus, Guicciardinus, à Cæſare Couous Commendatarius 42

Cur Carolus Bononienſe fœdus renouari tãtopere cupiat.

Leonis,

Leonis, Granuellanus Cancellarius, Pratus primarij eius conſiliarij, vbi etiam duos ferè ſequentis anni menſes impenderunt. Pontificij Clementis mentem aperire nolentes ne iuſtam de eo Cæſari ſuſpicionem mouerent, quin fœdus renouaretur non recuſabant, ſed ſine Venetis nullius fore momenti aiebant. Conſultus Venetus Senatus ſe ad regni Neapolitani, principatúſque Mediolanenſis propugnationem ſolum teneri reſpondit, aliud quippiam addere recuſauit. At Cæſar Genuam addi volebat, quam Gallus repetere poterat, nec Madritiano, Cameracenſique fœdere ſe prohiberi iactabat: & Franciſcus Salaſſus regulus fratre pulſo matre in cuſtodiam tradita, qui Cæſaris parteis ſequebantur ad Gallum tranſierat: cæteri Itali præter Ferrarienſem tributum duntaxat ſibi imminui petentes in fœdus iurarunt. Ferrarienſis niſi cum Clemente conueniret ſe contribuere non poſſe declarauit: quomodo enim domeſticum quotidie expectans in alienum bellum contribueret? huic ſatisfactum.

43 Clemens ſtante fœdere nihil aduerſus illum ſe moliturum Cæſare inſtante promiſit. Igitur die Mathiæ dicato, quem Cæſari feliciſſimum ſemper fuiſſe putant, Cæſar, Ferdinandus eius frater, omnes Italiæ principes, liberæque ciuitates Venetis exceptis ſe pro vniuerſæ Italiæ propugnatione in ſeſquiannum obligarunt; tametſi vt Genua in fœdus admitteretur Clementem recuſaſſe ſcribit Bellaius, & rationem addit. Antonium Leuam ſui exercitus, ſi fortè cogeretur, imperatorem declararunt, quem idcirco Mediolani ſubſiſtere iuſſerunt: quid quiſque contribueret, diſertè addiderunt, vt ſcilicet in ſingulos menſes triginta nummûm aureorum millia Cæſar, viginti Clemens tam pro ſe, quàm pro Florentinis, viginti Mediolanenſis regulus, decem Ferrarienſis, totidem Senenſes, ſex Genuenſes, mille Lucenſes penderent: & ne imparati opprimerentur, eadem propè ſumma deponeretur, quæ in nullos alios vſus præterquam in Italiæ propugnationem impenderetur. Additum eſt & modicum tributum, quo præfectorum, qui in Italia manebant, atque Heluetiorum penſiones ſoluerentur, ne Gallum peditatu iuuarent: in præfectorum ſtipendium collata ſingulis menſibus viginti nummûm aureorum millia refert Bellaius: Iouius quinque addit; quæ Antonio Leuæ, vt pro ſua prudentia diſpenſaret, tradi debebant. Quod ad concilium attinet, Cæſari Clemens nullo modo ſatisfecit; Gallo enim, ac Britanno diſſentientibus concilium coire non poſſe aſſeuerauit. Tum Cæſar; quod ſi ſine iuſta cauſa diſſentiant, nullum etiam coibit, quod vnoquoque decennio coire conciliorum ipſorum decreta iuſſerunt? Clemens nihil directè reſpondens legatos ſe ad principes Chriſtianos miſſurum, & ex eorum reſponſis deliberaturum pollicitus eſt. Nec magis de matrimonio Catharinæ Mediceæ ſatisfecit: Bononiam antequam de Catharina Sfortiæ collocanda meminiſſet Cæſar, appulerant Turnonius ac Grandimontanus Cardinales (hunc Acromontium vocat Iouius dictione ex Græca Latináque compoſita Gallici quidem nominis vim ſatis exprimente, cæterum à nomine ipſo longè diuerſa) qui ſermonem de matrimonio eiuſdem Catharinæ cum Henrico Aureliano Regiorum liberorum altero iam habitum de Franciſci Regis mandato renouarant. Quapropter Clemens, qui tum de Cæſaris conſenſu de hoc matrimonio cum Rege pertractarat, nunc ſine graui Regis iniuria de eodem cum Sfortia Franciſci hoſte agere non poſſe reſpondit, quin prius cœptus cum Rege ſermo interruptus fuiſſet: tametſi Regem propter diſparem filij Catharinæque conditionem non ex animo, ſed ad continuandam inter ipſos amicitiam id meditatum exiſtimabat. Cæſar, qui Franciſcum ex tam diſpari familia filio vxorem quærere in animum inducere non poterat, à Clemente contendit, vt Gallos Cardinales procuratorium inſtrumentum eius matrimonij contrahendi ergo proferre cogeret: illi intra paucos dies ampliſſimum protulerunt. Idcirco Sfortia non ſolum ſperato matrimonio excluſus eſt, ſed etiam vt Clemens, Franciſcúſque conuenirent, peractum. Colloquio deſtinata eſt Nicea Allobrogum ad Varum fluuium ſita, qui Italiam à Phocenſi prouincia ſeparat: vnde Cæſar horum gnarus, & iam de Clemente non bene ſperans poſtridie initi fœderis Bononia profectus Ticinum contendit, & ad Viglebanum (vt vocat Iouius, alij Vigeuenum appellant) venationibus aliquot dies operam dedit; mox Genuam petiit: Genua ſoluens in Hiſpaniam fœlici nauigatione tranſmiſit. Nec Cæſarem placauit Clemens, quod Anglum Annámque Bolanam deuotionibus, & legitimis pœnis ſe perſequuturum promiſit: aut quod clandeſtinam ſocietatẽ coierunt, qua vterque cum aliis principibus niſi de communi conſenſu fœdus inire prohibebatur. Eodem quoque tempore Clemens Anconam, inde Romã Gallis Cardinalibus comitantibus conceſſit; quibus, ex diſſoluto Cæſariano exercitu plus commodi Franciſco, quàm ex recenti fœdere detrimenti acceſſiſſe facilè perſuaſit. Ancona olim Romanis Pontificibus

Difficultates ob quas cõcilium celebrari nequeat, à Clemente aſſeruntur.

Fœdus inter Clemẽtem ac Franciſcum.

obnoxia ſe in libertatem quodam modo vindicarat, & vix Romanos Pontifices agnoſce-
bat. Hanc Clemens paulò ante præſidio intromiſſo ſuæ ditionis fecerat, atque arce
condita in ordinem redegerat. Huius anni æſtate veluti media Chriſtiernus Daciæ,Cim-
bricæ Cherſoneſi, ac Suetiæ Rex qui decennio ante ob tyrannidem regno pulſus erat,
id repetiturus claſſem Liburnicarum nauium inſtruxit; quæ tempeſtate iactata naufra-
gium magna ex parte fecit: reliquiis hoſtes facilè potiti ſunt, ipſúmque Chriſtiernum
ceperunt, & in perpetuum carcerem condiderunt. In eius locum Daci ac Cimbri Fede-
ricum Holſatenſium regulum Chriſtierni auum, Sueti Guſtauum ex illuſtri Hericorum
familia ſurrogarunt:eodem tempore,quo Chriſtiernus captus eſt,eius quoque filius quem
ex Iſabella Cæſaris ſorore ſuſceperat, in Cæſaris comitatu morbo correptus vitam cum
morte commutauit.

Chriſtiernus Daciæ Rex captus perpetuæ cuſtodiæ adiudicatur.

Quæ in Germania, Italiáque hoc anno geſta ſunt, explicauimus; nunc quæ eodem 44
anno in Gallia acciderunt, percurramus. Menſe Maio Franciſcus cum Heleonora Re-
gina, ac liberis in Britanniam ſeceſſit, vbi tres eius prouinciæ ordines Franciſcum Del-
phinum minoris Britanniæ regulum declararunt, ea conditione vt deinceps Gallia-
rum Delphini, hoc eſt, Regum maiores natu filij Delphinates, Britanníque reguli di-
cerentur, inſigniáque ex Gallicis Delphinatibus, Britannicíſque mixta geſtarent, ipſaque
adeo minor Britannia regni Gallici pars in poſterum cenſeretur. Hanc etiam ante Ca-
rolus Octauus, Ludouicúſque Duodecimus Galliarum Reges cum Anna eiuſdem Bri-
tanniæ vnica hærede matrimonium contrahentes de eorumdem ordinum conſenſu ſce-
ptro Gallico adiunxerant. In Pictonibus, atque in tota adeo Aquitania febres acutæ, &
lethales iuuentutem præſertim à viceſimo ad triceſimum annum grauiter exercuerunt,
ita vt pauci euaderent, quas ex nimiis Maij, Iuniíque caloribus ſubortas Aſtrologi,
Medicique confirmabant. Hæ menſe Iulio in Pictonibus maximè in peſtem contagio-
ſam tranſierunt: quæ vix Nouembri hyeme ſua humiditate ac frigiditate accenſum il-
lum ardorem refrigerante ſedata eſt. Gallus, Anglúſque Reges ſuperiore anno de col-
loquio egerant, quod in huius prope finem variis rationibus dilatum eſt. Ambo Ca-
rolo Imperatori infeſti erant, ille inuidia, odióque ex inuidia concepto, hic inſano An-
næ Bolanæ amore incenſus Carolum Turcico bello impeditum armis perſequi cogitabat.
Quamuis autem interim dum colloquuntur, Solymanum Conſtantinopolim rediiſſe in-
tellexiſſent, tamen colloquium belli Turcici ſpecie adumbrarunt, & ſe in hoc bellum, ſi
fortè moueretur,peditum ſeptuaginta,equitum decem millia collaturos iactarunt. Acceſ-
ſit primum Bononiam Belgicam Henricus, vbi Regio ſumptu exceptus par pari pau-
cis poſt diebus in Icio portu Franciſco retulit; quibus peractis de ſuis negotiis inuicem
conſultarunt. Henricus apud Franciſcum de Clemente vehementer queſtus eſt,quod di-
uortij ſui cauſam non in Anglia vt initio permiſerat, decidi fineret, Romam tranſtuliſſet:
multa eſſe, quæ ab eius ore prudens iudex audire debeat, quæ procuratorio nomine re-
ſponderi commodè non poſſint. Vt autem ſe Romam ſiſtat,vt iubet Clemens,hoc eſt re-
gnum ſuum cuiuis inuadenti poſſidendum relinquat, eſſe periniquum. At ille Thomam
Morum Cancellarium, ac Ioannem Fiſcerum Roffenſem Pontificem viros integerrimos,
eruditiſſimóſque, quod impiis ſuis conatibus non aſſentiebantur, triennio poſt necauit.
Quis ad furioſum hunc tyrannum eius cauſæ quaſi cognitor accedere voluiſſet? Rogauit
Henricus vt ad Clementem communi nomine legatos ea de re mitterent.

Britãnia minor quando ſceptro Gallico adiungi cœpta.

Regum Galliæ Angliæque congreſſus.

Thomas Morus ſupplicio affectus.

Franciſcus qui à Pontificia authoritate temerè ſibi diſcedendum non putabat,Clemen- 45
tem per Gabrielem Grandimontanum Cardinalem colloquium ad Niceam Allobrogum,
aut ad Auenionem Cæſare in Hiſpaniam reuerſo ſibi promiſiſſe reſpondit; ibi præſentem
commodius cauſam eius acturum. Addidit Henricus & alias querimonias, & cum Fran-
ciſco ipſo communes; diplomata, ſiue bullas quæ annuos cuiuſque ſacerdotij fructus ab-
ſumunt:aucta Romanæ aulæ miniſteria (officia vulgo appellant.) Alia quoque pecunia ad
inſtaurandam Petri ædem quæretur:& diſpenſationes,vti vocantur,mirandum in modum
Pontificium ærarium augent. Priuatim de Verulano Pontifice Franciſcus queſtus eſt, qui
Heluetios ab initio ſecum fœdere diuellere conatus ſit. Idcirco ad Clementem de com-
muni conſenſu Turnonium,Grandimontanúmque Cardinales miſerũt, qui hæc cum illo
communicarent,docerentque quantum illi duorum potentiſſimorum Regum continuata
amicitia prodeſſe poſſit: qui ſi vniuerſi Chriſtianiſmi concilium depoſcent, idque Cle-
mens conuocare vel recuſet, vel differat, priuata in ſuis regnis concilia celebrare, ſuas
de Romanis Pontificibus querimonias probare, & cum cæteris Chriſtianis principibus,
qui iiſdem, aut fortaſſe grauioribus vrgentur, communicare poſſint: qui iuncti bonam
orbis

orbis Chriſtiani partem ad ſe pertrahent, & ne deinceps Romanis Pontificibus pareat, procurabunt. Quot Germaniæ principes, liberæque ciuitates, quot in Heluetiis pagi Romanum Pontificem non agnoſcunt? quod ſi horum Regum alterutrum Chriſtianis ſacris Clemens interdicet, vtrumque cum tanto comitatu Romam profecturum, vt quod petent, facilè conſequantur: ſin Clementem ab vtroque non abalienatum Cardinales offendent, vt colloquium, cuius ſupra mentionem fecimus, à Clemente peterent, & cœptos de Henrici Aureliani cum Catharina Medicea matrimonio ſermones continuarent, mandatum acceperunt: cui etiam vt Anglus interſit, ſi id commodè fieri poteſt, Franciſcus operam dabit: vbi omnia ex bono & æquo componi poſſe veriſimile eſt. His datis mandatis ad Fanum Ioqueuerti inter Bononiam Iciúmque portum Reges à ſe inuicem diſceſſerunt. Henricus in Angliam nauigauit, Franciſcus Lutetiam rediit. Franciſcus ** Tintauillam (Diutauillam alij vocare malunt, & quadam ſimilitudine nomen corruptum putant: nam Tintauilla à Diutauilla diuerſa familia eſt) Antiſſiodorenſem Pontificem ſuum apud Clementem legatum de duorum Cardinalium profectione admonuit, & vt Henrici cauſa in Anglia diiudicaretur, inſtare iuſſit.

46 Cardinales pridie nonas Ianuarij anni ſequentis, hoc eſt, huius ſæculi triceſimitertij Bononiam appulerunt, & ne Clementem irritarent, aut ad Cæſarem penitus tranſire imprudentes cogerent, de querimoniis ſiluerunt. Primo loco de colloquio, & matrimonio ſupra commemoratis verba fecerunt: deinde de fœdere, quod renouari Cæſar cupiebat, certiores facti id non ad Italiæ tranquillitatem, vt Cæſar obtendebat, ſed ad perturbationem, immo vero ad ſeruitutem fortaſſe tendere docuerunt: ſi enim ſemper in Italia paratum exercitum aliorum impenſis habebit Cæſar, alterum vt in regni finibus, nempe in Salaſſis, ac Delphinatu Rex habeat, neceſſe erit, ne imparatus opprimatur: duos autem exercitus non longè à ſe diſtantes, quin ſe mutuo laceſſant, aut in apertum bellum irrumpant, continere perdifficile erit. Quid? ſi Cæſar exercitum ſuum in illos ipſos, qui ſtipendium pendunt, conuertet, nónne eoſdem in manifeſtam ſeruitutem rapiet? dimittat igitur exercitum ſi pacem in Italia conſeruare cupit. His permoti Itali nullam pecuniam deponere voluerunt: ſi bellum inferetur, ſe collaturos promiſerunt, atque vt Cæſarianus exercitus dimitteretur, inſtiterunt. Bonam eius partem Coronen Peloponeſi vrbem Duce Roderico Macicao caſtrorum magiſter, alios in Siciliam, alios in regnum Neapolitanum Cæſar miſit, alios in Hiſpaniam redire iuſſit. Cæſar Bononia profecturus à Clemente contendit, vt treis Cardinales in eius gratiam crearet, vnus duntaxat creatus eſt: cæterorum repulſa in Cardinalium collegium reiecta, qui numerum augere noluiſſent. Franciſci legatus paulò poſt vt Ioannes Aurelianus Tholoſanus Pontifex Longauillani reguli patruus in eum Senatum cooptaretur, poſtulauit, atque impetrauit. Tum litteras ab Anglo Franciſcus recepit, quibus vt hominem ad illum mitteret, rogabat: cui quod ſcripto mandare, aut in vulgus emanare nollet, aperiret. Miſſus eſt Gulielmus Bellaius Langeus: huic ob Clementis cunctationem cauſam diuortij cum Catharina Arragonia coram Cantorbienſi Pontifice totius Angliæ primate (vt vulgari verbo vtar) diiudicatam fuiſſe, ſuúmque cum Catharina matrimonium nullum pronuntiatum eſſe declarauit: ſe Annam Bolanam vxorem duxiſſe coram eodem Pontifice, nouæ nuptæ patre, matre, Morthfolcio auunculo nullis prætereа teſtibus accerſitis: hoc celatum tantiſper velle, donec quid Romanus Pontifex in colloquio cum Franciſco ſtatueret, intellexiſſet: quos Maio proximo alicubi coituros ſperabat. Quod ſi diuortium non probaret Clemens, ſe ab eius, ſucceſſorúmque authoritate receſſurum confirmauit, commentariúmque editurum, quo Romanæ aulæ in cæteros Chriſtianos tyrannis latiſſimè explicatur. Anno 1533.

47 Et quandoquidem Clemens ſe omneis Chriſtianos aduerſus illum ſuſcitaturum iactitarat, niſi Bolana repudiata Catharinam Arragoniam in priſtinum locum reduceret, eadémque de cauſa Carolus Imperator grauiſſimum bellum minabatur, orabat Franciſcum Regem vt recentis fœderis memor in tanto diſcrimine Regi ſocio non deeſſet. Pridie nonas Aprilis Rupifortius Bolanæ Reginæ frater ad Franciſcum litterarum exemplum attulit, quas ad Clementem in Henrici gratiam ſcriberet, vt cauſam diuortij in Anglia diiudicari pateretur. Verum ante acceptas litteras Clemens Cantorbienſem Pontificem cauſæ cognitionem ſibi attribuiſſe intellexit de Bolanæ matrimonio adhuc incertus. Hinc apud Gallos Cardinales vehementer queſtus eſt, qui Franciſci nomine vt huius cauſæ cognitionem in colloquium ſupra commemoratum differret, obſecrarant, & ne quid interea innouaretur, promiſerant. Sub Iunij finem Cæſar per legatos apud Clementem egit, vt tandem aliquando cauſæ diuortij finem imponeret: interim Clemens Cantorbienſem matrimo- *Hẽricus Frãciſci opẽ & auxilium implorat.*

 nium

nium Henrici cum Catharina nullum eſſe pronuntiaſſe, Henricum Bolanam vxorem duxiſſe, commentarium, cuius ſupra memini, edidiſſe certior factus eſt; vt res tanti momenti diuturno ſilentio taceri non ſolent. Quapropter Cæſaris legatis, & Cardinalibus penè omnibus vrgentibus Henrico Clemens Chriſtianis ſacris interdixit, & in eodem conuentu ſe cum Franciſco Rege breui colloquuturum præfatus omneis quotquot ſecum ducere deſtinarat, vt ad eam profectionem ſe compararent, admonuit.

Hēricus fidelium cōmunione eiectus.

Superiore anno interim dum Vienna Carolus Imperator rediret Andreas Auria cum triginta quinque onerariarum, quadraginta octo roſtratarum nauium claſſe in Græciam traiecerat: Himerali ſeptuaginta Turcicarum triremium præfecto ſe ſubducente Coronen expugnarat, expugnatæque præſidium impoſuerat: Patras item, ac duo caſtella ad Naupactei ſinus anguſtias ſita ceperat; nullo tamen ibi præſidio relicto hyeme inſtante redierat: quum Clemens Rhodiis nauibus Maſſiliam traiicere ſtatuiſſet. Tum Cæſaris legatus, & quotquot ab eius partibus ſtabant, vt Rhodiæ triremes Cæſarianis iunctæ Coronen aduerſus Turcam tuerentur, in vrbémque commeatum importarent poſtularunt: ſic ſe Clementis cum Rege colloquium vel retardaturos, atque in hyemem reiecturos, vel omnino interrupturos ſperabant: niſi Clemens in cauſa eſſe, cur Corone in Turcarum poteſtatem rediret, & eam ſempiternam ignominiæ notam ſubire mallet; quam vt vitaret non ſolum vt Rhodiæ triremes cum Cæſarianis Coronæ opem ferrent, permiſit, ſed & ſuas addidit.

Cæſaris dolus vt Clementis cum Rege colloquiū interrumpat.

Alia ex parte Verulanus Pontifex Clementis, Cæſaris, Ferdinandi fratris, Allobrogum reguli, Sfortiæque legati Heluetiorum quinque pagis, qui à Pontificia authoritate non diſceſſerant, perſuadere conati ſunt, vt ad Italicum fœdus accederent, & cæteros pagos nouæ perſuaſionis propugnatores à Rege aduerſus illos foueri obiecerunt. Quam calumniam ita Franciſcus diſcuſſit, vt ſiquidem bellum inter ipſos moueretur, quinque illis pagis ſex in ſingulos menſes nummûm aureorum millia promitteret; quo promiſſo ſibi ſatisfactum putarunt. Clemens Verulanum Pontificem falſæ legationis reum reuocauit, & ſecum duxit, vt ſe Regi excuſaret.

Circa Idus Iulias aut biduo poſt Morthſolcius regulus ad Franciſcum acceſſit, & Ro- 48
mæ neſcioquid aduerſus herum ſuum innouatum intellexit, quid id eſſet, adhuc incertus. Franciſcus qui iam ad Clementem ſcripſerat, ne Anglum potentem Regem ad deſperationem cogeret, addens quicquid aduerſus Henricum deſignaretur, aduerſus ſeipſum deſignatum interpretari, rem Morthſolcio aliquamdiu diſſimulauit, vt Clemens Henrico reconciliaretur, operam daturus: at menſe proximo quid re vera actum Romæ eſſet, Morthſolcius intellexit, & Rupifortium equis curſoribus ad Henricum miſit. Henricus Morthſolcium ac Richemontium regulum filium nothum qui in Regio Franciſci comitatu erat, ſuos item apud Clementem legatos reuocauit. Id fere temporis Bonacurſius Grinus, qui Gulielmo ac Ludouico (Ariouiſtum alij vocant) Bauariæ regulis erat ab epiſtolis Franciſcum Tholoſæ agentem conuenit, & tam eorum, quàm cæterorum fœderatorum nomine Regi ſignificauit, omneis fœderatos conſenſiſſe, vt pecunia recenti fœdere promiſſa apud eoſdem Bauaros deponatur: cuius nihilominus prædes dari non poſſint, quin tota res in vulgus emanet; quod ab illorum rationibus maximè alienum eſſe conſtat: precari Regem vt duorum horum regulorum ſchedulis, vt conſiliarij eius dictabunt, conceptis ſibi ſatisfactum putet. Franciſcus finito Maſſilienſi colloquio legatum ad Bauaros ſe miſſurum reſpondit, qui cum mandatis ampliſſimis hac de re cum Bauaris pertractet, atque ita Bonacurſium dimiſit. Iam vero Ioannes Stuardus Albaniæ regulus, qui Bononienſis reguli maiorem natu filiam Medicææ Catharinæ materteram in matrimonio habuerat Gallicas triremes inſtruxerat: quibus addita aliquot alia nauigia, quæ Cardinalium, cæterorúmque qui Clementem comitaturi erant, impedimenta portarent: primùm tamen Catharinam Niceam Allobrogum deduxit; mox ad Piſanum portum Clementem excepturus rediit.

Maſſilienſe colloquiū inter Clementē ac Franciſcum.

Is quarto nonas Octobris triremes conſcendit, & paucis diebus Maſſiliam felici nauigatione traiecit; ac primum ad Annæi Mommorencij Regiæ aulæ magiſtri palatium extra vrbem non longè à Fano Victoris diuertit. Poſtridie vrbem ingenti pompa, ſuperbóque comitatu iniit: atque interim Franciſcus ad Mommorencij palatium, vnde exierat Clemens, acceſſit: poſtridie cum magno principum, virorúmque nobilium comitatu vrbem ingreſſus Clementē adorauit. Duo Maſſiliæ inſignia erant palatia vico interiecto: hæc Mommorencius ingenti aula lignea ædificata cõiungi iuſſerat: vbi Cardinalium conuentus, quæ conſiſtoria vocant, Clemens agere, & commodè cum Rege colloqui poſſet: in altero Clemens, Franciſcus in altero habitauit. Orationem Latinam Regis nomine habuit Ioannes

Bellaius

Digitized by Google

Bellaius Pariſienſis Pontifex homo doctus, qui aliquot poſt annis in Cardinalium Senatum cooptatus eſt.

49 Clemens primùm de priuatis ſuis negotiis nihil agebat, vt publica duntaxat curaret, Maſſiliam acceſſit; vt pacem vniuerſi Chriſtianiſmi, bellum aduerſus Solymanum procuraret: Anglum ad ſanam mentem reduceret. Interim Franciſcus vt Catharinam Mediceam arceſſeret, rogauit: ille puellam ad ſe venire iuſſit; qua ſtatim Henrico Aureliano deſponſa nuptiæ magna ambitione celebratæ fuerunt. Clemens autem Franciſcum tanta arte tractauit, vt Gallica ſimplicitate multum illi fideret, & conſilium ſuum de Philippo Lantgrauio Heſſo, ac Vittembergenſi regulo aduerſus Cæſarem ſuſcitando aperiret: tametſi præter omnium atque ipſius adeo Cæſaris expectationem nihil inter eos certi conſtitutum eſt: ſe duntaxat admodum cupere Clemens præ ſe tulit, vt principatu Mediolanenſi Aurelianus potiretur. Nuptiis celebratis Cardinalium conuentum egit, & in Franciſci gratiam quatuor Cardinales creauit, Venatorem Lexouienſem Pontificem ſummum, vt vocant, Franciſci Eleemoſynarium, Bononienſem eadem, qua Albaniæ regulus, matre natum, Caſtilionem Mommorencij ex ſorore nepotem, Giurium vxoris Brionis Amyralij patruum. Vt Anglum Clementi reconciliaret, Franciſcus multum laborauit, ſed quod deuotiones, dirarúmque imprecationes iam expletæ fuiſſent, Cardinales interceſſerunt, & vt hoc caput Romam, vbi omnes conuenirent, diſcutiendum transferretur, curarunt: interim Franciſcum vt Henricus ad Romani Pontificatus obſeruantiam redeat, operam daturum. His expeditis Clemens Romam reuerſurus decimo Kalend. Decembris Maſſilia ſoluit, & graui tempeſtate iactatus Sauonam tranſmiſit, vbi Gallicis triremibus non ſatis fidens propter nauarchorum imperitiam Aurianas conſcendit, ac Centumcellas petiit. In vrbem reuerſus magnæ omnibus admirationi fuit, iis præſertim qui illum non ita dudum captiuum in Adriani mole viderant. Ita felici fortunæ fauentis aura paucos menſes lætatus eſt: tametſi mortis ſuæ quaſi certus vates, quam familiaribus ſibi breui inſtare prædixit, annulum, & omnia veſtimenta ſepeliendis Pontificibus adhiberi ſolita conficienda curauit: & nihilominus familiam ſuam ſemper augere cupiens arcem Florentiæ extrui iuſſit, quæ fortuna nepotes ſuos maneret, incertus; qui ſibi inuicem acres inimici non diu ſuperſtites fuerunt. Etenim intra annum Hippolytus Cardinalis non ſine veneni ſuſpicione interiit: Alexander autem dum in matronarum, virginúmque ſtupris perbacchatur, à Laurentio eiuſdem Mediceæ familiæ adoleſcente triennio poſt cæſus eſt.

Catharina Medicea cũ Hẽrico Aureliano matrimonio cõiungitur.

50 Maſſiliam paulò ante Franciſcus Tauernius Sfortiæ Cancellarius Meruellij mortem excuſaturus acceſſerat, quæ ita accidit. Venerat in Galliam cum Galeatio Seuerinate ſummo Regiorum equorum magiſtro Meruellius Inſuber, & inter Ludouici eius nominis Duodecimi Galliarum Regis domeſticos, qui equitio præſunt, annumeratus fuerat (ſcutiferos vulgo appellant) & eodem munere ſub Franciſco Ludouici genero fungebatur. Is magnas diuitias accumularat, & permittente Franciſco, vt ſuos inuiſeret, ſuperbo magis comitatu, quam hominis conditio ferebat, Mediolanum redierat: Sfortiæ regulo, gratioſiſque eius aulicis munera obtulerat, & in magna gratia non ſolùm apud regulum, ſed & apud eius domeſticos erat. Quorum certior factus Carolus Imperator Meruellium aduerſum ſe neſcio quid apud Sfortiam machinari coniiciens coniecturam ſuam Sfortiæ indignabundus aperuit: excuſauit ſe Sfortia, & litteras Franciſci Regis protulit, quibus illi priuata Meruellij negotia Franciſcus commendabat. Nec tamen Carolo principi ſuſpicioſo ſatisfecit: quapropter altera excuſatione ſe ita Carolo ſatisfacturum Sfortia promiſit, vt nihil in poſterum de Meruellio ſuſpicari debeat. Aliquot poſt menſibus Caſtilio Sfortiæ domeſticus cum Meruellij ſeruis rixatus eſt, & quaſi eoſdem vlturus ſæpius ante Meruellij domum viris armatis comitatus pertranſiit, & aliquos ex eius domeſticis aggreſſus eſt, qui ſe domum receperunt. Quum ſæpius rediret tandem paratiores, quàm putarat, offendit: vbi enim ad manus veniſſent, Caſtilio cæſus, eius comites in fugam verſi fuerunt. Præfectus rerum capitalium abreptum in carcerem Meruellium capite mulctauit. Binas litteras à Franciſco Rege attulerat Meruellius, alteras pro priuatis ſuis negotiis, alteras quibus Regij legati munus apud Sfortiam obire iubebatur; ex his querimoniarum anſam arripiens Rex Franciſcus non tam (vt videtur) quod Meruellium hominem externum, nec familia aut rebus geſtis clarũ tanti faceret, quam vt aduerſus Sfortiam belli occaſionem quæreret, apud Clementem, apud Carolum Imperatorem, Ferdinandum eius fratrem, Anglum, Sfortiam ipſum,

Meruellij mors.

Meruellij mors belli Sfortiæ inferendi occaſio.

& apud multos alios principes de Meruellij morte grauiter queſtus eſt: ius gentium eſſe violatum, Meruellium legatum ſuum crudeliter cæſum, & pleraque id genus Carolus Meruellium Franciſci legatum fuiſſe inficiatus eſt, & priores Regis litteras pro priuatis Meruellij negotiis ſcriptas protulit. Vellius Regius apud Carolum legatus alteras oppoſuit, quibus Meruellium legatum ſuum Franciſcus agnoſcebat. Fictas eſſe & Meruellium Sfortiæ obnoxium Cæſar iure cæſum fuiſſe reſpondit: hinc bellum quod infra deſcribemus exortum.

Franciſcus Maſſilia diſcedens ad Fanum Andreæ, niſi quod biduũ Auenione conſedit, 51
continuo itinere contendit. Ibi Chriſtophorus Vittembergenſis illi libellum ſupplicẽ tam patris, quam ſuo nomine obtulit. litteras dederat pridie Kal. Auguſti ad fœderatos Sueuicæ ſocietatis Chriſtophorus, quibus iuſtas patris, & ſuas querimonias expoſuerat. Illi ius eorum in primis obſcurum eſſe obtendentes vt ad Auguſtana comitia vbi tum aliis de cauſis coierant, Septembri menſe iudicium accepturus accederet, reſponderunt: idcircóque ad Chriſtophorum liberè accedendi teſſeram miſerunt. Porrò Germanorum mos eſt, vt quoties ad cauſam alicuius decidendam conueniunt, is cuius res agitur, quamplurimos poteſt, aduocatos, aut eorum legatos, vel procuratores ſecum adducat: aduocatiæ autem ea lex eſt, vt aduocati amici litem ſuam faciant; & ſi ius denegetur, vel malignè differatur, armis, ſi opus eſt, perſequantur. Hinc Vlricus pater, ac Chriſtophorus ad multos Reges, ac principes ſcripſerant, vt in tam graui cauſa, vbi de omni eorum patrimonio agebatur, aduocati ſibi adeſſent. Chriſtophoro reſpondit Franciſcus ſe omnibus in bona cauſa opem ſuam implorantibus natura ſua facillimè adeſſe conſueſſe: cæterum propter inita cum Carolo Imperatore fœdera eorum propugnationem ſuſcipere, aut ad fœderatos Sueuicæ ſocietatis eo nomine ſcribere non poſſe. Carolum enim Imperatorem, ac Ferdinandum eius fratrem Vittembergenſis Ducatus præter ius poſſeſſi tacitè inſimulare videretur: de priuatis ſuis facultatibus, modo per fœdera liceat, lubentiſſimè & illi, & patri ſatisfacturum. re vera vtrumque in Vittembergenſem Ducatũ reſtitui Franciſcus impenſè cupiebat, vt Caroli Imperatoris, Ferdinandíque potentiam imminueret, & ſibi nouos ſemper amicos in Germania pararet, par pari Carolo relaturus, qui ſocios omneis à Franciſco diuellere, & ad ſe pertrahere conabatur: ſed ita ſe gerere volebat, vt nec à Madriciano, nec à Cameracenſi fœdere recedere videretur. Erat adhuc in Regis comitatu Bonacurſius Grinus, qui quem ad heros ſuos Bauaros regulos Franciſcus mitteret, expectabat. Is hanc Regis eſſe mentem intelligens, eandem per litteras arbitrariis notis ſcriptas heris ſuis indicauit. Bauari Franciſco de benigno reſponſo gratias egerunt, nihil in Auguſtanis comitiis pertractatum iri; cur Chriſtophoro cum aliorum Regum, principúmque legatis adeſſe prohibeatur, addiderunt: cauſam enim Chriſtophori ex ſtatutis, conſuetudinibus, priuilegiis Germanici Imperij diiudicatum iri, quibus parere Ferdinandus non recuſabit; alioqui omneis eiuſdem Imperij ordines aduerſum ſe ſuſcitabit. Itaque Franciſcum ex duobus alterum aſſequuturum aut Vittembergenſes in Ducatum ſuũ reſtituturum, quos, eorúmque aduocatos perpetua amicitia ſibi deuinciet, & Ferdinandum amiſſa huiuſmodi prouincia debiliorem reddet: aut Ferdinandum vt rem in iudicium deduci nolle confiteatur, coacturum: in quo omnium Imperij ordinum indignationem ſubibit, qui non ſolum ipſum eo Ducatu, ſed & Regis Romanorum titulo ſpoliare poterunt: quæ Franciſcus ita exequetur, vt nihil contra facta cum Cæſare fœdera commiſiſſe videatur.

Germanorũ mos in cauſarum deciſione.

Et quandoquidem Gulielmum Bellaium Langeum mittere in Germaniam decreuit, vt 52
de depoſitione nummorum principibus Smalcaldici fœderis promiſſorum pertractet, qui in Auguſtanis comitiis ducibus Vittembergenſibus aderunt, precari Regem vt cauſam Vittembergenſium Ducum fœderatis Sueuicæ ſocietatis commendet, Langeóque iniungat vt illis non ſecus atque alij principum aduocatorum legati adſit, aut ſaltem vti Bauari cum Langeo conuenient. Alteras ad Regem litteras dedit Dux Chriſtophorus, quibus Auguſtana comitia de Cæſaris, Ferdinandíque conſenſu coiiſſe, eóſdémque ſuos ibi legatos habere, Ferdinandúmque vt Vittembergenſis Ducatus controuerſia ibi diiudicaretur aſſenſum fuiſſe docuit. Quod vt confirmaret, exemplum teſſeræ liberè ad Auguſtana comitia proficiſcendi à Ferdinando conceſſæ, litterarúmque ad præfectos Sueuicæ ſocietatis datarũ ad Regem miſit, quibus idem Ferdinandus non ſolùm vt ibi Vittembergenſis controuerſia decideretur, permittebat; ſed & ipſos Cæſari fratri ſe reconciliaturum promittebat. Quapropter Langeum Franciſcus in Germaniam miſit, vt de pecuniæ promiſſæ depoſitione cum principibus Smalcaldici fœderis ageret ea cõditione, vt ad ſola Germanici Imperij priuilegia conſeruanda, ipſóſque tuendos, ad neminẽ autem inuaden

Vittembergenſis Ducatus controuerſia.

Digitized by Google

inuadendum impenderetur, & vt in Auguſtanis comitiis ita Vittembergenſibus Ducibus adeſſet, vt facta cum Cæſare fœdera nulla in re violaret: præterea vt Sueuica ſocietas diſſolueretur, nec vllo modo renouaretur, operam daret. Septimo Kalend. Decembris Dux Chriſtophorus Auguſtam appulit; cui Ioannis Federici Saxonis Electoris, Henrici, & Erneſti Brunſuicenſium Ducum, Alberti Pouſſiæ, Alberti Ducis Michelpurgenſis, Ioannis Ducis Cliuienſis, Philippi Lantgrauij Heſſi, Georgij Comitis Vittembergenſis legati tanquam aduocati affuerunt. Langeum quoque vt ſe itidem aduocatum inſcriberet Dux Chriſtophorus rogauit: cæterum quid inde conſequeretur Langeus intelligens non vt aduocatus, ſed vt amicitiæ inter principes reconciliandæ interpres adeſſe voluit. Et Bauari duces (Baioarios & Bauariam vocant) Vittembergenſium auunculi non vt aduocati, ſed vt affines, & Sueuicæ ſocietatis fœderati per legatos ſuos affuerunt. Miſerat & Anglus, ſed eius legatus poſt dimiſſa comitia Auguſtam appulit. Ioannes Hungariæ Rex propter itinerum difficultates legatos non miſit, litteras tamen ad Sueuicæ ſocietatis fœderatos in Vittembergenſium gratiam officioſiſſimas dedit. Rutelingam arcem, atque oppidum Sueuici agri Vlricus Vittembergenſis regulus vi cepit, quod homines ſibi obnoxios vel cæcidiſſent, vel malè mulctaſſent; & quamuis apud eius oppidi magiſtratus ſæpius queſtus fuiſſet, ius tamen ſuum obtinere non potuiſſet. Fœderis Sueuici ſocij apud quos de factis ſibi iniutiis Vlricus queri debebat, indignati quod oppidum fœderatum Vlricus crudeliter expilaſſet, eum Vittembergenſi agro expulerunt, & Ducatum Cæſari certis conditionibus addixerunt; Cæſar ad Ferdinandum fratrem transtulit.

53 Conditiones præcipuæ fuerunt, vt Chriſtophoro Vlrici filio tum quartum annum agenti ius ſuum reſeruaretur; disertè vero in Cubingam ac Neiffenam arces. Item vt cum patre Cæſar conueniret, hoc eſt, vt multi interpretabantur, vt opulentum Ducatum liberaliter compenſaret (hominem enim magnis cognationibus innixum omnino ad egeſtatem redigi nolebant) Chriſtophori mater Sabina Bauarorum Ducum ſoror Maximiliani Imperatoris ex ſorore neptis erat, cum Cæſare, ac Ferdinando arcta affinitate coniuncta: Vlricus ipſe plurimis Sueuicæ ſocietatis principibus propinquus, ſed ingenio immani, ac ſæuo, qui vxorem illuſtri familia ortam flagris ſæpius diuerberaret, & proſtratam quaſi iumentum calcaribus agitaret. Chriſtophorus patri diſſimilis præclara indole præditus Bauaris auunculis, populóque Vittembergenſi chariſſimus erat, quem paterni principatus oppida quædam repetentem, quæ maternæ dotis erant, Cæſar repulerat, ne in ea receptus ad cæterum principatum ſibi vindicandum aſpiraret. Quapropter cognatis eius connitentibus Sueuica ſocietas ſeptuaginta annos cum magna Auſtriacæ familiæ authoritate continuata tum diſſoluta finem accepit. Deinde de Vittembergenſibus Ducibus in integrum reſtituendis Bauari Duces, Lantgrauius Heſſus, atque eorum propinqui, ac fœderati multum inter ſe contulerunt: & quoniam ius denegabatur, armis perſequi decreuerunt. Pecunia ad comparandum exercitum opus erat, quam ſuppeditare Gallus propter inita cum Cæſare fœdera non poterat. Bellicæ arcis montem (Mompelicardum, aut Mombelliardum vocant) Comitatui Feretano, Burgundicóque contiguum acceptis centum, & viginti nummûm aureorum millibus Franciſco Vlricus vendidit, niſi intra triennium lueret, Regi hæreditarium. Miſſus eſt in poſſeſſionem Franciſcus, ſed intra tempus præſcriptum Vlricus pecuniam reſtituit, & Comitatum recepit; ex ea pecunia coacto exercitu cuius Lantgrauius Heſſus Cæſari alioqui infenſus, quod in hæreditatis controuerſia inter ipſum, Henricúmque Naſſauum diſceptata ſecundum Naſſauum pronuntiaſſet, ſummus dux erat, reguli Vittembergenſes in ſuum Ducatum anno proximo reſtituti fuerunt.

Sueuica ſocietas quando diſſoluta.

54 Vt ad Franciſci Regis è Maſſilia reditum reuertar, is Maſſiliæ à Clemente obtinuerat, ne deuotiones, diráſque aduerſus Anglum decretas ante, quàm de illius voluntate certior fieret, omnino pronuntiari pateretur: quem poſtremum actum, fulminationem vocant. Hinc Ioannem Bellaium Pariſienſem Pontificem ad Fanum Andreæ circa Decembris Kalendas reuerſus ad Anglum miſit, quem in Romani Pontificis obſeruantia perſeuerare cohortaretur. Biennium apud Henricum legati munere functus erat Bellaius: idcirco vt homo doctus, illíque familiaris quamuis indignatum eò perduxit, vt ſi Clemens ſuam fulminationem differret, ipſe quoque quod animo intenderet, nempe vt Clementi priſtinam obſeruantiam renuntiaret, exequi differret. Bellaius, quod res magni momenti erat, & regis gratiam demereri cupiebat, Clementis adeundi munus ſuſcepit, & equis curſoribus iter perſequutus ante Decembris finem Romam appulit: &

quod in Angli cauſa poſt Clementis reditum nihil innouatum fuiſſet, rem adhuc in integro eſſe comperit, in celebri Cardinalium conuentu (Conſiſtorium illi vocant) auditus, quum Angli poſtulatum non omnino iniquum videretur, eius reſponſum intra tempus præſcriptum proferre iuſſus eſt. Itaque hominem expeditum ad Anglum equis curſoribus miſit, & vt Romam intra præſcriptum diem rediret, iniunxit. Præteriit dies: Cæſariani vt tandem huic controuerſiæ finis imponeretur, inſtabant: Bellaius in Cardinalium cœtu difficillimo vehementiſſimæ hyemis tempore multa viatoribus terra marique accidere poſſe opponebat, Oceano præſertim tempeſtatibus fere ſemper obnoxio: diem paululum differrent, poſtremo ſex tantum dies adderent, orabat. Prudentiores aſſentiebantur: plures in contrariam ſententiam pedibus ierunt; & quod tribus poterat, vno conuentu perfecerunt, latámque aduerſus Anglum ſententiam fulminarunt, vt illi loquuntur. Biduo poſt ab Anglo nuntius rediit cum mandatis ampliſſimis: quapropter Cardinales, qui erratum ſuum corrigerent, diligenter inquirentes ſæpius conuenerunt, nec vllam retractandæ ſuæ ſententiæ rationem inuenire potuerunt. Anglus indignatus à Romani pontificis obſeruantia receſſit, & in his, quæ ad religionem pertinent, ſe Chriſti quaſi vicarium declarauit: tributúmque Romanis Pontificibus pendi ſolitum Romam deinceps ferri prohibuit: quod inde originem habuiſſe traditur. Inas Angliæ Rex circa annum ſeptingenteſimum quadrageſimum, vt Chriſtiani numeramus, regnum ſuum Pontifici Romano vectigale fecit, & ſingulis Anglorum domibus vt loquuntur, hoc eſt, familiis vt ſingulos argenteos denarios penderent, indixit: Petri denarios vocabant: quos per quæſtores ſuos Romani Pontifices recipiebant.

Henricus à Romani Pōtificu obſeruantia deficit.

Tributi Pontifi-ÿ quotannis ab Anglis pēdi ſoliti origo.

Anno 1534.

Anni huius ſæculi triceſimi quarti initio Philippus Lantgrauius Heſſus quod anno ſuperiore molitus erat, bellum Ferdinando Regi intulit: quinque galeatorum equitum, peditum quindecim millia Guilielmo Fruſtembergo duce coegit, & in Vittembergenſem agrum irrupit: Argentinenſes, atque Vlmenſes tormenta commodarunt. Huic Ferdinandus Philippum Palatinum conſeruatæ aduerſus Solymanum Viennæ gloria clarum oppoſuit: duo equitum millia, Germanorum peditum treis legiones attribuit, quibus Conradus Heſſius ac Maximilianus Hebeſtenius præerant. aliquot tumultuariè collectas cohortes, & iuſtam tormentorum copiam addidit: ad Loſſenum vicum menſe Maio conſertum prælium eſt. Palatinus equo tormenti pila cæſo in talum vulneratus pugna excedere coactus eſt: milites eo caſu deterriti præfectis retinere fruſtra conantibus ſe in fugam dederunt. Langrauius tormentis, impedimentiſque hoſtium potitus Vittembergenſem agrum Vittembergenſibus regulis facilè reſtituit. Tertio Kalendas Iulias Moguntinus Pontifex, ac Georgius Saxo Lantgrauij ſocer Cadami, quod oppidum Bohemiæ eſt, conuenientes Saxonem Electorem Ferdinando Romanorum Regi his conditionibus reconciliarunt, vt ſcilicet religionis ergo nulla vis aduerſus Proteſtantes inferretur, nulla lis moueretur: quo capite ſacramentarij, Anabaptiſtæ, cæteræque id genus ſectæ non comprehenderentur: Spirenſes, hoc eſt, Imperatoriæ cameræ (vt vocant) iudices ab omni actione aduerſus Proteſtanteis abſtinerent, idque à Cæſare Ferdinandus impetraret. Saxo Ferdinandum Regem Romanorum agnoſceret: viciſſim Ferdinandus à Cæſare, ſeptemuiriſque intra menſem decimum edictum fieri procuraret: quo ſi viuo Cæſare creandi Romanorum Regis occaſio incidet, ſeptemuiri ante conueniant, & num iuſtæ cauſæ proponantur expendant: ſi iuſtæ videbuntur, ex Carolinæ legis formula, quod cœperint, perſequantur quod ſecus factum erit, irritum eſto: intra idem tempus paternorum, auitorumque bonorum hæreditatem Cæſar Saxoni confirmet. Nec multò poſt Germaniæ regulis ſeſe interponentibus Vittembergenſes reguli Ferdinando reconciliati fuerunt ea conditione, vt Auſtrianos principes patronos beneficiarij agnoſcerent, quum antea Germanicum Imperium agnouiſſent. Coronen paulò ante Cæſar Clementi, Venetis, Rhodiis militibus obtulerat illi defendendæ ſumptibus deterriti accipere recuſarunt: poſtremo Solymano vt decennales inducias impetraret, reſtituere decreuerat, idque per Ludouicum Grittum Clemens procurabat: ſed dum cunctantius id conſilium expeditur Corone ab Hiſpanis relicta eſt. Tum quoque Chriſtierna Chriſtierni Daciæ Regis & Iſabellæ Cæſaris ſororis filia è Flandria per Germaniam Mediolanum deducta Franciſco Sfortiæ regulo nupſit. 55

Saxo Elector, & Vittembergēſes Ferdinando Romanorum Regi reconciliantur.

Lantgrauius Vittembergenſibus regulis in integrum reſtitutis in Ferdinandi ditiones inuadere, atque inde in Italiam tranſire Gallo promiſerat: idcirco Franciſcus Rex ſeptem legiones in ſuis prouinciis conſcripſerat. Normania, Picardia, Britannia minor, Aquitania, prouincia Narbonenſis, (Languedocium vulgò appellant) ſuam vnaquæque, 56

Burgundia,

Digitized by Google

Burgundia, Campania, Ambarri vnam Phocenſis prouincia, Delphinates, Lugdunenſes, Arucrni vnam ſuppeditare tenebantur. Singulis legionibus ſex præfecti erant, qui ſub ſe mille pedites, duos legatos habebant: legati quingentos, tam præfecti, quam legati militum ſuorum nomina, ac cognomina noſſe debebant, non ſolum vt eos, quum opus eſſet, paratos haberent, verum etiam vt ſi quid deliquiſſent, malè mulctarent. Magna tam præfectis, quàm militibus conceſſa priuilegia: à tributis, quas vulgo tallias vocant, immunes erant, modo viginti aſſes Gallicos vnoquoque anno tributa non excederent: ſi excedebant, viginti aſſes deducebantur. Si viri nobiles erant, ab iis quæ in bellis fundorum ſuorum nomine præſtare debent, erant pariter immunes: vnus ex ſex præfectis cæteris imperabat, niſi alium Rex qui imperaret, imponeret. Sex præfecti in ſingulos menſes centenas libras dum bellum gerebatur in ſtipendium accipiebant: pace conſtituta quinquagenas; legati harum dimidium, milites centum aſſes Gallicos in ſingulos quoque menſes. Finito bello ſemel octoginta quotannis, quibus impenſas, vt ad locum conſtitutum recenſerentur, eundo, redeundóque facerent: ſed quæ ad victum pertinebant, illis æqua æſtimatione, prout miniſtri Regij ſtatuerant, exhibebantur. Legiones paratas eſſe certior factus Franciſcus Normanicam menſe Maio ad Rothomagum, Belgicam, ſiue Picardicam circa duodecimum Kalend. Iulias in planitie inter Ambianos, ac Fuſciani Fanum, inde in Campaniam profectus in Rhemis eius quoque prouinciæ legionem recenſuit. Tum vt regni limites luſtraret Maſſerias adiit, vnde arx Lumen vulgo appellata mille fortaſſe paſſibus abeſt. Hanc Buzancius ex Aſperomontanorum familia egregiè munierat; nec vt Retelici Comitatus fundum, ſiue beneficium agnoſcere volebat, quod pater eius Retelici Comitatus adminiſtrator Horuallo Campaniæ prætore clientelæ acta ſubduxerat. Is Regiis miniſtris Regi hero hoſpitium paraturis portas arcis occluſerat: quapropter Rex indignatus ſex maiora tormenta, Campanámque legionem contendere illuc iuſſit. Metu conſternatus Buzantius per Robertum Marchianum Regi reconciliatus eſt, arce Iacobo Andreano equeſtris alæ ductori tradita, cui Regis nomine præeſſet. paulò poſt nihilominus eodem Marchiano impetrante in arcem reſtitutus eſt, quam ſtipendio auctoratus Regis nomine teneret: aliquot tamen poſt annis (vt incerto ingenio erat) ad Cæſarem defecit: quapropter Henricus Secundus Franciſci filius arcem tormentis diſruptam, captámque, ac ſibi commiſſam demoliri iuſſit.

Franciſcus Meruellij mortem bello vlciſci aggreditur.

57 Franciſcus itaque ad bellum ſe comparans, quo Meruellij mortem vlciſceretur, Guilielmo Fruſtembergo, vt viginti Germanorum peditum cohortes conſcriberet, iniunxit: à Carolo Allobrogum regulo auunculo, vt per eius ditiones exercitum traiiceret, per legatos petiit. Is ab vxore Beatrice Luſitana Imperatricis ſorore perſuaſus, vt ferebatur, traiiciendi poteſtatem ſe facturum negauit. Quapropter indignatus Franciſcus Guilielmum Poietum Senatorem Pariſienſem, qui non multo poſt Cancellarius fuit, ad Allobrogem miſit; quæ ad matrem ex fratris hæreditate peruenerant, repetiturum: Philippus enim Sabaudiæ, ſiue Allobrogum regulus Amadei filius prioribus nuptiis Margaritam Borboniam Petri Boiorum reguli ſororem vxorem duxit: ex qua Philbertum Sabaudiæ regulum, qui Margaritam Maximiliani Imperatoris, & Mariæ Burgundicæ filiam in matrimonio habuit; ac Ludouicam Franciſci matrem, ſecundis nuptiis ex Claudia Pontabriæ reguli filia Carolum, qui Philberto ſine liberis mortuo ſucceſſit; ac Philippum Nemorenſem regulum, qui Maſſiliæ interim dum Clemens, ac Franciſcus Aureliani ac Catharinæ Mediceæ nuptias celebrant, diem ſuum obiit, ſuſcepit. Idcirco Ludouica vnica Philberti germani fratris hæres idem ius ad Franciſcum filium ſua morte tranſtulerat; qui Nicienſem ſiue Nicenum Comitatum à Gallis quondam Allobrogibus regulis oppigneratum Villafrancam, Inalpinum principatum, quem Pedemontanum vocant, quaſi Phocenſis prouinciæ portionem, aut certè Delphinatus Vienneſis clientelam ſibi vendicabat. Ad hæc Allobroges reguli pleraſque vrbeis Salaſſi Marchionis occuparant, qui Gallum Delphinum patronum agnoſcit. hac de re multæ ad Carolum regulum diuerſis temporibus miſſæ legationes fuerunt. Diſtulit tamen bellum Franciſcus, & Guilielmum Fruſtembergum, cuius ſupra mentionem fecimus, vt præfectis ſtipendium dumtaxat penderet, milites nondum cogeret, admonuit: at Gebennenſibus ab Allobroge obſeſſis opem tulit miſſo cum Rentij Ceritis ala Vereo ſuperioris ordinis cubiculario. Bernenſes ad decem millia ſuppetias ferentes non ſolum obſidionem ſoluerunt, ſed & Allobrogis ditiones nonnullas, Luſanam item Pontifice pulſo, occuparunt. Interea Clemens languente diu ſtomacho, vel veneno propinato tabefactus, vt nonnulli ſuſpicati ſunt, quinquageſimo ſuæ ætatis anno è vita exceſſit. Culpam alij in Curtium medicum

Clementis Pontif. Max. mors.

Paulus III. eius ſucceſſor.

medicum conferunt, qui valentem, & firmo corpore præditum commutata vitæ ratione exinanitum vitam longiorem pollicitus perdidit. Iulio menſe exortus cometa in bonam Auguſti partem cœlo affixus eius mortem portendiſſe viſus eſt. In eius locum concordibus Cardinalium ſuffragiis ſurrogatus eſt Alexander Farneſius Romanus, Paulus deinde Tertius nuncupatus.

Id fere temporis Ludouicus Grittus Andreæ Veneti Ducis filius nothus, dum is Bizantij ageret, natus, atque ibi educatus in Hungariam inferiorem cuius Metropolis Belgradum eſt, à Solymano prætor, & legatus miſſus eſt. Is quod ingenio acerrimo eſſet, ingenteis diuitias ſibi compararat, & ita ſe in Habraimi Baſſæ omnia Solymani conſilia moderantis gratiam inſinuarat, vt ſæpius à Solymano in colloquium magnis etiam de rebus admitteretur: quod noſtrorum hominum nemini licebat, & non ita dudum Budam repulſo Ferdinandi Regis exercitu fortiter defenderat; quem idcirco regni ſui quæſtorem Ioannes Vaiuoda fecerat, & Antonium eius filium Agrienſi Pontificatu donarat, hunc Clemens in Cardinalium cœtum cooptare decreuerat, non tam in aui gratiam (vt videtur) quam vt patrem, qui ad ſacra Mahometana defecturus putabatur, in noſtra perſuaſione retineret. Grittus igitur conſeruata Buda Bizantium reuerſus apud Solymanum in magna gratia fuit; & aliquanto poſt in Hungariam eius legatus remiſſus nihil minùs, quam Hungariæ præfecturam ſibi deſpondebat. Si quid enim Ioanni Vaiuodæ humanitus accidiſſet, Solymanum cliente extincto regnum maiorum ſuorum more in prouinciam redacturum pro certo habebat, Quum itaque Hungariæ proceres conuocaſſet, Americus Cibachus Varadinenſis Pontifex non minùs virtute quàm familiæ nobilitate clarus tardius quàm cæteri acceſſit. Qua mora offenſus Grittus, & hominis authoritati inuidens eundem per ſatellites ſuos trucidandum curauit. Quam ob rem indignati Hungari proceres collectis quadraginta tam equitum, quam peditum millibus Grittum in Mege oppido circumſeſſum, & quum elabi conaretur captum par pari reddentes capite mulctarunt: eadem æſtate Solymanus Habraimo Baſſa ſuadente Perſicam expeditionem ſuſcepit, & Hariadenum Barbaruſſam in Africam cum duarum, & nonaginta triremium, & aliquot biremium claſſe miſit octies centenis nummûm aureorum millibus in bellicos ſumptus numeratis: totius enim mundi imperium ſibi promittens diuerſiſſimas eius plagas alteram ad Orientem terreſtri, alteram ad Occidentem maritimo bello ſubigere decreuerat: quorum euentus quum ſe anno proximo explicarint, totam narrationem in ſequentem librum differendam putaui. 58

Perſica expeditio à Solymano ſuſcepta.

Sub huius anni finem Lutherani infames libellos aduerſus ſacram Liturgiam, & receptos antiquos Chriſtianorum ritus Lutetiæ ſparſerunt: & in Regio palatio, multiſque aliis in locis tam publicis, quam priuatis affixerunt. Hinc Regis edicto cautum eſt, vt eius ſectæ conuicti viui comburerentur: Idcirco menſe Ianuario ſequentis anni Rex Lutetiam acceſſit & ſupplicatione in duodecimum Kal. Februar. denuntiata cui ipſe cum vxore & liberis interfuit, grauem orationem ea de re habuit; quo die ſex noxij indictam pœnam ſubierunt. 59

Anno 1535.

Frãciſci edictum contra Lutheranos.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM DECAS TERTIA,

LIBER VIGESIMVSPRIMVS.

1 TRICESIMI quinti huius ſæculi anni initio Franciſcus vbi Lutheranorum audaciam compeſcuit, & ſe hoc nomine apud Germanos falſis calumniis inceſſi intellexit, ad Imperij principes, cæteróſque ordines Kal. Februar. ſcripſit; ac primùm quod de Turcicis legatis, qui tum in Gallia erant, inſimulabatur, nonnullos, quorum nominibus pepercit (Ferdinandum autem Cæſaris fratrem intelligebat) & legatos ſubinde ad Solymanum miſiſſe, & viciſſim ab eo accepiſſe reſpondit; quinetiam & ſe Turci vectigales conſtituiſſe, vt ad eum, quem tum ambiebant, dominatum peruenirent. Bonas ſibi à Solymano offerri conditiones, vt penitus à bello abſtineat, quas niſi cum cæteris Chriſtianis Regibus, ac principibus communes eſſent, hactenus repudiarit: quorumdam ambitionem, vt Solymanus noſtris ceruicibus immineat, in cauſa eſſe, qui ditionum ſuarum terminos in dies magis ac magis dilatare cupientes bella inter Chriſtianos miſcent, & Solymanum ad nomen Chriſtianum euertendum inuitant. Quod ſi pax inter Chriſtianos bene conſtet, & ſe ſuis finibus quiſque contineat, Solymanum haudquaquam in nos inſultaturum, ſed aliò arma ſua conuerſurum: ſibi in hiſce religionis controuerſiis vt cum eo vel pax vel longi temporis induciæ ineantur, optimum videri. Vt interim vanæ de religione perſuaſiones aboleantur, veræ retineantur, hoc præcipuum, ac prope vnum veræ pacis eſſe fundamentum: pax enim cum Deo Opt.Max. habita, alteram, hoc eſt, ab armis vacationem facile ſecum trahet. Id Clementem in animo habuiſſe ex recenti colloquio planè intellexiſſe: Paulum Tertium eadem mente præditum fore, & multis virtutibus parta exiſtimatio, & incorrupta quibus creatus eſt, ſuffragia fidem faciunt. Itaque bonam de concilianda religione ſpem concipiant; qua in re ſe pro virili collaboraturum ſpondet. Ad aliud caput de Lutheranis ſupplicio affectis reſpondet homines ſceleratos, & nouarum rerum ſtudioſos concitandæ ſeditionis initia feciſſe, idcirco vt cæteris exemplo eſſent, iure fuiſſe mulctatos: at nullum Germanum huiuſce noxæ compertum. Quod ſi qui inter ſeditioſos deprehenſi fuiſſent, haud ſecus, quam in ſuos animaduerſurum fuiſſe: quemadmodum & ſi qui ex ſuis in Germania ſimile quiddam deſignaſſent, quin in eos acerbè vindicetur, non recuſat: callidos homines inſidioſè Germanos à Gallis diſtrahere conari, vt mox imperioſè vtriſque dominentur. Petebat præterea vt ſecum ſocietatem coirent: illi Imperatorem excipiebant, aduerſus quem arma ferre nollent: quapropter Bellaius legatus re infecta rediit.

Anno 1535.

Caroli V. ambitio tacitè reprehẽditur.

Lutheranos iure Lutetiæ capite mulctatos fuiſſe conficitur.

2 Miſit legatum ad Proteſtanteis etiam Henricus Octauus Angliæ Rex Eduardum Foxum Herfurtenſem Pontificem, & ſe Romanæ tyrannidis iugum (vt ille loquebatur) excuſſiſſe teſtatus eſt; ac recitata Anglorum Regum, Saxonúmque principum propinquitate, quandoquidem eandem doctrinam, hoc eſt, puram verbi Dei intelligentiam profitentur, orat vt in ea perſeuerent; nec nouas ſectas admiſceant: quod tamen Anabaptiſtis reiectis, ſupplicióque affectis ſatis declararunt. Ad hanc doctrinam conſeruandam ſe omneis opes ſuas collaturum, & cum ipſis coniuncturum pollicetur: concilium ſatis commodè coire non poſſe niſi prius publica orbis Chriſtiani pax conſtituta ſit. Ad ea illi reſpondent:

reſpondent: ſe plurimum Regi de communi doctrina gratulari, gratias agere, quod ad eam tuendam ſe paratum eſſe confirmat: legatum Pontificium in Germania verſari, & quaſi concilia indicere ſolius Romani Pontificis ſit, apud principes concilium Mantuam indictum prædicare; ad cuius poſtulata ſcripto libello reſponderint, quem ad Regem perferendum curabunt. Iam Cæſar magnos belli apparatus terra marique adornabat, & quonam ſpectaret, adhuc incertum erat: quapropter rebus quoque ſuis Franciſcus prouidens ne imparatus opprimeretur, à diuini cultus miniſtris quorum opulentæ ſunt poſſeſſiones, à Pontificibus (inquam) tertiam, à cæteris beneficiariis dimidiam ſuorum fructuum partem in Regium ærarium conferri poſtulauit. Spiritales, quas vocant, poſſeſſiones excepit: cuiuſmodi vini, frumentique ac cæterarum rerum decimæ, & quæ in templis offeruntur, eſſe cenſentur. Sed ne magna in hiſce diuidundis conſequeretur perturbatio, poſtulatum Regium ad treis decimas redactum eſt. Tum ad Carolum Allobrogem auunculum alteram legationem miſit, vt quæ ſibi ex materna hæreditate debebantur, recuperaret, quorum ſupra mentionem fecimus. Hæſit diu Allobrox, & de Nicea reſtituenda ſæpius cogitauit; in quam nullum niſi inueteratæ poſſeſſionis ius ſibi vendicabat: oppignerata enim Allobrogibus regulis fuerat, pecuniam reſtituere Rex Franciſcus volebat: ſed primum à Beatrice vxore, deinde à Franciſco Sfondrato mediolanenſi Senatore Cæſaris apud ſe legato reuocatus in priſtina ſententia perſeuerauit. Diſtulit bellum Franciſcus, & Cæſare aduerſus noſtræ perſuaſionis hoſteis occupato nihil innouare voluit. Anno ſuperiore menſe Maio Monaſterium Vueſphaliæ metropolim Anabaptiſtæ occuparant, quam paulò poſt Franciſcus Valdecus Monaſterienſis Pontifex circumſedit: & quum oppugnatione tentata nihil profeciſſet, ab Imperij principibus, liberiſque ciuitatibus vt opem ferrent, ab iis præſertim, qui à Rheno non longè aberant, poſtulauit. Idcirco conuentus ad Idus Decembres eiuſdem anni Confluentiam indicitur; quibuſcum Ioannes Fridericus Saxo Elector coniungitur. Decernuntur in ſex menſes trecenti equites, tria peditum millia, quibus Vlricus Comes Oberſtenius præfuit. Additum eſt vt cæteri Imperij ordines de mittendis auxiliis moneantur.

Monaſterium ab Anabaptiſtis occupatum à Valdeco Epiſcopo expugnatur.

Aprili menſe ſequentis anni Vormatiæ conuentum egit Ferdinandus, & vt in quinque menſes centum nummûm aureorum millia, vicena in ſingulos decernerentur, impetrauit. 3
Vtriſque auxiliis fretus Valdecus vrbem propugnaculis, caſtelliſque ita cinxerat, vt nullus illuc commeatus inferri poſſet. Monaſterienſibus Ioannes Matthæus homo fanaticus qui Prophetæ nomen aſſumpſerat, initio imperabat: qui quod excurſione quadam aduerſus hoſteis proſperè conflixiſſet, inde factus elatior, vt omnes aurum, argentum, omnémque adeo ſupellectilem in publicam domum ad id conſtitutam conferrent, edixit, pœna capitis recuſantibus indicta. præterea ne quis præter biblia librum vllum haberet, prohibuit, cæteros incendi iuſſit; cui ſupplicij metu omnes paruerunt. Aliquot poſt diebus haſta correpta vrbem percurrens Deum Patrem mandaſſe clamauit, vt ab vrbe hoſteis repelleret, in eóſque irruens inter primos cæſus eſt. Huic ſucceſſit Ioannes Leidanus natione Batauus ſartor veſtiarius, qui nulla, vt prior, eruditione præditus, ſed ingenio ad fallendum mirè callido abundans Prophetæ nomine reiecto, vt octauo Kal. Iulias Rex conſtitueretur, effecit. Ternas vxores duxit, & cuiuis quot vellet ducere permiſit: atque ita regnum ſuum ſtabiliuit, vt nulli tyranno magis obtemperatum ſit. Ob longam obſidionem commeatus poſtremo ita defecit, vt multi fame perirent, nonnulli ab infantium eſu non abſtinuiſſe dicantur. Ad deditionem plerique parati erant, & Regem Pontifici in manus tradere volebant, quos iudicio coniurationis facto miris cruciatibus trucidatos cæteris exemplo eſſe iuſſit. hinc Regis imperioſi metu ne mutire quidem audebant: tandem duo qui ex vrbe profugiebant, ad Valdecum Pontificem decimo Kal. Iulias adducuntur; ij capiendæ vrbis rationem docent. Valdecus Monaſterienſes, vt ſe dedant, admoneri iubet: illi per Bernardum Rotmanum præſente Rege ſe in propoſito perſeuerare reſpondent. Octauo Kal. Pontificij transfugis ducibus per foſſam in vallum conſcendunt, & cæſis vigilibus noctu in vrbem irrumpunt: alij per minorem portam, quam patentem offenderant, intrarunt, & vicina porta refracta ſocios admiſerunt, atque poſt acrem conflictum vrbe potiti ſunt: Captus eſt Rex Ioannes Leidanus, ac Cuiperdolingus, quem ille ex Monaſterienſi conſule carnificem conſtituerat, Ioannes item Bucoldus; & mox ignitis forcipibus dilacerati vitam finierunt. Et quoniam in Anabaptiſtas incidimus, huius ſectę originem ediſſerere non alienum erit: circa annum huius ſæculi viceſimum Martinus Lutherus librum DE LIBERTATE CHRISTIANA edidit, qui ſtatim in Germanicum ſermonem tranſlatus magno omnium applauſu in Germania exceptus fuit. Hinc Thomas Muncerus Saxo

Secta Anabaptiſtica origo, & capita.

homo

homo indoctus ſed in eo Lutheri libello diligenter verſatus varia paradoxa excerpſit, & multas ſententias aliter, quàm par erat, interpretatus, in publicis concionibus euulgauit: tantúmque profecit, vt triginta popularium ſuorum millia breui collegerit, qui omnia Chriſtianorum bona communia eſſe debere vociferati principes omneis, viróſque nobiles, magiſtratus etiam ſe trucidaturos minabantur, & Chriſti regnum velut ætatem illam auream renouaturos prædicabant. At ruſticas has copias Georgius Truccſeſius Valpurgus Sueuici fœderis dux ſub quo Gulielmus Fuſtembergus militabat, ac Ludouicus Palatinus ſtatim deleuerunt, Muncerúmque extremo ſupplicio affecerunt.

4 Eodem tempore & ad Argentinam quindecim eiuſdem ſectæ millia coierunt, qui Ticinenſi pugna Rege capto bonam Gallicæ nobilitatis partem cæſam eſſe rati in Lotharingiam primum, inde in Galliam irrumpere deſtinarant. his Guiſanus, ac Vademontanus Lotharingi reguli fratres cum ſex tam equitum, quam peditum millibus obuiam proceſſerunt, & ad Tabernas ingenti ſtrage fuderunt, cum perpaucos è ſuis amiſiſſent. alij octo alij decem ruſticorum millia cecidiſſe tradunt: tertia pars in vicinos monteis euaſit nec poſtea vllus ab Anabaptiſtis tumultus excitatus eſt; quanquam hoc malum totam fere Germaniam peruaſit: ſed vbique ita malè mulctati fuerunt, vt ad quinquaginta hominum millia periiſſe tradantur. Quæ viceſimo quinto huius ſæculi anno acciderunt. Anabaptiſtarum placita hæc erant: Ante mundi finem Chriſtum hic regnum ſuum propagaturum, in quo ſoli pij regnent, Regibus, principibus, magiſtratibus ſublatis: id vero iam in Anabaptiſtis initium ſumere, inter quos nullus impius reperiatur, omnes ſancti ſint: neminem ſempiternæ felicitatis compotem eſſe poſſe, niſi deintegro abluatur, & omneis ſuas facultates in commune conferat, quæ Pythagoreorum olim lex fuit: quum legi naturæ lex diuina non repugnet, vnicuique multas habere vxores licere: quamuis Chriſti diſcipulis, quos Apoſtolos nominant, vitæ in cæteros, necíſque poteſtas data non ſit, eorum nihilominus ſucceſſoribus eſſe conceſſam, qua magiſtratus quum viſum erit, trucident. Chriſtum ex Mariæ virginis carne corpus non ſumpſiſſe, & alia pleraque id genus addebant. Interim dum Gallus, Anglúſque Proteſtantium ſocietatem ambiunt, nec multum proficiunt; dum ille cum Allobroge auunculo de materna hæreditate diſceptat, Germani Anabaptiſtas exterminare conantur, Cæſar tuendi, propagandíque Chriſtiani Imperij auidus ingentem, quam ſeptingentarum omnis generis nauium fuiſſe tradunt, claſſem inſtruit, vt regnum Tunetanum ab Hariadeno Ænobarbo occupatum & ad Mediterraneum mare, maritimáſque prouincias infeſtandas peropportunum in ſuam poteſtatem redigat, & Barbaruſſam inde expellat: cuius ex abiecto prædone ad Regium faſtigium euecti progreſſus breuiter enarrabo.

Ingens Cæſaris claſsis vt regnum Tunetanum in ſuam poteſtatem redigat.

5 Horucius atque Hariadenus à fratris cognomine Barbaruſſa appellatus Mithylenei patre Græco, qui à Chriſtianis ad Mahometana ſacra tranſierat, in Lesbo geniti, egentéſque primum vnica bireme dumtaxat piraticam exercuerunt: deinde paulatim diuitiis, ſeruitiis, nauigiis aucti in Mauritaniam tranſmiſerunt. De regno Algerij quod antiquis Iuliam Cæſarem fuiſſe putant, contendebant duo fratres: ab altero mercede conducti Lesbij piratæ egregiam primum illi operam nauarunt: multos enim ſecum ſclopetarios duxerant Numidis adhuc fere incognitos: quos inermes, imbelléſque experti, & ex ſociis hoſtes facti Algerij regnum occuparunt: ſed Regis nomen Horucius natu maior ſibi vendicauit. Paulò poſt Circellum (Carcennam coloniam olim appellarunt) ſexaginta inde paſſuum millibus diſtans regno ſuo addidit: mox Bugeam Hiſpanorum præſidio defenſam aggreſſus dextram manum tormenti pila abruptam amiſit, & ferream ſuppoſuit, qua etiam fortiter deinceps in præliis vſus eſt. Quum verò Treſimenij Regem à Carolo Imperatore ſocium appellatum regno expuliſſet ab Hiſpanis ſimul & Numidis ſuperatus inter fugiendum cæſus eſt, cui frater Hariadenus haud virtute inferior ſucceſſit, & ditiones ſuas longe, latéque propagauit. Nec priſtinum vitæ inſtitutum omittens claſſe comparata Mediterraneo mari quodam modo imperauit, atque Hugonem Muncatam ad Sardiniam ipſe, Portúdum autem ad Colubrariam inſulam Hiſpanicarum claſſium præfectos per Haidinum Smyrneum ſuperauit: quinetiam & Andream Auriam ad Circellum fortiter repulit. Quibus victoriis apud Solymanum nuper è Pannonia reuerſum ita clarus euaſit, vt per legatos accerſito maris imperium mandarit, quartúmque inter Baſſas numerarit, & cum ea, quam libro ſuperiore commemoraui, claſſe in Africam remiſerit. Inter nauigandum multas Italiæ vrbeis cepit, ac diripuit: multos mortales in ſeruitutem abduxit, & ipſi Romæ Clemente extrema valetudine laborante ingentem metum incuſſit: è Pontiis tamen * * * repentinus in Africam traiecit, quum ad Biſartam

 appuliſſet,

appuliſſet, & mox Guletam præteruceheretur. Guletanis ſe Roſcetem Muleaſſis fratrem
cuius crudelitatem vitans ad Hariadenum confugerat, & Byzantium ad Solymanum
deductus erat, in regnum reducere mentitus vt eum reciperent, indicauit. Guletani
præſidiarij ſe in eius poteſtate futuros reſponderunt, qui Tuneto potiretur: quapropter
Tunetum ſumma celeritate properauit, & eundem de Roſcete rumorem ſpargen-
dum curauit. Muleaſſes ſe ſuis propter crudelitatem rapinas, ſpurcáſque libidines odio-
ſum ſentiens vrbe ceſſit, nec tamen procul abceſſit. Hariadenum Tunetani Roſcetem
ſimul adeſſe exiſtimantes læti exceperunt: deinde quum nullus compareret, & By-
zantij in vinculis remanſiſſe per quoſdam è ſuis, qui cum Hariadeno venerant, intel-
lexiſſent, tumultum excitarunt, ac duce Abdahare qui tum ſummum in ea vrbe ma-
giſtratum gerebat, obuios quoſque Turcas trucidant, arcémque adoriuntur. Hariade-
nus qui iam arce potiebatur, in quam quinque Turcarum millia intromiſerat, paucis ex-
ceptis, qui in vrbe quaſi amica vagabantur, adorientium impetum facilè ſuſtinet; & ſclo-
petis, tormentóque, quod fortè in arce repererat, rem gerens multos cædit, longè plu-
res vulnerat, vt iam oppugnatio refrigeſceret: quam Muleaſſes reuocatus ſuo reditu
deintegro accendit. Sed quum maior tum quoque facta cædes fuiſſet, & Turcæ duabus
portis erupiſſent, Abdaharéque ſclopeti glande cæſo Tunetani fortiter repellerentur,
Muleaſſes ſe altera fuga proripuit. Tunetani in domos compulſi ſequentem noctem non
ſecus ac Turcæ inſomnem egerunt. Interim de pace actum: Hariadenus qui vix in tri-
duum commeatum in arce haberet, & ne noua à Numidis auxilia ſummitterentur, time-
ret, cum Tunetanis facilè conuenit, eoſdémque Solymano, & ſibi eius præfecto ſacra-
mento obligauit, ac tum demum regno Tunetano potitus eſt. Muleaſſem Dorax in ſuas
ditiones deduxit non longè à Conſtantina vrbe, quam Cytham Regum Numidarum
olim Regiam fuiſſe tradunt: vbi Cæſaris aduentum, de quo poſtea ſcribemus expectauit.
Sed ante Solymani aduerſus Tammaſum Iſmaelis Sophi filium Perſarum Regem expe-
ditionem, quæ præceſſit, explicandam arbitror.

Eodem fere tempore quo in Pannoniam Ludouicus Grittus, in Africam Hariadenus 6
ad obſidendam Coronen Luſtibeyus miſſus eſt, Solymanus cum exercitu ad Niceam
coacto Iconium Lycaoniæ, inde Coim maioris Armeniæ vrbem, quam in Artaxatæ rui-
nis conditam putant, proceſſit. Quum nullus hoſtis occurreret, veritus inſidias aliquot
ibi dies quieuit; donec Vlamanes Perſa, qui paucis ante annis ſeditionis, & peculatus
reus à Tammaſo ad Solymanum defecerat, & cum leui armatura itineris dux præcede-
bat, Tammaſum Hiberorum, & Albanorum auxilia expectantem, qui leuis armaturæ equi-
tes Perſas cataphractos præcedere ſolent, in monteis ſeceſſiſſe intellexit, vt Turcas longi
itineris labore feſſos, commeatúſque egenteis adoriretur. Igitur Tauriſium Tammaſi
regiam nullis mœnibus cinctam nemine ſe opponente ingreſſus eſt: inde ad Sultaniam
veterum Regum Perſarum regiam caſtra poſuit, vbi ſæua tempeſtas concretam glacie
niuem è vicinis montibus in ſubiectam planitiem noctu intorquens, tametſi circa æſti-
uum æquinoctium, ita caſtra afflixit, vt multa iumenta, præſertim cameli, multi item
lixæ, ac milites ægroti morerentur, ipſéque Solymanus non mediocre diſcrimen ſub-
iret pleriſque tentoriis circa ipſum vi tempeſtatis diſiectis; ſed hanc moleſtiam diei ſe-
quentis ſerenitas mitigauit: quapropter in Aſſyriam, vt Babylonem occuparet, iter
flexit: vbi Vlamanes huius conſilij author ſemper ante exercitum præcurrens Babylo-
ni appropinquauit, Mahometes regionis prætor imparatus, quod bonam ſui equitatus
partem ad Tammaſum id poſtulantem miſerat, & nunquam Turcas ad ſe acceſſuros pu-
Babylō à Solymano occupata. tarat, relicta Babylone Bethlin per Meſopotamiam profugit. Babylonem lætis ciuibus
admiſſus Solymanus, quod Mahometem nimis ſeuerum odiſſent, milites in totam re-
gionem hybernatum dimiſit: ipſe cum prætorianis totam hyemem variis ſpectaculis edi-
tis ibi traduxit, & à Calipha Mahometanorum ſacrorum principe, qui eam ſedem ha-
bet, regni inſignia ſuſcepit. mox vere ineunte Ægyptiacis, Syriaciſque copiis auctus
Tauriſium repetiuit: vnde Tammaſus, qui illuc redierat, iterum in monteis profu-
git; paſſim certas copias relinquens, quæ ſeſe hoſtibus oſtentarent, & itinerum angu-
ſtias obſeruarent. Vnde indignatus Solymanus, quod prælio decernere non poſſet,
Tauriſium militibus in prædam conceſſit, licet ciues inermes & ad accipiendum im-
perium parati clementiam eius implorarent, magnúmque vtriuſque ſexus iuuentutis nu-
merum in ſeruitutem abduci permiſit. In Meſopotamiam reuerſus Perſas ſibi imminere,
poſtremos carpere, Tammaſum auxiliis acceptis non longè abeſſe didicit: his oppoſuit
duos Ægypti, Syriæque præfectos cum quadraginta equitum, duobus prætorianorum
ſclopetariorum

Digitized by Google

ſclopetariorum millibus, qui curriles falcones trahebant, vt in procul diſtanteis diſploderentur: alter poſtremæ aciei, alter mediæ præſidio erat, equitatu bipartito & ab vtraque parte collocato. ita protectus Solymanus Amidam Meſopotamiæ vrbem peruenit, atque ibi exercitus ſui ſubſequentia agmina expectauit.

7 Tauriſium cum iuſtis copiis è Coraxenorum montibus reuerſus Tammaſus vbi non ſolum Regiam, ſed & totam eam regionem vaſtatam, multóſque è ſuis in ſeruitutem abductos animaduertit, hoſtem perſequi primum vltionis auidus deliberauit: deinde quum longè progreſſum aſſequi diffideret, & cataphracti Perſæ ad pugnas conſerendas nati leuioris equitatus munus longinquo, continuatóque curſu obire detrectarent, Delimenthem ducem fortiſſimum cum delectis leuiorum equitum turmis ad hoſteis inuadendos miſit. Is vbi ad Bethlin vrbem in Perſarum Meſopotamiæque finibus ſitam appropinquauit; duos Turcarum præfectos, Vlamanemque quaſi periculis omnibus defunctos militibus reficiendis indulgere per exploratores didicit: Bethlinæ arcis præfecto conſilium ſuum aperuit, vt cum Perſico præſidio ex arce deſcendens ex altera parte hoſteis inuaderet. Audenti fortuna affuit: nocte cæca, & denſiſſimis pluuiis aurium vſum auferente tertio Idus Octobris hoſteis conſopitos aggreſſus magna ex parte concidit, tormentis, tentoriis, equis, impedimentíſque omnibus potitus: quorum tamen partem montanis agreſtibus, qui quondam Regi Aladolo paruerant, & tum eius ſigna ſequuti erant, reliquit. vix præfecti, & Vlamanes cum paucis euaſerunt, & acceptam cladem Solymano renuntiarunt, qua deterritus belli aduerſus Perſas renouandi conſilium prorſus abiecit, Habraimo huius expeditionis authori grauiter, ſed diſſimulanter iratus. Redeunti ad Iconium Hariadenus Barbaruſſa, ac Sinas Iudæus ex Africa cum claſſis reliquiis Byzantium reuerſi obuiam prodierunt, & ſe de amiſſo regno Tunetano excuſarunt quod tantæ Caroli Imperatoris claſſi haud reſiſtere potuiſſent, quos ille recentis ſuorum cladis memor benignè exceptos meliora ſperare hortatus eſt; & ſibi Chriſtianorum vlciſcendorum occaſionem non defuturam prædixit. Perſici belli non ſatis felix exitus Habraimo mortem immaturam attulit: obiiciebant Solymani mater, ac Roxolana vxor nunquam Othomanos cum Perſis proſperè conflixiſſe, & ſi quando victores euaſerunt, victorias ita cruentas fuiſſe, vt viciſſe quodam modo pigeret. Tamerlanis, Vſſuncaſſanis, Iſmahelis exempla ante ſuſceptam expeditionem propoſita in memoriam reducebant: mater filium non dubiis periculis obiici, vxor longo interuallo à ſe ſeparari ægrè ferebat. vtraque tantæ Habraimi potentiæ inuidebat, & vt cæteri aulici inuiderent, quod & ſponte faciebant, procurabat. Priuatim Roxolana Habraimum oderat, quod Muſtafam priuignum ſuum foueret, & natu maximum quaſi de more patri ſucceſſurum mirandum in modum coleret: at illa Baiazeti filio imperium ambiebat, ideóque prætorianorum præfectos clandeſtina largitione ſibi deuinciebat, vt Selymi exemplo Baiazetes ſeniori fratri prætorianorum fauore præferretur; & quod Chriſtianis nimis faueret, Habraimus inſimulabatur. Hac inuidia, ac ſuſpicionibus mulierum, aulicorúmque calumniis creſcentibus circiter ſequentis anni Idus Martias Habraimus in regiam, vt conſueuerat, admiſſus nuſquam poſtea viſus eſt; mortis genus incertum fuit.

Solymanum Perſicam expeditionē ſuſcepiſſe piget.

Habraimus quòd Perſicò belli Solymano auctor fuiſſet, interemptus.

8 Veris initio quum Solymanus Perſico bello occupatus longè abeſſet, ingentem claſſem ſeptingentarum fere omnis generis nauium Cæſar inſtruxit: duodecim triremes Paulus Tertius Pontifex Maximus, quibus Virginum Vrſinum præfecit, totidem Petrus Toletanus prorex Neapolitanus Neapolitaníque reguli, quatuor Melitenſes milites, qui olim Rhodij fuerant, miſerunt: triginta octo onerariis, duabus, & viginti roſtratis Antonius Auria præerat, quæ ſelectorum Italorum peditum quinque; Germanorum octo millia Vaſtio duce vehebant: triginta roſtratas, multas ingenteis naueis Andreas Auria coegit: viginti quinque caranellas (vt vulgo appellant) Oceano nauigare aſſuetas, & magnum vnum galeonem Ludouicus Ioannis Luſitaniæ Regis frater, & duo peditum millia præter nautas ad Cæſarem adduxit. Sexaginta aut paulò plures Belgicæ onerariæ per Gaditanum fretum ingreſſæ magnum damnatorum ad remum facinoroſorum hominum numerum aduexerunt: octo peditum millia, ſeptingentos leuiores equites, grauiorum aliquot turmas, vtroſque ad mille quingentos Cæſar in Hiſpania conſcripſit: ſed quot naueis inde eduxerit, non traditur. Andreas Auria cum ſedecim triremibus, tribus myoparonibus quos galeones vocant, & vna ingenti quadriremi, quæ Cæſarem veheret, eundem excepturus in Hiſpaniam traiecit. Cæſar de præparata vniuerſa claſſe certior factus tertio Kal. Iunij Aurianam illam quadriremem conſcendit, & cæteris

comitantibus in Magonis portum minoris inſulæ Balcaris, inde in Sardiniæ vrbem primariam Caralim nauigauit; quò paulò ante Vaſtius cum Italica, Neapolitana Siculáque claſſe peruenerat. Nihil ad hoc bellum Veneti, ne fœdus cum Baiazete Solymani patre initum violarent, nihil Franciſcus Galliæ, Henricúſue Angliæ Reges à Cæſare prorſus abalienati contulerunt: Franciſcus quidem, ſi claſſis Turcica ad Italiam ſe conuerteret, viginti Maſſilienſes triremes ſe auxilio miſſurum Paulo Tertio Pontifici Maximo promiſerat, ideóque decimas ex omnibus Galliæ ſacerdotiis percipere permiſſus erat: quemadmodum paulò ante Cæſari ex Hiſpanicis ſacerdotiis Paulus Pontifex exigere permiſiſſet. Poſtridie Idus Iunij Carolus Sardinia ſoluens vela fecit, & die ſequenti, hoc eſt, decimo ſeptimo Kalend. Iulias ad Vticæ portum, quem Farinam vocant, cum vniuerſa claſſe appulit: decimo ſexto Kalend. Guletæ ad duo millia paſſuum appropinquauit, & anchoris fixis, vt vniuerſæ claſſis milites deſcenſiones facerent, imperauit. Hiſpanos Itali, Italos Germani ſequuti è maioribus nauibus in ſcaphas deſcendentes ſe in terram demiſerunt, eo ordine vt à barbaris totum id littus obequitantibus lædi non poſſent. Triginta bellatorum millia in terram expoſita feruntur: pedites Vaſtius caſtra munire iuſſit, ne Afrorum inſidiis paterent, & vt pro cæteris deſcenſuris propugnarent: poſtremi equites, ac Cæſar ipſe deſcendit, ac prætorium inter Salinariam, Aquariámque turres defixit: illa à ſale ibi confecto, vt apud nos in maris æſtuariis confici ſolet, hæc à ſubiecto fonte denominata eſt. Vtraque facilè expugnata eſt: in Guletana maior labor fuit, quæ lateritia, quadrata, & miræ magnitudinis turris in paludis, quæ Tunetum vſque pertingit, faucibus ſita ita munitiones circumiectas habebat, vt numeroſum, firmúmque præſidium caperent: vti validiſſimum Sina Iudæo duce tormentis, cæteriſque rebus ad tolerandam obſidionem neceſſariis additis Hariadenus impoſuerat. Ad hanc quingentis dumtaxat paſſibus interiectis caſtra Cæſaris poſita fuerunt: vnde foſſæ non rectæ, ſed obliquæ ad arcem ducebantur, vt milites commodius tegerent: aggeres, in iiſque caſtella erigebantur, tormenta promouebantur: ſed quoniam caſtra ſæpius mutare ventorum arenas in cœlum tollentium vi ingruente, aquæ penuria, & aliis de cauſis Cæſar coactus eſt, oppugnatio pridie Idus Iulias dumtaxat inſtituta eſt.

Potentiſſima Caroli V. claſſis.

Guletana obſidionis progreſſus.

Interea tum ab obſeſſis, tum ab Afris, Numidiſque qui per totam eam regionem equites, pediteſque volitabant, in Cæſarianos excurſiones fiebant: in poſtremo aggere Guletam verſus vix quingentis ab arce paſſibus rotundum, ſed anguſtum terræ tumulum propugnaculi inſtar Hieronymus Totauilla Sarnenſis regulus congeſſerat, ibique cohortes ſuas arctè locatas continebat. Hunc Salecus pirata cum Turcarum cohorte adoriendum ſuſcepit; & ſclopetorum glandibus repulſus, aut fugam ſimulans quaſi in arcem confugeret, à ſuo propugnaculo ſatis procul ſeparatum in inſidias pertraxit; quem nimis feruidè inuectum, & cæteris ignauiam improperantem ſummiſſis auxiliis circumueniens Salecus cum bona ſuorum parte cecidit, ac tabernaculum eius ingreſſus omnem ſupellectilem diripuit. Nec vicini Hiſpani ſuppetias tulerunt, quod Sarnenſis nouus fere miles tametſi familia illuſtri proximum hoſtibus locum à Vaſtio ambitiosè impetraſſet. Parem tamen prope fortunam Hiſpani non multò poſt ſubierunt, qui ex improuiſo ſub auroram deprehenſi in ſuas foſſas non ſine cæde compulſi ſunt, & foſſoria ferramenta, & Sarmentanæ cohortis vexillum amiſerunt, ac niſi viciniores cohortes accurriſſent, maius detrimentum accepiſſent: à continente Numidæ agiles, atque inermes locorum notitia freti omnibus horis Cæſarianis occurrebant, & multi paucos ſi quando longiùs à caſtris ſeceſſerant, circumſiſtentes trucidabant: viribus inferiores ſtatim per notas ſemitas refugiebant: hi Fabricium Carrectum regulum, atque Hieronymum Spinulam Ligurem exploratum proficiſcentes peremerunt. Tum etiam tres legati à Muleaſſe Tunetanorum Rege litteras ad Cæſarem attulerunt, ab ipſo quidem ſubſcriptas, ſed nullo modo inſcriptas: id enim apud ſe haud moris eſſe dixerunt. Se Cæſaris in Africam appulſi certiorem factum legatos ſtatim ad eum miſiſſe ſcribebat: triremes aliquot petebat, vt commodius, & tutius ad eum accederet: rerum Africanarum ſtatum tam liberali patrono exponeret: gratias ageret, quod tam difficilem expeditionem ſui in regnum paternum reducendi ergo ſuſcepiſſet. Cæſar duodecim triremes miſit, quibus è montibus, & ſiluis vbi cum modico cognatorum & clientium comitatu latitabat, deſcendens exceptus eſt; & cum ducentis Numidis equitibus tertio Kalend. Iul. ad caſtra Cæſariana traiecit; à quibus quum non multum abeſſet, id Cæſari per ſororis filium ſignificauit. Cæſar Ferdinandum

Toletanum

Toletanum Albanum regulum, Ferdinandum Alerconem, & pleroſque alios viros illuſtres cum aliquot equitum turmis, peditúmque cohortibus, qui illum exciperent, allegauit. In conſpectum Cæſaris adductus, qui in medio prætorio Regio in ſolio ſedebat, dextram deoſculatus eſt, & tapete ſubſtrato more gentis ſedens ita per interpretem loquutus fertur.

„ [Tua excellens virtus, Cæſar Imperatorum qui ſunt, & qui fuerunt, maxime in hoc præſer-
„ tim elucet, vt pro auguſto Maieſtatis tuæ officio noxios punias, afflictorũ miſerearis, bene
„ merentibus præmia concedas: hinc te potentiſſimam claſſem inſtruxiſſe arbitror, vt Haria-
„ denum piratam crudeliſſimum totius humani generis hoſtem, qui tot prouincias tibi ob-
„ noxias incredibili atrocitate vaſtauit, malè mulctes, immo vero vt teterrimo ſupplicio af-
„ ficias: me magna eius fraude, ac ſcelere regno exturbatum in priſtinum gradum reducas,
„ & ſi quid tuo beneficio prouocatus rependere potero, quod vt præſtem pro virili enitar,
„ in tuam clientelam recipias. Neque verò me deterret quod non in eadem religionis per-
„ ſuaſione verſamur: quod enim maximum eſt, vnum ſupremum numen vtrique colimus.
„ Naturam ſummæ illius mentis veram interpretem ſequimur; & ita ſequimur, vt primam
„ illam naturam in primis veneremur, & adoremus, ſecundum quàm homines, hoc eſt, no-
„ ſtram naturam perinde ac nos ipſos amemus, niſi ſi qui forte à natura recedant, & tan-
„ quam belluæ (quanquam hæ in cæteras ſui generis raro ſæuiunt) omnem humanitatem
„ exuant. Hæc vt de tua maieſtate bene ſperem, efficiunt, potentiſſime Imperator, quæ
„ me Regem antiquiſſima ſtirpe progenitum, illuſtriſſimiſque Numidarum, ac Pœnorum
„ cognationibus commendatum vel tributarium vel clientem agnoſcat.]

Muleaſſis Tunetanorũ Regis ad Carolũ V. oratio.

10 Reſpondit Cæſar ſe non regnandi libidine, abunde enim ſibi regna ſufficere, ſed iniurias ſuis illatas vlciſcendi ergo in Africam traieciſſe, quas regnis ſuis prouinciiſque maritimis Barbaruſſa intuliſſet: ſimul vt piratas nullum diuinum numen, nullam piis animis inſitam naturæ legem agnoſcentes de medio tolleret; quod ſe breui aſſequuturum confidat: victoriæ fructum libenter cum illo communicaturum modo fidem ſeruet, & ſe non ingratum præbeat, quum & gratis regna dare, & ingratis adimere eiuſdem prudentiæ ſit. Erat Muleaſſes, quum per otium licebat, philoſophiæ Auerroicæ in primis deditus; & de mundi natura, cœli motu, ſiderum vi, ac poteſtate non ineptè diſſerebat: ſed natura ita ſæuus vt duodeuiginti fratres vel iugularit, vel obiectis candentibus laminis ferreis occæcarit. Fratrum impuberes liberos & paternos amicos Manifetem, ac Meſuarem, quorum opera cæſo Maimone duorum & viginti fratrum natu maximo regnum occuparat, trucidarit; ne mox ingratum experti idem in ipſum machinarentur: in nouercas etiam, ac patris concubinas eadem crudelitate ſæuiit. Ad hæc tam impotenti libidine erat, vt paſſim raptis popularium ſuorum liberis præſertim maribus flagitioſè abuteretur; patri Mahometi obiectans quod mulieroſus ducentas fœminas Regiis in hortis ad libidinem aluiſſet, eique regnum inuidioſum relinquens fratrum necandorum neceſſitatem impoſuiſſet. Cum hoc teterrimo tyranno Cæſar poſtea conuenit, quòd Roſcete in Solymani poteſtatem abſtracto nullus, qui regnum conſeruaret, è Regia ſtirpe ſupereſſet, & Pœni Regem ſuæ nationis exoptarent. Nec parùm Cæſarianis Muleaſſes contulit Tuneti, adiacentiſque agri ſitum, naturam mœnium, auerſos ab Hariadeno Tunetanorum animos, quæ Afrorum, Numidarúmque auxilia mercede conduxiſſet, exponens; & de militiæ ratione, quam Hariadenus ſequeretur, prudenter coniiciens: nunquam ſe mœnibus incluſurum, obiecta, circumfuſáque innumerabili inermium Afrorum, Numidarúmque multitudine Cæſarianos magnis clamoribus potius, quàm armis perterrefacturum, & quid animi habeant, experturum: nunquam Turcas pedites, quibus maximè fidit, in pugnam educturum. Ciſternarum, puteorúmque aquas corrupturum vt Cæſariani Solis ardoribus torrefacti, ſitique tabeſcentes obſidionem ſoluere cogantur: quibus aqua vel è claſſe, vel è vicinis puteis per ſtagnum deportata, vel aliunde quæſita ſubueniendum erit.

Cum eodem Carolus V. conuenit.

11 Vt ad Guletanam obſidionem redeam: inter Guletam & Tunetum locus erat oliuetis, ficetis, aliiſque id genus arboribus conſitus: vnde in caſtra Cæſariana proſpectus latè patebat: illic aliquot currulia tormenta collocarat Hariadenus: quibus Numidarum, Afrorúmque equitum turmæ, ac peditum cohortes, nonnullæque Turcarum præſidio erant, & & ſæpius in Cæſarianos excurrebant, caſtráque adeo ipſa pilis frequentibus perturbabant. Hos inde pellere conſtituit Cæſar, & ſexto Kal. Iulias leuiorem equitatum Hiſpanicum, cui præerat Montegius, duas peditum legiones alteram Germanorum, alteram Hiſpanorum è caſtris eduxit: eò tendere iuſſos cum grauiore equitatu, atque aliquot peditum manipulis, qui maioribus ſclopetis furcis impoſitis rem gerebant, ſequutus eſt. Et quan-

quam initio leuiores Hiſpani equites vtpote tirones barbaros lanceis longioribus vrgenteis non ſatis fortiter ſuſtinebant, tamen accedente peditatu, & grauioris armaturæ equitibus ſtatim ſe barbari tormentis relictis in fugam dederunt: quos Cæſar ne in inſidias incideret, longius perſequendos non putauit. Montegius graue in coxendice vulnus accepit, quo nihilominus facilè curatus eſt. Vix vllus alius acrior conflictus in Guletana obſidione accidit; vbi tamen pauci vtrimque ceciderunt, niſi quod Guletæ præſidiarij Turcæ Cæſarianos in dies laceſſebant, nec multum illis virtute cedebant. Poſtquam torm ēta ſatis promota, & omnis oppugnandæ arcis apparatus diligenter procuratus eſt, pridie Idus Iulias à mari Auria, à terra Vaſtius tripartito Guletam maioribus tormentis acriter adeo verberauit, vt cœlum terræ miſceri, mare quod ante tranquillum erat, quaſi oborta tempeſtate conuolui, in terrámque effundi videretur. Nullus aurium ob frequentes tormentorum boatus, à maríque reboatus; nullus oculorum fumo mediam inter cœlum, terrámque regionem omnem complente vſus erat: neque ab aurora ad meridiem vſque ceſſatum eſt.

Guletana turris expugnatio. Tum omnes turris munitiones contritę, ac cadentes multos ex propugnatoribus plures ex iis, qui tormentis operam nauabant, oppreſſerunt, & Cæſarianis aſcenſum non difficilem præbuerunt: quanquam ſe Turcæ & ſclopetis, & miſſili igne acerrimè tuebantur. Tandem vbi conſiſtendi ſpes nulla fuit, Sinas Iudæus ponte ligneo in læuam continentem euaſit, & celeri curſu Tunetum profugit, quem cæteri Turcæ ſequuti ſunt: niſi qui inter fugiendum vel ſclopetorum glandibus cæſi, vel in paludem Hiſpanis perſequentibus compulſi ſunt. Ita Guletana turris vno, eodémque die & tormentis quaſſata, & ſub horam ſecundam pomeridianam expugnata eſt: qua Cæſar, ſubductáque ad paludem claſſe potitus, eandem inſtaurare, aggeres, ac muros reficere, tormenta ibi reperta, quæ longis trabibus infixa aptè moueri & commodè dirigi non poterant, rotis ſuppoſitis imponere, mille veteranorum Hiſpanorum peditum præſidium, commeatúmque neceſſarium addere properauit: deinde decimo tertio Kal. Auguſti Tunetum iter inſtituit.

Incedebant agmina ſuis ordinibus, in fronte curabat Vaſtius peditum omnium tribunus: priuatim Hiſpanis Alarco, Italis princeps Salernitanus, Germanis Maximilianus Eberſteinius præerat: Hiſpani ad dextram non procul ab oliuetis, Itali ad læuam ſtagno vicini præcedebant: quibus leuiores equites adiuncti erant: his Montegio nondum ſatis è vulnere curato Ferdinandus Gonzaga præerat. Germani medium ſpatium occupabant apud quos tormenta impedimentáque erant. Albanus cum grauiore equitatu, ſelectiſque aliquot ſclopetariorum cohortibus exercitum claudebat, quibus cum centum Numidarum, atque Maurorum tam equitum, quàm peditum, Turcarum autem ſeptem millibus Hariadenus ad tertium ab vrbe milliare obuiam proceſſit, & in Cæſarianos appropinquanteis tormenta ſæpius exonerauit. Cæſariani ſua opponere non poterant, quòd ſeruorum opera inter altas arenas difficillimè trahebantur: quapropter in hoſteis fortiter inuecti, & lanceis equites, pedites ſclopetis rem gerentes Afros, Numidáſque quos cum tormentis præmiſerat Hariadenus facilè in fugam verterunt, tormentiſque potiti ſunt. Hariadenus Turcis ſuis parcens, in quibus omnem ſpem collocabat, cum illis ſe in vrbem recepit: Cæſar in hoſtium caſtris eam noctem traduxit. Hariadenus in vrbem reuerſus de trucidandis omnibus Chriſtianis, quos in vinculis detinebat, conſilium cepit: à qua crudelitate per Sinam Smyrneum cognomento Iudæum reuocatus ex arce exiit, & ad maximam vrbis ædem, quo Tunetanos conuocarat, profectus, vt aduerſus peregrinæ religionis hoſteis ſibi infeſtiſſimos, atrociſſimúmque tyrannum Muleaſſem pro aris, ac focis depugnarent, hortatus eſt: tametſi illis longè ante quaſi ſuſpectis arma ademerat. Interim Hariadeni conſilium per libertos Chriſtianos ad eos, qui in vinculis erant, perfertur, ſimul & ferramenta, quibus manuum, pedúmque vincula ferrea abrumperent, præbentur; ad ſex millia fuiſſe traduntur: numerum quidam non ſolum duplicant, ſed etiam triplicant. Hi vinculis ſoluti cæſis aliquot Turcis portam arcis inuadunt, armamentarium refringunt, armis induuntur, tormenta locis commodis locata in Turcas oppugnationem minanteis dirigunt, ipſique Hariadeno crudelitatem improperant: Cæſarianos accenſis ignibus, explicatóque Sarmentinæ cohortis vexillo, quod Guletana obſidione Turcæ abſtulerant, de occupata arce admonent. Eadem Tunetani transfugæ renuntiant: quapropter Cæſar duas Hiſpanorum

Hariadeni fuga. cohortes victoribus ſeruis ſuppetias ferre iubet. At Hariadenus deſperata reſiſtendi facultate cum ſex millibus Turcarum, multi enim ceciderant, & aliquot Afris equitibus Hipponem properat. Triremes quatuordecim, quas in ſtagno vrbi propinquo demerſerat, educit, armamenta in arce repoſita profert, triremibúſque accommodat: tormenta

tormenta, commeatum, & quicquid nauigantibus vſui erat, adiicit, & in altum prouehitur, metuens ne Cæſariana claſſis eius egreſſum impediret. Id quidem Auria per affinem quemdam ſuum rerum maritimarum non ſatis gnarum tentauit: ſed Hariadenus pirata vigilantiſſimus oſcitantem anteuertit, & Algerium nauigauit.

13 Auria affinis ſui imprudentiam, ignauiámque deteſtatus, & ſerò erratum ſuum agnoſcens, qui non ipſe id munus ſuſcepiſſet, Hariadenúmque omni euadendi aditu priuaſſet (nam terra Algerium petere haud auſus fuiſſet) Numidis pariter, ac Mauris omnibus inuiſus cum ſuis triremibus & nonnullis aliis roſtratis Hipponem tranſmiſit, quaſi Hariadenum aſſequuturus: deinde de maturo eius diſceſſu certior factus vrbis captæ muros euertit: arci expugnatæ præſidium impoſuit Aluaro Gometio præfecto, qui mox ob inuſitatas in hoſteis pariter, ac ſocios rapinas accuſatus mortem ſibi conſciuit. Cæſar arcem, quam niſi magno ſumptu tueri non poterat, euerti imperauit. Decimo Kalend. Tuneto cum omnibus copiis Cæſar appropinquauit, cui obuiam proceſſere magiſtratus, portarúmque claueis certum deditionis argumentum obtulerunt; & gratias egerunt, quòd ipſos ab immaniſſima Turcarum tyrannide liberaſſet, & Muleaſſem in regnum paternum reduceret ſuppliciter precati ne milites vrbem ingredi permitteret, omnia, quæ ſuppeditari poſſent, accepturos: direptionis acerbitatem Muleaſſi Regi ſocio, ſibique Turcicam immanitatem diu perpeſſis remitteret. Interim Vaſtius cum aliquot Hiſpanis in arcem à ſeruis receptus eſt, quam Hiſpani pariter ac ſerui diripere cœperunt. Horum exemplo cæteri Hiſpani, Italique, poſtremò Germani vrbem prædæ habuerunt, multóſque vtriuſque ſexus, atque omnis ætatis præſertim Germani trucidarunt. Cæſar poſtridie ne quis ciuem Tunetanum violaret, aut in ſeruitutem raperet proclamari iuſſit, pœna capitis indicta. Inuentæ ſunt in vrbe, arcéque multæ caſſides, thoraces, femoralia, ocreæ, aliáque id genus arma veterum Gallorum equitum qui cum Ludouico Pio Galliarum Rege eam vrbem ante trecentos annos circumſederant, quæ ex Gallis parta in eius victoriæ memoriam aſſeruabantur. Sexto Kalend. Tuneto Cæſar egreſſus ad Ludam vicum duobus paſſuum millibus Guleta diſtantem caſtra poſuit, vbi riuus aquæ dulcis milites æſtu Solis torridos mirandum in modum recreauit: altera caſtra ad turrim Aquariam fecit, vbi ante Guletæ oppugnationem eadem collocarat: inter eundum multa Maurorum, item mulierum cadauera inuenta ſunt ita pinguium, vt earum vbera ad coxendices vſque propenderent; ita corpulentarum vt earumdem tibiæ noſtrorum hominum etiam robuſtiſſimorum femora craſſitudine ſuperarent. Fœcunditatis id fortaſſe argumentum fuit: nam Hiſtorici mulieres Ægyptias quinque liberos etiam vitales vno, eodémque partu edere ſcripſerunt.

Tuneti Cæſari deditum.

Mulierũ Aegyptiarũ fœcunditas.

14 Octauo Idus Auguſti Cæſarem Muleaſſes inuiſit, quicum & fœdus iniit, cuius præ-
„ cipua capita hæc fuiſſe traduntur: [Omneis Chriſtianos, qui in regno Tunetano aut vin-
„ cti nunc detinentur, aut pro ſeruis habentur, Muleaſſes liberos dimittito ac viatico vt ad
„ ſuos redeant, proſequitor: ne idem Muleaſſes, aut eius ſucceſſores Tunetani Reges quem-
„ quam Cæſarianæ ditionis, aut Ferdinandi eius fratris Romanorum, Hungariæ, Boëmiæ-
„ que Regis pro ſeruo habento, aut in neruis & compedibus tenento: quod & Cæſar ſe fa-
„ cturum de Tunetani regni incolis repromiſit. Chriſtianis in regno Tunetano habitare,
„ negotiari, ſuæ religionis ritus exercere, templa, & monachorum cœnobia, ſiue monaſte-
„ ria ædificare fas eſto. Nullos Chriſtianis ſacris initiatos, & deinde ad Mahometana de-
„ ficienteis ſiue ex Bethica, ſiue ex alia prouincia Cæſari obnoxia oriundi erunt, Muleaſ-
„ ſes, regníque eius ſucceſſores in ſuas ciuitates, aliámve regni partem admittunto; quin
„ potius exigunto. Et quandoquidem multæ regni Tunetani vrbes, arcéſve in poteſtate
„ Hariadeni Ænobardi adhuc ſunt, nempe Aphrodiſium, Hippo, Biſerta, nonnullæque
„ aliæ vnde tyrannus ac crudeliſſimus pirata in regnum Tunetanum inuadere, aut vici-
„ nas Cæſaris inſulas latrociniis infeſtare poſſit, Muleaſſes, Regéſque Tunetani eius ſuc-
„ ceſſores omni iure quod in eas habent, aut habere poterunt, Cæſari, eiúſque ſucceſſori-
„ bus Hiſpaniæ Regibus cedunto; quas ſi armis, aut alia via Cæſar, eiúſve ſucceſſores Hi-
„ ſpaniæ Reges recipere poterunt, eaſdem vt ſuas, & tanquam proprium Regum Hiſpa-
„ norum patrimonium ſibi vendicanto, fructus portoria, cæteráque ex iis percipi ſolita ve-
„ ctigalia poſſidento: quibus & ad regni Tunetani, & ad inſularum Cæſari obnoxiarum
„ propugnationem vtuntor. Guleta quoque, & omni adiacente agro ad duo paſſuum mil-
„ lia quoquo verſus cedunto; quibus Aquaria Turris accedito: Mauris tamen vicinis, &
„ veteris Carthaginis incolis illuc aquatum ire fas eſto. Guletæ præfectus Guletani agri
„ ſupra commemorati vectigalia omnia percipito; & à Regiis totius regni vectigalium

Quibus capitibus Muleaſſes cum Cæſare conueniat.

redemptoribus ſex nummûm aureorum millia octauo Kalend. Auguſti anni huius ſæculi triceſimiſexti, totidem altera octauo Kalend. Februarij anni ſequentis triceſimiſeptimi recipito: ſin redemptores, aut iis exigendis præfecti eandem ſummam ad præſcriptum diem non perſoluerint, Guletæ præfectus, aut qui res Cæſarianas curabunt, eadem vectigalia Regia recipiant, donec ſumma ſupra commemorata confecta erit: alioqui vectigalia Regia nemo auertere conetur; ſi quis conabitur, eandem pœnam, qua Muleaſſes in ſuos populares animaduerteret, ſubîto. Commercia Coriallij in toto regno Tunetano ſibi Cæſar excepit: Guletæ Senatus & ſummus iudex, quem Cæſar ſuo nomine conſtituet, de omnibus commerciis, & quibuſuis aliis controuerſiis, ac facinoribus admiſſis quæ inter Cæſarianos, Cæſariue obnoxios, ac regni Tunetani incolas controuertentur, ſine prouocatione pronuntiato: neque Muleaſſi, aut Regibus eius ſucceſſoribus directè aut ſecus ſeſe opponere fas eſto. In perpetuam clientelæ memoriam Muleaſſes, eiúſque ſucceſſores Tunetani Reges ſex perniciſſimos equos Mauros, quos barbaros vocant, item duodecim eximios falcones Guletæ præfecto octauo Kal. Auguſti offerendos curanto: ſin non ſatisfacient, prima mulcta quinquaginta, altera centum nummûm aureorum millibus æſtimetur: tertia totius regni amiſſione terminetur.]

Huius fœderis duo exempla Cæſar alterum Hiſpanicè, alterum Arabicè; duo item Muleaſſes iiſdem linguis conſcripta ſecum tulit, quibus omnibus vterque ſubſcripſit. Additum præterea eſt, ſi Africa, quæ parua Leptis olim fuit, aut armis, aut alia via in poteſtatem Regis veniret, quam Turcæ tum poſſidebant, eam Cæſar, cæteríque Hiſpaniæ Reges tanquam proprium patrimonium poſſidere poſſent. Item ne Imperatori, eiuſve ſucceſſoribus Hiſpaniæ Regibus vllas vrbeis, vicos, aut aliud quiduis regni Tunetani in cuius poſſeſſione Muleaſſes tum eſſet, armis, aut alio quouis modo occupare fas eſſet, ſiquidem Muleaſſes, eiúſque ſucceſſores Tunetani Reges omnia huius fœderis capita rite obſeruarent. Rediturus in Italiam Cæſar quindecim Hiſpanicas, decem alias triremes Hipponem miſit, pro regño Tunetano propugnaturas. Inter redeundum Africam oppugnare decreuerat, ſed tempeſtate oborta curſum continuare coactus vndecimo Kal. Septembris in Drepani portum ſe intulit: multæ ex ea claſſe naues Panormum, aliæ Neapolim, aliæ aliò vi tempeſtatis abreptæ fuerunt. Drepani portus falcis inſtar curuatus, vnde & nomen ſumpſiſſe, ac ciuitati dediſſe fertur, à mari rotundam vaſtæ molis turrim in rupe exciſa extructam, à terra arcem habet munitiſſimam: quadringentis ab vrbe paſſibus mons Erix, & in eodem eiuſdem nominis ciuitas eminet Veneris templo quondam celebris. Drepano profectus Cæſar Panormum pridie nonas Septembris appulit, vbi & totius Siciliæ conuentum egit; cui Siculi honorarium munus ducenta quinquaginta nummûm aureorum millia intra menſes quatuor perſoluenda obtulerunt. Ibi Ferdinandum Gonzagam Siciliæ Proregem creauit; Germanos ſtipendio exoluto, viaticóque addito dimiſit: Hiſpanos in Siciliæ, regníque Neapolitani præſidio diſtribuit: Andream Auriam cum iuſta claſſe in regnum Tunetanum redire iuſſit, vt Guletæ, Hipponi, cæteríſque arcibus præſidio eſſet, & Tunetanos in fide contineret; quos per ſuos duces crebris latrociniis Hariadenus infeſtabat, & Magonem minoris Balearis oppidulum ceperat: cæterum de Aurianæ claſſis aduentu certior factus inde repente ſe proripuit. Meſſanam Cæſar duodecimo Kalend. Nouembris iniit vrbem inſigni portu nobilem; à qua non procul Siculum fretum quinque paſſuum millibus Siciliam, Calabriámque ſeparat. Id quarto nonas Nouembris Cæſar emenſus ad Calabriæ oppidulum flumen diuertit: vnde terreſtri itinere Neapolim petens vrbem ſeptimo Kalen. Decembris ingreſſus, ac triumphali pompa exceptus eſt. Sexto Kal. Andreas Auria ex Africa reuerſus claſſem in portum Neapolitanum intulit; capta Biſarta, quam Turcicum præſidium inſederat, & Muleaſſis filio tradita. Tertio nonas Decembris Hercules Ateſtinus Ferrarienſis regulus ad Cæſarem acceſſit, & vſque ad decimum Kalen. Ianuarias cum illo negotia ſua pertractauit, ac Mutina, Rhegio, Ruberia, Carpo in clientelam acceptis dimiſſus eſt: eodem die Cæſar Hariadenum Ænobarbum Conſtantinopolim traieciſſe reſciuit.

Siciliæ conuentus à Carolo V. indictus.

Sub idem tempus Cardinalis Senenſis ac Cæſarinus Pauli tertij Pontificis maximi legati Alexander item Medices Florentinus regulus Neapolim appulerunt. Gebennam circumſedebat Allobrox tum, quum Cæſar ex Africa reuerſus Panormum appulit: Gebennenſibus equitum alam Vereo duce Rex Franciſcus auxilio miſerat. Heluetij Gebennenſium fœderati Allobrogi, niſi obſidionem ſolueret, bellum denuntiabant. Perculſus Allobrox mitis ingenij princeps, & à rebus bellicis alienus legatos ad Cæſarem auxilium implorans miſit, & ab vxore Luſitana Imperatricis ſorore perſuaſus quicquid vltra Alpeis Galliam

Digitized by Google

Galliam verſus poſſidebat, à Nicea ad Heluetiorum fines vbi Gebennam tanquam ſibi obnoxiam comprehendebat, cum aliquot ditionibus Italicis permutare voluit, legatiſque ſuis vt ea de re cum Cæſare agerent, mandatum dedit. Id ſi ad exitum perductum fuiſſet, haud dubium quin Cæſar totam fere Galliam ſuis ditionibus vndique circumſediſſet, & Franciſcus matris patrimonio ſpoliatus fuiſſet. Quapropter huius legationis certior factus, & Allobrogi alioqui infenſus, quod pretioſam gemmarum, aurique ſupellectilem Carolo Borbonio Germanos arceſſenti mutuo dediſſet, quæ Ticinenſis victoriæ cauſa fuit: quod litteras gratulatorias ad Cæſarem de capto Rege ſororis filio ſcripſiſſet, quod Heluetios à Gallica ſocietate diuellere conatus fuiſſet, quod à Cæſare Aſtenſem Comitatum antiquum Regum Aurelianenſium patrimonium vxori ſuæ condonatum nuper accepiſſet, quod Niceam Clementis Pontificis, Regiſque colloquio deſtinatam vtrique credere recuſaſſet, quod Regi ipſi Meruellij legati ſui mortem vlturo, Sfortiæque Mediolanenſi regulo bellum illaturo liberum per ſuas ditiones tranſitum auunculus denegaſſet, matris patrimonium repetere conſtituit. Cæterum ob recentia, quæ Vellio ſuo apud Cæſarem legato mandata dederat, aliquantum diſtulit; quæ vt facilius intelligantur, res aliquanto fuſius explicanda eſt. Mortem obierat Octobri menſe Franciſcus Sfortia Mediolanenſis regulus interim dum Cæſar res Siculas componit. Granuellanus Cancellarius Cæſarem de eo principatu haud prius ſtatuturum Vellio Regio legato dixit, quam certius aliquid à Rege accepiſſet. Porro ne ea de re apud Cæſarem ageret, niſi prius à Rege priuatum mandatum haberet, conſulebat. Reſpondit Vellius ſi ea Cæſaris mens eſſet, nouo mandato haud opus eſſe: Regem Noiocarmo, quæ ſua mens eſſet, ſcriptis capitibus ſatis explicaſſe. Quum de hoc ipſo ſæpius colloquuti fuiſſent Vellius cum Cæſare aliis de rebus agens in hunc ſermonem poſtremo incidit; & Regem ſiquidem Cæſar liberis eius maternam hæreditatem mortuo Sfortia reſtituere in animo haberet, ſe arctioribus fœderis, amicitiæ, affinitatum vinculis cum illo coniuncturum confirmauit; vt Auſtriaca, Regiáque familia vna deinceps eſſe, alteráque alterius commoda ſua exiſtimare debeat: hanc vnam viam eſſe, qua & Reſpub. Chriſtiana conſtitui, & Turcicæ potentiæ reſiſti poſſit. Ad ea Cæſar ſe quæ in hanc rem à Rege propoſita antea fuiſſent, ſemper æquo animo accepiſſe, nunc verò poſt Sfortiæ mortem longè æquiore accipere reſpondit. Tum ob Sfortiam Regis etiam aſſenſu in principatu confirmatum, Italiæque tranquillitatem Regiis poſtulatis ſatisfacere non potuiſſe, nunc rem in integro eſſe: declaret Rex qui & hic, & in rebus ad religionem, ſolidámque vniuerſi Chriſtianiſmi pacem pertinentibus ſe gerere ſtatuat.

Cur Franciſcus matris patrimonium repetere tam diu diſtulerit.

17 Vt autem fuſius hac de re pertractaretur, Vellium ad Granuellanum Cancellarium remiſit. Granuellanus tria capita propoſuit, ſuper quibus quid Rex decerneret, Cæſar intelligere cupiebat: Primum de bello Turcis inferendo, vbi ſecundam, aduerſamque fortunam ſe cum Rege Cæſar communicaturum commodáque, atque incommoda ex æquo partiturum profitebatur. Alterum de Chriſtiana perſuaſione in priſtinum ſtatum reducenda, Anglia præſertim ad vetus officium reuocanda: vbi Cæſarem nihil à Rege quod cum dignitate præſtare non poſſit, poſtulaturum Granuellanus pollicebatur. Tertium de vniuerſa pace inter Chriſtianos conſtituenda, quam ad Italiæ tranquillitatem reuocabat; & niſi Rex Genua cederet, conſiſtere poſſe inficiabatur: ita tamen vt Aureliano alteri Regis filio ius ſuum in principatum Mediolanenſem integrum maneret: quamquam ad Engoliſmenſem regulum magis Cæſar reſpiciebat, & acceptiorem habiturus videbatur. obliquè Cæſarem prouidere ne principatus Mediolanenſis ad ſceptrum Gallicum aliquando accederet ſuſpicio erat. Vellium poſtremò Granuellanus precatus eſt, vt totum hoc negotium ad pauciſſimorum aureis perueniret: quod vt ita tranſigatur, expedire vt Cardinalis Turnonius quaſi munus ſuum Paulo III. Pontifici Maximo præſtaturus Romam proficiſcatur, & dum Cæſar vrbem inibit, interſit; qui ſi iuſta à Rege mandata afferet, ſtatim palam fore, quinam totius huius negotij exitus futurus ſit. Bonam de Granuellani oratione ſpem conceperat Vellius: idcirco Regem horum omnium per Eſpercium certiorem fecerat; & vt Brionem maris præfectum ſibi perfamiliarem ad Cæſarem mitteret, ſuaſerat.

18 At Franciſcus Naſſauum Comitem ſe in Flandria ad bellum comparare, multas peditum cohortes in Germania Cæſaris nomine conſcribi, Ferdinandum Gonzagam cum Hiſpanis, qui in Sicilia remanſerant, in Italiam euocari admonitus quamquam bellum aduerſum ſe adornari ſuſpicabatur, tamen Eſpercium cum hiſce mandatis ad Vellium remiſit, Vellio iniungens, vt intra menſem Ianuarium, qui iam cœperat, & annum huius

Naſſauum ſe ad bellum in Flādria comparans Franciſcū in ſuſpicionem adducit.

ſæculi

cculi triceſimumſextum inchoarat, quid poſtremò Cæſar decreuiſſet, ſibi indicaret: af-
nitates cum Cæſare tam arctas ſe deſiderare vt alterius potentia alteri neque ſuſpecta,
ieque inuidioſa ſit. Franciſcus ad Cæſaris poſtulata reſpondit: principatum Mediola-
ienſem excluſo Aureliano ad Engoliſmenſem filium transferri non placere: hæc enim
erpetuorum inter fratres odiorum, ac tandem bellorum materia eſſet. Nec magis pla-
ere, quod Aurelianum, ſi quidem Algerium Cæſar oppugnaturus eò nauiget, ſibi comi-
em dari poſtulat: hic enim non tam ſolidæ inter vtrumque principem amicitiæ teſtis,
uam obſes videri poſſet: triremes nihilominus ſuas cum duobus peditum millibus ſti-
endio affectis quibus dux rerum maritimarum experiens præſit, proximo vere ſe ad Cæ-
arem miſſurum. Quod ſi ſubſequente anno Conſtantinopolitanam expeditionem Cæ-
ar molietur, ſe, non per legatos cum omnibus ſuis viribus illi ſuppetias laturum. Quod
d conſtituendam noſtræ perſuaſionis inſtaurationem, in priſtinúmque ſtatum reducen-
lam attinet, ſe quidem vt id præſtetur & in Germania & in Anglia, cæteríſque regioni-
us ſedulò laboraturum: operæpretium nihilominus videri, vt Summus Pontifex omneis
rincipes Chriſtianos admoneat, vt pro ſuis viribus Anglum totius Chriſtianiſmi decre-
a, quæ multis conciliis iterata ſunt, amplecti cogant. Si principatum Mediolanenſem
Aureliano filio ea clientelæ lege, qua maiores eius vſi ſunt, Cæſar tradet, Aurelianum iu-
e, quod in regnum Neapolitanum, ac Florentinum atque Vrbinatem principatus ſibi
endicat, ceſſurum: ſe vero eas quas Cæſar poſtulabit conſeruandæ Italiæ tranquillita-
is leges accepturum. Quin & vt ſocietas ineatur, quæ & hanc filij ceſſionem, & ſua
romiſſa inuiolata conſeruet, violanteis coërceat, ac parere cogat, aſſenſurum, & trecen-
a, aut quadringenta nummûm aureorum millia Cæſari exoluturum: vt Germani prin-
ipes Ferdinandum Cæſaris fratrem Regem Romanorum agnoſcant, perfecturum: Cæ-
ari vt quicquid ad Auſtriacam familiam, aut priuatim ad ipſum pertinet, recuperet, au-
ilio futurum; veteres duntaxat fœderatos excipere; Geldubenſem regulum in primis,
duerſus quem arma ferre iure non poſſit, quod pedites in Germania Regis nomine con-
cribi Granuellanus obiecit, ſe non inficiari ſex peditum millia conſcribi iuſſiſſe vt ma-
ernam hæreditatem ab Allobroge auunculo recuperet: legatos ad eum mittere, vt ean-
lem vel reſtituat, vel cum ipſo ex æquo & bono tranſigat: aduerſus quem ſi recuſet, quod
uum eſt, armis repetiturum: ſi de cæteris cum Cæſare conueniat, non arbitrari illum
Allobrogi in mala cauſa affuturum.

Mandatis hiſce ad Vellium per Eſpercium miſſis Franciſcus Poietum Pariſienſem Se- 19
atorem ad Allobrogem auunculum allegauit, qui non magis, quam ſuperioribus lega-
ionibus profecit. Quod autem mandatis ſuis Cæſar directè non reſponderet, verba
luntaxat in genere ſpargeret, verba ſibi dari Franciſcus coniiciens nonis Februarij ad
Vellium ſcripſit vt apud Cæſarem inſtaret, ſibi apertum, promptúmque reſponſum da-
i, nec ſuſpenſum teneri, donec Cæſar potentem exercitum coegerit: etenim Pratum in
Germaniam miſſum ſpecie vt quid illic Langeus molitus eſſet, inquireret, re vera vt ma-
ores indè copias educeret. Ianuario menſe Catharina Cæſaris matertera aliquot ante
nnis ab Henrico VIII. Angliæ Rege repudiata vitam cum morte commutauit. At 14. Kal.
unij ſequentis idem Henricus Annam Bolanam vel coniugem ſuam, vel Catharinæ pel-
icem quaſi adulterij, & cum fratre inceſtus conuictam capite plecti iuſſit, quum filiam ex
a Iſabellam ſuſcepiſſet; quæ licet in pellicatu nata, poſtea nihilominus Mariæ ſorori, ſed
x alia matre in regno Angliæ ſucceſſit. Interim Beluiſium Regium legatum Venetias,
Vinceſtrenſem autem Pontificem ab Anglo ad Franciſcum miſſum Cæſar intellexit, qui
ouas ſocietates inire molirentur: & Allobrogem non ſecus ac Cæſarem diſſimulare
Poietus indicauit. Quapropter Philippum Chabotum maris præfectum cum exercitu
Franciſcus in Sabaudiam miſit, qui omnem eam regionem quinetiam Taurinum, Foſſa-
um, Penarolum, Cherium Tranſalpinas vrbeis ſtatim in ſuam poteſtatem redegit. Qui-
us Vercellæ, ac bona pars Subalpinæ ditionis acceſſiſſet, niſi hunc victoriæ curſum Ioan-
is Lotharingi Cardinalis aduentus retardaſſet. Chabotus enim & mandatis Regiis, quæ
rogredi prohibebant, & Cardinalis authoritate permotus ne pacem inter tantos prin-
ipes interturbaret, præter ſuam omniúmque eius exercitus ducum ſententiam intra
mnem Duriam ſubſtitit: nam Cardinalis Lotharingus à Gallico ad Cæſarianum exerci-
um non longè diſtantem profectus, & cum Antonio Leua colloquutus cum eodem con-
enit, ne Antonius Seuam fluuium tranſmitteret: Chabotus Amyralius retro iter flectens
itra Duriam conſiſteret, donec quid Romæ cum Paulo Summo Pontifice, ac Cæſare
giſſet, renuntiaſſet: Romæ enim ſe conuenturum vtrumque ſperabat.

Interea

20 Interea Cæſar Neapoli Margaritæ filiæ nothæ cum Alexandro Medice nuptias celebrauit principatu Florentino ſponſo confirmato, tametſi Patritiis Florentinis, qui tum exules erant, reclamantibus, & ingentem pecuniam, vt libertati reſtituerentur, offerentibus, Alexandrúmque ſpurium, atque ex humili ancilla genitum eo principatu indignum vociferantibus: & Hippolytum Medicem Cardinalem fratrem patruelem eiuſdem principatus æmulum veneno ſuſtuliſſe Alexander ferebatur. Addictam Gallis ciuitatem Cæſar deditionis conditiones negligens quibus libertas Florentinis excipiebatur, ſub graui Mediceorum tyrannide ſibi obnoxiam reddere maluit; & diligenter cum Venetis de fœdere egit: quod iiſdem fere conditionibus, quibus Sforitiæ principatum tueri antea tenebantur, conceptum eſt. Venetos vt magis falleret, ſe eundem principatum Cæſar nouo regulo conceſſurum prædicabat: quamquam id fœderis conditionibus aſcriptum non eſt, & principatum Cæſar ſibi retinere decreuerat. Multi è Patritiis Venetis propter Africanam victoriam, continuatámque in bellis ſuſceptis fœlicitatem Cæſari fauebant: Franciſcum autem in ſcorta, venationéſque prodigum, bellorum initio acrem, ſed in iiſdem perſequendis negligentem nec fortiſſimis ducibus ſed gratioſis aulicis ſuarum copiarum imperia mandantem contemnebant: & Vrbinas Venetarum copiarum dux vernacula eloquentia potens Cæſaris cauſam multum promouebat. Hoc fœdere Cæſar confirmatus longè ardentius in Gallicum bellum incubuit, magnóſque equitum, ac peditum delectus in Germania haberi iuſſit. Cum Heluetiis egit, vt veterum cum Sabaudianis regulis fœderum memores Gallum recentiorem fœderatum peditatu ne iuuarent, belli potius ſe ſpectatores præberent. Heluetij ſe vtrumque fœdus bona fide obſeruaturos, nihilque temerè decreturos reſponderunt. Mariam quoque ſororem, quæ prouinciis Flandricis præerat, vt quantam poſſet, pecuniam cogeret, validúmque è Germania, Flandriáque peditatum; atque ex hac item, & Sequanis numeroſum equitatum conſcriberet, monuit, & ſe duobus potentiſſimis exercitibus proxima æſtate in Galliam irrupturum indicauit. Magnam ex honorariis Siculorum, Neapolitanorúmque muneribus pecuniam corraſeſerat: maiorem ex Hiſpaniis expectabat non ſolùm eam, quam populi ſponte conferebant, ſed & quam ex Orientalibùs Indiæ regionibus aduectam Hiſpani publicani conflabant, cuius quintam partem (id autem aurum erat) bellè perpurgatam Cæſar auferebat. Multam quoque ſingulis Mediolanenſis principatus vrbibus imperauit: nec exiguam Alexander Medices nuper adepti principatus veluti pretium, Senenſes item, ac Lucenſes contribuere polliciti ſunt.

Fœderis inter Cæſarem ac Venetos conditiones.

21 At tanti bellici apparatus nihil magnum, vt poſtea ediſſeremus ediderunt; famam potius, ac gloriam Africana victoria partam obſcurarunt. Sic inanes principum cogitationes Deus Optim. Max. ſæpe fruſtratur: quibus nihilominus prouiſis Romam petere conſtituit, vrbémque veterana Hiſpanorum legione, ac ſeptingentis cataphractis equitibus comitatus nonis Aprilis iniit, & ad Alexandri Sexti palatium, quo ille Carolum Octauum Galliæ Regem exceperat, diuertit ingenti pompa exceptus. Cui vt latior via ſterneretur multa ædificia, atque inter ea pacis ædes propter antiquam ſtructuram huc vſque conſeruata diruta fuerunt; quod nonnulli in malum omen verterunt, & pacis quæ inter Cæſarem, Regémque pertractabatur, diſſolutionem interpretati ſunt. Poſtridie Cæſar cum Paulo Pontifice Maximo ſex aut ſeptem horas priuatim de ſuis, & communibus negotiis communicauit: die ſequenti qui ſeptimus Idus Aprilis fuit, Matiſconenſis Pontifex, ac Vellius Regij legati Paulo expoſuerunt pacem & in Sicilia, & Neapoli diu agitatam conſulto à Rege huc vſque dilatam, vt illo ſequeſtre confirmetur: cuius authoritate omnes ſuſpiciones, quæ inter vtrumque principem incidere poſſunt, facile deleantur; precari vt in tam pium opus, in quo totius Chriſtianiſmi tranquillitas conſiſtit, ſedulo incumbat. Reſpondit Paulus ſe craſtino die de Cæſaris conſenſu conuentum Cardinalium celebraturum: in quo de concilio indicendo, & horum principum reconciliatione, vniuerſique Chriſtianiſmi pace agetur: ſe neutrum præſtare velle, atque adeo communem omnium Chriſtianorum parentem: Cæſarem quidem ſatis procliuem ad pacem videri: cæterum vix adduci poſſe, vt Mediolanenſem principatum Aureliano condonet. Quid Vellio promiſiſſet Cæſar, addere non ſunt auſi, ne is rem cum Paulo communicatam quereretur. Interim Eſpercius a Rege miſſus Romam appulit: Vellius Regis mandata Cæſari expoſuit, & vt quod Neapoli promiſiſſet, Mediolanenſem principatum Aureliano concederet, obſecrauit: verum querimonias duntaxat initio retulit, præſertim de Sabaudianis ditionibus bello petitis: poſtremo tamen ſe non commiſſurum reſpondit, vt ſperatam cum Rege reconciliationem interrumperet: Vellio ab illo digreſſo ſi Paulus

Carolus V. Romam appellit, ibique honorificentiſſimè excipitur.

ſſentiretur, Cæſarem promiſſum facturum Granuellanus aſſeuerauit. Hinc Matiſconen-s ad Paulum reuerſus, quæ Granuellanus Vellio dixiſſet, recitauit: nunquam antea Cæ-arem perplexè loquutum antequam Romam iniret, nunc in incerto omnia relinque-e: Regem quin inter ſe reconcilientur per Paulum ſtare fortaſſe ſuſpicaturum: ad hæc 'aulus, Granuellanum quid Vellio dixerit ſibi explicaſſe reſpondit: ſe vt illis ſatisfaciat, um Cæſare de reconciliatione acturum licet operam & oleum (vt aiunt) perditurus t; Cæſarem Gallos ſuſpenſos tenere, interim dum ſe ad bellum comparat. Idcirco ad Cæ-arem Vellius rediit, & Eſpercij mandata repetens Regem ex quo ſermones de pace ha-iti erant, nihil innouaſſe docuit: legatum nuper Venetias miſſum reuocaſſe: Chaboto Amyralio ne quas Cæſaris ditiones, aut vllas alias poſſeſſiones inuaderet, iniunxiſſe: ma-ernam duntaxat hæreditatem ab Allobroge auunculo armis repeteret, quandoquidem niſſis pleriſque legationibus ius ſuum obtinere nequiiſſet. At Cæſarem nouum fœdus um Venetis feciſſe: Mediolanenſem principatum ab Aureliano ad Engoliſmenſem ransferre velle: Regis Luſitani fratri eundem principatum obtuliſſe.

Cæſar Aureliano principatum obtuliſſe confeſſus eſt, cæterum Regem oblatum non 22 ecepiſſe: ad hæc ea conditione obtuliſſe, vt tuto dari poſſit, & huiuſce rei prædes nul-os dari poſſe: fœdus cum Venetis renouatum, at nihil additum fuiſſe reſpondit. Vellius Regem oblatum principatum Mediolanenſem litteris ſexto Idus Martias ſcriptis recepiſ-e ſubiunxit: porrò Cæſarem ſe nullas niſi rationi conſentaneas conditiones poſtulatu-um declaraſſe: ſi rationi conſentaneæ erunt, quomodo impleri non poterunt? Cæſar ir-itatus, & Vellij ſermonem interrumpens, an mandatum à Rege haberet, vt cum ipſo ranſigeret, interrogauit. Quum nondum habere, ſed Cardinalem Lotharingum cum nandato breui affuturum dixiſſet: tum Cæſar, Igitur non me tibi, ſed te mihi verba da-e manifeſtum eſt: nec amplius hominem loqui permiſit. Sexto Idus quum Matiſconen-is Vellio comitatus Cæſarem mane ad Cardinalium conuentum proficiſcentem ſalutaſ-et, Cæſar illum prudenter officio ſuo ſatisfacere à Paulo Pontifice Maximo intellexiſſe lixit: quapropter hominem lubenter amplecti, & ad Vellium conuerſus, Quum nuper ca-ita, quæ cum Paulo Pontifice Maximo communicaui tibi declararem quod quæ de Au-eliano acta erant, retractaui ea Regem non admiſſurum indicaſti: nihilne præterea ab o accepiſti? Nihil propter temporis breuitatem, inquit Vellius: cæterum Regem tan-am varietatem admiraturum non dubito. Tum Cæſar: neque Regem damnare, neque ne nimis collaudare velim: ſed vt mecum in hoc celeberrimo conuentu adſitis peruelim: ta in aulam conuentui deſtinatam ingreſſi ſunt. Paulo Pontifice, Cardinalibus, princi-úmque legatis, atque vtriuſque aulæ Pontificiæ (inquam) ac Cæſarianæ viris primariis ongregatis ſtans Cæſar aperto capite in Franciſcum Regem vehementer inuecturus luabus de cauſis ſe Romam acceſſiſſe declarauit. Primum vt ſummum Chriſti legatum doraret, & ad conuocandum vniuerſi Chriſtianiſmi concilium cohortaretur: quod juum poſtremo conuentu indixerit maximam illi gratiam habere, & vt tam pium opus d felicem exitum perducatur, omneis ſuas vireis, opéſque polliceri. Alteram cauſam uic affinem eſſe, ac conſentaneam: ſe enim augendæ, propagandæque Reipub. Chriſtia-æ ſtudioſum omneis machinas adhibuiſſe, vt cum Rege Gallo firma, ſtabiliſque amicitia oniungeretur, qui Chriſtianorum potentiſſimus, & ad componendas nuper ſubortas in eligione controuerſias, & ad immanem Chriſtianorum hoſtem Solymanum repellen-lum plurimum conduceret, vnde & communem ſecum gloriam, ac victoriæ fructum re-ortaret; quod & tum ſe optare profitebatur. At Regem ab hoc ſancto inſtituto tam alie-ium offendiſſe, vt totius ſuæ vitæ, omniúmque, quæ inter ipſos huc vſque pertractata unt, coram celeberrimo illo conuentu rationem reddere cogatur.

Narrationem igitur altè repetens Ludouicum huius nominis Duodecimum Galliarum 23 Regem Claudiam filiam Maximiliano Imperatore aſſentiente, ſibi deſpondiſſe, ac deinde nutata ſententia Franciſco nunc Galliarum Regi collocaſſe dixit: qua iniuria prouoca-us Maximilianus bellum Ludouico intulit, eundémque principatu Mediolanenſi expu-t. Se vero decimumquintum ſuæ ætatis annum agentem propinquitatis, quæ ſibi cum Gallorum Regibus propter Mariam Caroli Burgundi filiam auiam ſuam intercedebat, nemorem miſſa inſigni legatione anno huius ſæculi decimoquinto, cuius princeps Co-nes Naſſauus fuit, Renatam Claudiæ ſororem in matrimonium poſtulaſſe, idque Fran-iſcum aſſenſum fuiſſe. Sequutam Melegnanenſem aduerſus Heluetios pugnam, qua vi-tor Franciſcus principatum Mediolanenſem recepit; cuius victoriæ non minùs lætum, uàm ſi ſua fuiſſet, nuntium acceperit, quum Maximiliano paterno auo opē Sforti æ ferre iubenti

Digitized by Google

iubenti parere noluiſſet. Franciſcum nihilominus ſperatum pactúmque cum Renata matrimonium retractaſſe, atque reuocaſſe, vt Ludouicam maiorem natu, aut ſi ea interim decederet, Carolam alteram eius filiam vxorem duceret, quod fœdus Nouiodunenſe appellarunt, atque vt Tornaci recipiendi ergo bellum ſecum aduerſus Anglum ſuſciperet, inſtitiſſe: à quo multis de cauſis eundem reuocarit. Nec multò poſt Ferdinandum maternum auum Hiſpaniarum Regem è vita exceſſiſſe: quapropter neceſſitate coactum, vt tuto in Hiſpaniam nauigare, & in eorum regnorum poſſeſſionem venire poſſet, nouo fœdere, cum Franciſco tranſegiſſe vt ex regni Neapolitani vectigalibus centum nummûm aureorum millia quotannis illi in penſionem annuam dependeret. Acceſſiſſe deinceps Maximiliani Imperatoris mortem, vnde vtrumque ad Germanicum Imperium aſpiraſſe, vbi ſe Franciſcum æmulum æquo animo toleraſſe, vti & Franciſcus ipſum tolerare præ ſe ferebat, qui hunc ambitum huiuſmodi eſſe palam profeſſus ſit, ac ſi duo riuales antea amici eandem puellam ambiant; cuius matrimonio ſi alter potiatur, alterum idcirco amico inuidere non debere; quin potius amici felicitatem collaudando in priſtina beneuolentia perſeuerare. Quæ præclarè dicta non ita Franciſcus obſeruarit, quin ea æmulatione accenſus multa aduerſus ipſum machinatus ſit. Hic multa cur ad Imperium potius, quam vllus alius aſpirare debuerit, longa oratione interiecit: maiores ſuos continua ſerie ſummo eo magiſtratu diu potitos, quibus niſi ſuccedere omni ſtudio laboraſſet, ignauiæ merito conuictus fuiſſet. Poſt adeptum nihilominus Imperium Regem noua fœdera cum illo inire conatum, quibus Renatam vxorem ducere, & huius matrimonij prædes dare teneretur: quos quum dare recuſaſſet ad id præſtandum nullo modo obligatus Franciſci legatum tum in Germania agentem multa aduerſus ipſum molitum: an heri mandato id ſuſceperit, in incerto relinquere: cæterum eundem legatum ſibi dixiſſe, niſi affinitates vt propoſitæ erant, iniret, Regem pacta conuenta cum ipſo facta vix obſeruaturum.

Quibus de cauſis Carolus V. Franciſcum accuſet.

24 Vt vt ſit, Regem inde malam erga ſe mentem induiſſe, & ad res Neapolitanas aſpiraſſe cœpiſſe: qui autem aſpiraſſet, planè tacuit; at Regem Roberto Marchiano, Geldubenſíque regulo authorem fuiſſe, addidit, cur ipſi bellum inferrent, maiorum ſuorum exemplum imitatum, qui duobus hiſce inſtrumentis ad perturbandas Maximiliani aui ditiones vſi fuiſſent. Addidit & Allebretum, vt regnum Nauarricum repeteret, ab eodem Franciſco impulſum: quod fœdere Nouiodunenſi reſtituere, aut ex æquo, & bono compenſare tenebatur, ſe vt compenſaret nunquam recuſaſſe: immo vero Allebreto æquè opulentum principatum obtuliſſe: hinc nihilominus bellum inter ipſos exortum quod ad Ticinenſem pugnam vſque durarit: tum & populum in Hiſpania aduerſus eius magiſtratus rebellaſſe, & in Germania Lutheranam ſectam pullulare cœpiſſe. Franciſcum pugna Ticinenſi captum in Hiſpaniam deductum, deinde Madriciano fœdere liberatum; quod non ſolum eius conſiliarij ad id concipiendum ab ipſo delecti, ſed & Franciſcus ipſe adequitans, quum ad Chriſti Cruci affixi ſtatuam ſubſtitiſſent, adhibito iureiurando ſanctè ſe obſeruaturum promiſit: quamuis nonnullis ſe illo fœdere haud ſtaturum prædixiſſet; vti nec poſtea ſtetit, promiſſum in ſua poteſtate non eſſe cauſatus: idcirco ſanctam (vti vocarunt) ſocietatem inſtitutam, qua Regios liberos reſtituere iubebatur: perinde, ac ſi illos malis artibus intercepiſſet, & non veluti Madriciani fœderis prædes accepiſſet: quos quum reddere merito recuſaſſet, bellum renouatum fuit. Vt autem ante Ticinenſem pugnam Ioannem Stuardum Albaniæ regulum cum exercitu in regnum Neapolitanum miſerat, ita & Lautrecium eodem miſit: vbi is exercitu prope deleto vitam edidit. Miſit & Paulinum Comitem in Galliam Ciſalpinam, qui ſuperioribus ducibus haud fœlicior tum quum ex Hiſpania in Italiam tranſmitteret, captus eſt.

25 His cladibus fractus Rex Franciſcus ad pacem tandem inclinare viſus eſt, & fœdus Cameracenſe procurauit, quod non vſquequaque obſeruauit. Paulò poſt enim quum Solymanum iterum in Germaniam irrupturum rumor increbreſceret, atque ipſe ad repellendos barbari tyranni impetus ſe compararet, Franciſcum quod ad id bellum inuitatus non fuiſſet (vt prædicabat) pios eius apparatus calumniantem ſe mereri dixiſſe, vt ad eius belli ſocietatem aſciſceretur: Cæſarem cæteros Chriſtianos principes dedignantem ſolum eam expeditionem ſuſcepiſſe, vt ſibi viam ad monarchiam ſterneret; à qua calumnia vt ſe coram celeberrimo hoc conuentu purget, operæpretium duceret quum enim Balanſonem ad eum miſiſſet, vt ſibi aduerſus Solymanum opem ferret, Regem ſe cum quinquaginta peditum tribus aut quatuor equitum millibus in Italiam

 tranſiturum

tranſiturum reſpondiſſe; quod illuc quoque bonam virium ſuarum partem Solymanus conuerſurus ferretur. Quod quum falſiſſimum eſſet ambiguum reſponſum ſe Mediolanenſi agro regnóque Neapolitano timere potius quam ab illo expectare auxilium coëgit. Si autem ad monarchiam ipſe aliquãdo aſpiraſſet, Regem modo principatu Mediolanenſi donaretur, aduerſus quoſuis ſe illi affuturum promiſiſſe conſtat. Vanas de Meruellij morte Franciſci querelas fuiſſe addidit, quem ſibi obnoxium, & peſſimarum machinationum conuictum iure Sfortia capite mulctauit: has Regem ſparſiſſe non quod abiecti, externíque hominis mors illi tanti eſſet, ſed quod violandorum recentium fœderum, bellíque renouandi occaſionem inde quæreret; quemadmodũ & Lantgrauium Heſſum ad inuadendum Vittembergenſem Ducatum incitauit, quod inficiari non poteſt: quũ Gallica pecunia venditi bellicæ arcis Comitatus ſpecie tradita ſtipendiũ militibus ſuis Heſſus numerarit. At nihil in Germania aduerſus ipſum ſe molitutum Frãciſcum antea recepiſſe: quinetiam in Italia non minus, quam in Germania multa quoque machinatũ nuper per Tintauillam, antea autem quum Tunetanam expeditionem ſuſcepiſſet, Regem magnos belli inſtruxiſſe apparatus, vt illum metu anxium retineret: poſtea nihilominus à bello abſtinuiſſe, non in eius gratiam, ſed vt quæ magnis periculis expoſitum fortuna maneret, expectaret; & ſi illi feliciter adeſſet, vt pecunia exhauſtus ad nouum bellum imparatus hæreret. De Rege item queſtus, quod nonnullos è ſuis ad remum adegiſſet, ibíque diu retinuiſſet Cæſarem in Gallos eadem deſignaſſe cauſatus. At illi Portundo ab Ænobarbi ducibus ſuperato in Africam abducti erant, quos poſt Tunetanam victoriam in ſuam poteſtatem redactos Regi reſtituerit: nec tamen inficiari Regem ſuis receptis Hiſpanos quoque reſtituiſſe.

Poſt Franciſci autem Sfortiæ mortem Regem ſibi principatum Mediolanẽſem condonari poſtulaſſe, cuius poſtulatũ quamuis is principatus Imperij Germanici fundus ad ipſum iure rediiſſet, haud reiecisſe, ſed quæ Regis mens eſſet in Rep. Chriſtiana conſtituenda, in concilio conuocando, in nouæ perſuaſionis propugnatoribus in viam reducendis, in ſtabilienda Italiæ tranquillitate, poſtremo quibus viribus aduerſus Solymanum ſibi auxilio foret, prius ſcire voluiſſe, quibus conditionibus eundem principatum Engoliſmenſi tertio Regis filio obtuliſſe: Heleonoram enim ſororem litteris ad ſe datis ſcripſiſſe Regem Aureliano maximè hunc principatum ambire: cæterum ſi id obtineri non poſſet, & Engoliſmenſi condonaretur ſibi ſatisfactum exiſtimaturum. Quantum ad ſe attinet, licet de Rege potius queri, quam eundem beneficio afficere debeat, qui ſecum de pace per legatos agens Allobrogem interim regulum Germanici Imperij clientem bona ſuarum ditionum parte exuerit, tamen & pacis vniuerſæ deſiderio, & vt ſe omni ambitionis ſuſpicione apud Deum Opt. Max. hominéſque liberet, treis Gallo proponere optiones. Primum vni ex liberis Regiis Mediolanenſem principatum offerre, modò inde certa, diuturnáque pax conciliari poſſit: hanc ab Aureliano non ſperare qui in vxoris dotem Florentinum, Vrbinatémque principatum ſibi vendicet: quibus ſi forte ceſſerit, ſe huiuſmodi ceſſionem non pluris facere, quam eam qua Franciſcus pater Burgundia maiore ceſſit: magis ad Engoliſmenſem inclinare modo Rex prius quibus viribus in celebrando concilio, in inſtauranda Rep. Chriſtiana, in reprimendis veteris receptæque paſſim doctrinæ deſertoribus, in bello aduerſus Turcas continuando auxilio fore ſpondeat, palam declaret. De quibus quum, niſi ſimultates omnes amoueantur, conuenire non poſſint, petere vt Rex ab omnibus Allobrogis ditionibus copias ſuas reuocet: alioqui ſe nullam pacis conditionem admiſſurum. Altera optione, cui vt Rex intra viceſimum diem reſponderet, poſtulabat, non quaſi illi diem ſuperbè præſcribens, ſed quod intra id tempus ſuum Regiúmque exercitum tam prope à ſe inuicem abfuturos exiſtimabat, vt ſine dimicatione vix dirimi poſſent: quæ vt vitetur, Chriſtianorúmque ſanguini parcatur, qui iam nimium multus propter illorum infeſta odia, cruentáque bella effuſus eſt, Franciſcum ad ſingulare certamen prouocauit: rationi conſentaneum eſſe addens, vt bella, quorum authores ſunt, eorumdem potiſſimum ſanguine terminentur; facilè illos de armorum genere conuenturos, ſe nullum recuſaturum. De loco plus fortaſſe difficultatis fore: ſed vel in inſula, vel in ponte flumini impoſito, vel in nauigio ad id extructo congreſſum non difficilem futurum. Duello autem has imponi conditiones æquum eſſe, vt victor Summo Pontifici vires ſuas omneis permittat, quibus concilium celebretur: noſtræ perſuaſionis deſertores in priſtinum cum cæteris conſenſum vel reducantur, vel puniantur, bellum Turcis inferatur, victori victus ſuas addere, ac permittere teneatur.

Tertia optione bellum propoſuit; ad quod ſe inuitum deſcendere Deum Opt. Max. celeberrimúmque illum conuentum teſtatus eſt: tam cruentum enim fore, vt victor non 27

magnum

magnum operæpretium, victus incomparabilem non ſolum hominum verum etiam ditionum ſuarum iacturam facturus ſit: quæ vniuerſi Chriſtianiſmi calamitas Turcarum Imperatorem vix quemquam, qui ſibi reſiſtat, offenſurum ad inuadendas Chriſtianas prouincias nimirum prouocabit. Hoc vnum eſſe cur pacem tantopere deſiderarit; ſi æquam ab ingrato Rege conſequi potuiſſet: ſed quandoquidem ad bellum inuitus manifeſta neceſſitate cogitur, ſe non prius arma poſiturum, quam vel ipſe, vel Rex ſuorum omnium egentiſſimus relinquatur. Vt autem de ſe bene ominetur, & priſtinam felicitatem, & pleraſque alias rationes occaſionem dare, ius enim à ſe ſtare qui non prouocator, ſed prouocatus ſit: neque tamen vllo alio tempore commodius, quam tum bellum ſuſcipere potuiſſe, qui nunquam alias & à pecunia, & à militibus paratior fuerit: multos enim habere in re militari experientiſſimos duces, tot autem milites, támque diuturnis bellis exercitatos, vt victoriam ſibi merito ſpondere debeat: quæ in Rege longè aliter, immo vero contra deprehendantur: ſi enim tales, quales ille & duces, & milites haberet, ſe vltro ad illum acceſſurum, ſéque, ac ſua quaſi victori permiſſurum. Multis deinde verbis, quæ ex bello mala præter hominum cædes conſequerentur, enarrauit, vrbium, prouinciarúmque vaſtationes, varias in religione diſſenſiones, plebis aduerſus magiſtratus, viróſque nobiles rebelliones: ita vt potentiſſimi Reges, ac principes viris nonnunquam facinoroſiſſimis, viliſſimiſque parere cogantur. Quapropter ſi æquæ pacis conditiones proponerentur, ſe haudquaquam recuſaturum, nec quid ſua priuatim intereſſet, ad calculos reuocaturum teſtatus eſt: modo Rex prius ab Allobrogis ditionibus exercitum ſuum educeret. Poſtremo Pontificem orauit, vt ſuſcepti huius belli rationes hinc inde colligeret, & vter Rex, an ipſe iuſtius id ſuſceperit, accuratè expenderet: quod ſi ius à Rege ſtet, quin illi Summus Pontifex auxilio ſit, non recuſare: ſin à ſe ſtare manifeſto liquebit, Deum Opt. Max. vniuerſum illum celeberrimum cœtum, totúmque adeo orbem Chriſtianum aduerſus Regem implorare.

28 Hæc quum magno animi æſtu pronuntiaſſet, excipiens Paulus Pontifex propenſum illius ad pacem animum collaudauit; cui Regem in eam pio inſtituto prolixè ſatisfacturum non dubitet, vti iam egregiam ſuam voluntatem declarauit: quam ob rem neutrum vel ad ſingulare certamen vel ad bellum deſcenſurum: quorum ſi alterum eligendum eſſet bellum quantumuis cruentum potius, quam duellum optandum videri: ſi enim alter, aut vt ſæpe fit, vterque mortem occumberet, duabus firmiſſimis Reipub. Chriſtianæ columnis proſtratis totam molem ſimul collabi neceſſe eſſet: meliorem itaque mentem induerent, & pietati potius, quam iracundiæ locum darent. Quod ad ſe attinet, pro ſacro munere, quo fungitur, ſe communem parentem exhibiturum, & neutram in partem inclinaturum: vt citra omnem ſuſpicionem illis reconciliandis operam nauare poſſit. Si tamen pertinacius alter in ſuis poſtulatis hæreret, in eundem ſe ſui muneris authoritate neceſſario vſurum teſtatus eſt. Qua oratione Cæſar ſibi abunde ſatisfactum putauit. Tum Matiſconenſis Regius apud Paulum legatus paululum progreſſus Cæſaris orationem Hiſpanicè habitam ſe non ſatis intellexiſſe & Vellio, vt cæteræ orationi reſpondeat, prouinciam relinquere præfatus, quod ad pacem attinet, Regem ab ea haud alienum futurum confirmauit: Vellium qui diu apud Cæſarem legatus fuerit, & Hiſpanicè loquentem facilius intelligere, & quæ cum illo pertractata eſſent, exactius meminiſſe poſſe: Vellius vt audiretur petens propius ad Cæſarem acceſſit: cui Cæſar ſæpius ſecum de pace actum confeſſus nunc non verba, ſed vt quæ acta eſſent, re præſtentur ſe quærere reſpondit, & deſcriptam ſuam concionem ſe Vellio traditurum pollicitus eundem amplius loqui nō permiſit, atque ita à Paulo ſeparatus in palatium ſuum rediit. Poſtridie (quatriduo enim duntaxat Romæ Cæſar remanſit) quum inde migraturus eſſet, & Paulum valere iubens legatos Regios acceſſiſſet, Cæſarem illi pridie ſi pax iniri non poſſet de duello loquutum dixerunt, ſe nullam duelli cauſam videre: tantum abeſſe, vt Rex principatum Mediolanenſem vi occupare deſtinet, vt Amyralio ſummo ſuarum copiarum duci iniunxerit ne quas Cæſaris ditiones, aut quarum ille in poſſeſſione ſit, adoriatur. An Regem promiſſis non ſtetiſſe, aut aliud quid quod à ſua exiſtimatione alienum ſit, patraſſe inſinuet, idcircóque ad ſingulare certamen prouocare ſtatuat: de hoc enim duello ſermones aliquādo habitos Cæſarem probè meminiſſe. Tum Cæſar, vt publicè pridie concionatus eſſet, ita & publicè concionem ſuam ſe interpretaturum dixit; quam nonnullos in alium ſenſum, atque ipſe intellexerit, accepiſſe audiat: & omnibus qui aderant, propius accedere iuſſis primum quæ inter ipſum, ac Regem pertractata erant heſterno die prolixius fortaſſe enarrando ſe neque Regem inſimulare, neque apud exteras nationes ignominia afficere voluiſſe: *Concionem publicè habitam publicè Cæſar interpretatur.*

egem quidem nonnulla & dixiſſe, & feciſſe,quæ dicta,aut facta nollet, verum eam inter ſos eſſe affinitatem, vt cum illo conuenire mirandum in modum cupiat. Pacem ſibi riuatim & ad exiſtimationem & ad animi tranquillitatem, publicè autem ad omnium Chriſtianorum vtilitatem magis quam vlli alteri neceſſariam videri ad quam nihilominus vi pertrahi nolit. Quod ſi ſemel vires ſuas in Regem conuertat, progreſſum nihil poſtea reuocaturum, licet Solymanus in medias ſuas prouincias irrumpat, neque enim vtrique ſe reſiſtere poſſe compertum habet: quapropter vt vna expeditione bello inter ſe, ac Regem cœpto finem imponat, quam maximum poſſit, exercitum comparaturum: omnia tamen tentaturum prius,quam huc deuenire cogatur:neque vllum priuatum ſuum commodum,quin cum Rege conueniat,vt pridie dixit,impedimento futurum.

Quod de duello addidit,vt maius malum vitetur,addidiſſe,ne tot mortales innoxij vi- 29
ctoris libidini exponantur; & vt qui belli authores ſunt,ſoli belli diſcrimen ſubeant,ſatius videri: quæ non vt Regem ad ſingulare certamen prouocet, ſed vt animi ſui ſententiam exponat, dixiſſe profeſſus eſt: neque enim in huiuſmodi prouocationem coram Summo Pontifice ſine eiuſdem permiſſione delapſurum fuiſſe:ſcire Regem non minus animi virtute,quam ſtaturæ quadratæ excelſæque præſtantia cum paucis eſſe comparandum,quem temerè prouocare nolit; præſertim quum nulla cauſa ſubſit, niſi fortè vt bellum vitetur, quo totius Chriſtianiſmi vires vel obruantur penitus,vel ſaltem admodum atterantur:cupere in primis vt ipſe cum Rege, & Rex cum Allobroge eadem opera conuenire poſſit. Tum Paulus heſternam illius concionem in bonam partem accepiſſe ſuggeſſit: non defuiſſe tamen, qui eandem aliter acciperent, vnde maiora fortaſſe inter ipſum, ac Regem ſuborta odia fuiſſent: idcirco quod ſe interpretatus fuiſſet, plurimum lætari: legatos Regios quorum alterius ipſe, alterius Cæſar in magnis negotiis periculum fecerit ne pax diu agitata interrumpatur officio ſuo non defuturos.Legati Regij Paulum ſi ſe cōmunem vtrique parentem, neutri magis addictum præſtet, malis impendentibus obuiam iturum reſponderunt: quod is ſe facturum recepit;& ad Cæſarem conuerſus diuina prouidentia illi, Regíque ſummam Reipub. Chriſtianæ commiſſam dixit; quo munere ſibi aſſignato ſi bene vtantur, magnam laudem; ſin contra abutantur non minus dedecus conſequuturos: quamobrem ne habitos ſecum de pace ſermones interrumperet, orauit. Regem non diſſimilem ſuum ſenſum ſcripto illi aperuiſſe, vt bonam de certa inter vtrumque concordia ſpem concipiat. Cæſar ſe officio ſuo non defuturum reſpondit, & quum diſceſſum pararet, Vellius Cæſarem obſecrauit,vt coram Paulo,omnibúſque qui aderant,num principatum Mediolanenſem ſe Aureliano condonaturum dixiſſet, palam declararet: id enim ſe ad Regem ſcripſiſſe, & ne quaſi mendacij compertus in inſignem ignominiam incurrat, timere. Cæſar non ſolum dixiſſe, ſed & ad legatum ſuum apud Regem agentem, vt Regi idem renuntiaret, ſcripſiſſe confeſſus eſt: verum nunquam exiſtimaſſe, nec nunc quidem exiſtimare tuto id ita tranſigi poſſe, vt pactis conuentis ipſe fidere debeat: ſed nec Regem conditiones, quas petere decreuerat, admiſſurum fuiſſe. Cui Vellius ſubiunxit: A ratione & à tanti Imperatoris maieſtate alienum eſſe, vt proponat, quod mox re præſtari non poſſit: & Cæſarem ſibi ſæpius iteraſſe, nullas ſe petiturum conditiones niſi rationi conſentaneas.

Tum Cæſar Regem optionem ſibi propoſitam intra præſcriptum tempus non admiſiſ- 30
ſe, & in Allobrogis clientis ſui ditiones inuaſiſſe reſpondit, quem tueri omnino debeat, quemadmodum & cliens patrono operam ſuam præſtare, in eáque præſtanda & fortunas ſuas & vitam, ſi opus eſt,profundere tenetur. Ad hæc principatum Mediolanenſem Aureliano ſub conditione promiſiſſe,nempe ſi eius fœderati promiſſo aſſentirentur,quos nullo modo aſcenſuros certo nouit: ne ignis, vt iam dixit, qui totam Italiam inflammet, accendatur. Venetos priuatum Mediolanenſibus ducem ſe daturum ſimulans in fœdus induxit: quamquam id aſcriptum non fuit,iiſdémque mox ne eundem principatum Aureliano dari aſſentirentur,perſuaſit.De Engoliſmenſi non eaſdem ſuſpiciones fore:tametſi enim à Rege patre non ſecus, atque Aurelianus ſtabit, tamen ſi vnam ex Cæſaris neptibus vxorem ducet,vxorem eius à Cæſare ſtaturam; idcirco Engoliſmenſi principatum ſub conditionibus iam propoſitis, & quæ mox addentur,ſi Regi ita videbitur, conceſſurum:quum Vellius nullam de fœderatorum aſſenſu, quando principatum Aureliano promittebat, factam mentionem inferret, & pleraque alia additurus eſſet, dicere incipienti ſilentium indixit, & à Paulo dimiſſus Senas contendit. Romæ Granuellanum, ac Canneum reliquit, vt diploma, quo ſe neutri adhæſurum Paulus teſtabatur, ſecum afferrent: quibuſcum & Vellius remanſit, & Paulo ita ſuadente cum iiſdem rurſus de pace communicauit,

nicauit, cuius non exiguam ſpem adhuc oſtenderunt: Cæſarem certis de cauſis deſcriptam ſuam concionem non dediſſe addiderunt: ſed eandem ad legatum ſuum apud Regem agentem miſſurum, quam Regi offerat & quæ duriora fortaſſe videri poſſent, leniat. Pauli autem diploma hæc fere continebat: Paulum ſcilicet pacis inter Cæſarem, Regémque reconciliandæ ſequeſtrem ſe præſtare cupientem neutri, ſi bellum erit, vel conſilio, vel auxilio affuturum: non permiſſurum vt militum delectus ab alterutro in ſuis ditionibus habeantur: in eaſdem neutrius milites admiſſurum: non prohibiturum tamen in ſocietatem defendendæ Italiæ admitti, ſi quis id fortaſſe poſtulabit: controuerſiam cum Ferrarienſi in annum, cum Vrbinate, & filio ſuper Camerti principatu in ſex menſes dilaturum: quinque Heluetiorum pagis aduerſus cæteros, qui ab vniuerſa Chriſtianorum perſuaſione defecerunt, opem, vti Clemens, ſe laturum pollicitus eſt.

31 Quo diplomate accepto Granuellanus ac Canneus Cæſarem ſequuti, vnáque Vellius Senas abierunt, vbi Cardinalem Lotharingum offenderunt. Is Franciſcum omnia vt firma cum Cæſare amicitia coniungatur, experturum: ne cœptos de pace ſermones interrumpat Chaborum Amyralium ſui exercitus imperatorem non ſolum progredi vetuiſſe, ſed & vt retrocederet, iniunxiſſe, ſibíque priuatim hoc mandatum dediſſe declarauit. Et quoniã Algerium (vt fertur) nauigare Cæſar in animo habebat Aurelianum filium lubenter ad illum miſſurum cum eo comitatu, qui Regis filium deceat, & ſi inter ſe bene cõueniant, Regem Mantuam aut aliò quouis acceſſurum, vt coram pacta cõuenta confirment: omnia Regem propoſita de pace capita admiſiſſe præterquam de principatus Mediolanenſis vſufructu, quem ſibi reſeruare decreuerat, nunc facile eo cedere: cupere quidẽ vt ipſe Mediolanenſis regulus renuntietur, quem ſtatim ad Aurelianum filium transferat. Hæc tam æqua eſſe, vt quamuis Romæ Cæſar ſe aliter affectum ſua concione declararit, iter ſuum nihilominus perſequi nõ deſierit, vt illi ipſi eadẽ coram explicaret: præſertim quum ampliſſimum à Rege mandatũ habeat, vt cum illo omnia de quibus conuenient, tranſigat. Cæſar eadem fere quæ Romæ, in primis de Aureliano & Engoliſmenſi, repetiuit; cui Cardinalis intulit, rem illi cum Rege eſſe; à quo, non autem à Regiis liberis opem conuentorúmque conſtantiam ſperare debeat. Et quandoquidem principatus Mediolanenſis Regi vi eſt ereptus, rationi conſentaneum eſſe vt ſi illi non reſtituetur, ſaltem vt cui ex liberis ſuis reſtituatur, ſtatuat. Cæſar multis verbis eum principatum quaſi Imperij fundum ad ſe rediſſe confirmauit. Cardinalis Regis ceſſionem ſe in controuerſiam non reuocare reſpondit, quamuis reuocari iure poſſit: at quin is principatus ad liberos Regios matris Claudiæ morte deuenerit, neminem inficiari poſſe, quem nihilominus vel vti dono datum, vel alio modo tranſlatum accipere parati ſint, dum ea forma, qua legato Regio promiſſus eſt, transferatur. Cæſar nihil per ſe legato Regio promiſiſſe aſſeuerauit: quapropter Cardinalis ſe hæc cum legato Regio cõmunicaturum, & poſtridie rediturum promiſit. Poſtridie Cardinalis à legato Regio quid cum Cæſare pertractaſſet certior factus, & ad Cæſarem reuerſus nihil cum ipſo tranſigere poſſe declarauit, ſiquidem principatum Mediolanenſem Aureliano dare recuſet: hoc enim mandatorum ſuorum præcipuum caput eſſe: quapropter ad Paulum Pontificem Maximum proficiſci, vt Regis ad pacem propenſionem exponat, & quid, vt eam aſſequatur, obtulerit, adiungat: quinetiam caput de Aureliano immutatum doceat.

Cardinalis Lotharingus captos de pace ſermones fruſtra proſequitur.

32 Vellius quod nihil per ſe Cæſar Aureliano promiſiſſe dixiſſet, ſupplex ab illo poſtulauit, ne ipſum apud Regem mendacij argueret, & vt coram Cardinale quemadmodum & non ita dudum coram Paulo Pontifice declararet, num principatũ Mediolanenſem ſe Aureliano dono daturum dixiſſet. Cæſar Granuellano ac Canneo dixiſſe, vt id Vellio renuntiarent, & ad legatũ ſuum apud Regem agentẽ, vt Regi ſignificaret, ſcripſiſſe fateri coactus Regem oblatum intra tempus præſcriptum non accepiſſe, immo vero contra recentia fœdera Allobrogis Imperij clientis ditiones inuaſiſſe obiecit: ad hæc ſe principatum non antiqua formula, ſed noua, quaſi Sfortiæ morte ad Germanicum Imperium rediiſſet, condonare in animo habuiſſe, quæ noua altera conditio addebatur. Ita dimiſſus à Cæſare Cardinalis Romam ad Paulum iter inſtituit, & eorum quæ cum Cæſare egiſſet Regem interim atque Amyralium admonuit: Cæſarem nimirum nõ ad pacem, ſed ad bellum tendere. Idcirco ne imparatus opprimeretur, prouideret: Amyralius Stephanũ Columnam cum centum cataphractis equitibus, quatuor peditum millibus Taurinum miſit, vt vrbem diligentius muniret, cœptóſque aggeres, ac propugnacula conficienda curaret, caſtra ſub Cariniano ad Padum metari, præparárique iuſſit, in quibus, ſi fortè Cæſar cum maioribus viribus appropinquaret, exercitum ſuum collocaret: Mompeſatio iniunxit vt cum cẽtum item cataphractis equitibus, quatuor Gallorum peditum millibus, octingentis

talis Foſſanum, Vigonium, Sabinianum, Cunium, Monteuicum, & in finitimas vrbeis ire pergeret, vt Ciſpadanum agrum ab hoſtium iniuriis vindicaret. Quorum omnium Regem certiorem fecit; & quamuis propoſitas à Cæſare conditiones accipere nolit, tamen vt menſem duntaxat diſſimulet ſuaſit; intra quem Taurinum ita munitum fore ſperet, vt omnibus Cæſaris copiis facilè reſiſtat. Cardinalis Lotharingi, Amyraliíque litteras tabellarius pridie Kal. Maias Regi obtulit; quo die & Leidequercus Cæſaris apud Regem legatus Cæſarianæ concionis exemplum Regi legit, non vt Romæ habita fuerat, verum vt paulò poſt Cæſar moderatus erat; Regi nihilominus exemplum relinquere, aut vt aliud deſcriberetur, permittere noluit, ídque ſibi mandatum fuiſſe obtendit. Rex ne ſilentio ſuo obiecta à Cæſare fateri videretur, ſcripta ad Paulum Pontificem, Cardinaliúmque collegium epiſtola in hæc fere verba ex Gallico in Latinum ſermonem conuerſa reſpondit:
[Optarem plurimum, Paule Pontifex Maxime, vóſque ampliſſimi Cardinales, vt Cæſa- »
rianæ concioni Romæ nuper apud vos habitæ intereſſe potuiſſem, qua Cæſar veluti accu- »
ſatoris parteis ſuſtinens, me quaſi reum quamquam abſentem multis calumniis aſperſit; »
vt ſingulis ſigillatim reſpondens me apud vos purgarem, nec altero duntaxat audito »
ſuſpenſos tenerem; quod quoniam præſtare non potui, quod proximum fuit, vobis ſcripto »
ſatisfacere decreui. Verum & id quoque mihi perdifficile eſt: neque enim Cæſar legatis »
meis concionis ſuæ exemplum tradere voluit, neque Leideoquercus eius apud me lega- »
tus, quum eandem mihi perlegiſſet, aliter tamen quam habita fuiſſet, deſcribere paſſus »
eſt. Reſpondebo igitur iis, quæ vel à Matiſconenſi Pontifice, Vellióque legatis meis ac- »
cepi, vel quæ ex Leideoquerci lectione in memoriam reducere potui; ac mihi quidem »
vniuerſam concionem conſideranti dimidiatam duntaxat hiſtoriam Cæſar recitaſſe, quæ »
ſibi vſui erant, protuliſſe; quæ contra nocebant, vel mihi proderant, tacuiſſe viſus eſt. Quæ »
igitur omiſit, vt vos à me bona fide addente audiatis oro, atque obteſtor. »
Ludouicum Duodecimum huius nominis Galliarum Regem Claudiam filiam ipſi de- »
ſpondiſſe, deinde mihi collocaſſe obiecit: vnde irritatus Maximilianus eius auus Ludoui- »
cum è Mediolanenſi principatu expulit: at Ludouicum tres Galliarum ordines, quibus »
ſine controuerſia Reges parere debent, vt mihi collocaret, compulerunt, ne Britannia mi- »
nor, cuius Claudia hæres fuit, à ſceptro Gallico diuelleretur. Cauſam itaque immutatæ »
Ludouici voluntatis addi oportuit, quæ quum iuſtiſſima ſit, quod queratur, non habet. »
quod ad Naſſaui Comitis legationem, promiſſamque Renatam vxoris meæ ſororem at- »
tinet, per me quin ea affinitas iniretur non ſtetit: verum vt ea inter nos arctior eſſet, »
aliquot poſt annis fœdere Nouiodunenſi vt Ludouicam filiam meam admodum adhuc »
tenellam, ſin ea interim decederet, alteram, ſi qua fortè naſceretur, aut eandem Renatam »
vxorem duceret, conuenit; quæ pactiones non à me, ſed ab illo potius mox interruptæ fue- »
runt. Lætatum ſe Melegnanenſi mea victoria iactat: at ego tam anxiè ſupra commemora- »
tas affinitates ambiens tum non minus eius victoriis lætatus fuiſſem. Maximiliano auo »
Mediolanenſem principatum tueri ſuadenti ſe parere noluiſſe ſubdit: quid mirum? quum »
ſi paruiſſet, fœdera mecum inita violaſſet. Poſt Maximiliani mortem nos ambos ad Im- »
perium aſpiraſſe addit: in qua ambitione ſinceram meam mentem præclara ſimilitu- »
dine declaratam inficiari non poteſt: at me ea æmulatione accenſum multa aduerſum »
ſe per legatum meum in Germania molitum obiicit: Ducis Mediolanenſis officium erga »
Imperium Germanicum, Imperiíque ordines legatus meus præſtitit, & me in priſtina cum »
illis amicitia perſeuerare velle declarauit: ſi quid præterea molitus eſt, extra mandata mea »
molitus eſt, quorum vel malè geſtorum vel malitioſè amplificatorum ſi conuincetur, di- »
gnas culpa ſua pœnas dabit. Renouare cum iam deſignato Imperatore affinitates vo- »
luiſſe, earúmque prædes me poſtulaſſe prædicat: quum filia mea natu maior fato functa »
eſſet, altera autem adeo tenella vt eius matrimonium Cæſar expectare non poſſet, rediro »
ad Renatæ vxoris meæ ſororis matrimonium, de quo antea cum Naſſauo conueneram, »
volui, neque huius affinitatis, ſed pecuniæ tum promiſſæ prædes mihi dari poſtulaui; quæ »
ſi mihi integra fide perſoluta fuiſſet, nullis prædibus opus fuiſſet. Fœdere Nouiodu- »
nenſi, quo & caput ſuperius comprehendebatur, Alebreto Regi Nauarræ intra præſcri- »
ptum tempus ſatisfacere Cæſar tenebatur; cui ſi non ſatisfaceret, eidem in regno recupe- »
rando auxilio eſſe mihi integrum erat: tempus iamdudum elapſum animaduertens quod »
promiſeram præſtiti. Neque vero Robertum Marchianum, vt Cæſari bellum inferret, inci- »
taui: immo vero me ipſi aduerſus Marchianum opem laturum declaraui, & milites, quos »
me inſcio Marchianus è regno meo eduxerat, reuocaui: vnde vt multas vrbeis, arceíſ- »
que amitteret, in cauſa fui. Madriciano fœdere me non teneri antea ſæpius, & fuſius, »
declaraui,

Digitized by Google

declaraui, vt eadem iterare ſuperuacaneum eſſe videatur. Hoc vnum dicam captiuum, dum in cuſtodia habetur, nulla data fide nullis promiſſis teneri; mihi autem ſemper & Madritij, & in itinere dum in Galliam redirem, vſque ad Fontem Rapidum. vbi libertati meæ reſtitutus ſum, maior etiam quàm antea, cuſtodia impoſita eſt: quod me huiuſmodi fœdus non obſeruaturum prædixerim ingenuè fateor, nimis enim duræ conditiones erant; quas ſi fidem meam pro obſidibus, aut prædibus Cæſar accepiſſet, nec me in continua cuſtodia habuiſſet, admittere nullo modo voluiſſem.

34 Sanctam ſocietatem liberorum meorum recipiendorum ergo inſtitutam fateor, vt Cæſar ad æquas rationes perduceretur, & iuſtum datæ mihi libertatis pretium acciperet, nec ad prouincias, quæ in mea poteſtate non erant, aſpiraret. Porro Italica Lautrecij expeditio captiui Clementis Pontificis liberandi ergo inſtituta eſt, quemadmodum Galli Reges ſemper eius Pontificatus propugnatores fuerunt. Et quod Cæſar nihil æquum promitteret, vltra progredi Lautrecius coactus eſt, interiiſſe ibi Lautrecium ait, & vero bonam mei exercitus partem addere potuit, quam ſi Deus Opt. Max. vt ab hoſtibus, ita à peſtis contagione liberaſſet, haud dubiam nimirum victoriam reportaſſet. Cameracenſe fœdus Madritiano etiam iniquius quodam modo fuit; in quo nonnulla capita contra rem meam addita fuerunt: verum quoniam liberorum captiuitas eadem & patris eſt, in id iurare quadam neceſſitate coactus fui: nec tamen ab illo vnquam receſſi, quanquam ſe multæ, vt recederem, occaſiones obtulerunt. In bellum Turcicum pecuniam, & cataphractos equites Balanſo poſtulauit: Cæſarem à me ſatis multam pro recipiendis liberis recepiſſe & cataphractos equites Autumno iam ineunte tam longinquum iter ſuſcipere non poſſe reſpondi, quin de via feſſi, & vnà cum equis attriti nulli vſui eſſent. Cæſari me libenter loco honoratiore cedere, vt in ſua Germania Imperatoris munus magna cum gloria impleat. Si in Italiam, aut alio quouis Solymanus irrumpat, me venienti cum quinquaginta peditum, quorum bonam partem in Germania conſcribere decreueram, quatuor equitum millibus occurſurum. Meruellij morte ius legatorum violatum nemo inficiari poteſt. Paulò ante bellum Vittembergenſe bellicæ arcis ſiue montis Beliardi Comitatum emi intra annum redimendi poteſtate facta; intra quem Vittembergenſis regulus eandem pecuniam mihi inuito repræſentauit: Comitatum enim pluris, quam pecuniam faciebam. in quos autem vſus dum venderet pecuniam impendere deliberaſſet, inquirere Regiæ modeſtiæ non fuit: neque Tindeuilla, ſiue Eſchenaius quicquam in Italia aduerſus Cæſarem molitus eſt; quum nullum ad id mandatum haberet, & mihi tum nullum cum Cæſare bellum eſſet: ſiquos viros nobiles ad meum ſtipendium inuitauit, idne pacis violatæ argumentum Cæſar interpretabitur? an Italos ſolam ſuam militiam ſequi coget, nullam aliam externam obire patietur? Quæ porrò hæc ſeruitus eſſet? at ſe Italicæ libertatis authorem, propugnatorémque vbique prædicat: ne mihi Mediolanenſem principatum reſtitueret ſola Sfortiæ ſibi addictiſſimi contemplatione Cæſarem impediri eius domeſtici mihi aut certè legatis meis ſæpe dixerunt. Hinc data occaſione poſt Sfortiæ mortem vt eundem mihi reſtitueret per legatos meos inſtiti: quum non mihi, ſed vni ex meis liberis ſe reſtituere velle declaraſſet, eam quoque conditionem admiſi, atque Aurelianum nominaui: quod ille poſt multos ſermones vltro citróque habitos, multóſque tabellarios hinc inde miſſos & Vellio legato meo, & mihi per Leideoquercum legatum ſuum tandem aſſenſus eſt. Sola de eius principatus vſufructu, quem mihi excipere volebam, controuerſia ſupererat, quo ne pax interrumperetur facilè ceſſi. Quum igitur omnia ab eius legato propoſita capita admiſerim, ſi illis non ſtet, vter noſtrum pacis interruptæ author iure dici poteſt? Quod ad pacem toto Chriſtiano orbe conſtituendam attinet, me nulli Chriſtianorum principum cedere, vel repreſſi, mulctatique nouarum religionum authores, vel cæterorum populorum mihi obnoxiorum vita Romanorum rituum, decretorúmque obſeruantiſſima teſtimonio eſſe poſſunt.

35 De Allobroge vana eſt obiectio, tametſi enim fœdere Cameracenſi cauebatur, ne quid aduerſus Cæſarem cum Italis principibus molirer, tamen Allobrox eius fœderis erat dumtaxat velut appendix, nec princeps contrahebat, neque vlla tum de iure, quod in eius poſſeſſiones mihi vendicabam, controuerſia fuit. Sit Allobrox Imperij Germanici cliens, at multa poſſidet, quæ Delphinates regulos, Salaſſóſque patronos agnoſcunt: Præterea an huiuſmodi clientela matrem meam paterna hæreditate priuabit? Quid? quod Nicienſis Comitatus oppigneratus ſolùm fuit perpetua redimendi facultate excepta? Vanior de ſingulari certamine mentio eſt: enſes enim noſtri breuiores ſunt, quam vt tam procul penetrent: at ſi bellum renouabitur, & nos fortuna aliquando committet, me meæ

xiſtimationi non defuturum experientia comprobabit. Quamobrem te, Paule ter Maxime Pontifex, vóſque ampliſſimi Cardinales conteſtor, atque oro, vt iudicium veſtrum ne vllo præiudicio interponatis, & an patientia, qua hactenus vſus ſum, liberorum meorum patrimonium vi occupatum, exercitus mei, ne pacem interturbaret in ſua ſtatiua eductio, ampliſſimum ad Cardinalem Lotharingum miſſum procuratorium inſtrumentum, Mediolanenſis principatus vſusfructus ceſſio, me quod meum eſt pace non violata in bello repetere malle teſtentur, ſtatuatis.]

Huius apologiæ (iam enim hæc dictio fere pro Latina vſurpatur) exemplum ad * * Tinteuillam Poliſium Trecenſem Balliuum, quem ad Anglum legabat (& is adhuc in itinere erat) Franciſcus miſit, vt id Henrico traderet: quemadmodum paulò ante Cæſarianæ concionis Romæ habitæ, vti à Matiſconenſi, Velliôque legatis ſuis acceperat, aliud exemplum miſerat: fœderati enim hi duo Reges & erga Cæſarem malè animati erant, & omnia maioris momenti negotia inter ſe communicabant: cauſa autem mittendi in Angliam Poliſij hæc fuit. Anglus Cæſaris litteras Neapoli ad ſe miſſas Tarbellenſi Pontifici è Caſtellonouana familia Regio legato legendas dederat, quæ quinque capita continebant: primo Cæſar quo die Romam appellere debebat, & quid illic potiſſimum acturus erat, declarabat: altero de Allobrogis ditionibus à Gallo occupatis agebat; vbi eundem rogabat, vt illas ipſas reſtituere Regi perſuaderet. Tertio ſe metuere ſignificabat ne Rex Mediolanenſem principatum adoriretur: quod ſi id accideret, Angli opem implorabat. Quarto vt mutui inter ipſos diſſidij ob Catharinæ Reginæ diuortium ſuſcepti obliuiſceretur, orabat, diſſidij cauſa Catharinæ morte ſublata; & vt omnes ſuſpiciones, inimicitiarúmque reliquiæ penitus abolerentur, vetera fœdera renouari petebat. Quinto ſe ingentem aduerſus Turcam exercitum comparare aiebat, in cuius ſtipendium portionem aliquam vt contribueret, precabatur. Anglus qui in omnibus fere Chriſtianorum principum aulis præſertim in Pontificia, ac Cæſariana coryceos habebat, qui quicquid illic agebatur, explorarent, ſibique indicarent, Cæſarem Romæ contra, atque ad ipſum ſcripſiſſet, multa aduerſum ſe molitum intellexerat. Secundo à Rege contendere, ne ius quod in pleraſque Allobrogis ditiones ſibi vendicabat, perſequeretur, iniquum putabat. Tertio tantum abeſſe nouerat, vt Cæſar agro Mediolanenſi timeret, vt multò longiùs progredi, & cum Inalpino Regis exercitu confligere, & in mediam Galliam irrumpere deſtinaret. Quarto Cæſarem & apud Pontificem, & apud pleroſque alios Catharinam materteram Angli fraude veneno ſublatam diuulgaſſe, & grauiter de ipſo queſtum fuiſſe compertum habebat. Quinto Cæſaris exercitum non in Turcam, ſed in Gallum, vt iam dictum eſt comparari ſciebat: hinc quid Cæſari reſponderet, Tarbellenſi Pontifici declarauit. 36

Hoc ipſo tempore Franciſcus litteras à Vellio accepit, quibus Canneum, ac Granuellanum à ſe petiiſſe ſignificabat, num Chabotus Amyralius, vt conuenerat, ad Cæſarem accederet: commodum videri addebat, vt cœpti de Mediolano ſermones continuarentur, ſi non pro Aureliano, at pro Engoliſmenſi, qui ſi alioqui non prodeſſent, at ſaltem Taurino muniendo tempus darent. Chaboto Franciſcus ſcripſit, vt Taurini, Carmagnolæ, Foſſani, Cunij munitionibus ſummam manum imponeret: quatuordecim, aut quindecim peditum millia & tot grauis, leuiſque armaturæ equites, quot neceſſarios eſſe iudicaret, præſidio imponeret. Si peditum numerus maior eſſet, quàm ſupra commemoratæ vrbes capere poſſent, cæteros in propinquas, ſed ab hoſtibus remotiores diſtribueret: reliquum exercitum in Galliam Lugdunenſem, aut Delphinates reuerti iuberet; quoties à Cardinale Lotharingo arceſſeretur, in viam ſe daret. Hæc mandata Rabodangeus ſexto nonas Maias à Rege dimiſſus ad Chabotum, Velliúmque attulit. Alia per Rentium Carolo Borbonio Vindocinenſi regulo Picardiæ, ac Claudio Lotharingo Campaniæ prætoribus non diſſimilia mandata Franciſcus dedit: vt legionarios pedites, equitúmque alas in vrbeis hoſtibus magis obiectas diſtribuerent: eaſdem, quoad poſſent, munirent, quatuordecim peditum millia conſcriberent, & ſi opus eſſet duo adderent; in quorum ſtipendium munitionúmque ſumptus pecuniam miſit. Tum Franciſcus Marchio Salaſſus ad Regem equis curſoribus acceſſit, & Sabinianum, Cunium, Foſſanum, aliáque omnia numero decem & ſeptem oppida tanquam antiquas Salaſſi Marchionatus poſſeſſiones ſibi reſtitui poſtulauit, atque impetrauit: tametſi non tam eorum oppidorum recipiendorum ſpe acceſſerat, quam vt ſpecioſam ſuæ defectionis, quam iam moliebatur, cauſam inde quæreret. Hominem ad ſe pertraxerat Antonius Leua ſpe filiæ illi collocandæ (quanquam de eius matrimonio cum Andreæ Auriæ filio iam conuenerat) & litem de Monferratenſi Marchionatu, quæ ad tribunal Cæſaris vertebatur ſecundum eundem iudicatum 37

iri

Digitized by Google

iri promiſerat: quem Marchionatum ob ſubſtitutiones iamdudum factas ad fœminas maribus ex eadem ſtirpe ſuperſtitibus deuenire Salaſſus inficiabatur. Monſerratenſis autem Marchio ex Alenconij reguli ſorore duos dumtaxat liberos marem ac fœminam ſuſceperat: ille equi lapſu ſuffocatus nondum vxore ducta interierat: ſoror eius Mantuano Marchioni nupſerat, aduerſus quam litem Salaſſus intenderat. Erat Salaſſus homo ſuperſtitioſus, & vanis neſcio quorum vatum prædictionibus fidem prorſus adhibebat; quæ poſt Tunetanam Cæſaris victoriam tota Italia ſparſæ (vt ea natio victores, aut potentiores adulari ſolet) mundi totius monarchiam Cæſari promittebant. hinc Monſerratenſis Marchionatus adipiſcēdi ſpe, ſui vero amittendi metu à Gallo ad Cæſarem paulò poſt defecit.

38 Vt ad Chabotum Amyralium redeam, is exercitum, quem ad Carinianum habebat, nondum diſſoluendum putabat: quapropter alterum priori non diſſimile à Rege mandatum accepit, vt præſidio vrbibus, quæ primum venientis Cæſaris impetum retinere, aut retardare poſſent, impoſito cæterum exercitum in Galliam reducendum curaret: ſin Antonij Leuæ exercitus Gallico viribus ſuperior non eſſet, iſque nihilominus contra id quod Cardinali Lotharingo promiſit, Seuam amnem tranſmitteret, prælij aleam ſubiret, modo Cæſarem adorientis, ſe vero defendentis ac ſua tuentis parteis ſuſtinere palam faceret. Sin id fieri commodè non poſſet, prius mandatum per Rabodangeum miſſum ſequeretur: paratus porrò eſſet, vt ſi fortè à Cardinale Lotharingo arceſſeretur, illum ſtatim adiret. At Cæſar exercitum ſemper augebat, & octauo Idus Maias Setiam contra promiſſum Antonius Leua tranſmiſerat; atque inter Vercellas, Taurinum, ac Germani Fanum caſtra metatus erat, equitatu quidem non aucto, at peditatu multum aucto: Germanorum enim peditum vndecim, Italorum octo, Hiſpanorum duo millia præter Sicilienſes Hiſpanos ſecum ducebat, & magnam equitum, peditúmque manum Cæſar adducebat. Interim Cardinalis Lotharingus Romæ Paulo Pontifici mandata ſua expoſuit: quid illi Cæſar reſponderit, addidit: quin pax ineatur, per Regem non ſtare docuit. Paulus ſe omnem operam, vt hi duo principes ſibi inuicem reconciliarentur, dediſſe, nec tamen quicquam profeciſſe reſpondit: Cæſarem adeo ſibi confidere, vt Galliam ſine vllo fere negotio in ſuam poteſtatem venturam ſperet; ne Rex è Germania, aut ex Heluetiis vllos pedites educat, perfeciſſe: cum duobus magnis exercitibus in duas oppoſitas Galliæ regiones Picardiam ſcilicet ac Phocenſem prouinciam irrumpere decreuiſſe. Tertium fortaſſe ex Hiſpania in Narbonenſem immiſſurum, Regi conſulere, vt quam Cæſar dabit, pacem accipiat, licet iniquior eſſe videatur. Poſtremo tamen duos legatos Carpenſem Cardinalem ad Cæſarem, Triuultium ad Regem ſe miſſurum promiſit, vt ſi quam poſſint, vtrimque æquam procurent. Cardinalis Lotharingus à Paulo dimiſſus Venetias petiit, inde Cæſarem ad Petraſanctam conuenit, & belli varios, incertóſque euentus proponens Cæſarem ne quid inconſideratius aggrederetur, orauit. Galliæ regnum potentius eſſe, quam vt inuadi, multo vero minùs occupari poſſit: ſi fortuna illi aduerſa erit, poſtremam hanc expeditionem ſuperiores omneis obſcuraturam victorias. Cæſar in omnibus bellis pericula vtrique parti communia eſſe reſpondit: ſi tamen Allobrox in priſtinum ſtatum reſtituatur, ſe à pace non alienum futurum. Ita à Cæſare dimiſſus Lotharingus in Galliam rediit, & Regi ad Fanum Ramberti in Lugdunenſi Gallia decimo ſexto Kal. Iunias occurrit: nullam à Cæſare ſperandam pacem ex ſermonibus cum illo habitis intellexiſſe declarauit. Antonium Leuam Setiam tranſmiſiſſe, Cæſarianos diuulgaſſe è Germania, Heluetiiſue nullum peditatum Gallis auxilio venturum, eoſdem totam Galliam ſpe deuoraſſe.

39 His intellectis Franciſcus Chaboto Amyralio ſcripſit, vt præſidiis vrbibus impoſitis, quemadmodum ſæpe monitus erat, cæterum exercitum in Delphinates mitteret: Caninij Gonzagæ, ac Guidi Ranconi cohortes dimitteret; vtrumque dumtaxat, ac centuriones, & paucos ſelectos milites retineret, quinetiam ipſe ad Regem rediret: Franciſcum Salaſſum regulum in ſuum locum ſurrogaret breui diploma quo Rex illum legatum ſuum deſignet accepturum. Kalendis Iunij Ioannem Humerium Delphinianæ alæ legatum Delphinatibus præfecit, Guilielmum Langeum in Germaniam miſit, tum vt ab Imperij ordinibus qui de controuerſiis inter Imperatorem, Imperiique clientes motis diiudicare debent, conuentum poſtulet: in quo iura, quibus Rex, Regiique liberi Mediolanenſem principatum ſibi vendicant, exponat, rogétque vt dignam ſua exiſtimatione ſententiam ferant: tum vt centum nummûm aureorum millia apud Bauaros regulos anno huius ſæculi triceſimo tertio depoſita repeteret, cauſa cur depoſita fuiſſent, ſublata, & reſtituendi iamdudum exacto die. Antonium Rupifocaldium Barbeſſium equeſtris alæ ductorem Maſſiliæ præfecit: veteribus cataphractos equites trecentos addidit: Henricum Alebretum

Franciſcus S. Imperij ordinibus controuerſiam Principatus Mediolanēſis dirimendam proponit.

ılebretum Regem Nauarræ Aquitanis prætorem dedit, quos ab Hiſpanis, qui coire, & ɛſcio quid machinari ferebantur, tueretur Langeus in Germania res ſatis perturbatas ıfendit. illuc concionis ſuæ Romæ habitæ diuerſa exempla, nec ſibi conſentientia alia ıouæ, alia veteris perſuaſionis ſectatoribus Cæſar miſerat: illis præterea ſcribebat ſe pleaque eorum dogmata, eáque præcipua cum Paulo Pontifice, aliquótque Cardinalibus :ommunicaſſe, à quibus non admodum alieni erant, eáque rata habituri videbantur, ıiſi de occupatis Allobrogis ditionibus fama tum Romam perlata eſſet; quas vt recuperaret, inde migrare, & milites vndique accerſere coactus fuiſſet. Veteris perſuaſionis ſeıatoribus ita ſcribebat, vt Proteſtanteis minimè læderet, & vtroſque ad ſe pelliceret: Germanos omneis tota Gallia exterminatos per ſuos miniſtros diuulgari faciebat: quin:tiam Gallos ipſos, qui in Germania diutius verſati fuiſſent, flammis crudeliter expoſitos. Verum quod grauiſſimum fuit, Regem cum Solymano ſocietatem coiiſſe Cæſariani miıiſtri tota Germania diuulgarunt: nec tam ſibi confidentem bellum gerere, quam in ſe mperatorias omneis vires conuertere conari, vt interim nec opinanteis Germanos Soymanus inuadat: idque plerique Pontifices vel ita perſuaſi, vel quadam malignitate initati per concionatores, aut libellis excuſis, & in templorum ianuis affixis in ſuis prouinciis diſſeminarunt. Impudenti mendacio aliud non minus impudens fidem faciebat: ibellum cum priuilegio Imperatorio excuſum iidem miniſtri ediderunt, quo Cæſar Re;i, niſi Solymano ſocietatem renuntiaret, bellum internecinum publicè Galliæ proceriıus aſtantibus denunciaret, enſémque alia ex parte rubrum, alia in flammam depictum ropoſuerat, tanquam nec vllis hominibus ac ne tectis quidem parcere decreuiſſet. Heıldı nomen, dies, quo Regi prouocatio denuntiata fuiſſet, addebantur: quem libellum vt 'eriſſimum, tametſi falſiſſimus erat, Germani fere omnes accipiebant, & Regi infenſiſſiıi erant. Accidit præterea vt pleraque oppida, pagíque malignorum neſcio quorum hoıinum malis artibus in Germania noctu incenderentur: quapropter excubiæ paſſim no:tu habebantur, ſi quos poſſent in ipſo facinore comprehendere experturæ. Incendiarios ıuiuſmodi à Rege miſſos Cæſariani miniſtri criminabantur.

Id quoque tum & in Gallia accidit: nam Trecæ inſignis Campaniæ Gallicæ vrbs, & 40
ıulta oppida eodem modo incenſa ſunt: quod Mariæ Reginæ Hungariæ, Cæſaris ſoroi, quæ Flandricis prouinciis præerat noſtri homines tribuebant. Cæſarianorum miniſtrorum calumniis Langeus Regius legatus libello Latinè, Germanicéque ſcripto reſponlit, quem typis mandandum & tota Germania diuulgandum curauit. Fidem libello fecrunt Germani mercatores è Lugdunenſibus conuentibus ad Straſburgenſes reuerſi, ɛ in Gallia perhumaniter habiti, qui Cæſaris prouocationem, cuius ſupra memini, meram abulam eſſe, nec quemquam Germanum ſupplicio affectum, aut Gallia exterminatum uiſſe aſſeuerarunt. Regis porro mandata exequi Langeus haud potuit, nec palam cum Germanis agere & legati nomen vſurpare auſus eſt, ne in Cæſarianorum poteſtatem veıiret. Bauari reguli depoſitam apud ſe pecuniam reddere ſibi non licere obtenderunt, ıe flagrante bello eam Regi ſuppeditantes apud Cæſarem hoc nomine malè audirent. Ludouicus Bauarus Comes Palatinus ad quem Regis, Regiorúmque liberorum litteras, ɛ mandatorum ſibi datorum ſummam Langeus miſerat, vt in comitiis Germanicis de orum in principatum Mediolanenſem iure decerneretur, eas ad Ferdinandum Romaıorum Regem Imperij, ſiue Imperatoris vicarium ſe miſiſſe reſpondit, vt de iis pro ſua rudentia ſtatueret. Quo frigido reſponſo accepto litteras ad Imperij principes, quæ nandatorum ſuorum ſummam continebant Langeus ſcripſit, & quemadmodum libelum nuper commemoratum excudendas, totáque Germania diuulgandas curauit. hinc erſpicuum eſt, quam malè immenſam pecuniam in ambiendis Germanis principibus Franciſcus collocarit.

Interim dum in Germania mandata ſua exequi Langeus conatur, Chabotus Amyra- 41
ius Claudium Annibaldum (Annibam quidam è noſtris, Annibalem alij vocare malunt, t Annibalem pœna & nomine, & bellica virtute referre videatur) ac Carolum Conium Buriam cum ſuis quinquagenariis cataphractorum equitum alis Taurino præficit: ub quibus Gabriel Alegrius cum ſua itidem quinquagenaria ala Auſſinus, Thermeus, Ελleus ſinguli cum centenis leuioribus equitibus, ac plerique nobiles adoleſcentes miliaris gloriæ comparandæ auidi, Halluinus Piennus Tonarreus Comes, Liſtenaius, Guilus Chabotus Iarnacus, Paulus Chabotus Claraualiis Eſcarſius, Ludouicus Buellus Sarocæſarienſis Comes, Franciſcus Viuonna Caſteneraius, Carolus Coſſeus Briſſacus, oannes Dous, Ioannes Claromontius Traueus, ac nonnulli alij militabant. Additi ſunt Auchius,

Auchius, Cauius, Salla, Quincius,ſinguli mille; Artigius, Blancha, Angarius quingentorum Gallorum, Marcus Antonius Cuſanus bis mille Italorum peditum præfecti; quos vti Taurino Chabotus præſidio impoſuit, ſe cum ſua centenaria, atque Aubigniana eiuſdem numeri ala Rochameniana, ac Villeboniana quinquagenariis, & Guilielmi Fuſtemburgi Germanis cohortibus Penarolum recepit. Galli omnes duces inter quos Antonius Pratus Mompeſacius ac Carolus Tiercelinus Rochamænius plurimum authoritate pollebant, Cunij, ac Foſſani munitiones paulò ante inchoatas ſumma diligentia conficiendas cenſebant. At Salaſſus, qui iam cum Antonio Leua conuenerat, diſſimulando foſſores, commeatum, & quicquid ad munitiones promouendas pertinebat, ſubducendo, noſtrorum conſilia quotidie Leuæ aperiendo, vt, quoad poſſet, acceleraret, monendo rem Gallicam admodum perturbauit. Poſtremo Cæſariani exercitus multitudinem, ac robur extollens, Gallorum ducum ſibi parere detrectantium pertinaciam accuſans Regi vt de conſeruandis illis vrbibus deſperaret, propemodum ſuadebat: ac paucis poſt diebus quum vnum & alterum tormentum, rarum commeatum, rarum puluerem tormentarium, paucas pilas, nec tormentis illis idoneas Foſſanum miſiſſet, Cunio noctu migrauit, & Rauellum arcem ſuam ſeptimo Idus Iunij petiit; quò cæterum commeatum, vina, tormenta, & quæ ad tormenta pertinebant, miſit: ſe enim iam noſtris non ſolum ſuſpectũ, verum potius proditionis reum agnoſcens amplius diſſimulare noluit. Circumſedebat Taurinum Antonius Leua, vnde à Salaſſo accerſitus relictis ibi decem peditum millibus Iacobo Scalingo Aſtæ præfecto duce, & aliquot equitum alis, Foſſanum ſexto Idus hora altera pomeridiana appulit; ac prima impreſſione noſtros, qui Franciſcinorum ſodalium cœnobium extra oppidum ſitum demoliebantur, fortiter aggreſſus eſt: quibus ſubſidium mittens Antonius Pratus Mompeſatius Foſſani præfectus, & ex oppido tormenta diſplodens Cæſarianos grauiter afflixit, conflictum tandem nox diremit. poſtridie, ac ſequenti die Cæſariani foſſas duxerunt, terreos aggeres erexerunt; & vt tormentis rem gererent, vallis (quos vulgò gabionos appellant) munierunt. Galli propugnaculum, quod præcipuum oppidi robur erat, tametſi ſex tantum pedes ſupra terram eminebat, quotidie augebant: die tertio oppidi murum duobus tormentis dumtaxat Cæſariani verberarunt; & quod debilis admodum erat, defenſacula omnia euerterunt.

Salaſſi proditio detegitur.

Foſſani oppugnatio, & eius progreſſus.

42 Nocte proxima Galli è diuerſis oppidi regionibus egreſſi tam equites, quam pedites adeo grauem in Cæſarianos impreſſionem fecerunt, vt Antonius Leua, qui ad Franciſcinum cœnobium diuerterat, diuerſorium relinquere, & ad maiores copias ſe recipere cogeretur: quem noſtri ita perſequuti ſunt, vt baiulis, qui eius lecticam portabant, aufugientibus inter altas ſegetes latuerit (neque enim podagra laborans incedere poterat) cuius etiam conſpectum noſtris tenebræ noctis abſtulerunt; poſtea biduo tormenta ceſſarunt, quod oppidi commeatum deſcriptum à Salaſſo Leua acceperat, & noſtros obſidionem tolerare diutius non poſſe cognorat; idcirco liberam portam, qua Cunium petitur, reliquerat, vt inde noſtri receptum ad ſuos paratum haberent. Id Gallis peropportunum fuit: nam ea porta aquam è fonte ſubiecto hauriebant, quum quinque oppidi putei, quos ſolos habebant, intra quintum obſidionis diem exſiccati fuiſſent: biduo poſt impreſſionem oppidi muros deintegro Cæſariani tormentis concuſſerunt; & ita aperuerunt, vt triginta milites ſimul in oppidum ingredi poſſent: quapropter intra foſſam, quæ poſt muri ruinam intra vrbem ducta erat, equites, ſed ſine equis, vt hoſteis exciperent deſcenderunt: pedites tam ſclopetarij, quam haſtati in interiore foſſæ labro, vt equitibus ſubſidio eſſent, collocati ſunt. Cæſariani quaſi oppugnaturi ſeſe oſtentarunt, nihil tamen totos duodecim dies aggredi auſi ſunt: Hiſpanos veteranos milites ſummæ belli Antonius Leua reſeruabat: Itali, niſi ſtipendium penderetur, progredi nolebant: Germani qui Hiſpanos ſibi anteferendos non putabant ſe ſolos periculis exponere detrectabant. Præcipua tamen cunctationis cauſa fuit, quod commeatum intra paucos dies obſeſſis defuturum Leua certò nouerat: nam decimo ſexto obſidionis die, qui octauus Kal. Iulias fuit, vix in quinque aut ſex dies ſupereſſe Galli duces deprehenderunt: quum Leua Foſſani commeatum non ſatis diligenter à Salaſſo deſcriptum metuens propugnaculum tormentis acriter pulſaret, per tubicinem interim ad obſeſſos captiui cuiuſdam militis recipiendi ſpecie quid animi haberent experiri voluit, ac tot præclaros duces, forteiſque milites in debile oppidum concluſos, & in extremas difficultates redactos ſe ægrè ferre ſimulabat, erga quos non tam armorum vi, quàm digna talibus viris humanitate perlubenter vtatur.

43 Occaſionem Galli duces negligendam non putarunt: & Villebonem quinquagenariæ cataphractorum equitum alæ ductorem ad Leuam miſerunt, vt deditionis conditiones intelligeret,

Deditionis conditiones proponuntur.

ntelligeret; quas quum Leua duriores proponeret, Villebo nullo operæpretio facto in oppidum rediit. Poſtridie Leua per eundem tubicinem pira, ac poma, & nonnulla alia munuſcula ad Rochamenium quinquagenariæ itidem alæ ductorem per eundem tubicinem miſit, & ſuam eius videndi cupiditatem per multos illi ſignificaſſe addidit. Cui nihil ille reſponderit. Rochamenius ſe craſtino die Leuam inuiſurum tubicini declarauit, quod & præſtitit: quo die poſt multos ſermones vltro, citróque habitos ita conuenerunt: nempe vt Galli oppidum menſem integrum, cuius iam dies quatuor præterierant, retinere poſſent; poſt quem exactum id Antonio Leuæ dederent, obſides Rochamenium & duos præterea darent. Sin maturius ex oppido exire mallent, id conditionibus infra poſitis liceret: quòd ſi Rex intra eundem menſem auxilio eſſet, Leua obſides redderet: oppidum interim munire Gallis nefas eſſet, niſi hiatum illum tormentis depreſſum, cuius reficiendi poteſtas facta eſt: hominem Leua in oppido relinqueret, qui quicquid fieret, inſpiceret: exercitum vltra Stupeum pontem reuocaret: tormenta, tormentorum omnis apparatus, equi, qui ſex palmos, & digitos quatuor altitudine ſuperarent, in vrbe remanerent: duodecim tamen ex illis obſeſſi ſeligerent, cæteros, atque omnia cuiuſuis generis iumenta ſecum abducerent: diſcedenteis Leua vſque ad Regis ditiones tuto deducendos curaret: commeatum, ponteis, cæteráque diſcedentibus neceſſaria ſubminiſtraret. Hæc capita vt Rochamenius ſubſignaret, Leua petiit. Rochamenius Mompeſatium Foſſano præeſſe intulit: cum illo ea ſe communicaturum, & poſtridie eundem ad ſacellum inter Franciſcinum cœnobium, oppidúmque intermedium adducturum promiſit, vbi mox ab vtroque ſubſcripta, ac rata habita fuerunt. Rochamenius, Palicianus Iacobi Chabanei Paliciani Mareſchalli, Aſſierus Galioti Ienolaci tormentorum magiſtri filius obſides dati. Palicianum Foſſano præfuiſſe falsò ſcribit Iouius, qui admodum adoleſcens nullum ibi maius munus tum obibat: verum prima militiæ ſuæ rudimenta vti & Aſſierus, ſub Mompeſatio ac Rochamenio veteranis ducibus edere cœperat. Huius pactionis nuntium octauo Kal. Iulias Sanſacus ad Regem attulit. Octo fere poſt diebus Cæſar Aſta profectus Sabinianum peruenit, quem Allobrox, Albanus, Bauarus, Brunſuicus reguli, Itali item Salernitanus, Beſſennianus, Vaſtius, & nonnulli alij comitabantur, & Leuæ exercitum videre voluit, atque vt is in armis eſſet, imperauit. Quem quum inſpexiſſet Rochamenium accerſiuit, & Vaſtio vt eundem per totum exercitum deduceret, iuſſit. Reuerſum interrogauit, qualis is exercitus illi videretur: Pulcherrimum, ac potentiſſimum ſibi videri Rochamenius reſpondit: ſatius autem fuiſſe, vt illo in Turcas potius, quam in Chriſtianos vteretur: Cæſarem ac Regem coniunctos de Turcis facilè triumphare poſſe: in ſe conuerſos aliquantum quidem ſe inuicem atterere, at prorſus conterere, ac deiicere non poſſe. Ille vt caput operiret (multum enim ſol incaleſcebat) & ad prandium cum Germanis principibus duceretur, iniunxit, atque hominem comiter dimiſit; necdum ſe à pace alienum declarauit. Iunio menſe Ioannes Stuardus Albaniæ regulus, Iacobi Scotiæ Regis patruus, ac Ludouicus Aurelianus Longauillanus, ſequenti vero Eraſmus Roterodamus vir ſui temporis eruditiſſimus vt relicta monumenta teſtantur, ſeptuagenarius è vita exceſſerunt.

Interim dum Foſſano dedendo præſcriptus dies expectatur, Antonius Leua Rochaparueriam, ac Delphini caſtellum (vt vulgo appellantur) circumſedere velle ſimulauit, 44 ne omnino otioſus eſſe videretur; & vt deditionem facerent, pridie Kal. Iulias ſignificauit. quum præſidiarij milites vtrobique ſe in Regis fide permanſuros conſtanter reſponderent, nihil præterea aggreſſus eſt. Cæſar omne commeatus genus ſuperandis Alpibus neceſſarium cogebat, & per iumenta quotquot reperire poterat, conuehendum curabat. Ad Sabinianum, vbi tum Cæſar commorabatur, duo Pontificij legati Carpenſis, ac Triultius Cardinalis appulerunt: ille ad Cæſarem, hic ad Regem mittebatur: vt in diem ſextum Kal. Iunias anni ſequentis concilium Mantuam indictum monerent, & pacis, ſi illa adhuc iniri poſſet, ſe interpretes præberent. Quæ quum Cæſari coram multis principibus declaraſſent, Cæſar ſe concilio affuturum reſpondit: neque quemquam, quin adſit, vno Deo excepto impedimento futurum. Quod ad pacem attinet, Romæ teſtatum fuiſſe coram Paulo Pontifice, totóque Senatu niſi Allobrox prius in integrum reſtituatur, ſe nullas pacis conditiones accepturum. Priuatim Triuultius Cæſarem conuenit, & ſi Rex Allobrogis vrbeis à ſe occupatas apud aliquem deponeret, an Cæſar Mediolanenſem principatum Aureliano condonaret, rogauit: id enim ſe publicæ tranquillitatis ergo Regi perlubenter renuntiaturum. Cæſar ſe condonaturum negauit. [Quid, inquit Triuultius, an ſententiam eam immutaſti, quam coram Pontifice, vniuerſo Senatu, tot principum legatis confeſſus es?] Cæſar ſe Regi par pari retuliſſe intulit: quemadmodum enim Rex

ſpecioſis

ſpecioſis verbis ſecum de pace agendo, & principatum Mediolanenſem quaſi confirmandæ amicitiæ pignus poſtulando Allobrogem è ſuis poſſeſſionibus exturbauit, ita Regem à ſe iiſdem verbis eluſum, tantiſper dum exercitum comparat, vt mox nec opinantem, atque imparatum opprimat. Quum nihil aliud ab illo Triuultius extorquere potuiſſet, cœptum iter in Galliam perſequutus eſt. Cæſar quotidie Alpium, ac Phocenſis prouinciæ deſcriptionem, quam illi Franciſcus Salaſſus dono dederat, ob oculos habebat, illuc properare, vt nonnulli putant, ab Antonio Leua in arcano conſilio perſuaſus, qui feras commodius nuſquam, quam in ſuis luſtris capi, conficique prædicabat: Regem imparatum parati tanti exercitus impetum nullo modo toleraturum. *Antonij Leuæ diſſeriti.*

45 At ducum bona pars vrbeis Allobrogis occupatas, necdum ſatis munitas recipiendas ſatius ducebat, vt nihil quod huius exercitus curſum retardaret, à tergo relinqueretur: Foſſanum exiguum, ac debile oppidum tam diu Cæſarem retinuiſſe vt Lutetiæ totius Galliæ, immo vero totius orbis Chriſtiani maxima vrbs haud diutius retentura videretur: Alpium vias, aut potius ſemitas à paucis ita obſideri poſſe vt potentiſſimum exercitum tranſitu prohibeant. Et vt hæ difficultates ſuperentur, quum in planitiem deſcendes ibi Regium exercitum fortaſſe offendes, qui te antequam tuum explicare poſſis, veluti circumſedebit, & montibus concluſum commeatu arcebit. Quid Carolus Borbonius idem iter ingreſſus quanquam multis Gallis proceribus illi fauentibus profecerit, recens memoria eſt. Hanc ſententiam fere omnes duces, in primis autem Leua ita ſequutus eſt, vt ſe è ſua lectica educi iuberet, & in genua prouolutus Cæſarem vt à tot prudentiſſimis, experientiſſimiſque ducibus ſe vinci pateretur, ſuppliciter oraret. Quidam Leuam Hiſpanica aſtutia aliud priuatim Cæſari, aliud in publico conſilio ſuaſiſſe exiſtimant: vt ſi inuadendæ Galliæ conſilium proſperè ſuccederet, cuius euentus ſpem propemodum certam conceperat, Cæſar qui vnus contra omneis id ſequutus eſſet, ſolidam & cum nemine communem laudem reportaret, quam nihilominus clam Leuæ acceptam ferret: ſin malè ſuccederet, multum Leua ipſe prouidiſſe videretur. Et Cæſar treis præter hunc exercitus in Galliam, Hiſpanos in Narbonenſem, Flandros cum Germanico peditatu Naſſauo, ac Roeſio ducibus in Belgicam, ſiue Picardiam, minoris Burgundiæ equites cum aliis Germanorum equitum, peditúmque copiis in Campaniam, ac maiorem Burgundiam ſe immiſſurum iactabat. Præterea multos in Galliis à ſe ſtare prædicabat Franciſci plebem expilantis, cæteróſque ordines pecunia exhaurientis imperia tyrannica peroſos, cum nonnullis è Lingonibus Maſſilienſibúſque neſcio quid molitum rumor fuit. Et fortaſſe id, vt ſuis maiores animos adderet, commentus eſt. *Eiuſdem aſtutia.*

46 Nullum vnquam neque ante, neque poſt, numeroſiorem, neque è ſelectis militibus firmiorem exercitum Cæſar habuit, vno illo excepto, quem anno huius ſæculi triceſimo ſecundo aduerſus Solymanum Pannoniam ingreſſum eduxit: quinquaginta enim Germanorum peditum cohortes, quæ ſingulæ quingentis fere militibus conſtabant, Hiſpanorum plus quàm octo millia ſecum ducebat. Hiſpanos Itali numero ſuperabant, etiam ſi eos non annumeres, qui ſpe prædæ illecti voluntariam militiam obibant. Equitum certus numerus non proditur: maximum tamen tam ex Hiſpanis, quam ex Italis, Siculis, & Germanis fuiſſe conſtat. Acceſſerunt mille ducenti cataphracti equites, quos Maximilianus Iſelſtenius Comitis Bureni filius è Flandria, ac minore Burgundia adduxerat: mille item Hetruſci, quos Medices Alexander miſerat. Germanis peditibus Tamiſius, ac Gaſpar Georgij Fronſpergij filius, Hiſpanis Vaſtius, Italis Ferdinandus Seuerinas Salernitanus regulus, cataphractis equitibus omnibus Ferdinandus Toletanus Albæ regulus, leuioribus Ferdinandus Gonzaga præerat. Hoc exercitu in treis acies diuiſo Cæſar in Phocẽſem prouinciam contendit: primæ ductor Ferdinandus Toletanus cum magna cataphractorum equitũ parte, ac Tamiſius cum ſuis Germanis peditibus, cum tormentis, omnibúſque impedimentis quæ claſſe Niceam Allobrogum (quam & Niciam vocant) Cæſar exportari iuſſerat, per maritimas Alpeis tertio Idus Iul. iter ingreſſi ſunt. In altera erat Cæſar quem Ferdinandus Gonzaga cum leuioribus equitibus & aliquot cataphractis Neapolitanis, quanquam hic ordo quum ad Niceam peruenerunt immutatus eſt, & Gonzaga in primã aciem tranſiit; Albanus in ſecundam reiectus eſt. Iſelſtenius cum ſuis equitibus, Vaſtius cum Germanis peditibus antecedebant. Cæſariana familia, Antonius Leua, M. Ebenſtenij Germani pedites, Cæſar ipſe cum ſex cubiculariis & aliquot Hiſpanis ſequebantur: poſtremi Gaſparis Fronſpergi Germani aciem claudebant. Hi omnes Foſſano profecti *Caroli V. in Gallias proficiſcentis inſtructiſſimus ac firmiſſimus exercitus.*

Niceam vbi etiam cæteræ duæ acies conuenire debebant, rectà contenderunt: in poſtrema incedebat Seuerinas cum Italis, quorum bona pars claſſe vecta eſt, cæteri maritimum iter ſequuti ſunt. Prima ac ſecunda acies ad Fanum Laurentij primum Galliæ oppidum citra Varum fluuium, qui Italiam à Gallia ſeparat, octauo Kalend. Augu-ſti ſiue de induſtria ſiue fortè fortuna appulerunt, quem diem Diuo Iacobo Hiſpanorum patrono ſacrum Cæſar in religionem vertit, & quaſi boni ominis authorem amplexus eſt: quapropter aduocata Germanorum, qui quondam Diuum Iacobum in primis venerari, & in Hiſpaniam vſque inuiſere ſolebant, atque Hiſpanorum concione, ex quibus hæ duæ acies potiſſimum conſtabant, ſe eodem die, quo anno ſuperiore in Africam, Tunetanumque regnum deſcenſionem fecerat, Deo duce iter ſuum dirigente in Galliam appuliſſe præfatus, vtriuſque expeditionis parem exitum ſe merito ſperare aſſeuerauit. Illic aduerſus Chriſtianæ perſuaſionis hoſteis, hic aduerſus Regem cognomine Chriſtianum reipſa nihil minùs quàm Chriſtianum, Turcarum fœderatum, totius Chriſtianiſmi perturbatorem arma ſumpſiſſe: Deum ſequerentur ducem, qui piam cauſam ſe tueri ſignis manifeſtis portendit. Quibus verbis prolixiore oratione explicatis ſuorum animos longè alacriores reddidit: nihil enim magis vulgus hominúmque indoctorum menteis, quam ſuperſtitio commouet; quam tamen vaniſſimam fuiſſe rei exitus comprobauit.

Altera ex parte Franciſcus Ioanni Humerio Delphini alæ centenariæ legato, quem 47 Delphinatibus præfecerat, ſcripſit, vt vltra quingentos pedites quos conſcripſerat, Chriſtophori Guaſci cohortes, quæ vt ad bis mille pedites augerentur, edixerat in vrbium, arciúmque præſidia diſtribueret: pedites dedito Foſſano redeunteis circa Alpeis, vt omneis aditus, egreſsúſque obſiderent, collocaret: equites quod amiſſis equis militaribus vrbium præſidiis, quàm pugnis conferendis, magis apti eſſent, Maſſiliam petere iuberet: Ioannis Bonauallij, ac Ioannis Pauli Ceritis alas, Guilielmi item Fuſtembergi cohortes in Phocenſem prouinciam tranſire iuſſit. Ioannem Bonauallium veteranum quinquagenariæ equitum alæ ductorem, Ianum Caraciolum Melfitanum principem, Stephanum Columnam, Potonem Raſinium Agenenſem Seneſchallum centenariæ prætorianorum hippotoxotarum alæ præfectum Auenionem præmiſit, vt caſtris locum deligerent; & ſi Cæſarianus exercitus illuc contenderet, omnem commeatum vel in vrbeis munitas conuehendum curarent, vel omnino corrumperent: omnem regionem inſpicerent, vt quæ vrbes reſiſtendo eſſent, quæ non eſſent, illi ſtatim renuntiarent. Diplomata expediuit, quibus omnibus militum præfectis, ac totius regionis magiſtratibus mandauit, vt Tendano Comiti, Bonauallióque parerent donec Annæus Mommorencius ſummus Regij exercitus legatus ad caſtra acceſſiſſet. Ludouico Angerano, (quem Boſrigaldum vulgo appellabant) ſignificauit, vt Heluetios gradum accelerare, Valentiámque petere hortaretur. Octo, aut paulò plures dies ad Fanum Laurentij milites poſtremos expectans Cæſar ſubſtitit: ſexto Idus Auguſti Ferdinandus Gonzaga cum leuiore equitatu, ac Seuerinas Salernitanus princeps cum quatuor peditum millibus Gratiam verſus per aſperos monteis iter inſtituentes aliquot equites ſpeculatum præmiſerunt, qui Gallos pedites circiter bis mille inter monteis offenderunt, idque ſtatim Gonzagæ renuntiarunt. Ille inſidias ſubeſſe veritus, & maius agmen ſequi ratus nulla impreſſione facta vnde prodierat, rediit. Pridie Bonauallius, ac Stephanus Columna Gratiam inſpexerant, nec ſatis firmam, vt reſiſteret, iudicarant: id Columna, vt renuntiaret, ad Regem perrexit. Bonauallius oppidi muros pleriſque locis demoliri, commeatum omnem exportari vel corrumpi, & totam regionem pererrans idem exequi, furnos præterea, ac molendina perrumpi, puteos tritico iniecto infici iuſſit.

Interim Franciſcus de Cæſaris itinere certior factus Robertum Stuardum Aubignium 48 Mareſchallum, ac Iacobum Galiotum ſummum Regiorum equorum, & tormentorum magiſtrum cum octo Heluetiorum peditum millibus quadringẽtis cataphractis equitibus Auenionem miſit, vbi cęteræ copiæ coibãt, vt equitum, peditúmque præfectos exciperent, & in caſtra compellerent. Aliquot poſt diebus ſubſequutus eſt Annæus Mommorencius, qui conuocatis equitum, peditúmque præfectis, ac nonnullis veteranis equitibus, qui longiore experientia maiorem rei militaris vſum habere ferebantur, quid potiſſimum agendum eſſet, in conſultatione poſuit. Duæ præcipuæ ſententiæ dictæ fuerunt: altera nonnulli ad Alpium radices hoſtibus obuiam ire ſuadebant, vt itineris difficultatibus oppreſſos, ac ſeminictos hoſteis antequam exercitum explicare poſſent, noſtri adorirentur: alij

tibus: Vuartius, Nauarrus, ac Sampetrius Corſus ſinguli cum ſexcentis, ſed omnibus Barbeſſius præerat. Triremes tredecim ſelegit Mommorencius, quæ totam eam oram circumlegerent, & occaſione data hoſteis laceſſerent, noſtris præſidio eſſent; quibus Samblanchardum præfecit, cæteras in portus præſidium reliquit. inde Arelatum iter inſtituit, atque muniri iuſſit. Auenionem reuertens idem de Belcario, ac Taraſcone oppidis ſibi oppoſitis, & in vtraque Rhodani ripa ſitis iniunxit.

Sāblanchardus Præfect. triremibus præficitur.

49 Dum eam regionem Mommorencius perluſtrat Bonauallius munus ſibi iniunctum continuans, & omnem commeatum, qua Cæſarianus exercitus tranſiturus erat, vel exportari, vel corrumpi iubens Brignolam appulit quam Tendanus Comes, ac Claudius Gonsfierius Boeſius Arcturi illius ſummi Regiæ aulæ magiſtri filius paulò ante ingreſſi erant; & litteras à Mommorencio afferebant, quibus vt nonnullos Cæſarianos præcurſores interciperent, & quod iter hoſtes ingrederentur, indicarent, ſignificabat. Vaſſeus Monteianianæ alæ legatus Foro Iulij rediens Cæſarianorum caſtrorum magiſtrum paucis comitatum exercitum longè præcedere, & facilè intercipi poſſe renuntiauit; & ſibi hoc munus demandari poſtulauit. Non permiſit Bonauallius, quod octoginta hoſtium equites Forum Iulij quatuor paſſuum millibus prætergreſſos ad molendinum ſubſtitiſſe certior factus illos eo ipſo die aggredi deſtinaſſet, niſi per exploratores ſexcentos ibidem in inſidiis collocatos audiiſſet: caueret ne ſe in prædam hoſtibus obiiceret, & in turpem temeritatis notam incurreret. Quapropter poſtridie impedimenta ad Fanum Maximini præmiſit: Vaſſeus Monteiani cum Mommorencio Arelatum petenti quid de Cæſarianorum caſtrorum magiſtro intellexiſſet, explicauit. Monteianes natura temerarius hæc ad Mommorencium retulit, & vt quid hoſtes molirentur, ſibi intelligere permitteret, enixè poſtulauit. Inuitus permiſit Mommorencius. ille ſtatim Brignolam properauit, & impedimenta quæ Fanum Maximini petebant, retro iter flectere coegit, ſed interueniens Bonauallius iter cœptum perſequi iuſſit. Brignolæ Monteianes cum Tendano Comite & Bonauallio quid animo intenderet, declarauit: Bonauallius Regem, ac Mommorencium eius legatum ne quid fortunæ committerent, edixiſſe, idcirco ſe in priſtina ſententia perſeuerare reſpondit. At Monteianes Regem, aut Mommorencium ſi qua bona occaſio ſeſe offerret, ne quid viris fortibus dignum auderent, haud interdixiſſe intulit. Bonauallius ſiqua ſe bona fortuna obtuliſſet, ſe eandem haud prætermiſſurum fuiſſe ſubiunxit: pergeret, ſi ita ſibi videretur, tametſi aliter conſulit, cæterum eam manum, quæ circiter ducentos quinquaginta cataphractos equites, tria peditum millia continebat, Tendano ſibíque commiſſam ſe in id diſcrimen exponi non paſſurum. Ita Tendanus, ac Bonauallius cum ſua manu Maximini Fanum petierunt: Monteianes ad Turbas intermedium inter Brignolam, ac Fanum Maximini oppidum ſubſtitit; quem poſtridie Boeſius eiuſdem temeritatis ſocius conſequutus eſt: circiter centum octoginta equites tam cataphractos, quam hippotoxotas, ſelectos trecentos ſclopetarios pedites Vuartio, Nauarro, Sampetrio Corſo, Molla ducibus, quos Maſſilia Monteianes Gallorum peditum tribunus accerſiuerat, habebant.

50 Tum forte Ferdinandus Gonzaga primæ aciei ductor cum mille octingentis leuioribus equitibus Foro Iulij profectus, vbi triduo conſultando ſubſederat, Lucum oppidum

etebat, quem Tamiſius cum ſex Germanorum peditum millibus ſequebatur: Monteianes ac Boeſius de hoſtium itinere per exploratores edocti primo diluculo cum ſuis Lucum roperarunt, atque illuc hora tamen pomeridiana appulerunt. Vaſſeus ac Torineus cum liquot equitibus in caſtrorum Cæſarianorum magiſtrum Luci officio ſuo fungentem imreſſionem fecerunt. Ille in vallem non longè diſtantem vbi tota prima acies lento gralu incedebat, ſe recepit. Gonzaga primam noſtrorum aciem ſibi imminere exiſtimans mano tubarum, tympanorúmque clangore ſuos ad pugnam cohortatus eſt. Id exaudientes Monteianes, ac Boeſius receptui canere iuſſerunt, & Brignolam ſub noctem inierunt: ac quod pedites longo itinere & Solis ardore fatigati vltra progredi non poterant, ibi eam noctem traduxerunt, poſtridiéque paulò ante lucem inde proficiſci ſtatuerant. Gonzaga rusticis eius regionis rarum noſtrorum numerum eſſe audiens ſpeculatores præmiſit, quibus ciuem Brignolanum, qui Carolum Borbonium ſequutus in Mediolanenſem ſenatum cooptatus erat, itineris ducem dedit: is diligenter de noſtrorum numero, & conſilio à nonnullis ſuorum ciuium edoctus, quid intellexiſſet, Gonzagæ renuntiauit. Gonzaga aliquot equitum alas ſtatim vltra Brignolam progredi, & ad iter, quod noſtri ingreſſuri erant, loco abdito conſiſtere edixit: ipſe cum cæteris, & Germanis peditibus ſubſequutus eſt. Ruſtici canes priores Cæſarianos equites Brignolam prætereunteis ſuis clamoribus indicarunt: vnde excitati Monteianes, ac Boeſius equos conſcenderunt, aliquótque equites extra oppidum ſpeculatum miſerunt, qui quum ſegnius munus ſuum obiiſſent, ſe nihil comperiſſe retulerunt. Hinc Monteianes vt prima luce ad iter parati eſſent, interim equos paſcerent, iuſſit, mox primo diluculo alios rurſus equites ſpeculatum miſit, qui decem ex præmiſſis Cæſarianis equitibus ad Gonzagam redeunteis aggreſſi octo ceperunt, reliqui duo ad Gonzagam, qui vix quingentis inde paſſibus aberat, euaſerunt, & noſtros ad reditum paratos retulerunt. Gonzaga numeroſam equitum manum vt noſtros adoriretur, emiſit: noſtri primum impetum fortiter excipientes ex oppido exierunt, & paulatim Aquas Sextias verſus ſe recipientes hoſtium vim quoad poterant, repulerunt. Vix duo paſſuum millia confecerant, quum tota equitum moles in illos vndique circumuentos incubuit, & paucis elapſis cæteros vel cecidit, vel cepit. Inter captos Monteianes ac Boeſius illuſtriores fuerunt, ille Gallorum peditum tribunus ac centenariæ cataphractorum equitum alæ, hic primus Regij cubiculi magiſter, ac quinquagenariæ præfectus.

Huius victoriæ nuntius, ſi victoria de tam paucis hoſtibus fuſis dici debet, Cæſarianorum animos primam Gallorum aciem penitus fuſam exiſtimanteis, duobus celeberrimis & Regi acceptiſſimis ducibus captis, mirandum in modum erexit: Auenionenſem autem noſtrorum exercitum maiorem factam iacturam ſuſpicatum ſupra quàm dici poteſt, conturbauit, vt huiuſmodi rumores vel in bonam, vel in malam partem fere ſemper augeri ſolent. Nondum Auenionem redierat Mommorencius; Tendanus, ac Bonauallius adhuc ad Maximini Fanum conſiſtebant. Hoc nuntio accepto Treſium retrocedentes quod commeatum Treſini Regiis mandatis parere detrectantes neque exportaſſent, neque corrupiſſent, militibus vt oppidum diriperent, permiſerunt, atque Aquas Sextias conceſſerunt: in quam vrbem non ſolùm ciues, ſed & totius vicini agri incolæ magnam omnis generis commeatus vim, atque omnem ſuam ſupellectilem congeſſerant: quod Monteianes ibi quædam munitionum initia fecerat, & vrbem tuẽdam ſuſcipere voluerat. Tendano nihilominus, Bonaualliòque tametſi ægrè parentes quicquid potuerunt, exportarunt; quod reliquum fuit, vel igni expoſitum, vel aliter corruptum fuit. Vnde Cæſarianos iam ad Maximini Fanum perueniſſe Tendanus ac Bonauallius intelligentes ſe ad Mommorentium Arelato muniendo intentum receperunt, & Monteianem, Boeſiúmque ab hoſtibus captos renuntiarunt. Idcirco Mommorencius ſtatim Auenionem rediit: & caſtris locum ad Cabellionem (quæ vetus Cabelliorum colonia fuit) ex veteranorum ducum ſententia inter Rhodanum, Druentiámque delegit, paulò ſupra quàm ante poſita fuiſſent; quæ alta foſſa ſuprà quatuor & viginti, infrà ſedecim pedes lata circumdedit: ponè foſſam agger ſublimis erectus frequentibus propugnaculis ſeſe reſpectantibus diſtinctus, vbi tormenta venientem hoſtem exceptura collocata ſunt. Per media caſtra altera foſſa ducta erat, in quam pleræque aliæ obliquè ſeſe exonerabant; hæ purgandis caſtris vtiliſſimæ fuerunt. Singulis nationibus ſuæ regiones diſtributæ, ne qua rixa, aut tumultus inter mixtas oriretur. In medio caſtrorum terreus erat tumulus inſtar collis excelſus, ibi prætorium defixum fuit: hinc Mommorencius, quique vnà aderant

Digitized by Google

aderant viri militares tota caſtra circumſpectabant: quod enim rei militaris ſatis imperitus erat, nec dux admodum felix vt poſtea experientia docuit, prudentia autem naturali valebat, veteranos alarum duces peditúmque præfectos è tota Gallia accerſiuerat, & ex illorum iudicio omnia adminiſtrabat, quorum diligentia perfectum eſt, vt intra decimum quintum diem omnem Cæſaris exercitum non ſolùm fortiter excipere, ſed & cum ignominia repellere facilè poſſent. Caſtris omnis generis commeatum ſuppeditabat Rhodanus, Druentia propugnaculi vice erat, cuius alueus etſi non admodum profundus, at valde incertus, & ipſis incolis propemodum incognitus; ad hæc propter ſaxa nunc hic, nunc illic vndarum vi congeſta tranſitu perdifficilis vix tranſmitti poterat: ſed & vltra Druentiam multis arcibus, oppidíſque præſidia impoſita erant, quæ fluuium ab hoſtibus tentari prohiberent.

Ignaua Guiſanæ arcis deditio.

52 Per eos dies Henricus Naſſauus, atque Adrianus Croius Roeſius Comes ſummus Cæſarianæ aulę magiſter Belgicam Galliam, quam Picardiam vocamus cum exercitu ingreſſi ſunt. Hi viginti peditum, ſeptem equitum millia ex Germanis Sicambris, Menapiis, reliquíſque Belgis habuiſſe traduntur. Itaque Braia, ac vicinis oppidis captis, direptíſque Guiſam ex improuiſo interceperunt: aliquot præſidiariis militibus, qui quicquid poterant, ex oppido in arcem exportabant, in ſuam poteſtatem redactis: arcis præfectus cum reliquis in arcem euaſit: verum ita attonitis vt è muro plerique in foſſas deſilirent, qui terror etiam eos qui remanſerant, adeo peruaſit vt ſe protinus dederent, vnde bello profligato ignominia notati fuerunt. Inde Fanum Quintini verſus, deinde Peronam contendentes Naſſauus, ac Roeſius & quoquò tranſirent, oppida, pagóſque, atque incendiis fœdantes vrbem circiter Idus Auguſti circumſederunt: tertio Idus Sereuum cum mille peditibus, pridie Florengium Mareſchallum Roberti Marchiani filium cum centum cataphractis equitibus Peronenſes virorum ſtrenuorum auxilio recreati intromiſerant. Eodem tempore Valentiam Delphinatium muniens Rex Franciſcus Franciſci Delphini maximi natu filij mortem, quem ſecum Rhodano ſecundo nauigantem Turnone ægrotum reliquerat, Guiſanam arcem ignauè deditam, Monteianem, ac Boeſium captos intellexit.

Franciſci maximi natu filij mors, & de mortis cauſa variæ coniecturæ.

Delphini mors vt duarum poſteriorum calamitatum Rex obliuiſceretur, effecit: in hoc vno animum defixit, hunc grauiſſimè lugens, præſertim quod veneno ſublatus ferebatur, quarto enim valetudinis die expirauit, paternam in liberos charitatem declarauit. In parteis diſſectus eſt Sebaſtianus Montecuculus veneni propinati reus: at Antonium L[illegible]am, ac Ferdinandum Gonzagam quaſi huius facinoris authores nominauit: an quod ita res haberet, an quod tormentis finem imponi cuperet, incertum. Delphinum nonnulli ex paruæ pilæ ludo multo ſudore madentem aqua frigida intemperantius hauſta, alij ex nimia venere cum Leſtrangia aulica matrona mortem ſibi conſciuiſſe exiſtimarunt. Interea Guidus Ranconus, Cæſar Fregoſius, Hercules eius frater, Cagninus Gonzaga (quem alij Caninium vocant) Pallauicinus Vicecomes, aliquótque alij præfecti, necnon & Taiſius natione Gallus, tum fortè ad Galiotum Mirandulanum Comitem miſſus Regio mandato accepto, ac conſcriptis decem Italorum peditum millibus ſexcentis leuioribus equitibus Genuam circa finem Auguſti intercipere tentarunt. De quorum itinere admonitus Andreas Auria ſeptingentos ſelectos milites Auguſtino Spinulæ attribuit, & Antonij Auriæ triremibus celeriter deuehendos curauit, qui in ipſo oppugnationis ardore appulerunt: iam enim Ranconiani vexilla in ſummo muro fixerant non longè à turre, qua quatuordecim ante annis Piſcarius Adurnios reducens vrbem ceperat. Spinulæ & ſuorum auxilio & viribus & animis Genuenſes aucti Ranconianos fortiter repulerunt, qui quod tormenta nulla trahebant Aſtam verſus conceſſerunt: quos appropinquare audientes Cæſariani Taurinenſem obſidionem ſoluerunt, & ſe illis obuiam prodituros, ac prælio decertaturos iactarunt: nec tamen occurrere auſi ſunt. Ranconus & socij progreſſi nonis Septemb. accerſito cum tormentis, & aliquot equitibus Annebaldo, nulla enim habebant, Carinianum, Carmagnolam, & nonnulla alia oppida ceperunt: nec magno tamen propter ſubortam inter Ranconum, Gonzagámque æmulationem vſui fuerunt, quam etiam Ranconus aduerſus Buriam, vt mox dicam, declarauit.

Cariniana arx vt dedita.

53 Cariniana autem arx ita dedita eſt. Tormentis ab Annebaldo prolatis ſexaginta Neapolitani, qui arcem inſederant, de deditione ad Ranconum miſerunt: quibus ille ſatis aſperè reſpondit, quoad tormenta comportari coegiſſent. Dum illi mitius reſponſum expectant, Cagninus, ſiue Caninius Gonzaga per quoſdam è ſuis vt Neapolitani ſe illi

:derent procurauit : itaque legatum ſuum cum aliquot militibus in arcem prima vigi- ı miſit, qui præfectum, ac Neapolitanos exire, & liberos abire permiſit : equos, atque ıpedimenta retinuit quaſi ea Gonzagæ præda eſſe deberet, Gonzaga Rancono legato egio, atque Annebaldo qui tormenta attulerat non admonitis, nec cum Neapolitanis aniigere nec quod illorum erat, furtim intercipere debuit. Ante Guidi Ranconi ad- entum Annebaldus, ac Buria Taurino præfecti non ſolùm vrbis conſeruandæ curam ſu- inebant, ſed & hoſteis frequentibus excurſionibus laceſſebant : ad Ciriam ſeptem inde ıſſuum millibus oppidum diſtans tritici, cæteríque commeatus ingentem copiam quem d Cæſarianum exercitum mitteret, Fabritius Maramaldus congeſſerat, oppidóque ccentorum peditum præſidium impoſuerat, quos vt negligentius vigilias agentes ado- rentur, Eſſeum cum ſeptuaginta equitibus, Anchium, ac Canium ſingulos cum quin- entis peditibus Annebaldus, ac Buria prima vigilia miſerunt : qui ſcalis muro admo- s oppido potiti, cæſis aut captis præſidiariis militibus, tritico, ſpoliiſque iumentis im- oſitis, pecore autem præ ſe abacto Taurinum nullis hoſtibus obuiam prodeuntibus re- ierunt. Hinc maiora auſi Sabinianum (Sauiliam vulgò appellant) intercipere tenta- ınt : ibi ſedecim tormenta partim maiora, partim mediocria, magnam tormentarij pul- eris, pilarúmque vim, magnam item armorum omnis generis copiam Cæſar reliquе- ıt ; præſidiarij autem milites circa vicos propinquos ſæpius vagabantur. Hæc quum er exploratores didiciſſet Marcus Antonius Cuſanius Inſuber bis mille peditum præ- :ctus ſubſidium equitum ab Annebaldo, Buriáque petiit. Illi ſexaginta equites, aut aulò plures Cambræo Annebaldi alæ legato duce miſerunt : noctu iter ingreſſi aliquot oſtium equites in vicinam arcem ſe condidiſſe intellexerunt ; quos aggreſſi, arcéque otiti, & in præda rapienda diutius, quam par erat, cunctati, hoſtibus vt Sabiniani præ- dium augerent, ſpatium dederunt. Oppidum ſubſidio auctum Cambræus, ac Cuſa- ius audientes ſuburbia diripuerunt, duo maiora tormenta ibi reperta perruperunt : ar- ıa quoque inter ſe partiti ſunt. Inter redeundum Iacobum Scalengium Aſtæ præfe- tum cum bis mille Germanis, totidem Inſubribus tumultuariè collectis occurrentem ortiter aggreſſi fuderunt : quod enim illi multum accelerarant, diſſipati adhuc, nec in rdines redacti erant. Scalengius Ioannem Iacobum Mediquinum, qui ſe poſtea Me- icem inſcripſit, tametſi nulla cum Florentinis Mediceis cognatione coniunctus Cæſa- is in Mediolanenſi exercitu legatum, vt ſubſidio eſſet, monuit : ille bis mille Germa- ıos pedites, & aliquot equites adduxit ; quos procul accedenteis noſtri conſpicati rece- ˈtui cecinerunt : & iam ab Annebaldo, Buriáque ſubſidium per expeditum equitem ·oſtularant. Illi ducentos equites duce Alegrio mille ducentos pedites miſerunt, qui- ·us aucti inuitis hoſtibus Taurinum cum ſpoliis perpaucis è ſuis amiſſis redierunt ; Cu- anius ſclopeti glande in caput ictus, & Penaroli ſubſiſtere coactus paucis poſt diebus ato functus eſt.

Vt ad Cæſarem redeam is prouinciam Phocenſem ingreſſus vbi caſtra Regia ad Aue- 54
ıionem municiſſima eſſe, Heluetios illuc quotidie magiſtratibus conniuentibus conflue- e (ad viginti enim millia tandem coierunt) res ſuas neque in Gallia Subalpina, neque in 3elgica ſatis procedere, & bellum duci animaduertit, Aſcanium Columnam ad Paulum ›ontificem, omneiſque Italiæ principes, reſque publicas cum mandatis ampliſſimis al- egauit ; ſéque non priuatim ſibi, ſed & totius Italiæ tranquillitati conſulentem, vnde ·niuerſi Chriſtianiſmi tranquillitas conſequatur, bellum aduerſus Regem ſuſcepiſſe de- laraui. Hanc vt aſſequeretur, principatum Mediolanenſem Engoliſmenſi condonare ·oluiſſe : eas conditiones nimirum æquiſſimas Regem ſuperbè reieciſſe, vt Itali in bel- i impenſas illorum cauſa ſuſcepti contribuant, rationi conſentaneum eſſe. Paulo Pon- ifici prætetea ſignificauit Solymanum ingenteis belli apparatus, & maiores, quàm ·nquam antea inſtruere, vt Siciliam, regnúmque Neapolitanum inuadat, atque in- le totam Italiam occupet. Ænobarbum iam Mediterraneum mare poſſidere : Gal- um cum Solymano apertè ſocietatem coiiſſe, vt Paulus vltra diſſimulare non debeat, ɉuin protinus pro communi Italiæ libertate arma capiat, cæteriſque exemplo ſit. Vt- ɉue eundem magis in ſuas parteis pertraheret, ſe principatu Mediolanenſi de illius, /enetorúmque conſenſu ceſſurum ; & quem illi nominaſſent, in fidem recepturum ·ollicitus eſt. Kalendis Auguſti Romam Aſcanius appulit. Poſtridie Cæſaris apud ›ontificem legato comitatus Paulo mandata ſua expoſuit : ſemotis arbitris alteri ex :ius nepotibus Cæſarem principatu Mediolanenſi ceſſurum, & vt Ferrarienſis atque

Vrbinas

Vrbinas quod ad Camertem Ducatum attinet, controuerſias ſuas cum illo amice componant, perfecturum promiſit. Inter eundum Genuenſibus, Lucenſibus, Florentinis Senenſibus mandata ſua explicarat: illi quicquid Paulus Pontifex, ac Cæſar pro Italiæ tranquillitate imperaſſent, ſe collaturos reſponderant. Præclaram Cæſaris voluntatem, qua Italiæ tranquillitatem procurat, Paulus ſe magnopere laudare reſpondit: laudaturum porrò longè magis, ſi & in Italia, & in Gallia, & in cætero orbe Chriſtiano omnes belli occaſiones tollentur: vbicumque enim bellum erit, ibidem vt multus Chriſtianorum ſanguis fundatur, noſtræque vires plurimum atterantur, neceſſe eſt. Solymano nullum acceptius ſpectaculum præberi poſſe; quam vt duo potentiſſimi totius Chriſtianiſmi principes inter ſe concurrant, & ſe bello internecino militibus, pecuniaque exhauriant: vbi victor non multo minorem fortaſſe, quam victus iacturam faciat. Vtrum enim mox adoriri volet, illius optio erit. Solymanum quidem hoc vertente anno nullum bellum ſuſcepturum, & per legatos Venetos, Conſtantinopoli agentes, & per alios qui cum Turcis quotidie commercia exercent certò didiciſſe: bellum Siculum, Italicúmque in ſequentem annum diſtuliſſe, cuius ingenteis iam apparatus inſtruit. Quapropter æquum eſſe, vt omnes Chriſtiani principes omneis ſuas iniurias, inimicitias, controuerſias Reip. Chriſtianæ condonent, & eodem animo, eodémque conſenſu in bellum Turcicum incumbant: Cæſari gratulari, quod adhuc ſe à pace non alienum ſignificat; quam vt concilіet ſe vitam æquo animo profuſurum: procurare autem commodiùs non poſſe, quàm ſi in priſtino inſtituto perſeueret, & neutram in partem magis inclinet, ne alteri adhærendo alterius cauſam damnare videatur. Huius voti ſi compos erit, ingentem Deo Optim. Max. gratiam habiturum: virtutem ſibi ſatis magnam eſſe mercedem, præſertim quæ in tam piam cauſam confertur: ſibi nullum aliud præmium, nullum familiæ ſuæ principatum velle inde mercari.

Laudandum Pauli Pontificis reſponſum.

55 Iam Cæſar ad Aquas Sextias caſtra promouerat, quum hoc Pauli reſponſum accepit: & nonnullos è ſuis inter Alpium anguſtias amiſerat montanis ruſticis nunc à fronte, nunc à tergo, nunc in mediam aciem inſultantibus: qui ſi aliquando acrius repellebantur per notas ſibi ſemitas aliis incognitas in montium faſtigia quaſi in cœlum rapti euaneſcebant: in Alpium exitu prope turriculam quandam Cæſarianus exercitus tranſire cogebatur, in quam quinquaginta montani ruſtici ſe quadam deſperatione coniecerant, & Cæſarem prætereuntem ſclopetis in id paratis occidere decreuerant. Fortè quidam è Cæſarianis ſplendidam chlamydem indutus magno comitatu ſubſequente præceſſit; in hunc Cæſarem eſſe exiſtimantes ſclopetos ſimul omnes exonerarunt, hominémque peremerunt: hinc tormentis turriculam verberari, & montanos deditos ſuſpendi Cæſar iuſſit. Nec longè inde in extremum collem ſiluis vndique conſitum plerique montani cum vxoribus & liberis ſe condiderant, cuius aſcenſus perdifficilis erat: id vbi Cæſar reſciuit, ventum ſecundum nactus ignem ſiluis admoueri iniunxit, vnde miſeri illi immaniter conflagrarunt: ſiqui elabi conabantur, à Cæſarianis montem obſidentibus cædebantur: hinc montani exacerbati quotquot è Cæſarianis in illorum manus inciderunt non minùs crudeliter trucidarunt. Caſtra ſub Aquis Sextiis in duobus collibus non procul inter ſe diſtantibus, nec multum excelſis, & paulatim aſſurgentibus Cæſar locarat, vrbem à tergo relinquens, cuius muros Laris exiguus fluuius, alluens per media caſtra ſubiectam planitiem deſpectantia deuoluebatur: ibi exercitum fames multum afflixit, quod procul à Tholone portu abeſſet: & quamquam frumentum abunde ſuppetebat, tamen frumentariæ molæ à noſtris vbique perruptæ erant: itaque vix in principum conuiuiis panis apponebatur, cuius penuria milites paſſim fructibus autumnalibus nondum ſatis maturis veſcebantur. Et Galli regionem vaſtantes de induſtria vites, arboréſque fructiferas intactas reliquerant: hinc Germani racemis ſeſe ingurgitantes, & vuis in galeas expreſſis vinum recens, immaturúmque largius haurientes ventris profluuiis ſtatim laborarunt. Gaſpar Fronſpergus alter dux, ac ſupra viginti minores præfecti, & vt vno verbo dicam legionum quarta pars vel inde periit, vel bello inutilis reddita eſt.

Ruſtici quidã deſperatione adacti de interficiẽdo Cæſare cogitant.

Cæſaris exercitus fame, morbiſq. atteritur.

56 His difficultatibus Cæſar oppreſſus, & quam iactabundè belli huius initio triumphum ante victoriam cecini ſſet, æquáſque pacis conditiones repudiaſſet, memor, an caſtra Auenionenſia adoriretur, an Maſſiliam circumſederet, in conſultatione poſuit: redire enim nulla re tentata indignum ſua fortuna & priſtinis victoriis cenſebat. Rarius apud ipſum vehementiſſimis articulorum doloribus, & ſera ſententiæ ſuæ pœnitentia excruciatus Antonius Leua comparebat, vt animum iam deſpondere videretur: cæteri duces,

quod Cæſar ſolus præter illorum omnium ſententiam hanc expeditionem ſuſceperat, muſſabant: ſi priorem deliberationem initio ſequutus fuiſſet, & rectà Auenionem contendiſſet Regio exercitu nondum penitus coacto, & tota ea regione prorſus attonita, aliquid fortaſſe profeciſſet. Tum ſera ea deliberatio erat: quod reliquum fuit, Maſſiliam circumſedere ſtatuit. Decimooctauo Kalend. Septembris tria Hiſpanorum, quatuor Italorum, Germanorum quinque millia delegit, quæ noctu ſecunda vigilia è caſtris proficiſci, & quò conſtituerat, ire iuſſit, quod animo intenderat ſolis præfectis maioribus indicans: ipſe paulo ante lucem cum Albano regulo, Ferdinando Gonzaga, Vaſtio, Horneo Comite, & ſui equitatus flore ſubſequutus, ac paulò poſt Solis ortum pedites ſuos in valle non ita lata, quæ in mare non deſinebat, aſſequutus eſt: inde cum aliquot Hiſpanorum ſclopetariorum cohortibus vias obliquas, & iugis, aut ſepibus opertas ſequutus propius vrbem etiam intra tormentariarum pilarum iactum acceſſit; ibi ad quaſdam ruſticæ domus ruinas ſubſtitit: Vaſtium vltra progredi cum ſelectis ſclopetariis imperauit, ad locum quem tormentis collocandis idoneum intellexerat. Vaſtius vrbis murum ea regione recens, ac diligenter munitum animaduertit, & ſe à Maſſilienſibus conſpectum, & aliquot ſclopetarios Maſſilia egreſſos, atque altiora itinera perſequenteis vt ipſum intercluderent, deprehendit: equorum qui in valle ſubſtiterant hinnitus in mare ſecunda valle delati, & ventis vehementer ſpirantibus in vrbem relati inſidias ſubeſſe indicarunt. Quapropter Maſſilienſes præfecti alteram ſclopetariorum cohortem emiſerunt, & in illas ruinas pone quas Cæſar deliteſcebat tormenta direxerunt, quæ multos è Cæſarianis vel ceciderunt, vel vulnerarunt. Cæſar retrocedere coactus in propinquam vallem longa rupe tectam ſeceſſit, ibique ad fontem è rupe ſcaturientem pranſus eſt: inde Vaſtium, ac Paulum Saxum cum ſex cohortibus Arelatum miſit. Et ſi exercitum diutius retenturus videretur, vt ad Albanum, Horneúmque reuerterentur, iuſſit, quos velut Maſſiliam obſeſſuros ibi reliquit: ipſe ad exercitum rediit.

Maſſilienſes præfecti aliquot ſclopetariorum cohortes ſcaphis vltra locum vbi Albanus conſederat, miſerunt: triremes ſequi iuſſerunt vt cohortibus ſubſidio eſſent. Cohortes vt iuſſæ erant inter myrteta deliteſcentes, ac clam appropinquantes leuem in hoſtes impreſſionem fecerunt, ſtatímque retroceſſerunt. Albanus leuiores equites numerum exploraturos emiſit, quum paucæ eſſe renuntiarentur, bonam ſuorum partem ſeſe ſubducenteis perſequi iuſſit: quæ vbi ad locum deſignatum, & triremibus obiectum redierunt, celeri fuga ſe ſubduxerunt. Triremium tormenta diſploſa multos è Cæſarianis vulnerarunt, multos trucidarunt; inter quos Horneus Comes, & quidam Germanus eius propinquus, aliique nonnulli viri illuſtres reperti ſunt. Arelatum Rhodano imminet, vbi ſe in duo brachia diffindens inſulam efficit, quam vulgo Camarolam vocant, & duobus oſtiis in mare deuoluitur; cui Bonauallius, ac princeps Melfitanus præerant: tametſi autem ibi duæ inter milites ſeditiones excitatæ fuerant, tamen omnia tum pacata, ac bene conſtituta erant. Hanc vrbem dum Vaſtius curioſius inſpicit, in illum duo mediocria tormenta Villerius tormentorum magiſter ita peritè direxit, vt parum abfuerit, quin hominem de medio tolleret: is ad Cæſarem reuerſus Arelatum non niſi longa obſidione capi poſſe retulit. Tum Antonius Leua morbo ingraueſcente, & animi ægritudine morbum augente diem ſuum obiit ſui fati non omnino mendax vates: in Gallia enim, vti prædixerat, mortuus eſt, & in Dionyſiano templo, non illo prope Lutetiam vbi Gallorum Reges terræ mandari ſolent, quemadmodum ille iactitarat, ſed penes Mediolanum ſepultus. Eo mortuo Cæſar de reditu cogitauit cæteris ducibus aſſentientibus; & quamquam duo Pontificij legati Campenſis ad Cæſarem, Triuultius ad Regem multo ante acceſſerant, vt ſupra dixi, tamen neque Cæſar prior de pace loqui, neque Franciſcus voluit: ille quod ſe à fortuna non noſtrorum induſtria, aut fortitudine vinci agnoſcebat: Franciſcus quod illius exercitum ſemiuictum putabat: itaque ambæ legationes irritæ fuerunt, niſi quod Paulum Pontificem ſuo officio non defuiſſe declararunt. Fames ingens in Cæſaris exercitu in dies augebatur, præſertim vero panis maxima erat penuria: nauticum Tholone Cæſar aſportari iuſſerat, & quotquot iumenta à Nicea vſque reperire poterat eodem miſerat. Occaſionem obſeruantes montani ruſtici iumenta onuſta vel abduxerunt vel mutilata oneri ferendo inutilia reddiderunt, plus enim illi, quàm noſter exercitus, Cæſarianis nocuerunt.

Inter has difficultates Andreas Auria ad veterem Maſſiliam appulit, & commeatum, pecuniámque ex Hiſpania in ipſo neceſſitatis articulo afferens humaniſſimè à Cæſare 58

exceptus

Digitized by Google

exceptus eſt: Cæſar nihilominus approbatum de reditu conſilium ſequutus militibus vt in diem octauum aut decimum inde migraturi cibaria pararent, edixit. Iam ad Gallorum exercitum viginti Heluetiorum millia conuenerant, vt fere nullus domi relictus videretur: inter quos Calcemitus quamquam puſillus, ſed ingentis ſpiritus dux plurimùm eminebat,& magiſtratuum edicta nihil moratus maximam ſecum manum adduxerat. Reuera Heluetij antiquarum cum Auſtriaca familia ſimultatum memores, & duos potentiſſimos exercitus in Galliam immiſſos animaduertentes ne Cæſar regno potiretur,& mox in ipſos arma conuerteret, metuebant; & certa à Rege tam pace, quàm bello ſtipendia recipiebant, quæ à Cæſare in tantam potentiam euecto, & totius orbis Chriſtiani fere monarcha expectare non poterant. Aquas Sextias nonnulli incendi ſuadebant;Cæſar prohibuit, vt palatium incenderetur Allobrox regulus impetrauit, & incendio adeſſe voluit: inſtrumenta omnia, veteréſque tabulas quibus bonam Subalpinæ ditionis partem Phocenſis prouinciæ Comitem patronum agnoſcere liquebat,eodem igne deflagraturam putauit: at illæ longè ante inde eductæ alióque exportatæ erant, Cæſar ex Aquis Sextiis, vbi diu nullo operæpretio facto commoratus erat, Treſium, inde Forum Iulij contendit permultis, qui per valetudinem ſequi non poterant, relictis; quibus autem maior vis inerat inter primam,poſtremámque aciem collocatis: & equites præſertim Burgundi,Germaníque bonam equorum ſuorum partem aut ſolis ardoribus, aut viarum difficultatibus amiſerant, vt ex quinquaginta aut paulò pluribus tam equitum, quam peditum millibus, quæ Nicea proficiſcens adduxerat, vix quinque & viginti, aut vt plurimum triginta millia in aciem producere potuiſſet: indigenæ aſſumptis mortuorum, ægrotorúmque armis plurima recedentibus detrimenta attulerunt. At Mommorencius tam bona occaſione vti neſciit: neque enim abeunteis perſequi audebat ſuæ ignauiæ conſcius, neque per alios quicquam præclarè geri volebat, vt ſolus repulſi Cæſaris gloriam reportaret; & vetus prouerbium quo hoſti diſcedenti præparare pontem aureum monemur, inculcans malè rei præſenti accommodabat: id enim locum habet quum hoſtium copiæ integræ adhuc, aut parum imminutæ, & ſe tuentis longè viribus ſuperiores eſſe noſcuntur. Vnde eius imprudentia aut timiditas etiam Cæſarianis ludibrio fuit,quod bonam eorum partem delere, & Genuam quo Cæſar tormenta omnia, tormentorúmque apparatum, & pretioſa impedimenta claſſe præmiſerat, in ſuam poteſtatem redigere potuiſſet. *Reprehenditur Mommorēcius quòd abeuntem è Gallia Carolum V. nō ſit perſecutus.* Sic principibus vſuuenire ſolet,qui vni plerumque rerum,quæ geruntur,aut tractantur imperito ſe totos dant,cæteros illi parere cogunt, vt nihil memoria dignum patrent, & ſe nonnunquam in magna pericula inferant: quemadmodum rectè admonet Philippus Cominæus & res à Carolo VIII. Galliæ Rege præclarè geſtas hac vna de cauſa malo exitu terminatas docet. Sic Cæſar nullo hoſte perſequente ſolis indigenis & Inalpinis ruſticis laceſſentibus Niceam peruenit;vbi Vaſtium in Antonij Leuæ locum ſurrogauit, & exercitum per maritimas Alpeis in Italiam redire iuſſit: ipſe claſſe Genuam tranſmiſit, atque in Aurianis ædibus magnificè exceptus eſt. Inſigne mendacium inſerit hic Iouius,Regem à perſequendo Cæſariano exercitu abſtinuiſſe ne Guilielmum Fuſtembergum Gallicum ſtipendium merentem cæde Germanorum conſanguineorum à ſe abalienaret, & fortaſſe ad Cæſarem deficere cogeret: quaſi vero Rex Fuſtembergo vnius Germanicæ legionis præfecto tantum deferret,aut eundem vllo modo timeret,viginti Heluetiorum,decem aut duodecim Gallorum peditum millibus ad prælium faciendum paratis (vt præſidia vrbibus impoſita in hunc numerum non includas:) ad hæc Gallicus equitatus plane adhuc integer erat, niſi circiter centum & viginti equites cum Monteiane & Boëſio captos deſideres, in ſumma hactenus omnis commeatus abundantia recreatus, & nullo militari labore perſunctus. *A Rege ne perſequeretur vetitum falsò ſcribit Iouius.* Etenim ne vllæ niſi admodum raræ excurſiones fierent, diligenter Mommorencius cauerat:Cæſarianus autem fame,æſtiuis caloribus, itinerum aſperitatibus magna ex parte conciſus. vt mendacium ſuum Iouius aliqua veriſimilitudine confirmet, id Regem ſibi dixiſſe addit. Neque verò is Regi quamquam erga homines eruditos humaniſſimo adeo familiaris fuit,neque eundem poſtea niſi fortè in Nicienſi conuentu,vbi Paulus Pontifex, Cæſar, Franciſcus coierunt, vidit: tum quum Regem maiora negotia diſtinebant, quam vt de his quiſquiliis nugaretur, & ſe à præclaro conatu Fuſtembergi metu abſtinuiſſe fateretur: ſuæ enim ignauiæ teſtis locupletiſſimus fuiſſet. *Frāciſcus erga homines eruditos humaniſſimus.*

59 Eodem tempore quo Cæſar è Phocenſi prouincia diſceſſit, Naſſauus Comes Peronæ obſidionem ſoluit, quam circa idus Auguſti circumſedere cœperat. Pro vrbe Franciſcus Marchianus Florengius Mareſchallus,Philippus Bolanuillerius Dammartinianus Comes *Perona à Naſſauo tentata.*

alæ

alæ Engoliſmenſis legatus, ille cum centenaria, hic cum quinquagenaria: Hangeſtius item, quem & Moiecurtium vocabant, vir ſtrenuus, Sercuus cum mille, Sæſeuallis cum totidem peditibus propugnabant: ſed ante illos Peronam cum vxore, & liberis, & omnibus, quas aſportare poterat, facultatibus ingreſſus erat. Eſtrumellus vir nobilis, & ſtrenuus, qui Peronenſes de relinquenda vrbe cogitantes ab ea ignauia reuocauit, & tam ſua, quam ab amicis corrogata pecunia aliquot milites ad tuendam patriam euocauit: à decimoſexto Kalend. Septembris ad decimumtertium portam Nicolai, & eam, qua Lutetia petitur, vehementer Naſſauus quaſſauit, eóque ipſo die oppugnare aggreſſus eſt: is quidem cum quadringentis equitibus è Quintini colle ſpectans Germanos ad ſex millia in portam Nicolai, Roëſius cum trecentis, Belgas, hoc eſt, Atrebates, Hannonianos, Flandros ad duo millia in portam Lutetianam immiſit. Dammartinianus Comes turri arcis, quam à Iulio Cæſare conditam ferunt, in qua Carolus cognomento Simplex à Veramamduo regulo captus diem ſuum obiit, ac portæ Nicolai, Sæſeuallis Lutetianæ, tertiæ murorum ruinæ ad Forcini fanum Hangeſtius ac Sercuus præerant: hi tam ſtrenuè ſe geſſerunt, vt hoſteis fortiter repulerint quadringentis aut quingentis cæſis, pluribus vulneratis: ex obſeſſis pauci, nec vllus magni nominis præter Humerium Rhodium equitem, cuius caput tormenti pila abſtulit, deſiderati ſunt. Toto triduo poſt non in muros, ſed in ciuium domos hoſtes tormenta direxerunt; quibus magnum detrimentum attulerunt: nono Kalend. Septembris Peronenſes Naſſauus, vt ſe dederent, per tubicinem monuit, niſi ſe ad internecionem, vrbem incendio perire mallent. Id in illius poteſtate non eſſe Florengius Mareſchallus reſpondit: octauo Kalend. vrbem fere vndiquaque longè acrius, quàm antea vſque ad horam tertiam pomeridianam (vt Galli numeramus) tormentis duobus & ſeptuaginta Naſſauus ac Roëſius concuſſerunt, & multis locis muros longa ruina aperuerunt: tum ſcalis admotis ſuos vndique ad murorum faſtigia, & qua ruinæ faciliorem aſcenſum dabant, inuadere iuſſerunt. Treis illi graueis impreſſiones fecerunt: ter à noſtris fortiſſimè repulſi ſunt, multóſque è ſuis amiſerunt. Id conſpicati è Quintini colle Naſſauus, è porta Lutetiana Roëſius receptui cecinerunt: milites tam repente ſe proripuerunt, vt ſex & viginti ſcalas muris admotas relinquerent, quas noſtri ad ſe attraxerunt. Quapropter Naſſauus ac Roëſius ſe non magnopere tormentis proficere animaduertentes ad turrim arcis, cuius ſupra memini, cuniculis euertendam ſe conuerterunt, quæ binas murorum ruinas, quibus Dammartinianus ac Sercuus præerant, & bonam vrbis partem tuebatur. Interim in vrbis domos tormentis pilas ferreas, atque ignes arte confectos eiaculabantur, quæ lapidum penuria ligneis trabibus intertextis extructæ ignem facilè concipiebant, vbi vero domum aliquam ardere conſpexerant, illuc tormenta dirigebant, ne ciues incendium reſtinguerent: ita ignis ex vna e ad alteram domum ſpargens plures exiguo temporis ſpatio abſumebat; ſemélque ita exarſit, vt parum abfuerit, quin vrbs tota deflagraret: ſed tam denſæ pluuiæ repente cœlitus deciderunt, vt ſparſos vbique ignes penitus extinxerint: quod diuinæ prouidentiæ, propitióque numini non ſolùm Peronenſes, ſed & hoſtes tribuerunt.

Magna in vrbe tormentarij pulueris, pilarum, ſclopetariorum erat penuria, vti per ex- 60
peditum militem per paludes emiſſum Carolum Borbonium Vindocinenſem, ac Claudium Lotharingum Guiſanum regulum ad Hanum arcem conſiſtentes Florengius certiores fecerat: Guiſanus cum ducentis cataphractis equitibus ſelectos quadringentos ſclopetarios, & magnum tubicinum numerum ſecum ducens noctu ad hoſtium caſtra appulit & ſclopetariis peditem ex vrbe emiſſum ducem dedit, qui iter, quò venerat, remenſus, qua Roëſius caſtra habebat, eoſdem ad vrbis muros deduxit. Hi ſinguli decem tormentarij pulueris pondo ferentes à Peronenſibus partim ſcalis, partim funibus in vrbem intromiſſi fuerunt. Quum autem ſclopetarij in paludes ingredi inciperent, Guiſanus tubicines omnes ad vtraque hoſtium caſtra pugnam canere iuſſit, ne ſclopetarios per paludes incedenteis exaudirent. Roëſius imminere prælium ratus ſe ad Naſſauum recepit: Guiſanus voti compos vnde venerat, rediit. Nondum ſclopetarij omnes in vrbem admiſſi erant, quum aurora lucem ſuam ſpargere, & dies illuceſcere occœpit. Hinc poſtremos in muros aſcendenteis Naſſauus ac Roëſius conſpicati quod nec intromiſſorum numerum, nec quid ferrent, ſcirent, & ita deluſi fuiſſent, moleſtiſſimè tulerunt: equitum aliquot alas, quæ Guiſanum redeuntem perſequerentur, miſerunt, quibus Guiſanus confligendi poteſtatem fecit: verum maiores copias non longè abeſſe, aut inſidias abeſſe ſuſpicati adoriri auſi non ſunt. Nonis Septembris ignem in cuniculos iamdudum

ſub

ſub arcis turre ductos Naſſauus immitti iuſſit: tum fortè in anticuniculos, quos oppoſuerat, Dammartinianus deſcenderat; vnde ruina turris oppreſſus eſt, vir fortis, & rei bellicæ admodum peritus. Turre depreſſa hoſtes per ruinas inſiliere, ſed à Mojencurtio alæ Florengianæ legato, & aliquot cataphractis equitibus repulſi, & in foſſas deiecti fuerunt ducentis aut trecentis amiſſis. Sexto idus quod reliquum turris fuit, tormentis euerterunt, & acriorem, quàm vnquam antea, impreſſionem fecerunt: nec magis, quàm prioribus, profecerunt. Poſtridie in ruinis turris plura trecentis Germanorum peditum, cataphractorum equitum viginti cadauera reperta ſunt. Quarto idus turrim Besfroinam, quæ in vrbe altiſſima erat tormentis pulſarunt, & quaſi impreſſionem facturi ſcalas muris vrbis admouerunt, nec tamen quicquam tentare auſi ſunt, verum prima vigilia tormenta ad ſe retraxerunt: ſecunda diſceſſerunt vicinis pagis paſſim incendio abſumptis.

Dammartinianus turris ruina oppreſſus.

Franciſcus Lugdunum reuerſus, vbi aliquamdiu commoratus eſt Taurinenſi obſidione ſoluta Cæſarianum exercitum Aſtam abiiſſe, bonam Galliæ Subalpinæ, & Salaſſi Marchionatus partem in ſuam poteſtatem veniſſe audiens Annebaldum poſtridie idus Septembris acceſſiuit, vt Buriam, cui Rex Franciſci Salaſſi quinquagenariam cataphractorum equitum alam condonauit, legatum Regium Taurini relinqueret, mandauit: illuc ſe nouum præſidium mittere, quatuor ſcilicet peditum millia Godinerio Boio, Renato, Birago præfectis vt veteri ſui recreandi poteſtatem faceret admonuit. Septimo Kal. Octobris Ioannes Ludouicus Salaſſus in Franciſci fratris locum à Rege inconſultè ſurrogatus Carinianum appulit, & vt homo ſtupidus ſe à fratre circumueniri, & fere Marchionatu pelli paſſus eſt.

Peronæ obſidio ſolutus.

61 Lugduni Franciſcus Heluetios dimiſit paucis exceptis quos & Gulielmi Fuſtembergi cohortes quæ ſex peditum millia implere ferebantur, retinuit: ibidem Sebaſtianus Montecuculus tanquam veneni Franciſco Delphino propinati conuictus in partes diſſectus eſt: inde Cardinale Turnonio legato ſuo Lugduni relicto Ambaſiam, Blæſias, poſtremo Lutetiam petiit. Ad Fanum Saphorini oppidi Lugduno propinqui illi occurrit Iacobus Stuardus Scotiæ Rex, qui ſedecim tam equitum, quàm peditum millia ex ſuis Scotis coëgerat, vt Franciſco aduerſus Cæſarem auxilio veniret: bis tempeſtate repulſus tandem Dieppam appulit, & de Cæſaris diſceſſu admonitus Scotis ſuis domi remanere iuſſis equis curſoribus ad Regem acceſſit, & Magdalenam Regis filiam in matrimonium poſtulauit. Quod Franciſcus id Henrico Angliæ Regi moleſtum futurum ratus aliquantum diſtulit: filiam tamen Blæſiis illi deſpondit, Lutetiæ mox nuptiæ celebratæ ſunt. Ad Regem acceſſerunt & Heluetiorum, ac minoris Burgundiæ legati obſecrantes ne quid in eam regionem Cæſari obnoxiam Rex moliretur: ille cum ipſis inducias in annum pactus eſt. Ambaſiam quoque acceſſit Regem ſalutaturus Florengius Mareſchallus, & propter egregiam in Perona tuenda nauatam operam honorificentiſſimè exceptus eſt: ibi paucos dies commoratus quod Robertus Marchianus pater paulò ante deceſſerat, domum redire voluit: inter redeundum ad Longoiumellum Pariſienſis agri oppidulum acuta febre correptus interiit. Monferratenſem Marchionatum Cæſar antequam in Hiſpaniam rediret, Mantuano regulo adiudicarat, Allobroge, & Franciſco Salaſſo, qui eundem ſibi vendicabant, reiectis. Mantuanum nihilominus Caſalenſes admittere nolebant; hinc Buria Taurini Regius legatus cum Damiano Curiali centurione Neapolitano, qui Cæſaris ſtipendium merebat, & in eo oppido hybernabat, egit vt porta, cui præerat, adaperta eum in oppidum admitteret; quod & præſtitit. Buria aſſumpto Chriſtophoro Gaſco cum mille ducentis peditibus, ac Taiſio cum aliquot equitibus, Ranconio, qui cum exercitu ad Sabinianum conſederat, non admonito, ne quod animo intendebat ad hoſtium aures perueniret, Caſale ingreſſus eſt: ſed Guilielmus Comes Biandraſius Monferratenſis, ad quem pecunia ad inſtrumenta foſſoria, cæteráque foſſæ inter arcem oppidúmque ducendæ neceſſaria comparanda Buria miſerat, nulla præparat: quæ dum Buria vndique conquirit, Vaſtio cogendi exercitus ſpatium dedit: quod ſi Guidus Ranconus cum exercitu, & tormentis ſtatim Buriam ſequutus fuiſſet, haud dubium, quin arcem, antequam diſperſum exercitum ſuum Vaſtius coëgiſſet, in ſuam poteſtatem redegiſſet: aut ſi Aſtam verſus contendiſſet, illuc Vaſtium reuocaſſet: verum ſe à Buria celatum ægrè ferens, & quadam æmulatione accenſus nullo modo ſe commouit. Vaſtius per arcem intromiſſus poſt longum acrémque conflictum Gaſco cæſo, Buria, ac Taiſio captis oppido potitus eſt. In Buriæ locum Guidus Guifrœdus Buterius ſuffectus Taurino præfuit. Centrones, qui nunc Tarantaſij vocantur, rebelles Franciſcus Borbonius

Franciſci & Iacobi Stuardi Scotiæ Regis ad Saphorini oppidum congreſſus.

Paulinus

Paulinus Comes cum Fuſtembergi legione Germanica, aliquótque Gallis tam equitibus, quàm peditibus malè mulctauit Conſlanúmque, & alia aliquot oppida militibus in prædam conceſſit.

Hoc ipſo anno decimoquarto Kalend. Iunij Anna Bolana ab Henrico VIII. Angliæ 62
Rege repudiata Catharina Arragonia legitima vxore, in coniugalem thorum aſcita in turris Londinenſis veſtibulo capite mulctata eſt, quòd cum Georgio Rupifortio fratre germano, mox cum Norreio & Bruertonio aulicis equitibus, poſtremo cum Marco Muſicæ artis magiſtro ſtupri conſuetudinem habuiſſe diceretur. Indicium ab ancilla factum; quæ quod procaciùs cum amatore ſuo ludens ab Anna ſeuerius caſtigata fuerat, dominam apud Regem accuſauit: acerbiſſima quæſtione habita adulteri eandem pœnam ſubierunt. Paulò pòſt Henricus Ioannam Semeram virginem mediocris familiæ vxorem duxit: ex qua Eduardum ſuſcepit, qui anno ſuæ ætatis decimoſexto veneno ſublatus fertur. Semera ex difficultate partus interiit, & Regi in libidinem effuſo locum quartis, quintlſque nuptiis reliquit. Eodem anno Anglorum proceres antiſtitum ope freti aduerſus Henricum propter crudelitatem (Roſſenſem enim Pontificem, & Thomam Morum Cancellarium impiis eius conatibus aſſentiri nolentes, & pleroſque alios capite luere iuſſerat) propter acerbiſſimas pecuniarum indictiones, & à Romana perſuaſione defectionem conſpirarunt, & coacto magno exercitu ſe ſacrum bellum gerere diuulgantes ad Regiſ prætorium contendebant: quibus Henricus Morthfolcium regulum ac Sariſuerium prætorij præfectum cum ſuo exercitu oppoſuit, & vt bellum ducerent, nec vllo modo confligerent, edixit: quin potius quauis pactione cum illis tranſigerent: quod cumulatè præſtiterunt, & conditionibus honeſtis, coniuratíſque vtilibus, vt videbatur, cum ipſis conuenerunt; quibus, exercitibus dimiſſis, Rex non ſtetit, & coniuratorum principes exquiſitiſſimis ſuppliciis affecit. Nouembri menſe Cæſar in Hiſpaniam tranſmiſit ſæuis tempeſtatibus agitatus: in ipſo Genuenſi portu duæ naues perierunt, in qharum altera ſelecti equi, in altera argentea ſupellex menſæ attributa exportabatur: inter nauigandum ſex triremes vi maris abſorptæ ſunt: pridie Kal. Ianuar. Iacobus Scotiæ Rex Lutetiam ſolemni pompa ingreſſus eſt. Paulò ante Antonius Pratus Cancellarius natione Aruernus bipedum omnium (vt ſupra dixi) nequiſſimus in arce ſua Nantoliana extremum ſpiritum exhalauit: cui Antonius Burgus eiuſdem nationis in eo munere ſucceſſit. Pratus tanta apud Franciſcum, matrémque eius Ludouicam in gratia fuit, vt pene ſolus maiora negotia expediret, & Pontificius in Gallia legatus crearetur, quod poſt Ambaſianum Cardinalem peinini contigit; ad cuius authoritatem proximè acc-debat.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER VIGESIMVS-SECVNDVS.

1 KALENDIS Ianuarij anni huius ſæculi triceſimiſeptimi Iacobus Scotiæ Rex Magdalenam Regis filiam vxorem duxit: nuptiæ magno luxu celebratæ (vt ſemper in rebus non magni momenti Franciſcus prodigus fuit:) prandium in Pariſienſis Pontificis ædibus, cœna in palatij aula exhibita eſt, vtrobique choreis, & muſicis inſtrumentis perſtrepentibus: poſtridie, & diebus ſequentibus ludicra equeſtria certamina ad Luparam Regiam domum magnificè ab ipſo Franciſco ædificatam edita; perinde ac ſi is ſumma pace viueret; at iam exercitum cogebat, vt in Atrebates, Flandriámque irrumperet. Nocte nonarum, quæ diem octauum Idus Ianuarias præceſſit, Alexander Medices, à Laurentio eiuſdem familiæ ſibi perfamiliari cæſus eſt. Is ſpreto Margaritæ Cæſaris filiæ nothæ coniugali thoro in matronas, virginéſque nobiles, quinetiam & in Deo Opt. Max. ſacratas inſaniebat, ac ſe tyrannicè gerebat: in cuius locum Coſmus annos duodeviginti natus Ioãnis Medicis viri quidem militaris, ſed hominis impuriſſimi filius ſurrogatus eſt: quem poſtea Cæſar Florentinorum libertati infeſtus in principatu confirmauit. Decimo octauo Kal. Februar. Franciſcus duodecim Galliarum patricios, Regij ſanguinis, cæteróſque principes, circiter quinquaginta Pontifices, inſigniores alarum ductores, totum ſenatum Pariſienſem in palatium conuocauit, coram quibus * * Capellus cauſidicus Regius (aduocatum vulgo appellant) Cæſarem Flandricum, Atrebatenſem, Carcellenſem Comitem, multorúmque aliorum fundorum Regem Gallum patronum agnoſcentium poſſeſſorem aduerſus Franciſcum arma ſumpſiſſe Galliámque multis exercitibus inuaſiſſe docuit: quapropter vt ſupra commemorati Comitatus, cæterique fundi Regi commiſſi declarentur, & ad patronum redeant, poſtulauit. De communi conſenſu pronuntiatum, vt Cæſar, in Atrebatum, Flandriæque confinio, quo tutus acceſſus foret, citaretur, admoneretúrque vt Regij procuratoris poſtulatis reſponderet, aut ſaltem procuratores reſponſuros mitteret, quum nullos miſiſſet, procuratori Regio poſtulatum adiudicatum fuit. Hinc Rex Picardicarum vrbium præſidia auxit, & exercitum cogere occœpit. At Madriciano primum, deinde Cameracenſi fœdere horum fundorum iure patronatus ceſſerat, vt inanis illa denuntiatio, iuriſque oſtentatio videretur.

Anno 1537.

Magdalena Franciſci filia Iacobo Scotiæ Regi in vxorem tradita.

Belgici belli initium.

2 Eodem tempore Franciſcus altè concepto in Cæſarem odio, inuidiáque accenſus impium facinus aggreſſus eſt, & Solymanum per Ioannem Foreſtium Aruernum Latinæ, Græcæque linguæ, quinetiam & vulgaris Græcæ peritum (cum Laſcare enim Cardinale, & aliis Græcis diu verſatus erat) ad inuadendam Italiam incitauit haud memor Chriſtianos omnes qui huiuſmodi auxilia implorarint aut infeliciter cæſos, aut in miſeram ſeruitutem coniectos, aut ſuis ditionibus expulſos; Bizantinos Imperatores, Pannoniæ Vaiuodas, Ludouicum Sfortiam Mediolanenſem regulum, Federicum Arragonium Neapolitanum, vt cæteros commemorare opus non ſit. Anguſtum eſſe inter Epirum, Salentinóſque extremos Italiæ populos fretum Solymano proponebat Foreſtius: Cæſarem ſuperioris anni bello infeliciter geſto pecunia exhauſtum multis amiſſis militibus, fortiſſimiſque præfectis non tanta habiturum præſidia, vt extrema illa Italiæ

Chriſtianorum Principũ qui Turcarum auxilia implorãt peſſimum ſolere eſſe exitum conſpicitur.

MMm litto

ttora,& Inſubres ſimul tueri poſſit: Regem porrò æſtate proxima cum ingenti exercitu
n principatum Mediolanenſem irrupturum. Qua oratione motus Solymanus Solyma-
io Eunucho Ægypti præfecto iuſſit, vt totam hanc hyemem, quæ triceſimum ſextum hu-
us ſeculi annum cum ſequenti coniungebat, in fabricanda octoginta nauium claſſe im-
enderet. Ille lignea materia è ſinu Attalico, Ciliciaque Peluſium aſportata, inde aduer-
o Nilo Memphim ratibus perducta multis fabris vndique acceſſitis, quod iuſſus erat, di-
igenter præſtitit, & octoginta varij generis naueis plicatiles paucis menſibus confecit:
quas membratim diſpartitas, cameliſque impoſitas ad Arſinoes portum rubri maris (Sue-
tiam vulgo appellant Memphi octoginta paſſuum millibus diſtantem) tranſportandas
curauit: vbi partibus omnibus ſuis locis coaptatis extructæ, atque armamentis inſtructæ
ad nauigandum percommodæ ſtatim euaſerunt. Ab eodem Foreſtio admonitus Solyma-
nus (vt fertur) Venetas triremes mercaturis faciendis Alexandriæ portum ingreſſas abru-
pta pace quaſi hoſtiles capi, Antonium Barbadicum, atque Hermolaum Barbarum præ-
fectos cum omnibus nautis, ac vectoribus in cuſtodiam tradi, merces omneis in fiſcum
redigi iuſſit. Veneti cum Cæſare fœdus renouarant, & ſe ſocios in tuendo principatu
Mediolanenſi adiunxerant: ex captiuis Venetis Eunuchus magis idoneos ſelegit, &
Memphim, inde Suetiam miſſos in claſſem ſuam compulit. Ioannes autem Foreſtius im-
piæ legationis adminiſter non multis pòſt menſibus caſtra Solymani ſequutus ad Au-
lonem * * portum letali morbo correptus, interiit, dignum ſua functione præmium
conſequutus.

Dum claſſem Solymanus inſtruit, ſub initium Martij Franciſcus Hannebaldum le- 3
uiorum omnium equitum præfectum cum centum grauis, mille ſexcentis leuis armaturæ
equitibus ad commeatum Taroannam importandum miſit: quod Annebaldus, ac Bie-
zius Bononiæ præfectus ſtrenuè executi ſunt: tametſi Roeſius Comes conuocatis totius
regionis præſidiis equeſtribus noſtros impedire tentauit. Sub eiuſdem menſis finem Fran-
ciſcus collecto exercitu, in quo quinque & vinginti peditum, equitum vtriuſque arma-
turæ circiter ſex millia recenſebantur, ex Ambianis profectus Auchium arcem deditione
cepit: inde progreſſus Hiſdinum circumſedit. Dum tormenta ſuo loco collocantur, An-
tonius Mallius quem & Anchium ab eiuſdem nominis fundo vocabant, ſclopeti glan-
de cæſus eſt: ciues vrbe deſerta ſe cum vxoribus, & liberis in arcem receperunt, cui præ-
erat Sanſo Namurianus cum mille quingentis peditibus. Annęus Mommorencius, qui pri-
mam aciem ductabat, oppugnandæ arcis negotium ſuſcepit: Rex ad Meſuillum oppi-
dum quingentis inde paſſibus diuerterat. Nonnulli qui ſæpius ea in arce verſati erant, mu-
ros latiſſimos antiquæ ſtructuræ terreo aggere multo latiore ſubnixos vi tormentorum
proſterni non poſſe dictitantes Mommorencio vt cuniculos duci iuberet, perſuaſerunt:
in quos quindecim dies, aut paulo plures, magna foſſorum multitudo gnauam operam
nauauit, nec multum profecit: ſola enim turris quæ inter vrbem, arcémque intermedia
erat, dimidia pars exterior collapſa eſt, interior recta permanſit. Quapropter de Regis
mandato tormenta admota ſunt: totum fere triduum arcem noſtri tam acriter tormentis
pulſarunt, vt tertio die prima hora pomeridiana circiter quinque & triginta vlnas ruina
muri pateret. Spectator aderat Rex, quapropter nobiles quidam adoleſcentes Gallica
leuitate vt alacritatem ſuam Regi probarent, ſigno impreſſionis nullo dato in ſummam
ruinam inuaſerunt: ſed quod ſubſidia parata non erant, neque enim indicta fuerat im-
preſſio fortiter repulſi ſunt, nonnullis cæſis, pleriſque vulneratis: inter cæſos Carolus
Buellus Sacrocæſarianus Comes. Haraucurij duo fratres, & quidam alij numerati ſunt.
Rex ea leuitate offenſus per heraldum proclamari iuſſit, ne quis iniuſſu ducum ſe temere
hoſtibus obiiceret, pœna capitis non parentibus indicta. Oppugnatio in diem craſtinum
dilata: ſelecti plerique cataphracti, ac quingenti leuiores equites quibus Hannebaldus
præeſſe debebat, qui relictis equis cum peditibus impreſſionem facerent: cæteri tam
equites, quàm pedites, inter quos octo Germanorum millia Fuſtembergo duce nume-
rabantur, cras in armis eſſe, vt venientem hoſtem, ſi fortè obſeſſis opem ferret, exciperent
iuſſi. Nocte conſequente obſeſſi tubicinem ad Mommorencium de deditione miſerunt:
conuenit vt ſalua omni ſupellectile, armis, equis liberè exirent, tormenta, & quæ ad tor-
menta pertinebant, pilas, tormentarium puluerem, omnem commeatum relinquerent.
Hæc capita craſtino die mane Mommorencius ad Franciſcum retulit, quæ ille rata habuit,
& aliquot equitum alas, quæ deditos à prandio ad ſuos tuto deducerent, paratas eſſe
mandauit. Arci, vrbíque Sercuum præfecit, quem quinquagenaria cataphractorum
equitum ala donauit: duo peditum millia addidit: inde Hannebaldum ad Fanum
Pauli

Pauli miſit, qui captis Cæſarianis miniſtris oppidum ac contiguum agrum in ſuam poteſtatem redegit;ſed Franciſcus captiuos libere abire permiſit,quod teſſeram illam (quam Saluagardiam vocant) antea impetraſſent, quam in poſterum nullam fore declarauit. Tum deintegro viros militares ad arcem, oppidúmque Paulinum inſpiciendum an breui muniri poſſet, miſit. Variæ ſententiæ fuerunt: vnus Antonius Caſtellus Italus architectus contra virorum militarium ſententiam, vt muniretur, obtinuit: id intra vnum ac dimidiatum menſem ſe perfecturum pollicitus, & ſua auaritia, ac temeritate multis viris fortibus mortis cauſam attulit. Percommodum Gallis id oppidum erat, Bethuna duodecim, Dorlano, ac Taroanna totidem, Hiſdino ſex, Lillerio decem, Atrebatibus decem & octo paſſuum millibus diſtans.

An oppidum Paulinū muniendum ſit variæ variorum ducum ſententiæ.

4 Caſtra interim dum Fanum Pauli munitur, ad Pernam locata: Lillerio, quod vltra Pernam ſitum quatuor inde paſſuum millibus diſtat, à ciuibus relicto, Martinus Bellaius cum ducentis leuioribus equitibus, ac Landa cum mille peditibus præſidio impoſiti: mox Fanum Venantij circumſedit Mommorencius quatuor Germanorum è Fuſtembergi cohortibus, totidem Gallorum peditum millibus ſecum ductis. Inſula triquetra erat, quam Liſa fluuius efficit: hanc incolæ propugnaculis, valliſque ſepſerant; nec longè inde Roëſius Comes cum quatuor peditum millibus, & aliquot equitum alis ad Martis villam conſederat. Germani prima impreſſione repulſi fuerunt: verum Carolus Martellus Bacqueuilla Normanus, ac Landa Picardus, ſinguli mille peditum præfecti, locum vbi rarius præſidium erat obſeruarunt, illúcque irrumpentes viam vi ſibi fecerunt. Cæſariani in fugā verſi ſe in alterum caſtellum ponte iunctum receperunt: vnde noſtris acriter perſequentibus deiecti fere omnes cæſi ſunt; Germani qui non paucos è ſuis amiſerant, ne mulieribus quidem pepercerunt. Sub noctem cum præda non exigua Mommorencius Pernam reuertit, quem Caſtellobrianus cum aliquot tormentis ſequebatur: ſed propter paludes aſſequi non potuit. Biduo poſt Cæſariani Fanū Venantij deintegro munire tentarunt: at noſtris redeuntibus ad Martis villam, & Roëſium, aufugerunt: quinto nonas Maij Franciſcus Contaium petiit, & vt Lillerium præter virginum Veſtalium cœnobium incenderet, muri locis multis proſternerentur edixit, ne Cæſariani inde Taroannenſes, & Fani Paulini præſidium vicini laceſſerent. Contaio profectus ad Martini oppidū quingentis à Fano Pauli paſſibus diſtans diuertit: vnde ad Fanum Pauli accedens cœptas munitiones, ſed non multùm adhuc promotas inſpexit. Vrbi Ioannem Totauillam Villebonem hominem natura callidum, ſed timidum, atque Hangeſtium, quem Moiencurtium vocabant (is fortem in Perona tuendâ operam nauauerat) quinquagenariarum cataphractorū equitum alarum ductores præfecit: quibus Martinum Bellaium ducentorum leuiorum equitum, Sallam, Sanctalbinum Normanos, Blerencurtium, Iuillámque Picardos ſingulos quingentorum peditum præfectos addidit. Renatum Palleterium cum mille peditibus arci præſidio impoſuit: tormenta neceſſaria, quæque ad ea pertinebāt, abundantem commeatum, pecuniam in militum foſſorúmque ſtipendiū, & vt munitiones perficerentur, reliquit. At tam breui, vti Caſtellus pollicitus erat, perfici non poſſe, minimè conſiderauit: hinc non exploratis hoſtiū conſiliis, qui magnum exercitum cogebant, vt natura negligens erat, & eam curam in Mommorencium reiecerat, vel quod conſuetis voluptatibus ægrè carebat, vel quod bonam pecuniæ partem, quam acerbè corraſerat, in filiæ nuptias prodegerat, Dorlanum reuerſus exercitum dimiſit: ibi Guilielmum Fuſtembergum cum octo Germanorum peditum millibus; Rochamenium cum ſua, Eſtreum Stempenſis alæ legatum cum altera quinquagenaria cataphractorum equitum ala reliquit: at tam exiguæ copiæ Fano Pauli non magno vſui eſſe poterant.

5 Statim poſt Regis diſceſſum Villebo atque Hangeſtius conuocatis cæteris equitum, peditúmque præfectis vrbem diligentiùs inſpexerunt, & de communi conſenſu propugnacula in quibus præcipua vis erat, vix intra menſes treis abſolui poſſe iudicarunt, præterquam quod terrei aggeres ponè muros excitandi erant: tantum aberat, vt Caſtellus promiſſo ſtare poſſet. Quapropter vt non ſolùm foſſores, ſed & milites operi manus admouerent, vrbis arciſque regiones inter ſe ſorte diuiſerunt. Villeboni ſorte euenit cura propugnaculi viam Muchianam reſpicientis, cui præter ſuam cataphractorum equitum alam Salla, ac Sanctalbinus, ſinguli cum quingentis peditibus, attributi ſunt: Hangeſtio arcis, atque propugnaculi arcem protegentis, cui præter ſuam alam mille Renati Palleterij pedites maturandi operis ſocij additi ſunt: Martino Bellaio ducentorum leuiorum equitum præfecto duorum propugnaculorum quæ ima parte locata Hiſdinum, Dorlanúmque reſpiciebant: huic præter ſuos equites Blerencurtius, atque Iuilla ſinguli cum quingentis peditibus ſocij fuerunt. Verum quamuis omnes diligenter in opus incum-

Caſtelli architecti imprudentia & temeritas.

erent, tamen id propter difficilem vrbis ſitum non multum promouebant: & equitum læ, peditúmque cohortes non ſatis integræ erant. Sub Maij finem Florentinus Burenum, Roëſiúmque Comites magnum in Atrebatibus exercitum per exploratores cogere didicerunt, cuius Regem certiorem fecerunt: ille ſe breui ſubſidia miſſurum reſpondit. Sexto idus Iunij Roëſius primæ aciei ductor cum mille ducentis equitibus vrbem propius inſpexit leuibus excurſionibus hinc inde factis. Captus Cæſarianus eques exercitum ad Aubignium quatuor paſſuum millibus ab Atrebatum vrbe diſtans conſediſſe retulit. Fuſtemburgum primum cum ſuis Germanis aggredi ſtatuerat Burenus: quo profligato Fano Pauli, Dorlanóque ſe facilè potiturum ſperabat: ſed litteræ Franciſci cuiuſdam hominis Itali, qui ſub Caſtello foſſoribus præerat, ad Mommorencium ſcriptæ, atque interceptæ Burenum ab ea cogitatione reuocarunt: ſcribebat enim imprudens nebulo Fanum Pauli tum quidem admodum debile eſſe: cæterum intra vigeſimum diem ſatis munitum fore modo nihil hoſtis interim moliatur. Quibus litteris acceptis Burenus Fanum Pauli rectà petendum iudicauit: quinto idus Roëſius cum priore acie circa auroram ad propugnaculum, quod Dorlanum reſpicit, conſpectus eſt: commiſſæ aliquot equitum, peditúmque velitares pugnæ; interim circa meridiem Burenus Cæſaris legatus cum altera acie ad Fanum Martini appulit. Quarto idus Cæſariani exercitus peditum maior pars ad magnum vicum è regione maioris propugnaculi, cæteri tam equites, quàm pedites in pratis, quæ Muchium verſus tendunt, & vicis propinquis caſtra fecerunt: in excubiis mille ducentos equites, pedites bis mille ad viam inter Hiſdinum, Dorlanúmque intermediam collocabant: etenim ne Dorlani, Hiſdiniique præſidia in illos inuaderent, timebant.

Igitur primum foſſis ducendis, tormentiſque collocandis operam impenderunt: foſ- 6
ſas pridie idus noſtri à porta Muchiana ad Hiſdinenſem, vbi minus propugnaculum erectum, ſed nondum perfectum erat deprehenderunt; cuius viſum adhuc duo vicini montes altiores auferebant: toto hoc ſpatio, quod fere quadringẽtorum paſſuum erat, murus duntaxat treis pedes latus, nullæ ante foſſæ, nulli ponè murum aggeres, nulla defenſacula hoſteis arcebant: milites, atque ipſi adeò præfecti & foſſis, & aggeribus non ſecus, ac foſſores manus admouebant: ſed in vaſta vrbe, & tantillo temporis ſpatio opus non admodum promouebatur. Supra maius propugnaculum via caua erat, ad illud vſque pertingens, quam noſtri temporis breuitate prohibiti complanare non potuerant: hæc hoſtibus foſſæ vice fuit: hac Cæſariani ad propugnaculum progreſſi id perfoderunt, atque interim tormentis murũ ab horologio ad portam Hiſdinenſem ita verberarunt, vt vltra trecentos pedes proſtratus, vbi pleriſque locis eques tranſcendere poterat, facilem hoſtibus in vrbem aditum præberet: maius propugnaculum cum vrbe coniungere non poterant noſtri eadem temporis breuitate impediti: viam inter propugnaculum, vrbémque intermediam vaſis duntaxat vinariis terra oppletis munierant: igne in cuniculos immiſſo, ac maioris propugnaculi bona parte euerſa & hic, & ad portam Hiſdinenſem grauis facta impreſſio eſt. Tantiſper dum vtrobique acerrimè certatur, hoſtium cohortes aliquot via inter propugnaculum vrbémque incedentes in vaſorum vinariorum vallum irruperunt, propugnatoribúſque profligatis vrbem ingreſſi noſtros & ad maius & ad minus propugnaculum fortiter dimicanteis à tergo inuaſerunt, ac fere omneis occidione occiderunt; neque mulieribus ac ne Veſtalibus quidem virginibus, aut pueris pepercerunt: quater mille quingentos tam ex militibus, quam ex foſſoribus, & ciuibus cæſos produnt: ſic tot viros forteis Caſtelli viliſſimi architecti ſuaſu, ac temeritate Franciſcus amiſit! Villebo, ac Martinus Bellaius, aliique perpauci euaſerunt. Triduum ibi Burenus, Roëſiúſque conſederunt, arcémque demoliti, vrbem quoque incenderunt: neque enim ob difficilem ſitum ita vt magnis viribus reſiſteret, muniri poſſe iudicarunt.

Die quarto qui decimuſtertius Kalend. Iulias fuit, Burenus exercitum recenſuit: equi- 7
tum circiter ſex, peditum circiter tria & viginti millia comparuerunt. Inde Montrellum Cæſarianus exercitus petit, tormentiſque pulſauit: triduo ante vrbem ingreſſus erat Canaplius è Crequiorum familia cum mille peditibus tumultuariè collectis ac ducentis equitibus Normanis, qui Regi clientelæ nomine operam ſuam pæſtabant ſe reſiſtendo eſſe non poſſe animaduertens de deditione egit: milites cum armis equis, & omni ſupellectile; ciues cum omni ea, quam ferre poterant, exierunt: tam liberalis non fuiſſet Burenus niſi ad oppugnandam Taroannam properaſſet. Franciſcus Mommorencius Rochapotius Regius in Picardia legatus Taroannam ſexaginta cataphractos equites cum ſuis hippotoxotis, pedites quadringentos miſit; qui vix vrbem inierunt; vnde

vnde quatuor paſſuum millibus tum Burenus aberat: interim Henricus Delphinus ac Mommorencius equitum magiſter militibus qui in Galliam Tranſalpinam mittebantur, reuocatis ad Ambianos decimo Kal. Iulias acceſſerunt. Guilielmo Fuſtembergo cum ſuis cohortibus, ac Nicolao Ruſtico, qui & Boſſuus vocabatur, & quatuor ex inferiore Germania peditum millia adduxerat vt ſe Abbeuillam ſiſterent, mandarunt: ac Taroannæ magnam ſclopetariorum tormentariíque pulueris penuriam ineſſe intelligentes Hannebaldo eam curam commiſerunt. Is, ac Piennus cum ſuis quinquagenariis cataphractorum equitum alis, Taiſius Thermeus, Auſſunus, Sanſacus, Galli, Bernardus Vimercatus, ac Maurus Nouatus Itali, Georgius Capuſmadius, ac Theodorus Manes Epirotæ, ſinguli cum ducentis leuioribus equitibus, qui omnes Hannebaldo parebant, Hiſdino profecti Guinegatam contenderunt: vnde centum leuiores equites præcedere, pedites ſclopetarios Taroannam ingreſſuros ſequi, ducentos leuiores equites agmen claudere, & Taroannam properare, ſclopetariis intromiſſis equites ad ſe redire Hannebaldus iniunxit; qui mandatum vix exequuti fuiſſent, niſi prior, atque altera Cæſarianorum acies, quæ illos obſeruabant, & diuerſis viis noctu incedebant, ſeſe non agnoſcentes grauiter inter ſe conflixiſſent, nonnullis cæſis, pleriſque vulneratis. Inter redeundum aulici quidam adoleſcentes rerum imperiti, idcircóque temerarij, qui cum trecentis equitibus Taroannam petierant, illos vt hoſteis, qui ſeſe non commouebant, aggrederentur, impulerunt, primíque irruentes lanceas perfregerunt. Factam impreſſionem intelligens Hannebaldus vt trecentos equites ad ſe reciperet, aliquantum cunctatus eſt. At Cæſariani properantes ligneum pontem, qua tranſeundum erat, anteceperunt, Hannebaldúmque eodem contendentem aggreſſi cum bona ſuorum parte vel ceciderunt, vel ceperunt. Auſſunus qui Cæſarianos anteuerterat, & pontem tranſmiſerat, Hiſdinum reuerſus mutatis equis hoſteis perſequutus eſt: ex quibus in poſtremos nec opinanteis irruens nonnullos cepit, & quoſdam è noſtris recepit. Gallicæ nobilitatis temeritas in eandem fortunam tam ſæpe incidit vt pudendam magnis etiam ducibus ignominiam afferat, & nullas apud noſtros homines diſciplinæ militaris leges obſeruari palam faciat.

Hãnebaldus Taroanæ ſuppetias ferre nō ſine periculo aggreditur.

Gallicæ nobilitatis temeritas.

8 Paucis pòſt diebus Henricus Delphinus ac Mommorencius coacto exercitu in quo mille quingenti cataphracti equites cum ſuis hippotoxotis, bis mille leuiores, Germanorum peditum duodecim, Gallorum totidem, aut paulò plura millia recenſebātur, Taroannæ, vt obſidionem ſoluerent, appropinquarunt: quum Maria Hungariæ Regina Cæſaris ſoror, Flandricarum prouinciarum adminiſtratrix de pace aut induciis Areſcoto regulo interprete verba fecit. Ad Bommium vicum quatuor paſſuum millibus Taroanna diſtantem viri ab vtraque parte delecti conuenerunt: vbi poſt multas diſceptationes induciæ in treis menſes inter Galliæ regnum, & Flandricas prouincias pactæ fuerunt. Belgico bello implicatus Franciſcus maturè, vt Solymano promiſerat, exercitum in Galliam Tranſalpinam mittere non potuit: Solymanus autem ad Aulonem qua Laous fluuius in mare influit caſtrametatus in Italiam tranſmittere decreuerat, & Luſtibeium ac Barbaruſſam Baſſas in Salentinorum fines præmiſerat incolarum animos, vrbium munitiones, & præſidia exploraturos; quibus Troilum Pignatellum exulem Neapolitanum nobili familia ortum ducem dederat. Is ob Andream fratrem Rhodium militem Petri Toletani Proregis iuſſu nimis ſeuero iudicio capite mulctatum ad Solymanum defecerat, & inter Nuſfaracas fuerat numeratus; qui ſtrenui equites, quos velint, deos colere permittuntur, & vni Imperatori ad bellum proficiſcenti operam præſtant. Erat Troilus ingenio acer, & noſtræ militiæ peritus atque equitum ordines apud Cæſarem duxerat, qui quum de minorum tormentorum in præliis vſu diſſereret, eorúmque formas repræſentaret, Solymano in primis fuerat acceptus. Hoc duce Luſtibeius, & Barbaruſſa Caſtrum oppidum non procul Tarento diſtans deditione ceperunt: vnde equites emiſſi totam eam regionem, quæ Brunduſium vſque protenditur, peruagati multo pecore, multiſque mortalibus abductis redierunt, vicináſque vrbeis validis præſidiis, & longo otio munitas retulerunt. Solymanus vero quum nullus Gallorum exercitus in Italiam tranſiiſſet, & Alexander Contarenus Venetus trierarchus duas eius triremes demerſiſſet, quibuſcum Vſtamanes Gallipolitanus præfectus periiſſe ferebatur, Auria binas primum Turcicas triremes Venetis, qui Corcyram inſederant, perſequentibus in Acroceraunios ſcopulos eiectas incendiſſet; duodecim præterea ad Caſſiopeum Corcyræ promōtorium noctu congreſſus vel cepiſſet, vel depreſſiſſet, indignationem ſuam in Venetos conuertit Cæſaris fœderatos, quos Auriam de ſuarū triremium nauigatione admonuiſſe exiſtimabat. At Auria poſtrema ea victoria non multum profecerat, qui multis ex propugnatoribus, & ſociis naualibus

Nuſfaracæ qui, & quod eorum munus.

Solymani cū Venetis bellum, & vnde natum.

ımiſſis paucis ex hoſtibus captis,etenim fere omnes fortiter pugnando interierant, & gla-
dios ſuos incuruos ne iiſdem noſtri potirentur,in mare deiecerant:vix victor euaſit,quum
quinque & triginta triremibus duodecim duntaxat Turcicas aggreſſus fuiſſet.

Solymanus igitur Barbaruſſam cum omni tormentorum apparatu Sextili menſe in 9
Corcyram inſulam præmiſit: de cuius aduentu per exploratores certior factus Hierony-
mus Piſaurius alterius Venetæ claſſis præfectus vtramque Corcyræ vrbis arcem valido
præſidio firmauit: ſuburbana omnia ædificia demoliri iuſſit, atque Aloiſio Ripæ, ac Si-
moni Leonio præfectis quicquid ad propugnationem neceſſarium erat, reliquit. Deinde
in Hadriaticum ſinum retroceſſit,ſe cum altera Veneta claſſe, cui Ioannes Vecturius præ-
erat, coniuncturus; quæ adiuncto Auria Turcicæ viribus haud cedere videbantur. Cor-
cyram vrbem Aiax ac Barbaruſſa Baſſæ nauigiolis aduecti propius inſpexerunt,& non fa-
cilè expugnari poſſe Solymano renuntiarunt: ille tamen vt expugnarent miſſo præterea
Lutſtibeio imperauit.Verum vna,atque altera impreſſione experti,quum nihil proficerent,
conatus ſuos irritos eſſe Solymano indicarunt:quapropter vt obſidionem ſoluerent,aſſen-
ſus eſt. Interea tamen Turcæ inſulam prope omnem vaſtarunt & ſupra ſedecim ex Cor-
cyreis vtriuſque ſexus millia in ſeruitutem abduxerunt. Septembri Solymanus Byzan-
tium reuertit nihil dignum tantæ claſſis apparatu conſequutus. Nauali bello non ſatis fe-
lix fuerat Solymanus, ſed terreſtri per Amurathem Belgradi,quod olim Taurunum voca-
bant, fœliciſſimus fuit, & florentem Ferdinandi exercitum non vi, verum dolis ad inter-
necionem penè deleuit. Poſt cæſum Mugaciano prælio Ludouicum Hungariæ Regem
eam citerioris Pannoniæ regionem, quæ Poſſega appellatur, Turcæ ſibi retinuerunt, nec
Ioanni Regi tradere voluerunt, quòd ad traiiciendum Drauum in Pannoniam proficiſ-
centibus peropportuna erat: ea Sauo, Drauo, Craſſo fluminibus ita cingitur vt fere inſu-
la videatur, regio fertilis, & rebus omnibus abundans, in qua Exechium caſtellum Amu-
rathes communierat, vnde crebras excurſiones in Ferdinandi ditiones faciebat; quem vt
inde pelleret non tam numero, quam viribus potentem exercitum Ferdinandus coëge-
rat: neque enim magnas copias Mahometes habebat, & Autumno iam declinante maio-
res haud habiturus videbatur. In Ferdinandi exercitu equitum octo, peditum bellicoſiſ-
ſimarum gentium ſedecim millia cenſebantur. Omnibus præerat Ioannes Cazziauer
Croatus defenſæ nuper Viennæ laude clarus: ſed turbidum, præcépſque ingenium eque-
ſtris alæ potius, quam vniuerſi exercitus præfectura dignum arguebat. Quum Exechio
appropinquarent, & copias recenſerent, equitum numerus ad decem millia auctus,at pe-
ditum multum imminutus reperiebatur: vix enim octo millia integra, & pugnæ apta vi-
debantur: ita multi propter itinera Autumnalibus pluuiis lutulenta ægroti, multi quoque
longo itinere fatigati dilapſi erant.

Quum ad Exechium Ferdinandi exercitus, quem Germanorum nomine in poſterum 10
deſignabo, tametſi ex multis aliis nationibus conſtabat, caſtra poſuiſſet, eius duces leuia
certamina interdixerunt, quod hoſtium equitibus Ianizari, Aſapique pedites mixti illi
ſclopetis, hi ſagittis multos è Germanis aut occiderent, aut vulnerarent. Quapropter
quum Turcæ ex oppido exibant, in eos maiora tormenta Germani diſplodebant, ma-
gnámque cædem faciebant. Quo animaduerſo Amurathes multas nauiculas ſclopetariis
implet, minoribus tormentis additis, & in paludem, quam Drauus exundans efficit, im-
mittit. Hi Germanos in valle caſtrametatos plurimum infeſtabant, & aquatione prohi-
bebant:quam ob rem in vicinum collem Turcis pulſis,qui illum inſederant,caſtra tranſla-
ta; ſed is duobus paſſuum millibus Exechio aberat, vt inde in oppidum tormentorum pi-
læ penetrare non poſſent: idcirco in planitiem vltra Exechium valle ſuperiorem & mœ-
nia æquantem Germani non tamen ſine difficultate tranſierunt. Magno circuitu iter
inſtituendum erat, & ſaltus trium millium paſſuum penetrandus, in quo mille equi-
tes, & aliquot Ianizarorum ſclopetariorum cohortes Amurathes in inſidiis locarat. Qui-
bus periculis defuncti Germani in planitie caſtra poſuerunt, & poſtridie mane hoſti pu-
gnandi copiam fecerunt: at ille ex oppido non exiit, Germanos duntaxat tormentis pe-
tiit;quamquam ſedecim pugnatorum millia in armis habere ferebatur: verum Germanos
commeatus penuria laborare didicerat. Quum is deficeret Balthaſar Pamphilus Hunga-
rus, vt ad expugnandum Hermandum caſtellum properarent,ſuaſit:in quod Turcæ vxo-
res, liberos, pretioſam ſupellectilem contulerant. is præire,& locum propius inſpicere iu-
betur. Caſtello adiunctus erat pagus interiecta duntaxat foſſa ſeparatus, qui ſtatim de-
ditionem fecit. Quo nuncio ad exercitum perlato noctu omnes ſine vllo ſtrepitu, nul-
lis tubis,tympaniſque reſonantibus ad Hermandum properant nullis ordinibus ſeruatis,vt
diſceſſus

Digitized by Google

diſceſſus fugæ ſimilis videretur: neque tamen Turcæ inſidias veriti Exechio exierunt. Tormentis prolatis caſtellum deditur: vbi duo dumtaxat farinæ triticeæ, milij totidem vaſa reperta ſunt. Itaque ponte Brodogo amni impoſito ſarcinas, minoráque tormenta tranſuehunt, maiora ſequi iubent: at ſeptimum longè omnium maximum pontem depreſſit: quamobrem calefacto metallo diffringitur, copiiſque omnibus tranſmiſſis pons interſcinditur, ne hoſtibus vſui eſſe poſſet. Cazziauer tormenta maiora perfringenda, & in fruſta diſtributa propter itinerum difficultates conuehenda, Valponiúmque, vbi commeatus abundabat, petendum cenſebat. Alij per Poſſegam redeundum, & Iuuancham, deinde Garam oppida omni commeatus genere referta, atque expugnatu facilia inuadenda exiſtimabant; prius quàm Turcæ circumdata palude illos aſſequi poſſent.

11 Hæc potior viſa ſententia eſt: at quum tormenta pluuiis continuatis pleriſque locis hærerent, vix tria paſſuum millia conficiuntur, & ſub veſperam Germani priores deinde Turcæ Iuuancham perueniunt. Germani oppidum diripiunt, nocte conſequente oppidum Turcæ incendunt, & quicquid relictum erat, corrumpunt: poſtridie mane Germanos adoriuntur, præſertim qua Bohemi ſtationem habebant. Petrus Raſchinius Bohemorum Mareſchallus cum ſuorum equitum fortiſſimis in illos irruit, ac ſtrenuè repellit. Verum Turcæ ſubſidiis aucti prælium redintegrant, Raſchiniúmque cum bona ſuorum parte concidunt. Tum Germani quaternos curruum ordines in latera diſtribuunt minus validos in fronte collocant firmis præſidiis additis: equitum, peditúmque robora aciem claudere iubent, atque ita vt locorum commoditas ferebat, incedunt. At Amurathes præmiſſos equites, Ianizaróſque locorum anguſtias, difficultatéſque obſeruare, Germanos glandibus, ſagittis, minorum tormentorum globulis laceſſere, nuſquam cominus congredi iniungit. Quum ad quandam planitiem paulò latiorem peruentum eſſet, Turcæque Germanos vrgerent, Paulus Bachitius Hungarorum dux inclytus in eos conuerſus falconis pila cæſus eſt. Hungari Vſarones ducis ſui mortem vlturi tanta vi Turcas repulerunt, vt falconum currus deſerere cogerent. Germani pedites vel animo fracti, vel feſſis corporibus debilitati, ac viribus pene exhauſti relictos currus occupare nequiuerunt: Ianizari anteuertentes eoſdem receperunt. Ita magna cum difficultate ad campum Garæ oppido vicinum appropinquatur: ibi quum diu de itinere, quo redeundum eſſet, duces conſultarent, vicit eorum ſententia, qui Valponium decem inde paſſuum millibus diſtans petendum cenſuerunt: vbi largus commeatus, & pecunia in militum ſtipendium aſſeruabatur, quanquam latæ ſiluæ peragrandæ erant, quarum arbores ad itinera occludenda Turcæ interſciderant. Vt noctu diſcederent, decretum: quum diſceſſus ſignum fiſtula, qua è ſacris turribus inſtantem auroram Viennæ denuntiant, Cazziauer dari iuſſiſſet: interim Hungari equites, quos Vſarones vocant, Bachitio duce amiſſo nulli parentes, & locorum notitia freti ſigno non expectato aufugiunt, & Valponium properant. *Ferdinandi exercitus partim in fugam verſus, partim caſus.* Hos imitatur Ladiſlaus Moreus, & ad caſtellum ſuum non multum diſtans ſe recipit: exemplum ſequuntur Stiriaci Ioanne Huganoto duce: qui agmen claudere debebant: ſequitur & Simon Zagabrienſis Pontifex. Tum Cazziauer metu conſternatus equum conſcendit, & relicta in tentorio argentea, cæteráque omni ſupellectile nullo ſigno dato fugam inermis capeſſit.

12 Fugientium ſtrepitu excitatus Ludouicus Lodronius ſuos ne tantam ignauiam imitentur, hortatur, quæ illis maius quàm ſi in acie ſtetiſſent, periculum creatura ſit: ſe vel ſuos in loca tuta reducturum, vel pro Chriſtiana pietate honeſtam mortem oppetiturum. Ad hunc Carinthij, Saxones, Auſtriani, Bohemi, qui fruſtra ſignum diſceſſus expectabant confugiunt, & ſibi ducem deligunt: ille tametſi quadam modeſtia recuſans munus tamen neceſſitate adductus obiit. Audierat fugientium ſtrepitum Mahometes, qui vix quingentis inde paſſibus aberat: ſed dux vetus, & ſenex nihil fortunæ permittere voluit; lucem expectandam iudicauit. Vix Lodronius ſub auroram è caſtris exierat, quum Mahometes cum omnibus copiis imminens Lodronianos vndique circumuentos minoribus tormentis, ſclopetiſque & ſagittis eminus atterendo. vbi multum laboranteis animaduertit, totis equitum, peditúmque viribus inuaſit: pugnarunt fortiſſimè Carinthij, Saxones, Auſtriani, Bohemi equites: at magna ſuorum parte tormentis ſclopetiſque conciſa tandem ſuperati ceciderunt: Lodronius ipſe grauiter vulneratus fuſis equitibus cum tribus cohortibus in paludem compulſus fuit, & à Turcis cædendo feſſis vt ſe dederе, quam mori mallet, inuitatus deditionem fecit. Tria ſummorum ducum capita Pauli Bachitij Hungarorum equitum, Antij Macri Carinthiacorum præfecti, Ludouici Lodronij, qui peditibus præerat, Solymano oblata produnt, qui vt cæteri captiui cæderentur, iuſſit:

verum deprecantibus Ianizaris qui viros fortes in deditionem receptos, & vel in ſeruitute vtiles fore prædicabant, eoſdem illis condonauit. Hic potentiſſimi exercitus, ſi prudentem ducem nactus fuiſſet, infelix exitus fuit. Percurſis breuiter Turcarum, quibus Franciſcus malo conſilio vſus fauere clam ferebatur, nauali, terreſtríque expeditionibus, nunc ad Italicas veniamus. Dimiſſa exercitus parte Franciſcus è Belgica reuerſus Humerium alæ Delphinianæ legatum rei militaris imperitum, verum Mommorencio annitente ad bellica munia promotum in Tranſalpinam Galliam miſit; quem Chriſtophorus Vittembergenſis regulus cum decem Germanorum peditum millibus ſequi debebat. iam enim totum Salaſſum agrum Carmagnolana, Verculináque arcibus exceptis Vaſtius occuparat, & Franciſco regulo reſtituerat, Penarolum munierat Guidus Ranconus, vt quandoquidem viribus erat inferior, illic caſtris communitis Gallica auxilia expectaret. Carmagnolanam arcem circumſedit Vaſtius, quam ducenti Itali pedites à Rancono miſſi inſederant. Salaſſus qui ſitum interiorem arcis, & qua debilior eſſet, exactè nouerat, duabus oppidi ædibus perruptis, quæ valli loco eſſent, ad dextram duo maiora tormenta promouit: quibus bis exoneratis quum tormentarij miniſtri vicem obiret, moſqueti (vt vulgò appellant) quod à minorum accipitrum genere denominant, pila ictus exanimatus concidit.

Hic erga Franciſcum Regem ingratiſſimus fuit; etenim ab ineunte ætate in Gallia educatus, & Michaële Antonio fratre natu maximo ſuperſtite Regis impenſis liberaliter cultus, ac quum poſt Michaëlis Antonij mortem Salaſſus principatus propter Ioannis Ludouici fratris natu maioris rebellionem Regi adiudicatus, ac commiſſus fuiſſet, eo donatus, præterea ſeptemdecim oppidis nuper bello partis, quæ Salaſſum Marchionatum annuo prouentu ſuperabant, Regij exercitus legatus deſignatus inani nihilominus Monferratenſis Marchionatus ſibi adiudicandi ſpe illectus à Rege ad Cæſarem eius hoſtem defecit, Cunio, ac Foſſano proditis: quibus & præſidiorum, & commeatus partem detraxerat, & ne diligentius munirentur, impediuerat; Antonio Leuæ Cæſariani exercitus legato commeatum, qui ſupererat, deſcriptum dederat, in quot dies ſufficere poſſet: poſtremò noſtrorum ducum omnia conſilia indicarat. Humerius ſexto Idus Iunij Penarolum appulit: hinc Vaſtius copias ſuas Aſtam reduxit, cui Antonium Arragonium præfecit; & Chriſtophorum Vittembergenſem non longè abeſſe certior factus Vercellas conceſſit: Chiuaſio ab hoſtibus relicto ducentorum peditum præſidium Ludouico Birago imponi Humerius mandauit, & circa ſeptimum Kalendas Iulias Vittembergenſes cohortes Moncalerium perueniſſe monitus illuc properare voluit. Itali, quibus præerat Ranconus, niſi ſtipendio perſoluto progredi recuſarunt, & breui Germanis perſoluendum erat: quapropter aliquot dies nihil tentatum. Humerius neque quicquam dignum prudente, & forti duce ex ſe promere, neque præ ſtupiditate ſana aliorum conſilia deligere ſciebat, vel præ ignauia exequi non audebat: hinc breui apud exercitum in contemptum venit. Guidus Ranconus ſuapte natura nimis arrogans, & eius imperium non ferens ad Regem ſe contulit: Caninius Gonzaga ſimultate cum Cæſare Fregoſio ſuſcepta, quem etiam ad ſingulare certamen prouocauit, ad ſuos abiit. Interim Vaſtius vrbeis hoſtibus obiectas muniit, & Germanis quos Federicus Guilielmi Fuſtembergi frater natu maior adducebat, accelerare iuſſis Humerium ſuorum ditionibus perturbarum repellere inſtituit. ob Italorum cunctationem, & propemodum ſeditionem clam, & ex induſtria à Rancono excitatam hic exercitus penè inutilis fuit: Kalendis enim Iulij dumtaxat Penarolo profecti Moncalerium petierunt: vbi in conſultatione poſitum fuit Vulpianúmne, an Aſtam potius adorirentur, cui non ſatis firmum præſidium ineſſe exiſtimabant, quod tamen bis mille peditum, ducentorum equitum fuiſſe Bellaius tradit, Germani tormentis præeſſe voluerunt. Quum pridie nonas ab Aſta mille paſſus caſtra poſuiſſent, Ioanni Paulo Ceriti tormentorum admouendorum curam Humerius dare voluit; quod Germani paſſi non ſunt, eámque ſe ſuſcepturos prædicarunt: vide quid duci authoritas in regendo exercitu poſſit.

Initio ſecundæ vigiliæ Humerius cum aliquot præfectis ad Germanos acceſſit, vt quam diligentiam tormentis collocandis adhibuiſſent, cognoſceret. Illi nihil adhuc tentarant: quid quo loco conandum eſſet, diſputabant: inter colloquendum, altercandúmque dies illuxit, res in proximam noctem dilata eſt: poſtridie mane niſi ſtipendium numeraretur, Germani ſe diſceſſuros denuntiarunt. Humerius quod in illis exercitus robur conſiſteret, pecuniam ab omnibus præfectis, viríſque nobilibus mutuam accepit, & quingentos nummos aureos in ſingulas cohortes diſtribuit: omnes milites fere externi erant, idcirco ſe 14

difficiliores

difficiliores præbebant. Hora tertia pomeridiana vt Galli numeramus Aſtenſes in noſtros grauem impreſſionem fecerunt tantiſper dum ſeptem peditum cohortes, trecenti equites in vrbem per pontem Tanaro impoſitum è regione noſtri exercitus intromitterentur: ſic enim tradit Bellaius, alij tarius ſubſidium immiſſum ſcribunt. Humerius de potiunda vrbe, quam non ſatis accuratè cinxerat, deſperans obſidionem ſoluit, atque Albam properauit. diſcedenteis Aſtenſis equitatus carpere tentauit, ſed quem Briſſacus ducentorum leuiorum equitum præfectus cum aliquot cataphractis facile repulit. Ita Humerius nullis amiſſis ad Fanum Damiani conſedit: poſtridie dum Alba petitur ſeptingentos Hiſpanos pedites Alexandria profectos Albam contendenteis Ioannes Paulus Ceres fudit. Albani nullo præſidio accepto præter viginti quinque Hiſpanos, qui in arcem ſe receperunt, Humerio portas aperuerunt: ibi circiter viginti dies noſter exercitus quieuit, tantiſper dum Alba, ac Claraſcum, quod pariter deditum fuerat, muniuntur. Eodem tempore Cæſar Maſſius Neapolitanus Vulpiani præfectus Taurino quod illinc ſeptem paſſuum millibus diſtat rarum ineſſe præſidium certior factus de prodenda vrbe cum Vaſcone decurione egit; & vt in propugnaculum quod prope ædem Mariæ ſitum erat, admitteret, perfecit. Nocte condicta, qua Vaſco ſignum dedit, ſcalas Cæſar admouit, & quinque cohortes in propugnaculum immiſit: milites qui cum Vaſcone erant, proditionis haud conſcij interim in vrbem aufugerunt, & hoſteis intromiſſos denuntiarunt. Tumultu tota vrbe exorto Buterius, qui bonam noctis partem neſcioquo ludi genere traduxerat, cum Heluetiis quos ad ſui cuſtodiam habebat, & paucis ex familiaribus ad propugnaculum accurrit, ciuibus, qui iam arma ſumpſerant vndique ad illum confluentibus; & portam, qua è propugnaculo in vrbem aditus erat, apertam offendit: quam ianua halbarda impulſa occluſit. Hanc Cæſariani initio non deprehenderant, idcirco tantiſper dum ſcalas ad vrbis murum admouebant, tumultus exortus erat. Inter Mariæ ædem, & vrbis murum vicus anguſtus vix ſeptem aut octo pedes latus interiectus erat: hinc Taurinenſes ex ædis tecto lateres & aliam materiam in vicum deiecerunt partim vt hoſteis tranſeuntes trucidarent, partim vt illis viam in vrbem obſtruerent: nam Cæſariani tormento, quod in oppugnaculo repererant, exonerato ianuam perruperant, parúmque abfuerat, quin pro ianua propugnantem Buterium trucidarent. Acceſſit eodem Vuartius duarum cohortium præfectus cum ducentis ſclopetariis, qui ſummum vrbis murum, turréſque conſcendentes denſis ſclopetorum glandibus hoſteis è propugnaculo multa cum cæde deturbarunt: Vaſco proditor ſtrangulatus eſt.

Taurini Vaſconis perfidia in vltimum diſcrimen adductum.

15 Humerius, vbi in quod diſcrimen Taurinum incidiſſet intellexit, Germanos pedites apud quos Chriſtophorus Vittembergenſis regulus adhuc adoleſcens non multùm authoritate pollebat, ſeditioſos expertus, ad hæc propter ſimultates inter Cæſarem Fregoſium primæ aciei ductorem, ac Ioannem Paulum Ceritem Italorum peditum tribunum item inter Briſſacum, atque Hannibalem Gonzagam Nouellarium obortas, & quod ſex Hiſpanorum peditum millia, mille ducenti equites Moncalerium iniiſſent, maturius fortaſſe quam oportuit, Alba mouit, cui Iulium Vrſinum cum bis mille peditibus præfecit: Claraſco Cæſarem Fregoſium cum iis quos & quot deligere voluit: Cherio Azalium cum octingentis, quibus præerat, peditibus, & mille Aramonis; Sabiniano Ioannem Taurinenſem cum mille peditibus: mox Taurinum, ac Penarolum ſubſidia miſit, atque in Salaſſum agrum cum Vittembergenſibus Germanis, & cætero exercitu contendit. Inter eundum Buſcum oppidulum tormentis pulſauit. Hannibal Nouellarius ingenio præceps dum murus iuſta ruina proſtratus eſſet, non expectauit: cum Italis, quibus præerat, impreſſionem fecit: repulſus, & ſclopeti glande ictus paulò poſt vitam finiit. Hinc ſoluta obſidio, quod Vaſtius Federici Fuſtembergi Germanis cohortibus auctus Pinum appuliſſet. Humerius Salaſſum agrum ingreſſus ibi Regis mandatum expectare decreuerat: at Vittembergenſes Germani, vt Penarolum progrederetur, vt ibi ſtipendium acciperent, coegerunt: tametſi diſſuadere conatus oppidum conſeruandum, & commeatum vel oppidi, vel vicini agri haud abſumendum eſſe docuiſſet: ad mille paſſus ab vrbe caſtra poſuerunt, tormenta retinuerunt, Humerio vt vrbem iniret, permiſerunt. Quum pecunia in ſtipendium allata fuiſſet, vt in decem millia ſtipendium perſolueretur, compulerunt: quamuis multis dilapſis, aut mortuis vix quinque ſupereſſent. Harum omnium ſeditionum Hanſius Ludouicus Laudebergius maioris Vittembergenſium partis præfectus Chriſtophoro regulo propter ætatem conniuente author fuit: idcirco non multò poſt Lugduni comprehenſus capite mulctatus eſt. Octauo Kal. Auguſti Guilielmus Bellaius Langeus Regem Melođuni febre laborantem conuenit, quo in ſtatu res Tranſalpinæ eſſent, docuit:

Noua copia in ſubſidium rerum Tranſalpinarum Regis iuſſu cóparata.

docuit: rarum in vrbibus eſſe commeatum, aliquot menſium ſtipendium deberi; hoſtes multa oppida arceíſque cepiſſe, & adhuc viribus ſuperiores eſſe, & nouum ſemper aliquid moliri; niſi breui ſubueniatur, milites neceſſitati ceſſuros. Rex qui exercitum dimiſerat, Henricum Delphinum, atque Annæum Mommorencium Lugdunum præmiſit: Guilielmi Fuſtembergi ac Nicolai Ruſtici Boſſui cohortes ſequi, equitatum vtriuſque armaturæ ad ſeptimum Kal. Octobris ſe Lugdunum ſiſtere mandauit. Langeo viginti quinque nummûm aureorum millia numerauit, quæ Taurinum ad Buterium perferret.

Non parua erat itineris difficultas, quod Vaſtius Bozolinum, Vilianam, Riuolam, cæteráque oppida, atque arceis Suſam vſque occuparet, cuius arx adhuc à Gallis ſtabat; & Humerius vltra Suſam retroceſſerat. Porrò ea planitie anguſta non magna elabendi dari videbatur facultas: tamen cum Mota Gondrino, & viginti quinque eius leuioribus equitibus ducibus fidis vſus Taurinum decimo octauo Kal. Septemb. peruenit. Stipendio perſoluto finitimi ruſtici oppidaníque pecuniam militibus numeratam intelligentes vberem commeatum in vrbem intulerunt. Interim Vaſtius cum viginti quinque peditum, tribus equitum millibus, duodecim maioribus tormentis, quos canonas; totidem mediocribus, quas colubrinas, vocant, Cherium quinto Kal. Septembr. circumſedit, quo fere tempore Solymanus Corcyram oppugnabat, ac quatriduo murum ita duobus locis proſtrauit, vt vtrobique facilis aſcenſus eſſet. Itaque bipartito impreſſionem fieri, tria verò peditum millia, omnibus ex aliis locis ſcalis erectis, in murum inſilire iuſſit, ac quod non ſatis numeroſum præſidium, nec cohortes præſertim Azalij integræ erant, Cæſariani oppido potiti ſunt. Azalium metu attonitum, nec vbi maius periculum erat, comparuiſſe, nec ſulphureis fomentis ad edendam flammam præparatis ignem in tempore immiſiſſe, vt nihil profuerint; poſtremò pugnanteis ſuos deſeruiſſe, séque in neſcio quas latebras condidiſſe tradunt: quapropter reus poſtea factus iudicum ſententia extremo ſupplicio addictus eſt: tametſi vitam illi Franciſcus condonauit. Cherio expugnato Albam Vaſtius progreſſus eſt: at quod aggeres ponè muros nondum perfecti erant, nec vlla propugnacula extra muros eminebant (ita omnia imperfecta Humerius reliquerat) lata murorum facta ruina ad quam præſidiarij milites accedere non poterant quatuor mediocribus tormentis è monte vltra Tanarum fluuium à tergo pilas ſuas euomentibus, Iulius Vrſinus præfectus militibus ſuis cum armis, omníque ſupellectile abire permiſſis deditionem fecit. Inde Claraſcum peruentum, quod eidem Tanaro imminens quinque ſupra Albam paſſuum millibus in monte ſitum eſt: vnde Tanarus Aſtam verſus, Alexandriámque defluit. Claraſcum vnum dumtaxat aditum circiter centum vlnas latum habet, vbi tormenta collocare Vaſtius coactus murum latè aperuit. Cæſariani irrumpentes, Cæſare Fregoſio cum ſuis fortiter propugnante, bis in foſſas repulſi ſunt. Nocte conſequente alia tormenta in angulum Monteuicum reſpicientem Vaſtius direxit: vnde muro proſtrato Fregoſiani murorum ruinam defendentes in latera petebantur: id adeo euenit, quod Fregoſius in eo angulo nullum altiorem aggerem, qui accedenteis ad murum tegeret, erexerat, nec tum erigendi ſpatium habebat. quapropter ea conditione oppidum dedidit, vt ipſe cum ſuis arma atque omnem ſupellectilem exportantibus ad Gallorum exercitum, aut ad vrbeis ab illis poſſeſſas tuto deduceretur, quod Vaſtius bona fide præſtitit. Biduo ibi exacto Penarolum Vaſtius contendit; cui Franciſcum Pontremulanum Comitem cum quinque Italorum peditum millibus Humerius præfecerat. Hoc in poteſtatem ſuam redacto, & Suſæ anguſtiis valido præſidio inſeſſis, ne Galli Taurino auxilio venirent, ſe viam præcluſiſſe ſperabat: at Penarolum ita munitum viſum eſt, vt vi expugnari non poſſet; hinc longa obſidione ad famem cogendum erat.

Franciſcus exercitum quantum poterat, accelerare, ac ſuperare Alpeis hortatus octauo Idus Octobris Lugdunum iniit; & quod Vaſtium omnem commeatum aut in oppida, arceiſue munitas exportandum curarat, aut omnino corruperat, ex omni Lugdunenſi Gallia, quæ Aruernos etiam Boióſque atque vtramque Marchiam complectitur, ex Delphinatu; ex Phocenſi item Narbonenſíque prouincia iumenta quam plurima colligi potuerunt, omni commeatus genere onuſta, exercitum properè ſequi iuſſit: id qui eius mandatum acceperunt, diligenter exequuti ſunt; quæ ipſe præſidio futurus ſubſequutus eſt. Vanum eſt quod ex Armoricis vrbibus, hoc eſt, ex vltima Britannia minore commeatum aduectum Iouius ſcribit: vix enim intra treis menſes inde ad Alpeis vſque perueniſſet, at tum celeritate opus erat. Ad ſextum Idus Octobr. Delphinus Lugduno profectus, quem Franciſcus Lotharingus Aumallius regulus, qui Claudio patre mortuo poſtea Guiſanus dictus eſt, tum admodum adoleſcens, Annæus Mommorencius Regiæ aulæ, Buria tormentorum

mentorum magiſter, ac quinquagenariæ cataphractorum equitum alæ, & quatuor cohortium præfectus, Monteianes decem Gallorum peditum millium tribunus, Cæſar Fregoſius Hannebaldi leuiorum equitum præfecti, qui captiuus adhuc in Flandria detinebatur, vicem obiens, Briſſacus, comitabantur. Gratianopolim inde Ambrones ac Brannouices petiit, vbi Humerius, ac Malgero abſente Paulino Comite Delphinatus prætor venientem expectabant. Hi tria Delphinatis legionis millia, ac reliquias Humeriani exercitus habebant: quibus adiunctis Guilielmi Fuſtembergi cohortibus, quæ octo peditum millia conficiebant, Delphinus Vrſium vſque proceſſit: quod inter Brannouicum, Suſámque intermedium ab vtroque octo paſſuum millibus diſtat: quò equitatus omnis, peditatúſque conuenire debebat. Totam hanc hiſtoriam Iouius planè confundit: primum enim libro triceſimo ſeptimo Regij exercitus Delphino duce tranſitum in Galliam Tranſalpinam deſcribit: deinde libro triceſimo octauo Humerium eodem contendentem inducit, quum Humerius præceſſerit, Delphinus ſequutus ſit. Vrſij relicto Delphino Mommorencius cum parte exercitus Eſſillum progreſſus eſt, vt munitiones à Cæſare Maſſio, Camilloque Columna nuper extructas propius inſpiceret. Hæ Suſa mille paſſus diſtabant, & viam, qua Suſa proficiſcentibus Calmontium petitur, claudebant. Calmontium autem vltimus Delphinatis agri vicus eundem à Suſanno Marchionatu ſeparat: ſed duo vicini colles prioribus à Cæſarianis inſeſſis altiores erant, quos ſi Galli occuparent, hoſteis è ſuis munitionibus facilè depellerent: id primus Buria tormentorum magiſter animaduertit. Mommorencius itaque Vrſium reuerſus relicto ibi cum exercitus parte Delphino aſſumptis ſecum Heluetiorum aliquot, Fuſtembergique cohortibus, mille ducentis Gallis peditibus qui è Tranſalpina Gallia redierant, tribus item Delphinatis legionis millibus, ac Briſſaco cum centum leuioribus equitibus, & nonnullis viris nobilibus, qui cæteros anteuerterant, Calmontium adiit: inde Fuſtembergum cum ſuis cohortibus dextrum collem, Gallos læuum Cæſarianorum duo ſubiecta propugnacula deſpectanteis petere iuſſit: ipſe medius in valle inceſſit. Galli Germanis agiliores anteuerterunt, ac priores læuum montem conſcenderunt: vnde maioribus præſertim ſclopetis furcis impoſitis Cæſarianos è ſubiecto propugnaculo prius depulerunt, quam Germani dextrum conſcendiſſent. Hinc Cæſariani relictis ſuis munitionibus Suſam verſus aufugerunt, quos noſtri tam acriter perſequuti ſunt, vt ibi conſiſtere non auderent: quod ſi noſtri ducentos cataphractos equites, aut quingentos leuiores habuiſſent, qui fugientes remorari aliquantum potuiſſent, perpauci ſanè euaſiſſent; tametſi ad decem millia fuiſſe traduntur, & ſatis magna ſtrages facta eſt.

18 Delphinus ac Mommorencius ad vicum inter Suſam Boſſolinúmque intermedium tormenta, & cæterum exercitum expectantes caſtra poſuerunt. Buria bis in Suſanam arcem exoneratis duobus maioribus tormentis præſidiarios milites deditionem facere coegit, qui ſine armis cum ſola interiore tunica dimiſſi ſunt. *Suſanæ arcis deditio.* Delphinus cætero exercitu appulſo præter multas Heluetiorum cohortes, quas Tendanus Comes adducebat, Vilianam contendit cum Vaſtio, qui adhuc ad Riuolam conſederat, prælio decertaturus: at is Moncalerium retroceſſit. Vilianam arcem ducenti Hiſpani inſederant, quam in extrema parte montis ſitam vix tormenta verberare poſſe videbantur: at Buria eandem ambiens montem paulò quidem longius diſtantem, ſed ferè æquè altum, qui Fanum Michaëlis reſpiciebat, deprehendit: vbi tormenta ſatis commodè locarentur: illuc duo maiora Heluetij, Germanique funibus trahentes perduxerunt, quæ ſtatim arcis murum latè perruperunt. Hinc præſidiarij Hiſpani humo, ac fimo ad vallum opponendum carentes deditionem, verum tardius, facere voluerunt. Galli enim pedites ſcalis conſcendentes in arcem per ruinam murorum ingreſſi omnes præter præfectum, ac ſigniferum peremerunt; quos Mommorencius cæteris exemplo futuros in crucem tolli iuſſit. *Viliana arx à Gallis expugnata omnibus quotquot in ea inuenti ſunt trucidatis.* Iouius præfectum conſeruatum & Regiæ militiæ aſcriptum falsò ſcribit: maior enim Martino Bellaio, qui tum aderat, fides adhibenda eſt: ſed & plerique, qui illi expeditioni interfuerunt, idem nobis teſtati ſunt. pridie Kal. Nouembris Galli ad Riuolam caſtra metati ſunt, vnde tam repente Vaſtius diſceſſerat, vt ægrotos relinqueret, nec corrumpendi commeatus ſpatium haberet: ibi biduum conſederunt, vbi omnis exercitus præter quatuor, aut quinque Heluetiorum millia, qui adhuc in itinere erant, coiit. Ibidem conſultatum fuit, an Vaſtium perſequerentur, an potius Vulpianum, Chiuaſium, Vercellas non iuſtis præſidiis firmatas oppugnarent. Grouillianum oppidulum tribus paſſuum millibus Taurino, totidem Moncalerio diſtans poſtridie noſtri adierunt, quod vtrumuis iter perſequentibus peropportunum erat. Delphinus Vaſtium ad Moncalerium caſtra habere citra pontem Pado impoſitum,

ſtum, vt quum vellet, ſe tuto reciperet, certior factus illuc omnem exercitum vt vel prælio decerneret, vel vt Vaſtium quaſi fugientem retrocedere cogeret, tendere imperauit. Quum ad planitiem Pado contiguam ventum eſſet, factæ leuiores aliquot equitum pugnæ. interim Vaſtius vltra Padum euaſit, pontémque, ne noſtri abeuntem perſequerentur, interſcidit. Delphinus, ac Mommorencius Carinianũ iter inſtituerunt præſidio ad pontem Moncalerianum relicto, & ponte Cariniani inſtaurato fluuium tranſmiſerunt. at Moncalerіani ſub noctem Guilielmum Bellaium Langeum adierunt & Vaſtium illic, vt antea deliberarat, conſiſtere non auſum Cherium cum exercitu abiiſſe, ac magnam farinæ, viníque copiam reliquiſſe renuntiarunt, & pontem ſuum illa ipſa nocte refecerunt: itaque Langeus præſidio ad pontem relicto Moncalerium iniit & Delphinum dediti Moncalerij admonuit.

Petrum Ciconium Inſubrem tantum commeatum Moncalerij præter Vaſtij ſententiam congeſſiſſe Iouius ſcribit, idcircóque Vaſtium bobus Ciconianos carros triticum ex oppido exportanteis trahentibus crura præſcidiſſe vt maiore damno Ciconius afficeretur: vnde Langeus non illepidè ad Regem ſcripſerit, illum eo die luculentiſſimè Moncalerij cœnaturum: quod Vaſtius & Ciconius piſtoris, & cauponis, quinetiam lanij operam præſtitiſſent: quaſi vero Rex tum in ſuo exercitu fuiſſet. at ille adhuc apud Brannouices agebat, nec prius inde, quam Delphinus Carinianum iniiſſet, profectus eſt, vt illo die Moncalerij cœnare non poſſet. Vide optime lector quas fabulas ſuæ hiſtoriæ Iouius intexit; & hanc quidem, vt Vaſtium excuſet, qui primum noſtros ad Moncalerium fluuij tranſitu prohibere ſtatuit: deinde animo fractus id experiri auſus non eſt. Subſtiterat igitur ad Brannouicum vrbem Franciſcus non multis comitatus, ad quem miſſæ aliquot equitum turmæ eundem Carinianum deduxerunt. Eò reuerſi, & cum Rege colloquuti Delphinus, ac Mommorencius communicatis conſiliis Cherium oppugnandum cenſuerunt. Quum in Flandria nuper factæ induciæ fuiſſent, Mariæ Hungariæ Reginæ legatos per Galliam ad Cæſarem fratrem mittere permiſſum fuit. Eodem eadem de cauſa legatos ſuos miſit & Franciſcus: vtrique ita prudenter ſe geſſerunt, vt inducias in eam quam ſubiiciemus formam paciſcerentur. [Quæ Cæſar ac Rex eo die, quo publicè induciæ pronuntiabuntur in Subalpina regione, quam Pedemontanam vulgo nominant, poſſident, in poſterum toto induciarum tempore poſſidento. In vrbibus, quæ Cæſari parent, ea præſidia imponuntor, quæ Vaſtius Cæſaris legatus imponi volet. in his quæ Regi parent, quæ Mommorencius Regiæ aulæ magiſter imponenda iudicabit: in eaſdem vrbeis commeatus, cæteráque ad illas conſeruandas neceſſaria importare, in his veteres inſtaurare, nouas omnis generis munitiones extruere prout earum præfecti iudicabunt, vtriſque fas eſto, neutris alteris impedimento futuris. Si qua difficultas interueniet, de ea Vaſtij & Mommorencij iudicium ratum eſto: ſi abſentes erunt, Cæſarianus, Regiúſque legatus idem ius habento. Exercitus poſtridie vtrimque dimittuntor: induciæ in octauum Kal. Martias proximas ratæ ſunto.]

Acta fuerunt hæc Carmagnolæ quarto Kal. Decembris anno huius decimi ſexti ſæculi triceſimo ſeptimo; quo die induciæ Carmagnolæ vbi tum Rex erat, Aſtæque vbi Vaſtius proclamatæ fuerunt: triduo poſt Vaſtius Carmagnolam ad Regem ſalutandum acceſſit, & humaniter exceptus eſt. Rex in Galliam reuerſurus Monteianem in Subalpinis illis vrbibus legatum ſuum reliquit: Guilielmum Bellaium Langeum Taurino, Penarolo Franciſcum Pontremulanum Comitem, Sabiniano Caſtelperſium, Monteuico Carolum Droſium Inſubrem, qui eam vrbem in Regis poteſtatem redegerat, eandémque prudenter conſeruarat, tum quum Cæſariani viribus ſuperiores erant, Vorlino Ludouicum Biragum præfecit. Deinde relicto Carmagnolæ Nicolao Ruſtico Boſſuo cum ſuis cohortibus, aſſumpto verò ſecum Guilielmo Fuſtembergo cum ſuis item cohortibus, per Delphinates Lugdunum rediit: vnde paucis pòſt diebus Ioannem Lotharingum Cardinalem, atque Annæum Mommorencium Leucatam Narbonenſis prouinciæ oppidum miſit, vt cum Cæſarianis Nicolao Granuellano Cancellario, ac Commendatario Cannenſi de pace tractarent: vbi poſt multas diſceptationes inducias in ſex dumtaxat menſes prorogarunt à prioribus finitis, hoc eſt à die octauo Kal. Martias numerandas, & ad Regem Molinas Boij agri vrbem anni huius ſæculi triceſimi octaui initio progreſſum Februario menſe redierunt. Sed antequam hunc annum exequar, pauca quæ ſuperiore in aliis regionibus geſta ſunt breuiter enarranda arbitror. Bellum Hetruſcum in primis quod Florentini exules aduerſus Coſmum nouum regulum ſuſcitarunt. Suffectus fuerat in locum Alexandri propinqui Medices Coſmus: Florentinam arcem Alexander Vitellius pulſo Paulo

Antonio

Antonio Parmenſi præfecto ignauo homine occuparat, & Cæſari niſi ex eius decreto ſe nemini traditurum promiſerat: vtrumque ægrè ferebat Paulus Pontifex, vel quod Alexander ob diuenditam Hippolyti Cardinalis ſupellectilem, nec ſibi certa pecunia redimi permiſſam familiæ Farneſiæ oppida ſe populaturum iactauerat, & Coſmum earundem inimicitiarum vti & principatus hæredem fore ſuſpicabatur: vel quod Cæſarem in Mediceos propendere exiſtimabat; & magis à principe ſubirato, & Cæſarianis auxiliis ſuperbo, quam à libera Repub. ſibi timebat. Itaque Saluiatum, Ridulphum, Gaddium Cardinales ad recuperandam patriæ libertatem hortatur: illi rem cum Florentinis exulibus, & Matiſconenſi Pontifice Regis apud Paulum legato communicant pecuniam in bellum confert Matiſconenſis, & Ioannem Paulum Ceritem Rentij filium copias in Vmbria, & cæteris Pontificiis ditionibus conſcribere, Aretiúmque petere iubet, quod Paulus clam permittit.

21 Cardinales ex vrbe profecti Florentiam contendunt, familiares ſuos, & ciues Mediceæ familiæ infeſtos ad ſe pellicere conantur: Coſmo Saluiatus Cardinalis auunculus, vt depoſita ambitione patriæ libertatem reſtituat, Ducis, aut Principis inuidioſis nominibus abſtineat, perſuadere nititur, primarij ciuis honore, vti eius maiores, contentus ſit, qui patriæ libertatem opprimunt, verè tyrannos dici; paucos ex his vi quæſito dominatu diu potitos: Alexandri recens exemplum eſſe, vt vetera in memoriam reduci neceſſe non ſit. Ad hæc adoleſcens inſolens, & patre inſolentiſſimo genitus, qui ſe Florentiæ principem vel diis inuitis fore plerumque iactauerat, & diis volentibus, & ſe contemptos velut vlciſcentibus alterum & viceſimum annum agens cæſus fuerat, Florentiæ principatum à ſuis ciuibus oblatum ſe repudiare noluiſſe reſpondit: ſe Cæſare auſpice, & propugnatore collatam dignitatem retenturum, aut extrema omnia ſubiturum. Iam Cardinalis ſe nihil aſſequuturum agnoſcebat, eúmque præcipitati ſui aduentus pœnitebat: milites enim à Coſmo intromiſſi, eius cæterorúmque Cardinalium domos interdiu, noctúque circumibant, & qui ad illos adirent, diligenter obſeruabant. poſtremò vt Cardinales ex vrbe excederent, Coſmus iuſſit. Illi Bononiam ſeceſſerunt; Philippum Strozzam obuium habuerunt, quicum communicatis conſiliis patriæ libertatem quandoquidem aliter recuperare non poſſent, bello repetendam cenſuerunt. belli ſuſcipiendi author, & dux Petrus Strozza fuit, qui etiam Philippum patrem quodam modo inuitum, (nunquam enim militiæ aſſuetus fuerat) in id bellum pertraxiſſe fertur. Is cum paucis cohortibus Burgum ſepulchri (vt vocant) Seſtinúmque intercipere tentauit; vnde repulſus bellum hactenus diſtulit, quoad maiores copias coegiſſet. Interim Coſmus & firma præſidia ſibi comparauit, & à Cæſare diploma quo Principis, & Ducis titulis, quemadmodum paulò ante Alexander ornabatur, impetrauit: quinetiam & Margaritam Alexandri viduam ſibi deſponderi poſtulauit, quam Cæſar Octauio Farneſio tametſi duodecim annorum puero deſponſam reſpondit. Ne vero Coſmus repulſam paſſus à ſe abalienaretur, arcem Florentinam aliquandiu retinuit: Ferdinandi enim materni aui ſimilis conſilia ſua fere vtilitate metiebatur. Florentini exules, inter quos Petrus Strozza, ac Bernardus Cardinalis Saluiati frater præcipui duces erant, bellum renouantes conſcriptis ad Mirandulam copiis per Bononienſem agrum, vbi eaſdem Paulo Pontifice clam fauente multùm auxerunt, Florentiam contenderunt. Quum Apenninum propemodum ſuperaſſent, Philippus Strozza, ac Bartholomæus Valorius, nonnullíque alij exulum principes exercitum anteuertentes ad montem Murſium in Apennini radicibus ſitum, qua Hetruriæ compos reſpicit, feſtinarunt, qui Piſtorio ſeptem, tribus Prato paſſuum millibus diſtat. In montis Murſij faſtigio domus duplici ſed vetere muro inſtar arcis cincta, at parum munita erat: his quod pauci, & inermes acceſſiſſent Petrus Strozza à maiore exercitu ſeparatus ſubſidio venit, & ad montis radices iuxta militarem viam conſedit.

22 Horum certior factus Coſmus prima vigilia copias ſuas Pratum mittit, Vitellio, Sarmento Hiſpano * * Pyrrho, Rodolpho Balcono ducibus: vbi intra ſemihoram ſumpto cibo ad Petri Strozzæ caſtra properarunt. In inſidiis Pratum verſus Sandrinum Filicarium cum aliquot ſclopetariis in Peruſiana villa Strozza collocarat, quod Poetius equitum præfectus Prato egreſſus in ſuos excurſionem fecerat, & Prati ducentos equites, ac peditum ſclopetariorum cohortem dumtaxat ineſſe ratus Sandrino iniunxerat, vt hoſteis præterire fineret, prætergreſſos à tergo adoriretur, ſe in tempore à fronte irrupturum. Sandrinus Florentinum exercitum præterire paſſus, quem longè numeroſiorem, quam putarat, licet in tenebris, eſſe animaduerteret (ſolum enim Pratenſe præſidium

 expectabat)

xpectabat) aggredi auſus non eſt: alia via, ſed anfractuoſa ad Strozzam, qui paululum rogreſſus ad torrentis pontem caſtra habebat, ſe recipere tentauit. At Coſmiani equites nteruerterunt, & Strozzæ caſtra nullo vallo, foſsáue munita improuiſo inuaſerunt, peitibúſque properè ſequentibus tormentis potiti ſunt: & Strozzeanos vel ceciderunt, vel iiſiparunt. Petrus Strozza cum paucis elapſus ad Saluiati caſtra vix quatuor paſſuum nillibus diſtantia confugit, qui iam in itinere erat; huic vt hoſteis diſſolutos, & prædæ raiendæ intentos adoriretur, ſuadere conatus eſt. Saluiatus vel animo fractus, vel ſuis non atis fidens remenſo Apennino per Ferrarienſis ditionis Mirandulam rediit. Parta victoia Coſmiani arcem, ſiue domum Murlianam adorti paucis & quidem metu attonitis eſiſtentibus non magno labore ceperunt: comprehenſos Strozzam, Valorium, cæteróſque exulum principes Florentiam miſerunt, qui paulò poſt in carcere ſtrangulati ſunt hilippo Strozza excepto, quem Coſmus in arcem condidit ob hominis dignitatem, ionoratáſque cognationes Cæſaris iudicium expectans. Deinde quum arcem de manlato Cæſaris Ioanni Lunæ tradidiſſet, Coſmus intentis precibus à Cæſare contendit, vt ibi de Hippolyti Cardinalis, atque Alexandri nece quæſituro Strozza condonaretur; juod & impetrauit. Strozza ſe Coſmo condonatum certior factus, cuius atrox ingenium louerat, in gladium incubuit, & ſe è tormentis eripuit. Hippolytus Alexandri fratris celere veneno ſublatus ferebatur. Alexandri cæſi ſolus Laurentius conſcius fuerat, hoo enim ſuſpicioſus neminem ſui conſilij participem fecerat. Coſmus natura, & metu ſæuus inimicos ſine immanibus tormentis mori nolebat, & familiæ dedecus in alios deriuare cupiebat.

Hic Coſmus non ab illo Coſmo, qui Mediceam familiam antea obſcuram primus ce- 23 lebrem reddiderat, ſed ab eius fratre Laurentio originem duxit; qui quum principatus initio modeſtiæ laudem quærens ſe duodecim nummûm aureorum millibus è publico accipiendis in familiæ cultum ſe contentum fore declaraſſet (nam octodecim Alexander accipere ſolebat) ſucceſſu temporis duodecim illa ad duodecies centena millia perduxit. Pontificatus initio nepotes ſuos adoleſcenteis in Cardinalium collegium adoptarat Paulus Tertius Pontifex Maximus. In eundem ordinem Gaſparem Contarenum patritium, & Senatorem Venetum, ac Reginaldum Polum Anglum viros doctos & nihil tale ambientes, Ioannem Bellaium Pariſienſem Pontificem virum item eruditum & in multis legationibus verſatum, Federicum Fregoſium Ligurem allegit; quibus raro temporis interiecto interuallo Sadoletum, Aleandrum, Bembum addidit. De Eraſmo Roterodamo cogitaſſe traditur, cuius tum celeberrima eruditio erat, vti eius monumenta teſtantur: ſed quoniam inter veteris perſuaſionis propugnatores, & Proteſtantes (vt hoc vocabulum paſſim vſurpatum Latinum faciamus & proteſtari palam teſtari vt proclamare palam clamare, & profiteri palam & coram multis fateri interpretemur) vacillare videbatur, hunc tandem prāteriuit. Concilium in Kalend. Nouemb. Paulus Pontifex diſtulerat, nec quo loco coiret pronuntiarat. Federicus Mantuæ regulus, quo concilium indictum erat, præſidio vrbem muniri volebat, & ſumptus in id depoſcebat; ne qui fortaſſe eo conuenirent nec reciperentur, ſe timere Paulus obtendebat. Sub finem ſuperioris anni Mathias Heldus Procancellarius, vt vulgari verbo vtar, à Cæſare Genua in Hiſpaniam traiecturo ad Ferdinandum fratrem Romanorum Regem Viennam miſſus erat, vt vltra cætera ſuæ legationis munia Proteſtanteis ad concilium conuenire procuraret. Vienna menſe Ianuario profectus Smacaldiam, vbi Proteſtantium conuentus agebatur, ſe contulit, & aliis deinde conuentibus interfuit. Quum totum hunc annum in Germania fruſtra conſumpſiſſet, nihil profecit, & re infecta ad Cæſarem rediit; prius tamen quam rediret, conuentum Nuribergæ habuit, vbi Moguntinus, ac Salisburgenſis Pontifices, Guilhelmus, ac Ludouicus Bauari, Georgius Saxo, Ericus, & Henricus Brunſuicenſes in annos vndecim fœdus inierunt, vt ſi cui Romanæ perſuaſionis ergo moleſtia fieret, paratum auxilium eſſet.

Huius fœderis authores Cæſarem, ac Ferdinandum Heldus nominabat: Galliæ, atque 24 Angliæ Reges Proteſtantibus aſſentientibus, aut potius flagitantibus vt concilium in Germania celebraretur, inſtabant: ille vt aliquam moram necteret, & diſſenſiones inter Cæſarem, Proteſtanteiſque commoueret: iſte quod à Romana perſuaſione defeciſſet, & opulenta monachorũ cœnobia expilaſſet, eorúmque prouentus ad ſuum fiſcũ redegiſſet. Vterque Cæſari variis de cauſis infeſtus erat: Paulus vt ſuum in celebrando concilio ſtudium declararet, aliquod veluti futuri concilij prooemium fieri iuſſit, & Gaſparem Cõtarenum, Petrum Theatinum, Iacobum Sadoletum, Reginaldum Polum Cardinales, Federicum Salernitanum,

Digitized by Google

Salernitanum, Hieronymum Aleandrum Brunduſinum, Ioannem Matthæum Veronenſem Pontifices, Gregorium Venetum Abbatem, Thomam ſacri palatij magiſtrum delegit qui veterem virorum ſacris miniſteriis addictorum diſciplinam, inſtaurarent, ſcriptóque mandarent. Scriptum illi Paulo obtulerunt, ſed is publicè edi non permiſit; multò verò minùs ratum habere voluit: idcirco ſingula eius capita enumerare ſuperuacaneum eſſe duxi: quum tamen eius exemplum in Germaniam neſcio quomodo perueniſſet, eidem Martinus Lutherus vernacula, Ioannes Sturnius Latina eloquentia reſpõderunt. Paulus ne auerſari concilium videretur, id à Kal. Nouembribus in Maias prorogatum Vicentiam Venetæ ditionis vrbem indixit: treis ſubinde legatos deſignauit, Campegium, Simonetam, Brunduſinum Cardinales. Menſe Octobri Ioanna Semera Regina Angliæ Eduardum peperit, & paucis poſt diebus fato functa eſt: Cardinalem Lotharingum, atque Annæum Mommorencium ſub finem ſuperioris anni Leucatam miſſos inducias, aut potius à bello vacationem in ſex menſes prorogaſſe, & interim eadem de cauſa, hoc eſt, vniuerſæ pacis conſtituendæ ergo iterum ſe conuenturos promiſiſſe ſupra ſcripſimus. *Vicẽtia concilio celebrãdo deſignata.*

25 Interim triceſimi octaui huius ſæculi anni initio Rex Molinas acceſſit, ibidémque aliquamdiu cõmoratus eſt: reuerſum menſe Februario è Narbonenſi Gallia Mõmorencium equitum magiſtrum creauit, qui ſummus in Gallia magiſtratus eſt, nec cuiquam à morte Ludouici Lucceburgenſis ad Ioãnem Borbonium, deinde ad Carolum vltimum Boiorum regulum non ita dudum Gallia pulſum condonatus. quam rarò excellens virtus à principibus vera virtute non præditis, & adulatoribus deditis pro dignitate colitur. Mommorencius rerum bellicarum imperitiſſimus, &, vt poſtea experientia docuit, dux infeliciſſimus equitum magiſter creatur: at Aubignius Mareſchallus & Biezius, ac Bonauallius de quorum potiſſimum conſilio & caſtra ad Auenionem Mommorencius collocarat, & cæteris Phocenſis prouinciæ vrbibus prouiderat, præmia nulla retulerunt. Creantur & Mareſchalli Claudius Hannebaldus vir ſtrenuus, ac valde probus, & Monteianes, cuius ingenium ſatis ante deſcripſimus. Poſt tot induciarum prorogationes per totam fere hyemem vt Cæſar, ac Rex in colloquium venirent Paulus Pontifex laborauit, quod in ſequentem Iunium dilatum eſt: at ſub finem Martij Proteſtantes de rebus ad ſuum fœdus pertinentibus conuentum Brunſuici egerunt; & Chriſtianum Daniæ Regem Federici filium, ac Ioannem Marchionem Brandeburgenſem Ioachimi Electoris fratrem in ſocietatem receperunt. Albertum Pruſſiæ principem quod à Senatu Spirenſi (quam Imperialem Cameram vocant) proſcriptus erat, recipere noluerunt; ſe tamen illi fauturos, eundémque, qua poſſent, beneuolentia proſequuturos promiſerunt. Menſe Maio Paulus Pontifex Roma profectus Alexandriam, vbi à Vaſtio Cæſaris legato honorificè exceptus eſt, inde Niceam, ſiue Niciam Allobrogum colloquio deſtinatam contendit. Cæſar ex Hiſpaniis Auriana claſſe vectus ad Monoeci Herculis portum (Villafrancam hodie vocant) traiecit: Rex Villanouam citra Varũm terreſtri itinere equis vectus peruenit, deinde ad Niciam ad condictum Iunij diem coierunt; ita tamen vt Cæſar, ac Rex nullo modo ſe inuiſerint: priuatim & ſeparatim Paulum in villa ſuburbana adorarint. Is Octauium Farneſium nondum duodecimum ſuæ ætatis annum implentem Margaritam Cæſaris filiam notham Alexandri Medicis viduam vxorẽ ducere, & Victoriam Octauij ſororem Antonio Vindocinenſi regulo è Regia ſtirpe Franciſco Regi proximo, collocare cupiebat: ſiue hac, ſiue alia de cauſa nunquam Cæſar, ac Rex conuenerunt. Conuentum ſuum ad Foſſas Marianas diſtulerunt; ſperabat Allobrox cum vtroque arcta propinquitate coniunctus & ab vtroque ſpoliatus ſe in integrum reſtitutum iri, ſed eius nulla habita ratio fuit: vterque magis ambitioni ſuæ, quàm æquitati addictus fuit. Contendit ab iis Pontifex vt Vicentiam ad concilium accederent, aut ſaltem, quos ſecum haberent proceres eccleſiaſticos eò mitterent, abſenteis euocarent. Quum illi vtrumque excuſaſſent, & Pontificij legati Vicentiam miſſi magnam ibi ſolitudinem eſſe renuntiarent, Paulus inter redeundum litteris Genuæ editis concilium in ſequentis anni diem Chriſto reſurgenti ſacrum prorogauit.

Anno 1538.

Chriſtianus Daniæ Rex.

Trium maximorum totius Chriſtianiſmi Principum ad Niceam Allobrogum congreſſus.

26 Antequam ad alia tranſeam inſigne Iouij mendacium notandum putaui. Dum Niceæ conuentus agitur Vaſtium è morbo languẽtem viros principatus Mediolanenſis nobiliores ſibi commendaſſe, quos eius vicem obiens Regi offerret; Regem oblatos humaniſſimè excepiſſe ſcribit: quaſi vero is Regi tam familiaris, aut ea authoritate eſſet, vt omiſſis multis principibus Cæſarem comitantibus id munus Iouio egenti Pontifici (vt fere Itali ſunt) & profeſſione medico, nec de facie Regi noto id munus Vaſtius delegaret. Pleraque huiuſmodi mendacia iactator hic ſuis ſcriptis falsò inſerere ſolet, vt ſe poſteritati veritatis ignaræ venditet. In eo conuentu Margarita Cæſaris filia notha Octauio Farneſio

uodecim annorum puero licèt inuita deſponſa eſt, Coſmo Florentino repulſam paſ-
ſo: quinetiam vt Victoria Octauij ſoror Coſmo nuberet, Cæſar impediuit, ne Romanæ
opes cum Florentinis coniungerentur: ne tamen Coſmum à ſe penitus abalienaret, ei
Heleonoram Petri Toletani Proregis Neapolitani filiam collocauit: Petro Ludouico
Farneſio Pauli filio Nouariam condonauit, vt Pontificem ſibi prorſus adiungeret; ita
vt omnem Italiam vel vi, vel affinitatibus ſibi parere cogeret. Conſilia ſua moderabatur,
ſperatum cum Rege colloquium ad Foſſas Marianas diſtuliſſe ferebatur, vt facilius Re-
gis ſimplicis credulitate abuteretur, eidémque vanam de recipiendo Mediolanenſi prin-
cipatu ſpem relinqueret: quod non ita commodè ſe Niceæ perfecturum ſperabat, vbi ſi
eam ſpem Franciſco inieciſſet, Franciſcus, vt apertus erat, Pontificem non celaſſet: Pon-
tifex Franciſco Cæſarem nunquam Mediolanenſi principatu ceſſurum confirmaſſet. Pau-
lus quum ante dimiſſum conuentum vt Cæſar, ac Rex ſimul colloquerentur, obtinere
non potuiſſet, vt in decennium inducias paciſcerentur, impetrauit: tametſi in nouem
duntaxat annos pactas Iouius ſcribit: idcirco Paulum Romam Auguſti menſis initio
reuerſum Romani triumphali quadam pompa exceperunt, quod tam longas inducias
pace, vt videbatur, certiores inter tantos principes confeciſſet. Ad eundem conuentum
acceſſerunt, vltra veteres, & duo recentes legati Veneti Nicolaus Teupulus, ac M. An-
tonius Cornelius, qui claſſem Venetam ad nauigandum paratam eſſe denuntiarunt: ora-
bant vt Pontificia, ac Cæſariana, antequam æſtas efflueret, vnà coirent, & aliquod ope-
ræpretium facerent: ſiquidem ibi de nauali expeditione in Turcas inter Pontificem, Cæ-
ſarémque actum fuerat.

Iunij menſis initio quum tres maximi totius Chriſtianiſmi principes Niceæ conue- 17
nerunt, Ioachimus Brandeburgenſis Ioachimi Electoris filius, qui Sigiſmundi Poloniæ
Regis filiam Ioannis Vaiuodæ Hungariæ Regis neptem in matrimonio habebat, Eu-
ſtachium Schleſium legatum ad Saxonem Electorem miſit, & ſocerum & vxoris mater-
num auum Vaiuodam, qui Ferdinando Cæſaris fratri reconciliari cupiebat, ſibi ſignifi-
caſſe dixit Solymanum belli magnos inſtruere apparatus, vt Budam occupet, atque in-
de in Germaniam irrumpat. Id Solymanum Vaiuodæ, Vaiuodam ſibi indicaſſe aſſeuera-
uit: & quandoquidem in Imperij comitiis Ioachimo patri mandatum fuit, vt quicquid de
rebus Turcicis cognouiſſet, ad cæteros ordines referret, ad Ferdinandum Regem ſe con-
ſuluiſſe, qui eadem per litteras, & nuncios acceperat: nullos à Buda ad principatus ſui me-
tas fluuios, nullas montium anguſtias, nullas vrbeis barbari Tyranni impetum remoratu-
ras; niſi fortè Vratiſlania, & Lignicium paululum reſiſtant. Quis enim Morauiæ, ac Si-
leſiæ ſitus, quæ ſit fertilitas in latam planitiem extenſa omneis finitimos noſſe: ſe qui-
dem Ferdinando auxilia promiſiſſe, ſed niſi totius Imperij coniunctæ vires coeant, Ty-
ranno tam potenti reſiſti nullo modo poſſe; quæ niſi firma pace bene conſtituta coire
nequeunt. Ad ea Ferdinandum vt pacis ineundæ rationes exponeret, reſpondiſſe: ſe
apud Cæſarem interceſſurum, & vt certa pax conſtituatur, ſedulo laboraturum. Saxo
rem cum Lantgrauio communicat: deinde ambo ad Brandeburgenſem pridie Idus Iu-
nij ſcribunt: Solymani eam eſſe potentiam vt merito Chriſtianos præſertim finitimos
admonere debeat, ne imparati opprimantur, verum & ſibi quoque priuatim conſulen-
dum: vicinos Romanæ perſuaſionis principes ſuſpectos habere, nec auxilia conferre
poſſe quamdiu ab illis ſibi timendum erit: ſe tamen ſociorum Proteſtantium conuen-
tum Iſenacum, quod Thuringiæ oppidum eſt, ad diem nonum Kal. Auguſti indicturos:
Brandeburgenſem operæpretium facturum, ſi curet, vt Cæſar, ac Ferdinandus illuc le-
gatos ſuos mittant. In eo conuentu nihil memoria dignum geſtum, niſi quod proteſtan-
tes ſe de concordiæ rationibus acturos, modo Cæſaris interueniat mandatum, nonis Au-
guſti Ferdinando reſponderunt. Cæſar à Ferdinando admonitus litteris ad ſeptimum Kal.
Decembris Toleti datis reſpondet, ſibi nihil acceptius eſſe, quàm vt diſſidia omnia tol-
lantur, pax certa confirmetur: idem Franciſci Galliæ Regis ſtudium eſſe, quicum hac
ipſa de re non ita dudum in Gallia communicarit: & quoniam Proteſtantes in id ipſum
quoque propendent, ſe Londenſem Pontificem, ac Mathiam Heldum, aut ex iis alterum
conſtituere legatos, qui vnà cum Ferdinandi fratris conſiliariis, & principibus interceſſo-
ribus de tota re pertractent; quicquid illi decreuerint, ſe ratum habiturum. hinc conuen-
tus ad Forum Francorum ad pridie Idus Februarij ſequentis anni indictus. Londenſis
Pontifex Chriſtierno Daniæ Regi à conſilio fuit: Chriſtierno regno pulſo Pontificatu
motus ad Cæſarem confugit, cuius opera Conſtantienſis Pontifex creatus eſt.

Carolus Edmũdanus Gueldriæ regulus quum ſemper Gallicarum partium fuiſſet, Cæ- 18
ſarianis

 Anno 1538.

fariatis ditionibus infeſtiſſimus, & ſe à morte non multum abeſſe iudicaret, Gueldriam in Galli Regis ditionem transferre voluit: vnde à populo tumultuante, ac rebellante excluſus vix vnum, & alterum oppidum retinuit. Eò neceſſitatis adductus Guilielmum Cliuenſem propinquum de populi conſenſu hæredem inſtituit, Cæſare multum indignante, qui ius in Gueldriam ſibi vendicabat, vt alio loco fuſius ediſſeremus. Quum Nicea profectus ad nauigandum ſe compararet Cæſar, ad eum Mediolanenſium legatio acceſſit, cuius Archintus populari eloquentia celebris princeps fuit. Is Mediolanenſium calamitates deplorans Hiſpanorum militum, quod ſe ſtipendiis fraudatos obtenderent, latrocinia expoſuit, qui ad Galeritam oppidum veluti caſtra metati omnem regionem prædæ haberent: nunquam rem Mediolanenſem peiore loco fuiſſe, quum recentibus induciis aliquem malis ſuis finem affore ſperarent, truculentius, quam flagrante bello ſecum agi: Hiſpanos bonis aliorum rapiendis aſſuetos audito pacis, aut longarum induciarum nomine quadam deſperatione, aut potius rabie in innocentium fortunas violenter irrumpere. Si iuſta illis ſtipendia debentur, æquum eſſe, vt perſoluantur: ſi non debentur, aut facinoroſiſſimorum latronum rapinas compeſcat Cæſar, aut Mediolanenſibus vt illatas ſibi iniurias vlciſcantur, permittat. Poſtrema hac oratione offenſus Cæſar, quod minari defectionem Mediolanenſes viderentur, Archintum quodam modo auerſatus ad Nicolaum Peronotum Granuellanum remiſit. Granuellanus hominem acriter obiurgauit, quod liberius apud Cæſarem conqueſtus fuiſſet: litteras Cæſaris ad Vaſtium dedit, quibus vt prouinciæ malis aliqua pactione mederetur, Vaſtius admonebatur; nec aliud quicquam Archintus impetrare potuit. Et niſi recentes induciæ Mediolanenſes deterruiſſent, ad defectionem quadam deſperatione paratos eſſe conſtabat: iam enim reiecti Gallorum imperij quod longè modeſtius erat, omnibus fortunis ſpoliatos, ac penitus exhauſtos pœnitebat. Vt ſeditioſorum militum tumultum ſedaret, Vaſtius certam pecuniam prouinciæ imperauit, filium obſidem obtulit; vt interim dum pecunia repræſentatur, à rapinis abſtinerent: conuenit, vt pecunia accepta militum altera pars quæ quinque millia implebat, Liguriam peteret; vt claſſem, quæ aduerſus Turcas parabatur, conſcenderet: cæteri in vltimam Germaniam deducerentur, & in Pannoniæ præſidia diſtribuerentur: ſic enim Cæſar iubebat.

Mediolanenſium de Hiſpanis militibus querimonia.

29 Sub æſtatis finem Antonius Burgus Cancellarius aulicorum equitum turba oppreſſus, & mulæ lapſu humi proſtratus fato functus eſt: cui ſucceſſit Guilielmus Poietus homo vernacula eloquentia facundus, ſed ingenio maligno, prauóque. Is magiſtratus initio aliquot edicta ad dirimendas lites perutilia edidit: in primis autem illud laudatum eſt, quo curionibus iniunxit, vt in ſuis parœciis infantium dies natales deſcriberent & ſua manu ſubſcriptos apud proximæ Regiæ iuriſdictionis ſcribas (Greffierios vulgò nominant) vnoquoque anno deponerent. De Pontificis, Cæſaris, Regis conuentu, & de claſſibus, quæ aduerſum ſe exornabantur Regis opera (vt quidam ſuſpicati ſunt) Solymanus admonitus Hariadeno Barbaruſſæ vt ſuam opponeret, imperauit. Is centum & quinquaginta nauibus, quæ remis agebantur, inſtructis Cretam verſus nauigauit: Caneam, quæ olim Cydonia vocabatur, Ruthininam item fruſtra adortus, & cum ignominia repulſus ex inſula ſoluit, & in ſinum Ambracium tranſmiſit. Id fere temporis & Africanæ Hiſpanorum cohortes eadem de cauſa tumultuatæ ſunt, quas quum precibus Bernardinus Mendocius claſſis Hiſpanicæ præfectus placare non poſſet, in Siciliam tranſtulit, vbi longè grauiorem tumultum excitarunt, & plurimos pagos, vrbeiſque non ſatis munitas expilarunt; ita vt Ferdinandus Gonzaga Siciliæ Prorex furenteis coercere non poſſet: tametſi Aluarum Sandeum caſtrorum magiſtrum cum numeroſa Siculorum manu ſeſe illis opponere, nec tamen prælium conſerere iuſſerat: erant enim quatuor & viginti veteranorum Hiſpanorum cohortes, quas Siculos tumultuariè collectos facilè fuſuras intelligebat. Quum Hiſpani Sandeum à ſe non multùm abeſſe didicerunt, aduerſus illum properarunt, & Siculos in fugam facilè verterunt. Maior tamen Siculorum exercitus cogebatur, ſed Gonzaga aliqua non iniqua pactione milites placare potius, quàm cum multa & ſuorum & illorum ſtrage prælij aleam ſubire ſtudens ad eos ſuos præfectos miſit, qui tumultu exorto ſeceſſerant, & ad ipſum acceſſerant, vt impunitatem & quatuor menſium ſtipendium promitterent: ſin conditiones recuſarent, ſe perpetuo exilio patria extorres, & Cæſaris vires experturos ſcirent. Præfectorum, & ſigniferorum loco, qui tumultus initio abierant, alios crearant, quorum imperium triduo finiebatur. Inter hos Heredia quidam vernacula eloquentia potens (cucullatus enim ſacerdos fuerat & conciones habere conſueuerat) multum authoritate

 pollebat.

pollebat. Is à veteribus præfectis in ſuas parteis pertractus habita ad ſeditioſos concione oblatas à Prorege conditiones non reiiciendas perſuaſit, modò bona fide implerentur. Obſidem maximum natu Proregis filium milites poſtulabant; res ad ſacramentum tandem redacta eſt: ad vicum Linguagroſſam Prorex & ſeditioſorum legati conuenerunt, vt ſacra liturgia celebraretur, atque interim dum tremenda myſteria populo oſtenduntur, hinc Ioannes Varga, qui cæſo Ioanne Dorbino primos honores conſequutus erat & militum parens appellabatur, inde Heredia ſacramenti verba pronuntiantibus Prorex, atque legati manus extollerent (quod vtrique præſtiterunt) peractis ſacris vt milites veteribus præfectis parerent, & in vrbeis diſtribuerentur, conſtitutum. Militibus ita ſeparatis Gonzaga vt viginti quatuor legati, qui liturgiæ interfuerant, in primis autem Heredia, ac Carantius, qui deſignandis hoſpitiis præfuerant, comprehenderentur, comprehenſi Meſſanam mitterentur, edixit; quos eodem die furcis ad littus erectis laqueis ſuſpendi iuſſit, & ſpectaculum prænauigantibus non ingratum exhibuit. Multos præterea aliis in locis cæſos tradunt, vt trecenti, aut paulò plures quum poſtea recenſerentur deſiderati ſint. Cohortes debuiſſe decimari quemadmodum & Siculi depoſcebant ad Gonzagam Cæſar ſcripſit, tamen moderatam eius ſeueritatem probauit: Vaſtij autem indulgentiam, & inanem clementiæ laudem inepte quæſitam penitus damnauit. Siculis Gonzaga charus, Mediolanenſibus merito odioſus Vaſtius fuit.

Ferdinandi Gõzagæ iuſſu 24. legati in crucẽ acti.

Hiſpanos è Sicilia Tarentum, atque Brunduſium Gonzaga tranſtulit: vbi Cæſaris claſſem quemadmodum & qui è Gallia Tranſalpina in Liguriam miſſi fuerant, conſcenderunt: Pontificia, Cæſariana, Veneta claſſis in Gomouitiæ (Communitiam Butrotiæ regionis vocat Iouius) portum è continenti Corcyram ſpectantem, atque ad Regium fontem vbi commodiſſima aquatio eſt, nauigarunt, ibique quid facto opus eſſet, conſultarunt. Centum triginta quatuor erant triremes, onerariæ ſeptuaginta duæ, vt minora nauigia prætermittantur; quæ ſi addes, ducentarum quinquaginta omnis generis nauium numerum conficis. Ea claſſis è Gomouitiæ portu ad Ambracij ſinus fauces curſum tenuit, quam Barbaruſſa in intimo ſtationem habens vel enumerare potuit, ad cuius conſpectum quodammodo hæſit: neque enim antea maior noſtrorum claſſis in Ionio conſpecta fuerat. Quum Barbaruſſam è ſinu noſtri egreſſurum non putarent, Leucadem verſus vela fecerunt. Inter nauigandum autem è ſinu egreſſum è magni galeonis carcheſio perſpexerunt: is claſſe in treis acies diuiſa mediam ipſe dextram Tabaches, ſiniſtram Saleucus tenebat, noſtros perſequuturus exierat. Draguthes archipirata cum viginti partim roſtratis, partim leuioribus triremibus claſſem præcedebat: prælium mire cupiebant Capellius Venetus, ac Grimanus Patriarcha Pontificius legatus. Auria Turcarum naualem peritiam, ac fortitudinem reformidans ſine onerariis, quæ præceſſerant, confligendum non putabat: quas idcirco reuocarat, & galeonem ſuum remulco trahi iubebat: contra Barbaruſſa noſtras ab onerariis ſeparatas aggredi properabat. Iamque aliquot barbarorum triremes magnum galeonem oppugnare cœperant, id quidem procul, deinde propius accedentes tanta pilarum grandine repulſæ ſunt, vt magno detrimento accepto fugam capeſſere cogerentur: onerarias ad ſe receptans Auria cum ſuis triremibus circumiens pugnam differre velle videbatur; at id vt barbarorum triremes in ſe conuerteret, faciebat, quas propius admotas ex excelſarum nauium caſtellis tormentis perrumperet. Flexuoſam nauigationem admiratus Barbaruſſa, & neſcio quid doli ſubeſſe ſuſpicatus pugnam non accelerauit. 30

Pontificia, Cæſariana ac Veneta claſſis naualis expeditio recenſetur.

Sole ad occaſum declinante barbaræ claſſis cornua noſtros aggreſſa duas commeatu onuſtas naueis, duas item triremes ceperunt: tertiam ſub ipſum crepuſculum, quum graui tempeſtate ſuborta Auria Corcyram ceteris ſequentibus rediit. Perſequutus eſt quaſi fugienteis Barbaruſſa, ſed quod lumina in ſuis prætoriis noſtri extinxiſſent, quo curſum tenerent, incertus ſubſtitit. Poſtridie ad Paxum inſulam centum ſtadiis à Phalacro Corcyræ promontorio diſtantem progreſſus eſt, vt noſtros, ſi è portu egrederentur, ad prælium faciendum cogeret. Confligendum cenſebat Gonzaga, cui quartam aciem honoris ergo dederant. Capellius oblata Hiſpanorum præſidia, quod ante ſine Senatus decreto recuſarat, in ſuas triremes ſe recepturum promittebat: Auria enim quod Venetis ſine Hiſpanicis præſidiis non ſatis fideret, à pugna abſtinuiſſe ferebatur; aut hanc ſpecioſam ſuæ fugæ cauſam obtendebat. Sed dum in ſua conſultatione diutius cunctantur Barbaruſſa autumnales tempeſtates metuens nonis Octobribus in ſinum Ambracium reuerſus eſt. Hoſte digreſſo Chriſtianæ claſſes in Rizonicum ſinum tranſierunt, in cuius intimo receſſu Veneti Cattarum oppidum poſſidebant: at in eodem 31

ſinu

Digitized by Google

ſinu Turcæ Caſtrum Nouum oppidum in cliuo ſitum, & natura potius, quam arte munitum multis iam annis tenuerant, cui tum rarum præſidium inerat. Hinc tormentis concuſſum facilè in noſtrorum poteſtatem venit: arcem, quæ in cliui faſtigio eminebat, capto oppido Turcæ præſidiarij dediderunt: quicquid communibus viribus caperetur, Venetis ex fœdere accedere debebat: oppido nihilominus Franciſcus Sarmentus cum quatuor peditum millibus, qui agrum Mediolanenſem fœdè vaſtauerant, præſidio impoſitus eſt, ægrè aſſentiente Capellio vel quod fœdere non ſtaretur, vel quod Hiſpanos Catarenſibus moleſtos accolas fore putaret; verum Gonzaga ſeditioſos milites in Italiam reducere nolebat. Exierat è ſinu Ambracio Barbaruſſa, vt Caſtrenſibus auxilio veniret, at vehementi tempeſtate iactatus plurimas triremes Acroceranniis cautibus illiſas amiſit, quarum fragmenta toto Dalmatico littore cernebantur: arripiendam occaſionem cenſebat Capellius, & Barbaruſſam multis è ſuis amiſſis debilitatum, perturbatúmque aggrediendum putabat. Id quoque conſilium Gonzaga mirandum in modum probabat: at Auria Venetis velut inuidens, & quod eoſdem cum Solymano commiſiſſet ſatis magnum operæpretium factum ducens curſum ſtatim in Italiam direxit: nec publicam Chriſtianorum, ſed priuatam Cæſaris rem curauit. Cæſar enim vt in tota Italia facilius, ac ſolus dominaretur, & iam diu occupatas à Venetis Imperij Germanici Auſtriacæ familiæ, ac Mediolanenſis principatus vrbeis recuperaret, eoſdem ad extremam inopiam redigere cupiebat.

Caſtrum Nouum Turcis ereptum.

32 Franciſcum non procul Nicea reliquimus dum naualem Pontificiæ, Cæſarianæ, Venetæ claſſis expeditionem enarramus: is per Auenionem rediens à Cæſare ad colloquium ad foſſas Marianas inuitatus eſt: videbat enim Cæſar inde Mediolanenſes, illinc Gandauenſes (quos olim Gordunos dictos putant) res nouas moliri; quibus ne Rex adiungeretur, timebat. Itaque hominem credulum, & ſæpius à ſe deceptum vana recipiendi Mediolanenſis principatus ſpe alendum putabat. Quum vt condictum erat, conueniſſent, Rex Antonio Lotharingo regulo, ac Ioanne Cardinale eius fratre, multiſque aliis proceribus comitatus ad triremem prætoriam acceſſit. Cæſar ad ſcalam triremes obuiam progreſſus eſt: circiter horam amiciſſimè colloquuti ſunt; Rex deinde in vrbem rediit, quò poſtridie mane Cæſar cum Rege pranſurus, ire perrexit. Vbi terram attigit, Rex, ac Regina Heleonora, Regiíque liberi venientem humaniſſimè exceperunt, & vrbem ineuntem comitati ſunt, vbi etiam pernoctauit. Altero die ab iiſdem ad claſſem deductus eſt maxima vtrimque beneuolentiæ ſignificatione oſtentata, vt magnam pacis ſpem creduli homines, prudentiores operæpretij nihil inde ſperarent. Supplicationes paſſim Lutetiæ, & in aliis Galliæ vrbibus decretæ, ignéſque conſuetum lætitiæ ſignum excitati: quamquam quid inter ſe contuliſſent, aut quid omnino egiſſent perpauci ſcire potuerunt. Rex Lutetiam reuerſus, atque inde compendium Sueſſionum oppidum profectus vlcere inter anum, & membrum virile enato, quod ex immoderato coitu emanaſſe produnt, grauiter laborauit, magnúmque vitæ diſcrimen adiit. Quum paulò melius haberet, Maria Cæſaris ſoror Flandricarum prouinciarum adminiſtratrix illuc in eius colloquium venit, quod variis de cauſis captauerat; quod Inſubres (vt ſupra dixi) erga Cæſarem malè animatos noſſet: quod Gandauenſes ob tributum vino impoſitum vehementer conqueri intelligeret, præſertim verò vt Regem à Guilielmo Cliuenſi, qui Gueldriam poſſidebat (quas regiones nonnulli Menapiorum nomine comprehendi volunt) abalienaret, aut ſaltem ex tam amicis, frequentibúſque colloquiis illi ſuſpectum redderet. Diximus Henricum Octauum Angliæ Regem cœnobia aliquot monachorum expilaſſe: hoc vero anno omnia tam opulenta, quam mendicantium (vt vocantur) euertit, aut in prophanos vſus redegit, & Thomæ Bocheti quondam Cantuarienſis pontificis monumentum multo auro, multiſque gemmis ornatum coram populo diripuit: eius oſſa incendi, puluerémque ex iis conflatum vento exponi iuſſit. Decembri menſe è vita ceſſit Andreas Grittus dux Venetus, cui ſequentis anni initio Petrus Landus ſucceſſit. Mortuo Monteiani ſuo in Gallia Tranſalpina legato Franciſcus Claudium Hannebaldum Mareſchallum ſucceſſorem dedit, & Taurinum, Penarolum, Moncalerium, Sabinianum multo diligentius, quam antea muniri imperauit.

Cæſaris ac Franciſci ad foſſas Marianas colloquium.

Omnia cœnobia in Anglia aut euerſa, aut prophanis vſibus addicta.

33 Anni huius ſæculi triceſiminoni initio Gandauenſes ob tributum vino impoſitum tumultum excitarunt, viros ſacris miniſteriis attributos immunes eſſe, ſe totum onus ſubire queſti aduerſus Cæſarianos magiſtratus rebellarunt, & clam ad Regem veterem, legitimúmque patronum legatos miſerunt, ac ſi auxilio eſſe vellet, præcipuas Flandriæ vrbeis ſecum attracturos promiſerunt. Rex vanis Cæſaris pollicitationibus deceptus

Anno 1539.

Gandauenſium rebellio.

ceptus ſupplices in ædem recipere noluit, ne ea pactis nuper induciis diſcedere videretur; quódque magis mirum fuit, clandeſtinam Gandauenſium legationem Cæſari indicauit: at non ita multò poſt longè minore de cauſa ab illis induciis receſſit, Cæſaris Fregoſij, ac Guidi Ranconi externorum hominum cæde prouocatus, quibus legatorum nomen impoſuit: quamuis non palam, vt legati ſolent, incederent, ſed clam nauigiolis velut tecti ſecundo Pado euadere tentarent. Sic in voluptates immerſus, ab híſque occæcatus bonas occaſiones omittebat, inanes perſequebatur: nam tum & Mediolanenſes, vt dixi, ad rebellandum parati erant. Perplexus admodum erat Cæſar, nec Belgicum hunc tumultum per alios ſatis commodè coërceri poſſe exiſtimabat: ipſe adeſſe cupiebat: Inſubres tamen ſuſpectos habebat: Proteſtantibus haud fidebat. Difficile igitur per Germaniam in Flandriam iter, & multis periculis obnoxium erat: ſin vero illuc claſſe tranſmitteret, ſe tempeſtatibus vel in Angliam vel in Flandriæ portus à rebellibus poſſeſſos eiici poſſe iudicabat: vtrumque autem ex æquo reformidabat. Anglus non minus, quàm Gandauenſes, ob Catharinæ materteræ diuortium illi infeſtus erat, & de Franciſci in ſe animo dubitabat, quem tam diu recipiendi Mediolanenſis principatus ſpe ſuſpenſum tenebat. Quam ob rem legatos ad Regem Compendij adhuc ægrotantem miſit, & multis pollicitationibus additis, præſertim verò de Mediolanenſi principatu vel illi, vel alteri ex liberis condonando liberum per Galliam tranſitum poſtulauit. Res diu protracta fuit, & ſæpius in conſultationem reuocata, Annæo Mommorencio equitum magiſtro, vt tranſitus permitteretur, inſtante; Cardinale Turnonio in contrariam ſententiam multas rationes proferente. Vicit tandem Mommorencius, & ſub huius anni

Carolus V. per Galliam tranſiens.

finem Henricus Delphinus ac Carolus Aurelianus, necnon Mommorencius honoris ergo Baionam vſque venienti Cæſari obuiam proceſſerunt, & Pictauiam deduxerunt. Rex qui tum Lochiis agebat nondum ſatis è valetudine confirmatus ad Caſtellum Heraldi quatuordecim milliaribus Pictauia diſtans Cæſarem perhonorificè excepit: vnde Ambaſiam vnà progreſſi ad arcem à Carolo Octauo Galliæ Rege magnificè extructam diuerterunt: ibi duæ ſunt turres, quibus palatium aditur equis aſcenſu perfaciles. Hæ aulæis holoſericis ornatæ erant, & multis luminaribus diem noctu repræſentantibus collucebant. Præferebantur nihilominus Cæſari permultæ faces, quibus quum in tanta turba ignis in aulæis fortè accenſus fuiſſet fumo totam turrim occupante parum abfuit, quin

Carolus V. fumo penè extinctus quomodo.

Cæſar ipſe ſuffocaretur, & comitum bona pars ſalutem fuga quæſiuit. In eos qui ſuccenſorum aulæorum authores fuiſſe dicebantur, Franciſcus inquiri iuſſit: nonnulli in ſuſpicionem venerunt, quos quum morte plectendos Franciſcus cenſuiſſet, Cæſar quod id caſu accidiſſet, illis veniam impetrauit: inde Bleſias, Aureliam, poſtremò ad arcem Vicennarum peruenerunt.

Anno 1540.

Cæſar Kalend. Ianuarij anni proximi, hoc eſt, huius ſæculi quadrageſimi ſolemni pom- 34
pa Lutetiam iniit. Alexander Farneſius qui tum Lutetiæ erat, ac Ioannes Bellaius Pariſienſis Pontifex primariam ædem ingredientem exceperunt. Eodem tempore quo Gandauenſes rebellarunt Ioannes Menapiorum regulus (quo tamen nomine Gueldrenſes, & Cliuenſes comprehendi volunt) è vita ceſſit, & Guilielmum filium Cliuenſis principatus hæredem reliquit. Concilio ad Forum Francorum pridie idus Februarij coacto aderant Ioannes Londenſis Pontifex Cæſaris legatus, Ferdinandi item Romanorum Regis legati, Saxo, ac Lantgrauius, Palatinus autem, ac Brandeburgenſis intercedebant. Aderant

Conuentus Francofurtenſis, quidque in eodẽ decretum ſit.

& plerique alij Proteſtantes, abſentiúmque legati. Poſt longam, vehementémque diſceptationem decimotertio Kalend. Maias in hæc capita conuenerunt: quindecim menſium inducias Proteſtantibus Auguſtanam profeſſionem ſequentibus, qui nunc in eam ſocietatem recepti ſunt, Cæſar dabit, vt interim viri eruditi de religionis controuerſiis inter ſe conferant: intra quas ſi conuenire non poterunt, induciæ nihilominus vſque ad proximum Imperij conuentum prorogabuntur: ſin intra inducias conuentus Imperij habebitur, induciæ vſque ad alterum protrahentur. Actiones forenſes aduerſus Proteſtanteis motas Cæſar intra eaſdem inducias ſuſpendet: ſi quid contra fiet, irritum erit. Proteſtanteis ſuæ doctrinæ profeſſio non impediet, quominus ſe in iudiciis ſiſtant, aut quominus ac Romanæ profeſſores in eadem admittantur: viciſſim intra eaſdem inducias neminem in ſuum fœdus Proteſtantes, neminem Pontificij in ſuam ſocietatem recipient: nemini religionis ergo vis fiet; viri ſacris miniſteriis attributi, quos vulgo Eccleſiaſticos vocant, ſuorum ſacerdotiorum fructus quos hactenus poſſederunt, percipient: neque illis Proteſtantes impedimento erunt. Kalendis Auguſti Pontificij, ac Proteſtantes Nuribergæ coibunt, atque amicè de religionis controuerſiis conferent; quibus adiungentur

Digitized by Google

gentur viri non profeſſione Theologi, ſed rerum experientes, nec ineruditi: quò Cæſar, ac Ferdinandus, ſi ita videbitur, legatos ſuos mittent: quicquid ibi decretum erit, ad ordines abſentes referetur, quibus approbantibus id Cæſaris legatus ratum habebit, aut ſi Cæſar in proximo Imperij conuentu confirmabit, ratum pariter erit. Qui Auguſtanam doctrinamprofitentur his induciis comprehendentur: Anabaptiſtæ & cæteri, qui ab ea diſſentiunt, excludentur. Parata aduerſus Turcam auxilia Proteſtanteis habebunt: conuentum Vormatiam primarij Imperij ordines de Cæſaris mandato ad decimum Kalend. Iunij conuentum iudicent, vbi de ſubitariis in Turcam auxilis agetur: quicquid maioris partis conſenſu decernetur, ratum fixúmque erit. Quæ omnia capita ea conditione vtrimque admiſſa ſunt, ſi ea Cæſar intra ſextum menſem ſua authoritate confirmabit.

35 In hoc conuentu Guilielmus Cliuenſis regulus libellum per legatos exhibuit, & quo iure Gueldriam poſſideret, explicauit: vt pro ſe apud Cæſarem intercederent, cauſamque ſuam eius legato commendarent, rogauit. Scripſerat ad Vlricum Vittembergenſem regulum Franciſcus Galliæ Rex à nonnullis ſe audiiſſe illum neſcioquibus Germanis Pontificibus bellum moliri: à quo eundem dehortabatur, idque Cæſari, ac Ferdinando, quibuſcum inducias fecerat, moleſtum fore addebat. Vlricus ſe & apud Regem, & apud ſuperiorem conuentum purgauit, nihilque tale ſe molitum profeſſus eſt: eam porro in ſe à Bauaris regulis ſtructam fuiſſe calumniam, quam tota pene Germania diuulgarint. Octauo Kalend. Maij Georgius Saxo moritur, nullis liberis relictis: Henricum fratrem, qui Saxonicam doctrinam ſequebatur eius liberos Mauricium, & Auguſtum hæredes teſtamento ſcripſerat, ea lege ne formam religionis immutarent: niſi parerent, ditiones ſuas Cæſari, ac Ferdinando attribuit, donec vel frater, vel eius liberi vel ex ea familia proximus conditionem impleat. Cum viris nobilibus ſuarum ditionum, & cum populo teſtamentum communicarat, idque vt ratum haberetur, poſtularat. Illi ne bellum inter cognatos ſuſcitaretur, legatos ad Henricum fratrem mittendos cenſuerunt, vt fraterno teſtamento aſſentiatur, rogaturos: antequam legati redirent Georgius è vita deceſſit, Henricus in fratris ditiones inuaſit, & fraterni teſtamenti conditione ſpreta Martinum Lutherum, vt ibi Saxonicam doctrinam propagaret, acceſſiuit. Biennio ante à Proteſtantibus in fœdus receptus fuerat Henricus cum Mauricio filio; & quoniam tenui fortuna erat, ne quid contribueret, eidem indultum fuit; opulenta hæreditate auctus eandem cum cæteris conditionem ſubire coactus eſt. Hoc obiter notandum putaui, quod in ſequentibus libris Mauricij huius frequens mentio incidet. Menſe Maio ò partu interiit Iſabella Auguſta Ioannis Luſitaniæ Regis ſoror. Id fere temporis Renata Borbonia Antonij Lotharingi vxor, & Caroli Borbonij vltimi Boiorum reguli ſoror natu minor è vita exceſſit. Quatto idus Iunij Paulus Pontifex concilium, quod in diem Chriſto è mortuis excitato dicatum prorogatum fuerat, quum pauci Vicentiæ, aut fere nulli conueniſſent, ad ſuum, Cardinaliúmque arbitrium, nullo tempore, nec loco deſignato, ſuſpendit. Caſtrum nouum aduerſus Turcas Chriſtianæ claſſes anno ſuperiore ceperant: id ægerrimè ferens Solymanus Barbaruſſæ vt claſſem primo vere inſtrueret, edixit. Is aſſumptis Ianizerorum fortiſſimis triremes nonaginta impleuit, treis ingenteis onerarias naueis inſtruxit, quibus tormenta, tormentorúmque apparatum, atque omne caſtrenſe inſtrumentum imponeret. Barbaruſſæ Solymanum Perſam, de quo ſupra ſcripſimus, Illyrici præfectum Solymanus adiunxit, qui cum triginta tam equitum, quàm peditum millibus Caſtronouum à continente circumſedit.

36 Barbaruſſa antequam portus fauces intraret Draguthem, ac Corſetum piratas præmiſit, quos ad terram appulſos Hiſpani fortiter repulerunt multis cæſis, aliquot captis. Sequutus Barbaruſſa quinquaginta, aut paulò plura maiora tormenta adduxit, quorum quartam partem Vlamani, vt terra oppidum quateret, tradidit, treis reliquas ſibi reſeruauit. In collocandis tormentis triduum impenderunt, atque interim Hiſpanis & tormentis & ſclopetis rem ſtrenuè gerentibus ſupra mille fortiſſimos milites amiſerunt: verum per plures dies muri tanta pilarum procella quaſſati ſunt, vt aduerſas munitiones Franciſcus Sarmentus oppidi præfectus opponere non poſſet: oppidum enim Saxoſo in loco ſitum nec humum ad extruendas, nec ceſpitem dabat: quamuis autem totos nouem menſes in muniendo oppido egregiam operam nauaſſet, nec militibus quidem pepercisset, tamen aduerſus tantam tormentorum vim noua opera erigenda erant, nouæ foſſæ ducendæ, quibus conficiundis loci natura repugnabat. Tandem igitur Turcæ maxima turre potiti ſunt, vnde & ex munitione quæ circa turrim erat, Hiſpanos ſclopetis, ſagittíſque grauiter infeſtabant: cuniculo ſubtus ducto ignem iniici Sarmentus imperauit:

Caſtrenouū expugnatur.

rauit; at humidam materiam puluis nactus flammam in hoſteis euomere non potuit: repulſus in ipſos Hiſpanos reiecit, vnde cuniculi magiſter, ac plerique alij abſumpti ſunt. Et Vlamanes qui ſuperiorem arcem oppugnabat, muri partem deiecerat, quam conſcendentes Turcæ cruentiſſimum certamen inierunt: Sarmentus vulneratos in inferiorem arcem ſe recipere, integros medio in foro conſiſtere, & ne multi caderent, ſupremum bellicæ virtutis conatum experiri iuſſit: verum denſus imber accenſum ſclopetariorum funiculis ignem extinxit, vt Deus Optim. Maxim. rapinarum in Inſubri agro factarum vltionem in id tempus diſtuliſſe videatur; & quum pes pedi collatus fuiſſet, Hiſpani longe iniquiore conditione certabant clypeis duntaxat, atque enſibus, aut haſtis rem gerentes, quum Turcæ illorum galeas, atque humeralia ſuis acinacibus facilè perfringerent. Itaque fere omnes in veſtigio ceciderunt; qui in arce inferiore erant octingenti fortaſſe deditionem fecerunt, & in ſeruitutem abducti ſunt. Caſtronouo ad ſeptimum idus Auguſti capto Barbaruſſa Cattarum quaſi oppugnaturus acceſſit, & per litteras cum Maſæo Bembo de deditione egit: quum ille nullum Solymano in oppidum ius eſſe, ſi vim inferret, ſe egregiè defenſurum reſpondiſſet, & ne inducias interrumperet, additis muneribus oraſſet, his quaſi placatus abſceſſit.

Alteram claſſem eadem æſtate Solymanus in Indiam aduerſus Luſitanos miſit Solymano Eunucho præfecto: is Dium Luſitanorum portum ad fauces Indi fluminis qua in mare deuoluitur, ſitum longa oppugnatione vexauit, & Luſitanis ſtrenuè ſe defendentibus re infecta abire coactus eſt. Tantæ Solymani opes, tanta potentia erat, vt duas ingenteis claſſes eodem tempore aleret, ſtipendióque afficeret, quarum altera Chriſtianis omnibus ſimul iunctis terrori erat. Fames totam fere Italiam ac Flandriam vehementer oppreſſit; tametſi hanc Dacæ ac Septemtrionales Germani miſſò frumento nonnihil ſubleuarunt. Quamquam à Romano Pontifice defecerat Henricus Angliæ Rex, tamen conuentum egit, quo pleraque dogmata cum Romanæ perſuaſionis propugnatoribus communia ſanxit atque edidit: naturale Chriſti corpus ac ſanguinem ſub panis ac vini forma contineri: à conſecratione panis ac vini non amplius manere ſubſtantiam: ſub vtralibet ſpecie totum Chriſtum contineri; integram cœnam, vt quis ſalutem conſequatur, non eſſe neceſſariam: vota caſtitatis ſeruanda eſſe: Sacerdotibus matrimonium contrahere non licere: liturgias priuatas eſſe retinendas: arcanam delictorum confeſſionem non ſolum vtilem, ſed & neceſſariam eſſe, quum antea contraria dogmata probauiſſet: iis tamen qui aliter docerent, eandem pœnam quam hæreticis, hoc eſt, veræ perſuaſionis deſertoribus (vt loquimur) conſtituit: tanta in hoc Rege inconſtantia ac leuitas fuit. Anna Cliuenſis reguli ſoror virgo forma præſtantiſſima eidem Regi deſponſa, & in Angliam perducta eſt: Saxo Elector, Sibyllam Annæ ſororem in matrimonio habebat, menſe Nouembri legatos in Angliam miſit, qui eius nomine nuptiis intereſſent. Sub æſtatis finem Maria Claudij Lotharingi filia Longauillani reguli vidua in Scotiam deducta eſt, vbi Iacobo Regi nupſit: Magdalena enim Franciſci Regis filia prior Scoti vxor poſt quintum, quam illuc appulerat, menſem de vita deceſſerat.

Quæ dogmata Romanæ Eccleſiæ cōmunia Henricus in Anglia retinuerit.

Anna Cliuēſis Hērico in vxorem tradita.

Cæſarem Lutetiæ paulò ante reliquimus vbi ad ſextum idus Ianuarij huius ſæculi anni quadrageſimi commoratus Chantillum Mommorencij fundum contendit: vnde per Galliam Belgicam, quam Picardiam vocamus, in Flandriam iter ſuum perſequutus eſt. 38
Rex ad Fanum Quintini Veromanduorum vrbem, Regij liberi Delphinus, atque Aurelianus Valentianum vſque Hannonianæ ditionis oppidum honoris ergo comitati ſunt. Cæſar per omneis Galliæ ciuitates per quas pertranſierat, ſolenni pompa non ſecus ac Galli Reges exceptus fuerat, à Rege ſummis honoribus cultus, in quos nullis impenſis pepercerat, fraternam erga Franciſcum ſororis virum amicitiam prolixè cum omni beneuolentiæ ſignificatione Cæſar oſtentarat: vt plerique præſertim Mommorencius promiſſis ſtaturum confideret. Mommorencio autem ac Georgio Seluæ Vaurenſi Pontifici Regis legato Mediolanenſem principatum Franciſco, aut alteri ex liberis ſe condonaturum promiſerat: ſed in ipſo Galliæ ingreſſu ne quid ea de re, aut de vllo alio maioris momenti negotio, tantiſper dum in Gallia eſſet, ageretur, callido potius, quàm honeſto conſilio cauerat; ne coactus feciſſe, & liberalitatem ſuam impoſita neceſſitate obſcuraſſe videretur. Quum Valentianum appuliſſet legati Regij vt promiſſum faceret, inſtiterunt: quos ille in aduentum Ferdinandi fratris, qui Auſtria profectus in itinere erat, remiſit: interea ſe de Gandauenſibus ſupplicium ſumpturum præfatus. Si Gandauenſes iis opibus fuiſſent, vt illi reſiſterent, promiſſum fortaſſe feciſſet, verum à Rege deſerti, quum reſiſtendo non eſſent, ſe illius clementiæ permiſerunt. Cæſar cum exercitu vrbem ingreſſus

Gandauenſes ob rebellionem à Carolo V. malè mulctati.

greſſus nouem ſeditionis authores capite luere pœnas iuſſit: paucis poſt diebus ſexdecim addidit: cæteris ea conditione veniam dedit, vt ſuis ſumptibus arcem ædificarent, præſidióque eidem impoſito ſtipendium in poſterum exoluerent. Arci ædificandæ Ioannem Iacobum Mediquinum (Melennianenſem quidam vocare malunt) Marchionem præfecit. Quibus ex animi ſui ſententia confectis à Vaurenſi Pontifice deintegro de promiſſo compellatus ſe nihil promiſiſſe reſpondit, habitos cum Mommorencio ſermones inficiari haud veritus, quòd nihil ſcripto mandatum fuiſſet; quapropter Mommorencium Rex indignatus ex aula Regia, vt ſupra ſcripſi, expulit, nec quamdiu vixit ſemel expulſum in gratiam recepit. Prudens Cardinalis Turnonij conſilium rei exitus comprobauit. Interea dum in Gallia Cæſar eſſet, dolum ſagacis callidique ingenij excogitauit: cum Venetis non ita dudum fœdus renouarat, quos tamen ad extremam inopiam redigere in animo habebat: hos enim ſolos libertatem ſuam egregiè tueri, & quominus ille vniuerſæ Italiæ ſuo arbitrio imperaret, impedire nouerat. Ad hæc Imperij Germanici, Auſtriacæ familiæ, Mediolanenſis principatus vrbeis (vt iam dixi) ab iiſdem occupatas mirandum in modum recuperare cupiebat: vnde Andream Auriam non eam, quam debuit postremo bello nauali operam præſtitiſſe plerique ſuſpicati ſunt. Regi igitur perſuaſit, vt perhonorifica legatione Venetis, ne cum Solymano inducias renouarent, perſuadere conarentur.

Cur Mommorencius comitatu Regio in perpetuum pulſus.

39 Itaque Vaſtius, atque Hannebaldus, ille Cæſaris in Mediolanenſi principatu, hic Regis in Subalpina Gallia legatus magno comitatu Venetias ire iuſſi, vt maiorem inter duos hoſce principes amicitiam confirmatam oſtentarent. Ad Caſale maius coëuntes eadem rate Venetias ſecundo Pado nauigarunt; quibus ob tantorum virorum authoritatem, qui ſupra veteres legatos non niſi magna de cauſa mitti videbantur, Dux Venetus Petrus Landus Buccentauro vectus multis triremibus ſplendidè ornatis ſequentibus obuiam proceſſit: ita inſigni pompa in vrbem intromiſſi fuerunt: vbi Senatus datus eſt, Daualus natione Italus, & Cæſaris legatus, pro vtroque orationem habuit, qua Cæſarem ac Regem depoſito priſtino odio in fraternam beneuolentiam Dei benignitate reuocatos ſacrum bellum aduerſus Solymanum ſuſcepiſſe declarauit: quibus ſi Paulus Pontifex cæterique Italiæ principes, in primis autem Veneta Reſpub. ſe adiungat, haud dubiam de inſolente barbaro terra, marique reportaturos victoriam: quum Cæſar ſuis, Germaniæque viribus, & non multis Romani Pontificis auxiliis adiutus Solymanum Auſtriam ingreſſum capeſſere fugam coëgerit. Ad hæc Sigiſmundum Poloniæ Regem ſe in hoc bellum nomen daturum promiſiſſe, & omneis regni ſui copias collaturum eo opportuniores, quod cum Turcis præliari conſueuerint: ſi victoria à Chriſtianis ſtet, præcipuum fructum ad Senatum Venetum peruenturum. Dux Landus nihil ſibi vnquam tam honorifica legatione gratius, neque tantæ inter ſummos Reges concordiæ nuntio opportunius accidiſſe totius Senatus nomine reſpondit: quòd ſi ſincera fide in ſacrum bellum incumbant, & ſedatis priuatis controuerſiis non amplius ſuam, ſed publicam totius Chriſtianiſmi rem curent (id verò Chriſtianis omnibus ex æquo expetendum) Venetos quorum maximè res agatur, quorúmque ditionibus Solymanus maximè inhiet, Reipub. Chriſtianæ non defuturos. Quum magna inter Senatores diſſenſio eſſet, pauci ex illis viri primarij Vaſtium, atque Hannebaldum ſeuocatos num quibus conditionibus pax inter tantos principes iniretur, & an Cæſar Mediolanenſem principatum alteri è Regiis liberis condonaret, interrogarunt: ſpem enim pacis nihil certum afferre: ſuper re incerta Senatum deliberare non poſſe, neque certam, ſtatámque ferre ſententiam. Vaſtius Cæſarem Regis congreſſum, amicitiámque appetiiſſe reſpondit: quam niſi publicæ vtilitatis contemplatione Regi multa condonet, aſſequi non poſſit: itaque quin pro animi ſui magnitudine priuata iactura vniuerſam pacem redimat, & omneis ſuos conatus in noſtræ perſuaſionis hoſteis conuertat, nemini dubium videri. Hannebaldus qui ſe in ſpeciem duntaxat miſſum fuiſſe, & legationem iſtam neque ſua, neque Regis multum intereſſe nouerat, Vaſtium Venetis verba dare facilè patiebatur: nihil dum enim inter Cæſarem, Regémque conuenerat, idcirco nihil omnino reſpondit.

Quo dolo Carolus V. Venetorum robur ac potentiam frangere tentarit.

40 Quum diu in Senatu diſceptatum fuiſſet, & multi ad Cæſarem inclinarent, prudentium tandem Senatorum ſententia obtinuit, vt induciæ cum Solymano renouarentur, páxque, ſi fieri poſſet, ſanciretur. Hinc Ludouicus Badoërius ad Solymanum Bizantium miſſus, vt eam quauis conditione conficeret, etiam ſi Nauplio, atque Epidauro, quæ duæ vrbes

Ludouicus Badoërius Venetorum legatus quorundã perfidia à Solymano malè exceptus.

vrbes in Peloponeſo ex tot amiſſis ſolæ nomini Veneto parebant, cedendum eſſet: quamuis hoc poſtremum caput Senatuſconſulto non aſcriptum, verum ſeorſum in mandatis additum fuiſſet. Itaque Vaſtius, atque Hannebaldus re infecta redierunt. At quum Badoërius Bizantium appulſus pacem, aut inducias pecunia redimere conaretur, impudentiam hominis Solymanus vehementer arguit, & Veneti Senatus ſententiam fuiſſe, vt ſupra commemoratas vrbeis dederet prolatis litteris oſtendit: vnde & mortis metu attonitus, & quod ita Senatus iniunxiſſet mandata ſibi data ad Solymanum relata admiratus vrbeis dedidit. Reuerſus autem tanta inuidia flagrauit, vt exilio, boniſque mulctaretur, quòd de dedendis vrbibus mandatum non accepiſſe vulgo putaretur: verum mox conuicta Maſæi Leonij, Conſtantiníque Cobatij Decemuiralis collegij ſcribæ, Franciſci Valerij, paucorúmque aliorum, qui Senatuſconſultum Badoëriique mandata dετexiſſent, perfidia in priſtinum ſtatum reſtitutus eſt. Leonium, Cobatiúmque & cæteros à Pellicerio Regis legato pecunia corruptos Senatuſconſultum, mandatáque detexiſſe, Pellicerium ad Regem retuliſſe, à Rege Solymanum horum certiorem factum fuiſſe quidam non ſine magna coniectura prodiderunt: ita hi duo principes Venetam, immo vero omnem Chriſtianam Rempub. Solymano mutua ambitione in prædam dederunt. Sic Cæſar ne Mediolanenſi principatu cederet, Rhodum primùm & paucis poſt annis Pannoniam, quæ regno Neapolitano, atque principatu Mediolanenſi longè potior eſt, in Solymani poteſtatem deuenire permiſit. Gandauum ad Cæſarem acceſſit Ferdinandus eius frater, quem Proteſtantium legati mox ſequuti ſunt; & quæ multis conciliabulis eo abſente celebratis egiſſent, repetierunt; quod pauca ex iis, quæ petierant conſequuti eſſent, vt à præſente præſtarentur, poſtularunt, quos ſexto Kalend. Martias aſtante Granuellano Cæſar audiuit, & ſe breui reſponſurum pollicitus eſt. Kalendis Martij Smalcaldiæ principum, & ciuitatum Proteſtantium legati conuenerunt, & de iis rebus quæ Araſteti (quod Thuringiæ oppidum eſt) deciſæ non erant, deliberarunt: pridie idus Martij Proteſtantium legatis Cæſar per Cornelium Scepperum benignè, ſed & obſcurè ſuo more reſpondit; vt an pacem illis præſtare vellet, incertum relinqueret. Legati præterea, vt Cameræ Imperij (ſic illi Senatum Spirenſem vocant) actionibus interdicat, poſtularunt: ille ſe ſuper ea re amplius deliberaturum reſpondit; quod reſponſum paucis poſt diebus Smalcaldiæ recitatum eſt, quò principes Proteſtantes quarto Kalend. Aprilis ſe contulerunt.

Conuentus Smalcaldicus.

Interea inter Granuellanum, Heldúmque detecta æmulatio eſt, quem Granuellanus tum in conſiliis, tum in actionibus nimis acrem fuiſſe, & Cæſarem nihil tale cogitantem, ac prope inuitum in bellum impuliſſe accuſabat: plus poterat apud Cæſarem Granuellanus, Heldus aula Cæſariana excluſus vitam priuatam egit. Granuellanus ſe ad concordiam propendere ſimulans Cæſari perſuaſit, vt modeſta poſtulata per legatos Smalcaldiam mitteret, vt Heldum, qui ſeuerior fuerat, perſtringeret, & vt à Proteſtantium poſtulatis non admodum abhorrere præ ſe ferret, vt eoſdem iiſdem quibus Franciſcum Regem, artibus tandem falleret: non obſcure tamen ſignificabat Cæſar Proteſtanteis principes, cæteróſque non tam religionis ergo diſſidia ſerere quàm vt virorum ſacris miniſteriis attributorum fortunas inuadant: idcirco cum iis qui apertas cum Cæſare inimicitias exercent, clandeſtinas ſocietates iniiſſe, & totam Germaniam perturbare conari. Gallum atque Anglum Reges intelligebat, ad quos eodem tempore Proteſtantes legatos miſerant; & eorum opem, ſi ita res ferret, implorarant. Mommorencius Cæſari Galliam peragranti, litteras eorum, qui Smalcaldiæ conuenerant, ad Regem ſcriptas oſtendiſſe fertur, quibus eorum conſilia aperiebantur. Proteſtantes conuentu Smalcaldico proximo tertio idus Aprilis ſe Granuellano purgant, quod non vt poſſeſſiones Eccleſiaſticorum (vti vocantur) inuadant, ſed vt puram verbi diuini doctrinam amplectantur ſeceſſionem faciant, ídque vt Cæſari perſuadeat, obſecrant: idibus conuentum dimittunt. Decimoquarto Kalen. Maias Cæſar ad Saxonem & Lantgrauium ſcribit vt octauo idus Iunij ipſi cum ſociis Proteſtantibus Spiræ, aut ſi peſtis lues impediat, eo loco quem Ferdinandus frater deſignabit, coëant, vt controuerſiæ omnes dirimantur. Illi breuius, quàm vt coire poſſint, tempus eſſe cauſantur: deinde quemadmodum conuentu ad Forum Francorum deliberatum erat, vt Germaniæ totius conuentus habeatur; aut ſi id fieri non poſſit, Theologorum vtrimque colloquium inſtituatur: poſtremò vt publica fides non ſolùm legatis, ſed & Theologis detur, petunt. Cæſarem Lutetia profectum ſequutus erat Alexander Farneſius Cardinalis adhuc admodum adoleſcens, 41

cuius

cuius conſilia Marcellus Ceruinus Nicaſtrenſis Pontifex in hac legatione Cardinalis, & aliquot poſt annis Romanus Pontifex creatus moderabatur. Quum de religione, de pace cum Proteſtantibus, de bello Turcico ageretur, & Granuellanus ſententiam dixiſſet, Marcelli hortatu Farneſius coram Cæſare, ac Ferdinando Rege ſuam quoque declarauit, quæ hæc fere capita continebat.

Alexandri Farneſij Cardinalis rationibus Cõcilij alicuius generalis neceſſitas probatur.

42 [Paulum Pontificem & Germanorum conſenſum deſiderare in primis, nec minùs
“ vt omnes Chriſtianorum vires in Turcas conuertantur, Deum Optim. Maxim. precari:
“ quod ad Proteſtanteis attinet, raram, aut potius nullam cum illis conueniendi ſpem reli-
“ ctam videri, quum & doctrinæ ſuæ dogmata ſæpe immutarint, & fidem ſæpius fefelle-
“ rint, nec promiſſis ſteterint. Doctrinæ profeſſionem in Auguſtanis comitiis exhibue-
“ runt, quam præterquàm quod pleraque eius capita à communi Chriſtianorum conſen-
“ ſu abhorrent, non tamen vſquequaque retinuerunt; ſed in pleriſque violarunt. Quid,
“ quod ſe in tot ſectas diuiſerunt? vt inter ſe prius conueniant, quàm cum cæteris verè
“ Chriſtianis conuenire poſſint, conſentaneum eſt; at id breui præſtari non poteſt: nec
“ igitur cum illis in præſentia maieſtas tua, Cæſar Imperator potentiſſime, conuenire po-
“ teſt: neque enim, niſi contra veterum conciliorum ſanctiones, quæ exæquatam cum ſa-
“ cris Scripturis authoritatem habent, multa concedes, cum illis vnquam conuenies. Quid
“ autem ſine vniuerſi Chriſtianiſmi concilio, aut Romani Pontificis aſſenſu còncedere po-
“ tes? & ſi concedes, poſtulata ſua quotannis augebunt, & concilium illud ab omnibus expe-
“ titum contemnent, atque aliqua ſemper tergiuerſatione eludent. Quid priuata illorum
“ concilia profecerint, animaduerte. Scuinfurti, deinde Nuribergæ pactæ fuerunt induciæ,
“ pœna conſtituta: nullis in locis ſe formam religionis immutaturos, nec quemquam in
“ ſuam ſocietatem interim aſcituros promiſerunt: at non multò poſt caput vtrumque pro
“ nihilo habuerunt, & nonnullas ciuitates, Daniæ Regem, Vittembergenſémque regulum
“ ſibi adiunxerunt. Quinetiam & Senatum Spirenſem euertere conantur, vt tua in Germa-
“ nia authoritas prorſus iaceat, & illi impune in vere Chriſtianorum fortunas inuadant. Ni-
“ hil igitur cum Proteſtantibus priuatim agendum: conuocandum hoc anno totius Chri-
“ ſtianiſmi Concilium, cui omneis parere cogantur; quod renouata cum Galliæ Rege ami-
“ citia præſtare facile potes, quam ſtatam conſtantémque conſtituere debes, alioqui nec
“ commodè Concilium cogetur, nec Turcarum viribus reſiſtetur; quorum metum Prote-
“ ſtanteis tibi opponunt; quibuſcum potius quam tecum conſenſuri videntur.]

43 Non multis poſt diebus conuentu iam Haganoam indicto, de quo ſe à Cæſare, Granuellanóque celatum indignabatur, Farneſius Cardinalis ex aula Cæſariana diſceſſit Marcello Ceruino ibi relicto, & circa Idus Maias Lutetiam appulit, vbi Antonio Sanguineo Annæ Piſſeleuæ, quæ Regi in delitiis erat, & quod Stempenſi regulo nupſiſſet, Stempenſis vulgo appellabatur, auunculo Cardinalitium galerum Roma nuper allatum in æde Pontificia impoſuit, & Romam Rege in itinere ſalutato rediit. Gandauum ad Cæſarem acceſſit & Guilielmus Cliuenſis regulus fide publica accepta. Gueldriam à Carolo Edmundano priore regulo hæres inſtitutus poſſidebat: tametſi antequam populus aſſentiretur, Carolus de vita deceſſerat: & Franciſcum Regem modo Mediolanum reciperet, cum Cæſare conuenturum non dubitans ſibi proſpicere, Gueldriæque nomine Cæſari ſacramentum dicere, ac Chriſtiernam eius è ſorore neptem Franciſci Sfortiæ viduam vxorem ducere paratus erat; verum Ducis, ac principis titulos, quoad viueret, ſibi concedi poſtulabat. Cæſar præfecturam duntaxat abrogato principis nomine concedere, hominémque certis legibus obligare voluit: ne in poſterum Galli ex Sicambris, & Menapiis (quos nunc Gueldrenſes, & Cliuenſes vocant) equitatum, peditatúmque, qui multis in bellis magno vſui fuerat, conſcriberent. Cliuenſis ſe principis nomine ſpoliari ægrè ferens Franciſci Regis legatis ne quid temerè tranſigeret, clam monentibus, re infecta in patriam rediit. Eodem miſerat legatos viros primarios Henricus Angliæ Rex, vt ſi pax fieret ad renouandam cum Cæſare amicitiam receptum ſibi pararet. Qua fama permotus Solymanus ne Chriſtianorum omnium ſimul coniunctorum arma in ſe conuerterentur veritus, Franciſcum Regem ingrati, incertíque animi grauiter inſimulauit, vt Rinco Regis legatus multum ſibi timeret: Proteſtantes quaſi relicti à Rege ſe Cæſari mirandum in modum reconciliare cupiebant. En quò Cæſaris pertinacia euaſit, qui nimia principatus Mediolanenſis retinendi cupiditate tot bonas occaſiones, poſtremò quod Pannoniæ reliquum erat, amiſerit. Conuentus Haganoæ ſeptimo Kalend. Iulias initium ſumpſit, tametſi Rex Ferdinandus ſub Maij finem eo venerat. Quum Proteſtantium prin-

Cardinalis Medonius.

Cõuẽtus Haganoanus.

cipes non adeſſent, vti Cæſar ſperarat, ab eorum legatis agendi facultatem Ferdinandus poſtulauit: tum Ludouicum Palatinum, Ludouicum Bauarum, Treuerenſem, atque Argentinenſem Pontifices pacis ſequeſtres, atque interpretes nominauit, quos illi receperunt. Aderant Proteſtantium Theologi, quos illi miniſtros vocant Romanos Pontifices imitanteis qui ſe SERVOS SERVORVM CHRISTI inſcribunt: Bucerus, Brentius, Oſiander, ac plerique alij: Melanchthon graui morbo correptus in via ſubſtiterat. Hi priuatim apud ſuos concionabantur: id Ferdinandus interdixit: illi priuatim docere reſpondent, idcirco nemini fieri iniuriam, nec à ſuo concionandi officio deſiſtunt: ſequeſtres à Proteſtantibus doctrinę ſuæ profeſſionē petunt: illi ante annum decimum Auguſtæ datam aiunt, à qua ſe nō diſcedere profitentur: ſi qua ibi dogmata ſacris voluminibus nō conſentientia proferantur, colloquium petunt. Sequeſtres quædam Auguſtæ dogmata conciliata, quædam non fuiſſe conciliata intulerunt; vt hæc quoque concilientur, ſe operam daturos.

Proteſtantes nihil Auguſtæ certo pronuntiatum aſſerunt, colloquium vrgent: quum poſt 44
longam diſceptationem nihil cum ipſis conſtitui poſſet, Ferdinandus poſtridie Idus Iulij propter Saxonis ac Lantgrauij abſentiam, qui duæ Proteſtantium velut columnæ erant, conuentum Vormatiam, quos veteribus Vaugiones fuiſſe putant, ad diem ſextum Kalen. Nouemb. transfert: ita tamen vt nihil de Auguſtano Imperij decreto decedat, & Romano Pontifici ius ſuum integrum relinquatur, ſi legatos mittere eodem volet: interea donec lis de religione decidatur, vt ſacri Romanæ profeſſionis miniſtri bonis ſpoliati in integrum reſtituantur, æquum eſſe: paciſcendas, ne tumultus exoriatur, longiores inducias; quibus ſoli qui ante conuentum Nuribergenſem in Proteſtantium ſocietatem admiſſi erant, comprehendantur: cæteri, qui poſt acceſſerunt, excludantur, nec alios deinceps Proteſtanteis recipiant. Eadem quæ prius, Proteſtantes & de Senatu Spirenſi, déque bonis Eccleſiaſticorum (vt vocantur) reſtituendis reſpondent: Romano Pontifici ſi Vormatiam legatos mittat, ſe nullum primatum tributuros profitentur: vt vno verbo dicam, nullum Ferdinandi poſtulatum admiſerunt, verùm in proximum conuentum diſtulerunt. Iam Franciſcum Regem cum Cæſare haud conuenturum intellexerant; idcirco ſe contumaciores præbebant. Dum Haganoæ conuentus agitur, Cæſar Peluſium natione Gallum qui cum Carolo Borbonio è Gallia diſceſſerat, ad Franciſcum Regem mittit; per quem nihil ſe magis, quàm pacem optare ſignificat: quam non tam ſuæ, quam publicæ vtilitatis contemplatione magno redimendam putet, idcirco ſe Aurelianum Belgarum Regem creaturum: id regnum longè opulentius & auguſtius & Galliæ vicinius futurum, quicum non principatus Mediolanenſis, ſed ne regnum quidem Neapolitanum comparari poſſit: principatum Mediolanenſem vt retineat tanta contentione Italos omneis inſtitiſſe, vt illis denegare non poſſit. Genuenſes ſemper Mediolanenſium fortunam ſequutos, quorum portus ex Hiſpania Neapolim nauigantibus quam neceſſarij ſint, nemo neſcit. Franciſcus verba ſibi dari intelligens, vt donec Cæſar cum Proteſtantibus conueniſſet, ſuſpenſus teneretur, gratias Cæſari egit; ſed eo vultu, qui eius ſenſus declararet; quod ampliora, quam ſperaſſet, auguſtioráque promitteret: cæterum non adeo impudentem eſſe, vt hæreditarias prouincias ab illo poſtularet, ſuis contentum eſſe, quæ ad ſe hæreditario iure peruenerint; quas fortuna quadam ſibi ereptas magno etiam pretio redimere paratus ſit, vt Cæſar maiore apparatu Turcicum bellum & ſuſcipiat, & gerat: hinc Proteſtantibus, & Cliuenſi regulo omnem pacis ſpem ſublatam eſſe indicauit. Hoc ipſo tempore Henricus Angliæ Rex repudiata Anna Cliuenſi quarta vxore, nec in patriam ad fratrem redire permiſſa, cui tamen penſionem amplam attribuit, vt honeſtè in Anglia viueret, Catharinam Hauardam Northfolcij reguli è fratre neptem Annæ Bolanæ propinquam vxorem duxit. Ioannes autem Vaiuoda qui ſibi Hungariæ regnum vendicabat, è vita exceſſit relicto Stephano infante filio, cuius mors Solymano inuadendæ Pannoniæ occaſionem præbuit.

Caroli V. inania promiſſa Franciſco meritò ſpem omnẽ pacis adimunt.

Henricus repudiata Anna Cliuenſi Hauarda in vxorem ducit.

Confecerat pacem cum Ioanne Ferdinandus Romanorum Rex Hungaris omnibus vti- 45
lem: quibus vtriuſuis partis fuiſſent, fortunæ, oppida, arces reſtituebantur: Ferdinandus autem deinceps Ioannem non Vaiuodam, vt ſolebat à vetere Tranſſyluaniæ præfectura, ſed Regem appellare tenebatur. Additum erat caput, quod non in publicum euulgatum, ſed metu Solymani in arcano conditum multi Hungarorum proceres ſubſcripſerant: quo cauebatur, vt ſi Ioannes è vita excederet, Ferdinandus toto Pannoniæ regno potiretur: Solymanus enim id regnum vi captum Ioanni beneficiario iure conceſſerat. Quum de hac concordia Solymanum ſuppreſſo poſtremo capite Ioannes conſuluiſſet, probauit ille, & vt difficili,

Digitized by Google

difficili, ancipitique bello honeſtè defungeretur, hortatus eſt. At Hieronymus Laſcus qui à cæde Gritti in carcerem conditus, & non niſi multis Sigiſmundi Regis precibus liberatus fuerat, ideóque ad Ferdinandum defecerat, ab eo Byzantium miſſus conditionem fœderi poſtremo additam Solymano, Baſsíſque declarauit, haud metitus quantum Ferdinando hero detrimentum nimio Ioannis odio importaret. Hinc vehementer iratus Solymanus Ioannem ingratum quaſi iniuriam ſibi factam vlturus appellauit: quapropter Ioannes ſibi valde timens Baſſis muneribus delinitis tantum profecit, vt eam calumniam dilueret, Solymanúmque placaret: cæterum & apud Paulum Pontificem, & apud Franciſcum Regem, & apud Venetos de Ferdinando prolixè queſtus eſt: nec multo poſt plerique Hungari proceres regnum ad Ferdinandum externum principem transferri ægrè ferentes Ioanni vt vxorem duceret, ſuaſerunt. Abhorrebat à nuptiis Ioannes ætate iam prouectus, & frequenti valetudine debilis: tam importunè nihilominus illi inſtiterunt, vt Iſabellam Sigiſmundi Poloniæ Regis filiam vxorem duceret: ex qua Stephanum, vt dixi, ſuſcepit. Mortuo Ioanne, & ad Albam Regalem ſepulto, vbi Hungari Reges & coronantur, & ſepeliuntur, miſſa ad Solymanum perhonorifica legatio eſt additis muneribus, ſine quibus facilis ad tyrannum aditus non datur: alij maturius legationem miſſam tradunt. Stephanus tametſi infans erat, coronatur, & Rex acclamatur. Timebat Iſabella, quique eiuſdem factionis erant, nè Ferdinandus armis regnum occupare conaretur: nec fruſtra. Ferdinandus enim audita Ioannis morte exercitum, quanta potuit, diligentia comparauit; & Hieronymum Laſcum nihilominus vt regnum à Solymano impetraret Haganoa, vbi tum conuentus agebatur, Byzantium miſit: at Reginæ Iſabellæ legati anteuerterant: Laſcus haud benigne exceptus eſt. Nicolaum quoque Salmam non ita ductum in Aurei Velleris ſocietatem à Cæſare cooptatum ad Iſabellam Reginam Ferdinandus miſit, vt prolatis recentis fœderis tabulis regnum Ferdinandi factum eſſe doceat: filio eius Scepuſianam prouinciam ex eodem fœdere, ipſi amplos redditus, dotémque promittat. Georgius Varadinenſis antiſtes, ac Petrus Vichius pupilli tutores à Ioanne deſignati ne cum Regina Salma colloqueretur, impedimento erant, & luctum eius obtendebant: at illa tutorum arrogantiam ſupra ſuam authoritatem id moliri interpretata Salmam ad colloquium admiſit. Mandata explicanti demiſſo vultu benignè reſpondit, totum negotium in Sigiſmundum patrem reiecit. Is longinquo bello cum Moſcouitis occupatus non niſi multò poſt tempore reſponſurus videbatur.

Ioannis Vaiuodæ cũ Iſabella Polona matrimonium.

46 Salma, quæ viderat ad Ferdinandum retulit: Reginam è Georgij Cucullati nutu pendere, illum ſub Regis infantis nomine regnare cupere: cæteros Hungaros proceres præfecturas inter ſe partiri ab externi Regis, ac præpotentis dominatu abhorrere: ſi Pannoniæ regno potiri velit, claſſem ſtatim, atque exercitum parandum, antequam Reginæ legati Byzantio redeant, & de Turcicis auxiliis ſpem faciant, Budam expugnandam. Conſcribit exercitum Ferdinandus pecunia à Cæſare fratre accepta, commeatum in naucis imponit: Leonardum Velſium virum militarem è Tridentinis Alpibus euocatum copiis ſuis præficit. Is Strigonium cum exercitu progreſſus, quod à Ferdinando conſtanti Pauli Pontificis beneuolentia ſemper ſteterat, difficilem ad Budam aditum fore intelligens, quod à Vicegradi arce excelſo in monte ſita ad Danubij marginem murus protendebatur; quem turris ampla lato muro, tormentíſque munita finiebat, & nauigantibus pariter, atque terreſtri itinere incedentibus tranſitum occludebat: in perrumpendo muro, turréque euertenda nouem dies inſumpſit tormentis rarò ceſſantibus. Valentinus litteratus præſidij præfectus quum diutius tuendæ turris ſpes nulla supereſſet, deditionem, ſed tardius fecit: etenim inter colloquia Germani irruperunt, & multis cæſis paucis captis, vt ſanguinarij ſunt, litteratum cuius permutatione veteres Budæ captiuos aſſeruatos redimerent, illæſum reſeruarunt. Patefacto tranſitu Velſius Peſtum, Vacciámque ab hoſtibus deſertas cepit, & ad Aquas Calidas Buda ** paſſibus diſtanteis caſtrametatus eſt: eæ quamuis ita calidæ ſint, vt pede vix tentari queant, plurimas nihilominus ranas alunt nihil eo feruore læſas: Germani è vicino agro frequenteis prædas agebant, ægrè ferentibus ſociis Hungaris villas ſuas, & propinquorum incendi, pecora rapi, miſeros agricolas captiuos abduci querentibus; quibus de cauſis interdum inter ſe confligebant: & Valentinus Thuracus Budenſium dux per leuis armaturæ equites, quos Budam acciuerat, Germanos caſtris egreſſos fortiter repellebat, & Budenſem agrum à rapinis vindicabat. Quum Balthaſar Pamphilus inter Ferdinandi Hungaros dux illuſtris in vrbem publica fide admiſſus fuiſſet, & præſidio, munitionibúſque conſide-

Belli inter Ferdinãdum & Iſabellam Polonam pro regno Pannoniæ initium.

ratis maiore apparatu, ad vrbem expugnandam opus eſſe renuntiaſſet; tulit id ægrè Velſius more Germanico ſuſpicax, & vt è caſtris excederet, iuſſit: quod ſe inſcio in vrbem introiſſet, & quaſi cum Budenſibus ſentire, & metum Germanis incutere videretur. Relicta nihilominus Buda ad arcem Vicegradi expugnandam rediit; qua facilius, quam turre potitus eſt: inde ad Albam Regalem contendit. Perenus qui ad Ferdinandum tranſierat, & inter Hungaros nobilitate, atque opibus principem locum obtinebat; vt ciues ad eundem deficerent, præſidiúmque acciperent, ſua authoritate perfecit: inde ob frequenteis Germanorum Hungarorúmque ſeditiones, qui ſæpe ab armis non abſtinebant, in quibus & Velſius in crure vulneratus, & Perenus lapide ictus fuerat, exercitus Strigonium rediit; quem mox Velſius in hyberna dimiſit, Peſtúmque nouis munitionibus, & præſidio firmauit.

Ab Vſtrepho Illyrici, & Mahomete Belgradi præfecto initio huius belli Regina Iſabella opem implorarat: illi è prouincia ſua iniuſſu Imperatoris exire ſibi non licere reſponderunt. 47
Hac ſpe deiecta Byzantium ad legatos ſuos rerum Hungaricarum difficultates perſcripſit, quas Solymano explicarent. His auditis Solymanus ſe pupillo regnum Pannoniæ conſeruaturum promiſit: ea enim conditione Ioanni Vaiuodæ condonaſſe, vt etiam ad eius poſteros tranſmitteretur, quamdiu illi beneficij memores Turcarum Imperatorem patronum agnoſcerent; munera itaque ad infantem Regem per Hungaros legatos miſit, ſe eius tutelam ſuſcipere declarauit; Mahometíque natione Dardano, atque Vſtrepho, Baſſis vt auxilio ire pergerent, mandauit. Hæc omnia iam expedita erant, antequam Laſcus morbo retardatus Byzantium appelleret: de quibus per Ptolemæum Ariminenſem medicum, quem præmiſerat, ſtatim certior factus eſt: & initio ſatis benignè exceptus quum ad Solymanum admiſſus liberius de Cæſare, & Ferdinando loquutus fuiſſet, in carcerem conditur: ſed aliquanto poſt dimiſſus eſt. Vſtrephus ac Mahometes nihil hyemis ſæuitiam morati equites, peditéſque conuocant; tamen quum in Pannonia ſine claſſe, quæ tormenta, commeatum, impedimenta vehat, bellum commodè geri non poſſit, Dannubio magna ex parte gelu concreto ad Tolnenſem ripam conſiſtere coacti ſunt, & milites multos equóſque frigoris aſperitate amiſerunt: nec tamen Imperatoris iniuſſu redire auſi ſunt extrema potius omnia perpeſſuri: adeo ſeuera apud illos militaris diſciplina eſt. Quid anno ſequente egerint, in eundem referemus, ne annorum ordinem perturbemus; hoc anno, vti & ſuperiore, ingens cometa, aſpectúque horrendus apparuit: nec tamen quicquam memorabile, quod portenderent, animaduerſum fuit: niſi forte poſterior hic inuſitatos præſertim in Gallia æſtatis calores deſignauit: quibus effectum eſt vt in calidioribus regionibus vina aduſta, in frigidioribus potentiſſima, optimáque euaſerint. Auguſto menſe vitam finiit Guilielmus Budæus fere octogenarius vir ſui temporis doctiſſimus, & hoc nomine Franciſco Regi plurimum acceptus; apud quem ſupplicum libellorum magiſter fuit. Huius hortatu Franciſcus Latinæ, Græcæque, atque Hebraicæ linguæ, necnon medicinæ, Platonicæque, & Ariſtolicæ philoſophiæ profeſſoribus ſtipendia annua conſtituit, & vt bonæ litteræ in Gallia noſtra longè magis, quam antea florerent, ſua liberalitate perfecit.

Militaris diſciplina apud Turcas ſeuera.

Vt ad Cæſarem Proteſtanteiſque redeam: Cæſar litteris Idibus Auguſti ſcriptis Proteſtanteis vt ad præſcriptum diem Vormatiæ coëant, aut ſi non poſſint, legatos ſuos, Theologóſque eò mittant, hortatur: quibus omnibus publica fide cauet. 48
Aliis litteris circa Idus Octobris Bruxellis datis Nicolaum Peronotum Granuellanum legatum ſuum ad futurum concilium deſignat: is tum Veſontione agebat, nec conuentus initio negotiis neſcio quibus præpeditus adeſſe potuit: eo tamen cum Antonio filio Attrebatenſi Pontifice & aliquot Theologis Hiſpanis Nouembri inclinante contendit: ſeptimo Kalend. Decembris in conſeſſu Cæſaris mandata, litteráſque protulit, & orationem habuit, qua Cæſaris Ferdinandíque abſentiam excuſauit; quam vero vterque omnium Imperij ordinum conſenſum præſertim in cauſa religionis exoptent, multis verbis explicauit: quot, quantæque ex diſſidiis calamitates acciderint; quæ porro impendeant, addidit. Vt modeſtè in vnum conſenſum redeant, nec ſua pertinacia vetera diſſidia continuent, orauit: id enim Deo in primis, deinde Cæſari, Ferdinandóque fore gratiſſimum, vniuerſæ autem Germaniæ omni ex parte ſalutare. Poſtridie de ſcribis qui ſingula exciperent, actum eſt: vtrimque bini delecti fuerunt: ſexto Idus Decembris Thomas Campegius Feltrenſis Pontifex, Pontificius legatus orationem habuit. De pace Chriſtianis omnibus, Germanis autem in primis neceſſaria, quorum ceruicibus Turcæ immineant, proloquutus, Germaniæque

Vormatienſe colloquium.

vicem

vicem miſeratus Paulum Pontificem omnia tentaſſe, vt huic malo mederetur concilium Vicentiam indixiſſe declarauit, vbi nulli aut rari conuenerint. Cæſarem quoque Vormatianum hoc colloquium inſtituiſſe Ratisbonenſis conuentus vbi Cæſar aderit, veluti quoddam præludium: ſe de Pontificis mandato, Cæſariſque conſenſu acceſſiſſe, precari vt vnam concordiam verum Chriſtianorum ſcopum ſibi proponant: Paulum quidem, ſi quid ea in re præſtare poſſit, ſedulò vt omnibus ſatisfaciat, laboraturum. Qui huic concilio præerant, ne acta concilij, niſi cum iis qui ad id deſignati erant, communicarentur, néve diuulgarentur, edixerant; priuſquàm ad Cæſarem omnia referrentur: deinde vt Proteſtantes doctrinæ capita, à quibus nullo modo diſcedere ſtatuerant, ſcripto mandata exhiberent: de quibus, & de Iuriſiurandi formula, de colloquutorum numero, & ſuffragiorum ratione longa altercatio fuit: quæ tandem vt cæteræ actiones in Ratisbonenſem conuentum reiecta eſt.

49 Cæſar initio Ianuarij anno huius ſæculi quadrageſimoprimo per Mediomatrices, per Spiram item, & Nuribergam Ratisbonam petiit: & inter eundum vt Vormatianum conuentum eo transferret, ad Granuellanum ſcripſit, eundémque ad ſe reuocauit. Granuellanus decimoquinto Kal. Februarij Imperij ordines, vt Cæſari pareant, Ratisbonámque accedant, hortatus eſt: id temporis Mauricius Henrici Saxonis filius Agnetem Lantgrauij filiam vxorem duxit. Ratisbonæ aliquamdiu Imperij ordines Cæſar expectauit, menſe Martio plerique acceſſerunt. Saxo honoratam legationem miſit: Lantgrauius ſub eiuſdem menſis finem appulit, & perhumaniter à Cæſare exceptus eſt. Affuerunt quoque Gaſpar Contarenus Cardinalis, Brandeburgenſis Elector, Federicus, Otho, Henricus Palatini, Guilielmus, & Ludouicus Bauari, Henricus Brunſuicenſis, Carolus Sabaudiæ regulus, Georgius Brandeburgenſis, Philippus Pomeranæ regulus, Pontifices autem Moguntinus, Salisburgenſis, Bremenſis, Bambergenſis, Spirenſis, Auguſtanus, Eiteſtenſis, Conſtantienſis, Hildeſſemius Brixienſis, Paſſauienſis: quum & alij poſtea acceſſiſſent, Cæſaris nomine Federicus Palatinus nonis Aprilis orationem habuit. Quantos labores pro conciliandа inter ſe Germania, Turcáque repellendo Cæſar ſuſceperit, quantas impenſas fecerit, à poſtremo Ratisbonæ habito conuentu exorſus prolixè enarrauit: quem diſſoluere Cæſar coactus Solymano Auſtriam, Hungariámque inuadente illi ſuas Ferdinandi fratris, totiúſque Germaniæ vires oppoſuit, claſſémque Conſtantinopolim verſus nauigare iuſſit, vt barbarum tyrannum aliò auerteret, quæ aliquot oppida atque arceis in ſuam poteſtatem redegit. Solymano repulſo in Italiam rediit: cum Clemente Pontifice de concilio diligenter egit, & pacata Italia in Hiſpaniam rediit; eo animo vt rebus neceſſariis ibi conſtitutis in Italiam reuerſus concilio intereſſet, quod anno proximo inchoatum iri promiſerat. Dilationibus interpoſitis Tunetanam expeditionem aduerſus Hariadenum Ænobarbum ſuſcepiſſe, partáque Dei beneficio victoria in Italiam reuertiſſe, vt de eodem concilio cum Paulo III. Pontifice Maximo ageret; indéque in Germaniam concilij procurandi, vniuerſæque nationis inter ſe conciliandæ ſtudio prouectus proficiſceretur. At Sabaudo regulo affini, Imperiíque clienti ditionibus ſuis ſpoliato, atque opem imploranti deeſſe noluiſſe, & hoc nomine Gallo Regi bellum intuliſſe: quo in hyemem vſque protracto aliquot pacis conditionibus oblatis in Hiſpaniam tranſmiſiſſe: quum anno ſubſequente Paulo Pontifice procurante ſpes aliqua pacis affulgeret, & Paulus ſe Niceam Allobrogum, Gallúmque Regem acceſſuros promitteret, ſe illuc quoque nauigaſſe: & quum de rerum ſumma conuenire non potuiſſent, inde ad Foſſas Marianas, quas Aquas Mortuas vocant, curſum tenuiſſe, vt cum Gallo Rege colloquutus pacis rationes explicaret. Quum hic quoque conuenire nequiiſſent, vt vtriuſque legati Leucatæ, quod Narbonenſis prouinciæ oppidum eſt, coirent, in eandémque rem incumberent, vtrique viſum. Vbi quum non magis, quam prioribus conuentibus profeciſſent, ſe per Italiam in Germaniam tranſire cogitaſſe, vt concilium promoueret: ſed à Rege inuitatum per Galliam iter feciſſe, vt amicitiam cum illo confirmaret.

50 Quod autem in Belgica ſeditionibus compeſcendis occuparetur, nec ſtatim Germaniam repetere poſſet, conuentum Haganoam indixiſſe: cui Ferdinandus frater interfuit: inde Vormatiam, poſtremò in hanc vrbem tranſtuliſſe, vt Germaniæ ſalute atque conſenſu nihil Cæſari charius omnes intelligant: cum Paulo Pontifice iuxta Haganoæ decretum egiſſe, vt huc legatum mitteret: Contarenum Cardinalem virum pium pariter, & doctum adeſſe qui, quoad in ſe erit, ſedulam operam nauabit. Quapropter quum hic conuentus religionis conſtituendæ ergo ſit indictus Imperij ordines orare, vt pauci viri pij

Anno 1541.

Secundus Ratisbonenſis conuentus.

Federici Palatini oratio.

Digitized by Google

atque eruditi homines Germani deligantur, qui de controuerſiis inter ſe amicè confe-
rant, & quid ipſis videatur ad ſe, ſuóſque ordines referant, vt his cum legato Pontificio
communicatis certum quid decernatur: modo ne quid de Auguſtano decreto decedat.

Diſcutiuntur Proteſtantium controuerſiæ.

Proteſtantes quinto idus Aprilis collaudato Cæſaris in inſtauranda religione ſtudio con-
cilium Vormatienſe continuari petunt. Vbi autem qui ad colloquium deligantur, nomina-
rit, ſe reſponſuros addunt: Iulium Phlugium, Ioãnem Ecchium, Ioannem Gropperum Ro-
manæ profeſſionis propugnatores; Saxonicæ autem Philippum Melanchthonem, Marti-
num Bucerum, Ioannem Piſtorium Cæſar per Federicum Palatinum nominauit. Cæteri
ordines pridie idus Cæſaris omni ex parte conſilium probant, & vt decretum Auguſtanum
contineatur, depoſcunt. Quum quinto Kalend. Maias colloquutores conueniſſent, Fede-
ricus Palatinus ac Granuellanus præſederunt. Theodoricus Mandeoſchitus Comes, Ebe-
rartus Rudenus, Henricus Haſius, Franciſcus Burcartus, Ioannes Figius, Iacobus Sturnius
tres vtrimque quaſi teſtes affuerunt. Colloquutores hortatus eſt Palatinus, vt amicè
conferrent, & Cæſaris expectationi, quam de illis concepiſſet, ſatisfacere conarentur.
Granuellanus iiſdem libellum tradidit à nonnullis viris piis, doctíſque Cæſari oblatum ad
conciliationem ineundam, vt videtur, peridoneum: id illis velut argumentum, in quo ſe
exerceant proponi, quod probabunt authoritate ſua confirment, quod non probabunt,
cenſura notent. De quibuſdam non ita magni momenti capitibus inter colloquuto-
res conuenit, de præcipuis non conuenit, nempe de Eccleſia, eiúſque poteſtate; de Cor-
poris & Sanguinis Chriſti ſacramento, quam Euchariſtiam vocamus, (ſacramentum
Theologi ſuo more vſurpant pro rei ſacræ ſigno) de ſatisfactione, de vnitate, & ordine
ſacrorum miniſtrorum, de ſanctis, de ſacra liturgia (quam Miſſam vocant) de vſu in-
tegri ſacramenti, de cœlibatu. Cæſari pridie Kal. Iunij redditus eſt liber capitibus, de qui-
bus conuenerat, emendatis: ſuper iis autem de quibus non conuenerat, oblata eſt cum li-
bro mandata ſcripto Proteſtantium colloquutorum ſententia. Sexto idus Iunij in publico
conſeſſu & librum emendatum, & Proteſtantium colloquutorum ſuper controuerſis
adhuc capitibus ſententiam Cæſar exhibet: rogat vt quid ſentiant ipſi, & quæ ciui-
lis, Reipub. ſacrorúmque miniſtrorum ſtatus inſtaurandi ratio ineunda ſit, declarent: in
principum Senatu Pontificum numerus maior erat. Vicit itaque eorum ſententia, qui
librum à Cæſare propoſitum, & totum colloquium reiecerunt, quam etiam ſcripto
mandarunt.

Quum nonnulli ex Electoribus, aliiſque principibus à ſuperiore ſententia diſſenti- 51
rent, alium libellum ſexto nonas Iulij Cæſari obtulerunt, eúmque obſecrarunt, vt capita
de quibus inter colloquutores conuenerat, cum Pontificio legato communicet: expenda-
tur porrò nunquid vel ſacris libris, vel piorum interpretum ſcriptis, vel inueteratæ totius
Chriſtianiſmi traditioni repugnet: ſi quid obſcurius eſt, explicetur: deinde iudicium ſuum
ad Imperij ordines referat: cum Proteſtantibus agat, vt in controuerſis capitibus ſe erudiri
patiantur, aut ſi id obtinere non poteſt, eoſdem ad vniuerſi Chriſtianiſmi, vel Germanicæ
nationis concilium reiiciat. Nonis reſpondet Cæſar ſperaſſe, vt quid ſentirent, clarius ex-
plicarent: quum liber à ſe oblatus diu in illorum manibus fuiſſet: cæterum quod ſuadent,

Proteſtantes quid ſentiãt oblato libello Cæſari exponunt.

cum Pontificio legato communicaturum. Proteſtantes quid ſentiant, Cæſari exhibito li-
bello declarant, & conciliata dogmata planius explicant: reliqua facile conciliari poſſe ad-
dunt. Auguſtanam profeſſionem, ſiue confeſſionem (vt illi vocant) ſe retinere teſtantur.
Quod ad ciuilem Reip. ſtatum attinet, emendari poſſe, ſi leges, quæ ante annum vndeci-
mum Auguſtæ latæ ſunt, in vſum reuocabuntur: ſacrum vero, ſiue ſacrorum miniſtrorum
ſtatum, ſi purè Euangelium docebitur: ſi veteri more de populi conſenſu ſacri miniſtri de-
ligentur: ſi Pontifices ciuilem adminiſtrationem retinentes quod ſuum munus obire vel
nolunt, vel nequeunt, viros pios ac doctos, qui vicem ſuam obeant, dignis ſtipendiis affi-
cient: ſi coniugium ſacris miniſtris permittetur: ſi impia ſacerdotiorum nundinatio, quam
ſimoniam vocant, penitus tolletur: ſi pueri à teneris annis ad pietatem erudientur, & do-
ctrinæ Chriſtianæ prima rudimenta imbibent: ſi facinoroſi à ſacris miniſteriis excluden-
tur. Si veterum Romanorum more reuocato cenſores creabuntur, qui non ſolum de ſa-
cris miniſtris, ſed & de cæteris omnibus inquirent, noxióſque cenſura ſua notabunt.

Cæſar rem omnem cum Pontificio legato communicat, & in primis vt ſacrorum mi- 52
niſtrorum ſtatus inſtauretur, inſtat: legatus, quod Proteſtantes in aliquot dogmatis à
communi Chriſtianorum conſenſu diſcedant, ſatius eſſe ducit, vt nihil amplius decer-
natur: omnia ad ſummum Pontificem referantur, qui pro ſua prudentia vel conuocato

vniuerſi

Digitized by Google

vniuerſi Chriſtianiſmi concilio, vel alia aliqua ratione toti Chriſtianæ Reipub. præſertim verò Germaniæ, conſulat: deinde Pontifices omneis domum accitos officij ſui longa oratione admonet, quam & Cæſari, & Pontificibus poſcentibus deſcriptam tradidit. Quarto Idus Iulij quid actum ſit, Cæſar ad omneis ordines refert: & quoniam Turcarum Imperator magnos belli terra, marique apparatus facit, & huius conuentus exitus differri non poteſt, rogat vt deliberent an capita inter colloquutores conciliata vſque ad vniuerſi Chriſtianiſmi concilium, aut ad alterum Imperij conuentum recipientur, vt captæ de religione controuerſiæ aliqua ex parte minuantur, & dogmata nondum conciliata facilius componantur, aut diiudicentur. Proteſtantes Contarenum reprehendunt, quod Principes ad crudelitatem cohortetur: ſe quos nunc damnant errores numquam in poſterum probaturos, neque ad eam Eccleſiam (ſic enim à Græcis ſumpta dictione Chriſtianorum conuentus vocant) quæ tot vitia defendit, reuerſuros. Principes Electores poſtridie Idus Iulij vt dogmata conciliata vſque ad concilium recipiantur, ſibi placere reſpondent: & ſi cætera in hoc conuentu conciliari non poſſunt, Cæſarem obſecrant, vt cum Paulo Pontifice, Chriſtianiſque Regibus agat, vt primo quoque tempore concilium in Germania cogatur. Proteſtantes petunt vt Cæſar dogmata conciliata ſanciat, vt Auguſtanum decretum vel tollat, vel ſuſpendat: de concilio quid ſentiant, declaraſſe, vt qui iudicandi poteſtatem nec Romano Pontifici, nec eius aſſeclis concedant: ſi conuentus ordinum in Germania fiet, in eo ſententiam ſuam explicaturos. Cæteri Principes vt vlla religionis, aut rituum immutatio fiat, aſſentiri non poſſe, Imperij decretis, præſertim verò Auguſtano parere velle profitentur: quod ſemper in omnibus conuentibus Cæſar exceperit, & nuper Haganoæ, ſiquis id violare conaretur, de eodem tuendo deliberatum ſit. Vt dogmata conciliata ad tempus recipiantur, haud placere: quædam enim ſuperuacanea, quædam non controuerſa, alia non magni eſſe momenti: de peccato originis Vormatiæ non vno modo eſſe tractatum: ſed quoniam de præcipuis non conuenit, & ea ſic Proteſtantes oppugnant, vt concordiæ ſpes nulla ſit, vt ad concilium tota actio referatur, conſentaneum videri: præſertim quum legatus pontificius idem poſtulet: reliquæ ciuitates quæ inter Proteſtantes non numerabantur, à principibus ſe à deliberatione excluſas, & reſponſi exemplum ſibi non exhibitum queruntur: Cæſarem, vt ius ſibi integrum maneat, orant.

53 Cæſar quinto Kal. Auguſti decretum recitari iubet: colloquium Theologorum atque adeo actionem ad vniuerſi Chriſtianiſmi concilium, ſin id obtineri non poſſit, ad totius Germanicæ nationis, vel ordinum Imperij conuentum refert: ſe in Italiam rediturum, & ſedulo cum Paulo Pontifice de concilio acturum: quod ſi id, ac ne quidem totius Germanicæ nationis obtinere non poſſit, ſe intra decimum octauum menſem ordinum Imperij conuentum religionis conſtituendæ ergo indicturum: quo vt legatum etiam Pontifex mittat, curaturum. Proteſtantibus edicit ne quid præter conciliata dogmata noui ſuſcipiant: Pontificibus vt veterem ſacrorum miniſtrorum diſciplinam inſtaurent, eoſdémque vitæ integritatem præſtare cogant. Addita erant & alia capita de non diruendis monachorum, vt vulgari vtar, ſeu virorum ſolitariorum templis, de bonis ſacris non rapiendis, de non inuitandis ad diuerſam religionis profeſſionem, qui in contraria hactenus perſeueraſſent. de Senatus Spirenſis iuriſdictione: quæ quod Proteſtantes non admitterent, priuatim illis cauit, & ſe de dogmatis nondum conciliatis nullum ipſis modum præſcribere declarauit: monachorum cœnobia non diruenda, ſed ipſos ad antiquam vitæ integritatem reuocandos, ſacrorum miniſtrorum prouentus non interuertendos: verum nulla diuerſæ religionis habita ratione iiſdem fruendos relinqui debere, neminem alterius ditionis ad diuerſam religionis profeſſionem alliciendum: multo vero minus eum qui ad illam defecerit, hoc nomine defendendum. Si quis tamen ſponte ad nouam religionis profeſſionem tranſeat, quin recipiatur haud prohibere. Auguſtanum decretum quod ad religionem attinet, lites item omneis de quibus an de religione ſint necne ambigitur, ac proſcriptiones donec vel concilio vniuerſo vel alio conuentu ſupra commemorato diiudicentur, ſuſpendit. Senatoribus Spirenſibus, vt omnibus ex æquo nulla diuerſæ religionis, ſiue eius profeſſionis habita ratione ius reddant, edicit. Quum ſic Proteſtantibus priuatim cauiſſet, illi aduerſus Turcam auxilia pollicentur. Aderant Hungari, Auſtrianique legati, qui intentis precibus auxilia implorabant. Quinto nonas Iulij de Cliuenſi grauiter queſtus erat Cæſar, quòd Gueldriam occupaſſet: in quam etiam Cæſar ius ſibi vendicabat, cuius libello exhibito fidem facere conabatur. Cliuenſem ad hunc

Cæſaris decretum.

Proteſtantes auxilia aduerſus Turcam pollicentur.

Digitized by Google

conuentum accerſiſſe addiderat, at illum longè aliud iter ingreſſum, in Galliam profe-ctum tacitè innuens: Cliuenſes legati principem ſuum excuſarunt, & quum ius illius explicare inciperent, ſurrexit Cæſar, atque abiit. Duodecimo Kalend. Auguſti Principes omnes, atque ordines pro Cliuenſi deprecantur: Cæſarem vt eum in fidem recipiat, & amicè cum ipſo conueniat, rogant, aut ſi conuenire non poteſt, vt ius ſuum iudicibus, arbitriſue permittat: armis viribus longè inferiorem ne perſequatur: ne forte illi iniuriam facere videatur. Cæſar per Ioannem Nauium, quem in Heldi locum Granuellanus ſurrogarat, reſpondet ſe demirari quum hic conuentus Germaniæ inter ſe conciliandæ ergo inſtitutus ſit, nec tamen in vllo, aut certè in perpaucis capitibus conſenſerint, licèt multum iam tempus magna ſua cum iactura, moleſtiáque inſumpſerint, cur in hoc vno quod maximè ſua priuatim intereſt, tantopere conſentiant: ita illos non ſine aperta animi exulcerati ſignificatione dimittit. Poſtridie Raimundus Franciſci Regis legatus ad ea de quibus Regem herum in hoc conuentu Sabaudus regulus accuſarat, de-

Rinco ac Cæſar Fregoſius Regij legati cæſi.

ſcripto reſpondit queſtus eſt etiam Rex de Cæſare Fregoſio Genuenſi, & Antonio Rincone Hiſpano exule legatis ſuis ſub initium huius menſis cæſis: de quibus poſtea fuſiùs agetur: at Regiorum poſtulatorum Germani nullam rationem habuerunt. Cliuenſem

Cliuenſis hoſtis declaratur.

regulum, quod ſine Cæſaris authoritate Gueldriæ poſſeſſionem adiiſſet, hoſtem declararunt: vt Carolus Sabaudus regulus totius Germaniæ conſenſu, ſumptuque in integrum reſtitueretur, decreuerunt: ne milites Germani Gallicum ſtipendium mererent, grauibus indictis pœnis ſanxerunt; quo nomine omneis de religione controuerſias Proteſtantibus Cæſar remiſit: & illud ſuum INTERIM vti vocatunt, edidit.

Algerianam expeditionē Cæſar ſuſcipit.

Ratiſbona profectus Mediolanum, inde Lucam, vt Algerianam expeditionem ſuſciperet, & cum Paulo Pontifice de concilio ageret, contendit: quod in ſequentem annum 54
indictum eſt. quanquam viri prudentes id inter tantas Cæſaris, Galliq́ue Regis ſimultates, odiáque breui in apertum bellum eruptura cogi non poſſe exiſtimabant: Cæſarem à maritima expeditione deterrebat Pontifex Paulus, quòd autumno iam ad hyemem inclinante perdifficilis nauigatio eſſet: idem Andreas Auria ſuadebat: pertinax animus à ſuſceptis rebus haud facilè dimoueri ſolitus in ſententia perſtitit. In concilianda Germania multos menſes inſumpſerat, nec quicquam profecerat; tantos belli apparatus quanti vt reſiſteret, neceſſarij erant Turca imminente facere non poterat: præſertim quum Proteſtantes tardius auxilia promiſiſſent, needum ſatis certa eſſent: quam ob rem ne Solymano cedere, aut eundem timere videretur, in Africam vires ſuas tametſi alieno tempore conuertit. Quum Cæſar è Belgica diſcederet, Ratiſbonámque peteret, Franciſcus de recuperando Mediolano deſperans, & de bello prima quaque occaſione in-

Franciſcus bellum meditatur.

ferendo cogitans clam cum Proteſtantibus, & cum Cliuenſi egit, vt illos aduerſus Cæſarem accenderet: fruſtra quidem cum Proteſtantibus, qui ab Imperij fido ſibi diſcedendum non putabant: ad Franciſcum nihilominus tum, hoc eſt, menſe Maio Ratiſbona ſcripſerant, vt mitius cum ſuam doctrinam profitentibus ageret: quorum multi in

Proteſtantes in Gallia grauiter plectuntur.

vinculis erant, alij latebant, nonnulli puniebantur: nec veniam conſequebantur, niſi nouam doctrinam abiurarent: quam conditionem illis remitti poſtulabant. Hiſce mulctandis occaſionem dederat à Bartholomæo Chaſſaneo Gratianopolitani Senatus magiſtro anno ſuperiore in Merindolinos Phocenſis prouinciæ vicum lata ſententia ſeuera quidem, ſed quadriennio altera longè ſeuerior ſequuta eſt: vt ſuo loco explicabimus. At

Cliuenſem in Galliã profectũ ſibi Rex deuincit. Regis Nauarræ filia ei in cõiugẽ deſpõſa.

Cliuenſis in Galliam ad Franciſcum acceſſit, quem vt magis ſibi deuinciret, eidem Ioannam Henrici Alebreti Regis Nauarræ, & Margaritæ ſororis filiam Franciſcus deſpondit, inuitis ſane parentibus: & Ioanna nondum vndecimum ætatis annum impleuerat: verum quum ad nubilem ætatem perueniſſet ad Cliuenſem deduci debebat. Tantus harum innuptarum nuptiarum luxus fuit, vt longè plures in has, quàm in ſuam coronationem Cæſar, Franciſcus ſumptus fecerit. celebratæ ſunt menſe Iunio ad caſtellum Heraldi in Pictonibus loco percommodo: repræſentati in ſepto ſiluis conſito equites probati errantes menſæ rotundæ quam Arcturus Angliæ Rex inſtituiſſe fertur: quales noſtrorum

Immoderatus Franciſci luxus in iis nuptiis.

hominum fabulæ deſcribunt: inter equitandum in Nymphas Regio ornatu inſtructas incidebant: vtrique quid inuicem colloquerentur, edocti erant, & fortaſſe nonnihil de ſuo addebant: multa quoque alia inſani ſumptus genera edita ſunt, quæ prætermittere

Salinarium vectigal vehementer augetur.

ſatius eſt. Eodem menſe ſalinarium vectigal Franciſcus vehementer auxit: cuius exigendi quum diuerſæ formæ diuerſis temporibus inſtitutæ ſint, eas ſigillatim perſequi ſuperuacaneum putaui. Vt autem tributa annua non amplius de trium ordinum conſenſu,

ſed

Digitized by Google

ſed ex animi voluntate indicebat: ſic & in ſalinario vectigali idem ſibi permittebat: ex ephebis & ex tutorum ſeruitute eduxiſſe iactabat. Gallorum duodecim patricios, ſiue pares, vt vulgò appellantur, ac trium ordinum conuentus Gallorum Regum tutores, ac curatores appellabat: ſine quorum authoritate antiqui Reges de ſuo patrimonio viuere ſoliti nullum tributum indicere ſolebant. Hic omnem illorum authoritatem in ſe tranſtulit, & quicquid liberet, ſibi permiſit: pulſo Carolo Borbonio vltimo Boiorum regulo, cæteri Galliæ principes nec diuitiis, nec authoritate, nec animi magnitudine cum illo conferendi mutire non audebant: quos ad maiorum prouinciarum adminiſtrationes, cæteráque munera honoratiora Franciſcus non admittebat: ea nouis hominibus nullis ſuis meritis, verum aulicis adulationibus ſibi acceptis mandabat.

55 Id fere temporis Franciſcus Antonij Lotharingi reguli maior natu filius Chriſtinam, ſiue Chriſtiernam Chriſtierni Daniæ Regis filiam vxorem duxit: aliquot ante annis Antonius Annam filiam Renato Cabillonio ſiue Cabillonenſi Arauſio principi collocarat, quæ ambæ affinitates Franciſco Regi bellum iam aduerſus Cæſarem meditanti permoleſtæ fuerunt. Cæſari enim Arauſius omnino addictus erat: Franciſcus Lotharingus Cæſaris ex ſorore neptis maritus eodem propenſurus videbatur; tametſi poſtea ita prudenter ſe geſſit, vt in neutrius inimicitias incurreret: tum etiam Guilielmum Poietum Cancellarium Franciſcus in cuſtodiam tradi, & in turrim Biturigum concludi iuſſit: in cuius locum Franciſcum Montelonem ſurrogauit, nec tamen Cancellarium, ſed Regij ſigilli magiſtrum vocauit: neſcio quod diploma à Rege mandatum Regio ſigillo munire Poietus, recuſaſſe ferebatur: alij alias cauſas aſcribunt. Fuit Poietus patrio ſermone eloquentiſſimus, ingenio acerrimo, ſed & inſolentiſſimo, ac mirandum in modum maligno: is tamen initio ſui muneris aliquot edicta ad lites dirimendas, aut citius finiendas peridonea ediderat: eoque nomine noſtris hominibus ſupra cæteros mortales litibus vexatis multum profuerat: inter quæ illud vtiliſſimum fuit, quo curionibus vt in ſuis parœciis infantium natales dies ſcriberent, ſuſceptores nominarent, & ſingulis annis proximæ Regiæ iuriſdictionis ſcribis ſua manu ſubſignatos traderent: ſic enim omnium ætates qui maiores natu, qui minores perſpiciebantur, vnde lites innumerabiles exoriri ſolent. Verum & hoc, vt cætera regia edicta paruo temporis interuallo antiquari ſolent, iam non obſeruatur. Sub idem tempus Georgius Auſtriacus Maximiliani Imperatoris filius nothus Valentinus Archiepiſcopus, atque Eburonum Pontifex deſignatus propter Fregoſium ac Rinconem cæſos Lugduni comprehenſus, atque in cuſtodiam traditus eſt. Anno ſuperiore propter bellum Subalpinum malè adminiſtratum accuſatus Philippus Chabotus Brio Amyralius, & virorum primariorum è diuerſis Senatibus accerſitorum, quibus Poietus Cancellarius præſidebat, ſententia Meloduni pronuntiata repetundarum, ac læſæ Maieſtatis dãnatus, atque in Vincenniam arcem relegatus eſt omnibus muneribus, quæ ampliſſima adeptus erat, priuatus: quanquam autem huiuſmodi ſententiæ tã ſolemniter latæ rariſſimè reuocantur, Stempenſi nihilominus hera, quæ cum illo affinitatem contraxerat, & Regi in delitiis erat, adnitente menſe Maio antequam Cliuenſis in Galliam veniret, in integrum reſtitutus eſt: paulò pòſt quam Annæus Mommorencius eius æmulus, qui Regi tam multa de Cæſare pollicitus erat, è Regia aula excluſus fuiſſet: adeo aulica gratia inconſtans, incertáque eſt.

Franciſci Lotharingi, & Chriſtinæ Daniæ Regis filiæ connubium.

Poietus Cancellarius in cuſtodiã coniectus.

Fregoſius & Rinco Regis legati à Georgio Auſtriaco cæſi.

56 Cæſarem Genuæ ſuprà reliquimus: is cum ſex & triginta longis nauibus è portu Veneris ſoluit, & ad Corſicam graui tempeſtate iactatus cum paucis triremibus ad Inſulæ regionem, quæ Italiam ſpectat, anchoras fixit: ibi dum iratum mare deferueſceret, ac triremes cæteræ coirent, biduum commoratus ad portum Syracuſanum (Bonifacium vulgo appellant) curſum tenuit: cæteras naueis quas è Sicilia, regnóque Neapolitano Ferdinandus Gonzaga Siciliæ Prorex, quaſque ex Hiſpania Mendocius, ac Ferdinandus Toletanus Albæ regulus adducebant, Baleares inſulas petere iuſſerat. è Bonifacij portu Algaram nonam Sardiniæ vrbem nauigauit, vbi vitulus biceps à muliere ruſtica illi oblatus infelicem nauigationem portendere viſus eſt: biduum quoque ibi commoratus vela fecit: ad Baleares inſulas ſicut cæteræ claſſes curſum continuaturus. Vbi in conſpectum minoris acceſſit, grauior altera tempeſtas, eò vnde venerat, aut aliò reieciſſet, niſi magna remigum contentione impulſæ triremes ventis furentibus obſtitiſſent: ita tamen obſtiterunt, vt ſeptem horis vix totidem paſſuum millia confecerint, & tandem ad Magonis portum appulerint. Biduo quoque hic tantiſper dum maris tranquillitas expectatur, conſedit: deinde ad maiorem tranſmiſit, quo Gonzaga cum centum quinquaginta onerariis,

Cæſaris ad Algerii nauigationes.

Digitized by Google

onerariis, ſeptem triremibus appulerat. Expectata triduo eſt Mendociana claſſis, in qua triremes quindecim & præter eas centum Belgicæ, Cantabricæque magnæ naues, plures item lenunculi eſſe ferebantur: ſed ad Cæſarem nulla triremis eas iam tranſiiſſe in Africam nuntiauit: itaque inde ſoluens tota claſſis ad Algerij littus ad decimum Kalend: Nouembris tridui nauigatione peruenit: & in Africam quoque Mendociana claſſis appulerat: in vtraque peditum Germanorum, Hiſpanorum, Italorum, Siculorum duo & viginti millia, equites verò qui vel cum Gonzaga è regno Neapolitano, vel cum Mendocio ex Hiſpania acceſſerant, mille, aut paulò plures: ſerenum erat cœlum, ſed mare nondum ex recenti tempeſtate tranquillum: itaque in terram exponi milites non poterant, quin ad vmbilicum vſque marinas aquas exciperent, inſtante hyeme frigidas: quos Cæſar adhuc nauſeantes, madenteiſque, ac rigenteis Mauris audacibus obiicere nolebat. Necdum ſe Hiſpani Mendociani adiunxerant, quos meritò expectandos iudicabat, vt viribus vniuerſis vrbem adoriretur: at ea bidui mora tametſi certa ratione interpoſita vrbis potiundæ facultas adempta eſt: vbi milites terram attigerunt, in ſuam quique aciem redacti ſunt: Mauros, Numidáſque è montibus deſcendenteis, & in noſtros irruenteis tormenta è triremibus, lenunculiſque proxime ad terram appulſis facilè repulerunt: primam aciem cum Hiſpanis Gonzaga, mediam cum Germanis Cæſar, poſtremam cum Italis, quibus Melitenſes equites cum his, quos adduxerant, militibus admixti erant, Camillus Columna ducebat; equitibus Albanus regulus præerat. Ita incedentes circiter mille paſſus progreſſi ſunt, atque ibi pernoctarunt, Numidis tota nocte noſtros, præſertim qua Germani caſtra habebant, laceſſentibus: quibus Cæſar aliquot Hiſpanorum ſclopetariorum cohortes oppoſuit, & poſtridie ad vrbem acceſſit. In montibus ſummis conſedere Hiſpani Numidis fortiter repulſis: qui inde potiſſimum in Cæſarianos impetum faciebant: in mediis collibus inter Germanos Cæſar prætorium fixit: planioribus in locis caſtra poſuere Itali, ac Melitenſes milites portæ vrbis & mari, quod eandem alluit, propinquis.

Ad Algerij littus Cæſar appellit.

Cæſarei exercitus ordo.

Algerium Iubæ regia.

Algerio, quæ Iubæ olim regia Iulia Cæſarea vocata eſt, præerat Aſanagas eunuchus 57
natione Sardus, qui à Chriſtianis ad Mahometana ſacra defecerat, cum Turcis octingentis: reliqua multitudo vel ex Mauris Bethica, quam octingentis quondam annis poſſederant, oriundis, vel ex exulibus Balearium inſularum, qui propter rebellionem eò confugerant, & Mahometanos ritus ſequuti erant, vix quinque millia implebat: ſed & magnam Numidarum tam equitum, quàm peditum manum Aſanagas mercede conduxerat, qui Cæſarianos continuis impreſſionibus laceſſebant: poſtridie vrbem tormentis Cæſar quatere deſtinabat, quorum bona pars adhuc in itinere erat: verum enimuero à prima vigilia ad auroram vſque denſus, ac frigidus imber procella mixtus tanta vi milites palliis, cæteroque amictu, ac tentoriis carenteis, quæ in nauibus reliquerant, perculit, vt viribus, animíſque planè deficerent: & nocte inſomni peracta frigore torpidi, pluuiaque madentes congreſſum hoſtium horrerent. In ea perturbatione Turcæ equites mixtis peditibus Mauris, qui equorum curſum exæquabant, in treis Italorum cohorteis quæ extra caſtrorum foſſam medio inter portam, vrbémque ſpatio excubabant, prima aurora irruunt: & ſclopetariis ob ſulphureum puluerem madefactum ſclopetis vti nequeuntibus in fugam verſis haſtatos paululum reſiſtentes obtruncarunt tanta audacia fugientium tergis inſtantes, vt nonnulli caſtrorum foſſam ſuperarint, atque in proxima tentoria irruperint: quos Italorum conglobatæ cohortes, aliæ item vltra pontem eductæ Columna duce repulerunt. Nec vltrà perſequi Columna decreuerat, niſi Gonzaga fugientibus inſtandum cenſuiſſet, Auguſtinúmque Spinulam vt acceptam ignominiam præclaro auſu ſarciret, cohortatus ad perſequendum induxiſſet. Itaque Itali magna alacritate irruentes barbaros fuderunt niſi porta occluſa fuiſſet cum ipſis in vrbem irrupturi: barbari per tramites notos porta altera in vrbem intromiſſi ſunt: at Itali ſeſe recipientes, & è muro ſclopetis, tormentiſque petiti paſſim cæſi fuerunt. Cædem auxit Aſanagoras cum Turcis, Mauriſque ex vrbe egreſſus, & perturbatos facilè in fugam vertit: erant enim magna ex parte tirones ob præcipitatam Cæſaris profectionem tumultuariè collecti: ſoli Rhodij, ſiue Melitenſes milites fortiſſimè reſtiterunt, & per conualles præſentibus animis dimicantes, ſignifero, & paucis aliis amiſſis, ſe ad caſtra receperunt: barbarorum tamen audaciam veterani milites ad pontem ſtrenuè reſiſtentes compreſſerunt: ſclopetarij in quibus Cæſariani præcipuam ſpem collocabant propter recentem imbrem inutiles erant. Mauri, & Numidæ qui è montibus delapſi ad has impreſſiones

Imber & frigus Cæſarianis infeſtus.

Turcæ in Cæſarianos irruunt.

Mauri baliſtis pugnantes.

accurrebant,

Digitized by Google

accurrebant, & numero, & armorum genere ſuperiores erant: ſagittis enim, & baliſtis arcuferreis, quæ loricas etiam penetrabant, & iaculis patrio more certabant. Cæſare autem cum Germanis ſuppetias ferente tormenta currulia metuentes, & pedem referentes aufugerunt: at eorum plerique, Numidæ item è montibus deſcendentes Cæſarianarum nauium naufragium conſpicati ſpe prædæ ad littora accurrerunt, multóſque qui è naufragio in terram euaſerant, trucidarunt: quibus Hiſpanorum ſclopetariorum duo millia Cæſar præſidio eſſe iuſſit: verum nautæ ſibi tutum ad terram eſſe receptum animaduertentes nec eadem contentione, qua prius vi tempeſtatis reſiſtentes ſe in terram eiici ſinebant, vnde euenit, vt plures naues in ſcopulos terrámque compulſæ mergerentur. *Graue naufragium Cæſarianæ naues paſſæ.*

58 Ea autem ſæuitia tempeſtatis fuit, vt centum & triginta naues, quæ velis quadratis ſine remigibus agebantur, quindecim triremes, lenunculi vero omnes, quos Scarzapinos vulgo appellabant, deſiderati ſint, totóque fere commeatu demerſo Cæſar exercitum equis qui ſuperfuerant interfectis triduo alere coactus ſit: quo tribus fluuiis ſuperatis ad nauium ſtationem peruentum eſt: qui autem reliquus erat commeatus vix ad reportandos milites ſatisfacere potuit: tormentorum bona pars cum nauibus fluctibus obruta: quæ vero ad vrbis oppugnationem tranſportata erant, ob itinerum difficultates relicta fuerunt: in conſcendendis nauibus non parua difficultas fuit, quod ſcaphæ naufragio magna ex parte periiſſent. Cæſar Hiſpanos, quorum virtus ſibi ſpectata erat, hoſtibus oppoſuit: cæteros quàm celerrimè fieri potuit, naueis conſcendere imperauit, ne tempeſtate deintegro ſuborta ſcaphis vti prohiberentur: biduo in naueis recipi haud potuerunt: die tertio quum dimidia fortaſſe Hiſpanorum pars in naueis recepta fuiſſet, venti vehetius ſpirantes mare ita rurſus inflarunt, vt reliqua pars vix in naueis admitti potuerit: quæ naues maturius anchoras ſoluerunt, minus diſcrimen adierunt: quæ vero tardius graui tempeſtate iactatæ vix cæteras aſſequi potuerunt. Prima Rhodiorum triremis quum fractis rudentibus in ſcopulos propemodum eiecta non niſi magna contentione in altum promota fuiſſet, ſe ventis permittere, quàm eodem redire maluit: hanc tres aliæ ſequutæ ventis rapientibus Buziam, quæ Vzicatha Ptolemæo dicta aliquot ante annis ab Hiſpanis Nauarro duce capta fuerat, euaſerunt, quas Cæſar poſtea cum claſſe ſequutus eſt. Buziam adhuc inſederant pauci Hiſpani (ducentos quidam numerant) à Nauarro quondam relicti: quibus rarus ſuberat commeatus (ex Hiſpania enim importabatur) quod vltra pilarum tormentariarum iactum nihil ſoli poſſidebant: maioris tamen, minoriſque pecoris copia tametſi exigua viros Cæſariani exercitus primarios recreauit: bona ſpe cæteros milites implerat Liguſtica nauis commeatu onuſta: verum vbi appropinquauit, in ſcopulos eiecta naufragium fecit: collectis nihilominus è naufragio cibariis tametſi ſalſa alluuione corruptis milites famem vtcunque tolerarunt: poſtridie quàm Buziam appulit Cæſar, triremes cæteris nauibus ad Algerium præſidio relictæ eas partim demerſas, partim ad littus eiectas omnibus propemodum militibus quanquam ſeſe dedentibus cæſis renuntiarunt: quum iratum mare de ſuo feruore nihil remitteret, Rhodij equites miſſionem à Cæſare poſtularunt, atque impetrarunt: poſtulauit & Ferdinandus Gonzaga, atque vnà cum Siculis nauibus inde ſoluit: hi ſimul acri remigio vtentes Tunetum quatriduo peruenerunt: vbi à Rege Muleaſſe rebus omnibus neceſſariis ſuppeditatis liberaliter inſtructi, idoneumque nauigationi tempus nacti in Siciliam curſum direxerunt. Cæſar paucis pòſt diebus ad Baleares inſulas, inde ad nouam Carthaginem ſatis commoda nauigatione tranſmiſit diuina quodam modo prouidentia caſtigatus: qui ſi opportuna auxilia in tempore ſub prudentibus ducibus in Pannoniam miſiſſet, nec maiorem militum iacturam, nec maiores impenſas feciſſet, & bonam prouinciæ partem fortaſſe conſeruaſſet: Ferdinandi enim exercitus magis ducum imprudentia, quam hoſtium fortitudine deletus eſt: Cæſar vim tempori afferre conatus, atque alieno tempore nauigans prædictam à Paulo Pontifice Auriáque fortunam expertus eſt.

Dira fames ex demerſo commeatu.

Buziam graui tempeſtate iactatæ naues appellunt.

Rhodij equites miſſionem à Cæſare impetrant.

59 Is è Germania diſcedens Federico Palatino mandatum dederat, vt per Electores Principes cum Cliuenſi de reſtituenda Gueldria ageret: Cliuenſis ſe eandem iure poſſidere, cauſam totam iuris diſceptationi permittere reſpondit: orare ne ſibi immeritò iniuriam fieri patiantur: Granuellanum autem in Italia reliquerat ad Pontificem de concilio compellandum, & Senenſium ſeditiones componendas: quorum neutrum aſſequutus eſt. Ferdinandus verò Pragæ, quæ Bohemorum eſt Metropolis, conuentum egit, recitatiſque rebus in Pannonia infœliciter geſtis opem implorauit: cui Idibus Decembris Proteſtantes libellum tradunt: & propter diuinum cultum non bene adminiſtratum hæc mala accidere

Ferdinandus Pragæ conuentum celebrat.

Digitized by Google

accidere exemplis confirmare nituntur: ac Turcica fœlicitate abutentes eam inde emanare aiunt: quod Dei verbum purè, hoc eſt, ex illorum doctrina non doceatur: quum illorum doctrina, & ex doctrina excitatæ ſeditiones eam Chriſtianis infœlicitatem, calamitatémque attulerint: Ferdinandus eadem ferè, quæ in conuentu Ratisbonenſi Cæſar, reſpondit: & de vniuerſi Chriſtianiſmi concilio, aut Imperij conuentu intra menſes octodecim celebrando ſpem confirmauit: nec multum profecit. Algerianæ expeditionis infœlicitas Decembri menſe in Galliam perlata Franciſco Regi belli renouandi occaſionem dedit: ſe Cæſaris ſimulationibus deceptum, & Mediolani recipiendi ſpe deiectum agnoſcens Fregoſij, ac Rinconis cædem belli cauſam obtendit: Rinco exul Hiſpanus, & Franciſci apud Solymanum legatione functus non iniuria fortaſſe, Fregoſius præter ius cæſus videbatur: quanquam vterque diſſimulato habitu furtim euadens, nec apertè, vt legatus incedens cædi excuſationem dedit.

Franciſcus bellū aduerſus Cæſarem renouare cogitat.

Vſtrephus & Mahometes Turcæ Pannonia ingrediuntur.

Vſtrephum, ac Mahometem Belgradi præfectum Solymani duces ad Tolnenſem Danubij ripam ſupra reliquimus: vbi bonam hyemis partem conſederunt, declinante in ver hyeme accitis ex Illyricis montibus Marteloſiis, qui feri latrones in ſpeluncis, & arborum cauitatibus magna ex parte habitant, omnibuſque tam equitibus, quam peditibus quos conuocare potuerunt, Pannoniam ingreſſi Vacciam oppidum nullo præſidio defenſum ceperunt, atque incenderunt: inde Peſtum oppugnaturi progreſſi ſunt. Peſto præerat Barcocius Hungarus prætorianæ alæ præfectus: quem plerique alij Hungari duces cum ſuis alis comitabantur: Otho item Fotiſcus cum decem Germanorum cohortibus: qui vrbem ſtrenuè defenderunt: in Turcarum autem exercitu pauci inerant Ianizari pedites vrbibus oppugnandis aſſueti: at permulti Turcæ equites, atque Illyrici, Triballi, Marteloſij pedites exercitum implebant: verum hi ad oppugnationes nunquam antea aut raro tentatas inepti, & armorum genere inhabiles nullum egregium conatum edebant: quos Germanica phalanx in vrbe oppoſita ſolo ſuo conſpectu repellebat: certabatur nihilominus ſæpius equeſtribus præliis, & Hungari Peſto egreſſi Turcas equites identidem laceſſebant: propugnaculum turris quadratæ inſtar in vrbe altius erectum erat: vnde tormenta Turcarum munitiones perrumpebant: contra è Budenſi arce diſploſa interiecto dumtaxat fluuio Peſtana ædificia demoliebantur: quum aliquandiu ita certatum eſſet, & Regina Iſabella commeatum rarius mitteret, etenim ne in meſſem proximam non ſufficeret, timebat, equique conceptis antea morbis magno numero quotidie interirent, Vſtrephus, ac Mahometes traiecto deintegro Dannubio tormentis Reginæ bona fide reſtitutis in ſuas prouincias reuerterunt: quos perſequuti Hungari equites, poſtremoſque carpentes permultos, atque inter hos Achomatem cogendo agmini præfectum trucidarunt. Iam tum Cæſar Imperij Principes, cæteroſque ordines expectans Ratisbonam conceſſerat, & de Turcis repulſis nuntio perlatò de conſeruanda pariter Pannonia bene ſperare cœperat: ad quem Ferdinandus de mittendis auxiliis accuratè perſcripſit: quod de Turcarum reditu crebri rumores afferebantur: ſubſidio miſſus eſt Guillielmus Rochandulphus regiæ Ferdinandi aulæ magiſter cum aliquot Germanis cohortibus dux ætate quidem prouecta, ſed viridi ſenecta: qui decennio ante Budam Ioanne Rege ſe mœnibus continente quanquam infœliciter oppugnarat: cui Velſius vel propter inualetudinem, vel propter ſuſceptam cum Peteno ſimultatem facile ceſſit. Sed quoniam hic liber in iuſtam magnitudinem excreuiſſe mihi videtur, Rochandulphi profectionem in ſequentem librum reiiciendam putaui: vt eodem contextu quo aſtu, quod reliquum erat Hungariæ, Solymanus in ſuam poteſtatem redegit, breui narratione complectar.

Vacciam oppidū capiūt.

Peſtum oppugnant.

Ab oppugnatione deſiſtunt.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER VIGESIMVS-TERTIVS.

Anno 1541.

Rochandulphus ad Budæ oppugnationẽ ſe comparat.

1 ROCHANDVLPHVS cum Germanis cohortibus, quarum certus numerus non traditur, Viennam profectus, ibique acceptis muralibus tormentis & auxiliis à Bohemis, Sleſitis, Moldauíſque, qui Marcomani olim dicebantur, acceſſitis Velſianum exercitum in primis auxit, ac prouiſo in treis menſes commeatu, ſecundóque Dannubio deportato Budam oppugnare decreuit, quod Velſius prior Dux ſemper improbarat: Budam poſt priorem Rochandulphi obſidionem Ioannes Rex admodum auxerat Horſacorum nobilium Hungarorum ædes complexus, & multis propugnaculis munierat: foſſam quoque ex arce ad Dannubium exciſa rupe duxerat, qua ſeptem armati eadem fronte ad fluuium deſcendere poterant: quum antea non niſi per vrbem longo anfractu deſcenſus pateret. Erat Rochandulphus in ſtatariis quidem præliis vir fortis, ac ſtrenuus: ſed nec ipſe, nec eius milites vrbibus oppugnandis ſatis idonei erant. Quod ſi Cæſar, & Ferdinandus Albanum regulum, aut Ferdinandum Gonzagam cum Hiſpanis, Italíſque peditibus eodem miſiſſent, & Buda, vt veriſimile eſt, potiti fuiſſent, & ne Solymanus vel eo accederet, vel ſaltem ne vltra progrederetur, perfeciſſent: multas enim capiendæ vrbis bonas occaſiones Rochandulphus amiſit. Is igitur ad montem à Diui Gerardi templo denominatum & arci interiecta valle, atque ea quam diximus, foſſa, imminentem tormenta collocauit: atque inde turrim peramplam arci contiguam à Ioanne Rege paucis ante annis extructam ita verberauit, vt iamiam collapſura videretur: & arcem ipſam demoliri fortaſſe potuiſſet, ſi diutius perſeueraſſet: ſed vel quod ob interiacentem vallem ad inuadendum difficilis aditus erat, vel quod arci parcendum exiſtimabat, quæ à multis Regibus longo tempore magnificè ædificata non niſi ingenti ſumptu inſtaurari potuiſſet, tormenta ad Iudæorum ſepulchra tranſtulit: id loco nomen eſt portæ Iudæorum vicino: inde murum ab ea porta ad arcem pertingentem tanta vi tormentorum quaſſauit, vt partim procideret, partim recenti aggere impellente extra delaberetur, ita vt ad centum & viginti, aut quadraginta paſſus vix ad humanæ ſtaturæ altitudinem extaret, & breuibus ſcalis facilè ſuperari poſſet: quod Budenſes mirandum in modum perterruit. Sed Rochandulphus vel quod id non animaduertebat, vel quod nox inſtabat, Germaníque in tenebris diſcrimen ſubire non ſolent, vti occaſione neſciit: Budenſes ſumma diligentia omnibus omnis generis, ſexúſque accurrentibus, & in opus tota nocte incumbentibus nouum intus aggerem erexerunt, & relictas ad murum Germanorum ſcalas ad ſe traxerunt: has enim in tenebris Germani muro admouerant, vt poſtridie impreſſionem facturis paratæ reperirentur.

Germani per ruinas murorum Budam ingreſſi fortiter repellantur, multique cadantur.

2 Igitur ſub auroram Germani per ruinas conſcendentes magno conatu in vrbem irrumpere tentarunt, primuſque Otho Fotiſcus in muro cõiunctam domum penetrauit, ſequenteiſque ſocios ſubleuans in eandem intromiſit (tormentis enim magna ex parte perrupta erat) quum ibi & ad recẽtem vbique aggerem diu pugnatum eſſet, Germani & loci iniquitate, & hoſtium fortitudine repulſi plures in receptu, quam in ipſo conflictu ceciderunt:

à muro enim ſeparati, & miſſilibus & ſclopetorum glandibus, tormentorumque pilis
magis expoſiti erant: ex quibus ſi eos qui poſtea è vulneribus interierunt, adiungas, ſupra
octingentos cæſos prodiderunt: nec Perenus, qui murum inter Sabatinam portam, Hor-
ſacamque munitionem ſatis iuſta ruina proſtrarat, fœliciore impreſſionis ſuæ exitu læta-
tus eſt, niſi quod minorem ſuorum iacturam fecit: mox Auſtriani duces cuniculis rem
gerere cœperunt: multi enim è Rhetia cum Rochandulpho milites acceſſerant, qui ar-
gentariis fodinis, Bohemi ſecandis metallis aſſueti in id opus diligenter incumbebant.
verum anticuniculos Budenſes ita peritè opponebant, vt nihil hac quoque parte profe-
ctum ſit. Acceſſit potior vrbis potiundæ occaſio, ſi ea quidem commode Rochandul-
phus vſus fuiſſet: Budenſis iureconſultus Bornemiſſa Georgio Varadinenſi infenſus
Franciſco Reualio in caſtris Auſtrianis iureconſulto portulam, qua pacis tempore ad
fluuium deſcendebatur (ea ab æde Mariæ cognomento Germanicæ non longè aberat)
ſe adaperturum promiſit, qua Hungaros Auſtrianos intromitteret. Rem ad Rochan-
dulphum Reualius iureconſultus retulit: hominem rogauit Rochandulphus vt nemini
conſilium ſuum aperiret; vt res maturaretur, dumtaxat operam daret. Nocte condicta
quum Auſtriani Hungari per eam portulam intromittendi eſſent, Rochandulphus vel
vt captæ vrbis laudem ad ſe transferret, vel quod ſuis Hungaris non ſatis fideret, pro
Hungaris quatuor Germanorum cohortes immiſit, Germanorum cataphractorum equi-
tum manu ad viciniorem maiorem portam collocata, qua à ſociis Germanis vrbem ingreſ-
ſis patefacta in eandẽ vnà irrumperent. Bornemiſſa quum ab introëuntibus Reualium quę-
reret, nec vllum Hungarum reperiret, Germanicum fremitum dumtaxat audiret, opinione
ſua deceptus, neque enim Germanos ſanguinarios, ſed Hungaros Budenſibus ſuæ nationis
non infenſos ſe intromiſſurum ſperauerat, portula illa ad Auſtriana caſtra euaſit. Germani
quo ſine duce proficiſcerentur, ignari, & dolum ſubeſſe ſuſpicati lentè incedebant: Bu-
denſes vigiles teſſeram à primis poſtulant: quam quum Germani non redderent, ad ar-
ma conclamant. Germani ſe proditos coniicientes ſine conflictu fugam arripiunt, haſtis,
vt expeditius fugerent, ad portulam abiectis: quibus poſtremi exitu prohibiti à Buden-
ſibus irruentibus cæſi fuerunt. De Bornemiſſæ, Reualiique familiaribus quæſtiones ha-
bitæ totam proditionis ſeriem aperuerunt, & Rochandulphi imprudentiam declararunt:
qui deinceps non oppugnandam, ſed obſidendam vrbem tot bonis occaſionibus amiſſis
exiſtimauit: magna enim Budenſes rerum omnium penuria laborabant.

Cuniculi impugnatorum anticuniculis propugnatoris peritè excipiuntur.

Proditio ad exitum non perducta.

At Solymanus de Vſtrepho, Mahometáque Belgradenſi Peſto repulſis, & de copiis quæ 3
à Cæſare, ac Ferdinando in Hungariam mittebantur, certior factus, Mahometem Baſ-
ſam natione Dardanum cum magnis Ianizarorum, Boſnenſiúmque copiis in Panno-
niam Reginæ Iſabellæ opem laturum ire iubet. Is inter eundum Mahometem Belgra-
denſem cum his, quos habebat tam equitibus, quam peditibus ſibi adiunxit, & Panno-
niam paulò poſt æſtiuum ſolſtitium ingreſſus eſt. Et quoniam Andream Auriam ingen-
tem claſſem exornare Solymanus intellexerat, Hariadeno Barbaruſſæ vt ſuam oppone-
ret, ne quam Græcia, Peloponneſúſque iacturam faceret, iniunxit. Muſtaphæ Nicopoli-
tano præfecto, vt ad debellandum Stephanum Maylatum pergeret, quem à Ferdinan-
do ſtare didicerat, Petro Moldano Valachorum regulo, vt Muſtaphæ adeſſet, mandauit:
is triginta ſuorum equitum millia Muſtaphæ copiis adiunxit, & Maylatum dolo perfidia
mixto cepit: arceſſitum enim in caſtra Turcica data publica fide, miſsíſque obſidibus com-
prehendi iuſſit, & Muſtaphæ ad Solymanum deducendum tradidit. De Turcarum ad-
uentu allato nuntio variis inter ſe Auſtriani duces ſententiis certarunt: Perenus, & non-
nulli alij tanto appropinquante exercitu obſidionem ſoluendam, & Peſtum traiicien-
dum, atque ibi aut ad Vicegradum, Strigoniumue caſtra loco tuto munienda ſuade-
bant, expectandumque donec firmiora auxilia aduentaſſent: vicit pertinacia ſua Rochan-
dulphus, qui exercitum amittere potius, quam pedem referre conſtantis ducis eſſe exiſti-
mabat. Caſtra igitur ad Girardi montis radices transfert, qui inter Budam, & caſtra
poſitus latam planitiem orientem verſus deſpectabat, ea ad læuam Dannubio, ad dex-
tram longa munitione ad montem reducta: à tergo lato aggere, qui Budæ portam tur-
rimque aquariam ad fluuium ſitam reſpiciebat, à fronte foſſa, atque aggere in quo bo-
na tormentorum pars collocata eſt, muniebantur: caſtris ponte iuncta erat parua
inſula ex qua aggere extructo, ac muralibus tormentis inſtructo hoſtiles naueis re-
pellere, planitiemque obliquè infeſtare perfacile erat: Cepelliam proximam, ſed ma-
iorem inſulam in quadraginta paſſuum millia longitudine protenſam Hungari munire
ſuadebant, verum Rochandulphus quod viribus inferior erat, exercitum diuidere noluit:
pontem

Solymanus Mahometem Baſſam cum auxiliaribus copiis in Pãnoniam Iſabellæ mittit.

Rochandulphus hoſti venienti cedere indignũ iudicat.

Digitized by Google

pontem potius coagmentatis inter ſe nauibus Danubio imponere deſtinabat, vt caſtra cum Peſti mœnibus coniungeret: vbi tantus erat commeatus, rerúmque bellicarum apparatus, vt in bonam hyemis partem ſatis eſſe poſſet: ſic ſe tuto expectaturum acceſſura è Norico auxilia ſperabat. Mahometes Baſſa de commodo caſtris ponendo loco à Valentino Thuraco, qui illi cum duobus equitum millibus obuiam proceſſerat, edoctus caſtra caſtris confert, quingentis, aut paulò pluribus paſſibus interiectis; eáque alta, latáque foſſa, atque aggere ſtatim firmat, totamque planitiem tentoriis complet: magnam enim Ianizarorum, atque Aſapporum ſagittariorum, Belgradenſis autem Illyricorum ac Triballorum manum adduxerat: equitum autem numerus, peditum numerum Turcarum more ſuperabat: raræ peditum, multæ initio equitum excurſiones, velitariáque certamina fiebant: in quibus Turcæ fere ſuperiores erant Germanis, atque eorum equis ad huiuſmodi pugnas ineptis.

Mahometes Baſſa caſtra caſtris oppoſuit.

4 Hungari & equorum pernicitate, & pugnandi conſuetudine & animorum alacritate pares erant: ſed paulò poſt huiuſmodi excurſiones Rochandulphus prohibuit, quod fere Germanis infeliciter cederent. Soli Hungari exules in Turcas ſæpius inuehebantur; viribus inferiores ad Germanorum caſtra receptum habebant: maioribus nihilominus interim, minoribuſque tormentis potius, quam militum armis diu certatum eſt: & paruam inſulam Turcæ cæſis aliquot Germanis cuſtodias negligenter obeuntibus occuparant, quos tamen Auſtriana claſſis, cæteri Germani, Bohemíque æquata clade repulerunt: Naſadas treis ceperunt, quatuor depreſſerunt: verum militum vtriuſque exercitus non eadem conditio erat: ſaucij, ægrique Turcæ Belgradum deportabantur: inde eorum loco recentes & quidem longè plures quotidie ſummittebantur. Auſtriani Peſtum perfugium habebant, in quorum locum nemo ſuccedebat: tandem Valentinus aſſumptis equitibus Turcis, Ianizariſque Auſtrianos Hungaros è ſuis caſtris depulit, & Girardo monte potitus eſt, vt Auſtriani vndique ab hoſtibus premerentur. In ea perturbatione Valentinus Perenum de Solymani aduentu clam admonuiſſe fertur: ſe, ſuóſque Hungaros è præſenti clade eriperet: Germanos rei bellicæ imperitos ſuæ pertinaciæ pœnas dare pateretur. Id ad Rochandulphum refert Perenus, in conſilium itur: omnes vno Rochandulpho excepto Peſtum traiiciendum cenſent: is ſe niſi Ferdinandi mandato Buda haud diſceſſurum profitetur: Salma Viennam mittitur, qui id Ferdinando renuntiet. Interim periculo magis imminente, metúmque augente obſcura nocte Peſtum quatuor traiectionibus, aut commeatibus, vt familiari Iulio Cæſari dictione vtar, transmittere ſtatuunt: quum enim pontem ante iunctis nauibus propemodum abſoluiſſent, oborta repente grauis tempeſtas naueis abruptis anchorariis funibus diſſoluerat; ita Auſtrianis aduerſa omnia fuerunt: primum Hungari cum maioribus tormentis, deinde Bohemi, ac Germani equites feliciter traiecerunt: ſed duo Vſarones transfugæ Georgio Valentinóque Auſtrianorum diſceſſum, aut potius fugam indicarunt: illi quod audierant ad vtrumque Mahometem retulerunt; qui ſtatim cum omnibus copiis, atque tormentis ad oppugnanda Germanorum caſtra properarunt: totis caſtris excitatur ingens tumultus, nullum ducum imperium in tanto tormentorum tonitru exauditur. Et Rochandulphus tabulati fragmento tormenti pila diſiecto in læuum humerum vulneratus erat: minora Hungarorum caſtra à paucis peditibus defenſa Valentini, Mahometíſque Belgradenſis milites capiunt; Germani qui primi naueis conſcendere poterant, fugam capeſſebant.

Turcæ occupant paruam inſulam, ſed ab Auſtriana claſſe repelluntur æqua vtrinque clade.

Mahometes caſtra Germanorū adoriuntur, & Rochandulphus vulneratur.

5 Georgius autem multis paleis, ligniſque accenſis multam flammam excitauit, qua properantes Peſtum Germanorum naues clarè perſpiciebantur. Ea commoditate vſus Caſſonus claſſis Turcicæ præfectus trepidanteis adoritur: multas vel capit, vel demergit: Auſtrianæ tamen biremes, maioréſque Naſadæ è Turcarum manibus elapſæ, nulla iactura facta in Inſulam Comaram euaſerunt. Soli Bohemi, Othoniſque Fotiſci, atque Helchij fortium ducum Germani pedites pro caſtris ſtrenuè dimicantes honeſtam mortem obierunt. Tanta autem Auſtrianorum Peſti conſternatio fuit, vt quum vrbs defendi facilè poſſet, omnes ſtatim profugerint, Caſſonúſque apertas, nulliſque præſidiis firmatas portas ingreſſus ingenti præda ditatus ſit: amiſſa tam in caſtris, quam Peſti maiora tormenta ſex & triginta: minora quæ tamen curribus impoſita erant, centum & quinquaginta produnt: tanta autem Peſti tormentarij pulueris, pilarúmque, & commeatus copia erat, vt magno exercitui in totam hyemem ſufficere poſſet. Rochandulphus quum in mediis caſtris pugnaretur, inuitus à ſuis in nauiculam ſublatus Comaram perductus eſt: vbi paulò poſt tum ex vulnere,

Rochandulphus ex vulnere & animi ægritudine diē obit, viginti Chriſtianorū millibus in conflictu cæſis.

ex vulnere, tum ex animi ægritudine fato functus eſt. Viginti Chriſtianorum millia hoc bello interempta produntur: ſubſtiterat ad Adrianopolim Solymanus, & alterum longè maiorem exercitum coëgerat, ac magnis itineribus Budam contendebat: inter eundum de ſuorum victoria certior factus de celeritate aliquantum remiſit; appropinquans autem propter fœdum cadauerum odorem, & vt commodius aquaretur, ad veterem Budam conſedit: captiuos circiter octingentos coram ſe trucidari iuſſit, aliquot dumtaxat ducibus exceptis: Regi puero per legatos dona miſit, vt ad ſe deduceretur, à Regina poſtulauit: cupere enim Regiam prolem videre, & liberis ſuis Selymo, ac Baiazeti ex Roxolana vxore, quos ſecum adduxerat, exoſculandam præbere, vt perpetuo amore ætate prouecti cum illo coniungantur: Muſtapham autem adoleſcentem ad arma natum metuens ad Ioniæ præfecturam allegarat. Regina recuſare non auſa infantem cum primariis Hungarorum proceribus miſit. Quum illi cum Baſſis pranderent, per certos duces Sabatinam Budæ portam Solymanus occupari iuſſit: vrbis compos factus puerum tametſi ſub noctem remiſit: proceres retinuit, Georgium ſcilicet Varadinenſem Pontificem ærario præfectum Petrum Vichium Regis propinquum ac tutorem, Valentinum Thuracum ſummum copiarum ducem, Stephanum Verbetium epiſtolarum, & Regij ſcrinij magiſtrum, Bacianum Vrbanum cuſtodiæ vrbis præfectum: Regina ad tyrannum vt proceres reciperet, legatos miſit: nec tum impetrauit.

Solymanus cum potenti exercitu Budã accedit, & ad veterẽ Budam cõſidet.

Is tertio Kal. Septembris Budam cum liberis ingreſſus in celebri templo, quod Mariæ 6
Chriſti matri dicatum fuerat, Mahometano ritu expiato Deo maximo gratias egit, ac vota perſoluit: Reginam cum puero ex vrbe exire iuſſit: Lippam illi regionem vltra Tibiſcum fluuium Sigiſmundi patris finibus propinquam condonauit: gazam omnem Regiam exportare permiſit: tormenta omnia, omne militare inſtrumentum, omnem commeatum retinuit: proceres Hungaros dimiſit: vno Valentino Thuraco excepto, quem quod homo militaris erat, ideóque Hungaris omnibus charus, quod pleraſque arces circa lacum Balatonem munitas habebat, & Hungaros, vt ſe à Turcica ſeruitute aſſererent, incitare poterat, poſtremo quod Perenum, vt ſe ſubduceret, Hungarorúmque ſaluti proſpiceret, admonuerat, cuſtodiæ tradidit, vnáque cum Maylato Byzãtium ſecum abduxit: mox vtrumque ad Euxinum pontum catenis vinctos relegauit, propoſita tamen libertate, ſi ad ſacra Mahometana deficere, & Turcicam militiam obire vellent. Ita Regina Iſabella, quæ Scepuſianam prouinciam à Ferdinando oblatam dedignata erat, cum proceribus, qui eadem regnandi libidine, vt ad barbarum tyrãnum Chriſtianorum hoſtem immaniſſimum confugeret, ſuaſerant, meritas ſuæ impietatis, ambitionis, ſtultitiæ pœnas dedit. Ferdinãdus intellecta ſui exercitus clade Leonardum Velſium tametſi ex longa valetudine nondum ſatis confirmatum, quod ante Rochandulphi aduentum ducis munere prudenter functus eſſet, & Budæ obſidionem nunquam probaſſet, in Comaram inſulam, vt reliquias exercitus colligeret, ac bona ſpe confirmaret, Nicolaum Salmam, Sigiſmundúmque Litheſtanium ad Solymanum legatos miſit, qui regnum Hungariæ iiſdem fere conditionibus, quibus ante Laſcus, poſtularent: tributum enim idem quod Ioannes ſe quotannis depenſurum Ferdinandus, & Carolum fratrem ad fœdus adducturum promittebat: vt Solymanus libere orientem verſus imperium ſuum propagaret: munera, ſine quibus tyrannum adire non licet, addebat: Germanicum ex auro grande poculum, machinámque argenteam, qua non ſolum horarum ſpatia, ſed & errantium ſiderum motus, Lunæque, ac Solis coitus repræſentabantur: ea Maximiliani Imperatoris olim fuiſſe dicebatur, quam Solymanus alioqui Aſtrologiæ Coſmographiæque deditus gratiſſimam habuit: nec tamen idcirco mitigatus cum Ferdinando non alia conditione pacem inire voluit, niſi quicquid in regno Hungariæ poſſidebat, ſtatim redderet, & Auſtriæ nomine tributũ penderet: ſe leui hac mulcta pro tot ſumptibus in exercitus ſępius in Pannoniam miſſos contentum præfatus. Quum legati ad tributi nomen horrerent & breues inducias, vt Ferdinandi interim reſponſum acciperent, petiiſſent, nec has quidem conceſſit, fraudulenter peti, vt ſe ad bellum renouandum pararent, ſuſpicatus. De reditu cogitans, Budæ Solymanum Eunuchum natione Hungarum, qui puer bello captus ad Mahometana ſacra tranſierat, præfecit: vt populares ſuos mitiore imperio regeret, & tolerabili ſeruituti aſſuefactos in fide contineret. Stephano Verbetio iuris dicundi munus reliquit, & circiter viginti dies ibi commoratus, quod autumnales pluuiæ imminerent, & Pannonia multis, magniſque fluminibus irrigata reditum difficiliorem præbitura videretur, Byzantium verſus remenſo, quo venerat, itinere contendit. Inter redeundum Hieronymum Laſchum virum inter Sarmatas nobilem, ac potentem, cuius ſupra mentionem fecimus,

Budam ingreditur, & Reginã cum puero in Lippam regionẽ iubet diſcedere.

Ferdinandus in Comaram inſulam mittit Leonardũ Velſium, reliquias diſſipati exercitus collecturum, & ſimul ad Solymanum legationem cũ muneribus.

Præfecto Budæ impoſito Solymanus ad diſceſſum ſe accingit.

fecimus, dimiſit: ſed lento prius veneno propinato, vt ferebatur, dignam viro impio mercedem rependit: is enim Ioanni Scepuſio, Pannoniæ regno pulſo Turcicorum auxiliorum implorandorum author fuerat, & hoc nomine legationem ad Solymanum ipſe ſuſceperat: quo tandem effectum eſt, vt Pannonia in Turcarum ſeruitutem deuenerit. Itaque Laſcbus non diu libertati ſuæ ſuperſtes fuit.

Anno 1542.

Hĕricus Angliæ Rex Catharinam Auardam capite truncari iubet.

7 Anni huius ſæculi quadrageſimi ſecundi initio Henricus Angliæ Rex Catharinam Auardam Bolanæ quondam Reginæ propinquam adulterij quoque conuictam, aut certè inſimulatam,nam quæcumque voluit, quæſtionum violĕtia extorquere potuit,capite pœnas dare iuſſit. Vitium præterea ante nuptias illi illatum exprobrauit, idque ſe deprehendiſſe prædicauit: quod ſi ita eſt, mirum cur eam annum & alterum dimidiatum, ac paulo etiam amplius in matrimonio habuerit, nec ſtatim repudiarit. Sextis poſt nuptiis Catharinam Parram ex equeſtri familia ſibi copulauit, quæ illi ſuperſtes fuit.

Cæſar Spirĕſem conuentum indicit.

In menſem Ianuarium Cæſar Spirenſem conuentum indixit, vtque Ferdinandus frater ſuo loco præſideret, mandauit: cui Hugonem Monfortium ac Ioannem nauium conſiliarios attribuit. Quinto Idus Februarij Principes conuenerunt, Brandeburgenſis ſcilicet Elector, Federicus Palatinus, Albertus Megelburgenſis, Erneſtus Badenſis, Moguntinus, Vormatienſis,Spirenſis, Conſtantienſis, Hildeſſemenſis Pontifices: cæteri legatos miſerant. Orationem habuit Ferdinandus: quanta diligentia religionis controuerſias componere, cæteraſque Reipub. Chriſtianæ præſertim Germanicæ parteis conſtituere Cæſar ſtuduerit, omnibus perſpicuum eſſe expoſuit: Ratisbonæ quum ipſe adeſſet, id aſſequi non potuiſſe: Ratisbona Lucam, vt Paulum Pontificem conueniret, & de concilio vnà cum illo, déque bello Turcico ageret,conceſſiſſe: perfeciſſe vt Pontifex legatum ad hunc conuentum ſe miſſurum, & amplius hiſce de rebus deliberaturum promitteret: inde ad Algerium oppugnandum nauigaſſe, quod inde præſertim barbari totam oram Hiſpanicam continuis latrociniis infeſtarent: tempeſtate prohibitum re infecta in Hiſpaniam rediiſſe; Solymanum interim Buda, Peſtóque firmiſſimis vrbibus, & ſolo Dannubio ſeparatis potitum ibi tormenta omnia, & quæ adduxerat, & quæ bello parta compererat, reliquiſſe: vt de eius maturo reditu nemo dubitare poſſit: paucas vrbeis ſupereſſe, quæ illius impetum remorentur, proinde ſerio de re ſumma deliberandum. Cæſarem quidem hic adeſſe cupere; tempore excluſum vt vicem eius obeat, mandaſſe: celeritate enim vt tam potenti hoſti reſiſtatur, qui vniuerſæ Germaniæ iamiam immineat, opus eſſe. Quid Hungari, quid Auſtriani, quid Bohemi, finitimique populi, quid item ſuarum ditionum viri eccleſiaſtici (vt vulgò appellantur) collaturi ſint, declarauit: vt illorum exemplum imitentur, orauit: aut enim hoſtem immaniſſimum repellendum, aut ſeruitutem miſerrimam, turpiſſimámque ſubeundam.

Ad eum conuĕtum Franciſcus Oliuarius Regis Franciſci legatus proficiſcitur.

Ad hunc conuentum Franciſcum Oliuarium Alenconium Cancellarium, qui poſtea etiam Galliæ Cancellarius fuit, Rex Franciſcus legatum miſit. Is poſtridie Idus Februarij in principum conſeſſu orationem habuit: eam Regis erga Germanos ſemper animi propenſionem fuiſſe, vt de captanda eorum beneuolentia laborare non debeat: quam non ſolum veteribus officiis Rex declararit, de quibus nunc agendi locus non eſt, ne recenſendo bene collocata exprobrare videatur, ſed etiam recentibus magis, ac magis confirmare conatus ſit: dum enim Ratisbonæ conuentus anno ſuperiore ageretur, & Solymanum in Hungariam inuaſurum rumor increbreſceret, ad eum legatos, vt aliò Turcica arma conuerteret, miſiſſe: cæterum legatos ſuos ſecundo Pado Venetias contendenteis à Cæſarianis militibus interceptos fuiſſe, & fortaſſe interemptos. Quid enim illis acciderit, non ſatis conſtat: quinetiam famam diuulgatam quaſi illos Rex ad Solymanum in Chriſtianos euocandum mitteret: quum Solymanum à Regina Iſabella, Hungaríſque Budæ obſeſſis in Hungariam accerſitum manifeſtum ſit: nec multò poſt acceſſiſſe cladem Hungaricam, quæ Regem incredibili moleſtia affecerit.

Eius de ſummittendis in Hungariam auxiliis ſententia.

8 Et quoniam in hoc conuentu de ſubſidiis in Hungariam ſummittendis deliberandum eſſe intellexit, in re tanti momenti ſententiam ſuam aperirĕ non alienum putauit, vt amicorum conſilia in magnis rebus inter ſe cōmunicari amicitiæ lex iubet: quod æqui, boníque conſulere Germani debeant. Bellum aduerſus Solymanū Chriſtiani nominis hoſtem acerrimum mouere Pannoniæ à Chriſtianis hactenus poſſeſſæ vicinitas, quæ Germaniæ propugnaculum ſemper fuit, fortaſſe hortabitur: & Germani bello ſtrenui non ſolùm ſuæ, ſed & vicinorum libertatis ſemper egregij propugnatores fuerunt: nec tam is hoſtis metuendus videri poteſt, qui quas è Chriſtianis victorias reportauit, non tam vera virtute, quam malis artibus conſequutus eſt: Belgradum propugnatorum ignauia,

Digitized by Google

Rhodum Meralij Luſitani equitis, Iudæique medici proditione, Budam recens auxilij ferendi ſpecie Regina Iſabella decepta, atque expulſa in ſuam poteſtatem redegit. Viennam anno huius ſæculi viceſimo nono fruſtra oppugnauit: triennio poſt quum Iunetium (Gniutium Iouius, alij Giuntium vocant) oppidum nequicquam circumſediſſet, Cæſarem ad Viennam caſtra metatum aggredi auſus non eſt: quin potius prælium declinans nulla re memorabili geſta Byzantium rediit. Hæc nonnullos ad bellum renouandum incitare poſſunt, ſed qui ita diſſerunt quaſi Germania inter ſe bene conſentiat, diſſerunt: quaſi bellum in aliquot annos continuare poſſit, neque quo cum hoſte res ſibi futura ſit, ſatis prudenter conſiderant, quicum ſuſcepta bella ſemper hactenus Chriſtianis infœliciter ceſſerint: quo in toto terrarum orbe nullus alius ſit vel potentior, vel fœlicior: Budam, Peſtúmque vrbeis ita munitas eſſe, præſidiiſque firmatas nemo non nouit, vt vix capi poſſe videantur. Quod ſi ibi prælio decernatur, &, vt incerta bellorum eſt alea, Germani ſuperentur, quod Deus omen auertat, quis exercitus ſuccedere poterit, quin prius hoſtis immaniſſimus in intimam Germaniam penetret, immo vero quin totam occupet? quæ vrbes, vna Vienna excepta, reſiſtendo erunt? Expectandum igitur aliud commodius tempus, vt interim conuocato concilio religionis controuerſiæ terminentur; principes Chriſtiani inter ſe concilientur, vt mox omnes concordibus animis in tyrannum crudeliſſimum vires ſuas conuertant. Dum enim ſeditiones inter Chriſtianos, aut bella flagrabunt, ſemper Turcæ maiores in dies progreſſus facient. Sic illi inopes quondam è Scythiæ latebris emergentes Helleſpontum Genuenſium nauibus traiecerunt, & fratribus de Peloponneſi principatu decertantibus ab altero accerſiti, eidémque ſuppetias ferre ſimulantes vtrumque expulerunt: ac paulatim vicinorum diſſidiis fines ſuos propagantes Conſtantinopolitanum tandem Imperium inuaſerunt: ſic iidem Hungariam nuper ab incolis de regno contendentibus euocati occuparunt, vt veteres hiſtorias in memoriam reuocare opus non ſit. Neque vero pro Hungaris tam anxiè laborandum videtur, qui fluxa fide nunc his, nunc illis partibus adhærent. Parua de cauſa ab alteris ad alteras tranſeunt, & Turcas ſua leuitate in patriæ ſuæ ruinam accerſierunt: quibus ſeruire, quam Germano principi integra libertate parere maluerunt; muniendæ igitur potius vrbes inter Hungariam Auſtriámque interiectæ: idem in Bohemis, cæteriſque finitimis populis accuratè præſtandum, id enim tutius, quam nullo à tergo præſidio relicto de re ſumma vno prælio decernere, nec vllum certum ſibi receptum relinquere: qui barbari, ſi ita fortè accideret, furorem, impetúmque remoretur. Quod ſi ille in Germaniam ſuis victoriis ſuperbus irrumpat, tum omneis Germaniæ vires explicandas: hanc enim eſſe veterem Germanorum animi magnitudinem, vt ſicut aliena temerè non appetunt, ſic ſua fortiſſimè defendant, & pro conſeruanda libertate extrema omnia ſubire non recuſent. Hæc oratio in bonam partem accepta non fuit: Rex enim Franciſcus Pannoniam Turcis in prædam relinqui velle videbatur, vt Cæſar de tuenda mox Germania ſollicitus res Italicas pro derelictis habere cogeretur. Et Vaſtius adhibitis quæſtionibus & ex litteris arbitrariis notis ſcriptis quarum explicationem vi extorſerat, Fregoſio, ac Rinconi iniunctum munus didicerat, atque ad Ferdinandum perſcripſerat: illum Venetias vt Senatum à Cæſaris ſocietate abalienaret, hunc Byzantium mitti, vt Solymano bellum Cæſari terra, maríque inferre perſuaderet.

Oratio Oliuarij ad Hũgaros auxilia mittere diſſuadentis non æquis animis à Germanis accepta.

Itaque Oliuarius à Germanis cum ſua conſultatione quodam modo contemptus, nec 9
æquis auribus auditus ante conuentum dimiſſum in Galliam rediit. Ioannes Moronus Mutinenſis Pontifex Pauli Romani Pontificis legatus de eius ſententia decimo Kalend. Aprilis à Ferdinando, Cæſariſque legatis rogatus in principum conſeſſu reſpondit: Paulum cum Cæſare de concilio, déque bello Turcico Lucæ egiſſe, ſed quod in Africam Cæſar feſtinaret, nihil tum potuiſſe decerni: Granuellanum in Italia remanſiſſe, vt vtrumque negotium promoueret. Quod ad bellum Turcicum attinet, Paulum & antea laboraſſe, & nunc pro viribus laborare, vt pactæ ad Niceam ſe authore inter Cæſarem, Gallúmque Regem induciæ inuiolatæ ſeruentur: & quoniam de bello Turcico varij rumores ſparguntur, nec quò irrumpat, certum ſit, ſi Cæſar belli dux ipſe ſit, quinque peditum millia, ſin alius, bis mille quingentos ſtipendio affecturum: idque iam Granuellano declaraſſe. Concilium autem de Cæſaris Ferdinandique conſenſu ſupendiſſe, quod concordiæ inter Germanos ſpes aliqua eſſe diceretur: quum id fruſtra ſperatum ſit, optare, vt quamprimum conuocetur. Quoniam autem de loco controuerſia eſt, nec eius ætatem, qui concilio intereſſe & velit, & debeat, tam longinquam profectionem, nec

Ioannes Moronus Romani Põt. legatus ſuã ſententiam proferre rogatur.

Ad conciliũ cogẽdum hortatur.

Digitized by Google

nec tantam cœli mutationem pati poſſe: adhæc Germaniam non omnibus placere: Bononiam certè, Ferrariam, Placentiam, Mantuam vrbeis amplas ſibi ſatis commodas videri: ſin hæ non placent, vt Tridentum ad Germania fines ſitum oppidum deligatur, non recuſare: cupiiſſe quidem breuiorem diem præſcribere, ſed propter temporis anguſtias in Idus Auguſti prorogare: vt omnes poſita veritatis ſtudio diſputationum pertinacia ibi conueniant, obnixè orare. Ferdinandus cæteríque veteris perſuaſionis, ſiue religionis principes, Cæſaríſque legati gratias egerunt, & ſi in Germania Concilium celebrari non poſſit, Tridentum haud diſplicere declararunt: at Proteſtantes, qui verbo quidem Concilium vrgebant, reipſa nihil magis refugiebant, neque Concilium à Pontifice indictum, neque locum, neque quod vlla in decreto Pontificis mentio fiat, probant: hoc eſt, ſe quodam modo Concilij dominos conſtituere volunt.

10 Mox aduerſus Turcam auxilia, quæ Ferdinandi copiis adiungantur, decernuntur: Ioachimus Brandeburgenſis Elector de communi conſilio, Cæſaríſque ſententia dux deligitur: ita tamen vt ſine octouirorum conſilio nihil ſtatuat, aut moliatur. Conuentus tertio Idus Aprilis dimittitur, alter Nurimbergam ad Idus Iulias propter bellum Hungaricum indicitur: ad triginta peditum, equitum ſeptem millia ad Viennam coiiſſe traduntur, inter quos Mauricius Saxo plurimum eminebat: legionibus Conradus Heſſius ac Volfangus, Theodoricus Suenus præerant, quibus ſe Ferdinandi copiæ adiunxerunt. Hunganotus Stiriæ præfectus decem equitum, quindecim Hungari millia adduxiſſe produntur, quibus Petrus Perenus, Gaſpar Seredius, Andreas Bator præerant: tria peditum millia Paulus Pontifex Alexandro Vitellio duce miſit: quem Sfortia Pallauicinus cum ſexcentis equitibus ſequutus eſt. Ad dextram Dannubij ripam in Hungariam deſcenderunt; ſed tam lento gradu, eóque ſæpius intermiſſo vt bonam æſtatis partem rebus gerendis idoneam elabi ſinerent, Hungaris, Italíſque multum conquerentibus: id an Brandeburgenſis, aut octouirorum ſocordia acciderit, an quod Germani in arcano Concilio nullum pro Hungaris grauius diſcrimen adire, vires duntaxat Germanicas oſtentare, & ſuos fines tueri ſtatuiſſent, vt tum ſuſpicio fuit, incertum. Nec Ferdinandus Viennæ ad expediendos commeatus ſubſiſtens vt accelerarent, multum vrgebat: is ſimplici ingenio fratris multum diſſimilis, ſuæ aulæ principibus, qui illius opes deuorabant, & alienæ virtuti inuidebant, nimium credens nihil vnquam memoria dignum geſſit: quod ſi Germanus exercitus acceleraſſet, occaſio optima erat: peſte abſumpti erant Solymanus Eunuchus Budæ præfectus, ac Stephanus Verbetius prætor Germanorum hoſtis infeſtiſſimus, ideóque hoc munere donatus cum multis præſidiariis militibus: necdum Turcica ſubſidia acceſſerant: & ſi proſpera initio fortuna Germani vſi fuiſſent, haud dubium quin cum illis ſe Georgius Varadinenſis Reginam Iſabellam à Solymano proditam ægrè ferens coniunxiſſet: ſed diſſimulare interim tyranni metu cogebatur: emanarat fama Solymanum cum ingentibus copiis conſeruandæ Budæ ergo aduentare: quæ etiam Germanos multum retardauit: verum certi deinde ſpeculatores mille duntaxat Ianizaros, bis mille equites, claſſem autem regia & numero & viribus longe inferiorem acceſſiſſe renuntiarunt, & Hungari nullas maiores Turcarum vires occurſuras confirmabant: quapropter Brandeburgenſis Germaníque pudore victi progrediendum iudicarunt: Budam regni caput primum oppugnandam Perenus, atque Hungari, Iacobus item Medices regiæ claſſis præfectus, qui annum integrum Strigonij præſidio fuerat, & Turcarum militandi rationem didicerat, cenſebant: bidui enim itinere nullo interiecto fluuio illuc peruenire poterant: at Brandeburgenſis, atque octouiri Peſtum prius adoriendum exiſtimarunt: quod faciliorem eius expugnationem fore ſperarent: quam ſpem augebant Barconius, atque Otho Fotiſcus: qui eam vrbem ſtrenuè aduerſus Mahometem defenderant: & vitia, munitionéſque imperfectas nouerant: ſed & hic altera mora in traiiciendo Dannubio occurrit: qui ponte à continente ad Diui Andreæ inſulam, inde ad Vaccianam ripam altero iungendus erat. Traiecto fluuio Balim Epirotam Solymano Eunucho in Budæ præfectura ſucceſſiſſe, circiter duo equitum millia in præſidio habere, tria Vlamanem ex Illyrico, mille Amurathem adduxiſſe, mille Ianizaros Byzantio miſſos Segemene duce acceſſiſſe, reliquos milites aut Martelofios, aut Myſos remiges eſſe didicerunt: claſſem Turcicam ſexaginta Naſadis, decem biremibus, paucis maioribus lintribus conſtare: imperaſſe Solymanum vt Buda, Peſtóque conſeruatis de cæteris vrbibus non magnopere laborarent: ſi maior hoſtium vis immineret, Achomatem Bellerbeium è Triballis accerſerent.

Conuentus ſoluitur, & alter Nurimbergam indicitur.

Supra in principio huius libri.

11 Vaccia profecti Germani longo circuitu appropinquantes, ac Budenſium tormenta

Digitized by Google

Germani Peſto caſtra admouent.

vitantes Peſto caſtra, ſed ſatis procul admouent: vrbs autem quadrata eſt in planitie ſita: quam à meridie Dannubius, ab Oriente atque ab Occidente tormenta Buda, quæ ſubiectam deſpicit, atque è monte Girardo, tuentur: pars Septemtrionalis obiectu vrbis à tormentis vtriſque tuta eſt: vbi Germanorum caſtra poſita fuerunt: poſtridie quum Vitellius cum tribus cohortibus, duabus Sfortianorum equitum alis locum tormentis collocandis idoneum exploraret, Turcæ duabus portis erumpunt, & Vitellianos numero inferiores aliquot cæſis repellunt: altero die Perenus ac Vitellius Turcas in inſidias traxerunt: Vitellius propius vrbem acceſſit: deinde Turcis egreſſis retrocedens, ac fugam ſimulans eoſdem perſequenteis ſatis longe ab vrbe diſtraxit: Perenus cum Hungaris, ac Mauricius Saxo cum Germanis cataphractis equitibus ſe inter vrbem, Turcáſque intulerunt, atque reditu prohibuerunt: illi aut ad naueis, aut ad vrbem per anguſtum ad Danubij ripam iter euadere conati ſatis inſigni ſuorum clade repulſi ſunt: ex Ianizaris enim ſupra centum, ex cæteris circiter quadringentos cæſos produnt. Prolata initio tormenta quum procul murum verberarent, deiicere tametſi veterem & quinque duntaxat pedes latum non potuerunt: propius admota quadraginta numero latum hiatum

Oppugnatio indicitur.

muro proſtrato aperuerunt: indicta oppugnatio eſt: primas Itali parteis ſumpſerunt: à latere altero Germani, ab altero Hungari pedites, quibus multi equites relictis equis ſe adiunxerunt, ſuccedere debebant: Mauricius Saxo ac Philippus Torniellus, quem cum ſuis cohortibus Ferdinandus mercede conduxerat: ad tormenta cum magna equitum, peditúmque manu ſtabant: interim quum fit impreſſio ab Italis Germani, quibus præerat Heſſius, ſub mœnibus conſiſtunt: Hungari conſpecta pone murum alta foſſa aggere munita poſt quem Ianizari ſclopetarij, deinde ſagittarij, poſtremo equites haſtati, ſcu-

Oppugnatores malè excipiuntur.

tatíque relictis equis pugnare iuſſi latebant, à muro recedunt: & in vtroque foſſæ capite tranſuerſus agger ductus erat feneſtellis apertus: vnde tormentorum pilæ in foſſam præcipitatos diſcerpebant: Itali in ſummas ruinas prouecti magna glandium, ſagittarúmque procella obruti pedem referre coacti ſunt: & non paruam in receptu iacturam fecerunt: ſed Germani grauiorem: quos prioris ignauiæ conſcios ſe ſubducere pudebat. Barbari enim tota muri corona diffuſi glandibus, & ſagittis, atque è vicino propugnaculo tormentis Italos ſeſe recipienteis, Germanóſque inutili conſtantia cunctanteis vehementer afflixerunt. In ea impreſſione Brandeburgenſis, atque Hunganotus in loco à tormentorum pilis tuto latebant: vnde in turpem ignauiæ notam incurrerunt: ſolus Mauricius antiquum Germaniæ decus tueri videbatur: ſub noctem an oppugnatio con-

Ab oppugnatione deſiſtitur, & ad Viennã reditur.

tinuanda eſſet, conſultatum. Hungari Italíque perſeuerandum cenſebant: Germani rumore de induſtria, vt ferebatur, ſparſo de Achomate cum magnis copiis appropinquante autumno iam inclinante, & in illis regionibus pluuiis obnoxio, quæ claſſem aduerſo Danubio plurimum impedirent, Viennam redeundum eſſe ſtatuerunt: abeunteis Turcæ perſequuti ſunt: ſed confertis Hungarorum, Italorum, Germanorum turmis obuiam prodeuntibus multis amiſſis repulſi ſunt: tormenta claſſis recepit: ſeptingenti, aut paulò plures Germani ægroti, qui poſtremum agmen lentius ſequebantur, in conſpectu cæteri exercitus cæſi à Turcis fuerunt.

Hungari de recuperanda patria deſperantes Germanorum ignauiam execrabantur; 12
quam Germani præſertim Ferdinandi domeſtici vt tegerent, Petrum Perenum, qui fortem & antea, & poſtremo hoc bello operam nauauerat apud Ferdinandum regni affectati accuſarunt: & vt Strigonij comprehenderetur, ac Viennam regia claſſe deduceretur, perfecerunt: indignitatem auxit Liſcanus Hiſpanus, qui illum prehendit: torquem enim aureum è captiui collo detraxit, & veſtem pretioſam qua indutus erat, abſtulit: quod facinus abominati Hungari, & Germanos maledictis inceſſentes ad duodecim millia ſublatis vexillis abierunt: Perenus Viennam deductus vt publice audiretur, impetrare non potuit: indicta cauſa in perpetuam cuſtodiam traditus eſt: ita tres nobiliſſimi Hungarorum duces Petrus Perenus, Stephanus Maylatus, Valentinus Thuracus, qui ſi inter ſe concordes fuiſſent, Pannoniam in libertatem aſſerere, eique antiquum decus reſtituere poterant, pari virtutis inuidia circumuenti in miſerrimam ſortem incurrerunt. Hi tamen duo poſtremi fœliciores: quibus ſi ad ſacra Mahometana deficerent, magnos honores, opulentáſque præfecturas Solymanus pollicebatur: Ferdinandus domeſticorum calumniis perſuaſus Pereno nullam ſpem reliquit. Hungaricam Germanorum expeditionem Spirenſi conuentu decretam breuiter perſequuti ſumus.

Conuentus Nurembergẽſis.

Dum illi lente, vt ſupra commemoraui, incedunt, & pecuniam à tota Germania col- 13
latam malè collocant, interim alter Spiræ ante decretus propter idẽ bellum Nurembergæ celebratur:

Digitized by Google

celebratur: affuere Ferdinandus, Cæſaris legati Federicus Palatinus, Auguſtanus Pontifex, Federicus Fuſtembergus, Hugo Monfortus, ſiue Monfortius, Ioannes Nauius. Acceſſerunt Valterus Pruſiæ magiſter, Bambergenſis, Eiſtetenſis, Tridentinus Pontifices; Ferdinandus in conſeſſu Cæſari pergratum fuiſſe declarauit, quòd exercitum in Hungariam miſerint: cui bello intereſſe cupiebat, idcirco conuentus per Hiſpaniam indixerat: interim in grauem morbum incidiſſe, vt eoſdem in aliud tempus reiicere coactus ſit; quúmque ex morbo conualeſcens ex Italia, Burgundiáque copias præmittere cogitaret, hoſtium conatus ſeſe explicaſſe, & omnibus fere ſuis ditionibus bellum intuliſſe: quapropter nec in Germaniam tranſire, nec in Hungariam auxilia mittere potuiſſe; tamen intra vertentem annum in Germaniam venturum, & bellum Turcis terra marique illaturum, vt ab Hungaria bonam ſuarum virium partem reuocare cogantur. Ferdinandus priuatim queſtus eſt, quòd omnes Spirenſi decreto non pareant: quoſdam enim ordines nullum miſiſſe militem, alios miſiſſe quidem, ſed non integro numero ſibi indicto; alios miſiſſe, verum ſine ſtipendio: deſiderari etiam tormenta bellica, quæ nonnulli promiſerint: quæ dum Germanicus exercitus expectat magnam æſtatis partem nulla re geſta elabi paſſus eſt, nec minores impenſas, quam ſi bellum ſeriò geſſiſſet, fecit; mulcta in eos qui Spirenſi decreto non parent, indicta, & alia quædam ſtatuta ad idem bellum promouendum edita fuerunt: conuentus ſeptimo Kalen. Septembris dimiſſus eſt. Antequam ad bellum Hungaricum iret Mauricius controuerſia illi cum Saxone Electore de finibus, & de quodam oppido fuit: & Pflugium in ſuum Pontificatum reducere volebat: Georgij enim patrui, cuius teſtamento multum ditatus erat; potius quam patris vitæ inſtitutum, veteremque religionis formam ſequi deſtinabat: cogebat vterque exercitum: verum Lantgrauius Mauricij ſocer ne ad manus venirent, perfecit, ita abalienatis nihilominus à ſe inuicem animis, vt aliquot poſt annis longè grauius bellum redintegrarint. Philippum Chabotum Brionem Amyralium in integrum reſtitutum ſuperiore anno ſcripſimus: hoc anno pridie Idus Martias contrario illi, quod Meloduni pronuntiatum fuerat, Senatus Pariſienſis decreto eorum, de quibus accuſatus fuerat, criminum læſæ Majeſtatis, repetundarúmque innocens declaratus eſt, mulcta, quæ ad ſeptingenta nummûm aureorum millia perueniebat, remiſſa, bonis muneribúſque omnibus reſtitutis: id adeo factum eſt, ne Melodunenſe decretum ſiue areſtum illi, liberíſve eius aliquando fraudi eſſet.

Mauricij cũ Saxone Electore de Pflugio controuerſia, vnde aliquot annis poſt bellum ſecutum.

14 Sexto Idus Maij Franciſcus litteris ad Senatum Pariſienſem datis ſupplicationes ad placandum diuinum numen indixit, vt veram ſui cultus in nobis formam continuet: ſiqui errant, eos in viam reducat, vt amiſſam regij patrimonij portionem (Mediolanenſem principatum intelligebat) æqua pactione ſibi reſtitui inimicorum ſuorum animis inſpiret: aut ſi bello repetenda eſt, fœlicem eius exitum præbeat, & iniquam legatorum ſuorum cædem concedenda victoria vlciſcatur. Nec multò pòſt, hoc eſt, menſe Iulio bellum Cæſari verbis atrociſſimis denuntiauit, aduerſus quem exercitus quinque diuerſis regionibus inſtruxiſſet: primum ad Mirandulam Petrus Strozza, Comes Petilianus, Dux Summeus, & nonnulli alij Neapolitani exules conſcribere, & decem peditum millia, octingentos equites conficere debebant: quem tamen poſtea ne belli author videretur, cogi vetuit: Nicolaum Boſſuum Longouallium Martino Roſſenio Gueldrenſi Mareſchallo cum decem, aut duodecim, vt alij tradunt, Germanorum peditum, duobus Cleuenſium equitum millibus aſſumpto in Brabantiam, Aurelianum filium in Luceburgenſem agrum miſit: Vindocinenſem regulum Picardiæ vicinas arceis Tornehanum, Montorium, aliáſque nonnullas diruere, poſtremo Henricum Delphinum Perpennianum à Perpenna Sertorij cæde infami conditum Ruſcinonenſis agri caput oppugnare iuſſit. Quòd ſi totum belli apparatum in tot parteis non diuiſiſſet, ſed alterum exercitum in Mediolanenſem, alterum in Luceburgenſem agrum miſiſſet, vt Guilielmus Langeus Subalpinæ ditionis Regius legatus ſuadebat, longè maius operæpretium feciſſet; & vt veriſimile eſt, Mediolanenſem principatum recuperaſſet, ac Flandricas prouincias magna ex parte in ſuam poteſtatem redegiſſet: inepta de Perpenniano expugnando ſpes erat, quum Cæſar in Hiſpania eſſet, & potentem exercitum opponere facilè poſſet. Adhæc Annebaldus in Subalpina Gallia, quam vulgo Pedemontium vocant, vt præſidia, quæ ibi relinqui ſolebant, non computentur, octo Heluetiorum, ſex Gallorum, totidem Italorum peditum millia, quadringentos cataphractos equites bis mille leuiores habebat: quos ibi circiter duos menſes Regis mandatum expectans inutiles detinuit: tantiſper dum Franciſcus Perpennianum, an Mediolanenſem principatum adoriatur,

Franciſcus ſupplicationes ad Deum placandum fieri mandat.

Bellum Cæſari denuntiat.

Digitized by Google

adoriatur, deliberat: tandem vt illum exercitum Perpennianum deduceret à Rege mandatum accepit, quæ abſurdiſſima deliberatio fuit. Hac æſtate infinitæ rubentium locuſtarum myriades ab Oriente per Illyricum in Italiam conuolarunt, quæ Turcarum aduentum præſagire nonnullis videbantur: quinetiam & ſe in aliquas Germaniæ regiones effuderunt magnitudine inuſitata, & non ſolum ſegetes deuorarunt, ſed etiam prata, atque arbores omni viriditate ſpoliarunt.

Infinitæ locuſtæ in Italiam ab Oriente cõuolãtes, aduẽtum Turcarum portendere nonnullis viſæ.

Igitur Aurelianus quarto Idus Iunij aſſumpto ſuæ adoleſcentiæ moderatore Claudio Lotharingo Guiſano regulo, ad Moſam non procul Virduno (Vertodunum nonnulli vocare malunt) caſtra fecit, ibique triduum tormenta expectauit, deinde Danuillarium Luceburgenſis agri oppidum contendit: cui tum ſe Hedecus Mansfeldius, ac Piquilinus Comites, & Recrodus cum ſuis cohortibus adiunxerunt, quæ circiter duodecim Germanorum peditum millia conficere ferebantur. Danuillariani non expectata oppugnatione deditionem fecerunt: & quod oppidum non ſatis muniri poſſe videbatur, id incendi, muróſque demoliri Aurelianus ac Guiſanus iuſſerunt: inde Luceburgum Leucorum olim vrbem (Burgum enim antiqui Galli vrbem, vel oppidum vocabant, alij Burgum quaſi Pyrgum à turribus dictum putant) proficiſci Aurelianus, Guiſanúſque decreuerant: verum quod Iuoij murum longa ruina proſtratum audierunt, illuc iter intenderunt: tormentis, qua oppidum Arduennam ſyluam reſpicit, collocatis muri quatiuntur. Fit lata ruina, nec tamen ſatis facilis ad vrbem aditus videbatur: at quum & tormentarius puluis, & pilæ deficerent, pluribúſque tormentis opus eſſet, duodecim fere dies ceſſatum interim dum ea è vicinis vrbibus comportantur. ita Franciſcus in voluptates immerſus bellicis rebus malè prouidebat. Conuectis quæ neceſſaria erant, tum vbi priora tormenta locata erant, tum in aduerſa oppidi regione ad viam, qua Iameſium petitur, bipartito muri pulſati fuerunt: vnde perterrefacti præſidiarij milites tametſi bis mille erant, de deditione egerunt, vt ſalua omni ſupellectile exirent, & ſex minora tormenta aſportarent, permiſſum. Hic Nicolaus Boſſuus Longouallius ac Martinus Roſſenius Gueldrenſis Mareſchallus vaſtata Brabantia, ſed quod tormentis carerent, nullis vrbibus paulò munitioribus captis, ſe cum Aureliano coniunxerunt. Quatuor quidem muralia tormenta à deditis Hoſtratenſibus, multas pilas, centum ſulphurei pulueris cados Longouallius ac Roſſenius acceperant, & Renatum Arauſium principem Naſſaui Comitis filium ad Briſcotum Antuerpia Ambuatitorum olim colonia ſeptem paſſuum millibus diſtans caſtellum cum magna equitum, peditúmque cæde profligarant, vixque ipſe Arauſius cladis ſuorum nuntius Antuerpiam aufugerat: vnde in vrbe ingens omnium conſternatio erat; quam idcirco & Longouallius, & Gueldrenſes cohortium præfecti oppugnandam cenſebant: ſolus Roſſenius pecunia, vt fertur, corruptus diſſuaſit, & Louanium abiit, vbi in ſuſpicionem quoque pecuniæ à Louanienſibus acceptæ incurrit: itaque is exercitus niſi quod hoſtilem agrum populatus eſt, nullum operæpretium fecit. Iuoio præſidiis firmato ad Arlonum deditum oppidum Aurelianus ac Guiſanus caſtrametati alteris caſtris Luceburgum peruenerunt: quod quadringenti equites, tria peditum millia inſederant: id non multis tormentorum pilis quaſſatum deditionem fecit: cui Mansfeldium, Piquelinúmque Comites cum ſuis cohortibus præſidio reliquerunt. Mommedium quoque deditum fuit: ita omnis Luceburgenſis ager vna Theonis villa excepta in Gallorum poteſtatem venit: quam quod inexpugnabilem exiſtimabat Aurelianus aggreſſus non eſt, & Regis patris mandato ſe ſatisfeciſſe ratus Longouallium ac Roſſenium cum ſuis cohortibus equitúmque turmis ad Lieſſam ſtatiua habere iuſſit, vt Campaniæ pariter & Picardiæ auxilio eſſe poſſent, cæterum exercitum vel in præſidia diſtribuit, vel dimiſit: & curſoribus equis Perpennianum, vbi prælio dimicatum iri ſperabat, aduolauit: Guiſanum legatum Regium in Campania reliquit. 15

Aurelianus Danuillariũ deditione acceptum incendit.

Iuoiũ eidem ſe dedit.

Similiter & Luceburgũ, Mõmedium que.

Poſt Aureliani diſceſſum, exercitúmque dimiſſum Cæſariani Luceburgum Mansfeldio, Piquelinóque haud ſtrenuè dedentibus, Mommediúmque receperunt: vnde Rex de vtroque queſtus Aurelianum ob relictum exercitum obiurgauit: at Guiſanus collectis exercitus reliquiis Mommedium iterum cepit, eíque Petrum Landam virum fortem præfecit, qui id magna diligentia ac pari fortitudine conſeruauit. Perpenniani oppugnandi Antonius Pratus Mompeſacius Regius in Aquitania legatus author fuit: quod ſi eam, quam debuit, diligentiam Franciſcus adhibuiſſet, vrbe (vt veriſimile eſt) potitus fuiſſet: murus enim vetus erat, ac debilis, propugnacula antiquo more aduerſus baliſtas extructa, nec ſeſe inuicem reſpectantia, & longo interuallo interpoſito murum non ſatis protegentia tormentis inde exonerandis commoda non erant: verum celeritate opus erat, 16

Cæſariani Luceburgum & Mommediũ recipiũt, ſed diu non retinent.

vt iuſtam

vt iuſtam equitum peditúmque manum Franciſcus præmitteret Mompeſacius ſuaſerat qua ſubſidia in vrbem immitti, nouæque munitiones inſtitui prohiberentur. Sed dum Heluetios tardius incedenteis Henricus Delphinus expectat, dum commeatus non ad tolerandam famem, viréſque ſuſtentandas, vt militaris diſciplina iubet, quin potius ad conuiuiorum luxum, aulicáſque delitias explendas comparatur, rei bene gerendæ occaſio omnis amiſſa eſt. Et quum Annebaldus Regis legatus è Subalpinis vrbibus diſcederet, illum ad oppugnandum Perpennianum proficiſci vulgaris fama erat: in ea cunctatione Albanus regulus vrbem inuiſerat, confirmatíſque ciuium animis, & Mancincea, ac Cerbellione veteranis centurionibus, qui veteres munitiones inſtaurarent, aut corrigerent, nouas adderent, præſidio relictis, Gerundam ad cogendum exercitum feſtinarat: multi enim Hiſpani tam equites, quam pedites anno ſuperiore Algerio reuerſi in Hiſpania remanſerant. Mendocius tormenta permulta cum ingenti pilarum ſulphureíque pulueris apparatu in eamdem importarat. Annebaldus Idibus Auguſti Narbonam iniit, ibíque triduum commoratus Perpennianum cum prima acie contendit. Sequutus eſt Henricus Delphinus cum cætero exercitu: coniunctum potentiſſimum fuiſſe ſatis conſtat: quatuordecim enim Heluetiorum, Germanorum ſex, quibus Recrodus, veteranorum Gallorum totidem, quibus Carolus Coſſeus Briſſacus præerat, totidem quoque Italorum peditum millia ſub ſignis habebat, & Narbonenſem legionem, Aquitanicæque bonam partem Mompeſacius adduxit, vt quadraginta peditum, duo cataphractorum equitum, totidem leuiorum millia coiiſſe tradantur.

17 * Perpennianum decliuem ſitum habet: ſuperior pars caſtellum maius, inferior caſtellum minus vocatur: inter vtrumque terreum propugnaculum terream item paulò extra vrbem ingentem molem Hiſpani nuper erexerant: illis enim ſatis iuſtum muniendæ vrbis ſpatium noſtrorum cunctatio dederat: circumcirca lata, arenoſaque planities erat nullis aut valde raris arboribus conſita, & vallis, aggeribúſque ad tormenta collocanda conficiendis prorſus incommoda, vt ea vix noſtri admouere poſſent: quos è caſtello maiore maiorum, minorúmque tormentorum globuli deſtinatis ictibus cædebant, & obiectos arenæ tumulos facilè penetrabant: & tormenta ad diuerſam regionem à maiore caſtello remotiorem Mompeſacius locanda cenſebat, à quo Annebaldus diſſentiens ea loco longe incommodiore collocauit. Itaque quum aliquamdiu ibi nullo operæpretio facto conſediſſent, tormentáque aliquoties nequicquam exoneraſſent, nec viam ad vrbem, vt impreſſio fieret, ſternere potuiſſent, tandem nulla re tentata Rege ita mandante diſceſſum eſt: is apud Agathopolim (montem Peſſulanum vulgo appellant) rei euentum præſtolabatur: quod ſi is exercitus in Mediolanenſem agrum ductus fuiſſet, eundem facilè recepiſſet, vt & ſupra memini, & res per Guilielmum Bellaium Langeum eadem æſtate geſtæ ſatis declararunt: hunc enim diſcedens Annebaldus Regium legatum de Regis mandato conſtituerat. Taurino eius fratrem Martinum Bellaium qui Franciſci res geſtas vernaculo ſermone complexus eſt, Sabiniano Auſſunum, Pinarolo Vaſſeum præfecerat: Buterium autem, qui Guilielmi Langei membris fere omnibus capti munera obiret, dederat. His præter vrbium præſidia bis mille duntaxat Heluetios, paucos Gallos, Italóſque pedites, & ſuperiorum præfectorum alas reliquerat: id quum reſciiſſet Vaſtius copias ſuas quæ ad quindecim peditum millia, equites bis mille quingentos peruenerant, ad Sturcum pontem conuenire iuſſit: vnde oppida citra, vltráve Padum à Gallis poſſeſſa inuadere atque intercipere poſſet. Bellaius Claraſco, Cunio, Albæ rara præſidia relicta certior factus copiolas ſuas tripartito diuiſas in tria illa oppida, vbi nonnullos qui venientes intromitterent non exigua mercede conduxerat, miſit: qui Cunium Albámque petebant, ducum vel errore, vel perfidia non niſi clara luce illuc peruenire potuerunt, réque infecta reuerterunt: ita quæ ſibi quodam modo deſpondebat, aſſequi non potuit: de quo minorem ſpem conceperat, Claraſcum aſſequutus eſt: Auſſunus enim, ac Centalius Allobrox aurora iam illuceſcente Claraſcum appulerunt: idcirco qui illos intromittere debebant, ſeſe commouere auſi non ſunt. Auſſunus nihilominus, ac Centalius viri fortes, ac ſtrenui ad locum ſibi deſtinatum muro ſcalas admouerunt, primíque conſcenderunt: tametſi tumultu in vrbe excitato omnes regionem ſibi commiſſam defenſuri ad muros accurrerunt. Noſtri vrbe potiti tormenta à Bellaio, vt arcem, in quam ſe præſidiarij milites receperant, ad deditionem cogerent, poſtularunt: quibus impetratis illi victus penuria coacti (diem enim integrum, & alterum dimidiatum ſine cibo famem tolerarant) non expectata murorum quaſſatione ſeſe dediderunt.

Perpennianum Galli nequicquam expugnare nituntur.

Claraſco potiuntur.

Claraſco

Claraſco Bellaius Centalium præfecit qui tam è ſuis ditionibus, quam è vicinis bis mille pedites arceſſiuit, præſidióque impoſuit, atque oppidum fortiter conſeruauit. Auxilio veniebat Vaſtius, ſed de capta arce, præſidioque intromiſſo admonitus ad Villam nouam Aſtenſis agri oppidum vires ſuas conuertit, quam & Porinum, Cambianúmque exigua, immunita, debilia oppida in ſuam poteſtatem redegit: inde ad Carinianum fluuium traiicere inſtituit, & totum agrum Ciſpadanum ad Alpeis vſque vaſtare decreuit, vt Taurinum, Pinarolum, cæteráque Ciſpadana oppida commeatu inde importando prohiberet. Idem de Tranſpadanis vrbibus ſtatuerat firmioribus præſidiis Cherio, Aſtæ, Foſſano, Albæ, Cunio collocatis; cui obuiam procedere Bellaius haud poterat, quum quinque duntaxat peditum millia, paucos equites ſub ſignis haberet: hinc ad Carinianum caſtrametatus oppidum muniit, & quod armis præſtare non poterat, arte ſarciuit: totos enim quindecim dies caſtra caſtris conferens Vaſtium fluuij tranſitu prohibuit: quamquam Padus pleriſque locis vadoſus, & noctes menſe Iulio breuiſſimæ erant: atque interim circiter quinque, aut ſex peditum millia, aliquótque equites ex eius exercitu ad ſe traduxit: hinc Vaſtius ne Itali transfugæ cæteros qui in eius exercitu remanſerant, ad ſe pertraherent, de traiiciendo Pado non amplius cogitauit; tametſi paucis poſt diebus eodem fluuio ad Creſcentium ſuperato Chinaſium, cui Hieronymus Biragus præerat, circumſedit, & duabus tentatis impreſſionibus fortiter repulſus Caſale exercitum reduxit. Eodem tempore Cæſar Neapolitanus Caſellas Taurinum inter Vulpianúmque ſitas aggreſſus eadem ſorte amiſſis aliquot militibus, ſcaliſque ad muros relictis reiectus eſt. Bargam arcem inter Pinarolum, ac Salaſſos quæ totam planitiem ſibi obnoxiam reddebat, & noſtris multum nocebat, primum circumſedit Buterius, & Vaſtio viribus ſuperiori auxilio venienti cedere, atque obſidionem ſoluere coactus eſt: at eamdem paulò poſt præfecto pecunia corrupto cepit.

Franciſcus Annebaldum cũ copiis Taurinũ remittit.

Soluta Perpenniani obſidione Annebaldum Franciſcus Taurinum remiſit, cui qua- 19
dringentos cataphractos equites, omnem leuiorem equitatum, Germanicas Ricrodi cohortes, ſex veteranorum Gallorum, totidem Italorum peditum millia attribuit, vt Vaſtij exercitu ſtipendij inopia acciſo aliquod operæpretium faceret. Annebaldus copias ſuas ad Carinianum conuenire iuſſit: ipſe Taurinum vt cum Langeo conſilia ſua communicaret, petiit: ad Carinianum clam ſcaphas, ac lintres præpararat Langeus, qui biduo exercitum ſecundo Pado Caſale deportarent; quò niſi quatriduo Vaſtius peruenire haud poterat: in illo oppido homines fidos ſibi pretio addixerat Langeus qui eius potiundi, aliquótque aliorum vicinorum rationes ſuggeſſerant: id quamquam probabat Annebaldus, tamen à neſcio quibus inuidis perſuaſus exequi noluit: indicium ſibi factum paucis poſt diebus propoſuit Langeus; quod ſi ſequutus fuiſſet Annebaldus Vaſtij exercitum (vt veriſimile erat) deleuiſſet. Noctu Carmagnola ſe Cherium recipere ſtatuerat Vaſtius, ne ab Annebaldo viribus ſuperiore vndique concluderetur: id Langeo fidus ſpeculator è Vaſtij exercitu indicarat; & vt inter Carmagnolam Villámque Stalloniam quadringentos equites, inter Villam Stalloniam Cheriúmque cæterum exercitum noctu collocaret, monuerat: id ſi fieret, Vaſtianum exercitum in Gallorum poteſtatem venturum. Probatum id quoque conſilium eſt: at ſub noctem ſententiam Annebaldus mutauit: Franciſcum Bernardinum Vimercatum duntaxat cum ducentis leuioribus equitibus hoſtium diſceſſum exploraturum miſit: is rem, vt indicata erat, ita habere paulò pòſt renuntiauit. Si Langeo adhibita fuiſſet fides, tria Germanorum peditum millia, mille Hiſpani, quod Vaſtiani exercitus robur erat, aut cæſi, aut capti fuiſſent. Soli Itali relinquebantur fide fluxa, & exigua mercede ad Gallos tranſituri. Langeus magnas in his inſtruendis impenſas ſibi periiſſe, ſua conſilia pro nihilo duci animaduertens, vt ſibi membris prope omnibus capto in Galliam redire liceret, à Rege poſtulauit, atque impetrauit: inter redeundum ad Fanum Saphorini in agro Lugdunenſi quinto Idus Ianuarias anno huius ſæculi quadrageſimotertio è vita exceſſit vir ingenio acer, ac doctus, rerum bellicarum & ciuilium æquè peritus, tum vero pertractandis negotiis in primis idoneus.

Langeus vir doctus in patriam reditũ impetrat à Rege, & prope Lugdunum moritur.

Annebaldus non ſatis prudenter Langei conſiliis vſus Carmagnolam vnde Vaſtius 20
digreſſus erat, contendit: & ab Auſſuno, Carſeóque, qui tum Sabiniani agebant, rarum Cunij præſidium eſſe didicit: afferret tormenta, & ne de potiunda vrbe dubitaret. Is quatuor duntaxat ſecum tulit, ſéque ad iter accinxit: poſtridie Germanicæ Recrodi cohortes vt Taurinenſi ponte fluuium traiicerent, appropinquarunt: his ad capienda nonnulla montis Monferratenſis caſtella Martinus Bellaius Taurini præfectus vſus turrim

Digitized by Google

turrim Diui Bonini, fanum Raphaëlis, Caſtilionum cepit: huic præſidium impoſuit: ſuperiora vt debilia demolitus eſt. Poſtridie Recrodus ad Cunium ſe Annebaldo adiunxit: Annebaldus non verè de oppidi munitionibus edoctus locum munitiſſimum tormentis verberauit: facta muri ruina noſtri conſcendentes firmis præſidiis defendentibus obuium aggerem excelſum habuerunt: vbi circiter horam fortiter dimicarunt, & tandem multis cæſis, pluribus vulneratis repulſi ſunt. Nocte proxima ducenti equites, octingenti pedites à Vaſtio miſſi per aduerſam regionem oppidum inierunt: Annebaldus pilis, ſulphureóque puluere penè conſumpto Carmagnolam rediit: ſi octo ſecum tormenta adduxiſſet, oppidúmque duabus regionibus quaſſaſſet, præſidio diuiſo oppidum facilè capi potuiſſe rumor fuit: quod autem hyems inſtabat, redeundi in Galliam conſilium cepit. Buterium Regium legatum, Martinum Bellaium Taurino, Penarolo Vaſſeum, Chiuaſio ac Varulengo Ludouicum Biragum, Sabiniano Termeum præfectos reliquit: bis mille Heluetios duntaxat, quibus Sanctoiulianus præerat, retinuit: cæteros milites dimiſit: Recrodum cum ſuis cohortibus ad Franciſcum reuerti iuſſit.

Hānebaldus redit in Galliam.

21 Circiter Kalend. Ianuar. anni ſequentis ad radices montis Ceuiſij appulit (Nonualleſiam vicum appellant) & quamquam ob imminentem tempeſtatem, quæ non ſecus ibi, atque turbato mari formidanda eſt, montem ſuperare incolæ diſſuadebant, tamen ab inſtituto itinere dimoueri non potuit. Ceuiſium conſcendentibus, donec ad planitiem perueneris, anguſtum iter duo aduerſi montes reddunt: ventis autem ſupremam montis partem grauiter agitantibus pilæ niuis licet initio exiguæ antequam ad iter, imáque deſcendant colles mediocres craſſitudine exæquant: obuia quæque inuoluunt, atque congelant, aut ſuffocant: nec planities ipſa tuta eſt ventis niuem præ ſe conuoluentibus, ac veluti rotantibus: itaque Annebaldus maximum vitæ diſcrimen adiit: plures autem eius comites, atque inter hos Carrugius amplæ familiæ adoleſcens, gelu vitales ſpiritus præcludente, aut niue ſuffocante perierunt. Id fere temporis Cæſar Maſſius Neapolitanus Vulpiani præfectus Langeo digreſſo tantam in noſtris vigilantiam haud fore ſuſpicatus, quatuor curribus machinam vnicuique ſuam impoſuit qua ſex armati conderentur, eámque quum opus eſſet diſſoluerent: fœno ſuperpoſito quaſi id venale Taurinum inferretur, dolum texit: Franciſcum Iſelanum ac Mendocium cum duabus expeditis cohortibus ad vrbem occultauit, vt currus ingreſſos ocyſſimè ſequerentur: primo intromiſſo milites eruperunt, dolúmque detexerunt: cataracta à noſtris demiſſa currus ſequentes excluſi, & milites, qui è primo deſilierant, præſidiariis vndique accurrentibus cæſi fuerunt. Alexander Magius Inſuber captus doli ſeriem Buterio declarauit. Franciſcus Perpennianum profecturus Guilielmum Poietum Cancellarium in turrim Biturigum concludi iuſſit: is quadriennio, quo magiſtratum hunc geſſerat, propter innatam inſolentiam, malignitatémque in omnium ordinum odium incurrerat: accelerauit eius calamitatem in Philippum Chabotum Brionem Amyralium lata Meloduni ſententia, vt ſupra ſcripſimus: quo nomine Anna Piſſeleua Stempenſis reguli vxor hominem vehementer oderat. Acceſſit & altera odij occaſio: Ioannes Renaldius, ſiue Renalderius Petrocorius litem perdifficilem & in multis Senatibus agitatam, quæ tandem ad Diuionenſem reiecta eſt, cum Ioanne Tilio in Senatu Pariſienſi Regis ſcriba habebat: is connitente Piſſeleua diploma neſcio quod à Rege impetrarat, quod Gilbertus Baiardus Regius ſcriba de Regis mandato Poieto obſignandum intulit; immutauit quædam Poietus, nec aliter obſignare voluit. Piſſeleua apud Regem queſta imperia ſua Poietum pro nihilo ducere, vt comprehenderetur, cuſtodiæque traderetur, perfecit: latuit ille apud Bituriges in turrim conditus aliquot annos: deinde anno huius ſæculi quadrageſimoquinto ſelectorum è variis Senatibus iudicum, quibus Petrus Raimundus Senatus Rotomagenſis magiſter præerat, ſententia peculatus damnatus ingenti pecuniariæ mulctæ, perpetuóque carceri addictus eſt: qua ad Franciſcum relata multa in iudiciorum corruptelam effudit, parúmque abfuit, quin capite plecti hominem iuberet, tametſi ira deferueſcente mulctam illi poſtea remiſit.

Anno 1543.

Cæſaris Maſſij dolus ad Taurinū capiendum.

22 Cæſo Rincone Franciſcus Antonium Polinum (Paulinum ſcribere quidam malunt) ad Solymanum anno ſuperiore miſit: is Venetias, inde per Illyricum in Myſiam profectus barbarum tyrannum Buda redeuntem offendit: muneribus de more oblatis, vt Barbaruſſa cum claſſe ſequentis anni æſtate in prouinciæ Phocenſis oram mitteretur, vtque Venetos ad ſocietatē cum Rege Gallo aduerſus Cæſarem Germanicū Imperatorem cōmunem hoſtem ineundam induceret, poſtulauit. Reſpōdit Solymanus ſe Franciſco non defuturum: cæterum reditum ſuum acceleranti certius quid pronuntiare in promptu non eſſe:

Antonius Polinus legatus Regis ad Solymanum.

Digitized by Google

quum Byzantium peruenerit, ea de re amplius deliberaturum: quo quum paulò ante Kal. Decembris appuliſſet, ſe quæ promiſerat, præſtaturum confirmauit: ſed operæpretium videri, vt ad Regem ſuum Polinus redeat, & belli inferendi rationes ab eo intellectas ad ſe referat: interea ſe legatum ad Venetos miſſurum, & vt cum Franciſco Rege ſocietatem coëant, operam daturum. Polinus in Galliam reuerſus Franciſco Solymani reſponſum explicauit. Franciſcus tempore regionibúſque, quibus bellum inferre deſtinarat, deſignatis, eumdem cum mandatis ampliſſimis Byzantium remiſit. Quum Venetias rediiſſet nondum eò Turcicus legatus appulerat: in Senatum nihilominus admiſſus Regis cauſam egit, & Cæſaris aſtutam ambitionem explicauit, qui quum Italiæ libertati conſulere præ ſe ferat, eandem intoleranda ſeruitute opprimat. Ciſalpinæ Galliæ ciuitates non ſolum grauibus tributis exinanitas, ſed & Hiſpanorum libidini in prædam obiectas: quas ſtipendij non exoluti ſpecie identidem impune diripiant, vt mite Gallorum imperium à ſe imprudenter abiectum cum lachrymis requirant: Florentiam Mediceorum ſeruituti addictam, Senas Hiſpanico præſidio teneri: Lucam ita libertatem retinere, vt grauiter ſeruiat, hoc eſt, vt quantam pecuniam Cæſar imperat, quotannis exoluere cogatur: Siculos ac Neapolitanos ita fortunis omnibus ſpoliatos, vt vel Turcis ſeruire malint. Nec mitius cum Flandricis prouinciis agi, quas nuper miſerrimè afflixerit: tum Fregoſij, ac Rinconis Regiorum legatorum cæſorum indignitatem auxit: Cæſari omnia ſuis commodis metienti nullam fidem, nullam ſacramenti religionem reliquam eſſe, qui inducias iureiurando ſanctiore confirmatas tam impudenter violarit. Quid quod Venetis ſociis ſumma victus penuria laborantibus venale triticum denegauit: quod Chriſtiani nominis hoſtis acerrimus Solymanus cumulatè largitus eſt? Adhæc Marani ad Venetas paludes ſiti oppidi recipiendi ſpem iniecit; quod Petrus Strozza pulſis Germanis accerſitus cum Italicis cohortibus inſederat, aut Venetis ex mandato Regis traditurus, aut id Turcis ipſis potius, quam Germanis redditurus. Venetis accidere nihil grauius poterat, quam ſi Turcis id oppidum traderetur: vnde omnes illorum nauigationes finitimi obſeruarent: ſi cum Franciſco fœdus ineant, rem Solymano acceptiſſimam facturos, vt per Iunusbeium eius legatum intra paucos dies intelligent: Franciſco, Solymano Venetis conſociatis nullo modo de belli exitu dubitandum.

Idem in Senatum Venetū admiſſus cauſam Regis egit.

Senatus Veneti reſponſum.

Senatus Iunusbeij Turcici legati aduentum expectans aliquantum reſpondere diſtulit: tandem ſe Regis amicitiam vehementer cupere declarauit, ita tamen vt à fœdere Neapoli quamquam non ſatis fœliciter inito temerè non diſcedat: ad Solymanum quidem Cæſaris hoſtem poſtea confugiſſe, nec tamen ab illo fœdere diſceſſiſſe: quum Veneti bellis ſuperioribus exhauſti ſint, & trium potentiſſimorum orbis principum amicitiam colant, ſe bello imprudenter admiſcere è Repub. non videri: ſi tamen bellum inchoabitur, tum an pacem continuare, an alteris ſe adiungere ex vſu erit, deliberaturos. Venetias interim Iunusbeius appulit, & fœdus Byzantij à Badoërio percuſſum Senatus authoritate confirmari poſtulauit: poſtulauit & vt eam amicitiam quæ illis cum Franciſco Rege intercedebat, nouis ſemper officiis augerent: quem Solymanus fratrem appellatum aduerſus Carolum tuendum ſuſcepiſſet: nec tamen vt nouum fœdus inirent, aut ſe belli ſocios adderent, petiit, quod Polinus ac Pellicerius Venetiis Regis legatus ſummopere optabant. Itaque Polinus aliquamdiu ibi fruſtra commoratus Byzantium abiit, cum Baſſis Regis mandata communicauit, vt promiſſa claſſis mitteretur, vehementer inſtitit: quum alienos ab ea mittenda reperiſſet, corruptos ſuſpicatus, vt in colloquium cum Solymano admitteretur, quod Chriſtianorum pauciſſimis hactenus permiſſum fuerat, ſua importunitate perfecit, & ne Franciſcum tripartito Cæſaris ditiones inuadentem promiſſa claſſe fruſtraretur, obſecrauit. Paucis reſpondit Tyrannus non ſua inconſtantia, aut mutatæ voluntatis leuitate, ſed ipſius tarditate ne claſſem mittat, effectum: ver integrum, bonam æſtatis partem iam præteriiſſe, vt nullum iam operæpretium factura ſit: proximi veris initio duplo maiorem ad amicum fratrémque Regem tranſmiſſurum. Hæc Eſſeus Rhodiæ militiæ trierarchus ad Franciſcum retulit: quem ſpe claſſis Turcicæ, quæ totam Hiſpaniæ oram infeſtaret, Aurianámque Genuæ velut concluſam detineret, Ruſcinonenſem expeditionem ſuſcepiſſe, ea ſpe deiectum exercitum Perpenniano maturiùs reuocaſſe nonnulli putant. 23

Polinus Byzantium profectus cū Solymano in colloquiū admittitur.

Diploma Pauli Pontif. ad Cæſarem de Cōcilio ſupra cōmemorato.

De concilio ſupra dictum eſt, eius diploma Paulus Pontifex ad Cæſarem cum litteris miſit, quibus ille octauo Kalen. Septembris reſpondet, eiúſque ſtudium erga Rempubl. Chriſtianam collaudat, cæterum ſe cum Gallo Rege conferri moleſtè fert: hunc prodigum eſſe filium, qui omnes ſuas ſuorúmque facultates ambitione præceps diſſiparit: ſe nunquam ab officio 24

Digitized by Google

ab officio receſſiſſe: publicam vtilitatem, Concilium vniuerſi Chriſtianiſmi procuraſſe, vt Rep. Chriſtiana ſibi vndique conciliata in Turcam vires omnes conuertantur. Gallum contra, Turcam in Chriſtianas prouincias euocaſſe, cum illo fœdus iniiſſe, cum Germanis ne ad Concilium conuenirent, aut ne Concilium omnino cogeretur, egiſſe: abuti nimirum patientia ſua animum ambitione flagrantem, nec vllis beneficiis ad officium poſſe reuocari: remiſſas illi ſæpius grauiſſimas iniurias, renouata identidem fœdera, nihil ea benignitate perfectum, niſi vt ſemper grauior hoſtis inſultaret: quis belli author fuerit, antea Romæ explicaſſe: quid poſtea acciderit, & quam pacis ſtudioſus fuerit, addendum videri. Poſt Nicenas inducias ad foſſas Marianas cum illo in colloquium veniſſe: ſeſe illi permiſiſſe, vti & anno proximo, inconſideratius fortaſſe, quemadmodum plerique iudicabant, ſe quoque permiſerit, & regnum eius ab Hiſpaniæ finibus ad Belgas vſque peragrarit, ab ipſo ſcilicet arceſſitus: quod eius, Gallorúmque procerum litteris docere poſſit, nulla vero neceſſitate adductus, quum per Italiam, Germaniámque in Belgicam tranſire, & tumultum Gandaui excitatum per ſororem Mariam cohibere poſſet; niſi ille quadam diffidentia exiſtimationem ſuam lædi ſuſpicaturus fuiſſet. Quum in Gallia eſſet, de ſe retinendo conſultatum fuiſſe: Regem nihilominus pactas inducias ſe obſeruaturum confirmaſſe: poſtea de Mediolano non reſtituto cœpiſſe queri: quum promiſſo addita conditio fuiſſet, ſi Allobrox eius auunculus in integrum reſtitueretur, & nonnulla alia præſtarentur: Fregoſij ac Rinconis quaſi legatorum ſuorum cædem noui belli materiam dediſſe ſimulauit. Inepta hæc quidem obiectio fuit, quum illi non legatorum more publicè, ſed diſſimulato habitu quaſi ſpeculatores euadere conarentur. Quid verò & in Italia, & apud Turcam molirentur, omnibus eſſe manifeſtum, vt induciarum Nicenarum beneficio frui non deberent. Quid quod in Spirenſi conuentu religionis diſſidium per legatos aluit: Germanos vtriuſque perſuaſionis vtriſque auxilia promittendo à bello Turcico deterruit: Iſabellam Ioannis Vaiuodæ viduam, vt antea eius maritum, Hungaróſque proceres, quorum opera Budam Solymanus occupauit, vt ad tyrannum illum confugerent, induxit: & Turcicis auxiliis fretus ditiones noſtras quinque exercitibus nuper inuaſit, nunc etiam nobis in proximum ver Turcicæ claſſis terrorem minatur? An hæc Concilij cogendi occaſionem præbebunt? quum igitur Romani Pontificis officium ſit, vt Concilium promoueat, eius qui Concilium, ac publicam tranquillitatem perturbat, te hoſtem declares neceſſe eſt: ſic enim & cæteros Reges, principéſque in officio continebis, & tuo ipſe ſapienter defungeris: qua in re nos quoque noſtro haud defuturos pollicemur. Hæc Cæſar veris falſa nonnulla permiſcens, & in Franciſcum Regem grauiter inuectus ad Paulum ſcripſit.

25 Scripſit & alteras ad Cæſarem litteras Paulus ſeptimo Kalen. Septembris per Michaëlem Syluam Viſenſem Cardinalem natione Luſitanum legatum ſuum eiuſdem fere argumenti: quibus Cæſar decimoquinto Kal. Nouembris reſpondit: aduerſus vtraſque Franciſcus ſexto Idus Martias anno huius ſæculi quadrageſimotertio Apologiam valde prolixam edidit, cuius Petrus Caſtellanus homo doctus, Regíque in primis acceptus author fuit. Huius præcipua capita breuiter explicata ſubiicienda exiſtimaui. Principio parabolam frugi, & nequam filij à Cæſare propoſitam exagitat; qua ſibi maioris natu parteis aſſumit: qui nunquam ab officio receſſerit, & vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ tranquillitatem, Conciliíque celebrationem procurarit: iunioris autem Regi attribuit, qui ſuas omneis facultates cum ſcortis prodegerit. Quoniam autem, ſi ex vitæ vtriuſque rationibus parabolam metiri volemus, non abſurda omnino ſimilitudo videbatur, eam ridiculo quodam Franciſcus diſſoluit: frugi enim illum filium ipſum patremfamilias nimirum Clementem Septimum per milites ſuos circumſediſſe, vt ſe grandi pecunia redimeret, coëgiſſe, omneis denique eius facultates diſſipaſſe; deinde pro eius parentis, quem diu in arctiſſima cuſtodia detinuerat, liberatione ad omnium Diuorum puluinaria ſupplicationes in Hiſpania indixiſſe docet: quis in iſta pietate riſum continere poteſt? Quod autem ſe in perpetua quadam Reipubl. Chriſtianæ cuſtodia, tanquam in ſpecula collocatum Cæſar iactauerat, quid illius vigiliæ poſt Nicienſe colloquium effecerint, declarat: nempe ter acciſos in Pannonia Germanorum exercitus: fuſas, fugatáſque turpiter in ſinu Ambracio Hiſpanorum Venetorúmque claſſes Andrea Auria duce: Algerianam expeditionem alieniſſimo tempore ab vno illo aduerſus omnium ſuorum ducum, aliorúmque conſilia ſuſceptam, & tot militum, nauiúmque naufragiis deformatã. Quid de caſtri noui expugnatione? quid de Methonenſi, Coronenſíque ignominia? quid de Nauplio atque Epidauro munitiſſimis vrbibus in pacis cõtinuatæ præ-

Aliæ litteræ Sũmi Pontificis ad eundem Cæſarem.

Apologia Frãciſci contra Cæſaris accuſationem.

Digitized by Google

mium Solymano traditis dicendum erit? quamquam quî traditæ fuerint, libro ſuperiore explicauimus. Tum merita ſua in Chriſtianam Rempub. Franciſcus exponit: qui Stephano Ioannis Vaiuodæ filio Pannoniæ regnum, quod eius eſſe videbatur, confirmandum curauerit: quod Cæſar ac Ferdinandus frater vel negligentia, vel ignauia ſua in Solymani poteſtatem deuenire paſſi ſunt: Chriſti ſepulchrum, & ſanctiſſimum illud templum Hieroſolymitanum, quod diſturbari iuſſum erat, conſeruarit: Franciſcinos ſodales eiuſdem ſepulchri cuſtodes reſtituerit. Obſeruantiam porrò ſuam erga Senatum Romanum, eiúſque principes enarrat, quibus propter mutua beneficia ſe charum eſſe confidit. Senatum verò in ſua poteſtate eſſe, quod illi Cæſar obiicit, nunquam ſe gloriatum fuiſſe confirmat: cuius enim id arrogantiæ fuiſſet? Deinde refutat quod Cæſar & ad foſſas Marianas, & in tranſitu per Galliam ſe Reipub. cauſa magnum diſcrimen adiiſſe iactat: animus enim ſibi malè conſcius eadem de alio quæ de ſeipſo concipit: nullum diſcrimen adiiſſe rei euentus comprobauit. At cuius impudentiæ eſt conſilium de ſe retinendo captum confingere? ſi enim is rumor occultè ſparſus fuit, vt prædicat, ab ipſo nimirum, eiúſve miniſtris ſparſus fuit.

Tum de promiſſo Mediolanenſi principatu per Sanctouincentianum Cæſaris legatum agit, cui vt ſuo periculo fides adhiberetur, Cæſar per litteras poſtularat: cur ergo eius rei promiſſum non præſtet, in qua ipſe ſua fide interceſſit? Regem nihilominus ne in perturbatæ pacis ſuſpicionem veniret, Sanctouincentiano ſi non re vera, in ſpeciem tamen fidem adhibuiſſe: liberum Cæſari per Galliam tranſitum conceſſiſſe, omnia humanitatis officia expleſſe, vt indomitum animum ſua liberalitate flecteret. Repetit deinde Franciſcus, quod priùs attigerat, Stephanum Ioannis Vaiuodæ filium ſua opera in paterno regno collocatum, & pupillum à Ferdinando Rege crudeliter oppugnatum deplorat: ſed vana deploratio eſſe deprehenditur: fuerat quidem à maiore procerum Hungarorum parte creatus Rex Ioannes Scepuſius (vulgò Vaiuoda nuncupatus) Tranſſyluaniæ ſcilicet adminiſtrator, tametſi nonnulli diſſentiebant: at ius à Ferdinando ſtabat: anno enim decimiquinti ſæculi nonageſimoprimo Maximilianus Cæſar cum Ladiſlao Pannoniæ Rege, Hungaríſque proceribus conuenerat, vt ſi Ladiſlaus, aut eius poſteri ſine liberis maribus decederent, Maximilianus, eiúſve poſteri mares è maribus recta linea (vt loquuntur) deſcendentes id regnum obtinerent. Quum igitur Ludouicus Ladiſlai filius vltimus Pannoniæ Rex ſine liberis maribus deceſſiſſet, haud dubium quin regnum ad Ferdinandum, Maximiliani nepotem, qui etiam Annam Ludouici ſororem in matrimonio habebat, rediret: & recenti fœdere Ioannes Vaiuoda iam ſenior & valetudine debilis cum Ferdinando tranſegerat, vt ſi ipſe è vita migraret, Ferdinandus toto Pannoniæ regno potiretur: vt libro ſuperiore fuſius enarrauimus. Bellum Turcicum in Germanicis conuentibus ſe diſſuaſiſſe Franciſcus fatetur: quod non is eſſet apparatus, vt de tam potenti hoſte victoria ſequutura videretur, ſanum, ſalubréque conſilium fuiſſe belli exitus confirmauit. De Fregoſij & Rinconis cæde addit: de qua toties diſputatum eſt, vt ſæpius eadem inculcare opus non ſit: qua legatione pacem Reipubl. Chriſtianæ, Stephano pupillo regnum Pannoniæ confirmare ſe voluiſſe, vltionem nihilominus cædis dum Cæſar Algeriano bello occupatus eſſet, perſequi noluiſſe aſſerit: antiſtitem Valentinum prehendi iuſſiſſe, vt legatos ſuos quos nondum cæſos putabat, recipere, confitetur: à Sabaudo regulo quum multis legationibus maternam hæreditatem obtinere non potuiſſet, nec is Niceæ oppigneratæ pretium recipere vellet, legatóſque ſuos, ac milites violaret à Cæſare ſcilicet ſubornatus, & Aſtenſi Comitatu, quod Ludouici ſoceri, eiúſque verum patrimonium eſt, donatus, quod iure conſequi nequiit, armis ſe repetiuiſſe Franciſcus non negat. Cæſaris ſenſus iam omnibus eſſe manifeſtos, qui alienæ ditionis principes identidem ad defectionem incitet: deinde in calamitatem delapſos pro nihilo ducat: Carolus Borbonius, Sabaudus, Salaſſus, Brunſuicenſis Henricus exemplo eſſe poſſunt. Quid? quod nec maiorem Ferdinandi fratris, Chriſtierni Daniæ Regis, meíque qui illius ſorores vxores duximus, & fratrum loco eſſe debemus, rationem habuit?

Poſtremo loco de ſocietate cum Solymano inita ſe purgare conatur: hic grauiſſimus Cæſarianæ accuſationis locus eſt, in quo etiam magis Franciſcus commoratur: neque veteri, neque nouo inſtrumento piorum cum idololatris interdicta eſſe fœdera Dauidis, Salomonis, cæterorum Iudæorum Regum exemplis probat: neque Chriſtus, neque Paulus magiſtratibus impiis pios ſalua pietate parere vetat: recentia Venetorum, nonnullorúmque aliorum cum Turcis fœdera adducit, vt Galli quondam regni

Hieroſoly

Hieroſolymitani compotes, Græcique Imperatores ſeneſcente memoria prætermittantur. Vt commercia inter ſe ac Solymanum libera eſſent, ne priuata in cauſa alter alterum offenderet, vt quantum Chriſtiana perſuaſio pateretur, mutuis inter ſe amicitiæ muneribus fungerentur, conueniſſe palam fatetur. At ſi Chriſtianiſſimi Regis hæreditarium cognomen tueri vult, quomodo cum Tyranno omnium, quorum hiſtoriæ meminerunt, teterrimo, Chriſtianæ perſuaſionis hoſte infeſtiſſimo longiſſimis terræ mariſque ſpatiis ſeparato ſocietatem coiuit, niſi vt vicinas Cæſaris, Ferdinandi, cæterorúmque Chriſtianorum prouincias, atque inſulas illi in prædam obiiceret, flagrantiſſimúmque inuidiæ ſuæ, atque odij erga Cæſarem æſtum tot innoxiis Chriſtianis internecioni eſſe pateretur? De Nauplio atque Epidauro dictum eſt: Ioannes Vaiuoda quod Pannoniæ regnum Solymano tuliſſet acceptum à Romano Pontifice malis diris deuotus, & Chriſtianorum cœtu exterminatus fuit: quem nihilominus Franciſcus & Solymano commendauit, ac clam aduerſus Ferdinandum quoad potuit, iuuit, atque aliquanto poſt eiuſdem viduam Iſabellam, Hungaróſque proceres eiuſdem factionis, vt ad Solymanum itidem confugerent, induxiſſe, & pro iiſdem interceſſiſſe fertur. Quid? quod Ænobarbum ad Niceam oppugnandam accerſiuit, & vt tot Chriſtiani eundo redeundóque in ſeruitutem raperentur, in cauſa fuit? quinetiam vt à Solymano frater appellaretur, ſuſtinuit: crudeliſſimi inquam tyranni frater, in cuius familia, qui rerum potitur, cæteros ſtatim trucidari iubet: hæc immanitas, quæ à ſuis incipit, quanta in alios eſſe ſoleat, quis non ſatis colligit? cum hoc monſtro vlláne homini Chriſtiano fraternitas, aut ſocietas eſſe poteſt? Cætera huius apologiæ capita perſequenda non putaui, quorum pleraque ſæpius Caſtellanus inculcat, & aliquando mihi ineptè loquax, nec perſonæ, quam ſuſtinebat, ſatis memor videtur. Contarenus Cardinalis, quod in legatione ſua Germanica non ſatis acer aduerſus Lutherianos fuiſſet, Romæ malè audiit, & ab vno Franciſco Cardinale Fregoſio viro probo defenſus eſt: creatus deinde Bononienſis legatus ibi ſub Auguſti finem non ſine veneni ſuſpicione vitam finiit, quum paulò ante Fregoſius fato functus eſſet.

Societas cũ Turca Chriſtianiſſimo Regi illicita.

Anno ſuperiore inter Anglos, Scotóſque de finibus controuerſia fuerat: ad Anglum auunculum Scotus Rex Eboracum adire promiſerat, quod matre, & familiaribus diſſuadentibus non præſtitit: hinc bellum exortum, quo ſub huius anni finem Scotos nullis ſeruatis ordinibus incedenteis, ducem enim humili loco natum ſpernebant, Angli aggreſſi in fugam vertunt, multóſque ex his capiunt. Scotus ſiue hac, ſiue alia de cauſa in morbum incidit, & pridie Idus Decembris è vita exceſſit relicta vnica hærede Maria, quam circiter octo dies ex Maria Claudij Lotharingi Guiſani reguli filia ante ſuſceperat.

Inter Anglos Scotóſq; controuerſia, & bellum.

28 Circiter Kalend. Nouemb. treis Cardinales legatos ſuos Paulus Pontifex Tridentum miſit, Paulum Pariſium Hetruſcum, Reginaldum Polum Anglum, Ioannem Moronum Inſubrem, quos Chriſtophorus Madrucius Tridentinus Pontifex liberaliter, ſplendidéque excepit: delectum Concilio oppidum quod ſuæ ditionis erat, Cæſar per Granuellanum aliquanto poſt approbauit, & ſe primo vere Concilio affuturum denuntiauit. Franciſcus è Gallia Narbonenſi reuerſus Cogniacum inde ad Santonum portum tertio Kalen. Ianuarij appulit (Rupellam vulgo appellant: propter ſalinarium vectigal Santones, & vicinarum inſularum incolæ tumultum excitarant Regiis miniſtris, qui id exigebant, repulſis: Iarnacus præfectus Philippi Chaboti Brionis Amyralij propinquus ciuibus arma, tormentáque abſtulerat, vrbi præſidium impoſuerat, vinctos aliquot ciues ad Regem miſerat. Kalendis Ianuarij Rex ſolio Regali ſedens cauſam illorum audiit, veniam indulſit, arma, tormentáque, atque vrbis claueis iiſdem reſtitui, præſidium inde exire iuſſit: ex vnoquoque ſalis modio cum Pariſienſi exæquato Rex quatuor & viginti Turonenſes libras in ſuum ærarium referri, nihil præterea pendi edixerat: at hoc ſalinarium vectigal ita eius poſteri auxerunt, quemadmodum & cæteras tributorum indictiones, vt iam cum illis propemodum exæquetur antiqua Galliarum libertate penitus conculcata. Decimoſexto Kalend. Februarij Ferdinandus cum duobus liberis, vt conuentum ageret, Nurimbergam (Nurumbergam Iouius vocat) appulit. Eodem octauo poſt die Granuellanus ex Hiſpania profectus cum Antonio filio Atrebatenſi Pontifice per Tridentum, vbi legatos Pontificios ad Concilium promouendum hortatus erat, acceſſit: Federicus Palatinus, Auguſtanus Pontifex, Ioannes Nauius Cæſaris legati erant: pridie Kalend. Februar. Ferdinandus orationem habet: Solymanum à nonnullis Chriſtianis principibus incitatum (Regem Gallum intelligebat) in Pannoniam cum potenti exercitu redire deſtinaſſe pro certo haberi docet: quàm è Repub. Chriſtiana ſit Hungariam,

Paulus Põtif. Maxim. tres Cardinales legatos Tridentũ delectum Concilio locum mittit.

Ferdinandus Nurimbergæ orationẽ habet ad arma Turcæ venturo opponẽda incitantem.

Morauiam, Auſtriam finitimáſque regiones tueri, cuius perſpicuum eſſe: quamuis ſuæ ditiones continuis bellis exhauſtæ ſint, ſe nihilominus officio ſuo non defuturum: vt omnes Imperij ordines idem præſtent, quibus idem diſcrimen imminet, enixè precari. Recitantur litteræ ad Ferdinandum, cæteróſque principes ſcriptæ, quibus Turcam nouum exercitum claſſémque inſtruere admonentur.

Mariæ Hungariæ Reginæ, quæ Belgicam Cæſaris fratris nomine adminiſtrabat, legati Vlricus Criechingus ac Viglius Vinchenius Iureconſultus de Cliuenſi grauiter conqueruntur, qui per Martinum Roſſenium Galliæ Regis fœderatus magnam Flandricæ Belgicæ portionem populatus ſit: vt Gueldriæ poſſeſſione moueatur, damnúmque datum reſarciat, obſecrant. Nonis Februarij Granuellanus mandata ſua exponit: egregiam Cæſaris erga Remp. Chriſtianam voluntatem omnibus eſſe notam: Cæſarem magnam ex eorum conſenſu voluptatem cepiſſe, qui anno ſuperiore coniunctis viribus aduerſus Turcam proceſſerint: voluiſſe ei quidem bello intereſſe, niſi Galli Regis, regulíque Cliuenſis conſpiratione ad ſua defendenda reuocatus fuiſſet: præſertim quum illi de claſſe Turcica multa iactarent: ſe vires omnes, opéſque ſuas, vitam etiam, ac ſanguinem in bellum Turcicum profuſurum, modo ipſi viciſſim in Gallo, Cliuenſíque oppugnando opem ferant: vt domitis velut domeſticis hoſtibus, qui in Chriſtianorum quaſi meditullio habitant, liberi in externum, barbarúmque tyrannum ferantur: dum enim Reſpub. Chriſtiana domi laborabit, atque inter ſe diſſentiet, commodè nunquam externa bella curabit: decernenda igitur in vtrumque valida auxilia, vt in ordinem redigantur. 29

Proteſtãtium querela.

Proteſtantes Ferdinando, Cæſaríſque legatis libellum offerunt, & prolixè de Spirenſi Senatu queruntur, qui Brunſuicenſis Henrici propugnationem ſuſceperit, & aduerſus ipſos multa alia deſignarit: cuius non ſolum emendationem, ſed & alios iudices depoſcunt. Diſſenſionem de religione ex eo quod pura Chriſti doctrina non obſeruetur, emanare cauſantur: niſi hæc præſtentur, ſe nequaquam de bello Turcico deliberaturos. Ferdinandus, Cæſaríſque legati Concilium Tridentinum iam celebrari reſpondent, quo Cæſar quoque accedere ſtatuit: Senatum Spirenſem ſine cauſæ cognitione remoueri non debere: eius emendationem iam eſſe decretam, Henrico Brunſuicenſi, vt in integrum reſtituatur petenti ius denegari non poſſe. Proteſtantes neque Concilium Tridentinum probare, neque illuc venire ſtatuiſſe, neque cæteris de rebus ſibi ſatisfieri inferunt: idcirco ſe non habere quod præterea in medium proferant. Ferdinandus nihilominus, aliíque ordines de muniendis regionibus Turcis finitimis, déque ſumptibus in eam rem impendendis decretum edunt: Senatus Spirenſis emendationem ex formula ante annum vndecimum Ratiſbonæ præſcripta in diem quartum Nonas Iulias indicunt: eos qui auxilia recuſarint fiſco, eiúſque iuriſdictioni ſubiiciunt: decreto quod cum ipſis communicatum non ſit, Proteſtantes ſe haud ſtaturos profitentur. Quum bellum Cæſar aduerſus Cliuenſem acrius vrgeret principes Electores, aliíque ordines vix tandem à Granuellano inducias impetrant: quas tamen Cæſari Germaniam ingreſſo vel ratas habere, vel repudiare fas eſſet: & ea præterea conditione vt Siltardum in finibus Iuliacenſis agri ſitum oppidum Cæſari traderetur; has Cliuenſes legati probabant: ſed ante illorum reditum Cliuenſis de Cæſarianis ad Siltardum nono Kalen. Aprilis victoriam reportauit: qua de cauſa, & quod pecuniam Gallus ſubminiſtrabat, repudiatæ induciæ fuerunt. Hoc anno Clemens Marotus lingua vernacula poëta lepidiſſimus vt eius opera teſtantur, vitam cum morte commutauit.

Clementis Maroti poetæ Galli mors.

Cæſar Philippo filio Mariam Regis Luſitani filiã matrimonio iungit.

Cæſar in Italiam traiecturus, inde in Germaniam tranſiturus, Philippo filio decimumſextum ætatis annum agenti Mariam Ioannis Regis Luſitani filiam collocat: eidem Hiſpaniæ Regi creato Hiſpanos proceres, ciuitatúmque legatos ſacramentum dicere iubet: Franciſcum Coiuum adoleſcentiæ eius moderatorem, Regiíque conſilij principem deligit: Ferdinandum Toletanum Albanum regulum copiis militaribus præficit: Germanos qui anno ſuperiore Perpennianum traiecerant, Hiſpaniæ præſidio relinquit: duodecim Hiſpanorum peditum millia, quæ in Italiam tranſportentur, & aliquantum equitatum (ſeptingentos equites nonnulli numerant) Barcinone coire imperat: Andreæ Auriæ mandat, vt cum roſtratis nauibus ad Idus Apriles eodem properet; vt adiunctis onerariis Genuam fœlici nauigatione tranſmittat: ſupra quadraginta nummûm aureorum myriades Hiſpani in hoc bellum contuliſſe traduntur: magnam auri vim Ioannes Rex Luſitanus addiderat: & iam fœdus cum Henrico Angliæ Rege Cæſar veterum ſimultatum, ſacramentíque, quo ſe Clementi Pontifici obſtrinxerat, oblitus, vnique ambitioni conceptóque in Gallum odio cætera omnia indulgens fecerat: Clementi enim ſe nunquã cum 30

Henrico

Digitized by Google

Henrico niſi Pontificis authoritate in gratiam rediturum iureiurando ſanctiore promiſerat: quapropter Clemens Henricum in eius gratiam malis diris deuotum cœtu Chriſtianorum mouerat, vnde ille indignatus à Pontificis authoritate defecit. Anglus à Gallo abalienatus quod Iacobum eius nominis Quintum Scotiæ Regem generum aſciuerat, quodque in contentione de regnorum finibus eundem pecunia, auxiliiſque iuuerat, & ab eius morte Cardinalem Betonium, aliquotque alios Scotorum proceres factionis Gallicæ propugnatores non minus confirmarat, facilè cum Cæſare in gratiam rediit: pecuniam ingentem promiſit, Gallis bellum terra, marique grauiſſimum illaturus & quaſi Galliæ regnum cum Cæſare partiturus.

Hēricus Angliæ Rex à Pontifice defecit.

31 His fretus Cæſar menſe Maio cum claſſe Genuam appulit, & ad ædes Aurianas diuertit: quem ſtatim Alphonſus Vaſtius, ac Ferdinandus Gonzaga inuiſerunt. Acceſſerunt & Medices Coſmus, atque Alexander Cardinalis Farneſius: ille Florentiam, Liburnicamque arceis, quas hactenus præſidio impoſito Cæſar retinuerat, ducentis nummûm aureorum millibus redemit: hic ægre, & in triduum dumtaxat Pontificis cum Cæſare colloquium ad Buxetum inter Cremonam, Placentiamque ſitum oppidum impetrauit: breuius colloquium ne Anglo ſuſpicaci ſcrupulum moueret, Cæſarem aſſenſiſſe nonnulli exiſtimarunt. Colloquium petebat Pontifex non ſolum publicæ pacis conciliandæ ergo, ſed vt priuatim ſibi conſuleret. Parmam, ac Placentiam nuper, quas à Cardinalium Senatu facta permutatione impetrarat, Petro Ludouico Farneſio filio conceſſerat, & quod Mediolanenſis principatus fuiſſent, vt Auguſta authoritate Petrus Ludouicus earum poſſeſſionem adiret, poſtulabat. Præterea & Mediolanenſem principatum Octauio nepoti Cæſaris genero ambiebat magna propoſita, qua Cæſar in graue bellum profecturus in primis egere videbatur, pecunia: ſic Cæſarem Italos omneis, præſertim Venetos omni ſuſpicione liberaturum, quam de nimia eius potentia Italiaque in regni formam redigenda conceperant. Franciſcum quoque Regem id Pontifici Italiſque conceſſurum veriſimile erat, qui Sfortiam antea eodem principatu potiri Italis inſtantibus facilè tuliſſet. Quid enim illi optatius eſſe poterat, exhauſto præſertim regno, quàm vt pace bene conſtituta Chriſtianorum arma in Turcam verterentur? princeps viribus infirmus Inſubribus imperaret: Sabaudus infirmior & fere omni patrimonio ſpoliatus nihil moliri auderet; quorum neuter, ſi quid Cæſari humanitus accidiſſet, vel Gallici belli famam vix toleraturus videretur. At Cæſar neque duabus illis vrbibus principatum Mediolanenſem imminuere, neque eo niſi retentis munitioribus arcibus cedere in animum induxerat: Pontifex autem niſi eodem libero, & plane integro Octauius nepos frueretur, neque pecuniam contribuere, neque Veneti eius propugnationem ſuſcipere voluerunt. Contra vt ſe Galli hoſtem declararet, à Pontifice Cæſar poſtulauit: ille Henrici Angli exemplum horrens, & ne Franciſcus quoque à ſua authoritate deficeret, veritus, perſonam quam hactenus ſuſtinuiſſet non commutaturum, & ſe communem parentem præſtaturum reſpondit. Sic quinque dierum colloquio finito Pontifex Bononiam rediit, & feſtum Petri diem celebrauit. Cæſar in Germaniam contendit: Franciſcus tantos belli apparatus in ſe inſtrui animaduertens, quamuis multa ante eius regnum inaudita indixiſſet, nouum præterea Februarij initio tributum addidit, & vt vrbes muris cinctæ, earundem quoque ſuburbia complexus in quinquaginta peditum millia ſtipendium penderent, edixit: quod & ipſe, & poſtea eius poſteri quotannis etiam nullo bello imminente exegerunt.

Cæſar Genuā appellit.

Cæſaris & Pontif. Rom. colloquium.

32 Franciſcus idem Aprili menſe viros nobiles qui ex æquo ſuis impenſis quadraginta dies olim pro patria dumtaxat tuenda iure clientelæ militare tenebantur, intra regni fines treis integros menſeis extra quadraginta dies militare compulit: nec amplius in equo, præſertim in Pictonibus aliiſque aliquot regionibus, ſed cataphracti loco virum nobilem pedeſtribus armis inſtructum cum duobus aſſeclis altero haſtato, altero ſclopetario, qui armis quoque ſuis functionibus idoneis munirentur, hippotoxotam cum vno aſſecla haſtato vel ſclopetario, quorũ fundi tenuiores ſunt, æqua æſtimatione operam ſuam præſtare edicto ſanxit. Cremonæ Cæſarem conuenit Brunſuicenſis Henricus, & de Proteſtantibus grauiſſime queſtus eſt. Proteſtãtes qui litteras Genua datas à Cæſare acceperãt Scalmadiæ octauo Kal. Iulias conuenerunt, & de legatione ad Cæſarem mittenda tum de hac querimonia, tum aliis de rebus deliberarunt: ſeptimo enim Kalend. Iunij Cæſar ad Saxonem, Lantgrauiumque Genua litteras dederat, vt quandoquidem de pace publica illis ſatis cautum, & vt Senatus Spirenſis in ordinem redigeretur, decretum erat, auxilia aduerſus Turcam mittere ne recuſarent: & ad pridie Kalend. Decembris Imperij conuentum Spiram indixerat: quicquid enim ſe abſente in poſtremis comitiis Germanicis actum erat,

Cremonæ Cæſarem conuenit Brunſuicenſis Henricus & de Proteſtātib. conqueritur.

Digitized by Google

ex Nauio intellexerat. Quum Spiram ſub Iulij finem appuliſſet, per legatos illi quarto Nonas Auguſti ad Cæſarem admiſſi, ſi ratio de pace conſtet, ſi Senatus Spirenſis in ordinem redigetur, ſi tributorum tolletur inæqualitas, ſe publicis neceſſitatibus haud defuturos profitentur. Cæſar biduo poſt per Nauium Granuellano aſtante reſpondet abunde illis eſſe ſatisfactum: de pace ſatis cautum fuiſſe ſuperioribus decretis: Senatum Spirenſem indicta cauſa non remoueri debere, vt in eum inquiratur, proximum Octobrem eſſe delectum: ſi qui noxæ conuicti fuerint, haud impune laturos: tributa niſi de communi omnium ordinum conſenſu exæquari non poſſe: quod diſcrimen à Turca impendeat, expendant: & cæteros ordines imitati publicæ cauſæ ne deſint. Brunſuicenſem Henricum vt in integrum reſtituatur, vrgere: quid de eo ſtatuant, declarent: id ſcripto mandari, vt conſideratius deliberent, petunt. Annuit Cæſar, & poſtridie Moguntiam iter inſtituit: Spiræ pro Cliuenſi regulo Colonienſis Pontifex, Moguntiæ Saxo per legatos intercedentes priuatam iniuriam Reipublicæ Turca præſertim imminente remitti ſuadebant. Cæſar propoſiti, ſuſceptíque conſilij tenax niſi Cliuenſis Gueldriæ poſſeſſione cedat, quicquid Turca comminetur, ſe nunquam cum illo conuenturum teſtatus eſt. Ita Ferdinandus nimia fratris pertinacia quicquid Hungariæ reliquum erat, amiſit. Cæſar Moguntia profectus Bonnam ſecundo fluuio peruenit: (ea quinque paſſuum millibus ſupra Coloniam ſita eſt) atque in agro Colonienſi exercitum coëgit. Cenſa ſunt Germanorum peditum quatuordecim, Hiſpanorum, atque Italorum quaterna, Belgarum peditum duodecim, equitum vero quos Arauſius adduxit, duo millia, Germanorum atque Sequanorum cataphractorum equitum numerus quatuor millia impleuit: quibus ſexcenti partim Itali, partim Epirotæ leuiores, Hiſpani præterea, quos iam commemorauimus, equites acceſſerunt. Stephanum Columnam caſtrorum magiſtrum Cæſar deſignauit: Iacobum Medicem tormentis, Franciſcum Ateſtinum Ferrarienſis fratrem leui armaturæ præfecit; Ferdinandus autem Gonzaga Cæſaris legatus omnibus imperabat. Ita inſtructo exercitu tertiis caſtris ad vndecimum Kal. Septembris Duram appulit.

Cæſaris contra Cliuẽſem exercitus.

Cæſarem aduerſus Gallum Cliuenſemque Galli fœderatum bellum molientem Du- 33
ram vſque perduximus. Qui autem ſe contra Gallus ad bellum comparatit, addendum videtur: Aprilis initio Antonio Borbonio Vindocinenſi regulo ſuo in Picardia legato de commeatu Taroannam importando mandatum dedit: is collecto ſatis valido exercitu, in quo Campaniæ, Picardiæque legionarij milites quibus Franciſcus Mongomerius Lorgius præerat, ac Germanorum peditum circiter quatuor millia, ſexcenti cataphracti, totidem leuiores equites coierant, mandatum impleuit: Lillerium inter Betunam, Aeriámque ſitum oppidum ac pleraque vicina caſtella, arceíſque cepit, ac demolitus eſt: ſe de Bapalma oppido, atque arce capienda modo ſtipendium mitteretur bonam ſpem concepiſſe Franciſco ſignificauit: Flandros enim omneis ſuas vires in Cliuenſem conuertiſſe, qui duo aut tria Brabantiæ oppida nuper ceperat. Franciſcus coacto ſub finem Maij exercitu quam primùm hoſtilem regionem adoriretur in conſultatione poſuit: alij Lillerium nuper incenſum duabus ex partibus paludibus cinctum vno dumtaxat aditu qui Pernam reſpicit, ac Fanum Venantij in Triangulari inſula collocatum, quo per duos dumtaxat aggeres acceſſus patet, munienda cenſebant: Pernæ autem, aut ad Fanum Pauli propugnaculum erigendum, quo commeatus in poſterum tuto ſine vllo exercitu Taroannam deportaretur. Alij Auennas raro præſidio firmatas oppugnari malebant. Quam ſententiam Rex primum ſequutus eſt, illucque Annebaldum nuper rei nauticæ præfectum Brione Lutetiæ vita functo miſit: deinde peruerſo nonnullorum conſilio mutata ſententia Landreſium Sabi fluuio, quem vulgo Sambram vocant, imminens oppidum muniendum ſuſcepit: Sabis ex paludibus Oſiis Guiſani agri oriens Caſtiliono, Landreſio, Marollis, Emeriaco ſiue Emerio (hoc enim ad vulgare nomen magis accedit) Maubugio peragratis tandem in Moſam ad Namurium deuoluitur: citra fluuium Landreſium ſitum eſt: vltra ſylua Mormanxia paucis inde ſtadiis diſtat. Martinus Bellaius Langeus ducentorum leuium equitum præfectus ne oppidani oppidum incenderent, atque in ſyluam aufugerent, quemadmodum anno huius ſæculi primo & viceſimo Carolo Borbonio Vindocinenſi appropinquante incenderant, centum è ſuis equitibus vltra fluuium miſſis centum quinquaginta cataphractorum equitum, ac trium cohortium ſubſidium ab Annebaldo poſtulauit: Regem enim de muniendo Landreſio deliberaſſe nouerat. Tantum autem abfuit, vt id conſilium Annebaldus admitteret, vt præmiſſos etiam à Langeo equites reuocarit. Oppidani noctu incenſo oppido ſe in ſyluam coniecerunt. Acceſſit tandem Franciſcus cui ſe Vindocinenſis adiunxerat, & vniuerſo exercitu coacto mille octin-

Franciſcus belli apparatus inſtruit.

gentos,

Digitized by Google

gentos, totidem leuiores equites, legionariorum militum duodecim, totidem Germanorum peditum millia ſe in armis habere comperit: oppidum omni ex parte contemplatus vt ſumma diligentia muniretur, iniunxit: ipſe interim ad Marollas vicum amplum vbi opulentum Benedictinæ profeſſionis cœnobium viſitur, quatuor infra Landreſium paſſuum millibus ſtatiua habuit. Paulo ante Hariadenum Barbaruſſam cum claſſe ad noſtrũ mare appropinquare certior factus, Franciſcum Borbonium Anguianum illi obuiam miſit: de quo poſtea, & de Solymani in Hungariam expeditione ſcribemus.

34 Dum ad Marollas Franciſcus commoratur, ne exercitus omnino inutilis eſſet, Delphinum cum iuſta manu, tormentiſque Emerianam arcem in inſula, quam Sabis efficit, ſitam, quatuor infra Marollas, Maubugium item oppidum eidem fluuio imminens Marollis octo paſſuum millibus diſtans oppugnare iuſſit: vtrique facta ſtatim deditione præſidium impoſitum fuit: mox autem quum Franciſcus Emerianam arcem muniiſſet, in eamque magnas impenſas feciſſet, nec ob frequenteis pluuias commeatus, qui Landreſio, eique ſufficeret, curribus trahi poſſet, arcem à fundamentis euerti imperauit. qua in re vel eius, vel eorum qui & exercitus, & munitionum curam ſuſceperant, prouidentiam requiras: ſub finem Iulij quum Landreſianæ munitiones multum promotæ fuiſſent, Rex oppido Petrum Landam virum fortem cum ducentis leuioribus equitibus, mille peditibus ſub ipſo militantibus præfecit, atque inſuper bis mille pedites addidit: & quod Landa tertiana febre laboraret, eidem Eſſeum alæ Mompenſerianæ legatum ſocium dedit, vt pari imperio munus ſibi commiſſum adminiſtrarent. Guiſæ Melfitanum principem cum trecentis cataphractis, Briſſacum cum mille ducentis leuioribus equitibus reliquit, qui Landreſium quicquid ad oppidi munitionem conſeruationemque opportunum eſſet, conuehendum curarent. Et quanquam opem Cliuenſi ferre deſtinarat, tamen quod conſuetis voluptatibus facilè carere non poſſet, in Remis muliebrem quaſi exercitum, hoc eſt, aulicas omneis matronas virgineſque ſecum ducens ſe venationibus dedit. Interim nihilominus Longouallium Boſſuum, ac Martinum Bellaium Stenaium miſit: quod oppidum ab Antonio Lotharingiæ regulo quadam permutatione nuper receperat. Ibi commeatu in exercitum Luceburgum profecturum prouiſo de potentiſſimo Cæſaris exercitu Cliuenſis ditionibus appropinquante per exploratores edocti Regem de hoc admonendum iudicarunt: ad quem Bellaius quicquid didiciſſent relaturus curſoribus equis acceſſit: is Melfitanum principem, & cæteros duces, qui Guiſæ remanſerant, cum omni equitatu, peditatuque accerſiuit: Vindocinenſi regulo, vt cum ſua manu in eorum locum ſuccederet, Landreſioque adeſſet, mandauit: exercitus ſui curam Aureliano filio, eiuſque adoleſcentiæ moderatori Annebaldo commiſit. Galli Luceburgenſem agrum ingreſſi Fanum Mariæ, aliquotque alia caſtella, arceiſque ceperunt, ac demoliti ſunt: ne hoſtibus vſui eſſe poſſent: inde Viritonum à ciuibus deſertum, Arlonumque petierunt, quod tormentis non expectatis deditionem fecit: illi quadringentorum peditum Tabernario præfecto præſidium impoſitum fuit.

Emeriana arx & Maubugiū oppidum à Delphino Regis iuſſu oppugnantur, & deditionem faciunt.

35 Poſtridie qui quartus Idus Septembris fuit, Gallorum exercitus Luceburgum appulit: in vrbe erant Ægidius Leuantius inter Cæſarianos dux celebris, ac Ioannes Huſſus Metenſis cum quadringentis equitibus, & tribus peditum millibus, ac prætereа quingentis. Luceburgi ſitus qua Galliam reſpicit, excelſus: in aduerſa regione, quæ ſyluas ſpectat, antiquorum Luceburgenſium regulorum arx magnifica, & tantorum principum ſplendori reſpondens rupi impoſita eſt: in inferiore vrbe cœnobium aliquot Imperatorum ſepulturis inſigne viſitur: atque inter eos Bohemi Regis qui Philippo Valeſio opem ferens aduerſus Eduardum Angliæ Regem Creſſiaco prælio cæſus fuit, cuius filius Imperator erat. Tormentis bipartito collocatis, alteris Franciſcus Lotharingus poſtea Guiſanus regulus vocatus, atque Aſſietus tormentorum magiſter, alteris Petrus Strozza præfuit: dum à tormentis primo diluculo ad caſtra minus cautè ſe recipit Franciſcus Lotharingus ſclopeti maioris glande (moſquetum vulgò appellant) in ſuperiorem pedis partem qua cum tibia coniungitur, vulneratus eſt, & mox ægrè curatus. Exoneratis quinquies, aut ſexies tormentis obſeſſi de deditione egerunt: milites tam equites quam pedites cum ſua omni ſupellectile liberi exierunt. Ciues qui remanſerunt, & Regi ſacramentum dixerunt omnibus ſuis bonis frui permiſſi ſunt: qui remanere noluerunt, quo viſum eſt, diſceſſerunt: qui munus aliquod ſub Cæſare geſſerant, cum militibus abierunt. Capto Luceburgo Aurelianus primarios totius exercitus duces in conſilium vocauit, & an vrbs munienda eſſet, rogauit: omnes fere propter difficilem ſitum montibus, vallibúſque obnoxium haud muniendam eſſe cenſuerunt: multo prætereа tempore, & magnis impenſis opus eſſe, hyemem

Luceburgum obſeſſum.

obſeſſi ſe dedunt.

Digitized

hyemem imminere trahendis curribus in tam pingui ſolo contrariam: qui vix ad comportandum in exercitum commeatum ſufficiunt, tanto minus ad vrbem in paucos menſes alendam: ſexto quoque menſe magno exercitu opus eſſe, vt is Luceburgum inferatur; tridui enim itinere à Galliæ finibus Luceburgum abeſſe: eundo, redeundóque ſex diebus impletis ſeptimus in exonerando conſumetur: Cæſarem oblato ſingulis nummo aureo viginti Germanorum peditum millia eo poſſe mittere, qui fame laborantem vrbem vel circumſedeant, vel commeatum in eandem inferri prohibeant: Arlonum potius muniendum, in quod longè facilius commeatus inferetur, & minoribus impenſis opus erit: Luceburgi mœnia euertenda, ne tutus is hoſtibus receptus in poſterum relinquatur. Rex aduerſus omnium ſententias, in munienda vrbe perſtitit: ſe Luceburgenſem regulum niſi primaria vrbe potiretur, inſcribi non poſſe præfatus, cuius tituli ambitio non multo poſt illi magno ſtetit; Luceburgum tertio Kal. Octobris appulit, & quæ ad munitionem pertinebant, accelerari iuſſit: Hieronymum Marinum Bononienſem architectum ſuæ vanitatis adminiſtrum nactus, qui munitiones conficiendas ſuſcepit; vt quæſtus cauſa huiuſmodi nebulones quicquid rogantur, ſe præſtaturos pollicentur.

Rex Luceburgum muniendum curat.

Paulò antè vt Annebaldus Cliuenſi ſuppetias ferret, quadringentos cataphractos equites, decem peditum millia ſecum duceret, Franciſcus deliberarat: ſed quod tardiora auxilia fuiſſent, & Rhemis diutius venationibus indulſiſſet, quum progredi Annebaldus debuiſſet, Cliuenſis interim cum Cæſare conuenit. Dura vrbs Sicambrorum munitiſſima, vt videbatur, Cæſaris impetum diu remoratura exiſtimabatur: quod & Cliuenſem, & Franciſcum Regem multum fefellit: murus erat lateritius duplici foſſa præcinctus: inter vtramque latus agger erectus erat propugnaculis feneſtratis, vbi ingens tormentorum vis collocata erat, interſtinctus, & altitudine murum exæquabat: qui non niſi aggere proſtrato tormentis pulſari poterat: & vt decuſſus aliqua ex parte fuiſſet, aſcenſu propter anteriorem foſſam difficilis videbatur: at paulò ante lucem quadraginta maioribus tormentis ad ſeptimum Kalend. Septembris vſque ad veſperam concuſſus, quum agger ſatis depreſſus videretur, & foſſæ anterioris aqua vſque ad militum vmbilicum dumtaxat perueniret, Hiſpani, atque Itali nullo ſigno dato in aggerem conſcenderunt: quum cæteri tam equites, quam pedites in armis ſtarent, quod Martinus Roſſenius obſeſſis ſuppetias laturus ferebatur: multi ex vtriſque è muro à Durenſibus cæſi fuerunt, & Flattes præſidij præfectus è domo muro propinqua adorienteis ſclopetis, tormentiſque grauiſſimè affligebat. Quo animaduerſo Cæſar eam domum exoneratis aliquot tormentis dirui iuſſit, vnaque Flattem cum ſociis oppreſſit. Eo cæſo Durenſibus animi penitus conciderunt, rarique pro muro propugnarunt. Itaque Hiſpani, atque Itali animis confirmati in ſummum murum ſcalis plicatilibus aſcenderunt; vrbémque ingreſſi præſidiarios milites, ciuéſque omneis ſine vllo ſexus, ætatiſue diſcrimine trucidarunt: quòd circiter ſexcentos aut paulò plures in ea impreſſione amiſiſſent, vrbémque direptam mox incenderunt Cæſare non prohibente, qui eam cladem cæteris vrbibus exemplo eſſe vellet; qua Ruremunda, Vantholium, cæteræque vicinæ vrbeis perculſæ deditionem fecerunt: ipſe vero Cliuenſis Brunſuico, atque Arauſio deprecatoribus vſus ſe Cæſari permiſit, & ea conditione in gratiam eſt receptus, vt in poſterum Gueldriæ dumtaxat præfectus Cæſare aſſentiente appellaretur, nomine principis abſtineret, Gallo vero amicitiam renuntiaret: is non multo poſt Ferdinandi Romanorum Regis filiam vxorem duxit. 36

Cæſariani Durã vi capientes omnia ferro & flamma vaſtant.

Vicinæ vrbes Durenſi excidio exterritæ ſe dedunt.

Cæſar Gueldrenſibus ſubactis, & Martino Roſſenio cum ſuis cohortibus in militiam ſuam aſcripto exercitum ſuum Landreſium verſus properare iuſſit: in Luceburgo muniendo occupatus adhuc erat Franciſcus, quum per Vindocinenſem regulum, qui Guiſæ conſederat, Ferdinandum Gonzagam Cæſaris legatum cum numeroſa manu ad Flandricum exercitum, cui Areſcotus atque Adrianus Beurenus è Croia familia præerant, & iamdudum Landreſium circumſedebant, appuliſſe certior factus eſt: & ne præſidium ſatis firmum eſſet veritus, vt Renatus Capella Rinſouinus alæ Iarnacianæ legatus cum quinquaginta cataphractis equitibus vrbem noctu introiret, mandauit: quod is partim eluſis, partim perruptis Cæſarianis excubiis egregiè præſtitit. Luceburgo Longouallium cum ſua ala quinquagenaria Rex præfecit: cui Anglurum, quem & Iourium appellabant, cum mille, Haraucurtum cum quingentis, Riparium Vicecomitem cum totidem peditibus addidit. Hieronymum item Marinum munitionum architectum cum centum & viginti Italis. Principem autem Melfitanum legatum ſuum deſignauit: qui commeatum in vrbem importandum curaret: huic decem Gallorum peditum, Germanorum duo millia, quinque, aut ſex cataphractorum alas, aliquot leuiorum equitum reliquit: ipſe cum cætero 37

Cæſar Landreſiũ ſe cõuertit.

exercitu

Digitized by Google

exercitu Landreſium verſus iter intendit. Briſſacus leuis armaturæ equitum præfectus præceſſit, & aſſumpto ſancti Secundi Comite Italorum peditum tribuno cum aliquot ſclopetariis equitibus Marlam octo paſſuum millibus Guiſa diſtantem contendit: vbi Gonzagam ſoluta Guiſæ obſidione poſtridie ſe Landreſium recepturum intellexit: Regis enim exercitum Luceburgo redire Gonzaga audierat. Briſſacus igitur noctu Marla profectus ſub auroram ad monticulum arboribus conſitum Guiſa mille ac quingentis paſſibus diſtantem appulit: vnde Cæſarianos abeunteis conſpicatus quingentos equites qui poſtremos adorirentur, præmiſit: ipſe cum cæteris ſubſequutus eſt: illi tam fortiter ſe in hoſteis intulerunt, vt multos ex iis ceciderint, multos item ceperint: atque inter eos Franciſcum Aceſtinum Ferrarienſis fratrem totius Cæſariani equitatus, vt refert Bellaius, aut leuioris dumtaxat, vt ſcribit Iouius, præfectum: quem tamen alibi captum mentitur. Gonzaga equitatum ſuum perturbatum animaduertens omnia peditum agmina, cæteróſque equites coire, & ſeſe in hoſteis conuertere imperauit. Briſſacus ſuo officio egregie functus maturè ſe ad Regium exercitum recepit. Commeatu Luceburgum importato Melfitanum principem Franciſcus acceſſiuit Landreſio ſuppetias laturus, aut prælio decernere paratus.

Queſnoij (Canouium Iouius, alij Cannetum vocant, nos vulgarem appellationem ſequuti ſumus) tum agebat Cæſar Mauricium Saxonem, ac Martinum Roſſenium cum ſuis cohortibus expectans: exercitus autem eius Landreſium circumſedebat; in quo decem & octo Germanorum peditum, decem Hiſpanorum, ſex Flandrorum, Anglorum, quos Henricus Angliæ Rex ex recenti fœdere miſerat, circiter decem, equitum verò omnis generis tredecim millia Bellaius fuiſſe prodit. Hi in terna caſtra diuiſi quadraginta quinque maioribus tormentis tripartito ſeparatis Landreſium oppugnabant: vnis murum inter arcem, Aurelianenſeque propugnaculum interiectum, alteris arcem ipſam, tertiis Vindocinenſe propugnaculum murúmque, qui Caſtilionum reſpicit. Aderant multi tam Germani, quam Flandri principes: Ferdinandus Toletanus Albæ regulus nuper Cæſarianæ aulæ magiſter Roëſio Comite Flandriæ & Attrebatenſis Comitatus adminiſtratione donato cum Cæſare remanſerat. Quoniam autem Landreſij propugnacula, aggeréſque nondum ad iuſtam altitudinem peruenerant, Gonzaga tormentum longius (colubrinam vulgò appellant) in tumulo inter Mormauxiam ſyluam, Landreſiúmque collocarat, quo obſeſſos aggeribus, foſſiſque ducendis operam danteis plurimum infeſtabat. Noſtri Germanos tormenti cuſtodiæ attributos negligenter ſe gerere conſpicati eoſdem adoriendos ſuſceperunt: quibus in fugam verſis tormentum antequam ſubſidium accederet, abſtulerunt, & in Aurelianenſe propugnaculum pertraxerunt, idque in perſequenteis exonerarunt: multos item qui eius recipiendi ergo ad oppidi foſſas vſque proceſſerant, ſclopetorum glandibus peremerunt. Iam muri, aggeréſque latè proſtrati erant, vt merito indicenda oppugnatio videretur: Cæſar tamen quod obſeſſi viri fortiſſimi erant, nec niſi cum magna cæde opprimi poterant, oppugnationem differebat. Contra noſtri, & continuo labore, & victus penuria exhauſti per Iuillam Normanum quingentorum peditum præfectum, Regem de ſtatu rerum ſuarum tertio Kalend. Nouembris certiorem fecerunt. Rex Iuillam remiſit, & ſe breui auxilio futurum promiſit, quod & ſtatim præſtitit. Alij per Caſtilionum, quæ via tutior videbatur, alij per Cambreſium vicum (Cameracium quidam vocant) iter inſtituendum cenſuerunt. Commeatus penuria vt poſteriorem ſententiam tametſi incertiorem, & caſtris faciendis minus idoneam Rex ſequeretur, effecit: deinde Gonzagam ſe appropinquante exercitum qui vltra fluuium erat, cum cætero coniunxiſſe admonitus, Franciſcum Borbonium Paulinum Comitem, atque Annebaldum Amyralium qui recens præſidium immitterent, vetus reducerent, per Caſtilionum Landreſium miſit, & magnam pecoris, farinæque vim importari iuſſit: quod illi facile perfecerunt, & Veruinum, ac Rochabaronem Belgas cum mille quingentis peditibus, atque aliquot equitibus Landreſio præfecerunt. Gonzaga interim abſente Cæſare nihil molitus eſt: Rex poſt immiſſum ſubſidium biduum ibi remanſit: quum tutiore conſilio vſus nihil fortunæ permittere, ſe maturè recipere potuiſſet.

Landreſium obſidetur.

Rex præſidijs & commeatu vrbē firmat.

39 Cæſar circa Nouembris Kalendas cum Mauricij Saxonis, ac Martini Roſſenij cohortibus ad exercitum ſuum acceſſit, & præmiſſo cum ſclopetariis peditibus leuiore equitatu, quem multæ cataphractorum equitum alæ, Germanorúmque peditum agmina ſequebantur, pugnaturi ſpeciem præbuit. Briſſacus cum leuiore noſtrorum equitatu tranſmiſſo fluuio ſe venientibus oppoſuit, & maiores quam ſuſtinere poſſet, vires ſibi imminere animaduertens ſeſe paulatim ad Regium exercitum recepit, & nonnullos è ſuis, atque inter

inter eos Andouinum Delphino in primis charum amiſit: Cæſar quod iam adueſpera-ſceret, fluuium non traiecit. Rex longè numeroſiorem hoſtium exercitum,& quidem ex veteranis militibus prælij faciendi occaſionem quærere agnoſcens fortunæ aleam ſubire noluit: de ſecunda vigilia cum prima acie, cui Claudium Lotharingum Guiſanum regulum præeſſe voluit, diſceſſit: Delphinum atque Annebaldum cum octingentis cataphractis equitibus, aliquot leuiorum alis, quatuordecim Heluetiorum millibus in ſecunda reliquit: Briſſacum cum leuiore equitatu,& aliquot ſclopetariorum cohortibus aciem claudere imperauit, atque ita paucis militibus, nonnullis impedimentis amiſſis ſe Guiſam recepit: quod ſi maturius Landreſio recenti præſidio recreato aperta luce diſceſſiſſet,melius nimirum famæ ſuæ conſuluiſſet, nec nocturno ſuo receptu timoris ſuſpicionem reliquiſſet. Vbi Guiſam appulit, exercitum in hyberna dimiſit, Mareſchallum Biezium cum quadringentis cataphractis equitibus, quatuor peditum millibus ad fanum Quintini, Germanos, ad Creciacum, Heluetios ad Aſſium, cæterum exercitum ad Iſaram fluuium locis commodioribus conſiſtere voluit,vt ſi quid Cæſar moliretur, omnes parati adeſſent: ipſe ad oppidum Feras,quod Iſara quoque alluit, ſubſedit.

Cæſar Cameracum profectus ciuibus munitionem vrbis perſuadet, quos deinde libertate ſpoliat.

Cæſar poſt Regis diſceſſum circiter quatriduum ad Landreſium commoratus Cameracum abiit, & per vrbis Pôtificem, qui è Croia familia erat, Regem eius occupandæ conſilium cepiſſe Cameracenſibus perſuaſit:arcem extruerent,qua libertatem ſuam,ſiue neutralitatem,vt vulgo loquuntur,tuerentur:hanc illi nimium creduli ſuis impenſis ædificarunt:ædificatæ Cæſar præſidium impoſuit:cui Cameracenſes,quamuis Cæſari ſacramentum dicat,ſtipendium pendere coacti ſunt: Cameracenſes ad Gallos magis propendere Cæſar exiſtimabat: idcirco illis libertatem abſtulit: nec multo poſt Ferdinandum Gonzagam Siciliæ proregem, ac Caſtalium caſtrorum magiſtrum ad Henricum Angliæ Regem miſit, vt illum ad bellum Gallicum in proximam æſtatem accenderent: in quod ſponte ſua ſatis incumbebat.

Solymanus Valponiũ oppugnari mãdat, & deditione capit.

Vt ad Solymanum, claſſemque eius in mare noſtrum aduentantem redeam, quo tempore Cæſar à Paulo Pontifice digreſſus in Germaniam tranſiit, eodem fere Solymanus in Pannoniam profecturus Amurathem Dalmatam Vlamanemque Perſam ad oppugnandum Valponium ad Draui fluminis ripam ſitum oppidum præmiſit: quod Pereni à Ferdinando Rege in cuſtodiam traditi vxor tuebatur: ſed præſidiarij milites de auxilio deſperantes non diu tolerato hoſtium impetu deditionem fecerunt: pertinacius repugnarunt Soclenſes: quod ducenti Hungari viri nobiles oppidum inſederant, & fortiſſimè reſiſtebant: verum vbi muris multis in locis deiectis Soclenſium multitudo metu conſternata à propugnatione recedere occœpit,nobiles Hungari ad arcem confugerunt,& de deditione agentes nihil ab Amurathe, niſi ſe eius arbitrio permitterent, impetrare potuerunt: quos ille ex arce egreſſos omneis trucidari iuſſit. Hæc duo oppida, quæ Perennianæ ditionis erant, Solymanus Amurathi condonauit, quæ Perenus ſi ſuæ libertati relictus fuiſſet, conſeruare fortaſſe potuiſſet.

Soclenſes expugnati inhumaniter trucidantur.

Solymanus oppugnaturus Strigonium Buda proficiſcitur.

Solymanus deinde cum terreſtri, naualique exercitu Buda profectus ad expugnandum Strigonium proceſſit. Arci præerat Liſcanus, vrbi Salamanca,vterque Hiſpanus,ſed neuter rerum bellicarum admodum peritus:multa nihilominus vt Hiſpanis hominibus ante conſpectum hoſtem iactatio inerat, vt certam vrbis propugnationem Ferdinando Regi,qui in his deligendis paulò negligentior fuerat, præfidenter promitterent. Ad hæc vrbem rarius præſidium inſederat, quam vt tantis viribus reſiſteret: mille enim dumtaxat Germanis peditibus,trecentis Italis, inter quos perpauci Hiſpani erant,conſtabat: Strigonij arx in excelſa Danubij ripa ſita fluuium, planitiémque fluuio adiacentem latè proſpicit:vrbs antiqua ſtructura nullis propugnaculis muniebatur: & quod difficiliorem propugnationem reddebat vrbis portæ mons editus imminebat:aduerſus hunc, qui ibi hybernarant, milites ſubitarias munitiones erexerant. Muris crebra tormentorum verberatione depreſſis præſidiarij milites ad defendendas interiores munitiones ſeſe recipere coacti ſunt: quibus non tam,quã præfectis animus defuit:prima enim impreſſione Turcas tametſi ter inſtaurata pugna grauiter inuectos fortiter repulerunt: verum ſenex Calaber exercendo tormentorum artificio aſſuetus vel de vrbis propugnatione, vel de auxilio deſperans,& multa ſibi à Ferdinando Rege deberi ſtipendia cauſatus ad Solymanum transfugit, & qui vrbs facilius caperetur, indicauit:in primis vt Aquaria turris Budanæ non diſſimilis, qua aqua è flumine hauſta ſyphonibus in arcem pertracta effundebatur expugnaretur,ſuaſit:& quod fluuij margines tormentis collocandis anguſtiores,& minus idonei erant, & è turre diſploſa tormenta Turcas grauiter affligebant, deſertam inſulam è regione turris idem transfuga commonſtrauit: vnde Turcarum tormenta librata multos ex defenſoribus peremerunt, & in muro conſiſtere prohibuerunt: quum

interim

Digitized by Google

interim è maioribus caſtris tormenta continenter firmiores vrbis parteis pulſarent, cuniculi multis in locis ſumma diligentia agerentur, omniſque vrbis capiendæ ratio præſente atque vrgente Imperatore iniretur. Vnde perterriti Liſcanus ac Salamanca, ille multo auro ex præda congeſto diues, hic caſtrenſi peculio abundans, & iam tertia militum pars vel cæſa vel vulneribus debilitata nulli vſui erat, de deditione inter ſe contulerunt. Is rumor quum ad milites emanaſſet, vt interiora defendant, ſatis ſibi adhuc virium ſupereſſe dixerunt. Salamanca nihilominus accepta liberè accedendi teſſera admonitis aquariæ turris defenſoribus, vt ſi ſe ſaluos eſſe vellent, in vrbem redirent, noctu ad Achomatem peruenit, nihilque præter liberam abeundi poteſtatem ſeſe dedentibus impetrauit: & quum redire vetaretur Liſcano, quæ acceperat, perſcripſit. Ille auro ſuo ſe conſulturum ſperans Ianizaros in vrbem introduxit, qui præſidiarios milites armis omnibus ſpoliarunt. Halis à Solymano, vt deditam vrbem acciperet, miſſus à Liſcano torquem illum aureum, quo Perenum impudenter ſpoliarat, ſibi dono dari poſtulauit, & facile impetrauit: eo enim munere ſe aurum ſuum redempturum Liſcanus ſparabat. At quum naueis conſcenſurus equos ſuos eduxiſſet, eos quoque Halis vna cum auro retinuit nauigaturo nihil equis opus eſſe præfatus. Liſcanus, ac Salamanca cum militibus in alteram Danubij ripam traiecti Poſidonium pedibus contenderunt, vbi vterque proditionis reus in cuſtodiam traditus eſt: ægrotos Chriſtianos qui Strigonij remanſerant, Turcæ liberaliter ad Torniellum, qui in Comara inſula erat, miſerunt.

Strigonium à Turca ope trāsfugæ captum.

41 Strigonio capto Solymanus maiore templo ſuo more expiato, quarto Idus Auguſti Deo Opt. Max. gratias egit, vrbémque multis operis adhibitis inſtaurandam, diligentérque muniendam curauit, Germanis, Hungariſque negligentiam exprobrans, qui quatuordecim annos poſſeſſam nullis fere, aut certè raris munitionibus auxiſſent. Inde ad Albam Regalem, quod Reges ibi & coronentur, & ſepeliantur ita dictam, progreſſus Tatta perexiguo oppido inter eundum dedito, atque è fundamentis euerſo. Albam cingit vndique palus, per quam tribus duntaxat præaltis aggeribus ad vrbem aditus patet: qui portis diligenter communitis, quà palus deſinit, clauduntur: palus equis propter cœnum natantibus, pariter propter innaſcenteis calamos, iuncóſque imperuia eſt: vnde ſuburbanæ domus niſi calidior diuturniorque æſtas paludem exiccet, ſatis tutæ videbantur. Huc magna ruſticorum multitudo propter excellentem vrbis ſitum cum pecore, atque omni ſupellectile confugerat. Præſidio erant mille Germani pedites, ac ducēti equites à Leonardo Velſio relicti: acceſſerant quingenti Hungari equites ex iis qui in pace latrociniis viuere ſoliti, Vſarones vulgo appellantur. Albam Torniello qui cum Italicis cohortibus Iauarinum peruenerat, quum Strigonium adhuc oppugnaretur, committere voluit Ferdinandus. Ille & Ferdinandi auxilia imbecillia fore, & Solymanum nullas fere vrbeis aggredi, quin iiſdem potiatur, ſecum reputans non apertè quidem oblatum munus recuſauit: cæterum eas conditiones poſtulauit, quæ vix impleri poſſent. Albanis nihilominus quatuor cohortes Italicas ſubſidio miſit: quas Barcocius Hungarus, cui ſummam militaris imperij poteſtatem Ferdinandus conceſſerat, cum ala equitum ſubſequutus eſt. Vix illi Albam ingreſſi erant, quum Solymanus appropinquare nuntiatur: Barcocius concilium conuocat: præfecti, centurionéſque ſuburbia incendi, euertíque ſuadent, vt minore militum labore, ac periculo vrbs defendatur, & ne capta hoſtibus, & pro vallo, & pro diuerſoriis ſint: Id Birrous Albanorum prætor, decurioneſque deprecantur: & ſuburbia non ſecus, atque vrbem palude cingi, eademque opera defendi poſſe conclamant: poſt longam altercationem rerum bellicarum imperiti peritos ſua importunitate ſuperant, ipſeque Barcocius dux alioqui non ſatis rerum experiens in illorum ſententiam ire cogitur.

Munitionibus reſtauratur.

Alba vnde Regalis dicta.

Albam Solymanus obſeſſurus contendit.

42 Triduo interim dum Turcarum exercitus coiret, aliquot excurſionibus certatum fuit: verum vbi Solymanus acceſſit, & longa caſtrorum ſerie, admirabilique ſpecie vrbem circumſedit, Albani portis occluſis ne quiſquam exiret, edixerunt: vnde Vſarones noctu per notos ſyluarū tramites aufugerunt. Turcæ confectis repente vineis, ductiſque anfractuoſis foſſis ad ſuburbiorum foſſas proxime acceſſerunt, recenteiſque munitiones tormentis ingentibus facilè perfregerunt, vt nemo in aggeribus conſiſtere auderet; & qui ſatis procul aberant, fractorum ſtipitum diſiectis partibus vulnerabantur: hinc Aſſapi virgultorum faſcibus arena ſuperiecta foſſas facilè oppleuerunt: ſi quidem inſtans autumnus præter cœli Pannonici naturam ſerenus admodum, & palus valde ſicca magna ex parte fuit, vt impiis etiam Deus, vel fortuna fauere videretur. Rebus ita perfectis Turcæ quarto Kal. Septemb. quo die Belgradum expugnatū, & cæſum vel ſuffocatum Ludouicum Hungariæ

Digitized by Google

Regem meminerant, bona ſpe impleti vehementiſſimam impreſſionem fecerunt: & poſt acerrimum trium horarum conflictum propugnaculo, & duabus ſacris ædibus non longè diſtantibus potiti ſunt. Itali munitiones ſuas conſtanter defenderunt: Barcocius interim, ac pleriqueſigniferi non longè ab vrbe progreſſi erant, vt ſi fortuna aduerſa foret, maturè ſe intro reciperent: quod rumorem de eo diuulgatum, non eſſe ſcilicet bellatorem ſtrenuum penitus confirmauit. Poſtridie Kalend. Septembris impreſſio redintegrata: certatum eſt vehementiſſimè ad munitionem, quæ inter propugnaculum à Turcis occupatum, & Mariæ Virginis ædem interiecta erat: eam Germani tuebantur, & denſatis haſtis quarum cuſpides ſupra munitionem extabant, Turcarum deſcenſum expectabant. Turcæ longiora tigna è ſummo aggere in haſtas deuoluentes primorum ordinum milites ita in manus, & brachia vulnerarunt, vt haſtas relinquere cogerentur: tum repentino deſcenſu in cæteros irruentes omneis in fugam verterunt: eodemque momento Italicæ cohortes ſuis munitionibus deiectæ Germanos imitatæ ſunt. At paucis fuga illa profuit: Albani ſubito caſu deterriti portas appropinquantibus occluſerunt: itaque fere omnes à barbaris trucidati ſunt, inter quos Octauianus Scroſatus Inſuber muniendorum ſuburbiorum author, atque ipſe Barcocius numeratus eſt equo ad minorem vrbis portulam elapſus, & quod eques introire non poſſet, interceptus. In ea trepidatione Germanorum equitum præfectus peditumque centuriones præſidia vrbanis muris impoſuerunt, nec animum omnino deſponderunt: at Birrous prætor, Senatores, primariique ciues tanta clade attoniti neque militibus alimenta ſubminiſtrabant, & ab illis diſſentientes ad vnam Solymani clementiam confugiendum putabant. Itaque Birrous de muro à Turcis teſſeram petit, qua tuto legatos ad Solymanum de deditione mittere liceat: id facilè conceditur: mittuntur legati, vnàque cum illis Germanorum præfectus, ac Ruffus Italus centurio: veniam ciuibus præterquam paucis, qui ſi Strigonium expugnaret, deditionem promiſerant, nec promiſſum fecerant, dedit Barbarus: militibus autem vt libere exirent, & cum omni ſupellectile ad Ferdinandi Regis ditiones abirent, permiſit: quibus deducendis Turcarum equitum alam attribuit, atque Alba potitus autumnalibus pluuiis inſtātibus Byzantium redire conſtituit. Balibeium vrbi, Mahometem vero Belgradenſem (ſic enim à præfectura vocabatur) vniuerſæ Pannoniæ præfecit: nondū ille inde diſceſſerat, quum triginta Pontificiæ cohortes, quas Paulus à Cæſaris colloquio digreſſus Baptiſta Sabello, atque Iulio Vrſino ducibus Ferdinando auxiliares miſerat, Viennam appulerunt. Nec multum aberat Ferdinandus Marcomannorum Bohemorúmque auxiliis comitatus. At nimis ſera auxilia nihil omnino profuerunt: immo vero nulla re tentata ad ſuos reuerterunt. Ferdinandus vel pecunia egens quæ ab eius familiaribus auerti ferebatur, vel imprudentia lapſus Pannoniæ vrbibus, quæ ſibi reſiduæ erant, neque præfectis rerum bellicarum peritis, neque firmis præſidiis, neque cæteris rebus neceſſariis prouiderat: tametſi eaſdem totos quatuordecim annos poſſederat. Percurſo bello Pannonico, Solymanique reditu indicato nunc ad eius claſſem, Hariadenúmque Barbaruſſam veniamus.

Deditionem facit.

Eodem fere tempore Cæſar ex Hiſpania profectus Genuam appulit, Barbaruſſa cum claſſe centum & decem triremium, biremium quadraginta Meſſanæ fretum legebat: vnde tertio Kal. Iulias Oſtiam peruenit. Erat tum Bononiæ Paulus Pontifex paulò ante à Cæſare digreſſus: Rodolphum autem Cardinalem Romæ legatum reliquerat: quum magna in vrbe trepidatio eſſet, & omnes ad fugam ſpectarent, neque enim vlli in vrbe milites erant, litteras à Polino Rodolphus accepit: quibus claſſem Turcicam ſibi parere declarauit, nec Pontificiis ditionibus vlla ex parte nocituram ſpopondit: Franciſcum enim Regem, cui ea claſſis opem ferat, Romani Pontificatus propugnatorem perinde, atque illius maiores fuerunt, vt cuiquam vis inferatur, haud permiſſurum. Quum id & Rodolphus legatus, & Romani magiſtratus publicè proclamari iuberent, quin tamen mulieres cum paruis liberis, nubiles puellæ, ſacratæ etiam virgines clauſtris ſuis egreſſæ in proximas regiones ab Oſtia remotas noctu profugerent, haud efficere potuerunt. Oſtienſes autem, cæterique vicini à Polino confirmati omnis generis commeatum, præſertim verò pecus venale Turcis adduxerant, iuſtúmque pretium acceperunt, tanta comitate excepti, vt ſingulos captiuos Brutios quaternis iuuencis redemerint. Triduo ibi ad aquationem, & commeatum accipiendum Barbaruſſa commoratus, atque Hetruſcam, Liguſticámque oram ſine vllo maleficio, rapiníſque præteruectus Maſſiliam petiit. Menſis Iunij initio Frāciſcus de claſſis Turcicę aduentu admonitus, Franciſcū Borbonium Anguianum regulum Maſſiliam, qui Gallicæ præeſſet, miſerat: claſſis autem Gallica duabus & viginti

Claſſis Turcica Oſtiā appulſa.

triremibus,

triremibus, decem & octo nauibus onerariis conſtabat: ſed rari erant milites, qui naueis conſcenderent, & quæ ad vrbeis expugnandas neceſſaria erant, non ſatis prouiſa videbantur: quapropter ad Regem Polinus repente curſoribus equis aduolauit: fremens enim barbarus, & Franciſci oſcitantiam execratus, qui è tam longinquis regionibus tantam claſſem accerſiſſet, nec quicquam parati haberet, nec in quos hoſtes vires conuertendæ eſſent, indicaret, grauiſſimè apud Polinum querebatur: ſi æſtatem effluere, & in autumnum deſinere nulla inſigni opera edita pateretur, apud Solymanum male auditurus. Reuerſus à Franciſco Polinus militum ſubſidio Gallicis nauibus impoſito ad Barbaruſſam rediit: Anguianum cum claſſe ſequi renuntiauit: Regem vt Niceam oppugnent, mandare declarauit: quam olim Allobrogibus regulis oppigneratam reſtituere repræſentata pecunia Carolus Allobrox recuſaſſet. Ad Monœci Herculis portum (Villafrancam vulgo appellant) ambæ claſſes conuenerunt: Nicena arx promontorium ab Alpibus ad mare productum excelſa in rupe terminat, vnde latus in mare proſpectus patet; cui ſubeſt vrbs, & anguſto calle coniungitur: ad rupis imas radices fons dulcis aquæ abundantiſſimus, & nauigantium aquationi commodiſſimus erumpit. Vrbem igitur tripartitis caſtris Galli, Turcæque oppugnarunt, quibus Anguianus, Barbaruſſa, Polinus præfuerunt. Gallica item claſſis murum mari obiectum tormentis quatiebat: & quod propugnacula, cæteræque munitiones recens extructæ erant, facilè diſiectæ ſunt, vrbemque Nicienſes intra paucos dies ea conditione Anguiano dediderunt, vt iiſdem legibus, quibus antea ſub Allobroge vterentur.

Nicea expugnanda ſimul cum Gallica applicatur.

44 At in arce oppugnanda maior omnino labor reſtabat; quæ excelſa in rupe, vt dixi, poſita non niſi ſumma cum difficultate tormentis petebatur, & noſtros ſulphureus puluis, pilæque defecerant, quas à Turcis vel pretio, vel mutuo ſumere cogebantur: vnde iratus Barbaruſſa Franciſci Regis oſcitantiam rurſus execratus qui tot vini doliis naueis, non autem rebus ad bellum neceſſariis oneraſſet, conſilium de reditu cepit, ſolutáque obſidione Antipolim conceſſit. Anguianus quoque copias intra Varum reduxit, & prælij ad Landreſium faciendi vel nuntio vel rumore accepto equis curſoribus ad Franciſcum rediit. Interim Vaſtius cum Auriana claſſe ad Monœci Herculis portum appulit: cuius in ingreſſu eius triremis prope naufragium fecit, Aurianæ quatuor demerſæ ſunt; vt occaſione vteretur Barbaruſſa Aurianamque claſſem deleret, mature Polinus monuit. Ille operam pollicitus eſt, mox tamen curſum ſuppreſſit; qua de cauſa incertum: Salechum dumtaxat cum viginti quinque triremibus miſit, cui Leo Strozza cum totidem Gallicis ſe adiunxit: verum Aurianas vel aſſequi non potuerunt, vel perſequi auſi non ſunt. Ad Villafrancæ portum conuerſi naufragij reliquias collegerunt, & per vrinatores alligata funibus tormenta retraxerunt. Barbaruſſa ad Tolonis portum hybernaturus conceſſit: vnde quinque & viginti triremes Hiſpaniæ oram prædaturas Salecho, atque Aſſane Celebo propinquo ſuo ducibus emiſit, qui præda onuſti Algerium traiecerunt, ibique hyemarunt, & primo vere ſequentis anni ad Barbaruſſam reuerterunt. Vaſtius exercitum, quem ad liberandam obſidione Nicienſem arcem adduxerat, in Galliam Tranſalpinam reduxit, & inter redeundum Monteuicum vrbem amplam circumſedit: in quam Buterius Regius legatus, quod paucos Gallos pedites haberet, Heluetiorum præſidium, qui apertis campis egregij bellatores defendendis, aut adoriendis vrbibus minus idonei ſunt, immittere coactus erat. Hi muris collapſis poſt toleratas aliquot acreis impreſſiones deditionem fecerunt, ea conditione vt liberè exirent & res ſuas incolumes ſecum aſportarent: egreſſos nihilominus Heluetios Hiſpani ſpoliarunt, aliquótque ex illis trucidarunt: quam iniuriam paulò pòſt egregiè vlti Heluetij Hiſpanis pugna Seriſolana par pari rependerunt. Carolus Droſius indigena Monteuici præfectus vir ſtrenuus Vaſtij in ſe odium vitaturus, interim dum de deditione agitur Turcico miræ celeritatis equo inſidens poſtica porta euaſit, & in arcem Bauplaciam quatuor inde paſſuum millibus diſtantem ſe recepit, quam munitionibus tametſi ſubitariis ita firmauit, vt eam Vaſtius præteruectus aggredi auſus non ſit.

Barbaruſſa claſſis Turcicæ præfectus indignatus deficientibus rebus ad bellum neceſſariis Antipolim conſcendit.

Vaſtius Monteuicum obſidione cingit.

45 Litteras à Vaſtio confictas, & Buterij nomine ſcriptas, eiúſque ſigillo obſignatas, ac de induſtria reſignatas, atque ad Droſium miſſas, quibus Buterius, vt nullam à ſe opem expectaret, ſcribebat, idcirco honeſta deditione ſibi conſuleret, eámque præcipuam dedendæ vrbis occaſionem fuiſſe Iouius tradit. Harum litterarum nullo modo noſtri meminerunt, nec Droſium virum militarem iiſdem fidem adhibuiſſe veriſimile eſt. Alter hunc

locum tractat Iouius, & vt Vaſtium excuſet, mendaciis infarcit. Buterius Auſſunum, ac Franciſcum Bernardinum Vicomercatum cum ſuis leuiorum equitum alis, Azalium item cum ſclopetariis peditibus ad diruendas Cariniani munitiones paulo ante miſerat, quod cæteris vrbibus præſidiis firmandis non ſatis multos pedites haberet, & tempus ad conficiendas ſupra commemoratas munitiones non ſubeſſet. Cognita oppidi commoditate noſtros inde pellere, veteres reficere, nouas addere deſtinans Vaſtius illuc iter intendit: noſtri viribus impares appropinquantem in aduerſa Padi ripa conſpicati oppido ceſſerunt & Moncallerium petere feſtinarunt. Præibat cum ſclopetariis ſuis Azalius; proximè Vicomercatus ſequebatur; Auſſunus agmen claudebat: In abeunteis aliquot equitum alas emittit Vaſtius, quæ Pado vado ſuperato in Auſſunum irruunt. Ille primum impetum fortiter ſuſtinet, ſed quum aliis, atque aliis ſuperuenientibus ſemper augerentur, tandem ad pontem non longe à Moncallerio cum bona ſuorum parte capitur: cæteri interim Moncallerium inierunt. Erat Carinianum Cæſarianis percommodum, noſtros enim bona Salaſſi Marchionatus portione, Ciſpadana item planitie Taurinum ac Penarolum verſus, immo vero Vulpiano adiuncto Suſam vſque arcebat: quæ vltra Padum Galli poſſidebant, Sabinianum, Bena, arx Vauplacia, Centalium extra auxilij ſpem relinquebantur. Igitur Vaſtius Cariniano potitus id incluſis etiam ſuburbiis intra menſem, & alterum dimidiatum egregiè muniuit, cui conquiſito, aſportatoque ex tota planitie in ſeptem, aut octo menſes commeatu Pyrrhum Stipicianum, quem etiam Petrum Columnam vocari Bellaius ſcribit, cum mille quingentis Hiſpanis, bis mille quingentis Germanis peditibus, Cherio Ludouicum Viſtarinum Laudenſem cum tribus peditum millibus præfecit, vt Cariniano, quum opus eſſet, opem ferret: Galli enim Villanouam Aſtenſis agri oppidum poſſidebant; deinde dimiſſis in hyberna copiis Aſtam conceſſit.

Cariniano cedētib. Gallis potitur.

Buterio Franciſcus Carinianum amiſſum ægrè ferens trecentos cataphractos equites, 46
Gallorum peditum circiter quatuor, Rhœtorũ quinque millia ſubſidio miſit. Itaque collecto exercitu multa oppida Buterius recuperauit, interim dum Cæſariani Carinianum muniebant; & fanum Germani inter Vercellas, ac Cliuaſium interiectum Decembri iam inclinante circumſedit: id oppidum extantibus propugnaculis carebat, ſed lata, altáque foſſa aqua referta vndique cinctum, cuius exteriores margines cum murorum altitudine exæquabantur, non facilè expugnari poſſe videbatur: tormentis nihilominus concuſſum deditionem fecit: inde Hipporediam vel Eporediam (vt alij vocare malunt) profectus vrbem ad extremas prope difficultates redegerat, quum Anguianus regulus, quem nuper Franciſcus Rex legatum ſuum deſignarat, hominem de aduentu ſuo certiorem reddidit, & vt ſe expectaret, ſubſidiúmque mitteret, quo tutius inter hoſteis pertranſiret, atque ad exercitũ accederet, monuit. Buterius & quod ſuo munere, & iam iam capiendæ Hipporediæ laude priuaretur, indignatus, relicta vrbe Anguiano Chuaſium vſque cum toto exercitu obuiam proceſſit, traditóque exercitu ſe domum recepit. Hipporedienſes inſtauratis ruinis fidenteis & recenti ſubſidio auctos Anguianus bruma rigente aggredi auſus non eſt; ad parua quædam oppida ſecundo Pado ſe conuertit, & Pallezolum, Deſannam, Creſcentinum cepit. Sub huius quoque anni finem Melſitanum principem cum quadringentis cataphractis equitibus, Briſſacum cum bona leuiorum parte, ac iuſta peditum manu ad importandum Luceburgum commeatum Franciſcus miſit: quamuis hyems aſperrima ita gelu rigeret, vt vinum ſecuribus diſciſſum non ad vinarij vaſis menſuram, ſed ad libram, lancémque militibus diſtribueretur. vrbem Cæſaris nomine circumſedebat Guilielmus Fuſtembergus cum duodecim Germanorum peditum millibus, qui noſtro exercitu magna alacritate incedente, hyemiſque ſæuitiam conſtanter perferente obſidionem ſoluit, atque in Germaniam rediit. Franciſcus Longouallium reuocauit: Franciſcum Anglurum Eſtangium in eius locum ſurrogauit, Luceburgóque cum ſua quinquagenaria cataphractorum equitum ala, & mille peditibus præfecit: Melſitanus Stenaium reuerſus de Regis mandato exercitum in Campaniam, Picardiámque hybernaturum diſtribuit. Superiori æſtate Mulcaſſes Rex Tunetanus in Siciliam traiecerat, vt Cæſarem Genuam appulſum conueniret, & ab eodem maiora præſidia aduerſus Turcas impetraret, qui Conſtantinam, quam Cytham veteribus fuiſſe putant, Adrumentum, paruámque Leptim (Africam noſtri vocant) occupabant.

Fanum Germani Gallis deditur.

Hyemis aſperitas.

Quum è Sicilia Genuam petere decreuiſſet, aduerſis ventis Caietam primum, deinde 47
Neapolim eſt reiectus: ibi Regem ſubſiſtere iuſſit Cæſar ad Buxetum cum Paulo Pontifice colloquuturus:

Digitized by Google

 Anno 1543.

colloquuturus: vbi dum commoratur, & quid Barbaruſſa infeſtiſſimus hoſtis moliatur
expectat (in Africam enim tranſiturum ſuſpicabatur, neque Gallis alienam religionem
profitentibus auxilio venire in animum inducere poterat) Amidam filium à ſe defeciſſe,
& trucidatis ſuis præfectis, ac familiaribus regnum occupaſſe certior factus eſt. Quapro-
pter conſcriptis militibus Petro Toletano prorege permittente, & exulibus, qui eam mili-
tiam obirent, veniam condonante mille octingentos, quibus Ioannes Baptiſta Lofredius
patritius Neapolitanus præfuit, in naueis recepit, regnúmque recuperaturus in Africam
tranſmiſit: cui aliquot Afrorum proceres ſtatim obuiam proceſſerunt, & gladiis iugulo
admotis ſacramentum ſuo more dixerunt. Hi Punica fide Regem circumuenientes vt
Tunetum ire properaret, ſuaſerunt: Amidam enim eius aduentum non expectaturum,
matura fuga ſibi conſulturum aſſerebant. Contra Franciſcus Touarres Hiſpanus Gule-
tæ præfectus ne, niſi exploratis Tunetanorum animis, auxiliíſque fidorum ſibi Numida-
rum arceſſitis Tuneto appropinquaret, monebat. Ille proditoribus potiùs, quàm pruden-
ter monenti fidem adhibuit; & cum familiarium ala, quæ Regium vexillum præferebat,
ad portam qua ad portum deſcenditur, acceſſit, quem Lofredius cum ſuis cohortibus pro-
ximè ſequebatur. In conſpectum Mulcaſſem multæ Maurorum equitum turmæ ex vrbe
egreſſæ vi ſumma inuehuntur: ille primum impetum ſuſtinet: ſed inter pugnandum graui-
ter in fronte vulneratus, totúſque ſanguine cõſperſus ſuis fugiendi occaſionem dedit, vná-
que fugiens in hoſtium poteſtatem venit. Eodem momento aliæ Numidarum equitũ alæ,
peditúmque permultæ cohortes ex oliuetis prodeuntes Lofredianos vndique circumue-
niunt, & tam vehementer vrgent, vt minoribus tormentis, quæ ſecum ferebant, ſemel ex-
oneratis iterum exonerandi ſpatium non relinquerent; quos tanta multitudine attonitos
partim in paludem compellunt, partim reſiſtentes obtruncant: pauci natando aut matura
fuga ſibi conſulendo euaſerunt, & ad Touarrem confugerunt; quos ille in Siciliam tranſ-
portari iuſſit Neapolim infœlicis pugnæ nuntium perlaturos, qua mille trecentos cæſos
prodiderunt. Amida victor Mulçaſſem patrem, ac duos fratres cum patre captos Nahaſa-
rem, atque Abdalam pertuſa oculorum pupilla occæcandos curauit, eadẽ crudelitate Mul-
caſſem in fratres vſum cauſatus: deinde fœdus cum Touarre percuſſit, quod ille temporis
neceſſitati ſeruiens haud aſpernatus eſt: aliquantã enim pecuniam in Hiſpanorum ſtipen-
dium Amida numerauit, Lofrediana vexilla, atque tormenta, ipſúmque adeo Lofredij ca-
dauer reſtituit. Touarres nihilominus Amidam regno perfidia occupato contra Cæſaris
authoritatem potiri indignum ratus Abdamelechum Mulcaſſis fratrem tum apud Numi-
das exulem ad ſuſcipiendum regnum excitauit, qui Numidarum auxiliis fretus, & linteis
ſudariis ad vitandos calores de more gentis facie inuoluta Amidam mentiens, ac Tune-
tanam arcem Amida abſente ingreſſus cæſis cuſtodibus, & Tunetanis in arcem cõuocatis
Rex ſalutatus eſt. verum triceſmo ſexto regni die letali morbo correptus vitam cum mor-
te commutauit; in cuius locum Mahometem filium duodecim annorum puerum Touar-
res Regem ſalutandum, eiuſque ætati moderandæ publiciſque negotiis procurandis treis
Tunetanorum primores deligendos curauit: at triumuiri ſua crudelitate, auaritia, libidine
ciuium animos exulcerantes, vt Amida reuocaretur, perfecerunt. Inter hos tumultus Mul-
caſſes fratris filio Rege permittente è carcere libertatus ad Touarrem Guletam ſe contu-
lit; & tandem Cæſaris iuſſu in Siciliam perductus Touarrem repetundarum accuſauit, qui
Regiam gazam apud ſe depoſitam integra fide non reſtituiſſet; immo vero pretioſioris
ſupellectilis partem, gemmarúmque rapuiſſet. Touarrem Cæſar è Guletana præfectura
reuocauit, Mulcaſſem publico Siculorum ſumptu ali iuſſit.

Amida filius Mulcaſſis regnum paternũ occupat.

Mulcaſſes Tunetum veniẽs à Mauris grauiſſimè excipitur, & vulneratur.

Ab Amida victore filio ſimul cum duobus aliis filiis excæcatur.

48 Vt ad Anguianum redeam, is anni huius ſæculi quadrageſimi quarti initio ad obſiden- Anno 1544.
dum Carinianum rediit: iam quinque propugnaculis latis excelſiſque aggeribus interie-
ctis, & valido (vt dixi) præſidio munitum ac primum pontem Pado impoſitum, quo Cæ-
ſariani Cherio, Aſta, atque è cætero vicino agro illuc commeatum importabant, euer-
tit non ſine aliquã ſuorum iactura: frigus enim rigens ita nonnullos milites afflixit, vt
manibus, pedibúſque capti nulli poſtea vſui eſſe poſſent. Mox ad Vimeuzium duobus
paſſuum millibus Carmiano diſtans caſtra poſuit: ad fanum autem Martini, qua via
aduerſo Pado Pancalerium petitur, ducentis quinquaginta, aut trecentis paſſibus Cari-
niano ſeparatum propugnaculum peramplum erexit: cui duabus Italorum peditum
cohortibus præſidio impoſitis oppidum omni Ciſpadanæ regionis commoditate priua-
bat. Aliquot poſt diebus Cæſarianos ad Cheriũ coire certior factus Anguianus Vimeuzio,
Carpenaio, aliquotque aliis caſtellis præſidio firmatis, vt Carinianenſes vagari prohiberet,

Anguianus Carinianum obſidet.

 pontem

Digitized by Google

pontem duobus infra Carinianum paſſuum millibus ad locum, qui vulgo Arenatum dicitur, iecit, & in vtroque pontis limite propugnaculum extruxit, ibique quatuor Italorum peditum cohortes ne pons ab hoſtibus vel occuparetur, vel euerteretur, reliquit, & ad Villam Staloniam Cariniano duobus, Cherio tribus paſſuum millibus diſtantem caſtra metatus ibidem à Kalendis Februarij ad Martij initium ſubſedit: ne quid Cherio Carinianum importaretur: Aſta autem importari Villanoua à Gallis infeſſa prohibebat. Martio ineunte Anguianus Vaſtium exercitum cogere, & de Carmagnola occupanda conſilium cepiſſe intellexit, vt inde ponte iacto ſubſidium Cariniano mittere, & quæ ad diu tolerandam obſidionem neceſſaria erant, ſuppeditare poſſet. Re cum præcipuis ducibus conſultata, tametſi nonnulli ad Villam Staloniam conſiſtendum putabant, Carmagnolam adiit, ſi hoſtis occaſionem præberet, pugnandi poteſtatem facturus. Carinianenſes niſi intra decimum quintum Aprilis diem alimenta recipiant, ſe fame vrgente oppido ceſſuros Vaſtio indicarunt, qui idcirco quatuor Germanorum peditum millia Genuæ iam naueis conſcenſura, & quod Barbaruſſa de reditu cogitare ferebatur, regno Neapolitano præſidio futura reuocauit, atque exercitum, quoad potuit, auxit. Interim Anguianus per Martinum Bellaium Langeum Taurini præfectum Regem monuit, milites præſertim Heluetios de ſtipendio non exoluto grauiter queri, ſi prælium inſtet, non facilè in aciem prodituros, & Carinianum tam diu obſeſſum hoſtibus relicturos. Franciſcus Cæſarem, Anglúmque Galliæ imminere cauſatus quadraginta octo dumtaxat nummûm aureorum millia ad Anguianum miſit, quæ ne quartam quidem eius, quod externis militibus debebatur, ſtipendij partem conficere poterant: ita enim in domeſticum luxum effuſus erat, vt quanquam acerbiſſimis indictionibus pecuniam vndique corradebat, nihil tamen ſufficeret, & præclarè inchoata ſæpenumero imperfecta relinquere cogeretur.

Vbi tota Regia aula prælij faciundi diuulgata fama eſt, omnes fere nobiles adoleſcentes, qui Gallicæ nobilitatis mos eſt, præſertim Delphini domeſtici ad Anguianum properarunt: Iacobus Albo ſiue Albonius, Sanctandreanus Dampetrus è Claramontana illuſtri Delphinatium familia Delphino in primis accepti, * * * Chabotus Iarnacus, Franciſcus Vindocinenſis Carnutenſis Vidamus (id honorati magiſtratus genus eſt) tres Boniueti fratres Boniueti quondam Amyralij filij, Aſſierus Galeoti Ienolaci tormentorum magiſtri vnicus filius, Eſcarſius, Gaſpar Golignius Caſtilio, duo Genlij fratres, Hunaudaius Annebaldi Amyralij filius, Rupefortius, Luſarcha, Bordilio, Vuartius, & plerique alij, quos perſequi & longum, & ſuperuacaneum videri poſſet. hi quod ex opulentis familiis erant, quantam potuerant, ſinguli ſecum pecuniam tulerant, quam in militum ſtipendium Anguianus mutuam ſumpſit: illi publicæ neceſſitati liberaliter ſubuenerunt, atque eum exercitum magna alacritate confirmarunt. Quum Montata profectus Vaſtius Cereſolam appuliſſet, & de Pado traiiciendo deliberaret, noſtri illi obuiam ire, & prælio decernere feſtinarunt, exercitumque in treis acies diuiſerunt: primam Buterius prælij rumore ſparſo domo reuerſus ductabat cum octoginta cataphractis equitibus, ſexcentis quadraginta leuioribus, quibus Thermeus, quatuor Gallorum peditum millibus, quibus Taiſius præerat: inter quos plerique nobiles adoleſcentes, tres (inquam) Boniueti fratres, minor Genlius, aliique nonnulli ex aula Regia profecti qui equos recuperare non potuerant, frontem cum primariis centurionibus occupabant. Mediam Anguianus cum duabus quinquagenariis cataphractorum alis, centum aulicis ſupra commemoratis nobilibus adoleſcentibus, qui prætorianum Anguiani vexillum ſequebantur: (id Rubempratus Belga geſtabat) hos aliquantum præcedebat Auſſunus cum centũ quinquaginta leuioribus equitibus: inter equites quatuor Heluetiorum millia incedebant. Poſtremã Dampetrus cum omnibus cataphractorum hippotoxotis, tribus Grueriorum peditum ad Loſanam, Gebennam, & Lemanum lacum conſcriptorum, totidem Italorum millibus. Auſſunus quo hoſtes tenderent, exploratum quarto Idus April. præmiſſus, eos Cereſola Sommaripam Tendani Comitis oppidũ contendere Anguiano renuntiari iuſſit, quos & multis excurſionibus laceſſiuit: ſe identidem ad ſclopetarios pedites, quos in inſidiis collocarat recipiens. Anguianus cum trecentis equitibus, & aliquot ſclopetariorum cohortibus collem difficilis aſcenſus conſcendit, vt inde tuto propinqua Cæſarianorum caſtra deſpectaret: in quos tria minora tormenta (colubrinas appellant) ſæpius exonerans nonnullos trucidabat: illi totum noſtrum exercitum à tergo ſubſidio eſſe rati ſeſe non commouebant. Vaſtius qui Summaripam inuiſebat, ab arcis præfecto ſclopetis, tormentiſque petitus audito colubrinarum boatu prælium inſtare exiſtimans repente ad exercitum redit, & quod

Gallicæ nobilitatis generoſitas.

Anguiani exercitus.

49

& quod iam adueſperaſceret, Cereſolam cum exercitu repetiuit, ibíque pernoctauit. Anguianus collem iam occupatum retinere cupiebat, ſed quod reliquus exercitus propter continuatum diei laborem eo commode deduci non poterat, Carmagnolam reuerti coactus eſt: poſtridie eumdem cum omni exercitu repetiturus.

50 At Cæſariani die craſtino anteuerterunt. Vaſtius enim noſtros Carmagnolam rediiſſe certior factus, & tranſmiſſo Pado ſe recipere ſuſpicatus, vt in ipſo traiectu impeditos interciperet, eoſdem perſequi deſtinauit: longè enim peditatu firmior erat, qui decem millibus noſtrorum numerum ſuperaret: nec equitatu inferior videbatur Florentino ad ſeptingentos equites auctus. Anguianus poſtridie ante lucem Carmagnola digreſſus confectis mille paſſibus collem, quem repetebat, à Cæſarianis occupatum intellexit, & paulò poſt treis eorum acies eadem fronte obiectas proſpexit; & quum per aliquot præmiſſas leuiorum equitum alas eorum incedendi formam exploraſſet, & aduerſum ſe ſuperbo gradu contendere animaduertiſſet, ſuos ex ducum primariorum conſilio eadem forma illis oppoſuit: ad dextram veteranos Gallos pedites ter mille progredi iuſſit: ſclopetarios ab illis ſeparatos tribunus Taiſius ducebat: ad horum dextram Thermeus cum leuiore equitatu, ad ſiniſtram Buterius cum octoginta cataphractis equitibus incedebat. Buterij ſiniſtram Heluetij, Heluetiorum Anguianus, Anguiani Gruerij, atque Itali pedites, horum Dampetrus cum omnibus cataphractorum hippotoxotis tegebat: triplicem hanc aciem præcedebant octingenti ſclopetarij pedites ex Gallicis Italicíſque cohortibus selecti, quibus Montlucius præerat (hos vulgo perditos appellant) quod ſe deſtinato vitæ contemptu apertis periculis obiiciunt. Contra Vaſtius ad noſtrorum dextram Robertum Seuerinatem Salernitanum principem cum decem Italorum peditum millibus, in media Aliprandum Madrucium *** Cardinalis fratrem, ac Scaligeros fratres Chriſtophorum, & Breunorem à Veronenſibus principibus, vt fertur, oriundos cum totidem Germanis: in tertia Raimundum Cardonium cum ſex partim Hiſpanorum, partim veteranorum Germanorum millibus à Tunetana victoria ſimul educatis. Salernitani latus cingebant ſeptingenti Florentini equites à Coſmo Medice nuper auxilio miſſi: inter Germanos, Hiſpanóſque Vaſtius cum totidem equitibus eminebat: Hiſpanorum, veteranorúmque Germanorum latus quibus Baro Seineſcus præerat, Sulmonenſis princeps Caroli Lanoij quondam Prorégis Neapolitani filius totius Cæſariani equitatus præfectus cum ſeptingentis quoque equitibus tegebat. Hæ tres acies in eo, quem noſtri occupare voluerant, colle conſiſtebant: decem tormenta prope Germanos, totidem prope Hiſpanos Vaſtius collocarat, vt ſine ſtrage manifeſta nemo illuc adire poſſet.

Pedites perditi cur ſic dicti.

51 His ita conſtitutis Vaſtius in locum editiorem, vnde vniuerſas ſuas copias deſpectabat cum paucis equitibus aſcendit: Anguianus vbi ad tormentorum iactum appropinquauit, ita ſuas circumduxit, vt ab hoſtium pilis tutæ pergerent. Sub ortum ſolis ſclopetarij vtrimque progreſſi excurſiones fecerunt, & quum ſubſidia ſemper vtrimque mitterentur ad quinque millia ex vtroque exercitu aucti circiter quinque horas eaſdem continuarunt. Cæſariani tandem qui ſe viribus longè ſuperiores exiſtimabant, & noſtros peditatus tertia, aut etiam maiore parte ſuperabant, è ſuo colle in apertos campos deſcenderunt, & pugnandi copiam fecerunt: proceſſit aliquantum Taiſius Salernitanum aggreſſurus, ſed à Martino Bellaio, qui vnà cum Monneio primarios duces, quo progrederentur, admonendi munus ſuſceperat, reuocatus ad Heluetios rediit: inter quos, & Gallos Buterius ſe cum ſuis cataphractis interpoſuit. Cæſariani Germani noſtros imitati ſe in duo agmina diuiſerunt: alterum in Gallos, alterum in Heluetios inuaſit. Interim Anguianus qui à ſiniſtra Heluetiorum incedere debebat, cum Grueriis remanere coactus eſt; qui non expectato hoſte ſe iam ad fugam comparabant. Thermeus, qui Gallorum peditum dextram cingebat Florentinos equites, quibus Rodulphus Baleonus præerat, pugna commiſſa in noſtrorum latus irrupturos prouidens id non expectandum putauit, in eóſque fortiter inuectus in Salernitani, Italorúmque aciem compulit; & ad mediam vſque progreſſus equo cæſo captus eſt: id plurimum ad victoriam conduxit, alioqui Salernitanus in Gallorum latus irruiſſet, ſed illi cum Heluetiis Germanos prius deleuerunt, quam Salernitani acies à Florentinis equitibus pariter, Thermeóque conculcata ſe in ordinem redigere poſſet. Interea Galli, atque Heluetij inde, illinc Germani concurrerunt: inter primum ac ſecundum ordinem Germani alterum eorum, qui breuioribus ſclopetis vtuntur, interpoſuerunt: noſtri prudentius ſclopetariorum, qui longiores geſtant, interiecerunt: poſt acrem conflictum Buterio cum cataphractis ſtrenuè rem gerente Germani ad internecionem conciſi fuerunt,

Germanicus & Gallicus exercitus ad pugnā coeunt.

Heluetiis ſociorum ſuorum ad Monteuicum trucidatorum cædem crudeliter vlciſcentibus. Vaſtius Germanicæ phalangis, in qua ſpem maximam ponebat, ſtragem intuitus nullo forti conatu edito ſe ſubduxit: eodem temporis momento Dampetrus cum hippotoxotis Sulmonenſis principis equitatum alterum Hiſpanorum latus protegentem fudit, & Hiſpani, Seineſchaniſque Germani Gruerios, Italóſque inuaſerunt, qui præter primum ordinem, vbi præfecti pugnabant, omnes abiectis haſtis nondum hoſtium vim experti ſe in fugam dederunt; quos Anguianus ſuo officio non defuturos ſperans, & in Hiſpanos, Seineſchanóſque Germanos inuectus vtroſque ab vno ad alterum angulum perrupit, quoquò tranſibat vexillis fere omnibus proſtratis: ſed multos viros illuſtres Aſſierum (inquam) quinquagenariæ cataphractorum equitum alæ præfectum, Oynium Monrouellianæ legatum, Monſallaium Curſolanæ ſigniferum duos ſuos ſcutiferos, vt vulgo appellamus, nonnullóſque alios amiſit: Hiſpanorum, veteranorúmque Germanorum acie perrupta Gruerios ſuo officio functos iudicans ſe victoria potitum exiſtimabat; at nulli comparuerunt: quapropter primi Hiſpanorum, veteranorúmque Germanorum ordines in peditatu nudatum impetum fecerunt, quos ille fortiter excepit, ſed plures quam priore impreſſione amiſit: interea Hiſpani, veteraníque Germani de cætero ſuo exercitu fuſo admoniti ſe recipere tentarunt; verum ab Anguiano, cæteróque Gallico equitatu iam paſſim victore vndique circumuenti deditionem fecerunt: pauci cæſi fuerunt.

Vaſtius fuga ſibi conſulit.

Galli ſuperiores euadunt.

Vaſtio fugienti Aſtenſes portas occluſerunt, quas ſibi non niſi victori aperiri iuſſerat: 52
in ſpoliis aurum, argentúmque factum, atque infectum centum nummûm aureorum millibus æſtimatum eſt: tormenta quindecim, circiter octingenta thoracum ferreorum millia (quotquot enim Mediolani repererat Vaſtius iiſdem ſuos armarat) pontes, quibus Padum traiicere, commeatus præterea atque omnis generis bellicæ munitiones, quas Carinianum inferre deſtinarat acceſſerunt. Capti fuerunt Hiſpani ſexcenti triginta, inter quos Raimundus Cardonius caſtrorum magiſter eius filius, qui ad Rauennam cum Gaſcone Fuxio infeliciter dimicarat, Mendocius, ac ſeptem, aut octo præfecti illuſtriores fuerunt. Germani bis mille quingenti ac præterea viginti: Baro Seineſchus oblato equo euaſit: Aliprandus Madrucius inter mortuorum cadauera ſemiuiuus repertus diligenti nihilominus medicorum opera curatus eſt. Cæſa ex omnibus nationibus ad quatuordecim aut quindecim millia, ex noſtris paucos refert Bellaius Gallus hiſtoricus. Iouius numerum imminuit, & ad duodecim reſtringit, & hanc pugnam longe aliter deſcribens poſtridie Idus Aprilis commiſſam tradit: contra Bellaius tertio Idus, à quo noſtram deſcriptionem ſumpſimus, & in Latinum ſermonem conuertimus, quod in ea honoratum munus, vt dixi, obibat, Taurini, & ducentorum leuiorum equitum præfectus: Aſſalium Italorum peditum caſtrorum magiſtrum cum quinque veteranis cohortibus ponti ad locum, qui Arenatum vulgo dicitur, præſidio relictis pridie huius pugnæ reuocauerat Anguianus: an nuntius, an vero Aſſalius ipſe negligentior fuerit, incertum: parta enim duntaxat victoria Aſſalius acceſſit: quod ſi pugnæ interfuiſſet, Gruerij, Italíque illis adiuncti eo præſidio aucti ſe in turpem fugam (vt veriſimile eſt) non dediſſent: Cereſolæ nihilominus cum ſuis cohortibus præſidio relictus eſt. Anguianus cum cætero exercitu Carmagnolam redijt, & legatos victoriæ nuntium perlaturos Romam, Venetias Mirandulam, vbi Petrus Strozza, Petilianus, Mirandulanúſque copias non contemnendas conſcripſerant, tum etiam ad Regem Eſcarſium miſit, vt menſtruum ſtipendium, & prope trimeſtre quod Heluetiis debebatur, ſuppeditari, & ſex Rhætorum millia iam cõſcripta progredi iuberet, vt omnes cum Anguiano ad Mediolanum coëuntes eum principatum recentis victoriæ fama attonitum in Regis poteſtatem reducerent: ſiquidem totos viginti dies Vaſtius per ſuos præfectos euocandis militibus operam dedit, antequam vllus nomen daret. Id conſilium primum Rex probauit: deinde Cæſarem maiorem, quàm vnquam antea, exercitum ad Rhenum cogere certior factus Anguiano mandauit, vt de Cariniano fame ad deditionem compellendo duntaxat laboraret: non enim tam in Italiam copias mittere, quàm inde ad tuendam Galliam educere ſibi opus eſſe: at ſi priùs conſilium Franciſcus ſequutus fuiſſet, Cæſarem nimirum ad eum principatum conſeruandum bonam virium ſuarum partem conuertere, Galliam pacatam relinquere coëgiſſet: ſua enim tueri quàm aliena inuadere ſatius duxiſſet: vbi vero Anguianum non rectè victoria vtentem in Mediolanenſem agrum non irrumpere, in Cariniano obſidendo hærere intellexit, Guilielmum Fuſtembergum Comitem cum copiarum ſuarum parte Luceburgum miſit.

Cæſorũ numerus.

Itaque

Digitized by Google

53 Itaque iam conſentaneum eſt, vt relictis rebus Subalpinis, & ad alium locum tranſlatis ad Cæſarem ipſum veniamus. Is anno ſuperiore ex Hiſpaniis ſoluens menſe Maio Genuam appulerat, & conuentum ordinum Imperij in vltimum Nouembris diem Spiram indixerat, qui poſtea in Ianuarium huius anni tranſlatus eſt, cuius initio Cæſar è Belgica profectus Spiram acceſſit: proficiſcentem conuenit Alexander Farneſius Cardinalis cum Franciſco Rege paulò antè colloquutus, nam per Galliam iter inſtituerat: & de pace ſermones interieciſſe ferebatur, quem ab ea ſe alienum Cæſar oſtendens Vormatiæ dimiſit: nono Kalend. Februarij interdiu magna accidit Solis eclipſis, item Lunæ eodem menſe, ſed non prorſus integra: duæ autem integræ quæ totum eius corpus obſcurarent, altera Iulio, altera Nouembri menſe ſequutæ ſunt. Id raro, nec à Caroli magni ætate accidiſſe Mathematici ſcribunt: præter Cæſarem ac Ferdinandum eius fratrem omnes Electores, quod raro fit, & fere omnes principes huic conuentui interfuerunt: decimo Kalen. Martias orationem habuit Cæſar, qua ſui ex Hiſpania in Germaniam reditus cauſas, & cur hunc conuentum indixerit, ſe Genua datis litteris explicaſſe, nec repetitione opus eſſe docuit, vt oſtendat quemadmodum compoſitis totius Chriſtianiſmi rebus arma in communem hoſtem Solymanum conuertere ſtuduerit: ſuos autem conatus huc vſque inanes fuiſſe, quod Franciſcus Galliæ Rex Solymani ſocius cum illo vires ſuas, conſiliáque omnia communicarit: claſſem Turcicam in auxilium accerſierit, Niceam Allobrogis reguli, Imperij clientis vrbem vnà circumſederit: hunc vnum Solymanum ad opprimendos Chriſtianos incitare, noſtras diſſenſiones docere, belli gerendi tempora indicare: quo effectum eſt, vt Solymanus totam fere Hungariam occuparit, nec ipſe cum regnorum prouinciarúmque ſuarum robore bello intereſſe potuerit: ſi enim è ſuis ditionibus pedem efferre conatus fuiſſet, Gallum in eaſdem continuo inuitaſſet: quapropter bellum neceſſario in Gallum ſuſcipere, vt domeſtico hoſte liberatus id commodius in Turcas mox transferat: quod ipſi non alter interpretari debeant, quam ſi Solymano inferretur: hunc enim hoſtem domeſticum fortaſſe magis timendum qui vires noſtras omneis, omnia conſilia, diſcordias, ac qua parte imbecilliores ſimus, & probè norit, & quotidie per legatos ſuos ad tyrannum immaniſſimum deferat: igitur omneis Imperij ordines non ſecus in hoc bellum, quam in Turcicum contribuere æquiſſimum eſt: quamquam auxilia aduerſus Turcam habitis ante conuentibus decreta aut non ita, vt oportuit, aut ſerius quam expediret, collata ſunt: quo effectum eſt, vt Ferdinandus continuis multorum annorum bellis exhauſtus multas arceis, multa oppida anno ſuperiore amiſerit, & finitima quæ adhuc poſſidet, vix munire ac conſeruare poſſit: nunc rem ad extremum diſcrimen adductam, vt Chriſtiani, præſertim Germani Turcis magis obiecti aut ſe immani Turcarum ſeruituti obiiciant, aut collatis vndique viribus nullis ſumptibus parcentes vitam etiam libenter profuſuri eam à ſe ignominiam depellant, nec tantum, quæ ſuperſunt, tueantur, ſed & amiſſa vltro illato bello recuperent. Quæ vt commodius adminiſtrentur, ſe omni ope contendiſſe, vt ſuſceptæ de religione controuerſiæ tollerentur, neque id hactenus aſſequi potuiſſe: à Paulo Pontifice obtinuiſſe, vt Concilium indiceretur; cui intereſſe niſi bello Gallico reuocatus fuiſſet, decreuerat. Quid autem ibi actum ſit, ex legatis ſuis audiiſſe; quum necdum eædem controuerſiæ compoſitæ ſint, rogare, vt qua via componi poſſint, edoceant: ſe vt componantur ſedulo collaboraturum, &, vt Senatus Spirenſis optimè conſtituatur, curaturum, neque ea in re quicquam prætermiſſurum.

Cæſar Spiram proficiſcitur ad conuentum anno ſuperiore indictum celebrandum.

Eclipſes inſolentes.

Cæſaris oratio in Spirenſi conuentu.

54 Eodem quoque die Ferdinandus per legatos auxilia poſtulauit: deinde Saxo, Lantgrauius, ac ſocij Proteſtantes Henricum Brunſuicenſem apud Cæſarem accuſarunt, eumdem meritò ſua prouincia pulſum criminati, & ne in eum conſeſſum tanquam Imperij princeps admitteretur, contenderunt. Is contra, ſe præter ius pulſum queſtus cauſam ſuam in Senatu Spirenſi egiſſe ac probaſſe intulit: quamobrem illos ipſos in conſeſſum non admittendos: quod ſi admittantur, nec ſe iis locum tribuere, nec ſuæ actioni quicquam derogatum velle profeſſus eſt: vt Brunſuicenſis in conſeſſum non admitteretur, Proteſtantes per Federicum Palatinum, ac Ioannem Nauium à Cæſare poſtularant: excludi Cæſar niſi cauſa cognita non poſſe reſpondit: præconem militarem, ſiue heraldum (vt noſtro verbo vtar) Spiram miſit Franciſcus, vt teſſeram liberi aditus legatis ſuis impetraret: Cæſarem enim de ſe apud Imperij ordines queſturum prouidebat: legati autem (hi erant Ioannes Bellaius Cardinalis, Franciſcus Oliuarius, qui poſtea Cancellarius fuit, Africanus Malleius prætor Diuionenſis) iam Nancium appulerant. Herardus ſolemni veſte

Franciſcus præconē militarē poſtulaturum teſſeram liberi aditus ad cōuentum Spirenſem miſit.

Digitized by Google

veſte indutus Regis litteras ad Cæſarem atque ad Imperij ordines ſcriptas Granuellano offert; iuſſus redire domum, ne quis cum illo quicquam communicaret adhibita cuſtodia; quatriduo poſt grauiter increpitus dimittitur: in magnum capitis periculum incurriſſe: cum Rege enim Germaniæ hoſte ius Gentium in Germania haud eſſe communicandum: Cæſarem litteras eius neque velle, neque recipere debere, ne propter vana eius promiſſa nonnulli circumſcribantur. Itaque cum litteris remiſſus eſt, re cum principibus Imperij non communicata: quod à Germanicorum conuentuum more alienum fuit. Redeunti comites dati, qui Nancium vſque deducerent: quo reſponſo accepto Regij legati in Galliam reuerterunt: interim dum Nancij heraldi reditum præſtolarentur, Chriſtierna Chriſtierni Daniæ Regis filia Cæſaris è ſorore neptis, Antonij autem Lotharingiæ reguli nurus Spiram ſocero inſtigante pacem procuratura conceſſit, vt quod Antonius non potuerat, ac ne quidem Paulus ipſe ſummus Pontifex, precibus, & lachrymis obtineret: quamquam enim Antonius neutram in partem inclinabat, idque vt ſibi liceret, longè ante impetrarat, tamen ſine graui prouinciarum ſuarum iactura bellum iſtud geri non poſſe ſapienter prouidebat. Cæſar conſiliorum ſuorum pertinax executor in inſtituto ſuo perſtitit.

Cæſar neque litteras Frãciſci, neque legatos admittit.

Quinto Idus Februar. nonnulli Imperij principes Cæſare admonente litteras ad Paulum Pontificem ſcripſerunt, vt Allobrogi opem ferret, neque muniſsimam Niceæ arcem in Turcarum poteſtatem venire permitteret: quin potius claſſem Turcicam è noſtro mari expelleret: quarto Kalend. Martias reſpondit Paulus ſibi pergratum eſſe, quod Niceam ſibi tantopere commendent, ſe non ſolum huic, ſed & cæteris Reipub. Chriſtianæ partibus, quoad poterit, opem laturum: ſe ſui in Remp. ſtudij iam ſæpius periculum feciſſe miſſis non ſemel in Pannoniam copiis, miſſa non ita dudum in Africam non contemnenda claſſe: totum decennium, hoc eſt, à ſui Pontificatus initio bellis continuatis ſe pecunia penitus exhauſtum eſſe: præſertim quum plerique à Romani Pontificis obſeruantia defecerint. Quemadmodum igitur Niceam ſibi enixè commendant, ita ſe viciſſim illis Chriſtianæ Reipub. ſalutem commendare: quæ primum in religionis conſenſu, deinde in principum reconciliatione conſiſtit: vtrumque ſibi curæ fuiſſe, Concilium Tridentum Germanicæ ditionis oppidum indixiſſe: multas legationes ad principes Chriſtianos miſiſſe, multas profectiones præter ætatis conditionem obiiſſe, nihil tamen huc vſque profeciſſe: ſe nihilominus à ſuo inſtituto non diſceſſurum, & eam, quam debet, Reipub. pietatem præſtaturum: orare vt eamdem ipſi quoque operam præſtent, & ſe ad repellendum immaniſſimum hoſtem comparent.

Cæſar ad ferendas Allobrogi ſuppetias in tuenda aduerſus Turcam Nicea Pontificem precatur.

Electores item, ac cæteri omnes principes Cæſare pariter vrgente litteras ad Heluetios 55
quarto Nonas Aprilis dederunt; quibus ſignificarunt cur aduerſus Turcam bellum decreuerint, ipſos ante biennium ex Ferdinandi Regis, ſuiſque accepiſſe legatis Cæſarem quidem bello intereſſe voluiſſe, niſi à Galliæ Rege Turcarum ſocio reuocatus fuiſſet, qui diuerſas eius ditiones eodem tempore inuaſiſſet, & Turcica auxilia implorаſſet, qui nunc capta Nicea arcem quoque ſe expugnaturos minantur. Heluetios nihilominus & ſuperiore anno, & hoc auxiliarem militem in Galliam miſiſſe, quamuis non minus ipſis, quam Germanis à Turca metuendum ſit: orare ne in poſterum Regem auxilio iuuent, & ſi quos milites iam ad illum miſerint, eoſdem reuocent: ſic illius cum Turcis ſocietatem diſſoluturi, & vt vires ſuas cum cæteris Chriſtianis coniungat, coacturi. Nonis Aprilis Saxo, Lantgrauius, cæterique Proteſtantes Henricum Brunſuicenſem apud Cæſarem, Ferdinandum Regem, totúmque eum conſeſſum grauiter accuſarunt, & iuſtis de cauſis arma aduerſus illum ſumpſiſſe probare contenderunt: non aderat Brunſuicenſis Cæſare ita monente, ſiquidem Proteſtantes illum adeſſe cupiebant. Nono Kal. Maij Brunſuicenſis reſpondet, & multis conuitiis accumulatis Proteſtantibus coniurationem, rebellionem, perfidiam, & Gallicam, Turcicámque ſocietatem obiicit.

Electores à ferẽdis Gallo ſuppetiis Heluetios deterrent.

Quinto Kalend. Carolus Allobrox Galliæ quoque Regem per legatos in eo conuentu accuſat, qui Barbaruſſam claſſis Turcicæ præfectum acceſſierit; per quem Niceam deditione ceperit, & mox violata fide diripuerit: periculum adhuc eſſe ne ad oppugnandam arcem redeat: ſe ditionibus ſuis ferè omnibus excluſum, non habere vnde ſe, filium, familiámque alat, ne dum impenſas bello ſuppeditare poſſe: idcircóque Spiram vel propter inopiam, vel propter iam prouectam ætatem non acceſſiſſe: precari vt Imperij clientem oppreſſum, vi è ſuis prouinciis pulſum, ſpoliatúmque in integrum reſtituendum curent. Sub finem Aprilis Heluetij, qui tum Badenæ conuentum agebant, Imperij ordinum litteris reſpondentes ſuos præfectos, militéſque nullum in Gallorum caſtris Turcicum auxilium vidiſſe aſſeue-

Allobrox Frãciſcum in cõuentu per legatos accuſat.

raſſe

Digitized by Google

raſſe declarant: quod ſi vidiſſent, nunquam cum illis militaſſent: legationem ſuam poſtrema hyeme non admiſſam Franciſcum Regem queri, quæ ſi admiſſa fuiſſet, calumniam illam facilè diluiſſet: ſi pacem non recuſet Cæſar Regem Bohemis & Germanis auxilia polliceri: quoſdam è ſuis ita Gallo addictos eſſe, vt clam dilabantur, & magiſtratuum iniuſſu Gallicam militiam ſequantur, quod & in Germania quoque ſæpenumero accidere perſpicuum eſt: legatos Regis audiri, de pace ſerio agi, priuatis contentionibus ſublatis hos duos principes ſibi inuicem conciliari, à quibus vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ ſalus dependet, ſe æquiſſimum arbitrari: qua in re ſi quid poſſint, id vt præſtent omni ope, atque opera enixuros.

56 Maij initio Volfangum Pruſſiæ magiſtrum Cæſar ſolemnibus ceremoniis palam inaugurauit, eíque illius magiſtratus inſignia contulit: quem aliquot annos Albertus Brandeburgenſis quamquam vxore ducta vſurpauerat, idcircóque Senatus Spirenſis decreto proſcriptus erat: ab Alberto ſtabat Sigiſmundus Poloniæ Rex, & Pruſſiam fundum ſuum eſſe contendebat. Hungari legati recitata ſuperioris anni clade Imperij auxilium implorarunt: rem in extremum diſcrimen adductam, niſi ſubueniatur, duriſſimas etiam conditiones, & ſeruitutem liberorum, atque ingenuorum hominum, poſtremum malum ſubituros potius, quam in apertam popularium ſuorum omnium internecionem ruituros, vicinis & in eodem periculo conſtitutis calamitatem ſuam otioſè inſpectantibus. Legati Regij, quorum ſupra mentionem fecimus, quum ad Spirenſem conuentum liberam accedendi facultatem non impetraſſent, orationem quam habituri erant, typis mandatam ediderunt; antiquam Gallorum, Germanorúmque amicitiam explicarunt, vtriuſque gentis eandem eſſe originem, vtrique eadē ſemper fuiſſe commercia, & Reges Gallos, Carolum (inquam) magnum, eiúſque poſteros Romanū Imperium ab Oriente in Occidentem tranſtuliſſe: quod poſtea Germani, vt res humanæ diuturnæ eſſe non ſolent, cum aliis familiis facta deligendi Imperatoris poteſtate communicarunt: nullum Franciſcum Regem cum Turca fœdus, nullam ſocietatem iniiſſe: ſolam mercaturarum faciendarum ab vtriſque ſibi inuicem eſſe conceſſam; qua Veneti, Poloni, & plerique alij Chriſtiani fruuntur: quod ſi aliquod fœdus interueniſſet, non vtique omnino impium videretur: quemadmodum & veteris, & noui inſtrumenti exemplis doceri poteſt, Abrahami, Dauidis, Solomonis, Tobiæ, Machabæorum, & ſi ad alterum veniendum eſt, Honorij, Conſtantini, Theodoſij iunioris, aliorúmque multorum: & Federicus Secundus Germanus Imperator à Romanis Pontificibus Italia pulſus Saracenorum auxiliis in eandem reductus eſt: Solymanum ab Hungaris de regno inter ſe contendentibus in Hungariam aduocatum, deinde bello Tunetano irritatum ab Oriente in Occidentem arma conuertiſſe: claſſem ſuam in noſtra maria immiſiſſe non à Rege arceſſitum, verum Andreæ Auriæ iniuriis prouocatum; quem quod ad pugnam elicere eius præfectus Barbaruſſa nequibat, Niceam oppugnaſſe: Regem quod inducias cum Solymano habet, eius conatus impedire nō potuiſſe: Polinum quidem legatum ſuum cum illo habuiſſe non belli ſocium, ſed factarum induciarum veluti obſidem, Solymanum tot Imperiorum, regnorúmque compotem à Chriſtianorum ceruicibus repelli non poſſe, niſi pace vbique conſtituta: eam conſtitui non poſſe niſi Cæſar Regi, quæ ſua ſunt, reſtituenda curet, maternam ſcilicet hæreditatem, & Mediolanenſem principatum: id ſi Germani à Cæſare impetrare poſſint, Regem omneis ſuas vires, omneis opes ad repellendum immaniſſimum tyrannum collaturum. Huius orationis poſtrema pars aperti mendacij conuinci poterat, quod Polinus Oſtiam appulſus claſſem Turcicam ad Galliæ auxilium miſſam duce Barbaruſſa ex præſcripto ſibi parere ad Rodulphum Pontificium legatum, Romanoſque magiſtratus ſcripſerat, haud Pontificiis ditionibus, quarum Franciſcus Rex propugnator ſit, verum ſolis Gallorum hoſtibus nocituram.

Hungari opē à Cæſare implorant.

57 Huc vſque Ioannes Federicus Saxo Saxoniæ dux Elector Ferdinandum Cæſaris fratrem Regem Romanorum agnoſcere diſtulerat; in hoc conuentu agnouit: viciſſim Cæſar pactionem dotalem Saxonis, ac Sibyllæ Cliuenſis reguli ſororis ratam habuit; & ſi Cliuenſis ſine maribus liberis moreretur, vt ei Saxo, liberique eius mares ſuccedant, permiſit: modò ante aditam hæreditatem, ſiue ſucceſſionem de religione conuenerit. Eadem conditione Ferdinandus Heleonoram filiam Saxonis filio natu maximo Cæſare aſſentiente deſpondet: nempe ſi antequam nuptiæ celebrentur de religione conuenerint: ſed poſtrema hæc pactio cum perpaucis communicata eſt, vt Lantgrauium, cæteroſque Proteſtantes celarent. In hoc quoque conuentu Daniæ Rex Cæſari per

Federicus Saxo Elector Ferdinadum Cæſaris fratrem Romanorum Regē agnoſcit.

Daniæ Rex Cæſari reconciliatur, & à Franciſco deficit.

Digitized by Google

per legatos reconciliatus eſt, & à Franciſci Regis amicitia propter diuulgatum Turcicæ ſocietatis rumorem diſceſſit. Quanquam duplicatum tributum & in Turcicum, & in Gallicum bellum pendere pergraue erat, tamen Imperij ordines in Gallicum ſemeſtre ſtipendium in quatuor equitum, peditum quatuor & viginti millia decreuerunt, vt hoſte domeſtico in ordinem redacto facilius Turcicum adminiſtraretur, cuius pecuniæ partem Ferdinando fratri, vt vicina Turcis loca muniret, Cæſar condonauit: grauiſſimæ pœnæ conſtituuntur in Germanos qui Gallo militabunt: & quoniam ſuſceptæ de religione controuerſiæ in tantis bellorum perturbationibus tractari commodè non poſſunt, in proximum conuentum menſe Decembri celebrandum reiectæ fuerunt: interim qui vtramuis perſuaſionem profitentur, bonis ſuis fruuntor: Senatus Spirenſis vſque ad præſcriptum tempus gradum ſuum retineto: die exacta vtriuſuis perſuaſionis viri boni in eumdem cooptantor: Auguſtanum edictum, liteſque Proteſtantibus motæ religionis ergo ſuſpenduntor: Brunſuicenſis ager Cæſari permittitor, donec Henricus iudicium acceperit, liſque finiatur; cuius adminiſtrationem Palatino, aut Brandeburgenſi Electori, Mauricio item Saxoni, aut Cliuenſi committat. Spirenſis conuentus quarto Idus Iunij finitus eſt.

Varia conuentus mox ſoluendi decreta.

58 Suprà Regem poſt acceptum Ceresolanæ victoriæ nuntium Anguiano mandaſſe ſcripſimus, ne de Mediolanenſi principatu inuadendo, ſed de recipiendo Cariniano duntaxat laboraret: idcirco Anguianus Carinianum rediturus Taiſium è villa Stallonia, vbi caſtra habebat, cum bona Gallorum peditum parte, ducentis cataphractis equitibus, ſex maioribus, aliquot minoribus tormentis in Monferratenſem agrum miſit, qui primum Damiani fanum, deinde cætera eius Marchionatus oppida, Ceſali, Trino, Albáque exceptis, in ſuam poteſtatem redegit interim dum Anguianus Carinianum circumſederet, hoc eſt, à decimo quarto Kal. Maias ad duodecimum Kal. Iulias, quo die Carinianenſes præſidiarij fame vrgente Fœlicem Comitem Germanorum præfectum, ac Sanctum Michaëlem Hiſpanorum caſtrorum magiſtrum ad Anguianum acturos de deditione miſerunt: quos cum armis & ſuppellectile, ſed ſine tormentis, ſine vexillis, ac tympanis Anguianus ea conditione liberè abire permiſit, ne intra ſex menſes aduerſus Regem arma ferrent: priuatim Petro Columnæ, quem alij Pyrrhum Stipicianum vocant, permiſit, vt Mediolanum ad familiares amicóſque inuiſendos concederet: deinde intra octauum diem in Galliam ad Regem ſe ſiſteret, ibi annum integrum niſi Rex aliter ſtatueret, permanſurus. Hercules Vicecomes eiuſdem victoriæ nuntium Romam ad Paulum Pontificem detulerat, quo diuulgato quum victorem Anguianum Mediolanum ſtatim petiturum, & ipſe Hercules de priore Regis mandato admonitus, & cæteri fere omnes exiſtimarent, Petrus Strozza Petilianus Comes, Sommæus regulus, Georgius Martinengus, Robertus Malateſta, ac plerique alij factionis Gallicæ ſtudioſi milites Romæ, atque aliis in locis conſcripſerunt, & ad Mirandulam conuenire deliberarunt, vbi ad peditum decem millia, ſed perpaucos equites recenſuerunt: per Placentinum nihilominus in Cremonenſem agrum contenderunt, vbi plerique Guelfi, ac principatus Mediolanenſis incolæ nouarum rerum ſtudioſi ſeſe illis adiunxerunt; quibus ſi Taiſius cum ſuis ſtatim acceſſiſſet, aut ſaltem illis aliquot equitum alas miſiſſet, vt pollicitus erat, antequam Florentina auxilia appropinquaſſent, Mediolanenſibus prorſus attonitis vrbe potituri videbantur: verùm interim Vaſtius, ac Sulmonenſis, Salernitanúſque principes collecto exercitu, & acceptis Florentinis auxiliis, quæ Rodulphus Baleonus adduxit, bis mille veteranos pedites ſcilicet, atque inſignem equitum turmam, alij Strozzeanis breuioribus itineribus obuiam prodierunt, alij per præruptas Appennini vias inſequuti, ac tandem ad Scriuiam fluuium in Ligurum finibus aſſequuti cum illis conflixerunt, quorum peditatum fortiter Strozzeani repulerunt, ac fuderunt: ſed quum à vinetis diſcedentes victoriam immoderatius equitatu longè inferiores perſequuntur, & laxatis ordinibus nimis properant, Cæſarianus equitatus malè cohærentes, diſpalatóſque in latera inuaſit, atque in fugam compulit. Strozzeani non multis deſideratis partim Claraſcum, partim Carinianum verſus aufugerunt; quod paucis poſt diebus deditum eſt.

Anguianus Cerenianum deditione recipit.

Strozzeani Cæſarianique occurrentes cōfligunt ad Scriuiā fluuium.

59 Multa Proteſtantibus Cæſar conceſſerat: illis cæteriſque Germanis Regē Solymani fœderatum, cuius claſſem auxiliarem accerſierit, vt is in Pannoniam, Germaniámque vires ſuas conuerteret, in cauſa fuiſſe perſuaſerat, vt eoſdem in bellum Gallicum accenderet: cum Henrico Angliæ Rege fœdus nuper fecerat, tametſi Clementi Pontifici ſe nunquam cum illo conuenturum ſanctè promiſerat, niſi priùs is ad Romani Pontificatus obſeruantiam

Cum Anglo ſchiſmatico Cæſar fœdus facit, & de inuadenda Gallia cōuenit.

Digitized by Google

ſeruantiam rediret: idcirco Anglo Clemens ob Catharinæ Cæſaris materteræ repudium Chriſtianis ſacris interdixerat, & regnum eius cuiuis occupanti adiudicarat. Cæſar nihilominus & religionis, & promiſſi oblitus, Gallique Regis odio percitus, Angloque reconciliatus cum illo Galliæ regnum partitus erat multum indignante Paulo Pontifice, & de Cæſare grauiter conquerente. Quæ partitio Cæſari nihil profuit: longè enim aliter paulò poſt cum Gallo pactus eſt, res autem Anglicas admodum perturbauit, vt ſuo loco explicabimus. Ad horum conatus repellendos Franciſcus ſex Gallorum veteranorum, totidem Italorum peditum millia è Gallia Tranſalpina reuocauit. Hinc Anguianus Cereſolana victoria vti non potuit: præſertim quod Heluetij bis mille duntaxat exceptis, domum ibi ſtipendium accepturi reuerterant. Paulo antè Strozzeanos ad Seriuiam fuſos ſcripſimus; Strozza tamen, ac Nicolaus Comitis Petiliani filius, Flaminiúſque Anguillarius incolumes euaſerunt: Sommeus regulus ac Cappacius Vaſtij, & principis Salernitani propinqui Neapolitani exules clam dimiſſi fuerunt: ſi enim in Cæſaris poteſtatem veniſſent, haud dubium quin capite pœnas luiſſent. Strozza haud animum deſpondens, & ſe non tam hoſtium virtute, quam Taiſij, qui promiſſum equitatum non miſerat, malignitate ſuperatum agnoſcens Mirandulam rediit, peditéſque ad ſex millia, atque aliquot equites coëgit, adiunctóque Sommeo ex Parmenſi agro per Ligurum monteis Genuenſibus ob frequentia cum Gallis commercia conniuentibus ſumma cum difficultate ſuperatos ſe Anguiano iungere properauit: quod tamen Vaſtium coactis vrbium Mediolanenſium præſidiis, & cæteris militibus, quos in tam præcipiti occaſione conuocare potuit, in Ligurum montium deſcenſu ſibi obuiam prodire intellexerat, Anguiano, vt ſuppetias ferret per fidos homines indicauit. Anguianus vt Caſtelletum Montaſij arcem, inde ad Albam Pompeiam iter dirigeret, monuit: quò illum nunquam ingreſſurum Vaſtius ſuſpicari poterat, ſe ibi cum omni equitatu, peditatúque affuturum: eodem enim temporis momento & Strozzam appropinquare, & Albæ centum, aut paulò plures præſidiarios milites duntaxat relictos cæteris à Vaſtio accitis per Centalium Claraſci præfectum Anguianus certior factus eſt: Taurino itaque profectus Carmagnolam, vbi Heluetij conſederant, contendit: illi niſi ſtipendium repræſentaretur, progredi recuſabant: quatuor enim menſium illis ſtipendium debebatur. Anguianus pecuniæ inops commeatum, quouſque Carmagnolam rediſſent, gratis ſuppeditatum iri pollicitus eſt. Claraſci deintegro Heluetij à quibuſdam è ſuis præfectis incitati alteram eadem de cauſa ſeditionem mouerunt: quingentos nummos aureos in ſingulas cohortes Anguianus promiſit, quos partim oppignerato vxoris Montaſij mundo, partim ab eorumdem præfectis mutuo acceptos confecit: quatuor duntaxat maiora tormenta habebat, quorum duo Benenſis ſuis impenſis conuehenda curauit: duo altera propter foſſorum inopiam in itinere relinquere coactus eſt: pecuniæ enim tanta penuria laborabat, vt neque operas ad tormenta neceſſarias, neque cætera oppugnandis vrbibus opportuna ſecum ferret.

Strozza collectis copiis ad Anguianum accurrit.

60 Eodem ferè tempore Anguianus ac Strozza Albam appulerunt: Benenſis tormentis murum ad portam quæ montem reſpicit, Anguianus verberari iuſſit, & circiter pedes duodecim proſtrauit: impreſſionem facturi noſtri milites videbantur, Strozzeani vndique cum ſcalis vrbem cinxerant: hinc Capinius præfectus natione Mantuanus vt ipſe, ac præſidiarij milites liberè exirent, nihil tamen ſecum efferrent, pactus deditionem fecit quũ Vaſtius cum ſuo tumultuariè collecto exercitu non longè abeſſet, & iam noſtros præmiſſis equitibus laceſſere inciperet: is vbi vrbem deditam reſciit, noſtros aggredi auſus non eſt: Albæ Cornelium Bentiuolum cum duobus Italorum peditum millibus Anguianus præfecit, & ſe Carmagnolam recepit. Nec multo poſt de Cæſaris, Regíſque conſenſu pactæ in Gallia Tranſalpina in treis menſes induciæ fuerunt: tota belli moles in Galliam conuerſa eſt. Paulò antè, hoc eſt, menſis Maij initio Henricus Angliæ Rex Lethen portum celebrem, atque Edimburgum Regum Scotorum regiam miſſa claſſe, cui Arefordius ſiue Herfordenſis Comes præerat, cepit: & quũ de arce expugnanda deſperaret Arefordius, vrbem direptam incendit, vicinúmque agrum multis cæſis populatus in Angliam rediit: iam enim Henricus ſe ad bellum Gallicum comparabat. Barbaruſſæ ad Solymanum reditum in huius libri finem reiecimus: is adulto vere Eteſiis flantibus miſſionem à Rege poſtulauit, & facilè impetrauit: etenim intra vertentem annum ſe remiſſurum Rex Solymano promiſerat: adhæc & Gallis inutilis (nullum enim operæpretium fecit) & Phocenſi prouinciæ in primis grauis erat: Turcæ enim lignatum euntes

Anguianus ac Strozza deditione Albam capiunt.

Claſſem Turcicam Franciſcus dimittit.

SSs rusticos

ruſticos, atque homines vagos ad tranſtra, & ſi qui forma præſtabant ad libidinem abripiebant, totámque eam oram maritimam vaſtabant: cum muneribus igitur dimiſſus ad Huam inſulam nauigauit, & ab Appiano regulo Sinæ Iudæi filium Tunetano bello captum ſibi reddi poſtulauit: quem quum reddere differret Appianus, inſulam immiſſis militibus populari cœpit. Appianus ſe non iis viribus eſſe animaduertens, vt barbaros repelleret, adoleſcentem reddidit, quo munere Barbaruſſa placatus ſuos ab inſula reuocauit. Barbaruſſam comitabatur Leo Strozza miles Rhodius cum aliquot triremibus apud Solymanum Regis nomine legatione functurus; quem in Florentinum agrum immittere cupiebat: ſed quod iuſtas peditum, equitúmque copias Coſmus regulus Stephano Columna duce paratas habebat, eumdem in Senenſes Cæſari obnoxios conuertit: quorum oppida Telamonum, Monteanum, Herculis portum, Igillium item inſulam duodecim paſſuum millibus inde diſtantem Barbaruſſa cepit, diripuit & magnam omnis ſexus, ætatíſque multitudinem in ſeruitutem abduxit: Pontificias ditiones Leone Strozza deprecante nullo damno dato prætervectus in Ænariam nauigauit, inſulámque populatus eſt: Pythacuſas vrbem egregiè munitam haud aggreſſus. Puteolos tormentis quadraginta verberauit: quos fortaſſe præſidiis carenteis in ſuam poteſtatem redegiſſet, niſi Petrus Toletanus Prorex illis maturè ſuppetias tuliſſet. Salernum tempeſtas oborta à barbarorum iniuria vindicauit, & furentem piratam in Brutios eiecit: vnde magna præda onuſtus in Liparitas delatus eſt; quorum primariam vrbem tormentis concuſſam ac deditam diripuit, & ſeptem hominum inde millia abduxit: tot autem captiuos in naueis ſuas congeſſit, atque conſtipauit, vt plurimis fame, ſiti, mœrore enectis vix dimidiam partem ſecum Byzantium duxerit: quæ piratica immanitas Franciſcum Regem in Germanorum odium maximè induxit, & vt in bellum Gallicum liberaliùs contribuerent, occaſionem præbuit.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER VIGESIMVS-QVARTVS.

Anno 1544.

Luceburgum Cæſar obſidendum curat, & deditione capit.

Commercium Luceburgi exēplum ſequitur.

Lignium item captum Franciſcum admodū perturbat.

Cæſar Campaniam, Anglus Picardiam ingrediuntur.

1 SVB finem Spirenſis conuentus Cæſar Anguianum victoriam haud perſequi, nec in Mediolanenſem agrum ingredi certior factus, Guilielmum Fuſtembergũ ob rapinas Gallia pulſum ad circumſedendum Luceburgum miſit: ſi enim Mediolanũ Anguianus contendiſſet, illuc Cæſar bonam copiarum ſuarum partem conuertere coactus fuiſſet. Fuſtembergum ſequutus eſt Ferdinandus Gonzaga cũ cætero exercitu: Luceburgo præerat Franciſcus Anglurus Eſtaugius Vicecomes: is commeatus penuriam obtendens hoſteis non diu præter Regis expectationem remoratus eſt: nec ſatis decoram deditionem fecit. Spira interim Cæſar profectus in mediomatricibus aliquantum ſubſtitit: Luceburgo dedito ad oppugnandum Commerciũ progreſſus eſt: oppidum Moſæ fluuio imminens à noſtris incenſum erat; arcem Carbo Italus architectus munierat, vnáque cum Rauſa Campano præſidio erat: turre aliquot tormentorum pilis concuſſa vterque animo cõſternatus ignominioſè ſe dedidit. Carbo cæſus, quod Stenaij muniendi Regi author fuiſſet, Rauſa oblata pecunia liberatus fuit: inde Lignium, ſiue Ligniacum Barrenſis principatus oppidum, qui Regem patronum agnoſcit, Cæſar proceſſit. Barrum autem quæ huius principatus eſt Metropolis, quaſi Franciæ, Auſtraſiæque regnorum limitem dictum putant: Barra enim vulgo ſeparationem ſignificat. Lignio duo aduerſi colles imminebant, idcircóque Claudius Lotharingus Guiſanus regulus, ac plerique viri militares haud muniendum cenſuerant. Aderam quum paucis ante oppugnationem diebus ad villam Iouis Tindeuillæ Schenaio incommodum oppidi ſitum Guiſanus obiiceret, atque damnaret, & vix ingentem, vt Cæſaris eſſe ſolet, tormentorum apparatum ſuſtinere poſſe diceret. Schenaius duos firmos aggeres ſe collibus oppoſuiſſe reſpondit, quibus fretus Brienno eius oppidi Comiti, Roſſióque eius fratri perſuaſit, vt forti animo obſidionem tolerarent: ne ſi quod ſuum eſt, non tuerentur, in nimiæ timiditatis notam incurrerent. Poſtquam tormenta quadripartito collocata latè murum deiecerunt, viáque non ſolum pediti, ſed & equiti patuit, nec quiſquam in muro ſatis tuto conſiſtere poſſet, Bretheuilla alæ Briennianæ legatus, Roſſius item de deditione acturi per portulam ad Gonzagam exierunt: qua ingreſſi Hiſpani noſtros ad ruinam murorum dimicanteis à tergo inuaſerunt, aliquótque trucidarunt. Briennius, Roſſius, Schenaius capti ſe magno ære poſtea redemerunt: oppidum præfectorum ignauia captum Franciſcum Regem admodum perturbauit: quod enim Luceburgum, Commercium, Lignium, Cæſarem diu remoratura ſperauerat, negligentior in Heluetiis accerſendis, cæteríſque copiis conuocandis fuerat. Et eodem tempore Cæſar in Campaniam, Anglus in Picardiã ingrediebatur, qui circiter ſeptuaginta aut octoginta peditũ, equitum viginti millia in vtriſque caſtris habere ferebantur: nec in vrbibus oppugnandis cunctari, ſed rectà Lutetiam, omnem quaqua tranſirent, agrum populati contendere, ibíque coniungi decreuerant, vt Franciſcum Regem vno prælio decernere cogerent: captarũ vrbium facilitas Cæſarem, vt ad Sandeſirium (à diui Deſiderij templo ita appellatum) hæreret, Anglum Picardicarum eadem facilitate potiundarum ſpes vt Bononiam circumſederet, inuitauit: ad Sandeſirium

Digitized by Google

circiter octauum Idus Iulias Cæſar appulit. Cæſarem comitabantur Renatus princeps Arauſius Naſſaui Comitis filius, qui paucis poſt diebus fragmento lapidis tormenti pila excuſſo, atque in eius humerum impacto cæſus eſt, Mauricius Saxo atque Albertus Brandeburgenſis, quorum vterque ingentem equitum turmam, hic etiam plures peditum cohortes adduxerat, Conradus Hexius direptæ Romæ ſpoliis Clemente Pontifice in primis ditatus, ac Martinus Roſſenius Cæſaris nuper hoſtis Germanorum peditum, Aluarus Sandeus ac Ludouicus Peretſus Hiſpanorum præfecti. Veteribus equitibus, qui Italicis, Gallicíſque bellis ſtipendia meruerant, præerat Franciſcus Ateſtinus qui anno ſuperiore captus in gratiam Hippolyti Cardinalis fratris à Rege fuerat liberatus. Burenus cum decem Germanorum peditum, tribus equitum millibus, Roeſius Comes cum Flandricis copiis Anglum ſequebantur. Sandeſirio præerat Petrus Landa recenti Landreſij obſidione clarus: cui Ludouicum Buellum Sancerriacum Comitem Rex Franciſcus adiunxerat: *Sancerriæ vocis origo.* Sanceriam autem quidam Sacrocæſaream vocant: ea in agro Biturigum ad Ligerim fluuium ſita eſt.

Briſſacum Henricus Delphinus cum leuiore equitatu, ac bis mille veteranis peditibus Vitriacum inter Catalannum, Sandeſiriúmque intermedium oppidum miſit, qui pabulatores carperet, & Cæſarianum exercitum commeatu prohiberet. 2 Id quum ille ſedulo præſtaret, Franciſcum Ateſtinum cum leuiore equitatu, Mauricium Saxonem cum mille ducentis Germanis equitibus (bis mille Iouius numerat) Guilielmum Fuſtembergum cum octo Germanorum peditum aut paulò pluribus millibus, ſeptémque tormentis, qui noctu Vitriacum interciperent, Cæſar miſit: ad Changium vicum duobus infra Vitriacum paſſuum millibus fluuium ponte traiicere equites debebant, viam qua Catalannum petitur, obſeſſuri. Fuſtembergus Vitriacum recta contendere & debile oppidum oppugnare ſtatuerat: ponti præſidio erat Maruilla leuiorum Martini Bellaij equitum præfectus. Is Gondrinum leuiorum quoque equitum præfectum de hoſtium aduentu admonet; ſub auroram conſerta pugna cum Cæſarianorum antecurſoribus Gondrinus, ac Maruilla numero longè inferiores Vitriacum verſus pugnando retroceſſerunt: Gallorum Epirotæ equites, qui non procul inde ſtatiua habebant, vita Catalannenſi diffluxerunt: ad Vitriacum Hunandaij ala Michaële Angelo legato noſtris opem tulit, & Sampetrius cum ſclopetariis è vitibus hoſtium impetum retardauit. Briſſacus Catalannum verſus ſe recipere deſtinans fluuio tranſmiſſo pedites ad vadum fluuij reliquit: Sanſacus, qui agmen claudebat Cæſarianis perſequentibus tanto impetu repulſus eſt, vt conculcatis noſtris peditibus vix elaberetur; quem Rafinus Potonus eorum peditum tribunus oblato equo ſequutus eſt. Pedites diſiecti fere omnes cæſi trecentis exceptis, qui ad vicinam ædem ſacram confugerunt: nec ſe dedere, niſi tormentis prolatis voluerunt; quibus nec Fuſtembergus *Fuſtembergi immanitas.* Germanica immanitate ferox, & ſclopeti glande in ceruicem vulneratus pepercit: ædi tormentorum pilis fere dirutæ, & vndique à ſuis cohortibus cinctæ ignem admoueri iuſſit, omneíſque vel flammis exuſtos, vel fumo ſuffocatos peremit, vel exire conanteis concidit. Hæc quidem poſtea acciderunt. *Cæſar Sandeſirium oppugnat.* Cæſar cum primum tormenta Sandeſirio admouere potuit, altera quæ à Victoriæ propugnaculo (ſic enim vocabant) ad portam, qua ad molendina deſcenditur, altera quæ ab ea regione vbi Vitriacum ſitum eſt (Partham vulgo appellant) vrbem concuterent, locauit: & quod noſtri ab arce multas impreſſiones facerent, Arauſium principem cum octodecim Germanorum peditum cohortibus, ſex mediocribus tormentis, quas colubrinas vocant, è regione arcis non longè à Matronæ ponte conſiſtere voluit. Quum muri ſatis deiecti, proſtratíque viderentur, Hiſpani impreſſionis faciendæ teſſeram poſtularunt: quorum laudata alacritate aliquot ſclopetarios ad explorandum aditum Gonzaga miſit: cæteri quadam laudis æmulatione ſubſequuti murum vnà conſcenderunt: ſed Landa in vtroque aggeris limite paulo vltra rectam lineam prominente feneſtellas extruxerat, glebíſque contexerat, vt ab hoſtibus deprehendi non poſſent: per quas glebis ſublatis tormenta diſpoſa accedenteis Hiſpanos *Obſeſſi tres grauiſſimas impreſſiones generoſè ſuſtinent.* in latera diſcerpebant: noſtri etiam fortiter propugnantes haſtis, ſclopetis, fictilibus, tubíſque ligneis puluere ſulphureo refertis & flammas euomentibus hoſteis in foſſas reiecerunt, multóſque peremerunt. Succeſſerunt circiter octingenti villoſis ſericis paludamentis induti quos non ſecus, atque Hiſpanos noſtri priore ſucceſſu alacriores repulerunt: poſtremi Germani cum multis ſulphurei pulueris cadis, lanceis, aliíſque id genus factitij ignis fomitibus per ruinas erepere conati parem cum ſuperioribus fortunam ſortiti ſunt, neque eadem conſtantia perſeuerarunt.

Has treis impreſſiones in ſeptem horas continuatas Bellaius ſcribit: ex hoſtibus 3
octingentos,

Digitized by Google

octingentos, ex noſtris circiter quadraginta equites, pedites ducentos cecidiſſe addit. Nocte conſequente Ricaruilla alterius Landæ cohortis legatus, atque Hieronymus Marinus in foſſam cum viginti militibus deſcenderunt, & multos ſulphurei pulueris, ſed exiguos cados à Germanis relictos reportarunt. Eadem nocte ita inſtauratus eſt agger, ubi factæ impreſſiones erant, vt munitior quam antea eſſe videretur: poſtridie, hoc eſt Idibus Iulijs, quum Landa nocturnis vigilijs defeſſus ſe in cubiculum recepiſſet, tormenti pila temerè emiſſa, & per muri, aggeriſque ruinas adacta quieſcere volenti caput abſtulit; quo die etiam Arauſius cæſus eſt. Landæ Ludouicus Buellus Sancerrianus Comes in imperio ſucceſſit: Cæſar noſtrorum fortitudinem expertus ſtrenuo quoque è ſuis amiſſo, vt cuniculi ducerentur, atque ad victoriæ propugnaculum dirigerentur, iuſſit: verum quum ad propugnaculum Cæſariani appropinquarent, fons aquæ ſcaturientis ne vltra progrederentur, impediuit: quam exhaurienteis noſtri conſpicati, & id quod erat ſuſpicati Lignierium centurionem Belgam cum aliquot militibus noctu emiſerunt: is fortiter rem gerens Hiſpanos inde expulit, & nonnullos è foſſoribus in vrbem abduxit. *Cuniculi inutiles.* Circiter viceſimum poſt ſupra commemoratas treis impreſſiones diem tubicen Gallus pro redimendis captiuis ad Cæſarianum exercitum acceſſit: cui datæ litteræ fuerunt Claudij Lotharingi Guiſani reguli nomine ad Sancerrianum ſcriptæ, idque notis arbitrarijs: qui autem dedit, ſe Guiſani mandato dare profeſſus eſt; tametſi tubicini notus non erat: quibus Sancerrianum Guiſanus monebat, vt honeſta deditione in tanta commeatus, & tormentarij pulueris, cæterarúmque rerum neceſſariarum penuria ſibi, ſuíſque conſuleret; Regi enim vt præſentem opem ferat, in promptu non eſſe. Has litteras confinxerat Granuellanus intercepto litterarum faſciculo, qui notarum illarum interpretationem continebat: alij notarum interpretationem Annæ Piſſeleuæ, & Longouallij opera ad Cæſarem miſſam exiſtimarunt. Has conuocatis centurionibus, cæteríſque eius præſidij viris primarijs quum Sancerrianus perlegiſſet, Lignierius Belga, cuius ſupra mentionem fecimus, à Guiſano haud ſcriptas aſſeuerauit: alij, qui difficili obſidione honeſtè defungi cupiebant, quam alterum & quadrageſimum diem tolerarant, contra ſentiebant: poſt multam altercationem Iacobus Chaſteneraius alæ Sancerrianæ legatus ad hoſtium exercitum miſſus eſt: Cæſar noſtros litteris à ſuis confictis commotos ſuſpicatus initio ſe difficiliorem præbuit: legatis nihilominus vltro citróque commeantibus induciæ in duodecim dies pactæ fuerunt, intra quos niſi obſeſſis Rex opem ferret, Cæſari oppidum Sancerrianus dederet, atque inde excederet: milites armati quaſi ad pugnam progreſſuri ſub vexillis ad tubarum, tympanorúmque ſonitum cum omni ſupellectile exirent: tormenta quatuor, quæ delegiſſent, ſecum aſportarent, finitis inducijs decimoſexto Kalend. Septembris Sancerrianus cum ſuis Sandeſirio exiit. *Induciæ in duodecim dies pactæ. Galli penuria preſſi Sandeſirio cedunt.* Quanta rerum omnium penuria Sandeſiriani laborarent Cæſar nouerat, & ſe oppido breui potiturum confidebat: ſed ne per ipſum ſtetiſſe videretur quin pactis conuentis cum Anglo factis ſatisfaceret obſeſſis plura, quàm deſtinarat, conceſſit. Conuenerant Cæſar atque Anglus, vt rectà Lutetiam peterent: nullam in oppugnandis munitioribus vrbibus operam conſumerent: Gallum ad vniuerſam pugnam cogerent, aut in eius conſpectu Lutetiam primum, vicinúmque agrum, deinde cæteram Galliam populabundi peragrarent. Anglum itaque relicta Bononia, Montrellóque ſibi iungi Cæſar cupiebat: quod Gallicus exercitus Heluetijs auctus ſuo non multo viribus inferior videretur. Quamquam autem ita conuenerant, tamen qui Anglo à conſilio erant vt in Normaniam antiquum Anglorum Regum patrimonium deſcenderet, ſuadebant: tripartito eam prouinciam nullis præſidijs firmatam adoriretur triginta peditum millibus in parteis æquas diſtributis, interim dum Cæſar Campaniam, Burenus ac Roeſius Comites Picardiam inuaderent, quo Gallus vires omneis ſuas conuerteret: ille Bononiæ breui potiundæ ſpe ductus aliter ſtatuit; quæ non multis poſt Anglorum ruina fuit.

4 Sandeſirio profectus Cæſar Vitriacum iter inſtituit, vbi Anglum, quin prius Bononia, Montrellóque potiretur haud vltra progreſſurum reſciit; hinc illi vt pactis ſtaret, Lutetiámque properaret per Antonium Granuellani Cancellarij filium denuntiauit: ſin in ſententia perſeueraret, nec inde abduceretur, ſaltem vt integra amicitia, fœderéque inuiolato ſibi vt cum Gallo paciſceretur indulgeret: exercitum ſuum Sandeſiriana oppugnatione attritum multis Hiſpanis cæſis, multis item Germanis dilapſis vix Gallico Heluetiçis auxilijs aucto parem eſſe: tantum abeſt vt de potiunda Lutetia ſperare debeat. Id quum indulſiſſet Anglus de fœdere ſeriò agi cœptum. *Cæſar de fœdere cu Gallo ineundo cogitat.* Conuenere primum inter Vitriacum ac Catalaunum à Cæſare Nicolaus Peronotus Granuellanus Can-

Digitized by Google

cellarius ac Ferdinandus Gonzaga, à Rege Claudius Annebaldus Amyralius, ac Franciſcus Chemanſius Regij ſcrinij magiſter, & quædam pacis fundamenta iecerunt, nec tamen quicquam certo pronunciarunt. In Franciſci aula duæ erant factiones: altera Henrici Delphini, altera Aureliani natu minoris parteis ſequebatur: huius princeps erat Anna Piſſeleua Stempenſis reguli vxor Franciſco ab ineunte adoleſcentia in delitiis habita, quæ zelotypia quadam aduerſus Dianam Pictauienſem Delphino, licet prouecta admodum ætate, in primis charam ſeſe Aureliano addixerat: cuius vel cum Cæſaris filia, vel ex fratre nepte matrimonium, & cum matrimonio Mediolanenſem principatum, aut Belgicarum prouinciarum imperium dotale ſperans omnia Franciſci conſilia Cæſari quaſi Aureliani iam ſocero, vt mulieres nimis credulæ eſſe ſolent, aperiebat: horum interpres erat Nicolaus Longauallius Boſſuus acuto quidem, ſed maligno ingenio prædirus: magna commeatus penuria laborabat Cæſarianus exercitus, quem vndique Gallicus equitatus vel auertebat, vel corrumpebat. Hinc non longè à Catalauno ſecundo Matrona Cæſar incedens ad extremas prope difficultates deuenerat, niſi vberrimum Eſpernaij ad noſtrum exercitum alendum comportatum, necdum pontem interſciſſum Longauallius indicaſſet. Interſcindi quidem iuſſerat Delphinus: at ne id in tempore præſtaretur, Longouallius malis artibus impediuit, & vt Cæſar anteuerteret, effecit: iiſdem artibus & vt Theodorici Caſtrum ſatis opulendum oppidum eidem fluuio adiacens in Cæſaris poteſtatem veniret, procurauit. Hic propter commeatus diſtributionem grauis inter Germanos, Hiſpanoſque ſeditio exarſit, vt vix à prælio abſtinerent: paulo ante Guilielmus Fuſtembergus vadum fluuij tentans à noſtris captus eſt: nec multo poſt triginta nūmûm aureorum millibus exolutis liberatus. Captus cōtra à Cæſarianis fuerat princeps Rochaſurio è Borbonia familia dum negligentiùs, nec explorato itinere ad exercitum appropinquat.

Inter Germanos & Hiſpanos grauis excitata ſeditio.

Delphinus mandati ſui de ponte Eſpernaij interſcindendo negligenter acti, ac Caſtri Theodorici capti certior factus Franciſcum Mongomerium Lorgium cum octo peditum millibus, quadringentis cataphractis equitibus Lutetiam verſus miſit, vt vrbi, ſi illuc Cæſar contenderet, præſidio eſſet: is ad Lagnium Matronæ contiguum oppidum Lutetia decem paſſuum millibus diſtans ſubſtitit: Delphinus autem Cæſarem anteuertens ad Feras Ioarias, eidem fluuio imminenteis octo vltra Caſtrum Theodorici paſſuum millibus caſtra metatus eſt, & firmum Meldenſibus præſidium ſummiſit. Hinc Cæſar ne commeatu prohiberetur, ad Sueſſiones iter intendit. Ab Aurelianenſibus, hoc eſt, ab iis qui Aureliani parteis ſequebantur, de Regis conſiliis, quem illi obiectis multis periculis partim veris, partim inanibus ad pacem cum Cæſare quauis ratione faciendam inſtigabant diligenter admonitus: Interim tamen dum Meldenſem agrum peragrat, magna Lutetiam perturbatio inuaſit: fugiebant paſſim cum familiis & pretioſiore ſupellectile ciues: alij Aureliam, alij Rothomagum petebant; inter eundum pleroſque graſſatores ſpoliabant. Hunc tumultum vt ſedaret Rex, Claudium Lotharingum Guiſanum regulum Lutetiam inire iuſſit: deinde & ipſe acceſſit Aurelianenſibus pacem licèt iniquam accipere conſulentibus, ac tandem vehementi importunitate perſuadentibus, quam Gabriel Cuſinanus ſodalis Dominicinus Reginæ Heleonoræ nomine procurabat. Contra qui à Delphino ſtabant, iniquas pacis conditiones admittendas non putabant. Poſtremo Rex in priorum ſententiam conceſſit, Anna Piſſeleua, aliiſque eiuſdem factionis vrgentibus. Miſſus eſt ad Sueſſiones Claudius Annebaldus Amyralius, cum Nullio ſupplicū libellorum magiſtro; hi poſt multam diſceptationem cum Nicolao Peronoto Granuellano Cæſaris Cancellario, ac Ferdinando Gonzaga Cæſaris in exercitu legato in has conditiones fœdus inierunt: nimirum vt pax inter Cæſarem, Regemque perpetua eſſet: Cæſaris filiam, vel ex Ferdinando fratre neptem intra biennium Carolus Aurelianus Regis filius vxorem duceret: ita tamen vt Cæſari optio vtram deſpondere vellet, integra remaneret: principatus Mediolanenſis, aut Flādricæ prouinciæ minoris, item Burgundiæ, ac Carcellenſis Comitatus, qui ad Cæſarē ex Mariæ Burgundæ auiæ hereditate peruenerāt, doti dicerentur: ea tamen lege vt Mediolanenſis, Cremonenſiſque arces, donec maſculam ex his nuptiis prolem Aurelianus ſuſciperet, Cæſariano præſidio tenerētur: Carolo Allobrogi regulo cūcta, quæ illi à Gallis tā in Ciſalpina, quàm Trāſalpina Gallia ablata fuiſſent, redderētur: Regi niholominus occupatas arceis retinere liceret, quādiu Mediolanenſis, ac Cremonenſis à Cæſare poſſiderentur. Si Aureliano filia Cæſaris nubat, Aurelianēſium, Boiorū, Engoliſmenſiū, Caſtri Heraldi principatus vſque ad centum librarū Turonēſium millia annui prouētus, Aureliano in patrimoniū dētur: ſi ſupra cōmemorati principatus eam ſummā deductis impēſis nō conficient, Alenconius principatus addatur. Filiæ Cæſaris, ſi viro ſuperſtes erit, donatio

Lutetiã trepidatio inuadit.

Fœdus inter Cæſarem & Gallum percutitur.

propter

propter nuptias quadraginta librarum Turonenſium millia annua producitor: Ferdinandi filiæ ad triginta. Cæſari viciſſim Rex iure quod in regnum Neapolitanum, aut in Mediolanenſem principatum, ſi Flandricæ prouinciæ Aureliano condonabuntur, cedito: quæcumque intra, aut trans Alpeis poſt factas ad Niceam Paulo Pontifice authore inducias vtrimque occupata ſunt, vtrimque reſtituuntor. Pauca oppida Cæſar, permulta Franciſcus reddidit: ille Sandeſirium, Lignium, Commercium; Franciſcus Iuoium, Mommedium, Landreſium. Stenaium præterea, ſed munitionibus euerſis, atque abraſis Lotharingo reſtitutum: at trans Alpeis ſolum Monteuicum Cæſar Regi reſtituit: Albam, Claraſcum, Antinianum, fanum Damiani, Palezolum, Creſcentinum, Verruam, Moncallum, Bargas, Sturcum pontem, Lanſium, Vigonium, Seruatoris, & Germani fana, & nonnulla alia vicina oppida arceiſque accepit. Addita ſunt & alia quædam capita, quibus Flandricarum, Burgundicarumque nonnullarum prouinciarum, ac regionum iura, iuriſdictioneſque, ſed longè magis in rem Cæſaris, quam Regis definiebantur. Aurelianenſis enim factio quæ tum apud Franciſcum multum poterat, modo ad ſperatum matrimonium perueniret, de regno imminuto, multiſque oppidis, atque arcibus amiſſis debilitato haud admodum laborabat. Vterque fœderatis, ſi fœderis beneficio vti vellent, liberum locum reliquit: Ferdinando (inquam) Romanorum Regi, Henrico Britanniæ, Sigiſmundo Sarmatiæ, Ioanni Luſitaniæ, Chriſtierno Danimarchiæ Regibus, Germanis ſeptemuiris qui deligendi Imperatoris ſibi ius vendicant, Heluetiis, Carolo Allobrogum, Herculi Ferrarienſi, Coſmo Medici Florentino, Guidobaldo Vrbinati regulis: quibus Senenſes, Lucenſes atque Genuenſes acceſſerunt. Acta fuerunt hæc Crepinij, quod Laudunenſis agri oppidum eſt, decimo quarto Kal. Octobris anno decimi quinti ſæculi quadrageſimo quarto. Conditionibus vtrimque acceptis Cæſar Bureno, Roëſioque Comitibus, qui vna cum Northfolcio regulo, Angliſque Montrolium circumſedebant, mandauit vt ſe ad ſuos reciperent, exercitumque dimitterent. Ipſe Feras ad Iſatam ſitas contendit, inde Flandriam petiturus: huc ad Cæſaris complexum Aurelianus acceſſit, Ioannem Lotharingum, Antonium Sanguineum Medonium Cardinales, Lauallam Britannum, Hunandaium Annebaldi, Amyralij filium ſecum duxit: qui velut obſides Cæſarem Bruxellas vſque comitarentur donec vrbes captæ reſtituerentur, illic permanſuri. Cæſar pariter ac Rex ad Vaſtium, Anguianumque in Gallia Tranſalpina legatos ſuos ſcripſerunt, vt pacem proclamari iuberent, & ex fœdere quicquid vtrimque poſt Nicienſes inducias occupatum eſſet, reſtituendum curarent.

Cæſaris exercitus dimittitur.

6 Nunc ad Anglum tranſeamus, ad quem Ioannem Bellaium Cardinalem, Raimundum Rothomagenſis Senatus magiſtrum, Albaſpineum, qui illi erat ab epiſtolis Franciſcus miſerat, vt de ſoluenda Bononienſi obſidione tractarent. Hos Anglus magna Bononiæ potiundæ ſpe concepta ad arcem Ardelotinam Bononia tribus paſſuum millibus diſtantem remiſit, nec eoſdem niſi vrbis compos audire voluit. Tertio Idus Septembris ab Anglis in Bononienſes ab hora octaua matutina ad quartam pomeridianam (vt Galli numeramus) grauis facta impreſſio eſt: quam Philippus Corſus ſtrenuus centurio cum præſidiariis militibus, & Bononienſibus fortiter ſuſtinuit: vbi trecentos ex noſtris, ex Anglis mille quingentos cecidiſſe tradunt, ſepties enim magno vtrimque conatu iterata eſt. Iacobus Concius Veruinus Biezij Mareſchalli gener vrbis præfectus tum latuiſſe, nec viri militaris officium præſtitiſſe fertur, quin Philippo Corſo fragmento lapidis tormentariæ pilæ impetu auulſi cæſo, quum adoleſcenteis dumtaxat rei bellicæ imperitos imperitus ipſe ſecum haberet, animo conſternatus eſt, & de deditione cogitare cœpit: Blimontium Biezienſis alæ vexilliferum, ac Fremoſellam ad Anglum miſit. Is præſidiariis militibus, ac ciuibus ſua omnia ſecum exportare permiſſis, vrbem cum omnibus tormentis, tormentario puluere, pilis, cum omni denique commeatu, quibus ea plurimum abundabat, ſibi dedi poſtulauit, atque obtinuit. Huius pactionis certiores facti Bononienſes ad Veruinum accurrerunt: quorum nomine Bononienſis prætor (conſulem etiam appellant) ſe cum ciuibus, & militibus, qui animo non deficerent, vrbem conſeruaturum teſtatus eſt. Abiret, quo vellet Veruinus, ſe pro aris, ac focis fortiter pugnaturos; nec tamen hominem metu perterritum, & quaſi extra ſe poſitum permouit. Poſtridie nondum obſidibus datis tam grauis tempeſtas caſtra Anglica inuaſit, vt tentoria omnia, omneis papiliones, caſáſque nuper à militibus extructas proſterneret: milites neque progredi, neque retrocedere, vix conſiſtere in veſtigio poſſent: neque tamen eo portento Veruinus à fœda pactione reuocatus eſt: immo vero vrbem poſtridie Idus Septembris dedidit. Si biduum adhuc dumtaxat deditionem diſtuliſſet, Henricus Delphinus cum Gallico exercitu auxilio

Anglus acerrima impreſſione Bononiã impetit.

Veruinus repugnantibus Bononienſibus ignauam deditionem facit.

 eſſe

eſſe potuiſſet: iam enim Hiſdino appropinquabat. Hinc Northfolcius Montrellenſem obſidionem ſoluit, & ad Henricum herum Bononiam rediit. Anglus viribus inferior accedentem Delphinum non expectauit: Caleſium abiit, & bonam tormentorum partem Bononiæ in naueis conuehi, atque in Angliam exportari iuſſit. Eduardum Semerum Herfordenſem Comitem Ioannæ Semeræ vxoris, quæ illi Eduardum pepererat, fratrem Bononiæ præfecit.

7 Delphinus vbi Marquiſiam appulit vicum inter Bononiam, Caleſiúmque intermedium, biduum ad recreandum exercitum ibi quieuit; & interim quid facto opus eſſet conſultauit: inferiorem Bononiam, quæ parua foſſa dumtaxat, nullo muro cincta erat, vbi tormenta, tormentorúmque omnem apparatum Anglus reliquerat, noctu oppugnandam plerique omnes cenſuerunt: primum agmen Fonqueſſolus alter Biezij gener vir militaris, alterum * * * Taiſius ducebat: ſex Heluetiorum, Rhætorúmque millia ſequebantur: hi quotquot Anglos offenderunt, facilè trucidarunt: tormentis, tormentorúmque apparatu omni potiti, quaſi parta victoria ſe ad prædam præſertim Itali conuerterunt. Id è ſuperiore Bononia Angli conſpicati (iam enim dies illuceſcebat) quinque aut ſex peditum cohortes miſerunt, qui noſtros prædæ intentos diſperſoſque, nec ſtrenuè reſiſtenteis fuderunt: Itali etiam pedites, quorum Comes Sanctoſecundus tribunus erat, donec ad Heluetios ſe recepiſſent, conſiſtere auſi non ſunt: vt milites in ordines in ea conſternatione redigerentur, hoſteiſque licèt paucos fortiter exciperent, in Fonqueſſoli, Taiſij, Sanctoſecundi retinentium præfectorum poteſtate non fuit. Decem aut duodecim cohortes inter ſuperiorem, inferiorémque Bononiam, quæ egredientes Anglos repellerent, collocari debuerunt: etenim diſcrimina, quæ accidere poſſunt, præuidere, iiſdémque prouidere boni ducis eſt: in ipſa perturbatione, niſi antea prouiſum ſit, vix etiam ſtrenui milites officio ſuo ſatisfacere ſolent. Vt Bononiæ mature opem ferret, cum Aureliano fratre, Galliſque proceribus Delphinus ita properarat, vt neque commeatus, qui ab Abbeuilla vſque triginta quatuor inde paſſuum millibus petebatur, exercitum, neque tormenta comitari poſſent: pauca dumtaxat leuiora ſecum tulit: Bononienſem enim Montrellenſemque agrum Angli penitus vaſtauerant, tum denſis continuiſque pluuiis pingue ſolum, præſertim viæ Regiæ perruptæ omnino erant: itaque totum triduum milites famem abſque pane tolerarunt. Hinc Montrellum ſe Delphinus recepit, & Heluetiis, Rhætiſque dimiſſis Biezium Mareſchallum cum Gallis, Italiſque peditibus qui ex Gallia Trāſalpina Cæſare Galliam ingrediente reuocati fuerant, & aliquot equitum alis ibi reliquit, vt Anglos extra ſuas vrbeis vagari, prædáſque agere prohiberent. Tum verò ad Franciſcum patrem rediit. Id ferè temporis & Anguianus relicto Thermeo qui captas vrbeis Cæſarianis reſtitueret, ex Tranſalpina Gallia ad Regem acceſſit: æſtate ſuperiore quædam edicta, quæ ſalinarium vectigal ſemper augerent, & miſeram plebem, cæteroſque ordines magis, ac magis affligerent, promulgata ſunt. Et Franciſcus Errantius Chemanſius Regij ſigilli magiſter è vita exceſſit: Franciſcum Oliuarium Rex Franciſcus Cancellarium deſignauit: Nouembri menſe Sueſſionenſem Pontificem, ac * * * Raimundum Senatus Rothomagenſis principem Rex Franciſcus Ardeas miſit, vt cum Anglis de pace communicarent, qui poſt longam diſceptationem circa Ianuarij Nonas illinc re infecta reuerterunt.

Delphini copiæ inferioris Bononiæ direptioni intētæ ab Anglis inuaduntur, & fugantur.

Franciſcus ad Anglum oratores de pace acturos deſtinat.

Pridie Idus Decembris anno huius ſæculi quadrageſimo ſecundo Iacobus Quintus eius nominis Scotiæ Rex annos treis & triginta natus non tam morbo, quàm animi ægritudine mortem obierat, quod Scoti ducem humili loco natum ſibi à Rege impoſitum dedignati ſua negligentia, aut contumacia potiùs, quàm hoſtium virtute, ſuperati fuiſſent. 8
Mariam vnicam filiam hæredem reliquerat octo dierum infantem. Hoc nomen Scotis Regibus infœlix fuit: huius enim pater eiuſdem nominis Quartus bello Anglico, vt ſupra ſcripſi, ſuperatus occubuit. Is porro Iacobum Tertium patrem aduerſa in acie trucidarat, vt iuſtas parricidij ſui pœnas filius impius dediſſe videatur: Iacobus Secundus, cuius filiam Margaritam Ludouicus Viennenſis Delphinus Galliæ poſtea Rex eius nominis Vndecimus vxorem duxerat, à ſuis cæſus eſt, quod Albaniæ regulum fratrem, multoſque Scotos proceres capite mulctaſſet. Iacobus Primus ab Anglis captus, deinde in Galliam ſub cuſtodia deductus, vt Scotos Gallis opem ferenteis reuocaret, & quum reuocare non poſſet, in Angliam reductus miſerè periit. Regni procurationem Maria Lotharinga Claudij Guiſani reguli filia, atque Iacobus Hameltonius Comes Haranius ſuperioris Regis conſobrinus ſuſceperat: huius filium, qui tum in Gallia erat, Rex Franciſcus cum ſatis multa pecunia in Scotiam miſerat: quam quum is, adoleſcens adhuc, & rerum imperitus

ſtolidè

ſtolidè prodegiſſet, & Franciſcum Regem erga ſe hoc nomine valdè indignatum eſſe intellexiſſet, ad Anglum defecit: & liberaliter exceptus Angli è ſorore neptem eadem qua Iacobus Scotiæ Rex matre genitam vxorem accepit. Idcirco Franciſcus Iacobum Broſſianum Boium virum prudentem, ac militarem, qui Reginæ à conſilio eſſet & res ad perturbationem inclinatas ſuſtentaret in Scotiam miſit: quem aliquot poſt menſibus Franciſcus Mongomerius Lorgius Regiæ ſocietatis eques, & prætorianæ Scotorum alæ præfectus cum modicis copiis ſequutus eſt. Menſe Nouembri Heleonora Regina Aureliano, ac Turnonio Cardinale comitantibus Bruxellas profecta Cæſarem fratrem inuiſit pacem cum viro initam gratulatura, nec vllum aliud operæpretium fecit. Cæſar Hiſpanos in Lotharingiam vicinumque agrum hybernatum miſit: iam bellum in Proteſtanteis meditabatur, quod anno ſequente geſſit; pacata erat Italia, & de Concilio Tridentino dumtaxat cogitabat. Gallus cum Anglo Bononiæ recipiendæ ergo bellum continuabat, cuius vires vt diſtraheret, anni huius ſæculi quadrageſimi quinti initio Scotis ſubſidium (vt dixi) Lorgio duce miſit: milites in claſſem, terreſtrémque exercitum conſcribi iuſſit. Claſſi Claudium Hannebaldum Amyralium, terreſtribus copiis Biezium Mareſchallum præfecit, ſed aliquot poſt menſibus: interim vt Concilio Tridentino ſatisfaceret, Theologos Pariſienſes Meloduni conuenire, & ſuper omnibus, quæ cum Romanæ perſuaſionis deſertoribus controuerſa ſunt, capitibus ſententias ſuas ſigillatim ſcripto mandare, ex ſacris libris confirmare, atque ad ſe deferre imperauit. Id aſtuto Petri Caſtellani hominis in litteris humanioribus ſatis verſati, in Theologicis rudis conſilio imperaſſe fertur: qui qua apud Regem authoritate pollebat, ſe breui alienis laboribus erudiri poſſe, & in Concilio Regis nomine legatione fungi ſperabat. Sententiæ ſingulæ editæ non ſunt, eas Caſtellanus ſibi reſeruauit: ſumma capitum, de quibus conueniebant, ab iis, quæ iam Lutetiæ promulgauerant non diſcrepantium edita eſt. Tum Rex in villa ſua à fonte bellæ, hoc eſt, limpidæ aquæ denominata Meloduno octo paſſuum millibus diſtante agebat.

Iacobus Broſſianus Boius in Scotiam miſſus.

Cæſar bellum Proteſtantibus inferendum meditatur, & de Tridentino Concilio ſerio cogitat.

Anno 1545.

9 Sua quoque Theologi Louanienſes numero duo & triginta ediderunt, quæ Cæſar diplomate ſuo confirmauit. Lutherus ſuo more Louanienſes contumelioſè inceſſens libello typis ſtatim mandato refutauit: iam tum Vormatiæ conuentus agebatur: Cæſar articulari morbo laborans initio adeſſe non potuit: Cardinalem Auguſtanum, Federicum Fuſtembergum legatos miſit: Ferdinandus nono Kal. Apriles orationem habuit, Cæſaris propter morbum abſentiam excuſauit: hinc in alterum Ianuarij diem, deinde in Kalendas Februarias conuentum antea prorogaſſe: quum adhuc ſæuiret morbus, ne publicæ deliberationes differrentur, vt interim vicem eius obiret, oraſſe. Quum meliùs habere crebris, & litteris, & nuntiis renuntietur, bonam de maturo eius aduentu ſpem eſſe: duas huius conuentus cauſas præcipuas eſſe: nimirum vt religio conſtituatur, & bellum aduerſus Turcam adornetur: vtriuſque cauſa Cæſarem cum Gallo nulla priuatorum ſuorum commodorum habita ratione pacem iniiſſe: hunc & Concilium Tridentinum per legatos ad Cæſarem miſſos approbaſſe, & opem ſuam aduerſus Turcam promiſiſſe: Concilium in Idus Martias iam elapſas Tridentum indictum: illuc Cæſarem legatos miſiſſe, & Gallum ſe miſſurum promiſiſſe: Spiræ viris piis, & doctis Cæſarem negotium mandaſſe, vt morum inſtaurandorum rationem conſcriberent: conſcripſiſſe illos, & ſibi obtuliſſe: ſed quod res grauis magnam deliberationem exigit, vt in aliud tempus differatur, commodius videri; Concilium prius, & bellum Turcicum procurandum. Solymanum enim cum maioribus, quam antea viribus in Hungariam áduentare crebri rumores afferunt: quod ſi Concilij non is, qui ſperatur, exitus erit, morum inſtaurationem in proximum Imperij conuentum prorogandam. Tertiò Nonas Aprilis reſpondent Proteſtantes, & cum his Colonienſis Pontifex, ac Palatinus Elector hunc conuentum ad conſtituendam potiſſimum religionis cauſam eſſe inſtitutum: ſe Tridentinum Concilium non agnoſcere, vt libris iam editis declararunt, aliud aliis Imperij conuentibus eſſe promiſſum: rebus domi pacatis mox de Turcico bello conſultandum: aliter cæteri principes, Imperiique ordines, inter quos Moguntinus, ac Treuirenſis Pontifices primum locum obtinebant: nempe religionis cauſam ad indictum iam Concilium referendam. Senatum Spirenſem ex antiquis Imperij legibus conſtituendum, dimidiatum eius ſtipendium in ſex annos pollicentur: quod reliquum eſt, vt perſoluat, Cæſar orandus. Proteſtantibus Ferdinandus, Cæſariſque legati Spirenſe de pace decretum omnibus ſine vlla exceptione placuiſſe inferunt: quum iam Concilium indictum, nec multo poſt coiturum iterum denuntiaretur, in Senatum Spirenſem viros probos ex Spirenſi decreto cooptatum iri: non eſſe cur de Turcico bello conſultationem differant. In his altercationibus quum totum Aprilem

Vormatiæ cõuentus habetur.

Proteſtantes Concilium Tridentinum repudiant.

Digitized by Google

Aprilem impendiſſent & diſceptationem vſque ad Maij Nonas continuaſſent, ac Cæſar iam in itinere eſſet, omnia ad illius aduentum Ferdinandus retulit. Ad hunc conuentum Grinianum Phocenſis prouinciæ præfectum Franciſcus legatum miſerat: cuius mater Nicolai Campobaſſi Comitis, qui Carolum vltimum Burgundiæ regulum ad Nancium prodidit, filia erat, & adhuc quidem ſuperſtes. Griniano abſente Ioannes Minerius Opeda Chaſſaneo repentina morte ſublato Senatus Aquenſis princeps, qui ſummam authoritatem habebat, in Valdenſes Druentiæ fluuij accolas (Vantuantes olim dictos putant) vehementer ſæuiit. Anno huius ſæculi quadrageſimo quarto lata à Bartholomæo Chaſſaneo, cui Minerius ſucceſſit, fuerat ſententia, vt Merindolum primarium Valdenſium oppidum incenſis ædificiis ſolo æquaretur: Merindolini omnes promiſcuè trucidarentur: quod veteri ſuo more Romanum Pontificem non agnoſcerent, neque receptos paſſim Chriſtianorum ritus obſeruarent: quam contumaciam Martino Luthero, eiúſque diſcipulis in eoſdem & ſcriptis, & concionibus quadam velut rabie inuehentibus multum auxerant: huc vſque nihilominus ſuſpenſa fuerat ea ſententia: Minerius diplomate à Rege accepto & in Senatu Aquenſi recitato, quo decretum ſupra commemoratum confirmabat, circiter viginti copias toto Phocenſis prouinciæ agro imperat: quibus duce Polino Valdenſium oppida, vicóſque demolitur, atque incendit: obuios quoſque nullo ætatis, ſexúſue habito diſcrimine trucidat: aut ſi in quoſdam mitius agit ad remum compellit: cui Caualonenſis Pontifex Pontificij legati Auenione vicem obiens ſocium ſe præbuit, & ex Auenionenſi agro non contemnendam militum manum auxiliarem miſit: Valdenſium cauſa Henrico Secundo rerum potiente iterum agitata eſt: vt ſuo loco ſcribemus. Hæc crudelitas vt mitigaretur Heluetij nouæ perſuaſionis ad Regem ſcripſerunt: ille Valdenſes meritas ſcelerum ſuorum pœnas dediſſe reſpondit. Porro Heluetios non magis de iis, quæ in ſuo regno agat, ſollicitos eſſe debere, quam ipſe de iis, quæ in ſuo ſolo agant, haud curioſè inquirit.

Valdenſium ſtrages.

Franciſcus vires ſuas colligit aduerſus Anglum.

Sub Maij finem Franciſcus qui Bononiam nec vi, nec vlla pacis conditione recipere 10
potuerat, Antonium Eſcarlinum Polinum, qui apud Solymanum legatione functus erat, è prouincia Phocenſi cum quinque & viginti triremibus ſuperato Athlantico freto in Oceanum, Normaniámque accerſiuit; quem curſum nemo antea cum hoc nauium genere tenuerat vno Preiane excepto, qui cum quatuor eundem aduerſus Anglos quoque Ludouico Duodecimo rerum potiente confecerat. Arceſſiuit & decem Genuenſes magnas naueis, quæ tardius accedentes nulli pene vſui fuerunt, & fere omnes in Sequanæ oſtio gubernatorum imperitia perierunt: naueis item bello idoneas ex Britannia minore, totáque Normania in nouum in Sequanæ oſtio portum (quem Gratiæ vulgo appellant) coire iuſſit: omnibus, vt dixi, Annebaldum Amyralium præfecit, vt vel cum claſſe Anglica confligeret, vel aliquem Angliæ portum occuparet, illúcque Anglos conuerteret, interim dum Scoti eoſdem alia ex parte adorirentur, & Bononiam terreſtris exercitus vel circumſederet, vel commeatus penuria ad deditionem cogeret. Ringrauium, Recrodum * * * Ludouicum Germanos quaterna ſingulos peditum millia Montrellum adducere, decem Vaſconum eodem conuenire mandarat: quibuſcum, & ſex foſſorum millibus, iuſtóque equitatu Biezius ſub finem Iunij propugnaculum Bononienſe (ſic enim vocarunt) extruere occœpit: quod intra dimidiatum Auguſtum menſem aduerſus omneis hoſtium vires Regi ſatis munitum fore pollicitus eſt, nec promiſſum fecit. Id temporis & Polini triremes Normaniæ littora attigerunt, & ſe claſſi Gallicæ ad Gratiæ portum adiunxerunt. Pridie Nonas Iulij Franciſcus claſſem vela facturam ſpectare, ſpectandamque oſtentare, & conuiuium in naue prætoria mulierculis exhibere voluit: ea totius Oceani omnium quæ ſolis velis agebantur, maxima, ac pulcherrima erat, & octingentorum doliorum onus vehebat (Carraconem vulgo appellabant) quam Philippus Chabotus Brio Amyralius Regiis impenſis ædificandam curarat, vbi ſtipendium in claſſem conditum erat. Qui culinæ in ſentina operam dabant, nauticorum periculorum ignari magno cum tumultu ſolito luxu conuiuium inſtruentes ignem in ſuperioribus tabulatis ita accenderunt, vt multi ſe in mare præcipitarint; quorum pleroſque triremes excipientes initio ſeruarunt: regia quoque pecunia eruta eſt: ſed vbi ignis ſe ad imam nauem demiſit: puluiſque tormentarius ardere, exonerarique tormenta cœperunt (erant autem tam maiora quam mediocria ex ære conflata numero centum) tum vero quicquid ante, à tergo, à dextra, à ſiniſtra offenderunt, id omne aut demerſerunt, aut in puluerem redegerunt: quod reliquum fuit, ſemiuſtum mare abſorbuit. Id claſſi infœlix omen fuit, & nullum operæpretium facturam portendit: tametſi ingentibus rotundis nauibus centum quinquaginta,

Claſſis Gallica à coquis incenſa.

quinquaginta, ſexaginta minoribus, viginti quinque triremibus conſtabat.

11 Claſſis in altum prouecta Huichitiam ſiue Huichiam inſulam & Portemuthium portum, vbi claſſis Anglica in anchoris erat, petiit: quum ab inſula non longè abeſſet, Polinum decimo quinto Kal. Auguſti mittit Annebaldus, vt cum triremibus quatuor eam luſtrans ad Helenæ fanum vſque nauigaret: vbi Huichitiam ab Anglia mare ſeparat, vt quid hoſtes animi haberent, pertentaret. Claſſis Anglica ſexaginta dumtaxat ſelectis nauibus conſtabat, vt aliquot Rambergas (ſic enim vocant) in hunc numerum non includam. Hæ non omnino rotundæ, ſed paulò longiores, ac triremibus anguſtiores cum iiſdem celeritate certant: quatuordecim naues Promuthio egreſſæ noſtram claſſem quaſi dimicaturæ expectarunt. Appropinquante Annebaldo cum omni claſſe cæteræ exierunt, & aliquot horas tormentis hinc inde certarunt non magna iactura vtrimque accepta: deinde Angli intra ſua propugnacula, rupéſque qua anguſtior aditus, & paucis nauibus eadem fronte velificantibus peruius erat, ſe receperunt, & nox inſtans prælium diremit. Interim prætoriam nauem aqua per tabulatorum rimas penetrante fere demergi quod ex Honfleo portu egrediens in terram impegerat, vnde tabulata paulatim laxata erant, Annebaldus intellexit; quam nihilominus Malleraius eius legatus egeſtis oneribus in portum remiſerat. Hinc aliam ſibi delegit, & pugnam inire poſtridie cupiens aduerſus hoſteis hoc ordine proceſſit: medius ipſe cum triginta nauibus inceſſit: cum ſex & triginta Buterius dextrum cornu, læuum Çurto cum totidem tenuit. Triremes hoſtilem claſſem extra ſua propugnacula attracturæ præceſſerunt, quæ tranquillo mari, nec vllis ventis agitato Anglos fortiter aggreſſæ Marirоſam nauem inſignem cum ſexcentis fere tam militibus, quam ſociis naualibus depreſſerunt: prætoriam quoque hoſtilem quam magnum Henricum vocabant, niſi ſurgentes, ſpirantéſque è terra auræ mare turbaſſent, pariter depreſſiſſent. Anglicæ naues ſecundo vento vſæ triremes noſtras vehementer perſequutæ illæ præſertim quas Rambergas vocant, eaſdem ad Annebaldum ſe recipere coëgerunt. Prælio decernere triremibus ſuis opem ferens cupiebat Annebaldus, quod Angli retrocedentes, & ad ſua propugnacula, rupéſque redeuntes declinarunt. Quum Anglos ad certamen elicere non poſſet, nec in illis anguſtiis inter cautes aggredi vellet, & Henricum ad Portemuthium acceſſiſſe noſſet, oram Anglicam populari, incendiiſque vaſtare decreuit, vt Regem indignantem, claſſem auxilio ſuis mittere, aut Anglos eam ſub Regis oculis calamitatem ſubeuntes ignauiam eius deteſtari, aut tumultum excitare cogeret. Itaque tripartito noſtri oram maritimam inuaſerunt, vt Anglorum copias ſepararent, & qua commodum eſſet, ſuis ſubſidium ſummitterent. Paulò ſupra propugnaculum, vnde Angli triremes noſtras tormentis impetebant, Petrus Strozza deſcenſionem fecit: quibus in fugam verſis, & in ſiluas elapſis tormentis potitus, & vicinos aliquot vicos incendit: alia ex parte Taiſius peditum tribunus, ac Polinus triremium præfectus in continentem ingreſſi peditum agmen è ſiluis egreſſum, & loco firmiore conſiſtens adorti poſt breue certamen in ſuas quoque ſiluas repulerunt. Poſt hos Marſaius, ac Petrabonus triremium præfecti aliam in partem deſcendentes cum Anglis ambiguo Marte conflixerunt, & vicos pleroſque incenderunt, ſed & ipſi vulnerati ſunt: nonnulli qui in nauibus remanſerant totam oram maritimam ab Anglis relictam paſſim ignibus flagrare aſpicientes clam ſcaphis nullo duce in Huichitiam euaſerunt, & montem ſummum, qui inſulam quodam modo in totam latitudinem protenſus diuidit, conſcenderunt: quos Angli equites ſimul, ac pedites inde repulerunt, & ad claſſis noſtræ conſpectum vſque perſequuti ſunt, at ſubſidio miſſo iterum noſtri monte potiti, & Anglos viciſſim perſequuti vſque ad fluuium cuius pontem fugientes Angli interſciderant, ad claſſem reuerterunt.

Claſſis Gallica Portemuthium portũ appellit.

Claſſis Anglica tentat Gallicam.

Galli oram Anglicã inuadunt.

12 Tum an claſſem Anglicam intra ſuas munitiones aggredi, an Huichitiam inſulam munire ſatius eſſet, in conſultatione poſitum fuit: illud nimiæ temeritatis, iſtud maximæ difficultatis eſſe rerum maritimarum periti, præſertim vero Taiſius, ac Remigius harum munitionum vt exiſtimabatur, mirus artifex, reſponderunt. Ad muniendam enim inſulam tribus arcibus opus eſſe, in vtroque cornu, & in media inſula, vbi maius præſidium collocetur: quod in treis arceis diuiſum ſex peditum millibus, aliquot equitum alis conſtare debeat: has vix tribus menſibus muniri poſſe, etiam ſi ſex foſſorum millia illis extruendis adhibebuntur, inde claſſem interim diſcedere non debere, alioqui totam Angliam ad Gallos expellendos concurſuram: nec vt tam firmum præſidium relinquatur, in promptu eſſe. Alij in contraria ſententia erant: ſi in Gallorum poteſtate Huichitia ſit, Portemuthium totius Angliæ portum opportuniſſimum in eorundem poteſtatem venturum: hinc & in Flandriam, & in Hiſpaniam, atque adeo in Galliam traiectum prohiberi, vt Anglis

An claſſis Anglica inuadenda in conſultatione ponitur.

Digitized by Google

Anglis Caleſio, Bononiæque opem ferre perdifficile ſit: niſi Angli terra, marique paratas ſemper copias habeant totam eam oram Gallis prædæ futuram. Hic Regem impenſis parcere non debere, quum longè maiores in ædificandis ad Bononiam propugnaculis fecerit. Quæ verior ſententia videbatur: præſertim ſi paulò maturius Hannebaldus è Normania ſoluiſſet, aut ſaltem ſi hanc deliberationem initio ſuſcepiſſet: in priorem nihilominus itum, & de reditu cogitatum: luſtrando inſulam vt rectà ad Gratiæ portum redirent dum aquatur Anxius è Phocenſi prouincia Melitenſis eques nauium nuper in Normania inſtructarum præfectus, & longiùs à ſuis cum paucis progreditur, in hoſtium inſidias incidit, ac ſociis in fugam verſis cæſus eſt. Leo Strozza eiuſdem militiæ aquatum quoque, ſed in aliam regionem profectus inſultanteis Anglos fortiter repulit, & ſocium vltus triginta aut paulo plures trucidauit: at quum dies non paucos ventos ſecundos claſſis expectaſſet, tandem ad Portellum non procul Bononia appulit: vbi quatuor peditum, totidem foſſorum millia Hannebaldus in terram expoſuit, & ad terreſtrem exercitum miſit: quos ſi in Huichitia reliquiſſet, & commeatum quem in menſem, & alterum dimidiatum relinquere poterat, addidiſſet, inſulam in Gallorum poteſtate retinuiſſet, & intra id tempus ſubſidium mittere, & commeatum in plures menſes importare potuiſſet. Quum è littore Bononienſi ſolueret, venti vehementius ſpirantes claſſem in Angliam abripuerunt (Petreum locum appellant) atque aliquot dies non ſine ingenti diſcrimine retinuerunt: Anglica enim ad centum ſelectas naueis aucta, & de receptu haud ſollicita, non longè enim à ſuis portubus aberat, noſtræ ſemper imminebat: at ventis paulatim quieſcentibus aggredi non auſa in Huichitiam rediit.

Reditus ſententia approbatur.

Noſtra in Gratiæ portum appulit: vnde Hannebaldus triremi Dieppam vectus ad Regem qui quatuor inde paſſuum millibus aberat, poſtridie Kalend. Auguſti ſalutandum nulla re memorabili geſta acceſſit: quum nec Lorgius in Scotia, nec Biezius ad Bononiam fœlicior fuiſſet: Franciſcus enim qui propugnaculum ad Bononiam inchoatum iam ſatis munitum, vt Biezius premiſerat, eſſe ſperabat, & ad Guinas oppugnandas feſtinare cupiebat, Martinum Bellaium curſoribus equis ad Biezium miſit, vt quo in ſtatu id eſſet, conſideraret. Is multas impenſas factas, nihil ex ordine, militarique diſciplina curatum reperit: vt è regione Ordreæ Turris (Ordinatam quidam vocant) extrueretur, decretum erat, vti in illas maris terram penetrantis anguſtias naueis Anglicas ingredi, ac Bononiæ appropinquare prohiberet: at è regione Bononiæ inferioris extructum eaſdem nullo modo prohibebat: locum commutatum Biezius aiebat, quod illic nulla dulcis aquæ commoditas erat, & inſani Oceani venti milites ibidem haud hybernare paterentur: ſed & propugnaculum ad inferiorem Bononiam ædificatum ita anguſtum erat, vt vix ſexcentos milites caperet. Itaque vt augeretur foſſæ impletæ fuerunt, & duorum menſium labor, impenſæque perierunt: id adeo Antonij Mellonis Itali architecti imperitia accidit, qui multum de ſe promittens, vt Italorum mos eſt, locum non ſatis accuratè metitus erat: cui nihilominus Biezius multum tribuens fidem adhibuerat. Martinum Bellaium Franciſcus paulò poſt ad Biezium remiſit, vt ſi propugnaculum firmo præſidio defendi poſſet, exercitum, qui mille ducentis cataphractis, octingentis leuioribus equitibus, duodecim Germanorum, totidem Gallorum, ſex Italorum peditum, quatuor legionariorum millibus conſtabat alio mitteret. Id Biezio coram præcipuis eius exercitus ducibus Bellaius declarauit, qui de Anglis ad Caleſium coeuntibus, vt terra commeatum Bononiam importent, ſe certiorem factum reſpondit: itaque ſe exercitum ad Lamberti montem tranſlaturum, & fluuium ad lateritium pontem tranſmiſſurum, vt illis obuiam prodeat: quod veriſimile non eſſe, & Bellaius, & plerique viri primarij aſſeuerarunt: maiorem enim naue vnica, quod Anglis perfacile erat, quàm mille curribus importari poſſe: cur igitur fruſtra incertam pugnæ aleam Angli ſubeant? is tamen in ſententia perſtitit. Biezium quadam ambitione vt tantis copiis diutius imperaret, ne Bononia breui caperetur, tempus duxiſſe Franciſcus ſuſpicatus eſt. 13

Lamberti mons non longè Bononia diſtat: atque inde Bononiam, Bononia in caſtra Gallica tormentariæ pilæ ferebantur: ibi aliquot dies fruſtra conſumpti, niſi quod multæ leues pugnæ excurſioneſque vtrimque fiebant; ac ſemel quidem quum noſtri Anglos non ſatis ſtrenuè ſuſtinerent, Franciſcus Lotharingus, qui mox Claudio patre mortuo Guiſanus regulus fuit, comites ſe ſequuturos ratus in hoſteis irruit, & lanceæ Anglicæ ferro, quod oblongum, & non vſquequaque craſſum erat, vti nobis ipſe adhuc decumbens commonſtrauit, inter oculum & naſum adacto, atque ad occipitium vſque & poſtremam galeæ partem penetrante ictus non tamen animo defecit; ſed ſe fortiter ex hoſtium manibus eripuit: 14

Frāciſci Lotharingi generoſitas.

eripuit; de cuius ſalute penitus initio medici deſperabant: at poſtea nihilominus diuina potius ope, quàm medicorum opera curatus eſt: vt eam (ni fallor) patriæ pietatem præſtaret, quam aliquanto poſt in vetere noſtræ religionis perſuaſione tuenda cumulatè exoluit. Interim Carolus Aurelianus alter Regis filius annos treis & viginti natus in Foreſtano cœnobio, quod noſtris hominibus ſiluestre ſignificat, Firmam vocat Iouius, quaſi firmum cœnobium diceretur: at quod ad Arduennam ſiluam ſitum ſit, ita nuncupatum eſt) inter Abbeuillam, ac Montrolium febri peſtilente correptus (vt ferebatur) ſexto Idus Septembris è vita ceſſit. Hinc Franciſcus paterno dolore tactus in alterum ſiluæ Creſſiacæ limitem conceſſit, & ad vicum, quod vulgo hoſpitale vocant, diuertit: inde Feras, quas Iſara fluuius alluit, profectus quum Biezio vt agrum Oium penitus popularetur, iniunxiſſet: quod Anglum decem Germanorum peditum, quatuor equitum millia conſcripſiſſe intellexerat, vt noſtros Bononiæ obſidionem ſoluere cogeret. Ager Oius propter interiectas paludes in primis herbidus octo paſſuum millibus in longitudinem, ſex in latitudinem patet: hunc ab Oceano Ioius portus, ſiue Caleſium, & è regione Caleſij Grauelinæ, à continente Guinæ atque Hamæ arces, item Arderæ oppidum claudunt. Oium ab anſeribus, quos Galli vulgo Oes vocant, quaſi anſerinum nonnulli dictum putant: quod ibi multi anſeres alantur. Quem foſſis, quà continenti iungitur, Angli ſepſerant: foſſas propugnaculis interſtinxerant; aggeres etiam circa foſſas aquæ plenas duxerant, vt aditu perdifficilis eſſet. Noſtri nihilominus vnum ex præcipuis propugnaculis prima aggreſſione ceperunt, præſidiatióſque omneis trucidarunt. Briſſacus primi agminis ductor idem leuis armaturæ præfectus mille paſſus Marcium propugnaculum verſus cum equitatu progreſſus bis mille Anglos pedites ſuis auxilio venienteis, & quid illis accidiſſet, ignaros offendit: quibus magna ex parte cæſis cæteri per foſſas, quæ ibi frequentes equis impenetrabiles occurrunt, elapſi ad alia propugnacula aufugerunt: ex noſtris aliquot equites ac centum ferè equi aut vulnerati, aut cæſi fuerunt: Marcium propugnaculum Biezius oppugnare decreuerat, niſi denſæ pluuiæ tormenta inde maturè educere coëgiſſent: itaque vicis proximis incenſis exercitus Bononiam verſùs iter intendit. Dum ager Oius vaſtatur Anglica præſidia ad ſeptem, aut octo millia ex vtraque Bononia, & turre Ordrea egreſſa, quæ à Iulio Cæſare olim (vt fertur) in * * * fluminis oſtio ædificata, vt phari loco eſſet, dum iterum in Angliam tranſmitteret, nuper Anglorum aſſidua opera latis propugnaculis vndique cincta erat, Bononienſe Gallorum propugnaculum adoriri ſtatuerunt: in quod pleriſque locis ſine vllis ſcalis non difficilis aditus erat. Huic Theobaldus Roaldus præerat, vnaque Villafrancus eius legatus, qui abſente noſtro exercitu haud ſegnes noctu præſertim vigilias agebant: nam dum mare refluebat, inter inferiorem Bononiam, ac propugnaculum vix aqua interiecta ad duos pedes aſſurgebat. Tertia vigilia Angli vehementem impreſſionem fecerunt, ſed qui ſummum aggerem conſcenderunt, omnes fortiter repulſi, & cum magna ſua ſtrage in foſſas reiecti fuerunt; nec poſtea idem tentare auſi ſunt. Nec multò poſt Biezius vaſtato Oio agro ad Portellum rediit, vt Bononienſi propugnaculo manus ſumma imponeretur. Iam Florinas, qui Eburonum vicus eſt, tam equites, quàm pedites ab Anglo mercede conducti peruenerant: quibus liberum per ſuas prouincias tranſitum propter fœdus nuper cum Franciſco initum, necdum interruptum Cæſar recuſauit. Ibi quum circiter dies viginti deſediſſent, nec ſtipendium repræſentaretur, ſecum abductis Angli quæſtoribus, cæteriſque qui ſtipendij prædes erant, domum reuerterunt: ita mutilis Anglo ea impenſa fuit. Subitariis nihilominus excurſionibus Galli, Angliqúe identidem ſeſe inuicem prouocabant; ac ſemel quidem quum Dampetrus non ita dudum Henrico Delphino chariſſimus, mox verò aulicis calumniis in eius indignationem coniectus, qui tum Arderis præerat, accito Tauannio alæ Aurelianæ legato cum Anglis Caleſio egreſſus acriter confliXiſſent, Dampetrus breuioris ſclopeti glande ictus occubuit.

Caroli Aureliani Regis filij mors.

Angli in Gallork ante Bononiam propugnaculum impetum nullu faciūt.

15 Cæſarem ad Vormacienſem conuentum proficiſcentem reliquimus, quò ille poſtridie Idus Maias appulit: die altero Farneſius Cardinalis, qui paucos ibi dies commoratus Romam nulla vel acceſſus, vel reditus ſui cauſa declarata rediit: belli aduerſus Lutherianos concitandi cauſa acceſſiſſe ferebatur, ſed nondum Cæſar ſatis paratus erat: is ad Poloniæ Regem legatum miſerat, & ſe iam multos annos totis viribus laboraſſe ſignificarat, vt omnes Chriſtiani principes in Turcam vno conſenſu arma ſua conuerterent: ſolas religionis controuerſias impedimento eſſe; eæ vt componantur aut penitus tollantur, Concilium magno ſuo labore Tridentum indictum: rogare vt legatos ſuos eò mittat, Concilium approbet: cui Proteſtantes ſi in contumacia ſua perſeuerent,

Cæſaris legatus ad Poloniæ Regem.

TTt cum

Digitized by Google

cum cæteris Chriſtianis principibus parere cogat. Omnia principum Chriſtianorum ro-
bora aduerſus Turcam explicari Polonus ſe mirandum in modum deſiderare reſpondit,
vbi ſe haud poſtremum fore ſpopondit: deſiderare non minus religionis concordiam, ac
tranquillitatem; quicquid ad id conducet, pro virili parte ſe libentiſſimè præſtaturum. Cæ-
ſari amico, & affini, quum res poſtulabit, non defuturum. Cæſar cum Proteſtantibus, nam
cæteri cũ illo conſentiebant, per Granuellanum & Nauium de Concilio, & bello Turcico
egit: Proteſtantes quatuor è ſuis qui cũ illis hiſce de rebus cõmunicarent, delegerunt: qua-
tuoruiri eadẽ, quæ Proteſtantes antea declararant, repetunt: ſe Concilium à Rom. Pontif.
indictũ pro legitimo non habere: cauſas ſcripto mandatas exhibuiſſe; vt Spirenſis Senatus
cõſtituatur, petere: hæc niſi præſtentur, ſibique caueantur de bello Turcico deliberare non
poſſe. Cæſar quod ad Concilium attinet, id ſe præſtare nõ poſſe declarat: quam enim cæte-
ris principibus Chriſtianis rationem reddat, cur Germaniæ pars, & quidem non maxima
Concilio haud pareat, cui vniuerſi Chriſtiani parere debeant? Grinianus Regis legatus
quod Latinè neſciret, mandata ſua per interpretem decimo tertio Kal. Iunij expoſuit (vbi
Franciſci in deligendis legatis perſpecta negligentia eſt.) Regem Dei beneficio cum Cęſa-
re in gratiam rediiſſe, ſolidam pacem eſſe factam: ſi cæteri Chriſtiani ita conſentiant, cun-
ctis nimirum vtiliſſimam, vt diſcordiæ, quæ hactenus viguerunt, & calamitates deinceps
conſequutæ facilè declararunt. Regem pro vetere ſua erga Germanos amicitia, ac fœde-
to vt ipſi quoque inter ſe conſentiant, precari: Concilium iam Tridenti inchoatum, vt
omnia ibi rectè, atque ordine peragantur, antiquáque Germaniæ tranquillitas reſtituatur
Cæſarem ac Regem diligentiſſimè curaturos; cæterorum itaque Regum exemplo Conci-

Franciſci Lotharingiæ ducis mors.

lio pareant, ſéque ſubmittant. Id ferè temporis Franciſcus Lotharingiæ regulus diem
ſuum obiit relicto Carolo filio bienni puero, cuius tutela Chriſtiernæ matri, Nicolaóque
patruo Metenſi Pontifici commiſſa eſt. Mortua eſt & Elizabeta Ferdinandi Romanorum
Regis filia, Sigiſmundi Poloniæ Regis filij vxor. Mortua item Maria Ioannis Luſitani Re-
gis filia, Cæſaris nurus quum Carolum filium paulò ante peperiſſet.

Cæſar à Solymano inducias poſtulat.

Quum nihil in bellum Turcicum à Proteſtantibus Cæſar impetraret, Girardum Vel- 16
luuichum variarum linguarum peritum ad Solymanum, vt de induciis ageret, miſit: quod
autem Colonienſis Pontifex miniſtros Proteſtanteis è ſua dioceſi non pelleret, immò ve-
ro vt publicè docerent, iuberet, clerus, hoc eſt, ſacratorum miniſtrorum ordo, & Acade-
mia Colonienſis ad Romanum Pontificem, & Cæſarem prouocarunt, & Cæſaris opem
implorarunt: quorum ille patrocinium ſuſcepit, & omneis quotquot eos vel in ſua per-
ſuaſione, vel in ſuis poſſeſſionibus perturbarent, ſub finem Iunij edito diplomate proſcri-
pſit: altero diplomate eidem Pontifici mandauit vt ſe intra diem triceſimum Vormatiam
ſiſteret, aut procuratorem mitteret, qui accuſatoribus reſponderet, ne quid interim inno-
uaret, aut ſi quid innouatum ſit, in priſtinum ſtatum reſtitueret, eadem mulcta non paren-
ti addita. Idem fere decimo quinto Kalend. Auguſti iuſſit Paulus Pontifex, nempe vt ſe
Romam intra diem ſexageſimum Colonienſis ſiſteret: quod principes non adeſſent, &
legati non ſatis ampla mandata haberent pridie Nonas Auguſti conuentum Cæſar di-

Ratisbonæ conuentus à Cæſare indicitur, & doctorum colloquium inſtituitur.

mittit, & in menſem Ianuarium proximum transfert: vt Ratisbonæ principes om-
nes conueniant, edicit; atque vt ſuſceptæ de religione controuerſiæ facilius compo-
nantur aliud doctorum hominum colloquium inſtituit, vt quaterni vtrimque colloquan-
tur, bini audiant: Kalend. Decembris ſe Ratisbonam ſiſtant: vt ante conuentum non-
nulla promouere poſſint. Superiora de pace promulgata edicta renouat: collatam in bel-
lum Turcicum pecuniam, donec de illo ſuſcipiendo actum erit, aſſeruari, nondum colla-
tam conferri iubet: Senatus Spirenſis emendationem in proximum conuentum reiicit. iu-
riſdictionem interim permittit. Colloquium non probant Pontificij, in cæteris Cæſari aſ-
ſentiuntur. Illud admittunt Proteſtantes, in cæteris Cæſari non aſſentiuntur, & ſæpius
ante repetita iterum inculcant. Apud Cæſarem depoſitus erat Brunſuicenſis ager: is
Henrico mandat, vt ab armis abſtineat, donec iudices de ea controuerſia pronuntiarint;
nihil innouet, non paret Henricus, & accepta à Franciſco Rege pecunia, qua Ger-
manos Anglo militaturos ſe diſturbaturum promiſerat, copias cogit. Nec tamen promiſ-
ſum facit: ſed Regem eludens, & Cæſaris edicta contemnens ditiones ſuas vi repetit.
Contra quem Lantgrauius cum exercitu progreſſus Henricum vt ſe filiúmque dedat,
cogit: id quum Cæſari ſignificaſſet Lantgrauius, & vt Henricus proſcriberetur, ro-
gaſſet, Cæſar vt captiuos patrem ac filium liberaliter haberet, reſcripſit, rémque
iudicum diſceptationi relinqueret. Cæſar Vormatia ſecundo Rheno Coloniam, in-
de in Flandriam profectus eſt. Quo Colonienſis Pontifex procuratorem miſit, qui
obiectis

Digitized by Google

obiectis reſponderet, tametſi extra Imperij limites ex ſeptemuirorum priuilegio mittere non tenebatur: Kalendis Nouembris Claudium Hannebaldum Amyralium, ac Franciſcum Oliuarium Cancellarium Franciſcus ad Cæſarem miſit, qui propter Aureliani mortem priore fœdere irriſo nouum, & ſolidum pertractarent. Brugis tum agebat Cæſar breui Antuerpiam ad conficiendam in bellum Germanicum pecuniam profecturus: id enim iam tum animo agitabat: quem illuc quoque ſequuti nihil aliud retulerunt, quam Cæſarem niſi prouocaretur, Regi bellum haud illaturum: itaque ad Regem ſub Nouembris finem reuerterunt.

Fräciſcus de fœdere redintegrādo cum Cæſare legatū deſtinat.

17 Franciſcus bellum ſibi impendere non dubitans principem Melfitanum in Galliam Tranſalpinam legatum ſuum miſit: nam Franciſcum Borbonium Anguianum Mommorencio equitum magiſtro exauthorato Narbonenſi prouinciæ & regionibus finitimis, quas Languedocij, hoc eſt, linguæ oſcitanæ nomine noſtri homines comprehendunt, non ita dudum præfecerat: omnem Cāpaniæ Gallicæ oram, qua Germanis facilior in Galliam aditus eſt, diligenter muniri iuſſit, Hieronymi Marini Bononienſis architecti induſtria vſus: in primis autem Malberfontanum exiguum oppidum, aut potius arcem in Arduennæ ſiluæ exitu ſitam Maſeriis decem, Veruinis quatuordecim paſſuum millibus diſtantem, Maſerias item, ac Moſonium; tametſi hoc propter imminentem collem defendi haud commodè poterat: quinetiam Villafrancam ad Moſam quoque fluuium inter Stenaium quod paulò ante Lotharingo reſtitutum erat, ac Dunum Caſtellum, atque Diuæ Menchoæ arcem, vt vulgo appellatur. Sandeſirium tribus propugnaculis auxit: Coiffij arcem extruxit: quod à minore Burgundia vix duobus ſtadiis, à Lingonum Metropoli duodecim paſſuum millibus diſtat: Lignio arcem in ſummo colle ædificandam, Calmontij aliquas munitiones inchoandas curauit. tunc & Breſſanus Burgus (id oppidi ab Allobrogibus regulis poſſeſſi nomen eſt) muniri cœptus. Proteſtantes in proximum annum bellum ſibi à Cæſare illatum iri ſuſpicati legatos apud Galliæ Angliæque Reges habebant, & vt inuicem conciliarentur, optabant: ab vtroque enim auxilium ſperabant: ij vt vtriuſque legati inter Caleſium, Arderaſque medio ſpatio ſub tentoriis ſexto Kal. Decembris conuenirent, perfecerunt: Galli Bononiam recipere: in fœdere, ſi quod iniretur, Scotos comprehendi volebant: Angli vtrumque recuſabant. Quum ad octauum Idus Ianuarij ſumma vtrimque contentione diſceptatum fuiſſet, re tandem infecta diſceſſum eſt. Peſtis interim in Bononienſi propugnaculo quod vltra aquam, hoc eſt vltra fluuium vulgo appellabant, (nam fluuius è ponte lateritio defluens inter Bononiam inferiorem, atque id propugnaculum in Oceanum ſeſe exonerat) vehementiſſimè graſſabatur, ita vt ex octo cohortibus vix octingenti milites ſuperſtites remanſerint. Nec mitius cum Anglis eadem lues agebat, quos relicta cum rariſſimo præſidio Bononia ſub tentoriis pernoctare cogebat.

Saua peſtis infeſtat Bononienſe propugnaculum.

Anno 1546.

18 Septimo Idus Ianuarij anno huius ſæculi quadrageſimo ſexto non ſine acri conflictu commeatum in Bononienſe propugnaculum Biezius Mareſchallus intulit: Angli enim ad Stephani montem à Bononienſi propugnaculo mille paſſibus diſtātem in inſidiis conſederant: vnde in noſtros inuecti cum magna ſua clade repulſi ſunt. Eodem menſe Aprili, nec multo poſt Biezio duce importatus iterum commeatus; quem quum Angli Dudelo Amyralio duce, qui mox Nortumbellanus regulus fuit, interuertere conarentur, multis cæſis, captiſque ſe fugæ mandare coacti fuerunt. Anglus pecunia exhauſtus, quam in longum bellum impenderat, multis è ſuis amiſſis, à Cæſare deſertus Galli fœderato de pace renouanda egit. Sub Aprilis finem miſſi Arderas à Franciſco Hannebaldus Amyralius, ac Raimundus Senatus Rothomagenſis princeps, ab Anglo Dudelus Amyralius, Guilielmus Pagectus, aliique nonnulli Guinas acceſſerunt: hi loco inter Arderas, Guinaſque deſignato ſæpius conuenerunt, & vſque ad ſeptimum Idus Iunij de pacis conditionibus diſceptarunt: ac tandem ita conuenerunt, vt Franciſcus in belli impenſas, in penſiones non exolutas, in oppidorum munitiones in Bononienſi agro nuper extructas intra octauum annum octingenta nummûm aureorum millia, cētena quotannis, Henrico penderet: octauo anno Henricus Bononiam, omnémque Bononienſem agrū, vrbes, oppida, arces tam veteres, quàm nuper ædificatas cum omnibus tormentis, iiſque quæ ad tormenta pertinent, cúmque omni commeatu Franciſco reſtitueret: vt cœptas iam munitiones perficere liceret, nouas incipere ne liceret, cautum fuit. Quibus vtrimque ſubſignatis Hannebaldus in Angliam nauigauit, vt Henrico pacem iureiurando ſanctiore confirmanti adeſſet. Dudelus ad Franciſcum acceſſit, vt iuranti viciſſim ſpectator intereſſet: pax Idibus Iunij publicè Lutetiæ proclamata eſt. Pace cum Anglo

Legati à Gallo & Anglo de pace acturi Guinas cōueniunt.

Pax Lutetiæ promulgatur.

Digitized by Google

conſtituta Franciſcus ne Cæſar Germanis reconciliatus omneis in ſe vires conuerteret metuens omnem Burgundiæ, Campaniæque oram peragrare inſtituit, vt vrbium munitiones, quas accelerari iuſſerat, videret. Itaque à Breſſano Burgo incipiens Cabilonum Arari, Surrium eidem fluuio imminens oppidum, Beluam, Diuionem petiit: inde in Campaniam tranſiit, & per Lingonum Metropolim, Calmontium, Lignium, Sandeſirium iter continuans circa Nouembris Kalend. ad Iouis, ſiue Iani villam appulit: mox Vitriacum nouum à ſe conditum oppidum, à veteri duobus paſſuum millibus diſtans, fanum Menchoæ, Villafrancam quam Moſa alluit, Moſonium, Sedanium, Maſerias, Malberti fontem, ſiue Malberfontanum percurrens Lieſſæ paululum conſtitit; & Compendij paulò amplius commoratus ad fanum Germani ſub huius anni finem ſubſedit.

Proteſtantiũ ad forum Francorũ cõuẽtus & cõſilia.

Nunc ad Cæſarem Germanóſque veniamus: initio huius anni ad forum Francorum 19
Proteſtantes conuenerunt, & de Concilio Tridentino, de tuendo Colonienſi Pontifice, de Cæſare exorando vt Senatum Spirenſem conſtituat, & liberam ſibi ſuæ perſuaſionis profeſſionem relinquat, egerunt: id temporis ad eoſdem Palatinus defecit. Hunc Proteſtantium conuentum, qui circa Februarij Nonas dimiſſus eſt, ſuſpectum habuit Cæſar, quaſi illi aduerſus ipſum coniuraſſent. Suſpectum Cæſarem viciſſim illi habebant; quod & in Italia & in Germania clam milites conſcribi intellexerant. Ad çolloquium virorum doctorum in Decembris Kalendas anni ſuperioris indictum, deinde ad Idus prorogatum acceſſerant miſſi à Cæſare Petrus Maluenda Hiſpanus, Ebetardus Billicus Carmelita, Ioannes Hoſmerus Auguſtinianus, Ioannes Cochleus; à Proteſtantibus Bucerus, Brentius, Georgius Maior, Erardus Schnepſius Theologi: quum treis menſes diſceptaſſent, nec inter ſe conuenirent, ſuos Theologos reuocat Saxo: Bucerus ad Lantgrauium abit, cæteri Proteſtantes pariter diſceſſerunt Pontificiis, & iis qui præſidebant, grauiter conquerentibus. Proteſtantes pro Colonienſi Pontifice ſub Februarij finem intercedunt: Cæſar, qui tum Traiecti erat (id oppidum ad Moſam fluuium ſitum eſt) ſe ſemper humaniſſimè cum illo egiſſe: illum contra mandata ſua neglexiſſe reſpondet: veniat ad Ratisbonenſem conuentum, vt cauſa eius ex ordinum conſilio cognoſcatur. Inde per Leodienſem, ſiue Eburonenſem, Luceburgenſémque agrum Spiram cum quingentis cataphractis equitibus contendit: ad quem tum Lantgrauius, ac Palatinus cum vxore Cæſaris ex ſorore nepte adierunt: quinque dies ibi moratus per Danouertum, Ingolſtadiúmque Sueuicas vrbeis Ratisbonam petiit liberarum ciuitatum, quæ Auſtriam ſpectant, ad Iſtri ripam vltimam. Eodem ferè tempore fato functus eſt Alphonſus Daualus Cæſaris apud Inſubres legatus, in cuius locum Ferdinandum Gonzagam Siciliæ antea proregem Cæſar ſurrogauit. Concilium Paulus Romanus Pontifex anno ſuperiore in Idus Martias indixerat: Ioannem Mariam Montanum, Marcellum Ceruinum Italos, Reginaldum Polum Anglum Cardinales Tridentum miſerat.

Cæſaris legatus Tridentum miſſus.

Eodem acceſſit, aliquanto poſt interim dum conuentus Vormatiæ ageretur, Iacobus Mendocius Hiſpanus Cæſaris legatus, qui multa de Cæſaris laudibus præfatus eius priuatim, Hiſpanorum autem Pontificum abſentiam propter itineris longitudinem, difficultatéſque excuſat: quos breui acceſſuros pollicetur. Pontificij legati ſe nunquam de Cæſaris pietate dubitaſſe reſpondent: Paulum Pontificem de eius conſenſu Reipub. Chriſtianæ conſtituendæ ergo Concilium indixiſſe: ſperare, vt in Vormatienſi conuentu nihil de religione ſtatuatur: ſed ad Concilium, quæ ad religionem pertinent, omnia referantur. Quòd vero tardius Pontifices coirent, nihil eo anno ſeriò pertractatum: nonnulli dumtaxat monachi (vt vocantur) conciones ad Epiſcopos cohortandi ergo habuerunt: Paulus autem Pontifex diploma, quam Bullam indulgentiarum appellant) euulgauit.

Concilium Tridentinum ſerio inchoatur, & in eo legati ſuas orationes habent.

Septimo Idus Ianuarij, quum plerique Epiſcopi appuliſſent in primaria æde legati orationem habent: ſacrorum miniſtrorum, Epiſcoporum præſertim culpa hæreſes, & à communi Chriſtianorum conſenſu alienas ſectas irrepſiſſe: vitam itaque corrigant, mores componant, veterem diſciplinam renouent: ſincerè, piè, ſine vllis priuatis affectibus de religione ſtatuant; & multa in id argumentum addunt: mox decretum Concilij recitatur eiuſdem fere argumenti. Alter conſeſſus pridie Februarij Nonas habetur: Symbolum fidei, vt vocatur, omneis profitentur; nihil præterea agitur. Tertius in ſextum Idus Aprilis, quod multi Epiſcopi in itinere eſſe dicerentur, prorogatur.

Lutheri hæreſiarchæ mors, & eius mores breuiter perſtricti.

Dum hæc Tridenti geruntur, è vita exceſſit Martinus Lutherus anno climacterico (vt 20
à Mathematicis vocatur) hoc eſt, ſuæ ætatis ſexageſimo tertio duodecimo Kal. Martias,

homo

Digitized by Google

homo vernacula eloquentia facundiſſimus, cæterarum linguarum non admodum gnarus: itaque multa patrio ſermone ſcripſit, quæ mox alij eiuſdem ſectæ in Latinum ſermonem conuerterunt; neque vero tam eruditione præſtabat, quàm vehementiſſimis concionibus celebre ſibi nomen cõparabat, natura arrogantiſſimus, ideóque in conuitiis erga aduerſarios immoderatiſſimus. Quinetiam fanatico velut furore percitus ſuas nonnunquam cum malo genio ſuo diſputationes, & huiuſmodi quædam alia hominis non ſatis ſobrij ſomnia litteris mandauit tantam ſibi authoritatem vendicans, vt ſimplicia ingenia hiſce nugis fidem adhibitura ſperaret: quod etiam illi Tigurinæ Eccleſiæ miniſtri tametſi à Romana perſuaſione multum alieni obiecerunt: ſed & vitam vt etiam eius diſcipuli teſtantur, Phariſaica oratione terminauit. Gratias (inquit) tibi ingenteis ago ſumme Deus, qui Ieſum Chriſtum filium tuum mihi cognoſcendum præbuiſti, quem ſum profeſſus, quem paſſim celebraui; quem contra Romanus Pontifex, & reliqua impiorum turba contumelia afficit. Hanc igitur animulam ſuſcipe Ieſu Chriſte, quam relicto corpore à te non poſſe diuelli, immo vero perpetuo tecum permanſuram certò ſcio. Tertio conſeſſu Tridenti qui libri tam veteris, quam noui inſtrumenti, quæque eorum in Latinum ſermonem translationes recipi debeant, deſcribuntur; quos non ex ſuo ſenſu, ſed ex vniuerſi Chriſtianiſmi conſenſu pij Chriſtiani interpretari tenentur. Hic Franciſcus Toletanus nouus Cæſaris legatus ſe Didaco Mendocio, qui Venetias ad priſtinam legationem redierat, collegam datum eſſe profitetur, ac Deum Opt. Maximum vt hunc Pontificis, Cæſariſque conſenſum continuet obſecrandum cohortatur: quartus conſeſſus in decimum quintum Kal. Iulias indicitur: quintus in quartum Kal. Auguſti. Decimo ſeptimo Kal. Maias Romæ aduerſus Hermannum Colonienſem Pontificem lata ſententia eſt, qua è Chriſtianorum cœtu ſummotus, & Pontificatu, cæteriſque ſacerdotiis priuatus eſt: Colonienſibus ne in poſterũ eidem parerent, iniunctum: iureiurando etiam, quo Hermanno deuincti erãt, remiſſo: ad eundẽ nihilominus Nonis Iulij Cæſar ſcripſit, ne Proteſtantium ducibus opem ferret, ne populum ſibi obnoxium illis militare fineret: ſi qui iam eam militiam ſequuti eſſent, eoſdem reuocaret: vni Cæſari, aut Cæſarianis ducibus militiæ ſacramentum dicere iuberet: in eos, qui non parerent, ſeuerè vindicaret. Acceptis litteris Hermannus Cæſarianum mandatum tota ſua prouincia ſtatim diuulgauit, & vt illi pareatur, edixit. Saxo & Lantgrauius libellum Idibus Iulij ediderunt, quo bellum iſtud, tametſi rebellionis cauſa obtenditur, religionis ergo ſuſcipi cõprobare nituntur, ſuáque erga Cæſarem merita prædicant. Saxo priuatim Federicum patruum ſuum, quum poſt Maximiliani mortem Imperator à cæteris ſeptemuiris deſignatus fuiſſet, ſponte ſummo ſe magiſtratu abdicaſſe, eundémque ſuo ſuffragio ad Cæſarem tranſtuliſſe, & multa alia Saxonicæ erga Auſtriacam familiam beneficia quaſi exprobrat: Cæſari haud vllũ Imperij ordinem indicta cauſa proſcribere, neque externum militẽ in Germaniam immittere licere addit. At Cæſar arceſſitis Ratisbonã tribus Hiſpanorum millibus, qui poſt Gallicum fœdus in Lotharingia hybernarãt, & in Hungariam miſſi fuerant, quinque Germanorũ additis, ac ſeptingentis equitibus, quanquam viribus longè inferior, tamen decimo tertio Kal. Aug. Saxonem, & Lantgrauium proſcribit: ea autem proſcriptionis lex eſt, vt proſcriptorum bona omnia, poſſeſſionéſque publicẽtur, ac primò occupanti addicantur. Cauſas proſcriptionis rebellionem obtendit, quod eius edictis parere ſæpius, immo ferè ſemper recuſarint: quòd externos Reges aduerſus ipſum incitarint (Franciſcum Galliæ, atque Henricum Angliæ Reges intelligebat) & quod prorſus impium eſt, Solymanum clam in Hungariam euocarint: quamobrem læſæ Majeſtatis merito conuincuntur. Triduo poſt Gerardum Valduuicum, vt inducias cum Solymano paciſcatur, Ratisbona Conſtantinopolim remittit.

In Tridentino qui libri recipiendi ſint ſtatuuntur.

Colonienſis Pontifex fidelium cœtu excluditur.

Saxo & Lãtgrauius à Cæſare proſcribuntur.

21 Paulo ante, hoc eſt, ſexto Kal. Iulias Cæſar fœdus cum Paulo Pontifice Cardinale Tridẽtino interprete fecerat, quod aliquot ante menſibus conceptũ erat: conditiones fuerunt. Quũ in magnis circa religionẽ erroribus verſetur Germania, magnúmque inde toti Chriſtianiſmo diſcrimen impẽdeat, Concilium poſtremo anni ſuperioris menſe Tridentũ hoc nomine fuiſſe indictum: quod Smalcaldici, ſiue Proteſtantes recipere omnino recuſant: idcirco Paulus ſummus Pontifex, ac Cæſar hiſce legibus inter ſe conuenerunt, nempe vt Cæſar exercitum hoc menſe Iunio ac proximo comparet: omneis, quotquot Concilium reiiciunt, armis ad antiquam perſuaſionem, & Romani Pontificatus obſeruantiam reducat: interim tamen experiatur, an ſine bello id ipſum conficere poſſit: nullam cum his pacem, nullam pactionem faciat, quæ antiquæ perſuaſioni, aut Romanæ Reipub. decretis aduerſetur: Pontifex viciſſim præter centum nummûm aureorum millia, quæ iam Venetiis depoſuit, centum altera ibidem deponat, quæ in nullum alium, quàm in huius belli

Fœdus inter Paulũ Pontificem, ac Cæſarem.

vſum expendantur: ſi nullum bellum erit, vtraque recipiat: duodecim præterea Italorum peditum millia, quingentos leuiores equites in hoc bellum mittat, iiſdémque in ſex menſes ſtipendium numeret: legatum, duces, centuriones præficiat: ſi maturius bellum finiatur, id illius commodo fiat. Cæſari dimidiam prouentuum Eccleſiaſticorum partem (vt loquuntur) hoc eſt, qui ad diuini cultus miniſtros pertinent, Paulus hoc anno in Hiſpania ſumere & ex cœnobiorum poſſeſſionibus ad quingenta nummûm aureorum millia vendere permittit; ea tamen conditione, vt è ſuis poſſeſſionibus tantumdem cœnobiarchis, ſiue ipſis cœnobiis oppigneret, iiſdemque Pauli arbitratu, quod res noui ſit exempli, bona fide caueat: omnem hanc pecuniam in alium, quam in huius belli vſum impendere nefas eſto: ſi quis hoc illorum inſtitutum impediret, eidem coniunctis viribus reſiſtunto donec bellum penitus finiatur. Belli initium fecit Sebaſtianus Scertelus cum Vindelicis copiis quæ duabus & triginta cohortibus, ac magno equitum numero conſtabant, & octo, ac viginti æneis tormentis, Fieſſámque Auguſtani Pontificis oppidum ad Lycum amnem, atque arcem ſexto Idus Iulij deditione cepit: non multum inde Madrucius ac Marchio Melegnanenſis aberant: ſed viribus inferiores in Tirolenſem agrum, qui Norici pars eſt, retroceſſerunt. Cluſa mox, atque Erebergo Ferdinandi arce in Alpium exitu potitur; quibus præſidio firmatis Oenipontem oppugnare decreuerat, vt Pontificiis, cæteriſque Italicis copiis aditum in Germaniam præcluderet: hinc enim duabus dumtaxat viis in Bauariam, vbi tum Cæſar erat, aut ſecundo Oeno per Copſtenum aut per medias Alpeis ſiniſtrorſum iter eſt. At Frāciſcus Caſtelaltus Oenipontis præfectus coactis duodecim peditum millibus præſidio Oeniponti impoſito anteuertit, atque itinerum anguſtias intercepit: vnde quod Albanus regulus Cæſaris legatus cum Ratisbonenſi exercitu, cuius partē nihilominus Cæſar ad ſui cuſtodiam reſeruarat, aſſumptis Madrucij, Melegnanenſiſque cohortibus non longè abeſſet, ad fœderatorum exercitum, qui ad Danubium erat, Scertelus ſe recepit. Digreſſo Scertelo Hiſpani Copſtenum cum magna Scertelini præſidij oppidanorumque ſtrage receperūt: Dillingam Auguſtani Pontificis oppidum ſimul, atque arcem Hedecus cum Vittembergenſibus copiis decimo Kal. Auguſti deditione cepit. Scertelus Danouertū infra Dillingam Auguſta quatuor paſſuum millibus diſtans, vbi Lycus qui Sueuiam à Bauaria ſeparat, ſe in Danubium exonerat expugnauit: ibi aliquot poſt diebus, Saxo, ac Lantgrauius, cæteræque Proteſtantiū copiæ quarto Kal. Auguſti coierunt: qui ſi ſtatim aut paulo maturius Ratisbonam contendiſſent, Cæſarem admodum imparatum offendiſſent, & aut obſidionē tolerare aut è Germania excedere compuliſſent: at Rania Bauarico oppidulo occupato ad Neoburgū medio inter Ingolſtadium, Danouertúmque itinere conſtiterunt. Cæſar Ratisbona præſidio firmata Laudiſhutū Bauari reguli ad Iſaram fluuium oppidum profectus Auguſti initio pro mœnibus caſtra poſuit: quo ſi fœderati potiti fuiſſent, Cæſarē Italicis, Hiſpanicis, Germanicíſque ad Martianam ſiluā conſcriptis auxiliis excluſiſſent (Cluſam enim, ſiue Clauſurā præſidio tenebant) & vndique circumcluſum Ratisbonæ circumſediſſent, at cunctanteis Cæſar anteuertit.

Tertio Idus Auguſti Saxo, ac Lantgrauius per adoleſcentem nobilem, ac tubicinem Cæſari ad Laudiſhutum caſtra habenti bellum indicunt: cauſas epiſtola ſagittæ cuſpidi præligata ſignificant, quod indicta cauſa illos proſcripſerit: quod cum Solymano incōſultis Imperij ordinibus inducias fecerit: quod non rebellionis, ſed religionis ergo, quam illis antea liberam reliquerat, hoc bellum excitarit, vti fœderis cum Paulo Pontifice icti exemplum ad Heluetios miſſum facile declarat. Cæſar non modo epiſtolam non accepit, ſed vt eam ſuis ducibus redderent, quinetiam & proſcriptionis tabulas ad eoſdē ferrent, ne quis ab illis ad ſe in poſterum accederet, iuſſit pœna capitis acceſſuris indicta. Circa Idus Pontificiæ copiæ peditum decē millia, leuiores equites ſeptingenti, tametſi ex fœdere quingentos dumtaxat Paulus mittere tenebatur, Laudiſhutū appulerunt; quibus præerat Octauius Pauli Pōtificis nepos: ſed Alexander Cardinalis Farneſius eius frater natu maior parem in eaſdē poteſtatem habebat: his ducentos equites Medices Coſmus Florētinus regulus Rodulpho Balcono, centū Hercules Ferrarienſis Alphōſo fratre ductore addiderat: nec multo poſt veteranorū Hiſpanorū peditū ſex millia ex Inſubribus, & regno Neapolitano euocata ſeſe illis adiunxerūt: quibus Philippus Lanoius princeps Sulmonēſis, Aluarus Sandeus, Alphonſus Viues, Iacobus Arzius præerant. In caſtris Cæſaris primas parteis ferebat Albanus regulus eius legatus: ſecundas Ioannes Baptiſta Caſtaldus caſtrorum magiſter: in iiſdem militabāt Maximilianus Ferdinandi Romanorū Regis, Emmanuel Philbertus Allobrogis reguli filius, Ericus Brunſuicēſis, Philippus Henrici captiui filius, Georgius eiuſdem Hērici frater, ſed vir ſacratus, Georgius Megelburgenſis, Federicus Fuſtēbergus Renaldus Solmenſis,

Bellum aduerſus Proteſtantes geritur.

Cæſari à Saxone & Lātgrauio bellū indicitur. 22

Pōtificiæ copiæ Laudiſhutū perueniunt.

Digitized by Google

Solmenſis, & plerique alij viri illuſtres. In Proteſtantium caſtris Ioannes Erneſtus Saxonis Electoris frater, Ioannes Federicus eiuſdem Electoris filius, Philippus dux Brunſuicenſis cum quatuor liberis, Franciſcus Luneburgenſis, Volfangus princeps Anhaldius, Chriſtophorus Hennebergius, Georgius Vuirtembergenſis, Albertus Mansfeldius cum duobus filiis, Ludouicus Ottingenſis, Guilielmus Fuſtembergus, Chriſtophorus Oldemburgenſis, Hubertus Bichlingus, Recrodus, Hedecus, & plerique alij Germaniæ reguli multum de ſe ſentiebant, quod militum numero longe ſuperiores erant. Lantgrauius eandem cum Saxone in omneis poteſtatem habebat: cum his octo Heluetiorum cohortes militabant: Cæſar Italicis copiis auctus Ratisbonam rediit, quem Proteſtantes in Miſniam, & Saxoniam contendere ſuſpicati Danubio duobus pontibus iuncto in alteram ripam traiecerunt: nec multum progreſſi eumdem cum viginti muralibus, ac ſex & triginta minoribus tormentis, quæ campeſtria vocant, è Ratisbonæ armamentario eductis Iugolſtadium iter inſtituiſſe, & ad Neoſtadium in Danubij ripa caſtra locaſſe didicerunt: vbi duobus pontibus repente iactis ex nauiculis & ratibus, quas ſecum trahebat, nam tertium iamdudum extructum hoſtes occuparant, fluuium tranſmiſit, Proteſtanteiſque Ratisbonam petere reſciit: ne Neoburgum quod tribus paſſuum millibus ſupra Iugolſtadium ſitum eſt, & Danouertum ipſe occuparet, atque inde in Virtembergenſem agrum populabundus excurreret.

Proteſtátium duces.

23 Poſtridie quam illi Naſſefelſum appuliſſent, Lantgrauius non multis comitatus, vt Iugolſtadium contemplaretur, & ſitum regionis exploraret, mane properauit firmo Cæſaris præſidio munitum fuiſſe, primáque eius agmina eodem perueniſſe haud certior factus: cui Sulmonenſis principis equites obuiam ierunt, acríque certamine conſerto fortiter reſiſtentem numero ſuperiores repulerunt, nonnullis vtrimque cæſis, pluribus vulneratis, aliquot captis: è quibus Cæſarem eo die ad Iugolſtadium caſtra facturum Lantgrauius intellexit. Lantgrauij temeritatem damnans Saxo ſi deinceps ſe inconſulto tale quiddam moliretur, ſe protinus cum ſuis copiis in Saxoniam abiturum teſtatus eſt. Nocte conſequuta duas Germanorum cohortes quadringentos ſclopetarios Hiſpanos Cæſar Ratisbonam relictum præſidium aucturos ſummiſit: Hiſpani prima vigilia in Hedeci caſtra, qui Saxoni attributus erat, irrumpunt, centum aut paulò plures cædunt: tumultum cient, & ſub auroram Ratisbonam ineunt: ſuſpecti erant præſidiariis ciues ob ſæpius excitata incendia: idcirco ne quis noctu domo exiret, ne ſi ad arma quidem conclamaretur, aut inter præſidiarios tumultus ſuboriretur, niſi ad reſtinguendum incendium tubæ cantu arceſſerentur, cautum fuit. Poſtridie qui quartus Kalend. Septembris fuit, Proteſtantes caſtra Cæſariana explorare conati, & ab Italis ſtrenuè repulſi in ſua redierunt. Tertio Kalend. Lantgrauius Danubio pleriſque locis pertentato vadum tandem reperit: tametſi nullum reperiri poſſe vulgo fama erat: ad Saxonem reuerſus exercitum traducendum, collémque vbi Iugolſtadienſes ſpeculam aliquando habuerant, occupandum cenſuit, vnde tormentis in Cæſariana caſtra fulminent Cæſarémque ad pugnam pertrahant: Cæſarem Saxo è caſtrorum fumo inde mouiſſe coniiciebat: id vt certo exploraret Lantgrauius Guilelmum Schachtum cum quinque equitum alis ad caſtra Cæſariana præmittit: ſequitur ipſe, atque vbi ad vadum peruenit, ex Schachto Cæſarem in iiſdem caſtris remanſiſſe cognoſcit: progreſſus itaque tumulum occupat, quem Saxo ſtatim aſſequutus eſt: ibi leuibus prælijs aliquot dies certatum, vbi Cæſariani Hiſpani, atque Itali fere ſuperiores erant: Cæſar autem niſi Bureno ſibi iuncto de re ſumma haud decernere ſtatuerat.

Lantgrauius Iugolſtadij ſitum explorans in Sulmonẽſis principis equites inopinãs incidit.

24 Maximilianus Egmundanus Burenus Comes vir militaris Auguſto menſe è Belgica profectus copiis ſuis Aquiſgranum petere, ibique coire iuſſis, eaſdem poſtridie recenſuit, peditum fere haſtatorum omnium decem, equitum quatuor millia fuiſſe traduntur: quibus ad Andernacum in Rheni ripa ſitum Hiſpani, atque Itali qui Anglo aduerſus Gallum militarant, acceſſerunt: quos nonnulli ad ſex millia augent: alij pauciores numerant. Hic omiſſo Rheno ne per hoſtium agrum incederet, quibuſcum confligere nolebat, Moſellam traiecit, & per Tubingiam ad Rhenum progreſſus Rubumbergum ac Chriſtophorum Oldemburgum cum viginti peditum millibus (alij octodecim duntaxat numerant) mille ducentis equitibus in vlteriore ripa caſtra habere animaduertit. Itaque decem peditum cohortes prima vigilia expedit: quæ fluuium duodecim ſupra eam ſtationem paſſuum millibus tranſmitterent: quos ipſe paulò poſt cum cæteris copiis miro ſilentio ſequutus Rhenum pontonibus ac lintribus in id paratis traiecit, ac Mogontiam contendit: Mogontinum Pontificem illi fidam, nauámque operam nauaſſe rumor fuit. Vbi

Maximilianum Egmundanum nouas ad Cæſarẽ cũ magnis viarum difficultatibus copias deducit.

Schamburgius ac Snartzeburgius Comites cum ſuis copiis ſe illi adiunxerunt:inde iter ad veforum Francorum direxit:venienti inſidias Rubemburgus, atque Oldemburgus inter vepreta ac fruticeta ſtruunt; quibus ille deprehenſis equitatum, peditatúmque extra pilarum iactum ſubſiſtere imperat: tormenta campeſtria in fronte collocat, atque in hoſteis exonerat. Idem illi faciunt:vbi aliquamdiu eminus pugnatum eſſet,iter inſtitutum nemine obuiam prodeunte perſequutus eſt, & ad Miltemburgum caſtra fecit: oppidani portis apertis eſculenta,& poculenta pretio accipienda obtulerunt. Linxam progreſſus nihil hoſtile,aut amicum expertus eſt,clauſis portis libere abire paſſi ſunt. Quum magna cõmeatus penuria laboraret,Nurũbergæ appropinquauit: caſtra in proxima ſilua collocauit;Nurumbergenſes neceſſaria omnia pretio ſubminiſtrarunt:idem vici populationis metu fecerunt, & viciſſim nihil hoſtile paſſi ſunt. Quum ad Iugolſtadium caſtra caſtris collata aliquamdiu fuiſſent, nec Cæſar ad vniuerſam pugnam exiret, nec Proteſtantes aliquod operæpretium facerent,quamquam graues excurſiones identidem vtrimque fiebant, vbi Cæſaris, qui non ſecus ac gregarius miles ſe tormentorum pilis, cæteriſque periculis obiiciebat, mirandum in modum fortitudo celebrata eſt;quinetiam & Cæſaris caſtra Proteſtantes aliquando, ſed nequicquam oppugnant, non conſertis cominus pugnis, atque impreſſionibus, ſed diſploſis eminus tormentis: quorum peritiam ſibi Lantgrauius ſumma cum iactantia arrogabat: quam aliquot dies tanto cum fragore tum explicauit,vt militum aures penitus obſurdeſcerent, & in caſtris Cæſaris mille nongentæ pilæ, aut paulò plures ad tormentorum magiſtrum relatæ ſint, vt quæ vel caſtra tranſilierunt, vel in ipſis caſtris in terram conditæ reperiri non potuerunt,omittantur: quum inquam non multum inde hoſtibus detrimenti illatum Proteſtantes animaduerterent, Burenum appropinquare intelligentes duabus Chriſtophori Oldemburgi ac Federici Rupemburgi legionibus, necnon quinque Bichlingi Comitis cohortibus aucti pridie Nonas Septembris illi obuiam proceſſerunt. Recenſa tum peditum octoginta, equitum decem millia feruntur (vt in hunc numerum neque lixæ,neque cætera imbellis turba includatur) ſecundis caſtris Neoburgum, biduo poſt Danouertum, inde Vendingam Oetingici Comitis oppidum quarto Idus appulerunt: quorum Cæſar certior factus Burenum vt Ratisbonam iter flecteret,admonuit: quod conſilium ſequutus Burenus tuto Iugolſtadium decimoquinto Kal.Octobris peruenit,& in ſilua vrbi propinqua conſedit. Poſtridie mane quum ſuos tripartito incedere iuſſiſſet,venienti Cæſar cũ primariis ſui exercitus ducibus gratulabundus occurrit,eumdémque humaniſſimè,atque honorificentiſſime excepit: tantum iter,ex quo Aquiſgrano mouerat, inter ſiluas, monteis, fluuios, paludes, atque adeo inter hoſteis cum exercitu,armis, tormentis,cæteriſque rebus caſtrenſibus graui quatuordecim diebus emenſus erat: caſtra iuxta Cæſariana quingentis paſſibus interiectis locauit.

Neoburgum à Cæſare capitur.

Paucis diebus militi longo itinere male affecto ad vires inſtaurandas conceſſis Neoburgum vbi treis cohortes Lantgrauius præſidio reliquerat, Cæſar petiit, oppidúmque tormentis pulſauit:quum nulla auxilia præſto eſſent,ciues pariter,ac præſidiarij milites deditionem fecerunt: vtriſque Cæſar ignouit, præſidiariis quidem ea lege, ne in poſterum aduerſus ipſum militarent.Itali Neoburgo præſidio relicti oppidum pariter,atque arcem,vbi Otho Henricus princeps ex Palatina familia in fœderatorum fidem receptus pretioſiorem ſupellectilem condiderat,auariſſimè diripuerunt,matronis,virginibúſque vim attulerunt;in vicinos ruſticos immania omnia patrarũt:quibus,ſed ſerius intellectis Cæſar Marchioni Melegnanenſi vt militum rapinas, effrenatámque libidinem coërceret, mandauit. Ille in facinorum authores extremo ſupplicio animaduertit: ad Neoburgum exercitũ triduo recenſuit Cæſar: peditum quadraginta quinque,equitum nouem millia comperit: in quem numerum Belgica auxilia non includebantur,vt quidam tradunt. Recenſentẽ conuenit Martinus Cuſinanus Hiſpanus legatus à Ferdinando miſſus, qui Bohemos Saxoniam, quæ in Saxonis Electoris ditione erat, latè populari renuntiauit, & intra Kal.Octobris ad Vittembergam Saxoniæ Metropolim caſtra poſituros. Idem è ſuis reſciuit & Saxo, quibus ſeptem peditum,equitum tria millia auxilio miſit, Cæſar reuocatis Neoburgo Italis duas Germanorum cohorteis eorum loco ſummiſit: reuocauit & Raina nuper dedita Hiſpanos,& Bauaricas cohorteis præſidio impoſuit. Cæſarem Auguſtam contendere frequens rumor increbruit: hinc Lantgrauius exercitum vltra Danubium traduxit: verùm vbi Marxenum petere intellexit,ad Danouertana caſtra rediit; legatos ad Gallũ Anglúmque Proteſtantes miſerant auxilium imploraturos. Gallus ſe fœdere cum Cæſare inito impediri reſpondit:at Petro Strozzæ trecenta nummûm aureorum millia fœnerato ſumpta perſolui imperauit, quibus Proteſtantes in militum ſtipendium vterentur. Venit in

Proteſtantes à Gallo & Anglo auxilia fruſtra implorant.

caſtra

caſtra Danouertana Strozza cum Ioanne Sturmio, qui in Galliam miſſus fuerat; & quum Argentinenſes, Auguſtani, Vlmenſes ſe prædes conſtituerent, pecuniam promiſit, ſed promiſſo non ſtetit: nuſquam enim in Gallia ad numerandam comparuit: quod Cardinalis Turnonij artibus eueniſſe tradunt, qui Mommorencio equitum magiſtro è Regio comitatu pulſo multum apud Franciſcum Regem poterat.

26 Cæſar prælij faciendi tempus adeſſe ratus Danouertum oppugnare ſtatuit, quo omnem belli apparatum, commeatúmque Proteſtantes congeſſerant, & ad Marxenium quatuor ab hoſtium caſtris paſſuum millibus caſtrametatus eſt: ſed locus caſtris faciendis iniquus, vt ad hoſteis propius accederet, prohibebat: ſilua interiecta erat, ad quam multæ excurſiones fiebant: ad Monhainum quod Marxenio mille paſſibus diſtat, caſtra tranſtulit: inde podagra infeſtante lectica vectus Vendingam duobus paſſuum millibus Monahino ſeparatam contendit: magiſtratus obuiam progreſſi ſe illius clementiæ permiſerunt, quibus Cæſar ignouit, & vt portas clauderent, nō militū licentiæ, iniuriiſque exponerentur, iuſſit, & in vicis propinquis caſtra fecit, vbi Proteſtanteis ad Horborgum oppidum, atque arcem mille paſſibus à ſuis caſtra communire intellexit. Craſtino die mane tametſi podagra admodum laborans aciem inſtruxit: ſed craſſa nebula caliginem nocti fere parem inducens, bonámque diei partem continuans ne pugnādi poteſtas eſſet, effecit: itaque milites ad curanda corpora ire iuſſit. Proteſtantes interim nebulæ beneficio vſi duarum viarum anguſtias, quibus intercludi poterant, euaſerunt. In prima acie Saxo Elector, in media Lantgrauius, in poſtrema Rubembergus, ac Georgius Malſpurgus curabant. Scertelus Auguſtam abiit, nec poſtea rediit: Saxo cum triginta peditum millibus, atque equitum robore in ſummis montibus ad Norlingam conſedit; quem media, poſtremáque acies ſequutæ ſunt: poſt meridiem diſcuſſa nebula hoſteis in conſpectum dedit. Inter vtrumque exercitum Egra fluuius interfluebat viginti duntaxat pedes latus, ſed alueo profundo, ripiſque paluſtribus tranſitu perdifficilis, atque vno loco, vt ferebatur, vadoſus. Cæſarem Albanus quantum ex ipſo interuallo conijcere licebat, hoſteis ſe ad pugnam comparare admonet: Nec ego (inquit) toties quæſitam detrectabo. Albanus ac Burenus primam aciem cum tribus equitum, quatuor & viginti peditum millibus ductabant: illum Hiſpani, hunc Belgæ pedites ſequebantur. In media erat Cæſar cum flore nobilitatis quatuor Belgicis cohortibus ſeptus. Hic Itali, Germaníque pari cum ſuperiore equitum, peditúmque numero incedebant: ſinguli principes Maximilianus Auſtriacus, Ioannes Brandeburgenſis, Philibertus Allobrox ſuos ducebant: Albertus Pruſſus poſtremæ cum duobus equitum, octo peditum millibus præerat. Sic enim Germani hiſtorici tradunt: at Ludouicus Auila in prima acie ſedecim, aut ſeptemdecim peditum millia, in ſecunda quindecim duntaxat numerat: in poſtrema cum Germanis conſentit: multi autem tam equites, quam pedites aut cæſi fuerant, aut morbis confecti interierant, aut dilapſi erant: etenim paulò antè peditum Cæſarianorum quadraginta quinque, equitum nouem millia idem Auila numerarat: laceſſebat iam hoſteis Lanoius princeps Sulmonenſis cum leui armatura, atratiſque ſclopetariis equitibus: Burenus Egram traiecerat: cuius tergo ſecunda acies inhærebat, vt hic dies bello finem facturus videretur: & fortaſſe feciſſet, niſi craſſa nebula hoſtis, regioníſque conſpectum abſtuliſſet: at Proteſtanteis pugnam detrectarunt, & ſe ad ſua caſtra Norlingam receperunt: idem & Cæſar facere coactus eſt.

Cæſar. Danouerti oppugnationem decernit.

Duo aduerſi exercitus ad Egram fluuium pugnæ ſe accingit, nec confligunt.

27 Scripſerant antè, ſed & è caſtris Danouertanis ſub finem Septembris iterum Proteſtantes ad Heluetios nouæ perſuaſionis Tigurinos, Bernates, Schaffuſianos, Baſilienſes ſcripſerunt, & idem illis diſcrimen impendere docuerunt: bellum enim non rebellionis, ſed religionis ergo eſſe ſuſceptum. Illi non ſolum ſibi, ſed & cæteris Heluetiis antiqua cum Auſtriaca, Bungundicáque familia fœdera eſſe reſponderunt: è quorum prouinciis ſibi & vinum, & frumentum ſubminiſtretur, quibus priuabuntur, ſi ipſis opem ferant. Et cæteri Heluetij veteris perſuaſionis iiſdem ſe priuatum iri intelligentes ad Cæſarem, Romanúmque Pontificem deficient; quibus & clauſtra viarum in Alpibus magno ſuo labore conclusa aperient, vnde Heluetica gentis ſocietas inter ſe diuiſa corrumpetur: ad hæc hyemem inſtare, vt ſi maximè velint, ſuppetias ire non poſſint. Ad Norlingam Cæſar aliquot dies commoratus, & interim continuis excurſionibus hoſteis laceſſens vt conſilium ſuum de Danouerto oppugnando tegeret, prima noctis vigilia Octauium Farneſium cum aliquot Italicis, Alexandrum Vitellium cum Hiſpanicis cohortibus, Schamburgum cum Germanis peditibus ſimul, atque equitibus, militiæ Teutonicæ magiſtrum cum ſuo equitatu Danouertum mittit. Iam Horburgum Caroli Octingenſis oppidū Marchionis Brandeburgenſis induſtria in Cæſaris poteſtatem venerat: quod inter Norlingam, Danouertúmque intermedium obſeſſo itinere Cæſarianos Danouertum proficiſcentes arcere potuiſſet.

Proteſtantes ſibi Heluetios adiungere nequicquam conantur.

Digitized by Google

Cæſar Danouerto potitur.

Mauricius Saxoniæ ordines Friburgum conuocat.

tuiſſet. Itaque ſub auroram ſuburbium Danouerti admotis ſcalis occupant, tormẽta expediunt; Danouertani totum Cæſaris exercitum adeſſe rati deditionem faciũt, præſidiarij milites auerſa oppidi porta per pontem elabuntur: oppido Sebaſtianus Curtius cum duabus Germanorum cohortibus præficitur: ſequitur poſtridie Cæſar, & ſub ipſis Danouerti muris caſtra ponit. Dum hæc in Sueuia geruntur, qui Ratisbonæ cum Cæſare conuenerat, Saxoniæ ordines Friburgum Mauricius conuocat, quod Nuriemburgo, Screcremburgóque non magno interuallo diſtat, ſe totis viribus laboraſſe prædicat, vt Saxonẽ patruelem, Lantgrauiúmque ſocerum Cæſari recõciliaret, nihil obtinere potuiſſe: Ferdinandum cum Bohemis, atque Hungaris inſtare vt Saxoniam igni, ferróque vaſtet: à Cæſare mandatum habere, cui neceſſario parere cogatur: videant qui patriæ in ſummum diſcrimen adductæ conſulendum putent. Ordines nuntium ſtatim ad Saxonem Lantgrauiúmque mittunt, & vt ditiones ſuas quaſi fiduciarias Mauricio committant, perſuadere conantur: ſic patriæ vaſtitatem poſſe vitari; quum ſibi de religione cautum ſit, cauſam non videri, cur Cæſari ſummo magiſtratui non pareant. Saxoniæ ordinibus Saxo ac Lantgrauius paulò pòſt, hoc eſt, pridie Kal. Nouembris reſpondent, ne proſcriptione deterreantur, néve religionem ſibi liberam à Cæſare relinqui putent: id ſe omnibus Smalcaldici fœderis ſociis ſatis ſupérque declaraſſe: laborent potius vt omnes Saxoniæ, Miſniæque vires ſimul coniungantur, ſic poſſe hoſtibus facilè reſiſti. Mauricio, ne ſe hoſtem declaret ſignificent: ſin recuſet, non impunè laturum; Cæſare imminente exercitum ſuum diuidi non debere: ſperare ſe breui finem bello vno prælio reperturos: ad decimum Kal. Nouembris Ferdinandus in Saxoniæ finibus conſedit, cuius copiis Sebaſtianus Vueitemullus præerat.

Langinga Cæſari deditur.

Scerteli cohortes fugientes funduntur.

Lanſaimum oppidum in Cæſaris poteſtatem reducitur.

Vt ad Cæſarem redeam, is ad Danouertum noctem vnam duntaxat commoratus Dil- 28
lingam (Tilingam alij vocant) Auguſtani Pontificis oppidum properat, victoriam in celeritate poſitam ratus, ea Danouerto tribus paſſuum millibus diſtat: milliare autem hic, vt in toto hoc bello vſurpo more Germanico: quod triplo Italicum ſuperat, & leuca Gallica quam duobus Italicis milliaribus metiuntur, multo longius eſt. Ibi Danubius ponte iungitur: Cæſarianos ab hoſtibus vaſtior ſilua ſeparabat. Cæſare appropinquante præſidiarij milites Langingam Palatinæ ditionis oppidum ſe receperunt: Dillingenſes Cæſarem, ac ſuum Pontificem læti exceperunt. Hœſtadienſes Dillingenſium exemplum ſequuti ſunt: in ripa Danubij Hœſtadium ſitum eſt: põte fluuium tranſmittit Cæſar, & inter Dillingam, Langingámque caſtrametatur: Langingenſes deinde ad deditionem per caduceatorẽ inuitat. Superbè illi reſpondent: at poſtridie culpam in præſidiarios milites conferentes, quos ante lucem dimiſerant ſe per legatos Cæſari permittunt: hinc Sebaſtianũ Scertelum cum ſorore, amicis, ſupellectile, & præſidiariis militibus alij paulò ante Auguſtam abiiſſe tradũt. Fugientem Scertelum vt Baptiſta Sabellus cum quatuor expeditis cohortibus & aliquot turmis equitum, quibus Hiſpanicas Italicáſque alias adiunxit perſequeretur, Cæſar iuſſit: illi tametſi celeriter properanteis aſſequuti (quatuor autem peditũ cohortes erant) eoſdem fuderunt multis cæſis, tormentis campeſtribus, quæ trahebant, abductis Scertelus cum aliquot leuioribus equitibus euaſit, Auguſtámque petiit. Eius cladis rumore diuulgato caſtella, atque oppida ad Danubium ſita ad Cæſarem defecerunt: atque inter hæc Godelfinga Vlma mille paſſus diſtans. Hinc ad Sonthænum vicum tribus Vlma paſſuum millibus Cæſar caſtra poſuit: ſi vrbem circumſederet, aut Vlmenſem agrum popularetur, Lantgrauium ſociæ ciuitati opem laturum, & prælij faciendi occaſionem daturum ſuſpicatus. At Scertelus ſeptem Heluetiorum, treis Germanorum cohorteis Vlmẽſibus ſubſidio miſit: id ne Cæſar Vlmam circumſederet, impedimento fuit Proteſtanteis Giengam ſupra Sonthænium ad Brentam quoque ſitam iter intenderunt: vtrumque exercitum fluuius dirimebat vnico ponte iunctus: proceſſit vltra fluuium Cæſar cum Albano, & equitatus parte hoſtium caſtra ſpeculaturus: aduerſus quem Saxo primæ aciei ductor properans Lantgrauio vt ſtatim ſequatur nuntiat; & quum pedem referret Cæſar in monte Lantgrauium expectans ſubſtitit, ac bonam occaſionem amiſit: ſi enim celeriter Cæſarem perſequutus fuiſſet, magnum in pontis tranſitu tumultum excitaſſet, & Cæſarem, aut ex primariis ducibus nonnullos fortaſſe cepiſſet. Circa Idus Octobris Madrucium Cæſar in agrum Vlmenſem immiſit: is Lanſaimum oppidum Vlma duobus paſſuum millibus diſtans Vlmenſibus præſidiis partim cæſis, partim captis in ſuam poteſtatem redegit, vicinámque regionẽ latè populatus eſt. Interim Cæſar multas hoſtibus inſidias ſtruxit: ſemel quidem ſelectos Hiſpanos atque Germanos albis tunicis indutos Albano duce noctu ad hoſtium caſtra miſit: quos bene paratos offendentes nonnullis amiſſis in caſtra redire coacti ſunt. Alia regione Lanoius cum leui equitatu, Barbanſo cum Flandrico irruperunt; & octodecim commeatu, duos argento infecto onuſtos currus abduxerũt: prædam militibus Cæſar condonauit,

Lanoiúmque

Digitized by Google

Lanoiúmque ac Barbanſonem collaudatos dignis præmiis affecit. Biduo poſt audax facinus aggreſſus Burenus clara luce hoſtium caſtra vel intra pilarum iactum circuiuit, & in inſidias equeſtres, quas per exploratores certo loco conditas eſſe didicerat inuectus ſub ipſo prope caſtrorum vallo trecentos hoſtium equites cecidit, ducentos cepit: pedites ſclopetarios qui equitibus permixti erant (perditos vulgò appellant) plures centum equorum pedibus conculcatos peremit.

Audax facinus Bureni.

29 Hinc propter frequenteis, denſaque pluuias Cæſar exercitum Langingam reduxit, & ſub pellibus continuit, dimidia propemodum parte vel morbis amiſſa vel clam dilapſa: & multi Itali cum Farneſio Cardinale diſceſſerant, vt ſi quid auſi fuiſſent Proteſtãtes anceps prælium futurum videretur. Nouembris initio Huſarones, ſiue Huſſari ac Bohemi in Vœtlandiam, quæ à Meridie Miſniam, ab Ortu Bohemorum ſaltus habet, Saxonis agrum irrumpunt, totámque regionem fœdis libidinibus, flamma, ferróque vaſtant. Inde Bohemi, qui ob antiquum cum Saxonibus fœdus inuiti Ferdinando militabant domum reuertuntur: Huſarones ſe cum Mauricio coniungunt; quibus ille auctus Zniccainam, Schneburgum, Aldemburgum, aliáque Saxonis oppida capit: Gotha, Iſenacũ, Vuittemberga vrbes firmiſſimæ in Saxonis fide perſeuerarunt. Langinga propter limoſam, paluſtrémque regionem caſtra Cæſar propius hoſtem mouet, & loco amœno, ſalubríque metatur: vnde totum inter Norlingam, Ducrelſpulam, Vlmámque interiectum agrum latè populabatur: locum poſtea caſtra Cæſaris indigenæ vocarunt, vbi milites priorum incommoditate fere enecti vires ſuas mirandum in modum inſtaurarunt. Contra Proteſtantes ſub Octobris finem tanta commeatus penuria laborarunt, vt totum quatriduum aut quinque dies, vt Auila ſcribit, radicibus è terra erutis, & agreſtibus oleribus famem tolerarint. Id fere temporis Colonienſis Pontifex ſe Chriſtianorum cœtu Romæ ſummotum, proſcriptúmque certior factus ad liberum Germaniæ Concilium prouocauit. Proteſtantium legati, qui Vlmæ conuenerant, ſententiiſque variabant Nouembris initio vt certius quid decernerent, ad caſtra Giengam acceſſerunt; & quandoquidem ex fœderatis plerique nulla auxilia mittant, alij pauca, nihil alij conferant, militéſque hyeme inſtante dilabantur, aut prælio decernendum, aut partem exercitus in hyberna, alterã in Saxoniam mittẽdam, aut rationem aliquam pacis ineundam videri: deligitur Adamus Trottius Brandeburgenſis Electoris cliens, & Ioanni eius fratri, qui in caſtris Cæſaris militabat, familiaris: at Cæſar ex caſtris propinquis hoſteis & à commeatu, & à pecunia admodum imparatos intelligens, & Mauricij, Hungarorúmque in Saxonia felicitate erectus duras conditiones propoſuit, vt ſcilicet Saxo ac Lantgrauius exercitum dimitterent: quicquid poſſident, arma, tormenta, vrbeis, oppida, arceis victori Cæſari permitterent: ſupplices ad Cæſarem accederent veniam petituri, quam Ioanne Brandeburgenſi deprecatore (ea Cæſaris clementia eſt) aſſequentur: ſin has cõditiones recuſent, nihil æqui poſtea à Cæſare qui nõ niſi iuſta bella ſuſcipit, & ſuſcepta non minus fortiter exequitur, ſe impetraturos certò ſciant: nihil Proteſtantes ad ea reſponderunt. Interim mille ducenti Neapolitani leuioris armaturæ equites centum nummûm aureorum millia partim è Sicilia, partim è regno Neapolitano miſſa ad Cæſarẽ attulerunt: & grandem pecuniam Medices Coſmus Florentinus regulus contulit. Itaque Cæſar quod Nouember mitis, ac ſerenus eſſet, hoſtium caſtra ſeptimo Kal. Decembris oppugnare ſtatuit: cuius conſilij vel coniectura vel indicio admoniti Saxo ac Lantgrauius quinto Kal. ſub occaſum Solis peditatum cum maioribus tormentis præmittũt: ipſi nocte ſerena cum equitatu, & campeſtribus tormentis ſequuntur, ignibus, vt Cæſarianos fallerent, caſtris iniectis: mille equites, peditum octo millia in hybernis relinquunt, quibus Vuirtembergenſis regulus, & ſuperioris Germaniæ ciuitates ſtipendium penderent; cæteræ copiæ in Saxoniam deducunt. Fugam præter noctem diei initio orta craſſa nebula occultauit; antequam fugam capeſſerent, legatos in Galliam, Angliámque miſerant: & vt ad forum Francorum conuentus pridie Idus Ianuarij ſequentis ageretur decreuerant. Cæſar vbi hoſtium fugam comperit, leuis armaturæ equites, qui illorum iter obſeruarent, præmiſit: ipſe cum toto equitatu ſequutus eſt, peditatu, qui eius imperium expectaret, in caſtris relicto: hoſteis aſſequutus prælium facere potuit, ſed quia nox inſtabat, in craſtinum diem diſtulit, & ad caſtra, vbi peditatum reliquerat, ſecunda vigilia rediit, paululúmque ibi commoratus omnem exercitum vaſa colligere, & ſe in viam dare iuſſit. Sub finem tertiæ vigiliæ Albano, quem non longè ab hoſtibus reliquerat iungitur: nox frigida erat, & nix è cœlo delapſa terram ad duorum pedum altitudinem contexerat, militéſque in primis afflixerat, ac tormentarios currus multum retardabat: Proteſtantes multis ignibus accenſis, vt Cæſarianos fallerent, prima vigilia præſenti vitato periculo è caſtris exceſſerũt; ſi enim pridie trepidanteis Cæſar equitum numero longè ſuperior aggreſſus fuiſſet, haud dubium, quin victoriam reportaſſet.

Huſarones ac Bohemi in Saxonis agrū deſæuiunt.

Fames in Proteſtantiū caſtris ſæuiens.

Proteſtantes de recõciliatione cū Cæſare cogitãt.

Saxo ac Lãtgrauius nocturna fuga ſibi conſulunt.

Digitized by Google

reportaſſet. Sub ortum Solis tranſmiſſo Brenta (Brentium alij vocant) ad Haidenæmum Vuirtembergenſis ditionis arcem caſtra poſuerunt: Cæſar hyemis aſperitatem horrens à perſequendis hoſtibus abſtinuit,militéſque in ea,quæ Cæſaris appellata diximus,caſtra retro iter flectens reduxit.

Briſſonnetus ad nouā religionē deſficiens à Sorbonicis Theologis reuocatur.

Meldenſes ob crimen deſertæ religionis multi capite damnati Lutetiæ, multi virgis cæſi.

Guilielmus Briſſonnetus Meldenſis Pontifex tametſi non admodum eruditus,vt ſemi- 30
docti homines ſibi nimium tribuentes falli facilè conſueuerunt, ad nouam religionis perſuaſionem multum inclinarat,doctoréſque eidem propagandæ idoneos Meldenſibus præfecerat:quo nomine à Sorbonicis Theologis delatus ab inſtituto deſciuit.Meldēſes nihilominus plerique nouarum rerum ſtudioſi non multis poſt annis doctorem, quem illi miniſtrum vocant,ſibi clam aſciuerunt,& nouos ritus in priuatis ædibus exercuerunt: quum & ex agris nonnulli eodem confluerent, res palam facta: carris Lutetiam deportati circiter ſexaginta, & mox decreto Senatus damnati, quatuordecim ex illis igni cremandi, cæteri virgis cædendi Meldam remittuntur: nonnulli exilio mulctantur. Id Nouembri menſe accidit, quod ad diſſoluendam Regis cum Proteſtantibus amicitiam Cardinalem Turnonium quidam molitum prodiderunt. Proteſtantes ad Haidenæmum copias diuiſerunt: quæ ciuitatum erant, Auguſtam, Vlmámque ſe receperunt: cæteras inter ſe Saxo ac Lantgrauius partiti ille in Franconiam expugnata inter eumdum Gemunda, Lantgrauius domum reuertit,& Kal.Decembris ad forum Francorum,Saxo pridie Idus appulit: à ciuibus Saxo nouem nummûm aureorum millia extorſit:quadraginta Moguntino Pontifici imperauit: Fuldenſem Albatem,& pleraſque Bambergenſis,Herbipolenſiſque Pontificis vrbeis magno ære mulctauit. Quorum certior factus Cæſar omneis per litteras ſolatus, vt fortunam patienter tolerarent, hortatus eſt: ſe breui de Saxone, & Lantgrauio dignam ſuis ſceleribus vltionem ſumpturum. Interim ad Cæſarem Bophinga, Norlinga, Oetingenſis ager defecit:Norlingæ præſidium ad vicinam Oetingēſium Comitum arcem confugit,quæ deditionem quoque mox fecit. Exemplū ſequuta eſt Dinebelſpula,ac Rotembergum Imperij oppidum ad Duberum fluuium ſitum:quod Cæſaris exercitum largo commeatu,atque omni benignitate affecit:Rotemburgenſes autem neque ſe cum cæteris fœderatis conſenſiſſe,neque illis pecuniā,aut auxilia miſiſſe confirmarunt,quod Cæſar veriſſimum comperit. Deditis vrbibus Cæſar præſidium impoſuit, atque Halam opulentam Sueuiæ vrbem contendit, vbi podagra recrudeſcente aliquantā moram facere coactus eſt. Paulò antequam Halam appelleret, Rotemburgo circa Decembris Idus litteras ad Vldaricum Vuirtembergenſem regulum ſcripſit; quod Vuirtembergenſem agrum vnà cum Lantgrauio vi aduerſus Ferdinandum fratrem occupaſſet; Imperij oppida aliquot inuaſiſſet,tyrannidem non ſolum in Vuirtembergenſes, ſed etiā in vicinos Imperij ordines exercuiſſet, in læſæ Majeſtatis crimen ſine controuerſia incurriſſet:quod tamen illi cōdonarit; cuius beneficij immemor, ac prorſus ingratus ſe Proteſtantibus belli ſocium adiunxerit ſuis & Ferdinandi fratris clientibus crudeliter afflictis: quæ tametſi extremo ſupplicio, & bonorum proſcriptione mulctari debent,tamen,ne populus innoxius eius peccatum luat, edicere, vt ſe,ſuáque omnia victori Cæſari permittat: ſin non pareat,ipſum pariter,ac ſuos igni, ferróque perſequuturum, & dignas tantis ſceleribus pœnas ſumpturum: nec litteris, quas ſui purgandi ergo ante diem quartum miſerit tot criminibus ſatisfactum putet: litterarum exemplum non ſolum ad ipſum Vuirtembergenſem regulum, ſed ad Vuirtembergenſem quoque populum miſit: quem ſacramento,quod Vldarico dixerat,ſoluit.

Bophinga, Norlinga, Oetingenſis ager, Dinebelſpula ac Rotēbergum ad Cæſarem deficiunt.

Vldaricus Cæſari reconciliatur.

Burenus à Cæſare dimittitur, & inter redeūdum multa oppida Cæſari ſubiicit.

Iam tum Albanus in finibus agri Vuirtembergenſis conſederat:vnde perculſus Vldari- 31
cus in Tnelam arcem natura munitiſſimam extra Vuirtembergenſem agrum aufugit:inde ſupplices litteras ſeſe in omnem modum abiiciens decimortertio Kal. Ianuarias ad Cæſarem miſit, quibus menſe proximo Palatino deprecatore Cæſari reconciliatus eſt: Rotemburgo Cæſar Burenum cum ſuis dimiſit,& vt inter redeundum forum Francorum reciperet, ſi fieri poſſet, iniunxit: quod ille feliciter præſtitit: etenim ſub huius anni finem Haſſiam, quæ foro Francorum vicina eſt, latè populatus, Darmſtratum ad Rheni ripam tormentis pulſauit. Muris aliquot locis depreſſis oppidani de deditione egerunt, quibus parcens arcem incendio abſumptam euertit:mox copiarum partem Rheno ſuperato Moguntiam miſit: ipſe cum altera ad forum Francorum rectà contendit, tametſi exigua eius potiundi ſpe concepta:ciues Vlmenſium,Vuirtembergenſis Palatini exemplo per moti,quinetiam ne celebres eorum ad mercaturas conuentus Moguntiā, aut aliò à Cæſare transferrentur,metuentes,& de Saxonis,Heſſique fuga certiores facti legatos vrbem dedituros illi obuiam miſerunt. Vrbe potitus Burenus litteras de rebus à ſe feliciter geſtis ad Cæſarem dedit; & vt Francofurtenſes ad eumdem legatos mitterent,iuſſit: quibus à Cæſare admiſſis, & vrbem imperata facturam pollicitis iiſdem fere conditionibus, quibus aliæ ciuitates

reconciliati

Digitized by Google

reconciliati ſunt, imperatis ſcilicet octoginta nummûm aureorum millibus, & duodecim cohortium præſidio ex Bureni exercitu impoſito. Quadringentos equites Palatinus Elector ad Proteſtanteis ad Iugolſtadium caſtra habenteis miſerat: hinc animo conſternatus aditu ad Cæſarem per deprecatores impetrato Halam venit, pedibus eius aduolutus veniam implorauit. Cæſar grauiter increpitum, quod beneficiorum acceptorum immemor apud ſe aliquando educatus & affinitate iunctus (neptē enim illius ex ſorore Chriſtierni Daniæ Regis vxore in matrimonium duxerat) hoſtibus auxilia miſiſſet, vt nouis officiis, & fide non ficta erratum penſaret, hortatus in gratiam recepit. Paulum Fagium Palatinus Argentina, ſiue Argentorato Hildebergam accerſierat, vt nouam religionis perſuaſionem ſuis ditionibus inſtillaret: Cæſaris felicitate deterritus eadem abiecta in vetere perſeuerauit. Halam quoque acceſſerunt legati Vlmenſes, & culpam palam agnoſcentes, ſe, ſuáque Cæſari permiſerunt; quibus centum nummûm aureorum millibus, & tormentis duodecim mulctatis Cæſar reconciliatus eſt: vrbi nihilominus decem peditum cohortes præſidio impoſuit: nec multo poſt Hala profectus Albanum ſequitur, qui Vuirtembergenſem agrum prædabundus ingreſſus multa oppida, arceiſque, nuper item Hailbrunum in ſuam poteſtatem redegerat. Ad Cæſarem legatos miſit Vldaricus Palatino deprecatore vſus, & ſe imperata facturum promiſit. Tertio Nonas Ianuarij anni ſequentis his conditionibus, quæ mox dicentur, is quoque Cæſari reconciliatus eſt: quoniam per inualetudinem ad Cæſarē accedere Vldaricus non poteſt, legatos mittat, qui ſupplices Cæſaris miſericordiam implorent: idem ipſe intra menſem, & alterum dimidiatum faciat: decretis Cæſaris de Republica pareat: nullam Saxoni & Heſſo, ſed Cæſari, vt eorumdem proſcriptio executioni mandetur, opem ferat: nulla commercia Cæſaris hoſtibus in ſuis ditionibus permittat: nullum fœdus in quo Cæſar, Ferdinandus frater, atque adeo familia omnis Auſtriaca non comprehendatur, faciat: in eos qui aduerſus Cæſarem, Ferdinandum, eamdémque familiam militabūt, acerbiſſimè vindicet: nobilitatem quoque ne aduerſus eoſdē militet, iureiurādo adigat. Cæſari, quoties viſum erit, liberum per ſuas ditiones aditum præbeat: tormenta ſociorum in ſuis finibus relicta cum omni inſtrumento Cæſari bona fide tradat: in belli ſumptum trecēta nummûm aureorum millia, dimidium in præſentia, reliquum intra diem viceſimumquintū dependat: ſi qui è ſuis Cæſari ſe ſponte dediderūt, iiſdem ne fraudi ſit: Ferdinando fratri ius ſuum integrum relinquatur: Aſpergum, Circhenū, ſiue Circhembergum, Schorendorſum arceis Cæſari oppigneret, eius præſidiis tenendas: ſtatuta Burgundiæ minoris ipſe ac Chriſtophorus filius ſequatur. Hæc ſtata, firmáque ſunto, ſi intra ſeſquimenſem à Chriſtophoro filio, Ouirtembergenſíque populo rata habebuntur.

Palatinus Elector ad Cæſaris pedes veniam precatur.

32 Sub id fere tempus Genuæ ſeditio oritur, & in familiam Aurienſem grauis fit impetus Ioannino Auria cæſo: coniurationis princeps Ioannes Ludouicus Fliſcus fuit: qui niſi in ipſo tumultu dùm occupatis Genuæ naualibus de trireme in triremem tranſilit in mare delapſus demerſus fuiſſet, Aurias, vt veriſimile eſt, ex vrbe expuliſſet. Huius tumultus authores Farneſios, in primis autē Petrum Ludouicum Placentiæ regulum Cæſar ſuſpicatus eſt. Poſt Vuirtembergenſes, Memmingenſes, Rauesburgenſes, Cāpodunenſes, Iſnenſes legati ad Cæſarem acceſſerunt: cuius implorata clementia imperata ſe facturos, in fide erga Cæſarē ſanctè perſeueraturos, à fœdere cum Saxone, & Lantgrauio inito diſceſſuros, nullum aduerſus Cæſarē inituros iureiurando adacti in gratiam recepti ſunt: Memmingenſes quinquaginta nummûm aureorum millibus, cæteri pro cuiuſque vrbis facultatibus mulctati ſunt: antequam ad Cæſarem adirent, de religione ſibi caueri poſtularunt. Nauius, quo tum interprete Cæſar in hiſce pactionibus vtebatur, ne vllum verbum ea de re facerent, ſedulò monuit: ſatis enim belli initio Cæſarem cauiſſe: ſi id rurſus inculcent de Cæſaris decretis diffidere videbūtur; viciſſim Cæſar de eorum fide dubitabit. Nihil omnino poſtularunt: id factum putatur, ne ſi eorum poſtulatum Cæſar non admitteret, aliud, quam litteris belli initio diuulgatis agere videretur: ſin admitteret, ne Romanum Pontificem offenderet. Interea Saxoniam Saxo Elector ingreſſus Lipſiam circumſedit, & muris tormentorum impetu proſtratis impreſſionem pridie Idus Ianuarias fecit: id quidem fruſtra; itaque multis amiſſis ſub huius menſis finem obſidionem ſoluit, & mox non ſolum oppida ſua amiſſa, ſed & Mauriciana Lipſia ac Dreſda exceptis in ſuam poteſtatem redegit. Cæſar vbi Mauricij res in anguſtum adductas reſciuit, Albertum Brandeburgenſem cum lectis equitum, peditúmque copiis, Sandæum cum Hiſpanis, Melegnanenſem cum Italicis cohortibus illi auxilio miſit; & Eſlingenſibus ac Lindauienſibus in fidem receptis Vlmam conceſſit. Tum ad eum Auguſtani legati, atque inter eos Antonius Fuggerus adierunt: & quum reconciliari, niſi Scertelo tradito non poſſent, tempus ad reſpondendum petiuerunt: quo præſcripto quum legatione renuntiata Auguſtæ Senatus

Genuæ excitata ſeditio.

Saxo Elector obſidione cingit Lipſiam.

 haberetur,

Digitized by Google

haberetur,Scertelus non vocatus vltro acceſſit,& ne ciuitati obſit,ſe inde migraturum, & cum vxore ac liberis Conſtantiam Heluetiorum in exilium abiturum profeſſus eſt: poſt cuius diſceſſum legati Vlmam reuertuntur, & iiſdem fere conditionibus, quibus Vlmenſes in fidem recipiuntur, centum quinquaginta nummûm aureorum millibus imperatis, duodecim tormentis maioribus traditis,decem cohortibus in præſidium acceptis.

Tridenti conuentus qui in Iulij ſuperioris anni finem indictus erat,in Idus huius menſis 33
prorogatus eſt:vbi Pontifices ſua decreta de hominis iuſtificatione ediderũt,vt in Concilij actis videre eſt.Romæ damnatus fuerat(vt ſupra memini)Hermannus Colonienſis Pontifex ſurrogato in eius locum Adolpho Shauemburgio,quem ille coadiutorem,vt Romani pragmatici loquuntur,aliquot ante annis ſibi delegerat:vt latam ſententiã Cæſar exequatur Paulus Romanus Pontifex vrget: Cæſar propemodum victor Philippum Lalcenum Gueldriæ præfectum, ac Viglium Vnichemium iureconſultum Coloniam mittit, vt populus Colonienſis abdicato Hermanno Adolphum Pontificem agnoſcat. Facile aſſentitur ſacerdotum ordo (ferendæ enim ſententiæ author fuerat) nobilitas & reliqui populi bona pars à vetere domino recedere nolebat. Quum non parua diſſenſio intercederet, & ſeditionis metus eſſet, Cliuenſis regulus vicinus interceſſores adhibet. Hi ne bello vaſtetur prouincia Hermanno perſuadent,vt Adolpho Pontificatu cedat:qui quum octauo Kalen. Februarij fidem & iuſiurandum populo Colonienſi remiſiſſet, Adolphus in poſſeſſionem miſſus totam prouinciam ad veterem religionis perſuaſionem reduxit. Nouembri menſe ſuperioris anni vnam & viginti peditum cohortes, mille ducentos equites conſcribi Cæſar iuſſerat,quibus Indocus Gruningus Selandiæ præfectus dux erat:hic menſe Februario Saxoniam ingreſſus,ne qua auxilia ad Saxonẽ, Heſſũmque mitterentur, Conradũ Dekelburgium Comitẽ, Oſnabrugum, Mindámque oppida, Lippenſem Comitẽ,nonnullóſque alios Smalcaldici fœderis ſocios imperata facere coëgit,arcémque Ritbergũ cepit,poſtremo Bremam,ſed nequicquam circumſedit.Idibus Februarij Saxo ad Argentinenſes de rebus à ſe feliciter geſtis ſcripſit,vt ſua omnia recuperarit: Mauricium duabus vrbibus exceptis patrimonio ſpoliarit,fortunã rebus eius lætis, proſperíſque aduerſas,vti ſolet,miſcuiſſe: Vuirtembergẽſem regulum,Palatinum, & nonnullas Germaniæ ſuperioris ciuitates ad Cæſarem defeciſſe nulla religionis mentione facta: quod conſtanter in fide permaneant, collaudare,gratúmque habere, ſi ab hoſtibus premẽtur,ſe Galliæ Regis auxiliis,Heluetiorúmque tueantur:ſe propter bellum,quod nunc ſuis ditionibus à Cæſare impendeat,id officium nunc præſtare nõ poſſe:quo profligato ſe eorum rebus ex fœdere conſulturũ. Conuentum quem ad forum Francorũ indixerat, Magdeburgum tranſtuliſſe,vbi Saxoniæ ordines frequentes coire debent,& non pauci iam coierunt: ibi de rebus,quæ ad forũ Francorum reiectæ erant,conſultationem futuram.Eodem die Mendocius,ſiue Mendoza exul Hiſpanus Argentoratũ appulit,& aureos monteis Franciſci Regis nomine promiſit:at iam Senatus legationem ad Cæſarẽ mittere decreuerat:itaque ille re infecta abiit: centum nihilominus nummûm aureorũ millia Franciſcus ad Saxonem miſit, quæ vix pernumerata erant,quum ille pridie Kal.Aprilis Rambuleti in agro Pariſienſi diem ſuum obiit.Ad Lantgrauium quoque miſſa centena altera fuerunt:miſerant & in Angliam Proteſtantes,verùm Henricus anno ſui regni triceſimooctauo, ſuæ verò ætatis quinquageſimoſeptimo, quinto Kal. Februarij vitam cum morte commutauit relicto regni hærede Eduardo nouẽ annorum puero;cui filiam Mariam ex prima, deinde Iſabellam ex Anna Bolana ſecunda vxore ſubſtituerat: hic tametſi à Romani Pontificis obſeruantia defecerat,tamẽ Romanos ritus, veterémque religionis perſuaſionẽ obſeruarat.Eduardo filio ſedecim tutores,in primis autem Herfordenſem Comitẽ Eduardi auunculum teſtamento reliquerat:ad quem propter propinquitatem ex cæterorũ conſenſu tutelæ ſumma delata eſt:fuit ſanguinarius & immanis Henricus,ac planè tyrãnicus: omneis propemodum Angliæ principes,viróſque primatios crudeliter occidit: eorum principatus, aut magiſtratus nouis hominibus humili loco natis, nec virtute præditis condonauit, quos etiam mox non minus crudeliter fere omneis trucidauit. His cæſis populum inuſitatis tributorum indictionibus afflixit, & in omnium ordinum odium incurrit: paulò ante mortem iam ægrotans Northfolcium regulum, cuius magna fuerat authoritas, perpetuis vinculis detineri, filium eius capite plecti iuſſit, quòd neſcio quas voces ægrotanti ſuſpectas emiſiſſe falsò fortaſſe delatus fuiſſet.

Adolphus Schauemburgius in locum Hermãni Colonienſis Pontificis ſurrogatur.

Saxonis quæ feliciter geſta.

Henrico Anglo ſuccedit Eduardus nouennis.

Hẽrici Angli mores breuiter perſtricti.

Argentinenſes legati Norlingæ cum Cæſare podagra grauiter affecto his conditionibus 34
conuenerunt:nempe vt triginta nummûm aureorũ millia penderent,duodecim tormenta muralia traderent:abiurato fœdere Smalcaldico in Cæſaris fidem iurarent, ex vrbe Cæſaris hoſteis pellerent. Lætmeritiæ in Bohemiæ finibus conuentum egit Ferdinandus, vt Mauricio Bohemi opem ferrent,hortatus eſt:nonnulli Bohemiæ ordines operã ſuam promiſerunt.

Digitized by Google

miſerunt:plures niſi cæteri cõuocentur,ſe quicquam ſtatuere non poſſe reſponderunt.Poſt aliquantam nihilominus diſceptationem , quum Rex plurimum indignaretur, cuncti, qui tum aderant,eius poſtulatis aſſenſerunt. Sub Idus Februarias quum promiſſa vrgeret,Pragenſis nobilitas ad eum ſcripſit , vt quandoquidem ea res ad imminuendam Bohemorum libertatem ſpectare videretur,conuentum in decimumtertium Kal.Martias indiceret, vbi quod è regni vſu eſſet , ſtatuerent. Rem dilationem non pati reſpondet Ferdinandus , & Lætmeritiana promiſſa obiicit:conuentum in decimumquartum Kal. Maias pollicetur:ne vllũ interim agant,edicit. At Bohemi non expectato Ferdinandi reſponſo, quarto poſt ſcriptas ſuprà commemoratas litteras die conuenientes pro tuenda ſua libertate fœdus inierunt.Peruenerat iam in Saxoniam Albertus Marchio cum tormẽtis quatuordecim,decem cohortibus,mille quingentis equitibus,vt quidam tradunt:cui Rochliciam,qua tum Lantgrauij ſoror vidua potiebatur,Mauricius oppugnandam tradidit.Dreſſum Ferdinãdus,ſibi Friburgum Mauricius ſumpſit.Rochlicia facilè Marchio potitus eſt,cuius captæ admonitus Saxo,qui tum Aldeburgi erat,Erneſtum Luneburgenſem Volratúmque Mansfeltium cum parte equitatus,Recrodũ cum ſua legione Rochliciam noctu occultis itineribus præmittit,ipſe ſub auroram ſubſequitur : in exercitu autẽ triginta ſex cohortes,validum equitatum,ſed cuius numerus nõ traditur,habebat.Præmiſſi Saxonis equites,peditéſque Marchionis excubias partim cædunt,partim in fugam vertunt.Rochliciæ ſtatim tumultus excitatur:in ſuburbiis quatuor cohortes Albertus collocarat:ipſe perpotãdo noctis diéſque continuabat,eorum quæ accidere poſſent, ſecurus : tandem tamen experrectus cum his ſe hoſtibus opponit, ſed militum numero inferior oppidum verſus cõpellitur. Succeſſit Saxo cum cætero equitatu & cohortibus , & oppidum circumſedit , & è vicino monte in oppidum ſubiectũ tormentis fulminauit. Saxonicæ legiones ſuburbium dilapſis Alberti cohortibus, aliquótque equitibus Muldam fluuiũ partim natando, partim per pontem tranſmittentibus incenderunt : Albertus Marchio dum trepidus fugam quærit , ab Erneſto Luneburgẽſi captus ad Saxonẽ deducitur:ſex cohortes oppido præſidio relictæ cæteríque equites circiter quatuor horas ſe acriter defenderũt:deinde ſub conditione ne intra ſextũ menſem aduerſus Saxonẽ militarent,dimiſſi ſunt : in oppido mille,extra oppidũ & in flumine trecẽtos cæſos produnt.Saxo recepto oppido Aldeburgũ rediit:inde Albertũ Marchionem Gotam in cuſtodiã tradendum miſit:qui Bremã circumſedebant aliquã tum cladẽ acceperũt amiſſo duce Gruningo,cui Vrisbergerus in imperio ſucceſſit;& quod Amburgẽſes Bremenſibus auxilio veniſſent,caſtra longo anfractu propter paludes in aliã regionẽ tranſtulit.

Bohemi pro tuẽda libertate conſpirant.

35 Hæc in Saxonia,Bremæque Martio menſe gerebantur,interim dũ Cæſar Vlricum Vuirtembergenſem regulũ ſupplicem,& in ſella adductum(podagra enim grauiter afflictus pedibus conſiſtere nequibat) in gratiam recepit, & ad bellum Saxonicum profecturus Norlingam conceſſit : vnde Ericum Brunſuicenſem circa Idus dimiſit , vt equitatum , peditatúmque conſcriberet , ac Bremam deduceret. Hic Brandeburgenſis Elector pro Lantgrauio reconciliando ſedulo laborabat:ſed ille propoſitas à Cæſare conditiones vt nimium duras repudiauit : ibidem Mauricio præter Dreſdam , & Lipſiam adempta omnia. Albertum Brandeburgenſem captum,Saxonem rebus geſtis ſuperbum Bohemos gentem rerum nouarum ſtudioſiſſimam aduerſus Ferdinãdum fratrem incitare,vallem Ioachimicam auri , argenti , æris fodinis opulentam per Thimiſernum Saxonis nomine teneri audiit. Cæſaris nihilominus profectionem podagra nonnihil retardauit , qua remittente Nurumbergam contendit:atque ex itinere litteras ad Miſniæ ordines dedit:quibus Saxonem non ſolum Mauricio bonam patrimonij partem ademiſſe , ſed aliquot etiam Bohemiæ oppida inuaſiſſe,quorum Ferdinãdus frater patrocinium ſuſceperit,intellexiſſe ſignificauit:hinc è Sueuia mouiſſe,vt iſtã Saxonis audaciam retundat:monere, vt quà tranſiturus eſt , exercitum pabulo, frumento, cæteróque commeatu liberaliter iuuent, militéſque ex itinere feſſos humaniter excipiant : Mauricio pareant ſpreta Saxonis ſuperbia , quem intra paucos dies viribus omnibus fractum , prouinciíſque ſpoliatum egregiè vlciſcetur. Dedit litteras & ad Pragenſem conuentum, quibus ſe omni belli clade aduerſus Saxonem vſurum teſtatus eſt:proinde commeatum quanto opus eſſet , in caſtra ſua importarent : ne Saxonis litem ſuam facerent,hoc eſt,ne occaſionem darent,vt eiuſdem cladis participes eſſent. At Pragenſis nobilitas Ferdinandi iniuſſu,vt dixi,nono Kalend. Aprilis coierat , & Gaſparem Phlugium opibus & clientelis inter Bohemos potentiſſimum, ſi arma ſumerẽtur,ducem ſibi delegerat:id Ferdinando permoleſtum fuit : Phlugius enim ob patratum facinus agris aliquot mulctatus , & in exilium actus fuerat , & à Ferdinando deinde reuocatus. Pricciam iam cum exercitu in quo Mauricius , & Auguſtus eius frater

Ad bellum Saxonicum Cæſar proficiſcitur.

militabant, Ferdinandus appulerat; quem Pragenſes per litteras orant, ne exteras nationes in Bohemiam introducat, rem noui, & à ſe metuendi exempli; ſimul & Mauricio, atque Auguſto fratri comminantur. Reſpondet biduo poſt Ferdinandus nihil eſſe cur ſeſe commoueant: ſe illac iter inſtituiſſe, vt ſe cum Cæſare fratre coniungat: legatum in Bohemiam de renouando fœdere Nicolaum Minquitium Saxo miſerat: is per inualetudinem in itinere ſubſiſtere coactus mandata ſua per hominem à Bohemis ad ſe miſſum expoſuit. Bohemi quinto Kal. Aprilis ſe ab antiquo fœdere nolle diſcere Saxoni reſpondent, renouare Ferdinando ſibi imminente haud neceſſarium videri: ſi is vim inferat ſibi Saxo ſuppetias veniat, nullum poſtea pro ipſo diſcrimen viciſſim recuſaturis: Ferdinandum in vallem Ioachimicam contendere vulgo iactari: id ſi eueniat, ſe cum exercitu, quo res feret, occurſuros. Tertio Kal. Aprilis ad Morauos ſcribunt ne Hiſpanicã, Italicãmque ſocietatem Bohemicæ anteponant, & ſibi ad iniuſtam vim propulſandam auxilio ſint: quinque diebus ad exercitum reficiendum conceſſis Nurumberga Egram Cæſar petiit, quò Ferdinando ac Mauricio, vt ad ſeptimum Idus Aprilis ſibi præſto eſſent, denuntiarat: Egra Bohemiæ extra ſiluas Ferdinandicæ ditionis oppidum ad eiuſdem nominis fluuium ſitum eſt: qua in Saxoniam, Albimque, in quem ſe Egra fluuius exonerat, itur: vnde Cæſar ad Pragenſes litteras eiuſdem fere, cuius à me paulò antè commemoratæ ſunt, argumenti ſcripſit: niſi quod toto hoc bello ſe nemini religionis ergo infeſtum fuiſſe profeſſus eſt. Scripſit & Ferdinandus tertio Idus Aprilis eiuſdem quoque argumenti, niſi quod monuit vt ab armis diſcedant, ne pro Saxone pertinaciter intercedant: qui nihil tale neque de Cæſare, neque de ſe, neque adeo de Bohemis ita mereatur: de conuentu, quem petunt, ſe quod deceat, facturum pollicetur.

Ferdinandus frater ad Cæſarem cum exercitu ſuo contendit.

Hoc menſe Pontificum, qui Tridenti erant, pars Bononiam ſeceſſit Hieronymo Fra- 36
caſtorio Veronenſi medico propter aëris intemperiem ita conſulente. Hic à Paulo Romano Pontifice in ſingulos menſes ſexaginta nummos aureos recipiebat: pars altera, ſed rarior ibidem remanſit: Cæſar enim eam receſſionem indigniſſimè ferens, ſuarum ditionum Pontificibus ac Theologis ne illinc diſcederent, iuſſit. Pridie Idus Aprilis Burenus, qui cum duodecim cohortibus, equitibus quadringentis foro Francorum præſidio erat, Guilielmum Verdenſem ciuem, & Ioannem Geluſiũ Lantgrauianæ ditionis extremo ſupplicio addicit: à Lantgrauio ſubornati ferebantur, vt vnius portæ claueis ſibi conficiẽdas curarent: quatuor diuerſis locis, ſibique oppoſitis incendium facerent: tormentorũ meatus, quibus ignis inſeritur, clauis obturarent: vrbis puteos, præſertim illum, à quo in Bureni culinam aqua hauriebatur, item alterum, qui in curia erat veneno inficerent: Burenum, eius familiares, Senatum aſcitis ſociis trucidarent; quæ ſe imperaſſe ſcripto edito inficiatus eſt Lantgrauius: vt obſeruarent qua Cæſar, ac Burenus iter facerent, iuſſiſſe non negauit. Res quæſtione potius, quam teſtibus, aut certis indiciis conuicta, vt an iure puniti eſſent, dubitaretur, effecit: tametſi exploratores à ſe miſſos Lantgrauius confeſſus eſt. Idibus Aprilis Pragenſes ad Bohemiæ ordines ſcribunt, vt fœderi cum familia Saxonica iamdudum inito ſatisfaciant: de nonnullis, qui id violarint, queruntur: & Ferdinando eadem quæ ſupra commemoraui iterum inculcant: quo die Ferdinandus Olmucenſem Pontificem, & aliquot alios ad Pragenſem conuentum in decimumquartũ Kal. Maias indictum miſit, vt Bohemi nouum fœdus reſcindant, ab armíſque diſcedant, edixit: ſi non pareant, nihil aliud præterea legati agant: ſin pareant, ex præſcripto agant: nihil omnino decernant, omnia ad ipſum referant. Eodem die Cæſar Egra profectus cum Ferdinando, qui ſexcentos grauis armaturæ equites, Huſarones mille, decem cohortes habebat, cæteras partim in Bohemia, partim Egræ præſidio reliquerat, Brãdeburgenſis quadringentos equites grauiores, Mauricius atque Auguſtus mille equites, decẽ cohortes conferebant, cæteris Lipſiæ, & Zniccauiæ relictis, Miſenũ peruenit: ipſe Cæſar treis Germanorum peditũ legiones, quibuſcũ Hiſpanicas Italicáſque cohortes coniunxerat, Hiſpanos, Neapolitanóſque equites, mille cataphractos à Pruſſo, & Ioãne Brandeburgẽſi acceptos ſexcẽtos leuiores mercenarios Norlinga eduxerat: Saxo oppido relicto ſubliciũ pontem incẽderat, & non procul Mulbergo ad Albim conſederat: octo Saxonũ, totidem mercenariorũ peditum, equitũ tria millia in caſtris habebat: cæteras copias Gulielmus Thimiſernus ſecũ abduxerat. Cæſar ne Saxo euaderet, Vuittembergámque vrbẽ munitiſſimã ſe reciperet, celeritate opus eſſe animaduertens ad Albim caſtra poſuit exercitũ, aut vado aut ponte traiecturus: ex altera amnis ripa Saxonicorũ militum ſtationes Cæſarem tranſitu prohibituræ conſiſtebant, & pontẽ ex ſcaphis confectũ tormentis in ripæ crepidine diſpoſitis tueri deſtinabant. Cæſar fluminis accolas cõuocat, & vbi vadoſum ſit, inquirit: vadũ illi commonſtrant: ſed & Albanus eadem de cauſa vltra progreſſus alterum ruſtico, qui à Saxonibus malè habitus

Duo conſpiratores aduerſus forum Francorum dãnati à Bureno.

Digitized by Google

bitus fuerat, indicante comperit, idque ad Cæſarem retulit, verum & ibi Saxonicæ ſtationes diſpoſitæ erant. Cæſar priore vado peditatum præſertim traiicere cupiens tametſi agger altior hoſteis à tormentorum pilis, ſclopetorúmque glandibus tegebat, ipſe humili ripa, aperta, paucis duntaxat arbuſtis cooperta conſederat, mille Hiſpanos ſclopetarios inter arbuſta ſeſe, quoad poſſent, occulere, inde hoſteis glandibus obruere iuſſit: quibus mox & totidem alteros ſummiſit.

37 Saxones totum Cæſaris exercitum ſibi imminere cernentes, & Hiſpanorum audacia deterriti (in fluuium enim proruerunt humeris, & brachiis duntaxat extantibus) ſcaphas pontis, quas ad ſe retraxerant partim incenderunt, partim reliquerunt, & à fluuio receſſerunt, relictas Hiſpani arripuerunt: ſemper ſuis adhortator, ſpectatórque aderat Cæſar quum Hiſpani Albim trecentos ibi pedes latum tranſmitterent; & ponte ex ſcaphis quas partim aduexerat, partim ibi repererat confecto exercitum traiiciendum curauit. At Saxo interim concionem ſui miniſtri audiebat, neque duces rerum bellicarum peritos, & authoritate præſtanteis ad Albim reliquerat: nuncio de Cæſare appropinquante perturbatus cum trepidatione concionem dimiſit, & impedimenta, quæ Vuittembergam verſus præmiſerat, ſequi properauit. Cæſar altero vado Huſſarones emiſſos, & leuem omnem equitatum fugienteis hoſteis carpere, ac remorari iuſſit: ipſe cum tota graui armatura ſequutus eſt: peditatus de victoria certus quoad poterat, ad prædam accurrebat aliquantum in pontis tranſitu cunctatus: tribus ab Albi paſſuum millibus ad Lochanam ſiluam Saxonem Cæſar offendit. In priore acie, cui præerat Albanus quadringentos leuiores equites Lanoio, & Antonio Toletano ducibus, quadringentos quinquaginta Hungaros (cæteros ad inſpiciendum Torgæ ſitum Cæſar miſerat) centum Hiſpanos hipposclopiſtas, ducentos quoque Mauricianos hipposclopiſtas, ſexcẽtos cataphractos equites quos Mauricius, atque eius frater ducebant, ducentos viginti Neapolitanos Caſtrouilaro duce, qui huic bello interfuit, Ludouicus Auilla Hiſpanus Hiſtoricus numerat. In altera cum Cæſare quadringentos Germanos cataphractos, trecentos hipposclopiſtas, cum Ferdinando qui in eadem acie erat, totidem equites & præterea ducentos recenſet: vbi vero tum fuerint cæteri Hiſpani equites non meminit. Alij numerum equitum augent; pugnatum octauo Kal. Maias anno huius ſæculi quadrageſimoſeptimo: pugnam nouem horas ab vndecima matutina ad veſperam continuatam. Cæſar cum Ferdinando fratre, ac duobus liberis, & Philiberto Allobroge omne præſtantiſſimi ducis officium animi vigore corporis imbecillitatem ſuperans implebat. Acerrimus conflictus fuit præſertim cum Saxonum peditatu qui ſclopetis rem gerens, inde in ſiluam ſe abdens, deinde identidem exiliens multos ex Cæſarianis equites vulnerabat, nonnullos necabat: nam Cæſarianus peditatus nondum illuc appulerat: verùm tandem Saxones à Cæſariano equitatu vndique cincti, ac perrupti niſi nox interueniſſet, pene ad internecionẽ cæſi fuiſſent: quadringẽti partim ſiluæ, partim noctis beneficio euaſerunt, & Vuittembergã aufugerunt (nam vſque ad noctem protracta pugna eſt) inter quos Bichlingus ac Recrodus numerati ſunt. Tormenta maiora quindecim præmiſſa intercepta ſunt: poſtridie equites eã regionẽ diligentius peragrantes ſex præterea, & magnam impedimentorum vim in caſtra retulerunt: captus eſt Erneſtus Brunſuicenſis Philippi filius, atque adeo ipſe Saxo in læuam genam vulneratus, & ſiti ex pugna, fugáque prope enectus, tametſi cõcionem haud ieiunus audierat: duo cataphracti Hiſpani, quatuor Itali, atque Hiſpani leuis armaturæ, vnus item Huſſarus captũ detractis chirothecis ad Albanum deduxerunt, Albanus ad Cæſarem, quẽ Cæſar ob corporis obeſitatem in equo ſtare voluit. Tum Saxo: Tibi me clementiſſime Cæſar dedo, atque permitto. Cui Cæſar,
,, me nunc Cæſarem clementiſſimum appellas? At paulo antè me Carolum Gandauen-
,, ſem, qui me falsò Imperatorem inſcriberem tu, atque Heſſus appellare ſolebatis: dignum
,, tua temeritate exitum offendiſti: ego te, vt dignus es, excipiam. Ferdinandus etiam acer-
,, biùs obiurgauit: nouum Bohemorum fœdus obiecit: ſe, ac liberos è regno pellere, for-
,, tunis omnibus ſpoliare conatum eſſe: totam Bohemiam aduerſùm ſe concitaſſe, ſi præ-
,, lio ſuperior fuiſſet, ad ipſum defecturam, & pleraque alia id genus. Albanus Saxonem, atque Erneſtum Brunſuicenſem Alphonſo Viui cuſtodiendum dedit: ruſticum, qui alterum vadum indicarat, Cæſar centum nummis aureis, & duobus equis donauit. Cæſos eo prælio ex Cæſarianis quinquaginta duntaxat equites, ex Saxonibus pedites ad duo millia aut paulò plures, equites quingentos: cæteris noctem & ſiluæ latebras ſaluti fuiſſe quidam prodiderunt: peditum ſigna ad Cæſarem ſeptemdecim; equeſtria nouem relata: vnde maiorem factam cædem coniicere eſt.

Saxonis & Cæſaris occurſus.

Vtriuſque exercitus deſcribitur.

Pugna conſeritur.

Saxo ad Cæſarem adducitur.

Interfectorum in prælio numerus.

38 Biduo in campo victoriæ Cæſar commoratus mox Torgam progreſſus eamdẽ in fidem re-

 cepit:

cepit: inde Vuittembergam quarto Nonas Maij circumſedere cœpit: magnam tormentorum muralium vim Dreſſo exportandam, ingentem foſſorũ numerum pollicitus eſt Mauricius, illud quidem præſtitit: at foſſores vix trecentos cogere potuit. Bohemi Ferdinandi legatis quod fœdus recens fecerint, atque arma ſumpſerint, neque iniquũ, neque à Bohemiæ conſuetudine alienum eſſe reſponderunt: ſimul legatos eadem expoſituros ad Ferdinandum mittere decreuerunt: ſed antequam legati ex vrbe proficiſcerentur, de victoria Cæſaris, captóque Saxone in Bohemiam perlata fama eſt: tum mirandum in modum perterriti mutata ſententia commeatum pollicentur, vt Cæſarianus exercitus in Hungariam aduersùs Turcam, quem eò acceſſurum rumor eſt, deducatur, vtque alij Chriſtiani Reges ad huius belli ſocietatem inuitentur, rogant: ſe haud poſtremos futuros, vt Ferdinandus à Cæſare fratre impetret, ne quid durius de Saxone ſtatuat, vehementer obſecrant. At Cæſar triduo poſtquam Vuittembergam appuliſſet, Saxonem capite mulctandum pronuntiauit: cuius ſeueræ ſententiæ certior factus Ioachimus Brandeburgenſis ſeptemuir ſtatim ad Cæſaris caſtra properauit, & vt mitius cum illo ageret, impetrauit: Germaniam clementia potius, quàm crudelitate, ad officium reuocandam: Federicum huius patrem ſeptemuirûm omnium ſuffragiis Imperatorem deſignatum ſummũ ad ipſum abſentem, & in Hiſpaniis agentem magiſtratum transtuliſſe: victoriam cum militibus eſſe communem: clementiam qui victoriæ fructus vberrimus eſt, Cæſaris propriam futuram. Cæſar vel ea oratione mitigatus, vel natura ſua ad miſericordiam propenſus præter Albani, nonnullorúmque aliorum ducum ſententiam, qui Germanicam ferociam, leuitatémque nullo beneficio ad officium redituram exiſtimabant, & rectiùs fortaſſe ſentiebant, conditiones, quibus ei vita integra remaneret, & patrimonij pars relinqueretur, propoſuit: ac primùm, vt iis quæ Concilium vniuerſum Cæſárque de religione ſtatuerent, pareret: eam conditionem accipere Saxo recuſauit, cæteras quaſlibet ſe accepturum profeſſus. Cæſar qui ſe identidem non religionis, ſed rebellionis ergo bellum hoc ſuſcepiſſe in Germania prædicarat, tametſi aliud carmen apud Romanum Pontificem canebat, hominis pertinaciam animaduertens caput illud induci paſſus eſt.

Saxoni ne capite plectatur à Cæſare Ioachimus Brãdeburgẽſis impetrat.

Venia Saxoni data cõditiones.

Prima igitur conditio fuit, vt Saxo ſeptemuiratu cederet, neque in illum in poſterum 39
vel is, vel eius poſteri ius ſibi vindicarent: tum vt Gotham arcem munitiſſimam euerteret, oppidum, ſed deiectis munitionibus, quas illi inſtaurare haud fas eſſet, retineret integra ſibi ſupellectile, & annona: Vuittembergam cum tertia commeatus parte, & tormentis omnibus Cæſari traderet: Albertum Brunſuicenſem liberum dimitteret: viciſſim Cæſar Erneſtum Brunſuicenſem accepta prius ab eo fide liberum abire permiſit: quæ Pruſſiæ magiſtro, Mansfeldiis, Solmenſibus Comitibus hoc bello ademiſſet, ſtatim reſtitueret: iure Magdeburgenſi, Halbertatenſi, Hallenſi cederet: Senatui Spirenſi pareret: in quem ſumptum, quum is à Cæſare conſtitueretur, faceret: decreta Cæſaris, & Imperij ſeruaret: ne quid aduerſus eos qui Cæſarem ſequuti eſſent, moliretur: Henricum Brunſuicenſem ac filium è cuſtodia educeret: iis nullam actionem intenderet: à fœdere, quod contra Cæſarem, Ferdinandúmque feciſſet, recederet: nullum in poſterum, in quo ipſi non comprehenderentur, faceret: Cæſaris beneficio in Thuringia caſtella, & agros poſſideret, qui ad eius liberos, poſteróſque deuenirent, ſi ipſe, ac Saxonicus populus ſuperiora capita, & quæ mox ſequentur, rata haberet: cæterum eius patrimonium fiſco adiudicatum, Cæſaríque commiſſum partim Ferdinando, partim Mauricio, cui & patrimonium ademptum reſtitutum, vnà cum ſeptemuiratu condonatum eſt: ea tamen lege vt Saxoni, eiúſque liberis quinquaginta nummûm aureorum millia annuis penſionibus dependeret, ſiquidem ita Cæſari videretur: præterea ad diſſoluendum Saxonis æs alienum ante fœdus Smalcaldicum conflatum centum nummûm aureorum millia Saxoni, eiúſque liberis numeraret: æs alienum bonis Saxonis fiſco adiudicatis, quibus Mauricius donatus eſſet, annexum, ac veluti iniectum refunderet: captiuus Cæſarem, aut eius filium Hiſpaniarum principem ſequeretur: in fœdere Bichlingus, Ringrauius, Albertus Mansfeldius, Recrodus Thimiſernus non comprehenderentur: ſi tamen hic intra menſem exercitum dimittat, comprehendetur. Quibus capitibus decimoquinto Kalen. Iunij aſſenſus remiſſo mox Vuittembergenſium præſidiariis militibus ſacramento vrbem duodecimo Kalen. Iunij in Cæſaris poteſtatem redegit: centum & viginti maiora tormenta Vuittembergæ reperta Cæſari tradidit: eductis Saxonicis præſidiis Vuittembergam Cæſar quatuor Germanorum cohortes Nicolao Madrucio præfecto immiſit.

Saxonis vxor ad Cæſarẽ pro viro deprecatura accedit.

Sibylla Saxonis vxor cum filio & viri fratre à Ferdinandi liberis, ac Ioanne Bran- 40
deburgenſi deducta, & frequenti Germanorum nobilium cœtu comitata ad Cæſarem pro viro

Digitized by Google

viro deprecatura in caſtra acceſſit: quam humaniter acceptam Cæſar bona ſpe impleuit, & vt Saxo vna cum ipſa, & liberis octo dies Vuittembergæ traduceret, permiſit. Biduo poſt immiſſum Madrucium Ferdinandus cum filiis Brandeburgenſi ſeptemuiro, ac Mauricio vrbem inuiſit: nec ibi diu moratus in caſtra rediit: à meridie Cæſar vrbem quoque ingreſſus eiuſdem atque arcis munitiones inſpicere voluit, vbi ſalutata iterum Sibylla eam bono animo eſſe iuſſit, atque in caſtra reuerſus eſt. Interim Lazarus Schuendius cum duabus cohortibus ad demoliendam Gotham arcē miſſus eſt, niſi ea à fundamentis euerſa pedem inde haud mouere iuſſus: vnde Albertū Brandeburgenſem eduxit, qui ſtatim ad Cæſarem pro recepta libertate gratias acturus ſe contulit. Id fere temporis Ericus Brunſuicenſis ab Orientalibus copiis quas Lubecēſes, Hamburgenſes, cæteræque ciuitates Bremenſibus auxilio miſerant (harum autem Albertus Mansfeldius, Hedecus Thimiſernus, Conradus Phemingus præcipui duces erant) obſidionem ſoluere coactus, ac profligatus vix cum parte equitatus ſuperato Virſurgi fluuio elapſus ad Cæſarem confugit, & ſe non ſolùm de vigiliis negligenter actis, quod illi nonnulli obiiciebant, purgauit; ſed & culpam in Vrisbergerum, qui alteram exercitus partem ducebat, nec ipſi opem tulerat, contulit: & copiæ illæ intellecta Saxonis cum Cæſare pactione dilapſæ ad ſuos ſingulæ reuerterunt. Ex caſtris Vuittembergenſibus Cæſar ad Imperij ordines ſcripſit, vt noui fœderis concipiendi ergo Vlmæ Idibus Iunij conuenirent: quo Auguſtanum Cardinalem, Ioannem Brandeburgenſem, Ioannem Liranum, Henricum Haſium legatos miſit: miſit & Ferdinandus. Interim Brandeburgenſis ſeptemuir, ac Mauricius de reconciliando Cæſari Lantgrauio diligenter agentes, vt ſe publica fide Cæſari ſiſteret, procurabant: quæ dum pertractant, legati à coniuratis Bohemiæ proceribus ad Cæſarem adeunt: quos ille modeſtè caſtigatos ſine mulcta domum paucis poſt diebus remiſit.

41 Poſt multam inter ſupra commemoratos principes, ac Chriſtophorum Eblebum Lantgrauij familiarem altercationem tandem conuenit, vt Lantgrauius ſuas omneis prouincias, agros, caſtella, oppida, arceis ſine vlla conditione Cæſari dederet, munitiones omneis demoliretur, Zephenhemo, aut Caſello exceptis, quorum alterum ad ſui cuſtodiam reſeruaret, ea tamen lege vt præſidiarij milites, atque præfectus in Cæſaris verba iurarent, nullas in poſterum vel vrbeis, vel arceis niſi Cæſare permittente muniret: tormenta omnia cum omni inſtrumento Cæſari traderet: ex quibus Cæſar quot ad eius arcis, quam ſibi reſeruabit, propugnationem neceſſaria erunt, largietur: ſupplex Cæſaris pedibus aduolutus noxam ſibi condonari poſceret, quæ Cæſar pro Repub. decreta faceret, obſeruaret: Senatus Spirenſis placitis bona fide pareret: in quem ſumptum pro ſuis facultatibus faceret: auxilia aduerſus Turcam quemadmodum & cæteri principes mitteret: omnia fœdera contra Cæſarem, Auſtriacámque familiam facta, præſertim Smalcaldicum reuocaret: nullum fœdus in quo Cæſar, ac Ferdinandus non comprehendentur, deinceps iniret: epiſtolas quaſuis ad quoſuis ſcriptas Cæſari redderet: hoſtibus Cæſaris ſuis ditionibus interdiceret: ne quos Cæſar, quod in ſe arma tuliſſent, punire volet, tueretur: Cæſari, eiuſque copiis per ſuas prouincias liberum trāſitum ſuppeditato commeatu præberet: in populum ſibi obnoxium, qui in poſterum aduerſus Cæſarem arma capiet, extremo ſupplicio animaduerteret. Si qui adhuc in armis ſunt, nec intra quatuordecim dies arma ponent, eorum bona Cæſari addicerentur: centum quinquaginta nummûm aureorum millia intra quartum menſem Cæſari dependeret: Henricum Brunſuicenſem eiúſque filium è cuſtodia liberaret, patrimonio eidem reſtituto, & ſacramento populo eius ditionis remiſſo (quod ad damni dati actionem attinet) cum eodem modeſtè diſceptaret: quicquid Pruſſiæ magiſtro, aliiſque principibus vi ademiſſet, reſtitueret: captiuos ſine mulcta dimitteret: hæc ſi ipſe, ac liberi, Haſſiæque nobilitas, ac populus comprobabunt, rata ſunto: pro quibus Brandeburgenſis ſeptemuir, Mauricius, ac Volfangus Palatinus fideiuſſerunt.

Quibus conditionibus Lantgrauius in Cæſaris gratiam receptus.

42 Poſtridie Nonas Iunij Cæſar caſtra moturus Vuittemberga præſidium reuocauit: Mauricius ſeptemuiratu, & multis Saxonis bonis, eaque præſertim vrbe donatus è ſuis copiis cohortes aliquot in eamdem immiſit: in arce Senatum habuit: antiqua priuilegia, patrias leges, iura municipalia confirmauit, ſe potius aucturum, quam imminuturum profeſſus: ciues in fidem iureiurando adegit. Illi vt gymnaſium literarium recenti hoc bello dilapſum inſtauret, orant: quod ille prolixè ſe facturum pollicetur: ruſticos vagos in ſua prædia, villas, cæteraſque poſſeſſiones reuocat: ad domos reparandas ligna è ſiluis publicis largitur: frumentum in ſementem gratis egenis, ditioribus mutuum dat: Iulium Phlugium Numburgenſi Pontificatu donat pulſo Ampſtorfio, quem Saxo in Phlugij locum ſurrogarat. Conuentum Vlmenſem peſtis violenter graſſata diſſoluit: is Auguſtam in Kal. Septembris

Conuentus Vlmenſis Auguſtā eſt tranſlatus.

VVv 4 translatus

Digitized by Google

tranſlatus eſt. Cæſar interim Halam ad Salam fluuium ſitam contendit: inde in Haſſiam
tranſiturus, quod Lantgrauius conſilij incertus propoſitas conditiones implere cunctare-
tur: tandem 14. Kal. Iulij à Mauricio & Brandeburgenſi ſeptemuiris Halam ſub occaſum
Solis deducitur, & à Mauricio genero lauta cœna excipitur. Eadẽ veſpera Henricus Brun-
ſuicenſis cũ filiis Carolo, & Philippo atque Erico Brunſuicenſi, qui poſt aduerſum prælium
ad Cæſarem cõfugerat, Halam appulit: poſtridie vt capitibus Maurico, ac Brandeburgenſi
propoſitis Lantgrauius ſubſcriberet, à Cæſare Chriſtophorus Carlebicius mittitur. Addita
erant nonnulla, nempe Cæſaris vnius eſſe ſingula capita interpretari. Recuſat ille primum,
quod huius capitis facta antea nulla mentio fuiſſet: deinde licet inuitus ſubſcripſit: ad-
ditur & aliud, vt ſcilicet Tridentini Concilij decretis pareat. Id verò ille longè moleſtius
tulit, & ne Saxonem quidem, aut ciuitates, quæ Cæſari reconciliatæ ſint, id aſſenſiſſe, aut
ſubſcripſiſſe reſpondit. Inſtant Cæſariani importunius, & Cæſarem iamdudum in ſoliõ
ſedentem illum operiri, & dilationem moleſtè ferre denuntiant: maturet, ne quid in illum
Cæſar grauius ſtatuat. Ea importunitate victus liberi, pij, vniuerſi Concilij decretis ſe
ſtaturum, & quemadmodum Mauricius ac Brandeburgenſis aſſentientur, aſſenſurum ſub-
ſcripſit. At illi ſe nunquam ab Auguſtana perſuaſione, ſiue cõfeſſione diſceſſuros promiſe-
rant. Tum ſub horam quintam pomeridianam à Mauricio, ac Brandeburgẽſi ad Cæſarem
deducitur: corã Cæſare conſtitutus in genua procubuit, ac prope ipſum Guntherodus eius
Cancellarius: qui licet breuem, tamen de ſcripto huiuſmodi orationem habuit. Aduerſum
te, potentiſſime Cæſar, Philippus Lantgrauius recenti bello ſe vehementer deliquiſſe, &
læſæ tuæ Majeſtatis conuinci cõfitetur, quod & ſilentio ſuo teſtatur: idcirco ſe tibi, ſuáque
omnia permittit, vtque ſibi ignoſcas, eundémque in tuam fidem recipias ſuppliciter obſe-
crat: quemadmodum viris principibus pro ipſo nuper deprecantibus promiſiſti. Id ſi impe-
trabit, maieſtatem tuam omnibus in poſterum obſequiis, quæ præſtari poſſunt, colet, vene-
rabitur, adorabit. Ad ea Cæſar, vbi paululum deliberaſſet, per Georgium Seldum: Quan-
quam Lantgrauius id ſcelus admiſit, quod nullam veniam mereatur, tamẽ clementia mihi
inſita, quam ſatis in alios quoque declaraui, virorum illuſtrium pro ipſo deprecãtium pre-
cibus multũ tribuens vitam illi remitto: ex eius bonis nihil, niſi quod in pactionis formula
continetur, attingo: popularibus eius, nobilitatíque noxam cõdono, modò pactionis tabu-
las ratas habeant, & perpetuum hoc meum beneficium agnoſcant.

Lantgrauius ad Cæſarem deducitur. Guntherodi Cãcellarij pro Lantgrauio hero ſuo oratio.

Spectatores aderant Maximilianus Auſtriacus, Philibertus Allobrox, Albanus regulus, 43
Mauricius, ac Brandeburgenſis deprecatores, Pruſſiæ magiſter, Atrebatenſis Numburgen-
ſis, Hildeſemius Pontifices, Henricus, Ericus, Carolus, Philippus Brunſuicenſes Romani
Pontificis, Bohemiæ, & Daniæ Regum, Cliuenſis reguli, & nonnullarum maritimarũ ciui-
tatũ legati, ingens præterea Germanorum procerum, ac virorum nobilium, exterarumque
gentium multitudo, quorũ plerique Lantgrauium ſe potius, quàm ad Cæſaris genua pro-
cũberet, extrema omnia ſubiturum prædicantẽ ſæpius audiuerant, ad tantum, & veluti no-
uum ſpectaculũ confluxerat. Gratias deinde Cæſari pro beneficio Lantgrauius egit, atque
in pedes ſe erexit Cæſare non iubente, neque dexteram, vti ſolebat, porrigente: tum Mau-
ricius, ac Brandeburgenſis ipſum adeunt, & cœnam ipſi, ſibique apud Albanũ in arce con-
dictam renuntiant, vbi cætera eius negotia tranſigantur: à cœna Mauricius ac Brandebur-
genſis cum Albano, & Atrebatenſi ſermones aliquandiu conferunt: Lantgrauius, vt tẽpus
falleret, aleæ operam dedit. Poſt longum colloquium Mauricius, & Brandeburgenſis Lãt-
grauio illic ſub cuſtodia pernoctandum eſſe denũtiant. Re necopinata perturbatus publi-
ca, priuatáque illorum fide ſe eò acceſſiſſe intulit: ſi vtraque violetur, videant qui ſe aut
Cæſarẽ præſtito vtrobique ſacramento liberent. Illi, vnáque aliquot eorumdem conſiliarij
totam eam noctem cum Lantgrauio traduxerunt: poſtridie ad Cæſarem adeunt: is de per-
petua cuſtodia Lantgrauio cauiſſe, cæterum ad tempus certum retinere ſtatuiſſe reſpõdit;
cui & biduo poſt, vt ſe comitetur, denuntiat. Queritur ille grauiùs apud ſuos deprecatores,
qui ſe priùs quàm liberetur, ab aula Cæſaris nunquam diſceſſuros pollicentur: deinde vna
cum illo Numburgum proficiſcuntur, vt eius cauſam apud Cæſarẽ agant, vbi durius etiam
reſponſum accipiunt: vnde Lãtgrauio per Carlebicium ſignificant, ne moleſtè ferat, quod
longiùs non progrediuntur: Cæſarem enim prohibere, cui neceſſariò parendum ſit, ne ille
in Hiſpaniam ablegetur: ſi tamen illa centum, & quinquaginta nummûm aureorum millia
numeret, & de cæteris conditionibus caueat, ſperare vt intra decimum quartum diem li-
beretur: ſe breui Auguſtam ad conuentum profecturos, & nihil, quod ſui officij ſit, præter-
miſſuros. Lantgrauius libertatis recuperandæ ergo pecuniam ſibi indictam expedit: vrbeis,
arcéſque demolitur, tormenta omnia, vt iuſſus erat, tradit. Ad quingenta muralia eo

bello

Digitized by Google

bello è Germania deportata produnt, & partim Neapolim, partim Mediolanũ, quinetiam & in Hiſpaniam, & in Belgium miſſa Germanicæ ſcilicet victoriæ egregia monumenta.

44 Magdeburgenſibus Cæſar bellum inferre decreuerat Vuittẽberga bidui itinere diſtantibus: ſed vel quod Henricus nouus Galliæ Rex per Sebaſtianum Vogesbergium decem Germanorum peditum cohortes conſcribi iuſſerat, in ſuſpicionem adductus, vel Magdeburgenſes commodius aliquando ad officium redituros ſperans bellum illud in aliud tempus diſtulit. Paulus Rom. Pontif. de Cæſaris victoria certior factus in frequenti Cardinalium Senatu eumdem maximi fortiſſimique cognominibus decorauit. Cæſar Hala profectus Bambergam petiit, vt Bohemos vicinus terreret: & quinto Kal. Iulias Melegnanenſem Marchionem cum octo Germanorum peditum cohortibus ad Ferdinandum miſit. Ferdinandus, qui tum Lætmericiæ erat de capto Lantgrauio admonitus, & nouis auxiliis auctus Kalendis Iulij ad Pragenſes ſcribit, vt pridie Nonas ſibi in Pragenſi arce præſto ſint, vt cauſam illorũ cognoſcat: illuc cum exercitu appulſus Pragenſes in crimen læſæ Majeſtatis incurriſſe pronuntiat. Pragenſes ne ſecum ſummo iure agat, obſecrant, ſeſeque eidem permittunt: à Ferdinãdo filio, atque Auguſto MaurICij fratre exoratus ſexto Idus conditiones reconciliationis proponit, vt ſcilicet proximo conuentu illud nuper in Saxonis gratiam factum fœdus reſcindant ſigillis omnibus abraſis: priuilegiorum, immunitatúmque tabulas ipſi tradant, vt quæ videbuntur, corrigat: alia aboleat, tabulas nouas in illarum locum ſupponat. Tradant & tribuum, ſodalitiorúmque tabulas, vnde tumultus magna ex parte ſuboriri ſolent: arceis dedant: omni iuriſdictione, & vectigalibus cedant. Ceruiſiæ quoque vectigal in triennium promiſſum perpetuo dependant: tormenta, atque omne bellicum inſtrumẽtum in arcem, quæ quiſque priuatim habet arma in curiam comportet. Hæc ſi exequantur, ſe noxam illis condonaturum confirmat, exceptis nõnullis de quibus ſupplicium ſumere decreuit: atque ita quinquaginta, qui in carcerem coniecti erant, dimiſit. Pragenſes ſe imperata facturos promiſerunt; quorum exemplum cæteræ ciuitates ſequutæ ſunt. Viri quidam nobiles, qui citati ad diem non affuerunt, lata ſententia læſæ Majeſtatis conuicti pronuntiantur: in Gaſparis Phlugij caput, qui rebellium dux deſignatus erat, fit decretum: ei qui hominem confecerit, quinque nummûm aureorum millia in præmium proponuntur: in proximo conuentu, quæ Rex antea poſtularat, omnia propemodum impetrauit. Cæſar Vlmenſem conuentum peſte ingraueſcente diſſolutum Auguſtam in Kal. Septembris, vt dixi, quinto Nonas Iulij transfert, & Bamberga digreſſus Nurumbergam redit: Saxoniæ aliquot ciuitates in gratiam recipit, litteris diuulgatis quibus conditionibus cum Lantgrauio conuenerit, poſtridie Idus Iulij explicat; & ne quis imprudens in eius prouincias inuadat, vt omnes vi abſtineant, ſiquam in illum actionem habent, lege agant, mandat.

Cæſar à Paulo Rom. Põt. maximi & fortiſſimi nominibus inſignitur.

Pragẽſes Ferdinãdus læſæ Majeſtatis reos declarat, ſed ab eis exoratur.

45 Interim autem dum ſubactæ Germaniæ quas vult leges victor imponit, grauis Neapoli ſuborta ſeditio eſt: Petrus Toletanus Prorex inquiſitionem Hiſpanicam inducere conabatur, à qua ciues abhorrebant: quum multæ cædes vtrimque fierent, Hiſpani, qui arceis tenebãt, ſuperiores euaſerunt: Neapolitani plerique aut morte, aut exilio mulctati fuerunt. Hæc inquiſitio primùm à Ferdinando Tarraconenſi & Elizabetha in Hiſpania inſtituta fuit aduerſus Iudæos, qui poſt baptiſmum, ſiue tinctionem Chriſtianam veteres ſuos ritus legéſque retinebant: deinde noſtro tempore ad eos qui Lutheraniſmum profitentur, tranſlata eſt. Cæſar Auguſtanum conuentum expectans pecuniam in belli ſumptus à principibus & ciuitatibus tam Pontificiis, quam Lutherianis exegit: qua nobilitas omnis, & præſertim, qui Proteſtantibus militauerant, mulctati fuerunt: vnde decies ſexies centena nummûm aureorum millia confecta produntur. Georgium Vuittembergenſem, Albertum Manſfeldium, Ioannem Hedecum, Ludouicũ Octingenſem patrem & filium proſcripſit: huius tamen poſſeſſiones aliis eiuſdem filiis, quorum erga ſe ſtudium probabat, attribuit: quas & aliquot pòſt annis eidem reſtituit. Lubecenſes legati ad Cæſarem acceſſerunt, & ſe neque eius hoſtibus auxilia, neque ſtipendium miſiſſe, neque fœderi Smalcaldico ſubſcripſiſſe docuerunt: quos Cæſar collaudatos & in fidem receptos dimiſit. Bremẽſes per Daniæ Regem Cæſari reconciliari cupiebant, in idque vehementer incũbebant. Hamburgenſes Nurumbergenſium diligentia Cæſari quidem reconciliati, at magno ære mulctati fuerunt. Exegit & Ferdinandus à ciuitatibus Proteſtantibus pecuniam propter bellum ſuis ditionibus illatum ab Auguſtanis (inquam) atque Vlmenſibus, aliiſque nonnullis. Vlrico autem Vittembergenſi de tota prouincia litem intendit: neque illi profuit, quod duriſſimis conditionibus Cæſari reconciliatus fuiſſet.

Neapoli propter inquiſitionem grauis ſeditio exoritur.

Inquiſitio Hiſpanica.

46 Sub finem Iulij Cæſar cum Saxone captiuo Auguſtam iniit: nam Lantgrauium Danouerti (Danouerdam quidam vocant) Hiſpanis cuſtodiendum reliquerat, qui mox per Germaniam

Cæſar Auguſtam ingreditur, & Chriſtiana ſacra reſtaurat.

Digitized by Google

Germaniam circumducti,atque inde in Brabantiam deducti in cuſtodia remanſerunt,donec Cæſare à Mauricio Oenipōte in Carinthiam pulſo in ſuas prouincias remiſſi fuerunt. Vrbi præſidio erant decem Germanorum peditum cohortes,in finitimis agris Hiſpanicæ, Italicæque copiæ ſtatiua habebant:& ab inferiore Germania ſexcenti equites acceſſerunt: à quibus vt immunes eſſent, Memmingenſes triginta, Campodunenſes viginti nummûm aureorum millia dependērunt.Pridie Idus Auguſti Girardus Veltuicus à Solymano rediit, impetratis in quinquennium induciis.Cæſar primarium tēplum vbi ante Lutheraniſmum receptum Pontifex & Canonici(vt vocantur)ſacra faciebant,& alia quædam ſibi ſumpſit: cætera Senatui , populóque permiſit. Pontificij ſua templa à Lutherianis polluta Romano ritu expiarunt.Concionandi in primario templo munus Michaëli Sidonio Moguntino vicario Epiſcopo datum,qui multas de ſacra liturgia, (quam miſſam vocant) conciones habuit,quas & paulò poſt edidit. Conuētus celeberrimus,ac frequentiſſimus fuit:ſeptemuiri omnes aderant , atque inter eos duo nuper ad eum dignitatis gradum vocati Adolphus Colonienſis,ac Mauricius Saxo,Ferdinandus Rex cum duobus filiis Maximiliano ac Ferdinando,Chriſtophorus Madrucius Tridentinus,atque Otho Trucesius Auguſtanus Cardinales,Henricus Brunſuicenſis,Cliuenſis regulus,Maria Cæſaris ſoror,Chriſtierna ex ſorore neptis Franciſci Lotharingiæ reguli vidua,atque alij plerique Germani proceres,tum ciuitatum legati vt ſe Cæſari commēdarent. Maximilianus Auſtriacus pauca Cæſaris nomine præfatus eſt : Cæſar de ſcripto per ſcribam,vt ſolet,propoſuit , ſe pro ſingulari ſuo in Germaniam ſtudio ſemper vt inter ſe bene conueniat,qui primus eſt Reipub.bene conſtitutæ gradus, laboraſſe;& vt vetera ſua officia omittat,conuentum ante biennium Vormatiæ egiſſe:quo quum pauci admodum coiiſſent,eumdem Ratisbonam tranſtuliſſe : illuc ſe primum omnium,tametſi infirma,aut potius ægra valetudine erat,acceſſiſſe:qúmque eos ad quos ſcripſiſſet,expectaret,vix paucos tamen affuiſſe:quorum nonnulli etiam eius præſentiam dedignati ſe inſcio diſceſſerint,vnde & cæteris quoque abeundi poteſtatem fecerit:ſic conuentum illum non ſine inſigni ſua ignominia diſſolutum,quod quoniam aſtutis quorundam obtrectationibus eueniſſe cognouiſſet , neceſſario remedium adhibendū exiſtimaſſe:vt Concilium vniuerſum Tridentum indiceretur,perfeciſſe:fontē enim omnium Germaniæ diſſidiorum è religionis cōtrouerſiis emanaſſe perſpicuum eſſe:idcirco primam hac de re futuram deliberationem:proximam de iure dicūdo,quod iamdudum nullum in Germania dicitur. Decretum quidem fuiſſe quomodo Senatus Spirenſis conſtitueretur: at multa incidiſſe,quæ decretū hoc ſuſpenſum tenuerunt.Nuper autem principes aliquot, ciuitatéſque promiſiſſe ſe iuriſdictioni,quam ipſe conſtitueret,obtēperaturos,in eamdémque ſumptum facturos,petere,vt huiuſmodi procuratio ſibi committatur : daturum enim operam vt ius omnibus æquabile dicatur , digníque homines hoc munere deligantur : & quandoquidem propter intermiſſa iudicia non parua litium increuit multitudo, vt decem extra ordinem addantur,commodius videri.De Turcicis auxiliis tum quum Ferdinandus frater aderit,& pactas inducias explicauerit, agēdum:illos autem admonere velle priuatos quorundam conuentus,qui publicum anteuertant,ſibi non probari : palam enim,ac liberè in publico conſeſſu dicendæ ſententiæ : neque cum aliquibus præiudiciis, quæ in priuatis conuentibus ſæpius adornantur,ad cauſam publicam accedendum:hæc eſſe de quibus ad ipſos referendum putauit : itaque quid viciſſim ſentiant, liberè pronuntient.

Auguſtæ cōuentus celeberrimus.

Cæſaris rationes & capita deliberationum in conuētu proponuntur.

Cæſar ægrè ferens Tridentinum Concilium eſſe diuiſum, & Pontificum maiorem partem Bononiam ſeceſſiſſe , Epiſcopis qui Auguſtæ coierant, author fuit, vt ad Paulum Ro- 47
manum Pontificem poſtridie Idus Septemb. ſcriberent,& quanto in periculo propter varias de religione cōtrouerſias Germania verſetur,exponerent : amplam eſſe Germanorum Pontificum iuriſdictionem vt turbulentis hiſce temporibus longius inde abeſſe non debeant:Concilium Tridētum indictum fuiſſe,quod magis ad Italiam,quàm ad Germaniam pertinet,ideóque paucos è Germania illuc acceſſiſſe,quorum Concilio adeſſe maxime intereſſit. Quid?quod nunc Bononiam transfertur quid id aliud eſt,quàm Concilium omnino diſſoluere?ſe totos viginti ſeptem annos cum pleriſque Imperij ordinibus conflictari,quorum numerus quotidie augetur, ſuorum imminuitur : hinc bella pleraque emerſiſſe : hinc cædes vbique factas quibus vix Cæſar ipſe modum aliquando ſtatuere potuerit : Romanam Remp. quaſi ſolidiſſimam religionis columnam ſemper venerationi fuiſſe : ad quam omnes pij Chriſtiani tamquam ad terreſtre numen cœleſtis illius majeſtatem, bonitatémque repræſentans confugere conſueuerint. Videat igitur Romanus Pōtifex Chriſti legatus vt antiquæ illi, & huc vſque continuatæ exiſtimationi ſatisfaciat:niſi enim prouideat,alias huiuſce tragœdiæ finiendæ rationes ineundas:diſcrimē præſens ita vrgere,vt liberiùs loqui cogantur:

Tridētinum Conciliū diuiſum eſſe moleſtè fert Cæſar ; eade re vt ad ſummū Pōt. ſerio ſcribat Epiſcopi author eſt.

Digitized by Google

cogantur: quod vt æqui, boniqúe conſulat, obnixè precantur. Poſtulatis Cæſaris non omnes ſeptemuiri vno modo reſponderunt: ſacrati antiſtites Moguntinus, Colonienſis, Treuirenſis ſine vlla conditione aſſenſerunt: in quorum ſententiam Ferdinandus Bohemiæ Rex haud dubiè quum appuliſſet, diſceſſurus erat: Mauricius autē, Palatinus, Brandeburgenſes legati Tridentinum quidem Concilium non recuſabant modo pium, ac liberū eſſet: in quo Romanus Pontifex non præſideat, ſed Epiſcopis iuſiurandum, quo illi addicti eſſent, remittat: modo ſui Theologi decidendi facultatem habeant, & iam facta decreta retractentur: decimo quinto Kal. Nouemb. vt ſe omnes ſubmittant, Concilióque pareant, Cæſar inſtat. Mauricius nouo beneficio auctus, & de Lantgrauio ſocero ſollicitus, & Palatinus qui nuper ad veterem perſuaſionem redierat, nono Kalend. Decembris aſſentiuntur: Brandeburgenſes legati ad herum ſuum iam iam acceſſurum reſponſum reiiciunt, quem à ſuperioribus haud diſſenſurum exiſtimant: cæteri principes, atque ordines vt Concilium continuetur, & Proteſtantes accepta fide publica audiantur, Conciliíque decretis parere cogantur, petunt. Supererant dumtaxat ciuitates, quarum legati neque recuſare penitus audebant, neque palam aſſentiri volebant: quapropter hoc Cæſaris poſtulatum ambiguo reſponſo eludere conabantur: tandem nihilominus (tanta Cæſaris tum authoritas erat) & ipſi aſſenſerunt, ſcripto quibus conditionibus aſſentirentur teſtificati, Cæſarique tradito, neque ſe principum decretum vel corrigere, vel retractare velle profeſſi ſunt. Ferdinandus Rex ſub finem Octobris, nec multo pòſt Brandeburgenſis ſeptemuir Auguſtam acceſſerunt: quo tempore Cæſar omneis Imperij ordines vt Concilio vniuerſo parerent, adegit. *Cæſar vt omnes Imperij ordines Concilio œcumenico pareant, tandē adigit.*

48 Itaque Nouembris initio per Cardinalem Tridentinum Paulum Romanum Pōtificem Germanorum conſenſus certiorem fecit, & vt Concilium Tridentum reuocaretur, orauit. Paulò ante Tridentinum Carolus Lotharingus Cardinalis Guiſanus, qui poſtea Ioanne Cardinale patruo mortuo Cardinalis Lotharingus dictus eſt, Romam appulerat, & inter eundum Taurino profectus, & ſecundo Pado Ferrariam contendens Placentiæ biduum commoratus erat, quam firmiſſimo præſidio Ferdinandus Gonzaga cæſo iam Petro Ludouico Farneſio tenebat: de cuius morte & Cardinalis Guiſani Italica profectione, quum ad res Gallicas, quibuſcum coniunctæ ſunt, rediero planius ſcribam. Quum Romam Tridentinus iniiſſet, & ad Pōtificium palatium diuertiſſet, vbi & Guiſanus habitabat (nam id ampliſſimum eſt) me ad illum Guiſanus miſit ſuo nomine eius aduentum gratulaturum: Italica ſua profectione magnum ſe operæpretium facturum, qua cum tanto viro ſe amicitiam initurum ſperaret; addidi & alia quædam id genus. Reſpondit Tridentinus expeditè more Germanico Latinè loquutus ſe quoque plurimum lætari quod Cardinalis Guiſani cōſpectu, ac familiaritate breui fruiturus eſſet, cuius præclaram indolem iam à multis audiiſſet: & quod apud Henricum Galliæ Regem multum authoritate polleret, is quoque apud Cæſarem nonnihil poſſet, ſperare mutuam ipſorū amicitiam, cuius Alexander Farneſius Cardinalis, qui tum aderat, interpres futurus eſſet, ad continendos in eadem tantos principes mirandum in modum profuturam, qua totius Chriſtianiſmi tranquillitas, immo vero ſalus continebitur. Mox vterque mandata ſua exequuturus cum Paulo Pontifice, Cardinalium Senatu, in quem Guiſanus non ita dudum cooptatus erat, principum, liberarúmque ciuitatum legatis ſæpius colloquutus machinas omneis adhibuit, vt hero ſuo Cæſari (inquam) ac Regi ſatisfacere poſſet: ille palàm vt Concilium maturaret: hic vt clam inter Paulum, quem ob Petri Ludouici mortem à Cæſare abalienatum nouerat, ſocietatem coiret, quod tamen admodum diſſimulabat. Hoc menſe Chriſtina Lantgrauij vxor, ac filij de eo liberando quod omnes propoſitæ à Cæſare conditiones impletæ erant, ad Imperij ordines ſcripſerunt. Venit mox & ipſa ad Mauricium, Brandeburgenſémque libertatis eiuſdem quaſi fideiuſſores, vt promiſſum faciant, vrget. Cæſar ea de re ſeptimo Kal. Decemb. ad Imperij ordines refert, & longa narratione ab eo libertati ſuæ reſtituendo ſe alienum indicat: Chriſtina præter Mauricium & Brandeburgenſem etiam Mariam Cæſaris ſororem adhibet, vt viri ſui cauſam agat: nec quicquam proficit. Sub huius menſis finem Petrus Martyr Florentinus Argentina relicta, vbi quinque annos docuerat in Angliam abiit ab Eduardo Semero Regis tutore pariter & auunculo, & Thoma Crammero Cantuarenſi Pontifice vocatus, vt nouam ibi religionis perſuaſionem propagaret. *Petrus Martyr ab Eduardo Semero in Angliam nouæ religionis propagator accerſitur.*

49 Quinto Idus Decembris Cardinalis Tridentinus in frequentiſſimo Cardinalium Senatu quanto labore Cæſar omnes Imperij ordines, vt Concilio pareant, adegerit, ampliſſimis verbis exponit: Cæſaris, Ferdinandi Regis, totiúſque Imperij nomine per omnia ſacra Paulum rogat, vt Pontifices qui Bononiam nulla iuſta de cauſa ſeceſſerunt, Tridentum reuertātur, vt ſummam operi inchoato, Chriſtianæque Reip. tam neceſſario manum imponant: vt legatum *Orationis Tridentini Cardinalis ad Paulum Rom. Pontif. & Cardinalium Senatū habitæ ſumma.*

Digitized by Google

vt legatum in Germaniam Paulus mittat, qui donec Concilium finiatur, cum omnibus, tum vero ſacris miniſtris viuendi modum præſcribat: quinetiam ſi interim dũ Concilium continuatur, vt humanæ res ſunt incertæ, diem ſuum Paulus obeat (quod omen Deus auertat) an alterius eligendi poteſtas penes Epiſcopos, qui Concilio intererunt, an penes Cardinales futura ſit, ſanciat: ne ſi id fortè euenerit, noui tumultus excitētur. Hoc poſtremum poſtulatum in eo conſeſſu ineptum videri potuit: Cardinales enim eam facultatem ad ſe reuocaturos, in primis autem Paulum ab iiſdem creatum haud dubium erat. Quinto pòſt die, hoc eſt, poſtridie Idus Iacobus Mendocius, ſiue Mendoza Cæſaris legatus eodem in Senatu eiuſdem argumenti orationem habuit: præterea ſi Pontifex differat, aut excuſationem adhibeat, ſe in mandatis habere addidit, vt aſcitis cæterorum Regum, principúmque legatis de vitio Concilij profiteatur. Paulus ſe cum Pontificibus, qui Bononiæ ſunt, prius deliberaturum, & cum cæteris Chriſtianis principibus nulla mora interiecta communicaturum, tum Cæſari ſatisfacturum reſpondit. Hoc ipſo die Cardinalis Guiſanus Romam Galli Regis nomine profectus orationem quoque in eodem Senatu habuit. Laudato Rege Franciſco nuper vita functo, recitatiſque eius in Romanam Remp. illuſtribus officiis Henricum filium ab eo non degenerare, & vbi primum naturali parenti funus fecerit, Regiiſque ſacris initiatus ſit, ſuam erga communem Chriſtianorum omnium parentem obſeruantiam teſtari, & vtroque pietatis officio voluiſſe defungi. Gallorum Regum ea in Romanos Pontifices merita fuiſſe, vt eorumdem filij natu maximi dicerentur, Romaniſque legibus ſancitum ſit, vt quum primum ſummum ſacerdotium ſacroſancti Pontifices inierint, confirmandæ, renouandæque amicitiæ ergo legatos in Galliam mittant. Eodem officio Regem quoque ſummum Sacerdotem venerari, ſuáque omnia illi offerre non diſtuliſſe: ne quid detrimenti Reſpublica Chriſtiana capiat: multos poſtremis hiſce triginta annis inſurrexiſſe, qui eamdem perturbare, omnia miſcere, in primis autem ſummum Chriſti ſacerdotem de gradu deiicere tentarint, & adhuc idem moliri conentur. Franciſcum Regem regnum ſuum ab impiis illis conatibus ſemper alienum in Romani Pontificis obſeruantia conſeruaſſe, cuius pietatem imitari Henricus filius decreuit. Præſens igitur Paulus in eius pietate præſidium collocet, & hoc propugnatore inimicorum ſuorum audaciam nullo modo pertimeſcat. Paulum tum ob Petri Ludouici filij mortem (vt dixi) tum ob Concilij Bononiam tranſlati damnatam vbique rationem à Cæſare abalienatum Guiſanus ſciebat: idcirco illi animum addere, & Gallicorum auxiliorum ſpe confirmare nitebatur.

Cæſaris legatus in eodem Senatu & eiuſdem argumenti orationem habet.

Guiſanus Cardinalis in eodem conſeſſu obſequia Gallorum regum in Rom. Pontif. exaggerat.

Tridentinus quum aliud, quàm quod à me ſupra commemoratum eſt, reſpōſum à Paulo extorquere non potuiſſet, in Germaniam rediit cura negotij conficiundi, vt Cæſar mandauerat, Mēdocio relicta. Paulus decimoſeptimo Kal. Ianuarij ad Ioannem Mariam Montanum Cardinalem principem Bononiæ legatum litteras dat, & quæ Tridētinus, ac Mendocius à Cæſare mandata attulerint, explicat: quibus ad Bononienſis Concilij Pontifices relatis Montanus à Paulo ſcilicet, quid Epiſcopi deliberare deberent, admonitus (omnes autem ferè Itali erant, duo Galli dumtaxat, ex aliis nationibus, aut nulli, aut perpauci) reſpondet. Concilium Bononiam legitimè tranſlatum: omneis Epiſcopos, vt Bononiam ſe conferrent, monitos: litteris deinde ſæpius miſſis ad id ipſum inuitatos pedem illinc non mouiſſe magno Concilij contemptu: non eſſe è Concilij dignitate, vt maior pars ad paucos illos accedat, niſi prius illi ſe Bononiam ſiſtant, cæteriſque iuncti quid facto opus erit, deliberent. Præterea vt Germania Concilio pareat cautionem interponendam decretis, quæ iam facta ſunt, comprobatis, & quæ in poſterum fient, comprobandis, vt Epiſcopis qui Tridentum commigrabunt, liber acceſſus, diſceſſúſque ſit: vt quæ maior pars ſciuerit, decreta ſanciantur. Reſponſo hoc accepto Paulus ſexto Kal. Ian. ſacra liturgia peracta Mendocium Cæſaris legatum in Cardinalium conſeſſum accerſit: quæ Bononienſis Concilij Pontifices reſponderint, exponit: ea ſibi, & Cardinalibus tanquam iuri conſentanea probari: ſe Germaniæ in primis conſultum velle, quod illuſtribus exemplis declararit: ſed & cæterarum nationum habendam eſſe rationem an eadē illis conducant. Mendocius Paulum Epiſcoporum cœtum illum Bononienſem pro Concilio habere animaduertens, aduerſus eumdem proteſtari (vt vulgari verbo vtar) hoc eſt, palam teſtari voluit hunc ſe pro Concilio non habere: verùm Cardinalium Senatu exorante vt Cæſari reſponſum primum renuntiaretur, eiúſque litteræ expectarentur, proteſtatio in viceſimum diem differretur, ſtatutum.

COMMEN

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER VIGESIMVS-QVINTVS.

Anno 1547.

1 FRANCISCVM Regem animam Rambuleti exhalantem reliquimus: febris primum quotidiana ſub veſperam dumtaxat accedens, deinde continua ex vlcere inter anum & veſicam ab immodica venere enato emanans, quo aliquot ante annis Compendij grauiter afflictus fuerat, languentem anno ſuæ ætatis quinquageſimo tertio, regni verò triceſimo tertio confecit.

Franciſcus moriturus regiis documētis filium inſtruit.

Is moriturus Henrico filio huius nominis Secundo Galliarum Regi multa præcepta, vt facundus erat, perutilia dedit: in primis autem ne plebem nimiis pecuniæ indictionibus affligeret, quam ipſe etiam inuſitatis vexaſſet: filiorum eſſe paternas virtutes, non vitia imitari: tum verò domeſticos ſuos illi commendauit: Annebaldum Amyralium ſupra omneis, cui & centum nummûm aureorum millia teſtamento legauit: vir erat militaris Annebaldus, probus, & ab omni auaritia alienus, dignus qui in tanta apud Regem herum gratia eſſet.

Henrici II. huius nominis Galliarū Regis indoles: & quales eius aulici & conſiliarij.

Henricus Ludouico materno auo potius, quam patri ſimilis eundē in regni adminiſtratione imitatus fuiſſet, ſi eoſdem conſiliarios alieni non appetenteis nactus fuiſſet: ingenio enim miti ac ſimplici erat, qui non tam vt regeret, quam vt regeretur, natus videbatur: & pauca ex ſe, omnia fere ex intimorum familiarium ſenſu gerebat: viri probi erant Ambaſiani, qui principem locum apud Ludouicum XII. tenebāt: at Annæus Mommorencius equitum magiſter, & Iacobus Albo Sanctandreanus, tum Diana Pictauienſis, Guiſani adoleſcentes, Franciſcus, ac Carolus Rhemorū Pontifex Henrico raræ indolis ac virtutis ergo chari erant: ſed non eadem gratia pollebant.

Guiſani reguli quales.

Franciſcus enim tum Aumallius regulus dictus mox Claudio patre mortuo Guiſanus mirandū in modum ſtrenuus ſupra ætatem rerum bellicarū experiens, viriſque militaribus admodum charus erat. Carolus autē ingenio acer, facundus, eruditus, ad quaſuis vel diſciplinas perdiſcendas, vel res gerendas, negotiáque pertractāda ſuprà quàm dici poteſt, aptus erat: cuius ingenium probè nouimus, quo ille præceptore & in Græcis litteris, & in philoſophicis præceptis vſus eſt.

Caroli Guiſani præceptor fuit ipſe huius hiſtoria author fuit.

hi Henrici, & illuſtrium eius conſiliariorum mores erant. Si ad corporis lineamenta veniendum eſt, non ea, qua pater, excelſa tamen ſtatura erat: corpore quadrato, ac robuſto, ad omnē motum habili, tametſi ad obeſitatē procliui, à qua vix ſe accurata victus ratione ac quotiadianis exercitiis vindicabat, & celerrimos nihilominus homines celeritate adæquabat: ore fuſco, capillo item, barbáque nigris. Qua autem ratione tantum Mommorēcio tribuerit paucis dicam: duæ, vt iam libro ſuperiore commemoraui, Franciſco iam ſeneſcente in Gallia erāt factiones: alterius Anna Piſſeleua Stempenſis hera, alterius Diana Pictauienſis princeps erat: illa patri, hæc Henrico filio perchara. Stempenſis ſe Aureliano alteri Frāciſci filio addixerat: quo vita functo Henrico maiori natu, Diana aduerſante, recōciliari haud potuit. Stempenſis Brionē Amyralium delectorum iudicum ſentētia damnatum pulſo Mōmorencio æmulo in Regis gratiam reduxerat, & vt iudicū decretum, ſiue areſtum retractaretur, effecerat, quem & ſibi affinitate iūxerat. hinc patre ſuperſtite Henricus, Diana cōnitente & ſemper Piſſeleuæ repugnante Mommorencio Brionis inimico domi latitanti fauebat, ad eúmque ſæpius ſcribebat, & quum primū Rex declaratus eſt, eidē in integrum reſtituto ſummā regiorum negotiorum

adminiſtrationem attribuit, tum ea fama inductus quod Cæſaris è Phocenſi prouincia repulſi gloriam, licèt falſo, ſibi vindicaſſet, & magiſter equitum non bellicis, ſed aulicis artibus declaratus fuiſſet.

Prima Henrico, vt Regem pium decebat, patris & fratrum Franciſci ac Caroli ſepeliendorum cura fuit: eorum cadauera funebri pompa in Pontificiam Lutetiæ ædem vndecimo Kal. Iunij illata ſunt: poſtridie eadem pompa ad Dionyſiacum cœnobium deportantur, vbi altero die de veterum Regum more conduntur. Magnæ Regum & ſepeliendorum, & inaugurandorum ceremoniæ apud Gallos celebrantur: mortuo Regi ſimulachrum viuo ſimillimum Regia veſte indutum lectulo decumbit: proximè ſceptrum collocatur: totos viginti dies epulas prægustatas tanquam viuo familia apponit; ſacerdotes, cœnobiorúmque ſodales noctu, interdiúque aut funebres preces canunt, aut ſacras liturgias faciunt: poſtremò cadauer effertur, humóque mandatur, & plumbeo feretro incluſum in ſacelli inferiorem fornicem infertur. Regum inaugurandorum plures etiam ceremoniæ ſunt, quas qui planius noſſe cupit librum de his Latinè, Gallicéque ſcriptum, atque editum conſulat: quanquam is non multis ante ſæculis ab homine non ſatis erudito ſcriptus videtur, & Pares ſiue Patricios, quos laicos vocant, præter vnum Burgundum non nominat, vt eoſdem, atque eorum officia ignoraſſe videatur: nam vnicuique in hoc ſacro ſuum munus aſſignatũ fuiſſe veriſimile eſt: vt in ſeptemuiris Germanici Imperatoris Electoribus obſeruari videmus. Regi igitur præſto ſunt duodecim Primi (ſiue Pares, aut Patricios nominare voles) horum enim præſertim officium eſt, vt huic ſacro interſint: tametſi & ſtirpis Regiæ principes & cæteri Galliarũ proceres Regem comitantur. Sex ſacrati Pares Rhemenſis, Laudunẽſis, Lingonenſis Pontifices, Ducũ, Bellouacus, Catalaunus, ſiue Catalaunẽſis, Nouiodunenſis Comitũ titulis ornati nunquam hactenus immutati ſunt: cæteri quos laicos vocant, quòd ſacris initiati non ſunt, quoniam eorum principatus ad ſceptrũ Gallicum redierunt, omnes cõmutati fuerunt, Burgundus, Normanus, Aquitanus Duces, Tholoſanus, Campanus, Flãder Comites, quorum iam memoria ferè exoleuit; in quorum locum alij ſurrogati ſunt. In Henrici inauguratione Henricus Albretus Rex Nauarræ, Antonius Borbonius Vindocinenſis, Claudius Lotharingus Guiſanus Burgundi, Normani, Aquitani Ducum, Franciſcus Cliuenſis Niuernus, ſiue Niuernenſis, Ludouicus Borbonius Mompenſerius, Franciſcus Lotharingus Aumallius Tholoſani, Campani, Flandri Comitum vicem obierunt. Qui autem veterum patriciorũ principatus ad Gallicum ſceptrum redierint, in horũ librorum procœmio ſiue epiſtola illis præfixa explicauimus: ea enim tũ Ducatuum, ac Comitatuum lex erat, vt nunquam ad fœminas deuenirent: nullis maribus ſuperſtitibus ad Regem patronum redirent: at poſterioribus hiſce tẽporibus, qui Duces, aut Comites creati fuerunt, vt Ducatus, ac Comitatus ad fœminas hæreditario iure tranſirent, diſertè cauerunt: quod & hodie obſeruatur. Oleum quo Reges inunguntur in Remigij Rhemenſis æde cuſtoditur, quod è cœlo dilapſum tradunt: die inaugurationis ſacri olei ampulla è Remigij æde ad primariam, Pontificiámque deportatur, quam Rhemenſis Pontifex vt Regem conſecret, ad maiorem ſuæ ædis portam cautione de remittenda ampulla adhibita excipit: veſtes, quibus eodem die Reges ſacrandi vtuntur in Dionyſiaca æde ad Lutetiam aſſeruantur: quod autem veteres longo vſu attritæ quodam modo, aut obſcuratæ erant, Henricus nouas conficiendas curauit: in eadem æde Reges, Reginæque poſt inaugurationem coronantur: deinde triumphali pompa Lutetiam ineunt quaſi regni poſſeſſionem hoc modo inituri, quòd Gallorum Regum regia Lutetia eſt.

Regum Gallorũ ſepeliendorum inaugurandorũq; ceremoniæ.

Henricus inauguratus Lutetiã deducitur, poſtridiè excipitur, tum rebus ſeriis incumbit.

Ibi Lætis conuiuiis, hilaris matronarum, ac virginum choreis, ludicris equitum, peditúmque certaminibus, aliíſque id genus oblectamentis feſti aliquot dies traducti: mox ad ſeria progreſſus factus eſt, multa noſtro more nouis Regibus exolui ſolent: magiſtratus omnes, quæ officia vulgo appellant, immunitates, conceſſa Regũ ſuperiorum benignitate priuilegia confirmant: quo nomine magnam pecuniam exigunt: hanc Franciſcus Ludouicæ matri, quod ad ipſum vnicum filium reditura quodam modo videbatur, Henricus Dianæ Pictauienſi Ludouici Brezei Normaniæ Seneſchalli viduæ dono dedit: vacuos agros, deſertóſque, quorum nullus certus poſſeſſor eſt (ſiquidem in ſua iuriſdictione ſunt) iidem Reges ſibi vendicant: nam viri nobiles in ſuis fundis in quibus ſummam iuriſdictionem habẽt, eoſdem iure municipali vſurpant: hos Henricus Iacobo Abonio Sanctandreano condonauit: vnde ille omneis auarè ſcrutatus magnam quoque pecuniam corraſit. Dedit & litis ſecundùm Carolum Borbonium vltimum Boiorum regulum triceſimo ſecũdo ante anno aduerſus ruſticos ſeruilis cõditionis quatuor Boij agri præfecturarum quas Caſtellanias vocant, Montlucianæ, Heriſſonianæ, Muratenſis, Cantellanæ impenſas, quas

Digitized by

Borbonius ne poſt quartum quidem annum exegerat, & tacito quodam conſenſu plebis miſericordia commotus, quæ illius clementiam implorarat ante ſuum è Gallia diſceſſum remiſerat: quibus Henricus Sanctandreani importunitate victus ſeruitutum iura, aut ſaltem bonam eorum partem addidit: quæ omnia Sanctandreanus acerbiſſimè exegit iiſdem non diu lætatus: etenim Druidenſi pugna captus, miſeréque cæſus eſt nullis liberis relictis. Agros rẽſque omneis immobiles (vt Iurecõſulti loquuntur) ſacerdotes ſupra quadraginta annorum ſpatium poſſidere prohibentur, niſi Regum permiſſio accedat: quos ſinguli Reges initio regni confirmare ſolent: atque inde pecuniam quoque exigunt: hanc Henricus Martino Bellaio Langeo Guilielmi fratris hæredi, qui Franciſci in Gallia Subalpina legatus multa præclarè geſſerat, & difficillimo tempore annonæ inopiæ priuatis ſuis facultatibus ſubuenerat, magnumque inde æs alienum conflarat, aliiſque aliquot viris illuſtriſſimis largitus eſt. Quanquam Franciſcus paulò ante mortem ducenta nummûm aureorum millia ad Saxonem, Lantgrauiúmque miſerat, tamen Cæſarem Germania ſubacta vires in ſe conuerſurum veritus ſatis multam pecuniam coëgerat, quam Henrico hæredi reliquerat: ex hac Mommorencius penſionum, ac ſui magiſtratus ſtipendiorum ſeptennio quo è Franciſci comitatu excluſus fuerat, non exolutorum cauſâ centum nummûm aureorum millia abſtulit. E ſcribis quatuor primis Franciſcus Gilberto Baiardo, Villaregiáque plurimum vtebatur: vtroque reiecto in eorum locum Coſmus Clauſſa Marcamontanus, Henrico adhuc Delphino ab epiſtolis, ac Ioannes Thierus Mommorencio authore, ac fautore ſuffecti ſunt. Baiardus autem neſcio qua inuidia in cuſtodiam traditus: quod in eo reprehenderes nihil erat, & fidam Regi hero operam præſtiterat. Ioannes Vallenſis ſanctioris ærarij quæſtor neſcio quomodo dimiſſus eſt: cui Dianæ Pictauienſis authoritate Blondus ſucceſſor datus eſt, & triginta librarum Turonenſium millia in annuum ſtipendium accepit; quamuis ſuperiores quæſtores longè minus accepiſſent.

Scribæ Henrici qui.

4 Octogenario maior erat Paulus Tertius Pontifex Maximus: idcirco ſeptem Cardinales Romam Henricus miſit, vt ſi fortè diem ſuum obiret, vel Gallus, vel à Gallis non alienus Pontifex crearetur. quos non ita multò poſt ſequutus eſt Carolus Cardinalis Guiſanus Paulo, Regio nomine ſolitam, vt dixi, obſeruantiam oblaturus. Ante quàm è Gallia proficiſceretur, Petrus Ludouicus Pauli Pontificis filius Placentiæ à ciuibus triginta ſex, qui in illius caput coniurauerant, quarto Idus Auguſti cæſus eſt. Acerbam in ciues tyrannidem exercebat: Hieronymum Pallauicinum virum nobilem bonis ſpoliarat, & quum ille tyranni in ſe odium præſentiens Cremam Venetæ ditionis oppidum ſeceſſiſſet, vxorem eius, ac liberos in carcerem coniecerat: vt hominem placaret, Tridentinus Cardinalis Paulo addictus ad illum ſcripſit: ſed durum reſponſum accepit. Tridentum poſtea Octauius Petri filius è Cæſaris caſtris rediens acceſſit: quem Cardinalis vt Pallauicinum patri reconciliaret, obnixè orauit. Non defuit officio ſuo, promiſſoque Octauius: nihil tamen à patre impetrauit. Quum igitur ex arce egreſſus, lecticaque vectus Ludouicus Placentiæ munitiones inſpiceret, coniurati, quorum princeps Auguſtinus Landus fuit, honoris ergo illum comitari ſimulant, & quum hominis confodiendi non ſatis commoda ſeſe occaſio præbuiſſet, redeuntem præcedunt quaſi vſque ad arcis veſtibulum comitaturi. tranſmiſſo ponte ſublicio eundem in altum extollunt, & arcis portâ occupant, hominémque ſtrictis gladiis conficiunt, vnáque Germanos quinque prætorianos milites, ſacrificulum, ſtabulique præfectum trucidant: arcem diripiunt, vbi multam pecuniam ad muniendam vrbẽ coactam, opulentámque ſupellectilem reperiunt. Tumultu audito quum ciues ad arcem concurriſſent, cæſum illis tyrannum coniurati renunciant, & vt ſe in libertatem vindicent, hortantur. Tyranni cadauer catena illigatum è muro oſtentant, à quibus accepta cautione, & impunitate promiſſa cadauer in foſſam deiiciunt, quod plerique vel pugionibus confixerunt, vel pedibus conculcarunt. Ciues Paulum acerbum vltorem veriti, & coniurati arcis compotes erant, quam nunquam Paulo reſtituiſſent, ad Ferdinandũ Gonzagam Inſubrum præfectum confugiunt. Ille ſtatim cum firmo præſidio acceſſit, Parmenſes vt ad Cæſarem deficerent, inuitauit: illi in Romani Pontificis fide permanere maluerunt. Genuenſis ſeditionis, cuius libro ſuperiore minimus, Petrus Ludouicus author fuiſſe inſimulabatur: idcirco hanc coniurationem illi à Gonzaga adornatam plerique exiſtimarunt. Paulus pater Aſtrologiæ in primis deditus filio diſcrimen imminens prædixiſſe, & vt à Septembris decimo die ſibi caueret, admonuiſſe fertur: Petri Ludouici fœdæ libidines omnibus notæ erant: præſertim de Coſmo Cherio Epiſcopo Fanẽſi per vim conſtuprato: cuius indignitatis mœrore mox ille interiit: alij ne de vi ſibi facta apud Cæſarem quereretur, veneno ſublatum produnt: Placentiam & Parmam Paulus

Septem Cardinales ab Henrico Romã cur miſſi.

facta cum principatu Camertium permutatione recuperarat: (hunc autem principatum Ioanne Maria Varano ſine liberis maribus vita functo ad Pontificatum Romanum rediiſſe cauſatus * * Feltrio adoleſcente pulſo occuparat) quarum mox Petrum Ludouicum filium in Cardinalium cœtu regulum deſignarat: hæ quondam principatus Mediolanenſis vrbes erant, quas Iulius Secundus Romanus Pontifex ſibi vindicauit: deinde cæteri Romani Pontifices in eaſdem ius vſurpare conati ſunt. Franciſcus Rex Mediolano potitus Leonem Pontificem præſidia inde reuocare, atque vt iiſdem Rex frueretur, aſſentiri coëgit; quas & Cæſar occaſione vſus mirandum in modum recipere cupiebat. Cardinalis Guiſanus ſecundo Pado Ferrariam nauigans biduum Placentiæ commoratus eſt à Gonzaga honorificè exceptus: Ferrariæ aliquot dies, vbi Annæ Ferrarienſis filiæ natu maioris Henrici Regis conſobrinæ nuptias cum Franciſco fratre conciliauit; quæ in alterum annum dilatæ fuerunt. Quid Romæ egerit ſupra explicaui. Roma digreſſus conſequentis anni menſe Ianuario quod inter Paulum Pontificem, Regémque ſocietatis fundamenta ieciſſet, Venetias petiit: vnde ne in Cæſarianos incideret per Rhætos Heluetióſque in Galliam rediit. Paulus Gallicorum auxiliorum ſpe à Guiſano Cardinale confirmatus (quod exactiſſimè ſcire potui, qui litteras omneis ad hanc ſocietatem pertinenteis ad Cardinalem è Gallia miſſas è Gallico in Latinum ſermonem conuertebam, eáſque, vt Paulo perlegerentur, Alexandro Cardinali Farneſio offerebam) liberiùs & Germanis Epiſcopis Kalend. Ianuarij, & Mendocio Cæſaris legato Kal. Februarij anni huius ſæculi quadrageſimi octaui initio reſpondit.

Anno 1548.

Poloniæ legatus Auguſtæ in clientum admiſſus ſcripto ſua mandata exponit.

Interim Staniſlaus Laſcus Sigiſmundi Poloniæ Regis legatus Auguſtæ in Imperij conuentum admiſſus ſcriptam orationem obtulit: Albertum Brandeburgenſem Senatus Spirenſis proſcripſerat, quod Pruſſiam aduerſus Volfangum Pruſſiæ, ſiue ordinis Teutonici magiſtrum inuaſiſſet: Pruſſicæ Reipub. formam immutaſſet, & ſe Poloni Regis clientem agnouiſſet: Poloniæ Imperij ordines non vt iudices, ſed vt principes omni honore, atque obſeruantia dignos agnoſcens, de facta Alberto clienti ſuo, ſibique iniuria conquerebatur: rem pluribus in conuentibus Imperij fuiſſe agitatam, & tamen quamuis Cæſar ſæpius amicè ad ipſum ſcripſerit, huc vſque ex alio in alium reiectam: petere vt iure ſuo perſpicuè cognito nulla in poſterum Alberto fiat moleſtia: recenti memoria Caſimirum Sigiſmundi patrem cum Teutonicis ingenti prælio ſuperatis tranſegiſſe, vt poſt initum magiſtratum Pruſſiæ magiſter intra ſextum menſem Poloniæ Regem patronum agnoſceret, & obſeruantiam cliens iureiurando promitteret: pleroſque tamen Pruſſiæ magiſtros pacto non ſtetiſſe, & Pruſſiam ad alienos patronos trãsferre voluiſſe: inter quos & Albertus fuit: ſed mox bello vexatus Poloniæ Regem patronum agnouit: ſi quæ præterea contentiones aut bella interceſſerunt, magiſtrorum Teutonicorum culpa euenerunt. Maximilianus Cæſar huius auus Sigiſmundo Regi, quum Viennæ conueniſſent ſe nullam huic ordini aduerſùs ipſum opem laturum pollicitus eſt. Sigiſmundus Cæſar Ladiſlao Regi huius Sigiſmundi auo etiam auxilium aduerſus hunc ordinem promiſit: Federicus Cæſar tuus proauus cum Caſimiro Regis mei patre aduerſus Mathiam Hungariæ Regem, & hunc ordinem fœderatos bellum geſſit: cui quod aliis bellis Caſimirus occupatus eſſet, quum militem non poſſet, pecuniam ex pacto miſit: vnde hunc ordinem ſemper familiæ Auſtriacæ infeſtum fuiſſe manifeſtum eſt. Et verò is ordo nunc inutilis videtur: ad conſeruandum regnum Hieroſolymitanum, & pro Chriſtiana religione propugnandum inſtitutus eſt: at quomodo pro ea propugnat, qui aliquando cum Tartaris nomini Chriſtiano infeſtiſſimis fœdus iniit? itaque centum quinquaginta ferè anni elapſi ſunt quibus è Bohemia, Pruſſiaque pulſus eſt. Si quis igitur Albertum Pruſſiæ Ducem ſuo principatu ſpoliare conabitur, Sigiſmundus & patronus, & auunculus pro eo conſeruando arma ſumat neceſſe eſt, niſi turpem ignauiæ notam ſubire volet. Altera mei Regis querimonia eſt (inquit) quod Dantiſcum, & Eluinga Polonicæ ditionis vrbes ad Imperij conuentus euocantur: vt ſuis legibus vti permittantur, Rex Sigiſmundus petit. 5

Pruſſia ad Polonumne an ad Imperiū pertineat diſceptatur. Ordo Teutonicus quando & cur inſtitutus.

Poloni poſtulata Cæſar ad Imperij ordines retulit, & orationis exemplum, quæ longè pluribus verbis amplificata erat, nos epitomen dũtaxat aſcripſimus, Volfango Pruſſiæ magiſtro dedit: Volfangus decimo Kal. Februarij vulgari ſermone reſpondet: In hoc tota controuerſia vertitur potentiſſime Cæſar, illuſtriſſimi principes, voſque cæteri Imperij ordines, an Pruſſia Polonicæ an veſtræ ſit ditionis; hoc poſterius ſi docuero, eadem opera totam litem abſoluero. Quadringentis antè annis, aut paulò pluribus ordo Teutonicus inſtitutus eſt, quum barbari Chriſtianos tota Aſia, Africáque exturbabant, & crudeliſſimè opprimebant; aduerſum quos huius ordinis milites magna ſua cum laude ſæpius dimicarunt; 6

Digitized by Google

dimicarunt: vnde & à Germanis Imperatoribus ditati, & à Romanis Pontificibus confirmati fuerunt: deinde magna accepta clade in Germaniam redire coacti ſunt: quo tempore Mazouiæ dux à Pruſſis Chriſtianæ profeſſionis hoſtibus longo bello vexatus Culmenſem agrum, quem tueri non poterat, Pruſſiæ contiguum Teutonicis condonauit, Pruſſiámque adeo omnem occupandam obtulit: quam donationem Federicus Secundus Imperator comprobauit, & Hermanno Salcio tum ordinis Teutonici magiſtro ſi Pruſſiam occuparet, vt ea perpetuo Teutonicus ordo potiretur, anno decimi tertij ſæculi viceſimo tertio permiſit. Bello ſuſcepto, & quinquaginta treis annos continuato Teutonicus ordo Romanorum Pontificum, Imperatorum, cæterorumque principum Chriſtianorum auxiliis tota prouincia potitus eſt, in qua vrbeis inſtaurauit: Epiſcopatus Chriſtiano more conſtituit: gymnaſia virorum litteratorum domicilia, & ſacrorum miniſtrorum ſeminaria extruxit, vt eſſet firmiſſimum Germaniæ propugnaculum, & Germanicæ nobilitatis velut aſylum: & in ea poſſeſſione vſque ad annum decimi quarti ſæculi quinquageſimum fuit: quo populus aduerſus Pruſſiæ magiſtrum ita coniurauit, vt ſeptuaginta tam oppida, quàm arces ab illo vno, eodémque die defecerint: cui coniurationi Caſimirus huius Sigiſmundi pater ſe principem adiunxit, & Ludouicum Erlinſuſium tum Pruſſiæ magiſtrum vſque adeo afflixit, vt metu coactus nullo vel Romani Pontificis, vel Imperatoris, vel ordinum Imperij accedente conſenſu iniquiſſimis conditionibus cum illo paciſceretur: nempe vt Pruſſiæ magiſtri intra ſextum menſem ab inito magiſtratu Poloniæ Regem iureiurando adhibito patronum agnoſcant: Polonos non ſecus, ac Germanos in ordinem, & præfecturas admittant, & quas in poſterum poſſeſſiones comparabunt in eamdem clientelam conferant. Quam pactionem neque Federicus Saxo, neque Albertus Brandeburgenſis Pruſſiæ magiſtri ratam habuerunt, quod Romani Pontificis, Imperatoris, Imperiíque ordinum authoritas non acceſſiſſet, & quod Maximilianus anno decimi quarti ſæculi poſtremo Pruſſiæ magiſtros in Imperij Germanici clientela eſſe Auguſtæ facto decreto declaraſſet. Sed & Albertus hic, qui nobis litem intendit ante annum viceſimum quartum Nurumbergæ in Imperij conuentu affuit: inter Imperij principes conſedit: factum ibi decretum obſignauit, partem regionis, quam poſſidebat, eſſe in Imperij fide profeſſus: nos cum Tartaris fœdus iniiſſe Polonus orator prædicat: hoc rectius in Polonos retorqueri poteſt Tartaris finitimos, à nobis multum ſeparatis: quorum Poloni ope aduerſus Chriſtianæ profeſſionis propugnatores vſi ſunt. Quod ad Dantiſcum, Eluingámque attinet, vtraque ciuitas in Imperij clientela eſt: neque vllum in eas ius habet Polonus, niſi quod ciuium defectione perfidiáque aſſequutus eſt. Proſcriptionem Alberti Brandeburgenſis defendendam Imperij ordines iudicabant: ſed quoniam id exequi haud facile erat, rem totam ad Cæſarem reiecerunt. Sigiſmundus ſenex octogenarius non multò pôſt regni ſui anno quadrageſimo ſecundo Kalend. Aprilis moriens eiuſdem nominis filium Ferdinandi Romanorum Regis generum hæredem reliquit: treis habuit fratres, Ladiſlaum Hungariæ Regem Ludouici vltimi Hungariæ Regis atque Annæ Ferdinandi vxoris patrem, Ioannem Albertum, atque Alexandrum, qui quum ex ætatis ordine regnaſſent, & ſine liberis deceſſiſſent, regnum ad ipſum natu minimum tranſmiſerunt.

7 Vt ad Paulum Pontificem, & Concilium reuertar, Paulus, vt dixi, Kal. Ian. ad Germanos Epiſcopos ſcribens ſuam erga Germaniam beneuolentiam prædicat: quam vt cæteris piis Chriſtianis, atque inter ſe reconciliaret, omnem ſe diligentiam adhibuiſſe profitetur: pontificatus ſui initio Concilium Mantuam primum, deinde Vicentiam, poſtremo Tridentum indixiſſe, quò quum legatos miſiſſet, bello ſuborto neceſſariò diſtuliſſe: deinde pace reſtituta deintegro indixiſſe miſſis quoquouerſus litteris: quumque annus, & nonihil amplius inter bellum Gallicum & poſtremum hoc Germanicum interceſſiſſet, nullum Germanum Epiſcopum Tridentum acceſſiſſe: ſed ne procuratores quidem miſiſſe vno, aut altero excepto: quod enim à ſuis ditionibus belli metu longius abeſſe non deberent, id illis facile permiſiſſe: ex cæteris autem nationibus multos ibidem coiiſſe, vt magnam toti Chriſtianiſmo vtilitatem, pacemque adeo acceſſuram inde ſperaret. Quod autem Bononiam Concilium tranſlatum ſit, id ſe inſcio factum, priúſque tranſlati nuncium, quam transferendi cauſam accepiſſe: cæterum in Concilij poteſtate eſſe, vt de loco in alium commodiorem locum transferatur: idcirco ſibi, quin legitima cauſa fuerit, haud dubitandum videri: Bononiam Tridento non longè abeſſe, vrbem amplam; quicum hoſpitalitate, omni rerum copia, cœli temperatura Tridentum nullo modo conferri debeat: neque quod Romanæ ditionis ſit, Germanis ideo minus tutam videri, quum finitimi

Paulus Pontifex Germanis Epiſcopis reſpondet.

XXx 3 omnes

omnes veram pietatem colant, & magna ex parte Cæſarem patronum agnoſcant: ſe vbi Concilium coëat, non multum laborare modo id de Pontificum conſenſu fiat. Cur Bononia Tridentum non reuertantur, ex ipſorum litteris, quarum cum his exemplum mittat, cogniturus. Quod poſtrema epiſtola addunt, periculum eſſe ne ipſo differente aliæ rationes ineantur, ſe bona conſcientia fretum Deum Opt. Max. iuſtiſſimæ ſuæ cauſæ propugnatorem ſperare, qui Romanam Rempub. ſolidam vniuerſi Chriſtianiſmi columnam inconcuſſam huc vſque conſeruarit. Mendocius acceptis à Cæſare litteris adhibitis exterorum Regum, atque principum legatis ſicuti prædixerat, & à Cæſare mandatum habebat, conteſtatus eſt. miſerat Bononiam legatos Cæſar Franciſcum Vargam, ac Martinum Velaſcum: hi quum in Bononienſis Concilij conſeſſum decimo ſeptimo Kalend. Februarij admiſſi fuiſſent, Vargas diploma Cæſarianum, quod nuper exhibuerat, repetit: & à Montano Concilij principe legato interpellatur: ſuis litteris ac diplomate conuentum Bononienſem, non Concilium Cæſar appellauerat. Montanus igitur, ita præfatur: Tametſi neque Cæſaris litteræ, neque diploma ad hanc ſanctam Synodum dirigitur, tamen non recuſamus vos audire: ne vllus querimoniis relinquatur locus: ſed hac cautione ne vllum vobis inde præiudicium, quo veſtra cauſa melior, neque nobis, quo noſtra inferior euadat, afferatur, nobiſque & Concilium continuare, & in quoſuis contumaces pœnas iure ſancitas decernere integrum ſit.

Cæſaris legati Bononiam ad Côc. miſſi.

Cæſariani legati ad Conciliū oratio.

Tum Vargas qui prior loqui prohibitus ſit, in acta referri poſtulat: deinde ſermo- 8
nem continuans; Non ſolum nos (inquit) ſed tota Reſpub. Chriſtiana à vobis flagitat, vt vos æquos præbeatis, neque veſtra pertinacia publicam quietem interpelletis: Concilium Tridentum quæ Chriſtianorum omnium, Romani (inquam) Pontificis, Cæſaris, Regum, Principum, liberarúmque ciuitatum conſenſu ſedes delecta eſt, reuocetis: vnde priuata veſtra, nulla publica authoritate huc tranſlatum eſt. Montanus ſermonem eius iterum interrumpens: Et ego (inquit) huius ſacri Concilij præſes, Pauli Tertij Pontificis Maximi Petri ſucceſſoris, Chriſti vicarij legatus, atque hi ampliſſimi Patres Concilium huc legitimè tranſlatum profitemur, Cæſarémque oramus ne huius curſum interpellet: qui in quas ſacrorum Conciliorum perturbatores pœnas incurrant, ignorare non poteſt. Porrò nos neque Conciliorum libertati, neque officio noſtro defuturos teſtamur. Mox Vargas mandati litteras, Velaſcus eius collega proteſtationis formulam recitauit: initio quî Cæſar à Leone Decimo, ab Adriano, à Clemente Septimo, poſtremò à Paulo Concilium flagitarit, exponit: quî Paulus id Mantuam, mox Vicentiam, deinde Tridentum de Cæſaris, Imperij ordinum, Regumque, ac cæterorum principum conſenſu indixerit: quo Pariſium, Moronum, Polum legatos ſuos miſerit, quemadmodum ſuos etiam Cæſar Atrebatenſem ſcilicet Pontificem, Granuellanum eius patrem, Iacobum Mendocium, quod propter bellum tum ſubortum interruptum ſit, deinde pace renouata inſtauratum: miſſi noui legati Roma Montanus, Cruceius, Polus, à Cæſare idem Mendodocius, ac Franciſcus Toletanus, ab aliis quoque Regibus legati frequentes, ac permulti Epiſcopi eodem acceſſerunt: tum quum Cæſar bellum religionis ſtabiliendæ cauſa ſuſceptum ad Albim perſequebatur, vt quos ſanis rationibus ad Concilium adducere non potuerat, eoſdem eidē parere cogeret, quum illos ipſos in viam reduxiſſet. Ecce vos qui Romani Pontificis vos legatos prædicatis de transferendo Concilio proponitis, nec dato exactè deliberandi ſpatio tumultuosè diſceditis, pleriſque piis Epiſcopis, Cæſaris, aliquotque aliis legatis reclamantibus, & prius Paulum, ac Cæſarem conſulendos, alioqui tranſlationem iniquam, immo verò apertam Cōcilij diſſoluendi occaſionem eſſe proclamātibus: at vos tam propere Tridento profecti eſtis vt eorum conſulendorū ſpatium non daretis. De hac tranſlatione Cæſar ſæpius apud Paulum queſtus eſt, & quum in Auguſtano conuentu omnes Germaniæ ordines vt Tridentinum Concilium approbarent, adegiſſet, Romam ſtatim Cardinalem Tridentinum id Paulo renuntiaturum miſit, & vt Tridentinum Concilium continuaretur, totius Imperij nomine flagitauit, quod Mendocio legato ſuo mandauit. Paulus cunctando Cæſarem eludens ad vos retulit: vos, Deus bone, quod reſponſum reddidiſtis? ineptum nimirum, varium, & hoc conuentu indignum: flagitante Cæſare, Germanis petentibus, cæteris Chriſtianis principibus aſſentientibus Concilium & indictum & Tridenti inchoatum fuit: ſine eorum authoritate aliò transferri non debuit, quæ verò tranſlationis cauſa fuit? febriculæ ſcilicet, & confictum aëris vitium, qui teſtes prolati? medicus vnus, & alter mercede conductus: an abiectis hominibus potius, quam vniuerſis Germaniæ ordinibus fides adhibenda fuit: qui non minus de ſua, quàm Itali valetudine ſolliciti ſunt? qui autem locus delectus? Bononia in media Italia

conſtituta

Digitized by Google

conſtituta Romano Pontifici obnoxia, quò nemo Germanus adire velit: dicitis vos inconſulto, atque inſcio Paulo Tridento diſceſſiſſe: at multis aliis de rebus minoris momenti illum conſuluiſtis, & eius ad vos ſcriptæ litteræ, datúmque Cæſari reſponſum longè aliud indicat. Itaque Concilij tranſlationem iniquam, & præter ius decretam, omneis huius conuentus actiones inanes, & irritas, veſtrum reſponſum ineptum, & ex mendaciis conflatum, & quæ inde conſequentur mala vobis tribuenda eſſe profiteor; & Cæſarem pietatis Chriſtianæ propugnatorem eius curam in hac veſtra oſcitantia ſuſcepturum denuncio, quoad ius, & ſanctorum Patrum decreta permittent.

9 Vbi perorauit ſcriptã proteſtationis formulã in acta referri poſtulauit: Cardinalis Montanus iniuriam ſibi, Concilióque fieri reſpondit: mortem potius ſubeundã, quam id exemplum inducatur, vt magiſtratus ciuilis Concilium vel cogat, vel transferat, vel regat: Cæſarem eſſe Chriſtianæ Eccleſiæ (vt vulgò vſurpant) filium, nõ dominum: ſe ac ſocios Romani Pontificis legatos paratos eſſe, vt Deo Opt. Max. primum, & ſecundum Deum Romano Pontifici legationis ſuæ rationem reddant: curaturos præterea vt tam inopinatæ proteſtationi breui reſpondeatur. Eadem fere Mendocius Romæ in Cardinaliũ conſeſſu profeſſus erat: quem Kalendis Februarij in eumdem conſeſſum iterum aſcitum Paulus eorum, quæ Bononiæ à Cæſaris, ſuíſque legatis acta erant, certior factus aſperius tractauit: conteſtationem eam mali exempli rem eſſe dixit, quam à Cæſare, cui magna ad conficiendum bellum Germanicum auxilia dederit, minimè expectarit: hanccine gratiam refert Cæſar, vt bello confecto aduerſus ſummum ſacerdotem conteſtetur? deinde quod grauius eſt, Mendocium malè acti mandati accuſat: Cæſarem enim, non vt aduerſus Paulum, ſed vt coram ipſo aduerſus eius legatos tranſlati Concilij authores conteſtetur, mandaſſe: qua in re Paulum legitimum, & vnicum totius negotij iudicem agnoſcit: hic plus, quam Cæſar illi tribuiſſet, Paulus ſibi vendicat: eorum enim quæ ad Concilium iam inchoatum pertinent, non Romanus Pontifex, ſed Concilium cognitionem, & iudicandi poteſtatem habet, & mandatum Mendocio Cæſar dederat, vt ſi Paulus rem differret, de Concilij vitio profiteretur. Quum igitur Bononienſes legatos nihil niſi de Pauli ore, ac nutu decernere Mendocius cognoſceret, merito aduerſus illum machinarum harum omnium architectum Bononienſéſque legatos eorumdem conſiliorum adminiſtros profiteri videbatur. Addebat Mendocius, ſi quid poſthac ex his dilationibus, tergiuerſationibúſque mali naſcetur, Cæſarem id totum Paulo attributurum, & curam religionis ex iuris formulis, maiorum decretis, & orbis conſenſu ſuſcepturum: id non recuſat Paulus modo Cæſar intra eos cancellos conſiſtat, ſe ſuo officio ſatisfeciſſe, ſi Cæſar idem præſtet, vtriuſque functionem licet diuerſam Reipub. Chriſtianæ fore ſalutarem. In hoc autem pertinaciter Paulus inſiſtit, vt tranſlati transferendíque Concilij cognitionem ſibi vni vendicet, quam nemo in veteribus Conciliis bene verſatus illi conceſſerit: eam nihilominus Pariſio, Burgenſi, Polo, Creſcentio Cardinalibus legatis ſuis committit: cæteris omnibus ne quid interim dum cognoſcunt, moliantur, edicit. Epiſcopis autem vel qui Bononiæ, vel qui Tridenti ſunt, ſi quid habent, quod dicant, id intra menſem proferant.

Cardinalis Montani reſponſum.

10 Quum ex Cardinale Tridentino, qui Auguſtam redierat, non magnam pij Concilij ſpem eſſe Cæſar animaduerteret, rem ad ordines refert: quibus & exemplum ſuæ proteſtationis, & Pauli Pontificis, conuentúſque Bononienſis reſponſum ſe traditurum pollicetur: & licèt Concilij ſpes non omnino abiicienda ſit, tamen vt aliqua Germaniæ ſibi omni ex parte conciliandæ ratio ineatur donec Concilium inſtauretur, ac finiatur commodum videri: hanc quidem curam ordines ſibi permiſiſſe, ſatius autem eſſe, vt ipſi paucos viros pios ac doctos deligant qui hoc negotium tranſigant, ſe quoque nonnullos additurum: quum viri delecti inter ſe non conuenirent, iterum res Cæſari permittitur: is Iulium Phlugium Numbergenſem Pontificem, Michaëlem Sidonium, Ioannem Iſlebium Agricolam, qui duodeuiginti annos vnà cum Melanchtone ac Brentio Saxonicam doctrinam ante defenderat, delegit: hi libellum conficiunt, & Cæſari exhibent; quem Cæſar, poſtquam diu inter ordines iactatus, expenſúſque fuiſſet, ad Romanum Pontificem miſit: ille cenſuram ſuam adhibuit, vt ſacerdos ſacris omnibus initiatus vxorem ducat, vt populus ſub vtraque ſpecie panis & vini (vt loquuntur) Chriſti corpus ſumat, contra patrum eſſe decreta: Concilium vniuerſum duntaxat, aut Romanum Pontificem pro ſumma ſua poteſtate id poſſe permittere: veteris perſuaſionis Chriſtianis hæc permittenda non eſſe: Lutherianis ſi qui ad antiquum Chriſtianorum conſenſum redeant, indulgeri poſſe. Alia præterea nonnulla, ſed minoris momenti addidit: quoniam autem quæ hoc libello continentur donec Concilium vniuerſum de religionis controuerſiis decreta feciſſet,

Libellus à Germanis Romano Põtifici miſſus.

Interim unde ortum.

ciſſet, permittebantur, libellum ipſum vulgo INTERIM vocarunt. In eodem conuentu Sebaſtianus Volgelſpergus qui ad Henricum Galliæ Regem ſacris Regiis Rhemis initiandum decem Germanorum peditum cohortes adduxerat, tum hoc nomine, tum quod cum Proteſtantibus militauerat, cum Iacobo Mantello, & Vuolfio Thoma centurionibus paulò ante, hoc eſt, ſeptimo Idus Februar. capite mulctatus eſt. Hunc Vueiſſeburgi domi nihil tale expectantem Lazarus Schuendius de mandato Cæſaris comprehenderat, atque Auguſtam deduxerat: hic quoque Mauricius cui ſeptemuiratum, & Ioannis Federici Saxonis prouinciæ bonam partem Cæſar condonarat ſexto Kalen. Martij, qui dies Matthiæ dicatus Cæſaris natalis erat, ſolemnibus ceremoniis publicè in theatro tanquam in poſſeſſionem miſſus eſt, & à Cæſare in fidem receptus. Martinus Bucerus à Brandeburgẽſi ſeptemuiro Auguſtam accerſitus, quum libellum ſupra commemoratum non probaret, primum à Brandeburgenſi, deinde à Granuellano grauiter increpitus clam diſceſſit, & Argentinam rediit. Colonienſis Pontifex Adolphus Aprili menſe ſacram primum Liturgiam, aut Miſſam ibidem peregit: & Cæſarem, Ferdinandum, cæteróſque principes ſplendidiſſimo conuiuio excepit. Id temporis Mulcaſſes à filio natu maximo excæcatus, & regno ſpoliatus ad Cæſarem acceſſit: vnde mox in Siciliam illorum populorum impenſis victurus miſſus eſt.

Cæſar ordines conuocat.

Cæſar Idibus Maij conuocat ordines, & de ſua in Germaniam beneuolentia præfatus 11
libellum ſupra commemoratum recitari iubet: deinde eos qui veterem religionis perſuaſionem profitebantur, vt in ea perſeuerent, hortatur; qui autem nouam ſequuti ſunt, vt ad ſuperiores ordines tranſeant, & ſe ad vniuerſum Chriſtianorum conſenſum reuocent, aut ſaltem doctrinam ſuam huiuſce libelli regula metiantur, neque ſcripto, aut concionibus aduerſentur: ſed Concilij decreta patienter expectent: quod vt breui cogatur, omni diligentia ſit procuraturus. Moguntinus ſeptemuirûm princeps pro omnibus gratias egit: Cæſar libellum ſtatim Latino, Germanicóque ſermone ſcriptum typis mandari, atque edi iuſſit; quem omnes ordines receperunt, Ioanne Brandeburgenſi ſeptemuiri fratre, ac Bipontino regulo è Palatina familia exceptis. Argentinenſes etiam diu repugnarunt: poſtridie Idus antiquæ ſacrorum miniſtrorum diſciplinæ inſtaurationem libello altero comprehenſam Cæſar Epiſcopis, qui tum Auguſtæ erant, recitari iuſſit, quam illi comprobarunt: ſed vt in nonnullis capitibus Pontifex Romanus aſſentiatur, poſtularunt, quum primum ad ſuos redierint, ſe conuocatis ſuis cleris (ſic enim ſacrorum miniſtrorum cœtus appellant) libellum prolaturos, eoſdémque vt illi pareant, coacturos promiſerunt.

Libelli de religione edit.

Maximiliani Ferdinandi filij cum Maria Cæſaris filia conſobrina coniugium.

Sub idem tempus Maximilianus Ferdinandi filius in Hiſpaniam nauigauit, vt Cæſaris filiam natu maiorem Mariam conſobrinam ſuam vxorem duceret; quem Tridentinus Cardinalis comitatus eſt. Præceſſerat Albanus regulus, quæ ad nuptiarum celebritatem pertinebant, curaturus: ibi Maximilianus biennium, & paulò amplius traduxit, & ad conuentum Auguſtanum qui anno huius ſæculi quinquageſimo celebratus eſt, rediit. Decimoquarto Kalend. Iunij Cæſar de conferenda in publicum ærarium pecunia ad ordines refert, vt ſi quis tumultus intra, vel extra Imperij limites ſuboriretur, maturè ſubueniretur: petit idem paucis poſt diebus Ferdinandus, ne ſi Turca induciis fortaſſe non ſtaret, imparatus deprehenderetur, & quum ille vrbeis Chriſtianis prouinciis finitimas ſumma diligentia muniat, idem quoque ſibi eſſe præſtandum. Vtrumque poſtulatum ordines admiſerunt: quanta in publicum ærarium pecunia decreta ſit, non traditur: Ferdinando in ſingulos induciarum annos centena nummûm aureorum millia polliciti ſunt; præterea Cæſari vt Senatum Spirenſem ſuo arbitratu conſtituat, & quot viſum erit, Senatores adiungat, permiſerunt, in eumdémque Senatum ſumptum promiſerunt: ſic pridie Kal. Iulij finem conuentus Auguſtanus accepit.

Auguſto menſe Hubertum Comitem Bichlingum, Sebaſtianum Scertelum, ſiue Scertelinum, Ringrauium, Hedeccum, Recrodum, Riſebergium Cæſar proſcribit. Septembri 12
Coloniæ quum eſſet, legati Argentinenſes libellum de religione vſque ad Concilium profitenda Auguſtæ editum ea conditione recipiunt, vt certis templis cedant, in quibus eius libelli doctrina exerceatur, certa ſibi reſeruent, in quibus populus ex verbo Dei inſtituatur, & ſacramenta adminiſtrentur: de quibus cum Epiſcopo tranſigent: dies feſtos, ieiunia, interdictum carnium eſum ſe obſeruaturos pollicentur. Cæſar vt cum Epiſcopo tranſigant iubet: ſi inter eos non conueniat, arbitrium ſibi reſeruat, & ſic eos dimittit. Quum Belgicam intraſſet, copiis, quas ſecum adduxerat in Brabantiæ finibus miſſionem dedit; Saxonem ſequi ſe voluit: Lantgrauium Studenardam Flandriæ oppidum cum Hiſpanorum præſidio miſit. Kalendis Octobris Senatum Spirenſem tribus Senatoribus propter

Digitized by Google

propter nouæ perſuaſionis ſuſpicionem pulſis monet, vt vniuerſi Chriſtianiſmi conſenſum ſequantur, alioqui magiſtratu moueantur. Conſtantienſes quòd libellum ſæpius commemoratum recipere noluiſſent, proſcripti ſe Auſtriacæ familiæ dediderunt: quos Ferdinandus in fidem recepit, & Idibus Octobris per præfectum illuc miſſum has conditiones propoſuit, vt Ferdinandum ſcilicet, eiúſque liberos, & hæredes dominos agnoſcant: eius decretis ſiue de religione, ſiue aliis de rebus ſicut prouinciæ cæteræ pareant; quas illi dato iureiurando receperunt. Eodem menſe Auguſtus Mauricij frater Annam Chriſtiani Daniæ Regis filiam vxorem duxit: inter Regem, Mauriciúmque & Auguſtum conuenit vt Mauricius nihil fratri ex Ioannis Federici Saxonis bonis, ſed ex paternis duntaxat portionem legitimam daret. Bellum Germanicum & qui ex eo conſequutus eſt, Auguſtanum conuentum perſequuti ſumus, nunc ad res Gallicas nuper intermiſſas redeamus.

Conſtantienſes à Caſare proſcripti Auſtriacæ familiæ ſe dedunt.

13 Reuocarat è Scotia exercitum Franciſcus, Angliſque matrimonium Eduardi Regis cum Maria Stuarda Scotiæ Regina vrgentibus regni Scotici inuadendi occaſionem dederat: hinc Eduardus Semerus Eduardi Regis auunculus, ac tutor nuper Somerſetenſi, ſiue Sombreſſetenſi principatu donatus collecto exercitu anno ſuperiore in Scotiam inuaſerat, Scotiſque ingenti prælio ſuperatis magnam Scotiæ partem occuparat, atque Edintonem oppidum viginti paſſuum millibus Edimburgo primaria Scotiæ ciuitate diſtans firmo præſidio impoſito egregiè munierat. Henricus regni initio & Bononiam ab Anglis recipere, & Scotis ſociis ſuppetias ferre cupiens Andream Montalembertanum Eſſeum, quo nomine notior eſt, Landreſij propugnatione clarum menſe Maio cum exercitu in Scotiam miſit. Belli in Anglos cauſa fuit eadem quæ prius, quod Mariam Stuardam ſex annorum puellam Scotiæ Reginam Eduardo Angliæ Regi Iacobo Ameltonio Araniæ Comite, ac primario Scotiæ adminiſtratore, quod è Regia ſtirpe Reginæ proximus foret, authore deſponſam Scoti dare recuſarent, & ad externas affinitates reſpicere viderentur: Maria enim Guiſana Reginæ mater, atque Andreanus Cardinalis pertracto in ſuas parteis Ameltonio vt ea Franciſco Galliæ Delphino nuberet procurabant: quæ paucis poſt menſibus in Galliam deducta eſt. Sub Eſſeo Petrus Strozza cum quatuor Italorum peditum cohortibus, Leo eius frater duodecim triremum præfectus, Franciſcus Colignius Andelotus, bis mille Gallorum, Ringrauius totidem Germanorum peditum tribuni, Eſtangius centum leuiorum equitum præfectus, Rupifocaldius, Melchior Pratus, Mompeſatius, Cnoſolus, Salxius, Bordellius & plerique alij nobiles adoleſcentes militabant: is Breſco minoris Britanniæ portu decimotertio Kal. Iunij ſoluit, & Lethen celebrem Scotiæ portum decimoſexto Kal. Iulij appulit: inde Edimburgum Regum Scotorum Regiam petiit. Paucos ibi dies reficiendo militi commoratus Edintonem circumſedit; quò magna Scotorum multitudo confluxit: ſed quod ſuis ſumptibus magna ex parte bellum gerere conſueuerunt, non multo poſt diffluxerunt omnes, domúmque reuerterunt: ſolus Eſſeus cum ſuis remanſit, qui paucos equites ſecum adduxerat. Graius vir militaris Angli Regis legatus Scotorum leuitatis certior factus quinque ſelectorum Anglorum equitum millia eò miſit, vt Gallicum exercitum: præſertim equitatum latius caſtrametatum, & à peditatu paululùm ſeparatum inter ſe oppidúmque concluſum ipſi ab altera parte, ab altera bis mille pedites oppido egreſſi adorirentur. Primo impetu Angli noſtros equites nonnihil perturbarunt: accedentibus nihilominus peditibus facilè repulſi ſunt: quod præſidiatij Edintonis milites ſuis in tempore non affuiſſent, nec ſatis properaſſent: redintegrato longè grauiore prælio quingentos ſclopetarios pedites inter equites Eſſeus collocauit, qui irruentes Anglos denſa glandium grandine admodum perterreſecerunt: mox noſtro equitatu vehementer inuecto Angli ſe ſtatim in fugam dederunt, ita vt multis cæſis, pluribus captis, inter quos Balxius totius Anglici equitatus præfectus numeratus eſt, pauci elapſi ſint: cæſos octingentos, bis mille captos quidam prodiderunt: ex noſtris Boſſeguinus alæ Eſſeæ legatus, altérque ſignifer vulnerati, quindecim duntaxat amiſſi ſunt.

Henricus Galliarũ Rex exercitum in Scotiã deſtinat, aduerſus Anglum.

Edintonem Galli circũſident.

Angli in Gallos impetum faciũt, & in fugam conuerſi repelluntur.

14 Ea pugna Septembri menſe commiſſa Anglos ſuperioris anni victoria inſoleſcentes vehementer repreſſit, ne liberè, vt antea, Scotiam popularentur. Hoſtibus repulſis Eſſeus obſidionem continuans ad ſua caſtra rediit: neque enim vt oppidum vi caperet, ſatis magnum tormentorum apparatum habebat. Angli iam cautiores exercitum coëgerunt, in quo viginti bellatorum millia cenſebantur, vt commeatum Edintonem importarent: Eſſeus viribus inferior paululùm Edimburgum verſus retroceſſit, locóque munito conſedit: Angli commeatu importato aduerſus noſtros quaſi pugnaturi inceſſerunt: Eſſeus

vt venien

Digitized by Google

vt venienteis exciperet, ſe comparabat: at illi nullo conatu edito tribus peditum millibus, mille equitibus Edintoni præſidio relictis ſe in Angliam receperunt: quibus digreſsis Edintonem Eſſeus propius inſpicere voluit, aduerſus quem octingenti Angli equites proceſſerunt: quos vt audaciores redderet, atque ab oppido diſtraheret, maturè, ſed interim fortiter pugnans retroceſſit, & ad ſua caſtra reuerſus eſt. Paucis poſt diebus Andeloto cum duobus Gallorum peditum millibus, Ringrauio, vt cum mille quingentis Germanis ſecundum maris littus ingredientes poſt collem oppido vicinum conſiſterent, ibique laterent, iniunxit; donec ſe cum hoſtibus confligentem exaudirent: tum verò ex eo colle ad oppidi portas præcipites accurrerent. Conſpecto Eſſeo exierunt Angli equites, & ſatis procul ab oppido venientem aggreſſi ſunt: ille non retrocedens, vt antea, ſed totis viribus in eoſdem inuectus in oppidi foſſas fugienteis compulit: Galli, Germanique pedites ad portas accurrerunt: verùm cancellis ferreis obiectis haud introire potuerunt. Ex oppido exierant paulò ante quingenti pedites equitibus auxilio futuri: ſed & ipſi atque equites à noſtris aut cæſi, aut capti fuerunt: Angli multis è ſuis amiſſis ſæpius malè mulctati iam de relinquendis pleriſque oppidis, atque arcibus quas in Scotia munierant, cogitabant. Quam mentem vt illis confirmaret Eſſeus per idoneos homines procurauit, vt Rotelaius Comes inter Scotos proceres illuſtris è cuſtodia elaberetur, quem captiuum Angli ad ſe pertrahere tentabant, idcircóque eidem ſui redimendi poteſtatem denegarant: vnde & aliis etiam de cauſis (nam & ab Anglica nobilitate communes ruſticorum agros occupatos, & in ferarum ſaltus priuatim conuerſos plebs fremebat, & dogmata de religione ab Henrico Octauo anno huius ſæculi triceſimonono decreta, quæ à Romana perſuaſione non diſcrepabant, bona nobilitatis, ac plebis pars in vſum reſtitui cupiebat) tanta inter Anglos ſeditio exarſit, vt Eduardus Semerus Regis tutor Thomam Semerum Germanum fratrem rei maritimæ præfectum regni affectati accuſarit, & anno proximo decimotertio Kalend. Aprilis capite plectendum curarit. Vterque ad regnum aut certè ad regni procurationem aſpirabat; ille quod Guilfordus Dudelcus eius filius Ioannam Suſfortij reguli filiam Henrici Octaui Regis è ſorore neptem, hic quod Catharinam Parram eiuſdem Henrici viduam in matrimonio habebat: & muliebrem ambitionem non paruum ad fraternas inimicitias momentum attuliſſe produnt: Rotelaius in patriam reuerſus multum Eſſeo contulit.

Inter Anglos excitatur ſeditio.

Humas arcem in Angliæ Scotiæque confinio ſitam Eſſeus intercipere cogitabat; huic 15
Scotos duces fidos Rotelaius dedit, qui Gallos ad id deſtinatos noctu deducerent. Galli ſcalis admotis in ſummum murum magno ſilentio aſcenderunt, Anglóſque vigiles primum, deinde in aream deſcendentes cæteros ferè omneis Dudeleo præfecto excepto ſeptimo Kalend. Ianuarij trucidarunt. Captæ arcis Angli facti certiores, quam maximum potuerunt, exercitum coëgerunt, in quo equitum octo, peditum octodecim millia coiiſſe produnt, eamdémque circumſederunt: etenim Scoticarum omnium opportuniſſima ac munitiſſima erat, qua facilior in Scotiam patebat aditus: tum Scotiam Maria Lotharinga Mariæ reginæ mater, Iacobus Ameltonius Araniæ Comes, atque Andreanus Cardinalis adminiſtrabant: quorum mandato Scoti ſe Eſſei copiis adiunxerunt, iunctíque Anglos obſidionem ſoluere compulerunt: hinc tota finitima regio ad viginti paſſuum millia, quæ ſe Anglis vi ſubacta dediderat, in priſtinum ſtatum reſtituta, & Anglis commeatus Edintonem importandi, quo non niſi cum magno exercitu adire poterant, facultas ſublata eſt: Humis commeatu, ac præſidio munitis exercitum ſuum Lethen Eſſeus reducens inter redeundum Tenindetum ab Anglis inſeſſum, atque alia quædam caſtella, atque oppida recepit: Tuideliámque Scoticam prouinciam ab Anglis magna ex parte poſſeſſam aſſeruit: ad Gedoariam aliquot dies eundo, redeundóque commoratus (ſiquidem & in Angliam populabundus excurrit) nec multò pòſt Thermeum ſucceſſorem accepit. Vt autem poſtremum Scoticæ ſuæ militiæ actum illuſtriorem redderet, inſulam quam vulgo Aquariam appellant paruam illam quidem, ſed paucis ſtadiis à Scotia ſeparatam aggreſſus eſt: omnem inſulæ oram vallo ſepſerant, cuſtodiáſque addiderant ſeptem ſelectæ Anglorum cohortes; quos ille Gallorum cohortibus, atque aliquot equitibus in triremes quatuor, multáſque ſcaphas immiſſis magna cum cæde repulit, acriterque perſequutus vnà cum fugientibus in arcem ingreſſus eſt, & præſidio impoſito de reditu cogitauit. Lethe portu ſoluens Iulio menſe nono poſt die Dieppam appulit: quo tempore Eſſeus in Scotiam nauigauit. Gaſpar Colignius Caſtilio Gallorum peditum tribunus propugnaculum Bononienſem portum deſpectans è regione turris Ordreæ ſiue ordinatæ erexit; quo loco antea Franciſcus extrui Biezio mandarat: id demoliri

Humas arx magni momenti Galli capiunt.

Multa feliciter gerit Eſſeus, & tandem ſucceſſorem habet Thermeum.

Digitized by Google

moliri ſæpius, ſed fruſtra Angli conati ſunt: vnde multæ excurſiones hinc inde factæ.

16 Menſe Iunio Burgundiam ac Galliam Tranſalpinam Henricus inuiſere inſtituit, ne ſi Cæſar Germanicis victoriis elatus vires ſuas in ipſum conuerteret, regiones eidem magis obiectæ ad reſiſtendum imparatæ deprehenderentur: quibus peragratis Lugdunum primum magna ciuium lætitia nono Kalend. Octobris iniit magnificentiſſimè exceptus: vbi & Regiæ ſocietatis equitum Michaëlea celebrauit. Eodem menſe Octobri Molinis Ioanna Henrici Alebreti Regis Nauarræ vnica filia Cliuenſi regulo ante deſponſa, Annio Borbonio Vindocinenſi regulo nupſit. Dum in Gallia Tranſalpina ageret Henricus tumultum in Sanctonibus & Burdegalenſibus excitatum ob ſalinarium vectigal intellexit: cui compeſcendo Henricus Rex Nauarræ Aquitaniæ adminiſtrator trecentos cataphractos equites oppoſuit: ſed hi repulſi nihil profecerunt. Cauſam rebellioni dederat Rex Franciſcus qui anni huius ſæculi quadrageſimitertij initio, vt ſupra ſcripſimus, vniuerſæ fere Galliæ ſalinarium vectigal indixerat. Id quoque tentarat prius Carolo Borbonio vltimo Boiorum regulo in Galliis noſtris agente, qui quum prouincias ſuas huic iniquo vectigali obnoxias reddi pati nollet, res in aliud tempus dilata eſt. Borbonio Gallia pulſo Franciſcus omnia ſibi licere arbitratus nouam hanc Galliæ ſeruitutem impoſuit: inde irritati Sanctones, Burdegalenſes, Pictones, cæterique Aquitani, atque his adiacentes inſulæ nec ſolum propter graue, & inſolitum vectigal, ſed etiam propter nouorum magiſtratuum, qui vectigali exigendo præerant, innumerabiles rapinas, eoſdem malè mulctarunt: nonnullos etiam trucidarunt. Repulſis Nauarri equitibus ruſtici in cohortes diſtributi tertio Nonas Auguſti ad Archiacum pagum coierunt, tribunóſque ſibi delegerunt: tribuni vt ad Bagnum recenſerentur edixerunt, ad quadraginta, & paulò plura millia nomina dederunt, qui totum Sanctonum agrum, Burdegalenſémque peragrantes, & quotquot ſibi iungi recuſabant compilantes, nonnullos trucidantes, aliorum domos incendiis fœdantes totam ferè eam regionem ſibi parere coëgerunt, Cogniaco, fano Angeli, & paucis aliis vrbibus exceptis: aliquot ex ſeditioſis Engoliſmenſes interceperant: at tumultuarius ille exercitus vrbem circumſedens commeatu non parato anxiam vt captiuos reſtituerent, adegit: decimoſeptimo Kalend. Septembris Sanctonum maior tribunus ad Burdegalenſes ſcripſit, vt armis inſtructi, prouiſóque commeatu ad Liburnum conuenirent. Acceptis litteris Burdegalenſes ſalinarios magiſtratus Senatu præ metu nihil decernente ex vrbe pepulerunt, & ferè omnes ad publicas ædeis, vbi armorum omne genus repoſitum erat, accurrerunt: quidam etiam ærea miræ magnitudinis campana quæ ibi collocata erat, totas duodecim horas populum excientes tumultum ingentem concitarunt. Gotofredum Chaſſaneum, ſiue Chaſſanam, alij vnum ex Senatus principibus, vt ſecum ad arcem, quam vulgo Trompetam vocant, adiret, coëgerunt: vbi Triſtanus Moneius vrbis præfectus habitabat: quam & Haſum alteram arcem commeatu, cæteriſque rebus ad propugnationem neceſſariis munierat. Chaſſaneus Moneio perſuaſit, vt ad publicas ædes tumultum ſedaturus accederet: is cum Chaſſaneo illuc profectus, & populum vt arma deponeret, ac meliorem mentem indueret prudenti oratione cohortatus, omnia adhuc illis integra eſſe ne ſeditionis arguantur denuntiauit, & populum furore amentem medendo ægreſcere animaduertens ſe in tutiorem ædium partem recipere conatus eſt: at retrocedentem populus circiter primam horam pomeridianam, vt Galli numeramus, immaniter trucidauit, nudúmque cadauer ibi reliquit: quod Carmelitæ ſodales poſtridie in ſuam ædem abſtulerunt, ac ſepulturæ mandarunt. Eo die, noctéque conſequente multæ Senatorum, opulentorúmque ciuium domus direptæ, multi ciues viri probi cæſi fuerunt. Burdegalenſes magiſtratus comprehenſos eos qui campana ſeditioni initium dederant, capite luere iuſſerunt, capitáque adeo ipſa ad campanam affigenda curarunt, & quinque præterea ex ſeditioſis morte mulctarunt: at ſeditioſi nihilominus portas retinuerunt: vigilias noctu, interdiúque egerunt, atque ad Idus Septembris vrbis compotes fuerunt.

Hĕricus Burgundiam & Galliã Trãſalpinam inuiſit.

Tumultus ob ſalinas apud Sãctones & Burdegalenſes excitatus, & rebellio.

Moneius populum oratione placare conĕdens interficitur.

17 Burdegalenſes magiſtratus Henricum Lugduni agentem huius tumultus certiorem fecerunt, quem non aduerſus Regiam maieſtatem, ſed aduerſus intolerabiles ſalinariorum magiſtratuum rapinas excitatum addiderunt. Henricus miſſo diplomate vt ab armis diſcederent, mandauit: ſe vt de ſalinariis magiſtratibus inquiratur, eorumdémque rapinæ coërceantur, perfecturum. Quo diplomate Burdegalæ, Engoliſmæ, atque in Sanctonibus proclamato tumultus omnis conquieuit: de cuius authoribus, ac præſertim de Moneij cæde, qua Regia maieſtas in primis læſa erat, vt vltio ſumeretur, ſub finem Septembris duos, ſed non magnos exercitus in Aquitaniam miſit: alterum per Vaſcones, Narbonenſémque Galliam, cuius erat prætor Annæus Mommorencius equitum magiſter, alterum

Hĕricus miſſo ad Burdegalenſes diplomate tumultũ compeſcit.

Digitized by Google

alterum per Pictones Fanciſcus Lotharingus paulò pòſt patre mortuo Guiſanus regulus nuncupatus Burdegalam deduxit: hi ad Lingonem quatuordecim paſſuum millibus Burdegala diſtantem conuenerunt, & mox coniunctis copiis in quibus mille equites, peditum decem millia fuiſſe traduntur, duodecim & octo maioribus tormentis præcedentibus Burdegalam verſùs contenderunt. Biduo antequam appellerent, Salxius vrbis præfectus eiuſdem claueis ad Mommorencium attulit, qui pro magiſtratu Regius legatus erat; tametſi Aumallium collegam habebat: & Burdegalenſes vt eoſdem magnificè exciperent, ſeſe comparabant. Hæc omnia humanitatis officia Mommorencius dedignatus vrbem quaſi vi captam inſtructo exercitu tormentis ad terrorem in fronte collocatis non portis, ſed muri parte ſolo æquata iniit, Caroli vltimi Burgundiæ reguli Eburonum Metropolim ingreſſuri exemplum imitatus: ſed illi tertio rebellarant, & longè maiorem vlciſcendi occaſionem dederant: ſingulis portis cuſtodiendis ſingulas cohorteis attribuit: Germanorum peditum agmen vigilias agere iuſſit: Burdegalenſibus vt omne armorum genus in publicas ædeis comportarent, edixit non ſolum quæ inde abſtulerant, ſed & quæcumque aliunde ſibi compararant.

Burdegalenſes ſeditionis pœnas luunt.

Tum Nullius ſupplicum libellorum magiſter cum aliquot Phocenſis prouinciæ Senatoribus de ſeditionis initio, progreſſúque, ac Moneij cæde inquiſiuit: Nouembri menſe eorum Senatorum decreto Burdegalenſes omnibus priuilegiis antiquatis, mulctis etiam grauibus adhibitis læſæ maieſtatis damnati fuerunt: centum quinquaginta ex honoratis ciuibus morte mulctatis, cæteris tam Burdegalenſibus ciuibus, quam totius agri, necnon Sanctonici incolis pecuniarias mulctas Henricus poſtea remiſit: at alij præterea eiuſdem ſeditionis rei aliis in locis ſupplicio affecti ſunt: aut ſi nondum comprehendi potuerant, Tholoſanis Senatoribus, aliquótque Regiis miniſtris, quibus vitæ, necíſque poteſtas data eſt, puniendi relicti fuerunt: campanæ humi ſtratæ remanſerunt: Moneij cadauer è Carmelitis ad Pontificiam ædem celebri pompa funebri tranſlatum, ibique magnifico ſepulchro conditum cum elogio, quo cauſæ, dies, genus mortis explicantur: iuſtitium Senatoribus indictum donec aliter Henricus ſtatuiſſet. Burdegalæ circiter viginti dies Mommorencius, atque Aumallius commorati vrbi iuſtum præſidium reliquerunt: Ludæum Comitem præfecerunt, & per Pictones ad Henricum reuerterunt. Quum Pictauiam iniiſſent viri eius ciuitatis primarij non ſolum ſuo, totiúſque agri, ſed & Sanctonum, Engoliſmenſium, Petracoriorum, Lemouicum, & vtriuſque Marchiæ nomine, qui non ita dudum quartam ſalis ac quartæ dimidiam partem duntaxat Regi pendere ſolebant, vt ad antiquam libertatem, quam Franciſcus Henrici pater anno huius ſæculi quadrageſimo ſecundo imminuit, reducerentur, ſupplices obſecrarunt: intolerabiles eſſe ſalinariorum magiſtratuum rapinas: inde nouos tumultus excitatos, niſi Rex aliter prouideat, ſolum ſibi eſſe vertendum: ſi in priſtinum ſtatum reſtituentur, iuſtam pecuniam, qua Rex in bellis à Cæſare totius Germaniæ victore ſibi imminentibus vtatur, perſoluturos. Mommorencius atque Aumallius iuſtas illorum querimonias videri reſponderunt: ſi legatos ad Regem mittent, ſe cauſam illorum bona fide curaturos. Id menſe Octobri anni proximi quadringentis quinquaginta librarum Turnonenſium millibus (ſic enim tum ducenta nummûm aureorum millia æſtimabantur) in Regium ærarium illatis executi ſunt.

Moneio honorificè parentatur.

Henricus ex Gallia Traſalpina rediens magnũ militum numerũ clã comparat aduerſus Anglum.

Peragrata Burgundia ac Gallia Tranſalpina, quæ Cæſarianis magis obiectæ erant, pacata Aquitania, Angliſque è Scotia fortiter repulſis, & multum inter ſe diſſidentibus (nam inter Eduardum Regis tutorem, Thomámque Semerum Amyralium eius fratrem acres inimicitiæ exercebantur, & Ioannes Varuicus Comes vtrique infenſus erat: quibus popularis ſeditio, vt nuper ſcripſi, accedebat) Henricus Lutetiam Regio apparatu inire conſtituit, & magnum militum numerum clam ſibi adeſſe iuſſit, qui & concurrentium ad eam celebritatem multitudine, & populoſiſſimæ vrbis frequentia facilè tegerentur: ne quid Angli Regem aduerſum ſe moliri ſuſpicarentur, à quibus Boloniam recipere, caſtelláque nuper extructa expugnare decreuerat. Igitur decimoſexto Kalend. Auguſti anno huius ſæculi quadrageſimonono magno Regiæ ſtirpis, cæterorúmque principum, Gallorúmque procerum comitatu ſtipatus Regiam vrbem ingreſſus eſt à Pariſienſibus magnificè, ſumm áque cum lætitia exceptus. Ibi lætis conuiuiis, hilaris matronarum ac virginum choreis, ludicris equitum, peditúmque certaminibus, aliíſque id genus oblectamentis feſti aliquot dies traducti, mox ad ſeria progreſſus factus eſt. Paulò ante, hoc eſt, decimoſexto Kal. Februarias decretum Senatus Pariſienſis editum eſt, quo in Lutetiæ ſuburbiis noua ædificia extrui prohibebantur, ne vrbs mole ſua iam laborans ſupra modum

modum exereſceret. Tum de Biezio Mareſchallo, ac Iacobo Couſſio iudicium inſtitutum eſt: quod Rex (opinor) de Bononia breui recipienda deliberaſſet. Huius vrbis ignauè deditæ Iacobus Couſſius Veruinius, quod initio eidem malè prouidiſſet, accuſatus eſt Biezius Mareſchallus eius ſocer: ille capite mulctatus, hic magiſtratu motus, & in cuſtodiam traditus eſt: quem tamen poſtea Henricus liberauit. Bononiæ quaſi inexpugnabili generum præfecerat Biezius: Montrolium non ita munitum, aut potius infirmum tuendum ſuſceperat: illam Henricus Octauus Angliæ Rex, iſtud Northfolcius Anglus ac Burenus regulus Flandel circumſederant. Veruinio quod rei militaris non admodum peritus erat, Philippum Corſum virum militarem Biezius comitem addiderat: Corſus prima oppugnatione fragmento lapidis tormenti pila excuſſo cæſus eſt: tum Veruinius conſilij inops, atque animo conſternatus ſummo Bononienſium magiſtratu (maiorem illi vocant) vehementer repugnante, qui cum ciuibus, & ſtrenuis militibus, qui remanere mallent, ſe vrbem conſeruaturum, ſiquidem Veruinius abire vellet, pollicitus eſt; de deditione egit, atque inuitis Bononienſibus pactus eſt: poſtridie tam dira tempeſtas denſa grandine, pluuiſque mixta caſtra Anglica inuaſit, vt omnia tentoria euerterit, víxque miles imbre madidus pedibus in ſolo pingui lapſantibus in veſtigio conſiſteret: tantum abeſt vt ad oppugnationem ſe comparare poſſet: & Henricus Delphinus cum exercitu intra biduum auxilio fuiſſet. Veruinius nihilominus hoc quaſi portento haud deterritus à fœda pactione non diſceſſit, quamuis nullos adhuc obſides dediſſet: tantum homines inexpertos ignauus timor abiicit! Errorem ſuum excuſabat Biezius quod Montrolium vrbem infirmiorem defendendam ſuſcepiſſet, Bononiam munitiſſimam genero credidiſſet: verumenimuero Montrolium diu retinere non potuiſſet Anglus, quotannis enim firmo exercitu ad commeatum importandum opus fuiſſet, qui parua impenſa, hoc eſt, paucis nauibus quotidie Bononiam deportabatur.

Veruinius Bononiæ prius ignauè inuitis ciuibus deditæ pœnas capite luit.

20 Hoc veluti præludio ad Bononienſem expeditionem Henricus vſus Mommorencium equitum magiſtrum, ac Franciſcum Lotharingum tum Aumallium regulum in Belgicam ad cogendum exercitum præmiſit, atque interim Eſſeum, à quo Anglorum vires, ac bellandi morem cognoſceret, arceſſiuit, & vt ſe in hoc bellum ſequeretur, edixit. Augusti initio Galliam Belgicam, quam Picardiam vocamus, ingreſſus Abbeuillam petiit: cui decimoſexto Kalend. Septembris Mommorencius, atque Aumallius ad Montrolium obuiam prodierunt: poſtridie ad Caſtellum Nouum (id vici nomen eſt Ardelotiæ ſiluæ propinqui, Montrolio paſſuum octo millibus diſtantis) vbi caſtra conſederant, itum: vnde ad montem Lambertinum Rex progreſſus non procul inde caſtellum extruxit, firmóque præſidio muniit, ne commeatus dum in exercitum importatur, ab hoſtibus interciperetur: ac primum Sellaquam caſtellum tormentis concuſſit; quo vi capto Angli propè omnes trucidati ſunt: huic duæ duntaxat peditum cohortes præſidio erant: at Amblitellium ſex inſederant, quæ ſe dies aliquot fortiter defenderunt: mox tamen deditionem fecerunt: hic omnem commeatum, omne inſtrumentum bellicum, quod Bononiam, atque in vicina caſtella deportabatur condere Angli conſueuerant: vbi multa varij generis tormenta, magnâ ſulphurei pulueris atque omnis generis commeatus copiâ noſtri repererunt. Blanconetiani tormentorum conſpectum non expectarunt, ſéque miſſis ad Regem legatis dediderunt. Monlambertini occulta fuga euadentes Guinam petierunt: in vtroque caſtello multa ænea varij generis tormenta reperta in noſtrorum poteſtatem venerunt. Supererat turris Ornata, ſiue Ordinata (vt alij vocare malunt) multis vndique nouis munitionibus firmata, quam circum Rex de potiunda cogitans foſſas diligenter agere iuſſit: verum denſæ pluuiæ totum biduũ continuatæ, atque inſtans hyems, vt ab incepto deſiſteret, coëgerunt: itaque caſtellis bello partis firma præſidia impoſuit: turris, ac Bononiæ oppugnationem in proximum ver diſtulit, & ad reditum ſe comparans exercitum dimiſit. Seditionem in Anglia excitatam nuper ſcripſimus: ea ita demũ exarſit, vt ad manus veniretur: Regij turbam rebellantem multa cum cæde repulerunt: hinc tam propter ſeditionẽ, quàm propter capta à Gallo Bononienſia caſtella Semerum Regis tutorem Angli proceres Vindeſoræ capiunt, Londinúmque abductũ in cuſtodiam tradunt, & ſcripto edito malè adminiſtratæ Reip. accuſant. Horum princeps erat Ioannes Varuicus Comes Semeri acer inimicus: inimicitiarum eadem, quæ inter Semeros fratres cauſa fuit, nempe magnorũ principum fatalis pernicies immanis ambitio: vterque enim ad regnũ occupandum aſpirabat: quod tamen Semerũ in cuſtodia haberi Rex moleſtè ferebat, affinitatem inter illos Angli proceres initio Februarij ſequẽtis anni conciliant. Semeri è cuſtodia educti filiam Varuici filius vxorẽ duxit, & Northumbriæ Ducatu Varuicus à Rege donatus eſt. Hi inter ſe conciliati,

Hẽricus bellum ad Bononiam recipiendam ſeriò inſtruit.

Sellaqua Caſtellũ & Amblitellium à Gallis capta.

Blãconetiani ſe Gallis dedunt.

Monlambertini aufugiunt.

ciliati, & res Anglicas tum ad Bononiam, tum in Scotia multum attritas animaduertentes (vehementer enim Anglos Thermeus vrgebat, atque Edintonianum præſidium ita dira peſtis affligebat, vt ſub initium anni ſequentis inde migrare, oppidúmque pro derelicto habere coactum ſit) ad pacem ineundam animum adiecerunt: de qua Guidotius quidam Italus mercator, verum Angliæ ducta ibi vxore iamdudum incola iam ante ſermonem iniecerat. Conuenerunt eodem menſe Galli, Anglíque legati, & tandem ita rem perduxerunt, vt ſumma vtriuſque nationis lætitia, conſenſúque confirmata ſit: cuius capita Latino ſermone quod ſe Gallicum non ſatis intelligere cauſarentur, Angli perſcribi voluerunt: nos, quamuis de iis anni proximi initio conuenerint, deſcripta in hunc locum contulimus, vt continens ſit narratio, nec interrupta relinquatur, nec immutandum quicquam duximus.

Pax inter Gallum Anglúmque Reges conciliata.

Fœderis initi capita Latino ſermone conſcripta.

Vniuerſis & ſingulis ad quorum notitias præſentes litteræ peruenerint, ſalutem. Quum 21
multa ſint in bonis principibus, magníſque viris laude digniſſima, nihil tamen præclarius, maioríque commendatione, ac ſæculorum omniũ memoria celebrandum magis vnquam extitit, quam cum ita ſe natos meminerint, vt ad ſuorum ciuium ſalutem, ſtudia omnia, ſuáſque cogitationes omnes cõferendas putent, atque ita ſuos ab omni iniuria tueantur, ac defendant, vt tamen paci, & publicæ quieti, quoad fieri poſſit, ſemper conſultũ velint. Quo fit vt cum merito nobis gratulari debeamus, tum præcipuè Deo Opt. Max. gratias agere, qui talem mentem dedit potentiſſimis, & inuictiſſimis Henrico Regi Francorum Chriſtianiſſ. huius nominis Secundo, & Edouardo Sexto Angliæ Regi, vt pronis animis in fœdera coirent, & inter ſe eam pacem ſtabilirent, quæ in infinitas ætates ad poſteros eſſet tranſitura. Idque eo maiore ſuorum ciuium & commodo, & deſiderio, quod poſt tot malorum & calamitatum myriadas, quas innocua plebs ad hanc vſque diem maximè pertulit, maius periculum erat, ne accumulatis quotidie iniuriis grauius multo tantorũ Regum exulcerarentur animi, odiáque prima adhuc, & vitæ, & imperij ætate concepta, cum annis veteraſcerent: ac proinde maximo vtriuſque regni malo altiùs radices agerent, vt difficillimum eſſet ea ex animis euelli, niſi diſſidiorum, ſimultatum, bellorum, diffidentiæ materiam primis incunabilis imperij ſui deponerent, atque abiicerent: próque his mutuam beneuolentiam, ſincerámque amicitiam inirent: quæ optimis principiis ſata, officiorum viciſſitudine, & temporum ſucceſſione propagaretur, arctioríque tandem vinculo ſanciretur: itaque optimi illi principes, & duo totius Chriſtianiſſimi orbis lumina, tametſi nullas priuatas ſimultates inter ſe gererent, reliquias quaſdam bellorum à maioribus traditas quaſi per manus cum accepiſſent, eas vt tollere, & penitus extirpare, concordiáque, ac mutua beneuolentia conſopire poſſent diligenter elaborauerunt: ne malum hoc latius ſerperet, & maioris diſſidij, velut ex fomite incendium, ſeminarium quoddam ſuſcitaret. Quod eo magis diuini numinis præſentia incredibili quadam bonitate naturæ, in ipſis factum videri debet, quod cum ætas quæ bellorum auidior eſſe ſolet, & vitæ, diſciplinæque ratio ad arma ſtimularet, memores tamen, quãtum bello pacem prætulerit Saluator noſter Chriſtus, qui ad patrem rediturus ſuæ erga nos beneuolentiæ perpetuum teſtimonium, pignoris loco futuram pacem nobis eſt largitus: idcirco quodã animi, & certo conſilio ad pacem & concordiam regnorum & Imperiorum conſeruationem tam promptè inclinarunt, vt nulla ſit futura tam ingrata poſteritas, quæ non eos dignos immortalitate ſit iudicatura: quibus tantopere publica quies, & communis omnium ſalus curæ fuerit, ac magis etiam quàm propriæ laudis & gloriæ ampliandæ ſtudium. Ac quo magis pax inter eos ſtabiliretur, ſunt ab ipſis hæ leges, ea pacta & conuenta poſita, quibus obfirmatis, nulla vnquam hominum peruerſitas tanta eſſet futura, vt eam tollere, ſed ne labefactare quidem poſſet. Quin poſteris, & Regibus, & ſubditis, à bellis quietem & cum fœlicitate tranquillum otium non ſine ſumma laude & beneuolentia tantorum Regum qui authores extiterint eſſet allatura. Nos igitur Franciſcus de Mommorency Dominus de la Rochepot, Inſulæ Franciæ Prorex, atque gubernator, necnon eiuſdem Chriſtianiſſimi Regis in Picardia legatus, ſeu locum tenens generalis, & Gaſpardus de Colligny Dominus de Chaſtillon, eiuſdem Regis in abſentia dicti Domini de la Rochepot, etiam legatus ſeu locum tenẽs generalis in comitatu Bolonienſi, Gallorúmque peditum præfectus, ab inſigni Diui Michaëlis equites aurati, Andreas Guillard Dominus du Mortier, etiam eques auratus, & eiuſdem Chriſtianiſſimi Regis conſiliarius in ſuo priuato & ſanctiore Conſilio, & Guilielmus Bochetel Dominus de Saſſy, eiuſdem Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarius, & ſtatus regni à ſecretis, ac etiam ordinis ſancti Michaëlis ab actis, ſeu grapharius, oratores, commiſſarij, procuratores, & ambaſ-

ſiatores

,, ſiatores ad infra ſcripta ſufficientem authoritatem habentes, cum egregiis, magnificis, &
,, nobilibus viris, Dominis Ioanne Comite de Bedfort, priuati ſigilli eiuſdem ſereniſſimi Re-
,, gis Angliæ cuſtode, Guilielmo Paget Domino de Beaudeſert ordinis Garterij, equitibus
,, auratis, Guilielmo Petre ſecretario primario, & Ioanne Maſon in lingua Gallicana etiam
,, eiuſdem Regis Angliæ ſecretario, equitibus auratis, præfati Regis conſiliariis, oratoribus,
,, commiſſariis, procuratoribus, ambaſſiatoribus, ad infra ſcripta ſufficienter auctorizatis,
,, quod fœlix fauſtúmque ſit, conuenimus, concordauimus, & concluſimus, atque auctorita-
,, te commiſſionum noſtrarum (quarum tenores inferius inſeruntur) per præſentes conue-
,, nimus, concordamus, & concludimus articulatim prout ſequitur.

,, 1 In primis conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod inter prædictos illuſtriſ-
,, ſimos, & potentiſſimos Reges, eorúmque hæredes, & ſucceſſores, qui in regnis Francorum
,, & Anglorum futuris temporibus Regiam dignitatem fuerint adepti, regna, terras, domi-
,, nia, ciuitates, caſtra, oppida, villas, vicos ab vtrouis nunc poſſeſſa, aut in poſterum poſſi-
,, denda, necnon ſubditos, clientes, vaſſallos, ſit vera, ſtabilis, firma, inuiolabilis, ſyncera, per-
,, petua, & certa pax, amicitia, confœderatio, vnio, ligua, & ſumma concordia: non ſolum
,, quoad ipſi Reges vitam egerint, quam Deus ſua clementia, & bonitate quàm longiſſimam
,, eſſe velit, ſed in omne æuum duratura.

,, 2 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod quamdiu hæc pax & amicitia
,, integra, inuiolatáque permanebit, omnes & ſinguli vtriuſque præfati regni, omniúmque
,, terrarum, & dominiorum, quæ nunc ab vtrolibet prædictorum Regum poſſidentur, aut in
,, poſterum poſſidebuntur, incolæ quacumque dignitate, quocumque ſtatu & cõditione ex-
,, titerint, poterũt ſeſe mutuis officiis amicitiæ proſequi, & excipere liberè, tutò, ſecurè, vltro
,, citróque, terra maríque, ac fluminibus cõmeare, nauigare, inter ſe contrahere, emere, vẽde-
,, re, illícque quãdiu velint morari, vel hinc inde, quãdo viſum erit, recedere, & abire, & quæ
,, cõparauerint, emerint, arte, opera induſtria laboréve, aut quocumque iuſto modo quæſie-
,, rint, ad ſuos vel exteros quocumque locorũ libuerit, ſine vllo impedimento, offenſa, arre-
,, ſtatione, ſeu cohibitione, ſaluo conductu, licentia & ſpeciali permiſſione inuehere, & tranſ-
,, portare, ſaluis ſemper, & integris regnorum, & ciuitatum legibus, ſtatutis, & conditioni-
,, bus, prout per antiquos pacis tractatus, liguas, & confœderationes facere licuit.

,, 3 Conuentum etiam eſt pro libero intercurſu mercium, & mercatorum vtriuſque prin-
,, cipis, quòd durante pace prædicta, nulla nauis armata, & ad bellum ſeu guerram parata, &
,, inſtructa egredietur, ſeu egredi permittetur portus maritimos regnorũ Franciæ, & Angliæ,
,, niſi prius ſatiſdederit ac bonam & ſufficientem cautionem præſtiterit in manibus Admi-
,, raldi Franciæ, ſeu eius locum tenentis, vel alterius iudicis ordinarij illius loci, & hoc
,, quoad naues Franciæ & Admiraldi Angliæ ſeu eius locum tenentis, aut couſtumariorum
,, prædictorum portuum, quoad naues Angliæ de non euadendo, moleſtando, deprædando,
,, vel officiendo, ſubditos vtriuſque principis, aut eorum alterius, nec eorum alligatos, nec
,, eis iniuriam aliquam inferendo ſub pœna publicationis nauium, & punitionis corporis
,, cum reſtitutione omnium bonorum, & damnorum quibuſcumque illatorum.

,, 4 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod vrbs Boloniæ, & portus eiuſ-
,, dem, cum omnibus propugnaculis, & fortalitiis captis, expugnatis, extractis, aut fortificatis
,, in patria & comitatu Bolonienſi, à tẽpore bellorum nouiſſimè ſuſceptorum inter defun-
,, ctos bonæ memoriæ principes Franciſcum & Henricũ Frãciæ & Angliæ Reges, quæ nunc
,, à dicto ſereniſſimo Rege Angliæ in dicta patria & comitatu Bolonienſi poſſidentur & de-
,, tinentur, infra ſex ſeptimanas à die datæ præſentis tractatus, reſtituentur in manus, & po-
,, teſtatem dicti Chriſtianiſſimi Regis, aut ab eo ad id committendorum & deputandorum
,, ea integritate, fortificatione & melioratione atque nunc ſunt. Idque bona fide, & ſine dolo
,, malo, ſimul etiam omnia tormenta, & omnes machinæ bellicæ, cum omni ſuo apparatu,
,, ſcilicet puluerum, boulletorum, mortariorũ, atque omni alia munitione bellica, quæ tam
,, erant in ipſa vrbe Bolonienſi, quam in præſidiis, & propugnaculis circumiacentibus per
,, dictum Regem Angliæ nunc poſſeſſis, cum in poteſtatẽ eiuſdem ſereniſſimi Regis Angliæ
,, venerunt: quorum ſi qua pars perierit, aut ad ſuum vſum inutilis facta fuerit, idem ſere-
,, niſſimus Rex Angliæ damnum factum tenebitur reſarcire in hiſdem ſpeciebus, machina-
,, rum formis, viribus, materia, & numero, cúmque omni re frumentaria, annona, & reli-
,, quo commeatu alendi exercitus cauſa comparato, quo cum inſtructa ea loca fuerint, tum
,, ipſa in poteſtatem dicti Chriſtianiſſimi Regis reſtituentur.

,, 5 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quòd dictam reſtitutionem prædi-
,, ctorum locorum, ſic vt ſupra dictũ eſt faciendo intuitu & conſideratione dictarum forti-

ficationum & meliorationum, ac ſumptuum per dictum Regem Angliæ in dictis locis impenſorum, ac ratione etiam tormentorum, ſeu machinarum, commeatúſque tam rei bellicæ, quàm annonæ, dictus Chriſtianiſſimus Rex tenebitur ſoluere, & tradere dicto Regi Angliæ ſeu ab eo deputandis, ſummam quadringentorum millium coronatorum auri de Sole, in coronis auri de Sole, valoris, ponderis, pretij, puritatis & æſtimationis, quibus nunc ſunt, & communiter exponuntur in dicto regno Franciæ. Quæ quidem ſumma vt ſequitur eidem Regi, ab eóve deputandis, in oppido Caleſij ſoluetur, videlicet ſumma ducentorum millium coronatorum auri de Sale, valoris prædicti, tum cum realiter, & cum effectu in manus dicti Regis Chriſtianiſſimi, aut ab eo poteſtatem habentis, dicta vrbs Bolonienſis, aliáque propugnacula, ſeu fortalitia, ſic vt dictum eſt inſtructa, munita & reſtituta fuerint, aut ſaltem infra tres dies proximè ſequentes, & altera pars prædictæ ſummæ, ſummam ducentorum millium coronatorum auri de Sole conficiens, intra & ante diem Diuæ Virginis ſacratiſſimæ, videlicet decimumquintum menſis Auguſti proximè ſequentis, eidem Regi Angliæ, aut ab eo deputandis in eodem oppido Caleſij, & valoris ſic vt dictum eſt etiam ſoluetur.

6 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod vt meliùs vtriſque Regibus cautum ſit, & prouiſum, Chriſtianiſſimo videlicet Regi de vrbe Boloniæ, & dictis propugnaculis adiacentibus; Angliæ verò Regi de ſumma dictorum quadringentorum millium coronatorum auri de Sole: obſides vtrimque ſex numero infra feſtum Paſchæ proximum dabuntur, quorum nomina ſubſequuntur, videlicet pro parte dicti Chriſtianiſſimi Regis, Dominus d'Anguien, Dominus Marchio du Maine, filius Domini de Guyſe, Dominus de Mommorency primogenitus Domini Conneſtabilis, Dominus de la Tremoille, Dominus Vicedamus de Chartres, Dominus de la Hunaudaye, filius Domini Admiraldi. Pro parte dicti ſereniſſimi Regis Angliæ, Dominus Dux de Susfort, Dominus Comes de Hertforde. primogenitus ducis de Sõmerſet, Dominus Mautrauers, primogenitus Comitis Arũdelliç Dominus Talbot, primogenitus Comitis Schereirsburi. Dominus Strange, primogenitus Comitis Dherbi, Dominus Filuaran, primogenitus Comitis Bathmẽſis.

7 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod infra dictum diem Paſchæ vtrimque obſides dandi, ſiſtent & comparebunt, videlicet ex parte Chriſtianiſſimi Regis in oppido d'Ardres: & ex parte ſereniſſimi Regis Angliæ in caſtro de Guynes, & die proximè ſequenti dictum diem Paſchæ vtrimque concomitati ad ſummum numerum ducentorum hominum conueniant in confinibus dictorum locorum, vnde dicti obſides vtrobique recipiantur: ſcilicet Galli à deputatis ſereniſſimi Regis Angliæ, Angli verò à deputatis Chriſtianiſſimi Regis.

8 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod vbi primum dictus ſereniſſimus Rex Angliæ tradiderit, & reſtituerit dictam vrbem Boloniæ, cum prædictis propugnaculis ſic vt dictum eſt, inſtructis, & munitis dicto Chriſtianiſſimo Regi, aut ab eo deputandis; dictus Chriſtianiſſimus Rex tenebitur donare libertate prædictos obſides Anglos, vt illis liceat quoties commodum viſum fuerit, Angliam repetere, vel quouis alio proficiſci, aut pro arbitrio vbiuis morari.

9 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod ſoluendo priorem dictæ ſummæ quadringentorum millium coronatorum auri de Sole, partem, ſummam ducentorum millium coronatorum auri de Sole conficientem dicto ſereniſſimo Angliæ Regi, aut ab eo deputandis in prædicto oppido Caleſij, dictus ſereniſſimus Rex Angliæ tenebitur liberos tres dimittere ex prædictis ſex obſidibus Gallis, quos Chriſtianiſſimus Rex ex dictis ſex obſidibus liberandos duxerit.

10 Item conuentũ, concordatũ, & concluſum eſt quod dictus ſereniſſimus Rex Angliæ tenebitur etiam libertate donare reliquos tres obſides Gallos, ſoluendo illi aut ab eo deputandis alteram & poſteriorem partẽ prædictæ ſummæ quadringentorũ millium coronatorum auri de Sole, ducentorum millium coronatorum auri de Sole ſummam conficiẽtem, eiuſdem ponderis, valoris, puritatis, & æſtimationis, prout dictum eſt. Quibus obſidibus Gallis dicta poſteriori ſumma perſoluta, licebit in Galliam proficiſci, & ad ſuos redire.

11 Item conuentum, concordatũ, & concluſum eſt, quod arces ſeu caſtra vulgo nuncupata de Donglas & Ladre in regno Scotiæ conſtructa, per dictum ſereniſſimum Regem Angliæ reſtituentur Reginæ Scotiæ ab eáve deputandis, cum ſuis fortalitus, & munitionibus, tormentis & machinis bellicis, in dictis caſtris ad tuitionem, & defenſionem eorumdem exiſtentibus, exceptis illis machinis bellicis, quæ à loco nominato Adinton illuc fuerunt aduectæ. Idque quam citiſſimè commode fieri poterit, & antequam dicto ſereniſſimo

Digitized by Google

ſereniſſimo Regi Angliæ ab eodem deputandis poſterior dictæ ſummæ quadringentorum millium coronatorum auri de Sole pars perſoluatur. Quibus caſtris & locis de Donglas & Ladre, reſtitutis licebit Anglis in dictis locis tunc exiſtentibus, illinc liberè, tutò, & ſecurè, cum ſuis ſarcinis abire, & quo voluerint ſecedere, cúmque omnibus machinis bellicis à dicto loco de Adinton in præfatas arces de Donglas & Ladre inuectis.

12 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod ſi dictæ arces, ſeu caſtra de Donglas & Ladre deſierint eſſe in manu & poteſtate dicti ſereniſſimi Regis Angliæ, nihilominus tamen liber erit ab ea obligatione, qua illa (vt ſupra dictum eſt) reſtituere ſpoponderat, & ſe obſtrinxerat, pro quibus & veluti recompenſæ loco idem ſereniſſimus Rex Angliæ tenebitur oppida, & caſtra Roxbourg & Aymonde diruere, & ſolo æquare intra quadraginta dies, à die datæ præſentis tractatus: nec licebit dictis ſereniſſimo Angliæ Regi, Chriſtianiſſimóque Regi, Reginæve Scotiæ dicta loca de Roxbourg, & Aymonde reſtaurare, aut reædificare, & vlterius ſi dictus ſereniſſimus Rex Angliæ reddat, atque reſtituat prædictas arces Donglas & Ladre, prout ſupra conuentum eſt, tamen dicta oppida de Roxbourg & Aymonde diruere, & ſolo æquare tenebitur. Si modo dicta Regina Scotiæ illud idem voluerit, & fecerit in dictis arcibus & caſtris de Donglas & Ladre quod ei acciderit, non licebit ſereniſſimo Angliæ Regi, Chriſtianiſſimóque Regi, Reginæve Scotiæ, eorúmve hæredibus & ſucceſſoribus poſthac reſtaurare & reædificare dicta oppida, & caſtra de Roxbourg & Aymonde.

13 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod dicta Regina, regnúmque Scotiæ in hoc tractatu pacis veluti confœderatus dicti Chriſtianiſſimi Regis comprehenduntur: quos dictus Rex Angliæ inuadere, aut bello laceſſere non poterit, niſi noua, & iuſta occaſione ab ipſis Scotis orta. Dictáque Regina Scotiæ certiorem facere tenebitur dictum ſereniſſimum Regem Angliæ, infra quadraginta dies à data præſentis tractatus, cum magno ſigillo Scotiæ, quod præſentem comprehenſionem omniáque in hoc tractatu conuenta quæ ad ſe, ſuúmque regnum pertinent, rata firmáque habebit. Quæ omnia & ſingula in præſenti tractatu conuenta & concluſa ſunt, reſeruatis ipſi, ſereniſſimóque Regi Angliæ, ac ſucceſſoribus ſuis omnibus aliis iuribus, actionibus, petitionibus, & prætentionibus per eum tam contra dictum Chriſtianiſſimum Regem, eiúſque ſucceſſores, quàm contra dictam ſereniſſimam Reginam, regnúmque Scotiæ prætenſis: necnon ipſis Chriſtianiſſimo Regi, Reginæ, Regnóque Scotiæ, ſuíſque ſucceſſoribus, eorum in contrarium iuribus, prætenſionibus, & defenſionibus, & exceptionibus etiam reſeruatis. Comprehendatur etiam pro parte dicti Chriſtianiſſimi Regis Carolus Quintus Germanorum Imperator, &c. in hoc tractatu pacis, pro ipſius confœderato perpetuo, ac etiam pro parte ſereniſſimi Regis Angliæ comprehendatur idem Imperator ſecundum vim perpetuæ confœderationis, quam idem Rex & Imperator, eorum regna, patriæ, ac ſubditi inuicem habent.

14 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod ſi quid contra vices, & effectus præſentis tractatus pacis, & amicitiæ, terra, marique: aut in aquis dulcibus per vaſſallum aliáſve, & ſubditum aut alligatum alterius prædictorum principum attentatum, actum, aut geſtum fuerit, nihilominus tamen hæc pax, ſiue amicitia in ſuis iuribus permanebit, & pro ipſis attentatis ſolummodo puniantur, qui damnum attulerint, & non alij.

15 Item conuentum, concordatum, & concluſum eſt, quod hunc præſentem tractatum pacis, amicitiæ dicti illuſtriſſimi, & potentiſſimi principes, ſcilicet dictus Chriſtianiſſimus Rex, & ſereniſſimus etiam Rex Angliæ de aſſenſu Conſilij ſui, infra quadraginta dies à data huius præſentis tractatus confirmabunt, & ratum habebunt, ac quod in litteras patentes ſuis ipſorum magnis ſigillis muniendas, ac propriis manibus eorumdem principum, & conſiliariorum dicti Regis Angliæ, ſubſcribendas, dicta confirmatio, & ratificatio redigetur, ipſaſque litteras confirmationis, vt dictum eſt, ſignis, & ſigillis munitas vterque princeps, alterius principis oratori ſiue commiſſario, oratoribus ſiue commiſſariis auctoritatem habenti, ſeu habentibus, mutuo & reciprocè tradet, realiter, & cum effectu. Iurabunt præterea dictus Chriſtianiſſimus Rex, & dictus ſereniſſimus Rex Angliæ in præſentia & cum aſſenſu dictorum ſuorum conſiliariorum, & vterque princeps in præſentia eiuſdem ſiue eorumdem oratorum alterius principis, ſe omnia & ſingula prædicta, quatenus eum concernunt, inuiolabiliter obſeruaturum & perimpleturum, attactis ſacroſanctis Euangeliis.

Digitized by Google

Equitum in Gallia conditio.

Equites in Gallia tam bello, quam pace ſtipendia merent: dum bellum vrget, in exercitu eſſe coguntur. Vbi pax data eſt mutuis vicibus in æſtiua, hybernáque ſtatiua mittuntur: eundo, redeundóque hoſpitum quos alarij deſignatores annotabant, aut ipſi pro animi libidine ſibi deligebant, ſumptu viuere ſolebant, & miſeram plebem exhauriebant: huic malo vt mederetur, ſtipendia Henricus auxit: cataphractis, qui annuum ſtipendium centenorum octogenorum francicûm accipiebant, quadringentos, auxiliariis, quos ab antiquo armorum vſu ſagittarios vulgo appellant, ducentos attribuit: ita vt in hunc numerum vetera ſtipendia includerentur; leuioris armaturæ equitibus, qui bello duntaxat merent, & denos in menſem francicos nummos accipiebant, ſenos denos exoluit, præfectis eadem proportione dependit. Hoc edictum duodecimo Kalend. Decembris anno huius ſæculi quadrageſimonono Lutetiæ promulgatum eſt, & quoad Henricus vixit, ſatis accuratè obſeruatum eſt. Bellis poſtea ciuilibus in Gallia flagrantibus equitibus ac peditibus non ſolum plebis ſumptu viuere, ſed & quod collibuit rapere, & ſtupris, ac cædibus omnia miſcere licuit, ſtipendia vtrique ſibi non dependi querebantur.

Fœdus inter Gallum & Heluetios renouatur.

Sub hoc tempus fœdus Henricus cum Heluetiis renouauit quod patris morte diſſolutum videbatur: id mirandum in modum Cæſar interrumpere nitebatur: Henrico nihilominus, qui Romanos in religione ritus ſequuntur, facile aſſenſerunt. Acceſſerunt & Lepontij ac Valeſiani: Schafuſiani item atque Baſilienſes tametſi Zuinglianæ, Caluinianæque ſectæ acerrimi propugnatores: Tigurini, ac Bernates Zuinglij præcepta retinentes, qui mercenariam militiam præſertim cum principibus aduerſæ perſuaſionis damnabat, inire recuſarunt.

Pauli III. Rom. Pontif. mors.

Quarto Idus Nouembris Paulus Tertius Pontifex Maximus diem ſuum obiit annos duos & octoginta natus, vt quidam tradunt, alij nonnullos addunt. Funus illi amplum totos nouem dies celebratum, cuius impenſas ad quinquaginta nummûm aureorum millia peruenisse tradunt.

Interim Cardinales ad creandum nouum Pontificem concurrerunt: in primis Tridentinus, qui Mantuæ adhuc agebat: quum Catharinæ Ferdinandi Romanorum Regis filiæ 23
cum Franciſco Mantuano regulo Federici filio nuptiis interfuiſſet: è Gallia noſtra nouem præter eos, qui iam Romæ erant: ex aliis item nationibus alij eodem properarunt, vt quatuor & quinquaginta numerum impleuerint. De Pauli ſucceſſore magna inter Cardinales contentio fuit, quæ in alterum & tertium menſem dilata eſt: tres erant factiones, Cæſaris, Galli, Farneſiorum: hæ duæ poſtremæ coniunctæ Ioannem Mariam Montanum Cardinalem Pontificẽ deſignarunt, quod Farneſiis addictiſſimus, à Gallis non alienus putabatur.

Maria Montanus ſummus Pótifex creatur.

Conclaue locum creandis Pontificibus attributum tertio Kal. Nouembris decimonono die à Pauli morte ingreſſi erant, quum decimo poſt vita functi Pontificis mortem ingredi ſolerent: multa ſuffragia tulit Reginaldus Polus Cardinalis Anglus: quominus Pontifex crearetur Theatinum Cardinalem, qui mox Paulus Quartus dictus eſt, obſtitiſſe ferunt, quem ad Lutherianam ſectam propenſum incuſabat: ſæcularem annum, ſiue Iubilæum (vt cum vulgo loquamur) de quo iam ſcripſimus, in ſequentem promulgarat Paulus, idque ſui Pontificatus fœlicitati tribuebat: duobus non integris menſibus antè morte præreptus ea fœlicitate frui non potuit: multi hoc nomine Chriſtiani Romam conuenerant. Kal. Decembris promulgatum Regium edictum eſt, quo iudicia de iis qui damnatæ perſuaſionis, ſiue hæreſis (vt loquuntur) arceſſuntur, Pontificibus, Pontificiiſque magiſtratibus permittuntur: ita tamen vt de criminibus huiuſcemodi Regij magiſtratus quærant, reóſque legibus interrogent, deinde eoſdem cum quæſtionis inſtrumentis ad Pontifices deducendos curent. Quibus criminibus ſi publica cauſa accedat, veluti ſeditio, aut aliud quippiam huiuſce notæ, tum Regij, Pontificiíque magiſtratus ſimul iuducia exercebunt: & ſi quæ prouocationes intercedent, ad Senatus intra quorum limites iudicia erunt, quemadmodum & cæteræ à Regiis magiſtratibus referentur: eodem edicto data eſt & Pontificiis apparitoribus poteſtas, vt huius duntaxat criminis, hæreſis (inquam) reos prehendant: quod noſtro more niſi permittente Regio magiſtratu non licebat.

Philippus Cæſaris filius ex Hiſpania reuertitur.

Sub anni ſuperioris finem Philippus Cæſaris filius annos circiter vnum, & vi- 24
ginti natus relicta Hiſpania, cui Maximilianus eius patruelis, ac ſororis maritus præerat, Genuam ſeptimo Kalend. Decembris appulit Albano regulo, Tridentino Cardinale, multiſque aliis proceribus comitantibus: claſſis Hiſpanica Andrea Auria duce quinquaginta triremibus, totidem onerariis conſtabat: Genuæ octo dies commoratus ad Inſubres tranſiit, Mediolanúmque decimoquarto Kalend. Ianuarij iniit.

Anno 1550.

Huius anni initio Venetias paruo comitatu adiit, à Senatu honorificentiſſime exceptus eſt: inde Tridentum, & Germaniam ingreſſus Spiram contendit, cui Cæſar inſignem

Digitized by Google

gnem equitatum Areſcotiano regulo duce obuiam miſit: ibi tranſmiſſo Rheno per Lotharingiam in Luceburgenſem agrum proficiſcens Flandricarum prouinciarum hæreditatem cernere occœpit. Kalendis Aprilis Bruxellas, vbi pater erat, magna pompa ingreſſus eſt: quem mox Cæſar per Flandriam, Hannoniam, Atrebates circumduxit, & populos in eius fidem adegit interim dum Gallus aduerſus Anglos bellum molitur: tanto autem luxu in ſingulas ciuitates admiſſus traditur, vt ſoli Antuerpienſes in hanc celebritatem vltra centena, ac tricena nummûm aureorum millia expendiſſe dicantur: quos cæteræ ciuitates pro ſuis facultatibus ambitioſe æmulatæ feruntur; ne quis ſolos Gallos in his ineptiis prodigos putet. Treis Paulus Pontifex Epiſcopos cum mandatis ampliſſimis in Germaniam miſerat, qui Belgicam ingreſſi Cæſarem octauo Kal. Iunij adierant: his data poteſtas erat, vt eos qui ad veterem Romanæ Eccleſiæ morem redire vellent, in gratiam reciperent, modo ipſi æquas leges acciperent, non præſcriberent: à quouis crimine etiam per multos annos continuato abſoluerent, modo id ſacerdoti more Romano indicarent: monachos (vt vocant) Lutherianis iureiurando obſtrictos, & extra cœnobia vaganteis non reiicerent: quinetiam his mutato veſtitus genere aliam ſacram functionem obire, cœnam quoque Domini his & aliis ſub vtraque ſpecie, modo totũ Chriſtum ſub vnaquaque iuxta Conſtantienſe Concilium eſſe intelligant, & ſeparatam, nõ cum aliis, qui alteram dumtaxat ſumunt, percipere permitterent: lactis, caſei, butyri, ouorum, carnium eſum locorum, hominumque habita ratione concederent: & alia quædam huiuſmodi mandata habebant, quæ cum Cæſarea Majeſtate communicare voluerunt, vt qui ea exequerentur, diſcerent: mandata Cæſar ſtatim ad Germanos Epiſcopos miſit: hæc in ſua diœceſi ſinguli ediderunt: aduerſus quæ Petrus Martyr, Mathias Flaccius Illyricus Meláchtonis quodam diſcipulus, atque alij quidam Proteſtantium miniſtri diſputarunt, & ſcripſerunt.

Antuerpienſium magnificentia.

25 Quinquageſimi huius ſæculi anni initio pax cum Anglis, vt ante ſcripſi, conciliata, Boloniáque Gallis reſtituta eſt: & Ioannes Maria Montanus, Monteſanſouinum à quodam agri Aretini oppido appellabant, biennio ſexagenario maior, alij annum detrahunt, Gallorum, qui tum quatuordecim numero creationi interfuerunt, ac Farneſiæ factionis Cardinalium opera Pontifex declaratus Iulius Tertius nominari voluit. Cæſari infenſus, à Gallis non alienus, Farneſiis multis de cauſis addictus exiſtimabatur: tametſi Pontifex creatus aliam mentem induit: nono Kal. Martias à Cardinale Cibone inauguratus eſt: biduo poſt reſeratis quatuor celeberrimi D. Petri templi portis luſtralem annum condidit, & Iubilæas indulgentias (vti vocant) celebrauit: quæ Kal. Ianuarij niſi Pontificatus interregnum obſtitiſſet celebrari debuiſſent. Has octauo Idus Februarij anni ſequentis finiit; quem diem Chriſtiani Epiphaniam vocamus. Antequam crearetur cum Alexandro Cardinale Farneſio de Parma Octauio Petri Ludouici filio confirmanda conuenerat: quod & mox præſtitit, eundemque Confalonnerium, vt Romani vocant, hoc eſt, Pontificiarum copiarum præfectum inſtituit: Aſcanium Columnam à Paulo Tertio proſcriptum reſtituit. Antiquo more Pontifices Romani Cardinalatum, quem nuper geſſerunt, cui volunt mandare ſolent: hic ſuo loco Innocentium quemdam infimæ ſortis adoleſcentem nullis vel animi vel corporis dotibus præditum, quem Bononienſis legatus in deliciis habuiſſe ferebatur, ſuppoſuit, eundémque ſuo nomine, atque inſignibus ornauit, atque inter domeſticos retinuit: de quo quum Cardinales quererentur, indignumque qui in id collegium admitteretur, proclamarent; Et vos (inquit) quid in me dignitatis comperiſtis, vt me tanto magiſtratu dignaremini? apertè illorum auaritiam, ambitionémque execratus, & in ſuis flagitiis impiè, impudentérque gloriatus, ac ſe Pontificatu indignum profeſſus: hinc illud Romæ vulgo iactatum, ab Ioue Ganymedem licet deformem foueri: erat enim adoleſcens ille natura admodum deformis & moribus impuriſſimis, itaque poſt eius mortem in carcere ſtrangulatus eſt. Creato, inauguratoque Pontifice Galli Cardinales in Galliam reuerterunt: inter redeundum Ioannes Cardinalis Lotharingus Franciſco Regi acceptiſſimus vitam cum morte commutauit, & ſacerdotia fere omnia præter Metenſem, Heluiorúmque Pontificatus, cognomenque Carolo Claudij fratris Guiſani reguli filio reliquit: Carolus enim à morte patrui Cardinalis Lotharingus dictus eſt: Guiſani cognomen Ludouicus eius frater in id collegium poſtea aſcitus vſurpauit, qui tum in Heluiorum Pontificatu Ioanni patruo ſucceſſit: in Metenſi autem Nicolaus alter Antonij Lotharingi reguli filius.

Nouus Pontifex Iulius Secũdus nominatus annum luſtralem ſiue Iubilaeum condit.

Ioãnis Cardinalis Lotharingi mors.

26 Hæc tum in Italia agitabantur, quum Cæſar ad Auguſtanum conuentum ire cogitaret: antequam Bruxellis diſcederet edictum graue tertio Kal. Maij in Lutherianos edidit, ne quis libros Theologorum Louanienſium catalogo interdictos, ne quis picturam in contumeliam Mariæ virginis, aut diuorum depictam habeat, aut circumferat: ne quis eorum imagines confringat: ne quis domum occultis conuentibus commodet, in quibus impia

Graue Cæſaris in Lutherianos edictum.

Digitized by Google

de religione dogmata ſpargi, conſpirationéſque in veterem religionem, ac Remp. fieri ſolent: ne quis de ſacra Scriptura priuatim, publicéue diſputet, aut eius interpretationem ſibi vendicet, niſi ſit Theologus alicuius probatæ Academiæ teſtimonio comprobatus; qui ſecus fecerit tanquam publicæ tranquillitatis perturbator vir quidem gladio ferietur, fœmina vero in terram defodietur ſi reſipiſcant; alioqui viui exurentur inteſtabiles, ab omni Chriſtianorum communione alieni bonis in publicum ærarium redactis: delatori bonorum dimidia pars, ſi veritate accuſatio nitetur, & bona ſi ſexcentos nummos aureos non excedent, ſupra hanc ſummam decima adiudicabitur. Addita erant & alia quædam capita, quæ ad ſuperiora redigi poſſunt. Quæſitoribus, ſiue inquiſitoribus data erat ampliſſima poteſtas, quæ ad inquiſitionis Hiſpanicæ, de qua alio loco ſcripſimus, ſeueritatem proximè accedebat. Sub Maij finem Cæſar cum Philippo filio Auguſtam iter intendit Saxone ſeptemuiro ſecum ducto, Lantgrauio Mechliniæ relicto. Duo potiſſimum in hoc conuentu ſibi peragenda Cæſar deſtinabat, alterum, vt Philippus filius Ferdinando fratre cedente Rex Romanorum renuntiaretur: alterum, vt Bremenſes, ac Magdeburgenſes in ordinem redigeret, Imperiique decreto parere cogeret: quorum neutrum aſſequutus eſt. Ferdinandus enim iure ſuo cedere recuſauit; & tum ipſe, tum Maximilianus eius filius Germanis erat acceptior: Mauricius autem miſſi in Bremenſes, ac Magdeburgenſes exercitus imperator propter Lantgrauium ſocerum diutius in cuſtodia habitum defectionem à Cæſare moliebatur, & iam cum Gallo conſilia ſua communicabat: itaque nihil aduerſus illos ſtrenuum egit, & conniuendo donec illis pacem ſatis æquam procuraret, tempus duxit; quam ſub finem anni proximi conuentu iam dimiſſo conſequuti ſunt. Auguſtani conuentus initium fecit Cæſar ſeptimo Kal. Auguſti: aderant Moguntinus, ac Treuirenſis ſeptemuiri, cæteri per legatos: nam quod filium ſibi in Imperio ſubſtituere moliebatur, cæteri per legatos potius, quam præſentes id poſtulatum reiicere maluerunt: aderat & Philippus eius filius, Pruſſiæ item magiſter, ac plerique Pontifices. Ferdinandus Romanorum Rex Bauarus eius gener, poſtremo Maximilianus eiuſdem filius ex Hiſpania reuerſus, atque Henricus Brunſuicenſis poſtea acceſſerunt: tametſi nullum præter Bremenſe, ac Magdeburgenſe bellum ſuberat, tamen quatuor quingenas Germanorum peditum cohortes, quibus Ioannes Comes Naſſauus præerat, habebat Cæſar, quæ mutuis vicibus ante prætorium vigilias agebant: conſuetum Hiſpanicum præſidium Ioannem Saxonem cuſtodiebat. Cæſar de perſequendo Tridentino Concilio, de ſeruando decreto Auguſtæ biennio ante facto, quod vulgo INTERIM appellarunt, de puniendis rebellibus, de ſacris bonis reſtituendis propoſuit.

Cæſar Auguſtani conuentus initiũ fecit.

Mauricius, qui iam bellum, vt dixi, aduerſus Cæſarem meditabatur, quamuis & huic, 27
& cæteris capitibus in ſuperiore conuentu aſſenſus fuiſſet, per legatos nihilominus ſe Tridentinum Concilium non admittere declarauit, niſi ab initio omnino retractetur, & Auguſtanæ confeſſionis miniſtri (ſic enim appellant) in id admittantur, decidendíque habeant poteſtatem: quod nunquam his, qui à communi Chriſtianorum conſenſu diſceſſerunt, permiſſum fuit. Addebat prætereа ne Pontifex Romanus Concilio præeſſet, quin potius eidem pareret, & Epiſcopis iuſiurandum, quo illos deuincire ſolet, remittere cogeretur; vt quid ſentiant, liberè pronuntient. Pridie Kal. Septembris Nicolaus Peronotus Granuellanus Cancellarius Cæſari in primis charus, & arcanorum conſiliorum ferè omnium conſcius poſtremum ſuum diem obiit: in cuius locum Antonius eius filius natu maximus Atrebatenſis Pontifex ſucceſſit; eius funus omnis Cæſaris aula lugubri veſte celebrauit. nos poſtridie, hoc eſt, Kalendis Septembris Auguſtam appulimus, vt procuratorio nomine in Pontificatus Metenſis fidem, quo Carolus Cardinalis Lotharingus nuper donatus erat, reciperemur, & alia eiuſdem Pontificatus negotia pertractaremus: eo Lotharingus paucis poſt menſibus Cardinali Lenuncurto ceſſit: nos Lenuncurto quinquennio exacto ſucceſſimus, propter varia negotia, tum propter infeſtam valetudinem, qua aliquot dies pro mortuo habitus eſt. Sub Nouembris finem dumtaxat nos Cæſar in fidem recepit, quamuis inualidus admodum eſſet, & procuratores per Cancellarium recipere conſueuiſſet. Eodem die & ad ſe profectum Anglum legatum excepit: vtrumque vt ſparſus de extrema eius valetudine rumor imminueretur, factum quidam interpretati ſunt: nos etiam vt prouocationes à Metenſibus iudicibus oppoſitæ, de rebus quæ æſtimatæ quingentos Rhenanos florenos non excederent non amplius ad Senatum Spirenſem, vt antea, traherentur, ſed ab iiſdem iudicibus terminarentur, impetrauimus: deinde tertio Kal. Ianuarij in Galliam reuerſi ſumus.

Mauricius Concilio Tridentino parere recuſat.

Africam vrbem, quam alij Aphrodiſium, alij Tripolim vocant, alij Leptim fuiſſe putant, 28
munierat Dragutus archipirata Turcicæ militiæ non ita dudum authoratus, vt inde liberè

in prouincias

in prouincias Chriſtianas excurreret: Andreæ Auriæ, ac Ioanni Vegæ Siciliæ protegi antequam Auguſtam accederet, Cæſar iniunxerat, vt eam oppugnarent. hi adiunctis Imperatoriæ Pontificia, Luſitana, Melitenſi claſſibus, Italoque milite excepto, quem Coſmus Florentinus regulus Iordane Vrſino atque Aſtore Baleono ductoribus miſit, illuc nauigarunt, vrbémque poſt ingentem tormentorum fulminationem Septembri menſe ceperunt: & vt accuratiùs muniretur, prouiderunt, præſidio Hiſpanico cui Vallierius Melitenſis eques natione Gallus præerat, ibi relicto. Captiuorum circiter octo millia in Siciliam, Sardiniam, finitimáſque regiones abducta produnt. Lætus erat vrbis ſitus propter collium oleis conſitorum, fontium, pratorúmque viciniam, & propter adiacentem agrum ſoli fertilitate celeberrimum. Eodem menſe Georgius Megelburgenſis à primario ſacerdotum Magdeburgenſium ordine incitatus, vt quidam putant, Magdeburgenſem agrum rapinis, incendiis, cædibus fœdauit, & tandem commiſſa pugna Magdeburgenſes ipſos magna ſtrage proſtrauit eorundem tormentis, impedimentiſque omnibus potitus: Cæſar autem in eos, Bremenſeſque aſperiora decreta propoſuit, quanquam Bremenſes nondum proſcripti erant: hæ duæ ſolæ ex omnibus ciuitatibus cum Cæſare nondum conuenerant: principes qui aderant, actionem ſibi permitti flagitarunt: quod vbi Cæſar aſſenſus fuiſſet, ad vtroſque ſcripſerunt, & quas conditiones proponeret, poſtularunt. Cæſar ſatis duras propoſuit, quas tamen illi ſub finem ſequentis anni paucis commutatis Mauricio annitente acceperunt.

Vrbs Africæ ſiue Tripolis in poteſtatem Cæſaris redacta.

Magdeburgenſis ager vaſtatur.

29 Eodem menſe Auguſtam acceſſit Maria Hungariæ Regina Cæſaris ſoror, tum vt Ferdinando Imperij prærogatiua, hoc eſt, Regis Romanorum titulo Philippo cedere perſuaderet (quod minimè obtinuit) tum vt promulgatum nuper in Flandria de religione edictum mitigandum curaret: quod nec quidem impetrauit, niſi quoad exteros negotiatores attinet, & vt inquiſitionis nomen paſſim inuiſum tolleretur: Mariam paulò poſt ſequuta eſt Chriſtierna Chriſtierni Daniæ Regis filia, Cæſaris ex ſorore neptis, Franciſci Lotharingi reguli vidua. dum ſplendido comitatu Auguſtæ appropinquaret, Ferdinandus auunculus ac Philippus extra vrbem circiter bis mille paſſus, quod liberale officium Mariæ non præſtiterant, illi obuiam prodierunt. Philippus etiam in eius gratiam certamen equeſtre celebrauit, eamdem ſi pater annuiſſet cupidiſſimè vxorem ducturus. Redintegratur bellum aduerſus Magdeburgenſes: Cæſariani exercitus præcipui duces erant Mauricius Saxo, Brandeburgenſis ſeptemuir cum Alberto patruele, Henricus Brunſuicenſis, qui nuper aduerſus Brunſuicenſes ſuos ciueis acre bellum geſſerat, & Cæſari vtriſque mandanti vt ab armis diſcederent, non ſecus ac Brunſuicenſes paruerat. Octauo Kal. Nouembris Magdeburgenſium ſacerdotum ordines Senatum populúmque Magdeburgenſem apud Auguſtanum conuentum grauiter accuſant: & quod Georgij Megesburgenſis qui Brunſuicenſi Henrico militauit, copias ad ſe pertraxerit Mauricius, ipſique alias miſerint, ſe tantos ſumptus tolerare non poſſe declarant: quapropter prouideat conuentus vt rebellis ciuitas in ordinem redigatur, octo peditum millia, mille ducentos equites in ſubſidium petebant. Tum etiam Bremenſium, ac Magdeburgenſium recitata fuit ad principum litteras reſponſio: Bremenſes expectandos cenſuit Cæſar, quod ſe venturos pollicebantur. De Magdeburgenſibus aliter ſtatuendum iudicauit: neque enim vti res habet, ſed arroganter, contumacitérque reſponderant: vt Magdeburgenſium ſacerdotum poſtulata diligenter expendant, quídque ex Imperij dignitate decernendum ſit, pronuntient, Cæſar poſtulauit. Imperij ordines auxilia pollicentur: deinde vt & ipſe contribuat, rogant: tum ſi huic bello intereſſe non poſſit, imperatorem deſignet: ſibi quidem Mauricium idoneum videri quem Cæſar probauit. vt autem pecunia in bellum ex ærario publico ſumatur, ea conditione permittit, vt intra tempus præſcriptum reponatur: neque enim in hunc vſum coactam fuiſſe: pro impenſis iam factis centum, pro faciendis in ſingulos menſes ſexaginta nummûm aureorum millia decernuntur. In Magdeburgenſes vehementer accenſus erat Cæſar, quos nihil aliud meditari, quàm ſeditionem tota Germania excitare, nihil aliud conari quàm ſummi magiſtratus authoritatem, noménque adeo conuellere aiebat: poſtremo immenſas ſuas in bellum Germanicum impenſas recitauit; & ſe ne in Magdeburgenſe contribueret, excuſauit. Nouembris initio mortem obiit Vlricus Virtembergenſis regulus: cui Chriſtophorus filius ſucceſſit: nondum lis quam illi Ferdinandus intenderat, finita erat.

Maria Hungariæ Regina Auguſtã contendit.

Eodem Chriſtierna Regis Daniæ filia proficiſcitur.

Bellũ aduerſus Magdeburgenſes reſtauratur.

30 Concilium intra feſtum ſacræ Reſurrectionis diem Tridenti continuandum confirmauit Cæſar: ita enim Romanum Pontificem ſibi pollicitum fuiſſe: ſe verò demirari addidit, cur religionis formula hoc ipſo in loco ante biennium recitata, & approbata non obſeruetur.

Digitized by Google

obſeruetur. Alij alias cauſas attulerunt: ſeptemuiri Pontifices ſe totis viribus contendiſſe, vt obſeruetur: cæterum ne paſſim obſeruari cogerent, nonnullorum priuilegia obſtitiſſe: abſentium ſeptemuirorum legati iam diu inſitam hominum animis religionem ſtatim euelli non poſſe reſponderunt: vt euellatur, iuſto, & quidem longo temporis interuallo opus eſſe: multa in ea formula contineri, quæ cum ſacris libris non ſatis conſentiant: cæteri principes, & Romanæ perſuaſionis ordines iuuentutem in gymnaſiis malè inſtitui, miniſtros aduerſæ perſuaſionis cæteros ab ea reuocare dixerunt: ſacerdotum penuriam, quorumdam impuros mores magiſtratuum, qui contumelioſos aduerſus eandem libellos impune circumferri permittant, aut certe conniueant, negligentiam addiderunt.

Conciliũ Bononia Tridẽtum trãsfertur.

Magdeburgũ à Mauricio obſeſſum.

Idibus Nouembris Iulius Tertius ſummus Pontifex Cæſare vehementer vrgente Concilium in Kal. Maias Tridentum indicit, bullamque (vt Romani pragmatici vocant) ſub finem Decembris Romæ promulgat: cuius exemplum ſtatim ad Cæſarem mittit. Mauricius extructis caſtellis Magdeburgum obſidet, & ſub huius menſis finem vrbis eam partem, quæ noua dicitur, conſcenſis noctu mœnibus capit, quam Magdeburgenſes receptis ad ſe oppidanis poſtea incenderunt. Hedecus, atque Albertus Mansfeldius copias ex vicinis maritimis ciuitatibus coëgerunt Magdeburgenſibus auxilio venturi: verùm has Mauricius ſequente menſe cum parte exercitus fudit. Cæſar auditis ſecundis Mauricij rebus poſtridie Idus ſeuerum edictum aduerſus Magdeburgenſes edit: ne quis illis ſuppetias eat, interdicit: militibus, præfectiſque qui pro vrbe propugnant, vt inde intra diem decimum quartum à receptis litteris diſcedant, mandat, ſuíque diſceſſus Mauricium, aut ſi abſit, Lazarum Schuuendium, quem ad Mauricium paulò antè miſerat, certiorem faciant: diſcedentibus impunitatem, non parentibus atrocia ſupplicia minatur. Interim Guilielmus Lantgrauij maior natu filius Mauricium, ac Brandeburgenſem ſeptemuiros de liberando patre citat: illi dilationes aliquot interponunt, & Cæſarem citationis certiorem faciunt. Cæſar Lazarum Schuuendium (quicum ſæpius Auguſtæ colloquuti ſumus, ſe enim de comprehenſo Sebaſtiano Vegelſpergo purgabat, & vt in Galliam reuerſi eius purgationem apud Guiſanos principes totúmque adeo Regium comitatum recitaremus nos impensè orabat) ad Lantgrauij liberos mittit; ad quos eadem de cauſa Liranum ante miſerat, vt ſcilicet litteras obligatorias Cæſari reddant, nec Mauricium, Brandeburgenſémque perſequantur: ni pareant graueis pœnas minatur: quinetiam Mauricium, ac Brandeburgenſem de promiſſo quod in illorum poteſtate non erat, abſolutos pronuntiat. Lantgrauius de libertate deſperans, clandeſtinam fugam meditatur (Mechliniæ autem, vt ſcripſi, relictus erat:) qua deprehenſa & ad Cæſarem perlata, Cæſar grauiter de Lantgrauio queritur magnam ſibi factam iniuriam teſtatus, & ſe in omneis conſilij huius conſcios acerbè animaduerſurum profitetur, idque ad Mauricium, & Brandeburgenſem perſcribit: litterarum exemplum illi ad Lantgrauij liberos miſerunt: Mauricius ſoceri fortunam miſeratus, & Cæſarem promiſſum ſuum nimis fraudulenter interpretatum indignatus clam ipſos ne deſperarent, monuit: occaſionem expectandam eſſe quum nonnullorum minæ minus timendæ erunt: tum ſe & fortunas, & vitam pro ſoceri libertate profuſurum pollicitus eſt, ac ſimul cum Gallo de ſocietate agere cœpit. Decembri inclinante Maximilianus Ferdinandi filius à patre ex Hiſpania reuocatus Auguſtam appulit.

Cæſar Philippũ filium in Imperio ſucceſſorẽ ſurrogare nititur.

Succeſſorem in Imperio Philippum filium Cæſar ſurrogare conabatur: Ferdinandus, 31
qui patrimonium anguſtius acceperat, quum frater tot regnorum, prouinciarumque potiretur, ſuo iure, hoc eſt, Regis Romanorum titulo cedere nolebat: & ne cederet, à Germanis principibus incitabatur, qui Maximiliani multarum linguarum periti humanitatẽ amplexabantur (Latinè enim, Germanicè, Italicè, Gallicè, Hiſpanicè loquebatur) Philippi Hiſpanicum faſtum oderant: Mariam nihilominus ſororem Cæſar hac ipſa de cauſa ſequentis anni Ianuario menſe reuocauit, quæ non magis, quam autumno ſuperiore profecit.

Conditiones Magdeburgenſibus à Mauricio oblatæ, nec acceptæ.

Hoc ipſo tempore Mauricius, ac Brandeburgenſis Magdeburgenſibus has conditiones propoſuerunt vt proſcriptio in eos dudum ante promulgata aboleretur: veniam quemadmodum principes, ac cæteræ ciuitates ſupplices à Cæſare peterent: tormenta ſedecim traderent, nummûm aureorum millia centum penderent: cultus ſacri miniſtris, quos Eccleſiaſticos vocant, ablata bona reſtituerent: Cæſari ſe dederent: præſidium in vrbem acciperent: donec Cæſar conditiones ratas habuiſſet; quas ſi reiiceret, ſe præſidium bona fide ex vrbe deducturos: Senatus Magdeburgenſis ſe dedere, aut præſidium in vrbem recipere recuſauit. Si Cæſar Saxone ſuperato, Germaniáque omni perterrefacta in Magdeburgenſes ſtatim arma conuertiſſet, haud dubium quin illi tum ſe dedidiſſent: ex

publico

Digitized by Google

publico timore confirmati diuturnum bellum tolerarunt, & aliis rebellandi exemplum dederunt. Qui Cæſarem excuſant, illius inualetudinem obtendunt, quæ multas eius præclaras actiones interpellauit, qui Cæſari reconciliati ſint, infra hoc libro addemus. Tum Magdeburgenſium ſacerdotum ordines libellum aduerſus Senatum Magdeburgenſem ediderunt, quo eorum rebellionem aduerſus ſuum Pontificem primariique templi ſacerdotes (canonicos vulgo appellant) quibus obnoxij ſunt, accuſarunt & de iniuriis ſibi factis, boniſque ablatis queſti ſunt. quibus paucis poſt diebus Senatus Magdeburgenſis reſpondit; & Magdeburgenſes Pontifici quidem obnoxios confeſſus eſt: ſed certis legibus, aduerſus quas nihil commiſerint. Multa alia libelli illi continent, quæ ad priuatas vtrorumque ſimultates pertinent, nec ad hiſtoriam magnopere conducunt. Huc vſque huius conuentus actiones breuiter percurrendas putaui, vel quod iiſdem interfui, vel quod è Magdeburgenſi, quod in hoc conuentu præcipuè agitabatur, Parmenſe bellum, de quo mox loquar, originem ſumpſit: neque enim Parmæ propugnationem Henricus Galliæ Rex ſuſcepiſſet, niſi de bello Cæſari inferendo cum Mauricio, aliiſque eiuſdem factionis principibus antè conueniſſet: quæ ſocietas tum per legatos vtrobique procurabatur. Hoc anno nihil in Gallia dignum memoria geſtum eſt, niſi quod pace cum Anglis confirmata Henricus Rex inſtaurandæ Bononiæ, ciuibuſque, ac totius agri incolis in proximis Galliæ regionibus vagantibus in integrum reſtituendis operam dedit, conceſſiſque nonnullis immunitatibus eoſdem ſolatus eſt.

32 Anno huius ſæculi quinquageſimo primo ineunte Iulius Tertius Pontifex maximus Parmam præter ius, & æquum à Paulo Tertio, Petro Ludouico filio conceſſam aiebat: hic ſermo diſſipatus Octauium, vt à Iulio tanquam patrono aduerſùs Cæſarianos maturiùs opem imploraret, impulit. Iulius initio ſe hiſce viribus non eſſe vt Cæſari reſiſteret, cauſatus eſt: tum Octauius, vt ſaltem patrocinij ab alio quærendi ſibi poteſtatem faceret, poſtulauit, & impetrauit. Horatius Octauij frater Dianam Henrici Galliæ Regis filiam notham, vt ferebatur, vxorem duxerat: is propugnationis ab Henrico poſtulandæ fratri author fuit: quam Henricus ea lege ſuſcepit, ne quid de Romani Pontificis iure decederet: & alterum præſidium illuc miſit: namque & alterum in interregno Pontificio miſerat. Cuius certior factus Iulius Pontifex tertio Idus Aprilis edito diplomate Octauium citat, vt ſe intra triceſimum diem Romam ſiſtat, cur externum præſidium Parmæ impoſuerit rationem redditurus: ſe enim Octauio Parmam ea lege confirmaſſe, ne ſe, ſuáque alieno principi addiceret: præſidium itaque Parma deducat, in poſterum ſe non immiſſurum caueat: accuſationi reſpondeat, alioqui ſe læſæ Majeſtatis conuictum, proſcriptúmque certo ſciat: qua in re & Cæſaris opem implorauit. Hæc belli inter Cæſarem, Henricúmque accendendi cauſa fuit; quum huc vſque Crecenſi pace fruerentur: Paulus Thermes ſiue Thermeus rei bellicæ ſcientiſſimus tum Galli apud Iulium Romæ legatus vt eundem, Cardinaliumque Senatum placaret, Henricum Parmæ propugnationem ea lege ſuſcepiſſe declarauit, nequid de Romani Pontificis iure decederet: Regem nihil ſibi priuatim quærere, curare dumtaxat, ne Parma Romani Pontificis patrimonium in manus cadat alienas: vti Placentiam nuper cecidiſſe vidimus, quod primo ſubſidio Parmam in interregno Pontificio miſſo apertè declarauit. Quod ſi paci bellum Iulius præferat, videat quanto id totius Chriſtianiſmi detrimento facturus ſit: neque enim Tridentinum Concilium in tanto belli ardore conſiſtere, neque ſe Gallos Epiſcopos Tridentum poſſe mittere: & qui Concilium non ſatis probant, aut illuc contendere differunt, iuſtam ſuæ abſentiæ cauſam obtendent. Iulius qui nihil magis, quam vt Concilium diſſolueretur, moliebatur, facilè hanc orationem contempſit: id ſolum reſpondit, ſe in malam partem non accipere, ſi rex Parmam tuendam ſuſcipiat, modo id ſine ſuo aſſenſu, aut impulſu factum eſſe videatur, ne Cæſaris indignationem, quod minime velit, alieno tempore ſubire cogatur. At Cæſaris ope fretus bellum ſtatim maturauit: Concilium autem quod in Kal. Maias indictum erat, in Septembres prorogauit: quod initium diſſoluendi fuit.

Anno 1551.

Hĕricus Parmæ propugnationem ſuſcipit.

Belli inter Cæſarem & Henricum ea origo fuit.

33 Paulo ante, hoc eſt, Nonis Ianuarij diploma Iulij, quo Concilium Tridentum indixerat Cæſar Auguſtæ in conuentu recitari iuſſerat, principeſque, ac cæteros ordines, vt ad id ſe compararent, monuerat, nihil dum de nuper commemorata Iulij machina ſuſpicatus. Eodem die Ferdinandus ad ordines retulit, incertas cum Solymano inducias eſſe: Turcas in Tranſſyluaniam irrupiſſe: arcem in ſuis finibus extruere: Zonolcum ſiue Ionolkium (vt alij vocant) alteram ſuæ ditionis arcem intercipere conatos: ſe totis viribus laborare, vt pactæ induciæ ſeruentur: id ſi non aſſequatur, auxilia poſtulat. Addebat ſeditionē nuper in Tranſſyluania inter Petrum Vichium Comitem, & fratrem Georgium Martinuſium

Digitized by Google

Martinuſium Varadinenſem Pontificem Stephani Regis tutores excitatam, ſi non componatur, in cauſa futuram, vt ea prouincia firmiſſimum reliquæ Hungariæ, quæ à ſe poſſidetur, vicinæque adeo Germaniæ propugnaculum in Solymani poteſtatem redigatur: vnde non ſolum in cæteram Hungariam, verum etiam in Germaniam innumerabiles ſuos exercitus effundat. Tranſſiluaniæ enim eum ſitum eſſe, vt difficillimis vndique montibus cincta, nullum hoſtibus, niſi ab incolis ipſis prodatur, aditum præbeat: eamdem agro ita fertili, fluminibúſque irriguo abundare, vt nulla externa ope propemodum egeat. Petrum Vichium ad Solymanum inclinare: cuius authoritate totius prouinciæ adminiſtrationem ſibi vendicet. Varadinenſem illi nolle cedere, idcircóque à ſe non alienum eſſe, ſi iuſtum auxilium expectet: ſe non his opibus eſſe, vt illi ſatiſfaciat, niſi vniuerſi Imperij ordines eius propugnationem ſecum amplectantur. Ferdinando, quæ ſuperiore conuentu promiſſa fuerant auxilia, tametſi ægrè, decreta ſunt: ſe & domeſtico in Magdeburgenſes, & externo in Turcas bello nimis atteri ordines querebantur. Idibus Februarij Auguſtanus conuentus dimiſſus eſt; in quo decretum Cæſar fecit, vt omnes Imperij ordines tam veteris quàm nouæ religionis, vt loquuntur, ſe Tridentum ad vniuerſum Concilium ſiſtant, cui ſe omnes in ſuperiore conuentu ſubmiſerunt: neque enim aliter, quàm vniuerſi Chriſtianiſmi Concilio religionis diſſidia poſſe componi: ſe vt omnibus qui Tridentum commeabunt, ſiue religionem mutarint, ſiue in vetere permaneant, eorúmque legatis publica fide caueatur, vt ibi tuto commorari, & quid ſentiant liberè pronuntiare poſſint, tandémque publico comitatu reducantur, operam daturum: cæteros Reges, principéſque Chriſtianos, ſiquidem vllum religionis ſenſum habeant, idem pro officio ſuo præſtaturos ſeſe non dubitare addidit: quo in conſenſu vel religionis ſumma ponenda, vel nomen Chriſtianum deponendum ſit. Decretum fuerat in eodem conuentu, vt ſeptemuirûm, ſéxque reliquorum principum legati Nuribergæ ad Kalendas Apriles conuenirent, vt qui pecunia ex ærario publico in Magedeburgenſe bellum ſumpta reponeretur, ſtatuerent: quod illi ſtatuiſſent, non minùs, quam ſi omnium ordinum conſenſu ſtatutum fuiſſet, ratum eſſet. Vbi conuenerunt rurſus in Magdeburgenſem obſidionem pecuniam conferendam ſtatuerunt, quod edicto ſuo Cæſar poſtea confirmauit: plerique tamen quod longior eſſet obſidio, inuiti nec ſine difficultate conferebant; quam Mauricius de induſtria ducebat, occaſionem expectans, quum ſe Gallus Cæſaris hoſtem declararet: quæ ſuſcepto Parmenſi bello ſtatim omnibus palam facta eſt: nihil dum tamen de Mauricio Cæſar malè ſuſpicabatur, & totis ſenſibus in Parmam incumbebat; quam vt in priſtinam Mediolanenſium ditionem reduceret omni ſpe deuorabat.

Cæſar vt omnes Imperij ordines ſe Tridẽtum ad Concilium ſiſtant ſtatuit.

34 Mirabantur omnes cur Iulius qui à Paulo Tertio omnia maiora honorum ſuorum ornamenta acceperat, ab eodem in Cardinalium ſenatum aſcitus, & Bononienſis legatus deſignatus, nunc contra ad Cæſaris parteis tranſiſſet. Ex Parmenſi autem bello hæreditarium, ac perpetuum inter Cæſarem morbis confectum, ac Regem ætate florentem naſciturum ſolerter præſagiebat. Quod autem hoc bellum non tam ex ſe, quam quod inter Cæſarem, eiúſque poſteros & noſtros Reges aliorum fere perpetuorum cauſa fuit, vniuerſumque Chriſtianiſmum perturbauit, quis eius author eſſet, libellis hinc inde editis magna contentione diſceptatum eſt. Parmam, Placentiam, Mirandulam Imperij clientelas eſſe Cæſariani produnt: duas tamen priores Maximilianus Cæſaris auus Iulio Secundo, Cæſar ipſe Leoni Decimo permiſit, vt in Pontificum Romanorum fide permanerent: quas etiam Cæſar aduerſus Gallos eaſdem quaſi Ducatus Mediolanenſis portionem ſibi vendicanteis tueri pollicitus eſt. Has Paulus Tertius Petro Ludouico filio, eiuſque poſteris ita conceſſit, vt Romanum Pontificem patronum agnoſcerent: & Crecenſi fœdere inter Cæſarem ac Franciſcum Regem anno huius ſæculi quadrageſimo quarto in Sueſſionibus inito Pontifex Romanus ab vtroque ſocius declaratus eſt, vt ſuis poſſeſſionibus ſine iniuria ſpoliari non deberet. Placentiam nihilominus Cæſar cæſo Petro Ludouico quaſi à ciuibus deditam ſtatim inuaſit, & infeſto exercitu Parmenſis agri multa caſtella, arceiſque occupauit, vt Parmenſes ad deditionem cogeret: Camillum Vrſinum Parmæ cum mandato de ea Octauio reſtituenda à Paulo Tertio præfectum impoſitum minis adigere conatus eſt, vt illam ipſam ſibi dederet: idem & apud Cardinalium Senatum dum adhuc de creando nouo Pontifice diſceptarent, molitus eſt: nec apud iſtos quicquam impetrauit.

Claſſis Turcica an à Frãciſco in maria noſtra euocata ſit.

35 Cæterum bellum hoc Parmenſe longe ante à Rege meditatum non ſolum clam contracta cum Mauricio Saxone ſocietate, verùm etiam claſſis Turcicæ in maria noſtra aduentu arguunt, quam à Chriſtianiſſimo Rege arceſſitam falſo comminiſcuntur. quum enim

Digitized by Google

enim cur hæc claſſis inſtructa ſit, certiſſimè conſtet, cauſæque belli à Turcis Cæſari, & Ferdinando eius fratri illati omnibus palam ſint, alias vanis coniecturis quærere impudentiſſimum eſt. Africam & Monaſterium vrbeis in Africæ prouinciæ ora è regione Siciliæ ſitas, & à Draguto archipirata paulo ante captas nonnulliſque Africæ regulis ereptas, ac muniri cœptas Ioannes Vega Siciliæ prorex anno ſuperiore ceperat, quas Solymanus litteris ad Cæſarem ſcriptis per legatos repetiuit: & niſi reddantur, inducias, quæ nondum finitæ erant, harum vrbium expugnatione violatas eſſe declarauit. Cæſar qui rebus Germanicis nondum ſatis pacatis hoſtem tam potentem prouocare nollet, de reddendis ſpem dedit. Quum promiſſum non faceret & variis dilationibus tempus duceret, Solymanus claſſem vt vrbeis vel ex promiſſo, vel vi reciperet, in maria noſtra miſit: qua ad Rhegium appulſa claſſis præfectus ſupra commemoratas vrbeis ſibi reſtitui poſtulauit, quemadmodum Cæſar per Ferdinandi fratris legatum Solymano promiſit, ita quidem, vt earum claues Naupactum vſque perferrentur: ſi promiſſum Cæſar faciat, ſe nullum Chriſtianis damnum illaturum: ſin promiſſo non ſtetur, ſe in Cæſaris ſociorúmque eius ac fœderatorum ditiones hoſtiliter inuaſurum: & vt poſtridie reſponſum acciperet, petiit: quæ poſtulata arcis Rheginæ præfectus ad Siciliæ proregem, qui tum Meſſanæ erat, perferenda curauit. Siciliæ prorex non Solymano, ſed Droguto archipiratæ communi omnium mortalium hoſti vrbeis ablatas præfatus Cæſarem ſuper his poſtulatis ſe conſulturum reſpondit, quid ille ſtatuiſſet Drogutum certiorem facturus. Drogutus verba ſibi dari intelligens in Auguſtæ Siciliæ vrbis portum ſeſe intulit: veterem arcem expugnauit Hiſpanico præſidio conciſo: forum, ſuburbanaque omnia incendit, atque inde Melitam nauigauit: qua nequicquam tentata Gozam diripuit, & in Africam traiecit, vrbémque eiuſdem nominis, quam Tripolim alij vocant, tormentis vehementer concuſſam tandem deditione cepit: cui deditioni quod Aramo Regis legatus interfuit, vrbem eius opera deditam Cæſariani calumniantur: vt ad Solymanum pergeret Aramo à Rege mandatum habebat, ſed Melitam appulſus à Melitenſium equitum, quos Rhodios appellare ſolebamus, magiſtro homine Hiſpano exoratus Tripolim nauigauit, vt ex eiuſdem magiſtri epiſtola ad Siciliæ proregem miſſa ſatis liquet: quam idcirco, vt à nonnullis eius temporis ſcriptoribus ex Hiſpano in Latinum ſermonem conuerſa eſt hic inſerendam putaui.

Melitenſium equitum magiſtri ad Siciliæ proregem epiſtola Regis purgationi deſeruiens.

36 [Per equitem Alphonſum Loleuzanum, quem ipſo Kalend. Auguſti die dimiſi in nauicula ſpeculatoria certiorem te feci pridie eius diei reuertiſſe à Tripoli eundem illum myoparonem, quem eò miſeram, ſimul ac reſciſſem claſſem Turcicam ad Auguſtam eſſe, litteraſque à præfecto attuliſſe, quę nuntiarent eandem claſſem ad littora Africæ appulſam non longiùs ſexaginta millibus paſſuum illinc abeſſe Occidentem verſus. Hodie vero, qui erat ſextus Iduum ad horam noctis primam huc aduenit altera ſpeculatoria cum litteris eiuſdem præfecti nuntiantis ſe iam tum, quum illa ſcriberet, obſeſſos eſſe à tota claſſe quæ intra portum conſtitiſſet intra ſpatium trium milliarium: qui autem in dicta ſpeculatoria venerunt, quæ quidem illinc ipſo Nonarum die ſoluit, quum de eis id quoque ſciſcitaremur, negabant, quo tempore ſoluerunt, vllam adhuc bombardam diſploſam fuiſſe: nec tamen deerant, qui ſe ad quinque milliaria prouectos fragorem exaudiſſe dicerent. Sed & illud idem præfectus nuntiat, accepiſſe ſe à claſſis præfecto epiſtolam, quam ad nos mittat, atque vnam ſuam quoque, quam ad illum reſcripſerit: maiorem in modum à nobis petens, atque contendens vt ſe virorum, frumenti, & reliqui inſtrumenti bellici ſubſidio iuuemus, etſi iam pro noſtra earum rerum facultate inſtructus: ac nouit Deus, quam earum rerum facultatem habeamus: & tamen adhuc etiam mittemus quantum plurimum poterimus: ſed verum certe ſubſidium eſſet, quod iſtinc à vobis venire poſſet: ſi quis ſcilicet prohiberet, ne Turcæ bombardas in terram exponerent: verùm id oporteret, quanta maxima fieri poſſet, diligentia adminiſtrari. Eodem Kalendarum die venerunt in hunc portum Gallicæ duæ triremes cum quodam Regis legato nomine Aramone: is nobis retulit ſe ire Conſtantinopolim; atque idcirco hominem rogauimus, vt quanquam exiſtimabamus Tripolim ſatis & viris, & commeatu, & reliquo apparatu inſtructam, ne grauaretur tamen ire ad claſſem Turcicam, conareturque obtinere à claſſis præfecto, vt eius arcis oppugnationem omitteret: quod ille primo non concedebat, ſed tandem hactenus veniam petentibus dedit, vt reciperet, ſe quicquid poſſet noſtra cauſa effecturum, petiítque

vt ſpeculatoriam ſecum mitteremus: per quam, quod feciſſet, renunciare poſſet: ac dierum quidem coniectura, & tempeſtatis, quæ tum fuit ad nauigandum ſatis idonea, nobis videbatur eo ante adueniſſe, quam noſtri obſideri cœpiſſent: adhuc tamen neque ſpeculatoria reuerterat, neque de ipſo legato quicquam audiebamus.] Et in extrema epiſtola hæc verba aſcripta erant.[Facere non poſſum quin tibi etiam in memoriam redigam quanti interſit Cæſaris, & omnium inſularum, ac continentis totius huiuſce tractus, vt hæc arx, & munitio conſeruetur, quantúmque & Deo pietatis, & ipſius Maieſtati officij præſtitum fuerit, ſi erit curatum, vt quam celerrimè ſubſidio iuuetur. Datum Melitæ ad VI. Idus Auguſti.]

Ex hac epiſtola tantam claſſem, quæ ſedecim bellatorum millia, ſexaginta maioris generis bombardas in terram exponere poterat, Tripolin nondum ſatis munitam, ſed nec arcem quidem, cui vrbs veluti de ſuperiore loco imminet, ſuſtinere non potuiſſe manifeſtum eſt. Nec obeſt quod Vallierium hominem Gallum ab Aramone, vt deditionem faceret, perſuaſum obiiciunt: neque enim in hoc ordine, cuius nationis ſint equites quæri ſolet, quum vniuerſi ſe Turcarum capitales hoſteis eſſe profiteantur. & præſidium fere ex Hiſpanis conſtabat: inter quos tres aut quatuor ex honoratioribus conſilio intererant: ſine quorum aſſenſu tranſigere Vallierius nihil poterat. Quid, quod Vallierius ad cauſam è vinculis dicendam Melitam ſe contulit, nec proditionis, aut nimiæ timiditatis inſimulatus eſt? Venio ad alteram Regi Chriſtianiſſimo ſtructam calumniam, quem belli Turcici Ferdinando illati authorem accuſant: Iuolkium, ſiue Zolnocum, vt alij vocant, arcem in Hungariæ regione Tranſſiluaniæ finitima, quam intra Hungariæ partem ſibi per inducias conceſſam aiebat, Ferdinandum muniiſſe conſtat: quas munitiones Badanus Baſſa, quoad potuit, impediuit: intra fines enim per eaſdem inducias Solymano attributos arcem ſitam eſſe confirmabat: de qua dum contenditur, nec minus maturandum opus Ferdinandus curat, atque exercitum Ioanne Baptiſta Caſtaldo duce in Tranſſiluaniam de conſenſu pueri Regis, Reginæ matris, fratriſque Georgij Varadinenſis Pontificis mittit. Solymanus horum certior factus litteras quæ, vt ab eius temporis ſcriptoribus in Latinum ſermonem tranſlatæ ſunt, mox inſerentur, ad Tranſſiluaniæ nobilitatem, populúmque ſcripſit, ex quibus huius belli cauſam agnoſcere cuiuis perfacile eſt. 37

Calũnia alia, qua Franciſcus belli Turcici aduerſus Ferdinãdum author inſcribebatur, diluitur.

38 [Notum vobis ex hoc edicto eſto litteras veſtras ad aulam noſtram perlatas eſſe, quibus mihi ſignificabatis, cum fr. Georgius tutor, ac gubernator Regis filij, ac regni in conficiendo ſtipendio, quod ad nos mitteretur, occupatus eſſet, repente parte ex altera Petrum Vichium cum armatorum manu regnum adortum duas arceis iſthic cepiſſe, ac diruiſſe: ex altera Melchiorem Balaſſum armatis etiam ipſum ſtipatum expugnaſſe arcem vnius è principibus nobilitatis, eiuſque matrem, vxorem, liberos abduxiſſe bonis omnibus direptis, ac parte etiam ſtipendij noſtri quod adhuc retineret: quod vos quum animaduertiſſetis non potuiſſe pati tantam audaciam cum præſertim mandatum noſtrum præceſſiſſet, vt ſiqui perturbare vos aggreſſi eſſent, eos vi, atque armis coërcere ac repellere poſſetis: itaque appellato fr. Georgio vti per eius authoritatem facere hoc vobis liceret, armatos coiiſſe: Reginam, quæ tum Albæ eſſet, vbi cognouiſſet, ceſſiſſe, Zezebaſque ſe recepiſſe: ita tum diſceſſu illius vacuam Albam in poteſtatem veſtram veniſſe: Regem porro Viennæ ſimul atque de his tumultibus nuntios accepiſſet, aliquam ſuorum militum partem iſtuc miſiſſe; quos vt exire quamprimum coëgeretis vos iam tum quum hæc ſcriberetis agere & meditari: quippe quos nulla ratione pati poſſetis intra fines regni iſtius conſiſtere: quibus de rebus has ad nos litteras dediſſe, vt certiores faceretis quis iſthic rerum ſtatus eſſet, iámque Reginam ad parteis veſtras traductam vobiſcum facere, ac ſentire: authores autem rerum nouarum ac motuum vi repulſos, ac fugere coactos: poſtremo fr. Georgium intra XV. dierum ſpatium legationem miſſurum cum ſtipendio, quod nobis pendere ſoliti eſſetis. quæ omnia ſic eſſe à vobis accurate ad nos perſcripta, vt hinc fidelitatem in nos veſtram, & obediendi promptam voluntatem perſpiceremus. Nunc igitur hæc vos ſcire volumus, regnum Tranſſiluaniæ inter cætera iuris iam noſtri, ac ditionis eſſe factum; Regiſque Ioannis filium clientem noſtrum fidelem, ac ſubditum eſſe: Regnum autem ipſum, & omneis ibi vitam degenteis in noſtram fidem receptos omni ope, atque auxilio noſtro tueri, ac conſeruare decreuiſſe: atque in hanc rem ſcripſimus ad fr.

Solymani litteræ ad Tráſſiluanos eius belli cauſas aperiunt.

Digitized by Google

„ ad fr. Georgium, eique mandatum dedimus, vt comparato quamprimum exercitu
„ regnum iſtud à Germanis aſſereret, & quotcumque cepiſſet eorum, qui nobis aduerſa-
„ ri conarentur, huc ad nos mitteret. Sed ſi fortè idem Georgius, atque alij quidam in-
„ ter ſe diſſideant, cuius ſimultatis occaſionem nacti Germani moliturì aliquid eſſe vi-
„ deantur, vos Barones oppidorum, arciumque in iſto regno Domini operam date, vt
„ concordibus inter vos animis ſitis ad retinendum aduersùs hoſteis regnum, néue eos
„ iſtuc introire patiamini: ac ſi fortè iam introiiſſent, omni ratione exturbetis; ſupér-
„ que omnia curate, vt cognoſcere certo poſſimus, vbi nunc ſint iidem hoſtes, quid
„ parent, aut moliantur: quam vos facultatem illos vel arcendi, vel depellendi ha-
„ beatis, qui fuerint rerum authores nouarum: nam qui hic ad aulam noſtram ad-
„ eſt allegatus ab eodem Georgio cum de illo ſciſcitaremur, ecquid de his rebus ex-
„ ploratum haberet, reſpondit ſcire ſe Germanos neque adhuc vllos ingreſſos, ne-
„ que poſthac venturos eſſe: licèt is qui ad Budam eſt Baſſa, Petrus Vichius, alii-
„ que Sangiachi noſtri nobis confirmarint iam eſſe ingreſſos: ac propterea iam emi-
„ ſimus Mehemetum Baſſam Græciæ Bellerbeium cum omnibus militum ductori-
„ bus ad contrahendas vndique omnibus ex partibus copias, ediximuſque vti Budæ
„ præpoſitus Baſſa vnà cum omnibus Sangiachis, qui ſunt circum fines regni iſtius re-
„ bus omnibus comparatis nihil aliud quàm ſignum expectarent: quibus ſe coniun-
„ cturi ſunt Sangiachi Moldauiæ atque ex Tranſalpinis ij qui ſunt Moldauiæ propin-
„ qui; necnon & Nicopolitanus Sangiachus vnà cum eo, qui olim Moldauiæ Vai-
„ uoda, nunc verò ad noſtram veram fidem traductus Sangiachus eſt Deretzeillæ fa-
„ ctus: quibus addidimus milites omneis ex omnibus Deretzeillæ finibus homines ſem-
„ per ad incurſandum, & prædandum paratos, ſed & Tartaros è Drobrochia, atque
„ adeo Cham ipſum magnum Tartarorum Regem cum omnibus ſuis copiis, vti per
„ Moldauiam aliaſque parteis, qua cuique commodiſſimum eſſet, in Tranſſiluaniam
„ penetrarent. Enimuero & Ianiſſeros & Spachos è noſtro comitatu iamiam profici-
„ ſci, & iter præripere iuſſimus cum maximo numero bombardarum, & machinarum:
„ quibus omnibus ita comparatis ſubſequi ſtatim iubebimus, & magnum noſtrum Baſ-
„ ſam Roſtanum, ac tantummodo expectabamus certos iſtinc nuntios, vt intelligere-
„ mus, quis nunc rerum ſtatus eſſet, id eſt, an Germani damnum aliquod regno intu-
„ liſſent, ſtipendiúmque cum noſtro, quem iſtic hac vna de cauſa habemus, viatore
„ nondum etiam eſſet miſſum: quæ ſi ita accidiſſe cognouerimus, dubium nobis non
„ eſt, quin primo quoque tempore haſce omneis, quas enumerauimus, copias in re-
„ gnum inuadere iubeamus: cum vt hoſteis ipſos repellamus, tum etiam vt de rerum
„ nouarum authoribus ſupplicium ſumamus. Vos ergo, nobiles, ac populares regni
„ Tranſſiluaniæ, hoc primum ſcitote eſſe officij veſtri, vt vos ad parteis aggregetis San-
„ giachi Tranſſiluaniæ Stephani Regis filij, & adiutore Deo fortiter, vt viros decet,
„ Germanis reſiſtatis, & grauiſſimè in illos conſulatis, quos vobis conſtiterit cum Ger-
„ manis conſilia communicaſſe: denique vt omni ſtudio veſtro, atque opera ad regni
„ ſalutem & conſeruationem incumbatis. Deinde illud etiam ſcitote quoad coronæ
„ noſtræ hanc fidelitatem præſtabitis, vt & Germanis reſiſtatis, & nobis dedatis, ſiqui
„ inuenti fuerint perturbatores, ac nouatores rerum, vos, vxores, liberoſque veſtros
„ ſaluos in pace, ac tranquillitate victuros auxilio, & fauore magnitudinis noſtræ te-
„ ctos: ſin autem infideles eſſe cœperitis, vt neque ad regni defenſionem excubetis,
„ neque rerum nouarum cupidos in manus noſtras dedatis, ſiquid vobis idcirco eue-
„ nerit, vt omnino eueniet, id mérito veſtro, & culpa futurum, atque hæc certò credi-
„ tote, & ſigno noſtro hic appoſito fidem habetote. Datum Conſtantinopoli Nouilu-
„ nio Iulij menſis.

39 Alias item in eandem ſententiam ad fr. Georgium ſcripſit, in quibus & illud ad- *Aliæ eiuſdē Turcæ ad Georgiũ literæ.*
„ dit. Ac quum ſis fidelis noſter ſubditus officij tui eſt eſſe te in partibus Stephani filij
„ Regis, & dare operam vt quos eiſdem Germanis fauiſſe compereris, eos ne patiaris
„ vſquam intra regni fines conſiſtere, vt hac ratione dicti noſtri omnium ordinum ſub-
„ diti in otio & tranquillitate vitam degant. Sed & illud præterea te ſcire volumus, quia
„ ad nos allatum eſſet, fidem nobis Hiſpanos violaſſe expugnatis quibuſdam noſtris
„ in Barbaria oppidis, vbi & grauia noſtris damna data ſint: idcirco nos claſſem no-
„ ſtram ad illas parteis mittere conſtituiſſe, vt omni ratione eam iniuriam vindicemus.
„ Quod autem ad Regem Viennæ pertinet, is ſtipendium, quod ex fœdere nobis debet

Digitized by Google

ad diem præſtitutam non dependit, atque in ea re fidei defuit: quæ res nos in opinionem adducit miſiſſe eum ad dictum regnum occupandum milites ſuos. Itaque copias & ipſi noſtras iam contractas, & comparatas habemus, quò illi occurramus, iámque mandata in omneis parteis dimiſimus ad Bellerbeium Græciæ, ad Baſſam Budæ, ad Sangiachum Moldauiæ, ad Moldauos, Tartaros, Tranſalpinos, cæteroſque circum omneis regni fines vt in ſpeculis eſſent, attentè vos obſeruantes, ac cuſtodientes quid facere aggrederemini, neue à vobis oculos vllam in partem deflecterent: neque aliud iam expectant, niſi certum à nobis mandatum quid ipſos facere velimus. Ac non poſſumus ſatis mirari cur quum ex tam longo tempore hi motus cœpti ſint, nihil neque nobis ſignificandum duxeris, neque Sangiachis noſtris, neque Baſſæ Budano, cum tamen te latere non poſſit, pertinere ad munus & officium tuum vt nos quam ſæpiſſime, & quam ampliſſimè omnibus de rebus certiores facias. Quapropter nullam iam moram debes interponere, quominus ſtatim ad nos remittas viatorem noſtrum Haly cum ſtipendio noſtro ordinario, nóſque vnà quàm diligentiſſimè per litteras certiores facias quis ſit iſtic nunc rerum ſtatus. De aduentu item Germanorum, & ſperetiſne eos poſſe expellere, & quæ ſint cauſæ talium iſtic motuum; & vt ſemel dicam de omnibus quæ iſtic geruntur, ne tantæ iam à nobis comparatæ & prouiſæ copiæ otioſæ ad regni fines ſedeant nihil gerentes dignum hoc apparatu. Iampridem iſtic habemus viatorem noſtrum, nec ſatis intelligere poſſum cur tam diu illum non dimittas, cum præſertim hoſteis iam intra regnum penetrarint: quare etiam atque etiam vide, ne illum vlteriùs moreris, ſed quamprimum dimittas. Quin illud etiam ſcito nobis eſſe certum non pati, vt Germani damni, detrimentíue quicquam regno dent: quod quidem tu pro tuo officio in pace, & otio tueri debes. Poſtremo hoc te admonitum volumus, vt poſthac quum miſſu noſtro viator de re quapiam iſtuc venerit, eum ſtatim dimittas; quo is ad nos diligentiſſimè recurrat: has litteras ſigno noſtro obſignauimus, quo illis fides haberetur: datum Conſtantinopoli luna menſis Iulij.]

In his litteris Iouolkij non meminit, quod de hac arce, atque Tripolitana alias ad Cæſarem ſcripſiſſet minarum acerbiſſimarum, querimoniarúmque plenas: quarum exempla multis multorum principum legatis, qui tum apud Cæſarem agebant, communicata ſunt. Petebat Solymanus vt Africa, Monaſteriúmque ſibi reſtituerentur: Iuolkij arx à fundamentis euerteretur: Germani è Tranſſiluania exirent: ſtipendium ſibi dependeretur, vt etiam in actis Conciliorum Germaniæ videre eſt. Quin & mox Ferdinandi legatum multis contumeliis affectum in teterrimum carcerem coniecit: ſupellectilem eius publicæ auctioni addixit: familiam ad remum, cæteráque naualia miniſteria compulit. Et hæc quidem de horum bellorum origine, ac primis progreſſibus dicta ſint. Sub Maij finem Philippus Cæſaris filius Auguſta diſceſſit, & per Italiam Genuam petiit, atque inde in Hiſpaniam nauigauit, quem Maximilianus eius patruelis vt vxorem iam duorum liberorum matrem inde educeret, comitatus eſt. Duodecimo Kalendas Septembris Mauricius ad Cæſarem ſcripſit ſe quidem publica, quam dederit fide eſſe contentum: cæterum in Conſtantienſi Concilio extare decretum, quo in malè de Chriſtiana religione ſentienteis inquiſitio fieret, ſi forte vocati ad Concilium acceſſiſſent ac de illis ſententia ferretur: quin & punirentur etiam ſi Cæſar illis ſuo diplomate cauiſſet: quod cremato Ioanne Hus qui Sigiſmundi Imperatoris fidem ſequutus ad Concilium venerat, executi ſunt: ſe itaque ſuos Theologos Tridentum haud miſſurum niſi, qui ibi adſunt Pontifices communi Concilij nomine iiſdem caueant: quemadmodum Baſilienſi Concilio quod Conſtantienſi proximum fuit, qui aderant Epiſcopi Bohemis cauerunt: ſeptimo Kalend. Septembris Auguſtani miniſtri numero decem in Attrebatenſis Pontificis Cæſaris Cancellarij ædes accerſiti, & de ſacramentorum inſtitutione, numero & vi, ac quod Interianam (ſi ita vocare licet) doctrinam non profiterentur, interrogati duo tantum ſacramenta ſe ex ſacris libris agnoſcere reſponderunt, Baptiſmum, & ſacram cœnam: cætera hominum eſſe inuenta, nec ex iiſdem libris poſſe elici, quibus & Interianam repugnare doctrinam: hinc ex vrbe diſcedere iuſſi alij ad Heluetios, aliò alij ſe contulerunt. Idem Memingenſibus & aliarum ciuitatum Suæuicarum miniſtris contigit: nam & reditu ad ſuos & docendi facultate interdicti ſunt.

Philippus Cæſaris filius in Hiſpaniã remeat.

Auguſtani miniſtri de ſacramentorum doctrina examinatur.

Senatui

Senatui Auguſtano mandatum, vt quibus in templis Lutherianiſmus docebatur, in poſterum ne doceretur, donec aliter Cæſar ſtatuat. Huius edicti fama per Germaniam diuulgata Proteſtanteis admodum perterruit, quod ad cæteras quoque Germaniæ regiones peruenturum non dubitabant: ſed hunc metum bellum inter Cæſarem, Regémque ad Parmam exortum ademit.

Caroli Coſſei milites palãtes, inermes, nec opinates Mediolanẽſis præfectus interceptos trucidat, & mox Parmẽſem agrũ populatur.

41 Paulò ante belli Parmenſis initium Carolus Coſſeus, quem vulgo Briſſacum Mareſchallum appellabant, Subalpinæ Inſubriæ præfectus milites ſine ſignis pacatorum habitu, quod adhuc inter Cæſarem, Regémque induciæ erant non omneis ſimul, ſed in turbas ſeparatos Mirandulam miſerat. hos Ferdinandus Gonzaga Mediolanenſis præfectus interceptos partim necauit, partim ad remum compulit, & mox coacto exercitu Parmenſem agrum Maio menſe vaſtauit: Noceranum caſtellum nullo præſidio firmatum diripuit: Columnium item Antenoris Almerici præfecti ignauia deditum in ſuam poteſtatem redegit. Quinetiam Alexander Vitellius Pontificij exercitus dux Parmæ appropinquauit, muriſque tormenta admouere cœpit: verum à Parmenſibus acriter repulſus ad tria paſſuum millia ab vrbe ſeceſſit. Interim Horatium Farneſium Caſtriæ regulum, qui equitibus, ac Petrum Strozam, qui peditibus præeſſet, Philibertum item Marſilium Cipetram leuiorum equitum præfectum Mirandulam Rex Henricus miſit, vnde ſubſidium Octauio ac Parmenſibus expedirent: quibus poſtea Paulus Thermeus rerum bellicarum experientiſſimus reuerſus Roma acceſſit, in cuiu- prudentia Rex ſummam huius belli collocabat; vt Parmenſis agri vaſtationem vlſciſcerentur Caſtrienſis regulus, ac Stroza in Bononienſem incurſarunt, eumdémque rapinis, atque incendiis fœdarunt: vnde Vitellius Pontificium exercitum eò reducere coactus eſt: Cipetra autem in Placentinum, præſertim vero Soragniam Placentiæ vicinam excurrit, ac prædam reducens, non longe Hiſpanos equites à ſe abeſſe conſpexit: ſe quidem ſine conflictu recipere poterat, & ſuis vt accelerarent, locúmque vbi tutò conſiſterent, antecaperent, iubebat. at Andelotus, nonnullíque alij aulici adoleſcentes inſita Gallicæ nobilitati temeritate hoſtibus obuiam ire perrexerunt: quibus dum ſuppetias fert Cipetra cum Andeloto, & aliquot è ſuis captus eſt. Reuerſus Parmam Stroza Cæſarianos vt vrbem circumſederent propius appropinquanteis & noſtrorum excurſiones prohibere tentanteis, nec opinanteis aggreſſus multos ex iis concidit, & ſuos incolumes Parmam reduxit. Nec minus fœliciter Claromontanus cum equitatu, & aliquot peditum cohortibus eoſdem paulò poſt repreſſit: ita multa ad Parmam velitaria certamina fiebant: nec auctus Ferdinandi Gonzagæ exercitus noſtros quin frequenter exirent, hoſteíſque laceſſerent prohibere poterat. Pontificij rarius Mirandulæ præſidium relictum arbitrati eamdem circumſedere ſtatuerunt: quibus obuiam Thermeus, Caſtrienſíſque cum equitatu proceſſerunt: ne propius accederent, tormentaque muris admouerent: in inſidias incidentes, longiuſque progreſſi Mirandulanum iter potius, quam Parmenſe hoſteis obſeruaturos rati illuc properant. verum & hic certis locis diſpoſitas offendunt; quas nihilominus viam vi ſibi facientes perrumpunt, & aliquot ex hoſtibus cæſis ac captis Parmam incolumes euadunt.

Hẽricus Parmẽſibus ſubſidia ſubminiſtrat.

Cæſarianos ad Parmæ obſidionem accedentes Stroza feliciter impetit.

42 Hæc dum ad Parmam, Mirandulámque geruntur, Polinus triremium Gallicarum in Oceano præfectus Flandricas aliquot naueis intercipit, & Briſſacus Mareſchallus Regis in Subalpina regione legatus Cherium ac fanum Damiani capit: hinc Gonzaga Inſubribus timens maiorem exercitus partem Mediolanum ſecum ducit: alteram Ioanni Mediquino, qui poſtea Melagnanenſis ſiue Marignanus Marchio dictus eſt, ad Parmam relinquit. Quapropter Stroza Parma egreſſus Brixillo, Montechiano, Fontanelao, aliíſque nonnullis oppidis, caſtellíſque captis præſidium imponit, vt inde Placentinum agrum popularetur: neque enim imminutis Cæſarianorum copiis vehemens, arctáque obſidio erat. Interim interueniunt Kalendæ Septembres dies Concilio deſignatus: aderant Pontificij legati Marcellus, Creſcentius Cardinales, Sipontinus, ac Veronenſis Pontifices, multi item Itali, Hiſpaníque Epiſcopi: ex Germanis autem Moguntinus, ac Treuirenſis; Colonienſis paulò poſt acceſſit. Aderant & Argentinenſis, Viennenſis, Conſtantienſis, Curienſis, Numburgenſis: tres quoque Cæſaris legati Franciſcus Toletanus, Hugo Comes Monfortius, Guilielmus Pictauius: Ferdinandi etiam Romanorum Regis legati. Primo conſeſſu, quam illi ſeſſionem vocant, ſacra liturgia de more peracta ecce Iacobus Amiotus

Stroza Placentinum agrum vaſtaturus Parma proficiſcitur.

Conciliũ Tridẽti celebratur.

Digitized by Google

Belloſanus Abbas à Gallo miſſus litteras Regis ad Tridentinum conuentum ſcriptas ex inopinato Cardinali Creſcentio offert: mirum viſum eſt multis quod ſe à Rege miſſum Pontificios legatos, totumque eum conſeſſum celaſſet: vt non tanquam priuatus, ſed Regius orator honorato loco ſederet: nec eum conuentum improuiſus fallere velle videretur. Litterarum inſcriptione lecta diſceptarunt Patres cur conuentum, non Concilium Rex appellet: litteras niſi mandatum Belloſanus habeat, non eſſe recipiendas. Mandatum litteris contineri Belloſanus reſpondit: in ſacrarium ædis ſeuocati Patres poſt aliquam diſceptationem, quod in bonam partem accipi poſſit inſcriptio legatum audiendum eſſe decernunt: atque in ſuas ſedes reuerſi quod conuentus nomine Rex Concilium ſignificet, neque ſe arguere, neque de tanto Rege velle malè ſuſpicari declarant: ſin aliter intelligat, litteras pro nullis, ac pro non ſcriptis habere: atque ita mandata exponere iuſſus eſt. Tum ille valde prolixam de ſcripto orationem recitauit: declarauit initio qui per Paulum Thermem legatum ſuum omneis pacis continuandæ vias Iulio Rex explicarit, nec quicquam impetrarit: Iulium alieniſſimo tempore, quum & Turca Chriſtianis terra, marique immineat, & ſparſæ de religione controuerſiæ bonam orbis Chriſtiani partem occupent, vt neque ſibi priuatim, neque difficillimo aduerſus communem hoſtem bello conſulant, incendium excitaſſe, quod iam extingui non poſſe videatur: vnicum remedium videbatur Concilium vniuerſum, quo ſolo tot, tantæque controuerſiæ tollerentur: hoc in tanto bellorum ardore coire non poſſe. Itaque ſe neque Epiſcopos regni ſui Tridentum miſſurum, neque Tridentinum pro vniuerſo habiturum in priuatam dumtaxat quorundam, non in rem publicam Chriſtianam coactum: ſe itaque ac ſuarum ditionum populos huiuſce decretis non teneri: ſe porro ea adhibiturum remedia, ſi opus erit, quibus maiores ſui in huiuſcemodi cauſis vſi ſint: neque enim rem ita nouam eſſe, vt exemplis omnino careat: ſe nihilominus ſincero ſemper erga religionem animo futurum, neque vnquam à Romana vllam in partem diſceſſurum: Patres obſecrare vt hanc ſuam conteſtationem boni conſulant, atque in acta referant, eorúmque exemplum ad ſe mittant: quod cum cæteris Chriſtianis principibus, populiſque communicare poſſit.

Orationis quam Gallus legatus in Concilio habuit argumentum.

Romã deferri pecuniam pro ſacerdotiis vetatur.

Septimo Idus Septembris Lutetiæ publicè edictum proclamatur, quo Rex pecuniam Romam exportari vetat ſeueriſſimis pœnis additis. Quinto Kalend. Iulij aliud in Lutherianos, nouarúmque in religione ſectarum reos grauiſſimum apud caſtellum Briennium minoris Britanniæ arcem, atque oppidum in ſanctiore Conſilio ſanxerat: id idcirco edictum caſtelli Briennij vulgo appellarunt, quod in Senatu Pariſienſi tertio Nonas Septembris editum eſt: hoc omnia ante promulgata in Lutherianos edicta renouantur: iudicibus etiam præſidiariis ſumma in reos iuriſdictio ſine prouocatione attribuitur, & pleræque aliæ mulctæ adduntur: ne rerum nouarum ſtudioſi propter hanc inter Iulium Pontificem, Regemque diſſenſionem liberam ſibi cuiuſuis religionis profeſſionem conceſſam exiſtimarent. 43

Decretum in in noua perſuaſionis homines.

Libello edito cauſas Cõcilij Regi Gallo Patres exponunt.

Tridenti Regis legato tertius Idus Septembris præſcriptus fuerat dies: & quoniam is non affuit, libellum edunt Patres, quo cauſas indicti Concilij explicant: nempe vt qui à vera religione deſciuerunt, in viam reducantur, & conſenſum communem ſequantur; à Paulo Tertio legitimè indictum fuiſſe: ab hoc Pontifice rite reſtitutum, vt priuatum dici non poſſit: non eſſe cur ſuis Epiſcopis Rex metuat: liberum illis aditum & reditum futurum: ſi Belloſanum hominem priuatum, quamuis minus grata nuntiaret, libenter audierunt, quanto facilius Epiſcopos publica munera obeunteis audient? Franciſcum patrem imitetur, qui Concilium legitimum agnouit, & ſelectos è ſuis huc Epiſcopos miſit: quod ſe remediis quibus maiores ſui vſi ſint, vſurum dicit, exiſtimare ſe Regem tanta prudentia, quæ magno Galliæ compendio ſublata ſint, haud reuocaturum: quin potius recens patris exemplum ſequuturum: ſimultates ſi quas aduerſus nonnullos concepit, tam pia occaſione oblata Reipubl. condonandas. Vndecimo Kalendas Octobris filium Catharina Regina peperit: Eduardum Alexandrum initio nominarunt: Henricus poſtea de patris nomine dictus eſt, & duobus fratribus Franciſco ac Carolo vita functis in regno ſucceſſit. Hoc tempore Cæſar Hiſpanos qui Virtembergenſem agrum totos quinque annos crudeliter vexarant, in Italiam ad bellum Parmenſe euocauit: Aſpergum dumtaxat arcem ſibi reſeruauit, eique Germanicum præſidium impoſuit: 44

Henrici III. Galliæ Regis natalis dies.

Digitized by Google

Magdeburgenſes Cæſari reconciliantur, quibus cõditionibus.

ſuit: Nouembris initio Magdeburgenſes his conditionibus Cæſari reconciliati ſunt, vt ſcilicet Cæſarem ſupplices deprecarentur: nihil in Auſtriacam, Burgundicámque familiam molirentur: Senatui Spirenſi, & poſtremo Auguſtano decreto parerent: vrbis munitiones, vti Cæſar iuberet, diruerent: Cæſaris præſidia, ipſúmque adeo Cæſarem quouis tempore in vrbem admitterent: nummûm aureorum millia quinquaginta penderent: duodecim maiora tormenta Cæſari traderent: Megelbúrgenſem regulum, cæteróſque captiuos dimitterent. Pridie Nonas Nouembris præſidiarij pedites bis mille, equites centum & triginta ex vrbe exierunt: in quorum locum quinque peditum cohortes Mauricius immiſit: ipſe cum toto exercitu vrbem Nonis ingreſſus eſt Senatu obuiam prodeunte: omneis Cæſaris legatus in Cæſaris, Imperij, & ſuam fidem recipit: tum relicto præſidio commemorato cæterum exercitum ex vrbe educit: vetus præſidium, quod exierat, Megelburgenſis nomine retinet. Neque omnino, quid moliretur, diſſimulabat: Regem Daniæ, multóſque Germanos principes pro liberando ſocero ſibi adiunxerat, & quod maximum fuit, de inferendo Cæſari bello cum Henrico Galliæ Rege pactus erat Ioanne Freſſano (Fraxineum Germani vocant) Baionenſi Pontifice pactionis interprete, qui iam ad illum clam miſſus erat. Cur autem aut Freſſanus ſibi, aut illi eidem hoc nomen dederint, non ſatis aſſequor: Freſſa enim à quodam fundo noſtro more nomen ipſi inditum, cum fraxino nihil commune habet: niſi forte is ab arbore, ex qua haſtæ, aliáque arma fiunt, militare nomen à ſua functione alienum aſſumere maluit.

Mauricius de inferẽdo Cæſari bello cum Gallo Rege pactus.

45 Id temporis Maximilianus Cæſaris gener ex Hiſpania cum vxore, & liberis profectus Genuam appulit: nonnullas eius naueis Galli interceperunt, quod equites à Ferdinando patre, vt illum exciperent miſſi, Ferdinando Gonzagæ operam nauaſſent: & paulò ante triremem, & ſex onerarias naueis Hiſpanicas ad Barcinonenſem portum ceperant. Eiuſdem menſis initio Cæſar Auguſta relicta Oenipontem, qui Tridento tridui itinere diſtat, acceſſit, vt à Concilio non longè abeſſet, cui vt adeſſet, aut non longè abeſſet, Germani principes orauerant: Iulius autem Cardinales tredecim omneis Italos eodem die creauit. Septimo Kalend. Decembris de pœnitentia, & extrema vnctione decreta recitantur, vt ex Concilij actis ſatis liquet. Sub Decembris initium Mauricij Saxonis, ac Brandeburgenſis legati Cæſarem adierunt: & de liberando Lantgrauio multa, quæ iam ſupra commemorata ſunt, repetentes, nonnulla addentes egerunt oblatis Ferdinandi Romanorum Regis, Alberti Bauariæ ducis, & Luneburgenſium fratrum litteris in idem argumentum ſcriptis. Affuerunt & principum, qui pro Lantgrauio intercedebant legati: Federici (inquam) Palatini ſeptemuiri, Volfangi Bipontini, Ioannis Marchionis Brandeburgenſis, Henrici, & Ioannis Alberti Megelburgenſium, Erneſti Marchionis Badenſis, Chriſtophori Vuirtembergenſis. Acceſſerunt poſtremo & Daniæ Regis legati; omnibus idem ſcopus erat, nempe Lantgrauij libertas. Cæſar non ſtatim, ſed aliquot diebus interiectis Mauricij, & Brandeburgenſis legatis reſpondit ſe in dies Mauricium grauibus aliis de cauſis expectare: illo præſente ſe commodius ipſorum poſtulatis ſatisfacturum: principum autem legatos dimiſit, addens ſe interceſſionis illorum memorem futurum, quam apud ſe magni momenti fuiſſe intelligent. Accepto Cæſaris reſponſo Mauricium, Brandeburgenſémque magis vrgebat Guilielmus Lantgrauij maior natu filius, & citationem inculcabat: ſimulatè inter eos diſceptabatur conſiliariis etiam adhibitis, quamquam eorumdem ſcopum non intelligebant: Mauricius iam de inferendo Cæſari bello certus anni tempus commodius expectabat. Idibus Decembris Maximilianus Cæſaris gener cum vxore & liberis Tridentum ingreſſus eſt à legatis Pontificiis, Hiſpanis, Italis, & Germanis aliquot Epiſcopis honorificè exceptus. Septemuiri Imperij Electores illi obuiam non prodierunt. Quum Tranſſiluaniam tueri deſperaret Regina Stephani Regis mater eam Ferdinando certis conditionibus permiſit, ac tuendam reliquit, oblatíſque regni inſignibus in Poloniam abiit. Illi ſtatim poſt viri mortem Stephanóque filio Tranſſiluaniam obtulerat Ferdinandus: qua ſi tum contenta fuiſſet, & Hungariam, & Tranſſiluaniam à Solymani tyrannide vindicaſſet; muliebris, procerúmque Hungarorum ambitio, atque inter ſe diſſenſio in miſerrimam ſeruitutem vtramque coniecerunt. Eadem ambitione incenſus frater Georgius Varadinenſis Pontifex ſolita adminiſtratione ſe fruſtratum ægrè ferens ad Solymanum inclinare cœpit: quem idcirco Ioannes Baptiſta Caſtaldus Ferdinandi legatus illuc à Cæſare miſſus quod rerum

Pro liberando Lantgrauio multorũ ſupplicationes Cæſari factæ.

bellicarum in primis experiens putabatur, conſcio Sfortia Pallauicino domi trucidari iuſſit. Varadinenſem nuper in Cardinalium Senatum cooptarat Iulius; quapropter in cædis authores inquiri iuſſit, eiſdem Chriſtianis ſacris interdixit.

Iudicū præſidiariorum creatio in Gallia.

46 Raro edicta Regia niſi inſigniora in noſtram hiſtoriam inſerimus, quod ea breui antiquari, aut immutari ſoleant: quod ad bellum grauiſſimum imminens magna pecunia opus erat Nouembri menſe lex de diuendunda patrimonij Regij portione lata eſt: Decembri de præſidiariis iudicibus (ſic enim vocarunt) qui in vnaquaque præfectura ſeptem, vt minimo numero, plures ſæpius creati ſunt: qui de litibus, quæ ducentorum quinquaginta nummûm francicûm æſtimationem, aut quarum immobilium fructus annuus denos francicos non excedit ſine vlla prouocatione iudicarent: ſed Regum facilitate, aut auaritia & iuriſdictio poſtea amplificata, & numerus auctus eſt: ſi quaterni aut quini duntaxat inſtituti fuiſſent, ad lites breui finiendas multum contuliſſent: iudicum multitudo litium multitudinem auxit, & vt pretio ius quæreretur, aliiſque charius venderent, quod emerant, effecit. Legum vel edictorum crebra mutatio Reipub. vel regni malè adminiſtrati certiſſimum argumentum eſt: milites tam qui Magdeburgum oppugnarant, quàm qui defenderant, in Turingia, & finitimo agro hybernabant, magnámque iacturam viris præſertim ſacratis inferebant. Hinc Moguntinus, cuius ditiones illuc vſque pertingebant, à ſuis reuocabatur. Idem ſibi Colonienſis, Treuirenſiſque metuebant: quapropter litteris Kalendis Decembris ad Cæſarem ſcriptis, vt ſibi domum redire liceret petiuerunt: tertio Nonas Ianuarij reſpondet Cæſar, & ne Tridento diſcedant, orat: Concilium illorum potiſſimum authoritate niti: illorum præſertim vt bono exitu terminetur, intereſſe: milites de non exoluto ſtipendio queri, vt illis perſoluatur, Mauricio mandaſſe, illíque ſuam fidem pro pecunia perſoluta modo dimittantur, obſtrinxiſſe: niſi autem dimittantur, aliud conſilium, alias rationes ineundas: Mauricium miſſis & legatis & litteris omne ſtudium polliceri, vt principem Germanum ea familia ortum leuibus coniecturis in ſuſpicionem vocet, æquum non putare: maximè quod ſe breui Oenipontem acceſſurum confirmarit: ſeptimo Idus Ianuarij Mauricij legati Tridentum inierunt: quarto Idus vt Theologis Mauricinis, qui iam in itinere erant, ad Concilij Baſilienſis formulam caueatur, petunt; & quæ anno ſuperiore in Concilio Auguſtano petierant, repetunt, ac pauca addunt, quibus Mauricium à Concilio Tridentino abhorrere, & aliud quiddam moliri indicabant.

Mauricij legati Tridentum veniūt: eorum poſtulata.

47 XI. Kalen. Februarij, quum inſtaret Concilij dies, Cæſaris legati quid illorum cauſa cum Patribus egerint, exponunt: qualem Theologis ſuis cautionem poſtularint, habituros: actiones Concilij, donec illi venerint, ſuſpenſum iri: ſi omnes nationes huc non conueniant, Concilio nihilominus, quod legitime indictum ſit, ſuam conſtare authoritatem: decreta iam facta ſine ſumma tanti conuentus iniuria retractari non poſſe: an tot Epiſcopos, tot viros eruditos ex tot nationibus idcirco huc conueniſſe, vt à paucis paucarum vrbium, aut certè prouinciarum Theologis decreta accipiant, ſua inducant? vt Romanus Pontifex ſe ſubmittat, Concilióque pareat, initio petendum non eſſe: quod ipſa Concilij tractatione commodius expediri poteſt: veniant modo Theologi, & ſe omnia æqua conſequuturos confidant: ſin aliud experientur, liberam ſemper illis fore diſcedendi facultatem: Cæſar legatis ſuis mandarat, vt Mauricinos humaniſſimè, quoad fieri poſſet, acciperent, qui Vuirtembergenſibus atque Argentinenſibus ad eumdem fere modum reſponderunt. Mauricini Vuirtembergenſes, Argentinenſes legati, vbi cautionis formulam diligenter expenderunt, nonnulla deeſſe deprehenderunt: & locum Baſilienſis Concilij deſcribentes, ac Franciſco Toletano Cæſarianorum legatorum principi offerentes quid in formula deſiderarent, explicarunt: locus autem hic erat. [Decidendi quoque facultatem habeant, vt ſacra Scriptura, & veteris Eccleſiæ praxis, & Concilia, & interpretes cum ſacra Scriptura conſentientes in omni controuerſia ſint loco iudicis: vt ipſis liceat domi ſua ſacra perficere, nequid in ipſorum doctrinæ contemptum aut vituperationem fiat.] Reſpondet Toletanus præcipuum illorum poſtulatum fuiſſe de cautionis formula, hanc qualem petierint conſequuturos: cætera quum Theologi venerint, commodius poſſe tractari: altero poſt die in domo Pontificij legati manè conueniunt Patres ac Cæſaris legati: vocantur Vuirtembergenſes legati: ij prolato mandato eadem, quæ ante apud Cæſaris legatos exponunt: ſub veſperam vocantur Mauricini, qui eadem

quoque

Digitized by Google

quoque repetunt: vtriſque reſpondetur Patres quid ſentiant declaraturos. Octauo Kalend. Februarij conſeſſus cauſa Proteſtantium ad decimumquartum Kalend. Aprilis differri proclamatur: ampliori formula Mauricinis, Vuittembergenſibus, Argentinenſibus Theologis cautum eſſe: proximo conſeſſu de matrimonij ſacramento tractationem futuram: qui dum expectatur ſub Februarij finem Theologos ſuos reuocat Mauricius, & iter ad Cæſarem ingreſſus, quum paululum proceſſiſſet, domum redit: militum delectum habet. Mauricini legati qui huius conſilij conſcij eſſe, & huc vſque ſimulaſſe putabantur, tertio Idus Maij, quod in non leui diſcrimine eſſe videbantur, clam primo diluculo Brixnam properant de ſuo reditu Cardinalem Tridentinum conſulturi: horum alter breuiſſimo itinere ad Mauricium euaſit: alter Oenipontem ad Cæſarem acceſſit, & ſe Mauricini conſilij haud conſcium fuiſſe teſtatus eſt; cui liber ad ſuos reditus permiſſus. Moguntinus, ac Colonienſis ad Cæſarem primum, inde mox domum abierunt.

Mauricius ad belli paratus.
Henricus ad idem ſe accingit.
Eius belli pernicies.
Auguſta Vindelicorū obſidetur.

48 Iam Mauricius in armis erat; & Rex Henricus ad bellum non neceſſarium, & ſuis æquè, ac Cæſarianis pernicioſum ſe comparabat à nonnullis perſuaſus, qui Cæſarem nec ad extremum quidem ver victurum exiſtimabant: quod etiam Mauricium audaciorem reddidit: Concilium certe Tridentinum perturbauit, & vt diſſolueretur, effecit. Et vt de Africa, Monaſterióque nihil dicam, vt Solymanus in Hungaria progrederetur, occaſionem dedit, Agria, ac Zigetho cum magna ſuorum clade tentatis, Zolnoco autem, ac Temeſuaro captis. Kalendis Aprilis Mauricius Auguſtam Vindelicorum circumſedet, tertio poſt die deditam capit: quatuor peditum cohortes à Cæſare miſſæ vrbi præſidio erant; quibus libera diſcedendi poteſtas facta eſt: tum in Tirolenſi agro, qui Norici pars eſt, militum delectus à Cæſarianis habentur: Ferdinandi filiæ Brunecum ad Venetorum fines in Alpibus ſitum oppidum confugiunt: tertio Kalend. Maias Concilium diſſoluitur, & in biennium aut eo etiam amplius, ſi principes inter ſe non conueniant, producitur. Iulius Turonio Cardinale rem procurante cum Rege conuenit: itaque tota belli moles in Cæſarem verſa eſt. Paulò ante Carolus Molinæus Pariſienſis cauſidicus laborioſus magis, quàm ingenioſus, commentarium ad edictum Henrici Regis de Pontificiis ſcribis edidit, quo Gallorum Regum authoritatem aduersùs Romanos Pontifices tuetur, & hinc deterritum Iulium, & ne Galli ab ipſius authoritate deficerent, timentem cum Henrico tranſegiſſe iactat. Tum quoque Ioannes Corneus Iulij ſororis filius Antonianum caſtellum ad Mirandulam munierat, vrbémque iamdudum obſidebat, noſtróſque ita contemnebat, vt ſæpe ad aucupium aliquot equitibus comitatus exiret: obſeruatus à Sanſaco, & in inſidias lapſus ſclopeti glande cæſus eſt: comites eius circiter octoginta vel capti, vel cæſi: caſtellum à noſtris expugnatum.

Mauricius ſcriptis ad Imperij ordines litteris belli à ſe ſuſcepti cauſas exponit.

49 Paulò ante quam Auguſtam appelleret Mauricius, litteras ipſe, ac Brandeburgenſis ad Imperij ordines ſcripſerant ac diuulgarant, quibus belli huius cauſas ſignificabant: pulchrum quidem, atque omnibus gratum eſſe nomen pacis, ſiquidem ea quod promittit, præſtet: ſolidam ſcilicet in omni Republ. aut regno, aut alio principatu tranquillitatem: ſin ſpeciem quamdam pacis duntaxat oſtentet, reipſa nihil præſtet, tum vero pacem illam aperto bello deteriorem ac pernicioſiorem futuram: ſe in primis religionis conciliationem optaſſe ex Prophetarum, & Apoſtolorum ſcriptis: cuius aduerſarij ſpem ſæpius fecerint cum priuatis colloquiis, tum publicis decretis: cæterum nihil præſtitiſſe; quin potius promiſſa ſua, ac decreta variis interpretationibus euertiſſe: addidiſſe etiam non eſſe cur illis magnopere quis fidat, temporis tum habitam fuiſſe rationem, nunc aliam eſſe conditionem; parendum nimirum, aut propoſitæ pœnæ ſubeundæ: modò religionis controuerſias, modo rebellionem belli cauſas obtendiſſe: quum vtraſque pro nihilo ducerent, aut his ad ſuum ſcopum abuterentur, vt ſcilicet ad ſingularem dominatum, hoc eſt, ad tyrannidem peruenirent: nónne propoſitam Auguſtæ veræ religionis formulam, quoad illorum fuit, euerterunt pulſis extra Imperij fines ſacris concionatoribus, ac puri verbi Dei miniſtris? in quo tam vehementes fuerunt, vt non ſolùm legitimi, ſed ne Pontificij quidem Concilij decretum expectarint. De Lantgrauio alteram expoſtulationem eſſe, qui totos iam quinque annos præter Cæſaris promiſſum variis poſt interpretationibus reſciſſum in cuſtodia detinetur: qui licèt pactioni per eius liberos, nobilitatem, populum confirmatæ ſatisfecerit, mulctam pecuniariam dependerit, tormenta bellica cum omni inſtrumento tradiderit,

Digitized by Google

tradiderit, arceis, propugnaculáque demolienda curarit, Henricum Brunſuicenſem cum filio liberum dimiſerit, omneis denique pactionis conditiones impleuerit, tamen neque ſuis, neque Brandeburgenſis ſeptemuiri, Volfangíque Palatini precibus, qui eius repræſentandi, niſi pactis ſtaret, ſponſionem fecerint, ſuæ libertati hactenus reſtitutus eſt: vt ipſe, ciúſque liberi neſcio qua iuris ſpecie bonis exuti in eas redigantur anguſtias, vt priſtinam dignitatem, locúmque tueri non poſſint: quod Mauricij plurimum intereſt propter ſpem ſucceſſionis, eáſque pactiones, quæ inter ſuam, Heſſicámque familiam intercedunt. Sed id potiſſimum conſiderandum quod ad communem Germaniæ libertatem pertinet: cauſæ ciuiles etiam maximis de rebus non ad Imperij conuentus, ſed ad paucos Spirenſes Senatores ex induſtria ſelectos referuntur: Imperij ſigillum ad alienigenas transfertur: conſiliorum ſumma ab vno pendet, qui nec gente nobilis, nec origine Germanus, nec cum Imperio coniunctus eſt: Antonium Granuellanum Atrebatenſem Pontificem Cæſaris Cancellarium intelligebat: quid, quod contra antiqua priuilegia Germanis ne externis principibus militent, interdicitur? externus miles in Germaniam immittitur? qui populum acerbiſſimis rapinis exhauriat, inauditis libidinibus inquinet: Regum legati ad publicos Imperij conuentus non admittuntur: quorum cum Germanico Imperio fœdera ſemper ſanctiſſima fuerunt: nónne omnes hi gradus ad meditatam illam diu monarchiam tendunt? huius auertendæ, & patriæ libertatis conſeruandæ ergo Mauricium, ac ſocios bellum hoc ſuſcepiſſe, ac cum Galliæ Rege fœdus iniſſe: ſiquis contra arma ferat, hoſtibúſque ſe adiungat, hunc pro hoſte habituros, ferróque, atque igni perſequuturos: neque vero ſibi vitio vertendum ſi nimia illa Eccleſiaſticorum (vt vocantur) potentia aliqua ex parte imminuetur, quod primarij Epiſcopi his malis cauſam dederunt: neque tamen eorum collegia, quæ nobilitatis potiſſimum cauſa inſtituta ſunt, abolenda cenſemus: maneant in ſuo gradu, modo vitia intoleranda tollantur.

Vera belli cauſa.

Speciosa erat Mauricij ſociorúmque oratio: cæterum de Lantgrauij duntaxat libertate certabant: de re communi non multum laborabant: vti fœdere, quod cum Ferdinando Rege, deinde cum Cæſare fecerunt, ſatis declararunt: neque datam Gallo fidem ſeruarunt, cui Cæſare repulſo ſe in Italiam cum exercitu tranſituros promiſerant: at paucis poſt menſibus bonam militum ſuorum partem Cæſaris ſtipendium aduersùs Gallum ſequi permiſerunt, & tamen ſuis Galli Regis tum querimonias addiderunt: ac prolixè antiquam Gallorum, Germanorúmque originem ab eadem ſtirpe ductam, continuatámque amicitiam, atque animorum coniunctionem prædicarunt: ſtatim nihilominus cum Ferdinando Cæſaris fratre de ſua reconciliatione adhibito etiam Regis legato Ioanne Freſſano Baionenſi Pontifice egerunt, vt hac Regij legati oſtentatione metum Cæſari imparato incuterent, legatúmque ipſum non ſatis cautum, non integra, verum ſpecioſa conſiliorum ſuorum communicatione magis fallerent. Igitur Martij initio Mauricius ſuarum ditionum ordines cogit, qui à Lantgrauij liberis citetur, explicat: ſibi non licere cunctari diutius, neceſſario ad illos proficiſcendum: parcant interim Auguſto fratri, & ne quid prouinciæ ſuæ detrimenti capiant, prouideant. Inde ad illas, quas in Thuringia habebat, copias properauit: alia ex parte Guilielmus Lantgrauij maior natu filius cum ſuis copiis decimoquinto Kalend. Apriles Erlebachum appulit, cui Comes aderat Ioannes Freſſanus Regius orator Baionenſis Pontifex: hi miſſis litteris Francfordienſes ne vllum Cæſarianum præſidium admitterent, monuerunt: & quamquam non ſatis commodum reſponſum acceperunt, tamen nulla re tentata ſuſceptum iter perſequuti ſunt: nono Kalend. ſe cum Mauricio coniunxerunt: triduo poſt Schunfurtum appulſos Ferdinandi legati conueniunt, litteráſque proferunt, quibus ille, & de Lantgrauio liberando, & de Mauricio Cæſari reconciliando ſe poteſtatem habere indicabat: malum belli initium, quum armati ac parati de pace agunt, antequam vllum hoſtem viderint: neque tamen quominus ad Ferdinandum pergerent, Regius legatus abnuit, quinetiam ipſe itineris comes fuit. Intereundum Albertus Brandeburgenſis cum ſuis equitum peditúmque copiis ſeſe illis adiunxit, quoquo tranſeunt vrbeis in ſuam poteſtatem redigunt: Cæſarianis abdicatis nouos magiſtratus inſtituunt, pecuniam ac tormenta imperant. Kalendis Aprilis circiter meridiem Auguſtam appellunt, qua, vt paulò ante ſcripſi, tertio obſidionis die potiuntur: muri, vallíque pars ſiue forte fortuna, ſiue de induſtria

Auguſta tertio obſidionis die deditionem facit.

Digitized by Google

induſtria deiecta erat: ad ſuperioris Germaniæ ciuitates vt intra eum menſem ad ſe accedant, ſcribunt: Vlmenſibus, qui nouem paſſuum millibus Auguſta diſtant, vt ſe ſocios profiteantur, edicunt: recuſantibus trecenta nummûm aureorum millia indicunt, vrbémque circumſedent, & totum agrum populantur.

Mauricius cum Ferdinando conuenire deſiderat.

51 Inde Mauricius Lincium oppidum Auſtriæ petit, an cum Ferdinando conuenire poſſet experturus. In conſilium admiſſus pauca capita propoſuit de ſoceri libertate, de componendis religionis controuerſiis, de conſtituenda Repub. de proſcriptis Cæſari reconciliandis: hi erant Schertelinus, Hedecus, Recrodus, Ringrauius, aliáque nonnulli: poſtremo vt Regis Galliæ fœderati ratio haberetur, poſtulauit. Ad ea Ferdinandus, cui Maximilianus filius, Albertus Bauarus regulus gener, Cæſaris item legati aderant, reſpondet, non recuſare Cæſarem, quin Lantgrauius liberetur, modo ab armis diſcedatur: diſceptationem de religione & de Repub. in proximum Germaniæ conuentum referendam: proſcriptos reconciliari poſſe, modo conditiones quas Cæſar tulerit, impleant: Regis Galliæ rationem haberi Cæſari pergraue eſſe, qui nihilominus paciſci velit, ab eo Mauricius intelligat. Hoc poſtremum caput in ſpeciem duntaxat ad fallendum Regium oratorem additum videtur: neque enim in fœdere quod poſtea inierunt, vlla Regis habita ratio eſt: & Albertus Brandeburgenſis, bonáque Mauricinorum Heſſicorúmque militum pars ad Cæſarem tranſierunt, & proximo autumno aduerſus Regem bellum geſſerunt. Quum Mauricius ſine ſociorum aſſenſu ſe nihil tranſigere poſſe dixiſſet, res in ſeptimum Kalendas Iunij dilata, vtque Paſſauij coiretur (id ad Dannubij, Oeníque confluentem ſitum oppidum eſt) decretum; interim cæteri fœderati principes relictis in Vlmenſi agro copiis, atque Alberto Brandeburgenſi, Srocachum Hegouiæ oppidum petierunt, & trimeſtre ſtipendium ac *** Marchianum Iameſium obſidem acceperunt: nam alter *** Lenuncurtus Nantuelius Comes Cardinalis Lenuncurti frater in itinere vita functus erat: ipſi viciſſim Chriſtophorum Megelburgenſem regulum, ac Philippum alterum Lantgrauij filium Regi obſides dederunt: ita enim conuenerat. Id fere temporis princeps Salernitanus inimicitiis cum Neapolitano Prorege ſuſceptis à Cæſare ad Gallum defecit homo ignauus, & ad explendas delicias potius, quàm ad res magnas gerendas natus. Lincio profectus Mauricius, & ad caſtra reuerſus Alpeis cum ſociis petiit: Ferdinandus Oenipontem ad Cæſarem acceſſit; ille bellum accenſurus, hic pacem conciliaturus. Quum non procul Freſſa oppido in Alpium aditu ad Lechum fluuium ſito fœderati principes abeſſent, montium anguſtias à Cæſarianis occupatas diſcunt: quibus fuſis Freſſa, Rutáque potiuntur: inde ad arcem Erebergum contendunt, quam tametſi tredecim peditum cohortes eidem præſidio erant deditione capiunt. Quum progredi ſemper vellet Mauricius ſeditionem Riſebergi milites fecerunt, & extraordinarium ſtipendium ob captam arcem Erebergum poſtularunt: quum id iniquum eſſe diceret Mauricius, & è ſeditioſis vnum prehendi iuſſiſſet, cæteri haſtis conuerſis, ſclopetíſque emiſſis irruentes eumdem niſi celerrima fuga ſibi conſuluiſſet, trucidaſſent.

Mauricius cum ſociis ad Alpes contendit.

Cæſaris copias quæ montium anguſtias occupabant fundit, & duobus oppidis & vna arce potitur.

Seditio in eius exercitu.

52 Cæſar de capto Erebergo certior factus dimiſſo Ioanne Federico Saxone noctu Oenipote diſceſſit, & cum Ferdinando fratre Tridentinis montibus ſuperatis Villacum Carnicum oppidum ad Drauum fluuium ſitum petiit: Federicus tametſi liber, & ſui iuris Cæſarem officioſè comitatus eſt. Cum Mauricio fecerat inducias Ferdinandus à ſeptimo Kalen. Iunij ad ſextum eiuſdem menſis Idus, & vt de pacis conditionibus interim conuenirent, quarum quum triduum duntaxat ſupereſſet, Paſſauium Mauricius petiit: ſocij principes Freſſam quinto Kalend. Iunij reuerſi ſunt. Alia ex parte Albertus Brandeburgenſis latro famoſiſſimus Volfangi Teutonicorum equitum magiſtri ditiones rapinis & incendiis vaſtabat: vnde ad Nurumbergenſem agrum transgreſſus eumdem pariter populatus eſt: quamuis Mauricius, ſociíque principes ſeptimo Kalend. Aprilis cum Nurumbergenſibus pacti fuiſſent acceptis centum nummûm aureorum millibus: eorum nihilominus agrum ita vexauit, vrbémque oppugnauit, vt ab ipſis ducenta nummûm aureorum millia, ſex maiora tormenta cum omni inſtrumento extorſerit, quæ ablata fuerant reſtitutis; & rapto gaudens duodecimo Kalend. Iulij obſidionem ſoluit: ac ſecundis rebus factus inſolentior ad Vlmenſes litteras dedit minarum acerbiſſimarum plenas, quibus illi haud commoti ſe nihil eorum, quæ poſtularet, facturos reſcripſerunt. Is iam à Mauricij ſociorúmque principum fœdere recedere, & ſuum negotium agere, atque omnia bello pacta ſibi vni vendicare velle

Albertus Brandeburgenſis Volfangi ditiones & agrũ Nuribergenſem vaſtat.

Proſpera fortuna fit inſolentior.

Digitized by Google

velle videbatur: tamerſi ne à fœdere apertè diſcedere videretur, quos in ſuam fidem adigebat, eamdem quoque præſtare Mauricio, ac ſociis iubebat. Iam Bambergenſem, Vuirciburgenſémque Pontifices ad duriſſimas conditiones redegerat, ita quidem vt ille circiter viginti oppida, atque præfecturas, omneiſque adeo beneficiarios (feudatarios, & vaſſallos vulgò appellant) confecto ſuper ea re decimoquarto Kalend. Iunij diplomate illi condonare, hic autem ducenta viginti nummûm aureorum millia dependere, eiuſdémque æs alienum, quod ad trecenta quinquaginta nummûm eorumdem millia peruenire ferebatur, diſſoluere, aut certè vt diſſolueret, ſe obligare coactus fuiſſet: quinetiam & in Moguntini ditiones inuaſit, vt is demerſis maioribus tormentis Nonis Iulij ſalutem fuga quærere cogeretur: à Treuirenſi autem arcem ad Rheni, Moſellæque confluentem poſtulauit, eámque Galli Regis nomine poſtulare ſimulabat. Treuirenſis fœderatos principes ad ſe ſcripſiſſe reſpondit ad Regem nuncios miſiſſe, vt quid in hoc bello peteret, declararet: nihil ſe concedere poſſe, niſi prius Rex quid petat, declararit.

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER VIGESIMVS-SEXTVS.

MAVRICIVM, à quo ſocij principes vno pendebant, Paſſauium vſque deduximus: nunc Henrici Regis cum his recenti fœdere coniuncti Germanicam expeditionem addere conſentaneum eſt. Is quòd Catharina vxor in morbum incidiſſet, ad Iouis, ſiue Iani villam Guiſani reguli arcem, atque oppidum aliquot dies traduxit: quem interim Chriſtierna, ſiue Chriſtina Franciſci Lotharingi reguli ſeptem annis antè vita functi vxor inuiſit, & ne eius exercitus in Lotharingia moram faceret, obſecrauit: hanc bona ſpe impletam dimiſit, eamdem, ac Carolum filium ad Nancium ſe inuiſurum præfatus vxore conualeſcente, cui regni adminiſtrationem dederat, & Claudium Annebaldum Amyralium, vt illi in primis à conſilio eſſet, reliquerat. Tertio Idus Aprilis Gondrecurtum, Idibus Tullum iniit, cui Sclauolum cum præſidio præfecit: inde Nancium Lotharingiæ primariam, munitiſſimámque vrbem contendit Carolo Cardinale Lotharingo, ac Franciſco Guiſano regulo eius fratre præmiſſis, qui Chriſtiernæ Regis aduentum denuntiarent: honorificè exceptus, & paucos dies ibi commoratus Lotharingiæ adminiſtrationem Nicolao Caroli reguli patruo (Vadani montis Comitem vocabant) mandat: regulum ipſum in Galliam deducendum curat, vt cum Delphino educetur: eidem Claudiam alteram filiam vxorem ſpondet: Mombardone viro prudente natione Boio, qui vnà cum Carolo vltimo Boiorum regulo è Gallia exceſſerat, reguli adoleſcentiæ moderatore domum remiſſo in eius locum Boſmolium ſurrogat. Chriſtierna Renatam ac Dorotheam filias ſecum ducens Argentinam primum, deinde in Flandriam abiit: quam Anna Lotharinga Arauſij principis vidua, ac Caroli reguli amita comitata eſt (hæc mox Philippo Croio Ariſcotiæ regulo nupſit) vtramque enim Rex è Lotharingia diſcedere iuſſerat. Præceſſerat cum prima acie Annæus Mommorencius equitum magiſter, & Mediomatricum iam metropolim Roberto Cardinale Lenuncurto Epiſcopo multum adiuuante, ac ciuibus, ne ſe tantis viribus opponerent, perſuadente in ſuam poteſtatem redegerat. Gotofredus Bullionius Lotharingiæ regulus vel à Gotofredo Gibbero Ittæ matris fratre adoptione aſcitus, vel Gibbero ſine liberis vita functo hæres (vtrumque enim Hiſtorici tradunt) ad ſacrum bellum profecturus Metim Epiſcopo, aut ciuibus, aut vtriſque certo pretio addixit: vnde ciuitas ſuis legibus vti cœpit: & vt libertatem ſuam magis confirmaret, ad Germanos Imperatores defecit: Lotharingiæ regulos non amplius agnouit: Epiſcopus tamen aliquantam in deligendis iudicibus authoritatem ſibi reſeruauit, qua & Cardinalis Lenuncurtus Epiſcopus vſus eſt: à quibus ad Senatum Spirenſem (cameram Imperatoriam vulgo appellant) prouocatio eſt, vt paulò ante ſcripſimus. Regij nihilominus magiſtratus decurſu temporis Pontificiam authoritatem vſurparunt. Vrbs tum erat ampla, atque opulenta, multis ſuburbiis muro cinctis ornata, quæ & ædium, & incolarum multitudine vrbem ipſam propemodum exæquabant: quam dum noſtri muniunt, ſuburbia omnia atque vrbis non contemnenda pars à fundamentis euerſa fuit; Moſella ac Sella fluuij hinc inde vrbem alluunt, ac paulò infra vnà coëunt.

Anno 1552.

Mediomatricũ metropolis in Gallorũ poteſtatem redacta.

Metis deſcriptio.

Nancio Rex profectus Condeium Lotharingi arcem, atque oppidum progreditur: de- 2
cimoquinto Kal. Maij qui dies Chriſto è mortuis excitato ſacer erat, pontem Moncionis
contendit. Vnde poſtridie ad Mediomatrices iter ingreſſus quum ad vrbem appropin-
Gallicus exercitus deſcribitur.
quaret Mommorencium equitum magiſtrum obuium habuit: non longè aberat in lata
pratorum planitie exercitus omnis, cataphracti equites mille quingenti, leuis armaturæ
bis mille quadringenti, quibus Claudius Lotharingus Aumaliæ regulus præerat: in
quem numerum prætoriani equites ducenti, quos ducentos nobiles vocant, quatuor Re-
giorum hippotoxotarum alæ, Regis domeſtici, voluntarij equites non includebantur:
Gallorum peditum cohortes duæ, & quinquaginta, quarum tribunus Gaſpar Collignius,
Eſtanges eius legatus erat: Germanorum octo millia Ringrauio, Sebaſtiano Schertelli-
Rex Metim contendit ibique magnificè excipitur.
no, Recrodo præfectis; quos vbi Rex luſtraſſet, Metim verſus proceſſit: magnificè ex-
ceptus primariam, hoc eſt Pontificiam ædem adiit: ibi in loco excelſo, & vndique
ſpectabili ingens Aquilæ effigies cum Herculis columnis erecta erat: cui aſcripta erat
hæc duntaxat dictio, V l t r a: huiuſmodi ſymbolo adiuncto velut ænigmate præ-
ter proprium inſigne magni principes vti ſolent: idque in Cæſaris gratiam Medioma-
Lepidum dicterium.
trices erexerant. Quo deiectô tres creſcentis Lunæ ſemicirculi appenſi fuerunt dicte-
rio addito, Dvm totvm compleat orbem: paulò infra aſcri-
ptum erat, Henricvs Galliarvm Rex sacri Imperii
protector. Hæc poſterior inſcriptio, vt priorem omittamus, quam alio lo-
co fortaſſe conſiderabimus, nimis ſuperba, vt videtur, magnis impenſis empta fuit,
nec quicquam Regi, aut Galliæ profuit, ipſis etiam Germanis irridenda: qui ſuum Im-
perium omnibus Chriſtianis prouinciis, atque regnis imperare, nędum quemquam
propugnatorem agnoſcere volunt: ita Regum aulæ adulatoribus abundant, quibus ni-
hil non impune licet. Triduum ibi commoratus Senatum, & populum in ſuam fidem
adegit: Arcturum Coſſæum Gonorum Briſſaci Mareſchalli fratrem vrbi præfecit: Del-
phini centenariam cataphractorum equitum alam, centum leuioris armaturæ equi-
tes, quatuor peditum cohortes præſidio reliquit: arma omnia in certum locum com-
portari, munitiones accelerari iuſſit, atque vndecimo Kalendas Maij inde exiit: &
quinto Nonas eius menſis ad Tabernas Argentinenſis Pontificis oppidum caſtra po-
ſuit, nonnullis, qui commeatum peterent, Argentinam, atque Haganoam præmiſ-
ſis. Argentinenſes de Mediomatricibus amicitiæ ſpecie deceptis certiores facti quin-
que peditum millia arceſſiuerant, & magnam apud ſe frumenti penuriam eſſe re-
ſpondentes quicquid in agris reperiri poſſit, ſe vltro in caſtra deportaturos pollicen-
tur. Panes poſcebat Mommorencius; hos omni diligentia in vicis, atque oppidis
conficiendos curarunt, ne in ruſticos ſæuiretur: Nonis Maij exercitus Haganoam con-
Rex ad Argetineñſes Tabernas progreſſus ne vlterius excurrat à Palatino & aliis oratur.
tendit. Ibi ad Regem litteræ à Palatino, Moguntino, Treuirenſi, Vuirtembergenſi,
Cliuenſi perferuntur, quibus ne vltra progrederetur orabant: id enim ſine inſigni Im-
perij detrimento fieri non poſſe: & quandoquidem ſe Germaniæ in libertatem aſ-
ſerendæ ergo hanc expeditionem ſuſcepiſſe profitetur, pacis rationes ne perturbet: cu-
ius ſpem quaſi certam eius interceſſores conceperint: quod vt ſuæ exiſtimationis ra-
tionem habeant, ſcripſerit, & per oratorem ſuum poſtularit, id à ſe pro ea, qua Im-
perio obligantur, fide non poſſe præſtari: vt pax nihilominus conſtituatur, operam
daturos.

Eodem tempore, hoc eſt, quinto Idus Maij à Mauricio etiam litteræ ad Regem affe- 3
runtur, quibus quid Lincij actum eſſet, exponebat, & Regem in actione comprehenſum
aiebat, rogans, vt quibus conditionibus cum Cæſare paciſci vellet, explicaret. Id Regi
præter expectationem omnino accidit: nam huc vſque Ioannes Freſſanus Baionenſis
Pontifex eius orator nimia ingenij leuitate illi de Germanis aureos monteis pollicitus erat:
& in fœdere cum Mauricio, & ſociis principibus inito ne cui fœderatorum niſi de Regis
In Paſſauino conuentu rationes fœderatorum & ſocietatis cũ Gallo Mauricius exponit.
aſſenſu cum hoſte paciſci liceret, cautum erat. At Lincianus conuentus Rege non admo-
nito actus, & Paſſauinus in ſeptimum Kalend. Iunij indictus erat, vt Mauricius ſocij-
que principes belli initio à fœdere recedere viderentur. Paſſauium vbi appulit Mauri-
cius in conſeſſu, vbi Rex Ferdinandus, Cæſaris legati, Albertus Bauarus regulus, Sa-
lisburgenſis, Eiſtetenſiſque Epiſcopi, ſeptemuirûm omnium, Vuirtembergenſes, Cliuen-
ſes, multi præterea legati aderant, capita omnia copioſius, quàm Lincij proponit: Impe-
rium ab externis adminiſtrari: raram eſſe ſeptemuirûm authoritatem: rationes initas, quibus
ius eligendi Cæſaris illis auferatur: eorumdem priuatos conuentus metu quodam non ce-
lebrari: iuriſdictionem imminui, dum ab his factas prouocationes Senatus Spirenſis recipit.

publicos

Digitized by Google

publicos autem Imperij conuentus ita frequenter inculcari, vt omneis ordines exhauriant: neque tamen multum profici priuatis interim negotiis omiſſis, ſi quid ibi pro Repub. profertur, in malam partem accipi: ordinum Imperij controuerſias de induſtria augeri, neque prius componi, quàm vtrimque inſignis iactura accepta ſit: quædam etiam ab Imperio diſtrahi (Traiectenſem, Leodienſem, Cameracenſem prouincias intelligebat:) ſeueris edictis imperari, ne quis externis principibus militet, qui bello Smalcaldico patronis ſuis ex iure fundorum ſuorum militarunt, grandi pecunia fuiſſe mulctatos: qui eodem bello Cæſari militarunt, vt certam pariter dependerent, coactos: externum militem omnia rapinis, inuſitatiſque libidinibus fœdantem in Germaniam immiſſum, diúque ibi retentum, & quaſi ſtationalem factum: rumores palam ſeri Germaniam patrimonio Cæſaris acceſſuram: tormenta bello Germanico ſuperiore capta in noſtrum ludibrium ad externas nationes deportata: quaſi Germania in ſeruitutem redacta ſit: in Imperij conuentibus nonnullos in principum, ordinúmque conſeſſum nomine prouinciarum Cæſaris recipi, & conſulto agi, vt ſuffragiorum numero illi vincant: Senatus Spirenſis decreta pleriſque detrimentoſa à paucis fuiſſe conſcripta: additum etiam, vt qui Auguſtanam doctrinam profitentur, eo conſeſſu excludantur. Hæc vt in priſtinum ſtatum reducantur, Imperióque ſua maieſtas reſtituatur, ſumpſiſſe arma fœderatos principes, & quoniam ſuis viribus non ſatis fidant, ſocium Galliæ Regem aſciuiſſe. Principes interceſſores hæc poſtulata haud iniqua eſſe iudicabant: cæterum vt Cæſari ſua conſtaret maieſtas, & vt facilius perſuaderetur, quædam, quæ antiquæ Reipub. inſtaurationem, recentis emendationem vrgebant, ad communem Imperij conuentum referenda cenſebant.

Freſſanus Regius orator orationē habet, qua antiqua Germanorū Gallorumq; coniunctio declaratur.

4 Tum Freſſanus Regius orator concionem tertio Nonas Iunij habet: Germanos, atque Gallos antequam nomen Franconum auditum fuiſſet propter morum, vitæque, ſimilitudinem à Romanis Germanos quaſi fratres appellatos: quamquam aliam huiuſce dictionis originem ac ſignificationem Germani ipſi tradunt: * * * * * * * * * * * * * * * * * * & Cæſar, veteréſque hiſtorici nihil tale produnt: quum autem Francones in Galliam tranſiſſent, vnum factum eſſe imperium: quod vbi ad Germanos deinde tranſlatum fuiſſet, Saxones, alióſque Cæſares à Francorum Regibus oriundos antiquam amicitiam egregiè coluiſſe: tum Germanos, Gallóſque domi, foriſque præ cæteris gentibus floruiſſe: illos Pannonibus, Bohemis, Polonis, Danis, Italis etiam leges dediſſe: iſtos in Aſiam, Africam, extremam Europam aduerſus Turcas & Saracenos traieciſſe, & clariſſimas inde reportaſſe victorias: incidiſſe deinde tempus, quo Cæſares neſcio qui ea functione indigni veterem illam coniunctionem neglexerint, & domi inglorij, aut foris infœlices fuerint, quam aliquot poſt ſæculis Luceburgenſes principes, Imperatoréſque renouarunt: necnon Albertus Auſtriacus, qui nullis Bonifacij Octaui Romani Pontificis precibus, ac promiſſis incitari potuit, vt Philippo Pulchro Galliæ Regi bellum inferret: & Sigiſmundus eiuſdem familiæ Imperator cum Ludouico Galliæ Rege eius nominis Vndecimo amiciſſimè vixit. Videant igitur Caroli Imperatoris familiares, quam prudenter haſce duas nationes ab antiqua coniunctione diuellere, & inter ſe committere conentur, qui vt Franciſcus Rex indicta cauſa magno vtriuſque damno Imperij hoſtis iudicaretur, perfecerunt, & nunc in Henricum idem moliuntur, vt regnum illud ſuum iam diu meditatum condant: cuius condendi cætera fundamenta ab illuſtriſſimo duce Mauricio ſatis explicata repetere ſuperuacaneum videri poſſet. Quum priſtinæ libertatis recuperandæ ergo fœderati principes arma ſumere decreuerunt, Regiſque auxilium implorarunt, depoſita póſtremi cum patre geſti belli memoria non ſolum cum illis fortunas ſuas omneis Henricus communicauit; ſed & in hoc ſe totum impendit, fœdere vtrimque confirmato, quo præter cætera, ne cum hoſte paciſci ſine Regis aſſenſu liceat, cauetur. Mauricium nihilominus ad Regem ſcripſiſſe ſpem magnam ex colloquio Linciano pacis in Germania conciliandæ oſtendi: orare vt qui cum Cæſare paciſci velit, exponat: id Regi præter ſpem accidiſſe, qui collato tanto beneficio res ſuas coram rebus gerendis, non longinquis colloquiis, & quidem repetitis tranſigendas putabat: adeo tamen pacis amantem eſſe, vt ſi Germanicæ Reipub. antiqua forma inſtauretur, principes captiui, iis quæ in fœdere perſcriptæ ſunt, conditionibus dimittentur: ſi vetus Galliæ cum Imperio amicitia, nouum cum principibus initum fœdus perpetuum erit, priuata commoda publicis poſtponat, & ſe Germanicæ tranquillitati ſtabiliendæ magnum momentum attuliſſe gaudeat. Quod ad Cæſarem attinet, illum & multa, quæ Regis erant, per vim occupaſſe, & litem alienam ſuam feciſſe: dum Romani Pontificis iuuandi ſpecie bellum violato Crecenſi fœdere incepit. Vt igitur qui iniuriam primus fecit, ſatisfactionis viam

primus oſtendat, æquum eſſe: ſe tametſi nec viribus ſuis, nec cauſæ diffidat, ab vniuerſa pace haud alienum futurum.

Principū imperij ad Freſſani orationem reſponſio.

Ad ea principes: gratam ſibi fuiſſe de veteri Germanicæ, Gallicæque nationis coniunctione narrationem: tum vero etiam quod Rex publica priuatis ſuis commodis anteponat: nec quin principes fœderati cum Cæſare pacem ineant, recuſet, à qua Cæſar non alienus videtur, & magnam dimittendorum captiuorum principum ſpem præbet: vt antiqua fœdera renouentur, noua confirmentur, rem tanti momenti in hoc conuentu confici non poſſe: optare nihilominus, vt vetus coniunctio perpetua, ac ſempiterna ſit: quod Rex quædam ſibi per vim à Cæſare ablata aſſerit, id vt explicet, æquum videri: ſe quicquid id erit ad Cæſarem relaturos, & vt componantur, interceſſuros. Hoc reſponſo quum copiis ſuis à Rege ſtipendium accepiſſent, & res ſuas in tuto collocaſſent, quæ Regis erant in lubrico relinquentes ſe planè à fœdere recedere declarabant: Rex tamen ne hoſtium numerum augeret, diſſimulare cogebatur: & quum hæc reſponſio mittente Baionenſi Pontifice perlata ad ipſum fuiſſet, ſi pax per totam Germaniam confirmetur, ſe plurimum lætari reſcripſit: quod ad Cæſarem attinet, illum belli initium feciſſe: porro Galliæ Reges ab hoſte cui viribus haud cedunt, pacem petere non conſueſſe; non recuſare tamen quin de poſtulatis ſuis, modo Cæſar eamdem conditionem ſubeat, cognoſcant, atque decernant, & in hanc rem quam ocyſſimè conuentus indicatur. Maij Idibus Viceburgo exierat Rex, vnde multi Argentinam profugerant, quod Sebaſtianum Volgebergum, de quo ſupra ſcripſimus, Cæſari tradidiſſent: cæteris nihilominus facilem ſe præbuit, & in Galliam quum ea ſcriberet, reuerti cogitabat: quòd Maria Hungariæ Regina Cæſaris ſoror Flandricarum prouinciarum adminiſtratrix quum Rex Germaniam ingrederetur, exercitum coëgiſſet: in quo tria equitum, peditum quindecim millia, aut duodecim, vt alij tradunt, eſſe ferebantur. Hi Erneſto Mansfeldio, ac Martino Roſſenio ducibus Campaniam Belgicam rapinis, atque incendiis vaſtabant, vt Regem ad ſuos tuendos reuocarent. Conuentum eadem Maria egerat Aquis Belgico oppido, vt cum vicinis principibus ſocietatē iniret: quo acceſſit Adolphus Colonienſis, ac Georgius Auſtriacus Leodienſis Pontifex Maximiliani Imperatoris filius, & fœdus cum Burgundicis prouinciis fecerunt: Cliuenſis ſe per litteras excuſauit. Flandricus exercitus Stenaium (Aſtenæium alij vocant) cepit, ac muniit, & mox de Regis reditu audito rumore ſine præſidio reliquit: Moſonem contendere ſimulauit: Villafrancam Caſtelluſius alæ Bordilioniæ legatus petiit: Bordilio ipſe Franciſci Cliuenſis Niuernenſis reguli Campaniæ Belgicæ prætoris legatus Moſonem iniit: ſed Flandri nulla oppida, nullas arceis oppugnare, agrum duntaxat populari, incendiiſque vaſtare decreuerant. His tandem Gallorum peditum delectu habito, Heluetiorúmque quatuor millibus aſcitis Annebaldus Amyralius ſeſe oppoſuit, & Rex Viceburgo profectus quartis caſtris Bipontem appulerat cum regulo ex equo colloquutus commendatis trecentis ægrotis militibus, quos omneis præter duos interiiſſe produnt. Hinc Flandri (quos etiam Burgundos vulgò appellant) ſe domum graui præda onuſti receperunt. 5

Galliæ Rex à pace non alienus eam tamē poſtulare recuſat.

Maria Hungariæ Regina aduerſus Gallū comparat exercitum.

Rex de reditu in Galliā cogitat.

Moſellam partim vado, partim lintribus noſter exercitus traiecit: inter eundum occurrit rupes Martia non procul Theonuilla diſtans caſtellum ſatis firmum, ac præſidio munitum; quò vicini vtriuſque ſexus cum ſupellectile confugerant. Caſtellani portas aperire iuſſi recuſarant, quod tormenta vltra fluuium traducta neſciebant: tormentis admotis præfectus cum aliquot præſidiariis clam aufugit: cætera turba neque de deditione agere, neque caſtellum tueri ſciens hoſtiū miſericordiam implorabat. Galli portis effractis nonnullos primo impetu trucidarunt, caſtellúmque diripuerunt: cæteros Antonius Borbonius Vindocinenſis regulus vltra Moſellam traducendos, & in Lotharingiam deducendos curauit: ibi quod ad circumſedendam Theonuillam caſtellum cōmodum erat, Hēricus præſidium reliquit: inde agrum Lucceburgenſem ingreſſus par pari retulit, & obuia quæque ferro, flammáque abſumpſit: mox Danuillarium quarto Idus Iunij circumſedit, tormentiſque Moſone, Sedanio, Iameſio aſportatis oppugnauit: ibi Annebaldus Amyralius, cum eo quem conſcripſerat exercitu, Regi ſe adiunxit. Danuillarium Aurelianenſis Henrici frater bello inter Cæſarem, Franciſcúmque patrem flagrante euerterat: id ſumma diligentia Cæſar inſtaurarat, & ducentos equites, mille octingentos pedites ibidem præſidio impoſuerat, qui tormentorum fulminatione deterriti deditionem fecerunt, & Iuoium cum populo, qui eo confugerat, tutò deducti ſunt. Danuillario cuius prædam Caſtilioni conceſſerat Ludouicum Rabaudaugeum præfectum Rex impoſuit, & Virdunū contendit, cuius propugnationē Galliæ Reges iam olim ſibi vindicarunt: Epiſcopus merum imperium 6

Lucceburgenſem agrum Henricus par pari reddens vaſtari iubet.

habet

habet à Bullioniis regulis redemptum, quemadmodum de Metenſi ſcripſimus: & Germanum Imperatorem eadem de cauſa, qua Metenſis, patronum agnoſcit: tum Epiſcopatum Carolus Cardinalis Lotharingus geſſerat: quo * * * * * ceſſerat: regreſſum, vt Romani pragmatici vocant, ſibi exceperat: vrbem muniri, arcémque in Pontificius hortis exædificari Henricus iuſſit: quæ tamen poſtea Cardinale Lotharingo id à Rege impetrante extructa non eſt.

7 Dum Virduni Rex commoratur Erneſtus Mansfeldius, Luceburgenſis Ducatus prætor tormenta Iuoio Mommidium deportari iubet, ac præſidium auget. Rex decimoſeptimo Kalen. Iulij Moſellam ponte, quem turris muniebat, traiicit: exercitu noſtro appropinquante turris præſidiarij milites abierunt: quum Mommidium Rex prætergreſſus fuiſſet, poſtremum agmen Mommidiani laceſſiuerunt: præfectum Martigianus lancea transfixum proſtrauit: Anglurus è noſtris cæſus eſt. Iuoium firmius oppidum Rex primum oppugnandum iudicauit: quod à Franciſco Rege bis captum, bis item à Cæſare receptum, ab vtroque ſemper munitius redditum erat: loco excelſo vnde in oppidum, quod in montis radice ſitum eſt, deſpectabatur, ſex colubrinas Streus tormentorum magiſter collocarat: quæ milites pariter, ac ciues in viis, plateiſque conſiſtere aut ad ruinam muri propugnare prohibebant: alia è regione quæ Moſonem reſpicit, oppidum tormenta muralia quatiebant: quæ vbi muri partem depreſſerunt, atque oppugnatio inſtaret, Germani præſidiarij colubrinas ſibi imminere cauſati ad proſtratum murum accedere, hosteiſque excipere recuſarunt: quapropter nono Kalen. Iulij Mansfeldius ſe, oppidúmque dedere coactus eſt, ſi Burgundicum præſidium habuiſſet, ſe haud dediturum præfatus. Mommorencio prædam Henricus, Mommorencius ſuis, & Franciſci filij cataphractis equitibus condonauit: Galli pedites quos circiter quingentos paſſus ſecedere Mommorencius iuſſerat, & tot malis afflicti nullum operæpretium fecerant, magno fremitu iniuriam ſibi fieri ſignificarunt, & frequentes dilapſi ſunt. Quum autem oppidum ingrederetur Mommorencius, Germani per ruinam muri aſcenderunt, & bona oppidi parte direpta non multum quod raperent, Mommorencianis reliquerunt. *Iuoium firmũ oppidum oppugnatur, à Maſfeldio deditur, & diripitur.*

8 Septimo Kalen. Mommidium ignauè deditum fuit: oppidum bene munitum bis mille pedites inſidebant, qui cum armis, & ſupellectile, quatuor vexillis relictis vno aſſumpto dimiſſi ſunt: dedita eſt & arx, quam Lumias vocant, Maſeriis non multum diſtans: hanc Rex à fundamentis euertendam curauit: tertio Kalend. Iulij noſter exercitus Sedanium appulit, & eodem die Robertus Marchianus Mareſchallus aſſumptis tribus peditum millibus, equitibus mille ducentis, quinque tormentis Bullionem contendit: quod exiguas copias habebat, vt maiores ementiretur, eas circa caſtellum ſæpius circumduxit: mox tormentis exoneratis tantum præſidiariis terrorem incuſſit, qui totum Regis exercitum adeſſe exiſtimabant, vt Haurio nothus caſtelli præfectus, niſi intra diem tertium auxilio iuuaretur, caſtellum ſe deditur ũ pactus ſit, obſidémque filium dederit: vnde promiſſo ſtetit: itaque caſtellum vltimo triceſimi anni die, ex quo patri à Cæſare ereptum fuerat, filius recepit: quò Rex aliquot dies Sedanij ob valetudinem commoratus acceſſit. Haurio paulò poſt ignauiæ, ac timiditatis conuictus mandato Cæſaris capite pœnas luit: inde Guiſam petiit, ac Trelonem expugnauit, vbi Eſtanges Caſtilionis Gallorum peditum tribuni legatus ſclopeti glande ictus interiit. Glæonem deinde, ac Cimæſium cepit, idque peditibus diripiendum reliquit: & quod denſæ pluuiæ aliquot dies continuatæ exercitum vehementer affligerent, partem militum in varia ſtatiua miſit, cæteros dimiſit. Paſſauium Iulij initio rediit Mauricius: poſtridie Cæſaris reſponſum Ferdinandus accepit, & in principum interceſſorum conſeſſu Cæſarem nonnullis capitibus haud aſſentiri declarauit. Vt autem omnes intelligant, quam pacis amans ſit, Germaniæque conſultum velit, ſe quam ocyſſime ad Cæſarem profecturum, & intra octauum diem reuerſurum: porro non dubitare quin Cæſari, vt omnibus aſſentiatur, perſuadeat: precari Mauricium, vt tantillum temporis ad rem tantam bono exitu terminandam non recuſet. Mauricius contra, ſe ob tot dilationes, actionémque diutius protractam ſociis principibus prope in ſuſpicionem veniſſe reſpondit: ſibi ad illos nulla mora interpoſita redeundum: itaque tertio Nonas Iulij ad ſocios, qui tum ad Mergothemum caſtra habebãt, reuertit. Cæſarem interceſſores poſtridie Nonas Iunij ad pacem miſſis litteris hortati erant: quibus pridie Kalend. Iulij per ſe non ſtare, quin pax conſtituatur, Cæſar reſcripſerat: ad Ferdinandum fratrem eius conſtituendæ rationes ſcripſiſſe, quas ex illo audituri ſint: eodem quo Paſſauio Mauricius die profectus eſt, quum Ferdinandus ad Cæſarem reuerteretur, ad eumdem iterum ſcribunt: eo iam rem deueniſſe, vt ſi maximè velint, illi fidem *Mõmidij & arcis Lumiarum deditio.* *Bullionis caſtellum ſimiliter deditum.*

præſtare non poſſint, neceſſario vt præſentem calamitatem vitent, tempori cedendum eſſe: ſin in armis ſpem ponat, maximas in Germania perturbationes ſuborituras, quæ in illius prouincias redundent: obſecrare obnixè, vt pacis conditionibus, quas ſummo ſuo labore impetrarint, aſſentiatur: maximè quod quæ ad eius maieſtatem pertinent, ad proximum Germaniæ conuentum referantur.

Francfurtum à fœderatis fruſtra oppugnatur.

Fœderati principes nondum de pace deſperantes ne otioſi reſiderent, & vt aliquid 9 agere viderentur, vaſtato Volfangi Pruſſiæ magiſtri agro forum Francorum (Francofurtum vulgo appellant) cui præſidium Cæſar impoſuerat, oppugnare ſtatuunt, quò per Moguntini ditiones contendunt: à Palatino tormenta muralia poſtulant: octo cum omni inſtrumento accipiunt. Rediit Paſſauium tertio Idus Iulij Ferdinandus: Cæſar biduo ante poſtremis interceſſorum litteris reſponderat: pacis conditionibus, quas prius quam ad arma veniretur, ſibi proponi debuiſſe dixit, nihilominus aſſenſus eſt. Mauricius Francofurtenſem obſidionem ſoluit; pax pridie Idus Auguſti confirmata eſt, cuius hæ conditiones fuiſſe traduntur: fœderati principes intra pridie Idus Auguſti diſcedant ab armis: copias vel in Ferdinandi Regis auxilium mittant, ſi ita illi viſum erit: vel ita dimittant, vt neque Cæſari, neque Germaniæ noceant. Albertus item Brandeburgenſis, ſi intra eumdem diem ab armis diſcedet, in fœdere comprehendetur: Lantgrauius intra eumdem diem in ſuam ad Rhenum arcem Rinfelſium deducetur data prius cautione de ſeruandis conditionibus Halæ à Cæſare propoſitis: pro quo, qui ſpoponderunt, Mauricius & Brandeburgenſis ſeptemuiri, Volfangus Bipontinus deintegro ſponſionem facient: de Chattorum ditione inter Lantgrauium, & Naſſauum Comitem controuerſia à ſeptemuiris Electoribus, & ab iis quos reus, & actor nominabunt, recognoſcetur: ex quibus ſex Cæſar eliget, qui litem intra biennium finiant: intra ſextum menſem Cæſar Germaniæ conuentum aget: vbi qua ratione ſuſceptæ de religione controuerſiæ componantur, deliberabitur: interim nulla cuiquam propter religionem exhibebitur moleſtia: quod de illarum controuerſiarum componendarum ratione, ac modo communi ordinum conſilio Cæſare aſſentiente decernetur, id ratum erit. Ad Senatum Spirenſem, quam Cameram Imperatoriam vocant, admittentur etiam, qui Auguſtanam doctrinam profitentur: cætera, quæ ad Germaniæ libertatem, authoritatémque pertinent, in Imperij conuentu tractabuntur: Othoni Henrico Palatino poſſeſſio reſtituetur. Qui fœderatis principibus militarunt, nullam ob id pœnam ſubibunt, & ſui iuris, vt antea erunt: qui damnum hoc bello acceperunt, nullam iis qui dederint, litem mouebunt: Cæſar tamen, atque ordines in proximo conuentu, qui damna data ſarcientur, prouidebunt: proſcripti in gratiam redibunt modò nihil poſthac in Cæſarem, atque in ordines moliantur: modò etiam, qui Galliæ Regi militant, intra menſem tertium illo relicto in Germaniam redeant. Galliæ Rex ad quem res Imperij nihil pertinent, quas cum Cæſare controuerſias, aut querimonias habet, eas Mauricio exponat, vt ad Cæſarem referantur. Hoc fœdus qui violarit hoſtis iudicabitur. Vide, quiſquis hæc leges, quam nullam Regis fœderati principes rationem habuerint, à quo eorumdem exercitus magna ex parte ſtipendium acceperat.

Pax inter Cæſarem & fœderatos quibus legibus conciliata.

Fœderati principes nullam Regis habēt rationem.

Hinc quum Riſebergi legio, quæ Guilielmo Lantgrauij filio militarat, traiecto Mæno 10 fluuio ad Albertum Brandeburgenſem tranſiiſſet, magno in metu fuerunt, ne Cæſar pactis non ſtaret: & ea de cauſa Maria Hungariæ Regina mandato Cæſaris, vt veriſimile eſt, Lantgrauium iam dimiſſum Traiecti retineri, & deintegro Hiſpanis in cuſtodiam tradi iuſſerat: ſe enim à Regis ſocietate receſſiſſe agnoſcebant, & iam Freſſanus Regius orator re male geſta in Galliam redibat: Rex tamen obſides ab illis datos remiſit, & iniuriam ſibi factam diſſimulare maluit; Cæſar etiam Lantgrauium dimitti, & liberum abire iuſſit. Ex hoc fœdere & totius Germanici belli tractatione Cæſarem ſuæ ambitionis magis, quàm religionis rationem habuiſſe manifeſtum eſt: quem qui excuſant, confirmata potentia religionem facile in ordinem redacturum, ac confirmaturum fuiſſe dicunt: quod fortaſſe perfeciſſet, niſi & valetudo, & Rex cum hoſtibus eius conſociatus impedimento fuiſſet. Albertus Brandeburgenſis fœderatis principibus Francofurtum petentibus ſe adiunxerat: mox illis relictis Vormatiam ac Spiram in ſuam poteſtatem redegerat: pecuniam, & tormenta ciuibus imperarat: quocumque pergebat, Eccleſiaſtici, vti vocantur, præſertim Epiſcopi profugiebant: Spirenſis ætate admodum prouectus Tabernas abiit: vbi & diem ſuum obiit: Vormacienſis connitente Palatino duodecim nummûm aureorum millibus perſolutis domum rediit; quum per Franconiam iter dirigeret, eadem fugientium facies erat: Moguntinus tranſmiſſo Rheno quarto Kalend. Auguſti Argentinam, deinde in remotiora loca ſeceſſit. De fœdere certior factus Albertus

Mens Cæſaris in belli Germanici tractatione indicatur.

illo

Digitized by Google

illo comprehendi noluit: ad oppugnandum Francofurtum rediit: conditiones opulentas à Rege aucupabatur, cuius inſignia eius milites in vexillis ferebant: & quas vrbeis capiebat, Regis nomine ſe capere iactabat: hinc Moguntiæ, ac Spiræ naueis vino, triticoque onuſtas incendit, quo difficiliorem Cæſari tranſitum redderet: inde Treuiros petiit: quum appropinquaret, Georgius Holius Cæſarianus decem cohortes vrbi præſidio futuras adduxit: à ciuibus non admiſſus Luceburgum rediit: ſexto Kalend. Septembris vrbem ſibi dedi Regis nomine poſtulat: poſtridie recipitur: Epiſcopus in arce ſua ad Rheni; Moſellæque confluentem erat: viri etiam primarij diſceſſerant: in Treuiris octo dies commoratus relictis duodecim cohortibus Sircum intermedium inter Metim, Treuirimque Lotharingiæ oppidum æquali ab vtraque ſpatio diſtans adit: vbi Septembris Idibus Moſellam traiicit: vnde quas conditiones Rex offerret, expectans in Lotharingiam tranſiit.

Albertus fœdere cum Cæſare inito cōprehendi non vult, ſed Regi adhæret. Francofurti oppugnationem redintegrat, vrbes quaſdam capit.

11 Id temporis Senenſes à Cæſare defecerunt: Cæſaris in Florentinos odium, quod Gallicarum partium nimis ſtudioſi fuiſſent, ſuperioribus libris explicauimus: quos idcirco violato deditionis fœdere, quo libertas excepta erat, in Mediceorum ciuium ſuorum ſeruitutem conieceit. Alexandrum Laurentij Vrbini reguli filium nothum Margaritæ filiæ ſuæ nothæ virum illis primum ducem deſignauit, qui dum ſtupris matronas nobiles polluit, à Laurentio gentili ſuo cæſus eſt: huic ſucceſſit Coſmus Ioannis filius non ab illo Coſmo eius familiæ nobilitandæ authore, ſed ab eius fratre Laurentio oriundus, qui Eleonoram Petri Toletani proregis Neapolitani filiam vxorem duxit: is totius Hetruriæ principatum ambiens Senenſes in ſuam poteſtatem redigere cupiebat: ſed apertè id aggredi non audebat. ad dolum conuerſus cum Cæſare egit, vt Senenſium libertatis conſeruandæ ſpecie præſidium Hiſpanicum vrbi imponeret: quod Senenſes facilè admiſerunt, qui Cæſares patronos ſemper agnouerant, & ab hoc nihil metuebant. vrbanæ etiam factiones, quæ tum multæ erant, vt admitterent, inuitabant: præſidio impoſito arcem Cæſar exædificari iubet, cui Diegum Mendoſam præficit. is quum populus à nobilitate diſſideret, vitandi tumultus ſimulatione nobilitati arma abſtulit: deinde vtriſque pariter infenſus fuit. ad hæc Hiſpanorum militum inſolentiam Senenſes libertati aſſueti ægerrimè ferebant: hinc de ſua calamitate cum Franciſco Turnonio, atque Hippolyto Ferrarienſi Cardinalibus, cum Paulo etiam Thermeo Gallo duce rerum bellicarum ſcientiſſimo, ac cum Ludouico Sangelaſio Lanſaco Regis apud Iulium Tertium Pontificem legato contulerunt: quibus illi perſuadent, vt ab Hiſpanis petant, vt milites ſuos ex agris, atque oppidis euocare ſibi liceat: petunt Senenſes, atque impetrant, & montem Alcinoi * * * * muniunt, ac clam ex agris multos in vrbem intromittunt. Dolum ſenſit Hiſpanorum præfectus, qui ad ſexcentos aucti erant: Senenſes domo pedem efferre vetat: illuſtriores in cuſtodiam tradit, à Coſmo Florentino regulo opem implorat: ille octingentos pedites mittit, qui in vrbem intromiſſi loca munitiora occuparunt. Hiſpani ſe in arce, & Dominicino cœnobio continebant: Senenſium milites aſciti circiter ter mille noctu Camolia porta effracta, fuſiſque, qui reſiſtere auſi erant, libertatem paſſim tota vrbe proclamant: quibuſcum ciuium millia quinque coniunguntur. accedunt bis mille à Comite Petiliano miſſi, quibus aucti Senenſes Dominicinum cœnobium oppugnant. Hiſpani ducentis amiſſis loco cedunt, ad arcem euadunt: ibi armorum omnis generis magna vis, atque octo maiora tormenta reperta ſunt: ad arcem mox itum: quum ſe aliquandiu ſtrenuè Hiſpani defendiſſent, de ſalute, atque omni ſupellectile pacti arcem dediderunt, quam Senenſes Nonis Auguſti à fundamentis euerterunt.

Cæſar Florentinos in duram ſeruitutem conieicit.

Senenſes iugum ſibi impoſitum excutiunt.

12 Cæſar ſub finem Iulij Villaco Oenipontem reuerſus, ibique paucos dies commoratus, deinde per Bauariam iter ingreſſus cum Germanis, Bohemis, Italis, Hiſpanis, qui Iulij initio Genuam appulerant Albano regulo eius legato ductore Auguſtam decimo tertio Kal. Septembris iniit: Senatum à fœderatis principibus nuper inſtitutum, & tribus omneis abrogat: à ſe conſtitutū reſtituit: è doctrinæ Auguſtanæ miniſtris (ſic enim ſuos doctores, & ſacramentorum ſuorum exhibitores illi vocant) treis reiicit: cæteris ne à recenti fœdere recedere videretur, vt doctrinam ſuam profiteantur, & ſuo more doceant, permittit. Ioannem Fedęricum Saxonem cum magna beneuolentiæ ſignificatione dimittit, qui longe ante diſcedendi poteſtate facta Cæſarem in aduerſa fortuna relinquere noluerat, ſed ſemper ſequutus erat: Kalendis Septembris Cæſar Auguſta profectus, vbi ſex peditum cohortes præſidio reliquerat, Vlmam altero die ingreditur: exercitus ab Vlmenſi agro multum vaſtato deflexit, donec ad Virtembergenſem perueniret. Cæſar è Virtembergenſi agro egreſſus Spirā petebat: ſed de incenſis ab Alberto Brandeburgenſi nauibus,

Incenſas ab Alberto Brādeburgenſi naues & vaſtatam Spiram diſcens Argentinam Cæſar cōtendit.

Spiraque miſerè afflicta certior factus ad læuam iter flectens Argentinam contendit: obuiam illi prodierunt Argentinenſes legati obſecrantes vt benemeritæ de illo ciuitati, agróque contiguo parceret: præclarum ciuitatis officium Cæſar agnouit, eiuſque ſe in poſterum memorem futurum confirmauit: cæterum ob itineris breuitatem, & anni tempus ad hyemem vergens, & quod Galli in Alſatiam excurrerint, aliò iter flectere non poſſe: at minimum damni, quoad fieri poſſit, daturum reſpondit: quum in vicum mille paſſibus ab vrbe diſtantem decimo ſeptimo Kal. Octobris diuertiſſet, ibique traiiciendis Rheno impedimentis dies quinque impendiſſet, vrbem nunquam à ſe viſam inuiſit, pranſus ad exercitum via Haganoica incedentem rediit, & principum oratores Spiram ſecedere, ibique nouum mandatum ſuum expectare iuſſit. Haganoa Landauium progreſſus dies ibi ſedecim cœlo admodum ſereno cunctis admirantibus traduxit, quæ mora illi pernicioſa in primis fuit. Treis huius cunctationis cauſas afferunt: primam vt commeatus tantis copiis neceſſarius prouideretur, quem ex Argentina, cæteríſque vrbibus, atque oppidis Rheno, Moſellæque vicinis ſubuehendum curauit. Argentinenſes per duos menſes bis mille panes quotidie ſuppeditaſſe traduntur: de cæteris non ita liquet: alteram quod tormenta muralia, quæ ſecundo Rheno ad eius, Moſellæque confluentem, & inde Moſella ad Theonis villam aduerſo flumine comportabantur, nondum illuc appulerant: tertiam quod Holſatiæ regulus Daniæ Regis frater, Edmundanus Comes, Brabanſo, Boſſuus ſummus Cæſaris equorum magiſter magnam equitum, peditúmque manum ex inferiore Germania, Burgundicíſque prouinciis adducebant, & adhuc in itinere erant: neque enim fruſtra eam temporis commoditatem omiſiſſet.

Lădauij diutius moratus Cæſar rebus non bene cõſuluit.

Ad vndecimum Kalend. Nouembris Metim regni Auſtraſiani quondam metropolim 13
circumſedit. Paſſauina pace confirmata Cæſar ſe ad Metim, Tullum, Virdunum Imperij fundos recuperandos cum exercitu profecturum Germanis paſſim denuntiauit, & vt ſibi in conſeruando Imperij iure adeſſent, rogauit: à liberis etiam ciuitatibus certum militum numerum impetrauit, quaſi res Imperij, non ſuas procuraret: quarum vrbium ſi compos fuiſſet, eas nimirum non ſecus, ac Cameracum, Traiectum, Leodium præſidiis munitas patrimonio ſuo adiunxiſſet: fuiſſent enim veluti tria Luceburgenſis, cæterarúmque Burgundicarum prouinciarum propugnacula: ſic ille publicam aliquam cauſam agere ſimulans priuatum ſuum compendium ſequi conſueuerat. Henricus Galliæ Rex hac veluti belli denuntiatione ſibi facta Mediomatricibus præſertim, qui primi hoſtibus occurrebant, prouidendum exiſtimauit: inſignem belli ducem, cui vel propter rerum geſtarum gloriam, vel propter familiæ claritatem copiæ ſuæ facilius obedirent, Franciſcum Lotharingum ſcilicet Guiſanum regulum delegit, qui tanti Imperatoris tantum exercitum exciperet, nec vltrà progredi pateretur. Cæſar enim, qui propter infeſtam valetudinem de abdicando iam Imperio cogitabat, & in ſolitudinem veluti ad vnicum ſenectutis ſuæ perfugium abire deſtinarat, poſtremum hunc conatum bellicum edere, & res humanas in poſterum tot, tantiſque victoriis clarus deſpicere potius, quàm maius quiddam ambire videri volebat: itaque tantas copias, quantas antea nunquam, niſi fortè aduerſus Solymanum anno huius ſæculi triceſimo ſecundo Viennæ Auſtriacæ appropinquantem, compararat, vt timeri merito deberet. Guiſanus igitur hoc munere 15
ſuſcepto Auguſti initio Rege valere iuſſo ad Mediomatrices iter inſtituit. inter eundum Tullum inuiſit propter graſſantem ibi peſtem, & longum, grauemque Sclauoli præfecti morbum munitionibus non multum promotis debile adhuc, nec ad reſiſtendum ſatis paratum: cui, quoad potuit, prouidit: mox decimo ſexto Kal. Septembris Metim appulit, vrbem amplam, quæ octo, aut nouem paſſuum millia in ambitu habere ferebatur, Moſella, ac Sella fluuij hinc inde alluunt, & paulò infrà coëunt, Moſellæ etiam pars aggere obiecto in vrbem deriuatur, & egreſſa in alueum ſuum redit: quum ambitum dico, ſuburbia complector, quæ muris cincta vrbeis non paruas magnitudine, ciuiumque, atque ædium multitudine repræſentabant: ea erant Arnulphi, Clementis, Petri, quem campeſtrem vocabant, Iuliani, Martini à Diuis, qui ibi templa habebant, denominata: erant & alia quædam, quæ Guiſanus Cæſare appropinquante, ne hoſtibus diuerſoria aut aditum in vrbem faciliorem præberent, ſolo æquanda curauit: & ante Guiſani aduentum Gonorus præfectus portionem vrbis diſtraxerat, atque euerterat: vt iam longè minor, quàm olim erat, reperiatur: in planitie quidem ſita eſt, ſed è vicinis montibus vrbis interiora deſpectabantur: nulli erant poſt muros aggeres, immo verò ferè aut ciuium domus, aut Diuorum templa muris adhæreſcebant: nulla erant propugnacula præterquam quod Mariæ dicebatur, & quod ad Campanam portam extabat rotundum, antiquæ ſtructuræ,

Hĕricus Mediomatricibus prouidet, miſſo Guiſano regulo qui hoſtem excipiat.

Ingentes Cæſaris copiæ.

Digitized by Google

ſtructuræ, & ad tormentorum impetum tolerandum, aut repellendum parum commodum: turres ſeſe inuicem non reſpectabant, vt ex altera alteram versùs tormenta dirigerentur, ſibique mutuo auxilio eſſent: multis locis aut foſſæ deerant, aut non admodum profundæ erant: vrbs enim multis ante ſæculis in pace vixerat, & nullum belli metum, impetúmue tolerarat: quam ſtatim Guiſanus extra luſtrauit: vt quæ commoditas hoſti, quæ ſibi inde eliceretur, videret.

Metis diligentiſſimè munitur.

14 Quatriduo poſt Petrus Stroza, Sanremigius (niſi eumdem à fano Remigij appellare mauis) Camillus Marinus vrbium muniendarum peritiſſimi ad Guiſanum acceſſerunt: quibuſcum interiorem vrbem omnem perluſtrauit, & vbi propugnacula, aggereſque erigerentur, domus, aut ſacræ ædes muris adhæreſcentes diruerentur, foſſæ purgarentur, profundioréſque redderentur, deſignauit: operaſque poſtridie ad maturandum opus vndique conquiſiuit: tametſi meſſis nondum abſoluta erat, & vindemia inſtabat: quinetiam propter operarum penuriam ſibi portionem ſumpſit: vbi tum ipſe, tum viri nobiles, qui vnà cum illo erant, vt aliis exemplo eſſent, humum aliquot horas quotidie humeris geſtarunt: ſecundo loco tormenta cum omni inſtrumento videre voluit, quæ pauciora numero, & ab artifice imperito fuſa deintegro fundenda, puluerem tormentarium vetuſtiorem recoquendum, cuius & pilarum numerum ab Ortobia tormentorum curatore(commiſſarium vulgo appellant)quem ibi Rex in Germaniam profecturus menſe Aprili reliquerat, accepit,nouum conficiendum curauit: eamdem commeatus in vrbem importandi rationem habuit, quem ex vicis propinquis & ex Gorzienſi cœnobio, fœnum item & paleas,ſed ex longinquis regionibus, è Gallia(inquam)Lotharingia, Barro frumentum in primis, vinum etiam iuſto pretio perſoluto, aut ab iis, qui poſt accepturi erant perſoluendo comparauit: quorum numerum, aut quantitatem Pie-papa, ac * * * * à fano Belini commeatus curatores in libellum retulerunt, & quid cuique perſolutum, aut perſoluendum eſſet, perſcripſerunt: duodecim dumtaxat peditum cohortes vrbi tum præſidio erant: quos, quòd tirones erant, excubias nocturnas facturos ante diuerſorium ſuum in lata platea conſiſtere, in vnum agmen velut pugnaturos coire, nonnumquam ſua munia obire, deinde in ſuas ſtationes diſcedere iubebat: quibus leges perutiles pro victus ratione, ne ciuibus hoſpitibus ſuis moleſti eſſent, & ne rixæ aut ſeditiones inter eos ſuborirentur, dedit, ſi quis aduerſus ſocium arma ſumeret, manus abſciſſione indicta.

Maiores copias Guiſanus à Rege poſtulat, & quomodo cū Alberto Brādeburgēſi ſe gerere debeat.

Poſtremo Petrum Strozam ad Regem miſit, cui militum paucitatem ad tam vaſtam vrbem defendendam, commeatus, tormentorum, atque eorum, quæ ad tormenta pertinent, foſſorum, cæterorúmque, quæ ſupra commemoraui, item qui cum Alberto Brandeburgenſi, qui tum in Treuiris erat, ſe gereret, exponeret. Rex ſi Cæſarianus exercitus Metim versùs incedat, ſe omnibus in tempore prouiſurum reſpondit: porrò ita cum Alberto ageret, vt cum eo quem ad ſuum ſtipendium vocare cuperet: nec multum tamen illi fideret, quem ambigua fide inter ſe, & Cæſarem nutare noſſet: curaret autem vt procul à Metenſi agro ſuos Albertus contineret,& in regiones,quibus Cæſarianus exercitus ingreſſurus fertur, ſecederet, vt commeatus illi commoditatem ſubtrahat.

15 Septembris initio duæ cataphractorum equitum alæ centenariæ Lotharingi, ac Guiſani, tertia quinquagenaria Rochaſurionis,tres item leuiorum equitum, peditum ſeptem cohortes ad augendum Metenſe præſidium ſummiſſæ fuerunt: quas Guiſanus ad cogendum ex agro Metenſi remotiore triticum ſiqui edictis ſuis non parerent, operam dare iuſſit, & in Alſatiam excurrere permiſit, quæ Lotharingiæ, Metenſibuſque aliquot oppidis contigua eſt: qui ruſticis in ſementem,& in aliquot menſium victum, quod ſatis eſſet, relinquebant: quod ſupererat, certo pretio æſtimatum, & in vrbem importatum condebatur. Quoniam autem propugnacula, aggeres ponè muros, cæteræque munitiones ante aduentum hoſtium abſolui non poterant, viris nobilibus domeſticis ſuis iniunxit, vt

Magna Guiſani ad hoſtem excipiendum præparatio.

quicquid ad implendas murorum tormentis depreſſorum ruinas commodum eſſet, ſumma diligentia conquirerent, & quum opus eſſet, in promptu haberent: magnum ſcilicet gabionum numerum (ſic orbiculatos terræ aceruos viminea ſepe velut muro cinctos appellant, inter quos tormenta aliquando maiora, aliquando minora collocant) ducentas iuſtæ longitudinis trabes, bis mille dolia humo opplenda, tabulas ferratas permultas, ſaccorum partim humo, partim lana refertorum quaterna millia, foſſoriorum inſtrumentorum omne genus. Santemigio vero, vt ad oppugnationes repellendas omneis factitij ignis ſpecies paratas haberet, cuius mirus artifex eſſe ferebatur. Milites interim domos ab vrbe diſtractas, ac ſeparatas, eas item quæ intra vrbem muris nimis vicinæ erant, ſuburbia quoque,hortos,ædes ad voluptatem extra vrbem extructas demoliebantur:quarum

plerææque

Digitized by Google

pleræque vſque ad vrbis foſſas pertingebant: ſed maiora templa Arnoldi, Clementis, Petri Campeſtris, Iuliani, Martini ſtatim dirui Guiſanus paſſus non eſt: eorundem columnas dumtaxat, quæ fornices, aut muros ſuſtinebant, infra, qua è terra emergebant, diſciſſas fulcris ſuſtentandas curauit: vt non niſi ſumma neceſſitate hoſte ſe propemodum in conſpectum dante euerterentur: quod tamen poſtea Cæſariano exercitu ad Stagna (ſic is locus dicitur ab vrbe tribus milliaribus Germanicis diſtans) caſtra habente exequi coactus eſt: inter quæ Arnoldianum præcipuum erat, in quo Hildegardæ Caroli Magni coniugis, ac Ludouici Pij eorum filij, Drogonis Metenſis Archiepiſcopi Caroli Magni filij nothi, vt pleríque tradunt, multorum item aliorum virorum, ac fœminarum illuſtrium ſepulchra viſebantur: quorum reliquias indicta ſupplicatione, cui ipſe funale geſtans interfuit, Guiſanus in vrbem inferri, & in Dominicino cœnobio collocari iuſſit, quod cœnobium Abbati Arnoldiano attribuit.

Eiuſdem pietas.

Albertus Brandeburgenſis, de quo ſupra ſcripſimus, ſatis magnas copias habebat: 17
equites qui breuioribus ſclopetis pugnabant, mille ſexcentos: peditum cohortes Iacobus Auguſtanus duas & viginti, Altamburgenſis Comes ſedecim, Riſebergus duodecim, totidem Ioachimus Fondalbicius ducebat: tormenta quatuor & triginta ſecum trahebat: hic cum ſua legione, & aliquot equitibus Treuiri præſidio relictus eſt. Albertus cum cæteris copiis Theonuillam contendit, & in Rorangano agro Regi militare ſimulans conſedit: vnà cum illo erat Ioannes Freſſanus Baionenſis Pontifex: à quo nihil certi impetrare poterat: ſuperioribus menſibus ſe Regi in Germania militaſſe aiebat: tametſi nihil cum illo, verum cum Mauricio, & ſociis principibus pertractatum fuiſſet: & nihilominus multorum menſium ſtipendium poſtulabat: at rex nimis multam Germanis pecuniam dederat, quæ parum illi, aut nihil profuit: inde commeatum ſuis copiis à Guiſano poſtulauit. Ad primum poſtulatum ne illi conquerendi occaſionem daret, panes, & aliquot vini dolia Guiſanus ad illum miſit: è ſua penu, hoc eſt, in familiæ ſuæ alimentum priuatim comparata ſe mittere præfatus. Quum adhuc inſtaret, Petrum Strozam ad illum miſit, qui commeatum ex ea vrbe, quæ obſidionem præſtolatur, & tantum Cæſaris exercitum ſibi imminere videt, poſtulare à militari diſciplina eſſe alienum doceret: Salinas peteret regionem opulentam, quæ eius exercitum aliquot menſes alere poſſet. Accepit conditionem, & itineris ducem popoſcit: datus eſt Gaſpar Huſſus Buius: at tum Salinas ſine ſummo ſuorum diſcrimine adire non poſſe intulit, vnde Cæſarianus exercitus non multum abeſſe fertur: Moſellam traiicere in animo habere: pontem imponat Guiſanus, & interim commeatum ſuppeditet, & è ſuis nonnullos, qui in vrbe detinentur, liberos emittat. De commeatu vt ſupra: pontem ſe conficere non poſſe Guiſanus declarauit vrbis munitionibus intentum: vt ſcaphæ, & lintres à ponte Moncionis Metim vſque in eum, quem ille deſignabit, locum deducantur, effecturum: nullos eius milites in vrbe eſſe, ſi eſſent eadem qua ſui libertate fruituros. Quum has conditiones honeſtè reiicere non poſſet, colloquium extra vrbem petiit: vrbis iam iam obſidendæ præfectum Guiſanus exire non debere reſpondit: ſi vrbem inire volet, ſe humaniſſimè venientem excepturum. Quum propius appropinquaret, & milliari Germanico ab vrbe caſtra poſuiſſet, ac de die in diem ſæpius aduentum distuliſſet, nec acceſſiſſet, mortaria aliquot (ſic id genus tormenti vocant) ac tormentarij pulueris cados, pilaſque ſub noctem miſit, quum iam portæ occluſæ fuiſſent: quæ nihilominus auctis præſidiis, emiſſiſque exploratoribus Guiſanus intromiſit. Poſtridie Germanorum equitum agmen ad portam appulit, quum nullus interim de Alberti aduentu ſermo eſſet; quos in vrbem recipere Guiſanus noluit, & eos qui pridie ingreſſi erant, ſupra quadringentos exire compulit: vnde Albertum aut commeatum ita vrbi ſubtrahere, vt in paucos menſes ſupereſſet, aut Guiſanum ipſum intercipere, aut tam multos è ſuis in vrbem immittere vt porta aliqua potiti aditum cæteris præberent, deſtinaſſe veriſimile eſt.

Commeatum ex vrbe ad Albertũ distrahere recuſat.

Albertus Brandeburgenſis merito Guiſano ſuſpectus.

Iam Septembres Idus prætererant & Cæſar Rhenum tranſmiſerat, ac bis mille equites 18
præmiſerat, qui noſtros in commeatu importando impeditos adorirentur: itaque Guiſanus Broſſianum Lotharingicæ alæ, Antraguium ſuæ, Bironem Rochaſurionæ legatos monuit, vt diligentius commeatum conuehendum curarent: quod conuehi non poſſet, incenderent: molendina omnia confringerent: qui decimo Kal. Octobris vrbem inierunt, & ad regiones ſibi deſignatas diuerterunt. Quod autem plerique viri nobiles ſponte, nullo ſtipendio inuitati, quos volones, vt veteres Romani, appellare poſſumus, Metim acceſſerant: qui ſuo more diuerſoria, vbi collibuiſſet, fortaſſe deligere, & omnibus bellicis functionibus intereſſe vellent: vnde magna perturbatio ſæpius accidit, vt ſinguli

Cæſar commeatum impedire conatur.

aliquem

aliquem vel equitum, vel peditum præfectum eligerent, iuſſit: cui & parerent, & ad regionem illi aſſignatam diuerterent, nec niſi cum illo bellicas functiones obirent: alioqui ex vrbe exirent: vti niſi parerent, exire cogerentur. Duodecimo Kal. Octobris Guiſanus Petrum Strozam ad Regem remiſit, vt Metim ſubſidium, quod ſtatuiſſet, ſummitteret: iam enim de Cæſaris aduentu dubitari non poſſe, qui Rhenum traieciſſet, & ad Tabernas caſtra haberet. Rex Mommorencium equitum magiſtrum intra paucos dies ad Michaëlium Lotharingiæ oppidum cum copiis affuturum reſcripſit: vnde ante Cæſaris aduentum decreta auxilia ſummittat. Redierat paulò antè ad Treuiros Albertus Brandeburgenſis, vt relictum præſidium reciperet; & ad Metenſem agrum reuerſus mortaria cum inſtrumento, quæ velut in vrbe depoſuerat, ſibi reddi poſtulauit, & facilè impetrauit: etenim ſe adhuc cum Rege conuenturum ſimulabat: ad quem Rex Lanſacum miſerat: & mox quum ad pontem Moncionis caſtra haberet, Mommorencius qui tum ad Michaëlium duodecim paſſuum millibus à ponte Moncionis, totidem Virduno diſtans cum ſeptem equitum, peditum triginta millibus conſederat, Chapellabironem, poſtremo Gaſparem Colignium Gallorum peditum tribunum ad illum miſit: quicum, quod ſæpius poſtulata commutaret, & tandem immenſa proponeret, nihil conficere potuerunt. Id Guiſano plurimum nocuit: neque enim tormenta, neque milites, quos ſtatuerat, Mommorencius mittere potuit: alioqui cum Alberto ancipiti fortaſſe prælio confligendum fuiſſet: quatuor dumtaxat peditum cohortes, quæ pontem Moncionis inſederant, ante Alberti aduentum in vrbem receptæ fuerunt: atque aliquot tormentarij pulueris cados, & ducentos foſſores decimo ſexto Kalend. Nouembris Horatius Farneſius Caſtrienſis regulus ſecum adduxit. Cum Alberto confligere Mommorencio nonnulli ſuadebant: at ille incertus quo ſe Cæſar conuerteret, ad Virdunum nondum ſatis munitum deflexit: cui Santandreanus Mareſchallus præerat, ac Tauannius vrbis præfectus cum centum quinquaginta cataphractis, ducentis leuis armaturæ, totidem ſclopetariis equitibus, octo peditum cohortibus.

Ne Mõmorẽcius Guiſano ſubſidiũ paratum mittere poſſit Albertus obſtitit.

18 Eodem tempore Franciſcus Cliuenſis Niuernenſis regulus Stenaium, alij Satenaium, alij Aſtenaium vocant, muniendum ſuſcepit: quamuis Franciſcus Primus huius nominis Rex id aliquando muniiſſet, & mox ob incommodum ſitum munitiones à ſe multum promotas euertiſſet, oppidúmque Lotharingiæ regulo reddidiſſet. Henricus è Germania reuerſus Flandros inde expulit, & relicto præſidio tenuit nullis munitionibus additis. In aliâ ſententia fuit Niuernenſis, & ſe pro oppido propugnaturum pollicitus Viretonem vicinum oppidum cepit, ac demolitus eſt: & Cæſarianos Metim obſidenteis multis excurſionibus, præſertim in pabulatores, vexauit. Et mox redeunte ad Regem Mommorencio equitum magiſtro Regiis copiis, quæ tum ad Claromontem Barri oppidum caſtra habebant, præfuit. Circiter Idus Octobris quum vindemiæ cum magna vini abundantia factæ eſſent nullis adhuc hoſtibus infeſtantibus, cuius bona pars in vrbem comportata eſt, vt nihil aut parum relictum fuerit, ruſticorum non parua multitudo in vrbem confluxit: quos munitionibus abſoluendis iuſta mercede oblata Guiſanus attribuit: & quod Moſellæ pars, quæ in vrbem influit, perrupto aggere in antiquum canalem auerti facile poſſe ferebatur, vnde in eius brachij introitu, & exitu ſub pontibus duæ latæ viæ hoſtibus patuiſſent, palos intra vrbem ne tormentis hoſtium confringerentur circiter triginta paſſus à pontibus diſtanteis in fluuio defigendos, atque aggerem in vtraque fluuij ripa à pontibus ad palos pertingentem extruendum Guiſanus curauit. Quum Bipontem Cæſar tranſmiſiſſet Meti quindecim Germanicis milliaribus diſtantem, Guiſanus Pradum qui cum ſua cohorte Rupi Martiæ præſidio relictus erat, reuocare ſtatuit: & quod inde Metim vſque ſex milliaria Germanica, quæ fere duodecim noſtris leucis reſpondent, numerantur, tormenta in fruſta confracta cum omni inſtrumento iumentis imponi, atque tranſportari, neque enim carri in ſolo pingui denſis pluuiis perrupto trahi poterãt, & ad Theonuillam, vix extra tormenti iactum iter dirigere cogebantur, militeſque euerſis, quoad in his temporis anguſtiis fieri potuit, caſtelli munitionibus miſſo firmo præſidio Metim verſus redire iuſſit: nec tamen eoſdem in vrbem admiſit, quod peſte laboraſſe ferebantur, ſed ad Regis exercitum, & ad Caſtilionem eorum tribunum accepto ſtipendio abire maluit. Decimo ſexto Kalend. Nouembris ad ſtagna, quorum ſuprà mentionem fecimus, Cæſarianus equitatus appulit: peditatus retro mille paſſibus interiectis ſubſtitit: nec poſtridie ob frequentes pluuias, & tormentorum in ſolo pingui trahendorum difficultatem progreſſi ſunt. Hoſte tam propinquo Guiſanus diurnas equitum, peditúmque excubias extra vrbem fieri iuſſit, vt quoad poſſet, ne caſtra propius vrbem ponerent, impediret.

Ruſtici Metim confugientes ad opera adhibentur.

Cæſarianus exercitus ad ſtagna iam progreſſus imbribus retardatur.

Decimo

Digitized by Google

Decimo quarto Albanus regulus Cæſaris legatus, ac Melegnanenſis Marchio Italorum peditum tribunus, & caſtrorum magiſter, quorum in eo exercitu ſumma authoritas erat, circa horam nonam matutinam, vt Galli numeramus, cum quatuor equitum, peditum quatuordecim millibus vrbi appropinquarunt. erat tum in excubiis Iacobus Broſſianus alæ Lotharingicæ legatus extra vrbem paulò vltra Iuliani ſuburbium, qua hoſtes tranſituri erant: quorum ille Guiſanum certiorem reddit: vti & vigiles in * * * templi faſtigio collocati campanæ ſonitu ſæpius repetito indicarunt. Broſſianus tot hoſteis ſibi imminere videns ad pedites ſclopetarios, qui ad ſaxeum Iuliani ſuburbij pontem ſubſtiterant, paulatim ſe recipit: ibi hoſteis irruenteis aliquandiu remorati, deinde vndique petiti Broſſiano viro militari ſe vna cum illis ſæpius hoſtibus opponente vrbem versùs intra tormenti iactum nullo amiſſo redierunt. Alia ex parte bis mille Hiſpani ſclopetarij à magno agmine ſeparati Germanorum portam versùs deſcenderunt. illis obuiam proceſſit Rendanus cum paucis equitibus: neque enim pugnare, verùm eoſdem recenſere in animo habebat: quem ducenti ſclopetarij Fauarſio caſtrorum magiſtro duce ſequebantur. Hi hoſtes excepturi locis opportunis ad primam ædificiorum ruinam ſupra Germanorum portam ſubſtiterunt, vbi ne hoſtes progrederentur, aliquandiu obſtiterunt: mox multitudine oppreſſi in alteram ruinam vrbi propiorem, quæ Eliſabethæ dicitur, retroceſſerunt: vbi duas horas integras hoſtium impetum tolerarunt, & ne propius vrbem accederent, prohibuerunt. Ad portam quoque Mezellenſem centum & viginti ſclopetarij ex vrbe egreſſi aliam hoſtium manum appropinquantem non minus fortiter pedem ponere, aut potius referre coëgerunt. Interim dum hæ excurſiones feruerent, Albanus ac Melegnanenſis è Bella Cruce loco editiore vrbis ſitum, & commodum tormentis locandis locum deſpexerunt: aliquot etiam Hiſpanorum ſclopetariorum cohortes ex Iuliani ſuburbio Moſellam versùs deſcenderunt, vt vadum reperirent: quo in vicinam inſulam, quam ala Rochaſurionis, & Houanij ſclopetarij inſederant, penetrarent. Conflictus acerrimus ab vndecima matutina ad veſperam vſque continuatus fuit, donec Hiſpani cedere, & ad ſuos redire coacti ſunt: vtrimque decies mille ſcloporum exonerationes egeſtas ferunt: è noſtris Marignius Belga, ac quinque ſclopetarij in ipſo certaminis campo ceciderunt: Mompha alæ Rendani leuiorum equitum legatus, Sillius, Sanctalbinus, ac Sol centuriones, Solis, ac Gordani vexilliferi, ac circiter duodecim ſclopetarij vulnerati ſunt. ex quibus Mompha, ac Sillius intra paucos dies ex vulneribus animam efflarunt. Ex hoſtibus centum octoginta deſideratos rumor fuit: tormenta enim in fanorum teſtudinibus multa humo aggeſta complanatis collocata, & ex vrbe exonerata præſertim in ſuburbij Iuliani ruinas non paucos, plures etiam ad pugnam deſcendenteis diſcerpſerunt. Triduum poſtea Cæſariani conquieuerunt, nec ad vrbem comparuerunt: quapropter Guiſanus Rupifocaldium cum aliquot equitibus quid illi molirentur, exploratum emiſit: eorum caſtra paulò vltra Barbaræ fanum Meti paſſuum tribus millibus diſtabant: quibus diligenter conſpectis inter redeundum vicos aliquot incendit, ne Cæſarianis equitibus pro diuerſoriis eſſent: poſtridie inde progreſſi ad montem Caſtilionium caſtra poſuerunt, foſſáſque ad tuenda tormenta duxerunt; quæ in conſpectu vrbis locarunt: ſed tam procul, vt ex vrbe exonerata illis nocere non poſſent: ibi vndecim peditum vexilla defixerunt. 19

Ad vrbē appropinquat.

Aliquot excurſiones.

Conflictus acerrimus.

Exercitus Cæſarianus paululum ab vrbe receßit.

Eodem die paulo ante mediam noctem Anguianus, ac Condæus Borbonij Vindocinenſis reguli fratres, duo item Mommorencij equitum magiſtri maiores natu filij vrbem inierunt. Cæſar autem propter valetudinem Theonuillam ſeceſſerat: Cæſarianus exercitus à monte Caſtilionio vſque ad pridie Kal. Nouembris non diſceſſit. Interim Holſatiæ regulus, Edmundanus Comes, Brabanſo, Boſſuus ſe ſuperioribus adiunxerunt: pridie Kalendas prima aurora Hiſpani, Itali, & nonnulla Germanorum peditum agmina propius vrbem acceſſerunt, vt caſtra ad Bellam Crucem (ſic enim is locus ſatis editus vocatur) ponerent: equitatus etiam ad dextram flectens magis ad portam Mezellenſem appropinquauit: quo tamen tormenta ex vrbe diſploſa illis nocere non poſſent: vbi ſemper ad pugnam parati permanſerunt, donec pedites in locis ſibi deſignatis conſtitiſſent, quod non repente accidit, triginta enim pedites fortiſſimos ad ſui cuſtodiam Guiſanus ſelegerat, qui ſe perſtrenuè in omnibus congreſſibus geſſerunt. Hi cum totidem aliis, aut paulò pluribus hoſtes aggreſſi, & ſubſidiis aliquando aucti diu magna alacritate conflixerunt, egregiúmque ſuæ virtutis ſpecimen dederunt; atque vno dumtaxat vulnerato incolumes redierunt. Ibi, hoc eſt, à Bella Cruce ad Sellam fluuium à dextra, à ſiniſtra autem ab eadē Cruce ad Iuliani ſuburbium foſſorum è Flandricis prouinciis adductorum 20

Ad Bellam Crucē veniūt.

quinque

Digitized by Google

quinque millia, bis mille item Bohemi noctu foſſas nunc rectas, nunc tranſuerſas ad vitandas tormentorum noſtrorum pilas duxerunt: eos enim tormenta è fanorum faſtigiis exonerata vehementer affligebant. Kalendis Nouembris quinque peditum vexilla in poſterioris huius foſſæ labro ad tuenda aliquot tormenta defixerunt: poſtridie nihilominus clam tormenta ad ſe receperunt, & Magnium pontem verſus traxerunt, nulloque tympanorum ſonitu edito diſcedentes vexilla in foſſarum labris reliquerunt, ne eorum diſceſſum noſtri maturè deprehenderent: tandem veluti ventis euerſa ſuſtulerunt: iam enim è noſtris nonnulli ad foſſas acceſſerant, & cum poſtremis confligebant. Egreſſus cum ducentis ſclopetariis Petrus Stroza apertè illos abeunteis, nec à ſe procul magnum Germanorum peditum agmen aſpexit: in quos centum è ſuis agiliores inuehi, & rem ſclopetis gerere, & quum opus eſſet, celeriter elabi, ac pedem referre iuſſit: qui ſepibus tecti à quinquaginta, aut ſexaginta paſſibus incedenteis crebris ſclopetorum glandibus ita perturbarunt, vt ter, aut quater agminis frontem in ſe cõuertere coëgerint. Exierant ex vrbe & plerique alij tum pedites, tum equites, qui variis in locis etiam vltra pontem Magnium cum hoſtibus confligebant: vbi Nemorenſis reguli ala excubias diurnas agebat. eo accurrerat Horatius Farneſius Caſtrienſis regulus cum aliquot equitibus, multique præterea, qui ſe clam ſubduxerant: de quibus ſollicitus Guiſanus, quanquam hanc ſuorum leuitatem ægrè ferebat, cum ſexcentis equitibus extra vrbem circiter octingentos paſſus progreſſus eſt, ac ſuos reuocans, & latam equitatus frontem aduerſus hoſteis oſtentans additis ſclopetariis incolumes omneis in vrbem reduxit.

Tormẽtorum pilis infeſtatur.

21 Cæſariani ea nocte ad pontem Magnium caſtra fecerunt: Brabanſo cum vna inferioris, tribus ſuperioris Germaniæ legionibus, tribus equitum millibus pone Caſtilionium montem in colle (Grimontem vulgo appellant) remanſit, quæ caſtra Reginæ Hungariæ vocarunt: qua nocte circiter triginta nobiles adoleſcentes Virduno profecti vrbem ingreſſi ſunt, nec alij poſtea niſi ſumma cum difficultate ingredi potuerunt. Poſtridie mane Cæſariani Sellam ponte Magnio traiecerunt, & ad Arnoldi, Clementiſque ſuburbia, hoc eſt, ad ſuburbiorum ruinas, vicinámque regionem diuerterunt. A Theobaldi porta ad Campanam præter propugnaculum ad Glocinæ ædem extructum noſtri nihil adhuc moliti erant aliis locis debilioribus intenti: tum & in aggeribus erigendis, & in foſſa purganda diligenter laborarunt, atque in media foſſa alteram decem pedes latam longè profundiorem intra paucos dies abſoluerunt, & vtramque aqua immiſſa impleuerunt. Pridie Nonas Claudius Lotharingus Aumaliæ regulus (Albam malam noſtri vocant) Guiſani frater leuiorum equitum præfectus cum Alberto Brandeburgenſi infeliciter conflixit. in cauſa fuit Ioannes Freſſanus Baionenſis Pontifex, qui iam Riſebergi alam ab Alberto diſtraxerat, & cæteras, bonámque equitatus partem ad defectionem ſe pellexiſſe iactabat: re vera Alberti peditatus niſi accepto ſtipendio ad pugnam ſe deſcenſurum negauit: tum ille ad equites conuerſus. [Etiamne vos (inquit) in vicina tam opima præda animis deficietis? vix illi octingenti ſunt, & quidem leuis armaturæ equites nullis aut paucis lanceis armati, & equis imbecillis, perpuſilliſque vecti, qui noſtrorum fremitum expectare non audebunt: nos hunc numerum duplicamus: hic hic ſtipendium opulentiſſimum vobis paratum confidite: id ego vobis vel hac animula hodie me præſtaturum ſpondeo.] Illi manus ſuſtulerunt, & vt pugnæ ſignum daret, orarunt. Albertum bis mille ſclopetarios equites, Aumallium ducentos cataphractos, quingentos leuiores habuiſſe quidam prodiderunt; alas quidem tot equitum Aumallius habuit: ſed ſuo numero haud impletas, & quorum bona pars lanceis carebat, quas Germani equites, qui breuibus ſclopetis vtuntur, maximè reformidant. Ad Meſſinium Lotharingiæ oppidulum concurrerunt: Aumallius in hoſtes fortiter inuectus, & poſt acrem conflictum tribus acceptis vulneribus à multitudine oppreſſus captus eſt: non multi in prælio, permulti in fuga, præſertim ad * * * fluuij anguſtum vadum trucidati ſunt. Freſſanus opinione deceptus mature tamen ſibi conſuluit, & inter primos fugam capeſſens equi Hiſpanici celerrimi beneficio euaſit.

Claudius Lotharingus cũ Alberto Brãdeburgẽſi infeliciter dimicat.

Alberti ad ſuos adhortatio.

22 Hac parta victoria Metim Albertus ſe contulit, & Idibus Nouembris ad Martini montem caſtra poſuit, vnde Aumallium ſanatis vulneribus in Germaniam miſit: hæc caſtra ne noſtri in Galliam irent, & illinc redirent, & ne vltra Moſellam excurrerent, impedimento erant. Cæſariani quarto, & tertio Idus tormentis portam Campanam vehementer concuſſerunt: Idibus eiuſdem menſis portæ propugnaculum quadringentis ſeptuaginta ſex pilis iaculatis perfoderunt: vbi Palicianus Paliciani Mareſchalli

Albertus Metim caſtra ſua deducit.

Digitized by Google

filius lapidis fruſto reſiliente in caput ictus non multis poſt diebus è vita exceſſit: eodem ab Idibus ad nonum Kalend. circiter mille ducentas pilas intorſerunt. Duodecimo Kalend. Decembris Cæſar Theonuilla profectus, & lectica vectus ad caſtra acceſſit: appropinquans Turcicum equum album conſcendit, & caſtris luſtratis ad Clementis Cœnobij exiguas reliquias, ad quas ignis non penetrarat, diuertit: tantiſper dum Orgnium caſtellum à ponte Magnio non multum diſtans illi in diuerſorium præparabatur, eius aduentus & crebris tormentorum bombis, & aſſiduo ſclopetorum ſtrepitu ſatis declaratus eſt: re vera nunquam antea niſi aduerſus Solymanum, vt ſuprà ſcripſi, tantum exercitum Cæſar coëgerat: equitum duodecim millia, vt eius domeſticus, multorúmque principum Germanorum, Hiſpanorum, Italorum comitatus prætereatur, habuiſſe fertur: peditum autem Germanorum centum & quadraginta treis cohortes, Hiſpanorum viginti ſeptem, Italorum ſedecim, operarum campeſtrium, quos foſſores vocant, ſeptem millia: bombardas centum, & quatuordecim, quarum bona pars eius generis erat quos duplices canones vocant, qui longe maiores noſtris pilas euomebant. Siquidem hunc poſtremum belli actum egregiè exequi ſuæ valetudinis conſcius, & mox in ſolitudinem ad contemplandam diuinæ Majeſtatis bonitatem ſecedere, atque ibi extremam ſenectutem finire decreuerat: non ſecus, atque antiqui egregiarum artium artifices, quum ad ſummum ſuæ artis gradum perueniſſent, diis eiuſdem inſignia conſecrare, nec in poſterum artem ipſam exercere conſueuerant. Hic autem pius Imperator, & inter Germanos nulli ſecundus non artis inſignia, ſed ſeipſum Deo Opt. Max. conſecrare voluit, vt ſuo loco explicabimus. Verum vt arcana Dei conſilia ab humanis ſæpenumero diuerſa ſunt: ſic hunc fortiſſimi Imperatoris conatum ſummus ille rerum omnium moderator non fortunauit, & vt diuina dumtaxat, non humana in poſterum meditaretur, quodam modo monuit. Nono Kalend. trecentis, poſtridie mille quadringentis quadraginta octo pilis murum à Mariæ propugnaculo, ad portam Campanam pertingentem, ac treis turreis Ligneriam, Michaëliam, Vaſſicam incredibili impetu Cæſariani verberarunt, quarum duabus prioribus euerſis tertia portæ vicinior inſignem iacturam accepit. ſexto Kal. eumdem murum mille trecentis quadraginta tribus pilis ita pulſarunt, vt tribus locis perforatus ſclopetarios noſtros inter duas tormentorum exonerationes ad hoſteis denſis glandibus impetendos inuitaret. Poſtridie totidem pilæ in eumdem murum impactæ fuerunt, vbi Ioannis Mauriqui Cæſarianorum tormentorum magiſtri induſtriam noſtri mirandum in modum laudarunt. quarto Kal. Inferorum Turrim (ſic enim vocatur) ruina octodecim pedes lata aperuerunt, & murum ſupra commemoratum depreſſerunt: pars in antemuro (ſi ita nobis loqui permittimus) pars in ſeipſa reſedit, vt non facilis aſcenſus eſſet: magnum tamen lætitiæ ſignum puluere adhuc aſpectum præpediente Cæſariani dederunt: verum vbi puluerem ventus diſcuſſit, & difficilem aſcenſum, aggerémque ſupra ruinam octo pedes extare viderunt, multum de ea lætitia remiſerunt; & noſtri tam equites, quàm pedites vexilla ſua in ſummo aggere defixerunt: circiter mille pilas eo die exoneratas produnt, & noſtri ſequenti nocte atque interdiu aggerem auxerunt, & Inferorum Turrim humo pingui, atque argilloſa repleuerunt. Duobus conſequutis diebus Cæſariani remiſſius egerunt, & ſexcentas triginta pilas dumtaxat intorſerunt.

Cæſar ipſe ad ſua caſtra lectica vehitur.

Copiæ Cæſaris recenſentur.

Hanc vltimã expeditionẽ vt ſuorũ facinorum colophonẽ Cæſar meditatur.

Vrbs acriter tormentorum pilis pulſatur.

Ecmundanus, Egmundanus alij, Comes cum bis mille equitibus, aliquot peditum co- 23
hortibus per Moncionis pontem Tullum adiit, ni dederetur, excidium minatus. Sclauolus præfectus quum Cæſar Metim cepiſſet, & eodem tormentorum impetu Tullum quateſeciſſet, tum ſe quid reſponſurus ſit, deliberaturũ ſubiecit. Decembris initio multæ equitum, ac peditum excurſiones præſertim in caſtra Alberti Brandeburgenſis fiebant, quas enumerare longum eſſet. Sexto Idus Nouemb. Guiſanus Thomam Eluechium Ferrarienſem ad Regem miſerat, vt Cæſarianum exercitum vrbis oppugnationem inſtituiſſe, & ſe omnibus, quæ ad commeatum, ac propugnationem pertinent ita prouidiſſe confirmaret, vt in menſem decimum nullo auxilio ſibi opus eſſe exiſtimaret: Regem itaque vel exercitum ſuum ad Hiſdinum oppugnandum, vel ad aliam quamuis expeditionem mittere tuto poſſe. Rex Caſtilionem Amyralium cum parte exercitus ad Vindocinenſem regulũ Picardiæ prætorem miſit: hi Hiſdinum arcem decimo ſexto Kalend. Ianuarij tormentis quatere cœperunt: poſtridie quatuor pilarum millibus, & ſexaginta ſex verberatam deditione ceperunt: Thomas Eluechius octauo Idus Decembris noctu inter Cæſaris atque Alberti caſtra elapſus rediit, & Regium exercitum Hiſdinum petere, atque Albam à Briſſaco Mareſchallo captam in Subalpina Italia docuit. Quod autem fama in vulgus emanarat Cæſarem

Variæ excurſiones fiunt.

Hiſdinũ oppugnatur & deditur Hẽrico.

Cæſarem inde, niſi capta vrbe pedem non moturum, & potius alterum, ac tertium dimiſſis prioribus exercitum acceſſiturum, Guiſanus non ſolum militum, ſed & equorum cõmeatum ad certam menſuram reſtrinxit & quantum cuique quotidie diſtribueretur, præſcripſit: operas, quæ mille ducentæ erant, ad ſexcentas cæteris vrbe pulſis reduxit: puluerem tormentarium magna diligentia confici, & quod pecunia in militum ſtipendium in vrbem comportari non poſſet, ne miles rapto viuere conaretur, nouam cudi iuſſit, quæ pluris, quam materia pateretur, æſtimaretur: hanc tamen obſidione ſoluta ſe probata moneta compenſaturum pollicitus eſt. Nonis Decembris & ſequentibus diebus turrim quæ fabrorum lignariorum vulgo appellatur, & Moſellæ contigua eſt, ſexcentis viginti pilis Cæſariani quatefecerunt, & ad aquam aperuerunt. Turris quoque Inferorum tectum proſtrarunt. Pridie Idus propugnaculum ad portam Campanam trecentis quinquaginta pilis verberarunt, vt murus ad viginti paſſus deſideret, qui ad triginta deiectus erat: ſed ita vt ſcalis ad aſcenſum opus eſſet. Idibus Turrim Vaſſicam eidem portæ vicinam depreſſerunt, & ruinam ad nonaginta paſſus in longum porrectam abſoluerunt: à qua duæ, altera viginti, altera triginta paſſuum non multum aberant. Decimo ſeptimo Kal. Ianuarij Turris Fabrorum lignariorum tormentis vehementer concuſſa ruit: maior pars in ſeipſam, altera in foſſam cecidit, quod peropportunè obſeſſis accidit: etenim ne hoſtibus vice pontis eſſet, timebant. Paulò ante alæ Lotharingicæ tubicen ad Alberti caſtra profectus erat de redimendo cataphracto equite acturus: nam vt menſtruum dumtaxat ſtipendium penderetur, conuenerat, quod & Albertus ipſe poſtularat: at trimeſtre, aut etiam amplius petebatur: tubicinem ipſum Albertus retinuit, ne tumulorum ad caſtra multitudinem, militúmque raritatem, ac quamdam velut ſolitudinem reuerſus in vrbem renuntiaret: eadem de cauſa Guiſanæ alæ tubicen ad ſua caſtra Brabanſo appropinquare prohibuit.

Metis iterum vehementer tormentariis pilis verberatur.

24 Septimo Kal. Ianuarij Cæſar tria ſua caſtra valde imminuta animaduertens, qui enim plurimum imminuunt mortuorum militum numerum ad viginti millia reducunt, quidam ad triginta quinque, alij ad quadraginta auxerunt. Germani hiſtorici tertiam exercitus partem deſideratam ſcribunt, vt morbis affectos, atque eos qui dilapſi erant, prætercam, & de ſoluenda obſidione cogitans aliquot tormenta Moſella traiecto ad Alberti caſtra comportari iuſſit: ea ex duodecim canonibus, ſex colubrinis, quinque mortariis quæ Albertus Cæſari commodarat, noſtri milites fuiſſe coniecerunt. Quinto Kalend. Cæſariani vehementius, ac ſæpius, quàm ſuperioribus diebus tormenta diſploſerunt, & poſtridie hæc tonitrua continuantes à quarto Idus Nouembris huc vſque quatuordecim pilarum millia in vrbem emiſiſſe traduntur: vt mille trecentas aut quadringentas ex Alberti caſtris eiaculatas prætermittam: mox tormenta ad Arnoldiani Cœnobij reliquias conuehenda curarunt, quò qui ad foſſas vrbem verſùs actas nocturnas, diurnaſque excubias agebant, ſe receperunt: quod poſtridie mane noſtri milites animaduertentes foſſam proximam, deinde cæteras vſque ad eos terræ tumulos, quos Caualerios vocant percurrentes, & ſemper ſclopetis rem gerentes totum eum diem traduxerunt. Tum quatuor Cæſarianorum cuniculos viderunt: quorum vnus vſque ad Turrim Inferorum pertingebat. Pridie Kal. aliquot Galli equites ex vrbe egreſſi, & Theonuillam verſùs contendentes currus pleroſque Hiſpanis militibus ægrotis onuſtos offenderunt, quos liberè abire permiſerunt: nec illis quicquam abſtulerunt. Prima vigilia fere exacta ignis fortè accenſus Lanqui leuiorum equitum præfecti diuerſorium inuaſit, à quo multi pulueris tormentarij cadi, & Regia granaria non multum diſtabant: vnde omnes exciti, & quaſi ad hoſteis excipiendos acciti in ſuas quique regiones, præſertim ad murorum tormentis depreſſorum ruinas abierunt. Guiſanus ad diuerſorium acceſſit, & ne ignis aliò penetraret, ſumma diligentia prouidit: ventus vehementiſſimus denſa niue mixtus ita omnium oculos, aureiſque percellebat, vt ſuo officio fungi non poſſent. Itaque vniuerſi cuiuſque ordinis milites tota illa nocte in armis fuerunt. acceſſit & aliud; pars propugnaculi inter portam Campanam, & maius propugnaculum nuper extructi eadem nocte collapſa eſt: ſi paulo ante vtrumque accidiſſet magnam Cæſarianis vrbis inuadendæ occaſionem dediſſet: verum omnes iam ſe ad diſceſſum comparabant, nec quicquam hoſtile meditabantur. Id fortunæ Cæſaris defuit, qui in tam longa obſidione, tanta tormentorum fulminatione nullam oppugnationem inſtituere auſus eſt, neque vt inſtitueret occaſionem habuit. Kalendis Ianuarij ſequentis, hoc eſt, huius ſæculi anni quinquageſimi tertij, ac poſtridie nonnulli ex noſtris equitibus Cæſarianos diſcedenteis perſequuti aliquot Hiſpanos ceperunt,

Cæſar de ſoluẽda obſidione cogitat.

Anno 1553.

Digitized by Google

Diſcedentes Cæſarianos abſiſſi perſequuntur.

ex quibus Cæſarem Kalendis ſe Theonuillam recepiſſe didicerunt. Alij aliò excurrentes quum Hiſpanorum turmam aggredi inciperent, Hiſpanorum præfectus exclamauit quid noſtri quærerent: qui è noſtris proximus erat, ſe armis decernere velle reſpondit. Tum Hiſpanus ſe non ea corporum firmitate eſſe intulit, vt arma pro ſua exiſtimatione tractent: ſinerent pacatos abire, nec aduerſam hoſtium fortunam nimis acerbè inſectarentur: noſtri illæſos abire paſſi ſunt.

Quarto Nonas circa vndecimam noctis horam, vt Galli numeramus, Albani, ac Brabanſonis copiæ accenſo igne, quod proficiſcendi ſignum fuit, illæ vltra pontem * * * * 25
progreſſæ ſunt: iſtæ ad Arcancium vicum infra Metim duabus noſtris leucis Gallicis, hoc eſt, quatuor Italicis milliaribus diuerterunt. Altera noſtrorum equitum turma duce Rochaſutione ex vrbe egreſſa eſt, vt poſtremos Albani carperet: ſed ad pontem tam multi equites, pediteſque ſclopetarij ſubſtiterant, vt in pontis anguſtiis confertos aggredi temerarium videretur. Itaque nulla re tentata noſtri redeuntes miſerabile ſpectaculum non diſcedentis, ſed planè victi exercitus habuerunt, innumerabilium cadauerum ſcilicet, moribundorum item & in ſuis, quas extruxerant, caſis extremum ſpiritum exhalantium: non procul autem à caſtris infinitorum tumulorum vbi paulò ante mortui conditi erant: adhæc itinera paſſim equorum cadaueribus conſtrata, tentoria, arma, multámque aliam ſupellectilem; panes quoque, ſed infectos, & ad eſum inutiles ad duodecim millia, plurimúmque alium commeatum relictum videre erat, vt Cæſaris in tanto exercitu aſperrima hyeme alendo prouidentiam mirari debeamus.

Cæſariani exercitus infelicitas.

Hic autem Guiſani humanitas ſilentio prætermittenda non eſt: ægrotos enim in vtriſque caſtris conquiri, & in diuerſoria, quæ hoſpitalia vocantur, congregari iuſſit, iiſdemque pecuniam ad recuperandam valetudinem largitus eſt: Albano quoque ſi ægrotos Theonuillam deportari vellet lintres ſcaphâſque tectas ſe traditurum ſignificauit. Altera noſtrorum turma, cui præerat Iacobus Broſſianus alæ Lotharingicæ legatus Brabanſonis copias ſequuta erat: verum illi maturè diſceſſerant, & antequam eaſdem aſſequeretur, caſtra fecerant: nihil igitur aliud, quam cadauera mortuorum hominum pariter & equorum, & eandem, quæ in alteris caſtris viſa erat, calamitatem offendit: niſi quod circiter centum quinquaginta tormentarij pulueris cados, ac pilarum ingentem multitudinem reperit, quas in vrbem comportare in animo habebat: ſed quod & nox inſtaret, & Albanus non procul inde caſtra haberet, puluerem incendi, pilas autem vtcumque humo tegi ſatius eſſe duxit. Albertus Marchio nondum pedem caſtris mouerat, immo verò pridie tormentis viginti vrbem totum eum diem infeſtarat: vt Cæſaris tormenta interim ad Moſellam tranſueherentur, cauſam moræ fuiſſe tradunt, quorum permulta admirandæ magnitudinis glacie ſoluta, die ad pluuiam inclinante, niuibus colliqueſcentibus in ſolo pingui difficillimè trahebantur: eadem de cauſa Albanus quoque ad pontem * * ſubſiſtere coactus erat. Inſulam facit Moſella, quæ à Martini ſuburbio incipiens, vbi Albertus caſtra habebat, in Maurorum pontem deſinit (Pratum Hoſpitalis vulgo appellant) in hanc Guiſanus aliquot tormenta deportari iuſſit: quibus pridie Nonas ædis Martinianæ reliquias, ad quas Albertus diuerterat, cæteráque eius caſtra mirandum in modum afflixit, interim dum Cæſariana tormenta ad portum Olizium deducebantur: vt in naueis impoſita ſecundo Moſella Theonuillam transportarentur. Nonis Albanus, atque Albertus tormenta ſequuti ad pontem Olizium caſtra fecerunt: inde Theonuillam profecti, ille Cæſarem comitatus eſt, hic in Treuiris reliquam hyemis partem traduxit: donec ſtipendio à Cæſare perſoluto in Germaniam rediit. Guiſanus ob rem bene geſtam in decimum octauum Kalend. Februarij ſupplicationes indixit, quibus & ipſe cum principibus, qui tum aderant, interfuit: poſtridie Lutheri, cæterorúmque hæreſiarcharum libros ſimul collectos publicè incendi iuſſit, deinde aliquot diebus inſtaurandæ, muniendæque vrbis, ac ſuis legibus moderandæ, quæ in illis obſidionis tumultibus exactè obſeruari non potuerant, rationes præſcripſit: mox nono Kalend. Februarij ad Regem in Galliam rediit.

Inſignis Guiſani humanitas.

Guiſanus Lutheri & aliorum hæreſiarcharū volumina publicè incendi iubet.

Dum Metim Cæſar oppugnat Roëſius Comes cū Flandricis copiis Picardiam, hoc eſt, 26
Galliam Belgicā ingreſſus, Nouiodunum, Neſlam, Chaunium, Roiam oppida, Follebraium Regis amœnam domum incendit. Quum Feram Antonij Borbonij Vindocinenſis reguli oppidum contenderent, Annebaldus Amyralius Regis iuſſu cum paucis equitibus oppidum iniit: cuius authoritate cōmotus Roëſius, quod non incomitatū acceſſiſſe, & de præſenti auxilio confidere exiſtimabat, nec oppidum aggredi, nec vltra progredi auſus eſt. ad oppugnandum Hiſdinum ſe conuertit: nam bonam partem Regiarum copiarum partim cum

Digitized by Google

cum Sanctandreano Mareſchallo ad Virdunum, partim ad Tullum cum Franciſco Cliuenſi Niuernenſi regulo, vt palanteis Cæſariani exercitus milites carperent, commeatúmque interciperent, retineri ſciebat. Hiſdinum oppidum facilè in hoſtium poteſtatem venit: arce tormentis vehementer concuſſa muriſque multis locis proſtratis Genlius, ac Raſſa præfectus deditionem fecerunt. Captam muniendam curauit Roëſius, eidémque præſidio addito filium præfecit: mox vbi Vindocinenſem ad recuperandum Hiſdinum cum exercitu venire intellexit ſe repente ſubducens ad Cæſarem properauit. Annebaldus longa valetudine, & dum feram citatis itineribus petit, recrudeſcente afflictus ibidem vitam cum morte commutauit, vir ſtrenuus atque integer, alieni non appetens ac publicæ vtilitatis in primis ſtudioſus: cui fortitudinem pariter, atque innocentiam eius agnoſcens Franciſcus Rex huius nominis Primus cētum nummûm francicûm millia teſtamento legauerat. Præfectura maris Henricus Gaſparem Colignium Caſtilionem Mommorencij è ſorore nepotem donauit: Franciſcum Andelotum Caſtilionis fratrem peditum præfectum in eius locum ſurrogauit, & Lutetiam reuerſus publicas ſupplicationes indixit: quibus & ipſe interfuit, ac recentis periculi memoria adductus, quod Roëſius nuper Lutetiam ſe direpturum, incenſurúmque iactarat, vt ea muniretur, edixit. In id decuriones centum & vinginti francicûm millia quotannis impendenda pecunia populo in capita deſcripta decreuerunt, & cœnobia, cæteráque ſacerdotia pari cum cæteris iure eſſe ſtatuerunt. Tum etiam litteras, quæ typis mandatæ fuerunt, ad omneis Imperij ordines Henricus ſcripſit, quibus non tam metuendam Cæſaris potentiam eſſe docet, quemadmodum plerique hactenus exiſtimarunt. Iam illius arteis, quibus multorum oculos præſtringere ſolet, omnibus eſſe notas: porro tam perdita eſſe valetudine, vt maius quiddam moliri non poſſit: ſe quidem initam cum ipſis amicitiam ſanctiſſimè culturum; tametſi nonnulli magnis ſuis beneficiis prouocati non multum erga ſe grati fuerunt: idcirco nihilominus à cæterorum amicitia haud diſceſſurum, ſed eodem erga ipſos ſemper animo, hoc eſt, beneuolo, & liberali futurum.

Hiſdinum à Gallis receptum.

Annebaldi mors.

Lutetia cur muniri cœpta.

27 Quum in Germaniam Albertus redire inciperet, Bambergenſis Pontifex nouas, & quidem binas decimo ſexto Kalend. Maij à Senatu Spirenſi litteras impetrat. Superiore enim menſe multa illi Alberti præfecti abſtulerant: alteris idem quod prius deintegro mandabatur: alteris Franconiæ nobilitati, Nuribergenſibus, Ioanni Federico Saxoni, Palatino, vtpote finitimis, vt auxilio ſint iniungitur. Harum certior factus Albertus ad Cæſarem Epiſcopos pacta, quæ ipſe confirmarit, violare ſcribit: decretis eius niſi pareant, mulctam illis dici poſtulat. Ad Senatum quoque Spirenſem ſcribit Epiſcopos non ſolùm pactis non ſtare, ſed etiam Cæſaris decretum, quo eadem confirmarit, pro nihilo ducere: proinde diplomata ab illis impetrata reſcindant, nec litem ſibi moueant; alioqui ſi quam iacturam patiatur vt eam ſibi præſtent, poſtulaturum. Reſpondet Senatus ſui officij eſſe, vt ius vnicuique dicat: id Epiſcopis poſtulantibus haud denegare potuiſſe. Alberto tertio Idus Martij reſcripſit Cæſar ſe integrum illi ſtipendium perſoluiſſe, quum cæteri nihil acceperint: ſe quidem pacta inter ipſum & Epiſcopos inita confirmaſſe, & vt pactis ſtent ad eos legatum miſiſſe; quod quum illi recuſent, & pacta iniqua eſſe confirment, idcóque ad ſe, ſeptemuiros Electores, Senatúmque Spirenſem prouocent, id illis denegari non poſſe: ne palam aduerſus illos iniquè agere videatur, & nonnullorum ordinum ſuſpiciones, quas de ſe conceperunt, & multorum ſermone iactentur, augeat: æquabile enim ius vnicuique dicendum: ſupereſſe dumtaxat, vt eorum controuerſiæ amicè componantur: Bauaro ac Vittembergenſi, vt id munus ſuſcipiant, mandaturum. Menſe Martio quum Hedelbergæ apud Palatinum eſſet Albertus ſupra commemoratas litteras ad Senatum Spirenſem ſcripſerat: eodem Bauarus, Vittembergenſis, Cliuenſis, Virciburgenſis Pontifex, Bambergenſis per legatos mandato Cæſaris conuenerunt, vt iam dictis controuerſiis finis imponeretur: magnam pecuniam Epiſcopi, præſertim Bambergenſis, offerebant, vt ſibi oppida relinquerentur: neque enim ſibi quicquam de ſuo Epiſcopatu alienare fas eſſe: probabant conditionem arbitri. Albertus, qui iam in Saxonia per ſuos equitatum cogebat, quinetiam nonnullorum auxiliis fretus niſi pactis ſtetur, armis ius ſuum ſe perſequuturum ſcripto ſexto Kalend Maij edito grauiter in aduerſarios inuectus profitetur. Acceſſit & Hedelbergam quarto Nonas Aprilis Mauricius de Alberto ſuſpicione concepta, quaſi in ſe neſcio quid machinaretur; pridie Nonas domum rediit. Arbitri, Moguntinus item, ac Treuirenſis, vt ſua tuerentur, fœdus faciunt: Bambergenſis, ac Virciburgenſis tertium à Senatu Spirenſi decretum ſexto Nonas Maij impetrant: quo Moguntino, Palatino, Mauricio, Pruſſiæ magiſtro, Ioanni Federico Saxoni,

Conuentu Hedelbergenſi quid cautum ſit.

Digitized by Google

Vittembergenſi, Lantgrauio, Nuribergenſibus, viciniſque adeo omnibus mandatur, vt Epiſcopis ſuppetias eant: iiſdem quoque, quod Albertum erga ſe malè animatum ſuſpicabatur, ac Nuribergenſibus Mauricius opem pollicetur. Albertus collectis copiis Epiſcoporum, Nuribergenſiúmque agros rapinis incendiiſque vaſtat: Bambergam, ac Schuinfurtum Imperij oppidum capit: Franconicæ nobilitati, niſi illi pareant, bellum denuntiat: quingentos Bohemos equites Nuribergenſibus auxilio venientes intercipit.

Iulij initio ad forum Francorum Palatinus, Moguntinus, Cæſaris, Ferdinandi, Bauari, Vittembergenſis legati ſuperioris belli ſedandi ergo conueniunt. Pacta à Cæſare reſciſſa vrgebant Epiſcopi: Albertus confirmata: ſeptemuiri Cæſaris legatos monent, vt à Cæſare diſcant, vtrum ratum eſſe velit. Reſpondet Cæſar ſe tempori ceſſiſſe, & maioris incommodi vitandi ergo pacta confirmaſſe: quod tum Albertus paratum exercitum, & Mansfeldius in Saxonia copias nouas cogeret, in ſua tum poteſtate non fuiſſe, quod bello Gallico impediretur, vt hominem coërceret. Et ſi Metenſis obſidio proſperè ſucceſſiſſet, abundè illi ſatisfacturum fuiſſe, quod egregiam ibi operam nauarit: & vt ſatisfaceret conuentum Hedelbergæ indixiſſe, vbi re infecta diſceſſum ſit: eadem de cauſa hunc indixiſſe conuentum. Quum autem nunc non Epiſcopis ſolùm, ſed & aliis bellum Albertus inferat, & ſuis ipſe promiſſis non ſtet (namque ea conditione ipſum in gratiam recepiſſe, quod ſibi, atque Imperio fidam in poſterum operam promitteret) non eſſe cur aliam à ſe declarationem expectent: aut igitur illos inter ſe concilient, ídque ſedulò curent, aut ſi iſtud aſſequi non poſſint, Imperij ſtatuta, ac leges ſequantur: in his enim quæ ad Imperium pertinent, nihil ſe, niſi de ipſorum conſilio facturum. Ex hoc quoque conuentu re infecta diſceſſum eſt: & Mauricius atque Albertus id temporis, hoc eſt, ſeptimo Idus Iulij infelici vtrique prælio ad Viſurgim fluuium decertarunt: nam Mauricius in ilia ſclopeti glande ictus biduo poſt interiit. Albertus ita fractus eſt, vt reparare poſtea vires, iuſtáſque copias cogere nequiuerit. Quatuor millia, qui fere omnes equites erant, cæſa produnt: penes Mauricium, qui equitatu præſtabat, victoria fuit. Carolus, ac Philippus Henrici Brunſuicenſis filij inter cæſos numerati ſunt: Alberto clam fauiſſe viſus eſt Cæſar, Mauricio apertè Ferdinandus, ad quem Bohemos equites quingentos miſerat: verum hi tardius è Bohemia profecti poſtridie eius pugnæ ad exercitum appulerunt: æquales erant Mauricius & Albertus, & tam ſibi inuicem familiares, vt vnicum in Germania par amicorum diceretur. Tribus bellis ſimul, Gallico, Smalcaldico, Magdeburgico pro Cæſare militarant: quartum aduerſus Cæſarem Henrico Rege ſocio aſcito geſſerunt: diuerſis ſtudiis diſtracta iuuenilis amicitia in hoc prælium erupit. Sepultus eſt Fribergi anno ſuæ ætatis ſecundo & triceſimo à ſuis multum deſideratus: ſtrenuus enim & prudens erat, & in omnibus actionibus humanitatem præ ſe ferebat: at Albertus latro famoſiſſimus Germaniæ vaſtator dici iure potuit. 28

Pugna ad Viſurgim fluuium Mauricio atque Alberto infelix.

De Mauricij morte Henricus Rex indoluiſſe fertur, quicum neſcio quid deintegro moliebatur. Ioannes Federicus Saxo belli à Mauricio aduerſus Cæſarem ſuſcepti occaſione vſus recuperandi ſeptemuiratus, amiſſarúmque poſſeſſionum ſpem conceperat: cóque nomine ante Mauricij mortem legatum, poſt mortem Ioannem Guilielmum filium ad Cæſarem miſerat: ſe quaſi læſæ Imperatoriæ Majeſtatis reum, quod arma aduerſus Cæſarem tulerit, ſeptemuiratu, bonáque patrimonij parte ſpoliatum: at Mauricium tanto accepto beneficio ingratum non ſolum arma aduerſus Cæſarem tuliſſe, verum etiam in patriam impium externum militem Gallo Rege ſocio aſcito in Germaniam immiſiſſe Imperij iure violato, cuius ſtatutis ac legibus id interdicitur. Hac iuris ſui fiducia fretus litteris & monetæ ſeptemuiri Electoris nomen, & binos tranſuerſos gladios ſeptemuiratus inſigne inſculpebat, & Gotham arcem permittente Cæſare muniebat. De his apud Saxoniæ ordines queſtus Mauricius, vt illi vtrumque ad reconciliationem hortarentur, in cauſa fuit: conuenerunt vtriuſque legati, & poſt multam diſceptationem re infecta abierunt. Mauricio vita functo nobilitas, atque ordines duodecim peditum cohortes, equitum alas quinque ad tuendam prouinciam retinuerunt, cæteras dimiſerunt. Mauricij frater Auguſtus cum vxore Daniæ Regis filia apud ſocerum in Dania erat: is Auguſto menſe ineunte in Saxoniam rediit, & ſuarum Prouinciarum ordines, atque inter eos Vittembergenſes in fidem adegit, vt ſcilicet ſe, liberóſque ſuos mares, & ſi nulli ſint, Ioannem Federicum, eiúſque liberos, ſi quidem ille Cæſari pareat, & pacta cum Cæſare facta quando captus fuit, ſeruet: ſin recuſet, Lantgrauium patronum agnoſcant. Deinde conuentum omnium ordinum Lipſiam indixit: 29

Electoratus inſigne bini tranſuerſi gladij.

indixit: ibi an fœdus cum Ferdinando, & principibus, Epiſcopiſque initum ratum habere, & ſe vice fratris ſocium addere, Albertúmque bello perſequi, aut ſi relinquendum erit fœdus, qui mortem fratris vlciſci debeat, poſtremo quibus rationibus cum Ioanne Federico paciſcatur, propoſuit. Ordines vt cum vtroque pacem ineat, Brandeburgenſémque ſeptemuirum quaſi arbitrum adhibeat, decreuerunt: tametſi Ferdinandus per Henricum Plauium Bohemiæ Cancellarium Auguſtum de fœdere vehementer ſollicitauerat.

30 Cæſar & Metenſis obſidionis ignominia, & recuperati à Gallis Hiſdini dolore accenſus exercitum veris initio comparat, ducem Roëſium Comitem deligit: Taroannam ſub Aprilis finem obſidere iubet. *Taroãna obſidio.* Ea vrbs Morinorum antiquiſſima non longo ambitu circumſcripta, anguſta potius, ſed egregiè munita ſi militum præſidio, & rebus ad propugnationem neceſſariis abundaſſet, paulò infra Liſæ fluminis, qui eamdem alluit, fonteis ſita octo à fano Odomari paſſuum millibus diſtat: Atrebatum oppidis, caſtelliſque ita cincta, vt ad importandum commeatum ſatis magno exercitu fere quotannis opus eſſet. Qua in obſidione quum Roëſius ſupra vires omnem diligentiam adhiberet, in morbum *Roëſij mors.* incidit, & paucis poſt diebus vita functus eſt: in cuius locum Cæſar Pontium Lalanium Benicurtum ſurrogauit. Taroannæ præfectura * * Tutauilla Villebo ſenectutem excuſans non ita dudum ſponte ceſſerat: huic Loſſus vir militaris ſucceſſerat. Quod ea obſidio præter ſpem acciderat, & rarum in vrbe præſidium erat, Henricus diligenter eidem ſubuenire cupiens Andream Montalambertanum Eſſeum, quo nomine notior eſt, & Landreſij obſidione, & Scotico bello clarum tum domi ex longa valetudine nondum ſatis confirmatum accerſit, vt eius legatus Taroannam tueatur: is cum quinquaginta cataphractis Gallico more numerandis, ducentis leuioribus equitibus, duabus peditum cohortibus per media hoſtium caſtra irrumpens vrbem iniit. Huic comitem Franciſcum filiorum natu maximum Mommorencius equitum magiſter dedit, vt ſub fortiſſimo duce militiæ rudimenta diſceret. Acceſſerunt nobiles adoleſcentes Martigianus, Dampetra, Pienus, Baudineus, aliíque nonnulli; & aliquantò poſt Grillus cum centum ſclopetariis equitibus. Poſt longam, vehementémque tormentorum fulminationem totos decem dies continuatam muris pleriſque locis humi proſtratis Benicurtus ſuos acrem impreſſionem facere iuſſit: qua in decem horas, & paulò amplius protracta quum Benicurtus cæſis, feſſis, vulneratis recenteis ſubinde milites ſubſidio mitteret, permulti ex hoſtibus, nonnulli ex noſtris, ſed qui plurimorum vice erat, Eſſeus cæſus eſt, cuius morte animi noſtris penitus conciderunt. Mommorencius adoleſcens, rerum bellicarum in primis rudis ſummum imperium ob patris authoritatem ſibi vendicauit: cui Loſſus eadem de cauſa ſeſe opponere auſus non eſt: in quem ſi quid aduerſi accideret, culpam collatum iri prouidebat. Ille animo fractus, & imperitia incertus nec videre quid facto opus eſſet, nec iubere in tempore ſciebat: adoleſcentium quos ſecum adduxerat, ſententias potius, quam Loſſi viri prudentis ſequebatur. Trecenti nihilominus pedites ſubſidio miſſi Breulio natione Burgundo ac Sanromano ductoribus poſt mortem Eſſei exiguum in ea perturbatione auxilium vrbem ingreſſi ſunt: omnes enim milites pariter, ac ciues Eſſeum cum lacrymis inclamantes, de Mommorencij induſtria, aut potius ignauia, imperitiáve non bene ſperabant.

31 Benicurtus nihilominus recentis militum iacturæ memor alteram impreſſionem inſtituere non auſus ad cuniculos ſe conuertit, eóſque in vrbem perduxit: quibus quum nec cæteris rebus neceſſariis Mommorencius prouideret, & fortaſſe Loſſus vir experiens Mommorencio parere dedignatus, & ſi quid præclarè gereretur, non ſuæ, ſed imperiti adoleſcentis gloriæ acceſſurum ratus non tam accuratè in fungendo ſuo munere laboraret, nec anticuniculi hoſtium cuniculis opponerentur, magna aggeris, muríque pars euerſa eſt, latúſque in vrbem aditus patefactus. Vnde conſternatus Mommorencius de deditione egit: de qua dum diſceptatur, Germani, Flandríque in vrbem duodecimo Kalen. Iulij irrumpunt, & nullo ſexus, ætatiſve diſcrimine habito omnes paſſim trucidant; donec Hiſpani Guiſanam humanitatem in Mediomatricibus experti carnificinæ modum fecerunt. Hanc vrbem quadrageſimo ante anno Maximilianus Imperator huius Cæſaris auus, atque Henricus Octauus Angliæ Rex præter primarium templum, & paucas ſacrorum miniſtrorum ædes Ludouico Duodecimo rerum potiente ſolo æquarant; *Taroãna capta à fundamentis euertitur.* quam aliquot poſt annis Franciſcus huius nominis Primus inſtaurarat: & latis muris, aggeribus, propugnaculis egregiè munierat: tum rebus ad propugnationem neceſſariis priuata, nec ſatis valido præſidio, & quod præcipuum fuit, præfecto experiente haud firmata in hoſtium poteſtatem venit: Cæſar vniuerſam à fundamentis euertit, Pontificatum aliò tranſtulit,

Digitized by Google

& nimis acerbo odio incenſus vt nullum vrbis veſtigium remaneret, effecit. Magnam de Taroanna capta Benicurtus laudem reportauit, cui Cæſariani aulici inuidentes ægrè parebant. Idcirco Emanuelem Allobrogem regulum Cæſar ad exercitum miſit, & vt Hiſdinum arcem longè infirmiorem oppugnaret, iuſſit; quam aliquot ante menſibus Vindocinenſis dedente Rocſio filio receperat: & tum an iterum muniretur in Regio conſilio magna altercatione diſceptatum fuerat. Viri militares tam anguſtam, & toties captam euertendam cenſebant: cæteri, quibus Metenſis obſidio animos inflarat vile quoduis caſtellum tuendum exiſtimabant: & Taroannam viuo Eſſeo capi non potuiſſe, Franciſci Mommorencij ſocordia captam vulgo ferebant. Hæc ſententia, vt imprudentium maior numerus eſſe ſolet, potior viſa eſt: dum Metis adhuc oppugnaretur, in Regis aula ſermones paſſim circumferebantur, ſi quis quid aduerſus Hiſdinum moliretur, Robertum Marchianum Bullionium regulum Mareſchallum pro arce propugnaturum. Hic Roberti aui viri fortiſſimi præter nomen nihil retinebat, ad pocula magis, quam ad exercendam militiam natus. Patrem habuerat Florengium Mareſchallum, qui Peronam aduerſus Cæſarianum exercitum egregiè defenderat: vt fortitudinem quaſi hæreditariam in ſua familia continuaret, Diana Pictauienſis eius ſocrus, quæ ſola plus, quàm cuncti familiares apud Henricum poterat, in primis auebat: & aulicos viros acres, vt eamdem fortunam periclitarentur, incitabat: qui rerum bellicarum minus periti erant, aut arcem vulgari duntaxat fama, non reipſa nouerant, illi paruerunt.

Viri prudentiores aliam functionem bellicam ſequuti ſunt; oppidum debile hoſti noſtri reliquerunt, arcem defendendam ſuſceperunt, quæ tormentis fulminata magnas ſtatim edidit ruinas: ad quas, quod multum anguſta erat, nemo, niſi ſummo cum ſuo diſcrimine ſe hoſtibus in conſpectum daret, accedere poterat. Hinc Horatius Farneſius Caſtrienſis regulus, qui nuper Dianam Henrici filiam notham vxorem duxerat, ac plerique alij viri fortes tormentis diſcerpti perierunt: nec ſolum tormentis, ſed & cuniculis, vt paulò ante ad Taroannam, Cæſariani rem gerebant; quibus nemo ſeſe opponebat: Bullionius enim rerum bellicarum ignarus, multos quidem viros ſtrenuos ſecum adduxerat, nullos autem in vrbium propugnationibus exercitatos. Itaque quum ignis cuniculis admotus magnam aggeris, murique partem cum propugnatoribus euertiſſet, atque abſorbuiſſet, de deditione attonitus agere cœpit: nec interim arcis cuſtodiæ diligenter prouidit recenti Taroannæ exemplo admonitus. Cæſariani occaſione vſi in arcem decimoquinto Kalend. Auguſti inuaſerunt. Bullionius, Martigianus, qui tamen biduo poſt interiit, Villarius, Rio arcis præfectus, Culanus Baro (quem alij Culentium vocant) Matigno, ac plerique alij viri illuſtres capti ſunt. Allobrox ſaniore, quam noſtri conſilio vſus toties captæ arcis reliquias penitus euertit: nec procul inde aliam poſtea Cæſariani commodiore loco extruxerunt: cui vici nomen Meſnilum reliquerunt. Nihil præterea Allobrox aggreſſus eſt, quòd iam ſatis magnas copias Henricus in armis haberet, & longè maiores expectaret: quas idcirco tardius aduocarat, quod Taroannam Hiſdinenſémque arcem obſidionem diutius toleraturas ſperarat. Interim Mommorencius equitum magiſter cum iis, quæ coierant, Ambianum præmiſſus: Heluetij ac Rhœti tardius accerſiti ad exercitum ſub finem Auguſti duntaxat acceſſerunt. Idibus Auguſti Mommorencius equitum magiſter quatuor peditum cohortes, ducentos leuiores equites Somonam fluuium traiicere iuſſit; quibus Cæſariani quatuor equitum turmas obuiam miſerunt. Fortè illo ipſo die Mommorencius ad illorum caſtra progredi ſtatuerat, & Paulum Baptiſtam cum quinquaginta equitibus hoſteis exploraturum præmiſerat. Nemorenſis regulus cum tribus centenariis leuiorum equitum alis in ſilua ad Authiam fluuium in inſidiis collocatus erat; ad dextram cum totidem alis Condeus, à quibus Sanſacus cum quinque eorumdem equitum non longè aberat. Sanctandreanus Mareſchallus cum quingentis cataphractis equitibus interiectis mille paſſibus ſuccedebat: poſtremus cum quatuor equitum millibus, viginti partim Gallorum, partim Germanorum cohortibus, quatuor campeſtribus tormentis Mommorencius incedebat. Cæſariani horum omnium ignari & noſtrum leuem equitatum à tergo relinquentes Sanctandreano appropinquarunt, quorum trecenti vſque ad Mommorencium peruenerunt: in alios Sanſacus inuectus ſuperuenientibus mille equitibus in Sanctandreanum repulſus eſt. Sed poſtquam ab altera parte Sanctandreanus, ab altera Condeus in illos impetum fecerunt, protinus ſine vllo conflictu ſe in fugam dederunt: ſexcentos cæſos, captos quingentos, inter quos Ariſcotiæ regulus fuit, tradunt: is Vincennas caſtellum ad Lutetiam deductus, mox præſidij negligentia cum Erneſto Mansfeldio ante in obſidione Iuoij capto elapſus eſt.

Hiſdinenſis arcis expugnatio.

Dux Ariſcotiæ captus.

32

Cæſariani

33 Cæſariani inde perterrefacti incenſis aliquot vicis, & Bapalmæ decem peditum cohortibus præſidio impoſitis (hanc enim Gallos primum oppugnaturos exiſtimabant) quod multi dilapſi erant, ad Atrebates retroceſſerunt: iam enim noſter exercitus ad Corbiam, ſed tardius conuenerat. Henricus, quæ noſtrorum Regum negligentia eſt, Metenſi obſidione elatior in celebrandis Dianæ nothæ filiæ cum Horatio Farneſio nuptiis bonam veris partem conſumpſerat, & conuiuiis, equitum certaminibus, aliſque huiuſmodi oblectamentis impenderat: quo cum hoſte ſibi res eſſet, non ſatis prudenter meditatus: & Mommorencius, qui ob ſui magiſtratus authoritatem ſibi omnem exercitus curam vendicabat, nec cum vllo eam communicabat, natura cunctator, præſertim in rebus bellicis, quibus exercendis ſe minus aptum agnoſcebat, in eo cogendo negligentior fuit. Kalen. Septembris Henricus exercitum recenſuit: Mommorencius equitum magiſter cum Vindocinenſi, Anguiano eius fratre, Niuernenſi, Mompenſerio in prima acie erat. Hi quatuor reguli ſuam ſinguli turmam equitum ſub ſe habebant, quæ ducentis cataphractis equitibus noſtro more numerandis conſtabat. Gallorum peditum quadraginta nouem cohortibus, quæ circiter quindecim millia conficiebant, Caſtilio Amyralius, ac peditum tribunus præerat: Germanorum viginti, quæ decem millia implebant, Ringrauius ac Riſebergus. Accedebant Scotorum quatuor, Anglorum duæ cohortes, quæ mille quingentos: Sanſacus leuiorum equitum præfectus bis mille ducebat, inter quos quadringenti Angli numerabantur: viris nobilibus qui fundorum ſuorum nomine militabant (Bannum & Retrobannum vulgo appellant) & ad tria equitum millia erant * * Ialla præerat: pauci ſclopetarij equites reperiebantur, quod Henricus ſingulis cataphractorum alis centenariis quinquaginta ſclopetarios equites, quinquagenariis quinque & viginti recenti edicto attribuerat: quum ſclopetarios dico, eos qui longis ſclopetis vtuntur, intelligo: aliter quàm de Germanis loqui ſolemus. In ſecunda cum Rege, cuius nomine hanc aciem Guiſanus adminiſtrabat, Ferrarienſis, Rochaſurio, Sanctandreanus Mareſchallus ſuas ſinguli equitum turmas ſuperioribus numero pares ducebant. Aderant Gonsfierius Boëſius ſummus Regiorum equorum magiſter, ac Querquinus Canaplius Prætorianorum equitum, quos ducentos nobiles vocant, præfecti: aderant & Prætorianorum hippotoxotarum alæ quatuor, tum vero magna virorum nobilium illuſtrium multitudo, qui vt ſuæ fortitudinis inſigne ſpecimen ederent, ſponte ad Regem acceſſerant. Hic etiam Heluetiorum ac Rhætorum triginta cohortes ſuos ordines præter cæteros egregiè obſeruabant.

Gallorum ad inuadendum Belgium proficiſcentium exercitus.

34 Sed poſtquam terram hoſtilem ingreſſi ſunt, multi tam equites, quàm pedites ex priore in hanc, & ex hac in priorem aciem tranſlati ſunt: tormenta tam muralia, quàm campeſtria circiter centum, vt in vtramque aciem ex equo diſtribuerentur * * Streus tormentorum magiſter prouiderat. Quarto Nonas ad Miralmontem quatuor paſſuum millibus Bapalma diſtantem noſter exercitus caſtra poſuit: poſtridie Mommorencius cum quinque equitum, totidem Gallorum peditum millibus Bapalmam inuiſit: nec propter denſam tormentariarum pilarum ex oppido emiſſarum grandinem intra earum iactum accedere potuit: qui propius pauci numero acceſſerunt, aggeres pone muros ex arena, non ex argilloſa humo congeſtos ex muri parte qui collapſus erat, tormentis facilè ceſſuros iudicarunt: verum ne ibi conſiſtere exercitus poſſet, aquæ penuria faciebat: puteos pleriſque locis fodiendos curauit Mommorencius, nullam tamen reperit. At ſtatim poſtquam noſter exercitus inde digreſſus eſt, totum diem, ac noctem continuantes denſæ pluuiæ ita itinera molliuerunt, vt neque pedites incedere, neque tormẽta, niſi ſumma cum difficultate trahi poſſent: neque tamẽ Bapalmam verſus Mommorencius redeundum exiſtimauit: Cæſarianus exercitus à noſtri latere interiectis duodecim paſſuũ millibus incedebat, nec noſtrum excurſionibus multũ laceſſebat, à populationibus duntaxat arcebat: Cameracum (Samarobrinam antiqui vocabant, vt ſupra annotaui) inde noſter exercitus contendit. Rex Cameracenſes, vt antiquæ libertatis memores Hiſpanicum iugum excuterent, vt illos in priſtinam libertatem aſſerat, adeſſe monuit: proinde viderent, vt ſe amicum, & libertatis authorem in vrbem admitterent. Illi biduum ad reſpondendum poſtularunt: interim, qui Cæſarianæ factionis erant, Cæſarem qui tum Bruxellis agebat, Regij poſtulati certiorem fecerunt: Cæſar præſidium augeri, exercitúmque ſuum, qui quotidie augebatur, Cameracenſibus ſuppetias ire iuſſit. Finito biduo Cameracenſes Cæſarianum præſidium ex inopinato in vrbem irrupiſſe, ſe iam non ſui iuris eſſe, nec Regi ſatisfacere poſſe reſpondent. Hinc illos hoſteis Mommorencius iudicauit; & eodem die, qui ſextus Idus fuit, cum firmo equitatu, & decem Gallorum peditum cohortibus ad vrbem acceſſit. Cui obuiam, ſed non vltra tormenti iactum niſi pauci prodierunt; & tam ex arce, quàm ex vrbe tormenta diſploſa nonnullos ex noſtris peremerunt.

Cameracẽſes Regẽ in vrbem admittere recuſant.

Qui

Digitized by Google

Qui propius acceſſerunt, aut vrbem ante viderant, vaſtam, & antiquo more non propugnaculis ſeſe reſpectantibus, nec aduerſus tormentorum impetum extructis munitam, facilè capi poſſe exiſtimabant; nec de arce deſperabant: ſed firmum præſidium nuper immiſſum, & vicinus Cæſarianus exercitus multum auctus, & tempus ad pluuias, atque hyemem inclinans, quæ in Septemtrionalibus illis regionibus maturius accedere ſolet, ne Rex vrbem oppugnaret, verum oppugnare ſimularet, effecerunt: donec totus ager populationibus incendiiſque vaſtaretur; in quo par pari Cæſarianis retulit, qui idem in Campania, Picardiáque patrarant. Hunc bellandi morem antea fere inter Chriſtianos incognitum Maria Hungariæ Regina Burgundicarum prouinciarũ adminiſtratrix, vt Regem è Germania reuocaret, prima intulit, & bonam Campaniæ partẽ quaſi in ſolitudinem redegit. Inde Cambreſium Henricus iter intendit, & ad Pontificiam domum magnificentiſſimã oppido vicinam diuertit, nec vt ea dirueretur, aut incenderetur, ſed ne quicquam inde exportaretur, permiſit: tametſi Epiſcopus Roëſij Comitis, qui nuper multa oppida, vicóſque in Picardia incenderat, propinquus erat. Mox ſub Queſnoio Galli pertranſeuntes quatuor paſſuum millibus à Valentiano, ad quam vrbem Cæſarianus exercitus ſe foſſa, vallóque ſepſerat, caſtra fecerunt: poſtridie qui decimusquintus Kalend. Octobris fuit, relictis ibi impedimentis cum valido præſidio omnis noſter exercitus Valentianum verſus inceſſit. Inter eundum captus eſt mercator, aut mercatoris habitum mentitus Flander, quem noſtri exploratorem eſſe iudicarunt. Is ad Mommorencium deductus Cæſarianos iam Scaldim fluuium, qui Valentiano defluens Cameracum alluit, traieciſſe, & ad prælium faciendum accedere renuntiauit. Galli in ſuos ordines redacti ad excipiendum hoſtem ſe compararunt, & gradu militari incedentes Cæſarianis caſtris appropinquarunt. Cæſariani plerique tam equites, quàm pedites in caſtris vicino colle, qui ea ab illa parte quodam modo tegebat, conſtiterunt; & inde in noſtros nonnullos è ſuis emiſerunt: maius agmen nunquam à colle diſceſſit. Vbi treis circiter horas leuibus, & quaſi velitaribus præliis certatum fuiſſet, Mommorencius noctem inſtare animaduertens leuiorem equitatum in collem conſcendere, & maius illud agmen adoriri iuſſit: quos alacriter noſtri aggreſſi ad ſuorum caſtrorum foſſas vſque repulerunt. E caſtris tormenta exonerata plures è noſtris, quàm in conflictu cæſi fuiſſent, peremerunt. Cæſorum numerum tam equitum, quàm peditum noſtri ad centum reduxerunt. 35

Quum Cæſariani ad prælium egredi recuſarent noſtri receptui cecinerunt, & Cambreſium reuerterunt, quod cum Pontificia domo integrum inuiolatúmque reliquerunt: commeatum duntaxat, ne hoſtibus vſui eſſet, exportarunt. Hinc profecti ad Somonæ fonteis quatuor à fano Quintini paſſuum millibus conſederunt, vbi bona pars exercitus, & inter eos Heluetij, Rhætique dimiſſi ſunt: cæteri partim in hyberna, partim ad ferro, flammáque vaſtandum Pontiuienſem Comitatum, quo Pauli fanum, Hiſdinúmque continentur, cum Sanctandreano Mareſchallo abierunt. Deinde Germani ad Auchium oppidum in Morinis, quam Regionem Henricus Ringrauio condonarat, hybernarunt. Ita tantus exercitus propemodum inutilis fuit, aut ſaltem nullum maius operæpretium fecit: qui ſi maturè coiiſſet, Taroannam, Hiſdinúmque conſeruaſſet, & inflatos adhuc Cæſarianorum ſpiritus arctiſſimè compreſſiſſet, nec multò maiores impenſas feciſſet: ea Mommorencij equitum magiſtri, in quo Henricus multum ſua opinione deceptus rerum bellicarũ ſummam collocabat, negligentia fuit. Nec minùs in Italia quàm in Belgica bellum gerebatur: hoc anno ineunte Petrus Toletanus Neapolis Prorex cum exercitu in Senenſem agrum ingreſſus Florentiam adiit, quod eius filiam Eleonoram Coſmus Florentinus regulus in matrimonio habebat, ibíque morbo correptus moritur, in cuius locum Garſias eius filius ſucceſſit: ſed antequam ad exercitum accederet, Romam vt Iulium Pontificem adoraret, diuertit, vrbem Hiſpanica oſtentatione ingreſſus: centum enim comites fuſco holoſerico, centum albo, centum croceo indutos ad deoſculandos Iulij pedes ſecum duxit: inde ad exercitum profectus quatuor peditum millia Ferdinando Gonzaga mittente, qui tum fanum Damiani oppugnabat, accepit: nec multo poſt bis mille pedites Hiſpani Neapoli Liburnum tranſmiſſi ſeſe illi adiunxerunt. Aſcanius Corneus cum tribus peditum millibus Peruſiæ erat, & Senenſes commeatu prohibebat: Cæſariani coactis ſimul copiis, & pleriſque oppidis captis Monticellum cui Antonius Balconus præerat, circiter Idus Martij circumſederunt, atque altero & viceſimo die ceperunt multis cæſis, cæteris captis. Direpto oppido ad montem Alcinoi progreſſi ſunt; quem Iordanes Vrſinus, Moretus Calaber, Camillus Martinengus inſederant. Hi pleriſque excurſionibus Cæſarianos laceſſebant, in quarum vna Calaber adoleſcentem, qui Garſiæ ab epiſtolis erat, cepit. Is Iulium Saluum Senarum præfectum atque eius fratrem Senenſes de prodenda vrbe cum Garſia egiſſe indicauit.

Belli Senenſis progreſſus.

Digitized by Google

indicauit. Proditione detecta, & quod claſſis Turcica iam ad Siciliæ, regnique Neapolitani littora appropinquabat, Garſias exercitum Neapolim reduxit: proditionis indicem in carcerem Ferrarienſis Cardinalis condi iuſſit, quem Thermeus illo inuito liberauit: hinc Ferrarienſis ipſe Gallis in poſterum ſuſpectus fuit.

37 Quum Garſiæ diſceſſu bellum Senenſe refrixiſſet, Henricus bonam copiarum partem, quas illic habebat, in Corſicam tranſportari iuſſit. Thermeus Regis in Italia legatus rebus Senis, quoad potuit, bene conſtitutis, & vndecim Italorum cohortibus quibus Sommæus regulus, ſex Gallorum, quibus Vallero præerat, paucis equitibus nauibus impoſitis ſub Augusti finem noctu Baſtiam appulit: die illuceſcente oppidum cepit: poſtridie Florentianum inde nouem paſſuum millibus diſtans oppugnat, expugnatum ob portus commoditatem diligenter munit. Petrum Corſum Glaſſam mittit, quam is vi captam militibus diripiendam permittit: interim Bonifacium (Portum Syracuſanum olim vocabant) firmiſſimum Corſicæ oppidum Dragutus Raius claſſis Turcicæ præfectus oppugnauit: & Nazio peditum præfecto homine Gallo, quem illi Thermeus comitem dederat, interprete deditione cepit, atque hyeme inſtante Conſtantinopolim reuerſus eſt. Qui Franciſco Primo rerum potiente Turcicam ſocietatem execrabantur, probriſque omnibus inceſſebant, iidem mox Henrico filio familiares, & conſiliarij eiuſdem continuandæ authores fuerunt: ita cæcas hominum menteis in tranſuerſum agit ambitio, & à recto virtutis tramite dimouet. Paulinus, vel Polinus (vulgo Gardenſem Baronem appellant) Caluium toto Septembri, Octobrique oppugnauit: mox Andrea Auria cum decem peditum millibus, quadringentis equitibus, quos triremibus tranſportarat, appropinquante repente obſidionem ſoluit, & per loca auia, & inacceſſa ad Thermei caſtra confugit. Auria Florentianum Nouembri menſe circumſedit; quod poſt trimeſtrem obſidionem commeatus penuria Iordanes Vrſinus, vt liberè cum ſuis militibus exiret, pactus dedidit. Bernardinum Auria excepit, qui nocte, quæ deditionis diem præceſſit, cum triginta è ſuis per media hoſtium caſtra irrumpens ad Thermei caſtra ad Petrianum vicum ſex à Florentiano paſſuum millibus poſita incolumis euaſit. Auria Florentiano capto exercituque ſuo vel cædibus, vel morbis ob rigidiſſimam hyemem valde imminuto Genuam rediit: Thermeus Glaſſam hyematurus abiit. Pridie Nonas Iulij Eduardus Sextus Angliæ Rex, qui nondum decimumſextum ſuæ ætatis annum impleuerat, tabifico veneno Northumbriæ vel Northumbelliæ reguli opera adminiſtrato (vt rumor fuit) ſublatus eſt, quo Ianuario menſe ante laborare cœperat. Quum extrema valetudine eſſet hortante eodem Northumbriano vel Northumbelliano (vtroque enim nomine & regio, & regulus à variis hiſtoricis vocantur) qui plurimum Eduardo Semero Somerſetenſi regulo Regis auunculo cæſo in Anglia poterat, Mariam Suſfolciam Henrici ex ſorore proneptem teſtamento regni hæredem relinquit; tametſi Mariam & Elizabetam ſorores Henricus pater illi ſubſtituerat: ſed quod iam pubes eſſet, ſe poſſe teſtari, & regno prouidere dicebat; præſertim quod de ſororum natalibus non leuis dubitatio eſſet, quod cum cæteri conſiliarij, atque optimates, & Londinenſis conſul probarunt.

Henricus copias ſuas in Corſicam tranſire iubet.

Florentianum deditione captum.

Eduardus VI. Angliæ Rex veneno extinguitur.

38 Quarto poſt Eduardi mortem die Suſfolcia, & quidem inuita Regina pronuntiatur, & quemadmodum Eduardus Mariam, & Elizabetam ſorores exhæredauerit de ſcripto recitatur. Tulerunt id iniquè viri nobiles ſimul, & populus non ſolùm Mariæ ſtudio, verum etiam Northumbriani de morte Regis ſuſpecti odio, qui hoc tetro facinore regnum in ſuam familiam tranſtuliſſet, & legitimas hæredes ſua ſucceſſione defraudaſſet: nam Guilphordus Dudleus eius filius Mariam Suſfolciam vxorem duxerat. Maria interim in Nortfolciam ad caſtellum Framingam confugit, & opem à ſuæ factionis optimatibus, & Cæſare implorat. Cæſar è Flandria auxilia mittit, licet claſſis, Northumbriani mandato vt tranſitu prohiberet, traiicientes obſeruaret. Northumbrianus vt Mariam comprehendat cum his quas pro breui temporis ſpatio cogere potuit, copiis Londino egreditur: Suſfolcium cum filia Londini relinquit. Northumbriano egreſſo optimates, qui omnium ordinum odium aduerſus illum intelligebant, & multos ad Mariam confluxiſſe, Cæſariſque auxilia appropinquare audiebant, mutata ſententia Mariam Reginam eligunt, Suſfolciam in cuſtodiam tradunt. Qui rumor vbi ad Northumbriana caſtra peruenit fere omnes ab illo deficiunt; quinetiam Cantabrigiæ captum octauo Kalend. Auguſti Londinum adducunt: capti ſunt & tres eius liberi, ac frater, & aliquot alij proceres. Maria paucis poſt diebus Londinum acceſſit: Norfolciæ regulum fere ſeptem annos in cuſtodia habitum, quo illum ſibi ſuſpectum Henricus moribundus Suria filio ſecuri percuſſo amandauerat: Vintonienſem item, quem poſtea Cancellarium deſignauit, quamuis Catharinæ matris Henrico rerum potiente matrimonium damnaſſet, ac Dunelmenſem Pontifices liberat: vndecimo Kalen. Septembris Northumbrianus nulla de veneno Regi dato habita quæſtione capite mulctatur: Kalendis Septembris Maria ſolemnibus

Contentio de regno Angliæ.

Digitized by Google

Mariæ Angliæ Regina inauguratur.

ſolemnibus ceremoniis Regina inauguratur: nam menſe Februario anno huius ſæculi decimoſexto in lucem edita erat: poſtquam decem dies de Anglorum Regum more in Londinenſi turre, id eſt, arce peregiſſet: aliquot poſt eius inaugurationem diebus conuentus Londini agitur, in quo Catharinæ Arragoniæ cum Henrico Octauo Angliæ Rege ratum matrimonium habetur, diuortium cum eadem factum irritum pronuntiatur. Mariæ cui velit nubere Anglo, an externo optio datur: eius matrimonium cum Philippo filio impenſè Cæſar ambiebat quo ſe & pecunia & milite inſtructiorem aduerſus Gallum redderet, & poſtea Reginaldi Poli Cardinalis opera in eo conciliando plurimùm vſus eſt; tametſi eundem ad ſe accedentem in Germania ſubſiſtere voluerat, ne fortè matrimonij initiis & Anglus, & Mariæ cognatus obſtaret, vt quidam ſuſpicati ſunt; perfecítque tandem, vt Edmundano Comite Philippi procuratore anno ſequente in Britanniam miſſo ſponſalia celebrarentur multis Anglis proceribus repugnantibus: vnde ſeditiones, & nonnullæ aduerſus Reginam coniurationes exortæ fuerunt; quæ mox ſuo loco explicabuntur. Imperij ordinum conuentus Auguſtam ad Idus Auguſti indictus, inde ad Octobris Kalend. mox in menſem Ianuarium ſequentis anni prorogatur.

Conuentus Imperij ordinũ ad Augustam celebratur.

39 Mauricio vita functo Henricus Brunſuicenſis cum Erico propinquo, quicum bellum geſſerat, vt res ſuas in tuto collocaret, tranſegit; atque Epiſcoporum Nuribergenſiúmque pecunia exercitum coëgit. Fecit idem Albertus: verum vnde illi pecunia ſubminiſtraretur, incertum fuit; idque multis mirum in primis videbatur. Pridie Idus Septembris Brunſuico copias ſuas Albertus eduxit: non procul ab vrbe in hoſtem incidit manus conſerere coactus. Profligatus, at non incruenta victoria Brunſuicum rediit: nec ibi diu moratus (obſidionem enim timebat) in Turingiam ad nouas copias colligendas properauit: interim Hofium eius oppidum Henricus Plauius Bohemiæ Cancellarius ceperat, cohortémque vnam cum maioribus tormentis ibi reliquerat: milites ad portas negligentius cuſtodias agenteis paucis poſt diebus Albertus intercepit, ac fudit, vnáque oppidum ingreſſus eſt, & oppidanis adiuuantibus fere omnes trucidauit. Henricus Vmariam conceſſerat, vbi Ioanni Federico Saxoni reconciliatus eſt: vnde Lichtefelſum Bambergenſis ditionis oppidum nouem Alberti cohortibus inſeſſum, & ab Henrico Plauio circumſeſſum petit, ac cum ſociis coniungitur. Alberti milites quarto Idus Nouembris deditionem faciunt, duces captiui retinentur, milites inermes, & ſine ſignis dimittuntur. Hinc Colembacum ſimul contenderunt: oppidani omnem ſupellectilem ad arcem Alberti munitiſſimam Blaſſemburgum aſportarunt, atque illuc incenſo oppido confugerunt. Henricus Brunſuicenſis Plauio ad Blaſſemburgi oppugnationem relicto Schuinfurtum ad Mœni ripam ſitum oppidum valido Alberti præſidio firmatum acceſſit: ſed quod omnem totius viciniæ commeatum Albertus in oppidum comportaſſet, propinquáque ædificia incendiſſet rigida hyeme infeſtante, nulla re tentata domum redire coactus eſt. Kalendis eiuſdem menſis Albertum Germaniæ perturbatorem, vaſtatorémque Senatus Spirenſis proſcripſerat; eiúſque vitam, ac fortunas primum inuadenti addixerat, & finitimis Imperij prouinciis, vt ſuum decretum exequantur, mandauerat. Albertus ad Cæſarem vt proſcriptionem aboleat, ſcripſit: Cæſar vt iuris adminiſtrationem impediat, aut euertat ſibi haud fas eſſe reſpondit; & anno proximo Aprili menſe à Senatu Spirenſi proſcriptum diplomate Bruxellis ſcripto iterum proſcripſit; & vt principes omnes, Imperiíque ordines præſertim finitimi decretum exequantur, mandauit. Eodem menſe Albertus acceptis ſexaginta nummûm aureorum millibus Aumallium regulum liberauit, & conductis in Saxonia copiis Maio menſe Schuinfurtum, qua regione non circumſedebatur, ingreſſus biduo poſt oppido direpto commeatus inopia coactus octingentos, quos ſecum adduxerat, equites, octodecim peditum cohortes cum tormentis noctu educit, & Kitzingum infra ad Mœnum quoque ſitum oppidum contendit magna obſeſſorum negligentia, qui neque ingredientem, neque egredientem obſeruarint. Henricus Plauius exercitus dux paulò ante è viuis exceſſerat: perſequuti nihilominus fugientem, ac tormentis tranſportandis retardatum aſſequuti ſunt. Is quum ſe hoſtibus imparem videret, ſuos, vt ſibi priuatim conſulerent hortatus impedimentis omnibus amiſſis cum paucis enando fluuium traiecit, & Kitzingum euaſit: octauo poſt die Blaſſemburgum deditione captum amiſit omni ditione ſpoliatus: vnde in Lotharingiam, mox in Galliam Rege permittente confugit.

Solymanus Mustapha filiorum natu maximũ corã se in tentorio trucidari iubet.

40 Hæc quamquam anno proximo geſta ſunt, tamen vt continentem hiſtoriam ſub oculos ponerem hic attexenda exiſtimaui. Hoc anno Solymanus Muſtapham filiorum natu maximum in caſtra acceſſitum coram ſe in tentorio trucidari iuſſit: adoleſcens cum matre Amaſiam Syriæ, quæ illi condonata erat, miſſus fuerat, & tam diligenter educatus, vt non ſolùm apud eius prouinciæ milites, verum etiam apud cæteras omneis Solymani prouincias magnum ſibi nomen fortitudinis, induſtriæ, liberalitatis compararet. Rozolana deinde, quæ

in matris

Digitized by Google

in matris eius locum ſucceſſerat, forma præſtantiſſima concubina. Solymanus vſus eſt. Hæc tantum ſuis illecebris ſummo Mahometanæ ſuperſtitionis Pontifice conniuente profecit, vt non ſolum libertate donaretur, ſed & iuſtæ vxoris locum teneret, in quem gradum nulla ante ipſam peruenerat. Addidit & aliud: Iudæam tum celebrem magam acceſſiuit, quæ carminibus ſuis, & philtris amatoriis ita Solymanum inſano Rozollanæ amore inflammauit, vt totus ab ea penderet, nihil omnino denegaret: ita viri compos ad maiora aſpirare cœpit, & Turcicum Imperium liberis ſuis hæreditarium reddere molita eſt, quod niſi Muſtapha cæſo ſe aſſequi poſſe diffidebat; cuius virtus, atque induſtria per omneis exercitus celebris non obſcurum ad paterni Imperij ſucceſſionem aditum præparabat. Iam Hebraimum Baſſam Solymano chariſſimum, quod Muſtaphæ nimis faueret, Solymano ipſo authore eodem Mahometano Pontifice perſuadente de medio tollendum curarat: quum enim ſe Hebraimo ſacroſancto iureiurando deuinxiſſe Solymanus diceret, ne quicquam grauius in illius vitam committeret, & ſe ab eius cæde religione prohiberi confirmaret, corruptus ab eadem Pontifex dormienteis non in viuorum, ſed in mortuorum numero eſſe reſpondit. Si dormienti guttur abſcindi iubeat, neque periurio, neque vlla religione ipſum teneri: hinc dormienti Hebraimo guttur abſciſſum ferunt. Id ante de Baſſa Solymano chariſſimo aſſequuta, de filio quoque idem ſe aſſequuturam ſperans per Roſtanem generum Baſſam qui moderandæ Muſtaphæ adoleſcentiæ præerat, multis donis, promiſsíſque pellectum ſubornat, vt Muſtapham Regis Perſarum filiam in matrimonium ambire, & Perſas in Syriam arceſſere ad Solymanum ſcriberet. Id quamquam falſiſſimum erat, tamen Roſtane Muſtaphæ perfidiam, ambitionem, & conceptum in patrem odium exaggerante nimis credulus ſenex Selimi patris impium facinus memoria recolens confiсто mendacio fidem adhibuit, Roſtanémque delatorem cum magno exercitu in Syriam anno ſuperiore miſit quaſi Perſis in eam prouinciam irrupturis obuiam prodiret, reipſa vt vel Muſtapham captum Conſtantinopolim adduceret, vel repugnantem trucidaret.

Rozollanæ mortis Muſtaphæ cauſa.

Quo dolo eſt Roſtane genero ſuo vſa.

41 Quorum certior factus Muſtapha quum Perſæ domo pedem non efferrent, cum ſeptem equitum millibus Roſtani obuiam proceſſit. Attonitus Roſtanes retro pedem retulit, & ad Solymanum rediit: hinc magis irritatus Solymanus, quod aduerſum ſe filius arma ſumpſiſſe videretur. Roſtane Muſtaphæ rebellionem vehementer inſectante Syriacam expeditionem ſuſcepit quaſi Perſas bello perſequuturus, re vera quod Roſtanes gener auſus non erat, patraturus: quotidianis enim Rozollanæ querimonis, ac lacrymis, Roſtaníſque acribus adhortationibus, qui ſibi multum ob ſuſceptam anno ſuperiore expeditionem timebat, incitabatur, vt ſe, cæterámque ſuam familiam (vt falsò commiſcebantur) à præſenti exitio liberaret. Appulſus in Syriam Muſtapham ad ſua caſtra arceſſit: ille tametſi patrem falſis delationibus deceptum ſibi vehementer iratum ſciebat, & à familiaribus, vt eius indignationem declinaret, alióque ſecederet, admonebatur, tamen ſua innocentia fretus, vt patri vocanti pareret potius, vel mortem ſubiturus, quam veluti fugiens aliquam proditionis notam ſibi inureret, dignum ſua exiſtimatione iudicauit. Patris tentorium ingreſſus, & vt patrem adoraret, acinacem ponere iuſſus in eius conſpectu ſtrangulatus eſt. Baſſa quoque qui falſum de Muſtapha Solymano indicium fecerat, capite mulctatus dignum ſua proditione præmium conſequutus eſt. Giangirus, ſiue Ziangirus Gibber, vbi mortem fratris accepit, dona quæ de Muſtaphæ ſpoliis pater ad illum miſerat fortiter, ac ſumma cum indignatione reiecit; & in acres
„ querimonias prorumpens: [O immaniſſime parricida (inquit) neque enim iam te patris
„ nomine dignabor, quid autem refert an filius patrem, an pater filium perimat? Accipe tu
„ ipſe theſauros, equos, cæterámque ſupellectilem, prouinciam etiam fortiſſimi Muſtaphæ,
„ eáque vt voles vtere. Etiámne in animum tuum inducere potuiſti, vt talem filium Otho-
„ manicæ familiæ vnicũ decus, qualem in eadem alterum nunquam futura ſæcula videbunt,
„ in tuo conſpectu crudeliter trucidari iuberes? Ego verò Gibber, nec tantis, vt Muſtapha, na-
„ turæ dotibus præditus ne idem exemplum in me edas, alacriter prouidebo.] Nec plura effatus in gladium incubuit, & ex vulnere reuolutus ſupinus expirauit. Id vbi reſciuit Solymanus filium vehementer luxit: nec minus tamen (ea barbarorum auaritia eſt) eiuſdem ſupellectilem, cæteráque bona omnia rapuit. At in Muſtaphæ exercitu morte eius cognita tumultus ingens excitatus eſt, longè verò maior in ipſius Solymani caſtris exarſit: vnde ille in magnum vitæ diſcrimen incurrit, & Roſtanem omnibus honoratis muneribus ſpoliare, atque à ſuo comitatu amandare coactus eſt. Muſtapham Turcæ diu luxerunt, & hoc inter ſe velut prouerbium ſæpiſſime iterarunt: ACTVM EST, QVANDO-

Giangirus acerrimè in patrem Solymanũ inuehitur, quod fratrem Muſtapham extingui iuſſerit.

Diſteriũ poſt mortẽ Muſtaphæ inter Turcas iactitari ſolitum.

QVIDEM ILLE MORTVVS EST: perinde ac ſi dicerent: Res maximas nobis gerendas propoſueramus, at noſtræ illæ magnificæ cogitationes illius morte penitus conciderunt. Muſtaphæ mors nihilominus Chriſtianis opportuniſſimè accidit, in quos ille vehemens, & irreconciliabile odium conceperat. Quoniam magna pecunia ad imminens cum Cæſare bellum opus erat, multi noui magiſtratus (quæ vulgo officia appellant) ſub huius anni finem inſtituti ſcribarum in ſingulis Senatibus: item eorum, qui quæ ad ſacerdotia pertinent, in tabulas referrent. Coactorum fiſcalium etiam numerus auctus: quam cogendæ pecuniæ rationem Henrici poſteri ita auxerunt, vt nullam antiqui ciuilis ſtatus faciem reliquerint.

Anno 1554.

Anno huius ſæculi quinquageſimoquarto ineunte Cæſariani legati Edmundanus Co- 42
mes, Carolus Lalænius, Ioannes Mommorencius Flander Mommorencij in Gallia equitum magiſtri gentilis in Angliam Ianuario menſe traiecerunt, vt Philippi Cæſaris vnici filij cum Maria Angliæ Regina Cæſaris conſobrina matrimonium procurarent: de quo aliquot dies tractarunt, & in certa capita, quæ ſuo loco explicabuntur conuenerunt: quamquam Emanuelis Luſitaniæ Regis, & Heleonoræ Cęſaris ſororis filiam conſobrinam ſuam Philippus paulò ante vxorem ducturus ferebatur. At Cæſar Gallis infeſtiſſimus, vt Anglos Gallorum antiquos hoſtes ſibi adiungeret, quibus adiutoribus Galliam anno huius ſæculi quadrageſimoquarto in magnum diſcrimen adduxerat, à Luſitano ad Anglicum matrimonium ſe conuertit; & vt id aſſequeretur, omni ope contendit. Recuſabat Anglorum procerum bona pars, vel quod externum Regem admittere nolebant: vel quod ſibi perpetuum cum Gallis bellum futurum agnoſcebant, aduerſum quos & antiqua bella olim ſuſcepta, & poſtrema ſibi ſemper exitialia fuiſſe meminerant. Ad hæc qui nouam religionis perſuaſionem ſequebantur ab Hiſpano Rege prorſus abhorrebant. Coniurationis principes fuerunt Thomas Viatus non tam domi, quam militiæ clarus: is graueis aduerſus Reginam conciones habuit, quibus & externa connubia, & religionis mutationem acerbiſſimè inſectabatur, & in Cantio regione non ita lato interiecto mari Galliæ vicina ſatis numeroſum exercitum coëgit. Henricus item Suſfolcius Ioannæ nuper ab Eduardo Reginæ teſtamento deſignatæ pater copias per Deuoniam etiam conuocauit, aduerſus quos Maria Regina Thomam Norfolciæ regulum, quem nuper è carcere eduxerat, cum his, quas in tantis temporis anguſtiis conſcribere potuit, copiis opponit. Is quum ad Roffenſem pontem ſub finem Ianuarij perueniſſet, & hoſteis prope in conſpectu haberet, à ſuis deſeritur, vixque Londinum euaſit. Cæſariani legati ne in his turbis maiorem ſeditionis occaſionem darent, & vt ſibi conſulerent Kalend. Februarij conſcenſis nauibus abſceſſerunt. Eodem die Regina quæ Veſtmoni ** erat Londinum redit, vehementem in Viatum orationem habet: ſe nihil adhuc de matrimonio ſtatuiſſe, virginem ad triceſimumoctauum vſque ſuæ ætatis annum perſtitiſſe, ſe nullo modo nupturire profitetur: ſi in hoc vitæ ſtatu ſibi permanendum Angliæ ordines iudicabunt, æquo animo in eodem permanſuram: ſi enim ſui matrimonij occaſione patria in mutuas cædes ruat, id verò ſibi acerbiſſimum fore: ſe patris teſtamento Eduardo fratri ſubſtitutam, ſe de communi ordinum ſententia patris hæredem Reginámque declaratam: quam igitur ſponte ſuſceperunt, Reginam tueantur, & in perfidos, regnique perturbatores arma conuertant.

Variæ coniurationes in Anglia propter Mariæ Reginæ cum Philippo Cæſaris filio matrimonium exortæ.

Placatis ciuium animis, qui vrbi præſidio ſint, deligit: Comitem Pembruccium aduer- 43
ſus ſeditioſos mittit, Viatus declaratur hoſtis: quoque magis in illum inuidia concitetur, eius poſtulata ad Reginam miſſa publicè recitantur: nempe, vt ſe Regina in cuſtodiam tradat, vt de eius nuptiis conſiliariiſque vel retinendis, vel reiiciendis ipſi ſtatuere liceat; & alia quædem eiuſdem inſolentiæ. Multitudini proponitur impunitas modo duces ſeditionis deſerat: ei qui Viatum comprehenderit, vel occiderit, ingens præmium proponitur. Suſfolcius quoque declaratur hoſtis; & quum Viatus Londino appropinquaret, Regina Thameſis pontem vrbi vicinum reſcindi iubet, ne quis ad ipſum transfugiat: ſuburbium nihilominus Viatus ingreditur oppidanos vel ad ſe tranſituros, vel tumultum excitaturos ratus. At illi firmo præſidio in officio continebantur: quum vana ſpe aliquot ibi dies traduxiſſet, Cingeſtonam decem paſſuum millibus Londino diſtantem contendit, Thameſimque traiecit: vnde cum paucis ad vrbem rediit: & ſe quidem promiſſis ſtetiſſe exclamauit, ſocios contra non ſtetiſſe: vnde rediens ad ſuos nullo negotio ipſo abſente ſuperatos intercipitur. Eodem tempore ab Hutingonio cum equitatu à Regina miſſo Suſfolcius quoque capitur. Pridie Idus Februarij Guilfordus Dudeleus Northumbriani filius, ac Ioanna Suſfolcia eius vxor Suſfolcij filia capite plectuntur: nec multò poſt duo alij Northumbrienſis liberi Viatus Suſfolcius, ac plerique præterea proceres

Coniurationum principes plectuntur.

Digitized by Google

proceres eodem ſupplicio affecti ſunt. Menſe Martio Elizabeta Reginæ ſoror, ac Corteneus Deuoniæ Comes eius propinquus in cuſtodiam dati ſunt, & paulò poſt liberati; hos Viatus moriturus coniurationis ſocios non fuiſſe declarauit. Aprili menſe conuentus omnium Angliæ ordinum iterum habetur: duo capita in primis Regina propoſuit, de ſuo matrimonio, & de reſtituenda Romano Pontifici authoritate. Primum certis conditionibus, quæ mox proferentur, obtinuit: alterum reſiſtente nobilitate perſuadere non potuit. At confirmato regno, & Philippo marito in Angliam appulſo, quod perſuadere non potuerat, partim ſponte multis aſſentientibus, partim aduerſariis cedentibus aſſequuta eſt. Conditiones quibus matrimonium cum Philippo Cæſaris filio Reginæ permiſſum eſt, hæ
„ fuiſſe traduntur: [Angliæ, Flandriæ, ac cæterarum Burgundicarum prouinciarum Impe-
„ rium liberis Philippi cui dudum ante Carolus è Maria Ioannis Luſitanæ Regis filia na-
„ tus erat, ſi qui è Maria naſcentur, defertur: in quas nullum ius Carolus ſibi vendicare po-
„ terit. Præfecturæ vrbium, arciúmque Anglicarum & cæterarum omnium, quæ Anglis
„ parent, cuiuſmodi Guina, atque Icius portus ſunt, Hiſpanis interdicuntur. Philippum ex
„ Anglia non abducturum Mariam, neque leges, moréſque Anglicos, niſi de conuentus An-
„ glici ſententia, neque numiſma niſi cum Mariæ effigie, alióve inſigni conflaturum caue-
„ tur: neque plures trecentis Hiſpanos in Angliam immiſſurum. Si Maria prior ſine liberis
„ decedat, Philippum abdicato Angliæ regno cum iis rebus duntaxat, quas in Angliam
„ aſportarit, ex Anglia migraturum: ſin prior ipſe decedat, Mariæ, quamdiu ſuperſtes erit,
„ dotis nomine centenûm vicenûm nummûm aureorum millia annua penſio rata erit. Iſta
„ affinitas, quin fœderatæ nationes in eadem cum Anglis amicitia permaneant, impedimen-
„ to non erit: quin potius Angli è terra Cæſarianorum, Gallorúmque naufragia, mutuáque
„ damna ſpectabunt.]

Matrimonij conditiones quæ.

44 His conditionibus Ecmundanus ſponſum tanquam procurator repræſentauit, ſponſi ceremonias impleuit, & nocturno epulo affuit: tametſi iniquiores videri potuerunt, qui enim huic conuentui interfuerunt, antiquam Anglorum conſuetudinem abrogarunt, qua Reginæ maritus etiam externus ſine liberis mortuæ bonis quamdiu ſuperſtes eſt, frui ſolebat: verùm Cæſar tanta Gallorum vlciſcendorum cupiditate ardebat, vt de matrimonij conditionibus non multum laboraret, modo Anglos ſocios haberet, quos ſe in eam mentem impulſurum ſperabat: at illi poſtremo capite ſe Cæſarianorum cum Gallis bellorum non ſocios, ſed ſpectatores fere cauerunt. Altero conuentu, qui anno proximo celebratus eſt, Maria Regina vt poſſeſſiones viris Eccleſiaſticis reſtituerentur omni ope contendit: verùm quod eas nobilitas occupaſſet quoad decimas attinet, duntaxat impetrauit: quæ antiquis poſſeſſoribus aut eorum ſucceſſoribus reſtitutæ fuerunt. Nono Kalen. Martij Sibylla Cliuenſis Ioannis Federici Saxonis vxor fato functa eſt: quinto Nonas Martij Federicus vxorem ſequutus eſt. Paulò ante mortem cum Auguſto Mauricij fratre conuenerat, Daniæ Rege Auguſti ſocero per legatos conuentum procurante, quod nihilominus in ſex prope menſes productum eſt. Federicus ſeptemuiratu, Miſma, atque oppidis Metallicis Auguſto ceſſit; quæ omnia Auguſto, eiúſque poſteris ſine maribus liberis decedentibus ad Saxonem, eiúſque poſteros redeant; viciſſim dedit quædam Federici liberis Auguſtus, & pro penſionibus non exolutis centum nummûm aureorum millia repræſentauit: fœdus Saxonicæ familiæ ſuperioribus annis interruptum renouatum eſt. Decimoquinto Kalend. Aprilis Catharina Regina Henrico filium peperit, quem primum Herculem: mox Franciſcum de aui nomine appellarunt Andegauenſem, Alenconiúmque regulum. Veris initio Reginaldus Polus Cardinalis Anglus ad Cæſarē, Henricúmque Regem à Iulio Pontifice miſſus eſt, vt pacem inter hos principes cōciliare conaretur: author enim belli Iulius Tridentino Concilio diſſoluto, quod animo intendebat, aſſequutus, pacis quoque author eſſe cupiebat. At quamquam ſedulā operam nauauit Polus, nihil tamen nimis infenſis inuicem principum animis conſequi potuit. Quarto Nonas Maij lex de Senatu minoris Britanniæ Lutetiæ promulgatur: is in duas claſſes diſtributus eſt: vnicuique duo præſides, ſedecim conſiliarij attributi: additi ſunt duo ſcribæ, totidem fiſci aduocati, & Regius procurator: alteram claſſem ex indigenis, alteram ex alienigenis, & ex iis qui extra prouinciam nati ſunt, legi ſancitum eſt: quæ alternatim ternis menſibus Rhedonibus Auguſto, Septembri, Octobri, Nannetibus Februario, Martio, Aprili ius dicerent: quæ iudicum claſſes non tam iuris dicundi, quam pecuniæ in bellum corradendæ ergo inſtitutæ ſunt.

Decima viris Eccleſiaſticis in Anglia reſtituta.

Legis de Senatu minoris Britãniæ promulgatio.

45 Id temporis Carolus Sabaudiæ regulus omnibus fere ſuis prouinciis ſpoliatus moritur: quas Philibertus Emanuel eius filius pace inter Henricum Galliæ, ac Philippum Hiſpaniæ Reges conſtituta anno huius ſæculi quinquageſimonono recuperauit. Superio-

Carolus Sabaudiæ Dux moritur.

Digitized by Google

Hēricus exercitu tripartito in Belgium inuehitur.

ribus bellis irritati Cæſar ac Rex primo vere copias arceſſere cœperunt: ille Campaniam aut Picardiam, aut vtramque inuaſurus videbatur, ac Mariamburgum, atque Auenas commeatum importandum curabat; & magna ſubſidia ad Inſubres, Florentinóſque miſerat: Henricus Heluetios, Germanóſque pedites aduocabat, & auxilia pariter in Subalpinam Galliam & ad Senenſes mittebat. Menſe Iunio Regius exercitus tripartitus in terram hoſtilem inuehi occœpit: quamquam Cæſar in conciliando Philippi filij, Mariæque Anglicæ matrimonio adhuc occupatus nullas tum copias in armis habebat. Carolus Borbonius Rochaſurio cum trecentis cataphractis, ſexcentis leuioribus, aut ſclopetariis equitibus, decem Belgarum, aut veteranorum peditum millibus in Attrebates irruit, & obuia quæque flamma, ferróque vaſtauit: Mommorencius equitum magiſter cum quadringentis cataphractis, bis mille tam leuis armaturæ quam ſclopetariis equitibus, quibus Aumalius regulus nuper è Germania reuerſus præerat, penè totidem viris nobilibus, qui fundorum ſuorum nomine Ialla præfecto militabant, & paucis Anglicis, Scoticiſque alis Malberfontanum nono Kalend. Iulij contendit, & Auenas ſe oppugnaturum ſimulauit; idque vulgo ferebatur: Franciſcus Cliuenſis Niuernenſis regulus cum trecentis cataphractis, octingentis tam leuis armaturæ, quam ſclopetariis equitibus (quum ſclopetarios dico, & de Gallis loquor, eos qui longis ſclopetis vtuntur, intelligo) cum viginti quoque veteranorum Gallorum cohortibus ex Metis, Virduni, Tulli, Danuillarij, Iuoij, Mommidij præſidiis eductis (in quarum locum totidem tyronum ſucceſſerant) duobus Germanorum peditum agminibus quibus Rochandulfus Comes, ac Frontenaius Baro præerant, Maſerias petiit: atque inde in Arduennæ ſiluæ abdita loca ſolis paſtoribus, aut latronibus cognita cæterum exercitibus, vt ferebatur, inacceſſa penetrauit, ac magnam inde præſertim pecoris prædam reportauit.

Vicini omnes tripartitarum harum copiarum fama attoniti in intimam eam ſiluam 46
quaſi in tutiſſimum aſylum hoſtibus imperuium ſe cum omni ſupellectile ac pecore abdiderant; quos ſua ſpes multum fruſtrata eſt. Niuernenſis enim ſiluæ penetralia fere omnia peragrauit; ac primum Orcimontem arcem duodecim paſſuum millibus Maſeriis diſtantem ſibi aperiri, dedíque poſtulauit. Præfectus niſi tormentorum voce compellaretur, ſe haud dediturum reſpondit; quæ illuc conuehi poſſe non putabat. Aditus perdifficilis erat montibus ac vallibus aſperrimis interiectis: vbi propter lapidibus paſſim conſtratum iter neque deſcendere, neque aſcendere ſine adminiculo nemo poterat: itaque tormenta non equis, aut rhedis, ſed hominum humeris illuc tranſportare coacti ſunt. Quibus conſpectis præfectus cum duodecim ſelectis, cæteris ſociis celatis poſtica portula qua in vallē deſcendebatur per præcipitia & rupes abruptas euaſit: qui relicti erant eius fuga magis attoniti ſe Niuernenſis clementiæ permiſerunt. Vnde ad Surandam vallem difficiliorem rupi, in qua Linchatum caſtellum iam tum prope euerſum ſitum erat, vicinam tertio Kalen. Iulij noſtri caſtra poſuerunt; quam torrens Simæſus Bullione defluens alluit, & in Moſam ad Reginaldi caſtellum deuoluitur. Cæterum arcium, caſtellorúmque præfecti vbi Niuernenſem tormenta ſecum trahere intellexerunt, illis relictis in longinquas regiones aufugerunt, quæ Niuernenſis euerti, aut incendi iuſſit: præſertim vero Iardiniū caſtellum (vt vulgo appellatur) id erat ædes ſacra, vt loci natura fert, ſatis munita, quam ſæpius Maſeriarum præfecti intercipere, ſed fruſtra conati erant: etenim frequenter agendo prædas, & repente inſultando, qui eandem inſidebant magnas Maſerianis iacturas inferebant. Beaurinum quoque arx, quam vti & Orcimontem Barlemontanus Cæſariani ærarij præfectis poſſidebat, dedita eſt: cui quod in extrema ſilua ſita erat, & Eburonenſi agro fertili imminebat, veteranorum peditum cohortem, ac quinquaginta ſclopetarios equites Niuernenſis præſidio impoſuit. Ex his deſertis & aſperis ſolitudinibus ad Giueos portus cæteris Moſæ, qui Eburonenſem, Brabantinúmque agrum alluit, longè celebriores lætus noſter exercitus deſcendit, vt cum Regio mox coniungeretur. Iam Salſedus, cui ſuppeditandi copiis Regiis commeatus munus iniunctum erat, cum ſex Gallorum peditum cohortibus, duobus tormentis capto vi Simæo Ariſcotiani reguli caſtello, Hurgo Barlemontani ſponte à præſidiariis militibus relicto tutam noſtris Moſæ nauigationem fecerat: & interim Mommorencius, qui Auenas quamquam nouo præſidio firmatas de induſtria leuem equitatum miſerat, & ſe oppidum oppugnaturum ſimulabat, de Mariamburgi raro præſidio certior factus illuc clam Sanctandreanum Mareſchallum cum tribus omnis generis equitum millibus, cum Heluetiis, & aliquot Gallorum peditum cohortibus, ac bona tormentorum parte præmiſit: qui viis continuo multarum campeſtrium operarum labore tota nocte complanatis (has enim arboribus euerſis ac foſſis pleriſque locis ductis

Orcimōs arx in Niuernēſis poteſtatem redacta.

indigenæ

Digitized by Google

indigenæ obſtruxerant) & copiis ſuis gradum accelerantibus poſtridie mane, qui nonus Kalen. Iulij fuit, Mariamburgum circumſedit. Vnde attoniti præſidiarij milites, & nocte, quæ conſequuta eſt magis perturbati, quod ſubſidium à Cæſarianis miſſum repulſum intellexerunt (id Iulianus Romerius Celtiber adducebat,& repulſus Dinanum deduxit) vt metum nihilominus tegerent, aut commodiore pactione vterentur, tormentis ſæpius diſploſis noſtrum exercitum infeſtarunt: nec quin tormenta propius admouerentur, impedire potuerunt.

47 Acceſſit poſtero die Mõmorencius,& tanta diligentia in opus incubuit,vt ſexto Kalendas tormentis oppidum quatere occœperit:poſt exonerata quinquies aut ſexies tormenta præfectus oppidi de deditione egit, vt milites cum ſarcinis, ſed armis relictis exirent, nihil præterea ex oppido efferrent,Rinſartus præfectus, & aliquot cẽturiones captiui retinerentur,conuenerunt.Ita oppidum commeatu,cæteríſque omnibus ad propugnationem pertinentibus abundãs,quæ Maria Hungariæ Regina ſummo ſtudio liberaliſſimè accumulauerat,eíque nomen ſuum indiderat,4.Kal.Iulij deditum eſt. Vnde Rex mira lætitia affectus è Landunenſi agro profectus ad exercitum pridie Kal. appulit: & oppido Breulium Britannum,& paulò pòſt Arturum Coſſeum Gonorum præfecit;atque vt munitiones inchoatæ, necdum abſolutæ maturarentur, edixit. Fuerat paulò ante humilis vicus ad quem Maria Hungariæ Regina venationi intenta,qua plurimum delectabatur,diuertere ſolebat:cognita loci natura eundem muniri iuſſit,& rebus omnibus neceſſariis inſtruxit. Rocroium pagus in ſilua Arduenna ſitus inter Mariamburgum, Malberfontanúmque fere intermedius vt facilius commeatus importaretur muniri iuſſus:cui Landam fortiſſimi illius Sandeſiderij præfecti, vbi anno huius ſæculi quadrageſimoquarto cæſus eſt, vt ſuprà ſcripſimus, ex fratre nepotem cum ſua trecentorum peditum cohorte Rex præfecit.Inde ad Giueos portus Regius exercitus contendit, quem Niuernenſis expectans aliquot peditum cohortes ad Agimontem arcem Ciſmoſanam ab altero Giueo portu non multis ſtadiis diſtantem miſit: quam aggreſſi ſine tormentis vi ceperunt, & primum occurrentes, qui non multi erant, trucidarunt. Præfectus Euerardi Marchiani Comitis à Rupe Forti, hoc eſt, aſpera, filius nothus, & eius qui tum arcem poſſidebat frater, atque aliquot qui ſuperfuerunt, poſtridie dimiſſi ſunt: quod in gratiam Bullionij reguli, qui ex eadem Marchiana familia erat, factum exiſtimarunt. Vterque exercitus ad Giueum portum Moſa interiecto caſtra fecit:Regius in longa planitie inter arcem,ac vicum,ex altera parte Niuernenſis,quem traiecto fluuio pridie Nonas Henricus inuiſere voluit, & vt bene inſtructum collaudauit. Supererat duntaxat Theodorici caſtellum à Namuriano præfecto (Balliuum illi vocant) poſſeſſum, quod nondum Gallis parebat. Illuc aliquot Gallorum peditum cohortes cum equitatu, & tormentis miſſæ: ſed præſidiarij milites matura fuga ſe ſubduxerunt multa pretioſa ſupellectile,magnáque tritici copia relicta.

Mariamburgum Mõmorencio deditum, quibus legibus.

Theodorici caſtellum à Gallis occupatum.

48 Sex totos dies in vtroque portu vterque exercitus traduxit commeatum expectans, quem non ſatis maturè Salſedus importarat, vnde in magno vitæ diſcrimine fuit: ſeptimo Dinanum verſus cis Moſam Regius inceſſit.Ex altera parte Niuernenſis ad Valuinum arcem quatuor paſſuum millibus Dinano diſtantem ſubſtitit: poſtridie ad Dinanum, Bouináſque, ſed interiecto ſemper flumine conuenerunt, & has primum tormentis acriter verberarunt,quas ſoli oppidani nullo addito præſidio tuebantur:ad portam muris deiectis milites in oppidum inuaſerunt, & magnam oppidanorum cædem fecerunt: captos etiam quod tantis copiis cum tanto apparatu Rege præſente aggredientibus reſiſtere auſi fuiſſent,arboribus infelicibus ſuſpenderunt: matronas, virgines,pueros in tutum locum procul ab exercitu cum heraldo, & tubicine deduci Rex imperauit:Dionantum portas aperire,ac ſibi parere iuſſit. Dinanenſes magnam in arce fiduciam collocabant & ſe à Regibus, atque Imperatoribus decies ſepties oppugnatos, nunquam expugnatos iactabant: nocte conſequente tormenta ad Dinanenſem arcem admota; quindecim à Regio exercitu,totidem ex aduerſa fluuij regione à Niuernenſi:altiorẽ cæteris murum lateritium & turrim ad Septemtrionem ſpectantem magnis ædibus contiguã Regia pulſabant: turrim rotundam inter eaſdem ædes & portæ propugnaculũ interiectam Niuernenſia quatiebant:neque noctu ea fulminatio quieuit, ſed & in alterum diem producta eſt: quo circa horam tertiam pomeridianam ruina muri decem duntaxat pedes lata, verum aditu perdifficilis apparuit, quòd tormentariæ pilæ muri ima quatere non poſſent, & ad haſtæ altitudinem præceps admodum rupes conſcendenda erat. Oppugnatio nihilominus decreta eſt, quam viri acres Sarragoſſa primæ cohortis ſignifer, Malgero, Gordius, Mola, Fortis (id enim illi

Dionantum decies ſepties oppugnatum nec expugnatum.

Digitized by Google

nomen erat) fortiter obierunt, ac vulnerati ſunt. Fortis ſignifer cum pleriſque aliis cæſus, cuius vexillum quum tres eiuſdem cohortis milites ſibi inuicem ſuccedentes ſuſtuliſſent, cæſi quoque fuerunt; quartus fœlicior vexillum retulit. Multi viri militares propter aditum nimis anguſtum, & perdifficilem aſcenſum oppugnationem non prudenter indictam iudicarunt: nonnulli tamen centuriones antea fortitudinis nomine laudati de gradu deiecti, atque exauthorati fuerunt. Eodem die oppidum infra arcem ad Moſam ſitum ſe Regi permiſit: duæ Gallorum peditum cohortes Duraſij ac Boiſſei vt à cæterorum iniuria oppidanos prohiberent, immiſſæ id, quamquam fortiter reſiſtentes Rochandulfi, Frontralliique Germanis irrumpentibus haud præſtare potuerunt: prædam enim Gallis condonatam, ſe ſua ſpe fraudatos Germani exiſtimabant, nec cædibus, rapiniſque contenti in templum, in quod ſe matronæ, virgines, pueri, nonnulliique homines abdiderant, effractis portis inuadere tentarunt: inter quos & ſupra commemoratas duas cohortes tota nocte acre certamen exarſit. Ad id dirimendum Henricus mane Germanorum præfectos, & nonnullos alios viros authoritate præſtanteis miſit, & captiuos, captiuáſque in libertatem reſtituit: quos commeatu militibus deſtinato, tametſi is perexiguus erat, donec exercitus inde migraret, aluit.

Tormenta deintegro diſploſa ruinas vehementer augebant, & Caſtrenſes operæ muri fundamenta ferramentis omnis generis fodiebant, vt facilior aſcenſus eſſet; quum tertio Idus Iulij Floio arcis atque Hamolus Germanorum præfectus ad Niuernenſem egreſſi de deditione egerunt: conditionibus ad Henricum relatis, vt cum enſe & pugione exirent, permiſſum eſt. Exclamabat Iulianus Romerius Hiſpanorum præfectus, & ſe arcem cum ſolis Hiſpanis defenſurum iactabat, niſi illi cum omnibus armis, & ſuppellectile exirent. Verum dum cum illo varij ſermones feruntur Bordilio, ac Rabaudangeus ad arcem clam Iuliano acceſſerunt, & Hiſpanos an eadem, qua cæteri conditione exire ſtatuiſſent, interrogarunt, quam perſuadentibus Germanis libenter acceperunt. Reclamabat nihilominus ſemper Iulianus, & more Hiſpanico vehementer exclamabat, atque à Mommorencio vt in arcem reduceretur, flagitabat, cui Mommorencius Hiſpanorum conſenſum oſtendit, & redeundi in arcem poteſtatem fecit: ſed ea conditione, vt arce capta nullam ſibi veniam datum iri ſperaret: qua data optione eius iracundia deferbuit, & communem cum cæteris conditionem ad ſe reuerſus accepit. Hæc arx omnium Eburonenſis, ſiue (vt nunc vocatur) Leodienſis Pontificis munitiſſima ac pulcherrima, quam Erardus Marchianus Pontifex Iameſij tum in eo exercitu militantis patruus in veteribus fundamentis inſtaurarat, & multo firmiorem, pulchrioremque quam vnquam antea fuerat, reliquerat. In extrema rupe ſita figura ouali circiter quadringentos in ambitu paſſus habet, duabus partibus inacceſſa eſt; qua fluuium, oppidúmque reſpicit: & qua tormentis concuſſa eſt aditu perdifficilis, duobus propugnaculis ſemicirculum referentibus in fronte & à tergo firmatur, alterum planum montis faſtigium ſpectat, alterum fluuium atque oppidum deſpectat. In rupis radicibus ad Moſam pulchris ædificiis & ad mercimonia exercenda extructis, atque æris omnis generis mercaturis nobile. è regione fluuio interiecto Bouinæ ducentis paſſibus diſtantes videntur Namuriani Comitatus portio, quæ ſe quondam bello internecino perſequebantur. Dinanum Eburonum, Bouinæ Burgundionis parteis ſequebantur. Carolo Burgundione cæſo Dinanum neutrum erat (vt loquuntur) hoc eſt neutram in partem inclinabat, nec ſe Gallicis, Burgundiciſque bellis immiſcebat, vti Pontificiæ prouinciæ facere deberent. Georgius Auſtriacus Maximiliani Imperatoris filius nothus Valentiæ Hiſpanicæ Pontifex Leodienſem Pontificatum vi (vt quidam) aut populo aſſentiente (vt alij tradunt) aduerſus * * Marchianum Belli Loci Abbatem, cui Erardus patruus, cuius ſupra memini, eodem Pontificatu Romano Pontifice aſſentiente ceſſerat, ſibi vendicauit; & vt Eburones in Cæſaris parteis tranſirent, effecit: Marchianus militis potius, quàm Abbatis, aut Pontificis habitum, ac mores præ ſe ferebat. Itaque Franciſci Primi Galliarum Regis mandato eius monaſterium expugnatum, Marchianus ipſe in oppugnatione cæſus eſt.

Dionantenſis arcis deditio.

Eiuſdem deſcriptio & ſitus.

Cæſar Dinani circumſeſſi certior factus Namurium firmum præſidium miſit, quod vrbs ampla nec valde munita erat. Aliobrogi cum iis, quas tũ colligere potuit, copiis ad Giueloum, quod Moſa Sabíſque alluunt, non procul Namurio caſtra ponere, & vallo, foſſaque firmare iuſſit: ac paulò pòſt quamquã non bene valebat, cũ Ferdinando Gonzaga, & Ioanne Baptiſta Caſtaldo eodẽ acceſſit. Henricus 17. Kal. Auguſti Dinano profectus Stornũ vicum petiit: Niuernenſis vt Dinanenſem arcẽ à fundamentis euerteret, Bouinarum muros ſolo 50

Digitized by Google

ſolo æquaret, remanſit. Dionantum oppidum integrum ſine vllo damno relictum eſt, quod oppidani non ſponte, ſed à præfecto arcis coacti portas aperire recuſaſſent; & quod Eburonenſi Pontifici, non Cæſari parerent. Hic Regem Niuernenſis decimo quinto Kal. aſſequutus eſt: inde ad Sabim fluuium Regius exercitus caſtra poſuit à Namurianis Cæſarianorum caſtris tribus paſſuum millibus diſtantia:& quoquo tranſibat oppida,vicos,arces incendebat. Decimo tertio Kal. Hannoniam ingreſſus ad Iumetium duobus caſtellis nuper extructis clarius conſtitit, quæ à Cæſarianis relicta magna ex parte euerſa à noſtris fuerunt. Sequebatur Regium Cæſarianus exercitus, ſed ita vt nullam prælij faciundi occaſionem daret. Querentibus nihilominus & viris nobilibus,& populis, & vt tantam vaſtationem prohiberet, petentibus Allobrox Cæſaris legatus Gallos fugere, ſe inſequi prædicabat. Vndecimo Kal. Regius heraldus Bincienſes de deditione compellauit:ij poſt aliquot tormentorum fulminationes deditionem fecerunt. Hæc vrbs nihilominus inter Hannonianas celebris eandem cum cæteris conditionem ſubiit,atque incenſa eſt. Incenſus eſt & Mariæ mons Reginæ Hungariæ amœniſſima & pulcherrima domus arcis inſtar extructa, exquiſitis marmoreis columnis ac feneſtris,tum hortis odoratiſſimis, viridariiſque omnis generis fructuum ſcitiſſimè deſcriptis ornata: ex qua nonnulli è noſtris principes columnas aliquot exportaſſe traduntur. Id in vltionem Folembraij Regiæ Villæ ab eius Reginæ exercitu pene inuito pleriſque operoſam fabricam admirantibus cremati factum putant. Incenſa eſt & Roëſia arx, quam Comes antea quoque incenſam longè magnificentius reædificarat, atque inſtaurarat: hic incendiarij exercitus ſupra commemorati, qui Picardiam Campaniámque Gallicam inflammauerat, dux erat.

Bincium à Gallis captū & incenſum.

51 Eandem fortunam tulit Bauetum exiguum oppidum à Troianis (vt indigenæ iactant) conditum: tum Cæſarianus exercitus noſtro propius inſtabat bis mille Brunſuicenſis reguli ſclopetariis equitibus auctus, & conflicturi ſpeciem præ ſe ferebat: quod noſter firmis vrbibus Monte Hannoniano, Auenis, Landriſio, Queſnoio,Valentiano, Cameraco, quaſi cinctus videbatur. Quum is è Gomminia arce Crepacorum verſus incederet, duos torrenteis ſatis difficiles traiecturus, quod propter pluuias, & ſuccedenteis pruinas tempus obſcurum erat, quatuor equitum millia in inſidiis collocauit. Allobrox ipſe cum totidem, & aliquot peditum cohortibus ſequebatur: priores leuiorem equitatum Regium, cui præerat Aumallius non longè à caſtris Gallicis laceſſiuerunt: at vicinum cataphractorum equitum agmen, cui Sanctandreanus Mareſchallus præerat, aggreſſi non ſunt. Alteris caſtris Regius exercitus Crepacorum Cameraco vicinum appulit: quod Cæſariani munire, & Regio exercitu appropinquante demoliri cœperant; inde Cameracenſis ager vbique vaſtatus, quum ſegetes iam multum ad meſſem albeſcerent, quædam in villas ſemiuſtas conderentur. Octo dies ibi commoratus Regius exercitus ſegetes tam in agris, quàm in villis incendio abſumebat,Cæſarianis qui ad Arconem inter Cameracum,Queſnoium,Valentianum ſubſtiterant,noſtros repellere conantibus,& quotidie dimicantibus; quamuis vniuerſis copiis decertatum nō ſit.Tum Rochaſurio cum ſuis copiis ad Regē acceſſit.Cæſariani ad Villam Nouā progreſſi non multum Arcone diſtantem caſtra diligenter vallo,foſſáque munierunt,ne ad vniuerſum certamen deſcendere cogerentur:præſidia nonnullis turribus impoſuerunt,vt Gallos à miſcendis incendiis arcerent:ad quas dū Galli tormenta conuehunt,qui in turribus erant, ocyſſimè ad ſua caſtra redierunt. Quarto Nonas Auguſti Rex Crepacoro profectus per Atrebatum fines,& per Paulinum Comitatum Dorlanū atque Hiſdinum à ſiniſtra, Taroannam à dextra relinquens Rentium verſus iter intendit.Prçceſſerat Vindocinenſis cū ſatis numeroſo equitatu,ac peditatu,& aliquot tormentis vt ampliorē apparatum ex Ambianis,viciniſque vrbibus conuehendū curaret:nam quæ in exercitu tormenta erant,vix amplius vſui eſſe poterant; & apparatus bona pars in ſuſceptis oppugnationibus conſumpta erat. Cæſar qui in Atrebatibus exercitum recenſuerat, Rentio timens caſtra caſtris Gallicis vix bis mille paſſibus interiectis contulit.Rentium nihilominus à prima, & ſecunda acie duobus locis admirabili tormentorum impetu quatiebatur: quapropter ne in ſuo conſpectu Rentium caperetur, caſtra propius admouit, & in planitie montis inter Marquam,& Fauquembergam vicos locauit,valle centum & quinquaginta paſſuum dumtaxat lata duos hoſtiles exercitus ſeparante:valle item altera, ſed ex alia parte qua fluuiolus in paludem Rentium à dextra cingentem defluit, vt è monte Regios inde caſtra mouere cogeret.

Rentiū fruſtra à Gallis tentatum.

52 Saltus erat ſupra Fauquembergm, quem Guilielmi vulgo appellabant: hoc Cæſar potiri, vt inde tormentis Gallos è acaſtris pelleret, ſummopere cupiebat. Id præuidens

Guiſanus, qui ſecundæ aciei ſub Rege imperabat, trecentos ſclopetarios locis huius ſaltus occultioribus in inſidiis collocarat: loricatos item pedites haſtatos locis eminentioribus, vt ab hoſtibus conſpicerentur, eoſdémque in ſe conuerterent ſeſe oſtentare iuſſerat, vt hoſtes inter vtroſque intercepti, ſclopetorum glandibus magis exponerentur. Sub primum diluculum exploratores ſe è Cæſarianorum caſtris fremitum audiiſſe, & ſclopetariorum funes igne collucentes aſpexiſſe retulerunt, quos & ipſe paululum progreſſus aſpexit, & ſuos ſclopetarios monuit, ne niſi prætergreſſos ſclopetis impeterent; atque ita ad vigiles, qui non procul à caſtris aberant, retroceſſit. Acceſſere ſtatim Hiſpani ſclopetarij, qui quanquam exploratores præmittebant, inſidias nihilominus, niſi quum à loricatis peditibus non multùm aberant, haud deprehenderunt. Tum Galli ſclopetarij interclusos denſis glandibus obruerunt, & retro pedem referre coëgerunt plures occiſuri, aut vulneraturi niſi obſcurum adhuc cœlum, & ſaltus vmbræ impedimento fuiſſent. Aurora illuceſcente tormenta Gallica ſuo officio functa vehementius etiam, quàm antea Rentium concuſſerunt, vt hiatus, murorúmque ruinæ ad oppugnationem propemodum non iniquæ viderentur. Vnde ira percitus Cæſar tormentorum magiſtro ſignificauit, vt tormentis omnibus ſimul exoneratis Rentianos auxilium ſibi præſto eſſe admoneret, & omnem ſuum exercitum in armis eſſe, ac præter ducum ſuorum ſententiam pugnam expectare iuſſit. Sed primum ſaltum illum Guilielmi occupare inſtituit: hinc ſelecta ex omni exercitu circiter quatuor ſclopetariorum millia haſtatis aliquot ac loricatis peditibus additis, totidem equitum, quatuor tormenta quatuor rotis impoſita vt facilius circumducerentur, ad ſaltum contendere imperauit. Equitibus Allobrox, peditibus Ferdinandus Gonzaga præerat: à ſaltus latere Fauquembergam verſus Germanorum peditum magnum agmen, cui Ioannes Naſſauus Comes, ac Cliuenſis Mareſchallus præerant; ab altera parte bis mille Germani ſclopetarij equites ac circiter mille leuiores cum quatuor quoque tormentis incedebant. Hiſpani ſclopetarij in trecentos Gallos irruerunt, quos noſtri licet numero longè inferiores tamen recenti victoria freti diu retinuerunt, multis hinc inde cæſis donec Guiſanus miſſis aliquot equitum alis eoſdem paulatim cedenteis ad ſe recepit, & Regem qui ex aduerſa, ac poſtica regione in planitie extra ſaltum quingentis paſſibus longa, ducentis lata erat, de inſtante prælio admonuit.

Rex ne prælium differret reſpondit & ſecundam aciem in ordines redegit. Primum Gallorum peditum agmen, ſecundum Germanorum, tertium Heluetiorum incedebat: à dextra pars cataphractorum equitum, à ſiniſtra in valle, quæ ab Heluetiorum manſione Fauquembergam, ſaltúmque verſus ſeſe dilatabat, altera cataphractorum pars trium illorum agminum latera cingebat. in fronte ad Fauquembergam tendens Aumallius cũ omni leuiore equitatu, & aliquot ſclopetariis peditibus præcedebat. Guiſanus interim antequam à Rege reſponſum acciperet, trecentos ſclopetarios è ſaltu retrahens, hoſteiſque in locum pugnæ cõmodiorem attrahens, Cæſarianis inſequentibus ita animum auxit, vt ſibi victoriam ſponderent, & Gonzaga Cæſarem admoneret, vt accelerare cæterum exercitum iuberet, priorẽ Gallorum aciem nutare, & de fuga cogitare. Sequutus eſt Cæſar, vt admonebatur, aut victoriæ, aut diſcriminis particeps futurus: priorem autẽ aciem vocabat Gonzaga, quæ ſecunda erat, ſed tum prioris vicem obibat. Mommorencius prioris ductor præliorum faciendorum inſolens, in quibus ſemper infeliciſſimus fuit (vt ſuo loco dicam) aciem tardius inſtruxit, & quanquam frequentibus nuntiis Guiſanum iam depugnare intellexerat, tamen in tempore non affuit; qui ſi affuiſſet Henricus integram (vt veriſimile eſt) victoriam reportaſſet. Tum Guiſanus Regis accepto reſponſo ad ſuum cataphractorum equitum agmen in planitie Fauquembergam verſus pugnæ ſignum expectans acceſſit; & paucis ſuos alloquutus, vt priſtinæ virtutis memores Rege inſpectante eidem & patriæ ſaluti vitam fortiter deuouerent; Nemorenſi vt cum ſua leuiorum equitum turma in Germanos ſclopetarios equites qui breuibus ſclopetis vtuntur, irrueret, iniunxit; ſuæ alæ, & Tauannij minoribus vexilliferis (quos vulgo Guidones appellant) vt in eorundem latera irrumperent: ſed noſtri poſt durum, ac cruentum certamen tandem repulſi ſunt, vbi Curto leuiorum equitum præfectus, ac Forgius Tauanianæ alæ vexillifer natione Boius cæſi, plerique vulnerati fuerunt. Guiſanus accerſito Aumallio fratre cum omni leuiore equitatu, & iis qui fuſi fuerant, ad ſe reuocatis, cui Tauannius ſemper aderat, vt primo paucorum conatu, qui non hoſtium viribus, verum numero ceſſiſſent, non deterreantur, & vt præſenti animo ſint, hortatus eſt. Omnes itaque eadem fronte in

Pugna vtriuſque exercitus ad Fauquibergam.

53

Voluenſuth,

Voluenfurh, qui ſe ſolùm cum ſociis Gallicum omnem equitatum fuſurum conculcaturúmque apud Cæſarem iactarat, ſclopetarios equites tanto impetu inuecti ſunt, vt illi in fugam verſi Germanorum peditum ſociorum agmen, cui tuendo attributi erant, perruperint, atque conculcarint.

54 Niuernenſis ex altera parte, qui ſuam turmam ad ſaltum, qua Rentium reſpicit, extenſam habebat, in ſclopetarios Hiſpanos pedites irrupit: qui ſuo equitatu freti è ſaltu exierant, quos fuſos terga vertere, & ſaltum magna trepidatione repetere coëgit: ibi peditum ſeptemdecim, equitum quinque ſigna, quatuor campeſtria tormenta capta. Galli pedites ſaltum ingreſſi multos ex fugientibus aut ceciderunt, aut vulnerarunt, & quatuor altera tormenta quatuor rotis impoſita, quorum ſupra mentionem fecimus, ſine cuſtodibus relicta repererunt, & ſecum abſtulerunt. Leuis equitatus in extremo monte permanſit: eò mox & Gallicus peditatus acceſſit, in quos ex aduerſo monte valle interiecta Cæſariani tormenta exonerarunt: quibus Galli ſua oppoſuerunt, & Cæſariana retrocedere, & caſtra verſus redire coëgerunt. Cæſar ſuorum fuga perculſus caſtra diligentius muniri iuſſit; nox inſtans ne Galli vlterius victoriam perſequerentur, effecit. Ex noſtris circiter ducentos quinquaginta, ex Cæſarianis mille ducentos, aut paulò plures cæſos produnt, quos nonnulli ad bis mille auxerunt. Allobrox, ac Gonzaga poſt flagrantem pugnam ſuis fuſis in ſaltus latebris aliquandiu latuerunt, ita vt Gonzaga, aut cæſus, aut captus putaretur. Mommorencius qui ſerò acceſſerat, & non conflictus, ſed fugæ hoſtium ſpectator fuerat cum prima acie alienæ victoriæ quaſi triumphum ſibi vendicans in ſaltu illo caſtra fecit tarditatem ſuam noua diligentia penſaturus. Cæſariani quaſi conflicturi totam noctem quemadmodum & Mommorencius inſomnem duxerunt, quos in caſtris adeo munitis adoriri ſingularis amentiæ fuiſſet. Continuata itaque poſtridie ad Rentium fulminatio eſt, quum Cæſar lætitiæ declarandæ ergo omnia ſimul ſua tormenta exonerari iuſſit. nuntium de Petro Stroza in Senenſi agro ſuperato ſub veſperam acceperat, quam pugnam & quæ ibi hoc anno geſta ſunt, mox perſequemur. Decimo octauo Kalend. Septembris propter commeatus inopiam præſertim equorum Rex de reditu cogitauit, & Cæſari prius non metu, ſed commeatus penuria ſe inde abire denuntiauit. quod ſi prælio decernere in animo haberet, ſe poſtridie quatuor horas in apertis campis venientem præſtolaturum, quod bona fide præſtitit: & quum nemo è Cæſarianis caſtris exiret, ad Moncaurium duobus paſſuum millibus Monſtrello diſtans caſtra fecit, vbi quinque dies quid Cæſar in iiſdem caſtris perſeuerans moliretur, expectauit. Is Rentio inſtaurando, & nouis operibus muniendo operam dabat, totidem ad Monſtrellum traduxit: vnde Compendium Guiſano, & aliquot viris nobilibus comitantibus profectus eſt. Mommorencium in caſtris reliquit, qui bona exercitus parte dimiſſa, quod ſuperfuit, Vindocinenſi Picardiæ adminiſtratori tradidit, & Regem cum Sanctandreano Mareſchallo ſequutus eſt.

Cæſarianorū fuga.

Henrici in Galliam reditus.

55 Vindocinenſis Kalend. Septembris Somonam traiecit, & ad Pondormium ſubſtitit: Cæſariani quatuor inde paſſuum millibus caſtra fecerunt, & aliquot arcibus, pagiſque incenſis ad vicinum Hiſdino Meſnilum ſubſederunt, quod natura adiuuante operoſis munitionibus firmarunt. Henrico ante viri militares, vt pagum hunc muniret, Hiſdinum relinqueret, conſuluerant: Henrici familiarium auaritia, qui Regio ærario exhauriendo potius, quàm patriæ muniendæ ſtudebant, ne ſano conſilio vteretur, obfuit, & nihilominus impenſis non pepercit: nam fanum Spiritus Meſnilo opponere, & eodem, quo Meſnilum ſumptu munire coactus eſt. Cæſar de loci natura certior factus occaſionem non omiſit: hoc caſtellum Hiſdinenſem, Paulinúmque Comitatum, qui Pontiuienſis olim fuit, à Gallorum incurſionibus tuetur, & Picardiæ multis vrbibus proximè imminet. Eodem tempore, quo quæ ſupra enarrauimus, in Belgica geſta ſunt, in Gallia quoque Subalpina, & Senenſi agro bellum non minus acre tametſi minoribus copiis gerebatur: quod quanquam paulò ante attigi, tamen id vno contextu hic percurrere non alienum putaui. Diegum Mendozam, ſiue Mendoſeum cum præſidio Hiſpanorum Senis Cæſar præfecerat, qui quòd Senenſes populos ante liberos nimia ſeueritate coërceret ſeditionum tollendarum ſpecie armis nobilitati ereptis, vt paulatim ſeruituti aſſuefactos Coſmo Medici Florentino regulo obnoxios redderet, præſidium auxit, & arcem extruxit. Cæſar enim quum præſidium Senis tanquam Imperij fundo imponeret & ciuitatis tranquillitati conſulere præ ſe ferret, eò ſpectabat, vt hunc Imperij fundum Imperio ſubtraheret, & ad Coſmum Medicem nouum hominem transferret, quod Senenſes Gallis ſuæ

In Gallia Subalpina, & Senenſi agro geſta breuiter percurruntur.

Digitized by Google

ſuæ ciuitatis conditoribus ſemper amicos fuiſſe noſſet. Id illi initio non intellexerunt, vt ſummus ille Imperator animi ſenſa aliqua publicæ vtilitatis ſpecie tegere ſolebat: progreſſu temporis re experti ſunt. Senenſes igitur præſidium quod ad ciuitatis tranquillitatem, ſeditionéſque compeſcendas acceperant, ad ſuam ſeruitutem collimare agnoſcentes ad Henricum, Gallóſque ciuitatis olim conditores confugerunt: & Hiſpanos ad vniuerſæ Italiæ imperium aſpiranteis ſe nouo homini, hoſti ſuo acerrimo ſubiicere velle docuerunt: Regis eſſe tum afflictos ſubleuare, tum conſiderare quam ſua interſit, ne Hiſpani tota Italia dominentur: ipſúmque iam partis & à patre & à ſe poſſeſſionibus excludant: Florentinos à Cæſare ſtare. Si Senenſes accedant, Neapolitanum regnum, Mediolanenſémque principatum coniunctum iri: ſin Senenſes inter vtrumque & Florentinos interiecti à Rege ſtent, præterquam quod vires illas ſeparabunt, ad conſeruandam Regis in Italia authoritatem magnum momentum adferent: quinetiam cæteros principes, Réſque publicas, quæ nondum Hiſpanis addictæ ſunt, ad Regis ſocietatem exemplo ſuo adducent. Rex vrbis propugnationem ſuſcepit, & vt auxilium poſtulatum breui acciperent, curauit.

De his omnibus Mendozam admonuit Coſmus. ille Senenſes armis ſublatis nihil conari poſſe confidens admonitionem huiuſmodi ſuſque deque tulit. At Nicolaus Petilianus Comes, Hieronymus Piſanus, Marius Sanflorus Comes ſex peditum millia, aliquot equites ad Regium ſtipendium clam vocarunt; tum quum Dragutus pirata famoſiſſimus claſſis Turcicæ præfectus Italiæ oram legebat. Qua occaſione vſi Senenſes Turnonio Cardinale Thermeo, ac Ludouico Sangelaſio Lanſaco apud Iulium Pontificem legato monentibus vt ad ſuos portus defendendos milites ſibi conſcribere liceret, ab Hiſpanis poſtularunt, & impetrarunt. Hiſpani ipſi ne Dragutus aliquos Hetruriæ portus interciperet, Galliſque qui iam Maſſilia ſoluerant, & ad ferendam Senenſibus opem nauigabant traderet metuentes auxilia à Florentino regulo petiuerunt. Is octingentos pedites miſit, quibuſcum Hiſpani omneis Senarum regiones firmiores occuparunt: nec tamen tantam diligentiam adhibuerunt, quin coniurati Senenſes Petilianum cum quatuor peditum millibus in vrbem intromiſerint, qui oppidanis iuncti Hiſpanos, Florentinóſque ad arcem, Dominicinúmque cœnobium multis vtrimque cæſis confugere coëgerint. Acceſſit Sanflorus Comes cum duobus peditum millibus, qui ex auxiliis Regiis nondum cum cæteris coierant: cuncti ſimul iuncti cum tormentis octo ab Hiſpanis relictis cœnobium atque arcem ad quam ſe Hiſpani, Florentiníque receperant, oppugnarunt. Deditione facta vtrique Senis exierunt, & Orbitellam oppidum inter paludes ſitum occuparunt: vnde Senenſibus plurimum infeſti fuerunt. Mittebat noua ad Hiſpanos auxilia Coſmus, at quod deditionem factam audierunt, domum reuerterunt. Senenſes arcem Nonis Auguſti anno huius ſæculi quinquageſimo ſecundo à fundamentis euerterunt. Cæſar ſoluta Metenſi obſidione ſuos Senis pulſos ægrè ferens anni ſequentis initio Petro Toletano Proregi Neapolitano mandauit, vt cum duodecim peditum millibus, mille quingentis tam Neapolitanis, quam Germanis equitibus Senenſes omni belli clade affligeret, atque in poteſtatem redigeret. Cui Florentiæ vita functo Garſias filius ſucceſſit, quum interim Senas Hippolytum Cardinalem Ferrarienſem, ac Paulum Thermeum cum duobus peditum millibus Henricus miſiſſet; qui cum Petiliano, Sanfloro, Iordane, aliiſque Vrſinis Senenſis agri oppida munitiora præſidiis firmauit: in quæ duodecim peditum millia diſtribuit. quingentos dumtaxat Italos leuis armaturæ equites quibus præerat Petilianus & paucos Gallos habebat. Garſias aliquot oppidis captis, & propter Dragutum Raium cum claſſe Turcica appropinquantem regno Neapolitano timens, vt ſupra ſcripſi, Neapolim rediit: Thermeus in Corſicam nauigauit. 56

Petilianus cum ſuis Senas à coniuratoribus intromiſſus.

Cæſariani Senis pulſi.

Interea Briſſacus Hiporediam, ac Vercellas cepit: ſed quod arcis compos non eſſet, 57
& Ferdinandus Gonzaga cum maioribus copiis Vercellenſibus auxilio veniret, relictis Vercellis Eporediam ſe recepit. Reuocauit ad ſe Thermeum Henricus, & Petrum Strozam in eius locum ſibi legatum deſignauit, vtque Leonem fratrem primatem Capuanum qui Melitenſium equitum magiſtratus eſt, ad Gallicum ſtipendium inuitaret, iniunxit. Capuanus primas tametſi de Gallis querebatur, tamen patriæ repetendæ, aut vlciſcendæ deſiderio fratri paruit. Hi ſimul iuncti ad Mirandulam copias contraxerunt; vnde Petrus Senas profectus mandatum Regium cum Ferrarienſi Cardinale communicauit, qui Gallis iam ſuſpectus bellum aduerſus Florentinum regulum nulla obiecta cauſa, niſi quis forte veteres Mediceorum, Strozarúmque ſimultates repetat, non

Digitized by Google

ſuſcipiendum putauit. milites nihilominus Romæ, Vrbini, ac vicinis in oppidis Stroza conſcripſit. Coſmus Florentinus regulus, cui Iulius affinitatis ineundæ ſpe ſe dabat, Cæſarem admonuit, quanti ſua intereſſet, ſi Gallus in Senenſi agro vires ſuas augeret iam bona parte Corſicæ inſulæ potitus: hunc gradum ad principatum Mediolanenſem, regnúmque Neapolitanum occupandum iaci. Cæſar Medequino Melegnanenſi Marchioni, vt exercitum conflaret, Senáſque circumſederet, mandauit.

58 Senenſes ſecuros, & eorum, quæ Thermeus abiturus monuerat, oblitos, nempe vt cœptas munitiones abſoluerent, & diligenter rebus ſuis cauerent, Ianuario ineunte anno huius ſæculi quinquageſimo quarto Rodolphus Baleonus leuioris equitatus præfectus noctu propemodũ intercepit. Laurentius Caſtilio, qui vigilias circumibat appropinquanteis hoſteis animaduertit, & tumultu tota vrbe excitato, vt repellerentur author fuit. Melegnanenſis nihilominus ad vrbem caſtra poſuit, ac tormentis ita concuſſit, vt niſi Stroza in eandem introiiſſet, animúmque & ciuibus & præſidiariis militibus addidiſſet, in magnum diſcrimen incurſura videretur: Ferrarienſis enim Cardinalis non tam proderat, quam nocebat familiaribus, qui ſe Iulio Pontifici, Florentinóque regulo venales propoſuerant, addictus. Interea Baleonum, atque Aſcanium Corneum de intercipiendo noctu Cluſio conſilium cepiſſe Stroza certior factus ita nec opinanteis inuaſit, vt cæſo Baleono, Aſcanio capto, qui poſtea in Galliam miſſus fuit, cæteros peremerit, aut fuderit. Rex tum quinque partim Heluetiorum, partim Vaſconûm millia, alterum item ſubſidium triremibus Senas miſit, quod ignaris hoſtibus in vrbem intromiſſum eſt. Hinc Stroza cum ſex peditum millibus, quingentis leuioris armaturæ equitibus, hoſtibus quoque non animaduertentibus ex vrbe exiit; & Heluetiis, Vaſconibúſque obuiam prodiens Morianum Lucenſis agri oppidum petiit; & montem Alcinoi, Moncarlúmque cepit, ac muniit. Coſmus, qui modo aliena inuadebat, ſuis timens Melegnanenſem reuocauit: is ſoluta obſidione viribus inferior Peſciam contendit: vadentem adoriri cupiebat Stroza, verum ille Saraullem, Piſtoriámque verſus tanta exercitus ſui trepidatione euaſit, vt nonnulli in Stroza, qui fugienteis acriter perſequutus non ſit, prudentiam deſiderarint: at magni duces quod hoſtilis exercitus ſtatum ignorarent, bonas ſæpenumero occaſiones omiſerunt. quanquam Stroza non omnino hoſtium trepidationem ignoraſſe, ſed milites longo labore feſſos penitus exhaurire noluiſſe faſſus eſt. Cæſarianis in dies copias augentibus, Gallicis auxiliis ad diem condictum non occurrentibus Stroza Senas ſe recipere coactus eſt: interea Leo eius frater captis Genuenſibus aliquot nauibus tritico onuſtis in quas milites impoſuit, Florentinorum portus circumlegens ad Scarlinum ignobile oppidum appulit: quod dum propius inſpicit, à milite inter vepres latente ſclopeti glande in caput ictus occubuit: vnde indignatus Stroza obſidionem continuari iuſſit, quò tum Gallica auxilia Montlucio duce appulerunt. His ſibi adiunctis ſex Italorum peditum, duo Vaſconum, totidem Heluetiorum millia, Germanos bis mille quingentos, mille vtriuſque armaturæ equites Stroza in exercitu habuit: Montlucium Senas miſit: ipſe Ciuitatulam Florentini agri oppidum oppugnauit. Ibi clam nec opinanteis Regios Melegnanenſis aggreſſus initio perturbauit; qui mox ſeſe colligentes tanto impetu Cæſarianos repulerunt, vt multis cæſis, captíſque, inter quos Marius Sanflorus Lombardiæ primas (is Melitenſium equitum magiſtratus, aut munus eſt) atque alij plerique viri illuſtres numerati ſunt, cæteros penitus fuderit. Tandem de potiundo oppido propter vicinum Melegnanenſis exercitum deſperans ad Foianum ſe conuertit; quod prima oppugnatione cepit Carolo Vrſino præfecto, præſidiariiſque militibus fere omnibus cæſis. Aliquot poſt diebus ambo exercitus ſe mutuis excurſionibus laceſſiuerunt, interim dum Melegnanenſis Strozanos maiore ſtipendio oblato ſubtrahit, & ad ſe pellicit; & plures ſubtraxiſſet niſi Stroza dolo intellecto maius quam Melegnanenſis obtuliſſet: perficere tamen non potuit, quin multos amitteret. Hinc audacior Melegnanenſis confligendi occaſionem captauit: quam defugiens Stroza, & montium, fluminúmque obiectu ſe euaſurum ſperans, ne amitterentur, tormenta præmiſit. Sed Melegnanenſis cedentem tam acriter perſequutus eſt, vt quarto Nonas Auguſti inter Martianum, Lucinianum, Foianum eundem ad manus venire coëgerit: & tormentis campeſtribus vſus Regios ita deterruit, vt Bigetus primæ Italorum cohortis ſignifer cum multis ſuæ nationis, quos à Melegnanenſi corruptos ſuſpicio fuit, ſe in fugam dederit. Dedit ſe in fugam & Mirandulanus Comes totius Regij equitatus præfectus, & culpam in vexilliferũ ſuum retulit fugientem

Anno 1555.

Senæ à Melegnanenſe obſeſſæ.

Obſidio ſoluta, & cur.

nihilominus

nihilominus ſequutus, cuius fuga Regiis cauſa internecionis fuit. at Heluetij, Vaſconéſque fortiter pugnarunt, quorum temeritas nihilominus perinde, atque Italorum ignauia perniciosa Regiis fuit: ex tuto enim loco egreſſi, & in Hiſpanos, Florentinóſque inuecti à Cæſariano equitatu proculcati, ac perrupti, & peditatu alia ex parte vrgente aut cæſi, aut capti fuerunt: qui ſi Mirandulanus eos non deſeruiſſet, prælium inſtaurare potuiſſent. Solus Pardilianus Vaſco cum quadraginta equitibus in medios hoſtium equites irrupit: & cum quinque aut ſex è ſuis ſtrenuo conatu edito euaſit, cæteri aut capti, aut cæſi fuerunt. Stroza, atque Aurelius Fregoſius Foiano relicto ſe ad montem Alcinoi receperunt: quò quum Bigetus quoque, ac Comes Elpheus confugiſſent, vterque capite pœnas dedit: ille quod fugæ initium feciſſet, hic quod Lucinianum rebus omnibus abunde munitum ignauè dedidiſſet. In Mirandulanum apud Henricum aulicò fauore commendatum animaduertere auſus non eſt: quanquam eius ignauiam tantæ infœlicitatis cauſam fuiſſe palam teſtatus eſt.

Strozeanorũ fuga, ac cædes.

Senæ rurſum à Melegnanenſi circumſeſſæ.

Poſt victoriam Melegnanenſis fere omnia Senenſis agri oppida, caſtelláque in ſuam 59
poteſtatem redegit: poſtremo Senas circumſedit interim dum Dragutus Raius cum claſſe in Corſicam delatus Bonifacium oppugnaret, quod tandem deditione cepit, vt alio loco ſcripſimus: & inter redeundum Plumbinum Elbámque inſulam, quam Florentinus regulus poſſidebat, nequicquam oppugnauit, totámque Italiæ oram, qua Tyrrhenum mare patet, cædibus, rapinis, omnibus denique flagitiis inquinauit: tam impotens erat duorum principum Cæſaris (inquam) ac Regis iracundia, ac pertinacia, vt Chriſtianas prouincias ab eo hoſte compilari, vaſtaríque quàm æquas inter ſe pacis conditiones inire mallent: quem Chriſtianorum omnium communem hoſtem, ſi Chriſtianum nomen tueri volunt, omni belli clade perſequi deberẽt: Senenſes interim pro libertate, Montlucius pro Gallorum, & ſua exiſtimatione dimicantes fortiter obſidionem tolerabant, & crebris excurſionibus Cæſarianum exercitum vexabant, ſed commeatus penuria plurimum laborabant: tametſi ruſtici ſummo ſuo cum diſcrimine clam dominis ſuis, quicquid poterant, comportabant, quorum permultos Melegnanenſis idcirco ſuſpendi iuſſit: nec tamen omnium alacritatem penitus repreſſit. Horum diligentia effectum eſt, vt in ſequentis anni menſem Aprilem iam inclinantem deditio differretur. Sperauit nonnihil auxilij à Marcello nouo Pontifice Stroza, quod monti Alcinoi patriæ denegaturum non putabat: ſed vir probus & religioni magis, quam armis deditus nihil magnum Pontificatus initio ſuſcipere auſus eſt, nec morte præreptus exequi potuit. Senis exierat, & ad Alcinoi montem ſeceſſerat Montlucius, vt milites cogeret: verum Rege ſtipendium non mittente ea profectio inanis fuit. hinc de deditione actum: quæ vndecimo Kal. Maias his conditionibus facta eſt: nempe Cæſarem Senas Imperij fundum agniturum, earundem propugnationem ſuſcepturum; & vt antiquis immunitatibus ac libertate fruantur, perfecturum: veniam omnibus, qui pro earundem conſeruatione arma tulerint indulturum, exulibus Neapolitanis, cæterarúmque Cæſaris ditionum exceptis: ciuibus munera, bonáque omnia cuiuſuis generis integra permanſura, niſi quæ milites ante rapuiſſent. Si qui ciues abire mallent, liberè cum bonis omnibus abituros: quod Cæſar vellet, vrbi præſidium imponeret: nec tamen arcem, niſi de ciuium conſenſu ædificandam curaret: Reipub. ſtatum pro ſua prudentia componeret, ita tamen vt veteres magiſtratus nouorum compotes ſint: omneis præfectos, militéſque cuiuſcumque nationis, qui Senis, aut in Senenſi agro pro Gallo Rege militarint, liberè cum armis, boniſque omnibus, cum tormentis etiam ſignis explicatis, tympaniſque reſonantibus exituros accepta teſſera: qua ſe tuto in Regis ditiones recipere poſſint: niſi has conditiones intra octauum diem reciperent, nullum illis poſtea veniæ locum futurum. At poſtremum caput grauiſſimum Senenſibus fuit, quo ſe in Florentini reguli poteſtatem venturos intellexerunt, vnde permulti relictis patrimoniis vnà cum militibus diſceſſerunt, & egentem libertatem opulentæ ſeruituti prætulerunt, atque ad Alcinoi montem ſolum vertentes commigrarunt, vbi Senenſis Reipub. formam retinuerunt. Milites in vrbeis, oppidáque, quæ adhuc Galli retinebant, Cluſium ſcilicet, Roſetum, cæteráque Senenſis agri oppida diſtributi ſunt. Interim Melegnanenſis Marium Sanflorum Lombardiæ primatem ad Stateanum oppugnandum miſit, quod tandem deditum eſt: ipſe portum Herculis ad Argentei montis radices non procul Orbitella ſitum circumſedit, quò ſe Gallicæ triremes recipere ſolebant. Hunc Thermeus Henrici Regis mandato muniendum curarat: præſidiarij milites ſublata auxilij ſpe, & dulcis aquæ penuria

Quibus conditionibus Senenſes Cæſari ſeſe dediderint.

coacti

Digitized by Google

coacti poſt longam obſidionem ſe dediderunt, & ad alia Gallicæ factionis oppida abierunt.

60 Hæc quanquam anno proximo geſta, tamen in hunc vno contextu Senenſem hiſtoriam includere ſatius eſſe duxi. Auguſto menſe Imperij ordines Vormaciæ conuenerunt: Cæſar Alberti Brandeburgenſis proſcriptionem executioni mandari volebat, & vehementer inſtabat, quæ tamen in alterum conuentum Octobri menſe apud forum Francorum habitum dilata eſt. Ad hunc Henrici Regis allatæ ſunt litteræ Germanica lingua ſcriptæ, quibus veterem Germaniæ, Galliæ que amicitiam ſe continuaſſe docuit recentium iniuriarum oblitum, quibus Franciſcus pater Imperij hoſtis iudicatus eſt: nec idcirco minus Germanis auxilio veniſſe, quum perturbatus admodum Imperij ſtatus eſſet: nullum vnquam huic nationi detrimentum attuliſſe, cui eius hoſtes & libertatem, & fortunas eripere omnibus modis conati ſint. Quam multas enim, & quàm varias pecunias extorquendæ arteis excogitarint, ſatis conſtat: at nonnullos Imperij ordines à ſe non remotos aduerſus ipſum arma ſumpſiſſe, ex quibus neminem offenderit. Nam quòd Albertum Brandeburgenſem in regnum ſuum confugientem non reiecerit, id de antiquo Gallorum Regum more feciſſe, qui afflictis principibus præſertim Germanis receptum ad ſuos nunquam denegarint. illi verò aduerſus Imperium opem ferre haud in animo habuiſſe, nec habiturum. Qua igitur (inquit) vos hactenus beneuolentia proſequutus ſum, eadem vos me quoque proſequi conſentaneum eſt: quapropter vos oro atque obteſtor ne hoſtium meorum artibus circumuenti aduerſum me arma ſumatis, néve pecuniam contribuatis, aut huiuſmodi aliud quicquam moliamini; præterea vt legatis meis qui ad proximum Imperij conuentum profecturi ſunt, antiquo more, & iuxta recentem Paſſauienſem pactionem caueatis. Ad ea Imperij Principes ibi congregati reſpondent, equites, qui in Lotharingiæ finibus aliquamdiu conſederunt, & viarum aditus obſeruarunt non ad Regis iniuriam, aut in Galliæ perniciem miſſos, ſed vt Albertum Marchionem, ſi fortè in vicinas Germaniæ prouincias irrumperet (vt in multas irrupit) repellerent, & ne maiores copias arceſſeret, prohiberent. De legatis, quod de iis nullum mandatum habeant, ad ſuos velle referre; ſperare nihilominus ſe, quod æquum erit, impetraturos.

Hĕricus Germanos ne aduerſum ſe arma ferant, obteſtatur.

61 Septembri menſe grauis inter Heluetios exarſit ſeditio de præfecturis, quas olim trans Alpeis Mediolanenſibus regulis ſubtraxerunt & hactenus communi iure poſſederunt; iiſque alternis annis viciſſim per legatos aut præfectos ius dicere conſueuerunt: aliæ in veteri Romanæ religionis profeſſione perſeuerarant, aliæ ad nouam perſuaſionem defecerant. Septem veterum pagorum præfecti qui in Romana perſuaſione perſiſtebant, Inalpinos iureiurando obſtrinxerant, ne à Romanis ſacris, inſtitutiſque diſcederent, idque in tabulas referri iuſſerant. Quum ad Luganenſes, Louertióſque ventum eſſet, ij iuſiurandum dare recuſarunt, & pagos quatuor Proteſtanteis tanquam patronos aduocarunt, qui liberam illis religionis perſuaſionem permittendam eſſe cenſebant. Contra ſeptem pagi quod maior pars ſtatuiſſet, ratum habendum eſſe contendebant; réſque ad ciuile bellum inclinabat: niſi per legatos Henricus ſeditionem efferueſcentem ſedaſſet, ac litem ita diremiſſet, vt obligationis tabulæ Inalpinis redderentur: ſi quid in religione peccarent, Heluetiorum omnium ſententia decerneretur. Eodem fere tempore Tigurini ac Bernenſes vel præceptis Zuinglij perſuaſi, qui mercenariam militiam præſertim cum principibus aduerſæ perſuaſionis damnauerat, vel Henrico infenſi qui multos eiuſdem, quam profitentur, perſuaſionis conuictos grauiter mulctarat, ne quis eius ſtipendium mereret, edixerunt. Contra Vndecoualleſes ne quis è ſuis alicuius principis, aut populi præterquam Henrici Regis mereret, ſanxerunt: haud tamen hæ quaſi priuatæ pagorum quorundam diſſenſiones communem omnium Heluetiorum conſenſum diremerunt. Decembri menſe Briſſacus Eporediam, vel Hipporediam oppugnauit, & poſt acrem tormentorum fulminationem deditione cepit. Acceſſit Biella ſeptem inde paſſuum millibus diſtans, quæ Allobrogi regulo quotannis viginti nummûm aureorum millia pendebat, fanum quoque Iacobi (Santiam vulgo appellant) quod muniendum curauit, & magno poſtea illi vſui fuit. In Belgica regione frigidiſſima nihil memoria dignum hyeme aſpera obſtante gerebatur, niſi quod vrbeis hoſtibus finitimæ vtrobique magnis præſidiis inſeſſæ erant: & ſe aliquot excurſionibus laceſſebant, ac mutuo intercipere conabantur: tametſi nihil proſpere ſucceſſit. Sub finem hyemis nihilominus Sanctandreanus Mareſchallus Cambriſium primo diluculo admotis ſcalis occupauit, & aliquot ex propugnatoribus trucidauit: cum Hiſpanis mitius egit, eoſdémque quo vellent ſe recipere permiſit. Eodem tempore Bordilio Niuernenſis in Campania legatus Mariamburgum miſſus eſt vt id, &

Hĕricus exortam inter Heluetios cõtentionem dirimit.

Eporedia Briſſaco dedita.

totam illam oram ab hoſtium machinationibus, ac conatibus liberaret: Mariamburgo enim vltra Arduennam ſiluam poſito Cæſariani in primis inſidiabantur, quod inde in Namurienſem agrum noſtri equites ſæpius incurſabant. Fumentium caſtellum quod paulo ante Cæſariani receperant, expugnauit, atque euertit. Secretariorum Franciæ (ſic enim eos vocant, tametſi Regi à ſecretis, id eſt, ab epiſtolis non ſunt) qui in ſupremis curiis, vbi Regia ſigilla ſunt, quas Cancellarias appellant, numerus ad ducentos auctus, vti ante etiam auctus fuerat: nam Franciſco Primo rerum potiente circiter quinquaginta dumtaxat hoc munere fungebantur. Hæc noua munera ad corradendam in bellum pecuniam à ciuilis ſtatus perturbatoribus excogitabantur: quæ Henrici poſteri ita auxerunt, vt omnium ordinum poſſeſſiones exhauriant, & niſi in ordinem redigantur, vt alio loco ſcripſi, regni immutationem inuehant.

Pridie Idus Nouembris totius Angliæ conuentus Londini agi occœpit: nono Kalend. 62
Decembris Reginaldus Polus Cardinalis è Brabantia arceſſitus eodem appulit ſumma Regis, Reginæ, totiúſque conuentus, & populi gratulatione exceptus, & de vniuerſi conuentus conſenſu in priſtinum locum, atque hæreditatem reſtitutus, vnde ab Henrico Octauo pulſus erat. Quinto poſt die in conuentu coram Rege, ac Regina ſuæ legationis cauſas recitat: omneis hortatur, vt ad veterem Chriſtianorum in religione conſenſum redeant: ab impiis nouæ perſuaſionis ritibus, & inſtitutis recedant: Romanum Pontificem antiqua obſeruantia colant: quam ab eodem poteſtatem habeat illorum Deo reconciliandorum explicat: poſtremo quod ſe in priſtinum gradum, familiámque reſtituerint, gratias agit. Poſtridie oratione Poli, ac poſtulatis comprobatis concipitur ab Anglorum conuentu formula, qua à Rege, Reginaque petunt, vt Poli authoritate, ac miniſterio cum Deo Opt. Max. ac cum Pontifice Romano eius vicario in gratiam redeant: ſe pœnitere quod à recepto religionis conſenſu, Romaníque Pontificis obſeruantia receſſerint, impiiſque decretis aſſenſerint; quæ huius conuentus authoritate reſcindi, ſe verò Poli benignitate in veterem Chriſtianorum communionem reſtitui, & à ſuſceptis noxis ſolui enixè poſtulant. Die tertio Gardinerus Cancellarius Vintonienſis Pontifex quid ordines decreuerint, recitat: & ſupplicem petitionis libellum ſcripto mandatum, ſubſcriptúmque Regi, ac Reginæ tradit. Illi vt libellum ipſe recitet, iubent: vbi recitauit, vniuerſum conuentum rogat, num libellum ratum habeant. quibus ratum habentibus Rex, & Regina conſurgunt, & libellum Polo tradunt. Tum is lecto ſuæ legationis diplomate, vt datam ſibi à Romano Pontifice ſoluendi poteſtatem intelligerent, quam peccantium Deo grata ſit pœnitentia multis exemplis è ſacris libris adductis præfatus omneis in genua procumbenteis ab omnibus noxis ſoluit, iiſque bene precatus Deo gratias egit, qui illis tam bonam mentem inſpirarit. Conuentus vſque ad Ianuarij Idus continuatus eſt, multis interim nouæ perſuaſionis conuictis atque igni crematis. Decimo quinto Kalend. Ianuarij Cæſar omnia ſua edicta aduerſus Albertum Brandeburgenſem promulgata renouat, & Senatus Spirenſis decreta aduerſus eundem facta deintegro confirmat: quod Germaniam communem parentem rurſus vexat, & affligit, & vt affligat ad nonnullos receptum habet: Henricum Regem intelligit, quem idcirco in Germanorum odium adducere conatur. Itaque propoſitis ante pœnis, iiſque repetitis edicit, ne quis illum vlla re iuuet: immo verò vt omnes pro ſuis facultatibus contendant, vt latro immaniſſimus, & diuini, humaníque iuris hoſtis teterrimus dignas ſuis facinoribus pœnas luat, cæteriſque qui eadem amentia in patriam ita impij erunt, exemplo ſit.

Conuentus Londinenſis in Chriſtianorum communionẽ Poli Cardinalis auctoritate reſtituitur.

Franciſcinorum de prodenda vrbe Metenſi coniuratio.

Sub huius anni finem Franciſcini ſodales de prodenda Metenſi vrbe ſiue ingenij ma- 63
lignitate, ſiue à Cæſarianis ſubornati conſilium inierunt. Occaſio commoda erat: conuentus ſcilicet totius eius ſodalitatis illuc indictus, vt * * quoque anno in aliquam vrbem conuenire ſolent (Capitulum illi generale vocant) communicato cum Cæſarianis conſilio fortiſſimos quoſque milites ſuo more detonſos, & cucullato pallio ſubcinericio indutos, ſub quo arma, quæ tegi poterant, occultabant, nunc binos, nunc quaternos, aliquando plures in ſuum Metenſe cœnobium arceſſunt: dolia omni armorum genere quaſi vino referta eodem intromittunt; quod mirum nemini videbatur: magno enim commeatu ad tantam multitudinem aliquot dies alendam opus erat. De die conueniunt, quo Theonuillanum præſidium, & in vicina oppida Cæſariani cõgregati alij ad vrbem incurſarent, alij in inſidiis laterent, vt in tempore à ſociis Franciſcinis in vrbem admitterentur: illis Gallos præſidiarios occurſuros non dubitabant. Tum Franciſcini milites abiecto

cucullo

Digitized by Google

cucullo & ſumptis armis cum aliquot ciuibus eiuſdem factionis cæteros, qui remanſiſſent, Gallos adoriri & portam aliquam occupare debebant, vt Cæſarianos in inſidiis collocatos intromitterent: ſed fraude detecta malum conſilium conſultoribus, vt prouerbio fertur, exitio fuit. * * * Quarto Kal. Ianuarij ad conuentum indictum Ferdinandus accedens Auguſtam appulit, & quum è principibus, eorúmue, aut ciuitatum legatis neminem reperiſſet, Kal. Ianuar anni huius quinquageſimi quinti ad principes ſcripſit de rebus grauiſſimis quæ ad Remp. Germanicam pertinent, agendum eſſe: quapropter accelerent, & veniant ipſi: etenim res tanti ponderis per legatos commodè non poſſe tractari, à fratre plenam agendi ſibi factam eſſe poteſtatem. Nonis Februarij tametſi pauci aderant principes actionis initium faciens exponit quemadmodum maximis de cauſis Vlmam primum, deinde ad hanc vrbem, vt ad Idus Nouembris inchoaretur conuentum Cæſar indixerit: omneis ſcire quanto ſtudio, diligentiáque Cæſar, vt religio conſtituatur, laborarit; idque ex duobus poſtremis conuentibus ſatis liquet: ex religionis enim controuerſiis, velut è Pandoræ dolio, ſi fabulæ cum rebus ſeriis miſcendæ ſunt, omneis noſtras emanaſſe calamitates. *Conuentus Imperij Ordinum.*

64 Hæ controuerſiæ vniuerſo Chriſtianorum Concilio poſſe componi videbantur: quod vt celebraretur, apud Romanum Pontificem diu procurauit Cæſar: at ſæpius inchoatum variis de cauſis diſſolutum eſt. Idem per virorum eruditorum ex vtraque parte coëuntium colloquia tentatum eſt, nec magis profectum: nunc poſtremum eſſe, vt de Concilio omnes Imperij ordines, & inter ſe, & cum cæteris omnibus Chriſtianis conueniant; aut ſi id fieri non poteſt, & in aliud tempus differendum eſt, aliquæ ſaltem ineantur rationes, quibus interim Germania & ſolida pace gaudeat, ac fruatur; & ſacri miniſtri pia diſciplina imbuti, atque in ea educati numen diuinum colant, & cæteris, vt purè colatur, exemplo ſint: cæteri vero ordines inter ſe bene conſentientes ea conſilia capiant, quibus Turcam aut repellere, aut ne vltra progrediatur, impedire poſſint, cuius tyrannis non tam propriis viribus, quàm finitimorum diſſenſionibus in tantam potentiam aſcendit: vt inde, niſi diuina ope, aut aliqua inteſtina ſeditione, ac diſſenſione vix exturbari poſſit: iidem enim rerum humanarum aſcenſus, ac deſcenſus gradus ſæpenumero eſſe ſolent. Hoc capite diſcuſſo, ac bene compoſito ad alia tranſitus perfacilis erit, de conſtituendis iudiciis, de contributione publica, ac de aliis ad ciuilem ſtatum pertinentibus. Quæ omnia vt commodè, prudentérque ſanciantur Cæſar, ac nos vnumquemque veſtrum enixè oramus, & vt ſcita veſtra ad eum, quem deſideratis, exitum perducantur, omnem opem, atque operam pollicemur. Quod perpauci adhuc conueniſſent actio in Nonas Martias dilata eſt. Interim Auguſtus Saxo Mauricij frater, Ioachimus Brandeburgenſis ſeptemuiri * * Federici Saxonis filius, Lantgrauius atque alij perſuaſionis Auguſtanæ principes Numburgum * * fluuio adiacens conuenerunt, & antiquas, hæreditariáſque mutuò ſibi ſuccedendi pactiones inter Saxonicam, Heſſicámque familias renouarunt: atque in eadem, hoc eſt, Auguſtana perſuaſione ſe perſeueraturos vno conſenſu, conſilióque ſtatuerunt. Et ne quid fortaſſe aduerſus Cæſarem moliri viderentur, quinto ſui conuentus die Cæſarem eorum quæ Numburgi acta erant, certiorem fecerunt; & ſe Paſſauienſis pactionis decreta ſequutos in perſuaſione Auguſtana perſiſtere declararunt: donec quomodo controuerſiæ de religione motæ componantur, communi omnium ordinum Imperij decreto Cæſare aſſentiente decidatur. Nonis Martij quum principum bona pars, ac ciuitatum per legatos conueniſſet, quæ quoque loco capita primum expenderentur diſceptatum fuit. Septemuiri, qui aderant, abſentiúmque legati, vt de religione primùm diſceptaretur, quemadmodum Ferdinandus hortatus erat, nonnullis reclamantibus decreuerunt: in quorum ſententiam cæteri principes, ciuitatúmque legati tranſierunt.

65 Poſt multam diſceptationem vt Paſſauienſis pactionis decretum continuaretur, ſancitum eſt: verumtamen in hoc multum diſſentiebant: Auguſtani (ſic enim eos qui Auguſtanam perſuaſionem profitentur, appellare poſſumus) cuiuis vt ad ſuam perſuaſionem tranſiret, liberum eſſet, petebant: id enim mortalibus omnibus natura inſitum eſſe vt cæteros quoſuis ad perſuaſionem ſuæ religionis pellicere velint. Pontificij contra, ciuitatibus, quæ ſeptennio ante decretum Auguſtanum recepiſſent, ſacríſque Romanæ profeſſionis miniſtris id haud permitti debere contendebant: quod ſi quis Epiſcopus, Abbas, aut alterius ſacræ functionis præfectus ad Auguſtanos deficeret, alterum in eius locum ſurrogari volebant, qui nouæ functionis ſuſceptæ bonis vteretur, frueretur. *Auguſtanæ profeſſionis ſectary à Paſſauienſi pactione alieni.*

Hæc diſceptatio in multos menſes protracta eſt. tandem ſeptimo Kalend. Octobris ſancitum eſt, ne Cæſar, Ferdinandus, aut alij principes Auguſtanis, id eſt, Auguſtanam perſuaſionem profitentibus religionis ergo moleſti ſint: neque eoſdem à ſua perſuaſione, eius ritibus, & inſtitutis iam factis, aut faciendis edictis, pœnis, aut aliis huiuſmodi cautionibus deficere cogant: horum perſuaſionem ne contemnant, ludibrióue habeant: eoſdem ſuis omnis generis bonis vti, frui permittant. Auguſtani viciſſim Cæſarem, Ferdinandum, cæteros principes tam ſacratos, hoc eſt, qui ſacras functiones obeunt, quam prophanos (ſi ita vocare licet) id eſt, qui functiones non ſacras, ſed ciuiles obeunt, eadem qua Pontificij, & qui Romanam religionem profitentur, obſeruantia colent: eadem beneuolentia ſacros eiuſdem Romanæ profeſſiònis miniſtros proſequentur: vtroſque ſuæ perſuaſionis ritibus, inſtitutis, cæremoniis vti, ſuis omnis generis bonis frui ſinent: ſi qua lis intercedet, legibus & inſtitutis Imperij decidetur; qui nec Romanam, nec Auguſtanam religionem profitentur, & ab hoc, & à cæteris Imperij decretis excluduntur. Si quis Epiſcopus, Abbas, aut alterius ſacræ functionis præfectus ad Auguſtanos deficiet, id integra fama exequi poterit: cæterum qui ius eligendi habent, ſiue Canonici, ſiue alij alterum in eius locum ſubſtituent, qui omnibus eius functionis bonis fruetur: ne vetera ſacrorum miniſtrorum iura, electio (inquam) præſentatio, inſtitutio, & cætera huiuſmodi aboleantur. Et quoniam nonnulli Imperij principes, aut ciuitates, cœnobia, præfecturas, & alias huiuſmodi ſacras functiones cum bonis illis addictis occuparunt, quæ in pios vſus, in gymnaſia ſcilicet, puerorum erudiendorum ergo, in miniſtrorum ſuorum ſtipendium, in pauperum alimentum conuerterunt, in poſſeſſores neque Senatus Spirenſis, neque alij lege agere poterunt, ſiquidem ea bona, vt ſupra dictum eſt, impendantur: & à Romanæ profeſſionis miniſtris Paſſauienſis pactionis tempore, & poſt id tempus poſſeſſa non ſint. Iuriſdictio Eccleſiaſtica, vt vocatur, in Auguſtanam profeſſionem; aut in ea, quæ ad illam pertinent, in fidem ſcilicet, inſtituta, ceremonias nihil poterit, donec religionis controuerſiæ ſublatæ ſint: in aliis, quæ ad religionem non pertinent, ex regionis more, ex antiquis inſtitutis, aut ſtatutis ius dicetur. Sacri Romanæ profeſſionis miniſtri ita bonis ſuis omnibus fruentur, vt de dominorum eius regionis, in qua bona ſita ſunt, antiquo iure, quod ante ſuſceptas de religione controuerſias poſſidebant, nihil decedat. Ad hæc vt ex iis antiqua miniſteria impleantur, vti à prima origine inſtituta ſunt: vt in parœciis, quas fortaſſe curionatus appellare poſſemus, populus ritè inſtituatur & Sacramenta ritu Chriſtiano recipiat: in gymnaſiis pueri erudiantur, egentibus alimenta ſubminiſtrentur: & quod ad duo poſtrema hæc capita attinet, nullum diſcrimen inter vtramque profeſſionem ſit: ſed Pontificij, atque Auguſtani eodem iure ſint.

Quibus conditionib. Auguſtani cum Cæſare & Pōtificijs conuenerint.

Poſt hunc conuentum nulla hactenus in Germania de religione diſceptatio fuit: 66
Ferdinandus enim poſt Carolum fratrem non diu ſuperſtes fuit: & qui Ferdinando Imperatores ſucceſſerunt adeo opibus, ac viribus infirmi fuerunt, vt tametſi Romanam profitebantur, tamen Imperij principibus, ac ciuitatibus vtramuis ſequerentur, liberum fere reliquerint. At qui in Gallia noſtra à Romana defecerunt, non ad Auguſtanam, ſed ad Caluinianam quæ prius Oecolampadij, aut Zuinglij fuit, aut ad Atheiſmum tranſierunt: ἄθεως enim eos, qui nullam certam religionem ſequuntur, merito appellare poſſumus: quorum inſaniam vt compeſceret Henricus edictum graue in eos ſanxit, & iudicibus ſuarum ditionum iniunxit vt ſententias Pontificiorum iudicum, aut religionis quæſitoris, ſiue fidei inquiſitoris (vt loquuntur) nulla prouocationum ad ſupremos Senatus factarum habita ratione exequantur. Senatus Pariſienſis id promulgare iuſſus, poſtridie Nonas Octobris nonnullos Senatores ad Regem miſit, qui quadriennio ante Regem nouarum in religione ſectarum iudicia ſuis iudicibus mandaſſe docerent, iis dumtaxat exceptis, qui ſacris Ordinibus initiati fuiſſent: hoc recens edictum prorſus illi repugnare, quod vniuerſum populum Pontificiis iudicibus, aut quæſitoribus ſubiicit, & Regiam authoritatem ad alienos transfert. Temperabitur autem edicti ſeueritas, ſi Regij de cauſis huiuſmodi cognoſcant, & ſua iudicia dent: ſi quid dubij interueniet, calculum Pontificiis permittent, vt quod ſentiunt, proferant. Quum ſententiæ ferentur, ſi Pontificij iudices, aut illis abſentibus viri ſumma integritate, innocentiáque ad eas ferendas vnà cum Regiis adhibeantur: mandatum à Romano Pontifice impetretur, quo Regiis hæc iudicia permittat.

Henrici in Caluinianos graue edictū.

Quod

Digitized by Google

Quod ad eius quæſitorẽ attinet, vt is in qualibet prouincia viros probos ✱✱ ſubſtituat: litium impenſas non rei, ſed Epiſcopi faciant; ab iis, à quibus æquum erit, eaſdem repetituri. Verumenimuerò vt valetudini antequam morbi accedant, quam vbi radices egerint, proſpicere ſatius eſt, ſic ne hæ ſectæ ſerantur, quam vbi ſatæ erunt, prouidere Regia Majeſtate dignum eſt. Chriſtiana religio ſuo initio non armis, aut gladiis, ſed Pontificum prudentia, eruditione, ſacris concionibus incrementum accepit: ea iiſdem quibus aucta eſt, artibus conſeruari debet. curet igitur Regia Majeſtas, vt Epiſcopi, atque inferioris ordinis ſacri miniſtri per ſe, non per vicarios ſuas functiones obeant, vitæ integritate cæteris exemplo ſint, eruditione ſua populum inſtituant: quæ niſi præſtentur, fruſtra de ſuppliciis agetur. Renouatum hoc edictum eſt nono Kalend. Auguſti anno huius ſæculi quinquageſimo ſeptimo, ſtatutúmque Pontificios iudices de nouarum ſectarum reis cognituros; Regios autem eos qui ſeptem ſacramenta Chriſtiana agnoſcere detrectant, & publicam tranquillitatem interpellant, extremo ſupplicio addicturos: bonorum autem proſcriptiones, aut mulctas ex bonis adiudicatas non ad Regium ærarium, ſed ad pios vſus, & publicos redacturos. Quinetiam poſtridie Idus Septembris anno huius ſæculi quinquageſimo nono domos in quibus conuenticula in toto regno, præſertim verò Lutetiæ à nouarum ſectarum ſtudioſis vel cœnæ celebrandæ ergo, vel alia de cauſa fiunt, à fundamentis euerti nouo edicto Henricus iuſſit. Franciſcus II. eius filius horum conuenticulorum authores morte plecti: domos autem in quibus coëunt, ita euerti vt nunquam poſtea inſtaurentur. Menſe verò Februario ſequentis anni viros nobiles, cæteróſque qui ſummam iuriſdictionem habent, ſua iuriſdictione priuari, Regios magiſtratus ſuis magiſtratibus abdicari, ſiquidem in puniendis horum conuenticulorum authoribus negligentiores deprehendentur: at illi tum in Regem Regiſque familiares atrociora, magiſque impia ſuis malis fatis vrgentibus conſilia inierunt, quæ ſuo loco explicabuntur.

Domus in quibus conuenticula nouorum ſectariorum celebrarentur ab Hẽrico euerti iuſſæ.

68 Anno ſuperiore mandato Iulij, & hoc Maria Angliæ Regina inſtante pacem inter Cæſarem, ac Philippum eius filium, atque Henricum Galliæ Regem Reginaldus Polus Cardinalis Anglus procurarat; tandémque perfecit, vt ipſo, atque Anglis interpretibus legati ad eam conciliandam vtrimque conuenirent; à Cæſare Medinæ Cœli regulus, Antonius Granuellanus Atrebatenſis Pontifex Cæſaris Cancellarius, Carolus Lalænius Benicurtus, Cæſariani conſilij princeps, ſiue præſes, ac Mechlinienſis Senatus magiſter; à Rege Carolus Cardinalis Lotharingus, Annæus Mommorencius equitum magiſter, Aurelianenſis Pontifex, atque Albaſpineus Regi ab epiſtolis. Ad Marcum Oij ſoli ab Anglis tum poſſeſſi vicum Caleſio, Grauelinis, Arderis ex æquo fere, hoc eſt, quatuor fere paſſuum millibus diſtantem quatuor ligneas domos Angli extruxerant, quarum faſtigium, ac latera linea tela extra, intus amplis tapetibus ornata erant, in quarum meditullio aula quindecim paſſus longa, octo lata quatuor portas habebat; Orientalis porta Legati, Occidua Anglorum, Meridionalis Gallorum, Septemtrionalis Cæſarianorum legatorum domum reſpiciebat. Hic decimo Kalend. Iunij coierunt, qui conuentus in mutuis fere ſalutationibus conſumptus eſt. Septimo Kalend. altero conſeſſu Cæſariani legati de iis, quæ ante poſtremum hoc bellum à Cæſare aduerſus Regem occupata fuiſſent, reſtituendis, vt pote de Mediolanenſi principatu, de quo antecedentibus pactionibus tractatum, ac deciſum fuiſſet, ſe nullum mandatum habere dixerunt: vt nihilominus Allobrox regulus in priſtinum ſtatum reſtitueretur, petebant: de quo ſi conuenerint, Cæſarem, ac Philippum vt Carolus Philippi filius Iſabellam Henrici filiam natu maiorem vxorem ducat, aſſenſuros. Porrò ius quod Henricus in Mediolanenſem principatum ſibi vẽdicat pro dote accepturos. In Taroannæ, Hiſdiniique euerſorum compenſationem Meſniliano caſtello, Carcellenſique Comitatu ceſſuros: optionem Regi daturos, vt ex reddendis vrbibus cuius volet munitiones demoliatur. Regis legati controuerſiam de Mediolanenſi principatu nullo modo hactenus deciſam fuiſſe reſponderunt: gratias Cæſari, ac Philippo agere quod tam honoratum matrimonium proponat: cæterum principatum Mediolanenſem auguſtiorem eſſe, quàm vt in Iſabellæ dotem condonetur? amplum alterius Regis filij patrimonium cenſeri, cui ſi neptem ſuam Maximiliani generi filiam Cæſar collocet, Mediolanenſémque principatum doti dicat, Regem huiuſmodi matrimonium plurimum laudaturum. De reſtituendis arcibus, caſtellis, oppidis, vrbibus poſtremo bello partis nimis alienum eſſe poſtulatum: quo Gallia Subalpina, in quam Rex plus, quàm Allobrox ſibi iuris vendicat, Metis,

Recõciliatio inter Cæſarẽ ac Henricum nequidquam à Rege Angliæ & Cardinale Polo promoueri cœpta.

Tullum, Virdunum, Corſica inſula, Iuoium, Danuillarium, Mommidium, Mariamburgum continentur: in ſumma quædam vtrimque reſtituenda, quædam retinenda, vt pax ſolida confirmetur; nec veteres à recentioribus controuerſiæ diſcernendæ, ex illis enim iſtæ emanarunt.

Quum vtrique legati inter ſe conuenire non poſſent, Angli propoſuerunt, vt Cæſar, 69
ac Rex Mediolanenſis principatus, Burgundiæ, Sabaudiæ controuerſias ad vniuerſi Chriſtianorum Concilij iudicium referrent: Allobrox in amiſſas poſſeſſiones reſtitueretur: Rex munitas vrbeis, arceiſque retineret. Galli vt controuerſiæ omnes tam veteres, quàm recentiores ad Concilium referrentur, Regem aſſenſurum responderunt. Quod autem ad Allobrogem attinet, quum Cæſar Regis fœderatis ſatisfecerit, tum Regem quoque Cæſaris fœderatis, aut propinquis ſatisfacturum: tametſi in ea, quæ in Subalpina Gallia poſſidet, Rex plus iuris, quam Allobrox ſibi vendicat, quæ ex proprio Ludouicæ auiæ patrimonio ad ſe deuenerint, vt prolatis litterarum inſtrumentis quum opus erit, palàm fiet: Regem nihilominus & hanc quoque controuerſiam ad Concilium relaturum, modo Cæſar Regi Nauarro, Parmenſi regulo, cæteriſque Regis fœderatis idem præſtet, eorundémque controuerſias ad Concilium referat. Cæſariani legati dies quinque ad reſpondendum poſtularunt, vt interim Cæſarem omnium, quæ acta eſſent, certiorem redderent. Cæſaris reſponſo accepto vt Rex omnia poſtremis bellis ablata reſtitueret, inſtiterunt. Galli id nihil aliud eſſe, quam bellum ſemper alere reſpondentes, vt de horum principum reconciliatione melius cogitarent, impenſe orarunt, ex qua totius Chriſtianiſmi fortuna pendeat. Cardinali autem Polo, atque Anglis, qui in illis reconciliandis omnem opem, operámque poſuerunt, ingenteis gratias egerunt; Deum Opt. Max. precati vt eorundem principum animos ita aliquando componat, vt quam nunc reiiciunt, reconciliationem mutuo conſenſu, ac ſua ſponte amplectantur. Nos ad hunc conuentum vnà cum Cardinale Lotharingo acceſſimus, & quæ ibi acta ſunt, partim vidimus, partim ab illo accepimus. Caleſium quoque inuiſimus, vbi Gallos Angli humaniſſimè exceperunt; & tamen aliquantò poſt, quod noſtri vrbis ſitum totiúſque vicini agri tum diligentius contemplati fuiſſent, ad eam mox oppugnandam inuitatos fuiſſe ſuſpicati ſunt.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER VIGESIMVS-SEPTIMVS.

Anno 1555.

Qua ratione Salſano Caſale in ſuam poteſtatem redegerit.

1 SEXTO Idus Martij Saluaſo Verruæ præfectus Caſale Monferratenſis Marchionatus principem vrbem noctu ſcalis admotis in poteſtatem ſuam redegit: quicquid enim ibi fiebat per Fontarolum pontis Sturci mercatorem cum Caſalenſibus quotidiana commercia habentem ſciebat. Die antecedente celebratæ erant nuptiæ ciuis vrbis primarij, ad quas Figneroſus præfectus, cæterique totius regionis præſidiariorum militum præfecti conuenerant: in hanc facilè noſtri irruperunt cuſtodiis magna ex parte ſopitis, à ſociis etiam adiuti quos in vrbem aliquot ante diebus ruſticorum habitu Saluaſo immiſerat. Fignerolus, atque Hiſpani ſeminudi ſe in arcem receperunt: ſatis diu reſtitit Lodronius Comes cum ſuis Germanis, & Saluaſoni, & mox Briſſaco Mareſchallo, qui ſtatim cum tormentis affuit, arcémque tormentis vehementer concuſſam intra vigeſimamquartam horam deditione cepit: ſic omnis commeatus, & bona pars apparatus Cæſariani exercitus, quem Albanus regulus ad recuperandam Galliam Subalpinam adducturus erat, vnà cum vrbe interceptus eſt. Et quoniam virtuti ſua laus reddenda eſt, Saluaſonis induſtria tacenda non eſt: hic à Iuriſprudentiæ ſtudiis quibus Tholoſæ adoleſcentiam impenderat ad militiam traductus, deinde ex gregario milite per gradus ad maiora munia euectus magnum rebus Gallicis in Italia momentum attulit, & Briſſaci ſummi ducis nomen per ſe celebre plurimum illuſtrauit, magiſque illuſtraſſet, niſi ab Hiſpano domeſtico de induſtria ad illum miſſo florente adhuc ætate veneno ſublatus fuiſſet; vt ſuo loco, cæteráſque eius res geſtas ſilentio non præteribo.

Iulij III. Pontificis Max. mors.

Marcellus II. in eius locũ ſuffectus.

Decimo Kalend. Aprilis Iulius Tertius Pontifex Maximus poſtremum ſuum diem obiit. Cardinales Marcellum Secundum natione Tuſcum è Politiano monte in eius locum ſuffecerunt: alij eius patriam ad Alcinoi montem referunt: vir fuit pius & doctus, cuius conſilio Paulus Tertius Pontifex Maximus plurimùm vtebatur. Hinc quum Mediolanenſem principatum à Cæſare bellum in Galliæ Regem moliente Paulus ingenti pecunia redimere, & ad Alexandrum Cardinalem Farneſium transferre in animo haberet, ac de pretio fere conueniſſent, ſed quod arceis ſibi Cæſar retinere vellet, non conuenirent, Paulus à Marcello conſilium exquiſiuit: ille Cæſarem retentis arcibus, acceptáque pecunia Farneſios data occaſione excluſurum, nec tanto principatu ceſſurum reſpondit. Aut igitur vniuerſum principatum Cæſar tradat, nihil retineat: aut ſi arceis Cæſar retineat, nihil certi Paulus ſibi, ſuiſque tradi exiſtimet: cui Paulus aſſenſus eſt: vnde Macellus in Alexandri Cardinalis odium incurrit.

Moritur 22. ſui Pontificatus die.

2 Secundo & vigeſimo ſui Pontificatus die morte præreptus ingenij ſui ſpecimen edere non potuit. Pontifex creatus cæterorum more nomen ſuum mutare noluit: quod infœlix omen illi fuiſſe nonnulli interpretati ſunt: etenim fere omneis Romanos Pontifices (vt à Sergio Secundo incipias, qui id primus immutauit) qui nomen retinuerunt, breui deceſſiſſe memoriæ proditum eſt. At Sergius ipſe tertio ſui Pontificatus anno mortem obiit. Per hos dies Ioanna Caroli Imperatoris mater vitam edidit, quæ licet vi doloris è Philippi viri morte ſuſcepti mente mota ſit, & reliquam ætatem in eodem affectu tra-

Ioanna Caroli Imperatoris matris mors.

Digitized by Google

duxerit, tamen communi eius, ac Caroli filij nomine omnia regnorum, cæterarúmque ditionum negotia procurabantur. Ea Caroli filij erga matrem moderatio, ac pietas fuit.

Paulus IV. Marcello II. ſuccedit.

Marcello Ioannes Petrus Carrafa, Paulus Quartus mox dictus decimo Kalend. Iunij ſucceſſit, Hippolyto Ferrarienſi atque Alexandro Cardinale Farneſio authoribus, cæteris Cardinalibus aſſentientibus. Decanus erat (vt illi loquuntur) hoc eſt, eius collegij Senator antiquiſſimus in id ab Adriano Sexto aſcitus, quum Ferdinandi primum Hiſpaniæ Regis, deinde Caroli Imperatoris ſacello præfuiſſet: vir doctus, eloquens, & trium linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ peritus: Theatino Archiepiſcopatu à Clemente Decimo donatus aliquanto poſt ceſſit, & ſub montem Pincium in ædes modicas ſeceſſit, vt litteris liberius operam daret. Roma à Caroli Borbonij exercitu vaſtata Veronam primum, deinde Venetias ſe contulit: vbi Dominicinæ profeſſionis ſodalis ſodales Ieſuitas nouum ſodalium genus magnam ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferens inſtituit: vnde in Cardinalium collegium deintegro aſcitus priſtinum gradum retinuit, & Paulo Tertio, vt Romæ religionis quæſitores Hiſpanico more inſtitueret, author fuit: Sabinum, Neapolitanum, Tuſculanum, Oſtienſem Pontificatus quadam ſucceſſione geſſit: quamquam Theatinum cum Brunduſino opulentiore commutare antea recuſarat, & Theatino ipſo ſponte ceſſerat. Pontifex creatus Marcellum imitari, & Romanæ aulæ antiquam integritatem reſtituere conatus eſt: ſed plerique Cardinales ac Romani viri nobiles ne id præſtaret, impedimento fuerunt: nam quas à Cæſare iacturas, iniuriáſque Carrafarum familia accepiſſet, memores ſub Pontificatus eius initium aduerſus ipſum coniurarunt. Etenim ** princeps Melfitanus patrimonio à Cæſare ſpoliatus fuerat, & duo fratris eius natu maioris liberi Carolus, atque Antonius inter Neapolitanos exules numerabantur: coniuratio non ſtatim palam facta eſt, qua detecta eoſdem ac Ioannem natu maximum Montorij, ſiue Montis Aurei Comitem arceſſere, atque honoratis muneribus ornare, vt vitæ ſuæ conſuleret, coactus eſt: quamquam eorum ingenia, ac mores nullo modo probabat.

Fallitur auctor, nā nec Paulus IV. fuit Dominicanus, nec Jeſuitas inſtituit.

Montorij Comes, quem Cæſar Neapolitanis exulibus puniendis præfecerat, initio à 5
Cæſare ad patruum deficere recuſabat: mox tamen Romam acceſſit, & primum gradum obtinuit. Carolus antea miles Rhodius, ſiue Melitenſis, ac Neapolitanus primas, ſiue prior (vt illi vocant) atque Antonius in ſumma inopia exules declarati aliquandiu vixerant. Petrus Stroza in Senenſi agro Henrici Regis legatus Carolum peditum cohorti præfecit: Iulium enim Tertium non diu victurum, & Cardinalem Theatinum eius patruum Iulio ſucceſſurum veriſimile erat, quod Cardinalium omnium antiquiſſimus, atque eruditiſſimus eſſet, & vitæ integritate cæteris præſtare videretur; idque Stroza prudenter animaduertebat. Carolum Paulus in Cardinalium collegium allegit, ac Bononienſem, Anconitanúmque legatum deſignauit. Rhodij milites, ſiue Melitenſes, ac Cardinales profeſſionem monachorum profeſſionis non multum diſſimilem faciunt: nihil proprium habent, vt cætera omittam, de quo teſtari poſſint, illorum magnus eius ſocietatis magiſter, aut ipſa ſocietas, iſtorum Romanus Pontifex perinde ac monachorum Abbates, ſe hæredem prædicat. Si fortè Cardinales teſtantur, id de quo teſtantur, ſine Romani Pontificis permiſſione ratum non eſt; Melitenſibus militibus id nullo modo permittitur. Tertius Antonius vt natu minimus ita ingenio poſtremus, at omnium arrogantiſſimus ex aliorum ſpoliis Montis Belli Marchio deſignatus fuit. Hi ſclopetariorum peditum cohortem ad Pauli cuſtodiam conſcripſerunt, quorum quinque & viginti mutuis vicibus ſibi ſuccedentes ante gradus Pontificij cubiculi noctu, atque interdiu excubias agebant. Alexander Farneſius Cardinalis ob inimicitias à Iulio Tertio aduerſus familiam ſuam ſuſceptas in Galliam ſeceſſerat: Paulo Quarto Pontifice creato Romæ, vt ante, reſidere conſtituens ſupellectilem ſuam duabus triremibus Maſſiliæ imponi iuſſerat, quas ad Centumcellarum portum appulſas Lombardiæ primas, ſiue prior Sanflori Cardinalis frater ſuas eſſe prædicabat. Cardinalis à Montorij Comite litteras obtinuit ad arcis Centumcellanæ præfectum, quibus mandabatur vt Lombardiæ primati, eiúſve procuratoribus illarum triremium poſſeſſionem dari iuberet: alter Sanflori Cardinalis frater vnà cum Lutnio, qui Cardinali ab epiſtolis erat, ita rem executi ſunt, vt pulſis Gallis, eorúmque præfectis triremes in ſuam poteſtatem redactas Caietam curſum tenere coëgerint.

Melitenſium equitū, Cardinalium, & Religioſorum profeſſio confertur.

Quum Regis legati ea de re quererentur, & Paulus nepotem Montorium increparet, 4
is ſe à Lutnio triremium poſſeſſorem mentiente deceptum fuiſſe reſpondit; vnde Lutnius in Adriani molem coniectus eſt. Cardinalis Sanflorus timens ne Lutnius conſiliorum ſuorum arcanorum omnium conſcius, aut metu, aut quæſtionibus addictus, quid ipſe moliretur,

moliretur, aperiret, Cæſarianæ factionis principes Paciecum Cardinalem Hiſpanum non ita dudum Neapolis adminiſtratorem, Ioannem Baptiſtam Cicadam Genuenſem, quem Cardinalem à Sancto Clemente appellabant, Ioannem Riccium Cardinalem à Monte Politiano, Fuluium Corneum Cardinalem Peruſinum Aſcanij Cornei fratrem Cæſaris legatum, M. Antonium Columnam, Iulianum Cæſarinum, & nonnullos alios clam domum ſuam conuocauit, qui vno conſenſu aduerſus Paulum Pontificem coniurarunt; cuius coniurationis conſcium etiam fuiſſe Alexandrum Farneſium Cardinalem nonnulli exiſtimarunt. Coniuratio tam occulta non fuit, quin vel ſuſpicionibus, vel indiciis ad Paulum deferretur. Itaque partim Romæ, partim in vicinis oppidis circiter quinque, aut ſex peditum millia conſcripta ſunt, & Romæ pridie Kalend. Septembris coierunt: tum quum ob vehementiſſimos calores Paulus ad Marci palatium diuerteret, is Cardinalem Sanflorum primum arceſſiuit; cui vt triremium furtim ſublatarum rationem redderet, edixit: is intra menſem ſe redditurum pollicitus eſt: ni redderet mulcta vigintiquinque millium nummûm aureorum impoſita eſt. Mox Cardinalis Carrafa patrui mandato, vt is ſe in Adriani Molem ſiſteret, iuſſit: quo ille rheda vectus quinquaginta ſclopetariis peditibus, multis equitibus comitantibus conceſſit. Paulò poſt Montorij Comes Camillum Columnam prehendi iuſſit, & in eandem Molem pari comitatu deducendum curauit. Iulianus Cæſarinus ſe Roma pedem non moturum promiſit, & ad quinquaginta nummûm aureorum millia cautionem dedit. Dedit & Aſcanius Corneus quindecim millium. Italis Cardinalibus qui coniurationi interfuerant Cardinalium collegio exorante quarto Nonas Septembris veniam dedit; ea tamen conditione, vt ſe de coniuratione purgarent, & innocentiam ſuam declararent: neque enim Paulus inexorabilis, verùm ad veniam perfacilis erat. Coniuratione nondum aduerſum ſe denuntiata M. Antonius Columna qui Aſcanium patrem in cuſtodiam tradiderat, Paulo ea conditione vt ad præſcriptum tempus rediret permittente in regnum Neapolitanum, vbi magnas poſſeſſiones Columnæ habent, ſeceſſerat.

Coniuratio Cæſarianæ factionis principũ aduerſus Paulum Pontificem.

Cardinalis Sanflorus cũ Camillo Columna in vincula coniectus.

5 Interim lis aduerſus ipſum aut eius patrem Aſcanium à Pontificij patrimonij procuratore, quem vulgo Fiſcalem vocant, diu ante mota ſuſpenſa erat. Columnis Martinus Quintus, qui ex eadem familia erat, & Conſtantienſis Concilij decreto Romanus Pontifex declaratus fuerat, Ioanne, Gregorio, Benedicto, qui de Pontificatu contendebant, reiectis, multa oppida, arceiſque in Romano agro, vicinóque, ac toto Latio condonarat ea conditione, vt Romanum Pontificem patronum agnoſcerent: quibus clari, & aliunde opulenti tantùm abeſt, vt officium clientum Romanis Pontificibus præſtarent, vt etiam aduerſus illos bellum gererent, & Regum Neapolitanorum parteis ſequerentur, quorum auxiliis ſe tuebantur. Nec ſuperiores Pontifices illorum ſuperbiam domare potuerunt, donec Paulus Tertius Pontifex eorumdem oppida munita, arceiſque occupauit, & per fiſci procuratorem lite mota eoſdem rebelles, poſſeſſionéſque quas à Romano Pontifice in clientelam tenebant, patrono commiſſas eſſe, & ad Romanum patrimonium redire debere iudices pronuntiarunt: quod decretum Paulus exequutus poſſeſſiones quoad vixit, retinuit. Aſcanius tamen M. Antonij pater à Iulio Tertio, ſed ſine cauſæ cognitione obtinuit, vt in amiſſarum arcium, oppidorúmque poſſeſſionem rediret. At Pauli Quarti Pontificatus initio idem fiſci procurator M. Antonio litem rurſus intendit: non ſolum quod ſine cauſæ cognitione commiſſas Romano Pontifici arceis atque oppida ipſe, aut pater neſcio quibus artibus inuaſiſſet, ſed quod etiam Pallianum, ac rupem quam Pontificiam vocant, muniret: cui iniunctum eſt ne ex vrbe exiret prius, quàm ad procuratoris obiecta reſpondiſſet. De coniuratione palam facta, & Sanfloro Cardinale, ac Camillo Columna in cuſtodiam traditis M. Antonius ſibi malè conſcius intra præſcriptum tempus non rediit: vnde fiſci procurator vt iudicum decretum Paulo Tertio Pontificatu fungente factum confirmaretur, Iulij Tertij diploma de reſtituendis arcibus, oppidíſque nullum pronuntiaretur, obtinuit. Id vt exequeretur Paulus Quartus circiter centum M. Antonij Columnæ arceis aut oppida, quorum prouentus annuus ad centum nummûm aureorum millia peruenire ferebatur, in ſuam poteſtatem redegit: è quibus Pallianum in Ducatum erectum Ioanni Montorij Comiti in clientelam dedit: vtque fundus nepoti à Cardinalium cœtu confirmaretur, impetrauit. Hic bellorum inter Henricum Galliæ, & Philippum Hiſpaniæ Reges fons, & origo fuit: Columna enim ad Philippum, cui nuper Cæſar regno Neapolitano ceſſerat, confugit, & quantum illius intereſſet, ſi Carrafæ Gallicæ factionis principes à Cæſare tot detrimentis affecti in tantam potentiam eueherentur, docuit: hanc nimirum Gallis paratam eſſe ad regnum Neapolitanum

Bellorum inter Hẽricum Galliæ, & Philippũ Hiſpaniæ Reges origo.

politanum

Politanum viam, & multa alia in id argumentum addidit. Nec ſuſceptis cum Columnis inimicitiis contentus Paulus Pontifex Paulo etiam Iordani Vrſino Braccianum primarium ſui patrimonij fundum abſtulit: vnde in magnum Romanorum vtriuſque factionis odium incurrit; tametſi Braccianum paulò pòſt Iordani reſtituit: vt granaria opulentorum ciuium, quorum bona pars Columnæ factionis erat, inuiſerentur, edixit; & vbi maior tritici quantitas, quam ad alendam domini familiam neceſſaria erat, deprehendebatur, quod ſupererat, iuſto pretio ementibus publicè exponi iuſſit. Eodem modo per ſingulas domos arma conquiri, & vbi plura quam ad familiam ſingularum armandam neceſſaria erant,reperiebantur,auferri,ne ſeditione excitata iis hoſtes vterentur.

6 Menſe Nouembri Paulus me Pontificatu Metenſi cedente Lotharingo Cardinale donauit, ac quum illi gratias agerem me mei officij admonendo, & commiſſum populum commendando facunda in primis & ſatis prolixa oratione reſpondit, vt tam expeditam in homine ſene & in multis negotiis verſato eloquentiam admirarer. Viginti annos Theologiam profeſſus erat, & ſacros libros cum magna ſui nominis gloria explicarat. Idem Paulo Cardinali Anglo Anglicam legationem ademit, quem ſummi Pontificatus æmulum poſt Pauli Tertij mortem habuerat: & Cardinalem Moronum Canenſem in Molem Adriani concludi iuſſit eumdem niſi morte præreptus fuiſſet, Senatoria dignitate ſpoliaturus: vtrumque de nouis in religione ſectis ſuſpectum habebant. Conuentu ad Marcum,vt ſupra ſcripſi,diu vtrimque protracto, vt belli initiis prouideretur, ac ſpe pacis inter Cæſarem Regémque fere ſublata Cæſar captum à Gallis Caſale, aliquótque alia vicina oppida ægrè ferens Albanum regulum ſummum ſuum legatum in Italiam miſit; Ferdinandus Gonzaga Bruxellas abiit rationem ſuæ legationis redditurus. Albanus Florentinis, Melegnanenſibúſque copiis ſibi & Mediolanenſibus iunctis Garziam Toletanum legatum ſuum decernit: de bellicis functionibus pauca aut nihil cum Melegnanenſi communicat, vnde ille dedignatus ſe domum recipit. Albanum longe viribus ſuperiorem animaduertens Briſſacus vrbium, arciúmque præſidiis diligenter prouidit, & caſtella, quæ circum Vulpianum extruxerat, quoad potuit, muniit; ne vel commeatus in oppidum importaretur, vel obſeſſi ſuos adorirentur. Interim dum ſe Albano venienti opponit, qui Iulio inclinante cum ſex equitum, viginti peditum Hiſpanorum, Germanorum, Italorum millibus, tormentis triginta Vulpianum contendit: quicum vt confligeret, Briſſacus viribus inferior cum copiis, quæ bis mille equitibus, decem peditum Gallorum, Heluetiorum, Germanorum millibus conſtabant, ad Caſale, quod primum oppugnatum iri exiſtimabat, caſtra poſuit, eáque diligentiſſimè vallo, foſſaque firmauit, auxilia expectans, quæ Rex ſe miſſurum promiſerat. Albanus Farcinetum paruam arcem tribus inde paſſuum millibus diſtantem expugnauit; & vt cæteris terrorem magis incuteret, noua crudelitate necdum in Italia hiſce bellis audita arcis præfectum ſuſpendi, Italos milites omneis ad vnum trucidari iuſſit. Gallos ad remum compulit; deinde Valſemeriæ, ſeu Vallisſemeriæ præfectum cum trecentis equitibus, quadringentis peditibus ad regionem explorandam miſit, qui à Gallis equitibus in fugam verſus ipſe Aſtam cum nonnullis,cæteri Alexandriam aufugerunt.

Paulus IV. 20. annis S. Theologiam profeſſus.

Albani noua & inaudita crudelitas.

7 Albanus igitur viribus ſuorum integris primùm belli conatum edere cupiens Gallicis auxiliis nondum appulſis commeatum biduo Vulpianum intulit; deinde fanum Iacobi oppugnauit, cuius munitiones nondum abſolutas, aut ſaltem quod recentes eſſent, infirmiores iudicabat. Oppido præerat ** Boniuetus Gallorum in Italia peditum tribunus cum bis mille Gallis peditibus, duabus Germanorum ex Rochandulfi legione cohortibus, totidem Italorum, centum leuis armaturæ equitibus Theodoro Bedamo ductore. Poſtquam circiter viginti dies aut paulò plures Albanus vehementer oppidum tormentis verberaſſet, & magnas ruinas edidiſſet,atque ex obſeſſorum incurſationibus,quæ quotidie fiebant id haud facile capi poſſe didiciſſet, oppugnationem indicere auſus non eſt: & de aduentu Aumallij, Anguiani, Condei, Nemorenſis, Niuernenſis, cum decem bellatorum millibus certior factus obſidionem ſoluit; tormentorum magiſtro, ac mille quingentis militibus deſideratis. Vercellas verſus redeundo nonnulla parua oppida cepit, atque euertit, Gabiano, ac fano Martini, quod quatuor paſſuum millibus Caſali diſtat, exceptis. Aumallius Regis legatus,quamquam nonnulli vt hoſtem abeuntem perſequeretur, conſulebant, Vulpianum vti iuſſus erat,oppugnare maluit. Itaque ſub Auguſti finem cum octingentis cataphractis,mille ducentis leuioribus equitibus, duobus,ac viginti peditum Gallorum,Heluetiorum, Germanorum,Italorum millibus ad oppidum caſtrametatus eſt,ac poſt magnam tormentorũ fulminationem,quæ totos quatuor & viginti dies

Vulpianũ Aumallio deditum.

dies continuata eſt, cuniculis interim ſub magnum propugnaculum ductis, quod arcem pariter, atque oppidum tuebatur igníque puluere tormentario admoto bona propugnaculi pars proſtrata eſt: propugnatores milites partim abſorpti ſunt, partim in arcem aufugerunt, nec admiſſi, ne ſimul cum illis Galli irrumperent, aut cæſi, aut capti fuerunt: inter illos Albani reguli nepos; inter iſtos Sigiſmundus Gonzaga ac Lazarus Albani ſtipatorum, qui ſelecti milites erant, legatus numerati ſunt.

8 Altera murorum ruina difficilior fuit: foſſa enim tranſmiſſa, cuius aqua ad vmbilicum militum perueniebat, ſcalis conſcendendum erat, vbi Anguianus ac Condeus inter primos depugnantes cæteris exemplo fuerunt. Itaque è noſtris ibi non pauci ceciderunt: Comes autem Creancius ita vulneratus eſt, vt paulò poſt expirarit. At poſtquam Aumallius tormenta quatuor in propugnaculo ſupra commemorato collocari iuſſit quæ in oppidi vicos & in milites, qui ad alteram ruinam propūgnabant, pilas euomebant, de deditione obſeſſi egerunt: conuenit vt cum armis, atque omni ſupellectile, vexillis explicatis, tympanis reſonantibus exirent, & in tutum deducerentur. Eandem conditionem poſtridie arcis præfectus accepit: huic deditioni Septembri inclinante factæ Briſſacus Mareſchallus interfuit, qui certis de cauſis oppugnationis initio intereſſe noluit. Emanuel Lunius Albani mandato cum ſexcentis partim Hiſpanis, partim Italis ſclopetariis equitibus ante iter ingreſſus erat, ſed Pado vado traiecto à Rochapoſæo fuſus maiorem ſuorum partem amiſit, cæteri diſſipati aufugerunt, pauci ante deditionem Vulpianum inierunt: quod mox captum Aumallius demoliri iuſſit: & quaſi pontem Stureum, quod Albanus muniebat, ne Galli Taurino ſoluentes ſecundo Pado Caſale nauigarent, aut aliquid importarent oppugnare vellet equitatum illuc præmiſit. Multum autem auctum erat eius oppidi præſidium vt Gallos Caſale verſus incedenteis detineret: cum hoc noſter equitatus diu leuioribus præliis decertauit, vt peditatum & tormenta prætereuntia tegeret: vbi autem Moncaluum noctu appulere, ſcalis admotis conſcendentes ſtatim oppido potiti ſunt: oppidani enim ponte Stureo inter ſe & Gallos interiecto nihil ſibi timebant: arx tormentis pulſata ſexto die dedita eſt: alij aliquot dies addunt: præſidiarij milites cum armis, & ſarcinis vno tormento vexillis explicatis exierunt: & quum ad Stureum pontem appuliſſent, eorum præfecti Nonis Octobris ſtrangulati ſunt, quod firmam arcem ſine vlla impreſſione dedidiſſent. Magni hæc arx momenti erat, quæ pontem Stureum, cæteráque Mediolanenſium ad Padum oppida quodam veluti freno coërcebat, & Caſalenſium fines in omnem partem dilatabat. Hic noſter exercitus aliquot dies donec arx inſtauraretur, ac ſatis munita videretur, conquieuit: deinde hyeme inſtante non ſecus ac Cæſarianus in hyberna diſceſſit.

Moncalui arcis præfecti ſuſpēſi, quòd firmā arcem ſine impreſſione vlla dedidiſſent.

9 Nihil præterea memoria dignum geſtùm eſt, niſi quatuor Galli cum totidem Cæſarianis infeſtis lanceis concurrerunt. Nemorenſis regulus, Claſſius Vaſſei torquati equitis ac quinquagenariæ cataphractorum equitum alæ præfecti filius natu maximus, Manes Rochapoſeæ leuiorum equitum alæ legatus, Mucha Pinartiæ alæ vexillifer cum Piſcario ac Malaſpineo Marchionibus, Alba Hiſpano præfecto, Carrafa Comite Pauli Quarti Pontificis Maximi nepote: hic haſta transfixus in ipſo certaminis campo expirauit. Claſſius, ac Manes ex vulneribus in collum acceptis non multo poſt eandem fortunam ſubierunt, cæteri incolumes ad ſuos reuerterunt. Claromontanus cum ſua cataphractorum equitum ala dum Caſale petit, ibi hybernaturus in Piſcarium incidit cum octingentis leuioribus equitibus, trecentíſque ſclopetariis occurrentem fuſus, ſarcinis omnibus amiſſis, vigintiquinque, aut triginta è ſuis captis ipſe cum cæteris Caſale euaſit: Saluaſo ſexto Idus Decembris duas leuiorum equitum Italorum alas primo diluculo, quum ientare inciperent, aggreſſus duos præfectos, eorúmque legatos & circiter ſexaginta milites peremit: cæteros cepit, & multis armis, equíſque ſecum abductis Caſale rediit: ſic ſe mutuis incurſationibus nunc his, nunc illis fœlicibus noſtri, Cæſarianíque laceſſebant.

10 Nunc in Galliam, Belgiúmque redeamus: vbi Cæſar conuentu ad Caleſium, Grauelinas (Kaulingam alij vocant) Arderáſque diſſoluto exercitum prior ad viginti bellatorum millia conſcripſit: cui Martinum Roſſenium Cliuenſem nothum præfecit: is poſt multas incurſationes, & vicorum, oppidorúmque ad Moſam excitata incendia ad Giueos portus caſtra poſuit, & in monte, cuius radices Moſa alluit, caſtellum ædificare ac munire cœpit, vnde Cæſariani & ſuos tuerentur, & Gallos infeſtarent, ac paratum receptum haberent: neque tamen id peſte in ſuo exercitu vehementer graſſante abſoluere potuit, verum ipſi munitioni immortuus eſt. Interim Niuernenſis Campaniæ prætor de annona Mariamburgum importanda ſollicitus eandem, ac milites clam hoſtibus ita coëgit, vt nullum

Digitized

vt nullum quamquam difficillimis itineribus, & ad ſtruendas inſidias aptiſſimis proficiſcentibus impedimentum inferrent: quingentos currus, quibus Regia annona, ac mercatorum ſimul & merces præſidiariis militibus neceſſariæ vehebantur, accumulauerat: deinde trecentos ſclopetarios equites Gallos, Anglos, Scotos præire iuſſit: vt ſi hoſtes occurrerent, id ad præfectum octingentorum leuiorum equitum, qui ipſos ſequebantur, referrent; qui vnà cum primi agminis ductore, qui cum ducentis cataphractis equitibus, atque octo peditum cohortibus proximè incedebat, quid facto opus eſſet, prout ſe daret occaſio, prouideret: aut à Niuernenſi, qui cum trecentis cataphractis equitibus, octo peditum cohortibus alterum agmen ducebat, & currus ad quorum latera ſclopetarij pedites diſtributi erant, ſequebatur mandatum poſtularet: in poſtremo agmine ducenti cataphracti equites, ac centum leuiores collocati erant. Hoc ordine ingredientes ſedecim milliaria quæ octo noſtris leucis reſpondent, Arduennam ſiluam tranſmittentes confecerunt, & tandem Mariamburgum appulerunt ſi hoſtes occurriſſent, qui hunc numerum duplicabant, aut potius triplicabant, ad pugnam ineundam parati. Ibi Fumæo Mariamburgi præfecto quinquaginta cataphractos equites, ducentos leuiores, nouem veteranorum peditum cohortes reliquit: inde alia via, vt Rocroium inuiſeret, in Campaniam rediit, & in totam illam oram milites diſtribuit.

Qua ratione annona Mariamburgum à Niuernẽſe importata.

Nihil præterea aut Cæſariani in noſtros, aut noſtri in illos moliti ſunt, donec circiter 11
Idus Sextiles Arauſius princeps à Cæſare in locum Roſſenij miſſus copias diſſipatas in vnum coëgit, & recenteis adduxit: nec tamen quicquam arduum aggreſſus eſt: noſtros duntaxat ſuſpenſos tenuit, & Coruinium caſtellum, quod poſtea Philippopolim vocarunt, Mariamburgo non multum diſtans muniit. Gaſpar Colignius Amyralius, ac Picardiæ prætor, cuius adminiſtratione Antonius Borbonius Vindocinenſis regulus ceſſerat, & ad adeundam regni Nauarræ, cæterarúmque Henrici Alebreti ſoceri nuper mortui prouinciarum poſſeſſionem profectus erat, vrbium, arciúmque hoſtibus finitimarum præſidiis diligenter prouiderat: at paulò poſt Ialla cum mille quingentis equitibus, qui fundorum ſuorum nomine militabant aliquot vrbium præſidiariis, ac quadringentis peditibus in hoſtilem agrum excurrit, & ingenti præda ſuos onuſtos reducens nullis ſeruatis ordinibus, nullis equitibus ad exploranda itinera præmiſſis quum ad quemdam vicum, fluuiúmque appuliſſet, cuius ponteis, vada, omneiſque aditus Hauſimo Bapalmæ præfectus aut interſciderat, aut firmis præſidiis ſepſerat, hæſit anxius, nec tamen ſuos ita ad pugnam inſtruxit quin hæſitanteis fortiter Hauſimo aggreſſus facilè fuderit. Ialla vulneratus, ac ſuorum fere tertia pars capta eſt: cæteri aut in ipſo certaminis campo interierunt, aut in vicinam ſiluam aufugerunt, quæ multis vel ſaluti fuit, vel ne caperentur obfuit: hanc vulgò nobilium turmam vocant, in qua rari viri nobiles reperiuntur: plurimi ignobiles, & quidem tyrones in ſuum locum ſupponunt, qui etiam ægrè præfectis ſuis parere ſolent: etenim ſenio confectis, viduis, pupillis, vt alios in ſuum locum ſubſtituant, & multis aliis, qui ſæpenumero morbum falsò cauſantur, permittitur. Ad hæc plerique ruſtici, aut oppidani fundos nobiles poſſident, qui officium ſuum nec per ſe, nec per alios præſtare poſſunt, vt in his militarem diſciplinam Reges merito inſtaurare debeant: hæc enim de ignauis victoriola hoſtibus ſpiritus ita auxit, vt Guiſanus Guiſam, Amyralius in ſuam prouinciam, hoc eſt, in Picardiam, Rex ipſe in villam Cotercam animos ſuorum confirmaturus acceſſerit.

Cæſarianus interim exercitus Philippopoli muniendæ intentus, cui Eburones ac Na- 12
muriani omnem operam adhibebant, frequentibus etiam incurſationibus vicinum Campaniæ agrum populabatur, vt Gallos annonæ in alterum annum Mariamburgum importandæ commoditate fruſtrarentur. Et Sanſacus tum Metenſis præfectus in recipienda Emeriana arce, quam Theonuillani præſidiarij interceperant, multos milites retinebat: nec ſuos Caſtilio Amyralius, niſi Octobri multum inclinante adduxit. Itaque tertio Kalend. Nouembris Sanſacus, ac Bordilio cum leuiore equitatu, trecentis ſclopetariis peditibus, ac cataphractorum turma ſubſequente, ad quos ſi opus eſſet, ſe reciperent, totam noctem denſis pluuiis, ac frigore infeſtam in explorandis per ſiluam itineribus traduxerunt. Caſtilio Amyralius qui primam aciem ducebat, cum quingentis cataphractis equitibus, atque aliquot Gallorum peditum cohortibus Rocroij ſubſtitit: ſequutus eſt Niuernenſis cum viginti Germanorum cohortibus Ringrauio ductore, & aliquanto equitatu: ſed quod Arauſius cum toto exercitu noſtros in loco ipſis iniquo expectare ferebatur, partem duntaxat curruum properare iuſſerunt; tametſi Sanſacus nihil hoſteis moliri poſtea renuntiauit. Pars curruum Malberfontano profecta propter itinerum difficultates

Digitized by Google

Rocroium accedere non potuit, viginti duntaxat currus vino, farináque onuſti Mariamburgum magnis impenſis intromiſſi ſunt, alieno enim tempore huiuſmodi vecturæ ſuſceptæ erant. De Britanniæ minoris Ducatu inter familiam Monfortiam ac Bleſianam vetus controuerſia fuit: Anna Britanna Henrici Regis auia Ludouici huius nominis duodecimi Galliæ Regis vxor è gente Monfortia oriunda, eiúſque maiores, ac poſteri ſemper in Ducatus poſſeſſione fuerant: litem nihilominus renouarat Ioannes Broſſius Stempenſis regulus vulgo nuncupatus, quam Merula Britanna mater eiúſque maiores è Bleſiana familia oriundi longè ante intenderant; inter Franciſcum Regem huius nominis primum, eundémque Broſſium pactiones quædam factæ erant, verùm vt lis omnino finiretur, Henricus Comitatu Pontabriæ, in quem Anna auia ſibi ius vendicabat, Broſſio ceſſit, portubus quibuſdam exceptis. Broſſius viciſſim iure, quod in Britanniæ Ducatum lite conteſtata ſe habere aiebat, Henrico ceſſit: ſuper quibus diplomata authoritate Regia expedita ſunt.

Controuerſia inter familiã Monfortiam ac Bleſianam origo.

13 Auguſto menſe bello inter Cæſarem, atque Henricum Regem flagrante ex Hiſpania redibant duæ & viginti Flandricæ onerariæ naues pretioſis mercibus onuſtæ: Normani homines vigilantiſſimi, ac rei nauticæ peritiſſimi, qui ſemper, dum bellum geritur naueis exploratorias (quas Græco vocabulo vſurpato cataſcopia vocant) in illo anguſto inter Galliam, Angliámque freto habent: harum reditus certiores facti, his cum vndeviginti nauibus, ſex cataſcopiis ad Douerum Angliæ portum occurrunt; & quam celerrimè fieri poteſt, vt tormentorum fulmina vitarent, ad manus veniunt: ac quindecim hoſtiles harpagonibus & manibus ferreis cum ſuis colligant. Normanorum naues agiles erant, & ad omnem motum idoneæ: hoſtium verò altitudine, latitudinéque valde maiores & ſtructura firmiores. Itaque veluti in vrbium oppugnationibus Normani ex inferiore loco, & ſibi iniquo in ſublimes naueis quaſi in vrbium muros conſcendebant, iaculis, ſclopetíſque obiecti. Flandri ex alto humiles deſpiciebant, & tranſtris eminentibus quaſi vallo tecti iaculis, ſclopetis, pyrobolis, omni denique armorum genere aſcendenteis repellebant: tormenta quoque & ex nauibus colligatis, & ex cæteris, quæ liberæ adhuc erant, officium ſuum truculenter implebant: præliúmque cruentiſſimum, atque horrendiſſimum in ſex horas à nona matutina ad tertiam pomeridianam (vt Galli numeramus) protractum eſt: quod tandem ignis in vtriuſque partis naueis vel tormentorum fulminatione, vel alia de cauſa, quæ in tanto prælij feruore, ac tam denſis tormentorum tonitruis animaduerti non potuit, immiſſus diremit, & ſex Flandricas, totidem Normanas naueis abſumpſit. Normani hoſtiles quinque abduxerunt, verum eorumdem prætoria demerſa eſt: multi vtrimque vel telis transfixi, vel igne abſumpti, vel aquis ſuffocati perierunt. Octobri menſe Carolus Cardinalis Lotharingus Lugduno profectus ſecundo Rhodano Maſſiliam contendit, vbi Cardinalem Turnonium offendit. Hi Romam ſimul nauigare conſtituerant; quum venti contrarij eſſent, aliquot dies circum Maſſilienſes inſulas oberrarunt, & tandẽ ad Tolonem portum appulerunt: quatuordecim triremes quibus Paulinus Gardenſis Baro præerat, eorum Comitatum, atque impedimenta portabãt: circiter triginta paſſuum millia progreſſas triremes ventus paulo vehementior agitauit: Lotharingus nauſeam non ferens, vt Tolonem rediremus author fuit: vnde curſoribus equis Luſanam, mox Ferrariam, Romam poſtremo properauit; & me ſecum ducere voluit: ego verò illam curſorum equorum agitationem moleſtiorem maritima iudicans, & quod aliquam rerum nauticarum cognitionem habere cupiebam, cum Turnonio Romam nauigare malui. Biduo ad Glaſſenſem Corſicæ portum peruenimus, vbi ventos circiter ſedecim dies, ad Syracuſanum ſiue Bonifacij portum octo expectauimus: deinde inter Corſicam ac Sardiniam curſum tenentes ventis felicibus Centumcellas traiecimus.

Prælium cruẽtiſſimũ Flandrorum contra Normanos ad Douerum.

14 Cardinalis Lotharingus cum aliis de cauſis, tum maximè vt Paulo de ſummo Pontificatu gratularetur, & vt ſocietatem inter ipſum ac Regem coiret, Romam acceſſerat: occaſio in promptu erat. M. Antonium Columnam Paulus, vt ſupra ſcripſi, bona patrimonij portione ſpoliarat: is Philippi, cui Cæſar pater nuper regno Neapolitano ceſſerat, auxilio, quod amiſerat ſe recuperaturum ſperabat; quod Paulum minime latebat. Itaque ſe vterque ad bellum quodammodo comparabat; & quod opibus ac viribus inferiores erant, quam vt bellum diu tolerare poſſent, Paulus Henricum Regem, Columna Philippum ſocium belli aſciſcere, aut potius authorem inducere conabatur. Antequam Roma Lotharingus Cardinalis migraret de præcipuis ſocietatis capitibus cum Paulo conuenerat; quæ vt magis confirmaretur, Carolus Carrafa Cardinalis anno proximo

Carolus V. Imperio ſe abdicat: quibus ceremoniis.

in Galliam acceſſit, ad quem prius quàm tranſeam, qui Cæſar ſe Imperio abdicarit explicandum eſt. Septembri menſe Philippum filium ex Anglia in Flandriam accerſiuit: Bruxellis octauo Kalend. Nouembris eundem mane equitum velleris aurei principem dixit: quæ equitum claſſis à Philippo, cui Boni cognomen inditum eſt, Brugis in ſuis nuptiis anno ſuperioris ſæculi inſtituta, & ad vnius & triginta numerum redacta eſt; quibus duos aſſeſſores quæſtorem & ſcribarum principem adiunxit. Carolus Quintus præter Burgundicas prouincias multis regnis & Germanico Imperio auctus ad vnum, & quinquaginta auxit, idque ſua Majeſtate dignum exiſtimauit. A prandio totius Belgicæ prouinciæ ſuique, ac filij comitatus proceribus in maiorem aulam conuocatis ipſe in ſolium aſcendit: Philippus filius ad dextram, Maria ſoror ad ſiniſtram, cæteri ſuo ordine conſederunt. Tum ſurgens Bruxellas conſiliarius Cæſarem longa valetudine ita affectum, vt muneri ſuo pro dignitate ſatisfacere non poſſit, Burgundicis prouinciis Philippo filio ætate florenti, & rerum multarum experientia prædito, vt merito illi ſuccedere debeat, maturo conſilio cedere deſtinaſſe ait, & in Hiſpaniam, vbi mitius cœlum eſt, & ſenectuti ſuæ magis idoneum ſecedere: precari omneis tam illuſtres proceres quàm populi legatos, vt filium non ſolum hæredem, ſed iam dominum agnoſcant, & ſuum conſilium æqui, boníque conſulant.

Burgundicas prouincias ad Philippũ filium transfert.

Cuius orationem Cæſar excipiens, ac quaſi vitæ ſuæ rationem redditurus, & à decimo- 15
ſeptimo ſuæ ætatis anno exorſus, quo in Hiſpaniam primum nauigauit, quantos labores pro regnis ſuis prouinciiſque hæreditariis bene adminiſtrandis, & in pace continendis, aut quum opus erat, ab hoſtibus tuendis, ac deinde Imperator pro vniuerſo Chriſtianiſmo eadem vigilantia moderando ad hunc vſque diem tolerarit, prudenter recitauit: ſi quid ſecus geſtum ſit, non ingenij malignitate, aut negligentia, ſed imprudentia eſſe geſtum: precari vt rerum pondus metientes id humanæ imbecillitati condonent. Nunc verò quum valetudinem ita aduerſam experiatur, vt id onus amplius ſuſtinere non poſſit, filium ſuum æquis animis & patronum & dominum ſuſcipiant; qui & regere prudenter ſibi obnoxios populos, & pro iiſdem fortiter propugnare poſſit: ſenectutem verò ſuam alleuantes eandem alteram vitam meditari ſinant: quanta induſtria, ac labore munere ſuo functus ſit quum illius rebus geſtis enarrandis abunde explicauerimus, hic ſigillatim deintegro perſequi ſuperuacaneum putaui. Philippus qui ad patris pedes orationem finientis procubuerat, aſſurgens, & dextram eius deoſculatus gratias pro tot beneficiis & tum, & antea collatis egit, Deum Opt. Max. precatus vt præclarum de ſe patris iudicium fortunet, ſe tanto munere indignum profeſſus: ſed quoniam ita pater decreuit, ſubiturum ſibi impoſitum onus, & vt auita, paternáque modeſtia populis ſibi commiſſis præſit curaturum. Tum Cæſar, [Scio (inquit) ſcio fili quam graue tibi onus impono, quod vt exequi poſſis, cætera tua vita in continuis moleſtiis, ſummis laboribus, perpetuiſque curis tranſigenda eſt.] Et quamuis fortem ſemper, in aduerſis præſertim, ſe præſtitiſſet, tamen à lacrymis non abſtinuit: quibus ille cœtus valde commotus in eaſdem quoque ſe profudit. His ſedatis Philippus à patre ad conuentum illum vultu paululum, atque oratione conuerſa Gallicè loquutus: [Quam vellem (inquit) proceres ampliſſimi abſolutam veſtræ linguæ habere notitiam, vt quò erga vos animo ſim penitius declarem: Gallicum ſermonem hactenus didici, vt intelligere, non vt animi mei ſenſa promptè explicare poſſim: idcirco Atrebatenſis Pontifex id vobis meo nomine præſtabit.] Atrebatenſis Pontifex Cæſari Belgicam in qua natus & educatus ſit, tam charam ſemper fuiſſe declarauit, vt eam cæteris ſuis prouinciis, atque regnis prætulerit, hanc patriam ſuam ſemper appellarit, ad hanc conſeruandam omneis ſuas vireis, opéſque contulerit. Ab Hiſpania poſtremos hos duodecim annos abfuerit, vt Belgicas opes aduerſus Gallos ſartas, tectáſque conſeruaret: nunc non ſponte, ſed neceſſitate adductum chariſſima patria cedere; quòd cœlum hoc frigidius, atque humidius quotidianis ſuis articulorum doloribus maximè infeſtum ſit: in Hiſpaniam ex medicorum conſilio nauigare ſtatuiſſe: vbi cœlum mitius, ac ſiccius hos ipſos dolores magna ex parte mitigabit: filium chariſſimum in ſuum locum ſurrogaſſe, qui & ætate vigens, & multarum rerum in Hiſpaniis moderandis experientia præditus, & vicino Angliæ regno auctus vobis, fortuniſque veſtris prouidebit: hoc vnum ægrè ferre, quod bellum vobis cum finitimis Gallis relinquit: omneis pacis rationes quæſiſſe, & quidem in recenti conuentu Anglis interpretibus inſtituto: nullas impetraſſe potuiſſe. Verumenimuerò ſi vos pro veſtra libertate, pro aris ac focis, vt viros forteis decet, dimicaueritis,

Carolus V. lacrymatus.

Atrebatenſis Epiſcopi oratio pro Philippo.

aut

aut hoſteis ad æquas pacis conditiones adigetis, aut meritas ſuæ pertinaciæ, temeritatiſque pœnas dare cogetis; nullum enim aduerſum vos operæpretium fecerunt quod non exæquata clade, aut captis viciſſim vrbibus compenſaueritis: propugnatorem habetis prudentem, fortémque principem eius filium qui vos paterna charitate proſequetur: proximum eſt ne illi, vobiſque deſitis; quin potius & vitam, & fortunas omneis pro veſtra libertate profundatis, quas etiam victi cum ignominia amiſſuri eſtis.

16 Atrebatenſis orationem excepit Iacobus Maſius Philippi Regis cõſiliarius; & pro Belgarum Repub. quanta beneuolentia, obſeruantiáque Cæſarem Belgæ coluerint, Cæſarem ipſum perſpectum habere reſpondit: ſe quidem perturbari quod in tantis belli tumultibus antiquo patrocinio, & toties longa experientia cognito priuentur: verum quandoquidem ne Cæſar id continuet, neceſſitas quædam prohibet, gratiſſimum habere, quòd talem filium in ſuum locum ſubſtituat, à quo non minus patrocinium, quam à patre ſperare debeant: quemadmodum eadem, qua patrem charitate, obſeruantia, liberalitate ſe filium quoque proſequuturos profitentur. Surrexit deinde Maria Hungariæ Regina Cæſaris ſoror; & conceſſam à fratre annos treis & viginti Belgicarum prouinciarum adminiſtrationem ſe, quoad fieri potuit, omni officio curaſſe teſtata; ſi id minus, quam Cæſar frater optaret, præſtitit, veniam ſibi dari poſtulauit. Quum ſibi ſatisfeciſſe Cæſar nutu, ac dextra protenſa ſignificaſſet, ad optimates conuerſa eandem fere orationem habuit. Maſius Belgicæ Reipubl. nomine Reginæ gratias egit, quòd omni ſtudio, & ſumma prudentia rem Belgicam tot annos procuraſſet. Quibus peractis Cæſar proceres Belgas, populíque legatos ſacramento quo illi obſtricti erant, ſoluit, ac relicto Regio ſolio in eodem conſidere filium iuſſit, vbi ſedens vtroſque in fidem recepit. Tum ſigillis Cæſaris comminutis noua Philippi plolata ſunt, quibus eius facies, atque inſignia inſculpta erant: & nonnullæ in integrum reſtitutiones, atque alia quædam id genus inſtrumenta publicè obſignata ſunt. Ceſſionis huius inſtrumentum Cæſaris ſigillo obſignatum in acta publica relatum eſt. Aliquot poſt diebus eodem in loco cæteris ſuis prouinciis & regnis, atque adeo poſſeſſionibus omnibus exigua penſione ſibi & paucis comitibus reſeruata Philippo filio ceſſit, Hiſpania ſcilicet, Sardinia, Sicilia, namque antea regno Neapolitano ceſſerat, Belearibus inſulis, Americæ, & noui orbis dominatu; claſſémque ad reditum in Hiſpaniam parauit, & diem profectioni Idus Nouembris conſtituit. Deinde ob hyemis tempus infeſtum, & vt filio omnia pacata relinqueret, etenim de longis induciis, quandoquidem de pace conuenire non potuerant, inter Henricum Philippúmque Reges vltro, citróque agitabatur, nauigationem in ſequentem annum diſtulit.

17 Has inducias in primis Maria Angliæ Regina procurabat, quæ ad ſe Philippum maritum reuocare cupiebat, vt Anglici regni hæredem procrearet: veterem, hoc eſt, Romanam religionis profeſſionem ibidem inſtauraret, nouis tumultibus occaſionem præcideret: Angliam primum Gallicis bellis, deinde inteſtinis ſeditionibus vehementer afflictam tandem aliquando recrearet; quæ viro abſente, & nouis bellis implicato aſſequi haud poterat. Itaque Polum Cardinalem vt intermiſſos de pace ſermones renouaret, obnixè rogauit; aut ſi hanc aſſequi non poſſet, ſaltem longas inducias pacis fortaſſe conciliatrices futuras proponeret. Id & apud virum ſerio, ac ſummis precibus egit, & vt Polum quoque Cardinalem in tam pium opus incumbere rogaret, perfecit.

Induciæ vtrique Regi perutiles viris prudentibus videbantur: Henrico præſertim qui pro Taroanna, Hiſdinóque amiſſis Mariamburgum non minus munitum vicináque alia oppida receperat, & vt Metim, Tullum, Virdunum prætercam, ſubalpinum imperium longè, latéque propagarat. Hinc poſt multas legationes vltro, citróque miſſas Nonis Februarij induciæ in quinquennium anno huius ſæculi quinquageſimoſexto apud Vaculam vicinum Samarobrinæ municipium pactæ fuerunt. Bruxellas Caſtilio Amyralius, Bleſias Comes Lalænius vt Cæſari, ac Regibus eaſdem iureiurando confirmantibus adeſſent, miſſi ſunt. *Anno 1556.* *Vaculanæ induciæ.*

1 Conuenerat vt quicquid vterque Rex vbique tum poſſidebat, ita in quinque annos proximos ſine regnorum, prouinciarum, vrbium, arcium exceptione poſſideret. *Induciarum capita.*

2 Libera vbique terra, mari, fluminibus eſſent commercia; portoriis & cæteris id genus vectigalibus de more perſoluendis.

3 Vt vtriuſque Regis populi, aut beneficiarij in poſſeſſiones poſtremo hoc bello amiſſas in alterutrius Regis ditionibus ſitas redire ſine vlla litis conteſtatione, nec tamen ſuperiorum annorum, quamdiu hoc bellum continuatum eſt, vſumfructum repetere poſſent.

4 Neuter alterius hoſteis pecunia, tormentis bellicis, atque his quæ ad tormenta pertinent, commeatu, receptu in ſuas ditiones, vllâve alia re iuuet.

5 Vterque Rex totius Chriſtianiſmi tranquillitatem procuret ac confirmet: quicquid huic aduerſatur, vitet, ac pro viribus repellat.

6 Aduerſus vtriuſque milites, militúmque præfectos neuter litem intendat, aut intendi permittat: aut pro delictis hoc bello commiſſis pœnas repoſcat: ſed illi ſecuri domi reſidebunt, & ſuis poſſeſſionibus liberè fruentur, niſi quid priuatim in aliquem commiſerint: in quo, qui læſus eſt, damnum ſibi reſarciri poſtulet, tum is de damno dato duntaxat aget: nullas à reo pœnas repetet.

7 Quod ſi quis hinc, vel inde induciis directè aut obliquè repugnare deprehendetur, in eum tanquam publicæ tranquillitatis perturbatorem ſine vlla dilatione, non litigatorum more, agetur; vt meritaș ſtatim pœnas luat, ac cæteris exemplo ſit: vbi vtriuſque Regis magiſtratus ſuam diligentiam, prudentiam, & publicæ pacis charitatem declarabunt: induciæ nihilominus conſtabunt, & ea de cauſa non diſſoluentur.

8 His induciis Neapolitani Siculíque exules non comprehendentur: quod ad Senenſes exules attinet, qui in Senenſis agri oppidis, arcibúſve à Regé Galliæ poſſeſſis habitant, iis idem Rex non permittet, vt quicquam aduerſus has inducias aut in Senenſes, Florentinóſque moliantur.

9 Poſtremò conuenerat ne hæ induciæ priuatorum iuri, actionibúſque vllum præiudicium afferant: quibus Cæſaris Angliǽque Regis fœderati comprehenduntur, Pontifex in primis Romanus totúſque is Pontificatus, Ferdinandus Romanorum Rex, ſacrum Imperium, Angliæ, Poloniæ, Daniæ ſiue Danimarchiæ Reges, Sabaudiæ regulus, Heluetij, Florentinus, ac Ferrarienſis reguli, Veneta, Genuenſis, Senenſis, Lucenſis Reſpublicæ, Lotharingus, ac Mantuanus reguli: Galliæ item Regis fœderati, nimirum Romanus Pontifex, ipſeque adeo Pontificatus Romanus, Regina, ac regnum Scotiæ, Rex Nauarræ, Regina, & regnum Angliæ, Portugalliæ, & Daniæ, ſiue Danimarchiæ Reges, Iſabella Regina Ioannis Vaiuodæ vidua, ac Rex Stephanus eius filius, ſacri Imperij Principes, ac ciuitates, Veneta Reſpub. tredecim Heluetiorum pagi, ſocietas Rhœtica, Lotharingus, Ferrarienſis, Parmenſis, Mantuanus reguli, Mirandulanus Comes, Senenſes, Corſica, Marchiana familia: in ſumma omnes Cæſaris atque horum Regum fœderati, ſocij & affines quos intra menſes treis nominabunt.

Horribilis cometa menſe Martio viſus renouadi belli præſagium exiſtimatum.

Bellum inter Philippũ ac Henricum renouatur.

Menſe Martio horribilis cometes multos dies apparuit, quem Cæſar opinione deceptus ſuæ mortis, alij horrendi belli breui renouandi præſagium eſſe exiſtimarunt: quorum coniecturam euentus non multò poſt ſequutus comprobauit. Septimum caput, vt induciæ diſſoluerentur, occaſionem dedit, quo ſi quis ex contrahentibus, populiſve illi obnoxius aliquod induciarum caput violarit, vt læſo ſatisfiat, cauetur; ita tamen vt induciæ non diſſoluantur. M. enim Antonius Columna apud Philippum Regem, cui Cæſar regno Neapolitano ceſſerat, de amiſſis poſſeſſionibus vehementer queſtus tandem ſua importunitate perfecit, vt Philippus ad Albanum regulum ſuum in regno Neapolitano, cæteráque Italia legatum ſcriberet, vt Columnæ poſtulatis ita prouideret, ne quid inde regno Neapolitano, cæteriſque ſuis ditionibus Italicis detrimenti afferretur: id in genere ſcriptum Columnæ, quíque eorum parteis ſequebantur, ad ſuam cauſam accommodantes ſi Paulus Pontifex occupatas Columnarum poſſeſſiones non reſtituat, eaſdem bello repetere ſibi licere, neque tamen inde inducias violare interpretabantur. Philippo enim vt illorum conatus probet, vel improbet, integrum relinqui: tum diſceptationem, ſi qua ea de re inibitur, differri, & vltra induciarum tempus protrahi poſſe: nullum in bello ſuſcipiendo periculum creari: at ſi quis cunctetur, aut conniueat, Carrafæ, qui ſemper Gallis addicti fuerunt, & inter eos princeps Melfitanus in Gallia multis honoribus auctus: illi vt nouam tot munitarum arcium, oppidorúmque poſſeſſionem ſibi confirment, hic vt in iamdudum amiſſum patrimonium redeat, Gallos ad regnum Neapolitanum repetendum inuitabunt: hic hic magnum Philippi Regis ditionibus Italicis periculum creari. 18

His ita cum Albano communicatis milites repente conſcripſerunt: & quod non ſatis 16
multi

multi ad id bellum pro dignitate ſuſcipiendum nomina dabant, vrbibus vt certum numerum mitterent, iniunxerunt. Quorum admonitus Paulus Pontifex milites & ipſe ad tuendas Pontificias ditiones conſcripſit: verum quod nouo Pontifici, cui Iulius Tertius nihil reliquerat (neque enim Marcellum duorum & viginti dierum Pontificem inter eos interiectum numerare opus eſt) belli neruus pecunia deerat, vt tantis, quæ parabantur, copiis reſiſteret, ad Regem Chriſtianiſſimum Romani Pontificatus filium natu maximum, ac propugnatorem confugiendum putauit. Hinc Carolus Carrafa Cardinalis legatus in Galliam breui traiecturus deſignatur: cui galerum qualem Romani Senatores olim geſtaſſe traduntur, enſémque dedit, quos Regi offerret, vt maiores ſuos imitatus Romani Pontificatus propugnationem ſuſciperet, vnde Chriſtianiſſimi cognomen accepiſſet. Carrafa Cardinalis circa Idus Maias Roma profectus conſcenſis triremibus in Galliam nauigauit, & inclinante Iunio ad Regiam Fontis Bellæ aquæ domum appulit à Rege magnificentiſſimè exceptus & Conuenarum Pontificatu donatus. Is Regi galerum, enſémque ſupra commemoratum obtulit, & vt Chriſtiani nominis ſummo Pontifici opem ferret, obſecrauit, maiorum ſuorum qui Chriſtianiſſimorum cognomen inde reportarunt, veſtigia ſequutus: Franciſci patris in primis, qui recenti memoria Clementem Septimum in Molem Adriani concluſum, & à Cæſariano exercitu circumſeſſum miſſo fortiſſimo exercitu, cui Lautrecius præerat, liberauit. Henricus ſe maiorum ſuorum virtutes imitaturum, & Romano Pontifici non defuturum reſpondit: prius tamen cum conſilio deliberaturum, & de his cum Cæſare, Philippóque eius filio communicaturum, ne ab induciis iureiurando ſanctiore confirmatis recedere, & vniuerſam Chriſtianorum pacem interturbare velle videatur: mox die quo magnificam cœnam ad Cardinalem Carrafam honorificentius excipiendum inſtrui iuſſerat, conuocatis in vicinum ſacellum omnium principum, rerúmque publicarum, qui apud ſe agebant, legatis, ad Cæſarianum ſermonem conuertens nemini dubium eſſe dixit, quin M. Antonius Columna opibus, atque armis Cæſaris ſuſtentatus aduerſus ſummum Chriſtianorum Pontificem bellum gerat, id niſi componatur, Paulum Pontificem omnium Chriſtianorum principum opem imploraturum.

Galerus & enſis Regi Gallo à Pōtifice pro munere offeruntur.

Hēricus Pōtifici Max. ſe auxilio futurū pollicetur.

20 In Regio conſilio diuerſæ erant ſententiæ. Carolus Cardinalis Lotharingus Franciſcum Guiſanum regulum fratrem natu maiorem in ſuam pertraxerat, & Pauli Quarti Pontificis Maximi opes, vires, in negotiis promouendis dexteritatem longè maiorem, quàm eſſet, fecerat: quum grandæuus ſenex, & multum ætate prouectus negotiorum curam fratris filiis delegaſſet; ſibi duntaxat, quæ ſui officij erant, hoc eſt, quæ pius Pontifex ad procurandam Chriſtianorum omnium ſalutem præſtare debet, ſibi reſeruaſſet. Inter hunc & Regem Cardinalis Lotharingus ſocietatem nuper coierat, quæ tamen nondum confirmata erat; & in eandem Herculem huius nominis ſecundum Ferrarienſium regulum induxerat, atque vt Regis in Italia legatus crearetur, perfecerat. Is cum fratre ſuadebat, ſi Cæſar ac Philippus Angliæ Rex ſub Columnæ nomine bellum Romano Pontifici inferrent (id enim illorum pecunia, ac milite inferri palam erat) ne ſuo, maiorúmque ſuorum cognomini qui ſemper Chriſtianiſſimi appellati ſunt, ne ſummo noſtræ religionis antiſtiti, Chriſtíque legato deeſſet: præſertim quod hoc bellum induciis non repugnet, quibus ne Cæſar, ac Philippus, ne Henricus in ſuis ditionibus bellum faciant, prohibetur. De alienis ſiletur; & in omnibus pactionibus ſummus ille Chriſtianorum omnium parens ſemper excipitur: quemadmodum ſi quis cum aliquo de mutuo auxilio pactus ſit, & alter alterius parenti bellum inferat, haud dubium quin filius aduerſus parentem auxilium ferre non debeat: quin potius pro parente propugnare teneatur. Quid? quod Romanus Pontifex, & à Cæſare, Philippóque filio, & ab Henrico Rege ſocius in induciis declaratus eſt. An Cæſar, aut Philippus pro alieno, & quidem Romani Pontificis cliente, cuius in induciis facta nulla mentio eſt, aduerſus Pontificem ipſum arma ſument? Quid? quod de iure patroni erga clientem, & de Romani Pontificatus patrimonio agitur, an Cæſar, aut Philippus alienam litem ſuam facient? Quod ſi Cæſar ac Philippus induciis ſtare nolunt, & vt diſſoluantur, occaſiones quærunt, vt iam plureis quæſiiſſe manifeſtum eſt, nimirum quid animi Rex Henricus habeat, ſuppoſito Columna experiri videntur: inducias à Cæſare, Philippóque in ſpeciem duntaxat initas vt facilius Galli fallerentur. Hæ ſuſpiciones arguebant, quas proditores ipſi comprehenſi aperuerunt: harum tamen Cardinalis Lotharingus nullam priuatim in ea deliberatione mentionem fecit. Aliquot ex Metenſibus præſidiariis militibus Megna Comes Luceburgenſis prætor ſtatim poſt initas

Cardinalis Lotharingi de iuuando ſummo Pontifice ſententia.

inducias Allobroge comprobante ad prodendam vrbem magnis præmiis inuitauit. Barlemontanus Cæſariani ærarij præfectus idem menſe Martio huius anni in Burdegalam molitus erat:nec multò poſt Iacobus Flectias muniendarum vrbium excellens (vt ferebatur) artifex in Picardia captus pecuniam ab Allobroge accepiſſe confeſſus eſt, vt vrbeis ad Picardiæ Campaniæque limites ſitas,Monſtrellum ſcilicet,fanum Spiritus,Ruenſis ſiue Rutenſis,Dorlanum fanum,Quintini, Maſerias deſcriberet, & harum velut effigiem reportaret. Corruptus præſidiarius miles è Phocenſi prouincia oriundus, vt Mariamburgi puteum veneno inficeret, totóque præſidio ea lue perempto, aut multum languente Cæ-

Variis ſuſpicionibus Philippũ ad bellum propendere conſicitur.

ſarianis oppidi potiundi poteſtatem faceret. Accedebat quod Philippus magnum belli apparatum clam faciebat, militum præfectos retinebat, pecunias vndique conquirebat: Bohemiæ Regem, Germanóſque principes vt Metim, Tullum, Virdunum recuperarent, incitabat. Et Meſnilenſes præſidiarij aliis adiunctis totam Picardiæ oram populabantur, ſéque fame vrgente cogi prædicabant.

Vt ad deliberationem redeam: Mommorencius equitum magiſter inducias vtrimque 21
rite confirmatas eſſe, principum ſacramenta ſacroſancta haberi debere, pactiones etiam cum Turcis factas obſeruari ſolere: Regium ærarium exhauſtum eſſe, plebem in regni limitibus hoſtium incurſationibus compilatam, in meditullio militum vagantium importunitate, rapiniſque vexatam eſſe dixit aliquanto otio ſubleuandam. Quis non auerſetur Pauli Pontificis imprudentiam, qui quum publicæ pacis author ac conciliator eſſe debeat, inuadendarum alienarum poſſeſſionum cupiditate, atque auaritia pacem inter-

Quibus argumẽtis Mõmorẽcius pro Columna à bello ſuſcipiẽdo abſtinendum eſſe confirmet.

rumpat: bellum immanius, quam antea renouet, & totum Chriſtianiſmum mutuis cladibus dilaceratum Turcis in prædam obiiciat? quorum progreſſus ex noſtris diſſenſionibus belliſque factos ſuperioribus annis ſatis experti ſimus. De regno Neapolitano recuperando aut rara, aut nulla ſpes: quis enim Italis, quorum inconſtantia variáque ingenia toties Gallos deceperunt, fidem adhibere poteſt? nec Caroli Imperatoris abſentia quemquam mouere debet: quos enim habuit, filio conſiliarios viros prudentiſſimos, ducéſque tot bellis exercitatos relinquet, qui paternarum virtutum imitator, & regno Angliæ auctus, quod ſolum maiores noſtri horrere conſueuerant, milites & pecuniam propemodum quantam volet, recenti adhuc Bononiæ, propugnaculorúmque amiſſorum memoria recipiet. Viſum eſt, vt Pauli Pontificis querimoniæ ad Cæſarem, Philippúmque deferrentur, & ne Columnæ priuati hominis erga Paulum patronum ingrati calumniis moti communem Chriſtianorum omnium parentem inopinato, inſperatóque bello obrui permitterent Regis nomine mandatis ſuper ea re datis monerentur. Interim Romam Carrafa Cardinalis nuper Conuenarum Pontificatu donatus,& bona ſpe impletus rediit: Cæſar benignè, Philippus durius reſpondiſſe fertur: velle quidem vt induciæ integræ maneant; pax etiam ſi fieri poteſt, ineatur: ſed Paulum, Carrafáſque cæteros ſuæ familiæ adeo infeſtos expertum eſſe, vt pro hoſtibus habeat, quotquot illi ſuppetias ferent: quamquam eius apud Henricum legatus Philippum comiter reſpondiſſe aſſeuerauit: quod fortaſſe Columnarum in integrum reſtitutione inducias violatum iri non putaret. Nec tamen Henricus quicquam mouit prius, quàm Albanum cum Neapolitano exercitu non procul Roma caſtra poſuiſſe, & Octauum Farneſium à ſe ad Philippum Cardinale Tridentino perſuadente defeciſſe, & in defectionis præmium Placentiam recepiſſe intellexit.

Hẽricus auxiliũ Romam ſummittit.

Tum de auxilio Romam ſummittendo ſtatuit: prius enim Montlucium cum bis mille 22
Vaſconibus peditibus miſerat, & Strozam aliquot Italorum cohortes addere iuſſerat, qui cum Pontificio exercitu coniuncti, & Albanum commeatu prohibentes repreſſerunt, atque vt in dies quadraginta inducias paciſceretur, coëgerunt. Eodem cõuentu quo Carrafa Cardinalis ad Henricum, Scipio Rebiba, vulgo Cardinalis Motula nuncupatus, ad Cæſarem legatus deſignatus fuit, vt illum ſacramenti quo ſe Romani Pontificis, ac Pontificatus propugnatorem aduerſus quoſuis fore obſtrinxerat, admoneret:ſed quum in agrum Metenſem perueniſſet, ne vltra progrederetur, admonitus eſt, ne in magnum ſuæ vitæ diſcrimen incurreret: hinc vt ſe cum Carrafa Cardinale coniungeret in Galliam diuertit. Interim dum Carrafa Cardinalis in Gallia legationem ſuam obiit Sarianus Marchio Cæſaris legatus, cæteríque qui Cæſaris, & Philippi parteis ſequebantur nunc hos, nunc illos adeuntes, omneis quos ad factionem ſuam promouendã idoneos exiſtimabant, ſingulari ſtudio ambiebant, vt ante Carrafæ Cardinalis reditum Paulum Pontificem comprehenderent, & Romam occuparent:nec conuiuiis indulgebant, quæ Paulus vndecimo & decimo Kalend. Iunij, vt recidiuum (ſi ita loqui licet) ſuæ in Pontificem creationis, aut octauo

& ſeptimo

& ſeptimo eaſdem Kal. vt ſuæ coronationis diem de ſuperiorum Pontificum more celebraret, parabat; immo verò nec illis intererant, quod de legato Cæſaris omnibus mirum fuit. Hinc, vel aliis de cauſis de illo ſuſpicione concepta Paulus ante ædem Petri milites ad vrbis præſidium deſtinatos recenſeri iuſſit, qui ad octo peditum millia coiiſſe traduntur. Recenſuit deintegro & ſeptimo Iulij Kal. & Aſcanium Corneum ſibi reconciliatum totius Pontificij equitatus, Camillum Vrſinum vrbis muniendæ præfectum deſignauit. Itaque Cæſaris legatus, Paciecus Cardinalis Hiſpanus, Garcilaſſus Vega, Albanum, quæ animo intenderat, factu perdifficilia fore, aut potiùs omnino fieri non poſſe monuerunt: quaproptèr ille Paulum mutata priore ſententia placandum potius, quam bello perſequendum ratus, poſt ſacerdotia, munera ciuilia, penſiones, alióſque prouentus Carrafis à Garcilaſſo Vega oblatos Romam cum mandatis Valentinum Comitem miſit. Primum queſtus eſt, quod Neapolitanos exules Paulus contra veterum Pontificum morem non ſolum recipiat, verum etiam illorum opera vtatur: in primis Ioannis Bernardini Seuerinatis Sommæi reguli filij, quem Paliano præfecerat: quod litteras ad ſe ſummum Philippi Regis in Italia legatum ſcriptas in ſuis ditionibus reſignari permittat: quod Sarianum Marchionem Cæſaris, ac Philippi Regis clientem & affinem, eorumdémque legatum quaſi captiuum Romæ detineat, nec extra vrbem exire patiatur: quod Abbatem Briſengum Romam à ſe miſſum in cuſtodiam dederit. Briſengus venenum habere deprehenſus, id vt Paulum fratríſque eius filios de medio tolleret, præparaſſe confeſſus eſt. Curſorem item Tarracinenſem, ac Ioannem Antonium Taſſum, qui nihil aliud, niſi quod ex officio præſtare debebant, patrarunt: quod Curſorum præfectum, quo magiſtratu Cæſar ac ſuperiores Neapolitani Reges Romæ & noſtra & patrum memoria vſi ſunt, reuocarit. Quod Garcilaſſum Vegam honoratum equitem à Cæſare, filióque cum mandatis ad ipſum miſſum cuſtodiæ mandarit; qui, ac Curſorum præfectus nihil dignum carcere, aut cuſtodia commiſerunt; ſolùm, quæ ad Cæſaris, Philippique Regis negotia procuranda pertinebant, ad ſe ſcripſerunt, quod ſemper omnibus qui principum res procurant, licuit: aut ſaltem ſi principes apud quos reſident, offendunt, migrare inde dumtaxat iubentur.

Albani de Paulo Pontifice querimonia.

Legatorum licentia & immunitas.

23 Antequam Valentinus Comes Romam accederet, Carrafa Cardinalis ab Henrico Rege impetrarat, vt nouem peditum cohortes, quibus Mola præerat, è Corſica Romam triremibus tranſportarentur, quæ ſeptimo Kalend. Auguſti appulerunt. Poſtridie Aſcanius Corneus Garcilaſſo Vega in cuſtodiam tradito coniurationem aduerſus Paulum paulatim deprehendi animaduertens, Velitras quaſi eaſdem muniturus ſeceſſit; ſtatímque rumor ſparſus eſt Corneum Velitras ſeceſſiſſe, vt has, & Neptuni arcem Cæſarianis traderet: idcirco Papirius Capiſuccus Romanus, vt Corneum comprehenderet, miſſus eſt: ſed Corneus à Paliani regulo (vt ferebatur) admonitus ad Neptuni arcem euaſit, in quam aliquot Peruſinos ſibi fidos immiſit; & nauim conſcendens Caietam vt M. Antonium Columnam conueniret, traiecit. Eodem die & Velitras & Neptuni arcem pulſis Peruſinis Pontificij receperunt. Tertio Kal. Auguſti Camillus Columna, atque eius frater Archiepiſcopus * * * in Molem Adriani iterum concluſi fuerunt. Hinc Sarianus Marchio Cæſaris, Philippíque legatus ſeptimo Idus Auguſti Roma profectus ad Albanum regulum iter intendit: quo die Cardinalium conuentus actus eſt, vt Albano, Valentinóque Comiti eius legato reſponderetur. Deinde Ioannes Carrafa Paliani regulus Pontificij exercitus Imperator Dominicum Neronem cum his mandatis ad Albanum allegauit: Paulum ſummum Pontificem communem Chriſtianorum omnium parentem nullam Cæſari, Philippóque Regi, eorúmue miniſtris ſuſpicionum occaſionem dediſſe; nihil tam deſiderare, quàm vniuerſam Chriſtianorum pacem: quam vt pater filiis, ſic communis ille omnium parens omnibus Chriſtianis procurare ex officio tenetur. Quod à bellis omnino alienus ſit, hinc perſpicuè cognoſci, quod multis prouentibus, præſertim ex eo magiſtratu, quem Datariatum appellant, ſeſe ipſe priuarit: vnde ſuperiores Pontifices quotannis magnam pecuniæ vim conficere ſolebant. hæc non bellum molientis, ſed priſtinum vitæ inſtitutum perſequentis certa argumenta ſunt. Superiorem omnem vitam in ſtudiis, & cœnobiis ab hominum frequentia remotis egit: Pontificatus initio antiquorum morum inſtaurationem Concilium vniuerſum renouare inſtituit. Sed vt pacem vniuerſam procurare, ſic & magiſtratus ſui authoritatem conſeruare debet, cui parere & Cæſar, & Rex Philippus, non ſecus, ac cæteri omnes Chriſtiani tenentur: cuius ſe propugnatorem fore Cæſar dum tertiam coronam accepit, Philippus dum in regni Neapolitani fidem receptus eſt, pio ſacramento obligauit. Sibi vitio verti

Columnæ iterum in Adriani Molem conclusi.

Pontificiæ dignitatis eminentia.

quod Neapolitanos exules non reddat, ſummus Pontifex admiratur; quos ſi ſuperiores Pontifices reddiderunt, priuata beneuolentia, aut alia de cauſa nobis fortaſſe incognita reddiderunt, nec vllum ſuis ſucceſſoribus præiudicium fecerunt: ſummi Pontificatus libertas nullo ad id vinculo obligatur.

Quid? quod ea libertate Paulus vſus non eſt, niſi poſtquam Aſculanos, Nurſinos, Firmanos, & cæteros Romani Pontificatus exules præſertim Romanos in regno Neapolitano paſſim receptos intellexit: quamuis hi poſtremi exules palam declarati eſſent, & omnibus qui eos reciperent, aut aliqua ex parte iuuarent, ſacris Chriſtianis interdictum fuiſſet. Legatorum officium, ac ius Paulus ſatis nouit: ſed quum extra officij ſui cancellos egreſſi ferrum, aut venenum, aut quid aliud huiuſmodi in principes ipſos ad quos mittuntur, moliuntur: iam non vt legati, verum vt infeſtiſſimi hoſtes, aut potius vt ſceleratiſſimi proditores puniri debent: perſonam enim, quam ſuſtinent, mentiuntur, vt facilius eos perimant, quos revereri, atque omni officio proſequi tenentur: in quos non vi, ſed ex iure agitur, & agetur, niſi paterna clementia, atque innata benignitate erga eos pius Pontifex vtetur. Quid autem mirum ſi Curſor incognitus ſine ſuo inſigni furtim aufugiens in cuſtodiam datus eſt: præſertim id temporis quod ſuſpicionibus plenum eſſe Albanus fatetur? at non humana, ſed diuina potius prouidentia captus videtur, per quem res tanti momenti, quas idem regulus probè nouit, in lucem venerunt. Sarianus Marchio Romæ maiore, quam quiſquam cæterorum legatorum libertate vſus eſt; pluráque ab illo ſummus Pontifex tolerauit, quam alius princeps de alio etiam primi gradus fortaſſe toleraret: nec nos eius nepotes tantum nobis vendicamus, vt eadem apud ipſum audeamus: nec minus tamen Marchionis ſinceritatem agnoſcens cum illo in gratiam rediit. Præfecti Curſorum non ſolum Cæſaris, ac Philippi Regis, verum etiam cæterorum principum Romæ ſublati ſunt, vt non magis, quam cæteri merito queri debeant: nec vllos Curſorum præfectos ſummus Pontifex qui in omneis prouincias ſummum ius habet, Neapoli, aut in aliis prouinciis habet: ſi igitur nullos Romæ Albanus aut cæteri principes habeant, iure queri non poſſint. Quamuis autem nullam cuiquam, niſi ſoli Deo actionum ſuarum rationem ſummus Pontifex reddere teneatur, tamen ne Valentini Comitis legatio inanis fuiſſe videatur, has breuiter attingere mihi iniunxit; plures, ſi opus erit, ſuo tempore reddentur. Receptis his litteris Albanus M. Antonium Columnam, ſocióſque diſſimulatis ſuis erga Paulum patronum malignis conſpirationibus, atque impiis machinationibus, regnum Neapolitanum, Ducatum Mediolanenſem, cæteráſque Cæſaris, & Philippi Italicas ditiones in magnum diſcrimen conijci prouidens ſententiam ſuam de bello inferendo mutare quodam modo voluit, eundémque prioris conſilij pœnitere cœpit; atque vt Paulum alia via placare poſſet, experiundum putauit: & nunc comminationibus ſui gradus memor, vt metum incuteret, nunc blanditiis quaſi filius obediens & admonitionibus vtens, vt ex eius animo inſitam opinionem euelleret, qua ſe à ſuis clientibus ignominioſè contemni, aut oppugnari non paſſurum obfirmauerat, litteras ad illum in hanc fere ſententiam ſcripſit, vt illi Columnas reconciliaret, & omnem belli occaſionem amoueret. 24

Pauli Pontificis ad Albani querelas reſponſio.

[Quæ Dominico Neroni mandata dediſti Sanctiſſ. P. mihi vt arma ponam perſuadere conantur: nihil quod ad regni Neapolitani, cæterarúmque Cæſaris & Philippi Italicarum ditionum in pace continendarum ſtatum pertineat, afferunt: immo vero maiores etiam ſuſpiciones inferunt: Pontificatus tui initio illorum clienteis oppreſſiſti, in cuſtodiam dediſti, bonis ſpoliaſti, & pleraque alia addidiſti, quæ iam Valentinus Comes tibi fuſiùs explicauit. Nunc verò vt principes Chriſtiani tecum ſocietatem coirent, procuraſti: externum militem in tuas ditiones induxiſti; quotidie peditatum, equitatúmque auxiſti, & in regni Neapolitani, tuíque Pontificatus confinio collocaſti: quæ omnia te neſcio quid aduerſus idem regnum moliri indicant; vt ſermones omittam plerumque à te palam habitos, quibus eorundem principum exiſtimatio percellitur; quos illi pro ea, quam tibi præſtare cupiunt, obſeruantia, diſſimulare hactenus maluerunt, & Deum Opt. Max. meliorem tibi mentem daturum ſperarunt. Nec pro amplificandis ditandíſque tuis nepotibus te pacem publicam perturbare velle ſibi perſuadere poſſunt: præſertim hoc tempore, quo tot damnatæ in religione ſectæ pullulant, & in Pontificatus Romani ambitionem inuehuntur, quem noſtrorum omnium malorum fontem eſſe proclamant. Quid autem, ſi munus mihi impoſitum pro dignitate obire velim de te ſperare poſſum? quum coram te in publico Cardinalium conſeſſu fiſci procurator, & aduocatus, quemadmodum dicitur, vt regno Neapolitano Rex Philippus ſpoliaretur, poſtularint: quibus tu annueris, 25

Albani litteræ ad Pontificem.

Digitized by Google

» tu annueris, & omnibus ſuo tempore prouideri poſſe dixeris. Quid? quod in Aſcanij Cor- » nei citationibus, & tota litis tractatione eundem Regem Romani Pontificatus hoſtem » deſignaris, & cum Valentino Comite coram multis loquens ſermones aduerſus eius » Maieſtatem indignos effutiueris: inducias toti Chriſtianiſmo adeo neceſſarias continuari » ægrè tuleris. At ille ſemper tibi parere perſeuerauit; de ſuo patrimonio detrahere, vt tuos » augeret, ſæpenumero voluit: quæ ratio tuos amplificandi longè iuſtior, quam ea, quam » ſequeris, ac Chriſtianis omnibus vtilior fuit. Verumenimuero hunc tuum ſemper fuiſſe » ſenſum colligimus, vt Cæſari, filióque te infeſtum præberes, & occaſiones omneis, qui- » bus illis nocere poſſes, diligenter obſeruares: qui dum tumultus Neapoli ſuborti eſſent, » Paulo Tertio conſulueris, vt regnum iſtud inuaderet, nec tam bonam occaſionem elabi » fineret. Itaque poſt toties tibi oblatam & mei Regis, & meam obſeruantiam, quum res » huius regni ita in anguſtum redactas videam, vt niſi fortem manum ad eas ſuſtentandas » admoueam, ſtatim opprimantur: quemadmodum ſi filium pater omnino perimere co- » netur, merito filius quantumuis obediens illi arma eripiat. Sic ego in hanc extremam » neceſſitatem adductus, vt muneri, quo fungor pro dignitate ſatisfaciam, tibi arma quibus » vim illis, quos paterna charitate complecti deberes, inferre vis, eripere conabor. Qua- » propter ad pedum tuorum oſcula abiectus amplitudinem tuam poſtrema hac mea ora- » tione obſecrabo, vt orbis Chriſtiani ſtatum, quámque illi pax neceſſaria ſit conſiderans, » ne belli renouandi ſuorum amplificandorum cauſa occaſionem præbeat, quum id alia » ratione, vt dixi, facilius conſequi poſſit, & Rex Philippus toties omneis ſuas vires ad » Romani Pontificatus propugnationem obtulerit, & per me nunc etiam offerat: vt illum » potius hoſtem habere, atque irritare, quam propugnatorem accipere tibi apud omneis » Chriſtianos probro futurum non dubitem. Vtcumque res cadent, ego omni opera ac » ſtudio enitar, vt regnum mihi commiſſum, cæteráſque Regis mei ditiones ſartas tectas » conſeruem.

26 Paulus his diſceptationibus tempus fruſtra teri, nec quicquam promoueri, nonnunquam inimicitias magis accendi animaduertens nihil Albano reſpondendum, vt ſe potius, ac ſuum Pontificatum muniret, prouidendum putauit. At plerique Romæ acerbas declamationes in Cæſarem, eiúſque miniſtros ediderunt, quibus non religionis ſtudium, non Chriſtianæ Reipub. vtilitatem, ſed monarchiam, hoc eſt, cæterorum principum Chriſtianorum ſeruitutem vnicum ſcopum fuiſſe contendunt: cuius veſtigia ſi filius ſequetur, haud mirum ſi Romanum Pontificatum cliens ſibi obnoxium reddere, & extremam pij Pontificis ſenectutem affligere conetur: nihil enim in Cæſarem, nihil in Philippum molitus eſt Paulus: in M. Antonium Columnam dumtaxat, ex iure fundi, in cæteros, qui in eius vitam conſpirauerant, ex communi omnium gentium iure egit. Quum igitur Paulus vrbis pedites ad ſuum præſidium deſtinatos bis recenſeri iuſſiſſet (erant autem fere omnes tyrones ex officinis, ex cætera plebe, ex Cardinalium etiam domeſticis collecti) nouem Molæ cohortes è Corſica euocatas nono Kal. Septembris inſpicere voluit. Hæ tametſi durè à Romanis adhuc habitæ, tamen tum aſtantibus & mox in bellum aduerſus Hiſpanos eductæ ſuæ exiſtimationi ſatisfecerunt. Quarto Nonas Septembris circiter octoginta Parmenſis reguli Romani Pontificatus clientis leuiores equites Romam ingreſſi ſunt. quanquam regulus ab Henrico Rege defecerat, & ad Cæſarem tranſierat, tamen hos ex iure fundi miſerat: pridie Nonas octo peditum cohortes, ac leuiorum equitum ala ab Vrbinate ex fundi quoque iure miſſa, quibus Aurelius Fregoſius præerat, ad regionem Tranſtiberinam diuerterunt. Septimo Idus vna & viginti Gallicæ triremes, quæ Carrafam Cardinalem, Petrum Strozam Mareſchallum, quo munere non ita dudum Bullionij reguli morte donatus erat, * * Montlucium, Polinum Gardenſem Baronem, Lanſacum, ſeptem Gallorum peditum cohortes Giurio præfecto vehebant, ad Centuncellas appulerunt: eodem die ſub noctem Carrafa Cardinalis cum ſupra commemoratis vrbem curſoribus equis iniit: Stroza propter valetudinem retentus, ac peditum cohortes aliquot poſt diebus acceſſerunt. Albanus de Gallorum aduentu certior factus Pontificatum Romanum cum exercitu ingreſſus eſt, & Pontem Coruum, Verulas, aliáque vicina oppida non tam vi, quam libera deditione cepit: quod enim ager oliuis conſitus eſt, ne illæ ſuccenderentur, aut ſuccideretur, oppidani timentes ſponte ſe dediderunt. *Pauli exercitus.*

27 Paulus ne ſuis quidem nepotibus rerum bellicarum imperitis ſatis fidens Montlucium ac Molam Pallianum miſit, vt an rebus omnibus ad oppugnationem ſuſtinendam neceſſariis munitum eſſet, cognoſcerent. Illi pauca è diſciplina militari prouiſa repererunt:

Montorij

Montorij enim, Pallianíque regulus Pauli nepotum natu maximus Pontificij exercitus Imperator maiorem ſui quæſtus, quam belli curam gerebat; nec acceptam pecuniam, vt res poſtulabat, impendebat, verum bonam partem ſibi reſeruabat. Montlucius & Mola multa deſiderari, & niſi breui prouideatur Pallianum facilè expugnari poſſe retulerunt, & nihilominus Montorij reguli exiſtimationi, quantum in illis fuit, pepercerunt. At Paulus huiuſmodi auaritiam, ſocordiámque execratus Carrafæ Cardinali, qui maiorem rei bellicæ vſum habere putabatur, vt diligentius prouideret, iniunxit: ſed homo turbido ingenio, ac ſtolido ex extrema inopia ad ſummam copiam prouectus res ſuas priuatim agere, curam publicarum negligere fratrem imitatus occœpit: vnde milites de non exoluto ſtipendio queſti nihil ſua exiſtimatione, duces ipſi nihil dignum ſuo officio gerebant. Interim Albanus magnos progreſſus faciebat, & Labicanum agrum (qui nunc Valmontonius appellatur) incurſabat, Velitras quibus Sommæus regulus præerat, vt fama erat, oppugnaturus: omnia tamen Paulo diſſimulabantur, hominéſque ab eius nepotibus ſuppoſiti res ſuas in tuto eſſe, Albanum belli ſuſcepti pœnitere referebant; donec Romani, quanquam M. Antonium Columnam in integrum reſtitui cupiebant, tamen ſe communium calamitatum participes fore prouidentes, vt iuſtitium indiceretur dum bellum finiatur; vt præfectum militarem deligere, vxores, ac liberos, & pretioſam ſupellectilem ex vrbe exportare ſibi liceret Paulo ſupplicarunt: duo priora capita impetrarunt, poſtremum reiectum meritò fuit. Si enim familiam, & opum bonam portionem ex vrbe exportaſſent, nullam, aut raram vrbi conſeruandæ curam adhibuiſſent: nam quamuis à M. Antonio Columna omnem humanitatem ſperarent, tamen vrbe capta omneis fere ex æquo hoſtium rapinis & crudelitati permitti intelligebant. quemadmodum in vrbis excidio Caroli Borbonij exercitu omnia vaſtante Maximorum familia, quam vulgo de Maximis appellant, antea Cæſari ſemper addictiſſima in non minores, quam cæteræ, immo verò in maiores fortaſſe calamitates incurrit. Romani Alexandrum Columnam Preneſtinum regulum ſibi præfectum militarem delegerunt, qui munere ſuſcepto milites ſtatim recenſuit.

Ducum auaritia ac ſocordia nullus progreſſus facit.

Dum Albanus magna in Labicano facta præda Anagniam verſus contendit vrbem natura, atque arte munitam, ſed tormentis & rebus pene omnibus ad propugnationem neceſſariis nudatam. præfectus ex Carrafæ Cardinalis familiaribus quum milites ad defenſionem hortatus eſſet, clam ſe ſubduxit. & fere primus vrbis captæ nuntium Romam attulit, excuſationéſque, quæ Carrafarum exiſtimationem in primis lædebant, protulit, quibus Paulus belli ſummam commiſerat. Hi, vt tum rumor fuit, & conſequuti euentus declararunt, præſertim Cardinalis, qui nihil amplius ab Henrico Rege ſperabat, ad Albani promiſſa aures plurimum arrigebant; & ad Philippum (ea huius nationis inconſtantia eſt) deficere cupiebant: ſed nulla ratione Paulum commouere, & vt ab Henrici ſocietate diſcederet, perſuadere poterant: quapropter neceſſitate victum, vt cum Albano tranſigeret, cogere volebant. Hinc Carrafa Cardinalis, ac Cæſarianarum partium Cardinales ſodalem Dominicinum Cardinalis à fano Iacobi nepotem quaſi pacis interpretem protulerunt, vt ad Albanum proficiſceretur. Duo præcipuè capita in controuerſia erant: altero Paulus Romani Pontificatus exules ac rebelles ſibi non minus, quam Cæſari, aut Philippo regni Neapolitani punire qui neminem ſuperiorem agnoſcit, immo verò magis licere aiebat: præſertim quum Cæſar, ac Philippus Romanum Pontificem ſuperiorem, ac patronum agnoſcant. Altero Albanum Philippi Regis clientis ſui legatum non armis, ſed precibus cum Paulo patrono agere debere proponebat: dimittat igitur exercitum Albanus, & Paulum in pactionibus non difficilem reperiet.

Anagnia ab Albano capta.

Pacis conciliandæ cura Dominicano mandatur.

Quod ad prius caput attinet, Albanus vt Cæſaris, ac Philippi authoritas plus, quàm 29
M. Antonij Columnæ, ſociorúmque offenſæ apud Pontificem valeret, contendebat: nec adeo de illis mulctandis repugnaſſet, niſi quod eorum oppida, atque arces veluti regni Neapolitani limites erant: quæ ſi ad alios transferrentur, non tam Philippo addictos rebus nouandis magnam occaſionem darent. Si autem exercitum dimitteret, vt altero capite Paulus flagitabat, viam expeditam ad regnum Neapolitanum inuadendum aperiri videbat: præſertim quod multus externus miles Romæ paratus erat. Interim Dominicinus ſodalis, cuius ſupra mentionem fecimus, vltro, citróque eundo, & redeundo inducias in octo dies, quæ à decimo ſexto Kal. Octobris incipiebant, procurauit. Decimo tertio eaſdem Kalend. Garſiam Toletanum ante Albanum regni Neapolitani Proregem Romam adduxit, qui hæc Albani poſtulata, quibus pax conciliaretur, ad Paulum attulit.

Conditiones quibus Albanus pacem inire paratus ſit.

1 Poſtulauit primum vt Paulus Pontifex Philippum Regem obedientem filium agnoſcat,

ſcat, eundémque ea qua cæteros principes, populóſque illi obnoxios beneuolentia proſequatur.

2 Ne bellum aduerſus Cæſarem, Philippúmque filium in omnibus eorum ditionibus moueat, neque vllum principem, aut aliæ conditionis hominem aduerſus eoſdem bellum mouentem vlla re iuuet: quam conditionem Cæſar, ac Philippus filius Paulo repromittent.

3 Vt omneis quotquot Philippi negotia geſſerunt, aut eius parteis ſequuti hoc nomine in cuſtodiam traditi ſunt, in libertatem reſtituat: iiſdem ſiue Cardinales ſint, ſiue alij ordinis cautiones datas remittat. omnium quæ ad hanc vſque pactionem in eius amplitudinem commiſerint, veniam det, eoſdémque in ſacerdotiorum numerum, aut quorumcumque aliorum bonorum poſſeſſionem redintegret, prout illis vti, frui ſolebant: quandoquidem eos quod fidam Regi operam nauarint, ita mulctatos fuiſſe conſtat. Sin illi poſt hanc pactionem aduerſus Paulum delinquent, Rex Philippus, vt puniantur, quemadmodum promerebuntur, ſe omnem operam daturum repromittit.

4 Aſcanium & M. Antonium Columnas ſuos clienteis in gratiam recipiat: Marco omneis poſſeſſiones vti nunc ſunt, reſtituat: aliter enim illis liberè frui non poſſet multis de cauſis, quæ cuiuis ita perſpectæ ſunt, vt eas fuſius explicare neceſſe non ſit: & niſi ita reſtituantur, muneribus quæ Philippus Rex illi commiſit, ſatisfacere non poſſet: quibus poſſeſſionibus quod Philippo fidam operam nauarit, ſpoliatus eſt.

5 Ne Paulus vrbeis, oppidáue in Romani Pontificatus, regníque Neapolitani confiniis munienda curet, ſed vti nunc ſunt, conſeruet.

6 Vt Aſcanium Corneum in gratiam recipiat, quæque illi ablata ſunt, reſtituenda curet.

7 Poſtremo caueat, vt his poſtulatis ſatisfiat.

Pauli reſponſio hæc fuit.

Pauli Pōtif. ad Albani poſtulata reſponſio.

1 Quoties, & quandocumque ſe filium Philippus geret, toties & eodem tempore Paulum benignum patrem agnoſcet, vt non ita dudum agnouit, quum in eius gratiam Hiberniam in regnum erexit, & pleroſque Anglos Epiſcopos nouarum in religione ſectarum conuictos, cæteróſque qui ad ſe Philippi nomine miſſi ſunt, Paulus noxis abſoluit & ad Chriſtiana ſacra admiſit.

2 Philippum clientem promittere debere ne bellum aduerſus patronum moueat, & quod non prouocatus bellum mouerit, vt eidem ſatisfaciat, teneri.

3 Duo genera ſunt eorum qui cuſtodiæ mandati fuerunt, alij vni Romano Pontifici obnoxij ſunt, in quos ille ſummum ius & imperium habet, ſiue Cardinales ſint, ſiue alij ordinis, quorum cauſa nullo modo ad Philippum Regem pertinet; nec ſe illi in cuſtodiam datos cauſari debent, quod Cæſaris, aut Philippi domeſtici eſſent, vel eorum negotia procurarent; id enim falſiſſimum eſt: etenim propter priuata ſua delicta in cuſtodiam dati ſunt. Alij Cæſaris negotia procurantes, aut procurare ſimulantes in Pauli vitam machinati ſunt, quemadmodum Abbas Briſſengus, Garcilaſſus Vega, Gotofredus Neapolitanus, Curſorum magiſter, quos ad Philippum Regem vt puniantur Paulus facilè remittet: ſed ea lege, ne in poſterum in Romani Pontificatus vrbeis redire, aut ibi remanere poſſint.

4 Falſiſſimè M. Antonius Columna ſe ſuis poſſeſſionibus ſpoliatum cauſatur, quod Philippo Regi operam ſuam præſtaret: nam læſæ Maieſtatis reus, vt ſe purgaret, citatus eſt: quum ad diem præſcriptum non affuiſſet, ex iure clientelæ manus eius bonis iniecta eſt: quod ſi ſe innocentem profitetur, ſe in iudicium ſiſtat; aut ſi iudices ſuſpectos ait, Paulus vt cauſa ad Galliæ Regem transferatur, permittit.

5 Cliens patrono leges, aut iura præſcribere non debet, ſed patronus clienti: Paulo igitur ne vrbeis muniat, haud prohibeat Philippus: nec tamen quin Philippus in regno Neapolitano, eiúſque confiniis vrbeis muniat, Paulus impedit: modo quin Paulus in ſuo Pontificatu muniat, Philippus impedimento non ſit.

6 Aſcanio Corneo non ſolum veniam dedit Paulus, ſed & honoratum munus militare addidit, eundémque totius Pontificij equitatus præfectum declarauit. Porro quas machinas in Paulum ſtruxerit, ſatis ille ſibi conſcius eſt, quem Philippus inter ſuos haud retinere, ſed ad Paulum mittere deberet: quemadmodum Paulus ſi earundem machinatum in Philippum ſtructarum conuictos in ſua poteſtate haberet, ad Philippum mitteret.

7 Solam Pauli datam fidem ampliſſimam eſſe cautionem: Philippi eſſe vt caueat, qui prior in Pontificias ditiones irruperit, & patronum offenderit: quod ſi Philippus, aut Albanus eius legatus inducias violaſſe inficiabuntur, Paulus iudicium ad Galliæ Regem, aut

Digitized by Google

aut etiam ad Philippum ipſum deferet: modo interim in aliquod tempus induciæ ineantur, & Albanus cum ſuo exercitu in regnum Neapolitanum redeat; & ne quid detrimenti Pontificiis ditionibus importet, caueat.

31 Vtriſque capitibus multum hinc inde diſceptatis nihil perfici potuit, Cæſarianis plus quàm par erat, Philippo tribuentibus, Paulo cedere, ne eius authoritas imminueretur, recuſante: quanquam vltimo conſeſſu decimo Kal. Octobris conuenerat, vt Cardinales à fano Iacobi & Carrafa Albanum adirent, & quæ pacis, aut induciarum ratio initi poſſet, experirentur: ſed ne id quidem locum habuit. Valetudinem obtendit Cardinalis à fano Iacobi, & ſe excuſauit: alij Paulum ægrè tuliſſe aiunt, quod nondum finitis illis octo dierum induciis Tarracinam Cæſariani diripuiſſent, Neptuni portum & Picernum cepiſſent: idcirco Carrafam Cardinalem iis, qui datam fidem, & ius gentium violarent, committere noluiſſe. Albanus communi Cæſarianorum excuſatione vſus id ſe inſcio factum aſſeuerauit: ſeptimo Kalend. Octobris Velitras Albanum petere fama fuit Ioannis Bellaij Cardinalis Oſtiæ & Velitrarum Epiſcopi (ſunt enim vnitæ, vt vulgo loquuntur) induſtria magis, quam Carrafarum opera, aut ſtudio munitas. Eò cum aliquot militibus Adrianus Baleonus, ac Camilli Vrſini filius miſſi ſunt, qui ita ſe geſſerunt vt Albano eodem proficiſcendi cupiditatem ademerint. Is Tibur verſus iter inſtituit vrbem ad Trebianorum montium radices ſitam, & ſedecim paſſuum millibus Roma diſtantem, quam Anio fluuius ex iiſdem montibus delapſus alluit: vbi plerique Imperatores cœli temperatura delectati ſæpius commorati ſunt: ibi aqua in lapidem ſubcinericium ſolidum, nullis ſtriis diſtinctum naturæ opus mirabile dureſcit, qui tam longus, latus, craſſus ſecari poteſt quàm humana induſtria ad eundem loco mouendum ſeſe explicat. Eiuſdem fere coloris, hoc eſt ſubcinericij eſt Syenites lapis ex Thebaide, ſed maculis ſubrubris diſtinctus; ex quo nonnulli obeliſci Romæ, aut ſaltem eorum fragmenta viſuntur. ex Tiburtinis lapidicinis multas Panthei columnas, & nonnullos obeliſcos Romam allatos quidam putant.

De aquis Tiburtinis in lapidem ſolidũ dureſcentibus.

32 Vt ad rem redeam: quum Albanus Tibur petere renuntiatus fuiſſet, qui Paulo Pontifici à conſilio erant, inter quos Petrus Stroza Mareſchallus, Montlucius, Lanſacus, Giurius, Mola numerabantur, vt Montlucius cum octingentis Gallis peditibus eodem pergeret & nouem Italorum cohortes quæ Tiburi malè munito præſidio erãt reciperet, & vt ponteis, molendina, furnos dirueret, ſtatuerunt: ſed quod eodem fere tempore ipſe hinc, inde Hiſpani, ac Neapolitani vrbem introiiſſent, is quidem cohortes Italicas ad ſe recepit, cætera conficere non potuit: has in colle non procul ab vrbe, vt plures viderentur, ſeſe explicare, vltra quem nihil ſuſpicere hoſtes poterant, atque inde niſi ſigno dato ne pedem mouerent, iuſſerat. at illorum bona pars Romam ſtatim aufugit: id quum ſuſpicione quadam coniiceret, equitem ex paucis qui ſecum erant, illuc miſit, & ita comperit. Igitur cedendo, & Romam redeundo ne ab hoſtili equitatu Galli tam pauci numero obruerentur, non multis confectis ſtadiis ſuos in viridarium palis ſeptum intromiſit noctu ſe tutius rediturum arbitratus: quum nemo Tibure exiret, ad collem in quo nouem cohortes collocarat, ſe ac ſuos recepit, vbi nonnullos etiam ex illis reperit, atque inde cum vtriſque Romam non expectatus rediit: iam enim vt Itali, qui primi aufugerant, renuntiarant, illum cæſum aut captum Romani putabant. Albanus Montlucium cum ſuis delere potuiſſet: ſed multos ſimul amiſiſſet, & quod cum Pauli nepotibus fere conueniſſet, ſuos conſeruare, Pontificias copias paulatim atterere cupiebat. Nec diu Romæ Montlucius & Galli remanſerunt, ſed vt hoſtes in vicinas vrbi villas, vicóſque excurrentes repellerent, tum ne iidem Aniene tranſmiſſo magis Romanos coarctarent exire ex vrbe coacti ſunt, & ſæpe cum hoſtibus, ſed leuioribus pugnis decertarunt. Sub finem Septembris vici Varronis incolæ pulſo præſidio ad hoſteis defecerunt: nono Kal. Octobris Selua vir eruditus, & in negotiis agendis exercitatus Regis Henrici legatus Paulum primum adorauit, & benignè exceptus eſt: ſed quum Carrafæ Cardinalis ac fratrum eius technas in Paulum patruum, Henricúmque Regem ſtructas acutè deprehenderet in illorum indignationem incurrit. Verumenimuerò virtus ſeipſa nixa nihil metuit, vt Romæ coram Guiſano aduerſus Cardinalem in altercatione declarauit. Quarto Nonas Octobris Pontificius exercitus ad prata Quintio coiit, peditum Gallorum, Italorum, Germanorum circiter octo millia, equites quingenti; in quem numerum arcium, vrbiúmque, ac ne quidem Romæ præſidia includebantur.

Camilli Columnæ proditio detecta.

33 Camillus Columna in Molem Adriani concluſus fidi ſerui opera vſus, vt ſe inde liberaret & res ſuæ factionis promoueret, vnum ex præſidij Romani præfectis familiarem ſuum multis promiſſis, muneribúſque corrupit, vt quum vigilias ageret portam ſibi

commiſſam

Digitized by Google

commiſſam hoſtibus aperiret, diémque Albano præſcripſit, quo milites immitteret. Idcirco Albanus relictis Velitris, quas oppugnare decreuerat Anienem traiecit: & ad Caput Bouis (quod filiæ Craſſi ſepulchrum fuiſſe nonnulli putant) caſtra poſuit mille quingentis ab vrbe paſſibus: at Camilli ſeruus comprehenſus proditionem indicauit, vnde milites ab Albano miſſi magna ex parte cæſi fuerunt. Albanus horum iactura commotus, & quod è ſuo exercitu multi dilaberentur, Pontificius in dies augeretur, (nam Idibus Octobris quatuor Peruſinorum, & Spoletinorum cohortes & ſclopetariorum equitum ala vrbem inierunt) honeſtam ſui reditus occaſionem aucupabatur. Itaque biduo poſt Cardinales, qui Cæſaris, & Philippi Regis parteis ſequebantur, coierunt, & de communi conſenſu Albano aſſentiente apud Paulum egerunt, vt ſi captiuos Cæſari, Philippóque obnoxios redderet, Albanum quicquid poſtremo hoc bello cepiſſet, redditurum promitterent: modo nihil aduerſus regnum Neapolitanum Paulus moliretur, aut moliri permitteret; de aliis captiuis Paulus ex iuris formulis ſtatueret. Paulus clienteis armatos pacis conditiones proponere, aut petere non debere reſpondit, ne vim feciſſe videantur: poneret arma Albanus, & tum demum de pace ageret. Vterque de proximo Guiſani aduentu nuncium acceperat, quo Paulus confirmabatur, Albanus in primis anxius erat. Quum omnium Italicarum Philippi Regis ditionum adminiſtrationem ſuſcepiſſet, Mediolanenſem principatum raris præſidiis inſeſſum, Italos rerum nouarum cupidos, eiuſdem dominationis diuturnæ impatienteis, Hiſpanis infeſtos ſciebat; & Guiſanum eo vires ſuas conuerſurum ſuſpicabatur: quod ſi feciſſet, vt Briſſacus conſulebat, Mediolanenſem principatum facilè recepiſſet. interim Tibure, atque in oppidis propinquis tempus ducebat, & non tam acre bellum gerebat, quam multos quos ſibi vſui fore exiſtimabat, Philippo Regi, ſibíque reconciliabat: Farneſios præſertim, quibuſcum in hæc capita conueniſſe fertur: Placentiam, Placentinúmque agrum Rex Philippus Octauio Farneſio reſtituet: arcem ſibi excipiet, cuius præſidio Octauius ſtipendium dependet: reſtituet (inquam) ea lege ne quid de Romani Pontificatus, aut de Imperij iure decedat. Nouariam quoque ac Nouarienſem agrum excepta pariter arce reſtituet; & vt in ſumma dicatur, quicquid Octauius ante poſtremum bellum poſſedit; quicquid item Auſtriaca Octauij vxor poſſedit, Alexandro verò Farneſio Cardinali mons Regius ſiue Regalis reſtitui iubetur. quæ reſtitutiones ea conditione fient ne vſusfructus à Cæſare, vel à Philippo Rege percepti repeti poſſint. Ad hæc coniuratorum, qui Petrum Ludouicum Farneſium trucidarunt, liberi paterna hereditate, cæteríſque bonis liberè fruentur. Coniurati, qui adhuc viuunt poſſeſſiones ſuas vendere, vt alias alibi emant, poterunt: Octauio Comitem S. Secundi, ac Ioannem Franciſcum Seuerinatem Philippus commendat, atque vt bonis ſuis fruantur edicit, modo fidi clientes Octauium patronum obſeruent: ſin aliter ſe gerent, vt in eos animaduertat, in illius poteſtate erit. Fontanellæ, Roccabiancæ, Turricellæ munitiones diruentur: fanum Domini ſicuti eſt munitum, ita Octauio reſtituetur: Alexander Octauij filius quum Placentia reſtituetur, Mediolanum proficiſcetur ibi ad tempus certum permanſurus: Nouariam, & quicquid in regno Neapolitano Farneſij poſſident, Philippus compenſare ſi ita illi videbitur, poterit.

Farneſij Albano reconciliantur, quibus legibus.

34 Farneſij autem hic ad Philippum defectione non contenti omneis quotquot potuerunt, ſecum trahere conati ſunt: præſertim verò Nicolaum Petilianum propinquum ſuum, qui præterquam quod patrem expulerat, bonis ſpoliarat, ſe eius hæredem tametſi adhuc viuebat, gerebat, & multis aliis vitiis notabatur, de proditione etiam Paulo ſuſpectus in Molem Adriani quarto Kalend. Nouembris concluſus fuit. hic quadam æmulatione aduerſus Ioannem Bernardinum Seuerinatem Sommeum regulum Pontificij exercitus caſtrorum magiſtrum deſignatum defectionem molitus ferebatur. Albanus Paulum in prima ad ſua poſtulata reſponſione confirmatum ad eas pactiones, quas ſperarat, haud venturum animaduertens, Camilli Columnæ machinationem ad nihilum redactam; Petilianum de quo multa ſibi promittebat, in cuſtodiam traditum Freſcato, Grotta ferrata, Marino, vbi diu caſtra habuerat, profectus Ardeam verſus contendit, ad Neptuni portum, maritimámque illam oram receſſurus, vt commodius & mari & terra commeatum reciperet. Sed M. Antonij Columnæ Aſcaniíque Cornei importunitate victus, quorum huius belli acris continuatio multum intererat, ad Oſtiam iter conuertit; vt traiecto Tiberi Centumcellas, Cornetum * * totámque regionem Viterbium vſque popularetur; vt ſi non vi, ſaltem fame Romanos domaret. Hinc Carrafa Cardinalis, ac Stroza Mareſchallus Pontificium exercitum ſeptimo Idus Nouembris ex vrbe exire atque hoſtibus obuiam ire iuſſerunt. Biduo poſt, hoc eſt, quinto Idus Franciſcus Mommorencius equitum magiſtri filius Romam appulit. Exercitus Neapolitanus quem vulgo

Petilianus in cuſtodiam Pauli iuſſu traditus.

Digitized by Google

Columnenſem appellabant, quod ob Columnas in integrum reſtituendos coierat, quanquam Albanus ſummus Imperator erat, magna annonæ inopia laborabat, vt multum, procúlque milites vagari cogerentur. Inde capta occaſione Adrianus Baleonus Velitrarum præfectus in pabulatores egreſſus Hiſpanorum cohorte fuſa multos cecidit, plures cepit: ex quibus Cæſarianas triremes Genua profectas bis mille Hiſpanos è Mediolanenſi principatu euocatos ad Albanum tranſportare eundémque quinto & quarto Idus Nouembris foſſas ad Oſtiam duxiſſe, vrbémque oppugnare decreuiſſe didicit. Pridie Idus Galli quam Tiberis ad Oſtiam facit, inſulam occuparunt, quamuis Pontificius exercitus ad Mallianam amœnam domum non procul tamen ab inſula diſtantem conſtitiſſet.

Oſtienſis arcis oppugnatio.

Idibus eius menſis ad Oſtiæ arcem tormenta librata ſunt, quæ paucis impenſis muniri potuerat, vt Bellaius Cardinalis ſuaſerat: ſed Carrafæ Pontificis nepotes de ſua ad Philippum defectione certi, vt patrui in facta cum Rege Henrico ſocietate perſeuerantis conſtantiam vincerent, immunitam reliquerant; & maiorem tormentorum partem, & quicquid ad propugnationem neceſſarium erat, exportari iuſſerant. Poſtridie Idus tormentis ſeptem, quos canones vocant, vna colubrina qua defenſacula petebantur, Albanus arcem concutere cœpit. Eodem die Galli qui partem Tiberinæ inſulæ occuparant, Neapolitanos ad pontem vſque, qui inſulam cum Oſtiæ ſolo coniungit, fuderunt, & niſi Neapolitanus equitatus opem ſuis tuliſſet, ex inſula expuliſſent. Tormenta nihilominus tum, & treis ſequenteis dies ſuum munus impleuerunt: at tanta in Neapolitano exercitu annonæ, pulueris tormentarij, pilarúmque inopia erat, vt ſi deditio dilata in alterum diem eſſet Albanus obſidionem ſoluere coactus fuiſſet. Quarum difficultatum Cardinalis Sanflorus certior factus capita quædam propoſuit, quibus Paulum, atque Albanum inter ſe reconciliaret; à quibus Paulus non multum alienus eſſe ferebatur: verum interim Albanus arcem propter rerum omnium neceſſariarum penuriam, & propter præfecti, ac præſidiariorum militum diſſenſionem diutius reſiſtere non poſſe admonitus, quod Carrafarum opera renuntiatum putant, Cardinalis Sanflori legatum, donec arx decimo quarto Kalend. Decembris dederetur, retinuit: mox eodem die, vt inducias, aut pacem impetraret, remiſit. Induciæ in decem dies decimo tertio eaſdem Kal. pactæ fuerunt. tum Albanus qui Carrafæ Cardinalis ingenium turbidum, ac ſtolidum perſpectum habebat, colloquium petiit: commodius enim per ſe, quam per interpretes vanum hominem, & inconſideratum in ſuas parteis ſe pertracturum ſperabat: ſexto Kal. Decembris ad Oſtiam in inſula conuenerunt. Carrafa Cardinalis, atque Albanus ſoli in papilione ad id præparato treis integras horas ſermones inter ſe contulerunt: nec tamen omnino conuenire potuerunt: hinc alterum colloquium in poſterum diem condictum eſt. nec quicquam de iis, de quibus colloquuti erant, Petro Strozæ, cui ſe longa amicitia coniunctiſſimum eſſe præ ſe ferebat, nec aliis Regis Henrici ducibus indicauit; & tertio Kal. Neapolitanos conuiuio excepit, vnde noſtris ſuſpicio ante de Cardinale concepta plurimum aucta eſt: quo die ſub veſperam Regius curſor Romam appulit, qui Guiſanum cum copiis in itinere eſſe Regis nomine denuntiauit. Quo nuncio Paulus confirmatus in vetere ſententia perſtitit: & ſe pacis (verum quæ ſe digna eſſet) cupidum fore declarauit: quapropter induciæ in quadraginta dies productæ fuerunt. 35

Cur tandem Mommorencius Italicã Guiſani expeditionẽ approbet.

Ab Italica Guiſani expeditione Mommorencius tandem non alienus fuit, vel quod totam Guiſanam familiam in bellum Italicum Gallis ſemper infelix abituram ſciebat, & ſe interim totum Henricum poſſeſſurum, inſatiabilémque ſuam auaritiam expleturum ſperabat, vel quod Paulo Pontifice propitio indigebat: matrimonium enim Franciſci filij natu maximi cum Diana Henrici filia notha procurabat. At Franciſcus Piennam puellam illuſtri familia natam ſibi deſponderat, verbis de præſenti, vt loquuntur: EGO TE IN VXOREM ACCIPIO: quæ ſponſalia ita concepta diſſolui noſtro more non poſſunt: idcirco Romam filium miſerat, vt hoc promiſſo, ac fide data Paulus eundem liberaret: ſed quum id Paulus in omnibus rebus ſeuerus integra ſua exiſtimatione concedi non poſſe iudicaret, & nihilominus Mommorencio patre indigeret, rem diutius duxit. Mommorencius filius moræ impatiens re infecta in Galliam rediit. Interim tam Pontificij, quam Neapolitani aliquot propugnacula in ſæpe commemorata inſula extruxerunt: Neapolitani inter veterem Oſtiam, & mare ad ſiniſtram ſecundo flumine deſcendentibus, vt annonam Romam importare prohiberent: cui Pontificij è regione in inſula ad dextram portum verſus alterum oppoſuerunt, ne commeatus vel Oſtiam, vel in propugnaculum ſibi obiectum importaretur: addiderunt Galli tertium Orientem ſpectans ad veteris Oſtiæ latus. Decimo octauo Kalend. Ianuarij Carrafa Cardinalis equis curſoribus Venetias petiit: cauſam profectionis alij aliter interpretabantur: nonnulli 36

vt Rauenna

Digitized by Google

vt Rauenna Venetis oppignerata pecuniam in bellum conficeret, vt Paulus cum Rege pactus erat: alij vt eorum, quæ Albanus ſibi promiſerat, prædes acciperet, eo contendiſſe ſuſpicabantur. Nihil præterea in Romano agro hoc anno memoria dignum geſtum eſt, niſi quod Mola poſtrema huius anni ac menſis nocte cum tredecim cohortibus, trecentis leuioribus equitibus annonam Pallianum, Velitráſque importauit.

37 Percurſis breuiter rebus Italicis hoc anno geſtis nunc ad Carolum Quintum Imperatorem redeamus, qui multis ſimul morbis afflictus, podagra, chiragra, cerebri vertigine, morbo Comitiali aliiſque infinitis, Veſalio eius medico viro erudito, vt eius ſcripta declarant illi vitæ breuitatem præſagiente in Hiſpaniam redire, & mortem ſolitarius piè expectare decreuerat. Igitur Auguſto menſe Bruxellis profectus Gandauum, vbi natus erat, Philippo filio comitante petiit: ibi legatos omneis ſeparatim alloquutus, Pontificio, qua pietate Romanos Pontifices coluerit, declarauit: Paulum poſtrema oratione precari, vt publicæ Chriſtianorum tranquillitati conſulat. Ferdinandi legatum monuit vt frater munus, quo illi ceſſerit, fortiter obeat: nec Germaniam domeſticis bellis atteri patiatur, quibus exinanita in Turcarum ſeruitutem, tyrannidémque redigatur. Veneto dixit ſe ſemper eam Rempub. dilexiſſe, ſemper eius libertatem fouiſſe, quod in eius prudentia Italiæ tranquillitas conſiſtere videatur. Florentino vt regulum admoneat, ne quid in familiam Auſtriacam moliatur: nihil arduum, niſi monito Philippo filio aggrediatur, vti hactenus fecerit, quod illi bene ceſſerit: alios item ſui muneris, vel eorum pro quibus legatione fungerentur, admonuit. Iam de Imperij abdicatione ſeptemuiros Electores certiores fecerat: tum verò vt eam ratam haberent Guilielmum Arauſium principem, Georgium Sigiſmundum Procancellarium, Volfangum Hallerum, qui illi ab epiſtolis erat, legatos miſit, nec tamen eorum reditum expectauit: at ſeptemuiri eius mandata vel ob bellum inter Henricum Galliæ, ac Philippum Hiſpaniæ Reges renouatum, vel ob trium ſeptemuirorum Palatini, Colonienſis, Treuirenſis mortem niſi biennio exactó executi ſunt. Quod autem Senatum Spirenſem tanquam iuſtitiæ domicilium ſemper dilexerat, ad eundem ſeptimo Kalend. Septembris, ſeptimo Idus eiuſdem menſis ad omneis Imperij principes, ciuitates, clienteis ſcripſit, vt Ferdinandum fratrem in Imperio ſucceſſorem eadem, qua ſe charitate, liberalitate, obſeruantia colerent: publicam Germaniæ pacem ſeruarent, quam tanto ſtudio procurarit; nec ſuis diſſenſionibus, aut domeſticis bellis Turcam hoſtem immaniſſimum tam propinquum ad ſuam ſeruitutem inuitarent.

Anno 1557.

Carolus V. multis morbis afflictus. In Hiſpaniã redire meditatur.

38 His ita procuratis, & regnis, prouinciiſque ſuis omnibus Philippo filio traditis, Imperij inſignibus ad Ferdinandum fratrem miſſis decimo quinto Kalend. Octobris Sudburgi, quæ Zelandiæ arx ab illo à fundamentis extructa fuerat, ante Solis occaſum nauem conſcendit, quem Eleonora Galliæ, ac Maria Hungariæ Reginæ & eius ſorores ſequutæ ſunt. Huc vſque patrem Philippus filius, atque Emanuel Philibertus Sabaudiæ regulus officij cauſa comitati ſunt: poſtridie mane è ſtatione ſoluit. Claſſis quindecim Cantabricis, viginti Belgicis nauibus, & aliquot Batauicis Holcadibus conſtabat; quibus ſeptem Anglicæ ad freti Britannici fauces, ſeptem ad Porſeumam, ad Vectem inſulam totidem ſeſe adiunxerunt; vnde in Hiſpaniam fœlici nauigatione traiecit: vbi deintegro regni ceſſio ceremoniis ſolennibus celebrata eſt: deinde ad * * Oletanam totius Hiſpaniæ Metropolim ad inuiſendum Carolum nepotem diuertit. Hic biduum commoratus, & puerum ad virtutem hortatus ad vallem in Luſitaniæ finibus cœli temperatura, & collium, fluminis, fontium amœnitate commendatam ſe contulit, vbi olim Sertorius mortem obiiſſe traditur,& hodie Hieronymitanorum ſodalium cœnobium viſitur,quod à Placentina vrbe octo paſſuum millibus diſtat: in id ſummus Imperator ingreſſus duodecim duntaxat miniſtros, atque equum vnum retinuit, & nullum cum hominibus in poſterum, ſolùm cum Deo ſibi commercium reliquit. * * * *

In Hiſpaniã appulſus Hieronymitanorum cœnobiũ reliquã inibi vitam traducturus pius Imperator ingreditur.

39 Sub induciarum finem Neapolitani,quo nomine etiam Hiſpanos, qui ſub Albano militabant intelligo,captis Romani agri vrbibus præſidio relicti (nam Albanus antea cum bona exercitus parte Neapolim redierat, vt ad excipiendum Guiſanum regulum cum exercitu Italiam ingreſſum vires ſuas augeret) Oſtiæ arcem cuniculis actis, & ſulphureo puluere impletis admoto igne diruere conati ſunt: at muri antiqua ſtructura, firmóque cæmento bene compacti vi pulueris haud ceſſerunt. Itaque ea relicta minus propugnaculum in inſula ſitum demoliti ſunt: maius inter veterem Oſtiam, & mare ſupra Tiberis oſtium in continente extructum retinuerunt. Sexto Idus Ianuarij induciæ finiebantur, quo die Pipernum, poſtridie Gallicanum, tertio Idus Stroza Oſtiam recepit. Et pridie Idus maius propugnaculum, cuius nuper mentionem fecimus Pontificij circumſederunt, quod

Digitized by Google

nono Kal. Februarij Hiſpani dediderunt. Prædam, quæ vberrima erat, militibus Stroza pollicitus erat, quam vt ſibi reſeruaret, Montorij regulus totius exercitus Imperator ſub Pontificis nomine retinuit, vnde milites plurimum indignati ſunt. Paulino ciues ipſi Neapolitanos expulerunt, & ad Pontificem antiquum dominum reuerterunt. Tertio Nonas Februarij quum ad Tibur oppugnandum Pontificium exercitum Roma exire præſidiarij milites intellexiſſent, vrbem ſtatim reliquerunt. Hinc ad vicum Varronis cum decem tormentis Pontificius exercitus contendit, quæ propter montium præcipitia, cæteraſque itinerum difficultates, & Buffalorum quibus boum loco, aut equorum vtebantur, in his trahendis tarditatem militum opera ſæpenumero vti coacti ſunt: vbi Heluetij, Germani, cæteríque ſtrenuè ſe geſſerunt. oppidum poſtridie Idus Februarij vi expugnatum eſt. Germani Hiſpanorum crudelitatis, quam in portu Herculis experti erant, memores omneis quotquot aſſequi potuerunt, Hiſpanos viciſſim trucidarunt, vt ex trecentis vix centum à Gallis ſeruati euaſerint.

Germanorũ in Hiſpanos crudelitas.

Iam multus de Guiſano appropinquante rumor ferebatur: is Ianuarij initio Galliam Subalpinam ingreſſus pridie Idus Valentium tormentis verberauit. oppido præerat Spuluerinus cum bis mille Hiſpanis, Italis, Rhœtis peditibus: quod magnis ſuis diuitiis timens poſt aliquantam tormentorum fulminationem, & aliquot excurſiones poſtridie Idus dedidit. Idcirco quum ſe inde Ticinum recepiſſet cum nonnullis centurionibus capite pœnas dedit, quod firmum oppidum omnibus rebus ad propugnationem neceſſariis abundans nulla vrgente neceſſitate tam ſubito dedidiſſent. Huius deditionis certior factus * * Madrucius Cardinalis Tridentinus Valentium contra inducias captum repetiuit: cui Guiſanus Albanum prius inducias violaſſe reſpondit multis Romani Pontificatus vrbibus, caſtellis, arcibus captis, quum Paulus Quartus Pontifex maximus à Cæſare & Philippo filio, atque ab Henrico ſocius in induciis declaratus fuiſſet: & Gaſpar Colignius Caſtilio Picardiæ adminiſtrator Nonis eiuſdem menſis Duacum Catuacorum vrbem noctu intercipere conatus Lenſam interiectum inter Inſulam, & Atrebatum Auguſtam diripuerat, & mox incenderat, quæ belli renouati initia fuerunt. Capto Valentio quid facto opus eſſet, vel ad deducendum Romam Guiſani exercitum, vel ad augendam in Italia Regis authoritatem conſultatum fuit. Briſſacus Regis ſcopum eſſe dixit, quemadmodum & Guiſanus fatebatur, vt Paulo Pontifici opem ferat: commodius ferri non poſſe, quam ſi hoſtilis exercitus longiſſimè à Romano Pontificatu ſeparetur: id in promptu eſſe, ſi Guiſanus Mediolanum nulla fere ex parte munitum, omni præſidio nudatum oppugnet: vnde ciuium bona pars metu conſternata ſolum verterit: nullas, quæ expugnationem impediant, vires aut ſubeſſe, aut in poſterum aliunde poſſe accedere. Si Guiſanus vrbis compos erit, cæteras eius fortunam, atque exemplum ſequuturas; nec de potiunda arce deſperandum: nonnullos ex Alexandrinis de prodenda vrbe cum Saluaſone pepigiſſe: Saluaſonem locum, & rationem per fidos homines didiciſſe. Id ſi (vt veriſimile eſt) bene ſuccedet, cæterum principatum in Guiſani poteſtatem venturum; qanti enim momenti ea ſit vrbs, omnes perſpicue nouerunt. qui Saluaſoni ab epiſtolis erat, vnum ex Alexandrinis, qui cum Saluaſone pacti erant, ad Guiſanum adduxit. Briſſacus ſe Saluaſoni cum copiis affuturum pollicitus eſt. Si fortuna Gallorum conatus adiuuet, quemadmodum primum conatum felici exitu terminauit, quis dubitat Albanum neglectis Columnis ad ferendum Mediolanenſibus auxilium acceſſurum? Paulum Pontificem nullo hoſte vrgente quicquid amiſerit, recuperaturum; vti iam multa recuperauit: exercitus in tam longinquas regiones magna ex parte hoſtiles miſſos multis fere ſemper periculis, multis fortunæ caſibus obiectos experientia docuit: quos, vt veteres prætermittantur, vel Carolus Octauus, vel Ludouicus Duodecimus, vel recentiore memoria Franciſcus Primus ſumma diligentia equitum, peditúmque numero longè ſuperiores inſtruxerant. At vt nihil aliud obſit, cœli tam ſubita mutatio morbos gignit, & vim militum retundit, quibus auxilia ſummittere difficillimum eſt. Carolum Octauum regnum Neapolitanum repetentem in primis erraſſe multi iudicarunt, quod primo conatu, vt Crepecordius conſuluerat, Mediolanenſem principatum in ſuam poteſtatem non redegiſſet, & mox vel Ludouico Aurelianenſi propinquo, vel Sfortiæ pupillo affini reliquiſſet. Si in hunc Rex vires ſuas conuertet, & quod animo intendit, nempe vt Romanum Pontificem ab hoſtili exercitu liberet, aſſequetur, & opulentum, honoratúmque principatum maioribus ſuis malis artibus ereptum recipiet: quinetiam Genuam, vt veriſimile eſt, victoriæ ſuæ adiiciet, præſertim ſi Maſſilienſes triremes ne triticum è Sicilia aduehatur, obſtabunt: cuius tanta Genuæ penuria eſt, vt iumenti ſarcina decem

Guiſanus violatas ab Albano inducias probat.

Multi Guiſano vt Mediolanum oppugnet auctores ſunt.

nummis aureis veneat. Bona pars eorum, qui huic conſultationi interfuerunt, in hanc ſententiam inclinabant, & vt Rex curſoribus equis eius certior redderetur, optabant.

41 At Guiſanus mandatum habere dixit, vt Romam nulla interpoſita mora pergeret: ita enim Regem cum Pontifice pactum eſſe. Quod ſi hic moram faceret, Pontificem cum hoſtibus fortaſſe conuenturum, & à ſocietate diſceſſurum: totam belli molem in ſolum Regem recaſuram. Quam ſententiam nonnulli poſtea ex euentu iudicantes perſtrinxerunt: re vera ſi Carrafarum qui Pauli Pontificis negotia adminiſtrabant, incerta ingenia nouiſſet quæ illi diſſimulabantur, & aliter quam erant, effingebantur, in hanc, ni fallor, deſcendiſſet. Igitur Guiſanus iter inſtitutum perſequutus Tanarum ponte conſtratum cum exercitu ad Baſſignanam traiecit, quo Briſſacus cum ſuis copiis huc vſque comitatus eſt: deinde ad Laumell * * agrum diuertit, quaſi Mediolanum petiturus, quòd Piſcarius Marchio vt Guiſani iter obſeruaret, ac remoraretur, milites vndique acceſſebat: verum Mediolano timens retro iter flexit, Guiſanúmque liberum abire paſſus eſt. Briſſacus interim dum Valentium munitur in Laumell * * agro aliquot dies traduxit; deinde Caſali, Moncaluo, Valentio, fano Iacobi, ſiue Santiæ firma præſidia reliquit, quod Piſcarij exercitus in dies augebatur, Gallicus deficiente ſtipendio imminuebatur: vnde mutuam pecuniam priuatim ſuo nomine accipere coactus eſt, & decimo Kal. Maias Valfeneriam dum de deditione agitur, cepit (alij commeatus penuria captam, deinde à fundamentis euerſam tradunt) Cherium tertio eaſdem Kal. vi expugnauit: Conium eodem menſe circumſedit. Tum Rex pecuniam miſit, ſed quæ Heluetiorum ſtipendium non multum excederet: Gallis atque Italis ſigillatim nummus aureus datus eſt, quapropter ſeditio propemodum excitata eſt, quam tamen ſua authoritate ſedauit, & obſidionem continuans quod tormenta non ſatis murum depreſſiſſent, ibidem cuniculos egit: quibus igne admoto via vtcumque facta, atque impreſſio indicta eſt: ſed milites ob ſtipendium non exolutum præfectis ſuis non ſatis parebant, nec præſcriptos ſibi ordines ſeruabant. Itaque * * caſtrorum magiſter cum plerisque viris nobilibus, ac fortibus militibus, qui primi in oppidum irruperant, cæſi, multo plures vulnerati fuerunt. Paucis poſt diebus Piſcarius cum copiis Foſſanum acceſſit, vt Conij obſidionem interturbaret; cui Briſſacus ſoluta obſidione obuiam proceſſit: quapropter Piſcarius Foſſanum rediit, & ne commeatum oppidi cum tanta multitudine conſumeret, clam ſe ſubducens cum peditatu Conium euaſit: equitatus Conij remanſit, quem ad mille ducentos equites perueniſſe tradunt: quorum permulti itinerum anguſtiis præſidiis ſeptis aut cæſi, aut capti fuerunt: pedites per montium prærupta mare verſus contendentes ſuſcepto ex itinerum difficultatibus labore, atque inedia plerique perierunt: cæteri macie, aut morbis confecti aliquandiu bello inutiles fuerunt.

Recuſat ille, ſe nulli tale mandati à Rege habere cauſatus.

Conij obſidio.

42 Guiſanus peragrato Placentino agro Rhegium Ferrarienſis oppidum iter inſtituit: quo illi Ferrarienſis ſocer, ac Carrafa Cardinalis à Paulo Pontifice miſſus obuiam prodierunt. Ibi de belli ratione conſultatum fuit: quidam vt Guiſanus Cremonam aut Ticinum circumſederet, conſulebant, interim dum Briſſacus ad Nouariam, Valentium, totámque eam regionem ſi quid operæpretij faceret, experiretur. Alij eas ciuitates bene munitas non facilè capi poſſe exiſtimabant: interim Albano ad conficiendum in Romano agro, aut in Hetruria exercitum ſpatium dari: in vicinam potius Hetruriam Guiſanus irrumperet, & Senenſes à Florentinorum Hiſpanorúmque ſeruitute vindicaret. Carrafa Cardinalis vt per Marchiam Anconitanam, qui Picentinorum olim ager fuit, in Campaniam, quam terram laboris vocant, penetraret, ſatius eſſe ducebat: vbi paucas vrbeis, quæ reſiſterent, inueniret. At Ferrarienſis Guiſanum à Rege mitti, vt Paulo Pontifici ſuppetias ferat: Romam igitur adeundam, vt liberato Pontifice commodius, quo exercitus progredi debeat, conſulatur: ſe interim, quod Parmenſem regulum Philippi Regis ſocium ſuſpectum habeat, in ſuo agro cum copiis remanſurum. Guiſanus cum Carrafa Cardinale Bononiam, Ferrarienſis relicto Alphonſo filio legato Venetias conceſſit, vt Hiſpano legato reſponderet, qui grauiter de Paulo Pontifice, atque Henrico Rege, poſtremo de Ferrarienſi queſtus, quod tam neceſſariis Chriſtianæ Reipub. induciis violatis bellum iniuſtum aduerſus Philippum Regem ſuſciperent, Venetum Senatum precabatur, vt & cum Philippo ſocietatem iniret, & in Ferrarienſem exercitum mitteret.

43 Dum Venetiis cum legato Hiſpano Ferrarienſis diſceptat, Hieronymus Corregij regulus dolo receptis ſuis obſidibus à fœdere, quod nuper cum Ferrarienſi fecerat, receſſit, & ad Philippum tranſiit. Vnde Ferrarienſis in ſuum principatum rediit, & Mutinam, Carpium, cæteráque vicina oppida muniit. Quum Bononiæ nullum belli apparatum Guiſanus inueniſſet, de Paulo, qui promiſſo non ſtaret, Paulique miniſtris vehementer querebatur: Carrafa Cardinalis decem peditum millia in agro Anconitano ipſum

expectare reſpondit. ita Immola, Fauentia, Ceſena tranſmiſſis Arimini exercitum recenſuit: quingenti quinquaginta cataphracti equites, mille quingenti leuiores. Heluetiorũ quinque, quibus Alboëuius Marchio, Rhœtorũ quatuor, Gallorum & Vaſconum ſeptem millia, quibus Nemorenſis regulus præerat; aliquot Italicæ cohortes numeratæ ſunt. Multi præterea nobiles adoleſcentes laudis comparandæ auidi nullo propoſito ſtipendio, aut præmio Guiſani nomen ſequuti ſponte acceſſerant. Nemorenſis regulus Gallorum peditum tribunus; Cipetra caſtrorum magiſter, Tauannius, ac Iacobus Broſſianus caſtrorum Mareſchalli erant. relicto in Pontificiis prouinciis exercitu, cui interim Aumallius Guiſani frater præerat, Guiſanus cum Carrafa Cardinale iter inſtitutum perſequutus Romam ſexto Nonas Martij appulit, honorificentiſſimè exceptus: cuius magnificentiæ primum ſpecimen Romani in tormentorum fulminatione collocant, quæ bis venientem immanibus, denſiſque tonitruis ſalutauit, quum porta * * quam populi vocant ingrederetur, & quum pontem Moli Adriani vicinum tranſmitteret. poſtridie qui primus quadrageſimæ Chriſtiano more ſine carnium eſu celebrandæ dies fuit, Paulus Pontifex in Petri æde ſacram liturgiam obiit, vbi Guiſanus ſummos, qui principibus tribui ſolent, honores aſſequutus eſt. Quod ſi Pauli nepotes eadem, qua patruus beneuolentia Gallos proſequuti fuiſſent, longè alius huius belli exitus extitiſſet. Vt tamen maligna ſua ingenia aliqua diſſimulatione tegerent, Montorij regulus ſe Regi ſacramento, quod antea recuſarat, obligauit, & inter Michaeleos equites numeratus eſt. Numeratus eſt & Paulus Iordanes Vrſinus, & vterque torquem conchatum (ſi ita cum Plinio loqui licet) hoc eſt in concharum formam ex auro effictum eius ſocietatis inſigne accepit: ac Petri ædem duobus eius ſocietatis equitibus deducentibus vota perſoluturus adiit. Prior incedebat Iordanes Sommæo regulo à dextra, Franciſco Mommorencio equitum magiſtri filio à ſiniſtra. Sequebatur Montorij regulus Guiſano à dextra, Petro Stroza Mareſchallo à ſiniſtra comitantibus.

Guiſanus Romã appulſus honorificẽtiſſimè excipitur.

His peractis de bello conſultatum fuit: qui in eo conſilio cauſam Pauli Pontificis agebant, quam iniuſtè Albanus hoc bellum ſuſcepiſſet, docebant: pro Columnis (inquam) Pauli clientibus, præſertim verò pro M. Antonio homine ſceleratiſſimo, & qui in mala cauſa à Philippo Rege Pontificis etiam cliente adiuuetur indigniſſimo, vt ex litis aduerſus eundem conteſtatæ, quæ iam in rem iudicatam tranſiit, actis ſatis perſpicuum eſt. An Philippus cliens Pontifici patrono in patronatus iure leges præſcribet? Quid? quod idem Rex Pontificatum Romanum inuaſit, & tot arceis, oppida, vrbeis cepit, & iam nõ Columnarum, ſed ſuam cauſam agit, ac Romanum Pontificatum ſuis poſſeſſionibus ſpoliare conatur: cui nullam huius belli occaſionem Paulus dedit. Nam ſi Albanus pro regno dumtaxat Neapolitano tuendo exercitum coëgiſſet, intra regni fines ſe continuiſſet, nec in alienas poſſeſſiones irruiſſet. Hæc in cauſa fuiſſe cur Paulus Nonus Pontifex à Rege Chriſtianiſſimo, vt plerique Romani Pontifices à Galliæ Regibus olim impetrarunt, auxilium implorarit. Guiſanus Regem maiorum ſuorum exempla ſequutum pro Romano Pontificatu propugnaturum, & ſe hoc nomine cum exercitu in Italiam miſſum declarauit: quo pio in officio præſtando ipſe, atque exercitus vitam æquo animo profundet. Deinde ad eum ſermonem tranſiit, vt non ſolum de hoc bello, ſed & de cæteris, quæ in poſterum accidere poterunt, deliberandum indicaret. & quandoquidem Romanorum Pontificum authoritas in Gallorum Regum maximè propugnatione conſiſtit, vt eos Reges ſibi viciniores, & ad opem ferendam paratiores ſummi Pontifices reddant, æquum videri: neque enim in tam longinquas regiones ſæpenumero hoſtiles ſine magnis impenſis, ac periculis firmos exercitus poſſe deduci: præſentem eſſe occaſionem, ſi Senenſes quorum etiam propugnationem Rex ſuſceperit, in libertatem vindicentur: in quos nullum ius Florentinus regulus ſibi vendicare poteſt; niſi quod principatum ſuum aliena libertate opprimenda dilatare voluit. Hoc conſilium non tam Paulo, quam eius nepotibus acceptum fuit, qui eam portionem quam Rex Henricus adhuc poſſidebat, ab illo poſtulare decreuerant; cuius vectigal annuum ad ſexaginta nummûm aureorum millia peruenire ferebatur, & Senas ipſas à Florentino regulo ſe redimere poſſe ſperabant ſi ſcedulam * * * qua Alexander ſuperior dux & Coſmus ipſe Romano ærario obſtricti erant, redderent: id & apud Regis miniſtros, & apud Florentinum procurabant: quos vtrique quanquam poſtulatum ineptum exiſtimabant, bona ſpe impletos ſuſpenſos tenebant. 44

Quid autem Paulum ab eo conſilio reuocarit, incertum fuit: nam Senenſes in priſtinum ſtatum reſtituere, quam in regno Neapolitano vndique munito aliquod operæpretium facere longè facilius erat. Paulus eius conſilij interrumpendi ergo, ni fallor, non prius armis, quam æquitatis declaratione agendum, & reguli ſententiam exquirendam cenſuit: 45

cenſuit: quod nihil aliud erat, quam hoſti conſilium ſuum aperire, vt maturè rebus ſuis prouideret. Miſſus eſt Franciſcus Villa Ferrarienſis: Florentinus ſe ita Cæſari addictum eſſe reſpondit, vt illi omne obſequium præſtare debeat: cæterum in hoc bello nihil quod Paulum offendat, commiſſurum. Hoc reſponſum Paulo ita placuit vt Guiſanum ad liberandos Senenſes ire non permiſerit. Quidam Florentinum trecenta nummûm aureorum millia, quæ illi bello Senenſi Iulius Tertius mutuo dederat, reſtituiſſe, aut reſtituturum promiſiſſe ſimul ne Gallorum exercitus in ſe conuerteretur, egiſſe ſuſpicati ſunt: quod illi Paulus pecunia egens facile aſſenſus eſt. Hac deliberatione reiecta nihil certum à Paulo Guiſanus elicere poterat, quo vires ſuas ante vehementes illos Romani cœli calores Gallis admodum graueis conuerteret, Carrafis ſemper nouas moras inferentibus;quos interim Albanus magnis promiſſis ad ſe pellicere,& Paulũ eorumdem opera ab Henrici Regis ſocietate diſtrahere conabatur;à quo illi,ſed diſſimulanter ſtare deprehendebantur.Et Albanus,qui tum Neapoli erat Neptuni portum, vicináque aliquot oppida relinqui iuſſit, ſiue vt ſuos ſimul cogeret,ſiue quod ne Gallicæ triremes, quæ ad Centumcellarum portum in anchoris erant, ſuos nec opinanteis interciperẽt,timeret:tum eædem triremes treis minores Florentinas aggreſſæ duas demerſerunt, tertiam ceperunt: in qua adoleſcens, qui Florentino regulo ab epiſtolis erat, & ad Albanum mittebatur, captus eſt. Is licet litteras in mare deieciſſet, tamen regulum non ita erga Paulum bene affectum quemadmodum Franciſco Villæ Ferrarienſi regulus dixerat, coniectura erat. Acceſſit & altera: Aurelius Fregoſius copiarum dux quas Vrbinas clientelæ nomine ad Paulum miſerat, de Carrafis queſtus è Pontificio exercitu diſceſſerat, & Anconem intercipere conabatur: quæ machina, quamquam deprehenſa eſt, tamen Guiſanum aduerſus Florentinum exercitum ducere, & Senenſes in priſtinam libertatem reſtituere Paulus non permiſit.

46 Quo magis certum ſibi mandatum dari Guiſanus vrgebat, eo maiores dilationes Carrafæ inferebant, vt indignatus in Galliam rediret: iam enim Albani parteis ſequebantur, verum id patruo indicare non audebant, qui vir ingentis ſpiritus Philippo clienti cedere nolebat. Et quamquam ſanctæ ſocietatis (ſic enim vocabant) capitibus ſatisfacere non poterat, tamen id confiteri erubeſcebat, & de Gallis apud familiares querebatur, quod ſe ad omnia ſocietatis capita præſcriptè implenda cogere volebant: nec merito obiici debere, quod ipſe prior Regem ad ſocietatem coëundam inuitarit. [Nouit enim Rex (inquit) atque eius familiares vter prior alterum ad hanc ſocietatem ineundam inuitarit.] Cardinalem Lotharingum intelligebat, qui re vera Paulum ad ſocietatem induxiſſe, & hoc bellum excitaſſe ferebatur: omnibus perſpicuum eſſe quam amplas conditiones ſibi ſuiſque Rex Philippus obtulerit, ſi à Regis ſocietate diſcederet: quas accipere omnino recuſarit, vt in ſuſcepta Regis amicitia permaneret. Gallicum auxilium anno tardius, quam conuenerat, accepiſſe: interim bonam Romani Pontificatus partem ab hoſtibus occupatam fuiſſe, Romam propemodum circumſeſſam: acceſſiſſe ingentem famem, quæ mala Regem promiſſis ſtaturum non dubitans patienter tolerarit: viciſſim par eſſe ne Rex ad id quod non poſſit, ipſum cogat: ſe egentem ad ſummum hunc magiſtratum vocatum: quo nondum vnum & alterum annum integrum functus ſit: Pontificatus initio in bellum incidiſſe,quod quicquid pecuniæ corradere potuit, exhauſerit: quod ſupereſt, vt Rex ſuppleat, æquum videri. ſcio quot peditum millia, quot equites ex ſocietatis capitibus conferre debeo: at in hunc numerum præſidia Romani Pontificatus vrbibus, arcibúſque impoſita venire debent. Inter Paulum Pontificem atque Henricum Regem & Ferrarienſem conueniſſe quidam tradiderunt, vt Paulus viginti peditum millia,mille equites, Henricus eúmdem peditum numerum, bis mille equites, Ferrarienſis ſex peditum millia, ducentos cataphractos equites, quadringentos leuiores in bellum educeret: commeatum Paulus quamdiu exercitus in Romani Pontificatus ditionibus eſſet, ſuppeditare teneretur; & alia quædam prolixè per Carrafam Cardinalem legatum promiſerat. Alij peditum numerum, quos Paulus mittere tenebatur, ad duodecim millia, equitum ad octingentos reſtrinxerunt. Admonebat præterea nunquam Gallis in regno Neapolitano res malè ceſſiſſe niſi quod Romanos Pontifices hoſtes habuiſſent, nunc habere ſocios: illis commeatum abunde ſuppeditari, quo vt amici, non vt acerbi exactores vterentur. Henricum minore Britannia, Meti, Tullo, Virduno, Allobrogum, Galliæque Subalpinæ ditionibus auctum maiores ſuos Gallorum Reges potentia longè ſuperare: huius nunc inter hoſteis ſpecimen edat, vt illis terrorem incutiat, ſuos admiratione afficiat, & ſibi magni cognomen perinde,ac Carolus ille Pipini filius aſciſcat.

Paulus ſe ad omnia ſanctæ ſocietatis capita implenda cogi conqueritur.

Quid in ſocietatẽ conferre teneretur.

47 Hæ difficultates, quibus quid Paulus in ſocietatem conferret, diſceptabatur, Guiſanum Romæ menſem integrum & triduum præterea retinuerunt. Antequam autem Roma

Digitized by Google

Paulus 10. in auguſtiſſimum Cardinalium collegium adlegit.

Practica ab Hiſpanis intercipitur.

exiret Paulus decem Cardinales creauit: inter quos Bertrandus Regij ſigilli magiſter, ac Laurentius Petri Strozæ Mareſchalli frater numerati ſunt, quæ ceremoniæ Guiſano aliquam moram attulerunt. Acceſſit & altera, de Franciſci Mommorencij (cuius ſupra mentionem fecimus) & Piennæ puellæ illuſtri familia natæ matrimonio diſputatum eſt: an filiifamilias ſine parentum conſenſu matrimonium contrahere poſſint: de clandeſtinis item matrimoniis, & quæ ita vocari debeant; neque tamen quicquam decretum eſt, quod Paulus matrimonium ratum haberi debere iudicabat: propter Mommorencij autem equitum magiſtri quo multum egebat, authoritatem id declarare non audebat; idcirco iudicium ſuum ſuſpenſum tenuit. Qua cunctatione indignatus Mommorencius filius decimo Kalend. Aprilis Roma profectus eſt. His fere diebus Practica oppidulum firmum ab hoſtibus interceptum eſt. Nonis Aprilis Guiſanus ad exercitum rediturus Roma exiit, & ad Lauretanam Mariæ virginis ædem diuertens die quem à Ramis palmarum Chriſtiani denominarunt antiquorum Oſchophoro non multum diſſimilem, Chriſtiano ritu ſacram cœnam ſumpſit. Decimo Kalend. Maij viginti peditum cohortes Roma egreſſæ Bononiam miſſæ ſunt, quod Corregienſis ad Philippum defectione Paulus Bononienſi agro timeret. Claſſis Gallica triginta duabus triremibus conſtans Polino præfecto quæ captis aliquot onerariis mercatorum nauibus magnum feciſſe quæſtum ferebatur regnum Neapolitanum petens non longè à Neptuni portu curſum tenuit: quam partim vt inuiſerent, partim vt Neapolitanos, qui Practicam occuparant, reprimerent, Cardinalis Carrafa, ac Petrus Stroza Mareſchallus illuc contenderunt. Ea fere inutilis fuit; Pontiam quidem paruam inſulam cepit: quæ commercia inter Neapolim, & Caietam impedire potuiſſet, ſi noſter exercitus in regnum Neapolitanum penetraſſet. Cardinalis Carrafa Romam ſtatim rediit: Stroza Montem Fotrinum Columnarum arcem non longè à Neptuni portu in monte ſitam cepit. Guiſanus de Campulo & Colunnella captis Romam nuntium miſit: quapropter Paulus copias ſuas ad hoſteis accelerare iuſſit.

Cardinalis Peruſinus vinculis exemptus.

Guiſanus noua auxilia ſibi ſubmitti poſtulat.

48 Pauli nepotes antequam Roma proficiſcerentur vt Cardinalis Peruſinus Aſcanij Cornei frater è Mole Adriani educeretur ſexaginta millium nummûm aureorum cautione prius accepta procurarunt: vt ſi forte (vt incerta eſt belli alea) in hoſtium poteſtatem venirent, Aſcanius beneficij accepti memor aliud viciſſim illis rependeret. Quamquam autem Montorij regulus Pontificiarum copiarum dux Tallacotium petiturus ferebatur, tamen ſeptimo Idus Maias Roma egreſſus Ciuitatulam contendit, & ſe Guiſano adiunxit. Oppidum alta in rupe inter præcipitia ſitum, & ſumma diligentia munitum facilè capi non poterat: Albanus nihilominus cum numeroſo exercitu ad opem ferendam acceſſit. Interim Guiſanus ad Regem niſi noua auxilia ſummitteret, ſe non vltra progredi, ac ne quidem ibi diu conſiſtere, aut aliquod operæpretium facere poſſe ſcripſit: hoſtium exercitum quotidie augeri, ſuum vel quotidianis conflictibus, vel vehementiſſimis cœli non aſſueti ardoribus imminui: tantum autem abeſſe, vt Paulus viginti peditum millia ſuppeditare, vt nec ſtipendium quidem in ſex millia continuare poſſit. Id Guiſanum nonnulli ſcripſiſſe tradiderunt, quod iam de claſſis Turcicæ aduentu deſperaret: quam in hunc annum Codogniaco Regis legato Solymanus promiſerat. Vinea qui Codogniaco ſucceſſit nimis arroganter loquutus, vt quidam putant, Solymanum offendit, & ne claſſem mitteret, in cauſa fuit. Alij Gallorum, qui Conſtantinopoli erant, Vineæ infeſtorum impoſturis id factum aiunt. Natalis Nouolariæ Comes Solymanum claſſem non miſiſſe tradit, quod nullum præmium, aut lucrum inde ſperaret: & quod timeret ne Chriſtiani paulatim eius vires atterere conarentur, vt mox inter ſe concordes in illum ipſum arma conuerterent. Et Turcæ qui cum Draguto in Corſica Caluium oppugnabant, quum primam impreſſionem poſtulaſſent, atque impetraſſent, & crudeliter conciſi fuiſſent; Gallos autem, & Hiſpanos inter ſe mitiore belli genere vti viderent, noſtros milites ſuſpectos in primis habuerunt: quam ſuſpicionem vix Paulus Iordanes Vrſinus ex eorum animis euellere potuit. Quum autem Ciuitatulæ capiendæ difficultatem Guiſanus videret, & ab hoſtium exercitu non longè abeſſet infirmas Pauli Pontificis vires expertus, nullúmque aliunde auxilium ſperans antequam eius exercitus magis imminueretur, inter Firmum, & Aſculum prælij faciundi poteſtatem fecit. In campum diſcendere recuſauit Albanus, ſiue quod iiſdem ſe viribus non eſſe iudicaret, ſiue quod Gallorum ardorem ſe facilius domiturum longa cunctatione ſperaret.

Albano prælij poteſtatem facit.

49 Dum hæc in Italia geruntur Franciſco Mommorencio ad Anneum patrem equitum magiſtrum initio Aprilis reuerſo nihil prius habuit pater, quàm vt filij matrimonium cum Diana Regis Henrici filia notha conficeret, in quo conciliando relictis omnibus belli imminentis cogitationibus ſtudium ſuum omne collocauit. Iam vt edictum Regium conſcriberetur

beretur & Lutetiæ Kalen. Martij ederetur, perfecerat, quo filiifamilias ante triceſimum, aut filiæ ante viceſimumquintum ſuæ ætatis annum inſciis, aut inuitis parentibus matrimonium contraxiſſent, exhæredari, donationes omnes iiſdem collatæ reuocari, qui matrimoniis conciliandis operam dediſſent, iudicum arbitrio puniri deberent, aut poſſent, ſi ita parentibus videretur: quódque nouum tam in legibus condendis quam in edictis componendis fuit, edictum non ſolum in his matrimoniis quæ poſt id proclamatum, ſed etiam in his quæ ante proclamatum contracta erant, locum habere voluit; quo Romani Pontificis authoritatem anteuertere viſus eſt: vnde Paulum Pontificem ſuæ authoritatis propugnatorem ſe illi difficiliorem præbuiſſe nonnulli exiſtimarunt: eos duntaxat excepit, qui poſt facta de matrimonio promiſſa rem inter ſe habuiſſent, & mutuis corporum copulationibus matrimonia confirmaſſent: Piennam enim, quam interim dum de matrimonio diſputatur, in virginum cœnobium concludi iuſſerat, Mommorencium filium rem ſecum habuiſſe non confeſſuram ſciebat, ne damnato Mommorencij patris importunitate matrimonio amiſſæ pudicitiæ famam ſubiret. Quod autem Mommorencius filius viceſimumquintum annum impleuerat, edictum ad triceſimum annum produxit. Hoc edictum quamquam in genere propoſitum erat, tamen vt Mommorencij filij cum Pienna matrimonium diſſolueretur, priuatim factum omnes intelligebant, qui mox ſe nihil de matrimonio Piennæ promiſiſſe, id duntaxat vt patrem ad id comprobandum induceret, obtendiſſe declarauit, & poſt eam declarationem Dianæ, ac Mommorencij filij nuptiæ celebratæ fuerunt: plerique Mathematici qui rerum futurarum ſibi ſcientiam vendicant, infœlices nuptias illo die celebratum iri longè ante prædixerant.

50 Poſt feſtos dies magno luxu in his nuptiis conſumptos (quamquam Regium ærarium prorſus exhauſtum, & nouis, inuſitatíſque pecuniarum indictionibus ad bellum continuandum opus erat) Mommorencius equitum magiſter quaſi ex graui ſomno experrectus de bello cogitare cœpit; & Lieſſam Campaniæ oppidum, vbi milites conuenire iuſſerat, contendit. Illuc Comes Ringrauius octo Germanorum peditum millia, mille ſclopetarios equites, qui breuibus ſclopetis vtuntur, adduxerat. Diſſolutis induciis vrbium, præſertim Campaniæ præſidia aucta erant, in quas bona pars equitatus miſſa fuit. Pridie Nonas Aprilis Burgundi (ſic enim vulgo Philippi Regis milites appellant) Rocroium intercipere tentarunt: ſed fortiter repulſi fuerunt; id rurſus Iulio menſe conati eandem fortunam ſubierunt. Inde quaſi Guiſam circumſeſſuri ad Picardiam declinarunt: Burgundici exercitus Allobrox dux erat, quem Amurates Egmundanus Comes, Areſcotiæ, aliíque plerique reguli comitabantur: in eo equitum duodecim, peditum triginta quinque millia eſſe ferebatur, quibus ad fanum Quintini Anglorum octo accedere debebant. Bellum enim Henrico ſeptimo Idus Iunij Angliæ Regina inuita quidem, & à viro coacta denuntiarat: quam militiam nec Angli ipſi ſponte obibant, nouum Regem imminuendis eius regni viribus, ac facultatibus viam ſibi ad id occupandum parare ſuſpicati. Eodem menſe Ioannes Luſitaniæ Rex quinquagenarius Vlyſipone mortem obiit, quum id regnum annos quinque & triginta prudenter adminiſtraſſet: nepotem Sebaſtianum ſucceſſorem habuit, quem pater Ioannes eiuſdem cum auo nominis poſthumum reliquerat. Eodem tempore ad Atignium Gallorum exercitus coibat: peditum tam Gallorum, quam Germanorum octodecim millia, equitum quinque aut ſex qui ad latus hoſtilis exercitus incedebant, octo fortaſſe, aut decem paſſuum millibus interiectis. Hærebant Galli quo ſe tandem hoſtilis exercitus conuerteret, qui primum Guiſam, deinde Mariamburgum ſe oppugnaturum ſimularat, donec leuis equitatus fanum Quintini (Auguſtam Veromanduorum appellant) circumſedit, quod raro præſidio firmatum intelligebant. Fanum Quintini ab Oriente Guiſam decem fere paſſuum millibus, hoc eſt quinque noſtris leucis, à meridie Feram eodem propemodum interuallo diſtantem habet: ab occaſu Peronam quatuor paſſuum millibus remotiorem, à Septemtrione Sabis fluuius paludem implet: huic nec Caſtilio Amyralius in omnibus bellicis functionibus non ſecus, ac Mommorencius auunculus infelix, nec cæteris Picardiæ vrbibus ſatis prouiderat. Vrbis præfectus erat Breulius natione Britannus è minore Britannia, cui aderat Telignius alæ Delphinianæ centenariæ legatus; cuius bona pars illic hybernabat; tametſi Quintiniani priuilegia ſua promentes id ægerrimè ferebant.

Mommorencius celebratus filij nuptiis in Cãpaniã ad copias ſuas cõtendit.

Philippi exercitus.

Ioannis Luſitaniæ Regis mors Vlyſipone.

Quintini fanum ab Hiſpanis obſeſſum.

51 Leuem equitatum ſtatim ſequutus eſt reliquus exercitus, antequam Mommorencius in exquirendis hoſtium conſiliis negligens, & natura auarus, & in explorandis eorumdem itineribus non vigilantior quicquam noſſet: deinde re inſperata perturbatus vrbémque in ſummo periculo collocatam animaduertens Caſtilioni Amyralio vt ſuppetias iret, iniunxit. Is cum quingentis partim equitibus, partim peditibus vrbem iniit. Fortè Inſulæ ſuburbium Iulianus Romereus ac Carundeletus Hiſpani ceperant: id Caſtilio, ſed non ſine multa

ſuorum

Digitized by Google

Telignius cæditur.

ſuorum cæde ac vulneribus, quod in tanta præſidij raritate tentandum non videbatur recepit; Telignio deinde vt quinquaginta equites educeret, nec tamen vnà exiret iniunxit: verùm is vbi ſuos equites ab hoſtibus propemodum circumdatos vidit, ſine armis imbecillo equo inſidens, vt eos reuocaret proceſſit, ex equo deturbatus ſtatim cæſus eſt: quod perincommodè accidit, erat enim vir ſtrenuus, & belli peritus. Erant Quintiniani antiquæ, & Romanæ religionis obſeruantiſſimi, & Caſtilionem Caluinianam profeſſum in primis oderant, ac ſibi exitio futurum non fruſtra augurabantur; quorum ille ritibus & per ſe, & per ſuos illudebat. Eumdem itaque etiam quæ ad propugnationem perutilia erant, celabant; quum tamen is diligenter omnia perſcrutaretur, puluerem tormentarium in portæ ſuburbij Inſulani turribus deprehendit, cuius cadi vetuſtate corrupti loco moueri, quin puluerem effunderent, haud poterant; is in plura lintea diſtributus, vt alio exportaretur, & fortè fortuna accenſus ſex & triginta milites abſumpſit, & murum ruina triginta pedes longa aperuit: quam ſi hoſtes vidiſſent in noſtros,vt veriſimile erat impreſſionem feciſſent: verum ignis à noſtris immiſſus, & ſuburbij domos latè populatus illis ruinæ huius aſpectum abſtulit.

Hæc Quintinianis imminentis calamitatis præſagia videbantur: quapropter animum 52
iam deſpondebant. Vaupergum ad Mommorencium equitum magiſtrum Caſtilio miſſurus ad maioris templi faſtigium aſcendit, vnde illi iter quod acceſſura auxilia tenerent, oſtendit, quæ Andelotus Caſtilionis frater adduxit. Sed Angli nonnulli qui Gallis militabant, ab hoſtibus capti id conſilium Allobrogi, Comitique Egmundano aperuerunt: qui viam, qua Hano profecti Quintini fanum petunt, interſcindentes firmis præſidiis munierunt; & Vaupergus non ſatis accuratè loca, quibus auxilia deducenda erant, notarat, quæ in Anglorum ſtationem rectà perduxit; quum inter eam peditum ſtationem, & alteram equitum pertranſire debuiſſet, vbi raras excubias offendiſſet: qua poſtridie Andreanus præfectus Quintini fanum clara luce penetrauit. Hic fere tertia eorum auxiliorum pars cæſa eſt: cæteri fuga ſalutem quæſierunt. Paulò ante nouem Anglorum peditum millia, mille quingenti equites Panbrotio Comite, Clintonio, Græio ducibus ad ea caſtra appulerant: tum ſeptingentos tam viros, quam fœminas bello inutiles Caſtilio exire iuſſit, & Allobrox foſſas ad tormenta collocanda ad portam Romicurtiam duci imperauit, quod facilè perfecit; neque enim vicinæ arbores, aut ſepes ab obſeſſis exciſæ erant. Tum quoque Mommorencium Caſtilio admonuit ſolum lacum ſupereſſe, per quem in vrbem auxilia intromittantur: canales quoſdam profundos, qui aditum impediebant, ſe humo oppleturum, & maiorem, quo lacus impletur, quatuor ſcaphis ſibi inuicem colligatis vice pontis conſtraturum pollicitus. Sexto Idus Augusti Mommorencius cum duobus equitum, quatuor partim Gallorum, partim Germanorum peditum millibus, quatuor tormentis campeſtribus hoſtium caſtra propius inuiſere, & qua ſubſidium in vrbem immitteret, conſiderare voluit. Ad maius Eſſignium appulſus vicum fano Quintini propinquum Niuernenſem, ac Condeum regulos & nonnullos alios ſelegit; quibuſcum ad collis deſcenſum, cui palus ſubiecta eſt, acceſſit; nec quemquam ex hoſtibus interim offendit. Inde Fumeum vltra pergere, vt quo interuallo hoſtes ab vrbe, quo item à palude, præterea canalis qui in paludem influit, latitudinem inſpiceret: quod mandatum ille cum duobus aliis exequutus eſt, qui de interuallis ac canalis latitudine fere inter ſe conſenſerunt. Feram reuerſus de ſummittendo auxilio ſtatuit,& quæ neceſſaria erant,præparauit.

Mommorencius de immittendo in vrbē Quintini auxilio vehementer ſollicitus.

Poſtridie ad exercitum appulit Sanctandreanus Mareſchallus Henrico Regi acceptiſſi- 53
mus: is in conſilio duos exercitus tam ſibi propinquos ſine conflictu vix ſeparari poſſe dixit: ſatius videri vt nulla tormenta, nulli pedites præter eos, qui in vrbem immittentur, eò noctu deducantur: quibus firmus equitatus præſidio ſit, & aliquos ſemper exploratores præmittat: ſub primam auroram ad paludem peruenturos & traiectis peditibus ſine vllo periculo reuerſuros: ſin omnis exercitus cum tormentis incedat,non facilem receptum futurum. Tum Mommorencius inſigni arrogantia bene conſulentem reiecit:ſcire ſe quando confligendum, quando item à conflictu abſtinendum ſit: hoc illi pro longa ſua experientia tribueret, & ſe ſuo vti munere pateretur. Hoc tam ſuperbè reiecto nemo ex cæteris præfectis militaribus poſtea mutire auſus eſt. Ad quartam matutinam ſe ad paludem affuturum Caſtilioni pollicitus erat; ſcaphas, & cætera ad traiiciendum ſubſidium neceſſaria parata haberet: at tormenta quindecim, duas & viginti Germanorum peditum, Gallorum ſedecim cohortes ſecum trahens vix ad nonam, aut etiam paulò tardius affuit: quum iam ſcaphas, cæteráque quæ parauerat, ne ea hoſtes deprehenderent, Caſtilio ad ſe retraxiſſet. Quarto Idus, qui dies Chriſtiano more Laurentio dicatus eſt, omnis equitatus,ac ſupra commemorati pedites & tormenta ad ſignum,vbi noxij puniuntur Fera duobus

Sanctandreani conſilium imprudenter reiecisse damnatur.

paſſuum

Digitized by Google

paſſuum millibus diſtans ſub primum diluculum conuenerunt, quum longè maturius inde proficiſcendum fuiſſet; & circa nonam matutinam, vt Galli numeramus, ad ſuburbium Inſulanum, & paludem appulerunt. E regione vltra paludem Allobrogis ſummi hoſtilis exercitus ducis prætorium erat, cuius caſtra longè, lateque diffundebantur: * * * * ad molendinum cis aggerem duæ Hiſpanorum cohortes velut in excubiis erant, in quas noſtri ſtatim irruentes eaſdem vltra aggerem ſe recipere coëgerunt. Tum Caſtilio ſcaphas, quas retraxerat, reduci, & cætera ad tranſitum neceſſaria adminiſtrari iuſſit, & aliquas Mommorencius ſcaphas aſportarat: at in his tumultuoſè adminiſtrandis non parua mora conſumpta eſt.

54 Interim Mommorencius Allobrogis papilionem, cæteróſque vicinos tormentis peti imperauit, quæ multum illa caſtra perturbarunt, ita vt Allobrox ſine armis ad Egmundani tentorium paulo ſemotius confugere coactus ſit; quem plerique ſequuti ſunt. Et quoniam hoſtes ad Sabis vadum à ſuburbio Inſulano duobus paſſuum millibus diſtans tranſire, & longè numero ſuperiores noſtros facilè concidere poterant, eò Germanorum equitum ſclopetariorum, qui breuibus ſclopetis pugnant, ala miſſa eſt: neque enim pedites ſine internecione ſe inde recipere potuiſſent. Sequutus eſt Niuernenſis regulus cum tribus cataphractorum equitum alis: at Galli equites ſclopetarij, qui longis ſclopetis vtuntur, has vadi anguſtias longè commodius defendiſſent. Mommorencius ſimul hoſtium caſtra tormentis vehementer perturbabat, ſimul ſcaphis milites in vrbem traiiciendos curabat: ſed quod parati nihil inuenerat, & quod ex hoſtium etiam caſtris noſtri milites traiicientes tormentis impetebantur; omniáque cum tumultu fiebant, aliquæ ſcaphæ ſine ducibus paludis gnaris nimio pondere oppreſſæ in quas milites plures, quam par erat, inſilierant, in cœnoſis locis abſorptæ fuerunt, multíque ibi perierunt. Et Mommorencius hoſtes, quos diffugere viderat, & multum perturbatos ſuſpicabatur, nihil molituros exiſtimabat; idcirco longiorem moram fecit. Allobrox antequam deſtinatum ſubſidium vrbem ingrederetur, exiguum noſtrum exercitum profligare cupiens Egmundanum cum duobus equitum millibus ad vadum ſupra commemoratum miſit: quod noſtri pauci numero tueri auſi non ſunt. De Egmundani tranſitu ſtatim nuncius ad Mommorencium perlatus eſt: quidam vt cum toto equitatu qui ſex equitum millia implebat, in Egmundanum Mommorencius inueheretur, ſuadebant: quo repulſo bonam equitatus partem ad vadum relinqueret, donec pedites cum tormentis Feram redeuntes extra diſcrimen eſſent. Verum is natura, & ætate timidior, & prœliis faciendis non aſſuetus ſanius, & fortius conſilium reſpuit: eos qui vt voti compos ſe Feram militari gradu reciperet, conſulebant, ſequutus eſt: voti compos (inquam) nam ſe præſidium ſatis firmum in vrbem immiſiſſe exiſtimabat; quum bona pars aut hoſtium tormentis conciſa, aut in palude ſuffocata eſſet, quingenti duntaxat milites cum Andeloto ingreſſi fuiſſent. Interim totus hoſtium equitatus in octo numeroſa agmina diſtributus, ac bona pars peditatus appropinquabat; ac quod gradum non accelerabat Mommorencius hoſtes eundem de prælio faciendo conſtituiſſe cenſebant. Et Allobrox aliquantum hæſiſſe dicitur: ſed Egmundanus iam noſtros vrgens non cunctandum eſſe cenſuit: nam mercatores plerique qui caſtra quæſtus cauſa, non armorum tractandorum ſequebantur, hoſtes ſibi inſtare animaduertentes fugæ initium fecerunt, quos virorum nobilium famuli tardius ab exercitu ſeparati laxatis habenis ſequuti ſunt. Et ſilua non longè aberat, quam Baineam vocant: in eam omnes Mommorencio de pugna deſperante euadere conabantur.

Subſidiũ ingenti nõ ſine ingenti ſuorum clade.

55 Hæc fuga hoſtibus animos addidit, & noſtros admodum perturbauit, præſertim quod nullum boni ducis officium Mommorencius præſtitit, nec quemquam quid facto opus eſſet, monuit; niſi quod initio vt paulatim ſe Feram reciperent, & à pugna abſtinerent iuſſit: mox attonitus, & quaſi mutus hoſtis ferociam expectauit. Egmundanus agmine equitum ſclopetariorum ad vadum relicto cum duobus equitum millibus in noſtri exercitus alterum latus irrupit: in alterum Henricus, atque Erneſtus Brunſuicenſes ſinguli cum mille equitibus ſclopetariis, quos Horneus Comes cum mille equitibus Belgicis noſtro more inſtructis ſequebatur. In medium noſtrum exercitum Comes Mansfeldius Vilenus, Oſtratius, aliique præfecti cum tribus equitum millibus inuecti ſunt: vnde noſtri quibus pugnæ ſignum nunquam Mommorencius dare voluerat, & metu conſternatus obmutuerat, facile fuſi ſunt. Ioannes Borbonius Anguianus, Franciſcus à Turre Vicecomes Turanius fortiter pugnantes ac fere ſexcenti viri nobiles in ipſo certaminis campo ceciderunt: trecenti aut paulò plures capti ſunt, inter quos Mommorencius ipſe, Ludouicus Borbonius Mompenſerianus, Longauillanus regulus, Ludouicus Gonzaga Mantuani reguli frater, Andreanus Mareſchallus & plerique alij viri illuſtres numerati ſunt. Quatuor pe-

Pugna inter Eſſignũ & Rizerollas Gallis ignominioſiſſima.

Gallorũ vel cæſorum vel captorũ numerus.

ditum

Digitized by Google

ditum millia cæſa traduntur: cæteros veluti in greges abactos cum vexillis Philippo Regi obtulerunt, & hunc de noſtris militibus triumphum egerunt. Hic pugnæ inter Eſſignium & Rizerollas commiſſæ, atque imperitia ducis amiſſæ infelix exitus fuit; qua vix vlla vnquam Gallis ignominioſior, aut pernicioſior accidit: quicquid enim Franciſcus pater, quicquid Henricus filius bello quæſierat, fœdere, quod hanc conſequutum eſt idem Henricus à Mommorencio & Diana Pictauienſi malè perſuaſus hoſtibus reſtituit. Niuernenſis, ac Condeus reguli, Comes Sancerrius, Bordilio Feram euaſerunt: quò alij in fuga diſperſi reuerterunt. Deinde Niuernenſis cum ſexcentis equitibus Laodunum petiit: Bordilionem Feræ, Sancerrium Guiſæ reliquit. Regem antea infelicis pugnæ certiorem fecerat, qui tum Compendij erat: vnde Lutetiam reuerſus vehementer attonitam, & de ſolo vertendo iam cogitantem vrbem ſolatus eſt; à qua trecenta nummûm francicûm millia vt exercitum inſtauraret, accepit: aliæ ciuitates pro ſuis facultatibus in bellum contulerunt. Tum quatuordecim Heluetiorum millia conſcribi iuſſit: in Germaniam Recrodum miſit, vt nouas peditum cohortes adduceret: Guiſano mandauit, vt res Pontificis quoad poſſet, componeret, & cum exercitu in Galliam rediret. Hoc mandato accepto Romam Guiſanus rediit, & Paulum Pontificem hortatus eſt, vt ad pacem toties oblatam neceſſitate victus inclinaret. Quod conſilium Paulus in bonam partem accepit de Regis fortuna vehementi dolore affectus, quem ſingulari beneuolentia proſequebatur: quod ſi eundem animum eius nepotes induiſſent, longè maiores progreſſus res Gallicæ in Italia feciſſent.

Recrodus ab Henrico 14. Heluetiorum millia cõſcriptum mittitur.

Pacis ineundæ rationes non difficiles fuerunt: mandatum enim primum à Cæſare, deinde 56
à Philippo Rege habuerat Albanus, vt amicè ſi fieri poſſet, cum Pontifice tranſigeret, modo Pontifex nulla præſidia Gallica retineret: ægrè ferebant enim Columnas, & quotquot illis opem ferrent à ſacris Chriſtianis excluſos. Re per homines idoneos tractata vt ſexto Idus Septembris Sanflorus, Carrafa, Vitellius Cardinales Pontificij legati ad Cauium, Albanus ad Genezanum accederet, decretum fuit: vterque vicus ab oppido quod Paleſtinam vocant non longè abeſt: vbi coierunt, de pacis conditionibus aliquot dies diſceptarunt. Poſtridie Idus tandem in hæc capita conuenerunt.

Quibus conditionibus pax inter Pauli Pontif. & Philippi Regem ſancita.

1 Albanus vt veniam impetret, ea qua tenetur obſeruantia nomine Philippi Regis ſe Paulo ſummo Pontifici ſubmittet.

2 Paulus Philippum Regem obedientem filium agnoſcet, atque in gratiam recipiet.

3 Omneis vrbeis, arceis, oppida, quæ Romanum Pontificem patronum agnoſcunt Philippus reſtituet, ſed munitionibus euerſis.

4 Reſtituet & tormenta ibidem capta, vti Paulus reſtituet, ſi qua intercepit.

5 Nemini vtrumuis ſequuto id fraudi erit, ſed omnibus venia datur, qui huius belli nomine aut in cuſtodiam dati ſunt, aut poſſeſſiones amiſerunt, aut ſacerdotiis, muneribúſque ciuilibus aut ſacris functionibus ſpoliati, aut ſacris Chriſtianis interdicti ſunt: qui in integrum quoad poſſeſſiones, ſacerdotia, munera, in priſtinum ſtatum quo ad cætera attinet, reſtituentur.

6 Quo capite M. Antonius Columna, atque Aſcanius Corneus non comprehenduntur; aduerſus quos litem inſtitutam (ſi ita illi videbitur) Paulus perſequetur. Pallianum ita vt nunc eſt apud Ioannem Bernardinum Carbonem deponetur, qui ſe & Paulo Pontifici & Philippo Regi fidelitatis ſacramento obſtringet: & pacta conuenta inter Carrafam Cardinalem Albanúmque regulum facta ſe obſeruaturum iureiurando ſanctiore confirmabit. Huic octingenti pedites communibus Pontificis, & Regis impenſis ſtipendio afficiendi attribuentur.

8 Hæc capita Carrafa Cardinalis Pauli Pontificis, Albanus regulus Philippi Regis nomine ex mandatis, quæ protulerunt, iureiurando ſancient.

Eodem die tres Cardinales Pontificis legati Romam læti reuerterunt. Guiſanus impetra- 57
ta à Paulo miſſione in villam Petri Strozæ Mareſchalli ad prata Quintia ſitam ſeceſſit Pontifice in integrum reſtituto, data ea conditione Philippo Regi venia, vt Columnas huius belli authores patrono ex iure puniendos relinqueret: inde Centumcellas contendit, vt conſcenſis Gallicis triremibus in Galliam rediret. Poſtridie eaſdem Idus Tiberis inundare cœpit, quæ inundatio regionem omnem Tranſtiberinam ac Vaticanum, ſiue Leoninam vrbem triduum occupauit. Porticus qua è Petri palatio ad Molem Adriani itur, partem deiecit, multas domos euertit, multos homines ſuffocauit: denſæ pluuiæ octo dies continuatæ regiones vnde Tiberis, atque Anio defluunt, irrigantes, & vehemens Auſter maris fluctus in Tiberis fauces reiiciens, & velut aggerem opponens huic inundationi cauſam præbuiſſe traduntur: quæ ad metas quidem eius quæ anno huius ſæculi triceſimo Decembri menſe accidit, non peruenit: non minorem tamen aquæ abundantiam inuexiſſe fertur, quod

Tiberis ſupra modum inflatus plurimis damnoſus eſt.

Digitized by Google

quod ſubterranei fornices ab eo anno facti tantam aquam hauſerant, quæ ad eas metas peruenire potuiſſet. Pridie Idus Septembris longè perniciosior Arni inundatio Florentiæ graſſata eſt, quod Tiberinæ initium interdiu, huius noctu accidit; quam pluuiæ biduum continuatæ accumulaſſe traduntur. Quatuor vrbanos ponteis ex aſpero ſaxo extructos, plurimas ædes, moléſque firmiſſimas euertit: annonam, merces, omnis generis ſupellectilem ſecum traxit, aut corrupit: & ea quæ ante ducentos viginti quatuor annos acciderat, vt Aretinus ac Machiauellus ſcripſerunt, damnoſior fuit. Quinto Idus eiuſdem menſis apud Nemauſum Narbonenſis prouinciæ vrbem cœlum iratum fulguribus, tonitruis, fulminibus, cæteriſque tempeſtatibus ita miſeros mortales perterruit, vt extremum illum ſibi diem fore exiſtimarent. Deinde ſubſequuti denſi imbres licet duodecim duntaxat, aut paulò plures horas continuati ſint, magnam tamen pleriſque tam publicis, quàm priuatis vrbis locis iacturam attulerunt, aliis in puteos, aut veluti in lacus perfoſſis, aliis in tumulos aut colles erectis: vbi multa ſepulchra, columnæ, epitaphia ſaxis inſculpta, multæ æreæ priſcorum imagines, multi item nummi ærei, nonnulli aurei, atque argentei, vaſa quoque Samia, aliáque operoſæ facturæ reperta ſunt. Nemauſenſem item agrum eadem tempeſtas mirandum in modum deformauit: vites, atque oliuas, quibus ille fertilis eſt, à radicibus euulſit, aut proſtrauit: agros frugibus deſtinatos, aut lapidibus oppleuit, aut ſcrobibus interſtruxit; omniáque quæ vehementiſſimi torrentium imbres patrare ſolent, addidit. Decimotertio Kalend. Octobris Albanus curſoribus equis Romam ſub noctem acceſſit: deinde eidem equo, quo Guiſanus quum Romam ingrederetur, vſus erat, inſidens vrbem iniit, iiſdem tormentorum fulminationibus, factitiiſque ignibus more Romano exceptus: is ſui gradus memor Carrafis non multo plus, quam ſuis domeſticis tribuens eorumdem arrogantiam egregiè compeſcuit; quos nuper inſolentiores Guiſani modeſtia reddebat: poſtridie duo Cardinales Pontificij Trimultius ad Henricum Regem, Carrafa ad Philippum profecturi deſignati ſunt.

Iiſ & Arnus.

Nemauſenſes horrendis & inauditis tēpeſtatibus percelluntur.

58 Vt ad Henricum redeam, Lutetiam reuerſus milites, quibus Carolus Borbonius Rochaſurionis in Pictonibus princeps, atque ipſi Lutetiæ præerat, recenſeri iuſſit. Paulum Thermeum rerum bellicarum peritiſſimum è Gallia Subalpina acceſſiuit, qui foſſas è regione montis Martyrum ductas, vt ea vrbis regio muniretur, quaſi inutiles humo opplendas cenſuit. Tum etiam vbique præconis voce proclamatum eſt, vt omnes tam viri nobiles, quàm ignobiles, qui arma aliquando tuliſſent, aut ferre poſſent, Laodunum ad Niuernenſem Regis legatum conuenirent. Et Niuernenſis ** Anglurum (quem Iorſum vulgo appellabant) ad legionem Campanam, cui aliquando præfuerat, miſit: quinque veteranorum peditum cohortes è præſidio Metenſi euocauit; in quarum locum tyronum totidem ſubſtituit. Decimoquinto Kalend. Septembris Henricus Ambram inferioris ordinis cubicularium ad Briſſacum in Galliam Subalpinam miſerat, vt cladem illi Laurentianam renuntiaret, & Paulum Thermeum, ac Danuillam Mommorencij filium cum ſuis cataphractorum equitum alis, Heluetiorum item legionem in Galliam redire iuſſerat: quæ legio ob morbos, & incedendi tarditatem inutilis, vt Briſſacus prædixerat, Lugduno illuc vnde venerat, remiſſa eſt. Ad Regem Briſſacus Bouinum, qui illi erat ab epiſtolis, allegauit, eundémque in tanto diſcrimine ſolatus conſilium ſuum aperuit. Id autem fuit, vt Rex Germanorum peditum viginti, quorum nomine etiam Heluetios contineri arbitror: nam ex ſolis Germanis vix tantum numerum implere potuiſſet, pleriſque Philippi Regis ſtipendium ſequutis, Gallorum triginta millia conſcriberet: equitatum iiſdem reſpondentem adderet, in quorum ſtipendium magna pecunia opus eſſe: quam vt conficiat, treis Galliarum ordines conuocandos, & vt patriæ in tanto diſcrimine collocatæ pro ſuis facultatibus ſubueniant, exorandos. Ab Epiſcopis, Abbatibus, & cæteris ſacris miniſtris nullis exceptis omneis vnius anni fructus accipiendos: à nobilitate, tametſi in bellis omnibus egregiam operam præſtat, aliquam nouo periculo dignam pecuniæ ſummam corrogandam: ad vxorem, liberos, cæterámque ſuam familiam alendam ſe duobus nummûm francicûm millibus contentum eſſe, cæterum ſuum prouentum Rex in belli vſus conuerteret. A tertio ordine, qui cæteros multitudine ſuperat, maius pecuniæ ſubſidium poſtulandum.

Briſſaci conſilium, quippe nimis ſeuerū ab Henrico reiectū.

59 Hoc Briſſaci conſilio nimis ſeuero Henricus vſus non eſt, nec minus tamen Guiſano reuerſo belli ſummæ prouidit: quamquam Galliam omnem non ſecus ac Romam poſt Allienſem pugnam ingens tumultus, ac metus inuaſerat. Tam facili, inſperatáque victoria Allobrox perinde atque olim Hannibal, vti neſciit, & in Quintinianorum op-

Digitized by Google

pugnatione perſtitit: quamquam plerique duces prudentiſſimi florem Gallicæ nobilitatis, veteranorúmque militum conciſum eſſe; ſi qui ſuperſint, cum Guiſano eſſe, & à patria longè abeſſe admonebant; antequam redeant, bonam regni partem in Philippi Regis poteſtatem venturam: ad hæc quid exercitus tam longis itineribus, alienóque cœlo vexatus poſſit, aut potius quàm nihil poſſit, neminem dubitare debere: Pariſienſes metu conſternatos de relinquenda vrbe deliberare. Oſtendat ſe duntaxat Allobrox, & opulentiſſima, celeberrimáque totius orbis Chriſtiani ciuitate potietur. Potietur (inquam) atque hoſtibus belli neruum, hoc eſt, omnem conficiendæ in bellum pecuniæ rationem auferet. Huius compos ſine ferro, & ſanguine Lugdunum, aut Baionam vſque penetrabit: nullæ enim in intimo regno munitæ vrbes: ſolæ hoſtibus finitimæ, & in confiniis poſitæ victoriarum tuarum curſum remorari poſſunt. At Allobrox fortunæ inconſtantiam metuens, Galliam opulentam æquè ac populoſam conſiderans, tot principes ducéſque fortiſſimos ac milites è prælio elapſos, tot præſidia in regni confiniis collocata, ex quibus, tyronibus in eorum locum ſubſtitutis, iuſtus & integer, alacríſque conflari exercitus poſſit, quum Burgundicus longo bello vexatus ex alacritate nonnihil remittat, in contraria ſententia fuit, & in Quintinianorum oppugnatione perſeuerandum putauit: quæ ſententia illi deterior, noſtris ſalutaris fuit. Acceſſit ad exercitum Philippus tanta victoria elatus, & noua tormenta Cameraco aſportari, cœptos cuniculos continuari iuſſit; quibus Sanremigius ac Lanfortius Anglus Regio ſtipendio authoratus homines in his exercitati ſuos anticuniculos opponebant. Quarto Nonas Auguſti ad fanum Quintini Burgundicus exercitus appulit: hinc ad duodecimum Kalend. Septembris foſſas duntaxat vel vt tormenta collocaret, vel vt ad vrbis foſſam vſque penetraret, duxerat: nec obſeſſi pauci numero latenteis hoſteis excurſionibus impedire poterant: & ſi quando excurrebant, an nouos cuniculos hoſtes agerent duntaxat exquirebant, nihil præterea arduum aggredi audebant. Eo die primùm vrbs terribili tormentorum fulminatione verberata eſt: nam quæ prius ex ſuburbij Inſulani propugnaculo tormenta exonerarant, in eos qui in vrbe operibus intenti erant, exonerarant, neque ſæpius in eundem locum pilas intorquebant; hac autem ratione fulminationem ſuam diſtulerunt, vt interim cuniculos ſuos ad vrbis foſſam agerent, deinde pluteis tecti vltra progrederentur: neque obſeſſi eoſdem repellere poterant, quod nulla propugnacula, turréſque ſeſe reſpectantes foſſam tuebantur: lapides autem quos obſeſſi coniiciebant ſine iactura ſecundum pluteos dilabebantur. Turreis omneis, murúmque primum à porta Ioannis ad eam, quæ Aquæ vocatur, turrim tormentis quinque & quadraginta variis locis collocatis ita concuſſerunt, vt fere proſtrarint; muri quidem admodum lati erant: at tam malo cæmento compacti, vt tormentorum impetum nullo modo ſuſtinerent.

Allobrox imprudētiæ arguitur quòd poſt cladem Laurentianā victoria vti neſciuerit.

Octauo eaſdem Kalend. duodecim tormenta in ſuburbium Inſulanum Burgundi tranſportarunt, & in cœnobio collocarunt: vnde portam, ad quam puluis tormentarius incenſus erat, quatefecerunt. Sed & in aliis locis tormenta non minus ſuum munus implebant, quæ fulminatio ſeptimo Kalen. hora ſecunda pomeridiana ceſſare occœpit, quum impreſſionem noſtri expectarent; quæ poſtridie facta eſt, vrbſque facilè expugnata ac direpta: vbi ingenteis diuitias primo impetu hoſtes, Hiſpani verò poſtea latibula omnia perſcrutantes multum aurum, argentúmque humi conditum reperiſſe traduntur. Capti ſunt Caſtilio Amyralius, Andelotus eius frater, qui tamen prima nocte euaſit: Iarnacus, Sanremigius, Breulius vrbis præfectus, Ramboletus, Sanromanus, Lignerius, & plerique alij. Cæſi autem * * Faietæ quinquaginta cataphractorum equitum alæ præfecti filius, Ogerius, Vinea, Barra, Stagnenſis, Gordus, centuriones ac pedites permulti. Paucis poſt diebus Arembergenſis Comes (quem etiam Brabanſonem vocabant) cum tribus Germanorum peditum agminibus, mille equitibus, tormentis viginti Caſtelletum circumſedit: quo tormentis vehementer concuſſo, & vno ex propugnaculis nondum ad iuſtam altitudinem erecto ab hoſtibus capto Septembris initio deditio facta eſt. Soligniacus Baro præfectus Lutetiam reuerſus in cuſtodiam datus eſt: ſed poſtquam bis mille peditum ſubſidium, quod petierat, ſe non accepiſſe docuit, quod Eſtreus ante illum eiuſdem arcis præfectus obſidionem expectans acceperat, dimiſſus eſt. Helius eques cum equitum ala Hanum ingreſſus eſt: oppidulum infirmum pro derelicto habitum: arx quadrata quatuor rotundis propugnaculis, & turre quadrata, quæ toti arci imperabat, more antiquo munita erat: ſed nulli ſuberant pone muros terrei aggeres, neque humus vnde efficerentur, in promptu erat. Itaque mille ducentis pilis verberata,

Quintinianorum vrbs expugnata ac direpta.

Caſtelletū Arembergenſi deditum.

Digitized by Google

verberata, & lata ruina tam in turre, quàm in muro facta pridie Idus Septembris dedita eſt, quam Rex Philippus muniendam curauit, ibíque aliquamdiu commoratus eſt: atque interim Nouiodunum equitibus Gallico more armatis, & Gallica vexilla geſtantibus clara luce intercepit ac Caunium paulò poſt; quod iniquo loco ſitum muniri nullo modo potuit. Ita September, Octobríſque initium populationibus, excurſionibus, incendiis faciendis conſumptum eſt multis è Burgundico exercitu dilabentibus: præſertim Anglis qui quod æquas prædæ parteis non accepiſſent, repente diſceſſerunt. Diſceſſerunt & plerique Germani, & ad Gallos tranſierunt ſacramento quo obligati erant, ſoluti. Diſſenſio inter Germanos, & Hiſpanos ex Quintiniana victoria interceſſerat, quod Gallos illuſtriores à Germanis captos Philippus ſibi vendicare, Germanóſque iuſto redemptionis pretio fraudare conaretur.

61 Polleuilla interim cum viginti Germanorum peditum cohortibus, mille ducentis equitibus Tabernis profectus per inferiorem Burgundiam Burgum vſque primarium Breſſani agri oppidum properauit. Hinc Niuernenſis Eſchenaio quinquagenariæ cataphractorum equitum alæ præfecto, Iorſóque cum peditum cohortibus vt properantem ſequerentur, iniunxit: & ſi quod oppidum oppugnare conaretur, in id ſe inferrent, aut ſaltem quoad poſſent, eundem interturbarent. Verum antequam Polleuilla Burgum appelleret, oppidum Carnutenſis Vidamus (id magiſtratus nomen eſt, quemadmodum Seneſchallos, & Balliuos appellamus) cum duobus ſclopetariorum peditum millibus, Eſchenaius, Iorſus cum ſuis tam equitibus, quàm peditibus inierunt: & Guiſani exercitus ex Italia reuerſus non longè aberat: quapropter Polleuilla paucos ibi dies commoratus nulla re tentata in Germaniam rediit. Henricus Niuernenſem Compendium miſit, idque oppidum munire iuſſit: quod ille ſumma diligentia ita præſtitit, vt oppidum longam oppugnationem tolerare poſſe videretur. Ad hæc ad oppidum caſtra foſſis, aggeribus, valliſque firmauit, quæ centum bellatorum millia cum impedimentis capere facilè poſſent; vbi paulò poſt noſter exercitus coiit.

62 In hoc bellorum tumultu nouæ perſuaſionis ſtudioſi multa noctu præſertim occulta conuenticula agebant: notati fuerunt, qui Lutetiæ in vico Iacobæo ad domum è regione ſcholæ Pleſſiacæ ſitam pridie Nonas Septembris coibant: vicini aceruos lapidum clam in domos congeſſerunt, vt exeunteis adorirentur. Dimiſſo conuentu quum exire inciperent, lapidibus petuntur: quidam eruptione facta non ſine vulneribus euaſerunt: circiter centum & viginti Martinio in Pariſienſi præfectura quæſitori traduntur, inter quos nonnullæ illuſtres fœminæ è Reginæ comitatu repertæ ſunt: hos omneis Martinius clara luce in cuſtodiam ducens vix à plebis impetu vendicare potuit, de quibus ſermones varij ferebantur: poſt conuiuia extinctis lucernis nulla cognationis, aut affinitatis habita ratione in venerem ruere ferebantur, multáque alia patrare, quæ non ſolum Chriſtiani, verùm etiam à noſtra religione alieni execrantur: libellum tamen illi repente ediderunt, quo huiuſcemodi crimina ſibi per calumniam affingi ſcribunt. Nicolaus Cliuetus annos ſexaginta natus pædagogus, Taurinus Grauella adoleſcens cauſidicus, Philippina Lunia Graueronis viri nobilis quondam vxor, illi viui, hæc prius ſtrangulata eodem igne in Malberti platea * * Kalend. Octobris cremati fuerunt. Sumptum & de aliquot aliis ſupplicium: nonnulli iudices recuſarunt, & dum de recuſandi cauſis agitur, litteræ ab Othone Palatino ſeptemuiro, & ab Heluetiis ad Regem afferuntur, hortantibus ne in eos qui eandem, quam ipſi perſuaſionem in religione profitentur, tam acerbè ſæuiat: hinc poſtea mitius in eoſdem actum, quod tum fortaſſe Heluetiis Rex multum egeret. Per eoſdem dies Briſſacus per calumniatores falſo apud Regem accuſatus (quemadmodum & nonnulli Subalpinarum vrbium præfecti) relicto Gonoro fratre qui eius vicem obiret, quaſi ſui muneris rationem redditurus ad Regem acceſſit, eundémque obſecrauit, vt huiuſmodi accuſatores proferre palam crimina iuberet, vt ſi vera proferrent, meritas pœnas lueret: ſin falſa quæ obiiciunt deprehenderentur, eaſdem illi ſubirent, vt hiſce calumniis via omnis obſtruatur. Rex ſe calumniatoribus fidem non adhibuiſſe reſpondit: perſeueraret in officio, & de præmiis accipiendis, non de criminibus abluendis cogitaret. Nouembri menſe Ferdinandus Gonzaga Neapoli ad bellum Belgicum euocatus Bruxellis moritur. Guiſanus cum aliquot ex illuſtrioribus principibus, atque præfectis, & bis mille ſelectis peditibus ſclopetariis, Centumcellis ſoluerat; cæterum exercitum Aumallio fratri reducendum tradiderat, qui per Bononienſem, Ferrarienſémque agrum, deinde per Rhœtos, & Heluetios in Galliam rediit. Vbi Regem ſalutauit Guiſanus, Compendium ſtatim ad cogendum exercitum

Calumniæ Briſſaco aſſilæ.

Ferdinandus Gonzaga Bruxellis moritur.

Guiſanus ſummus Regis legatus in tota Gallia ſtatuitur.

miſſus eſt, quem Rex paulò poſt ſequutus Guiſanum in ipſo temporis articulo, vt regnum conſeruaret, reduſſe confeſſus eſt: vnde vt Franciæ Prorex crearetur, propoſitum fuit: ſed quoniam hic titulus nouus, & antea inauditus erat, & vt præſente Rege Prorex crearetur, ineptum videbatur, vt ſummus Regis legatus in tota Gallia cæteriſque prouinciis Henrico parentibus diceretur, conceſſum eſt: qua de re diploma conſcriptum, & mox Lutetiæ, atque in cæteris Galliarum Senatibus editum ac promulgatum eſt. Tum etiam Albanus Genuam cum ſeptem peditum millibus appulit rem Mediolanenſem procuraturus, vbi magnos progreſſus Briſſacus fecerat.

Sub huius anni finem Henricus Guiſano reuerſo, & eius conſilia moderante trium 63
Galliarum ordinum conuentum Lutetiæ proximo anno ineunte celebrandum indixit, & Caleſij (qui Icius portus olim fuit, cui è regione in Anglia Duberus opponitur) oppugnationem ſuſcepit: qua nulla poſt hominum memoriam Galliæ noſtræ vel vtilior, vel glorioſior fuit: hac enim Angli antiqui Gallorum hoſtes è continente pulſi ſunt, & nihil aduerſum nos moliri poſſunt; quam multi Guiſano inuidentes ad alios transferre conati ſunt. Senarpo quidem Bononiæ præfectus de ea vrbe aggredienda cum Henrico Rege & eius familiaribus ſermones contulerat: ſed rei difficultate omnes deterriti rem ſemper in aliud tempus diſtulerant. Si Mommorencius equitum magiſter in Belgica rem proſperè geſſiſſet, id ſe exequuturum fuiſſe, ſed capto Caleſio gloriatus eſt, quemadmodum & ſe Geneuam oppugnaturum iactauerat, vt etiam eius domeſtici, & qui ab illo ſtabant, poſt eius infelicem pugnam diuulgarunt; nonnulli etiam ſcriptis mandarunt. At ille nunquam quicquam ſtrenuum aggreſſus eſt, & ad tam difficilem expugnationem acri duce, non imbelli ſene opus erat, qui tribus duntaxat præliis ſummus Imperator conflixit: duobus prioribus in Veromanduis, & Druidibus captus eſt: poſtremo ad Dionyſiopolim ita vulneratus vt mox mentis compos non fuerit, & altero die expirarit: quæ fuſius ſuis locis explicabo: hæc quaſi per tranſennam indicata ſint. Non defuerunt qui indigna Hiſtoricis mentiendi libertate huius vrbis captæ laudem ad Petrum Strozam transferre conati ſint: quem Martinalium diebus lætitiæ dicatis Caleſium inuiſiſſe, vrbis ſitum, & circumſtantium propugnaculorum formam, ac firmitatem notaſſe, & Henrico quicquid notaſſet, declaraſſe; atque vt oppugnationem ſuſciperet, ſuaſiſſe falſo comminiſcuntur: quum nos, qui tum cum Cardinale Lotharingo in comitatu Regio eramus, Strozam tum illuc non acceſſiſſe, nec quicquam ea de re cum Rege communicaſſe certo ſciamus. Et Stroza non tam temerarius fuiſſet, vt exploratoris munus apud Anglos homines ſuſpicioſiſſimos obiret: vnde certam ſibi mortem vel ab Anglis vltionis cupidiſſimis, vel à Philippo Rege propoſitam noſſet. Strozam enim Philippus, ſi captus fuiſſet, Florentino regulo Strozarum omnium hoſti infeſtiſſimo tradidiſſet: verumenimuero primus Senarpo, vt dixi, de hac vrbe oppugnanda verba fecit; & quum menſe Maio anno huius ſæculi quinquageſimoquinto Cæſariani, Gallique legati ad Marcum inter Caleſium, Grauelinas (ſiue Rauelingam, vt quidam vocare malunt) Arderáſque pacis ineundæ ergo Anglis interpretibus conueniſſent, nonnulli muniendarum vrbium gnari à Guiſano cum fratre Cardinale miſſi, vrbis, propugnaculorúmque vicinorum ſitum, formam, acceſſúmque diligenter obſeruarunt: multos enim dies dum de pace diſceptatur, ibi commorati & ſæpius Caleſium reuerſi, quod Angli præter conſuetudinem ſatis liberaliter permittebant, quod animo intendebant, quoad fieri potuit, confecerunt, & Senarponis ſententiam confirmarunt; quam Guiſanus ex Italia reuerſus non ſine magno labore, induſtriáque exequutus eſt. Qua in re Pauli Thermei, Petri Strozæ, Iacobi Broſſiani Boij, Tauannij, multorúmque aliorum veteranorum ducum conſilio, auxilióque vſus eſt: & Angli ipſi colloquium illud Marcianum Caleſij oppugnandi occaſionem fuiſſe ſæpius confeſſi ſunt.

Caleſij oppugnatio Gallis maximè cõmoda, glorioſáque & cur.

Refelluntur qui huius oppugnationis aggrediendæ alium quàm Guiſanũ auctorem faciunt.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER VIGESIMVS-OCTAVVS.

1 REpudiatis eorum ſententiis, qui vrbeis in Belgica à Philippo Rege captas aggrediundas cenſebant, quas rebus omnibus neceſſariis, firmiſque præſidiis munitas nec facilè capi, nec Regium exercitum partim recenti hoſtium victoria acciſum, partim ex Italia reuerſum, & de via feſſum longas obſidiones præſertim hyeme tolerare, nec commeatum recenti bello conſumptum in diuturnum bellum ſuppeditari poſſe Guiſanus animaduertens Caleſium adoriri ſtatuit; quo ſe vel intra paucos dies potiturum, vel ſi res aliter cederet, rediturum ſperabat. Excitabant animum laudis auidum res nuper ab Allobroge feliciter geſtæ non tam eius prudentia, quàm Mommorencij ducis infelicis imperitia, atque ignauia, qui & bona conſilia ſua arrogantia repudiarat, & deinde quum ad prælium cogeretur metu conſternatus, & attonitus nihil dignum magno duce vel conſuluerat, vel præſtiterat. Quamquam hoſteis ea victoria elatos nihil à noſtris præſertim media hyeme timere Guiſanus nouerat; tamen vt eorum animos, vireſque aliò auerteret, Niuernenſi dimidiam exercitus partem conceſſit, qua Luceburgenſem agrum adoriretur: alteram ſibi reſeruauit, qua Dorlanum, Bononiam, Arderáſque præſidiis, cæteríſque rebus neceſſariis muniret: hic enim rumor paſſim de induſtria diſſipatus eſt. Niuernenſis Philippum Regem copias ſuas diuiſiſſe, & Luceburgenſem agrum firmis præſidiis inſeſſum eſſe certior factus, copias ſuas ſumma diligentia, vt monitus erat, ad Guiſanum remiſit.

Anno 1557.

Guiſanus qua induſtria vſus vt hoſtes auertat.

2 Is Kalendis Ianuarij anno huius ſæculi quinquageſimooctauo fanum Agathæ ad initium aggeris, quo ad pontem Niculaium (quod quidam Nouambrigam vocarunt) itur, ſitum, quæ ſola à continente Caleſium verſus via eſt, vbi exiguum Angli propugnaculum extruxerant; bis mille ſclopetariis peditibus, paucis equitibus aggreſſus cohortem Anglicam, ac ſexaginta equites qui præſidio erant, ad maius propugnaculum Niculaium ſe recipere coëgit: quo primo conatu Anglos nihil tale expectanteis, nec tantas vires ſibi imminere arbitratos admodum perterrefecit. Illo ipſo die, quamquam ſub veſperam, Niculaium cum Thermeo propius inſpexit, & vt foſſæ ad collocanda tormenta ducerentur, imperauit. Quoniam autem ſumma celeritate opus erat, exercitus partem cum tormentis per dunas (ij ſunt terrei aggeres idcirco extructi vt mare intra ſuos finus contineant, nec in terram vicinam euagari ſinant) ad Riſbanum, quod Icio portui imminet, properare iuſſerat: nam vtroque caſtello potiri prius, quam Caleſium oppugnaretur, neceſſe erat, ne terra aut mari ſubſidium in vrbem immitteretur. Icius autem portus in Gallia, ac Duberus in Anglia decem duntaxat Italicis milliaribus, hoc eſt, quinque noſtris leucis à ſe inuicem diſtant; quod Oceani fretum quà Galliam alluit, anguſtiſſimum eſt. Nocte proxima Guiſanus cum Aumallio fratre, Petro Stroza Mareſchallo, Thermeo, Tauannio, Eſtreo tormentorum magiſtro, Senarpone dunas diligenter perluſtrauit: & quandoquidem mare in ſe reſederat, & à terra receſſerat, Alegrium & alterum quemdam nobilem adoleſcentem portus vadum tentare iuſſit: quo reperto communi conſilio, vt vtrumque caſtellum ſimul tormentis verberaretur, decretum fuit.

Anno 1558.

Caleſij oppugnatio inſtituitur.

In

Digitized by Google

In quo tantam diligentiam Eſtreus tormentorum magiſter adhibuit, vt pridie Nonas tanto fragore ea fulmina intonuerint vt ex bona Angliæ parte exaudiri poſſent: altera fulminatione, qui Nieulaium inſederant, caſtello relicto in vrbem aufugerunt: ita huius caſtelli Guiſanus compos Gallicum præſidium eidem impoſuit, vbi pleraque tormenta cum omni inſtrumento, & ſatis magnam annonæ abundantiam reperit. Vt autem ab acceſſuris e continente auxiliis Caleſinos excluderet, inter vrbem, & paludes pone aggeres viginti Gallorum peditum cohortes, Ringrauij Germanos pedites, atque octingentos ſclopetarios equites, ducentos cataphractos quibus princeps Rochaſurio præerat, collocauit: Thermeum cum cætero equitatu & Heluetiis inter Guinam, & dunas reliquerat: illuc capto Nieulaio ſtatim ſe contulit, & Riſbanum properauit. Riſbanenſes ſeſe illius clementiæ permiſerunt, quos humaniter habitos poſtea dimiſit.

Terreſtrium, maritimorúmque auxiliorum ſpe ſublata eodem die ſex maiora tormenta, tria minora, quas colubrinas vocant, ante portam Aquariam locauit, quaſi præcipuam ibi fulminationem executurus: & nonnullas turres, ac defenſacula euertit: mox 3

Tormentorũ Guiſani fragor penè incredibilis.

repente quindecim canones ad arcem quæ ſecundum mare ſita eſt, librari iuſſit, poſtridie, hoc eſt, Nonis tanto impetu arcem verberauit, vt fragor ab Antuerpienſibus triginta tribus Germanicis milliaribus inde diſtantibus exauditus ſit, & vt ſub veſperam ruina ſatis lata ad impreſſionem faciendam videretur. Tum Andelotum Gallorum peditum tribunum cum mille ducentis tam ſclopetariis, quam loricatis peditibus & aliquot viris nobilibus ad aream inter portum, & dunas tranſire iuſſit: qua potitus ab eadem ad foſſæ arcis murum exteriorem rectam foſſam duceret, qua foſſæ arcis aqua in portum deriuaretur, & à portu ad foſſæ arcis labrum clam hoſtibus iretur. Militibus autem inſtrumenta ad foſſas excauandas dederat: omnia enim quæ ad eam oppugnationem neceſſaria erant, maturè prouiderat: permultas crates pice illitas, ne eaſdem aqua penetraret, quibus vice pontis milites inter paludes, aut glaciem vterentur: plurimas item alias ex craſſioribus palis papyro non Ægyptio, ſed factitio, quo Galli vtimur, quatuor digitorum craſſitudine conduplicato tectas, quod ſclopetorum pilis maximè reſiſtit; pone quas certo loco perforatas milites latentes ſclopetis rem gererent: pali autem recti vt quoduis ſolum etiam prædurum penetrarent, acuto ferro præmuniti erant. Hæc vnà cum commeatu nauibus exportata erant. Guiſanus vbi muri ruinam ſatis depreſſam vidit, Grammontanum cum trecentis ſelectis ſclopetariis prima noctis vigilia illuc miſit, vt hoſteis laceſſeret, & ne aggeres ad ruinam ducerent, impediret. Petrum Strozam Mareſchallum in alteram portus regionem tranſire iuſſit cum totidem ſclopetariis & centum foſſoribus, vt toto portu potiretur: verum tam denſis tormentorum pilis petebantur, vt Stroza cum ſuis poſt aliquot cæſos ad Guiſanum, qui cum Aumalio, & Albœuio fratribus non longè inde aberat, redire cogeretur: vbi tempus impreſſionis faciendæ inſtare animaduertit, Grammontanum, Grandimontanum alij vocant, cum ſuis ſclopetariis, & loricatis peditibus, quibus Stroza præerat, additis præterea ducentis aliis ruinam conſcendere & in hoſteis inuehi iuſſit: ipſe autem cum multis aliis aquam ad vmbilicum peruenientem traiecit, & eodem alia ex parte contendit. Noſtri Anglis, qui ſe obtulerunt, cæſis, cæteros in vrbem relicta arce ſe recipere coëgerunt.

Tum Guiſanus vt arcem quoad fieri poſſet, munirent, nec ſe deiici inde paterentur, iniunxit; quibus Aumalium, atque Albœuium fratres præfectos in cæteram noctem reliquit. Et quoniam mare intumeſcebat ad exercitum rediit, vt primo diluculo illis recedente maris æſtu ſubſidium mitteret. Angli ad ſe reuerſi, & quem hoſtibus arce relicta in vrbem aditum dediſſent, conſiderantes, & eos, qui è noſtris in arce erant, nec reſiſtere, nec propter inflati maris æſtum ſubſidium accipere poſſe exiſtimantes quadam velut rabie in arcem irruerunt: verum eadem fortitudine cum maiore iactura, & ſuorum cæde repulſi ſunt: nec tamen animis conciderunt, immo verò tria tormenta ad pontem, quo ex vrbe arx aditur, collocarunt, vt portam arcis perrumperent: alia item ex tumulo maioris vrbis plateæ exonerarunt, ac ſimul maiore, quam antea impetu arcem oppugnarunt. Sed & hic eadem animorum conſtantia à noſtris repulſi ſunt, & trecentos, aut paulò plures è ſuis amiſerunt. Ad hæc noſtri arcis portam occluſerunt, & ita munierunt, vt Angli de recipienda arce deſperarint; & iam de deditione cogitarint. Dumfortis (Deuendophordum alij vocant) præfectus ſeptimo Idus duos ex vrbe viros primarios, qui de deditionis conditionibus agerent, ad Guiſanum miſit: de quibus poſt aliquam diſceptationem ita conuenerunt: nempe vt memini vis fieret, in Angliam, aut in Flandriam ciues, viri, fœminæ, pueri, puellæ 4

Caleſij deditionis conditiones.

vti

vti illis videretur, diſcederent accepta liberi diſceſſus teſſera. Dumfortis præfectus cum quinquaginta, quos Guiſanus deligeret, captiui retinerentur, cæteri milites in Angliam redirent: omnia tormenta cum omni inſtrumento, omnia arma, vexilla, omnem commeatum relinquerent, nihil occultarent, corrumperent, incenderent. Hæc conditio addita fuit, quod quum Angli Bononiam, & propugnacula ab ipſis poſſeſſa reſtituerent, in Gallorum contemptum quicquid vſui eſſe poterat, corrupiſſent: de auro, argentóque facto, infectóue, de omnis generis mercibus, equis, ſupellectile, Guiſanus ſtatueret, prout ſibi videretur. Ita intra ſeptimum diem vrbs firmiſſima cum duobus caſtellis ſupra commemoratis capta eſt; quam annum integrum circumſeſſam, & ad extremam famem redactam Eduardus eius nominis tertius Angliæ Rex anno decimi quarti ſæculi quadrageſimo ſeptimo tertio Nonas Auguſti Ioanne Viennenſi præfecto dedente in ſuam poteſtatem redegerat: quum paulò ante Philippus huius nominis ſextus Galliæ Rex Valeſiorum primus cum potentiſſimo exercitu obſeſſis ſuppetias ire tentaſſet, nec Anglorum pugnam detrectantium caſtra perrumpere potuiſſet, aut auſus eſſet.

5 Capto Caleſio an Guinam, an verò Grauelinas Guiſanus oppugnaret, in conſultatione poſitum fuit. Guina longè munitior liberum ad Caleſinos acceſſum occludebat: hanc itaque Ianuarij Idibus noſtri circumſederunt. Angli oppido relicto ſolam arcem tuendam ſuſceperunt: ſed mox Gallos in capiendis diuerſoriis tumultuanteis adorti ex oppido expulerunt, bonam domorum partem incenderunt, atque in arcem reuerterunt. Guiſanus in foſſis ducendis ſimul cum caſtrenſibus operis, ac militibus in opus incumbens, vt cæteris exemplo eſſet, tantam diligentiam adhibuit, vt licet vehementi tormentariarum pilarum tempeſtate vndique obruerentur, tamen tertio die quinque & triginta tormenta ad foſſæ labrum collocarit, & maius propugnaculum quod portam, murúmque eius tuebatur, acriter verberauit: quæ fulminatio in tertium diem dimidiatum continuata eſt, & octo aut nouem pilarum millia exoneraſſe traditur. Decimo tertio Kal. Februarij tametſi acceſſus in arcem ſatis patere videbatur, tamen Guiſanus obſeſſorum arteis memoria recolens, quibus hoſtibus irrumpentibus aditum obſtruere, factitios ignes, foſſáſque opponere, tormentis aptè collocatis vim facienteis obruere ſolent, antequam viros forteis in apertam mortem coniiceret, primum quatuor agiles pedites præmiſit, quos viginti ſequebantur viam inter ruinas exploraturos, quam ſatis difficilem repererunt. Poſtridie quinque eodem miſit, qui bonam propugnaculi capiendi ſpem dederunt: poſtremo centum & viginti Gallos pedites ſummiſit cum aliquot foſſoribus, qui viam complanarent, & acceſſum faciliorem redderent: qui cum magno ſuo diſcrimine ad ſummas depreſſorum murorum ruinas euaſerunt. Tum Andeloto Gallorum peditum tribuno vt ſigno dato cum ſuis impreſſionem faceret, iniunxit: & conſcenſo tumulo non tot propugnatores, quot animo conceperat, pone eas ruinas aſtare animaduertit. Quapropter ſelectorum Germanorum agmen in hoſteis inuehi iuſſit: quod magna animorum conſtantia exequuti ſunt. Idem ſimul & Andeloto innuit: quod ſumma alacritate præſtitit; quanquam foſſæ ſeptuaginta pedes profundæ fuiſſe traduntur; quas nihilominus Guiſanus ſcaphis colligatis velut ponte conſtrauerat: verum plerique moræ impatientes nando ad hoſteis peruenerunt. At Angli incredibili pertinacia dimicantes, & factitiis ignibus vſi primum noſtrorum conatum eluſerunt. Hinc Guiſanus è tumulo deſcendens Gallos, Germanóſque ita ad renouandum certamen accendit, vt Angli quadringentis fere amiſſis, inter quos octoginta Hiſpani reperti ſunt, cedere, & inferiorem arcis regionem relinquere cogerentur: nam Recrodi Germani duo minora propugnacula tormentis magna ex parte euerſa eodem tempore inuaſerant. Graius præfectus cum filio ſe in veterem arcem, quod Cupæ propugnaculum vocabant, recepit, & duos viros nobiles ad Guiſanum eodem die de deditione acturos miſit, cui vetus illa arx foſſa altiſſima aqua plena cincta, nec tormentis adhuc concuſſa reſtabat: ſed nec diu reſiſtere poterat, nec ſpes vlla auxilij erat. Poſtridie itaque de deditione conuenerunt: cuius conditiones fuerunt, vt milites cum armis exirent, ſed vexilla, tormenta cum omni inſtrumento, omnem commeatum relinquerent: Graius cum omnibus præfectis captiuus retineretur.

Guina validè à Guiſano pulſata validè defenditur.

6 Vndecimo Kalend. Februarij milites circiter mille Angli, Burgundi & aliquot Hiſpani ex arce exierunt, in quem numerum plebs non includebatur. Omnibus liber diſceſſus permiſſus; Guinam quod è Gallia Caleſium verſus iter multum impediebat, & Arderis admodum vicina erat, Guiſanus à fundamentis euertit. Ea anno decimi quarti ſæculi quinquageſimo primo Ioanne in Gallia rerum potiente Guilielmi Belcouruij qui præfecti vicem obibat, proditione capta fuerat nondum finitis induciis. quam quum Galli

Tandem capta à fundamentis euertitur.

 inducias

Digitized by Google

inducias obtendentes repeterent, Angli Gallos durantibus iiſdem induciis idem in Caleſium molitos fuiſſe reſponderunt: ſe fœliciores re magno pretio empta merito potituros, quum non magis, quam Galli inducias violarint. Ex toto Oio Comitatu ſiue Oio ſolo quod ab anſeribus denominatum putant, qui à Gallis vulgo Oes dicuntur: quod quia fere paludibus conſtat, aut ſaltem vndique cingitur, & multis anſeribus, anatibúſque abundat, incolarum auium nomen accepit, vt ſupra libro viceſimoquarto annotauimus. Sola Hama arx exigua reſtabat, ad quam acceſſus propter paludes, & in his anguſtum aggerem pleriſque locis interſciſſum perdifficilis erat. dum de ea oppugnanda diſceptatur, præſidiarij milites clam notis ſemitis aufugerunt. In hac expeditione trecenta ærea tormenta, totidem ex ferro fuſo capta fuiſſe traduntur. Poſtridie Nonas Ianuarij Henricus trium Galliarum ordinum conuentum Lutetiæ in Regio palatio in aula, quæ Ludouici Pij dicitur, agere cœpit, & regni initio ſe aduerſus Anglos antiquos Gallorum hoſteis bellum geſſiſſe docuit, vt amiſſam à patre Bononiam recuperaret, propugnaculáque nuper ab Anglis extructa euerteret: in quod bellum bonam Regij patrimonij partem auctioni expoſitam impenderit, & magnam plebi pecuniam indicere coactus ſit: pacis omneis rationes etiam ſibi pernicioſas quæſiſſe, nec ſe dignam impetrare potuiſſe. quapropter neceſſitate adactum bellum grauius ſuſcipere deſtinaſſe, vt æquam tandem pacem conſequatur. Et quoniam belli neruus pecunia eſt (vt dici ſolet) precari omneis ordines vt belli neceſſitatem præ oculis habeant, & vt bellum pro dignitate adminiſtretur, quod æquum eſt, conferant. Si aliquando pacis compos erit, ſe rem Gallicam ita adminiſtraturum, & quæ propter bellorum tumultus tolerata, aut ſecus quam cupiat admiſſa ſunt, ita moderaturum, vt omnes ordines illi merito gratias agere debeant.

Oius Comitatus ab anſeribus ſic dictus.

Tormenta à Guiſiano vſq; ad 600. capta.

Quoniam autem hominum incerta vita eſt, & ſuis bene conſultum cupit, idcirco 7
filium natu maximum Delfinum, ac regni ſucceſſorem adduxiſſe quem promiſſorum ſuorum prædem conſtituat, & hoc velut nexu obſtrictum relinquat. Carolus Cardinalis primi ordinis nomine, qui ſacris addictus eſt, longam orationem, vt eloquens erat, in Regis laudibus, in gratiarum actione, quod patriam tanta charitate proſequatur, & in priſtinum ſtatum ſe reſtituturum promittat, in declarando totius huius ordinis erga Regem obſequio, atque obſeruantia conſumpſit: cui non ſolum omnes ſuas opes, ſed vitam etiam deuoueat. Niuernenſis regulus paucis verbis nobilitatem erga Regem, & patriam ita ſemper affectam fuiſſe dixit, vt quoties ſe occaſio obtulerit, non ſolùm facultates pro ea tuenda, verum etiam & vitam profuderit: quod quum & veteribus, & recentibus exemplis conſtet, idem ſibi Rex de eo ordine promittat. Andreas ſiue à fano Andreæ Pariſienſis Senatus magiſter Regi primum gratias egit, quod eorum ordinem qui iuri præſunt à populari ſeparaſſet; & eadem quæ priores obtulit. Eadem pro populo licet propemodum exinanito Mortierus; deinde Regis ſententiam laudauit, qua ſe veterem rerum ciuilium adminiſtrandarum morem inſtauraturum promiſit. Tum Bertrandus Cardinalis Senonenſis Regij ſigilli magiſter ſurgens Regem ſibi mandaſſe ait, vt ciuitatum legatos moneat, vt quicquid emendatione dignum iudicant, in libellos inſerant, eoſdémque Mortiero tradant; quibus Rex cum conſilio prouidebit. Paucis poſt diebus ciuitatum legati in domum Cardinalis Senonenſis conuocati ſunt: quibus Cardinalis Lotharingus ſignificauit idcirco Regem ordinum conuentum egiſſe, vt tricies centena nummûm aureorum millia, hoc eſt, treis milliones mutuò acciperet; primum ordinem iam viros mille obtuliſſe, qui ſinguli Regi mille nummos aureos mutuo dent: vt poſtremus ordo bis mille offerat, conſentaneum eſſe: quibus conſuetum fœnus quotannis perſoluetur, quod anno duodecimo ſortem exæquat. Ciuitatum legati tot creditores nominare non poſſe reſponderunt, quod incertæ ſunt ciuium facultates: alij prædia, alij merces habent, ſed nullam pecuniam: qui aliquam pecuniam habent, fortaſſe maiorem debent, cui ſoluendo non ſint. Quapropter tandem vnicuique ciuitati certa pecunia indicta eſt, vbi qui mille nummos mutuo dare non poſſent quingentos darent, aut etiam pauciores: viri autem ſacrati quod obtulerunt, gratis, & ſine vllo fœnore obtulerunt. Henricus ſe tributa imminuturum, nec vllum vectigal mercibus, annonæ, vino impoſiturum pollicitus eſt, & aliquot edictis promulgatis quæ ad ciuilem adminiſtrationem pertinebant, Caleſium vnà cum Delfino inuiſere voluit, cui Paulum Thermeum præfecit, deinde exercitum partim dimiſit, partim in hyberna miſit: Nemorenſem regulum ſuadente Guiſano (vt fama erat) leuioribus equitibus præfecit; quod munus Condæus ante poſtularat. Tum etiam Antonius Borbonius Henrici Albreti ſoceri morte regnum Nauarræ nuper adeptus ad amœnam fontis Bellæ Aquæ domum, vbi Rex agebat, acceſſit, Nemorenſi vel propter

Galliæ ordines conuocati, à quibus Hēricus tres milliones mutuos poſcit.

Paulus Thermeus Caleſio præficitur.

ſupra

Digitized by Google

ſupra commemoratum munus fratri denegatum, vel propter * * Rohaniam vxoris conſobrinam quam ſe in matrimonium ducturum Nemorenſis promiſiſſe ferebatur, infenſus. Id temporis Herbemontem arcem tormentis concuſſam Niuernenſis deditione cepit, quæ alta in rupe ſita vnica dumtaxat via adiri, & facilè muniri poterat: pluuiæ, niues, atque vrens gelu ne vltra progrederetur, impedimento fuerunt. *Herbemontis arcis deditio.*

8 Hoc anno multi qui Nicolaum Durandum (is vulgo Villagagno dictus eſt) Rhodium, ſiue Melitenſem equitem ſequuti erant, menſe Maio in Galliam redierunt. Rediit paulò poſt & ipſe Villagagno à ſociis relictus, & caſtellum quod munierat deſerere coactus. Is anno huius ſæculi quinquageſimò quinto Caſtilione Amyralio authore, & apud Regem deprecatore duas naueis rebus omnibus neceſſariis inſtructas, & decem nummûm francicûm millia ab Henrico acceperat vt in nouum orbem, ſicuti vocatur, ſiue Americam quartam mundi partem traiiceret, & ſedem aliquam deligeret, atque muniret, Galliſque poſt eodem traiecturis tutum receptum pararet: ſæpe enim antea Normani illuc nauigarant, & quæſtum aliquem fecerant, maiorémque ſe facturos ſperabant, ſi qui è noſtris in nouas illas regiones velut in colonias mitterentur, & commercia cum indigenis quotidiana haberent, quemadmodum huius ſæculi initio Luſitani, Hiſpaníque miſerant, & bonam huius noui orbis partem occuparant. Et quoniam Caſtilio Amyralius, quo patrono Villagagno vtebatur, Caluinianam in religione perſuaſionem ſequebatur, eandem tum Villagagno profeſſus eſt, & comites omneis, qui ſecum nauigarent, eandem profiteri voluit: nec quemquam alterius perſuaſionis in ſuas naueis admiſit: & ſacrarum litterarum profeſſores (quos illi verbi Dei miniſtros vocant) Geneua arceſſiuit: quanquam poſtea in Galliam reuerſus ad Romanam, veterémque rediit, quam & libris aduerſus Caluinianos editis confirmare conatus eſt; homo in ſcribendo ita obſcurus, vt naturalem melancholiam ſatis declararit. Vir fuit nihilominus rerum bellicarum, ac maritimarum peritus, cui Carolus Quintus Imperator præclarum fortitudinis in Africana expeditione teſtimonium dedit: is menſe Maio anno huius ſæculi quinquageſimo quinto (vt paulò ante ſcripſi) è Normania ſoluit: Nouembri poſt multas inter nauigandum maris, tempeſtatúmque exantlatas difficultates ad maris ſinum, qui ab indigenis Ganabara dicitur, appulit tribus & viginti vltra Æquatorem gradibus: & propter vndarum, fluctuúmque impetus in interiorem ſinum penetrare, & ad inſulam inhabitatam anchoras iacere coactus eſt. Ibi expoſita in terram ſupellectile, ac tormentis caſtellum aduerſus barbarorum Luſitanorúmque vim extruxit; quod Colignium à Gaſpare Colignio Caſtilione Amyralio appellauit: Luſitani enim primi in eas regiones delati cæteris nationibus ad eas aditum intercludere conantur; & ſi quos intercipiunt, grauiſſimis ſuppliciis addicunt. His procuratis naueis mercibus omnis generis, quas fert illa regio onuſtas in Galliam remiſit, & Caſtilionem Amyralium ſuæ nauigationis certiorem fecit, obſecrans vt maiorem virorum, mulierúmque numerum ad ſe mitteret, vt populoſam coloniam redderet: nullos autem niſi Caluinianæ perſuaſionis admittebat, idcirco & viros doctos, qui populum docerent, petebat. *Villagagnonis in Americam nauigatio, & quæ cauſa fuerit nauigationis.*

9 Spem quoque magnam lucri addebat; cuius auidiſſimus Caſtilio Geneuenſibus perſuaſit, vt aliquot ſuos miniſtros, viros item illiberalium artium artifices, ac mulieres & puellas mitterent, vt impenſis Regiis tres naues inſtruerentur perfecit: nauigaturus nihil defuturum promiſit. In duodecimo Kal. Decembris anno huius ſæculi quinquageſimo ſexto è Gratiæ portu (ſic enim vulgo appellatur) in Normania, aut ſaltem non longè inde ſoluerunt; & Nonis Martij anni ſequentis huius ſæculi quinquageſimi ſeptimi ad caſtellum Colignium in ſinu Ganabara appulerunt. Nec ita multò poſt de variis ſuæ perſuaſionis capitibus inter ſe diſſenſerunt: quapropter vnam è tribus nauibus, mercibus vt antea onuſtam vnáque decem adoleſcentes ex illis barbaris emptos in Galliam miſit, quos Henrico Regi Caſtilio offerret: ſimul ad Caluinum ſcripſit, quem præ cæteris admirabatur, vt ſententiam ſuam ſuper controuerſis illis capitibus proferret. Et nihilominus ad Romanam religionis profeſſionem redire velle videbatur: vnde ſeditionibus obortis, & quod illis victum parcius admetiretur, multi ad barbaros Gallis fœderatos tranſierunt: vbi aliquot menſes commorati Normanis mercatoribus illuc appulſis cum illis pridie Nonas Ianuarij ſoluentes nono Kal. Iunij anno huius ſæculi quinquageſimo octauo in Normaniam appulerunt; & Villagagnonem ita accuſarunt, vt nulla ad illum in poſterum Caſtilio auxilia miſerit, quod à Caluiniana perſuaſione defeciſſet: quem Luſitani à multis è ſuis deſertum cæteris grauem, aut potius odioſum certiores facti Colignium caſtellum cum Margaiis ſibi fœderatis expugnare decreuerunt. Quapropter ne vel à Margaiis

Digitized by Google

Margaiis deuoraretur, vel à Luſitanis in crucem ageretur, pretioſa ſupellectile in naueis coniecta cum fidiſſimis ex ſociis in Galliam rediit, cæteri in caſtello Colignio relicti hoſtium impetum non expectarunt, ad barbaros fœderatos tranſierunt: Luſitani caſtellum Colignium inuaſerunt, & tormenta Gallicis inſignibus inſculpta victoriæ monumentum Vlyſſiponem primariam ſuæ patriæ ciuitatem deportarunt. Quanquam regio ſatis temperata eſt, niſi quod calidior eſt, & ſolum ſemper viride, vt apud nos menſe Maio, tamen victus multum diſſimilis noſtrorum hominum corpora decurſu temporis imbecilla reddit: nullo vinò vtuntur, nullo tritico, aut alio ſemine: farina dumtaxat è radicibus contuſa (Aipium, & Maniotum radices vocant) quæ pedem & ſemiſſem longæ tribus menſibus in coxæ humanæ craſſitudinem excreſcunt. Luſitani nihilominus & ſementem ibi noſtro more fecerunt, & vites etiam coluerunt, & vinum confecerunt, vt ſi cultura adhibeatur, ſolum illud non ſecus ac noſtrum fertile eſſe poſſit. Ita Villagagno in religione inconſtans, & in ſuos nimis ſeuerus, quam tantopere initio oſtentarat, Franciam Meridionalem tandem relinquere coactus eſt multis à Rege impenſis factis, nullo fructu ex ea nauigatione capto.

Franciſci Delfini cum Maria Stuarda nuptiæ celebrantur.

Poſtridie Idus Apriles Franciſcus Delfinus Mariam Stuardam Iacobi Scotorum Regis, 10
& Mariæ Lotharingæ filiam Lutetiæ vxorem duxit; quæ nuptiæ magno ſumptu Gallorum more celebratæ fuerunt. Tum Chriſtierna Caroli Lotharingi reguli mater, ac Philippi Regis conſobrina de pace inter eundem, atque Henricum Regem ſermonem iniecit. Hinc illa velut pacis interpres, ac Carolus Cardinalis Lotharingus ab Henrico, à Philippo Atrebatenſis Pontifex ad vicum in Galliæ, agríque Cameracenſis finibus conuenerunt, nec pacem, aut fœdus conſtituere potuerunt. In eo colloquio dum inter ſe multis de rebus familiariter communicarent, Atrebatenſis Cardinali Lotharingo ſignificauit multos viros nobiles in Gallia perſuaſionem Caluinianam palam profiteri; inter quos Franciſcum Colignium Andelotum Gallorum peditum tribunum nominauit. is ad Caſtilionem Amyralium fratrem in Flandria captiuum litteras quæ ſatis id indicabant, ſcripſerat: quod quum ad Henricum delatum fuiſſet, id ille mirandum in modum ægrè ferens Andelotum accerſiuit, & an ſacram liturgiam (quam miſſam vocant, vti Chriſtianis in vſu eſt) rem impiam iudicaret, interrogauit. Impiam eſſe ille reſpondit, quod eo ſacrificio

Franciſci Coligny Andeloti impudẽs reſponſum.

Deum tam viuis, quàm mortuis propitium reddi exiſtimant, quum Chriſtus vnica ſui corporis oblatione pro omnibus omnium mortalium delictis abundè ſatisfecerit. Quo reſponſo indignatus Henricus, niſi eundem adoleſcentem educaſſet, gladio ſe confoſſurum deierauit & vt in Meloduni arcem in cuſtodiam mitteretur edixit. Interim Burgundi (ſic Philippi Regis milites appello) Neſlanum præſidium ex oppido egreſſum fudeſunt, oppidóque direpto abſceſſerunt. Iam decreta erat Theonuillana oppugnatio: Theonuillam autem ſiue Theonis villam, Dinodunum antiquis nonnulli fuiſſe putant, oppidum inter Mediomatricum, Romanduorúmque ſiue Luceburgenſium anguſtias interiectum quatuor ab vtraque paſſuum millibus diſtans; & Bordilio ad excipiendos Germanos abierat. ** Eſpalta Verus villa (quo nomine notior eſt) equites, peditéſque qui Campaniæ vrbibus præſidio erant conuocarat.

Tum Guiſanus ſub finem Maij ac Niuernenſis regulus ad pontem Moncionis appulerunt: vnde Metim vſque progreſſi Kalendis Iunij Theonuillam propius inſpexerunt. 11
Guiſanus Regis legatus cum ſecundo agmine cis Moſellam, Niuernenſis cum primo vltra fluuium caſtra poſuit. Germani ad quinque equitum ſclopetariorum millia coierant,

Theonuillanæ oppugnationis progreſſus.

Luneburgenſis reguli filio Grombactio, Scheuenio, Baldo Prato, Henrico Stopo, Lantgrauio filio, Reifebergo præfectis. Tredecim eiuſdem nationis peditum millibus Rochandulphus, Recrodus, Luſſeburgus, Recrodus filius, Refebergus, Valdeburgus præerant. Foſſæ à fluuio latæ, alteræque ad vrbem ductæ fuerunt, vt tormenta collocarentur: ſummo labro quà vrbem ſpectabant, aggeribus, vallóque munitæ; valli loco erant rotundæ crates terra oppletæ, quos gabianos vocant, partim vt tormentorum, quæ ſine intermiſſione ex vrbe exonerabantur, impetus vitaretur, partim vt ex alto aut recta linea pilæ in vrbem emitterentur, & vbi defenſacula euerterentur, palam eſſet. Ibi quatuor colubrinæ, quinque canones librati ſunt; vt magnum propugnaculum ſibi obiectum quaterent, & quatuor colubrinas in ſumma vrbis turre locatas confringerent, vnde illæ totum vrbis ambitum deſpectabant, & magnam in caſtris noſtris cædem faciebant. Nocte conſequente in extremis prioris foſſæ partibus duæ alteræ foſſæ ductæ, & in vtraque quinque tormenta collocata, quæ tranſuerſim ſupra commemorati propugnaculi defenſacula perfringerent, & terreos aggeres muro cinctos in vtraque muri extremitate erectos fulminarent. Altera

foſſa

Digitized by Google

foſſa propius fluuium ducta vbi decem tormenta librarunt: quæ omnia cum ſummo Guiſani qui ſemper his maturandis affuit, Petri Strozæ Mareſchalli, Eſtrei tormentorum magiſtri cæterorúmque virorum illuſtrium diſcrimine intra Nonas Iunij perfecta ſunt, quo die quinque & triginta maioribus tormentis vrbs verberari cœpit; quod obſeſſos maximè perterruit: etenim præter ſuam ſpem, & continuatam fere noctu, interdiúque fulminationem noſtros tormenta paucis diebus ad ea loca admouiſſe animaduertebant, ad quæ penetrari poſſe non putabant. Itaque reliqua ſpes in auxiliorum expectatione poſita erat: Horneus quidem Comes tertio Nonas huius menſis treis Hiſpanorum cohortes in oppidum immittere, & vigilias fallere conatus erat, ſed fortiter repulſus multis è ſuis amiſſis abſceſſerat. Idem biduo poſt quatuor Namurienſium, ac Flandrorum cohortes expertæ maiorem quàm priores iacturam fecerant.

12 Poſtquam biduum in defenſaculis euertendis conſumptum eſt, eáque ſatis proſtrata viſa ſunt, ſexto Idus in rotundum illud propugnaculum murúmque illi contiguum noſtri tormenta direxerunt, ita vt intra triduum propugnaculum magna ex parte comminutum, murúſque quadraginta pedes in longitudinem ſatis depreſſus videretur: ſed quod fluuius vado traiiciendus erat, tametſi vadoſus ibi eſſe ferebatur, de facienda impreſſione non leuis dubitatio erat. Ex altera parte qua Niuernenſis murum tormentis pulſabat in angulo turris rotunda erat, ex qua acceſſum ad murum tormenta exonerata prohibebant; cui ex aduerſo moles terrea muro cincta quam * * formam, id eſt, planam vulgo appellāt: verum ita malè perforata ad tormentorum vſum vt altera alteri non multùm ſubueniret. Id primus Petrus Stroza animaduertit, & Guiſano, Niuernenſíque indicauit: nec alia ex parte oppidum facilius capi poſſe confirmauit. Quanquam autem paludes magnam aquæ vim euomebant, tamen foſſarum latera, profundúmque ita cratibus, tabulis, iuncis, terra herboſa, argilloſáque compacta, & tanta induſtria elaborata ſunt, vt hæ foſſæ contra multorum ſententiam non ſecus, quàm ſi in ſicco ſolo excauatæ fuiſſent, tutæ euaſerint; & quo decretum erat, intra paucos dies peruenerint: vbi Stroza ſupra cæteros egregiam operam nauauit. Quod autem ex vrbe emiſſæ pilæ tanquam ſæua & horribilis grando operas infeſtabant, ante tertiam noctis horam in id opus non incumbebant. Guiſanus interim quinto Idus prima noctis vigilia quingentos tam ſclopetarios, quam loricatos pedites murorum ruinas conſcendere imperauit Cypetra minore, Sanſtepho ſiue à fano Stephani, Millaſio, Sarlabo, Iacobo præfectis, partim vt notarent an acceſſus facilis eſſet, partim vt viderent an aliqua defenſacula nondum proſtrata ſupereſſent; & vt obſeſſorum conſtantiam experirentur: iniunxit præterea ne quid difficilius niſi magna occaſione ſuſciperent. Hi paulùlum progreſſi quaſi vniuerſa impreſſio indicta fuiſſet, ad ſcalas inclamarunt: quo tumultu excitato vigilias partim ſopitas trucidarunt: partim ſemiſopitas in fugam verterunt: quod ſi milites omnes eodem animo, quo præfecti primum illum impetum perſequuti fuiſſent, haud dubium quin oppido potiti fuiſſent.

13 Sed vbi tumultus totum oppidum inuaſit præſidiariis militibus vndique concurrentibus & conglobatis atque in noſtros irruentibus illi paucis comitati hoſtium impetum haud ſuſtinere potuerunt; & pedem referre coacti ſunt. Cæſus Iacobus centurio ac Cypetræ vexillifer, nonnulliíque alij; Sanſtephus ita vulneratus vt paucis poſt diebus expirarit: vir animo acer & egregiis corporis dotibus præditus, qui nondum triceſimum ſuæ ætatis annum exceſſerat. Auxiliorum neceſſitatem obſeſſi multis ſignis indicabant, facibus noctu accenſis, & variis ignibus excitatis, quum nulla accederent, ex oppido centum equites, quadringenti pedites exierunt, vt inter pugnandum aliquis ad Mansfeldium Luceburgenſis agri prætorem elaberetur; ſed omnibus viis intercluſis à noſtris excepti in oppidum compulſi ſunt. Iam ſcrobes ſuas ad foſſæ oppidi labrum Niuernenſis perduxerat, & vallo obiecto turris imam partem quinque tormentis verberabat, eodémque momento quinque altera molem terream muri obiectam pulſabant. Hinc vtrobique feneſtræ, vnde tormenta exonerabantur, perruptæ fuerunt, & noſtri milites tam ad turrim, quàm ad molem cuniculos agere cœperunt. Hic Petrus Stroza dum cum Guiſano dextro eius humero innitente colloqueretur, ſclopeti glande in ſiniſtrum ſupra mammam ictus pauca præfatus ſtatim occubuit; vir fortis, induſtrius, & bellicarum rerum admodum peritus: ſed vbicumque ſummum imperium habuit, fere ſemper infelix fuit. Cuniculis ſub turre propemodum, & ſub mole perfectis quum noſtri milites admouere ignem deliberarent, tubicen ex vrbe ad portam Luceburgenſem aſcendit, & vt de conditionibus deditionis ageretur, vndecimo Kalend. Iulij poſtulauit, vt Quaderebus Theonuillæ præfectus ad Guiſanum veniret. Haucurtius Iuoij, ac Cadius Mommidij præfecti in oppidum

Petrus Stroza ſclopeti glande confoſſus.

in oppidum miſſi: interim tamen & cuniculi promouebantur, & tormenta ſuum munus
implebant. Conuenit vt Quaderebus, cæterique præfecti Theonuillam vt erat dederent:
nihil diruerent, aut demolirentur, nihil occultarent, nihil conſumerent; tormenta omnia
cum omni inſtrumento: arma item omnia ac vexilla tam equitum, quàm peditum relin-
querent: præfecti, omnéſque adeo equites cum equis & armis, pedites cum enſe & pugio-
ne dumtaxat, nulla præterea arma aſportarent: vtrique veſtem omnem, aurúmque & ar-

Theonuilla quibus conditionibus dedita.

gentum, ſi quod habent ſecum auferrent. Decanus (ſic enim vulgo appellatur) cæterique
viri ſacris addicti, viri nobiles, ciues, fœminæ, pueri, puellæque cum omni, auro, argento,
ſupellectile, in tutum deducerentur: præfecti ſupra commemorati viros quatuor quos
Guiſanus proponeret in oppidum reciperent, totidem ex viris primariis qui in oppido
ſunt, ad Guiſanum mitterent.

Hæc deditionis capita decimo Kal. Iulij vtrimque ſubſcripta ſunt: eodem die populus, 14
viri, fœminæ, pueri, puellæ ad quatuor millia ex oppido exierunt: poſtridie milites cir-
citer mille quingenti magna ex parte vulnerati. ſtatim oppidum Niuernenſis ingreſſus
eſt, ne quis in noua poſſeſſione tumultus, aut ſeditio ſuboriretur. Guiſanus extra vrbem
vt milites tuto deducerentur, curauit: vulneratos pleroſque retinuit, & vt curarentur
Chirurgos adhibuit: ſcaphas & rhedas conquiſiuit, quibus ægroti, aut vulnerati tranſ-

Insignis Guiſani humanitas.

portarentur; omnia denique humanitatis officia impleuit. Oppido Eſpeltam, qui Vetus
villa vulgo dicitur præfecit, nec ita multò poſt ad Treuirenſem Pontificem vnum ex
ſeptemuiris Germanis ſcripſit, & Regium exercitum ad illius ditiones haud tranſiturum
pollicitus eſt: qui interim dum Theonuilla inſtauratur, aliquot ibi dies conquieuit, &
equitatum, qui nondum vniuerſus coierat, præſertim Saxonis reguli fratrem Guiſanus
expectandum iudicauit. Tum an Luceburgum oppugnandum eſſet, conſultatum fuit,
quod Mansfeldius, Horneúſque Comites & multi viri illuſtres, veteraníque præfecti, ac

Sitne Luceburgum tentandum, variæ ſententiæ.

milites inſederant. Horum nihilominus conſtantiam maioris partis trepidatione & vrbis
tam vaſtæ defendendæ difficultate ſuperatum iri, nec commeatum in longum tempus
tantæ multitudini ſuppeditari poſſe nonnulli exiſtimabant, hac igitur occaſione tan-
quam aliqua præſenti machina vtendum. Alij contra tametſi vrbis ſitus incommodus,
nec ea ſatis munita eſt, tamen vt vndique circumſedeatur ingenti exercitu opus eſſe:
quem in diuerſas ſtationes ita diſtribuere neceſſe erit, vt altera alteri ſubuenire non poſ-
ſit: ac multas veteranorum Hiſpanorum cohortes Mansfeldium acceſſiſſe vt prima-
riam Luceburgenſis principatus vrbem tueatur: in obſidione multum tempus impen-
dendum eſſe, quod in ſubigendo adiacente agro conſumere ſatius eſt: interim Lucebur-
genſibus annonam defuturam, multáque præterea cognoſci poſſe quibus oppugnatio
commodius adornetur. Hinc noſter exercitus ad montem Ioannis caſtra fecit: deinde
Kalendis Iulij Arlonem contendit, cui quinque peditum cohortes, aliquot equites præ-
ſidio erant; vt oppidum dederent rogati ſatis ineptas, quinetiam ſuperbas conditiones pro-
poſuerunt; quibus irritatus Guiſanus decem & octo Gallorum cohortes eò miſit, vt cer-
tis locis quæ notarant, ſcalas admouerent: quos venienteis Arlonenſes conſpicati poſti-
ca porta occulta clam ſe ſubduxerunt, ignémque tectis oppidi diſceſſuri iniecerunt.

Arlonenſium vrbs à fundamentis euertitur.

Galli ingreſſi ignem extinguere, ſed fruſtra conati ſunt, qui bonam prædæ partem ab- 15
ſumpſit: quatriduo poſt igne extincto Guiſanus oppidum, ne hoſtibus receptus eſſet, à
fundamentis euertit. à Kalendis Iulij ad ſeptimum Idus noſter exercitus ad Arlonem
commoratus eſt, partim vt caſtella vicina, arceíſque dirueret, partim vt aliquam Luce-
burgi oppugnandi occaſionem captaret. Ibi quinto Nonas grauis inter Gallos, & Ger-
manos ſclopetarios equites ſeditio exarſit; & niſi inter vtroſque Guiſanus, ac Niuernenſis
ſe medios interieciſſent, ad manus nimirum veniſſent. Germani, quòd ſe numero ſupe-
riores videbant, intolerabili arrogantia cæteros contemnebant. Relicto Luceburgo Gui-
ſanus, qui ab initio in Picardiam ire deſtinarat, Viretonem ſeu Vertodunum (vt alij vo-
cant) contendit, ibique dies octo conſedit: interim circiter quingentos pedites, treis leuio-
rum Scotorum equitum alas Thermeus in Caletibus coëgerat: quibus quatuordecim
Gallorum peditum cohortes, Germanorum decem & octo, Villabonem item, Senarpo-
nem, Annebaldum, Calmeum, Moruillerium cum ſuis cataphractorum equitum alis ad-
diderat. Hoc tantulo exercitu maritimas Flandriæ vrbeis raris præſidiis inſeſſas, & ſi res
proſperè ſuccederet, Grauelinas, ſiue Grauelingam cæteris firmiorem oppugnare decre-
uerat. Aliud tamen initio iter inſtituit, & Grauelinas à ſiniſtra relinquens foſſam Boula-
nam traiecit, Bergámque exiguum oppidum cepit, ac diripuit. Dunquercum deinde (quod
Actiophanum quidam vocant) opulentiſſimum oppidum commodo portu inſigne ſex
paſſuum

Digitized by Google

paſſuum millibus Caleſio diſtans quarto die in ſuam poteſtatem redigit, & maximam prædam facit: in qua nauibus exportanda, vt nonnulli retulerunt, aut quod podagra laboraret dum tempus terit, Ecmundanum cum exercitu in itinere eſſe intelligit: idcirco exercitum Villabone & Senarpone ductoribus Grauelinas præmittit; ipſe mox ſequitur, vt properaret ſæpius à Villabone & Senarpone admonitus: quod ſi vno die duntaxat anteuertiſſet, exercitum extra omne diſcrimen collocaſſet. Vbi ad exercitum appulit, Ecmundanus cum ſuo ſeſe illi oppoſuit: quod autem ſe viribus inferiorem Thermeus eſſe noſſet, Adam fluuium traiicit, vt ad Caletes elaberetur. Verum Ecmundanus qui tria equitum, peditum quindecim millia in exercitu habebat, & innumerabilem popularium multitudinem amiſſæ prædæ recuperandæ auidam ſecum trahebat, Thermeum properantem anteuertit, & inter Grauelinas, ac ſuum exercitum interiectum ad prælium iniquo loco ineundum tertio Idus Iulij compulit.

16 Traiecerat fluuium prior noſtrorum acies, & ad prælium inſtructa ſecundam magna celeritate traiicientem tegebat, quum duo equitum partim Flandrorum, partim Germanorum ſclopetariorum agmina alterum recta in frontem, alterum in latus prioris noſtræ aciei irruerunt, quæ noſtri fortiter repulſa fuderunt. Victoriam etiam nonnulli inclamarunt, ſed in perſequendo diſſipatos, nec dum in vnum coactos ac bene denſatos Ecmundanus cum præpotenti agmine aggreſſus in fugam vertit: præſertim quod reliquus noſter equitatus illis in tempore non affuit: ſed prælium declinauit, aut certè non præſenti animo iniit: vnde nonnulli præfecti atque equeſtres alæ ignauiæ notam ſubierunt. Quum ad pedites ventum eſſet, Galli diu fortiter dimicarunt: illis in primis nocuit, quod inter confligendum duodecim Anglicæ naues fortè illuc, aut ex compromiſſo curſum tenentes prælium conſpicatæ ad littus, quoad fieri potuit, appropinquarunt, & noſtros acriter pugnanteis tormentis vehementer afflixerunt, metuenteis etiam ne maior claſſis ſuccederet: quod contra Burgundis animos mirandum in modum addidit. Fortunam tamen iniquam noſtri pedites magna conſtantia tolerarunt, donec Germanos nullo conatu edito erectis haſtis, aut proiectis armis deditos viderunt. Tum & ab equitatu, & à ſociis Germanis deſerti, & ab Anglicis tormentis diſrupti, ac diſſipati nulla conſtantis mortis vlciſcendæ ſpe relicta aut ab hoſtibus præſertim à ruſticis cæſi ſunt, aut ſe in fugam dederunt. Thermeus, Villebo, Senarpo, Annebaldus Moruillerius cum pleriſque aliis capti ſunt: treis Gallicas cohortes Dunquerci Thermeus reliquerat, vt incenſo oppido ſe protinus ſequerentur. Primum quidem mandatum executi ſunt: alterum vt eundem ſequerentur, exequi non potuerunt poſt infœlicem illam pugnam à ruſticis fere ad internecionem trucidati. Cuius pugnæ nuntio ad Guiſanum prælato noſter exercitus in Picardiam contendit; quòd hoſtilis ad Marollas, & Mabugium coire ferebatur, & ad Petrapontem quinto Kalend. Auguſti caſtra fecit.

Thermeus cũ Ecmundano infeliciter confligit.

17 Sub Iulij finem Guilielmus Saxo Ioannis Federici ſeptemuiri filius ad Regium exercitum appulit, & ſeptem Pruſſianorum ſclopetariorum alas quæ trecentos ſingulæ continebant, Iacobus Auguſtanus veteranus præfectus, qui diu ſub Brandeburgenſi Marchione militarat, decem Germanorum peditum cohortes adduxit: vt vix potentiorem exercitum præſertim ex alienigenis vllus antea Galliæ Rex habuiſſe tradatur: Germanorum enim ſclopetariorum equitum octo, peditum viginti ſex millia, ac quingenti coiiſſe ferebantur (vt Heluetios in hunc numerum non includam) quos ſimul & Gallos tam equites, quàm pedites Henricus inuiſit, nec tamen vllum, vt mox explicabo, tantus exercitus operæpretium fecit: is inde ad Ambianos tranſiit. Burgundicus ad Dorlanum caſtra habebat: aderant Henricus ac Philippus Reges, & ſuas omnes controuerſias tam veteres, quàm nouas vno prælio diremptur i videbantur: quam illorum mentem leuis, vt mox dicam, occaſio immutauit. Paulo ante inter Cardinalem Lotharingum, & Dianam Pictauienſem Brezei Normaniæ Seneſchalli viduam ſimultas interceſſerat, ex quadam verborum contumelia, quam in illam Cardinalis iecerat, excitata: fœmina vltionis auidiſſima, cui tametſi propemodũ ſeptuagenariæ Henricus nihil vnquam negauit, quid apud Regem poſſet, gnara eundem à Guiſana familia abalienare, quanquam Aumalius Guiſani & Cardinalis Lotharingi frater filiam eius natu minorem vxorem duxerat, & ſe per Cardinalem Caſtilionem Mommorencio equitum magiſtro tum in Flandria captiuo reconciliare ſtatuit: & matrimonium Henricæ neptis Bullionij reguli filiæ cum Danuilla altero Mommorencij filio procurauit: ſic enim ſe, ac Mommorencium inſatiabilem ſuam auaritiam expleturos ſperabat, & pacem vel dimidia regni Gallici parte redimere conſtituit. Vt igitur ſermones de pace iniicerentur, & ad Cerecampum cœnobium opulentiſſimum in

Potentiſſimus Hẽrici exercitus.

HHHh Paulino

Paulino Comitatu ſitum, qui Pontiuienſis olim pars fuit; circa Idus Octobris legati ab vtroque Rege conuenirent, & vt Mommorencio illuc adire, & deinde ad Henricum accedere permitteretur, perfecit. Conuenerunt ab Henrico Carolus Cardinalis Lotharingus, Annæus Mommorencius equitum magiſter. Iacobus Albo, qui Andreani Mareſchalli nomine notior eſt, Ioannes Moruillerius Aurelianenſis Pontifex, Claudius Albaſpineus Regi ab epiſtolis: à Philippo Albanus regulus ſummus aulæ Regiæ magiſter, Guilielmus Naſſauus princeps Arauſius, Rigomes Sylua Comes Mileto, Antonius Perenotus Granuellanus non ita dudum Cæſaris, tum Philippi Cancellarius, Viglius ſanctioris conſilij magiſter. Aderat & Chriſtierna Franciſci Lotharingi reguli vidua, & Carolus eius filius quaſi pacis interpretes. Quum inter ſe conuenire non poſſent, & quod de altero conuentu ſpes eſſet, vterq; exercitus ob inſtantē hyemem dimiſſus fuit: inde Mōmorencius ad Henricum acceſſit, humaniſſiméque exceptus eſt quaſi glorioſiſſimæ victoriæ, nō ignominioſiſſimæ pugnæ memoriam reportaret: ita Henricum ad ſuum arbitrium Diana cōponebat; & alioqui magnam Henricus de Mommorencio, vt militari viro, opinionem conceperat.

Qua via Diana Pictauienſis Guiſanum Regio comitatu pellere aggreſſa.

Tum Diana de neptis matrimonio, de pace procuranda, de Guiſana familia, præſertim 18
de Cardinale Lotharingo è comitatu Regio pellendo cum Mommorencio egit: amplexus eſt hos ſermones auidiſſimè Mommorencius, atque illi quicquid petiit, aſſenſus eſt: ſic enim & recentis pugnæ culpam ſe facilè purgaturum, vnde ſi cum Rege militaris diſciplinæ ſeuero obſeruatore ſibi res fuiſſet, capite mulctatus fuiſſet, & in priſtinam Regis gratiam rediturum certo ſibi perſuadebat. Rebus cum Diana compoſitis rediit in Flandriam Mommorencius, ſic enim data fide promiſerat, mandato à Rege accepto vt pacem quauis conditione iniret: ita Henrico Mommorencio connitente Diana perſuaſerat, quod bello continuato Guiſanæ familiæ opera neceſſario Henricus indigebat. Mōmorencius paucos dies in Flandria commoratus ad Henricum in Bellouacis agentem reuerſus eſt, & res ſuas cum Diana magis confirmauit, mandatúmque ſupra commemoratum de pace iteratum accepit: quo veluti ſibi ad quæſtum dato callidè vſus eſt, ac iam non Henrici, ſed Philippi res agebat, & Allobrogis aliquo modo affinis erat: Renati enim Sabaudi nothi filiam vxorem duxerat, ex qua plurimos liberos ſuſceperat. Reuerſus ad Philippum vt à ſe ſuſpicionem omnem amoueret, ſe captiuum vtriuſque Regis negotia pertractare nolle ait, ne Henrico in ſuſpicionem veniret: ſibi certum redemptionis pretium indiceret, vt liber, & ſui iuris pacem vniuerſo orbi Chriſtiano, tum maximè vtrique Regi perutilem procuraret. Indicta ſunt bis centena nummûm aureorum millia, de quibus vt accepta ferrentur, cum Philippo, eiúſque conſiliariis clam ante conuenerat: quinetiam vt Gaſpar Colignius Caſtilio Amyralius ſororis filius perſolutis quinquaginta nummûm aureorum millibus in libertatem reſtitueretur, impetrauit. Rediit mox ad Henricum ad fanum Germani Laij agentem vndecimo Kal. Ianuarij, quod colloquium Caroli Quinti Imperatoris, & Mariæ Angliæ Reginæ mors ſubſequuta diremiſſet. Tum Franciſcum Colignium Andelotum è cuſtodia emiſſum Regi obtulit: quem Rex benignè excepit muneribus, quibus priuatus fuerat, reſtitutis. Ita facilis Henricus erat, & à familiaribus ex eorum arbitrio huc, atque illuc circumducebatur: viciſſim Henricus à Diana perſuaſus Mommorencium vt matrimonium Henrici filij quem Danuillam vocabant, cui Henrica Marchiana Bullionij reguli filia deſponſa eſt maturaret, rogauit: quod is ſe facturū recepit, vt pax ſolida confirmaretur. Burgundicus exercitus in Atrebatibus dimiſſus fuit, noſter quoque Campania, Picardiáque iuſtis præſidiis firmata domum rediit. Germani diſceſſuri Niuernenſem regulum è Germania oriundum, qui ſe è Gallia educeret, & ſtipendij nondum integrè perſoluti veluti præs eſſet, poſtularunt, & impetrarunt. Sed vt auara natio eſt, & in ſtipendij perſolutione admodum difficiles fuerunt (auro enim, non argento perſolui coëgerunt;) & quà tranſibant (lentè autem incedebant) plebem fere prædæ habebant. Heluetij humaniores, nec plebi moleſti ſatis citatis itineribus ad ſuos reuerterunt. vide in fine huius libri. Hoc anno ſtipendij penuria res Galliæ Subalpinæ nullum incrementum acceperunt. ſub finem prioris Briſſacus, vt ſupra ſcripſi, ad Regem acceſſerat, vt pecunia in militum ſtipendium quibus multum debebatur, & ad inſtruendum exercitum mitteretur: nec multum profecerat, ſchedulas dumtaxat, quæ vix ad dimidium Gallorum, integrū Germanorum ſtipendium exoluendum ſufficerent, acceperat: & tamen Lugduni hoc nomine, & aliis in locis aliquot menſes conſumpſerat. Quum Taurinum rediiſſet, nec magnas ſecum vires adduxiſſet, Seſſanus regulus poſt Albani diſceſſum Philippi Regis legatus coacto exercitu equitum ad tria aut quatuor, peditum ad ſedecim millia Centale decimo ſexto Kal. Septemb. circumſedit: quod tormentis concuſſum aqua è foſſa

Centale Seſſano Duci deditum.

è foſſa deriuata, perruptis defenſaculis, murorum iuſta ruina facta deditum eſt; neque ſubſidium immittere, aut obſeſſis auxilio eſſe Briſſacus viribus infirmus potuit: nec præfectum Petralongum, vt mos erat, nominarat: per Gonorum fratrem nihilominus ſexcentos equites, ſeptingentos pedites Aſta profectos, & ad Centalis obſidionem properanteis fudit.

19 Centali diruto & commeatu Foſſanum, Coniúmque importato Seſſanus exiguas quaſdam arceis cepit, & Moncalinum ſexto Kal. Octobris oppugnauit: Regem quanti id oppidum ad Caſale, & Valentium conſeruandum momenti eſſet, Briſſacus monuit: nec pecuniam vt exercitum cogeret, oppidóque ſuppetias iret, accepit. Moncalinum quintò Nonas Octobris caſu inſperato captum triduo poſtquam Piquignius præfectus in id ingreſſus fuiſſet: qui cum mille ex præſidiariis in arcem euaſit, quum Inſulanus dimicando vulneratus, ac captus fuiſſet. Moncalino præter ſpem capto Benam Comitem, Gordonium Vicecomitem, & nonnullos alios vt milites conſcriberent Briſſacus rogauit, qui cohortes aliquot ſuis impenſis adduxerunt. Interim Seſſanus Caſale oppugnaturus foſſas ad vrbem duci iuſſit, quibus cohortes ſatis multas præſidio impoſuit. hæ foſſarum labro vexilla ſua infixerunt, quas Caſalenſes præſidiarij magna cum clade fuderunt: quapropter Seſſanus vrbem munitiorem, quam putarat, expertus, caſtella circa eandē, ac Valentium muniit: & oppugnationem in proximum ver diſtulit. Henricum omnium quæ in Gallia Subalpina gerebātur, identidem Briſſacus, quemadmodum & Philippum Seſſanus, admonebat; vnde Philippus in concilianda pace ſe longè difficiliorem præbuit: litteras tandem quarto Idus Decembris ad Henricum ſcripſit quibus ſignificauit, niſi aliter ſubueniret de Gallia Subalpina actum eſſe: tot ſtipendia militibus deberi, nihil in futurum prouideri, Heluetios ad ſuos, qui ibi militabant nuntium miſiſſe niſi ſtipendium penderetur, vt domum redirent; vix abire cupienteis retinuiſſe. At Mommorencius qui Allobrogem in amiſſarum vrbium poſſeſſionem reduci volebat, idque Philippo, atque Allobrogi clam pollicitus erat, per Dianam Pictauienſem ne pecunia ad Briſſacum mitteretur, perfecerat, vt in priſtinum ſtatum Allobrox quoquo modo reduceretur.

20 Bellum terreſtre perſequutus ſum, maritimum nondum attigi, quod hoc loco explicandum videtur. Compararant ingentem claſſem Angli, quæ centum bellicis nauibus, aut paulo pluribus conſtabat; vt celoces, & cæteræ minores naues, quæque commeatum vehebant, in hunc numerum non includantur: quibus triginta Belgicæ Liburnicæ Anglicis longè maiores acceſſerant: Anglicis Clintonius, Belgicis Vachenus præerat. Hæc claſſis Cantio circa Idus Auguſti ſoluit, & ad Armoricas vrbeis curſum tenuit: ac primo appulſu ſex bellatorum millibus in terram expoſitis Angli Conqueſtum portum (Conchulas alij vocant) diripuerunt atque incenderunt, & in interiorem oram progreſſi ſunt: quibus cohortes Belgicas quatuor Vachenus ſubſidio miſit. de quibus certior factus Cherſimo intra decem aut duodecim horas ſex partim ex viris nobilibus, partim ex plebe hominum millia coëgit, & diſpalatos aggreſſus multos cecidit; præſertim Belgas, qui pertinacius reſiſtebant, captiuos circiter centum & quinquaginta abduxit, ex quibus nonnulli claſſem eo miſſam vt Breſtum portum caperet aſſeuerarunt, ſpem fallentibus pœnam capitis indictam. Hac nihilominus clade accepta circiter viginti milliaria à continente receſſerunt, & oram illam circumlegerunt: at vicini populi ad triginta millia coierunt claſſem ſemper ſequentes, aut à latere obſeruantes, ne milites in terram exponeret. Ad hæc Stempenſis regulus Britanniæ prætor circiter quatuor equitum, peditum duodecim millia ſtatim ad oram maritimam, qua claſſis nauigabat, miſit; vt deinde ad terram appropinquare auſa non ſit. quæ tandem vehementi tempeſtate iactata, ac magna iactura facta, vnde venerat, reuerſa eſt: vt ad pacem redeam. Ad Cerecampum, quaſi Cereris campum dicas, ager enim ille frugum in primis fertilis eſt, Regis vtriuſque legati de matrimonio Caroli vnici Philippi Regis filij, atque Iſabellæ Henrici natu maioris filiæ, de Allobrogis item cum Margarita eiuſdem Henrici ſorore ita egerant, vt vna cum his affinitatibus pax vniuerſa totius Chriſtianiſmi conſtare poſſe videretur. Sed tractatum pacis Mariæ Angliæ Reginæ mors decimo quinto Kalendas Nouembris interueniens interrupit; & ſi diutius vixiſſet, omnino fortaſſe corrupiſſet. Illa enim Mommorencium, cui ſummam in hoc colloquio authoritatem Henricus tribuerat, quicquid peteretur, facilè præter omnium opinionem aſſentiri certior facta de Caletio reſtituendo ſermonem iniecit, cuius morte importuna illa interpellatio ſublata eſt. Et quoniam Philippo cum Anglis multa tranſigenda erant, & Caroli patris funus celebrare decreuerat, Conuentus in menſem

Cerecampus vndenam ſic dictus.

Caroli V. mors.

Ianuarium tranſlatus eſt, & ad caſtellum Cambriſium indictus. Carolus Quintus Imperator vndecimo Kal. Octobris in Hieronymiano illo cœnobio in Hiſpaniæ Luſitaniæque confinio è vita exceſſerat, quem Heleonora ſoror Emanuelis Luſitaniæ primum, deinde Franciſci Primi Galliæ Regis vxor huius anni Februario menſe præceſſerat. Sequuta eſt Maria Hungariæ Regina Flandricarum olim prouinciarum adminiſtratrix, & decimo quinto Kal. Nouembris vita functa eſt: filium habuit vnicum Philippum regnorum omnium, cæterarúmque poſſeſſionum eius hæredem: filias, Mariam quæ Maximiliano ſecundo mox Imperatori nupſerat: ac Ioannam Sebaſtiani vltimi Luſitaniæ Regis matrem. Nothos autem & non ex legitimo matrimonio natos, Margaritam, quæ primò Alexandro Medici Florentino, deinde Octauio Farneſio Parmenſi regulo nupſit; Ioannem Auſtriacum nauali illa ad Naupactum aduerſus Selimi Secundi Turcarum Imperatoris claſſem victoria clarum.

Mariæ Hungariæ Reginæ mors.

21 Quoniam autem alio loco huius Imperatoris naturam, ac mores deſcripſimus, hic eoſdem repetere ſuperuacaneum videri poſſet. Vltra commune Germanorum Imperatorum inſigne, qui aquilas, ſicut olim Romani geſtant, quemadmodum Turcæ Imperatores creſcentis Lunæ effigiem inſigne quondam Carthaginenſium, ſibi priuatum Carolus attribuerat, & pictis duabus Herculis columnis aſcripſerat VLTRA, quaſi vltra eas columnas Imperium ſuum propagaturus. Et niſi Franciſcus huius nominis primus Galliæ Rex ob eius virtutes inuidia, & quod apud illum diu in cuſtodia fuiſſet, dolore percitus præclaros eius conatus ſemper interturbaſſet, longius multò, latiúſque propagaſſet; & Turcas intra antiquos Imperij ſui fines compuliſſet, aut ſaltem à noſtris ceruicibus depuliſſet, vir magnus, & poſt Carolum Magnum nulli Germanorum Imperatorum ſecundus. Mariæ Angliæ Reginæ Iſabella, ſiue Elizabetha Henrici Octaui, & Annæ Bolanæ filia quamuis in pellicatu nata ſucceſſit: nam tum viceſimum quintum, vt quidam ſcripſerunt, ſuæ ætatis annum agebat: Catharina enim Arragonia legitima Henrici vxor menſe Ianuario anno huius ſæculi triceſimo ſexto è vita exceſſit; Bolana Maio ſequente ſtupri conuicta capite mulctata eſt. Et quandoquidem Romani Pontifices, cæterique qui antiquam religionis perſuaſionem ſequuntur, Bolanam nunquam Henrici vxorem, ſed pellicem exiſtimarant, Iſabella Caluinianam de integro in Angliam introduxit; Romanæ ritibus, quos Maria inſtaurarat reiectis, nec ſe eadem opera Bolanæ matris cum Henrico matrimonium damnare animaduertit. Henricus enim nullam aliam repudij Catharinæ Arragoniæ denuntiati cauſam afferebat, niſi quod Arcturo fratri antea nupſiſſet: atqui Caluiniani vt viro mortuo mulier eius fratri nubat, quemadmodum & viro, ſi eius vxor moriatur, vt vxoris ſororem in matrimonium ducat, permittunt. Itaque ex vtrorumque ſententia Henrici cum Catharina Arragonia matrimonium iuſtum, & legitimum erat, cum Bolana nullum erat. Hinc Iſabella notha ab Angliæ regno vel ex Pontificiorum, & antiquæ religionis profeſſorum, vel ex Caluinianorum placitis excludebatur: præſertim quod Bolana non ſolum ſtupri cum multis, ſed etiam inceſti cum fratre damnata erat: vt merito incerta Iſabellæ origo putaretur; quæ nunquam nubere voluit, vel vt eius regni viros principes nuptiarum ſpe ſibi ſemper obnoxios retineret, vel ne ſi nuberet, mariti æmulis de iure regni diſceptandi occaſionem daret.

Iſabellã Angliæ regno iure excludi potuiſſe conficitur.

Coniectura, cur nubere noluerit.

Conuentus Auguſtæ ab Imperatore Ferdinando indictus, & quis illius exitus.

22 Decembri menſe Ferdinandus Imperator Auguſtam appulit, in quam Imperij ordinum conuentum indixerat. eodem Henricus Bordilionem quinquagenariæ cataphractorum equitum alæ præfectum, & Campaniæ legatum, ac Carolum Mariliacum Viennenſem Pontificem hominem eruditum, Philippus Arembergenſem ſiue Arenoperganum, vt alij vocare malunt, Comitem (quem vulgo Brabanſonem appellant) miſerat. Ibi quædam de religione, quam Ferdinandus viribus infirmus, & grauiſſimo hoſti obiectus ordinum arbitrio fere relinquebat, præcipuè verò qui Turcarum nouis conatibus reſiſteretur, actum fuit: qui Hungaria, & bona Tranſſyluaniæ parte occupata non contenti vltra ſemper progredi, & caſtellum in Viennenſis agri finibus, quod iam ſemel Chriſtiani diruerant, inſtaurare nitebantur. Quod vt impediret Maximilianus Bohemiæ Rex cum copiis illuc contenderat: ad hunc conuentum omnes Chriſtiani principes conuocati erant, vt rem communem aduerſus communem hoſtem communibus impẽſis atque armis iuuarent, quorum potentiſſimi Henricus, ac Philippus ſe mutuis bellis exhauſerant. Poſt Mariæ Reginæ Angliæ mortem è ſtirpe Regia proxima Iſabella erat: ſi quidem liberi nothi legitimorum locum tenere debent; & in Anglia fœminæ non ſecus ac maſculi regno ſuccedũt. Itaque ne maior ſeditio excitaretur, hanc potius deligendã quam remotiores cognationes quærendas Angli exiſtimarũt: præſertim quod hanc Henricus pater

Eduardo,

Digitized by Google

Eduardo, ac Mariæ ſubſtituiſſet hæredem. ſed magna nihilominus inter illos diſceptatio interceſſit: nam viri ſacrati, ac bona nobilitatis pars nihil in religione immutari, & Mariæ decreta obſeruari volebant: nec minores in populo factiones erant. Altera nobilitatis pars quæ Caluinianam perſuaſionem ſequebatur, & Iſabellam in eadem educatam ſciebat, & multas ſacras poſſeſſiones occuparat, Eduardi Caluiniana decreta renouari cupiebat. Reginam Mariam paucis poſt diebus ſequutus erat Cardinalis Polus è Regia Eboracenſi familia præcipuus antiquæ religionis aſſertor. Qui plurimum in Anglia poterant, & plurima è ſacris bonis inuaſerant Caluiniani erant: in ea perſuaſione educata erat Iſabella, & ſe legitimæ filiæ, aut hæredis in pellicatu nata inter veteris religionis profeſſores nomen obtinere non poſſe animaduertens, quanquam initio diſſimulabat, & ſe ordinum decretis parituram ſimulabat, in eadem perſeuerare decreuerat: populi magna pars Reginæ inſtitutum ſequi volebat.

Iſabella Caluinianam ſectam in Angliam reducit.

23 Hæc diſceptatio à Mariæ morte ad vndecimum Kalend. Februarij protracta eſt, quo die Londini in publico Anglorum conuentu ſolennibus ceremoniis inaugurata eſt: & mox fraternum edictum Eduardo Rege promulgatum paucis verbis immutatis renouauit. Aliquot poſt diebus confractæ à populo in templis diuorum imagines ac ſimulachra: ſolam Chriſti cruci affixi effigiem in priuato ſacrario retinuit, ac publicè retineri permiſit. Quinetiam ſacras poſſeſſiones inuaſit: vnde (vt quæ à nobilitate occupatæ erant in hunc numerum non includantur) ter centena quotannis nummûm aureorum millia in Regium ærarium intulit. Verumenimuero vt olim de auro Tholoſano, ſic de his ſacris poſſeſſionibus obſeruatum eſt, vt qui eas inuaſerint, in magnas calamitates incurrerint, aut etiam domeſticas atque hæreditarias vel amiſerint, vel prodegerint. Ex quibus tamen nouos quoſdam Epiſcopos & ſacrarum litterarum profeſſores inſtituit, ac ſtipendiis donauit: at tam exiguis vt vix ad tolerandum victum niſi admodum tenuem ſufficere poſſent. Sed quod magis mirum fuit, Anglicæ Eccleſiæ (vt loquuntur) hoc eſt, totius eius regni religionis princeps ſalutata eſt. O impudentiam muliebrem! mulier, quam in publicis conuentibus Paulus loqui vetuit: ſi quid diſcere vult, virum domi interrogare iuſſit, religionis princeps appellabitur? hoc nimirum nefas eſt: ſed ne ab hiſtoria ad declamatoriam tranſire videar, quanquam quæ ſcribo veriſſima ſunt, plura non addam. Ab hac inuitati finitimi Scoti præſertim Iacobi vltimi Regis filij nothi Caluinianam perſuaſionem apud ſuos quoad fieri potuit, diſſeminarunt, atque huius exemplo ſe id regnum inuaſuros aliquando ſperarunt. De quo aliquot poſt annis cum Maria Stuarda Regina decertarunt, & prælio victam in Angliam confugere coëgerunt: vbi decem & octo annos in cuſtodia habita tandem immani Iſabellæ æmulæ decreto capite mulctata eſt. Si enim leges ciuiles locum habuiſſent, Mariæ in regno Angliæ ſuccedere Stuarda debebat Henrici octaui ex ſorore proneptis; nec vlla Iſabellæ nothæ ratio habenda erat. Filium Scotorum Regem præclaræ indolis Stuarda reliquit, qui matris indignam mortem ſuo tempore fortaſſe vlciſcetur; & iam ſpecimen non obſcurum piæ ſuæ voluntatis dedit.

Sacrarum facultatum direptores malum ſemper exitum conſequi obſeruatur.

Iſabella totius Regni Anglici religionis princeps ſalutata.

24 Sexto Kalend. Februarij Paulus Pontifex antiquam ſacrorum miniſtrorum diſciplinam inſtaurare cupiens à ſeipſo, & à ſua familia initium ſumere voluit; atque in conſeſſu Cardinalium (in quem pleroſque Romanæ aulæ viros primarios, Camillum Vrſinum ſcilicet, Marchionem Monteſarchenſem, Ferdinandum Sanguineum vrbis præfectum, Pontificiæ Cameræ vicarium, ſeu vicegerentem (vt vocant) Datarium, & nonnullos prætcrea alios admiſit) vehementer de fratris filiis queſtus eſt: ita tamen vt eoſdem haud nominarit; quos honoratis muneribus à ſe condonatis priuauit. Ioannem Palliani regulum Pontificij exercitus, triremiúmque præfectum ea functione, & quod de Sfortianis diſceptatio erat, eam ad ſe reuocauit, omnibus item à ſe acceptis penſionibus. Antonium Montis Belli Marchionem Pontificiorum peditum tribunatu militúmque ad Pauli cuſtodiam attributorum cura, (nam Pontificij præfectus erat) omnibus pariter penſionibus: Carolum Cardinalem Carrafam omnibus muneribus, quæ ab ipſo impetrarat, Bononienſi legatione, omnibus quoque penſionibus. Præterea vt intra duodecimum diem ex vrbe excederent, iuſſit: omneis vrbium præfectos reuocauit: ſed ſtatim aut nouos ſubſtituit, aut veteres confirmauit. Tribus ſcribis, quos adeſſe iuſſerat, iniunxit vt quicquid dixiſſet fideliter exciperent, ac ſcriptis mandarent, iterum à ſuis incipere velle teſtatus, & Petrum Ludouicum Farneſium ſermonem ad * * Cardinalem S. Angeli conuertens in exemplum adduxit. Tum Camillum Vrſinũ omnibus, quæ ad bellum pertinebant, præfecit, addẽs vt qui Marchionis Monteſarchenſis, Ferdinandique Sãguinei opera vteretur, videret. Poſtridie omnibus ſui adeundi poteſtatẽ fecit, quod ſingulis mẽſibus ſemel factitare

Graues Pauli Pontificis de fratris filiis querimonia.

Digitized by Google

antea ſolebat: & iiſdem Camillo Marchioni, ac Ferdinando vrbis præfecto ſeuerè edixit, ne quis aditu prohiberetur, vt omnes negotia ſua explicarent: quibus quoad poſſet, ſatisfaciendum curaret. Deinde in æde D. Petri ſcrinium collocari iuſſit, cuius ſolus ipſe clauem haberet, in quod qui poſtulata ſua publicè explicare non audebant, libellos ſuos iniicerent quos poſtea videret. Nonnulla addidit, quæ ad ſacrorum miniſtrorum diſciplinam pertinebant vir pius, vita integer, ac valde eruditus: qui, niſi Italicæ factiones Pontificatus eius initium perturbaſſent, & præclara meditantem vitæ ſuæ timere, ac prouidere coëgiſſent, Reipub. Chriſtianæ multum profuiſſet. Decimo quinto Kalend. Martij Claudiæ Henrici Regis filiæ cum Carolo Lotharingiæ regulo nuptiæ magno apparatu, vt Gallis mos eſt, celebratæ ſunt. Eodem menſe ad caſtellum Cambriſium Henrici, Philippíque legati conuenerunt: qui tertius conuentus fuit. affuit & Chriſtierna, ac Carolus Lotharingiæ regulus eius filius quaſi pacis interpretes: ea videndæ nurus cupida filio perſuaſit, vt eandem illuc deduceret: quæ inde Montem vſque Hannoniæ oppidum, vbi tum Philippus agebat, deducta, humaniſſimè excepta & muneribus pretioſiſſimis donata eſt. Ad eundem conuentum Hauartium ſummum Regij cubiculi magiſtrum, ſiue præfectum, Epiſcopum quemdam, ac decanum (ſic principem eius collegij vocát) Cantorbienſem Iſabella Angliæ Regina miſit. Iam de omnibus pacis capitibus cum Philippo, & Allobroge Mommorencius clam conuenerat: nec fruſtra toties ab Henrico ad Philippum, viciſſim à Philippo ad Henricum miſſus, ac remiſſus fuerat: ſed ne ſolus culpam ignominioſiſſimi fœderis ſuſtineret, vt alij ſecum mitterentur, procurauit, & poſtremi huius conuentus initio frigidè admodum in ter repetitum opus incumbebat, homo in aulicis ſimulationibus, ac diſſimulationibus valde exercitatus. Legati Philippi de quibus cum hero ſuo conuenerat, certi, par pari reddebant. Se igitur Mommorencius non priuati commodi, ſed vniuerſæ totius Chriſtianiſmi tranquillitatis ergô pacem procurare aiebat: huc omneis vere Chriſtianos collimare debere, nec priuatæ ſuæ iacturæ habere rationem.

Hoc procemio vſus de matrimonio Philippi Regis, cuius Maria Angliæ Regina vxor 25
nuper deceſſerat, & Elizabethæ Henrici natu maximæ filiæ, atque Allobrogis, & Margaritæ eiuſdem Henrici ſororis agere cœpit: in his enim duobus matrimoniis pacis conciliatio conſiſtebat. Sed de reſtitutione vrbium, damnorum, quæ plerique principes, aut priuati homines huius aut illius factionis tulerant, de reducendis exulibus, de propugnatione nonnullorum, qui in his bellis alterius hoſtes fuerant, magna quæſtio erat: vbi Mommorencius ſe rigidiorem quam cæteri Henrici legati initio præbebat; ſed mox quaſi publicæ pacis contemplatione victus manus dabat. Quum in his ſimulatis diſceptationibus totum Martium menſem impendiſſet, & ſe ſocios Henrici legatos egregiè feſelliſſe exiſtimaret, tandem tertio Nouas Aprilis in hæc capita cum Philippi legatis conuenit: ſolus enim pacis conſtituendæ mandatum ab Henrico acceperat: quamuis Cardinalis Lotharingus propter ſuæ dignitatis gradum legationis princeps diceretur, & primo loco ſederet: verum in ſpeciem dumtaxat, vt cæteri, ad hunc conuentum miſſus erat. Adhæc omnia de quibus cum Philippi legatis conuenerat, vt Henricus rata haberet per Dianam facilè impetrabat.

Pacis inter Henricum ac Philippum icta capita.

1 Prima igitur huius fœderis conditio fuit, vt rata ſint, quæ inter Carolum Quintum Imperatorem, atque Henricum Galliæ regem pacta conuenta erant, quæ & poſtremo fœdere Vacculano confirmaſſent: niſi diſertè hac pactione reuocarentur, aut aliqua ex parte immutarentur.

2 Vt vterque Rex Concilium vniuerſi Chriſtianiſmi procuret, quo tot de religione diſſenſiones, diſſidiáque componantur.

3 Vtriuſque Regis populis obnoxiis aut clientibus, aut iiſdem alio iure addictis, ſiue viri ſacrati ſint, ſiue prophani, ſiue proſcripti, aut aduerſus dominos rebellarint, bellúmue geſſerint, amiſſas hoc bello poſſeſſiones repetere, iiſdémque frui fas eſto; ea tamen conditione ne fructus interea amiſſos repetere poſſint: licet hæ poſſeſſiones fiſco adiudicatæ ſint, aut publica auctione venierint: à qua Regia liberalitate Siculi, Neapolitani, Mediolanenſes exules excluduntur.

4 Vt alterna damna compenſentur, Henricus Philippo Theonuillam, Mariamburgum, ſiue Marianum Iuoium, Danuillarium, Mommidium, Valentium in Inſubribus, omniáque adeo caſtella, oppida, arceis, quas vel is vel eius pater cis, tránſue Alpeis occupauit, integra, vt ſunt, reſtituito, Iuoio excepto, quod in compenſationem Taroannæ euerſæ diruat. Philippus viciſſim fano Quintini (quam Auguſtam Veromanduorũ vocant) Hano, Caſtello

Caſtello ſiue Caſtelleto Taroannæ diœceſis ſolo Henrico cedat; ea tamen conditione, ne eam vrbem inſtaurare, aut aliam in ea vicinia exædificare poſſit.

5 Carcellenſem Comitatum Hiſdinúmque Philippus recipito. O ſtolidam Glauci, Diomediſque permutationem: quum ſola Theonuilla omnibus his à Philippo reſtitutis munitior, & momenti longè maioris eſſet: ſed ad alia longe maiora pergamus.

6 Franciſco Delphino Henrici filio Crepacorum, Totauillanis Paulinus Comitatus à Philippo: ab Henrico Bouinæ, Bullióque principatus Eburonum Pontifici, Mantuano Monferratenſis Comitatus, Liguribus Corſica inſula reſtituuntor. Cruningio nihilominus Crepacori, Marchianis Bullionis, Henrico, Philippóque Comitatus Paulini nomine ſuum ius integrum remaneto: quod ſi ita viſum erit, apud iudices, aut compromiſſarios arbitros perſequuntor.

7 Reſtituuntor & Allobrogi tota Sabaudia, Breſſanus ager, ſiue Comitatus, Subalpina prouincia, ea conditione vt munitiones à Gallis extructas, ſi ita viderit, Henricus euertat. Taurinum, Penarolum, Cherium, Ciuaſium, Villanouam Aſtenſem pignoris loco retineat, donec de auitæ ſucceſſionis iure, aliiſque aliquot controuerſiis ſelecti vtrimque arbitri pronuntiarint.

8 Poſtremo vt huius fœderis ignominia aliqua publicæ vtilitatis ſpecie tegeretur, Philippo Elizabetha Henrici maxima natu filia, Philiberto Emanueli Allobrogum regulo Margarita eiuſdem Henrici ſoror deſponſa eſt: illi quadringenta, huic trecenta nummûm aureorum millia in dotem dicta ſunt.

26 Hoc fœdus Mommorencij auctoritas concinnauit: quod nec Guiſanus, nec Briſſacus, nec cæteri viri militares approbare, aut ſubſignare voluerunt. Henricus autem Rex natura quidem probus, ſed ita Dianæ, Mommorencióque addictus vt ſe Regem eſſe non meminiſſet, & verè ſimplex vt Carolus Tertius dici poſſet, ſi id hac dictione Latinè ſatis exprimi poteſt, id fere ſolus cum Mommorencio ac Mommorencianis comprobauit, fati quod inde ſe maneret, ignarus. Auguſtam indictus erat Imperij conuentus in Kal. Ianuarij, quo Ferdinandus Imperator ſub finem Decembris appulerat, at quarto Nonas Martij duntaxat initium factum eſt. Ferdinando nouam dignitatem, Imperiíque maieſtatem Galli legati Regis nomine gratulati ſunt: quod à tanto Rege Imperator agnoſceretur, lætatus eſt, quem Paulus Quartus Pontifex maximus ſæpe rogatus talem agnoſcere detrectarat: ſuſpectos nihilominus legatos habuit, ne quid aduerſus ſe molirentur: in primis autem Maximilianus eius filius, quos eo acceſſiſſe, ne Romanorum Rex declararetur, ſuſpicatus eſt. Quapropter eos ſtatim dimittere Imperator cupiens, vt mandata ſua explicarent vrgebat: at illi donec principes coiiſſent, expectarunt: ac tum Viennenſis Pontifex in conuentum admiſſus orationem habuit, qua eleganter, vt eloquens erat, continuandæ inter Imperium, Imperiíque principes, ac Regem Henricum amicitiæ rationes explicauit. Conabatur Imperator, ac Philippus per Brabanſonem vt Galli legati cum frigido reſponſo dimitterentur, & vt Metis, Tullum, Virdunum, à Gallo Rege repeterentur; præſentem eſſe occaſionem vix vnquam fortaſſe redituram: quum Galliæ Rex pecunia omnino exhauſtus pacem centum & viginti vrbibus relictis redemerit. At Imperij principes Gallis legatis perhumanè reſponderunt: & quod ad treis illas vrbeis attinet, ſe apud Regem, quod æquitas & Imperij neceſſitas poſtularet, interceſſuros declararunt. Nonnulli ex illis erga Regem bene affecti legatos noſtros ſe aliter loqui non potuiſſe monuerunt, ne Imperij imminuti nullam curam habuiſſe videantur: ſed non eſſe cur Rex à Germanis inter ſe diuiſis, & Turcam ſibi imminentem metuentibus bellum ſibi impendere vereatur: nec Ferdinandum ipſum pecuniam in Turcicum bellum decretam in aliud non neceſſarium conuerti permiſſurum. Carolum Quintum Imperatorem Traiectum, & Cameracum, Ferdinandum Conſtantiam Imperij vrbeis in Germania ſitas & eodem ſermone vtenteis occupaſſe: nec quemquam de his repetendis verba feciſſe. Quid de Meti, Tullo, Virduno & ſitu, & lingua Gallicis timendum? & principes, qui ad Rhenum poſſeſſiones habent, huiuſmodi bellum penitus auerſaturos, ne eorum ditiones tam amicis, quam hoſtibus in prædam exponantur: omneis denique Imperij principes magis de his quæ poſſident, conſeruandis, quam de amiſſis repetendis laboraturos: præſertim quod Turca Auſtriæ immineat, Moſcouita Liuoniæ portionem inuaſerit.

Conuentus Auguſtani initium.

27 Quæ poſtquam Bordilio, ac Mariliacus ad ſanctius Regis conſilium retulerunt, communi ſententia decretum eſt, ne ſupra commemoratæ vrbes redderentur; niſi reſtitutis impenſis in earumdem propugnationem & bellum Germanicum factis, tum quum Imperij principes Regis opem implorarunt, eumdémque in Germaniam euocarunt. Senatus

Digitized by Google

Senatus Pariſienſis variæ claſſes.

Pariſienſis in varias diuiſus eſt claſſes, quas Cameras vocant: prima in quam antiquiores Senatores conſcribuntur, quod in Ludouici Pij atrio iudicia exerceat, magna Camera vocatur: ea quæ de criminibus cognoſcit, quod in palatij turricula Senatores coëunt, ibique Areſta ſua pronuntiant, Camera turriculæ appellatur: aliæ aliis de cauſis priuata nomina habent: nunc de duabus ſupra commemoratis agendum eſt. In his contraria de nouæ perſuaſionis reis ſenatuſconſulta fiebant: veteres Senatores primæ claſſis Regium caſtelli Briennij edictum ſequebantur; & nouæ perſuaſionis conuictos, ſi in ea perſeuerabant, morte plectebant. Turriculani (ſi ita loqui licet) qui ex variis claſſibus aſſumi ſolent, eoſdem exilio nonnunquam, nonnunquam pœna leuiore mulctabant. Quum de ea diuerſitate nonnulli apud Regem queſti fuiſſent, is primarios Senatores, quos præſides, & præſidentes vocant, & Regium cauſidicum, ac cognitorem, ſiue procuratorem acceſſiuit, & hanc iudiciorum diuerſitatem, inconſtantiámque in cauſa eſſe dixit, cur noua perſuaſio altius radices ageret, ac latius propagaretur, ſe ſatis multa ſuper hæc edicta promulgaſſe: viderent ne fruſtra promulgata, atque edita ferantur. Res ad vniuerſum Mercuriale concilium, vbi Senatores vniuerſi coire ſolent, relata eſt: quod ita appellatum eſt, quod huic Mercurij dies conſtitutus eſt, in quo de ſingulorum Senatorum moribus inquiritur. Si leuior noxa eſt, verbis caſtigantur: ſi crimen animaduerſione dignum deprehenditur, quæſtio decernitur: nec minus de ſingulis claſſibus, poſtremo de Senatu vniuerſo inquiritur. Quum hoc concilium ſub Aprilis finem haberetur, Ægidius Bordinus Regius cognitor hanc iudiciorum varietatem explicauit, & vt deinceps iudicia inter ſe conſentirent, & nouarum religionum conuicti extremo ſupplicio ex edicto caſtelli Briennij punirentur, poſtulauit: hic de nouis religionibus ſuſpecti (multæ enim ſectæ ſunt, ſed noſtri homines quotquot ab antiqua Romanæ religionis profeſſione defecerunt, fere omnes Caluiniani ſunt) diſſimulare amplius haud poterant; & quandoquidem liberæ ſententiæ erant, ſe prodere cogebantur.

Mercuriale concilium cur ſic dictum.

Edictum caſtelli Briennij hæreticos morte puniri iubet.

Quum ſinguli ſuo ordine ſententiam dicerent, nonnulli Regi ſupplicandum eſſe intulerunt, vt ex Baſilienſis, Conſtantienſiſque Concilij decretis Concilium vniuerſi Chri- 28
ſtianiſmi cogeretur: & de omnibus religionis controuerſiis fixa, ſtatáque ſententia ferretur, omnéſque peruerſæ ſectæ damnarentur, quemadmodum & altero nuper conſtitutæ pacis capite continetur: interim donec certa illius concilij decreta edantur, ſupplicia differrentur. Hoc erat liberam cuique ſuæ religionis profeſſionem relinquere: quanta enim diligentia id concilium Carolus Quintus Imperator potentiſſimus procuraſſet, nec quicquam profeciſſet, omnes nouerant. Et quamuis ij Reges in ſuis regnis, prouinciíſque ſibi obnoxiis id præſtare fortaſſe poſſent: at qui Germanos multum inter ſe diſſentienteis cogerent? quos Carolus tantus Imperator cogere nunquam potuit, & dum cogere conaretur è Germania pulſus eſt, iniquum tandem fœdus inire cum iiſdem coactus: tanto minus id præſtabit Ferdinandus, qui vt Turcis reſiſtat, à Germanis auxilia quaſi ſupplex implorare cogitur. In ea tamen ſententia Arnaldus Ferrerius iureconſultus eruditiſſimus, qui magna ſui nominis gloria ius ciuile aliquot annos Tholoſæ profeſſus erat, atque Antonius Fumeus fuerunt: quæ ſtatim ad Regem tum Lutetiæ agentem delata eſt magna cæterorum querimonia, qui id contra iuſiurandum quod dum in eum ordinem recipiuntur, præſtare ſolent, ne qua ſententia extra Senatum detegatur, factum contendebant: quamquam enim Rex, & quæ ad Regem pertinent, excipi debent, tamen donec omnes ſententias dixerint, eæque fixæ, ac certæ declaratæ ſint, vnicuique ſuam retractare licet. Alij merito primarios Senatores id Regi indicaſſe aiebant: niſi enim indicaſſent, maior pars in nouam perſuaſionem profitentium ſententiam pedibus ibat, & ſecundum eam ſenatuſconſultum pronuntiatum fuiſſet: nouarum religionum authores aut profeſſores nullam Regiorum edictorum habere rationem: ſi hæc libertas illis concedetur, de antiqua religione prorſus actum eſſe. Inde accenſus Henricus ad Senatum ipſe quarto Iunij Idus acceſſit, qui tum in Auguſtiniano cœnobio habebatur: nam palatium in filiæ, ſororíſque eius nuptias omni magnificentia ornabatur. Aderant ſimul Lotharingus, Guiſanúſque Cardinales, Mompenſerius, Rochaſurio, Guiſanus reguli, Mommorencius equitum magiſter, Cardinalis Senonenſis, & plerique alij viri illuſtres.

Tum Henricus, quandoquidem ſibi pacem tam arctis affinitatibus confirmatam, vt 29
eam perpetuam ſperare debeat, Deus Optim. Maxim. condonauit, nihil ſe viciſſim Deo acceptius facturum exiſtimare ait, quàm vt alteram pacem, quæ potior eſt, hoc eſt, vnicum in religione conſenſum procuret reiectis impiorum hominum ſectis in totius Chriſtianiſmi ruinam introductis: velle igitur ſcire, quæ Senatus ſententia ſit, quam, ſi è Rep. erit,

Digitized by Google

An ſupplicium de nouis ſectariis ſumendũ, variæ ſententiæ.

erit, ſua præſentia atque authoritate confirmet. Intelligere præterea velle cur quatuor homines impios nouarum ſectarum conuictos, & in iiſdem perſeueranteis Senatus ſine ſupplicio dimiſerit, nec edictum ſuper hiſce nouæ religionis profeſſoribus nuper conſcriptum promulgarit. Tum Cardinalis Senonenſis ex Regis mandato, vt ſententias in Mercuriali concilio de religione nuper inceptas perſequerentur, edixit. Coram Rege Claudius Violla, vt concilium procuraretur ne ſemper in incerto viuamus, Anneus Burgus, ac Ludouicus Faurus idem de concilio, ſed & vt reorum ſupplicia interim differrentur, ſuaſerunt. Gaſto Grius vt ſex menſes reis condonarentur: his elapſis niſi reſipiſcerent, exilio mulctarentur, & omnem ſupellectilem ſecum auferrent. Alij vt Regium edictum obſeruaretur, quod in noua perſuaſione perſeuerantibus extremum ſupplicium imponit: ** Harlæus ac ** Segnierius Senatum ſemper ex iure, & æquo iudicaſſe, & vt iudicia ſua Deo Opt. Max. Regi, ac populo accepta ſint laboraturum. Chriſtophorus Thous Regium cognitorem, cauſidicóſque merito argui poſſe, qui ſenatuſconſulta corrigere, atque emendare conentur. Bailletus ſenatuſconſulta de quibus Regius cognitor queritur, expendenda iterum videri. ** magiſter primæ claſſis, ac totius Senatus princeps, & Antonius Minardus Regium edictum omni ex parte obſeruandum exemplo Philippi Auguſti, qui ſexcentos damnatarum ſectarum conuictos eodem die cremari iuſſit, & recenti Valdenſium qui Franciſco Primo rerum potiente in ſuis caſis, domibúſque ſuffocati ſunt, in memoriam reducto. Sententiis omnibus dictis Cardinalis Senonenſis ad Regem acceſſit, qui eos qui ipſum ſequuti erant, ac primarios Senatores accerſiuit: quibuſcum communicato conſilio omnes in ſuas ſedes reuerterunt. Tum Senonenſis vni ex quatuor Senatus ſcribis, qui ſingulorum ſententias exceperat, vt eas legeret, innuit: vbi lectæ fuerunt, eas Rex ſibi tradi iuſſit, & mox Senonenſi tradidit; & conuerſus ad Senatores ſe à nonnullis audiiſſe dixit in eo Senatu eſſe aliquos qui ab antiqua, & vera religione ad nouam & impiam defecerint: id nunc ſe percepiſſe magno ſuo cum dolore: itaque vt probos ſolita humanitate complecti, ac fouere, ſic improbos vt merentur, punire deſtinaſſe.

Tum Mommorencio equitum magiſtro vt Ludouicum Faurum, & Anneum Burgum prehenderet iniunxit: quos ille Mongomerio Comiti prætorianorum hippotoxotarum alæ præfecto tradidit, vt in Baſtiliam arcem ad Antoniani vici portam ſitam deducerentur. Quin & vt Arnaldus Ferrerius, atque Antonius Fumeus, Nicolaus Valla, Claudius Violla, Euſtachius Portanus prehenderentur, iuſſit: ſed Ferrerius, Valla, Violla ſe ſubduxerunt, cæteri in cuſtodiam dati ſunt: quibus decimorquarto Kalend. Iulij ** à fano Andreæ, Ioannes Iacobus ** Meſmeus ſupplicum libellorum magiſter, Ludouicus Gaianus, Robertus Boëra Senatores, Pariſienſis item Pontifex, ac Démochares religionis quæſitor dati ſunt, qui illo ipſo die Burgum omnium pertinaciſſimum interrogare voluerunt: at ille Pariſienſium Senatorum priuilegium obiecit, qui niſi à cuncto Senatu diiudicari non debent, nec ab aliis interrogati reſpondere coguntur: ſed diploma ſtatim à Rege impetratum eſt, quo apud eoſdem reſpondere, & iudicium accipere teneretur, alioqui impoſitorum ſibi criminum conuictus cenſeretur. Multis itaque actis iudiciariis interiectis tandem Pariſienſis Pontifex Burgum nouæ perſuaſionis conuictum declarat: ſacris ordinibus, quibus initiatus erat, Diaconatu ac Subdiaconatu abdicari, & Regiis miniſtris tradi iubet: multis prouocationibus interiectis, & reiectis tandem duodecimo Kalend. Ianuarij vt viuus crematetur, Pariſienſis Senatus decreto ſancitum fuit. Quod ita executi ſunt, vt antequam crematetur, ſtrangulatus ſit iudicibus id hominis eruditioni condonantibus: quamuis Palatinus ſeptemuir eum ſibi condonari vt ſacras litteras in ſuo principatu profiteretur magnis precibus poſtulaſſet: cæteri ob rerum mutationem & ſeditiones conſequutas ſupplicium effugerunt. Paulò ante, hoc eſt decimoquinto Kalend. Ianuatij Antonius Minardus è palatio rediens non procul à ſua domo in veteri templi vico ſub horam ſextam verſpertinam breuis ſclopeti glande cæſus eſt: nec certo cædis huius auctor reperiri potuit. Stuardus quidam natione Scotus ex prætorianis hippotoxotis hoc nomine captus quæſtioni addictus eſt, & quum nihil inde elici poſſet, poſtea dimiſſus. Is Cardinalem Andreanum in Scotia prodiderat, & Lutetiæ carceribus ignem immittere, vt inde Caluinianos in cuſtodiam datos eliceret, conatus erat. Id fere temporis Iacobus Spifamius Niuernenſis Pontifex ſe clam è Gallia ſubduxit, & Geneuam ſeceſſit, vt prehenderetur, Senatus Pariſienſis decreuerat. Quamuis autem hæc grauia edicta in Caluinianos identidem repeterentur, ij tamen Lutetiæ in Germani ſuburbio clam conuentum quinto Kalend. Iunij egerunt: quam Synodum vocant, & quædam ſuæ perſuaſionis

Grauia Henrici in Caluinianos edicta.

Digitized by Google

perſuaſionis decreta à ſuis obſeruanda ſanxerunt: & vt nonnulli Germani principes ad Regem legatos mitterent, impetrarunt, ſuaſuros vt à Caluinianorum ſuppliciis abſtineret; quos Henricus ſuo more humanè excepit, & ſe viciſſim per legatos reſponſurum præfatus dimiſit: nec minus tamen in ſuo inſtituto de puniendis nouarum religionum profeſſoribus perſeuerauit.

Magna interim in Gallia Subalpina de reſtituendis vrbibus fœdere comprehenſis diſceptatio fuit; & quod Briſſacus non ſecus, ac Guiſanus ab hoc capite plurimum diſſenſiſſet, idcirco Mommorencius, ac Diana nonnullos qui eius actiones obſeruarent, eò miſerunt, & ne pecuniam Regiis mandatis implendis neceſſariam acciperet, perfecerunt: vt aliquas mox aduerſus illum calumnias ſtruerent, Regémque paululum ab eodem abalienarunt, ad quem reuerſus nihilominus in priſtinam gratiam reſtitutus eſt. Quinetiam Henricus Guiſano ſuadente Caſtilionem Amyralium vt Picardiæ adminiſtratione illi cederet, coëgit: quod in ea adminiſtranda negligentior fuiſſet, & primam Quintinianæ pugnæ, iniquóque fœderi ineundo cauſam dediſſet: id Condeus iniquè tulit, vel quod Rege Nauarræ fratre ſponte cedente, vel quod hoc reiecto eandem adminiſtrationem non accepiſſet. De pace conciliata ſcripſimus, quam matrimonia ſupra commemorata confirmare debebant: Lutetiam hoc nomine Albanus regulus Guilielmo Naſſauo Arauſio principe, Amurate Ecmundano Comite maris præfecto, aliquótque viris Flandriæ primariis comitatus Iunio menſe acceſſit: vt Elizabetham Henrici filiam Philippi Regis procurator vxorem duceret, incredibili apparatu, pompáque peracta res: quamquam tantos ſumptus Regium ærarium exhauſtum ferre non poterat, mutuáque pecunia quærenda erat. Sponſam in Mariæ ædem quæ Pontificia, & totius vrbis maxima eſt, Rex pater deduxit, omnibus Regiæ ſtirpis, cæteriſque principibus, ac totius prope Galliæ viris illuſtribus comitatus. Aderat etiam Allobrox paucis poſt diebus Henrici ſororem vxorem ducturus: liturgiam & matrimonij ceremonias abſoluit Carolus Cardinalis Borbonius, totúſque dies lætitiæ datus: ſed inter lætitiæ oſtentandæ ſigna ludicrum certamen equeſtre Henricus indixerat, corpore valentiſſimus, & equitandi peritia nulli ſecundus. Is Franciſcum Lotharingum Guiſanum, Alphonſum Ferrarienſem, Iacobum Nemorenſem regulos ſecum aſſumpſerat, & omneis quotquot decertaturi erant, excepturus erat. Quum lanceas aliquot confregiſſet, nec amplius decurrere decreuiſſet, Gabrielem Mongomerium Comitem forte conſpicatus (cuius pater veteranus præfectus inter certaminis arbitros conſtitutus erat) aduocauit, & vt lanceæ periculum faceret, iuſſit. *Hēricus lanceæ ictu moritur.* Ille poſt aliquas excuſationes contra ſtetit; & tanto impetu concurrerunt, vt lanceis fractis lanceæ fragmentum in dextrum Henrici oculum ita penetrarit, vt occiput inde læderetur; & cerebro concuſſo apoſtema (vt Græco verbo vtar) ſeu vomica inde emanarit, atque ægrotum vndecimo poſt die, hoc eſt ſexto Idus Iulij confecerit. Natus erat pridie Kalend. Aprilis anno huius ſæculi decimonono, qui dies tum Ioui dicatus erat: vixit annos triginta nouem, menſes treis, dies decem. Duodecim annos, totidem menſes, & dies regnauit: natura probus, atque humanus, verum ita familiaribus addictus, præſertim Dianæ & Mommorencio, vt illi ex ſuo arbitrio imperarent.

Interim dum is ægrotaret Allobrox ne in patrimonium reſtitueretur caſu hoc inopinato veritus, Margaritæ Henrici ſororis nuptias vehementiſſimè procurabat: quæ biduo ante eius mortem nulla lætitia, nullis ceremoniis adhibitis celebratæ fuerunt. Nec dubium eſt, quin fœdus iniquiſſimum Henrici morte interruptum fuiſſet, niſi ſimul ſeditionum maximarum ſuborta initia fuiſſent. *Franciſcus II. eius ſucceſſor.* Franciſcus huius nominis ſecundus Galliarum Rex decimumquintum ſuæ ætatis annum, & ſex præterea menſes duntaxat impleuerat menſe Ianuario anno huius ſæculi quadrageſimoquarto natus: regni adminiſtrationem Antonius Borbonius Rex Nauarræ in tenera Regis ætate aucupabatur: in quem Caluiniani omnes (nam eandem religionis perſuaſionem profitebatur) ac Mommorencius equitum magiſter, Caſtilio Amyralius, Andelotus Gallorum peditum tribunus cum Condeo eius fratre affinitate coniuncti propendebant. Hi Nauarrum vt regni adminiſtrationem ſibi vendicaret, & Guiſanum eiúſque fratres externos principes (ſic enim illos vocabant) è Gallia pelleret, incitabant: atqui Lotharingiæ reguli, vnde Guiſani oriundi ſunt, à Carolo Lotharingiæ Duce, quem Ludouico Lotharij fratris filio mortuo de Galliæ regno contendentem Hugo Capetus pugna ad Laudunum commiſſa ſuperauit, & Lauduni Aſcelini Epiſcopi proditione captum vſque ad eius mortem in cuſtodia habuit, originem trahunt. Guiſanus quem maior nobilitatis pars virtutis admiratione ſequebatur, & Nauarrum Caluinianum, ac Mommorencium ignominioſæ pugnæ, aut potius fugæ (pauci enim dimicarunt)

Digitized by

dimicarunt) fœderiſque authorem oderat, tum popularium, vrbiúmque magnarum ſtudia confirmabant, regni procurationem nihilominus aſſumpſit, quod Rex pubertatis annos egreſſus, & maritus regnum ipſe ſuo nomine ex antiquis Gallorum legibus adminiſtrare debebat; & has Mommorencij aulicas machinas facilè contempſit: nihil tamen in fœdere immutandum cenſuit, ne in hac Regis ætate tot externos, domeſticóſque hoſteis ſimul haberet: & Regium ærarium exhauſtum erat, vt ſine magnis populi querimoniis pecunia in bellum confici non poſſet.

33 Henrico mortuo Franciſcus Secundus Rex cum fratribus in Luparam arcem ſeceſſit: quem duæ Reginæ mater atque vxor, Guiſanus item, ac Carolus Cardinalis, cæteríque fratres ſequuti ſunt: curam paterni cadaueris Mommorencio equitum magiſtro, Sanctandreano, aliiſque Mareſchallis, Caſtilioni Amyralio, & multis Regiæ ſocietatis equitibus reliquit. Diana Pictauienſis quæ ignominioſi fœderis princeps cauſa fuerat, è Regio comitatu pulſa eſt: cui gemmarum Regiarum pretioſa ſupellex & ab Henrico ante credita ablata eſt: & niſi Aumalius eius gener apud Guiſanum, Cardinalémque fratres obſtitiſſet, longè grauiores inſatiabilis ſuæ auaritiæ, conflatíque recentis fœderis pœnas dediſſet. Huic Henricus Chenunceam amœniſſimam domum * * fluuio impoſitam, ſupra cuius infimos fornices fluuius ipſe fluit, dono dederat. Catharina Medicea Regis mater Calmontium inter Bleſias, atque Ambaſiam Ligeri imminens Ambaſianorum quondam, qui ſub Ludouico Duodecimo Galliam prudenter adminiſtrarunt, fundum redemit, & cum Chenuncea permutauit. Bertrandus exauthorato Diana vehementer inſtante * * Oliuario viro prudente Regij ſigilli magiſter creatus, Oliuario in integrum reſtituto cedere coactus eſt, Romam Cardinalis veluti relegatus. Hunc è Tholoſano Senatu euocatum Mommorencius in aulam Regiam induxerat: cui ſe, & mox Dianæ totum deuouerat, homo nimirum hoc magiſtratu indignus. Regij ærarij præfectus erat Auanſo, qua functione motus eſt; nec tamen à Regio conſilio repulſus: tametſi Romæ Regius legatus ineptè, auaréque ſe geſſerat, nec ingenij acie præſtabat. Seceſſit & à comitatu Regio Sanctandreanus Mareſchallus: quamquam aliquanto poſt in Guiſanorum gratiam rediit. Huius auaritia in primis damnata eſt, cuius diuitiæ Regia liberalitate ad ſexaginta nummûm francicûm millia in ſingulos annos auctæ ferebantur. Octauo poſt Henrici mortem die Mommorencius equitum magiſter Henrici Regium ſigillum Franciſco filio reddidit; & ſe longa ætate confectum Regem adoleſcentem huc illuc aſſiduè ſequi, & negotiorum pondus, vt ſub patre obire iam non poſſe declarauit: excuſaret extremam ſuam ſenectutem; quam tamen non ſecus ac Franciſco, Henricóque patri florenteis annos, illi deuoueret. Accepit excuſationem Franciſcus, & ſe iam id præmeditatum Cardinali Lotharingo Regij ærarij, Regiorúmque negotiorum curam, Guiſano rerum bellicarum delegaſſe dixit, quos vxoris ſuæ auunculos fidam ſibi operam nauaturos ſperat. Vetus iam Galliæ mos eſt, vt ſupremi Senatus viros ſui collegij primarios ad nouos Reges legatos mittant nouam illis Regiam maieſtatem gratulaturos, & ad quos maiora negotia, quæ cum Rege communicanda erunt, dirigant cogniturós; quibus Franciſcus huiuſmodi procurationem Cardinali Lotharingo, Guiſanóque eius fratri commiſiſſe declarauit. Condeus princeps, ac Rochaſurio in Flandriam miſſi ſunt: ille vt pax à Philippo confirmaretur, hic vt torquem Michaeleæ ſocietatis ad eumdem Regem deferret. Nec ita multò poſt Cardinalis Borbonius, atque idem Rochaſurio Elizabetham Regis ſororem in Hiſpaniam deduxerunt.

Diana Pictauienſis Regia pellitur.

Elizabetha Regis ſoror in Hiſpaniā deducitur.

34 Iudiciarij magiſtratus quemadmodum ſub Franciſco Primo atque Henrico Secundo venales fuerunt: Roma, quo inuitus Mommorencio procurante miſſus erat, reuocatus Cardinalis Turnonius, vir in rebus conſilio gerendis exercitatiſſimus, vt ſanctiori Regis conſilio intereſſet. Pecuniam, quæ pro magiſtratuum, quæ officia vocant, pro priuilegiorum vrbibus conceſſorum, pro communitatum, ſi ita vocare licet, hoc eſt, agrorum in commune aliquibus conceſſorum confirmatione penditur, quam Franciſcus Primus Ludouicæ Sabaudianæ matri, Henricus Dianæ condonarat, Franciſcus Catharinæ matri largitus eſt. Hæc olim quum filius Regi parenti in regno ſuccedebat, non pendebatur: eadem enim filius, quæ pater, ſuis popularibus iura conſeruare ac relinquere tenetur: at quum nullis relictis maribus liberis Rex decedebat, & alius ex cognatione Regia per lineam collateralem (vt vulgo loquuntur, ſic enim lex Salica iubet) tum Rex nouus magiſtratuum, priuilegiorum, communitatum confirmandarum ius ſibi vendicabat. Itaque Franciſcus Primus ſuo iure eam pecuniam matri condonauit: Henricus ac Franciſcus Secundi cum popularium ſuorum iniuria ille Dianæ, hic matri conceſſit. Edictum decimo-

quinto

Digitized by Google

quinto Kalend. Septembris promulgatum fuit, quo Regium patrimonium quauis ratione abalienatum ad ſceptrum Gallicum rediret: niſi in dotem Catharinæ matris, aut aliarum Reginarum, filiarúmque è Regia ſtirpe nuptarum tranſlatum fuiſſet: quemadmodum Renatæ Ludouici Duodecimi Regis filiæ Carnutenſis Ducatus ac Giſortius Comitatus, & alij aliquot fundi, Margaritæ amitæ Allobrogis vxori Bituricenſis Ducatus, Remorentium atque alij quidam fundi; quæque Heleonoræ Franciſci ſui vxori condonata erant, quibus Maria Emanuelis Luſitaniæ Regis, atque eiuſdem Heleonoræ filia adhuc fruitur. Excepit præterea ab hoc edicto fratrum ſuorum aut filiorum, ſi quos illi diuina prouidentia concedet, patrimonia, & quæ ob huius regni tuendi vrgentem neceſſitatem vel oppignerata, vel auctioni expoſita fuerunt. Promulgatum eſt edictum, & aduerſus nouarum ſectarum profeſſores, cuius ſupra mentionem fecimus, & alia quædam perutilia, quæ tamen noſtro more vix annum integrum obſeruantur: ea Regiorum magiſtratuum negligentia eſt.

Sub Idus Septembris Remos Franciſcus Rex iter inſtituit: vbi decimoquarto Kalend. Octobris Cardinale Lotharingo liturgiam obeunte ſacris Regiis initiatus eſt; & aurei velleris inſigne (quem vulgo ordinem appellant) accepit cum Philippo Hiſpaniæ Rege ſororis viro amicitiam magis confirmaturus: qui iam torquem Michaeleæ ſocietatis acceperat. Inde Barrum Barrenſis Ducatus metropolim vbi Michaelea celebrauit; deinde Bleſias contendit, vbi alia edicta in Caluinianos edidit, & in vnoquoque Galliarum Senatu nouam claſſem, quæ de criminibus ad religionem pertinentibus cognoſceret, nec alia iudicia exerceret, inſtituit; quas Cameras ardenteis vocarunt: quod Caluiniſmi conuicti ſi in ſua perſuaſione perſeuerabant, flammis cremandi condemnabantur. Mommorencius Guiſanum, fratreſque Reginæ auunculos ſibi inimicos metuens vbi de Henrici vita medicos deſperare animaduertit, Maram Regium inferioris ordinis cubicularium ad Nauarrum miſit, hortatus vt quam ocyſſimè Lutetiam accederet regni adminiſtrationem ſuſcepturus, quam ſuo iure in tenera Regis ætate ſibi vendicare debet, Henrico cognatione proximus: ni properet, Guiſanum, fratreſque externos principes contra antiqua regni priuilegia eandem occupaturos. Nec tamen ille ſe commouit, vel quod Guiſanum ab vniuerſa propemodum nobilitate plurimum diligi, vel quod ſe præcipuis Galliæ ciuitatibus propter Caluiniſmum odio eſſe nouerat, vel quod Mommorencio non ſatis fidebat, qui recenti fœdere ineundo nullam eius rationem habuiſſet. Verum paulò poſt à Condeo fratre, Rochaſurione, Caſtilione Amyralio, Andeloto peditum tribuno, Caluinianiſque ſuppliciorum metu ad illum confugientibus excitatus rem accuratius perpendit. Conſilij eius princeps erat Mimatenſis Pontifex Antonij Prati Franciſci Primi Cancellarij filius nothus, * * Chabotus Iarnacus, Eſcarſius, Buchardus Cancellarius: hi vt magna celeritate ad nouum Regem quanta poſſet virorum nobilium multitudine ſtipatus adiret, cenſuerunt: ſi vis fieret, aliunde vires illi acceſſuras. Id ſtatim ad Guiſanum, Cardinalémque fratrem delatum eſt: quapropter edictum promulgatum fuit, quo pœna capitis indicta vetabatur ne quis longos, aut breues ſclopetos, aliáve arma militaria geſtaret. Hinc profectionem ſuam aliquantum Nauarrus diſtulit: præſertim quod nonnulli eius conſiliarij Philippum Hiſpaniæ Regem illi imminere aiebant, ſi quid arduum vi aggrederetur, in regni Nauarrici reliquias inuolaturum, exemplúmque Caroli Borbonij è Gallia pulſi afferebant: prudenter igitur ſe gereret, & cum Pontificiis, Caluinianiſque diſſimularet, vtrorumque opera, ſi res ita ferret, vſurus. Ita Pictauiam acceſſit, quò princeps Rochaſurio, Caluinianique miniſtri, præſertim Pariſienſes, Aurelianenſes, Turonenſes illi obuiam prodierunt, ſuadentes vt Regni procurationem in minore Regis ætate ad ſe iure delatam arriperet, & veram religionem pulſa idololatria inſtauraret. Ille ſe religionis nomine ad Regem adire reſpondit; idque in primis curaturum: nec tamen interim à Romana diſceſſurum, ſic ipſis facilius ſatisfacturorum. Ad fanum Germani Laij appulſus Rege venatum profecto vtramque Reginam ſalutauit: deinde Cardinalem Lotharingum, qui tum forte ibi aderat, adiuerant enim conſobrini: id Caluiniani moleſtiſſimè tulerunt. Regi è venatione reuerſo idem officium præſtitit: Guiſanum quoque adiit, quod Caluinianorum indignationem auxit: hinc * * Chabotus Iarnacus domum receſſit, qui aliquot poſt annis vt Sanctorum portus, ſiue Rupella à Rege deficeret, in cauſa fuit. Vbi aliquot dies ibi traduxiſſet, Rex illi eadem, quæ Mommorencio declarauit: conſilij ſanctioris, Regiorúmque negotiorum curam Cardinali Lotharingo, rerum bellicarum Guiſano vxoriis auunculis commiſiſſe: ipſum pro gradu quem gerit, & cognatione ſemper honorificentiſſimè culturum.

Nauarrus à Mommorēcio Lutetiā acceſſitus, & quem in finem.

Caluiniani

Digitized by Google

36 Caluiniani interim querebantur: is ſe erga illos bene affectum reſpondit: cæterum omnem aulicum comitatum ſibi aduerſum eſſe. Se Mommorencij, ac Caſtilionis Amyralij aduentum præſtolari: at illi quod ſe tam frigidè in rebus minoris momenti geſſiſſet, in arduis ſegniorem futurum rati ſeſe non commouerunt. Igitur ad fanum Dionyſij conceſſit funus Henrico Regi de more facturus: mox Lutetiam reuerſus primariorum Senatorum, quos à ſe non alienos exiſtimabat, animos pertentauit: à quibus frigido reſponſo accepto nihil præterea aggredi ſtatuit: immo vero Franciſcũ Regem Rhemos ad ſacra Regia proficiſcentem comitatus eſt, quibus etiam interfuit. Rege ſolitis ſacris initiato Cōdeus quod Picardiæ adminiſtrationem non accepiſſet, Caſtilio Amyralius quod ea Briſſaco cedere coactus fuiſſet, Andelotus pertinaciſſimus Caluinianæ perſuaſionis aſſertor, aliíque eiuſdem factionis libellos famoſos aduerſus Guiſanam familiam ſparſerunt; aduerſus quam Mommorencio non ignaro coniurare cœperunt, quanquam is nunquam à Romana religione defecit: ſed quod & equitum, & Regiæ familiæ magiſter altero magiſtratu Guiſano cedere coactus erat, in cuius compenſationem nihilominus Franciſcus Mommorencius eius filius Mareſchallus declaratus fuerat, & quod non eadē, qua ſub Henrico authoritate præſtabat, Guiſanam familiam ſuggillari, aut in inuidiam trahi non moleſtè ferebat. Hinc vt ſeditionum initiis occurreretur, Philippus Hiſpaniæ Rex horum certior factus literas ad Franciſcum Regem ſcripſit, quæ in ſanctiore conſilio Nauarro ibi ſedente lectæ fuerunt: quarum ſententia hæc fere erat, ſe intellexiſſe nonnullos ſeditionum occaſiones quærere quaſi iſtius regni adminiſtratio non bene curetur, aut quaſi eam ipſe præ ætate exercere, vel quibus volet, committere non poſſit, annos quibus antiquo Gallorum more ea Regibus attribui ſolet egreſſus, & iam maritus: quapropter ſe memorem Ludouicum duodecimum Galliarum Regem à Philippo auo Caroli patris tutorem teſtamento deſignatum, quod munus Ludouicus integra fide executus eſt, par pari redditurum, & pro eius conſeruanda authoritate vires omneis, vitámque adeo profuſurum: quadraginta bellatorum millia parata habere: quibus ipſe, vt volet, vtetur: ſe eius, regníque Gallici propugnatorem declarare: quemadmodum Ludouicus Caroli patris, eiúſque patrimonij propugnator, ac fidus tutor fuit. *Philippi ad Franciſcum literæ.*

37 His literis perterrefactus Nauarrus, & quod Philippus breui in Hiſpaniani ingenti claſſe nauigaturus erat, reliquiis regni Nauarrici timens eò redire properauit. Cui Guiſanus, ac Cardinalis frater deducendæ in Hiſpaniam Elizabethæ Regis ſororis cum fratre Cardinale & Rochaſurione munus dederunt: verum ipſe præceſſit; Elizabetha cum Cardinale Borbonio, & Rochaſurione principe ſequuta eſt. Proficiſcentem Franciſcus ac Catharina mater ad caſtellum Heraldi vſque ac Pictauiam comitati ſunt. Quum noua, & aſperiora in Caluinianos edicta proponerentur, & qui in clandeſtinis, aut nocturnis conuenticulis deprehenſi erant, ſine vllis iuris formulis ignibus addicerentur, Condeus princeps, ac Roia ſocrus & Caſtilio Amyralius eius frater de auctis Caluinianorum ſuppliciis apud Catharinam Regis matrem queſti ſunt: quibus ea remiſſum iri promiſerat, quod de Nauarro nihil amplius ſperabant: hanc à Guiſanis abalienare, & ad ſe pertrahere conabantur, quod & Mommorencius ante pertentarat. Illa inter diſſentienteis authoritatem ſuam creſcere, & confirmari animaduertens ab illis non aliena erat: at regni procurationem humili loco nata ambire non audebat: & Franciſcus Rex præclaræ indolis, cuius adoleſcentiæ moderandæ Iacobus Broſſianus Boius ac Sanſacus attributi erant, ille vir prudentiſſimus, & rerum bellicarum peritiſſimus, iſte ingenio turbido, ſed non malo, id non permiſiſſet: nam ſupra ætatem ſapere iam cœperat, vt mihi idem Broſſianus ſæpius confirmauit, eramus enim vicini ac perfamiliares; quem Regem ſine vllo vitio vocare identidem ſolebat: & corruptum hoc ſeculum, vitiíſque inquinatum tam probo Rege indignum eſſe aiebat: quicum nos etiam ſæpius præſertim apud Mariam Stuardam Reginam colloquuti ſumus, quæ Mariam Belcariam fratris mei filiam plurimum diligebat, cuius matrimonium cum Sebaſtiano Luceburgenſi Martigiarum ac Pontabriæ regulo conciliauerat. *Supplicia in Caluinianos aucta.*

38 Numeri ſuppliciorum augendi author fuit Ruſſangus quidam Pariſienſis aurifex Caluinianæ perſuaſionis deſertor, qui Caluinianorum miniſtrorum, cæterorúmque qui in his conuenticulis aſſidui erant, deſcripta nomina ad Sanctandreanum Senatorem primarium, & Democharem religionis quæſitorem detulit: ſociόſque ſibi adiunxit Claudium Dauidem eiuſdem artis aurificem, ac Georgium Renardum veſtiarium: at ſupplicia Henrici morte dilata ſunt; poſt cuius mortem quum noui Regis non eadem eſſet

 authoritas,

Digitized by Google

authoritas, longè magis quam antea tota Gallia Caluiniſmus augeri cœpit; quapropter
Cardinalis Lotharingus vt noua edicta promulgarentur, vetera renouarentur, curauit.
Itaque multi huius perſuaſionis in cuſtodiam dati ſunt; quorum quæſtiones Oliuarius
Cancellarius (quanquam de nouis religionis ſectis aliquando ſuſpectus) expendendas
ſponte ſuſcepit, & ad Regem ſanctiúſque conſilium retulit: & vt conuicti & in ſua perſua-
ſione perſeuerantes punirentur, cenſuit. Hinc Catharina Regis mater ad Senatores qua-
tuor claſſium nuper inſtitutarum, vt de his criminibus cognoſcerent, & ad religionis
quæſitorem ſcripſit, vt in conuictos acerbiſſimè vindicaret. Guiſanam enim factionem
longè potentiorem tum ſequebatur: Condeam ſiue Caſtilioniam imbecilliorem clam
bona ſpe alebat: duobus his Caluinianæ perſuaſionis principibus ad extremam huius re-
gni ruinam vſura ſi quando ſe maior occaſio offerret. Nec eam ſua ſpes fruſtrata eſt; vt

Pauli IV. Pontif. mors.

ſuo loco explicabimus. Tertio Idus Auguſti Paulus quartus Pontifex maximus vitam
cum morte commutauit: vir pius & doctus, qui niſi à Cæſarianæ factionis principibus
M. Antonio Columna, & Cardinale Sanfloro, Hiſpanis item Cardinalibus, & legatis in
bellum cum Cæſare, ac Philippo eius filio Pontificatus initio coniectus fuiſſet, multum re-
ligioni Chriſtianæ profuiſſet: verum in bellum pecuniam à Romanis extra ordinem exi-
gere coactus, & inquiſitione ferè Hiſpanica introducta ita illis odio fuit, vt poſt eius mor-
tem ſtatuæ ei in Capitolio dicatæ caput, manúſque abſtulerint: truncum fœdis excremen-
tis coopertum per vrbem raptarint: carceres inquiſitionis incenderint: omnia Carrafa-
rum inſignia, cæteráque monumenta eraſerint, vt nulla in poſterum eorum memoria ſu-
pereſſet. Paulum quidam octoginta treis, alij paulò plures annos vixiſſe ſcripſerunt: cui
ſucceſſit Angelus Mediquinus patria Mediolanenſis, humili loco natus, Mediquini Mar-
chionis Melegnanenſis frater, qui ob nominis ſimilitudinem ſe Mediceum appellari vo-
luit, & à Florentinis Mediceis ſe oriundum iactauit. Angelus igitur electione in quar-
tum menſem protracta tandem pridie Kalend. Ianuarij ſub veſperam Pontifex declara-
tus eſt, & Pius nuncupari voluit eius nominis quartus. Pauli quarti nepotes in cuſtodiam
tradi, & de criminibus illis obiectis quæſtione habita capitalem de iis ſententiam ferri
iuſſit; Carolo Cardinale in carcere ſtrangulato cæteri capite pœnas luerunt.

Hanc iuſtam mercedem vani homines, qui ingentium præmiorum ſpe à Gallo ad 39
Hiſpanos defecerunt, & Paulum patruum prodiderunt, ab Hiſpanis, aut Hiſpanicæ
factionis fautoribus acceperunt. Hic & ſuperior annus multorum principum morte in-
ſignes fuerunt: non ſolum Pauli quarti Pontificis maximi, de quo ſupra ſcripſimus, ſed
& Caroli quinti Imperatoris, Henrici ſecundi Galliæ, Chriſtierni & Chriſtiani Daniæ, ſi-
ue Danimarchiæ aut Daciæ Regum, Herculis ſecundi Ferrariæ, cui filius Alfonſus ſuc-
ceſſit, Laurentij Priuli Venetiarum Ducum, Heleonoræ Luſitaniæ primum, deinde Gal-
liæ, Mariæ Hungariæ Cæſaris ſororum, Mariæ Anglicæ, Bonæ Sfortiæ Samartiæ Regi-
narum, quorum nulli peſtifera lue perierunt: ſolus Henricus mortem violentam forte-

Philippi in Hiſpaniam nauigatio.

fortuna oblatam obiit. Philippus Hiſpaniæ Rex honorata, & ſibi perutili pace lætus ſe-
ptimo Kalend. Septembris Vliſſinga ſoluit, & in Hiſpaniam ſecundo Aquilone traiecit,
ac feliſſima nauigatione vſus Laretum Cantabrorum oppidum appulit; ſtatímque pulſo
Aquiloni Africus illuc nauigantibus aduerſus quaſi victor ſucceſſit, & multos menſes
mari imperauit; quod huius Regis felicitati quidam aſcripſerunt: ſi enim profectionem
ſuam tantillum diſtuliſſet, aut per Galliam tranſeundum, quod ſine magnis impenſis fieri

In Hiſpania noui ſectarij deprehenſi flammis adiciuntur.

non poterat, aut proximum ver expectandum erat. At Hiſpaniæ eius præſentia tum ma-
ximè neceſſaria erat: in quam multæ nouæ perſuaſionis ſectæ irrepſerant: itaque habitis de
reis quæſtionibus multi eodem Septembri menſe apud Hiſpalim concremati ſunt. Qui
à noua perſuaſione deſciſcebant, & ad veteres religionis ritus redibant, iis vita condona-
batur. Nec multis interiectis diebus ſequuto Octobri par aut fortaſſe grauius ſpectacu-
lum in Pintia valle editum eſt: quod Rex ipſe haudquaquam perſonatus oculis ſuis
contueri voluit: ibi multi clari viri etiam equeſtris ordinis (vt vulgus omittam) ad
ignem rapti ſuæ temeritatis pœnas dederunt: nec quemquam ætas, conditio, ordo, aut
ſexus excuſauit: eadem ſeueritate & in Gallia aduerſus eoſdem iudicia exercebantur. Sub
Decembris finem Elizabetha Hiſpaniæ Regina Pictauia profecta ad cœnobium Ronce-
uallenſe deducta eſt: inter Nauarrum, Carolum Cardinalem eius fratrem, Rochaſurionem
Franciſci Regis, & Cardinalem Burgoſium atque Infanteſquium regulum Philippi lega-
tos cõuenerat, vt Kalendis Ianuarij ad Pignonium in Pyrenæorum montium quaſi faſtigio
Hiſpanis Elizabetha traderetur: at cœli repentina mutatio, & aſſiduæ niues, gelúq; ne noſtri

vltra

Digitized by Google

vltra id cœnobium progrederentur effecerunt, quod Pignonio circiter bis mille paſſus diſtat. Hiſpani ad Eſpignale vltra Pignonium quatuor milliariis conſtiterant: & vt Hiſpani primos honorum gradus ſibi tribui volunt, Reginam medio itinere inter cœnobium, atque Eſpignale ſibi tradi poſtulabant: & quis in ea traditione primum dignitatis gradum teneret, diſceptabant, in quam diſceptationem quatuor, aut quinque dies conſumpti fuerunt. Nauarrus à ſtirpe Regia Gallo Regi proximus, & Regis nomen adhuc retinens, quanquam exiguam eius regni portionem tum poſſidebat, nemini ceſſit: & vt in ſupra commemorato cœnobio Regina traderetur, obtinuit: ceremonias (vt cum vulgo loquar) aut potius aulicam vanitatem, qua tradita eſt, ſigillatim enarrare longum, difficile, & fortaſſe ſuperuacaneum eſſet. Addam duntaxat Nauarrum Hiſpanis declaraſſe nuper initæ pacis tractatum non vſquequaque fuiſſe obſeruatum: quo Reginam in Galliæ, Hiſpaniæque confinio Hiſpanis tradi ſancitum eſt: at Ronceuallenſe cœnobium ſui regni portionem eſſe ab illis regnis ſatis procul diſtantem: ne id ſibi vllum vel nunc, vel in poſterum ſuis ſucceſſoribus præiudicium afferat, totum hunc conuentum atteſtari; cui modeſtè ſatisfactum eſt.

40 Quum Nauarrum Mommorencius ad inuadendam regni procurationem incitare non potuiſſet, à reipubl. curis ſemotus domi reſedit quaſi extremã ſenectutem in felici otio traducturus, nec quicquam aliud admodum ætate prouectus aggredi auſus eſt: at quid ſororis filij Caſtilio Amyralius, atque Andelotus peditũ Gallorum tribunus, & Roia eorum ſoror cum genero Condeo moliretur, non ignorabat: nec tamen ſe eorum conſiliis admiſcebat, infirmiores enim, quam vt inimicorum potentiam euerterent, exiſtimabat. Si quid autem proſperè ſuccederet, tum ſe authoritatem ſuam interpoſiturum ſperabat: Guiſanos enim veteres æmulos mirandum in modum oderat, quibus nuper ſummo Regiæ aulæ magiſtratu cedere coactus erat. Catharina Regis mater naturà diſſimulatrix Condeo clam, ac Caſtilioni fauebat rerum nouarum cupidiſſima, quibus authoritatem ſuam auctum iri prouidebat, & Guiſano tacitè, Cardinaliſque fratri inuidebat: Condeus natura leuis Picardiæ adminiſtratione Guiſani factione, vt coniiciebat, priuatus, quam velut hereditariam ambiebat, tametſi Carolus pater, atque Antonius frater mox Rex Nauarrus ea duntaxat functi erant, & à Roia ſocru Caluinianæ factionis patrona incitatus vt Guiſanos quamuis conſobrinos euerteret, nihil non audendum putabat. Caſtilio natura ambitioſiſſimus Guiſanorum opera eadem adminiſtratione priuatus hanc iniuriam vlciſci, & arduum quiddam patrare cupiebat. Andelotus Caluinianus quod ſuæ perſuaſionis nomine ab Henrico Rege in cuſtodiam datus fuiſſet, ægrè ferens, & vt ſuperioribus pareret, ſeſe illis dabat. Hi conſilia inter ſe, & cum Caluinianis, cæteriſque qui Franciſci Regis conſiliarios calumniabantur, nouámque regni adminiſtrationem damnabant ſub Henrico multis honoribus, vel muneribus ciuilibus aut bellicis functi nouarum rerum initia quærebant: quæ vt maiore cum authoritate ſuſciperent, Nauarro ſe ducem præbere ſi non aperte, at certè multis dilationibus recuſante, ducem Condeum ſibi delegerunt. Hæc poſt Franciſcum Regem inauguratum inter ſe conferre cœperunt; nec tamen niſi anni ſequentis initio qui ſexageſimus huius ſeculi fuit, executi ſunt. Nec illud prætereundum omneis iſtarum nouarum in religione ſectarum profeſſores tam Lutherianos, quàm Caluinianos, & aliarum ſectarum communi nomine Hugonianos appellatos, à Turonenſis vrbis porta quæ ab Hugone Rege olim ita denominata fertur: ad quam ſectarij iſti (ſi ita eos vocare licet) tam noctu, quàm interdiu conuenticula ſua faciebant. Antequam coniurati (ſic eos appello qui tam religionis, quàm publicæ rerum adminiſtrationis immutandæ ergo tumultum ciere decreuerant) vim facere inciperent, multos libellos famoſos locis publicis affixerunt: alios typis mandatos paſſim diuulgarunt, quibus pleriſque mendaciis inſertis Guiſanam familiam calumniati ſunt: Andegauenſem Ducatum prouinciæque Phocenſis Comitatum Henrico ſubtrahere voluiſſe, ſe vi pulſos, & vtriuſque poſſeſſione deiectos fuiſſe. Quin & maiora auſos, vt viri docti eorum originẽ ex hiſtoriis quærerent, & à Carolo magno oriundos declararent, perfeciſſe. Se inquam à Carolo Lotharingiæ regulo Lotharij Galliæ Regis fratre originem traxiſſe: qui Carolinæ familiæ vltimus ab Hugone Capeto, vt ſupra ſcripſi, ad Landunum ſuperatus fuit, & in cuſtodia diem ſuum obiit: quæ nimirum non alio tẽdebant, quàm vt Capitianos Reges ab illo Hugone Capeto oriundos, qui tot ſeculis in Gallia feliciter regnarunt, è regno exturbarent; & ad id quaſi poſtliminio redirent.

Caluiniana factio aduerſus Guiſanos.

41 Hæc illi ſuæ tragœdiæ quam mox deſcribam, veluti procœmia fecerunt: & Guiſanam familiam in inuidiam trahere, ac de regno inuadendo ſuſpectam reddere conati ſunt, vt facilius eamdem à regni adminiſtratione ſummouerent: quinetiam Elizabetham Angliæ

IIIi 2 Reginam

Reginam, vt Scotos bello infeſtaret, incitarant: vt ſi noua auxilia in Scotiam mitterentur, tantum de Guiſanorum viribus ſubducerent: ſi nulla mitterentur, in Elizabethæ Caluinianæ poteſtatem Scotia veniret, Guiſani amiſſæ Scotiæ ignominiam ſubirent.

Oliuerij Cancellarij edictū pro collatione munerum iudiciariorum.

Anno 1560.

Iudicum venalium improbitatem, ac rapinas ſatis perſpectas habens Oliuarius Cancellarius vt iis modum imponeret (nam vt huiuſmodi iudiciaria munera viris probis, & doctis condonarentur in tanta rei nummariæ penuria obtinere non poterat, quorum vendundorum conſuetudo ſub Franciſco Primo, atque Henrico Secundo iam inueterauerat) edicti author fuit, quo Kal. Ianuarij anno huius ſæculi ſexageſimo omnibus iudicum collegiis iniunctum eſt, vt vno ex ipſis vita functo cæteri de ſucceſſore deliberarent, & treis quos potiſſimum idoneos ducerent, Regi nominarent, nominationémque huiuſmodi à collegij ſcriba ſubſcriptam ad Regem mitterēt, vt ex tribus vnum deligeret, qui in demortui locum ſuccederet. Interim coniurati, quæ ſub finem anni ſuperioris machinati erant, acrius perſequi decreuerunt: & quod Nauarrus ſe ducem præbere noluiſſet Condeum ſuadente Caſtilione Amyralio vxoris eius auunculo ſibi delegerunt: verum quod nondum viceſimumquintum annum vel attigiſſe, vel impleſſe ferebatur, ſtatura autem puſillus, & membris tam exilibus erat, vt minor etiam videretur, ducem ἀνώνυμον eſſe diuulgarunt: mutum vulgo appellant, non qui loqui neſcit, ſed cuius nomen ſiletur, vt multis Nauarrum eſſe perſuaderent, qui nihilominus de nomine noſci adhuc nollet, vel vt Condeo magis cauerent, qui ſi res malè ſuccederet, tutius ſe ducem inficiari poſſet; vt etiam poſt inficiatus eſt. Huius ſe legatum geſſit Gotofredus Barrius Petracorius (qui Renaldius vulgo dictus eſt) ſed vt nomen celaret hoc munere ſuſcepto Foreſtanus nominari voluit: vir quidem nobilis & ingenio acer, ſed qui nullo adhuc militari, ciuilíve honorato munere functus erat, & in litibus bonam ætatis partem conſumpſerat; quas Claudius Guiſani pater Diuionenſibus Senatoribus aliquando commendauerat: aderam enim quū illi hoc nomine Renaldius gratias egit, & Tilletus Senatus Pariſienſis ſcriba eundem forenſibus artibus circumſcripſiſſe vulgo ferebatur. Renaldio idoneos comites Caſtilio Amyralius dedit, qui vnà Galliam penè vniuerſam luſtrarunt, & coniurationis ſementem iecerunt. Nam is totam coniurationem moderabatur, & diu peditum Gallorum tribunus fuerat, atque Andelotus frater, qui ei ſucceſſerat, nullóſque ſuis cohortibus fere præfecerant, niſi qui aut Caluiniani eſſent, aut eſſe ſimularent: quod magnum his ſeditionibus momentum attulit: Renaldius aliquot ante annis multas lites, vt dixi, cum Tilleto ſcriba pro nonnullis ſacerdotiis fratri collatis in diuerſis Senatibus agitatas diu perſequutus tandem falſi damnatus in carcerem coniectus fuerat: vnde corrupto pecunia carceris præfecto ſe ſubduxerat, Bernámque Heluetiorum profugerat omni fere patrimonio in ſupra commemoratas lites abſumpto ad extremam deſperationem adductus; quum Caſtilione procurante, & Mommorencio connitente diploma à Rege impetrauit, quo lis poſtrema deintegro cognoſci, & ſi quæ nondum cognita proferebat, vera eſſent, in integrum reſtitui iubebatur. 41

Coniurationis Caluinianæ dux cur anonymus dictus.

Hoc diploma quum exequi pararet, huius coniurationis initia iam facta intellexit, & Guiſanum, fratrémque Cardinalem ſubtimens Tilleto faueneis in eam totis viribus incubuit. Ad hæc priuatim Guiſanis, præſertim Cardinali Lotharingo infenſus erat, quod Gaſparem Huſſum Buium de prodenda Metenſi vrbe ſuſpectum clam acerba quæſtione excruciandum curaſſe ferebatur: quod Huſſus à Germanis principibus literas ad Nauarrum attulerat, quibus ad confirmandam nouam in religione perſuaſionem ſe, viréſque ſuas offerebant: earum quum reſponſum in Germaniam referret, interceptus, & in Vincenarum arcem concluſus eſt. Huſſus autem ac Renaldius duas ſorores Rogniaci viri nobilis filias vxores duxerant. Hic igitur & in Angliam ad comparandas inde vires; ac pecuniam nauigauit, & multas Galliæ regiones ad inſtruendam coniurationem peragrauit: vbi ſuæ induſtriæ id ſpecimen edidit, vt à Condeo legatus deſignaretur: quod munus ea conditione ſuſcepit, vt Condeus quum res aggredienda foret, in Regio comitatu adeſſet: id illi Condeus comitibúſque iureiurando ſanctiore confirmauit. Rebus igitur cum Condeo compoſitis ſuorum conuentum ex omnibus Galliæ regionibus ad Nannetes indixit, quod vrbs in extremis Galliæ finibus ſita eſt, vbi mercatores ex omni Gallia, Hiſpania, Flandria conuenire ſolent; & quod ibi Senatus haberi debebat; vt omnis ſuſpicio abeſſet, & nemo, quid machinaretur, deprehenderet: legatos enim ciuitatum, ac prouinciatum litigatorum ſpecie Kalendis Februarij in vrbem induxit, & litium ſacculos ſecum geſtare iuſſit: eodem & magna virorum nobilium multitudo acceſſit, quæ matrimonij cuiuſdam conciliandi ergo ſe coiiſſe ſimulabat: id enim Garaius 42

Conuenticulum fœderatorum Caluinianorum ad Nannetes indictum.

Renaldij ſocius natione Britannus ex eadem Britannia diuulgabat. Quibus omnibus conuentum eum legitimum eſſe perſuaſit ad ſummam Gallicæ Reipub. vtilitatem congregatum, eos trium Galliæ ordinum conuentum in extrema hac neceſſitate repræſentare; idque præclari huius conatus ducem confirmaturum: qua igitur ratione, quo tempore, quo militum numero arduum opus aggrediundum ſit, viderent: qui præfecti milites deducent, qui conſiliarij legato aderunt, quorum prudentia tota res ad exitum perducatur.

43 Tum recepto ab omnibus, datóque viciſſim iureiurando ducem, Condeum ſcilicet nominauit, & ſuæ legationis inſtrumentum protulit, cui ſex conſiliarij, triginta ex omnibus Galliæ regionibus ſelecti præfecti attributi ſunt: mirum tot ſtrenuos præfectos homini qui nullum adhuc honoratum munus militare geſſerat, paruiſſe: niſi rerum nouarum, hoc eſt prædandi inſana cupiditas, cui religionis noua perſuaſio ſpeciem quamdam præbebat, homines magna ex parte egenteis, aut qui bona ſua prodegerant, ad arma compuliſſet. Dies ad ſextum Idus Martias præſcriptus, quo Bleſis conuenirent: ibi enim Regem tum ſe reperturos exiſtimabant. Tum quingenti viri nobiles Condeo promiſſi, quem ad comprehendendos Guiſanos fratres comitarentur: comprehenſuros enim ſe, & vt ſuæ adminiſtrationis rationem coram iudicibus, aut in ſanctiore conſilio redderent coacturos coniurati diuulgarunt. At ſi viribus ſuperiores fuiſſent, haud dubium quin vtrumque immaniter trucidaſſent: quibus Franciſcum Regem, Stuardámque Reginam addidiſſent, aut ſaltem hanc ad Elizabetham Angliæ Reginam æmulam, & huius coniurationis conſciam miſiſſent: qui enim illis ſe reconciliaturos cæſis auunculis ſperaſſent? tyrannus ſæuiſſimus motus eſt, qui vbi hominem corripuit, ſi de vita agitur, & facultas datur, nemini vnquam parcit. Vaſcones Baro Caſtellonouanus, Cantabros Mazereus, Petracorios, & Lemouices Meſnius, Pictones, & Sanctones Vallius Brezeus, Andegauenſes Cheſneus, Caſtelleraldenſes, & finitimos Chireus, Normanos * * à fano Mariæ, Picardos Coqueuilla deducere debebat: aliis item regionibus alij præfecti deſignati ſunt: certus virorum nobilium numerus primarias vrbeis inſidere iuſſus eſt, ne illæ ſe commouerent, aut ne inde, aut ex finitimis agris vel auxilia, vel pecunia in bellum Guiſanis accederet omnibus aditibus intercluſis. Captis Guiſanis fratribus ſi qua vis fieret, pecunia, & milites ſummo duci ſuppeditarentur, donec legitima regni adminiſtratio conſtituta, & Guiſani fratres capti ex iure mulctati fuiſſent: omnes ſtatim domum redirent, & ſe ad ſuum munus ad præſcriptum diem implendum compararent. Hoc Nannetenſis conuentus à coniuratis habiti decretum fuit, vt etiam qui ex ipſis hiſtoriam populari ſermone ſcripſerunt, memoriæ prodiderunt: quamquam, vt dixi, non de comprehendendis, ſed de trucidandis Guiſanis fratribus ſummus illorum dux conſilium ceperat. Dimiſſo conuentu ſub Februarij finem Renaldius ad Condeum ire perrexit conuentus recentis decretum perlaturus, atque ad ſuos cogendos inde properauit.

Condeus cõiuratorũ princeps declaratur.

Delecti à cõiuratis, qui Guiſanos cõprehẽderent.

44 Quum Lutetiæ inſtitutum ſuum perſequens aliquot dies traducere conſtituiſſet, ad Auenelli cauſidici domum in Germani ſuburbio diuertit, qui aut Caluinianus erat, aut eſſe ſimulabat, & Pariſienſium more hoſpites præſertim Caluinianos domum recipiebat. Is quod tot Caluiniani, & toties Lutetiam irent, redirent animaduertens, & eoſdem neſcio quid moliri ſuſpicatus à Renaldij comitibus ſæpius, poſtremo ab ipſo ne ſe celarent, orauit, operam ſuam pollicitus: cui ille rem omnem aperuit. Tum verò Auenellus vel facinoris indignitate commotus, vel ne tot Caluinianis domum receptis læſæ Majeſtatis arceſſeretur veritus ſi coniuratio deprehenderetur, * * Alemanum Vouzeum ſupplicum libellorum magiſtrum qui Cardinali Lotharingo fuerat ab epiſtolis, & adhuc intimorum conſiliorum particeps erat, & * * Miletum qui Guiſano ab epiſtolis erat, adiit, atque illis quicquid didicerat, indicauit. Hi fidem primum illi adhibere non poterant; verum vbi Miletus domi apud Auellenum occultatus Renaldiorũ permulta colloquia exaudiuit, qui triumphum ante victoriam canebant, amplius dubitare deſiit, & quod coniurationis ad exitum perducendæ tempus inſtabat, Auenellum equis curſoribus Bleſias deduxit; at Regem in itinere offenderũt, vbi Guiſano, Cardinalique fratri coniurationis ſeriem, ac præcipuos duces Auenellus declarauit: inter quos neſcio quem nominauit, cuius frater Niuernenſis reguli domeſticus erat, à quo planius omnia didicerunt. Auenellus ſub cuſtodia Ambaſiam miſſus eſt: Rex in Vindocinenſem agrum venationibus commodum ire decreuerat: tanto diſcrimine obiecto Ambaſiam conceſſit, cuius arx ſatis firma eſt, oppidum anguſto ambitu circumſcriptum. Auenello quidam duodecim nummûm francicûm millia è Regio ærario, alij quadringentos nummos aureos datos ſcripſerunt: cum hoc Caluinianorum metu apud Metenſes exulante aliquot poſt annis dum Metenſi

Caluinianorum conſpiratio ab Auenello detecta.

Digitized by Google

Epiſcopatu fungeremur, ſæpius communicauimus, qui ſe non magna pecunia donatum aſſerebat, & quæ ſupra ſcripſimus, vera eſſe confirmabat.

Iam ad Guiſanos ex Flandria, Hiſpania, Italia, Sabaudia, Germania litteræ allatæ erant: 45
quibus conſpirationem iniri renuntiabatur, qua vel in ipſo Regis diuerſorio vis illis afferretur: ſed parum tot litteræ profuiſſent, neque enim illis fides adhibebatur, niſi Auenellus & duces, & bonam militum partem, & exequendæ coniurationis diem indicaſſet: coniuratione manifeſtè declarata Guiſani fratres Auenellum quadringentis nummis aureis donatum, & magnis promiſſis oneratum Lutetiam remiſerunt: Soncellum & Iacobum Stuardum Scotum in Vincenarum arce captiuos huius coniurationis conſcios rati clam Ambaſiam deducendos curarunt: Philibertum Marſilium Cypetram, Comitem Sacrocæſarianum ſiue Sancerrium, Villagomblanum ex venatorum claſſe ad cogendos milites in diuerſas regiones miſerunt: Regem in ſummo diſcrimine quaſi Ambaſiæ obſeſſum eſſe Caluinianis rebellantibus, & illuc vndique ad eundem comprehendendum confluentibus Caſtilionem Amyralium Andelotúmque Catharina Regis mater acceſſiuit, tanquam huius coniurationis conſcios. Hi verò eiuſdem authores tantam Caluinianorum multitudinem eſſe dixerunt, vt vi coërceri non poſſit: præſertim à Rege adoleſcente, qui negotiorum ſuorum ſummam externis principibus Gallis qui patriam amant, & Regiam ſtirpem à Rege abalienatam colunt, odioſis commiſerit. Quapropter in ea ſententia eſſe, vt ſupplicia religionis ergo inſtituta penitus remittantur: donec vniuerſi Chriſtianiſmi Concilio controuerſiæ de religione ſuſceptæ componantur (hoc erat, vt iam alio loco ſignificaui, vnicuique ſuæ religionis libertatem relinquere, nullam certam habere: quæ proxima ad atheiſmum via eſt) niſi ſupplicia remittantur Caluinianos ad deſperationem redactos omnia extrema experturos, magnúmque Regi ac regno periculum creaturos. Hi Catharinæ ingentem metum incutere volebant, & coniurationis euentum expectabant, quam nondum manifeſtè indicatam putabant. Hinc ad compeſcendum Caluinianorum furorem edictum quinto Idus Martias ſancitum eſt, quo Rex longorum bellorum licentia, qua Caluinianis miniſtris magna ex parte indoctis impiam ſuam doctrinam non ſolum priuatis, aut publicis concionibus ſpargere, ſed etiam libris paſſim diſtributis eamdem legentium, aut audientium animis inſtillare permiſſum eſt, pleroſque cuiuſuis ſexus, ætatis, ordinis, non tam ingenij malignitate, quàm ſimplicitate (vt ita loquamur) & nouitatis cognoſcendæ deſiderio illectos in eorum conuenticulis coiiſſe, Regiis edictis non paruiſſe, & in pœnas iiſdem indictas incurriſſe recitauit: idcirco ſe ne regni ſui initium ſanguinolentum, & cruentum ſit, edicere ne quis ad ſupplicium rapiatur, modo in poſterum Romanæ religionis inſtituta, ac ritus ſequatur; quo edicto nihilominus Caluiniani miniſtri, ac doctores, & quotquot aduerſus Regem, eius matrem, ac fratres, Regiam ſtirpem, Regios domeſticos, Regiorúmque negotiorum curatores conſpirarunt, non comprehendentur. Hoc edictum vt magis fidem faceret, qui ſcribendo affuerunt, atque inter eos Caſtilio Cardinalis, Amyralius, Andelotus ſubſignarunt. Condæus niſi captis, aut trucidatis potius Guiſanis fratribus ad aulicum comitatum haud accedere decreuerat: tamen perficiendorum, quæ cœperat, ſpe magna fretus Ambaſiam petiit, & inter Aureliam, ac Bleſias Cypetram offendit cum eo loqui fere dedignatum: vnde coniurationem palam factam ſuſpicatus tamen iter perſequutus eſt ſuis animum additurus. Ambaſiæ de coniuratione ſuſpectus à Guiſanis conſobrinis ſatis frigidè exceptus eſt.

Coniurationis Ambaſianæ ſeries.

Interim Renaldius coniuratos vndique Ambaſiam confluere intelligens ſexto Nonas Martij Carlierij viri nobilis domum ſex paſſuum millibus, aut paulò pluribus Ambaſia diſtantem appulit; vbi præcipui coniurationis duces conuenerunt, qui poſtridie Idus Ambaſiam inuadere decreuerunt. Ferrerius quinquaginta ſelectos partim nobiles, partim centuriones ad Condeum deducere, quos ob diuerſoriorum anguſtias locis abditis occultaret, Vezinius triginta intra arcem Idibus collocare, qui ibi pernoctarent, eodem die Renaldius, Baro Caſtellonouanus, Mazereus ad Nozeam arcem Ambaſiæ vicinam diuertere, poſtridie copiarum partem in oppidum, partem per ſiluam in ſeptum, atque inde in Ambaſianam arcem immittere debebant: omnes vt ſeſe inuicem internoſcerent, pilam palmariam partim albam, partim nigram gerebant.

His ita ad Nozeam arcem compoſitis ſinguli præfecti ſuis obuiam ierunt: ſed tum 46
Guiſanis acceſſit aliud, certiúſque indicium: Lignerius natione Boius veteranæ cohortis præfectus, cui Caſtilio Amyralius opulentum matrimonium conciliarat, inter cæteros à Caluinianis accerſitus (quamquam à Romanæ religionis inſtitutis non defecerat) ne quid non ſolùm in Guiſanos, verum etiam in Regem deſignarent veritus omnem

coniurationem

coniurationem Catharinæ Regis matri declarauit, illa ad Guiſanos retulit. Itaque Guiſani qui iam ſatis magnum equitum, peditúmque numerum Lutetia, & ex tota vicinia conuocarant,& omnibus viris nobilibus vt armis equíſque inſtructi in primariam ſuæ prouinciæ vrbem concederent, ad Guiſanúmque ſummum Regis legatum accederent, mandauerant: & quotquot ex coniuratis Ambaſiam contendentes offenderent, comprehenderent, facile venientibus occurrerunt, & antequàm coniungerentur bonam eorum partem diſſiparunt: vt tormenta, tormentariúſque puluis ac pilæ è Turonibus, atque Aurelia aſportarentur, curarunt: multa arma clam Ambaſiam aduecta deprehenderunt,quæ ſuis diſtributa magno vſui fuerunt; neque enim his abundabant: prætorianos hippotoxotas ſibi ſuſpectos remouerunt, alios in eorum locum ſurrogarunt; & fidis Ambaſianæ arcí impoſitis cuſtodiis omneis aditus munierunt: in primarias vrbeis, ne à coniuratis occuparentur, præfectos miſerunt: ad Turones Comitem Sancerrium, Aureliam *** Eſpeltam, qui Vetus villa vulgo dictus eſt; Bleſias Thermeum Mareſchallum, Buriam Pictauiam, Barbeſium ad Bituriges, Mompenſerium Andegauum: alios item in cæteras vrbeis non longo interuallo diſtanteis. Pridie Idus Baro Caſtellonouanus, ac Mazereus ad Turonum ſuburbium, quam Richam appellant (id Gallis opulentum, ſiue opulentiam ſignificat) ſub veſperam appulerunt: ad eos Sancerrius aliquot viris nobilibus comitatus adiit, & quod loricas ſub palliis geſtabant contra Regia edicta arma ferre dixit: ſibi à Rege mandatum eſſe vt edictorum ſuorum violatores prehenderet. Illi ſociis adiuuantibus multis ſclopetis exoneratis Sancerrium ſe in vrbem recipere coëgerunt; qui à ciuibus opem implorauit, & vt Regio præfecto adeſſent, imperauit: nemo tamen domo pedem extulit. Huius rei ſtatim Regem Sancerrius admonuit, & circiter quingentos aut longos aut breueis ſclopetos in ſe exoneratos addidit, neminem tamen è ciuibus auxilio fuiſſe: idcirco ſi vrbem in ſua poteſtate eſſe vellet, firmius præſidium mitteret. Caſtellonouanus, ac Mazereus ſe deprehenſos animaduertentes ſtatim in equos reſilierunt, & ſuis itinere, quod tenerent, præſcripto ab iiſdem ſeparati traiecto fluuio ad Nozeam arcem contenderunt: poſtridie Sanctandreanus Mareſchallus ad Turones acceſſit, & ciuibus vt Sancerrio parerent iniunxit, atque vt aliquot tormenta cum omni inſtrumento Ambaſiam tranſportarentur, curauit. Eodem die, hoc eſt, Idibus Nemorenſis regulus cum non multis equitibus ad Nozeam arcem vbi coniurati coire ferebantur, miſſus eſt, & Raunaium, Mazereúmque extra arcem deambulanteis prehendit. Caſtellonouanus cum paucis in arcem euaſit, cæteri diffugerunt: præſidio circa arcem impoſito captiuos Nemorenſis Ambaſiam deduxit,& à prandio cum quingentis equitibus rediit.

47 Renaldium interea vt ſibi auxilio eſſet, Caſtellonouanus monuit, neque enim inde exire conatum fuiſſe, ne hoſtes armis, tormentario puluere,cæteríſque ad inuadendam Ambaſiam præparatis potirentur: verum vbi Nemorenſem cum tot equitibus rediiſſe vidit, coniurationem detectam, ſe proditos, Renaldium vix ſibi auxilio eſſe poſſe coniecit:quapropter poſt paucos ſermones vltro, citroque habitos ſe Nemorenſi permiſit, & Ambaſiam cum ſociis perductus in cuſtodiam datus eſt. Quæſtione ſtatim de comprehenſis habita læſæ maieſtatis damnati alij capite mulctati, alij ſtrangulati ſunt: nonnulli ex Ambaſianæ arcis feneſtris ſuſpenſi. Renaldius Raunaium, Mazereúmque captos & Caſtellonouanum in ſummo diſcrimine eſſe ſtatim intellexit, idcirco eos qui vltra Ligerim adhuc erant ad Ambaſiam occupandam accelerare iuſſit,quam raro præſidio munitam exiſtimabat: ipſe cum his, qui cis fluuium erant, Caſtellonouano ſuppetias ire cupiebat, quem vt bono animo eſſet,& præſens auxilium expectaret, monuit. Verum antequam nuntius ad Nozeam arcem appelleret, Caſtellonouanus Ambaſiam deductus erat: poſtridie qui decimus ſextus Kalend. Aprilis fuit, coniuratorum peditum agmen, quid ſociis accidiſſet ignarum per ſyluam Ambaſiam petebat, quod ab equitatu circumuentum partim ibi cæſum,partim equorum caudis alligatum Ambaſiam abductum eſt, quorum plerique in fluuium coniecti, ac demerſi ſunt. Oliuarius Cancellarius tantam carnificinam exoſus, vt à cædibus abſtineretur, donec coniurationis cauſæ, ac ſeries ex illis ipſis intelligeretur, author fuit: cui Guiſanus facilè aſſenſus eſt. Hinc duo edicta eodem die ſancita, ac ſcripta ſunt: altero Guiſanus ſummus Regis legatus tota Gallia Rege tam præſente,quàm abſento declarabatur: altero prius repetebatur, & coniuratis qui in itinere erant, venia dabatur, ſi intra viceſimam quartam horam ſinguli, aut bini, aut ad ſummum trini iter remenſi domum redirent: ſi qui edicto non parerent ſine vlla iuris formula ad ſupplicium raperentur: omnibus populis ſibi abnoxiis permittebatur, vt priuata authoritate nullo etiam magiſtratu iubente edictum exequantur. Permittebatur quoque omnibus liber ad Regem

Nõnulli cõiurationis auctores capti, & morte mulctati.

Digitized by Google

acceſſus, qui ſine armis libellos ſupplices offerre vellent, quibus Rex de conſilij ſententia reſponderet. Hoc poſterius edictum in Senatu Pariſienſi promulgatum eſt. Decimo quinto eaſdem Kalend. Renaldius vt ſe copiis ſuis iungeret in ſilua Caſtelli Reginaldi errans in Pardilianum propinquum ſuum incidit: is Renaldium breui ſclopeto petiit, ſed pyrite ignem non excitante conatus inanis fuit: Pardilianum Renaldius gladio transfixum peremit: at Pardiliani famulus domini mortem vltus Renaldium longo ſclopeto exonerato cecidit, cuius cadauer ligno appenſum Ambaſiæ aliquot dies in ponte cum hac inſcriptione ſpectatum eſt: RENALDIVS QVI SE FORESTANVM DICI VOLVIT, REBELLIVM DVX.

Quanquam Guiſani Condeum ſummum ducem, Caſtilionem autem Amyralium totius coniurationis architectum eſſe nouerant: quod vt planum fieret Bignam, qui Renaldio ab epiſtolis fuerat, cum libello arbitrariis notis ſcripto deprehenſum coram conſilij ſanctioris viris primariis, vt libellum explicaret, coëgerunt; ſi nihil illos celaret, incolumem dimiſſum iri polliciti. Is tametſi nihil eorum ſe manifeſtaturum iureiurando deuinxerat, tamen heri morte ſe dato iureiurando ſolutum arbitratus, tum quod de illius vita agebatur, & libellum explicauit, & coniurationis ſeriem omnem enarrauit; vbi & Condeus nominatim percellebatur, & Caſtilio Amyralius ſatis apertè deſignabatur, quamuis qui ex coniuratis, & Caluinianis hæc vulgari ſermone ſcripſerunt, hic egregiè mentiantur. Raunaius, ac Mazereus eadem, quæ Bigna, confeſſi erant, quorum teſtimonia Baro Caſtellonouanus reiecerat: & ſe ac ſuos regni duntaxat malè adminiſtrati libellum & ſuppliciorum erga Caluinianos deprecationem Regi oblaturos profeſſus eſt, nihil aduerſus Regem molitum, arma aduerſus eos ſumpſiſſe, qui ne quis ad Regem niſi ex ſuo arbitrio adeat, prohibent. Renaldio, multiſque aliis cæſis, aliis in cuſtodiam datis, nonnulli tamen poſtremum conatum edere non dubitarunt. Mota Centurio cum centum & viginti Caluinianis Ambaſianis in vrbe tumultum excitare, Coqueuilla cum aliis præfectis è ſuburbio quod Vindocinum reſpicit, pontem occupare, Chandius cum turma equitum ad ſuburbium, quod vulgo Bonorum Virorum appellatur, noctu appellere conſtituerat, & per exiguam vrbis portam Ligerim ſpectantem, cuius oſtium facilè confringi poterat, ſuos in vrbem immittere ſperabat equis in Bonorum Virorum cœnobio relictis. At Chandius non noctu, vt promiſerat, ſed clara iam luce Ambaſiam appulit; quem appropinquantem, accelerantémque, qui in arce vigilias agebant, conſpicati ad arma ſtatim conclamarunt. Tumultu tota vrbe excitato non ad portulam ad Ligerim accurrendum, ſed eam, qua ad ſuburbium Bonorum Virorum adibatur, confringendam putauit: verum multis ex arce tam ſclopetis, quàm maioribus tormentis petitus aliquot è ſuis amiſit, & ſe inde ſubducere coactus eſt. Qui in vrbe, atque arce erant, maiores copias coiiſſe veriti nec exierunt, nec portas niſi ſub meridiem aperuerunt, vnde coniurati præſertim equites facile euaſerunt; qui ex peditibus capti ſunt, ad vomitum redeuntes ſupplicio affecti ſunt. 48

Tumultus Ambaſiæ à rebellibus excitatus.

Pridie Idus Aprilis Regium diploma ad omneis Galliæ Senatus, ac Præfecturas miſſum, 49 quo coniurationis Ambaſianæ ſeries omnis deſcripta eſt: nempe magnas rebellium, qui fere omnes Caluiniani ſunt, tam equitum, quàm peditum copias armis inſtructas ad Ambaſiam coiiſſe: quoſdam ex illis etiam vrbem oppugnare conatos fuiſſe, vt ipſum, matrem, vxorem, fratres, principes qui ei à conſilio ſunt, comprehenderent, aut fortaſſe trucidarent: aut ſi quid mitius ab impiis, facinoroſiſque latronibus ſperari poterat, vt ipſo, ac ſupra commemoratis in ſuam poteſtatem redactis antiqua regni adminiſtrandi ratione ſublata, quam vellent ex ſua libidine imponerent: ſed Dei benignitate effectum eſſe, vt conſpiratione huiuſmodi manifeſtè deprehenſa rei læſæ maieſtatis conuicti pœnas dederint: qui imprudentia ſe illis adiunxerint, ea conditione dimiſſi ſint, vt ſi in id crimen relabantur, eaſdem pœnas ſubeant. Et quandoquidem hæc coniuratio ex Caluinianorum conuenticulis originem ſumpſit, caueant ne vlla in ſuis iuriſdictionibus conuenticula hominúmve concurſus fiant: & ſi qui in hiſce deprehendentur, eos perinde ac læſæ maieſtatis reos puniant. Vt autem antiqua morum diſciplina inſtauretur, concilium omnium Galliæ Epiſcoporum intra ſextum menſem indictum, quo prauæ huiuſce ſeculi doctrinæ extirpentur, & antiquæ religionis ſplendor inſtauretur. Porrò prouinciarum ſuarum Prætoribus, præfecturarum Balliuis, & Seneſchallis, hoc eſt Præfectis iniunxiſſe, vt in illis aſſidui ſint, atque operam dent, ne improborum audacia proborum tranquillitatem, atque otium perturbet. Quod Condeum Bigna, Raunaius, Mazereus, ſummum coniurationis ducem fuiſſe dixiſſent, Truſſa rerum capitalium in Regio comitatu præfectus in diuerſo

Caluinianorum conuenticula prohibentur.

Digitized by Google

in diuerſorium Condei miſſus eſt, vt Vallam eius ſcutiferum equarium (vt Galli vocamus) prehenderet, quod Maligniaco minori (Ferrerium etiam vocant) huius coniurationis reo inſignem equum ex Condei equitio dediſſet, eundémque decem paſſuum millia vltra Ambaſiam comitatus fuiſſet. Quinetiam mandatum à Rege habere Truſſa addidit, vt Condeo ſignificaret vti ſe Regi ſiſteret. Condeo Rex indicauit quoſdam ex comprehenſis coniuratis eum huiuſce coniurationis ducem declaraſſe, id ſi conſtet, quàm graue facinus admiſerit, agniturum: is ſe neque ducem, neque conſcium fuiſſe aſſeuerauit. Quanquam Renaldius in Nannetenſi conuentu prolato ſuæ legationis inſtrumento eundem ſummum ducem coram omnibus declarauit, vt etiam Caluiniani qui hanc coniurationem Gallicè deſcripſerunt, literis mandarunt. Franciſcus Rex nihilominus ad Nauarrum quinto Idus Aprilis literas ſcripſit quibus Condeum ea ſuſpicione liberauit: Caſtellonouanum, Raunaium, Mazereum, Daminam, Briquemaldum minorem coniurationis principes ſuæ temeritatis pœnas dediſſe ſignificauit; quod nonnullos in Aquitania prouincia ſibi commiſſa tumultus initia facienteis repreſſerit ac diſſiparit, gratias egit: vt Boiſnormanum, ac Dauidem Caluinianos miniſtros ſeditionis authores comprehendi iubeat, & ad ſe mittat, rogauit. Poſtremò literarum ad omneis Senatus, Prouinciarúmque prætores ſcriptarum exemplum miſit, vt quod his continetur, in Aquitania præſtaret.

Condeus ſe rebellis ducem inficiatur.

50 Interim Mommorencius equitum magiſter ſe domi continebat huius coniurationis haud ignarus: tametſi eam ſe execrari ſimulabat: præſertim quod coniurati ſi non in Regem, at ſaltem coram Rege immane facinus exequi decreuerant. Accerſito à Rege vt eius conſilio vteretur, munus delatum eſt, vt coniurationis originem, progreſſum, ſcopum, quemadmodum ex quæſtionibus habitis acceperat, in Senatu Pariſienſi recitaret. Recitauit ille, ſed ita vt coniuratio in Guiſanos duntaxat, non in Regem, nec in alios facta videretur. Guiſanos nihilominus in cœlum laudibus efferebat, quod tam prudenter rebus ſuis prouidiſſent: ſed illi quam bonam gratiam ipſis referret, ſatis intelligebant. Catharina Regi filio perſuaſit ne Condeum in coniurationis ſuſpicionem vocaret, ne coniuratorum numerum augeret, & Nauarrum fortaſſe illis adiungeret: Caſtilionem autem Amyralium in Normaniam mitteret, vt ſi qua ibi tumultus initia deprehenderet, ea pro ſua prudentia compeſceret; hoc eſt, magis ac magis augeret: quod ſane cumulatè præſtitit, & ſupplicem illum Caluinianorum libellum, cuius poſtea mentionem faciemus, inde reportauit: duobus his inſtrumentis ad miſcenda omnia percommodis ſe fortaſſe vſuram aliquando ſperabat, vti magno Galliæ noſtræ malo vſa eſt. Coniurationem Ambaſianam bellum Scoticum excepit: Caſtilio enim Amyralius Caluinianus huius coniurationis, vt ſupra ſcripſi, architectus clandeſtinam veluti ſocietatem cum Elizabetha Angliæ Regina itidem Caluiniana coierat: quam Guiſanis infeſtam in primis quaſi Angliæ regnum ſpe deuorantibus reddiderat: nec cauſa deerat cur Elizabetham regno indignam Guiſani dicerent: Henricus enim VIII. Angliæ Rex Catharinam Arragoniam quæ prius Arcturo eius fratri natu maiori nupſerat, ſed cum ea propter teneram eius ætatem rem non habuiſſe ferebatur, Iulio ſecundo Pontifice maximo permittente, & matrimonium comprobante, Ferdinando Catharinæ patre Hiſpaniæ, Henrico ſeptimo ſocero & octauo patre Angliæ Regibus laudantibus vxorem duxerat: ex qua filium primum qui non diu ſuperſtes fuit, & Mariam, nec alios liberos ſuſcepit. Deinde Annæ Bolanæ amore captus Catharina repudiata eam vxorem duxit: ex qua Elizabetham viuente adhuc Catharina ſuſcepit, & moriturus Eduardum ſextum filium ex aſſe hæredem teſtamento reliquit; cui Mariam primum, deinde Elizabetham ſubſtituit. Idem Henricus treis ſorores habuit, quarum natu maxima Iacobo quarto Scotiæ Regi nupſit: & Iacobum quintum regni ſucceſſorem Mariæ Stuardæ Franciſci Secundi Galliæ Regis vxoris patrem peperit. Hinc Henrico ſine legitimis liberis ſuperſtitibus mortuo haud dubium quin Maria Stuarda eius ex ſorore proneptis regno ſuccederet, vt paulo ante hoc ipſo libro ſcripſimus.

Bellum Scoticum.

51 Id prouidens Henricus antequam moreretur, conuocatis tribus Angliæ ordinibus ſtatuendum curarat, ne ſororis liberi ex Scoto Rege ſuſcepti, nec eorum poſteri Angliæ regno ſuccederent: Iacobum enim quintum Scotiæ Regem ſororis filium, quod ſemper Galli parteis aduerſus illum ſequutus erat, in primis oderat; & Elizabetham notham potius, quàm illum, aut eius liberos Angliæ regno ſuccedere malebat. Verum id decretum reſcindi facilè poterat, quod Henricus natura immanis, ac verè tyrannus omneis Angliæ viros principes trucidarat, & cæteris ex ſuo arbitrio imperabat: ſi quis repugnabat, omiſſis iuris formulis morte plectebatur. Maria Angliæ Regina mortua Maria Stuarda Galliæ, & Scotiæ

Digitized by Google

Scotiæ Regina lugubrem veſtem induit, & mox Anglici regni inſignia aſſumpſit, Cardinale Lotharingo viro quidem ingenio acri, ſed nonnunquam præcipiti ita cōſulente (nam Guiſanus eius frater id non ſatis probabat) quod Elizabetha trium Anglicorum ordinum decreto Maria rerum potiente notha & regno indigna declarata erat. At quod Elizabetha hoc decreto deterrita Caluinianam perſuaſionem ab Eduardo fratre, aut potius ab eius tutore Somerſetenſi regulo in Angliam illatam reduxerat, qui à Romana non defecerant Mariam Stuardam Reginam optabant, vel quod eamdem religionem profitebatur, vel quod totam inſulam hactenus inter ſe diuiſam ſub vno Rege, ac Regina coniunctam in perpetua deinceps pace victuram ſperabant: hi cum Guiſanis clam conſilia ſua communicabant. De his per Gallos Caluinianos admonita Elizabetha quoſdam in cuſtodiam & quæſtionem dari iuſſit, verum nihil illi confeſſi ſunt. Maria Lotharinga Guiſani ſoror, & Mariæ Stuardæ mater Scotiam adminiſtrabat: cui Oiſellius Galli Regis legatus inter primarios conſiliarios aderat, ab ineunte ætate de nouis religionis ſectis ſuſpectus: quum multi ex Scotis Caluiniani, præſertim qui in Gallia educati erant, ibi perſuaſionem ſuam ſpargerent, Lotharinga ab Oiſellio perſuaſa conniuebat: à fratribus vehementer reprehenſa, & vt omneis ad Romanæ religionis ritus & inſtituta obſeruanda cogeret, iuſſa, aliquantum diſtulit & fratres ſeditionum imminentium admonuit. Illi Nicolaum Pelleucum Ambianenſem Epiſcopum Romani Pontificis legatum, quanquam nondum ſuæ legationis diploma acceperat, & Iacobum Broſſianum natione Boium virum prudentem, & rerum bellicarum valde peritum Regium legatum cum certo militum numero in Scotiam miſerunt: qui primo appulſu ſe cum ſolis Scotis rem habituros arbitrati ad Guiſanos fratres ſcripſerunt, Regiorum vectigalium augendorum magnam ſpem dari, ſi virorum nobilium, qui Caluinianam perſuaſionem ſequuti ſunt, fundi proſcribantur, & populo, vt in Gallia tributum indicatur: inde ducenta nummûm aureorum millia confici quotannis, & mille viros nobiles Gallos velut in colonias poſſe mitti, quibus Caluinianorum proſcriptorum fundi, ac cætera prædia condonabuntur. Regina adminiſtratrix contra: Scotos nunquam quicquam in ciuili adminiſtratione immutatum iri paſſuros, nec de religione tam ſeuera edicta admiſſuros: potius ad exteras nationes, Anglos ſcilicet defecturos: ſatius videri quod ad religionem attinet vt viri principes promiſſis alliciantur, Scotiæ ordines conuocentur; viuendi forma, quæ in poſterum obſeruetur communi conſenſu præſcribatur; & ſe viros primarios ad ſuas parteis pertracturam pollicebatur.

Scotorū rebellio ob impoſita noua vectigalia.

Vicerunt nihilominus, qui ſpem augendorum vectigalium dederunt: Scoti Anglos 52
in ſocietatem vocarunt, ſacros miniſtros è templis expulerunt, diuorum imagines, ac ſtatuas confregerunt, ſacra bona inuaſerunt; & ſuæ perſuaſionis ritus publicè exercuerunt. Hinc Ambianenſis ad quærenda noua auxilia in Galliam redire coactus eſt. Elizabetha Angliæ Regina à Caſtilione Amyralio incitata, quam de Ambaſiana coniuratione, & de maiore imminente, Guiſaníſque fratribus à regni adminiſtratione ſummouendis certiorem fecerat, nono Kalend. Aprilis ſcriptum in vulgus edidit, quo de regni Anglici inſignibus à Maria Stuarda Galliæ & Scotiæ Regina aſſumptis, & de miſſis in Scotiam copiis vehementer queſta eſt, Franciſcum Galliæ Regem è Scotia in Angliam ſibi aditum parare ſuſpicata. Quanquam id non Regi, neque Stuardæ Reginæ, qui præ ætate tantas res præſertim regni bellis ſuperioribus exhauſti initio ſuſcipere non poſſunt, ſed Guiſanis Stuardæ auunculis tribuit: qui hactenus inaudita ambitione ardentes reiectis ſtirpis Regiæ principibus, ad quos & ad maiores Galliæ magiſtratus in tenera Regis ætate regni adminiſtratio pertinebat, eamdem inuaſerunt, & ſuo more, quemadmodum Henrico Franciſci patri multa iniuſta bella ſuaſerunt, ſic Franciſco affini alia non minus iniqua, ac damnoſa parturiunt, & totum Chriſtianum orbem bellis miſcere cupiunt: nec alium in Angliam, quàm per Scotiam aditum commodiorem reperientes illuc iam aliquas copias miſerunt, & longè maiores ſe breui miſſuros pollicentur, vt Anglos nec opinanteis opprimant: quapropter ſe copias terra, marique magnis impenſis pro regni ſui propugnatione opponere coactam, teſtari nihilominus ſe nullum aduerſus Gallum Regem bellum moliri, fœdus inter ſe atque Henricum eius patrem initum tueri & continuare velle, modo copias in Scotiam miſſas reuocet, nec ſe ſemper ſuſpenſam teneat. Scotis autem eam regni adminiſtrandi formam relinquat, vt ſuæ Reginæ officioſè parere, nec externorum vim timere debeant, quemadmodum & ipſi offerunt: ſe Gallis qui in Scotia ſunt, liberi vel terra, vel mari ad ſuos reditus teſſeram daturam: & vt illorum in Scotia vires imminuentur, ſuas quoque viciſſim imminuturam. Quas optiones quamuis iam

Elizabetha miſſas in Scotiam copias reuocari poſtulat.

Digitized by Google

iam dudum dederit, nullum tamen hactenus dignum reſponſum acceperit: in ſumma ſe velle cum Galliæ, Scotiæque regnis in perpetua pace viuere, & vt Rex Gallus cum Scotis conueniat, operam daturam, modò Galli nihil in Angliam Irlandiámque moliantur; & qui in Scotia ſunt, domum reuertantur. qui ſi non reuertentur, vires ſuas omneis vt redire cogat, terra marique explicaturam, nec tamen aduerſus alios Gallos quicquam hoſtile geſturam, donec an Guiſani priuatim, an Galli vniuerſi communi conſenſu aduerſus Anglos bellum ſuſcipiant, intelligat: cui Rex per Seuram equitem Rhodium, ſiue Melitenſem legatum ſuum in hanc ſententiam reſpondit; ſe pacem à patre cum vicinis principibus conciliatam continuare in animo ſemper habuiſſe: Reginæ Angliæ priuatim de obſidibus Caleſij reſtituendi, aut quodam modo redimendi nomine ſatisfeciſſe, & commercia inter Gallos, Anglóſque libera permiſiſſe. Ita autem ſe res habet.

53 Quum de pace inter Henricum Galliæ & Philippum Hiſpaniæ Reges ad caſtellum Cambriſium ageretur, Philippus de Caleſio Anglis reſtituendo non amplius, vt viuente Maria vxore pertinaciter laborabat, nec magnam Elizabethæ Caluinianæ rationem habebat. mutatæ eius ſententiæ certior facta Elizabetha legatos publicè ad eum conuentum non miſit: ſed clam cum Henrico pacta eſt, vt intra octauum annum Caleſium Anglis reſtitueretur, aut ſi id Galli recuſarent, quingenta nummûm aureorum millia penderent: interim quatuor obſides, quos Elizabetha optaret, in Angliam mitterent. Morte præreptus Henricus obſides non miſit, Franciſcus promiſſo patris ſatisfecit. Quum autem Scoti aduerſus vxorem Reginam rebellent, eíque parere detrectent, in Scotiam exiguas copias miſiſſe, vt eos ad officium reducat: Elizabetham quaſi regno ſuo timentem duos firmos exercitus alterum terra, alterum mari in Scotiam miſiſſe, qui naueis ad Letham portum conſeruandum deſtinatas, & multas alias commeatu refertas inuaſerit, & inſulam Equariam occupare conatus ſit: terreſtrem autem exercitum in Scotia prædas egiſſe, quamobrem alteras copias, & quidem maiores, quas in Scotiam miſſurus erat, retinuiſſe, & interim Elizabetham oraſſe, vt in reducendis ad officium Scotis ſecum operam daret: præterita illis errata condonare, modò in poſterum vxori pareant, eámque Reginam agnoſcant: id ſi aſſequatur, tam paucas copias in Scotia relicturum, vt ſibi, regnóque ſuo Elizabetha timere non debeat. Controuerſias quas ſecum habet ad arbitros referre voluiſſe; illam recuſaſſe: vt omneis Gallos in Scotiam miſſos reuocet, inſtitiſſe: tempus etiam intra quod reuocentur præſcripſiſſe: at inter principes pace nondum violata arbitria & de nouis controuerſiis tractatus continuandæ pacis inſtrumenta ſunt: neque alter alteri præſcribere quicquam poteſt. Hi enim populis ſibi obnoxiis, & clientibus, quod ex vſu eſt, præſcribunt: non aliis principibus in quos ius nullum habent. Montlucium etiam Valentinum Epiſcopum ad illam miſiſſe, vt ſuam erga pacem publicam egregiam voluntatem, priuatamque erga Elizabetham beneuolentiam teſtaretur: & ſi quis ſcrupulus ſupereſſet, huius ſe certiorem faceret; ex Anglia in Scotiam tranſiret, vt rebelles ad ſuam, Reginæque vxoris obſeruantiam reduceret: id ſi aſſequatur, bonam copiarum ſuarum partem in Galliam reuocaturum; & vt ſuum pacis ſtudium magis declaret, Philippum Hiſpaniæ Regem, vt hic operam ſuam præſtaret, oraſſe: qui quæ mala bellum comitentur, agnoſcens Glaionem tormentorum magiſtrum ad illam miſerit. Duo libelli hoc, & ſuperius argumentum continentes typis mandati fuerunt.

54 Elizabetha Caſtilione Amyralio vrgente, & ſeditionum in Gallia conflatarum vim augente terreſtrem ſuum exercitum Letham portum mille paſſibus Edimburgo primaria Scotiæ ciuitate diſtantem properare iuſſit: & quum Seura Regis legatus, quæ ſupra ſcripſi, Elizabethæ coram conſiliariis decimo quarto Kalend. Maij explicaſſet, illa duodecimum tum agi diem reſpondit, ex quo eius exercitus Letham circumſederit. Id porro diſcrimen regno ſuo imminere, vt amplius differre non poſſit: Regem enim noua auxilia in Scotiam mittere non poſſe ſeditionum impendentium metu Caſtilio Amyralius confirmarat: vnde ſe vel Scotia potituram, vel ne Stuarda Regina ea in poſterum potiretur, effecturam ſperabat. Seura Regis legatus, vt officium fideliter præſtitiſſe declararet, Glaionem tormentorum magiſtrum, ac Pontificem Aquilanum Philippi Regis legatum teſtes adhibuit: & quæ prius verbis explicarat, coram Regina, eiúſque conſiliariis duodecimo eaſdem Kalend legit, & mox Reginæ obtulit, eam recens fœdus ſecum ictum violare, Regem inuitum ad bellum trahi; & pro Scotiæ regno vxoris patrimonio propugnare; nihil in Angliam moliri teſtatus. Duos, vt ſcripſi, exercitus Elizabetha in Scotiam miſerat: claſſi præerat Clinto, ſiue Clintonius, is qui anno ſuperiore minorem Britanniam vaſtare, & Armoricas ciuitates inuadere conatus erat, & ad Tuedæ fluminis oſtiũ fixis anchoris, *Letha obſeſſa.*

ne qua

ne qua noua auxilia è Gallia in Scotiam appellerent, obſeruabat. Terreſtribus copiis Norfolcius regulus, ac Graius vir militaris præerant, quibus Scotorum circiter duodecim millia acceſſerant. Hi Letham circumſederant, quam Iacobus Broſſianus dux veteranus cum aliquot Gallis equitibus, Martigianus Vicecomes ſtrenuus adoleſcens, qui magnum iam ſuæ fortitudinis in Gallia ſpecimen ediderat, cum quatuor cohortibus inſederant: quibus nonnulli Scoti, qui Reginæ parteis ſequebantur, ſeſe adiunxerant. Oppidum non iniquo loco ſitum erat, niſi quod ſolum arenoſum, licet lignis, virgultorúmque faſcibus miſtum ad firmandos aggeres præſertim recens extructos, tormentariarúmque pilarum impetum tolerandum commodum non erat: quod Angli probè nouerant, & de potiendo intra paucos dies oppido magnam ſpem conceperant, quod & Elizabethæ Reginæ ſignificauerant. Sed quum tormenta ad oppidum admouere inciperent, eos noſtri crebris excurſionibus ita repulerunt, vt multis diebus perpauca admouere poſſent.

Diſſenſio inter Gallos duces exorta.

Hic aliqua inter noſtros duces diſſenſio interceſſit. Broſſianus dux prudẽs, & longa experientia edoctus ſuos paucos numero in frequẽteis excurſiones, vbi ſemper aliqui cadebãt, 55
mittere nolebat; & Anglos, Scotóſque antea ſemper hoſteis non diu inter ſe conſenſuros exiſtimabat: Scotos autem qui ſuis impenſis militant, breui dilapſuros; & ſi qui perſeuerabunt, patriã ab Anglis antiquis hoſtibus vaſtari ægrè laturos. Martigianus acer adoleſcẽs contra: ſi tormenta ad muros infirmos aggeribus non multo validioribus munitos admoueri ſinent, eorum pilæ non ſolum vtroſque, ſed & totum oppidum & è regione poſitos aggeres muróſque penetrabunt: milites nulla ſtrenuæ mortis ſperata vltione tanquam feræ in anguſta ſepta concluſæ tormentariis pilis diſrumpentur, & plures, quàm apertis campis confligentes, perimentur. Hæc tamen iuuenilis audacia Broſſiani ſenis prudentia ita temperata eſt, vt Angli perpauca tormenta propius admouere potuerint: obſidionem diu trahere coacti ſint, permultos è ſuis, Scotiſque amiſerint, & tandem de potiendo oppido deſperarint. Quapropter quum magnos ſumptus in hoc bellum Elizabetha Angliæ Regina faceret, nec quicquam prodeſſet, Scotia ab Anglis auxiliariis vaſtaretur, Franciſcus Rex propter impendenteis à Nauarro, Condeo, Amyralio, ſeditiones noua in Scotiam auxilia mittere non poſſet, tandem decimo Kal. Aug. in hæc capita conuenerunt.

Fœderis inter Franciſcũ & Elizabetham ſanciti capita.

Quod Scoti Proteſtantes (ſic eos appellarunt, qui à Romana religione defecerant) arma ſumpſerunt, ea pro patriæ ſuæ priuilegiis, immunitatibus, ſtatu conſeruando, ſuóque erga Regem, Reginámque officio explendo ſumpta Franciſcus Rex ac Maria Stuarda vxor Scotiæ Regina declarant, laudant, approbant: neque vt hoc nomine in poſterum in ius vocentur, aut aliter in eos inquiratur, permittent. Iidem Proteſtantes Edimburgo poſtridie mane exibunt, præter eos qui vrbis ciues ſunt: nec ibi vllus præſertim ex militibus relinquetur, vti Regina adminiſtratrix poſtulauit. Antequam ex vrbe exeant, palatium cœnobij ſanctæ Crucis vt ceperunt, ita ei quem eadem Regina nominabit, reſtituent: quæ vt rata ſint Ruſſlenus ac Petalco ſe prædes obſtringent: iidem Proteſtantes Regi ac Reginæ obnoxij vt antea erunt, & Reginæ adminiſtratrici parebunt. Antiquas Scotiæ leges, ſtatuta, conſuetudines obſeruabunt, non ſecus atque ante hos tumultus obſeruabantur, eandemque vim retinebunt; exceptis his, quæ ad religionem pertinẽt. viros ſacris addictos neque offendent, neque eorum poſſeſſiones, & cætera bona vſque ad quartum Idus Ianuarij inuadent: quo die omnes Scotiæ ordines coibunt, vt omnia ex bono, & æquo concilient, & vt nemini iniuria fiat, prouideant. Regni adminiſtratio ex duodecim virorum primariorum conſilio conſtituetur: ex quibus ſeptem idem Rex, ac Regina, quinque Scotiæ ordines deligent: & ſi vt duo addantur, commodum videbitur, ab illis vnus, ab iſtis alter addetur: munera honorata, & quæ officia, ac dignitates vocant, Scotis dumtaxat, non externis Rex & Regina conferent. Lethanum propugnaculum diruetur; qui in eo ſunt milites Galli in Galliam, alij in patriam ſuam redibunt. Inſulæ Equariæ propugnaculum, ac Dombarram arcem, ſiue caſtellum Rex, & Regina retinebunt: ſed vnicuique ſexaginta dumtaxat præſidiarios milites, nec plures imponent. Si quis tamen aduerſus ea quicquam molietur, ea pariter Rex, & Regina, ac Scotiæ ordines tuebuntur. Edimburgenſes, quam volent, religionis perſuaſionem ſequentur: Rex & Regina vxor, ac Regina adminiſtratrix Proteſtanteis ſuæ perſuaſionis ritus, atque inſtituta exercere permittent: neque illis viros ſacratos, qui vtramque iuriſdictionem habent (quam ſpiritalem, & temporalem vocant) vſque ad quartum Idus Ianuarij impedimento eſſe patientur. Si quis Scotus aut alienigena armis aliquid aggredietur, aut tumultum excitabit, in illum Scotiæ ordines vires ſuas conuertent, vt tanquam rebellis puniatur. Regina Angliæ ſuos è Scotia exercitus reuocabit: nec in poſterum Scotorum negotia, atque adminiſtrationem curabit.

Digitized by Google

curabit. Pax ad caſtellum Cambriſium inita rata, firmáque remanebit: Rex & Regina Galliæ titulos Angliæ, atque inſignia in poſterum non geſtabunt. Impenſas belli Angliæ Regina repetebat, ea res ad eorum legatos primum, deinde ad Philippum Hiſpaniæ Regem reiecta eſt: & quæ temere impenderat, iure repetere non poſſe videbatur.

56 Dum hæc in Scotia gerebantur, Caluiniani quorundam virorũ nobilium centurionumque qui ſub Caſtilione & Andeloto ordines duxerant, ope freti, inter quos Mirabellus, & Quintellus principem locum obtinebant, priuatis concionibus & ſuæ perſuaſionis inſtitutis domi hactenus celebratis non contenti Valentiæ Delfinatium doctrinam ſuam publicè profiteri inceperunt; & primum gymnaſia in quibus ius ciuile interpretari mos erat, deinde Franciſcinorum ſodalium templum occuparunt. huius doctrinæ fundamẽta ibi ieciſſe Ioannes Monlucius Epiſcopus ſuis cõcionibus ferebatur: vnde biennio poſt ad Concilium Tridentinum cum Gallis Epiſcopis accedere auſus non eſt. Horum exemplum vicini Sanromanenſes, ac Mõmeliardenſes ſequuti ſunt. Guiſanus Delfinatium prætor id Partim Monlucij Epiſcopi opera, partim Claromontani Talardi negligẽtia, vel quod Caluinianis fauere putabatur, accidiſſe ratus Malgeronem virum militarem eò miſit, qui Caluinianorum furorem compeſcuit. Eandem doctrinam paulò ante ſpargere in Phocenſi prouincia cœperant Antonius ac Paulus Mouani fratres: Antonius Henrico Rege adhuc rerũ potiente Draguiguani populi impetu cæſus eſt: Paulus ne idem ſibi, quod fratri, accideret, metuens aliquot ſecum milites alere cogebatur: quum Caſtellonouanus centurio à Renaldio miſſus ad ea loca peruenit, vt à Caluinianis milites ad coniurationem Ambaſianam exequendam impetraret. Sexaginta Phocenſis prouinciæ Eccleſiæ (vt vocant) id eſt, cœtus (tot enim erant) Paulum Mouanum præfectum delegerunt, qui bis mille equites, & ſatis magnum peditum numerum coëgit: quibus in alas, & cohortes diſtributis, præfectiſque impoſitis non Ambaſiam proficiſci, ſed Aquẽſem ciuitatem nec opinantem Aquenſibus Caluinianis inuitantibus intercipere deliberauit, vt tot Caluinianis vbique rebellantibus Rex liberam illis, vt in Germania Imperator, ſuæ perſuaſionis profeſſionẽ relinqueret. At qui eos inuitarant, & aliqua ciuitatis porta occupata in vrbem intromittere polliciti erant, vel metu conſternati, vel alia de cauſa id præſtare auſi non ſunt. Mouanus nihilominus ad ſextum ab vrbe milliare acceſſerat. hinc attonitus Aquenſis Senatus ad Comitem Tendanum Prætorem, vt opem ferret, ſcripſit. idem Arelatenſes fecerunt. Itaque qui ex vtraque vrbe Mouanum aduocarant, inde abceſſerunt, & Mouano Tendanum magnas copias, hoc eſt, circiter quatuor tam equitum, quàm peditum millia in armis habere indicarunt: quibus Mouanus ſe reſiſtendo non eſſe animaduertens Andreanum cœnobium in monte ſitum, & natura munitum occupauit, & commeatum illuc vndique comportari iuſſit. Eò Tendanus contendit, & Paulinum Baronem Gardenſem de noua perſuaſione ſuſpectum præmiſit, qui ad Tendanum reuerſus maiores Mouani vires, quam re vera eſſent, renuntiauit; & vt ſimul colloquerentur, effecit. Conuenit vt Mouanus quinquaginta milites ad ſui cuſtodiam habere poſſet: domi ſacra ſuæ perſuaſionis ſibi, familiæque ſuæ faceret, publicè nihil innouaret. Regem hanc pactionem approbaturum Tendanus pollicitus eſt; quod tamen multas ſacras ædes in pagis compilaſſet & multos inimicos haberet ad tempus Geneuam ſeceſſit.

Caluini dogmata publicè legi Valentia Delfinatium cœpta.

Aquenſium Caluinianorũ rebellio.

57 Nec minus in Normania Caluinianorum audacia ſeſe efferebat. Dieppenſes, Cadomenſes, Fani Loij ciues ſuæ perſuaſionis ſacra, concionéſque Caſtilione Amyralio inſtigante publicè exercere cœperunt. Idem Rothomagi accidiſſet, niſi Senatus ſua prudentia Caluinianorum furentium impetum cohibuiſſet: quanquam multi Senatores Caluinianis ſe dabant, & eandem doctrinam clam profitebantur. Accidit autem vt quidam puerorum inſtitutor, quos treis linguas Latinam, Græcam, Hebraicam ſimul accuratè docebat, & natura eloquens magnam populi multitudinem ad ſuas conciones inuitabat, ſibi Dei ſpiritum inſpirare diceret, Antichriſtum breui periturum, ſe exercitus ducem à Deo ſelectum, vt omneis impios euerteret, & de terra ſummoueret, nec principibus, aut magiſtratibus parceret: ſe non ante moriturum, quàm mundum purum omnis peccati, culpæque exortem ſtatuat: & multa alia huiuſce notæ addebat, quæ fanatici Anabaptiſtæ ſomniarunt. Tanta autem eloquentia pollebat, vt permulti ad illum confluerent, & quod ab vrbe excludebatur, in apertis campis concionabatur. Quapropter Senatus Cardinalem Borbonium Rothomagenſem Pontificem, ac Villabonem Bullionij reguli Normaniæ prætoris legatum accerſiuit, qui fanaticum hominem comprehendi, & quæſtione habita temeritatis pœnas igne luere iuſſerunt. Interim Oliuario Cancellario vita functo Cardinalis Lotharingus præter domeſticorum ſuorũ omnium, ac familiarium ſententiã, vt Michaël Hoſpitalis homo quidem doctus, ſed nullius religionis, aut vt verè dicam ἄθεος, in eius locum ſurrogaretur, effecit. huius pater Caroli Borbonij vltimi Boiorum reguli medicus Renatam eius ſororem

Normanorũ hæreticorum inſolentia.

Cuiuſdam puerorum inſtitutoris temeraria & fanatica doctrina.

Michaëlis Hoſpitalis elogium.

Digitized by Google

quæ Antonio Lotharingiæ regulo nupſit, ſequutus reliquam vitam ibi traduxit; auus na-
tione & religione Iudæus totam ætatem Auenione traduxerat. Hic inuadendorum ſacro-
rum bonorum, hoc eſt, quæ ſacris diuini cultus miniſtris dicata ſunt, auidus Caluinianis,
præſertim Caſtilioni totum ſe dedit: in quos & Catharinam Regis matrem, ſed alia de
cauſa propendere intelligebat, & magnum naſcentibus ſeditionibus momentum addidit:
initio tamen ſatis moderatè ſe geſſit, vel vt quod intenderat, diſſimularet, vel ne Guiſanos,
quorum opera eum gradum aſſequutus erat, offenderet. Edictum Remorentinenſe, quo

Inquiſitio Hiſpanica Romã à quo inuecta.

inquiſitio Hiſpanica inducebatur, & in ſanctiore Conſilio, & in Senatu Pariſienſi ap-
probata erat Guiſanis authoribus moderatus eſt: idque prudenter; nam & in regno Nea-
politano & in Mediolanenſi principatu, & Romæ, quando Paulus Quartus eandem in-
uexit, magnæ inde ſeditiones exarſerunt. Edixit itaque ne qua conuenticula, ne qua ſe-
ditio, ne qua vis publica fieret: ſi qui feciſſe arguerentur, præſidiales iudices intra quorum
iuriſdictionem id accidiſſet, decem numero de his ſine prouocatione cognoſcerent: ſi tot
iudices non reperirentur, ex antiquioribus cauſidicis numerus impleretur. conuicti perinde
ac læſæ Majeſtatis punirentur: eaſdem pœnas ſocij, conſentientes, celantes ſubirent: eaſ-
dem concionatores, qui ſine Epiſcoporum ſuorum, aut aliorum idem ius habentium per-
miſſione conciones haberent, famoſorum libellorum authores, quique eos vel diſtribuunt,
vel typis mandant: delatoribus quingenti nummi francici ex reorum bonis darentur: at
calumniatores pœnam, quam talionis vocant, penderent. Additum eſt & aliud edictum, quo
Epiſcopi in ſua prouincia, cæteri ſacri miniſtri in ſuis cœnobiis reſidere iubebãtur. Item quo
viduæ quæ ex prioribus nuptiis liberos ſuſcepiſſent, ſi alteri viro nuberent non plus illi,
quàm vni liberorum loci conſuetudo dat: aut ſi inter liberos ex loci conſuetudine diuiſio
inæqualis eſſet, non plus nouo marito, quàm qui ex liberis minimum accepiſſet, dare poſ-
ſet. Item aliud de iudicum numero eorum morte imminuendo.

Michaëlis Hoſpitalis Cãcellarij ſermo in Senatu Pariſienſi.

Hoſpitalis Cancellarius tertio Nonas Iulij Lutetiæ in Senatum venit, & tria potiſſimum 58
capita explicauit: de Rege, & de vniuerſo regni ſtatu, de vrbe Lutetia, de ipſo Senatu. Am-
plum quidem & opulentum eſſe regnum, in quo patri Franciſcus Secundus ſucceſſerit: ſed
tantum patris, atque aui æs alienum eſſe, vt totam illam abundantiam ſtatim abſorbeat: id
ad quadraginta treis peruenire milliones, vti vocantur, vt millio decies centena nummûm
aureorum millia complectatur; quod totius regni prouentu in decẽ annos diſſolui non poſ-
ſit. at fœnus quotãnis dependendum eſt: Regem patrẽ pacem reliquiſſe, ſed eam cuius com-
moditatibus filius vti non poſſit, tam multa domeſticis, alarum præfectis, ipſis alis ſtipen-
dia deberi, tam multas penſiones, vt niſi dependantur, ſibi iniuriam fieri putent. Nec ſpem
vllam in tributis augendis eſſe, quorum nonnulla imminuere Rex coactus ſit, vti in Nor-
mania, vbi præ inopia plerique ſolum verterint. Quinetiam & ſtipendium in quinquaginta
peditum millia ab vrbibus capi ſolitum ſublatum eſt. Accedunt de religione querimoniæ:
alij nouam recipi, veterem excludi volunt: alij contra. Hinc bonam Germaniæ partem,
Angliam, Scotiam ad nouos religionis ritus tranſiiſſe vidimus, neque id ſine mutuis cædi-
bus; quibus ſæpe regna, principatus, liberæ ciuitates in ſummum diſcrimen vocantur. Spem
Concilij ſummus Põtifex facit, Deus faxit, vt bono exitu terminetur: eo vſque vt pacatè vi-

Mos agendi medicorũ cũ morbi cauſas ignorat.

ueretur, ſatius videbatur. Rex ac pater, auúſque quoſdam medicos imitati ſunt, qui morbi
quidem genus agnoſcentes cauſas tamen ignorant: & quum calidis medicamentis vſi ſunt,
nec ea proficiunt, frigidis, aut ſaltem tepidis vtuntur. Noua nuper edicta Rex edidit: ſi
quid his addendum videbitur, Senatus deliberet, & Regem moneat: edictum de immi-
nuendo iudicum numero Senatum amplexaturum veriſimile eſt, quod nimia Senatorum
multitudine Senatoria dignitas obſcuretur: nonnullas eſſe de hoc Senatu querimonias,
quod Senatores inter ſe in quaſdam veluti factiones diuiſi ſint: quod in pleriſque litibus tot
ab actore, quot à reo, ſiue defenſore Senatores ſtent: quod iudiciorum honorarium munus,
quod Aromaticum vulgo appellant, nimis auctum ſit: quod vadimonij deſerti mulcta tri-
plicata, aut quadruplicata ſit; & quædam alia huiuſce notæ.

Cur de ſeditionibus ſine prouocatione cognoſcatur.

Seditiones Regiam Majeſtatem ſpectant. nihil igitur mirum ſi de his ſine prouocatione 59
Rex cognoſci voluit, vt illis maturè occurratur: id in Italia, Flandria & multis aliis regioni-
bus in cauſis capitalibus, aut criminalibus (vt vocantur) obſeruatur: Lutetia nondum illis ve-
xata eſt, quod prudentibus ciuibus, Senatui præſertim acceptum ferendũ eſt. Sed quod mul-
ti quotidie in vrbem vndique confluunt, vt vnicuique regioni prudẽs ciuis, aut Senator po-
tius præſit, ſatius videtur; quia duenarum numerũ, & quæ arma gerant, diligenter notet, &
ſiquid peccetur, puniendũ curet. Condeus ſeditionis Ambaſianæ ſe quaſi conuictũ animad-
uertens, & ad Regem adire ſimulans, qui tum in Chenuncea arce apud matrem erat, Blæ-
ſiis profectus Pictauiam, vbi Malignius natu maior eum expectabat, celeriter petiit. Lis tum

de Dammar

de Dammartiniaco Comitatu inter Guiſanum, & Mõmorencium equitum magiſtrum ſuſcitata erat, quæ ad veteres inimicitias accedebat: & quod cũ Condeo tacitè conſentire Mõmorencius ferebatur, Catharina Regis mater Ludouicum Regnierũ quem vulgo Planceum appellabant (is Franciſco Mommorencio equitũ magiſtri filio natu maximo ab epiſtolis erat) accerſiuit; & vt earum originem ac Caluinianorum clandeſtinas machinas ſibi declararet, rogauit. Ille & Caluinianus, & Condeæ (vt herus) factionis ſeditionis cauſas in Guiſanos cõtulit, & quicquid contumeliarum potuit, in eoſdem effutiuit. Hic etiam ſeditionum initia libris Gallico ſermone ſcriptis perſequutus eſt, ab anno huius ſæculi quinquageſimo nono ad ſexageſimum ſextum, quos in treis tomos (vt ille vocat) diuiſit: ſed mendaciorum ſuorum conſcius, aut alia de cauſa nomen ſuum non aſcripſit: quos libros Popelinerius eiuſdem & perſuaſionis & factionis (quanquam is quoque hiſtoriæ ſuæ nomen non aſcripſit, ſed quis eſſet publicè & in comitatu Regio ſatis declarauit) quaſi de verbo ad verbum in priorem hiſtoriæ ſuæ tomũ tranſcripſit, & tametſi hominis meminit, tamen hiſtoriæ eius non meminit. Hoc ipſo tempore Mombrunus vir illuſtri familia, qui Cardinalis Turnonij neptẽ Turnonij fratris filiam vxorẽ duxerat, Caluinianam perſuaſionẽ profitebatur, ad quam vicinos, præſertim populum ſibi obnoxium pellicere conabatur, nec ſe aduerſus Regis edicta quicquam committere exiſtimabat: quæ domi, & priuatim, quam quiſque vellet, perſuaſionem ſequi permittebant, modò ne quid publicè innouaretur, aut ne qua conuenticula fierent. Senatus nihilominus Gratianopolitanus vt prehenderetur, decreuit, decretúmque præfecto rerum capitalium, vt id exequeretur, dedit. Cuius admonitus Mõbrunus milites clam conuocauit; & quum ad colloquium cum præfecto rerum capitalium inter ſuam arcem, & Raineletram oppidum propinquũ veniſſet, de verbis ad verbera (vt vulgo loquuntur) hoc eſt ad arma venerunt: præfectum Mombrunus in ſuam arcem captiuum abduxit; deinde miſſis Raineletram ſuis militibus præfecti vicarium cum hippotoxotis illi attributis comprehendi & in ſuam arcem deduci iuſſit; nec quiſquam ex oppidanis, qui opem ferre debebant, mutire auſus eſt, verum eos paulò poſt dimiſit, ſolum præfectum retinuit. Iiſdem diebus Claromontano Talardo ſummoto Mota Grondinus Guiſani Delfinatium Prætoris legatus deſignatus eſt, quanquam priuilegia ſua Delfinates opponebant, & legatum niſi ex ſua prouincia poſſe dari negabant. Senatus Guiſani authoritate & Gondrini virtute commotus eundem donec aliter ſtatueretur, recepit: id vulgo per prouiſionem vocant: nam hactenus nullus alienigena ea legatione functus erat. Is Mombrunum milites cogere certior factus ex Senatus decreto ad eum ſcripſit vt præfectum rerum capitalium dimitteret, & ſe Gratianopolim ſiſteret, ſe in Senatu purgaturus: eius enim actiones rebellionis aduerſus Regem, ac Regios magiſtratus, & læſæ Majeſtatis accuſari; quas ſi continuet, vt eum puniat, ex officio teneri.

60 Sub id tempus Alexander Huiotinus iuriſperitus Caluinianus ex Comitatu Veniſſano Auenionenſi agro finitimo ad Mombrunum acceſſit; & Pontificios magiſtratus in nouæ Euangelij doctrinæ profeſſores accendit: quapropter ſe vim vi repellere, & omneis opes, vitámque adeo vt ſe in libertatem vendicent profundere deſtinaſſe. Mombrunus qui iam trecentos milites coëgerat, & ne ſeditionis argueretur, è Gallia exire cupiebat, viſo eorum qui rebellaturi erant, procuratorio inſtrumento occaſionem arripuit, & ſe ducem fore promiſit. ij duo primum Veniſſani Comitatus oppida inuadere deliberarant, Vezonum munitum, & acceſſu perdifficile, ac Maloſſenum. Illud Alexander Huiotinus, iſtud Mombrunus poſtridie Nonas Auguſti occupare debebat; idque ſine cæde & ſanguine ſe facturos ſperabant. Quum id aggredi pararent, ecce Huiotinus in grauem morbum incidit: quamobrem quod Vezoniani in quamdam ſuſpicionem inciderant, & ipſe adeſſe non poſſet, rem in aliud tempus differre voluit, & milites quos Vezoni clam tenebat, reuocauit, idque Mombruno ſignificauit. Mombrunus qui è Gallia exire properabat, & Huiotinum metu conſternatũ dilationes nectere exiſtimabat, Maloſſenũ die præſcripto intercepit, Vezonũ mox adoriturus, & Huiotino differendum nõ eſſe ſcripſit: adduceret, quot poſſet milites, nec morbum ſimularet. Ille quanquam infirmus circiter ducentos adduxit, & octingentis Mõbruni adiunxit. Iacobus Maria Salla Viuarienſis Epiſcopus prolegatus Auenionẽſis (nam Alexander Farneſius Cardinalis legatus erat) Caderoſſam, atque Ambignanum viros nobiles, & Veniſſani Comitatus primarios ad Mombrunum miſit: cur in alienas poſſeſſiones irrumperet, rogaturos. Ille nemini ſe iniuriam facturum, cæterum quid animo intendat nondum declaraturum reſpondit. Militum numero ſuperabat prolegatus, ſuorum virtute Mombrunus non inferior erat: hinc prolegatus Gondrini auxilium implorauit mille ducentos nummos aureos pollicitus. Hi ſimul quatuor peditũ millia, quingentos equites ex Gondrini, Claromontani, Salernitani principis cataphractorum equitum alis, & Delfinatium nobilitate in armis habebant,

Mombrunus rebelliũ ducem ſe fore ſpondet.

Maloſſenum intercipit.

habebant, & tormentis Gratianopoli aduectis Mōbrunum oppugnare deliberabant, quum
Turnonius Cardinalis Roma rediēs, & aduerſo Rhodano Lugdunū petens ad Mōbrunum
ſcripſit, vt arma poneret: ſe vt domi, & priuatim ſuæ perſuaſionis ritus & ſacra facere poſ-
ſet, à Rege impetraturum: ſed nihil apud hominem pertinaciſſimum profecit.

Quibus conditionibus cū Gōdrino conueniat.

Idem mox tentauit & Delfinatium nobilitas, quæ tandem vt in has conditiones Gondri- 61
nus & Mombrunus conuenirent perfecit, vt Mombrunus ſcilicet, quique eum ſequuti erāt,
arma ponerent, domum intra menſem bini redirent, Romanæ religionis ritus & ſacra reti-
nerent: aut ſi id recuſarent, è Galliæ regno, & Veniſſano Comitatu exirent: poſſeſſiones ſuas
intra annum venderent. Mōbruno priuatim permiſſum eſt, vt cum tot comitibus quot vel-
let domū intra menſem rediret: fœdus hoc ſummus Pontifex & Franciſcus Rex, Gratiano-
politanus, atque Aquenſis Senatus & Comitatus Veniſſani iuriſdictiones intra viginti dies
ratum haberent. Neque tamen pactis Mōbrunus ſtetit: Auguſti initio Rege in amœna fon-
tis Bellæ Aquæ domo commorāte Iacobus Saga Cantaber à Condeo ad Mommorencium
equitum magiſtrum, ad Roiam ſocrum, ad vxorē, ad Caſtilionem Amyralium, Vidamū Car-
nutēſem, & alios ſuæ factionis miſſus Bonuallam centurionē veteranum de Guiſanis vehe-
menter querentē fortè obuium habuit: & quod aliquando familiares fuerant, eius querimo-
nias perlubenter audiuit, & iuſtas Condei heri, vt aiebat, viciſſim adiunxit: quod ſi Guiſanos
vlciſci vellet, præſentem eſſe occaſionem. Cum Nauarro, & Condeo ſummos totius Galliæ
viros principes conſpiraſſe, vt de victoria dubitandum non ſit: ipſum itaque ſimul & vltio-
nem, quam expetit, & ſumma præmia conſequuturum: & accepto, datóque viciſſim iureiu-
rando ne quid ille palam faceret, vt eundem ipſe in maxima Cōdei gratia poneret, omnem
cōſpirationem aperuit, & ſe poſtridie inde migraturū addidit: id ſtatim Briſſaco Mareſchallo
ita conſulente ad Guiſanum Bonualla retulit. At Saga illo ipſo die ſub noctem Bonualla
inſcio profectus eſt Lutetiámque rediit: quòd fortaſſe aliquam de illo ſuſpicionem conce-
piſſet, & nimis multa effutiiſſe ipſum pœniteret. Guiſanus itaque pleroſque qui properātem
interciperēt, miſit: atque inter eos Crocum natione Aruernū Stuardæ Reginæ domeſticum,
qui Sagam Stempis, qua tranſiturus erat, expectauit, & ſub Auguſti finē Lutetia redeuntem
cepit: ad fontem Bellæ Aquæ cum litteris ad Condeum ſcriptis reductus, & in quæſtionem
datus multa aduerſus Nauarrū, Condeum, Mommorēcium equitum magiſtrū, Roiam, Con-

Vidamus Carnutenſis Lutetiæ in vincula datus.

dei ſocrum, Vidamū Carnutenſem, Amanteum Bouchartū Nauarri Cancellarium, Haiam
Pariſienſem Senatorē, & nonnullos alios declarauit. Vidamus paucis poſt diebus in Baſtiliā
Lutetiæ arcē concluſus eſt. Chriſtophorus Thous, Bartholomæus Faius, Iacobus Viola Pari-
ſienſes Senatores iudices dati: quibus Ægidius Burdinus Regius procurator, & Ioannes Til-
letus Senatus Pariſienſis ſcriba additi ſunt. & quod Saga Mommorencium conſpirationis
conſcium, immo verò ſocium confeſſus erat, Ringrauius in Germaniam miſſus, vt Germa-
norum peditum agmen, & bis mille ſclopetarios equites adduceret. Veteranorum etiam pe-
ditū Gallorum cohortes è Gallia Subalpina in Delfinatum reuerſæ ſecūdo Ligeri Gianum,
ac Montargiſium verſus deſcenderunt, quos in Scotiam traiecturos fama erat.

Vidami litteræ omne obſequium Nauarro, Condeóque offerebant: nullius tamen ſedi- 62
tionis, tumultus, aut belli meminerant. Sed Saga, quo obſequium illud tenderet, explicarat.
Mommorencij litteræ prudenter ſcriptæ erant: hortabatur enim Condeum ne quid molire-
tur, quod Rex iure arguere poſſet: ſi qui illum offenderint, patienter ferret, tempus offen-
ſioni ſatisfacturum, vt rem ad arma reuocare opus non ſit: at ſi quis in illum vim intentet,
ſe tum ei non defuturum: aliter non affuturum, dum ei iure agere fas erit. quanquam & Sa-
ga, & alij, qui Mommorencij actiones obſeruabant, Condeo eundem opem ſuam promiſiſ-
ſe aſſeuerabant. Catharina Regis mater Hoſpitalis Cancellarij ſenſibus exploratis cum
Caſtilionis, & Caluinianorum rerum nouandarum ſtudio congruentibus, illos priuatim in
conſiliū adhibuit; & qui ſeditionibus impēdentibus obuiam iretur, hoc eſt, qui magis illæ ac
magis accēderentur, rogauit. Hi conuocandos omneis principes, ſummos totius regni magi-
ſtratus, Regiæ ſocietatis equites, & cæteros, qui plurimum authoritate pollent, iudicarunt.
Eo id conſuluerunt, vt Nauarrum, quem in aulicum comitatum adducere non potuerant,
vel inuitum traherēt: & Mommorencius litteris ad Condeū ſcriptis, vt Nauarrus, atque ipſe
ad Regē accederent, hortatus erat, quos cum Mommorencio, Mōmorencianiſque coniun-

Conuentus ad Bellæ Aquæ fontem indictus, quibus de cauſis.

ctos viribus ſuperiores fore exiſtimabant. Conuentus itaque in duodecimum Kal. Septemb.
ad fontem Bellæ Aquæ indictus eſt; & Rex ad Nauarrum ſcripſit, vt ipſe, ac Condeus, cæte-
rique viri illuſtres, qui vnà cum illo erant, eidem intereſſent: neque tamen is, aut Con-
deus eius frater interfuerunt: quod Mommorencius ac Caſtilio ægerrimè tulerunt. Duo-
decimo Kalend. Septembris apud Reginam Regis matrem conuentus habitus eſt. Sedebat
Rex, Regina eius mater, Regina vxor, atque eius fratres, Borbonius, Lotharingus Guiſanus
Cardinales,

Digitized by Google

Cardinales, Guiſanus atque Aumalius reguli fratres, Mommorencius equitum magiſter, Hoſpitalis Cancellarius, Briſſacus, ac Sanctandreanus Mareſchalli, Caſtilio Amyralius, Aurelianenſis, Viennenſis, Valentinus Epiſcopi, ac Mortierus omnes ſanctioris conſilij Senatores. Sedebant quoque, ſed ſeparatim Regiæ ſocietatis equites. Rex conuentus huius cauſas aliquas breuiter perſtrinxit, quas fuſius à Cancellario, Cardinale Lotharingo, Guiſano regulo audituri ſint. Cancellarius regni ſtatum longa digreſſione, & medici, atque ægroti collatione declarauit: omneis ordines à priſtina integritate deſciuiſſe, ſacros diuini cultus miniſtros, nobilitatem, populum; qui tamen cæterorum ordinum, & ſuam culpam tolerare cogitur: Regem hunc conuentum agere, vt quid facto opus ſit, à vobis intelligat: conuentum legitimum eſſe, tametſi tertius populi ordo non adeſt: qui neceſſarius ideo non videtur, quod eius cauſa potiſſimum hic conuentus inſtitutus eſt: vt ſcilicet in priſtinum ſtatum reſtituatur, & à tot malis, quæ illum circumſtant, vindicetur. Rerum bellicarum rationem reddidit Guiſanus regulus: Cardinalis Lotharingus earum, quæ ad regni ſtatum, & ad regium ærarium pertinent, addens impenſas annuum regni prouentum duobus nummûm aureorum millionibus, vt loquuntur, & ſemiſſe ſuperare, hoc eſt, vicies quinquies centenis millibus: neque aliud quicquam illo die actum eſt.

63 Decimo eaſdem Kal. quum eadem hora, qua prius, hoc eſt, prima pomeridiana, vt Galli numeramus, apud Reginam Regis matrem coiiſſent, & Rex Valentino Epiſcopo poſtremo conſiliario, vt ſententiam diceret, iniunxiſſet, ſurrexit Caſtilio Amyralius, & Caluinianorum nomine duos libellos Regi obtulit, quibus ſe de Ambaſiana conſpiratione, & cæteris ſeditionibus purgare conabantur: & vt ſupplicia religionis ergo vſque ad vniuerſi Chriſtianiſmi Concilium remitteret, poſtremo ad facienda ſuæ perſuaſionis ſacra, concionéſque habendas templa illis attribueret, poſtulabant. Quum in Normaniã ad præparandam militibus in Scotiam nauigaturis claſſem profectus eſſet, & mandatum à Regina Regis matre accepiſſet, vt Caluinianorum querimonias audiret, in id incubuiſſe, & hos libellos reportaſſe: qui ſatis æqua ratione niti videntur, Regem obſecrare, vt quod hic egerit, æqui boníque conſulat. Libelli Albaſpineo Regio ſcribæ traditi ſunt, quos alta voce, vt ab omnibus audirentur, legeret. vbi lecti fuerunt, Valentino Epiſcopo iterùm Rex iniunxit, vt ſententiam diceret. Tria capita (inquit) Regia Majeſtas nobis propoſuit, de religione, de Regio ærario, de ratione, qua populi ei obnoxij ad voluntariam eius obſeruantiã, obſequiúmque adducantur: quibus vt ſatisfiat, non in humani ingenij prudentia, ſed in ſola Dei bonitate poſitum arbitror, qui nunquam malũ aliquod importari ſinit, cui non ſimul præſens remedium porrigat. Tum Diocletiani Imperatoris dictum adduxit, principum miſeram conditionem eſſe, quos ſæpenumero hi maximè fallunt, quibus plurimam fidem adhibent: id illi non accidiſſe, qui matris prudentia, & Guiſanorum diligentia ſeditionem Ambaſianam deprehenderit, eíque maturè prouiderit: deinde in Epiſcoporũ, curionum, cæterorumque virorum ſacratorum impuros mores, neglig ẽtiam, ignorantiam inuectus, illud Eſaiæ regni Iudaici ruinã prædicentis citauit: cõtra Caluinianorum miniſtrorum modeſtiam, diligẽtiam, eruditionem oppoſuit: vt non mirũ ſit, ſi iſtorum doctrina tam multis libris, quàm frequentibus concionibus hominũ mentibus inſtillata plures tẽporis ſucceſſu ad ſe pellexerit: deinde ad Reginas, matronáſque & puellas aulicas cõuerſus, vt Pſalmos Dauidis, atque alios tam in templis quam extra templa decãtent, hortatus eſt: corrigendam Epiſcoporũ, curionúmque negligentiam, & antiquos mores inſtaurandos, quæ prima ſeditionum compeſcendarum ratio eſt: altera vt Concilium totius Chriſtianiſmi celebretur; aut ſi id impetrari non poteſt, ſaltem Galliæ totius Epiſcopi ſuum celebrent: qualia ſub Carolo Magno, Ludouicóque eius filio celebrata ſunt; ad quod Concilium etiam ex Caluinianis eruditiores admittãtur, vt ſi qua via conſentire nobiſcum poſſint, periculum fiat. Nec illa obiectio recipienda eſt qua dogmata, quæ nunc controuertuntur, antiquis Conciliis vel approbata, vel damnata aſſerunt: Theodoſius enim Imperator Arrianos, Macedonianóſque, atque eorum placita Conſtantinopolitano Concilio expendi, ac damnari iuſſit, quamuis Niceno, atque aliis Conciliis antea damnati fuiſſent.

Caſtilio Amyralius Caluinianorum querimonias apud Regem proſequitur.

64 Quod ad eos qui nouam hanc doctrinam ſequuntur, attinet, alij vbi eam exceperunt, armis eandem tueri nituntur: nec Regiis edictis parent, & ſeditiones excitant: hi merito puniuntur. Paulus enim nos monet, vt pro Regibus, ac principibus oremus, atque illis pareamus. duodecies doctrina Chriſtiana à Romanis Imperatoribus oppugnata eſt, vbi quingenta hominum millia cæſa traduntur: at nemo ex illis arma oppoſuit, ſed ſua patientia Imperatorum crudelitatem ſuperarunt. Alij eiuſdem ſectæ non armis, vt illi agunt, ſed vitæ integritate, & ſuppliciorum tolerantia ſe nihil aliud, quàm ſempiternam illam beatitatem ſpectare docent: Deum metuunt, magiſtratibus parent. hi à ſuperioribus multum ſeparandi ſunt. Reducantur in memoriam antiqua Concilia, Nicenum, vbi

trecenti decem & octo Epiſcopi; Conſtantinopolitanum, vbi centum quinquaginta; Epheſium, vbi ducenti; Chalcedonenſe, vbi ſexcenti triginta Epiſcopi coierunt. Nemo aduerſus Arrianos, Macedonianos, Neſtorianos, cæteróſque, qui ſe à Chriſtiano conſenſu ſepararant aliis armis, quam ſolo Dei verbo pugnauit. Chriſtiani Imperatores Conſtantinus Magnus, Valentinianus, Theodoſius, Marcianus neminem morte, exilio dumtaxat, ne probos ac pios in impias ſuas ſectas pellicerent, vt grauiſſima pœna mulctarunt. Leo Primus Eutychem prauam ſuam doctrinam exulem propagare certior factus, non vt morte plecteretur, ſed vt in remotius exilium mitteretur ab Imperatore poſtulauit. Quod ad cœtus edictis prohibitos attinet, in puniendis tempus, numerus, locus, ſcopus conſiderari debent, vt iiſdem ſuppliciis omnes haud puniendi videantur. Hæc Montlucius multis verbis explicauit, quæ nos in pauca contraximus: poſt hunc Mortierus homo nec doctus, nec rerum experiens, vt ferebatur.

Tertio loco ſententiam dixit Carolus Mariliacus Viennenſis Archiepiſcopus vir erudi- 65
tus & multis legationibus functus: Quanquam quod in genere propoſitum eſt diiudicari facilè non poteſt, niſi ad ſpecies ipſas deſcendatur, vbi pro rerum & ingeniorum varietate, variæ quoque ſententiæ eſſe poſſunt: tamen illud primum in omni conſultatione ſpectandum eſt, vt quid facto opus ſit, decernatur: præſertim quod res quo nunc ſunt ſtatu diu permanere non poſſunt, & huius regni initio tantæ, quantæ fortaſſe antea nunquam ſeſe difficultates obtulerunt: tumultus recentes, impendentium metus, quorundam querimoniæ, aliorum extrema paupertas, omnium quidam velut ſtupor nos admonere debent, ſi quid præter ſpem accidat, vt perficiamus, quo id ſine regni maiore perturbatione, aut inſigni mutatione tranſigatur. Regni duæ firmiſſimæ columnæ ſunt, quibus immobile ſuſtentatur, religionis integritas, & populi beneuolentia: quæ ſi in ſuo ſtatu permanent, quin Regi obtemperetur, quin is vt quidam terreſtris Deus colatur, dubitandum non eſt: ſin vacillant (vt vacillare hodie videmus) ne magnum hoc ædificium vna corruat, periculum eſt. vt vtramque baſi ſolidiſſima ſtatuamus, & nos cogit neceſſitas, & vtilitas inuitat. Eò vt perueniatur, Regis officium explicandum eſt: id eſt, vt populum ſibi commiſſum in Dei cognitione & obſequio contineat, quod ſanctis legibus aſſequitur, & Reges tuendæ iuſtitiæ cauſa olim conſtitutos legimus; iuſtitiæ autem eſt improbos ſupplicio afficere, probos tueri. Suos igitur Rex armis tuebitur, eorum res ita procurabit quemadmodum liberorum ſuorum paterfamilias diligens, vt meritò patriæ pater appelletur: & hoc à tyranno differt, quod Rex beneuolentia, & ſuorum conſenſu; vi tyrannus regnat: & finem quo Reges collimare debent, peruertit, efficítque ne iuſtitia fruamur, qui eſt religionis effectus. Conſtituat itaque religionem Rex neceſſe eſt: ne ſe diuina gratia, qua Rex creatus eſt, indignum reddat: quæ fortaſſe idcirco ad alios transferetur, vt veteris inſtrumēti, antiquíſque Galliæ noſtræ exemplis ſatis liquet: vera autem religio eſt, vt Deum quemadmodū agnoſci debet, agnoſcamus, & mandata eius expleamus. at quod aliorum malignitate, aliorum negligentia, & corrupti huius ſæculi moribus Dei cognitio obſcuratur, Dei ſimul accenſa in nos ira indicatur; cui niſi breui & maturè prouidetur, magnam & proximam quidem certè minatur ruinam. antiquum & conſuetum remedium, quo religio inſtaurari ſolet, totius Chriſtianiſmi Concilium eſt: cuius nulla, aut rara ſpes eſſe poteſt: quod vt Pontifex maximus, Imperator, Chriſtiani Reges, Germani latè patens natio de tempore, loco, Concilij forma, ſiue ratione ſtatim conſentiant, in noſtra poteſtate ſitum non eſt: quum enim id alij promouere ſtudent, alij interrumpere conantur, vt recentibus exemplis perſpicuum eſt. At quod nos vrget malum tantam dilationem ferre non poteſt, quum in pleriſque regni huius regionibus ita ſit accenſus ignis, vt niſi naſcens extinguatur, totum regnum occupet; quemadmodum in acutis morbis ſanguinis emiſſio, aut aliud præſens remedium ſtatim adhibendum eſt, nec lentum remedium, aut longinquus medicus expectandus. Ad proximum igitur remedium, hoc eſt, ad totius noſtræ nationis Concilium accurrendum eſt, quod iam Rex promulgauit. Igitur vt celebretur vel neceſſitas, vel miſer noſtræ religionis ſtatus, vel Regis exiſtimatio, qui id promiſerit, & promulgarit, nos vrgent: quum præterea nihil obſtet, immo verò eius accelerandi cauſæ quotidie augeantur, & nos magis, ac magis vrgeant.

Regni duæ ſunt columnæ, quænam illæ ſint.

Mariliacus Viennēſis Archiepiſcopus Concilium vt quid ad regni trāquillitatē neceſſarium procurat.

Carolus Quintus Imperator nuper vita functus quum vt coronam Imperatoriam acci- 66
peret, Bononiam appuliſſet, de rebus ad vniuerſum Chriſtianiſmum pertinentibus cū Clemente VII. Pontifice maximo contulit, & per Cancellarium Concilium propoſuit, tum vt vetus ſacrorum miniſtrorum diſciplina inſtauraretur, tum vt nuper inuectæ de religione controuerſiæ componerentur. Huic Clemens vehementer reſtitit, & Concilium vel propter doctrinam, vel propter diſciplinam non neceſſarium eſſe reſpondit, quod nouæ iſtius doctrinæ placita, ſiue dogmata veteribus Conciliis ſatis confutata, ac damnata ſint.

Sacrorum

Digitized by Google

Sacrorum autem miniſtrorum Chriſtianorúmque cæterorum bonis moribus antiqua decreta, ſi obſeruentur, abunde prouiderint. Quo reſponſo Imperatori non ſatisfecit, qui magnos illos conuentus Reip. Chriſtianæ perutiles eſſe intulit; vt malum, quod in dies augeri poteſt comprimant, aut omnino opprimant; aut vt antiqua decreta renouent, & vt in ſuo ſtatu permaneant, noua approbatione confirment. Qua in ſententia quoad vixit, perſeuerauit, & Concilium vniuerſum, quoad potuit, procurauit. Olim Concilia vniuerſa, hoc eſt, totius Chriſtianiſmi ſingulis quinquenniis celebrari ſolebant, vt in Pontificum decretis videre eſt: priuata, & certarum nationum vt ſeſe occaſio offerebat. Verumenimuerò antequam ad hunc conuentum accedamus quatuor velut prælúdia (ſi in rebus tam ſeriis ludi mētionem facere licet) antecedant oportet: primum vt Epiſcopi ſinguli in ſua prouincia, quam diœceſim vocant, aſſidui ſint: nec Italis parcendum, qui tertiam ſacerdotiorum noſtrorum partem, atque infinitas penſiones obtinuerunt. Si Rex ſtipendium militibus pendit (vt cataphractorum equitum alis pendere ſolet) & bellum graue inſtet, illi autem domi ſedeant, nonne eos meritò exauthorabit, & alios in eorum locum ſurrogabit? Quid de Epiſcopis dicendum tot impiis doctrinis eorum prouincias inuadentibus, quas mali genij totius humani generis, in primis autem Chriſtianorum hoſtes inuehunt? an quum grauiſſimum bellum inſtet, vacationem, aut miſſionem poſtulabunt? Hoc autem bellum continuum eſt, nec vllas inducias admittit: & eo terribilius, quod Regum hoſtes videntur: hi autem quum ſpiritales ſint, & incorporei, non videntur.

67 Secundo loco laborandum eſt vt omnis auaritia è templo Dei tollatur; quam belluæ Babylonicæ nomine libri ſacri indicant: Paulus Tertius Pontifex maximus vt Lutherianorum, Caluinianorúmque clamores compeſceret, Contarenum, Theatinum, Sadoletum, Polum Anglum Cardinales delegit; quibus quinque viros eruditiſſimos eorum qui Romæ erant, addidit, qui quicquid potiſſimum quod ad diſciplinam attinet, emendandum eſſet, ſcripto mandarent; eóſque ſacramento adegit, ne quicquam illum celarent: & ſi celarent, ſe ſacris Chriſtianis interdicturum minatus eſt. Paruerunt illi, & libellum communi conſenſu ſcripto mandatum Paulo obtulerunt. *Quibus malis in regno pullulātibus iſto conuentu occurri velit.*

68 Tertio loco antiqui quum aliqua maior calamitas imminebat, vt peſtis, fames, aut bellum, publicis ieiuniis delictorum ſuorum profeſſione cum lacrymis Dei iram placare conſueuerant, vt veteris inſtrumenti hiſtoriis conſtat, quos vt imitemur conſentaneum eſt. Quæ autem maior peſtis, quàm quæ animum perimit, vt vulgarem quæ corpus inficit, omittamus? quæ maior fames, quàm quæ nos vero alimento, hoc eſt, Dei verbo priuat? Non ex ſolo pane viuit homo (inquit Chriſtus) ſed ex omni verbo quod ex Dei procedit. Quod bellum tam cruentum, quàm quod puram doctrinam, Deíque cognitionem euertit? Regem noſtrum à Deo abalienat, regnúmque iſtud amplū, cuius portio ſumus, euertere conatur? Ad antiqua igitur arma, ieiunia inquam, lacrymas, orationes redeamus. Dei gladium, hoc eſt, eius verbum aſſumamus: cuius nos vaginam duntaxat (ſi ita loquendum eſt) & ſuperficiem, non medullam, id eſt, vim ipſam retinemus: non pedum, non thiara, quæ medullam, id eſt, veram doctrinam & vitæ integritatem comitari ſolebant, nos populo admirabiles reddent, niſi comites illæ ſimul incedent: iam enim ſecuris ad radicem poſita eſt, vt arbor quæ bonum fructum non fert, ſuccidatur. Quarto loco ne ſeditiones excitentur, maturè prouidendum eſt: nemini enim niſi permittente ſummo magiſtratu arma capere licet, armorum capiendorum finis eſt, vt legi pareatur: cuius conſeruandæ poteſtas vel Regibus, vel in liberis ciuitatibus ſummis magiſtratibus Dei mandato permiſſa eſt: itaque qui ſua authoritate arma ſumunt, Dei mandato repugnant. Hinc Ambaſiani coniurati iure puniti videntur, qui ſupplicis libelli Regi offerendi ſpecie magnam armatorum manum coëgerunt, quum & ſupplices ipſi, & pauci libellum ſuum offerre debuiſſent. Nunc ad alterum caput veniendum eſt, qui Regi pareatur: id fiet, ſi querimonias ſuorum Rex audiet: querimoniæ autem aliæ priuatæ ſunt, aliæ publicæ: priuatæ ad iudices reiici poſſunt, qui ita conſtituti ſunt, vt ſuis legibus etiam Rex ipſe teneatur: at ſi publicæ querimoniæ ſunt, quæ ad regni ſtatum, aut mutationem ſpectent, ad antiqua ſtatuta quibus regnum ſtat, hoc eſt, ad treis Galliæ ordines referri debent: qui quicquid emendandum eſt, proponunt, & communi conſenſu de remediis conſultant. Rex paterna charitate vt populo ſuo ſatisfaciat, quod æquum eſt, ſtatuit: hinc emanat populi erga Regem beneuolentia: Rex autem rectè factorum conſcientia, quod officio ſuo non defuit, & populi charitatem retinuit, ſempiterna lætatur, cuius mandata mutua charitate longè facilius & cumulatius populus obit, quàm ſi vi cogeretur, vt ſine armis regnare poſſit: id nimirum eſt, quod Agis Rex Lacedæmonius dictitabat: Regem tum ſine armis regnare, quum ſuis, vt pater filiis imperat. *Regni totius difficultates ad trium ordinum conuentum referri debere cenſcitur.*

69 Plebs ſe tributis exhauſtam queritur, quæ à Ludouico Duodecimo huc vſque ſemper

Digitized by Google

aucta ſunt, nouis Regibus ad ſuperiorum ſummam ſemper aliquid addentibus: nonne hæc querimonia digna eſt, quæ à tribus ordinibus audiatur? Si contra Rex opponet, diuturnorum bellorum impenſas tantas fuiſſe, vt non ſolum annuum regni vectigal, ſed & ſubſidia omnia longè ſuperarint, magnúmque æs alienũ inde conflatum ſit, quo ſe regni initio obæratum deprehenderit: nonne digna querimonia eſt quæ à tribus ordinibus audiatur? quum hinc plebs queratur; inde neceſſitas ea ſit, vt Rex magis cupiat, quàm populo ſatisfacere poſſit: quum afflictorum res audire primus ſit conſolationis gradus, & ſubleuandarum ſpes nõ exiguam afflictionis partem detrahit; ſaltem à deſperatione reuocat, & ne res nouas moliantur efficit. Si populus dicat Regem è Regio patrimonio domeſticas in familiam ſuam, priuatúmque ſumptum impenſas facere, bellum ex ſubſidiis, nulla tributa niſi quæ in equitatus ſtipendium penduntur, exigere debere, vt antiqui Reges ſolebant: Rex contra Regium patrimonium magna ex parte diſtractum ac venditum, ſubſidia, cuiuſmodi ſunt portoria, & alia eius generis oppignerata, ſe tamen ad conſuetas impenſas faciendas cogi, nec interim æs alienum à patre, auóque conflatum poſſe diſſoluere: neceſſe eſſe vt tributa aliqua ex parte imminuta in aliquot annos continuentur, donec de redimendo Regio patrimonio, de liberandis ſubſidiis, de diſſoluendo ære alieno ratio ineatur. Ad quos, niſi ad treis ordines tanta controuerſia deferetur? Si neceſſitas vrget, vt regni imminuantur impenſæ, quibus autem id munus iniungeretur, magnam ſibi inuidiam, magnas virorum potentium, qui dum loculi ſui referti ſint, Regios vacuos non morantur, inimicitias conflabunt: quomodo prudentius, quam ex trium ordinum decreto, & citra inuidiam munus ſuum exequentur? ſi tam multi queruntur, & perturbandi huius regni ſtatus occaſiones quærunt; quorum alij nec eorum, quæ geruntur, rationem, nec quid Regium ærarium ferre poſſit, intelligunt. Alij hæc obtendunt, vt populum ad ſeditionem incitent, vt probis ſatisfiat; improbi publicè redarguantur. Vbi hæc opportunius agitabuntur, quàm ſi corã tribus ordinibus ratio eorum, quæ geruntur, reddatur, vbi de his inquiri, & veritas dignoſci permittitur? Si primarij Regis miniſtri in calumnia ſunt, ieiuna fortaſſe & frigida quaſi malorum noſtrorum omnium authores: quomodo ſe commodius purgabunt, quàm ſi coram eo celebri conuentu ſuæ adminiſtrationis rationem reddent? Vt vno verbo dicam, omnes publicæ querimoniæ ſi iuſtæ ſunt, præſentius hic, quàm alibi vſquam remedium accipient: ſi iniuſtæ, maiore cum authoritate damnabuntur.

Si antiquus hic, & patrius trium ordinum cogendorum mos omittetur; nec tradita à maio- 70
ribus noſtris remedia adhibebuntur, nec Regi, nec eius mandatis, ac legibus parebitur: quod certiſſimum eſt ſeditionum impendentium præſagium: quum enim populi querimoniæ non admittuntur ſpem ſui ſubleuandi populus amittit, & quadam deſperatione Regem, Regiáque edicta contemnit, & ſibi nihil præterea grauius, quàm mortem malorum omnium extremum accidere poſſe proponit. Hûnc magis accendunt, qui ex ſeditionibus gloriam, vel fructum aliquem ſibi acceſſurum pollicentur, aut inuidia aduerſus præſtantiores macerantur: & vanis perſuaſionibus culpam in eos qui regnum adminiſtrant, conferunt: mendacia innumerabilia attexunt: famoſos libellos diuulgant, & locis publicis affigunt, libros ſine authore ſpargunt, qui facillimè à populo indignato eius exaſperatis affectibus conſentanei recipiuntur. Hinc alij religionem obtendentes Regia edicta violant, iudicibus vim afferunt, omneis rebellium actiones patrant: alij conuenticula interdicta ineunt, populum vexant; & omnia ſibi impune licere ſperantes eius impenſis viuunt: ac culpam in eos qui regnum adminiſtrant, reiiciunt; qui querimonias audiunt, nec remedium adhibent. Qui ex illis magis temerarij ſunt, nihil diſſimulant: maligniores cum principibus, & nationibus externis ſocietates coëunt; & populo interim libertatem aut rerum mutationem promittunt: idque ita vulgo notum eſt vt priuatim perſequi neceſſe non ſit. Addam illud duntaxat: ſiqua prouincia tributum conferre fortè recuſabit, vt quædam præ ſe ferunt: ne cæteræ exemplum ſequantur, periculum eſt, aut ſaltem ne pecunia ab aliis collata, vt hi ad officium reducantur, ſufficere non poſſit, ignisque ſemel accenſus ex alia in aliam propagetur, tandémque totum regnum occupet.

Hæc quadam neceſſitate trium ordinum conuentum flagitant: quid ſi nos eodem ſumma 71
vtilitas inuitat? quod enim Regi adoleſcenti, vt regnare diſcat, vtilius optare poſſumus, quàm vt populi & regni ſui negotia non in genere, ſed priuatim intelligat, non ab adulatoribus, qui plerique Reges circumſtare ſolent, verùm ab iis qui in tanto cœtu mentiri, aut diſſimulare erubeſcent, & ex his impenſas faciendas metiatur? populi (inquam) mores expendat, beneuolentiam agnoſcat, & vt bonus paſtor oues tõdet, nec deglubit, ſic populum humaniter tractet, nec nimis opprimat: & quicquid præter Regium patrimoniũ in ſuum ærariũ infert, id ex populi ſubſtantia, ſi ita cum Quintiliano & Græcis loquendum eſt, & ſanguine inferri animaduertat: quæ ſanctiſſima & verè Regia educatio eſt, quam fortuna (vt veriſimile eſt) florentiſſima comitabitur. Sic Carolum Quintum Germanorum Imperatorum poſt Carolũ magnum

præſtantiſſi

præſtantiſſimum educatum legimus: ſic Ludouicus XII. huius noſtri Regis maternus auus patriæ pater appellatus eſt: quod cognomen magnas quaſque victorias, & nouorũ regnorũ occupationes præſertim apud Chriſtianos longè ſuperare nemo dubitarit. Addam Gallos ſemper Reges ſuos ſumma beneuolentia proſequutos, & quoties eoſdem aliqua neceſſitate premi animaduerterunt, præſertim in quam non ſponte, ſed forte fortuna, aut alia de cauſa inciderunt, nunquam ipſis defuiſſe, verum quicquid potuerint, cumulatè præſtitiſſe: quapropter diligenter cauendum eſt, ne hæc liberalitas plus æquo repetita in deſperationẽ conuertatur. Rex quidem legis author eſt, & ſolus iubere poteſt: ſed quæ ex tanti conuentus conſilio, & ſententia ſancita ſunt, longè maiorem vim habẽt, hiſque ſine vlla difficultate paretur: at quũ pauci legi ſanciendæ interfuerunt, multi paucorũ arbitrio non exactè perpenſis rationibus latam interpretantur: quas alij propoſuiſſent, ſi quidem interfuiſſent. Sic hoc regnum circiter mille & centum annos in ſuo ſtatu permanſit: nec vllũ eſt aliud quod hunc antiquiſſimũ, & ſanctiſſimum morem non ſequatur. Germanicum Imperium, Hiſpania, Anglia, Scotia, Dania, ſiue Danimarchia, Bohemia ſuos conuentus habent, & cæteræ nationes, quæ ſub tyrannis ſeruitutem non ſeruiunt.

72 Supereſt vt iis reſpondeam, qui iſtos ordinum conuentus iamdudum intermiſſos aiunt: Regis authoritatem inde imminui, nec in his ſeditionum turbis ſine diſcrimine renouari. Si hi qui intermiſſionẽ obiiciunt, mala quæ inde conſequuta ſunt, expenderent, haud eam, ni fallor, proferrent. Si enim conuentus continuati fuiſſent, labem quæ nos in tantas calamitates coniecit, tam latè ſerpere non permiſiſſent, quin aut totam, aut bonam eius partem eluiſſent: quemadmodum enim Conciliorum intermiſſio antiquam ſacerdotum diſciplinam, ſic conuentuum horum intermiſſio priſcam regni adminiſtrationem corrupit. Itaque qui vtrique malo mederi volet, vt ad antiqua Concilia, & conuentus redeat, neceſſe eſt. Qui Regis authoritatem inde imminui dicunt, haud ſatis natura inſitam Gallis erga ſuos Reges beneuolentiam expendunt, qui quicquid poſſunt, Regibus contribuunt: à quibus plus petere iniuſtũ, exigere importunum, ac tyrannicum eſt: hoc igitur non Regis authoritatem imminuere, ſed conſtituere eſt, vt populo ſcilicet iuſta proponat: quæ non violato Regis nomine ſe impetraturum ſciat. Si quis inferet Regem ſibi legem imponere ne quid, niſi de populi conſenſu recipiat: non difficilis reſponſio eſt. Si enim populus cur tributa augeantur ratione non intellecta facilè contribuit: quanto facilius contribuet, ſi trium ordinum conſenſu cauſa iuſta pronuntiata eſt? Si quis poſtremò addet, eorum igitur quæ Regi pendentur, populus iudex erit: in tam celebri conuentu haud dubium eſt, quin bona pars quid regno vtile eſt, non conſideret: idcirco & aſſentietur: vox enim populi, vt vulgo dicitur, vox Dei eſt. Sic regnarunt antiqui Reges qui nulla populi vexatione illuſtres victorias conſequuti ſunt: ad Ludouicum XII. redeamus, qui Mediolanenſem principatum in ſuam poteſtatẽ redegit, & Venetos ab omni terreſtri imperio excluſit, & ſi ambitioſus fuiſſet, vrbis quoque cõpos fuiſſet: at nos vnã ex hoſtibus captam vrbem vix retinere poſſumus. Ad hæc nimia exigendæ pecuniæ facilitas Reges ad infinitas impenſas non neceſſarias, quas aulici adulatores ſuggerũt, & ad inuadẽdos externos principatus inuitat: ex quibus præter vitia, nihil reportauimus. Non deſunt, qui ordinũ conuẽtus Ioanne Rege ab Anglis capto actos opponãt, qui Carolum Delfinum ad res indignas tolerandas coëgerũt; quibus primum reſpondendum eſt: ſi vnum duntaxat exemplũ profertur, quo damnum illatũ eſt, quid de tot emolumẽtis dicemus, quæ totos mille annos ex iiſdẽ conuentibus emanarunt? eadẽ ratione magiſtratus omnes tollendi viderẽtur, quod qui iis funguntur, improbi nonnulli aliquãdo reperiuntur.

Ordinũ conuentus Regiam auctoritatẽ haud imminuunt.

Conuentuum huiuſmodi emolumẽta, & fructus.

73 Sed regni illius ſtatum cum iſto conferamus: Ioanne capto Angli ſemper victores magnam Galliæ partem poſſidebant, & regnum ſibi vendicabant: quorum fortunam plerique magni principes Galli ſequebantur, & multas vrbeis ſecum trahebant: vnde nihil mirum ſi vel Anglorum metu, vel horum principum malis conſiliis plures ad Anglos inclinabant: at nunc cum vicinis principibus pacem habemus, nemo regnum, aut regni partem ſibi vendicat, Regi parere recuſat nemo, maligna duntaxat quædam ingenia vel religionis ſpecie, vel commentitia alia de cauſa turbas, & ſeditiones cient, vt prædas faciant, & ex aliorum ſpoliis opulenti euadant: quorum ſcopus, & technæ ſi in publico ordinum conuentu declarabuntur, ſi quemadmodum publica pecunia diſtribuitur, quæ neceſſitates impediant, quominus omnibus, qui petunt, ſatisfiat, quæ populi ſubleuandi & ſacrorum miniſtrorum ad priſtinam vitæ integritatem reuocandorum cupiditas ſit, ordines docebuntur; id nimirum non ſeditiones augebit, quæ nullæ adhuc ſunt, ſed impendentes ſopiet; quæ facile creſcent, niſi trium ordinum decreta, Regia edicta, & magiſtratuum prudentia iiſdem breui prouidebunt, vt Carolo Octauo regnante accidit, qui quum annis quatuordecim minor eſſet, & de regni adminiſtratione coactis hinc inde copiis contenderetur, tamen trium ordinum conuentus eum Regem agnoſcens, vt quæ è re ſui regni eſſent, audiret, ſuppliciter petiit, nec vllam cogendi ſignificationem addidit: tanto magis Regem noſtrum triennio maiorem, & maritum iidem ordines obſeruabunt, reuerebuntur, colent: cui Regina mater mulier prudentiſſima, tot ſtirpis Regiæ, aliique principes, ſacerdotum

Digitized by Google

ſacerdotum ordo, nobilitas aderunt, qui pro illius authoritate conſeruanda non ſolùm omneis
opes ſuas, verùm etiam vitam æquo animo profundent: vt neſcio quorum imbecillas machi-
nas, qui & cauſa, & viribus longè inferiores ſunt, timere non debeat.

Poſtridie qui nonus Kal. Septemb. fuit, Caſtilio Amyralius libellos quos Regi obtuliſſet, vt 74
hi qui dederãt, ſubſcriberent rogaſſe ait. Tũ illos reſpondiſſe an Rex à paucis, an à multis ſub-
ſcribi vellet: ſe ſi opus ſit, ad quinquaginta millia ad Regem acceſſuros, & corã ipſo ſubſcriptu-
ros. Deinde malum exemplum eſſe addidit vt Rex adoleſcens populum ſuũ timere aſſueſcat,
& militum cuſtodias ad ſe tuendũ augeat; & in hoc metu educetur, vnde mutuum de ipſo po-
pulus metum concipere poteſt, quod eſſe ſeditionis initium videtur. Poſtremò inſtitit, vt ſacro-
rum miniſtrorum antiqua diſciplina inſtauretur, nouæ militum cuſtodiæ Regi attributæ aufe-
rantur, trium ordinum conuentus indicatur: cæteri præter Guiſanum, & Carolum Cardina-
lem eius fratrem nihil noui attulerunt. Guiſanus eos qui Regem in metu educari non debere
dixerunt, ineptè hunc ſermonem intuliſſe ait: non enim populi eſſe, vt ſe de Regis educatione
nimis curioſum præſtet: optimam illum à patre accepiſſe: ſi quid deeſſet à matre prudentiſſi-
ma fœmina addi poſſe; & qui illum norunt, optimè educatũ ſciunt. Quod ad Regias cuſtodias
auctas attinet, harum ſe niſi poſt Ambaſianam coniurationem authorem non fuiſſe, vbi multi
aduerſus Regem apertè arma ſumpſerunt: nec ad rem facit, quod non aduerſus Regem, ſed
aduerſus eius miniſtros quidam arma ſumpta diuulgant: ſe enim, ac Cardinalem fratrem pri-
uatim neminem offendiſſe: ſi qui offenduntur, propter regni adminiſtrationem offenduntur:
qui igitur hac de cauſa arma capiunt, nonne aduerſus Regem capiunt? Quod ad religionẽ at-
tinet: ſe ad Theologos & viros eruditos eam deliberationẽ reiicere: quamquã ab antiqua præ-
ſertim quod ad ſacram Euchariſtiam attinet ſe nunquam diſceſſurum profeſſus eſt: trium ordi-
num conuentum ad Regiam maieſtatem reiecit. Cardinalis Lotharingus libellos ab Amyralio
oblatos refutauit, & mẽdacij arguit: ſe Regi obtẽperaturos dicunt, at ſub conditione, ſi illorum
perſuaſionẽ ſequatur, aut ſaltem approbet: hunc autem celebrem conuentũ atteſtari vtrum an-
tiquam & tot ſæculis, tot Conciliis cõfirmatam religionem, an potius homuncionum iſtorum
nouam perſuaſionẽ ſequi Rex debeat. Si eis templa ad conciones, & ſacramenta adminiſtranda
condonabit, eorũ perſuaſionem comprobabit: auguſtum illud, atque hæreditariũ Chriſtianiſſi-
mi cognomen amittet, & certã æternæ felicitatis iacturã faciet. Quod quinquaginta hominum
millia ſupra cõmemoratos libellos ſubſcriptura dicũt: his decies aut potius vicies centena mil-
lia Rex opponet, qui à ſua, hoc eſt, ab antiqua religione non diſceſſerunt: qua autem pietate iſti
perſuaſionem ſuam promoueãt cognoſcere operæpretium eſt, ex famoſis libellis ſcilicet, quos
vbique locis publicis affixerunt; ex quibus duos & viginti aduerſum ſe ſcriptos proferre po-
teſt, quos diligenter conſeruat, idque ſibi magnæ gloriæ fore ducit, quod tam ſceleratorum
hominum probris conſciſſus ſit: ſeditioſos grauiter puniendos cenſuit, cæteros qui nec ſeditio-
nes cient, nec conuenticula faciunt, verum perſuaſionem ſuam priuatim exercent, ſuo iudi-
cio relinquendos, nec ſuppliciis afficiendos putat: quæ hactenus non multum profuerunt.

Guiſani Caſtilionis Amyralij obiectionibus occurrunt.

Quod ad Conciliũ attinet, ſi vniuerſi Chriſtianiſmi quæritur, id in noſtra poteſtate non eſt: 75
nec id Carolus V. Imperator potentiſſimus, tametſi totis viribus in illud incubuit, aſſequi vn-
quam potuit: priuata Concilia, quæ nationum appellantur, de ſacrorum miniſtrorũ, populique
moribus decernere duntaxat, noui quicquã afferre non poſſunt. Itaque vetera Cõcilia aut vni-
uerſa, aut priuata renouare poterũt, addere nihil poterũt: quæ ſinguli Epiſcopi in ſuis prouinciis
ſine tantis impenſis præſtare poſſunt, qui in ſuas prouincias, ſiue diœceſes ſtatim abeãt, & dili-
genter de iis quæ ad diſciplinã de moribus pertinent, inquirant, & ſuæ diligentiæ Regem intra
alterum menſem certiorẽ faciant: vt an vniuerſum, an priuatum noſtræ nationis Conciliũ per-
ſequatur, intelligat. Conuentum trium ordinum probat, vt omnes agnoſcant, quàm ſincerè, &
prudẽter regnum adminiſtretur, & in poſterum ſpem meliorem cõcipiant. Octauo Kal. Regiæ
ſocietatis equites deliberarunt, & omnes Cardinalis ſententiã ſequuti ſunt. Septimo Kal. con-
uentus trium ordinum in quartum Idus Decemb. Meldam indictus eſt, niſi aliam vrbem Rex
interea deligeret: ſed prius ſingulæ prouinciæ ſuos cõuentus agerent: quid in totius regni con-
uentu proponendum eſſet, expenderent, & eos, quos miſſuri eſſent, deſignarent. Et quãdoqui-
dem ſummus Põtifex atque Imperator, cæterique Chriſtiani principes de totius Chriſtianiſmi
Concilio propemodũ conuenerant, Epiſcopi ad quartum Idus Ianuarij ad aulicũ comitatum
accederent, inde ad vniuerſi Chriſtianiſmi Conciliũ profecturi; aut ſi de illo non conueniet, de
totius Galliæ Concilio deliberaturi: interim in ſuas prouincias ſinguli redirẽt, ſacris libris euol-
uendis operam darent; & quid in quaque prouincia, quod ad mores attinet, emendandum eſt,
animaduerterent. Prætores quoque ſiue adminiſtratores, quos gubernatores vocamus, Balliui,
Seneſchalli in ſuas prouincias, aut præfecturas abirẽt, de omnibus, quæ illic agũtur, inquiſituri,
nec vllos tamen niſi ſeditionis reos ſupplicio affecturi: nonnullos tamen, quos tum non nomi-
nauit, ſi ſeditionum authores, aut adminiſtri conuincerentur, Rex ſibi puniendos reſeruauit;
id propter Sagam additum putant, cuius ſuprà mentionem fecimus.

Conuentus trium ordinum Meldam indictus.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER VIGESIMVS-NONVS.

1 SEDITIONVM auctores Saga nominatim indicauit Condeum, Mommorencium equitum magiſtrum, Caſtilionẽ Amyralium, quos inſana ambitio ad perturbandi noui regni ſtatum inflammabat. Nauarrus natura humanior, & patriæ tranquillitatem amans in Guiſanos conſobrinos non facilè accendebatur: tametſi cunctantem illi crebris & litteris, & nuntiis vehementer incitabant. Hinc ad Malignium natu minorem, qui ad Lugdunum Nonis Septembris occupãdum omnem apparatum inſtruxerat, ſcripſit, ne id omnino tentaret: ne inimicis ſuis calumniandi occaſionem daret, quem regni adminiſtrandi ſpecie regnum ipſum inuadere velle diuulgabant. Et tum rumor fuit Nauarrum ac Condeum cum magnis Aquitanorum copiis Regis adeundi ſpecie per Pictones, & Turones Aureliam profecturos, quas vrbeis in ſuas parteis tranſiiſſe exiſtimabant. Danuillam alterum Mommorencij filium cum quingentis, aut ſexcentis cataphractis equitibus ad Pictauiam illis occurſurum: Mommorencium equitum magiſtrum Lutetiæ compotem fore: Stempenſem regulum pro Britannia, Tendanum pro Phocenſi prouincia, Senarponem, & Bouchauannium, pro Picardia ſpondere: ſi viribus inferiores ſint, ad Aureliam, qui veluti Galliæ vmbilicus eſt, maiorem exercitum inſtructuros. Hinc Rex è fonte Bellæ Aquæ ad Germani Laij arcem longè firmiorem profectus eſt: ſed antequam proficiſceretur, diploma Kalendis Septembris per omneis prouincias, præfecturáſque euulgari iuſſit, quo ſeditioſos Ambaſianæ coniurationis exitu haud deterritos maiora, & turbulentiora moliri indicauit: quibus vt obuiam eatur equitatum in certas prouincias diſtribuiſſe, præfectóſque deſignaſſe, qui ne quid patria detrimenti capiat, prouideant: idcirco omneis cataphractos equites, hippotoxotáſque monere, vt ad duodecimum Kalend. Octobris ad locum ſibi deſignatum armis, equiſque inſtructi coëant, & præfectorum ſuorum mandata expleant. Mompenſerius ad Turones miſſus eſt, quem ſua cataphractorum equitum ala, Gonori, Vaſſei, & Scotorum ſequerentur: hic tam Regi, reíque publicæ addictus, & Caluinianis infeſtus erat, vt omneis propinquos, & alioqui fidos amicos facilè poſtponeret: princeps Rochaſurio eius frater Aureliam cum ſua, Aureliani, Engoliſmenſis, Trimullij, & Vidami Carnutenſis alis: Niuernenſis Trecas cum ſua, Condei, Franciſci Eſtenſis, Rochamenij, Beluiſij alis. Franciſcus Mommorencius Mareſchallus in inſula Franciæ, cuius Prætor erat, cum ſua, & patris ala permanere iuſſus. Sanctandreanus Mareſchallus Molinis cum ſua, Danuillæ, Bordilionis, Comitis Villarij, Monlucij alis: Briſſacus Mareſchallus in Picardia cum ſua, Senarponis, Moruillerij, Humierij, Chaumei, Genlij alis: Theſmeus Mareſchallus Lochiis cum ſua, principis Nauarri, Sanſaci, Comitis Rupeſocaldij, Randani, Charnij, Ludæi, Valguionis alis. Villebo in inferiore Normania cum ſua, Marchionis Erbeuij, Annebaldi, Milleraij alis. Vetuſuilla Rhotomagi cum Amyralij, Eſtreíque alis: nam eius ala Metim, cuius præfectus erat, conceſſerat: his ne ſeditioſi coirent, impedire & repugnanteis malè mulctare mandatum erat.

Anno 1560.

Malignius Lugdunũ occupare cogitans, ne id ageret admonetur.

2 Mombrunus Motta Grondino perſequente clam ſe è Gallia ſubducere, & in Gebẽnenſem Bernatémque agrum euadere coactus eſt: ac quin inter eũdum interciperetur, parum abfuit.

Digitized by Google

Sãctandreanus Mareſchallus Lugduni in ſeditioſos, & eos qui capiendæ vrbis auctores fuerant, inquirit.

abfuit. Molinis profectus Sanctandreanus Mareſchallus Lugdunum contendit, & in primarios ciues qui capiendæ vrbis authores, aut ſaltem conſcij fuiſſe ferebantur, diligenter inquiſiuit, ac duas arceis, & propugnaculum in ponte ſe extructurum minatus eſt, ne altera vrbs alteri ſuppetias iret; quorum præſidiariis militibus ſtipendium Lugdunenſes penderent: atque interim à Rege diploma accepit, quo recitabatur quanta humanitate præſertim in recenti conuentu apud fontem Bellæ Aquæ habito Rex erga ſeditioſos vſus eſt: at illos eius facilitate abuti, & magis ac magis tumultuari. Quapropter ſe publicæ tranquillitati, atque otio ſtudentem ad eos qui in Delfinatu, Phocenſi prouincia, Oſcitanis turbas cient, nec magiſtratibus parent, puniendos inuitum trahi: clementiæ tamen ſuæ erga eos qui ad ſanam mentem redierint, locum futurum: iubere igitur, vt idem Mareſchallus cum copiis, quæ neceſſariæ illi videbuntur, ad eas regiones pergeret, ſeditioſos vti ſuos, & patriæ hoſteis puniret: vrbeis, aut arceis rebellium tormentis quateret, & ſibi parere cogeret: domos in quibus conuenticula facta fuiſſent, aut ad quas Caluiniani miniſtri diuertiſſent, dirueret, & ne in poſterum inſtaurarentur, ediceret. Quod ſi maioribus copiis indigeret, cataphractorum equitum alas è locis vicinioribus, & qui fundorum nomine equites debentur, legionarios item milites acceſſeret, præſidia vrbibus aut arcibus imponeret, quibus ciues, aut vicini commeatum atque eorum equis ſuppeditare cogerentur: conuocatis magiſtratibus, qui vel præſunt, vel ius dicunt, ac nobilitate vt Caluinianos miniſtros in ſuis conuenticulis intercipiat, operam det, & per ſupplicum bellorum magiſtrum qui illuc ea de cauſa mittetur, quæſtionem habendam, & noxios ſine prouocatione puniendos curet. Si qui Regij magiſtratus conniuere deprehendentur eos ad tempus ſummoueat, aut ſuis muneribus omnino priuet. Si quæ vrbes deliquerunt, in eas aut pecuniariis mulctis, aut priuatim in ciues agat, aut priuilegiis reſcindendis animaduertat, atque illis armis omnibus interdicat. Regem porrò in militum ſtipendium, tormentorum impenſas, cæteráſque neceſſarias pecuniam curaturum.

In eandem formam diploma ad Aumalium regulum, Briſſacum, & Thermeum Mareſ- 3
challos miſſum eſt, quibus cæteræ Galliæ regiones diſtributæ erant. Redierunt Septembris initio è Scotia Gallorum peditum cohortes, quæ Martigianum regulum tribunum ſequutæ erant, vt pacis cum Scotis initæ conditionibus cauebatur, quas Rex ad ſui cuſtodiam reſeruauit. Trium autem ordinum conuentus Aureliam tranſlatus eſt, quod eam vrbem ad Nauarrum inclinare fama erat: cuius primarij ciues, atque in primis Hieronymus Groſlotus Balliuus Caluinianus erat. Tum Rex Curſolum ad Nauarrum cum litteris miſit, vt Condeum fratrem de Ambaſiana coniuratione ſuſpectum, vt ſe purget, adduceret: ad quem paulò poſt Cardinalis Borbonius eorum frater curſoribus equis properauit. Bouchartus Nauarri Cancellarius ſeditionum initia præuidens domum ad Pictones abiit, & litteras ad Regem, & ad Cardinalem Lotharingum eiuſdem fere argumenti ſcripſit, quibus monebat vt Condeum à Nauarro fratre ſepararet, quem ille à Caluinianis Gebennenſibus miniſtris perſuaſus ad perturbandum regni otium incitare conatur; tametſi autem nondum huic Nauarrus aſſenſus eſt, tamen periculum eſſe, ne diuturna importunitate peruincatur. Id quoque ad Cardinalem Lotharingum ſcripſit: addidit etiam vt ipſe, ac Guiſanus frater ſibi diligenter cauerent: niſi enim multa diſſuaſiſſet, vtrumque violenta morte iamdudum fuiſſe periturum: quorum vt eundem certiorem faceret, diſtuliſſe, vt planius inimicorum eius machinas perſpicere poſſet: quibus perſpectis ſe domum receperit; quum ad illum adire poterit, plura dicturus, quæ ſcripto mandare non debet. Iam Nauarrus Caluinianos miniſtros, inter quos Beza fuit, Gebenna Neracum acceſſierat, atque eorumdem publicis concionibus interfuerat: qui vt arma ſumeret, & viribus ſuperior ad trium ordinum conuentum accederet, conſulebant: verum id non magis, quam Condeus, aut Mommorencius impetrarunt. Nauarrus & litteris Regis, & Cardinalis fratris oratione perſuaſus ad Regem cum ſolis domeſticis adire decreuit: at viros militares Caluinianos, aut qui alioqui illi addicti erant, bona interim ſpe alebat, & ſe in Lemouicibus de ſua profectione conſtituturum pollicitus eſt.

Quare trium ordinũ conuẽtus Aureliam tranſlatus.

Nauarrus rebellium dux declarari nõ vult.

Quum ad Lemouicum primariam vrbem appuliſſet, ibidem ſeptingenti aut paulò 4
plures equites armis, equiſque bene inſtructi coierunt, & vt ſe regni propugnatorem, hoc eſt, Guiſanorum hoſtem declararet, & vniuerſæ Galliæ nobilitati quid animo intenderet, palam faceret, quemadmodum pollicitus erat, inſtiterunt: & quoniam inimicos ſuos paratos, ſe imparatum aiebat, ſeptem peditum iam conſcriptorum millia è Vaſconibus, Pictonum inſulis, atque ex ipſis Pictonibus obtulerunt: ex Phocenſi prouincia atque ex Oſcitanis quatuor, è Normania totidem cum numeroſo equitatu: vbi ſignum dederit tot equites, pediteſque ad illum confluxuros, vt inimici eius regni adminiſtratione, Re-

gęque

géque adeo ipſo cedere cogantur: bonam enim Regij equitatus partem ad illum ſponte tranſituram: ſic ſe Aurelia, & Biturigibus ſine cæde & ſanguine potiturum, qui duo opportuniſſimi receptus erunt. At ille hæc facilè dici, & verbis exaggerari, re præſtari vix poſſe reſpondit: omneis fere alarum equeſtrium præfectos, exceptis paucis ſuas, & Mommorencij parteis ſequentibus, à Guiſanis ſtare: omneis viros militares exceptis Caluinianis illorum fortunam ſequi: quæ ſemper Guiſanis propitia, Mommorencio aduerſa fuit: ſe ſuæ nullum hactenus maius periculum feciſſe. Si cum exercitu incedet, ſe ad perturbandum trium ordinum conuentum incedere, hoc eſt, ſe Regis hoſtem declarare fama diuulgabit. Hiſpanum Regem nihil aliud, quàm ſuum diſceſſum, & à Gallo Rege defectionem expectare, vt regni Nauarrici reliquias inuadat: belli neruum pecuniam eſſe, quæ ſolis promiſſis ſibi conſtet: rapto igitur viuendum, quo diu exercitus contineri non poteſt: vnde in omnium odium incurret. Sic & iſtos dimiſit, & eos qui in itinere erant, domum remiſit. Catharina Regis mater Mompeſacium alæ Guiſanæ legatum, & Pictonum Seneſchallum Pictauiam miſit, qui Nauarro ſignificaret, ne inter eundum vllam vrbem munitam iniret. Significauit Mompeſacius, idcirco eumdem Pictauiam admittere non poſſe declarauit. Commotus ea compellatione Nauarrus de remetiendo, vnde venerat, itinere cogitauit: ſed iam inter Regis copias concluſus (Thermeus enim cùm ducentis cataphractis equitibus Pictauiam inſederat) ad Regem miſit quid Mompeſacius ſignificaſſet, & dum reſponſum acciperet, Luſignanum diuertit. Rex Mompeſacio id mandatum dediſſe inficiatus eſt: an illo inſcio mater dediſſet, incertum fuit.

Ne vbi vllā munitam intrat, admonetur.

5 Interim Rex ad Germani Laij fanum Michaëlea celebrauit, ac decem & octo Regiæ ſocietatis equites creauit. Id Guiſanos procuraſſe rumor fuit, vt plureis viros illuſtres eo beneficio ſibi addicerent, quum tot numero ſimul nunquam antea creati fuiſſent. Tum Rex Aureliam de Ambaſiana coniuratione ſuſpectā petere deliberauit: Sanctandreanum Mareſchallum cum ſuo equitatu & veteranas cohortes Lutetiam ire iuſſit: deinde ſexto Idus Octobris Lutetiam ingreſſus atque inde iter inſtitutum perſequutus eſt. Pridie quam è Germani fano proficiſceretur, Saga indicauit Dardoirum, qui Mommorencio equitum magiſtro erat ab epiſtolis, ſibi iniunxiſſe Condeum moneret, vt chartam, quæ litterarum faſciculos complectebatur, in peluim aqua refertam coniiceret, vbi multa, quæ illi vſui eſſent, legeret. Chartam fortè retinuerat Albaſpineus Regi ab epiſtolis: qua in aquam coniecta hæc Dardoiri manu ſcripta repererunt: Mommorencium equitum magiſtrum in ſuo de malè mulctandis Guiſanis inſtituto perſiſtere, & vt de illis in trium ordinum conuentu quæſtio habeatur, perfecturum: nec Reginam matrem, aut quempiam alium impedire poſſe, quominus in illos ex iure agatur: quominus regni malè adminiſtrati procuratione priuentur, & pœnas, quas ordines ſtatuent, ſubire cogantur: ſed id & longum, & perdifficile multis videri: ſatius eſſe, vt Nauarrus atque ipſe cum valido comitatu Aureliam accedant: clam eos qui ſuas parteis ſequuntur eodem ad diem præſcriptum conuenire iubeant, & cum Guiſanis congredi properent: viros totius Galliæ fortiſſimos eamdem cum illis fortunam ſubituros. Hæc Ludouicus Regnierius quem Plancham, ſiue Plancheum appellabant, Franciſco Mommorencio equitum magiſtri filio natu maximo ab epiſtolis litteris mandauit, cuius treis tomos habemus; tametſi vt incenderentur, & ne typis deintegro mandarentur, promulgatum fuit.

6 Quum Rex Aureliam petēs Artenaium appuliſſet, Carolus Mariliacus Viennenſis Archiepiſcopus ſemper rerum nouarum ſtudioſus, tametſi Cardinali Lotharingo eum Archiepiſcopatum magna ex parte acceptū ferebat, tamen Mompenſerij reguli vxorem quæ apud Catharinā Regis matrem multum poterat, per hominem fidum monuit, vt promiſſi memor eſſet, quo ſe vbi ex Caroli Borbonij vltimi Boiorum reguli hæreditate Ouibas, ac Belloiocum recepiſſet, aduerſus Guiſanos quicquid poſſet procuraturam obſtrinxerat: interim propter eorū potentiam, vt diſſimularet, cogi: nunc igitur, vbi eos principatus conſequuta eſt, haud differendum: ſe enim paulò ante quàm è fano Germani proficiſcetur, certo intellexiſſe, Condeum vbi Aureliam inierit, in cuſtodiam datum iri: Nauarrum autem non multo maiore libertate fruiturum, tametſi aliter ipſa perſuadetur. Si id eueniat, non facilè poſt vtrumque dimiſſum iri: ſi de Regiæ ſtirpis principibus ſpes auferetur, nullam in Regina Regis matre omni authoritate ſpoliata ſupereſſe: ſolum in nobilitate perfugium ſupereſſe, in qua multi adhuc Hiræ, ac Potones, hoc eſt, viri fortiſſimi reperientur. Guiſanos Sagam vel promiſſis, vel minis induxiſſe, vt quicquid velint, aſſeueret: atque inter ſua mendacia Dardoirum Mommorencij equitum magiſtri mandato ad Angliæ Reginam nauigaſſe dixerit. Mommorencium cunctatorem ſemper differre, & rerum ſummam

Digitized by Google

in Dei prouidentia ponere: excitandum tamen, & vt ſe Nauarro adiungat, monendum. Guiſanos illum læſæ Majeſtatis arceſſere, quod coniurationis Ambaſianæ conſcius eam Regi non indicauit: conſpirationem enim in ſe factam, in Regem factam prædicant. Bullionium regulum generum moneret ipſa, vt Condei liberos in Iameſiam & Sedanjam arceis ſuas recipiat: & ſi qui è Guiſana familia arripi poterunt, in eaſdem includat, quos cum aduerſæ factionis captiuis permutet: legatos ad Germanos principes mittendos, vt ſtirpem Regiam Guiſanorum potentia oppreſſam in libertatem vindicent.

Mompenſerij vxor curauit, vt ei qui hæc renuntiarat, ad Aſpacia Balnea in Eburonenſi, aut Legionenſi agro (vti nunc appellatur) ire permitteretur: vnde in Germaniam profectus eſt. Sed antequam è Gallia proficiſceretur Mommorencium adiit, nec multum profecit, & ſermonum cum eo habitorum Mariliacum certiorē fecit: qui res Condei ſemper in peius ruere, vt ille ait, & ſe in diſcrimine non leui poſitum animaduertens (quæ enim ad Mompenſerij vxorem mandata dederat, ad Guiſanos delata metuebat) noctu in cœnobio ſuo Melodunenſi Benedictinæ profeſſionis repentina morte ſublatus eſt. Quum apud illum Roſtinus Catharinæ Regis matris arcanorum conſiliorum omnium conſcius eodem die, qui tertius Nonas Decembris fuit, cœnaſſet, venenum ſponte hauſiſſe quidam putarunt: quod erga Guiſanos ingratus, præſertim aduerſus Cardinalem Lotharingum, ne ad quæſtionem raperetur, timebat: is adoleſcens ob Caluinianæ perſuaſionis ſuſpicionem è Gallia migrare coactus Foreſtanum Conſtantinopolim nauigaturum, & Franciſci Regis nomine legationem apud Solymanum obiturum ſequutus, illo à Ianizaris cæſo in eius locum ſurrogatus eſt; deinde in Anglia, poſtremo apud Carolum quintum Imperatorem idem munus obiit. Cardinalem Turnoniū Roma arceſſierat Catharina Regis mater, quod magnum in adminiſtrandis regni negotiis vſum habebat: is Octobri menſe Aureliam aduerſo Ligeri vectus appulit, & Cardinalem Lotharingum tam in ſanctiore Conſilio, quam priuatim vehementer reprehendit, quod trium ordinum conuentum approbaſſet: fere enim in omnibus Regum mutationibus, præſertim ſi Reges adoleſcentiores ſuccedūt, hæc ſeditionum initia proponi: nam ſemper regnum male adminiſtratum arguunt, & eos qui adminiſtrarunt, damnare conſueuerunt: tanto magis id nunc timendum, quum non ſolum de regni adminiſtratione, verum etiam de religione tot controuerſiæ agitantur. Sed quandoquidem eo iam deuentum eſt, proximum eſſe, quoniam à Caluinianis maximè ſeditionum exordia metuuntur, vt paratæ copiæ habeantur, quæ arma inferentibus ſeſe opponant. Hæ vſque ad Bituriges, Boios, Turones, Andegauos, Pictones diſperſæ fuerunt: Sauigniano Abbati Lugdunenſi præfecto iniunctum, vt vrbi diligenter prouideret, donec Sanctandreanus Mareſchallus eo rediret. Hinc vt omnes externi, & aduenæ ex vrbe migrarent, proclamatum eſt: omnibus publicorum diuerſoriorum magiſtris, ciuibúſque iniunctum vt hoſpitum arma caperent, & ſingulis diebus appellentium nomina ad præfectum deferrent pœna capitis non parentibus indicta. Id & in cæteris Galliæ maioribus vrbibus, præſertim Lutetiæ promulgatum eſt.

Cardinalis Turnonius Roma à Catharina Regis matre cur accerſitus. Cardinalē Lotharingū incuſat quod trium ordinum conuentum approbarit.

Rex decimoquinto Kal. Nouembris Aureliam inierat magna virorum nobilium multitudine, & aliquot peditum cohortibus comitatus, & votis ad maiorem, Pontificiámque ædem perſolutis ad Hieronymi Groſloti Aurelianenſis Balliui domum diuerterat, cuius pater Alenconius Cancellarius, & Aurelianenſis Balliuus fuerat; mater etiam tum ſuperſtes erat: ea domus ad latam plateam ſita eſt (quæ vulgo Eſtapa appellatur) in qua ingens aula lignea nuper extructa erat, vbi tres ordines conuenire debebant. Octobris initio Cypetra de Regis mandato ciuibus arma abſtulerat, & in publicam domum ferri iuſſerat, præſidiúmque portis, & ſuſpectis ciuiū domibus impoſuerat. Tum in ſanctiore Cōſilio decretum fuit, vt omnes ſuæ fidei profeſſionem facerent, vti à Sorbonicis Theologis anno huius ſæculi quadrageſimoſecundo dictata fuerat, pœna recuſantibus proſcriptionis indicta: quæ non ſolum in poſſeſſiones, verum etiā in reorum corpus redundaret. In eo Conſilio cum Guiſanis fratribus Cardinalis Turnonius, Briſſacus ac Sāctandreanus Mareſchalli primas ferebant: Mommorencius equitum magiſter, ac tres eius nepotes Cardinalis, Amyralius, Andelotus Caſtiliones aberant. Captiui quos Sanctandreanus adduxerat tum Meloduni in cuſtodia habebantur, quò etiā Amaureus Bouchartus Nauarri Cancellarius, ac plerique alij deducti ſunt: tum etiam nonnulli in varias Galliæ regiones, præſertim in Aquitaniam miſſi ſunt, qui Caluinianos prehenderent: & Groſlotus Balliuus in cuſtodiam quoque datus eſt. Tertio Kal. Nouembris Nauarrus ac Condeus Aureliam appulerunt: Regē ſalutato Cōdeum Chauignius ac Brezeus prætorianorū hippotoxotarum præfecti prehenderunt, & in domū Dominicinorum ſodalium cœnobio vicinam deduxerunt: cuius

Condeus comprehenſus.

Digitized by Google

cuius feneſtræ ſtatim cancellis ferreis occluſæ, omnes aditus muniti, diligénſque cuſtodia addita eſt. Decretum quo Condeus prehenderetur, Briſſacus Mareſchallus propoſuit, præfatus ſolius Regis, vbi de illius vita & authoritate conſeruanda agitur, habendam eſſe rationem: quod Rex, & ſtirpis Regiæ principes qui tum aderant, Mompenſerius ſcilicet, ac Rochaſurio, Cancellarius item ſubſcripſerunt. Guiſani quod conſobrini eſſent, ſeſe excuſarunt: Carugus etiam ac Renoardus Regij ſuperioris ordinis cubicularij mandatum acceperunt, vt Roiam heram Caſtilionum ſororem, & Condei ſocrum ad fanum Germani deducerent, & in cuſtodiam traderent. Andelotus antequam Condeus Aureliam appelleret, clam ſe ſubduxerat & ſcapham ingreſſus ſecundo Ligeri in Britanniam euaſerat.

9 Cardinalis atque Amyralius Caſtiliones vbi Condeum captum, & Roiam ſororem in cuſtodiam traditam intellexerunt, ad Nauarrum conſolandum & conſilio iuuandum acceſſerunt: tertio Idus Octobris Hoſpitalis Cancellarius, Chriſtophorus Thous Senatus Pariſienſis magiſter, Bartholomeus Faius, Iacobus Viola Senatores, Ægidius Burdinus Regius procurator, Tilletus Scriba ad Condeum acceſſerunt, vt eumdem ſuper quibuſdam capitibus, quæ ſibi tradita aiebant, interrogarent. Quibus ille reſpondere recuſauit, & ſe ſolum Regem in Senatu Pariſienſi ſedentem Regiæ ſtirpis & cæteris principibus comitatum iudicem habere teſtatus eſt: alias etiam priuatas recuſationis cauſas addidit. Quum progredi nihilominus & litem inſtruere perſeuerarent, ab iiſdem ad Regem, vt ſuprà dictum eſt, comitatum & in eo Senatu ſedentem prouocauit, cunctis Senatoribus aſcitis, & duodecim Galliæ patriciis, ſiue paribus acceſſitis: poſtridie in ſanctiore Conſilio vt coram delegatis iudicibus reſponderet, decretum fuit: interceſſerunt multæ aliæ prouocationes, quas totidem decreta fere in eandem formam concepta conſequuta ſunt: poſtremo vt capite lueret, pronuntiatum fuit; quod decretum omnes propemodum Conſilij ſanctioris conſiliarij ſubſcripſerunt, Cancellario & Mortiero exceptis, qui propter Regis valetudinem differebant. Subſcripſerunt & plerique Galliæ proceres, ac decē & octo Regiæ ſocietatis equites nuper creati, & multi alij, qui tum in Regis comitatu erant: necnon & ſupplicum libellorum magiſtri, & Senatores Lutetia arceſſiti: Comes Sancerrius ſubſcribere recuſauit: quamuis vt ſubſcriberet, ſemel, atque iterum Rex iniunxiſſet. Poſtridie Idus Octobris craſſus humor è cerebro in Regis aurem ſiniſtram defluxit, qui in apoſtema conuerſus ita languentem debilitauit, vt Nonis Decembris animam efflarit. Venenum ab Ambroſio chirurgo Caluiniano, & Mommorenciano in Regis aurem inditum ferunt: cuius cadauer Iacobus Broſſianus ac Sanſacus Regiæ ſocietatis equites, ac cataphractorum equitum præfecti, & eius adoleſcentiæ moderatores ad fanum Dionyſij deduxerunt, vbi ſine vllis Regiis ceremoniis, aut apparatu ſepulturæ mandatum eſt.

Vt capite luat in ſanctiore Conſilio decernitur.

Franciſci II. mors.

10 Quidam Guiſanis inuidiam quærentes tumulo eius inſcripſerunt: vbinam gentium Tannegnius Caſtellus eſt? at is Gallus erat: at Tannegnius Caſtellus non magis, quam Lotharingi Gallus erat: erat enim ex minore Britannia: is, vt primo libro ſcripſi, ſummus Regiorum equorum magiſter Caroli ſeptimi heri, cuius cadauer cæteri domeſtici metu Ludouici vndecimi filij reliquerant, funus ſuis impenſis fecit; & quidem Regio apparatu, vt nihil ad ſummam magnificentiam deeſſet. Idem officium Franciſco Guiſanos affines præſtare debuiſſe iſti indicabant: at longè alia ratio erat. Carolo Septimo patri infenſus erat Ludouicus filius: idcirco de eo ſepeliendo indignatione natura inſitam erga patrem pietatem ſuperante non admodum ſollicitus erat: præclaro igitur officio Tannegnius functus eſt, cui non multo poſt ira deferueſcente, & pietatis contemplatione vrgente Ludouicus impenſas reſtituit: at ſi idem officium Guiſani Franciſco præſtitiſſent, magnam Catharinæ matri inuidiam paraſſent, quæ regni adminiſtratrix nulla erga filium odij ſignificatione retardata Regium funus eidem facere potuit. Quidam in ærarij penuriam cauſam conferunt: vtcumque ſit, qui Tannegnij mentionem fecerunt, matri maiorem quam Guiſanis iniuriam fecerunt. At ſi Franciſcus Secundus ſepulturæ iacturam fecit, eam nihilominus piis mentibus ſui memoriam reliquit, vt illius interitum multis cum lacrymis etiam nunc deplorent: quem qui probè nouerant, Regem ſine vllo vitio appellabant, alij innocentem appellare maluerunt: qui titulus non ſolum omneis ſepulturæ honores contemnit, verum etiam ſuperbas quaſque aliorum Regum victorias longè ſuperat. Interim Pius IV. Pontifex maximus duodecimo Kal. Decembris Concilium in diem Chriſto è mortuis excitato dicatum Tridentum indixit, quod ob bella in Italia, Germania, Gallia aliquot annos continuata intermiſſum erat. Mommorencius equitum magiſter à Franciſco Rege ſæpius arceſſitus domo pedem non mouit, niſi vbi de Regis inualetudine nuntium accepit: tum Lutetiam acceſſit, & poſtquam de eius vita medicos

Accuſantur (immeritò tamen) Guiſani quòd Regio apparatu, & magnificentia inhumari nō procurarint.

Concilium Pij IV. iuſſu Tridenti indictum.

Digitized by Google

deſperare intellexit, in viam ſe dedit. Catharina Regis mater Ludouicum Sangelaſium Lanſacum omnem amicitiæ ſignificationem ſuo nomine declaraturum obuiam illi Stempas miſit: ad Artenaium eidem occurrit proneptis Condei vxor multum de viri captiuitate queſta, qui circiter duodecim dies à Franciſci Regis morte Aureliæ in cuſtodia fuit: inde Hanum Nauarri arcem, mox Feram profectus eſt, vbi in libera cuſtodia fuit, donec reuocaretur, vt ſuo loco explicabimus.

Paulò ante quam Franciſcus Rex animam efflaret, Catharina eius mater anxia admodum erat, & ne trium ordinū decreto Nauarro regni adminiſtratio adiudicaretur mirandum in modum timebat. Hinc Mommorencium Cōdeo affinitate coniunctum ad ſe pellicere, Guiſanos in ſuo gradu continuare cupiebat: alteram item factionem Pontificiorum & Caluinianorum ita alebat, vt Pontificios, id eſt, Romanæ religionis aſſertores, & propugnatores, quibus magis fidebat, viribus ſuperiores eſſe mallet; Caluinianos autē non multum cedere, ne prorſus animum deſponderent, & hic vetus ſuæ familiæ Mediceæ, quod veluti pro inſigni gerebant, apophthegma renouauit; id autem erat: DIVIDE VT REGNES. Hæ duæ factiones, Guiſanorum (inquam) ac Mommorencianorum, quibus ſe Nauarrus ac Condeus adiunxerunt, Pontificiorum item, ac Caluinianorum Galliam noſtram funditus euerterunt. Mommorencij igitur aduentum anteuertens Catharina Nauarrum ſuo, & fratris caſu attonitum, & à Mompenſerij vxore, ne quid Catharinæ denegaret, perſuaſum arceſſiuit, & de eius, ac Condei fratris in Regem conſpiratione certis argumentis intellexiſſe declarauit; vt non ſolùm ad regni adminiſtrationem aſpirare non debeat, verùm ſi læſæ Regiæ Majeſtatis crimen illi, fratrique remittatur, præclarè ſecum actum putet: nam niſi Regis filij indignationi obſtitiſſet, de illis iam ſupplicium ſumptum fuiſſet: ſe vero ſemper ita Regiam ſtirpem dilexiſſe, vt ne filius in eam ſæuiret, omnibus modis ſibi obſtandum iudicarit: ſe nunc primam regni adminiſtrationem non ambire. Blancham Ludouici Pij matrem eadem ante magna cum laude & populi gratulatione defunctam: videret itaque vt eadem ſibi cederet, ne quid grauius in illum moliri cogeretur. Nauarrus natura facilis, conſpirationis conſcius, inter medias Guiſanorum copias conſtitutus, & Mompenſerianæ vxoris admonitione perterrefactus Catharinæ regni adminiſtratione ceſſit, ceſſionémque ſcripto mandatam ſubſcripſit, ſi Mommorencij aduentum expectaſſet haud fortaſſe ſubſcripturus: quamuis, quod ille Romanam, hic nouam perſuaſionem ſequebatur, non ſatis inter ſe conuenirent. 11

Trium ordinum cōuentus. Idibus Decembris ad aulam trium ordinum conuentibus deſtinatam conuenerunt Rex, ac Regina eius mater, Aurelianus frater, Margarita ſoror, Nauarrus, Ferrarienſis hera Ludouici huius nominis duodecimi Galliæ Regis filia, Borbonius, Lotharingus, Turnonius, Guiſanus, Caſtilio Cardinales, princeps Rochaſurio, Guiſanus regulus, Mommorencius equitum magiſter, Briſſacus ac Sanctandreanus Mareſchalli, Hoſpitalis Cancellarius, Caſtilio Amyralius, multi ſanctioris Conſilij ſenatores, ac Regiæ ſocietatis equites, omnes item ſelecti omnium prouinciarum legati. Orationem habuit Hoſpitalis Cancellarius prolixam admodum, & aliquot locis ſatis ineptam de vtilitate huius conuentus; quam Carolus Mariliacus Viennenſis Archiepiſcopus in ſua ſententia, quam in ſuperiorem librum inſeruimus, accuratius & paucioribus verbis perſequutus erat: deinde ſeditionum cauſas explicauit, quæ inde emanant, quum nonnulli aut iniuriam patiuntur, aut contemnuntur, aut ne alterum, aut vtrumque eueniat, metuunt: aut nimium otium, aut inſignis inopia, vel neceſſitas aliquos ad res nouandas incitant. Nouam cauſam addidit excitatas non ita dudum de religione controuerſias, quam in ſacrorum miniſtrorum impuram vitam, ignorantiam, & in ſuis muneribus obeundis negligentiam contulit: non omnino falſo, ſed & aliæ cauſæ acceſſerunt, vt medici filius exemplis à medicis ſumptis lubenter vſus eſt: boni medici officium eſſe, non ſolum vt dolorem ex morbo conceptum, ſed potius vt morbi cauſam tollat: alioqui recidiuus morbus grauior nonnunquam redit, & magis ægrotum affligit. Tum Regem nemini vllam ſupra commemoratarum cauſarum, vt arma ſumerent, occaſionem dediſſe probat: aut ſaltem probare nititur: non bona cuiquam, non munera militaria, vel ciuilia ablata, nemini factam iniuriam. Si qui ſe contemni putant, omneis Regi obnoxios eſſe, eidémque ſe obſequium debere diſcant: Regem Dei prouidentia, & antiquis Gallorum legibus ac ſtatutis nobis datum, qui quos vult ad honores, & magiſtratus promouet, alios præterit, nec qui præteritur merito queri poteſt; id ex Regis voluntate pendet, cuius decretis, edictis, legibus omnes parere debemus: Rex ſolus ſuis legibus parere non tenetur. 12

Oratio Cancellarij.

Hunc locum multi reprehenderunt: quaſi Regem nimis adulantis, ſi enim Reges leges 13
ſuas

ſuas obſeruari volunt, his primi vt pareant, aliiſque exemplo ſint neceſſe eſt, quas dum Regiis ſacris initiantur, ſe obſeruaturos iureiurando ſanctiore promittunt; & niſi promiſſo ſtent, ſe quodammodo malis diris deuouent. Si autem veræ ſeditionum recentium cauſæ quæruntur, Caſtilionis Amyralij ambitionem primo loco ponemus, qui quod Picardiæ adminiſtratione cedere coactus fuiſſet, internecinum aduerſus Guiſanos odium conceperat: Condei ſecundo, quod eandem adminiſtrationem non accepiſſet. Susceptæ autem de religione controuerſiæ non tam cauſam, quam ſpeciẽ ſeditionibus præbuerunt. Vt ad orationẽ Cancellarij redeam, ne ſeditiones deintegro excitentur (inquit) aut Regem paratum ſemper exercitum habere, quo & Regium ærariũ exhauriretur, & populus admodum vexaretur, aut prouinciarũ præfectos, cæteróſque Regios magiſtratus vnà cum vrbibus & vicinis populis ſeditionũ initiis ſeſe opponere neceſſe eſt, qui vt nullæ in poſterum oriantur, ſpondeant: quemadmodũ de quibuſdam populis ſcripſit Ariſtoteles, qui viatoribus, ſi quid vi, aut latrociniis auferatur, ſe quicquid ablatum eſt, aut ſaltem eius pretiũ reſtituturos ſpondent, aut quemadmodum in maritimis Hiſpaniæ oris fieri ſolet, quum piratæ procul in mari videntur, plurimi vbique ignes accendũtur, omnéſque vicini populi armati ad arcendos piratas ad mare confluunt; quod illi Almendatum vocant. Si id vos facturos recipietis, Rex vobis armorum capiẽdorum poteſtatem faciet. Ambiani id ſibi laudi ducunt, quod ſe ipſi tuentur; idcircóque nullum præſidium, aut milites in priuatas domos accipere coguntur: Regis etiam, & populi, omnium item ordinum officia perſequitur, quæ quiuis ex ſe colligere poteſt: poſtremo Regis æs alienum ob bella totos tredecim annos continuata contractum, & faciendas in tria matrimonia impenſas recitat: quibus vt ſatisfaciat, Rex à tribus ordinibus conſilium, & ſatisfaciendi facultatem poſtulat, qui ſuis Regibus in neceſſitate conſtitutis nunquam defuerunt: priuatas impenſas ſe vt priuatum hominem imminuturum, modò Regia maieſtas retineatur, omnium querimonias auditurum, & quoad poterit, iiſdem ſatisfacturum profitetur. Cætera huius orationis capita, quod non magni momenti ſint, & vt breuitati ſtudeam, addenda non putaui.

Vera ſeditionũ cauſa, & origo.

Almẽdatum quid.

14 Poſtridie Idus trium ordinum legati mandata ſua Franciſci Regis huius nominis ſecundi, ad quem miſſi erant morte extincta ac ſublata videri inſtiterunt: vt noua acciperent, tempus ſibi dari poſtularunt. Decimotertio Kal. Ianuarij ſanctioris Conſilij decreto pronuntiatum eſt, vt porro pergerent, & mandata ſua inuicem conferrent; deinde publicè coram Rege, & toto cœtu exponerent: tametſi enim Rex moritur, tamen Regiam maieſtatem nunquam mori, aut extingui, quam ſucceſſor repræſentat. At vt tres ordines hæc de re decernerent, conſentaneum videbatur, ſanctius autem Conſilium decretum ſuum interponens maiorem, quam tres ordines authoritatem ſibi vendicabat, vt illis, vel iudicium defuiſſe, vel metum inceſſiſſe veriſimile ſit. Duodecimo eaſdem Kal. hæc de regni adminiſtratione decreta ſunt: Vt omnes prouinciarum, vrbiúmque, & arcium in regni limitibus ſitarum præfecti, qui munerũ ſuorum nomine in Regio comitatu ſunt Nauarrum adeant, eundémque quicquid ad implenda munera ſua deſit, aut neceſſarium ſit, edoceant, quæ Nauarrus cum Regina Regis matre communicabit: illa porro ex Conſilij ſententia hiſce prouidebit. Litteras à prouinciarum legatis, ſiue adminiſtratoribus aut ab earumdem vrbium, arciúmque præfectis miſſas Regina primum leget, deinde ad Nauarrũ mittet, vt ſecum eaſdẽ communicet: mox illa de eius, cæterorúmque principum, & ſanctioris Conſilij procerum ſententia quid facto opus ſit, decernet. Maiores magiſtratus, equitũ (inquam) ac Regiæ aulæ magiſtri, Mareſchalli, Amyralius munera ſua ea authoritate, qua inſtituta ſunt, exercebunt. Quicquid ad Iuriſdictionem, quicquid ad Regium ærariũ, quicquid ad regni adminiſtrationem pertinet, ex ſanctioris Cõſilij decreto procurabitur: cui deliberationi ſi Regina non affuit, ea primum ad ipſam deferetur: deinde ex primariis Regius ſcriba, quod decretum eſt, expediet. Cancellarius Regiũ ſigillum apponet. Antequam Rex aliquod diploma, litteráſve ſubſcribat, eas Regina in Conſilio matutino videbit. Summus curſorum Regiorum magiſter, quẽ contrarotularium vocãt, omneis litterarum faſciculos ex quibuſcumque prouinciis miſſos ad primariũ Regium ſcribam, in cuius munere prouincia eſt, feret; quos ille non reſignatos ad Reginã afferet. Litteras Regina ſeparatim leget, & de integro in Cõſilio ſanctiore legendas curabit: de cuius ſentẽtia Rex mox reſpõdebit, & litteras ſuas Regina addet. Quod vnicuique ius adminiſtrare admodũ cupit, dies Marti, & Veneri dicatos ſupplicibus libellis, omniúmque adeo querimoniis audiẽdis Rex attribuit: Iouis autem diem his quæ ad Regium ærarium, cæterúmque regni ſtatum pertinent, in Conſilio ſanctiore expediendis reſeruauit: in quod Conſilium ſoli primarij Regis ſcribæ, quos ſtatus regni vocant, præfecti ærarij ſcribæ, fiſci item & fortuitæ pecuniæ quæſtores admittentur.

Pro tertio ordine.

Anni huius ſæculi ſexageſimiprimi initio tres oratores à tribus ordinibus ſelecti ſinguli ſui ordinis cauſam egerunt, aut ſaltem agere debuerunt. Pro populo, qui tertius ordo eſt, Ioannes Angelus in Senatu Burdegalenſi cauſidicus orationem habuit, cuius præcipua capita duntaxat vt in cæteris perſequar: ſacros Chriſtianæ religionis miniſtros tribus potiſſimum vitiis inquinari: ignorantia, auaritia, ſuperbo luxu; quæ niſi tollantur ad priſtinam integritatem redire non poſſunt. De ignorantia palam eſt, quæ eo vſque nonnullorum menteis obcæcauit, vt opulentiſſimi concionandi officium dedignarentur,& infra ſuam dignitatem eſſe exiſtimarent: quum Paulus dicat ſe non miſſum eſſe vt tingat, ſed vt euangelizet, id eſt, Dei verbum populo annuntiet. Hos imitati inferioris ordinis miniſtri,curiones(inquam)id quoque officium aut dedignati ſunt,aut quod id obire non poſſent, ad Franciſcinos, aut Dominicinos, cæteróſque huiuſmodi ſodales reiecerunt: quamquam huic malo & vetera antiquorum Conciliorum decreta, & recentiores Baſilienſis Concilij conſtitutiones, quam pragmaticam ſanctionem vocant, mederi, & viris doctis ſacerdotia attribuere; & in vnaquaque Pontificia æde Theologum, qui canonicos (qui vocantur) erudiret, & ad populum concionaretur, collocare voluerunt; Sacerdotum auaritiam,ac luxum tam in veſte,quàm in ſumptu quotidiano non minorem eſſe, vt Reges quodam modo repræſentare, & ſibi inde authoritatem quærere videantur:quum hæc in Carthaginienſi Concilio ſancita ſint:Epiſcopus nō longè ab Eccleſia hoſpitiolum habeat. Item,Epiſcopus vilem ſupellectilem,& menſam,ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ authoritatem fide, & vitæ meritis quærat: hi duo canones in Carthaginienſi Concilio quarto reperiuntur, quod nonnulli commentitium exiſtimarunt. Sub Innocentio primo celebratum, vt Angelus ait, me legiſſe non memini: pleroſque tamen eius canones in aliis Conciliis reperies, & poſterior à Gratiano repetitur quadrageſimaprima diſtinctione. Hæc vt in ſacerdotibus vera vitia eſſent, tamen Angelum in primum duntaxat ordinem inuectum fuiſſe, iuſtas tertij ordinis, pro quo orabat, querimonias ſilentio prætermiſiſſe mirum eſt: harum enim nullam mentionem fecit; quamuis magis quàm cæteri ordines omnibus malis affligatur. 15

Pro nobilitate.

16 Pro nobilitate, qui ſecundus ordo eſt, loquutus Iacobus Sillius Rupifortius prolixa oratione paucas ſententias memoria dignas complexus eſt: Reges inter homines Deum repræſentare ait beneficentia, qua bonos afficiant, potentia qua malos malè mulctent: id antiqui ſignificarunt, quum Iouem optimum maximum appellarunt: iidem Reges Iouis filios eſſe dixerunt,Regem laudat, quod in hac ſua tenera ætate Reginam matrem in conſilio habeat exemplo Alexandri magni: verum Alexander quum pater Philippus cæſus eſt arma iam tractabat & * * * annos natus erat: & quamuis matri multum deferret, tamen regnum ipſe adminiſtrabat, & exercitibus præerat. Laudat (inquam) Regem quod matrem regnum adminiſtrare & ſanctiori Conſilio præeſſe iuſſerit: cui Nauarrum ac Regiæ ſtirpis,cæteróſque principes,ac Galliç proceres adiunxerit. Deinde originem nobiliitatis explicat, quam ad ſeptuaginta illos à Moſe ſelectos, qui Iſraëlitis præeſſent,reducit: aut etiam ad centum Senatores à Romulo inſtitutos,quorum poſteri patricij dicti ſunt. Tum ante Numam & Chaldæos ſacrificos nullius præter nobilitatem,& artifices (ſic enim appellat) quo nomine populū aut plebem,vt videtur,intelligit, ordinis in aliqua Rep. aut regno mentionem fieri ait. Quos Chaldæos ſacrificos,aut ſacrificulos appellet,neſcio:cæterum Chaldæi antiquiſſimi Aſtrologi fuerunt,ex quibus Abrahamus in terram ſanctam Iſraëlitis promiſſam acceſſit: & in illa Ægypti fame, quam Ioſephus Iſraëlis filius prædixit,ſacerdotes ſuas poſſeſſiones vendere non ſunt coacti, quòd illis alimēta adminiſtrari Pharao iuſſiſſet, quæ poſſeſſiones immunes remanſerunt, nec quintam frugum partem, vt cæteri populi, Pharaoni dependerunt: vide quot ſæculis ſacerdotum ordo Numam præceſſerit. Corpus humanum duabus præcipuis partibus conſtare addit, capite (cerebrum intelligit)& corde:Regem cerebro,cordi nobilitatem comparat:vt hæ corporis partes præcipuæ ſint,tamen hepar,& pulmo inter principes corporis parteis à medicis numerantur: has etiam vt Regi, & nobilitati accommodaret,conſentaneum videbatur. Regem deinde Soli, nobilitatem Lunæ cōparat:ſtellas addere debebat;vtraque ſimilitudo ſatis inepta videri poteſt:quatuor nobilitatis genera eſſe putat: eorum qui à parentibus nobilibus orti ſunt, aut qui ex rerum publicarum, aut regnorum adminiſtratione clari euaſerunt: aut qui è re militari magnis rebus geſtis nobilitatem ſibi compararunt: aut qui inuentis aliquibus diſciplinis, aut aliis artibus nomen ſuum illuſtre reddiderunt. Trium poſtremorum generum cum primo mixtionem eſſe Regi detrimentoſam, quod multi idcirco perinde,ac qui nomine,& inſignibus,hoc eſt,origine nobiles ſunt, immunes

redduntur,

Digitized by Google

redduntur, & nobilitati ipſi non ſatis decoram: atqui vera nobilitas virtute quæritur, virtus non origine, ac natura, verum etiam induſtria comparatur: alios itaque pecunia, alios malis artibus nobilitatos magis queri debuit. Accedit (inquit Rupifortius) quod maiores noſtri antiquos Reges imitati Childebertum, Pipinum, Ludouicum Septimum, Dagobertum, Diuum Ludouicum, Robertum, Philippum Pulchrum, Carolum Magnum, Philippum Valeſium, qui Chriſtianam religionem auxerunt, Romanos Pontifices in ſuum Pontificatum reduxerunt, plurima templa, cœnobiáque extruxerunt, & vectigalibus, fundiſque donarunt: vnde Chriſtianiſſimorum cognomen aſſequuti ſunt. Hos (inquam) Reges imitati maiores noſtri patrimonia ſua diſſiparunt: & quod magis alienum fuit, ad eoſdem ſacerdotes, totúmque hunc ordinem iuriſdictiones ſuas tranſtulerunt: quibus hodie viri nobiles ita vexantur, vt mandata Regia obire ſæpenumero non poſſint. Quid autem ad eos iuriſdictiones transferre opus fuit, quas exequi non poſſint? ne manus ſanguinolentas habeant. Sacerdos igitur rem à ſua functione alienam ne vſurpet, fructu ſui ſacerdotij contentus ſit, in ſacerdotio aſſiduus ſit: pro populo preces continuas fundat, Dei verbum annuntiet, ſacramenta adminiſtret. Sin officium ſuum non obibit, Regis eſt vt cogat: quemadmodum Rex Ezechias templi Hieroſolymitani ſacerdotes in ordinem redegit. Et quod ad pragmaticam ſanctionem attinet, Carolus Septimus conuentu in Biturigibus acto, & Ludouicus Duodecimus in hac ipſa vrbe prouiderunt.

17 Hæc ille, vt prætermittam quod in nominandis Regibus ordinem non ſeruat, frigida iſta ac ieiuna querimonia eſt: iuriſdictiones à ſacerdotibus poſſideri queritur, qui primus ordo eſt: at fundi nobiles iuriſdictionéſque à viris ignobilibus tertij ordinis noſtro more poſſidentur: an primus ordo deteriore quam tertius conditione erit? viri nobiles iuriſdictiones ipſi non exercent: iudices, qui eas exerceant, committunt: idem faciunt ſacerdotes, & per ſuos iudices latas ſententias exequuntur. Deinde Regem admonet vt viros pios ac doctos proponat, qui ad Epiſcopatus præſertim, cœnobiáque adminiſtranda mittantur, ne Deus iratus in illo Theodorici & Theodeberti Francorum Regum exemplum renouet: qui quod ſacerdotia pecunia, aut in familiarium gratiam indignis conferebant, aut conferenda curabant, miſerè perierunt. Addit præcipuum Regis officium eſſe, vt ius ſuum vnicuique reddat: id eſt, quod ſupra ſcripſi, Reges iuſtitiæ fruendæ cauſa initio fuiſſe conſtitutos. Si iudiciaria munera venalia erunt, Rex non fruendæ iuſtitiæ, ſed corrumpendorum iudiciorum author erit: erit (inquam) non Rex, ſed tyrannus, quales Dionyſium Siculum, Phalarim Agrigentinum, Demetrium Antigoni filium, à ſuis expulſos legimus. Numerum etiam iudicum, & miniſtrorum, qui ad iudicia pertinent, infinitè auctum queritur, qui treis ordines ſuis & ſtipendiis, & rapinis exhauriunt. Si iudicia ita conſtituentur, ea Galliæ tranquillitas, ſæculum illud aureum redibit, quod ſub Philippo Pulchro floruit, qui palatium in Regia vrbe exædificauit, Senatúmque in eodem haberi iuſſit, nec litigatorum importunitatem reformidauit: paucæ enim tum lites erant. At Gaguinus Senatum in palatium introductum ſub Hutino Pulchri filio ſcribit. Poſtremò orat, vt Rex ſeditiones reprimat, & nobilitatis quæ præcipua, qua nitantur, Regum columna eſt, priuilegia contineat.

18 Vltimus Ioannes Quintinus Lutetiæ iuris Pontificij profeſſor pro ſacerdotum ordine, qui primus eſt, de ſcripto orationem habuit prolixam quidem, ſed multa eruditione commendatam: in primis Regem laudat, quod trium ordinum conuentum à fratre indictum continuet, antiquiſſimum Gallis Reipub. conſtituendæ inſtrumentum antequam vel in Romanorum, vel in Regum poteſtatem venirent: quod Panceltіcon, id eſt, omnium Gallorum conuentum appellarunt: Gallos enim Græci & Galli ipſi qui tum Græca lingua plurimum vtebantur, Celtas vocabant: tametſi id nomen poſt à Romanis potius, quam à Græcis tertiæ Galliæ parti attributum eſt: quam Celticam vocarunt, & à Belgica, Aquitaniáque ſeparatunt, vt commentariorum ſuorum initio Cæſar annotauit. [Deum precamur (Quintinus inquit) vt hic teneram tuam ætatem Rex Chriſtianiſſime potentia, iuſtitia, conſilio muniat: & quem Galliæ mos maiorem eſſe declarat, ſapientia diuinitus infuſa talem eſſe confirmet, neque vllis tutoribus, aut curatoribus egeas: veréque de te dicere & experiri poſſimus.

Pro Clero.

Panceltіcon olim Gallis quid.

Parcite natales timidi numerare deorum,
Cæſaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cæleſte ſuis velocius annis
Surgit, & ignaua fert malè damna mora.

Conuentu ad fontem Bellæ Aquæ ſub finem Auguſti celebrato tres huius cauſæ declaratæ

ſunt: religionis conſtituendæ ratio iuxta diuinum præceptum: Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adiicientur vobis. altera vt omnium querimoniæ in hoc celebri cœtu audiantur, iiſdémque ſalutaria & commoda remedia adhibeantur: hoc proprium Regis officium eſt, vt ſuis iuſtitiam adminiſtret, afflictos ſubleuet, improbos malè mulctet. tertia vt cum populo tibi obnoxio quid tua, aut ſuperiorum Regum cauſa fecerit, communices: quid item faciendum ſit, intelligas: hoc eſt, pro rectè factis veluti gratias agere, pro faciendis conſilium exquirere. Digna Rege oratio, & adulatorum aſſentationibus contraria, qui Samuëlis verba calumniati Regis omnia eſſe aiunt: ſed hoc caput non perſequar(inquit)id ſolum dicam,quod Græci,Latiníque de Gallis teſtati ſunt: Gallos ſuis principibus non ſolum bona omnia, verum etiam vitam deuouere conſueuiſſe. Ad primam huius conuentus cauſam reuertar: Eccleſia vt nouis rebus noua nomina imponantur, hoc eſt Chriſtianæ religionis conſenſio Chriſti ſponſa eſt (vt inquit Paulus) ſine vlla macula, virgo incorrupta, quæ ab ipſo Chriſto ad hæc vſque tempora integra, atque inuiolata permanſit, & ad mundi finem permanſura eſt: itaque in hac quod inſtauretur, inueniri nihil poteſt. Eccleſiam igitur nemo reprehendat, nemo pulſet, aut violare conetur: nam Chriſti corpus eſt: at Eccleſiæ miniſtri ita à prima ſua inſtitutione, atque integritate deſciuerunt, vt merito reprehendi, & ad priſtinam integritatem reuocari debeant: ita quondam Diuus Gregorius circiter annum à Chriſto ſexcenteſimum tertium aut quartum Theodericum, ac Theodebertum fratres Francorum Reges admonuit,Rex Chriſtianiſſime, impendere nimirum ei populo ingentem calamitatem, in quo huiuſce notæ homines, hoc eſt, indigni & flagitioſi Eccleſiis præſint. Quod illis dictum eſt, hoc tibi prædictum putare debes; & perficere vt vel in totius Chriſtianiſmi, vel in huius noſtræ nationis Concilio vitia noſtra agnoſcamus, iiſdémque medeamur. hoc verè Regium officium eſt, vt de Ioa decimo Iudæorum Rege legimus, qui templum Hieroſolymitanum, & Dei domum piè inſtaurauit, & ſacerdotes ſuo officio ſatisfacere coëgit. Sic Mathathias quinque filios Machabæos vt pro Dei templo fortiter propugnarent, maioréſque ſuos imitarentur, hortatus eſt. ſic, hoc eſt pro tuenda religione Carolus magni, Ludouicus eius filius pij, Philippus Secundus auguſti, Ludouicus nonus diui cognomen accepit. Dum hos quatuor breuitatis cauſa nomino, cæteros, inter quos è Chriſtianis tu quinquageſimus quintus es, nominatos puta, qui eadem de cauſa Chriſtianiſſimorum cognomen acceperunt: acceperunt (inquam) non quod ex ſacris ædibus profanas fieri,altaria dirui, diuorum imagines, & ſimulachra confringi, ſacramenta alia reiici, noua alia introduci,ſacerdotes cuiuſuis ordinis aut trucidari,aut à ſuis muneribus abſtrahi, nulla vota ſolui, ſacerdotes, monachos (vti vocantur) ſacras virgines matrimonia inire, nulla ieiunia obſeruari, nullam corporis afflictionem vt mens purior & ad diuina contemplanda liberior euaderet, indici paterentur: hæc enim omnia noua perſuaſio ſub Euangelij nomine inuexit; & quæ vti ſe à ſacerdotali ſubduxit, ita paulatim à ciuili, hoc eſt à Regum magiſtratuúmque obſeruantia ſe ſubducere conatur: quemadmodũ multis iam locis conata eſt. Cui reſiſtere tua Majeſtas totis viribus debet: non enim fruſtra gladium tibi diuina prouidentia dedit: verum vt bonos tuearis, malos punias. Hæreſis autem, id eſt, impia de religione perſuaſio capitale crimen eſt à magiſtratu extremo ſupplicio punienda: lege veteres hiſtorias, & annales præſertim domeſticos, quemadmodum Aſſuetus magnus Perſidis Rex legere ſolebat: ab anno quadringenteſimo nonageſimo nono, aut quingenteſimo, quo Clodoueus Chriſtiano more tinctus eſt, in hunc vſque diem quanta conſtantia maiores tui Galliæ Reges has religionis peſtes profligarint, & regnum hoc mille ſexaginta annos ſub eadem religione, ſub eadem lege, ſub vno ſummo magiſtratu,qui in hoc inferiore orbe Deum ſuperioris incolam repræſentat,conſeruarint, facilè cognoſces.

Caroli Magni inſcriptio modeſtiæ Chriſtianæ & ſubmiſſionis plena.

Carolus Magnus in ſuis diplomatis hac inſcriptione vtebatur, vt in libro, qui Caroli capitula inſcribitur, legere eſt. Ego Carolus gratia Dei, eiúſque miſericordia donante Rex, & rector regni Francorum, & deuotus ſanctæ Dei Eccleſiæ defenſor, humiliſque adiutor, omnibus Eccleſiaſticæ poteſtatis ordinibus, ſeu ſæcularis potentiæ dignitatibus ſalutem. Hanc inſcriptionem diligenter expende Rex Chriſtianiſſime: ſe Regem, & rectorem Francorum nominat; & ſuum munus explicans, primum ſe Eccleſiæ propugnatorem eſſe, & adiutorem gloriatur.

Hoc à te auxilium petimus Carole Rex huius nominis none, quod à primo maiores 19
noſtri ſacræ Eccleſiæ miniſtri impetrarunt: quod in Franciſco ſecundo fratre tuo Rege innocentiſſimo, & vita longiore digniſſimo, quoad breue eius regnum permiſit, experti ſumus: quod ab illo Clodoueo huc vſque maiores tui Galliæ Reges nobis cumulatè præ-

ſtiterunt.

Digitized by Google

ſtiterunt. Petimus (inquam) vt in fidei capitibus, in ſacramentis, eorúmque vſu; in traditionibus Eccleſiaſticis, antiquorum Patrum conſtitutionibus, ceremoniiſque in Eccleſia Romana & vniuerſa, quam catholicam vocant, ab illorum temporibus huc vſque vſitatis nihil immutetur, à quibus diſcedere nefas nobis eſſe ducimus. Petimus vt ſi quis nouatum religionum introductor, aut potius veterum, & iam diu ſepultarum, antiquiſque Conciliis damnatarum perſuaſionum velut ex inferis excitator libellum offeret, vt huiuſmodi peſtibus templa ad exercendam ſuam impietatem condonentur: quemadmodum in priuatis quarundam prouinciarum conuentibus libellos oblatos audiuimus, vt (inquam) qui huiuſmodi libellos circumferet, aut offeret, tanquam hæreticus, id eſt, falſæ religionis conuictus puniatur. Hic eſt vetus hæreſiarcharum mos, vt Eccleſiam aduerſus Eccleſiam, altare aduerſus altare, templum aduerſum templum erigere & Deo aliquem velut ſocium addere conentur: quæ malignitas Apoſtolorum canone triceſimo primo ſatis redarguitur. Circiter annum à Chriſto trecenteſimum nonageſimum Ambroſius Arrianis templa Mediolani condonare recuſauit: quanquam vt condonaret Valentinianus Secundus Imperator vehementer inſtaret. Clamabat hinc Imperator cum exercitu: Trade baſilicam, namque mei ſunt omnia iuris. Reſpondebat Ambroſius: nec mihi fas eſt tradere, nec tibi, ô Imperator, expedit accipere: quæ diuina ſunt, Imperatoris Majeſtati, nec poteſtati ſubiecta ſunt. De tradendis baſilicis ad Auxentium Arrianum Epiſcopum, & ad Marcellinam ſororem idem Ambroſius ſcripſit. Circiter annum Chriſti quadringenteſimum decimum aut duodecimum Gainas natione Scytha Romani exercitus tam equitum quàm peditum dux Imperij inuadendi auidus templum ſibi, ſuiſque Arrianis, qui Dei omnipotentiam, & Chriſti diuinitatem negabant, in vrbe Conſtantinopoli dari ab Arcadio Imperatore poſtulauit. Id Arcadius Gainæ audaciam veritus annuit: arceſſitus vt traderet Ioannes Chryſoſtomus Epiſcopus ita Gainam alloquutus fertur: Aut eandem cum Imperatore religionem ſequeris, aut alienam: ſi eandem, templa noſtra vt ores tibi patent: ſi alienam, nulla tibi templa in hac vrbe tradenda ſunt, vt conuenticula tua facias: verum vt proditor ex Imperio exturbandus es: & is quidem proditionem ſtatim declarauit, & ab Imperatoris exercitu cæſus eſt. & hæc quidem de templis, ſiue baſilicis hæreticis tradendis dicta ſint. Proximum eſt vt Majeſtatem tuam obſecremus, vti Iuſtiniani Imperatoris, & qui tibi magis imitandus eſt, Caroli Magni decretum renoues, & tua authoritate confirmes. id ita habet: Omneis ſecundum canones, & Patrum regulas viuere cogam: Ne patiaris Rex Chriſtianiſſime hanc iniuriam antiquis illis Patribus fieri, quibus Chriſtianiſmum debemus, vt deliri, & eorum Concilia deliramenta appellentur. Hæc Montani impia ſententia eſt, qui circa annum Chriſti centeſimum ſeptuageſimum quintum ſanctiſſimos Prophetas Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem, & cæteros ſua deliramenta (prophetias illorum intelligebat) extra ſe poſitos inſano animi impetu, non diuina inſpiratione effutiiſſe dicebat. Hæc Macedonij impietas eſt, qui circa annum Chriſti trecenteſimum quadrageſimum quintum Spiritum ſanctum, atque eius effectus negabat. Montaniani ſunt & qui ab octingenteſimo anno huc vſque Chriſti Euangelium piè, probéque intellectum negant: quaſi Dei Spiritus Eccleſiam Chriſti ſponſam tot annos contra eius promiſſum pro derelicta habuerit. Sic Montanus Dei Spiritum nulli ante quam ſibi, ne Apoſtolis quidem, datum gloriabatur: quaſi Dei veritas, ne omnino periret, iſtos in auxilium expectarit, vt inquit Tertullianus: hoc hæreticorum, vt vulgari verbo vtar, proprium eſt, vt ſe omnibus qui ſunt, & qui fuerunt, doctiores eſſe iactent: vnde & à Græcis Gnoſtici per ironiam appellati ſunt, quaſi omnium ſcientiſſimi. In corrupti huius ſæculi moribus, qui Euangelium, hoc eſt, vitæ integritatem, animæ ſalutem, pia & ſalutaria opera, obſeruantiam erga magiſtratus, erga Deum, & proximum charitatem magis intelligit, quam pij illi Patres qui Conciliis ſub Carolo Magno celebratis Maguntino, Rhemenſi, Turonenſi, Cabillonenſi, Arelatenſi interfuerunt? quam qui in Aquiſgranenſi Gallicorum celeberrimo ſub Ludouico Pio Caroli Magni filio, pia decreta ſanxerunt? cuius Concilij tres libri ab Epiſcopis, qui interfuerant, ſcripti, & Pipino Aquitaniæ Regi eiuſdem Ludouici filio dicati extant: quorum lectione quantam ſanctiſſimi illi viri ſacrarum litterarum ſcientiam conſequuti eſſent, quiuis intelligere poteſt. Si Dei Spiritus in ſanctis illis viris fuit qui intra octingentos ſuperiores annos floruerunt: quem ſucceſſione continua ab Apoſtolis acceperunt, & ad nos tranſmiſerunt; certè in nouatoribus iſtis & nouarum ſectarum authoribus aut profeſſoribus eſſe non poteſt. Sin in illis non fuit, omnes Chriſtiani ab octingentis annis, & qui hodie Romanam religionem profitentur, extra Chriſti Eccleſiam ſunt, extra quam nulla eſt ſalus,

Digitized by Google

ſalus, vt vulgo dicitur, & in numero impiorum habendi ſunt: quod nemo niſi inſanus confiteri audebit. Ne igitur Rex Christianiſſime Christianos cum non Christianis commiſce: hæretici enim Christiani non ſunt, & Theodoſij Iunioris ac Valentiniani Tertij decretis circa annum Christi quadringenteſimum triceſimum ſeptimum editis Christianorum nomen ſibi vendicare prohibentur: authorum ſuorum nomina ſibi attribuere iubentur: vt Arriani, Macedoniani, Neſtoriani, & ſic ab aliis appellentur, qui ſacram Scripturam ex priuatis ſuis affectibus huc illuc trahunt, atque peruertunt. At nos qui Romanæ religionis fidem profitemur, cæterarum non Lesbiam, ſed veram & exactam regulam, ad quam dirigi debent, ex veterum Conciliorum decretis, ex antiquorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum authoritate, ex Apoſtolicis traditionibus eandem interpretamur. Quum igitur nouatores iſti extra Eccleſiam ſint, à qua ſe excluſerunt: & ſacris Christianis interdicantur, id eſt, vt vulgò loquuntur, excommunicati ſint, obſecramus Majeſtatem tuam, Rex Chriſtianiſſime, vt nullum illis permittas nobiſcum in poſterum commercium vel conſuetudinis, vel mercium, vel alterius cuiuſlibet rei, quarum ſpecie peruerſam ſuam doctrinam propagare ſolent. Id ſi in bellis inter finitimos obſeruatur, quibus de corporis vita, & fortunis certamen eſt, quanto magis quum de animorum internecione agitur, obſeruandum eſt?

Anno Chriſti quadringenteſimo triceſimo iidem Imperatores Theodoſius Iunior, & Valentinianus Tertius, Conſtantini Magni, ac trium eius liberorum, aliorúmque aliquot Romanorum Imperatorum decreta renouarunt, hæreticos proſcripſerunt; & à toto Romano Imperio excluſerunt, eorundémque fortunas publicæ haſtæ ſubiecerunt: illos ipſos inteſtabiles declararunt, quæ pœna ad extremum ſupplicium proximè accedit: cui eoſdem Martianus Imperator addixit. Hoc internecinum inter ſanctam Romanam Eccleſiam, & prophanos hæreticos bellum ab anno Chriſti ſeptuageſimo ſecundo, quo Nero Petrum & Paulum trucidari iuſſit, huc vſque continuatum eſt; & vſque ad mundi finem continuabitur. Irenæus Lugdunenſis Pontifex Gnoſticos, & Valentinianos anno Chriſti centeſimo ſexageſimo è ſua prouincia expulit, nec in ea habitare permiſit. Dei præceptum de Idololatris, quorum, & hæreticorum eadem cauſa eſt, pleriſque locis repetitur, & omnibus notum eſt: Percuties eos vſque ad internecionem; non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum, neque ſociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, vt magis ſeruiat diis alienis. Aras eorum ſubuertite: confringite ſtatuas, lucóſque ſuccidite, & ſculptilia comburite. * * * * * Te ſuppliciter obſecramus Rex Chriſtianiſſime, & te quoque Regina eius mater, vt operam detis ne in has formidabiles comminationes incidatis: neque verò te Rex tenera tua ætas excuſabit: etenim Hieremiam ita alloquitur Deus: Ne dicas, quia puer ego ſum. Daniel duodecim natus annos libinoſos ſenes damnauit: Solomon eadem ætate prudens, & memorabile inter mulieres de filio contendenteis iudicium reddidit: Samuel natu minor Helim ſenem & pene decrepitum reprehendit: Ioſias octauo ſuæ ætatis anno Rex ſalutatus templum ſtatim purgauit, & Dei cultum inſtaurauit. eaſdem à te heroicas actiones expectamus Rex Chriſtianiſſime, quas Dei Spiritu inſtigante, & matre tua prudentiſſima fœmina admonente feliciter exequeris, & te cum his quos nuper commemoraui adæquabis. Poſtremo vt nos, & noſtras poſſeſſiones, quibus adminiſtrandis præſumus, in tuam fidem recipias, & pro hiſce propugnes ſuppliciter petimus. Quantum ad nos attinet, bonam calamitatum, quæ acciderunt, partem à nobis præſertim, hoc eſt, à toto ſacerdotali ordine profectam confitemur: has Deus Opt. Max. vt peccata noſtra puniret, & nos ad ſe conuerteret, immiſit: pauci tamen cauſam hanc inueſtigauimus, aut inde fructum aliquem percepimus, pauci de noxis admiſſis indoluimus, aut vitam ſceleribus inquinatam emendauimus: quapropter ne temporariæ hæ calamitates in ſempiternas conuertantur, periculum eſt. Si Hieremias in treis tui regni ordines inquireret, vt quondam in Iudæorum, & Hieroſolymitanorum ordines inquiſiuit, idem quod tum, deferre, & coram diuina maieſtate declarare poſſet. * * * *

Nos quanquam peccatorum noſtrorum conſcij ſumus, tamen Iudaicam hanc peruicaciam imitari nolumus: Deo, diuinæ legi, Eccleſiæ, tibi qui Deum in hoc inferiore orbe repræſentas, parere volumus, & noſtro officio, quoad fieri poterit, ſatisfacere conabimur. Vt autem commodius ſatisfacere poſſimus, vt priuilegia ab Imperatoribus & Regibus maioribus tuis nobis conceſſa confirmes ſuppliciter oramus, quæ libello iam oblato fuſius explicantur: inter quæ ius eligendorum eorum, qui maioribus Eccleſiis præſint, vti diuina

lege,

Digitized by Google

lege, Apoſtolica traditione, antiquis Conciliis, & Romanorum Pontificum decretis conceſſum eſt, nobis reſtituas; quod aliquamdiu intermiſſum hanc quam in noſtro ordine agnoſcimus perturbationem magna ex parte peperit: multi enim litterarum ignari, impuri moribus, ad obeunda ſua munera inepti Epiſcopatus, cæteróſque ſummos ſacros magiſtratus inuaſerunt, & partim quod munera ſua obire non poſſent, partim malo exemplo antiquam Eccleſiæ integritatem peruerterunt. Lex diuina iubet ne quis templo eiuſque & Dei miniſterio præſit, niſi perinde atque Aaron vocatus ſit & electus. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ initium faciens turbam, quæ ipſum ſequebatur, in montem accerſiuit, & duodecim, quos Apoſtolos vocauit, & ſeptuaginta diſcipulos ſelegit. Poſt Chriſti in cœlum aſcenſum vndecim Apoſtoli Barnabam in Iudæ locum ſurrogarunt, & ſeptem diaconos elegerunt: Chriſtus ipſe Antiochenæ Eccleſiæ doctoribus iuſſit, vt Paulum, & Barnabam ſeligerent, & in opus quod illis deſtinarat, mitterent. Quum poſt Stephani mortem Hieroſolymitana Eccleſia diſperſa eſſet, & ex duodecim Apoſtolis tres duntaxat Hieroſolymis remanſiſſent, Petrus, Ioannes, Iacobus, duo priores cæteros repræſentantes Iacobum Hieroſolymorum Epiſcopum deſignarunt: Sic Titus Cretenſis, Timotheus Epheſius, Polycarpus Smyrnenſis, Clemens Romanus Epiſcopus electus eſt: is mos à decimo octauo Tiberij anno ad Traiani decimum, qui fere centum anni ſunt, obſeruatus eſt: vt per impoſitionem manuum presbyterij, id eſt, conuentus presbyterorum, quemadmodum Paulus ait, Epiſcopi eligerentur, & ad ſuas functiones mitterentur. Quem morem poſt Apoſtolorum acta Apoſtolorum canones vt vocantur. 1. 14. 29. 30. 34. 35. 80. obſeruatum teſtantur. Si Chriſti & Apoſtolorum verba, atque actiones, ſi primæ Eccleſiæ vſus, & conſenſus legis diuinæ nomine non appellabuntur, quid tandem legem diuinam appellabimus? addamus Concilij Niceni caput quartum, Antiocheni viceſimum tertium. Si ad priuata ſingularum prouinciarum Concilia tranſibimus, Aurelianenſis ſecundi caput ſeptimum proferemus, quod ſub Clodouei quatuor filiis, Childeberto Pariſiorum, Clotario Sueſſionum, Clodamiro Aurelianenſium, Theodorico Mediomatricum Regibus circa annum Chriſti quingenteſimum triceſimum ſextum celebratum eſt. Idem iuſſit Iuſtinianus in Authenticis ſupra commemoratis, & Carolus Magnus, eiuſque filius Ludouicus Pius in hæc verba: Epiſcopi ſecundum ſtatuta canonum de propria diœceſi ob vitæ meritum & ſapientiæ Domino eligantur. Idem Philippus Auguſtus, Diuus Ludouicus, Philippus Pulcher, Ludouicus Hutinius, Ioannes Primus, Carolus Septimus, Ludouicus Vndecimus, Carolus Octauus iuſſerunt.

22 Anno huius ſæculi decimo ſeptimo, quo electiones ſublatæ ſunt, Martinus Lutherus quanquam alia de cauſa in orbem Chriſtianum nouarum ſectarum virus infudit: quæ ſi reſtituentur, & Epiſcopi cæterique ſacri magiſtratus ſua functione digni eligentur, haud dubium quin vetus Eccleſiæ integritas inſtauretur, ita vt cæteri ordines de noſtro queri non debeant. Si inter Epiſcopum & ſuam Eccleſiam ſpiritalis quædam coniunctio eſt (quam longè arctiorem, quam inter virum & vxorem eſſe certum eſt) nonne vt mutuus conſenſus interueniat, conſentaneum eſt, ſine quo matrimonium conſiſtere non poteſt? at is conſenſus electio eſt. Mox de decimis queritur, quas Reges ab anno huius ſæculi decimo ſexto exigere cœperunt; ex quo ſequens annus priore ſemper miſerior & calamitoſior fuit, vt aurum Tholoſanum poſſeſſoribus ſemper exitio fuit, exempláque multa addit de ſacerdotum poſſeſſionibus immunitate donatis. ſed quoniam permulta maiore querimonia digna poſtea inciderunt, prolixius hoc caput perſequendum non putaui. Tum ſecundum, tertiúmque ordinem Regi commendat, qui tot tributis & pecuniarum indictionibus, tot militum rapinis exhauritur, tot grauiſſimas contumelias iniuriáſque patitur, vt non multum ab his qui Turcis miſerrimam ſeruitutem ſeruiunt, differre videatur. Poſtremo in explicando Regis officio orationi ſuæ finem imponit. Rex non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero ſubleuatus, non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius: neque argenti & auri immenſa pondera. Deſcribet Deuteronomium legis huius in volumine accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus; & habebit illud ſecum, legétque omnibus diebus vitæ ſuæ; vt diſcat timere Dominum Deum ſuum; & diſcat verba & ceremonias eius quæ in lege præcepta ſunt: nec eleuetur cor ſuum ſuper fratres ſuos, nec declinet in partem dextram vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & filij eius ſuper Iſraël. Quum ait, ne reducat populum in Ægyptum, hoc eſt, ne ſinat populum ab ea religione deficere in qua inſtitutus eſt, & ad idololatriam Ægyptiorum redire. Et Eſaias ait, in iuſtitia regnabit Rex, & principes in iudicio præerunt. Quod Concilium Tridentum indictum

fuiſſet,

fuiſſet, admoniti ſunt Epiſcopi, vt ſe ad iter compararent. decretum præterea vt qui religionis ergo in cuſtodiam dati fuiſſent, emitterentur; & ne quis in eos, aut in eorum poſſeſſiones ageret: ne quis alteri religionem exprobraret, quæ nimirum eò tendebant, vt Pontificiorum & Caluinianorum factiones augerentur. Inde trium ordinum conuentus Pontiſaram tranſlatus eſt: Rex Nonis Februarij Aurelia profectus ad fontem Bellæ Aquæ ſeceſſit.

Trium ordinum conuentus Pontiſaram tranſlatus.

Circa id tempus Imperij principes, qui Auguſtanam doctrinam profitebantur, Num- 23
burgi conuenerunt quo Pius Quartus Romanus Pontifex legatos miſit, vt eos ad Concilium Tridentinum inuitaret. Illi Romanum Pontificem Concilij indicendi poteſtatem non habere reſponderunt: non enim æquum eſſe, vt qui corrumpendi diuini cultus, eiúſque miniſtrorum à priſtina integritate alienandorum authores ſunt, Romani Pontifices ſcilicet, ius indicendi Concilij habeant, & quaſi iudices, aut arbitri tot de religione controuerſias componere conentur. Falſum eſſe, quod Pontificij legati obiecerunt, Proteſtanteis nullam certam habere doctrinam: tot Euangelia, id eſt, doctrinas eſſe, quot doctores, tot religiones, quot animorum affectus: ſe enim Auguſtæ anno huius ſæculi triceſimo certam propoſuiſſe doctrinam, quæ Auguſtana confeſſio appellatur: hanc validis confirmaſſe argumentis; & ſi opus erit, deintegro confirmabunt. Poſtquam ad fontem Bellæ Aquæ Rex appulit, Condeum Fera Nauarri oppido vt ſe purgaret, acceſſiuit: is in ſanctius Conſilium admiſſus Hoſpitalem Cancellarium num quas aduerſus ſe probationes, aut inquiſitionum inſtrumenta haberet, rogauit. Ille nulla habere reſpondit. quum cæteri ſatis purgatum dicerent, ſuo loco in eo Conſilio conſedit: deinde tertio Idus Martij quum in Conſilio Rex, & Regina eius mater, Nauarrus, Turnonius, & Caſtilio Cardinales, Mompenſerius, Rochaſurio, Guiſanus regulus, Mommorencius equitum magiſter, Hoſpitalis Cancellarius, Caſtilio Amyralius, & alij pleríque adeſſent, omnium criminum, quorum inſimulatus erat, abſolutus, atque innocens pronuntiatus eſt, vtque id decretum in omnibus Galliæ Senatibus, quæ Parlamenta vocant, recitaretur, atque in acta referretur, additum eſt. Verum vt maiorem innocentiæ fidem faceret, vt ea à Senatu Pariſienſi declararetur, à Rege poſtulauit, & impetrauit: Areſtum ſiue decretum eius Senatus Idibus Iunij pronuntiatum eſt. Ita qui apertè Ambaſianæ coniurationis conuictus erat, Rege, & regni ſtatu multum immutato innocens declaratus eſt. & ad regnum perturbandum reſeruatus. Tum Nauarrus Guiſanum ſibi præferri apud Reginam Regis matrem queſtus eſt; ad quem arcis claues deferrentur: hanc iniuriam pati non poſſe, ſibi potius è comitatu Regio migrandum: neque enim vtrumque ſimul ibi remanere poſſe, quod Guiſanus ſemper & ſub Henrico, & nuper ſub Franciſco Secundo Rege ſibi aduerſatus fuiſſet.

Condeus criminum, omnium, quorū inſimulatus erat, ſuſpicione abſolutus pronūtiatur.

Nauarrus Guiſanū ſibi præferri conqueritur.

Reſpondit Regina diuerſorij Regij claueis, vbicumque Rex eſſet, antiquo more ad 24
Regiæ aulæ magiſtrum ſolere deferri: quemadmodum ad Mommorencium dum eo munere fungeretur, deferebantur. Subiecit Nauarrus ad Mommorencium delatas non quaſi ad Regiæ aulæ, ſed ad equitum magiſtrum: id autem falſiſſimum erat: tamen vt ea contentio ſummoueretur, claueis ad ſe Regina deferri iuſſit, quamuis ad Guiſanum Regij palatij magiſtrum deferri debuiſſent. Porro Guiſanum magnis rebus geſtis clarum, & his muneribus, quæ illum Regi aſſiduum eſſe cogant, præditum è comitatu Regio nullo modo pelli poſſe. Hinc Regina à Guiſanis ſtare viſa eſt: quapropter Franciſcus Mommorencij equitum magiſtri filius natu maximus inſulæ Franciæ, qua Lutetia comprehenditur, adminiſtrator, quod Caluinianus erat, & à patre quodam modo ſeparatus, Caſtilionis Amyralij conſobrini conſilia ſequebatur, vt priuatus eius prouinciæ conuentus acceleraretur procurauit, cæteras prouincias propter Lutetiæ authoritatem eius iudicium ſequuturas arbitratus; & aduerſus Guiſanos, atque aduerſus Reginam ipſam multa molitus eſt: primum enim ibi de regni adminiſtratione egerunt, quam Nauarro adiudicari volebant, quamuis Aureliæ, ne quid de illa in trium ordinum conuentu tractaretur, interdictum fuiſſet: tum eos qui vel ab Henrico Rege, vel à Franciſco eius filio dona immenſa accepiſſent, repetundarum arceſſi, nec interim in ſanctius Conſilium admitti, aut honoratis ſuis muneribus frui, immo verò ſi conuincerentur, eadem iiſdem abroganda cenſebant. Hic Mommorencius equitum magiſter, qui centum nummûm aureorum millia ex pecunia à Franciſco Primo relicta initio regni Henrici abſtulerat, vt alio loco ſcripſi, Diana Pictauienſis, quam Valentinam heram vocabant, Sanctandreanus Mareſchallus potiſſimum percellebantur: nam Guiſanus non multa ab Henrico dona acceperat: ſed eius, & fratris Cardinalis ſub Franciſco II. regni adminiſtratio inſimulabatur.

Digitized by Google

Cardinalis nihilominus, qui tum Regio ærario præfuerat, rationem paulò poſt Regiæ pecuniæ acceptæ, expenſæque reddidit, & calumniatoribus os obſtruxit.

25 Catharina Regis mater, vbi quæ capita conuentus Pariſienſis protuliſſet, & de regni adminiſtratione agere cœpiſſet, intellexit, ne ab ea excluderetur verita, cũ Nauarro pacta eſt, vt is ſummus Regis legatus in tota Gallia, cæteriſque prouinciis Regi obnoxiis eſſet, nec quicquam ſine eius conſenſu expediret: quæ noua pactio litteris conſignata, & ab ipſa, Nauarróque, & cæteris, qui Regio Cõſilio intereant, ſubſcripta eſt. Mommorencius irritatus, quod inter eos, qui repetundarum arceſſebantur, numeratus eſſet, idque Caſtilionis Amyralij ex ſorore nepotis fraude ſtructum ſuſpicatus, quem, atque eius fratres pace inter Henricum Galliæ, & Philippũ Hiſpaniæ Reges conſtituta è comitatu Regio nouæ perſuaſionis nomine, Cardinalẽ Lotharingum rerũ nouarum ſtudio pellere decreuerat, neque id omnino diſſimularat, deinde quod in arce apud Nauarrum Condeúmque Caluiniani conciones haberẽt, Valentinus Pontifex eiuſdem perſuaſionis profeſſor, in maiore aula cõcionaretur, publicè caro venalis exponeretur (tũ enim quadrageſima quæ vocatur, hoc eſt quadraginta dierũ ieiunium à Pontificiis obſeruabatur) inter Regis matrẽ, & Nauarrum conueniſſe vt Caluiniana perſuaſio propagaretur, exiſtimauit, & ſe ab illis abalienauit: ac cum Guiſano, Mompenſerio, Sanctandreano Mareſchallo conſociauit: quem Magdalena Sabauda vxor pia mulier, atque Honoratus eius frater vt pro antiqua religione propugnaret, vehementer incitabant. Et Sanctandreanus Mareſchallus aulicarum artium in primis gnarus Mommorencium à Caſtilione Amyralio nepote inter repetundarum reos numeratum, aiebat vt ſuſpenſus teneretur, nec religionis mutationem impediret. Accedebant quotidianæ litteræ Dianæ Pictauienſis, cuius neptem Danuilla alter Mommorencij filius vxorem duxerat, quæ vt in religione conſtans eſſet, & ſe Guiſanis reconciliaret, ſuadebant. Contra Franciſcus filiorum natu maximus Caluinianus ne ſe à Nauarro, Condeo affine, Caſtilionibus nepotibus ſepararet, obſecrabat: in quibus bona ſuarum virium pars conſiſteret: ne nouos, & nuper reconciliatos amicos antiquis & ſibi propinquis præferret: ſineret illos cum Guiſanis confligere belli ſpectator, non ſocius, aut particeps. vbi Guiſanos, vti veriſimile eſt, afflixerint, tum ſe ex bonorum & doctorum virorum ſententia & conſilio religionem conſtituturum. Ille religionem mutari, quin ſimul & regni ſtatus mutetur, non poſſe reſpondit: ſe fidum ſuperioribus Regibus fuiſſe: eadem fide Carolum quoque Regem, eiuſque fratres obſeruaturum: optare vt Caſtiliones tam reipſa religionis ſtudioſi ſint, quàm eamdem verbis oſtentant. Acceſſerunt ad Mommorencium Cardinalis Amyraliúſque Caſtiliones, nec reſponſum lætius retulerunt. Poſtea die Chriſti è mortuis excitati dicato inſtante Guiſanus, ac Mommorencius cum Mompenſerio Euchariſtiam Chriſtiano more ſumpſerunt, & mox Guiſanum, Henricúmque eius filium, ac Sanctandreanum Mareſchallum Mommorencius ad cœnam inuitauit. poſtridie è Regio comitatu profecti Nantuellium Guiſanus, Chantillium Mommorencius conceſſit: & quod non longe à ſe inuicem diſtabant, crebris & litteris & nunciis inter ſe de conſtituenda regni adminiſtratione communicabant.

Catharina Regis mater cum Nauarro paciſcitur.

26 Quemadmodum in aula Regia variæ erant de religione factiones quæ ad bellum tendere videbantur, ita & in pleriſque vrbibus eædem vigebant. In Ambianis, in Bellouacis, Pontiſaræ: in ipſa adeo Lutetia, vt parum à ſeditionibus abeſſent: hinc diploma ad omneis Regias præfecturas, earúmque Præfectos, Balliuos, aut Seneſchallos miſſum eſt, quo prohibebatur ne qui ſibi hæc noua ſeditionum vocabula Papiſtarũ (inquam) atque Huguenotorum, aut alia huiuſce notæ exprobrarent. quædã etiam alia capita continebat: priore vocabulo Romanæ & antiquæ, poſteriore nouæ perſuaſionis ſectatores indicabãtur: quod quoniam ad ſe primũ antiquo more miſſum nõ erat, quoad potuit, Senatus Pariſienſis impediuit: nouum, & inſolitum eſſe vt huiuſmodi diplomata ad Balliuos & Seneſchallos nõdum in Senatu Pariſienſi promulgata mittãtur: & niſi prius ibi promulgentur, vim legis aut edicti habere non poſſunt. Senatum Regi nonnunquam rationẽ poſſe reddere, cur ea locum habere nõ debeant: itaque poſtquã à Balliuis, & Seneſchallis in acta relata eſsẽt, & pro edictis habita, poſſe nihilominus aliquando reuocari: quod abſurdiſſimũ eſſet. Præterea nouo hoc diplomate variæ de religione perſuaſiones recipi, & probari videntur, quũ à Clodoueo primo Rege Chriſtiano in hunc vſque diẽ vna & ſola Romana religio, quã Catholicam & vniuerſã vocant, in hoc regno culta ſit: cæteræ religionis ſectæ ſi quæ fortè interuenerunt, repente reiectæ ſint. hinc Reges noſtros Chriſtianiſſimos vocari. Alias itẽ rationes addiderunt, quapropter edictum in huius locum mẽſe Iulio ſurrogatum eſt, quod Rex in Senatu Pariſienſi ſedens, Nauarro, cæteriſque Regiæ ſtirpis, aliiſque principibus, Frãciæ patritiis &

Digitized by Google

ſanctioris Conſilij proceribus comitatus cuncto Senatu comprobante edi iuſſit: quo interdictũ eſt ne quis cuiquam religionis ſpecie, aut alia de cauſa iniuriã faceret, contumeliamve imponeret: ne quemquã verbo, aut reipſa publicè, aut priuatim laceſſeret, neue ſeditioni occaſionem vllam præberet pœna capitis indicta: ne quis ſcripto quod ad factionẽ, aut ſeditionem vergat, nomen det: ne qui ad populum docendum concionantur eumdem ad ſeditiones incitent, ſed in puræ religionis ſinceritate, & tranquillitate contineant. Seditionum cauſas iudices Regij, quos Præſidiales vocant, ſinguli in ſuis præfecturis ſine vlla prouocatione cognoſcent: ſententias tamen vel mortis, vel quæſtionum, vel alterius ſupplicij, aut abſolutorias niſi denarium numerum impleant, non ferent. Si quis de aliquibus querendi occaſionem habebit, ad eoſdem iudices recurret: priuatim nihil molietur: omnia cõuenticula publica cum armis, aut ſine armis, priuata quoque vbi de religione conciones habebuntur, aut Sacramenta adminiſtrabuntur aliter quàm haberi, aut adminiſtrari in Romana Eccleſia ſolent, bonorum, & corporum proſcriptione interdicuntur.

Edictum Remorentinẽſe. Quantum ad hæreſis crimen attinet, vt hoc nomen cum vulgo vſurpemus, cognitio eius ex Remorentinenſi ſuperioris anni edicto Franciſci Secundi mẽſe Maio edito, ad Eccleſiaſticos iudices reiicitur: ſi tamen illorum conſenſu ad iudices Regios perueniet, grauiorem exilio mulctam non imponent. Et hæc quidẽ donec vel vniuerſi Concilij, vel Gallicæ nationis decreto aliter ſtatuetur, rata erunt: omneis omnium noxas propter religionem aut ſeditiones ab Henrici patris morte huc vſque ſuſceptas omnibus Rex condonat: falſorum criminum delatoribus, præſertim quod ad religionem, & ſeditiones attinet, pœnam talionis, vt vulgo dicitur, imponit: longos, aut breues ſclopetos ferre omnibus prohibet præterquam prætorianis hippotoxotis, aut cataphractis equitibus atque hippotoxotis dum ad ſua ſtatiua eunt, aut redeunt: item rerum capitalium præfectis eorúmque adminiſtris qui Mareſchallis aut iudicibus Regiis operam præſtant. *Caroli Regis inauguratio.* Hoc edictum poſt Carolum Rhemis ſacris Regiis initiatũ editum eſt, cuius Carolus Cardinalis Lotharingus author fuit: Rhemis enim à Rege poſtulauit, vt certa lex de religione ſtatueretur: alioqui nullum ſeditionibus modum futurum. In ſacris Regiis nihil nouum interceſſit, niſi quod iiſdẽ tredecim patritij interfuerunt, & quod Guiſanus ſe inter Nauarrum, & Mompenſerium interiecit, vt in ſacris Franciſci Secundi, & in ſacris Henrici Secundi Claudius eius pater ſeſe interiecerat, quod prior inter patritios numeratus fuiſſet. Alij Mompenſerium præcedere debuiſſe aiebant: quod ſtirpis Regiæ principes tametſi poſt alios in eum ordinem recepti præcedere debeant; & placitum ſiue Areſtum Senatus Pariſienſis proferebant inter Mompenſerium, & Niuernenſem regulum anno huius ſæculi primo & quadrageſimo pronuntiatum, quo Mompenſerius roſas, quas Pariſienſibus Senatoribus patritij offerre ſolent, obtulit, quamuis poſt Niuernenſem in eum ordinem cooptatus fuiſſet. Caſtilio Amyralius ad Nauarrum poſt ſupra commemoratum edictum reuerſus, & de edicti ſeueritate queſtus, idque euertere cupiens, vt Caluiniani miniſtri, inter quos Petrus Martyr, & Beza primas ferebant, in Galliam arceſſerentur author fuit, & cum Gallis Epiſcopis, inter quos Cardinalis Lotharingus princeps erat, ac Sorbonicis Theologis de controuerſis religionis capitibus diſceptarent, ac ſacræ Scripturæ interpretationem, quemadmodum intra quingentos à Chriſto annos à viris doctis expoſita eſt, ſequerentur. quod colloquium omnes viri probi, ac docti improbarunt, & huius authores non minus quàm Lucium Gellium Romani, qui Athenienſes Philoſophos de dogmatis ſuis penitus diſſentienteis in vnum locum conuocauit, & ad concordiam reuocare conatus eſt, irriſerunt: nam inter peruicaces diſputatores vbi nullus iudex aut arbiter eſt, concordia nulla eſſe poteſt: de quorum alterutro nullo modo nec hi, nec illi conuenire potuiſſent. Itaque colloquium illud ſumma non animorum conſenſione, ſed diſſenſione diſſolutum eſt victoriam vtriſque ſibi vendicantibus. extat Caroli Cardinalis Lotharingi vulgari lingua ſcripta oratio erudita ſanè, vti ab eo pronuntiata eſt. Extant & Bezæ contrariæ orationes, ſed quæ controuerſias magis augere, quàm imminuere videantur, quas hoc loco inſerere ſuperuacaneum viſum eſt, vel quod extant, vel quod ſpinoſæ ſunt diſputationes ab hiſtorico ſtylo alienæ, quas Theologis ediſſerendas relinquimus ne illorum munus vſurpare videamur; quemadmodum & exiguum Allobrogis exercitum aduerſus Valdenſes & Caluinianos vallis Agroniæ ac finitimarum, quæ Lucernatis portiones eſſe traduntur, vallis item Martini, & leuiores aliquot pugnas recenſere ſuperuacaneum putauimus: humiliores enim ſunt, quàm vt in hiſtoriam referri debeant: quibuſcum nihilominus Allobrox Nonis Iunij pactus eſt, iiſdémque perſuaſionis ſuæ ritus quibuſdam conditionibus impoſitis exercere permiſit.

Maiore

Digitized by Google

28 Maiore ſeueritate Philippus Hiſpaniæ Rex in ſuis regnis, ac prouinciis vtebatur, & nouæ perſuaſionis conuictos alios demergi, alios cremari iubebat: nec maioribus Hiſpaniæ proceribus parcebat: domos etiam vbi coierant, incendebat, aut diruebat. In quibus puniendis & Cardinalis Granuellanus in Belgio magnam diligentiam adhibebat: at Flandri nihilominus ſuæ perſuaſionis profeſſionem ad Philippum miſerunt, nec aliud quicquam niſi vt ſupplicia augerentur, impetrarunt: vnde mox ab illo defecerunt. Auguſto menſe Maria Stuarda Scotiæ Regina, Franciſci Secundi Galliæ Regis nuper vxor ad fanum Germani Laij Rege valere iuſſo Caleſium petiit, quam Guiſanus cum fratribus huc vſque comitatus eſt: vnde illa in Scotiam traiecit. Trium ordinum conuentus in menſem Maium dilatus certis de cauſis in Auguſtum productus eſt, vbi Prouinciarum legati ſuæ legationis libellos contulerunt. Pontiſaram, vbi conuentus agebatur Mortierus miſſus eſt, vt pactionem inter Catharinam Regis matrem, & Nauarrum initam de regni adminiſtratione confirmaret: nonnulli enim ex legatis, atque inter illos Pariſienſes quorum exemplum cæteri propter Lutetiæ authoritatem ſequi facilè conſueuerunt, à Caſtilione Amyralio, & Franciſco Mommorencio inſulæ Franciciæ Prætore ſubornati matres Regibus in minore ætate conſtitutis poſt Diui Ludouici decretum, quo legem Salicam renouauit, regnum adminiſtraſſe inficiabantur. Quum ea de re controuerſarentur, nec quicquam Mortierus profeciſſet, Catharina Regis mater ne ſe ſua ſpes fruſtraretur, & à regni adminiſtratione excluderetur, verita Amyralium cuius conſilia Nauarrus ſequebatur, clam accerſiuit, & ne ſibi aduerſaretur, obnixè poſtulauit. Ille quiduis ſe perfecturum pollicitus eſt, modo ſuæ, id eſt, Caluinianæ perſuaſionis liberè & publicè obeundæ poteſtas daretur. Illa datum iri repromiſit, vnde edictum Ianuarij ſequentis emanauit, quod malorum noſtrorum omnium fons & origo fuit. Cum Amyralio autem conſentiebat Hoſpitalis Cancellarius, vterque ſacrorum bonorum inuadendorum auidus: verum ille etiam ambitione ardens Caluinianorum ope ſe Mommorencium auunculum ſuperaturum authoritate ſperabat. Is Pontiſaram miſſus perfecit, vt ordines, quandoquidem qui regni adminiſtrationem ſibi vendicare debebant, pactioni illi aſſentiebantur, ſe quoque, ſed ſub conditione quæ libello continebatur, aſſenſuros: huius adminiſtrationis periculum facturos, & Regi libellum oblaturos reſponderent. Hi ad fanum Germani, & plerique ex omnibus Senatibus accerſiti ſunt, vbi Rex in maiore aula, quæ ſupra arcis portam eſt in Regali ſolio ſedit: cui à dextra Aurelianus frater ac Nauarrus, à ſiniſtra Catharina mater, ac Margarita ſoror aſſederunt. Ad Regis pedes Guiſanus ſummus cubiculi Regij magiſter, ante Aurelianum, ac Nauarrum: Mommorencius equitum magiſter à dextra, à ſiniſtra Hoſpitalis Cancellarius. Poſt hos primo loco ſedit Cardinalis Borbonius non vt Cardinalis, ſed vt poſt Nauarrum fratrem è Regia ſtirpe Regi proximus, vt ipſe declarauit: cui Condeus aſſedit, & ordinem huc vſque obſeruatum peruertit: nam ſub ſuperioribus Regibus Cardinales ante Regiæ ſtirpis principes ſedebant: poſt Condeum Caſtilio, atque Arminiacus Cardinales ſederunt: nam Turnonius Cardinalium decanus (vt Romani loquuntur) hoc eſt, eorum qui in eum ordinem cooptati ſunt primus, Lotharingus, ac Guiſanus Condei ambitionem, quam in Romanæ religionis contemptum conferebant, non ferentes ſe inde ſubduxerunt: cæteri ſuo ordine conſederunt.

Quid cauſa fuerit cur Flandri à Philippo defecerint.

Caluini hæreſeos exercitium publicè quando permiſſum.

29 Tum Rex cur honoratum hunc cœtum conuocarit, à Cancellario rationem audituros præfatus eſt, precari, vt qua erga Deum pietate, & erga ſe beneuolentia præditi ſunt, fidum ſibi conſilium dent ſublatis priuatis affectibus: id Deo gratiſſimum & ſibi, regnóque vniuerſo vtiliſſimum fore, cuius ſe memoriam ſempiternam habiturum pollicitus eſt. Hoſpitalis Cancellarius prolixus ſemper, & ſatis ineptus orator, qui ſatyris potius etiam in eo gradu conſtitutus, quam ſcribendis orationibus, aut habendis operam dederat, initium nouarum ſectarum à Martino Luthero repetiuit, qui circa annum huius ſæculi decimum ſeptimum huic, quam tot annos experimur, tragœdiæ initium dedit. Franciſcum Regem huius nominis primũ atque alios pleroſque principes Chriſtianos ferro, atque igne Lutherianis reſtitiſſe: nec multum profeciſſe, aliis enim armis repellendi erant, nempe Epiſcoporum, & eorum qui illis ſubſunt curionum diligentia in cohortandis ſibi attributis populis, & vitæ integræ exemplo ad bonam frugem inuitandis: vt primi illi noſtræ religionis duces, Apoſtoli (inquam) & qui illis proxime ſucceſſerunt, Chriſtiani religionem propagarunt, & ab impiis ſectis integram conſeruarunt. At quantum noſtri Epiſcopi ab illis differant, quantum ab eorundem integritate, atque eruditione abſint, nemo neſcit. atqui ſi vera dicere voluiſſet, Reges huius in religione perturbationis

Oratio Cancellarij.

authores ſunt, qui non pios & doctos, ſed in familiarium gratiam litterarum ignaros & ſæpe flagitioſos Epiſcopos Romano Pontifici offerunt, & vt ad Pontificatus prouehantur, importunè inſtant, mox de vniuerſo ordine queruntur, qui ab illis, aut ab illorum maioribus inſtitutus eſt. Deinde eos Cancellarius arguit, qui Regem aut à veteri religione, aut à noua iſta perſuaſione ſtare debere aiunt, & alteram è regno pellere: vtramque enim ſine ſeditionibus non poſſe tolerari: id autem idem eſſe ait, ac ſi altera membra cum alteris pugnare iubeas, vt totum corpus corrumpatur: at corruptum membrum abſcindere ſatius eſt, quam ſinere vt totum corpus gangrena corrumpat. Franciſcum Secundum amneſtiam quamdam renouaſſe, & ſeditionum, ſectarúmque memoriam abolere tentaſſe: omnibus pepercisse, modo ad veterem religionis conſenſum redirent: nec idcirco ſeditiones quieuiſſe, nec Caluinianos, quæ peſſima omnium ſecta eſt, vel latum vnguem à ſua peruicacia deflexiſſe. Sequutum eſt Remorantinenſe edictum: deinde Fombellaqueanum, quo omnes illiciti conuentus interdicti ſunt pœna capitis addita: nec tamen idcirco celebrari deſierunt, & qui illiciti conuentus eſſent, etiam apud Regios iudices diſceptatum eſt. Acceſſit alterum Fombellaqueanum edictum, quo trium ordinum conuentus indictus eſt: deinde ad Aureliam exercitus cogi cœpit; qui autem exitus fuerit, omnes ſatis agnoſcitis.

Fombellaqueani edictum.

Poſtquam autem Rex hic noſter fratri ſucceſſit, Rhemis, vbi ſacris Regiis initiatus eſt, 30 reuerſus idem, quod nunc proponendum putat, Lutetiæ in Senatu matre, Regiæ ſtirpis cæteriſque principibus ac Galliæ proceribus, ſanctioriſque Conſilij Senatoribus comitatus in conſultatione poſuit. Eadem quæ à fratre præteritarum noxarum amneſtia indicta eſt: publici conuentus, ac priuati, in quibus aliter, quam in Romana Eccleſia Sacramenta adminiſtrarentur, interdicti ſunt. Nihil tot edicta, nihil Epiſcoporum conuentus, & cum nouæ perſuaſionis miniſtris Piſſiacum colloquium profuit: deinde Regios miniſtros qui iuri dicundo præſunt, & Regia edicta non ſatis accuratè exequuti ſunt, excuſat: inter quos ille merito accuſatus eſt, qui illis exemplo erat, & nullos, niſi Caluinianos in oculis habebat: quique præclara hac oratione, & multis aliis peruerſis machinis ad condendum ſatis celebratum poſtea ſuum Ianuarij ſequentis edictum viam præparauit. His longè prolixioribus verbis explicatis ad ſuum axioma redit: Regem nec veteris religionis, nec nouæ perſuaſionis ſectatoribus ſeſe adiungere debere: hoc eſt, quod diſertè addere auſus non eſt, omnibus quam velint, religionis perſuaſionem ſequi permittere debere: mox perſequendi ſui argumenti ignarus, quæ huic axiomati contraria ſunt, ſubdit: factiones in rebus publicis ferri poſſe, & aliquando non iniquas videri: vbi vni, id eſt, Regi parere neceſſe eſt, ferri non poſſe. at nihil factiones, ſeditionéſque magis gignit, quàm diuerſa de religione perſuaſio, vt rei euentus magno noſtro malo ſatis comprobauit. Poſtremo de antiquando recenti Pariſienſi edicto, quo publici, priuatíque conuentus, in quibus aliter, quàm Romano more Sacramenta adminiſtrantur, frigidas neſcio quas rationes reddit: leges ſcilicet pro temporum varietate ſæpe mutari, quod nemo ignorat: at legem ad homines tanquam calceum ad pedem, accommodandam, quum potius homines ad legem accommodandi ſint, & ad legis normam ſe conformare debeant. Tum Regem celeberrimum hunc conuentum conſulere ait, an conuentus permittere debeat: nec conuentus ipſos definit publicos an priuatos, huius an illius perſuaſionis, an vtriuſque Rex permittere debeat; quod genus quæſtionum infinitum in conſultationem venire non ſolet.

Hoſpitalis Cancellarius hæreſis ſuſpectus.

Finita Hoſpitalis Cancellarij oratione ſurrexit Ioannes Britannus Heduus ab ipſo, & 31 Caſtilione Amyralio ſubornatus, ac pro tertio ordine orauit, & contra Cancellarij præceptũ qui non vtra perſuaſio potior eſſet, diſputandũ, ſed an conuentus permittendi eſſent, conſulendũ prædixerat, multis ex veteri, nouóq; inſtrumento locis citatis virorũ Eccleſiaſticorũ, vt hoc nomen cum vulgo vſurpemus, preſertim Epiſcoporum, & curionũ officium explicauit, vt profeſſione Iuriſperitus ſummus etiam Theologus videretur: à quo officio implendo quàm huius ſæculi Epiſcopi abſint, & quantas nihilominus poſſeſſiones, quàm honoratas, quantas iuriſdictiones ſibi vendicent, quæ à Regiis magiſtratibus adminiſtrari deberent, fuſè declarat: atqui ſacras poſſeſſiones ac iuriſdictiones nõ ſolum Reges, ſed & pleríque principes, ac viri nobiles, & ex omnibus ordinibus viri pij condonarũt. multi Epiſcopi & Abbates cœnobia exædificarũt, ac prouentibus ditarunt: virorum litteratorũ collegia inſtituerunt: pauperum diuerſoria quæ hoſpitalia vocamus, erexerunt. Si igitur ſacra bona aut iuriſdictiones viris Eccleſiaſticis auferri deberent, non ſolum ad Reges, ſed & ad alios, qui condonarunt, redire deberent: quibus hic magnam iniuriam facit, qui Regiis

Pro tertio ordine.

magiſtratibus

Digitized by Google

magiſtratibus iuriſdictiones omnes attribuit. Sed vt * * ſibi canit: nam Hedui Balliui legatus erat (ſiue vt loquuntur, locum tenens) aut Vicarius generalis. Vbi ſacras poſſeſſiones in immenſum auxit, & vt ex his Rex æs alienum diſſoluat, ſuaſit, tertij ordinis, præſertim plebis querimonias iuſtas proponit, nam de ſecundo ordine, qui virorum nobilium eſt, pauca verba facit, & tributorum infinita genera impoſita declarat: quæ quamuis ſummam prope infinitam impleant, tamen Henricum patrem, qui duodecim dumtaxat annos & paucos menſes, & Franciſcum fratrem qui circiter ſeptem & decem menſes regnauit, tantum æs alienum reliquiſſe, quantum nullus antea Rex quamuis continuis bellis longo tempore agitatus reliquerit. At Franciſcus auus qui tot bella cum Carolo Quinto Imperatore potentiſſimo geſſit, nullum æs alienum, multum aurum in theſauris repoſitum reliquit: quapropter veriſimile eſſe tot, támque varia, & immenſa tributa in Regium ærarium haud relata, verum ad nonnullos tranſlata, quorum palatia, atque arceis ſumptu plus quàm Regio ædificatas populus penitus exinanitus cum ſuſpiriis ingentibus ſuſpicit. Vt igitur qui Regio ærario præfuerunt, ſuæ adminiſtrationis rationem reddant apud eos quos elegerit Rex Chriſtianiſſimus coram trium ordinum legatis, quos ſingulæ prouinciæ deligent, populus fortunis omnibus exutus ſuppliciter obſecrat, vt & qui immenſa dona abſtulerunt, & populi compilandi authores fuerunt, grauiter puniantur, & ne cæteri deinceps in idem crimen incidant.

32 Tum de Regis officio agit citans illud Dauidi datum mandatum: Tu reges, tu paſces, tu iudicabis populum meum; & vt Concilium totius noſtræ nationis conuocet rogat, pium, legitimum, liberum, cui ipſe Chriſti vnctus præſit, in quo Regij conſiliarij, ac viri docti, & pij, nec alij, quorum res agitur, ius dicendæ ſententiæ habeant: at in Conciliis omnium res agitur, quis ergo iudicabit? ſed his verbis Epiſcopos cæteroſque viros Eccleſiaſticos excludere voluit. O præclarum, & verè Caluinianum Concilium, cuius ſimile etiamſi ab ipſo Chriſto, Apoſtoliſque repetas, nullum ſuperiora ſæcula viderunt. Conſtituto ſuo Concilio conſentanea perſequitur: templa Caluinianus ad exercendam perſuaſionem ſuam petit; rationes addit, quæ non magis Caluinianis, quàm cæteris ſectis accommodari poſſunt: Chriſtianorum ſenſus (conſcientias vulgo appellant) liberos eſſe debere, Deum nulla neceſſitate piè coli: erga erranteis fraterna admonitione, non vi, aut gladio vtendum: pleroſque Imperatores non Chriſtianos Chriſtianam toleraſſe religionem: Chriſtianos Arrianam ſectam, & nonnullas alias. Poſtremò ne iudiciarij magiſtratus in poſterum venales ſint, rogat; & vt libello à tertio ordine oblato Rex benignè reſpondeat. In libello à tertio ordine oblato varij modi, quibus Regis æs alienum diſſolueretur, perſcribebantur: primum vt præfecti Regij ærarij, quique ſub illis munus aliquod geſſiſſent, rationem ſuæ adminiſtrationis non in camera computorum (vt vulgo dicitur) ſed coram iudicibus à Rege & ſingulis prouinciis ſelectis redderent. Si quid debere deprehenderentur, nec in ſanctius Conſilium (ſiquidem inter illos Senatores eſſent) admitterentur, nec aliud honoratum munus exercerent, donec debitum ſoluiſſent. Quæſtorum quoque inferiorum rationes expenderentur, qui octo, ſex, quatuor, duos nummos aureos mutuo datos, qui item viginti Turonenſes libras ſingulis ſacris ædibus impoſitas, aut aliam pecuniam extra ordinem imperatam recepiſſent: immenſæ donationes, ac penſiones ab omnibus niſi à Regina Regis matre repeterentur: Regiorum domeſticorum (quos officiarios vocant) numerus minueretur: omnium autem, qui ſupereſſent, ſtipendia retinerentur: omnium ſacerdotiorum in quibus præfecti non reſiderent, aut de quibus lites intercederent, necdum deciſæ eſſent, fructus integri perciperentur; quibuſcum etiam Rhodij milites, ac Iacobi Hoſpitalarij, qui vocantur, comprehenderentur: vnde certa ſumma in ædificia inſtauranda, in diuinum cultum celebrari ſolitum, in egentium alimoniam, vti ex ſacerdotij inſtitutione cautum eſt, reſeruaretur. Eorum autem ſacerdotiorum vbi præfecti reſident, aliis quartas fructuum portiones, aliis tertias, aliis dimidias, aliis duas tertias adimendas, vt Regis æs alienum diſſoluatur. Ad hæc Epiſcopis ſex, Archiepiſcopis octo, Cardinalibus duodecim Turonenſis monetæ millia annua dumtaxat relinquenda: quæ ſupererunt, in Regium fiſcum redigenda: poſtremo ſacrorum bonorum auctionem faciendam, primariis ſacerdotum ædibus dumtaxat exceptis.

33 Hæc & pleraque alia Caſtilio Amyralius ac Cancellarius Hoſpitalis per eos, quos in ſingulis prouinciis deligendos curarant in libellum coniecerunt; vbi noſtri, hoc eſt, Romanæ & veteris religionis ſtudioſi negligentiores fuerunt. Hi libelli in vnaquaque

tredecim prouinciarum quæ antiquæ adminiſtrationes vulgò appellantur, cum reſponſis Regis tum in ſanctiore Conſilio factis repoſiti fuerunt, vt quum Rex iuberet, ederentur: nec tamen poſtea editi ſunt: multa enim à tertij legatis in primum ordinem malignè propoſita omnes videbant: quædam nihilominus ſtatuta, & velut edicta promulgata ſunt, & in Senatibus in acta relata, vt prouinciarum legatis ſatisfieret: non tamen à Senatoribus expenſa, aut comprobata, vt in edictis fieri ſolet: quandoquidem trium ordinum decreta ſua, non aliena authoritate nituntur. Tum primus ordo quatuor decimas quotannis Regi in ſex annos dependendas obtulit. Tres ordines ſimul quinque aſſes in ſingulos vini modios, qui in vrbeis immitterentur, in eoſdem annos Regi, & regni adminiſtrationem Catharinæ Regis matri Nauarro aſſentiente adiudicarunt. Quum in colloquio Piſſiaco Epiſcopi, ac Pariſienſes Theologi cum miniſtris Caluinianis haud conuenire potuiſſent, Caluiniani ſibi victoriam vendicantes templa quædam occuparunt; quibus ſe nemo oppoſuit: quapropter ne hinc aliqua ſeditio oriretur, edicto cautum eſt, ne qui ſclopetos longos, aut breues ferrent. Et altero tertio Nonas Nouembris vt Caluiniani templa occupata veteribus poſſeſſoribus reſtituerent. Reginam magis ad Caluinianos propendere, vti Caſtilioni Amyralio promiſerat, animaduertentes Guiſanus, Mommorencius equitum magiſter, Mompenſerius, Briſſacus, ac Sanctandreanus Mareſchalli, vbi eamdem admonuiſſent ex negligentia & conniuentia Regiorum magiſtratuum qui Iulij edictum obſeruandum non curarint ſeditiones, & tumultus, & bellum fortaſſe breui ſuſcitatum iri, ex comitatu aulico ſub finem Nouembris abierunt: ſimul & rumor diuulgatus eſt Romanum Pontificem, Hiſpaniæ Regem, Germanos, qui à veteri religione ſtant, cum Gallis eiuſdem religionis conſenſiſſe vt Caluinianos è Gallia exterminarent: ſiue is verus, ſiue de induſtria à Caluinianis diſperſus fuit. Catharina Regis mater vel huic rumori fidem adhibens, quod Pontificios (ſic eos qui à Romana, & antiqua religione ſtant, appellant) potentiores videbat, à Caſtilione Amyralio petiit, vt Caluinianarum eccleſiarum (ſic illi ſuos conuentus, vt Pontificij ſuas parœcias, aut diœceſes vocant) numerum ad ſe referret. Ille bis mille centum quinquaginta retulit, quarum nomine illis templa concedi poſtulauit, & Caluinianos ſi bellum inſtaret, Regi ſuis ſumptibus militaturos ſpopondit. Regina quod illorum vires intelligere cuperet, vt ſinguli miniſtri in ſuis concionibus hæc publicè denuntiarent per Caſtilionem Amyralium procurauit. quoniam externos principes Romanæ religionis conſeruandæ ſpecie regni huius inuadendi occaſionem captare, & nos è patrio ſolo exturbare fama eſt, noſtrum eſt & Regi opitulari, & pro noſtris aris, ac focis pugnare: hic enim non tam Regis, quàm noſtra res agitur, aduerſus quem quod nos non proſcribit, aut grauius mulctat, bellum decernitur. Quapropter videat hæc eccleſia quemadmodum & cæteræ pariter deliberabunt, quantum equitatum, quantum peditatum in bellum mittere, quanto tempore ſtipendio afficere poſſit, vt quod poteſt, Regi offeratur. Cauendum autem diligenter eſt, ne plus verbis offeratur, quam re præſtare poſſitis: ſi quando tamen liberalitate vtendum eſt, vos in veſtra cauſa vobis non deeſſe conſentaneum eſt: id & Deo Opt. Max. & Regi integerrimo & Condeo principi veſtro propugnatori gratiſſimum erit.

Colloquium Piſſiacum.

Caluinianorũ conuentuum numerus.

Hæc admonitio ad principes Caluinianorum eccleſias miſſa aliis ſuſpecta viſa eſt, 34
alij exequendi difficultatem obiecerunt: nonnulli eidem tanquam vtili paruerunt. Circa id tempus publici Caluinianorum conuentus etiam Lutetiæ in Antonij, Marcellique ſuburbiis Regina aſſentiente fiebant, conciones habebantur, Sacramenta nouo ritu adminiſtrabantur: vnde plerumque inter eundum, ac redeundum, nonnunquam in ipſis conuentibus ſeditiones excitabantur. Quapropter Gabaſtoni præfecto vigilum, & Aurirubræ rerum capitalium præfecto (præfectum Mareſchallorum vulgo appellant) Regina iuſſit, vt conuentibus huiuſmodi cum præſidio intereſſent. & accedenteis redeunteiſque Caluinianos in vrbem reducerent. Tum in Regis aula Caſtilio Amyralius dominabatur, ex cuius præſcripto Nauarrus, ac Condeus conſilia ſua moderabantur: quicum Hoſpitalis Cancellarius conſociatus Senatus Pariſienſis, cæterorúmque viris principibus ad ſe pertractis Reginam ad Caluiniſmum propagandum incitabat. Guiſana familia omnis, Mompenſerius, Mommorencius equitum magiſter, cæteríque Pontificiæ religionis propugnatores aberant. Lutetiam magna perturbatio inuaſerat, quod tota Regis aula Caluinianam factionem ſequi videbatur, & crebri tumultus in ſupra commemoratis ſuburbiis excitati erant: in Antoniano Caluiniani ſacræ Medardi ædi ignem admouerant, multos vulnerarant, nonnullos trucidarant, nec quiſquam puniebatur, quamuis id Iulij ſuperioris edicto diſertè caueretur: quod euertere, ac reſcindere cupiens

Caluiniſmus Lutetiæ publicè exerceri captus.

Hoſpitalis

Digitized by Google

Hoſpitalis Cancellarius Guiſanorum, Mommorenciíque abſentia fretus ex Pariſienſibus Senatoribus, quos potuit, ad ſe pellexit, ac magna ſpe impleuit: ex aliis item Senatibus quos vel ſibi addictos, vel Caluinianos, vel ambitioſiores ſciebat, accerſiuit; ex quorum conſenſu præclarum ſuum edictum conderet, ne id ſolus machinatus putaretur: ita Iulij edictum à Pontificiis; Ianuarij, quod poſtea promulgatum eſt, à Caluinianis ſtetit. Hæc duo contraria edicta ab eodem Cancellario intra ſex menſes Regio ſigillo confirmata Galliam noſtram in duas factiones diuiſam, quæ adhuc multum vigent, & vt veriſimile eſt, diutius vigebunt, omnibus quæ ex bellis ciuilibus manare ſolent, calamitatibus afflixerunt. *Bellorum ciuilium origo.*

35 Igitur Ianuario ineunte anno huius ſæculi ſexageſimoſecundo, Caſtilione Amyralio, Hoſpitali Cancellario vrgentibus, Catharina Regis matre aſſentiente, & vt videbatur connitente Nauarro, Condeo, cæteríſque eiuſdem factionis ambitioſè contendentibus, de reſcindendo Iulij edicto in Senatu Pariſienſi diſceptatum eſt. Variantibus ſententiis, & nunc in hanc, nunc in illam partem inclinantibus, tandem paucæ ſententiæ contrariarum numerum ſuperantes, ſed non ſine magna controuerſia, vt Iulij edictum reſcinderetur, perfecerunt. Hinc decimoſexto Kalen. Februarij nouum edictum ad fanum Germani Laij in Conſilio ſanctiore ſancitum eſt, quod Senatus Pariſienſis diu promulgare diſtulit, & non niſi pridie Nonas Martij poſt acceptum vnum, atque alterum diploma iuſſionis, vt vulgo appellatur, in acta retulit, addens ſe nec nouam iſtam perſuaſionem probare, & temporis neceſſitati donec Rex aliter ſtatuat, cedere. Nouo itaque hoc edicto reuocatur illud Iulij ſuperioris, quo publici, priuatique conuentus vbi aliter, quam Romano ritu ſacramenta adminiſtrantur, interdicti erant. Reſcindendi ratio additur eius exequendi difficultas, quaſi Regi ad exequendum vires deeſſent: at nec illi, nec Henrico fratri, ac ſucceſſori defuerunt: ſed vbicumque prælio decertatum eſt, victoria potiti ſunt. Qui autem hoc potius, quam prius edictum Rex ſe exequuturum ſperabit? nouo edicto cauetur vt Caluiniani templa, domos, cæteráque bona occupata veteribus poſſeſſoribus reſtituant: reſtituant & ſacras veſtes, vaſa aurea atque argentea, & quicquid ex iiſdem templis, ac domibus abſtulerunt, & vt ſacros Pontificiæ religionis miniſtros omnibus poſſeſſionibus vti, frui ſinant, ne diuorum ſimulacra, imagines, cruces confringant: nec intra vrbeis noctu, vel interdiu conuentus agant, vbi conciones habeantur, aut ſacramenta adminiſtrentur: ne in ſuis conuentibus arma geſtent, niſi viri nobiles, quibus enſem, pugionémque gerere permiſſum eſt: ne in ſuos conuentus quemquam admittant, niſi de cuius vita, moribus & conditione certiores facti ſint, vt eum magiſtratibus Regiis ſi opus erit, depoſcentibus in manus tradant: vt Regios magiſtratus ſuis conuentibus intereſſe permittant. Ne conuentus ſuos, quos ſynodos & conſiſtoria vocant, niſi permittentibus Regiis magiſtratibus agant: ne vllos magiſtratus creent, neve vllas leges, aut ſtatuta, quod vnius Regis eſt, condant: ne quorumuis nomina conſcribant, ſiue vt ſibi mutuo auxilio ſint, ſiue vt alios adoriantur. Nullas pecunias indicant: erga ſuos miniſtros, aut erga egenteis liberalitas ſponte fiet: non indicetur, aut imperabitur, vt ſtatutis Regiis parcant. Diebus feſtis ab opere abſtineant: in matrimoniis cognationis, & affinitatis gradus obſeruent, vt Caluiniani miniſtri ſacramento apud Regios magiſtratus ſe deuinciant ſe hoc edictum obſeruaturos, & nihil aliud, quàm quod veteris, nouíque inſtrumenti libris, ſymbolóque Niceno continetur populo annunciaturos: ne in ſacram liturgiam (quam miſſam appellant) cæteróſque Romanæ Eccleſiæ ritus in ſuis concionibus inuehantur: ne vi de vico in vicum pergant, vt doctrinam ſuam propagent vicorum dominis, aut curionibus, aut vicorum magiſtris inuitis, ne ſeditionum reos abſcondant, aut tegant. Senatus Pariſienſis hoc edictum coactus, vt ſcripſi, recepit. Diuionenſis nullo modo recepit: cæteri ægrè, perpauci ſponte in acta retulerunt. Anno 1562.

36 Hoc edicto publicè edito Guiſanus ac Mommorencius quos ſibi inuicem lite de Dammartiniano Comitatu ſublata Sanctandreanus Mareſchallus reconciliarat, Catharinam Regis matrem Caluinianis ſe dare animaduertentes tantæ religionis mutationi maturè prouidendum iudicarunt. Idem Mareſchallus, quem Henrici Regis immenſæ donationes repetitæ mirandum in modum torquebant, commentum opportunum intulit: nimirum vt Nauarro perſuaderet, ſi in veteri religione perſeueraret, filiúmque vnicum in eadem educaret, Philippum Hiſpaniæ Regem regnum Nauarricum compenſaturum, eíque Sardinia inſula ceſſurum, quæ Siciliam opulentia fere adæquaret: quadruplo autem pluris quàm regnum Nauarricum æſtimaretur. Porro Ferdinandum Imperatorem Philippi patruum facilè regni titulum Sardiniæ attributurum; quod Cypro non maiori *Opportunum Sanctandreani Mareſchalli commentum.*

inſulæ olim attributum eſt. Hæc Sanctandreanus cum Hiſpano legato, cum Turnonio, & Ferrarienſi Cardinale, qui tum in Gallia Pontificius legatus erat, contulit: quæ Ferrarienſis cum Pio Quinto Pontifice Maximo, legatus Hiſpanus cum Philippo Rege communicauit: illi peropportuna ad retinendum in ſuis partibus Nauarrum exiſtimarunt. Addebat Sanctandreanus treis ordines iterum conuenturos, & regni adminiſtrationem Nauarro adiudicaturos; id Guiſanum ac Mommorencium intra biennium, quo treis ordines conuenient, curaturos, atque interim re præſtaturos: viribus enim ſuperiores externæ mulieris ex humili familia prognatæ dominatum facilè reiecturos. Credulus Nauarrus legatos Anduzum in Hiſpaniam ad Philippum Regem, Scarſium Romam ad Pium Pontificem miſit: vnde vbi reſponſum retulit, ſe paulatim à Caluinianis ſeparauit. Nihil Reginæ vxoris quotidianæ, & inſtantes preces, nihil Bezæ Caluiniani miniſtri frequentes, & accuratæ admonitiones profuerunt, nec eumdem à Sardinia reuocare potuerunt. Promittebat Rex Philippus, ſed Hiſpano more cum multis dilationibus: ſe quaſi prædem conſtituebat Pius Pontifex, & interim euentum expectabat. Catharina Regis mater admodum ſuſpenſa erat, & nunc his, nunc illis fauebat: occaſionem captans vt iis qui viribus ſuperiores eſſent, ſeſe adiungeret: multa Condeo, multa Caſtilioni pollicebatur. Rochaſurioni principi Lutetiæ adminiſtrationem commiſit, qui totus ab vna illa pendebat. Contra in Pōtificiorum gratiam edicto Ianuarij interpretationem poſtridie Idus Februarias addi permiſit: Regem ſcilicet Regios magiſtratus ordinarios intelligere, cuiuſmodi ſunt Seneſchalli, Balliui, præfecti rerum capitalium, quibus Caluinianorum conuentibus intereſſe permittit, vt omnia edicti capita obſeruari iubeant: Senatoribus autem ſupremarum curiarum, cæteriſque iudiciariis magiſtratibus haud intereſſe permittit. Porro prouinciales conuentus, hoc eſt, totius prouinciæ, niſi prætoris, aut eius legati permiſſu, quem proprætorem appellare poſſumus, aut coram eorum altero, aut coram iis quos illi deſignarint, fieri vetat: priuatos coram iis, corúmve permiſſu, quos prætor, aut proprætor deſignarit. Conditionem præterea imponit, vt ij conuentus pro ſua perſuaſione duntaxat confirmanda, non alia de cauſa fiant.

Interim Cardinalis Lotharingus ac Guiſanus Condeum ac Caſtilionem cum Germa- 37
nis clandeſtinam ſocietatem coiiſſe certiores facti, vt eamdem interrumperent, cum Vuirtembergenſi regulo, & nonnullis aliis Germanis principibus ad Tabernas Argentoratenſis Pontificis oppidum conuenerunt, qui Brentium, & aliquot alios Auguſtanæ profeſſionis miniſtros ſecum adduxerat. Docere conabatur Cardinalis Lotharingus, vt doctus, & eloquens erat, Pontificios, hoc eſt, eos qui Romanam religionem profitentur, cum Auguſtanis magis, quàm Auguſtanos cum Caluinianis, quorum ſectam Galli omnes, qui à Romana defecerunt, ſequuntur, in præcipuis religionis capitibus conuenire: & ita ab eo colloquio diſceſſum eſt, vt Auguſtani à Pontificiis potius, quàm à Caluinianis ſtare debere perſuaderentur; & concordiæ ſpes non exigua relinqueretur: multa enim concedebat Cardinalis Lotharingus, quæ alioqui non conceſſiſſet, vt Germanos à Gallia inuadenda auocaret. Hic huius colloquij, cui nos tum interfuimus ſcopus fuit. Reuerſus Tabernis Guiſanus Senatum Pariſienſem non amplius differre poſſe, quin edictum Ianuarij in acta referat, atque edat, intellexit: & à Nauarro Mommorencióque equitum magiſtro admonitus eſt, vt Lutetiam bene comitatus accederet: is Vaſſium exiguum oppidum octo paſſuum millibus Iouis, aut Iani Villa, quam Henricus Secundus in principatum erexerat, diſtans Kalendis Martij appulit: & paulò pòſt Broſſiani quinquagenariæ equitum alæ præfecti maiorem natu filium ad miniſtrum Caluinianum miſit cum eo colloquuturus. Hic miniſter pleraſque vehementeis conciones in Guiſanam familiam habuerat, & Antoniam Borboniam Guiſani matrem ſanctiſſimam fœminam tanquam tyrannorum, & Euangelij hoſtium procreatricem contumeliis affecerat, quem Guiſanus admonere volebat, vt ſine tumultu ſuum munus exerceret, & à conuitiis abſtineret. Broſſianus acer adoleſcens, & fortaſſe non ſatis conſideratus cum vno comite ad concionem, quæ nondum dimiſſa erat, acceſſit; & quum ingredi vellet, illi ianuam Caluinianus neſcio quis occludere conatus eſt. Ille conantem repulit, & ingreſſus ſe ad miniſtrum à Guiſano mitti declarauit: hæc denuntiantem qui repulſus fuerat, atque eius ſocij ianua occluſa lapidibus obruere cœperunt: ille atque eius comes gladiis rem geſſerunt, & aliquos vulnerarunt multum ipſi quadam lapidum velut grandine vulnerati. Rumor ſtatim ad Broſſianum patrem filium interemptum eſſe perlatus eſt: is familiaribus comitantibus ad filium recipiendum accurrit: quum venientem Caluiniani lapidibus impeterent, alij gladios intentarent, conflictus exarſit: aliquot vtrimque vulnerati, pauci cæſi fuerunt; quamquam

Cardinalis Lotharingus qua arte vſus, vt Germanos ab inuadenda Gallia diſtrahebat.

Vaſſiana cædes.

& vulne

Digitized by Google

& vulneratorum, & cæſorum numerum Caluiniani falſò auxerunt, & graueis querimonias non ſolùm in tota Gallia, ſed & in Germania, exteriſque aliis nationibus ſibi fœderatis diuulgarunt: atqui hæc ſeditio inſcio Guiſano accidit, & prius, quam ille quicquam reſciret, ſedata eſt: recepto enim Broſſiano adoleſcente, quem illi concluſerant, & quaſi captiuum, ac grauiter vulneratum retinebant, nemini vis allata eſt.

38 Paulò ante Vaſſienſes Guiſanus ſæpius hortatus erat, vt ab his conuentibus abſtinerent Iulij edicto interdictis: poſtremo Hieronymum Burgenſem Catalaimenſem Pontificem, in cuius prouincia Vaſſium ſitum eſt, illuc cum doctis Theologis ad eos exhortandos decimoſeptimo Kalend. Ianuarij miſerat, quos illi cum riſu, & contumeliis dimiſerunt: quapropter ex edicto Iulij quod nondum reſciſſum erat, grauiter mulctari debebant, vt quum leges locum non haberent, vilis, & infirmi oppiduli pertinacia meritò punita videatur. Mommorencius equitum magiſter, ac Sanctandreanus Mareſchallus Guiſanum aduentare intelligentes in aula Regis liberè cum Regina loquuti, & de Ianuarij edicto queſti erant: & quum hunc ad adminiſtrandam ſuam prouinciam illa abire iuſſiſſet, ſe ex officio, quod primus Regij cubiculi magiſter erat, Regi in tanto diſcrimine adeſſe debere, nec inde profecturum reſpondit. Quibus verbis & noua illorum, Guiſaníque & Nauarri ſocietate perculſa, & ne à regni adminiſtratione excluderetur, verita Regem perpaucis comitatum ad Moncellum ſuum fundum Meldis non procul diſtantem deduxit, vt inde Aureliam, quæ à Condeo, Caluinianíſque ſtabat, euaderet, vt plerique ſuſpicabantur; idcirco Condeum accerſiuit qui aliquot dies Moncelli commoratus Lutetiã ad copias comparandas rediit. Tum Nauarrus, Mommorencius equitum magiſter, Briſſacus ac Sanctandreanus Mareſchalli Lutetiæ erant: Guiſanus Nantuellium appulerat, ſed paulò poſt Nauarrus Moncellum abiit, ne Regina filium Regem Aureliam deduceret. Lutetiam Guiſanus Mommorencio equitum magiſtro, Aumallio fratre, Sanctandreano Mareſchallo, & magna virorum nobilium multitudine comitatus iniit: cui præfectus vrbis, quem mercatorum prætorem, ſiue præfectum vulgo appellant, cum tribus conſulibus, quos ſcabinos vocant, & permultis ciuibus obuiam proceſſit, & præter morem venientem excepit. Regina vt ſuum iter Aureliam dirigeret cum Rege Melodunum conceſſit, quò mercatorum præfectus curſoribus equis properauit; & ſi procul Lutetia Rex, & Regina abſint, vrbem in ſummum diſcrimen adduci denuntiauit: Condeum enim ibi cum magnis copiis eſſe, quæ quotidie augentur, atque vrbi minari: ſi quid vrbi accidat, omnem culpam in illam collatum iri: perfecítque vt ciuibus arma permitterentur, quæ ad vitandas ſeditiones in domum publicam condita erant.

39 Paulò ante Francurtus Cenomanus, ac Beza Moncelli apud Reginam de Vaſſiana cæde queſti erant: quibus Regina, vt de ea inquireretur, ſe operam daturam reſponderat. Nauarrus Caluinianos in ſuis conuentibus contra recens Ianuarij edictum arma geſtare obiecerat, cui Beza arma in virorum prudentium manibus pacem ſecum gerere ſubiecerat: cædem Vaſſianam his geſtandis occaſionem dediſſe. Interuenerat Cardinalis Ferrarienſis, & ſeditionem ad Medardi ædem Lutetiæ oppoſuerat, quam diſceptationem imminentis belli ſuſpiciones interruperunt: quod Franciſcum Mommorencium equitum magiſtri filium inſulæ Francicæ prætorem, cuius Lutetia vrbs primaria eſt, Pariſienſes ſuſpectum habebant, Carolus Cardinalis Borbonius vrbi præeſſe iuſſus eſt, quæ in magno diſcrimine verſabatur: quod hinc Guiſanus, inde Condeus non exiguum præſertim virorum nobilium agmen circum ſe habebant, ſed ciues fere omnes Guiſani parteis ſequebantur: hinc Condeus inde migrare coactus cum nongentis, aut mille equitibus Fertam Ioariam ad vxorem partui vicinam abiit: inter eundum Caſtilionem Amyralium, Andelotúmque Meldis cum nouis copiis offendit. Guiſanus Lutetia confirmata, cui præfectus vrbis mille quingentos ſclopetarios pedites præſidio impoſuerat, ne Caluiniani tumultum excitarent, ad Bellæ Aquæ fontem Regem ſalutaturus receſſit, veritus etiam ne Condeus Regem, Reginámque vi raperet, atque Aureliam deduceret; quod Condeus Regina inuitante in animo habebat: ſed viribus ſuis diffidens decimotertio Kalen. Aprilis ad Clodoaldi pontem Sequanam traiecit: inde ad montem Leriacum iter ſuum perſequutus Aureliam belli ſedem conſtituere decreuit; cui Innocentius Triperius (vulgo Montreudum ſiue Monterudium appellabant) Rochaſurionis prætoris legatus præerat homo nouus, & rerum bellicarum in primis rudis: hunc de vrbe præſidio firmanda Nauarrus monuerat, & Guiſanus Montreudo merito diffidens Streo tormentorum magiſtro iniunxerat, vt ſumma celeritate Aureliam properaret, & Condeum anteuerteret. Streus Caluinianus mandatum ſibi datum Condeo indicauit, & lentius incedens poſt Ande-

Arma in prudentium manibus pacem ſecum gerunt.

Iotum qui vrbem in ſuam poteſtatem redegerat, & Condeum, qui ſequutus erat, Aureliam appulit: & ad Regem re infecta rediit. Condeus Aureliam quarto Kalend. Aprilis iniit. Hæc vbi Melodunum, vbi Rex tum erat, perlata ſunt, Lutetiam redire ſtatuit: præceſſit Mommorencius equitum magiſter, & Nonis Aprilis Lutetiam appulit: poſtridie mane domum in Iacobi ſuburbio, quæ Hieroſolyma vocatur, vbi Caluiniani conuentus ſuos agebant, petiit: miniſtri ſolium, & omnia ſcamna in vnum congeſta magna populi confluentis lætitia incendi iuſſit. Idem in Popincurto ad Antonianum vicum à prandio exequutus eſt, omneis peruerſiſſimæ huius perſuaſionis reliquias delere cupiens, non ſecus ac Timolæo dux Athenienſis omnia Dionyſij tyranni monumenta in Sicilia aboleuit. Eodem die Regem mater Regina Vicennas deduxit, qui poſtridie ſolemni pompa Lutetiam ingreſſus eſt, & paulò poſt in ſanctiore Conſilio de bello actum: ac Regium diploma in Senatu ſexto Idus editum, & in acta relatum fuit, quo Rex ſponte ſe Lutetiam acceſſiſſe declarauit: falſum rumorem à Caluinianis diuulgatum fuiſſe quaſi captiuus acceſſerit.

Mommorencius Pariſiis omnẽ hæreticorum ſupellectilẽ incendi iubet.

Contra Condeus ad omneis Caluinianas Eccleſias nuntios cum litteris miſit, quibus ſignificauit Regem, ac Reginam eius matrem captiuos detineri à ſuis hoſtibus, qui veram, & puram Chriſti doctrinam oppugnant: quapropter qua erga Deum pietate, qua erga Regem obſeruantia præſtant, aut milites, aut pecuniam in militum ſtipendium pro religionis propugnatione, pro Regis, Reginæque, & ſua libertate mittant: pro quibus facultates omneis, vitámque adeo profundere tenentur. Cum omnibus autem qui Aureliæ conuenerant, & pro abſentibus ſpondebant, ſocietatem coiit, eoſdémque ſacramento adegit vt legitimum regni ſtatum, Regis, Reginæque libertatem, Regiorum edictorum authoritatem procurarent: purum Dei cultum ſequerentur, & ab omnibus vitiis abſtinerent: ideóque pios, & doctos verbi diuini miniſtros ſecum haberent, vt in vera pietate, & Dei metu perſeuerent. Qua in ſocietate omnes Conſilij ſanctioris Senatores comprehenderentur, modo aduerſus ipſos arma non ferrent: poſtremò Condeum ex primis ſtirpis Regiæ principibus ducem ſibi delegerunt, cui ſe parituros, & pœnas iniunctas ab illo, ſi in delictis deprehendentur, æquis animis ſubituros, armis, equis, pecunia inſtructos quo pergere iuſſerit, properaturos, vt omnibus, qui hiſce de cauſis opprimentur, opem ferant, eodem ſacramento polliciti ſunt. Quibus à Rege, Regiíſque conſiliariis intellectis ſupra commemoratum diploma promulgatum fuit: additum eſt & alterum tertio Idus, quo Rex edictum Ianuarij confirmat: Lutetiam eiúſque ſuburbia, & Pariſienſem præfecturam duntaxat excipit, vbi conuentus publicos, priuatóſque fieri vetat, in quibus ſacramenta nouo more adminiſtrentur, & conciones habeantur. Acceſſit tertium quo Rex Ianuarij edictum in vrbibus duntaxat locum habere declarauit, in quibus Caluiniani miniſtri ſuum munus exercere conſueuerant: in aliis non habere. Interim multi præſertim pedites Aureliam confluebant, quod Caſtilio Amyralius, & poſt illum Andelotus eius frater diu Gallorum peditum tribuni fuiſſent. Et Comes Rupifocaldius cum quadringentis equitibus partim Santonibus, partim Pictonibus circa id tempus Aureliam appulit. Duodecimo Kalend. Maij Condeus ſcriptum edidit, quo ſe arma pro conſeruanda Regis, Regiorúmque edictorum authoritate cepiſſe teſtatus eſt: idcirco obteſtari Gallos omneis, qui Regiam maieſtatem ſartam tectam tueri, fidámque Regi operam nauare cupiunt, vt ſibi in tam pio inſtituto adſint, neque miſceri, atque euerti diuina, humanáque iura patiantur. Et quandoquidem trium ordinum conuentus magnam Regi pecuniam ad diſſoluendum æs alienum pollicitus eſt, atteſtari Gallos omneis, ſiquidem hoſtes ad bellum ciuile quod ſponte excitarunt, Regia pecunia abutentur, perfecturum aliquando vt peculatus rei repetundarum conuincantur, & conſentaneas pœnas ſubeant: ac quamquam in Regis obſeruantia nemini cedit, tamen quoniam hoſtium ſuorum armis Rex circumuallatus eſt, & ſanctius Conſilium metu conſternatum, ſe Regiis edictis vi extortis haud pariturum, donec Rex ac Regina, & ſanctius Conſilium in priſtinam libertatem reſtitutum ſit: ita nihilominus ſtudioſum pacis eſſe, vt ſi hoſtes priores arma ponant, qui priores ſumpſerunt, ſe quoque poſiturum confirmet, modo Regi, Reginæ, ſanctiori Conſilio ſua libertas conſtet, & Ianuarij edictum retineatur, nec in poſterum antiquetur. Hoc ſcriptum Condeus ad Regem, & Senatum Pariſienſem miſit, & eumdem litteris additis, vt illud in acta referret, vehementer rogauit, vti alterum tertio Idus miſerat, & idem rogarat. Cui hoc ipſo die Senatus reſpondit, quæ reſponſio vtrique ſatisfacere poteſt. Eiuſdem argumenti litteras ad Ferdinandum Imperatorem, & Federicum Palatinum ſeptemuirum miſit, eorúmque auxilium ad Regem liberandum implorauit.

Quid Condeum arma ſumere impulerit.

Senatus

Digitized by Google

41 Senatus Pariſienſis litteris ſuis Condeum hortatus eſt, ne falſis rumoribus quorumdam malignitate diſperſis fidem adhibeat, qui Regem, Reginámque captiuos, ſanctioris Conſilij Senatores metu conſternatos ad illum retulerunt: neque enim Nauarrum ſummum Regis in tota Gallia, neque Cardinalem Borbonium ſummum quoque Regis in hac vrbe legatum eius fratres id paſſuros fuiſſe, qui vna cum Rege quotidie ſunt, & ipſum ſibi conſociatum cum cæteris ſanctioris Conſilij proceribus regno adminiſtrando operam nauare cupiunt: hos ſolos fidem illi facere poſſe rumores huiuſmodi eſſe falſiſſimos: quod Senatores nonnullos collegas ſuos perſtrinxerit, & in Regis abſentia conſiliis quibuſdam interfuiſſe dixerit, ſe ſanctè affirmare neminem ex ipſis niſi à Cardinale Borbonio, & ſemel à Nauarro vocatum conſiliis vllis interfuiſſe, vbi nihil, niſi quod ad Regis negotia pertinebat, tractatum viderint: alterum caput de religione Senatum magis alienum exiſtimaſſe: edicta enim huius noſtri Regis ſemper ad tempus facta eſſe, vt quoties opus eſſet, reuocarentur: Iulij edictum cui Condeus ipſe affuit, ſimul prope & promulgatum & reuocatum fuiſſe: neque vt retineretur, arma ſumpta eſſe. Ianuarij edictum ne magnis ſeditionibus occaſionem præberet Senatum diu probare, & in acta referre diſtuliſſe, nec niſi Rege vehementer vrgente, & de tranquillitate publica fidem faciente in acta retuliſſe, atque edidiſſe. Tertio Idus huius menſis Regem hoc edictum confirmaſſe: ſolam hanc vrbem, ac Pariſienſem præfecturam excepiſſe: idque magna de cauſa, quod ſeditiones hic vitari nullo modo potuiſſent, quæ in Regia vrbe magis, quàm in cæteris timeri debuerunt. Hic edictorum ſcopus ſemper fuit, non vt noua aliqua religio introduceretur, ſed vt populus in pace viueret, ſeditiones abolerentur; vnius Regis eſt, ſua edicta, cæteraſque leges vel conſeruare, vel reuocare. Si quis alius horum alterum exequi conabitur, nonne læſæ Regiæ Majeſtatis arguetur? Condei innocentiam Senatum probaſſe, & publicè declaraſſe, vt prudenti conſilio vtatur, obnixè precari: precari (inquam) ne ſummum ius in ſummam iniuriam conuertat: quæ Regi facta eo grauior erit, quo illi cognatione propior eſt. Quod ad Vaſſienſem ſeditionem attinet, quum litis inſtrumenta ad nos delata erunt, veritate perſpecta, quod noſtri officij eſt, noſtro more exequemur: hæc illi. Condeus acceptis his litteris tertium ſcriptum, quam vulgo declarationem vocant, ſeptimo Kalend. Maij, ſuperiorum non multum diſſimile ad Regem, & Senatum Pariſienſem miſit: niſi quod addidit paucis ante diebus editum Regium diploma, quo viri nobiles admonebantur, vt ſe ad bellum aduerſus Caluinianos, & ſeditioſos compararent.

42 Caluiniani contra legatos duos in Germaniam ad Saxonem, & Palatinum ſeptemuiros, ad Bipontinum, Lantgrauium Heſſum, Vuittembergenſem Carolum Badenſem Marchionem ad quærenda auxilia miſerunt, & vicina Aureliæ oppida Baugencium, Magdunum, Clerium occuparunt. Hoc autem quod ibi Mariæ virginis ſimulacrum magna religione vndique inuiſebatur, penitus vaſtarunt: templum magnificentiſſimum à Ludouico Galliæ Rege huius nominis vndecimo ſumptibus ingentibus exædificatum diruerunt: quemadmodum & eiuſdem Regis & Longauillanorum, multorúmque aliorum procerum ſepulcra, ſacrorum Romanæ religionis miniſtrorum domos à fundamentis euerterunt, quæ ſuſcepti à Caluinianis belli primitiæ fuerunt. Quod autem maioribus tormentis carebant (nulla enim niſi quædam minora Aureliæ inuenerant) Fequerius minor natione Belga ad Turones properauit: vbi nulla maiora, quædam mediocria, & quæ vulgo notha appellant, multum autem puluerem tormentarium reperit; quæ in rates impoſita aduerſo Ligeri Aureliam deportauit. Tum in Franciſcino cœnobio templorum campanas, vt nouis rebus noua nomina imponantur, fuderunt, & quæ ſacris vſibus dicata erant, vt populum ad antiquæ religionis ritus obeundos conuocarent, ad eamdem euertendam, & ad Chriſtianorum cædes faciendas conuerterunt. Interim ſermones de pace interiecti fuerunt, quibus Condeus ſexto Nonas Maij in hanc ſententiam reſpondit. Poſtulauit in primis vt Ianuarij edictum vſque ad liberi Concilij decretum ſine vlla exceptione ratum ſit, aut donec Rex Carolus viceſimumquintum ſuæ ætatis annum impleuerit: & tum ſi Rex Caluinianis ſuæ perſuaſionis ritus exercere non permittet, parebunt illi, & vt ſibi ſolum vertere, & aliò vbi piè viuere poſſint, ſecedere permittat, ſupplices petent. Poſtulauit inſuper vt de vi multis illata, exquo qui pacem violarunt, arma ſumpſerunt, inquiratur, ſi nondum quæſitum eſt, & nocentes puniantur; & quicquid ex eo tempore innouatum eſt, pro nullo habeatur: quod Rex & Regina eorumdem armis vndique cincti ſtatuere potuerunt. Et quoniam Guiſanus, Mommorencius equitum magiſter, Sanctandreanus Mareſchallus ſuo cum armis ad Regem reditu omnia turbarunt; omnibus nouæ religionis profeſſoribus aut vim, aut ſaltem metum intulerunt: Regia edicta refixerunt, aut

Belli Caluinianorũ primitiæ.

Inſolentia Caluinianorũ poſtulata.

Digitized by Google

aut ita interpretati ſunt, vt inutilia reddantur, nullam pacis, aut publicæ tranquillitatis initi poſſe rationem, niſi illi arma ponant, & aut domum, aut ad adminiſtrandas ſuas prouincias reuertantur: donec Rex ad eam ætatem peruenerit, qua vtri fidam magis illi operam nauarint diiudicare poſſit. Si illi priores arma ponent, ſe quoque poſiturum confirmat, & vel Contium Marchionem filiorum natu maximum prædem daturum: quæ nullis inimicitiis impulſus, ſed ſola publicæ quietis contemplatione motus poſtulat.

Hoc poſtulatum vbi Lutetiam ad Regem perlatum eſt, ei contrarium Guiſanus, Mommorencius, Sanctandreanus, quos triumuiros Caluiniani appellabant, ediderunt. Se quemadmodum ſuperioribus Regibus, ita & nunc vt Carolo in tanto diſcrimine fidam operam præſtent, ad illum rediiſſe, apud illum permanere decreuiſſe, donec omnes illi pareant; alioqui deſerti officij merito argui poſſent: parebunt Regi omnes, ſiquidem ſicuti quum ſacris initiatus eſt, promiſit, vnicam duntaxat in hoc regno religionem, Romanam ſcilicet, vniuerſam, & communi Chriſtianorum omnium conſenſu comprobatam toleratit, nec aliam admittat. Si omnes eius domeſtici, fratrúmque & ſororis, omnes Regij magiſtratus eamdem profitebuntur: alioqui ſuis magiſtratibus abdicentur, & ſtipendiis priuentur: nec tamen niſi aut ſeditionis, aut conuentus interdicti conuicti puniantur. Si omnes ſacri miniſtri niſi eamdem profitebuntur, ſacerdotiorum cæterorúmque ſacrorum munerum fructibus priuentur: in quorum locum, quibus id ex officio incumbit, alios ex Pontificiis decretis ſurrogabunt. Si omnes ædes ſacræ præter vetera, recentiáque edicta dirutæ, & ſua ſupellectile ſpoliatæ inſtaurentur; qui damnum acceperint, iis damnum reſarciantur: qui dederint, Regiorum edictorum violatores vt meriti ſunt, puniantur. Si quicumque arma ſumpſerunt, niſi mandato Nauarri ſummi Regis in Gallia vniuerſa, prouinciíſque Regi obnoxiis legati ſumpſerint, vt rebelles & læſæ Regiæ Majeſtatis rei, Regis, Regníque hoſtes iudicentur. Soli Nauarro ſummo Regis legato, & iis, quibus ille mandarit, exercitus conſcribere liceat, vt ſuperiora capita re præſtentur, & ne quid Regnum detrimenti capiat. Exercitus iam à Nauarro eiúſque legatis conſcripti aliquot menſes in armis retineantur, intra quos, & tumultus ſedentur, vt merito ſperare debemus, & vniuerſæ Galliæ priſtina pax, ac mutuus inter ſe conſenſus reſtitui poſſit. Si quid à nobis omiſſum eſt, id ex Senatus Pariſienſis deliberatione, quam de ſedandis his tumultibus habuit, quum Rex Auanſonem ad illum miſit, & ex iis quæ Senatus ille addere poterit, ſuppleatur. 43

Capita conſeruãda Galliæ trãquillitati neceſſaria.

Hæc octo capita ad conſeruandam Galliæ tranquillitatem neceſſaria Franciſcus Lotharingus Guiſanus regulus, Mommorencius equitum magiſter, Sanctandreanus Mareſchallus quarto Nonas Maij Lutetiæ ſubſcripſerunt. Vtriſque libellis acceptis Regina Condeo reſpondit: Ianuarij edictum retineri, niſi quod Lutetiam, Pariſienſémque præfecturam Rex magnis de cauſis exceperit: de tumultibus, cædibus, aliíſque huiuſmodi facinoribus Regem quæſtione habita vt omnibus & publicè, & priuatim ſatisfiat, curaturum: vt Guiſanus, Mommorencius, Sanctandreanus è Regio comitatu diſcedant, Regem non iuſſurum, quos ſibi adeſſe vult longa experientia, & pari fide in regno adminiſtrando probatos: præterquam quod nuper alterum Regi libellum obtulerunt, quo ſe domum redituros teſtantur, ſi quidem quæ ad Caluinianos defecerunt, vrbes ad Regis obſeruantiam redeant: arma ponantur, exercitus dimittantur, niſi qui in poteſtate Nauarri ſummi Regis legati remanebunt: tantum autem abeſſe, vt Condeum à Regio comitatu arceri cupiant, vt Regem, Reginámque obſecrent, vt ab improborum, impiorúmque hominum conſociatione reuocatum ad ſe inuitent, & ſanctiori Conſilio intereſſe iubeant: quas optiones nec Condeus ipſe merito reiicere poteſt. Hæc reſponſio à Rege, Regina, Nauarro, Albaſpineo eodem die ſubſcripta, atque Aureliam miſſa eſt. Andegauum ad Ligerim, Mainam, Sartam fluuios ſitum in duas parteis diuiditur. Ciuitatem, quæ quatuor portis clauditur, & ab excelſo loco vrbem inferiorem deſpectat, Nonis Aprilis Meſbretinus eiuſdem prouinciæ vir nobilis cum aliquot aliis porta Andegauenſi ingreſſus ſub horam nonam pomeridianam occupauit. Poſtridie ciuibus in conſilium vocatis ſe mandato Condei, quem Regina Regis mater ſuis litteris ad arma capienda hortata eſt: vt Regem, ſe cæteróſque liberos Guiſanorum copiis obſeſſos in libertatem vindicet, vrbis compotem reddidiſſe declarauit: vt eamdem ſub Regis authoritate conſeruet: precari ciues, vt Regi operam ſecum nauent. Vt prouideat ne cui vis afferatur, ciues reſponderunt, craſtino die ea de re amplius deliberaturos. Quum longe plures iterum conueniſſent, eodémque magna Andegauenſis nobilitatis multitudo vtriuſque perſuaſionis accurriſſet, vt Barbeus eius prouinciæ vir nobilis vrbi ſub Regis, & conſulũ Andegauenſium authoritate 44

Andegauenſis ciuitas à Meſbretino vt occupata.

Digitized by Google

authoritate præeſſet, ſtatutum eſt: nec multò poſt Mareſius Caluinianus arcem pontis Cei in ſuam poteſtatem redegit. At Mompenſerius Turonum, Andegauenſiúmque prætor Puigallardum natione Vaſconem, Richelium, Villanouam centuriones cum ſuis cohortibus ciuibus inuitantibus Andegauum miſit, qui per arcem Andegauenſem, cui Faucillus præerat, intromiſſi vrbem receperunt: ad quam paulò poſt Mompenſerius acceſſit, & receptis ſimul pontis Cei, ac rupis fortis arcibus, quæ ad Ligerim ſitæ ſunt, totam eam prouinciam pacatam reddidit: Mareſius capite luit.

45 Septimo Kalend. Maij Mota Gondrinus Guiſani in Delphinatu legatus aliquot pedites conſcribi iuſſerat, quos Valentiæ præſidio imponeret, & iam nonnullos in vrbem intromiſerat: Caluiniani dudum de intercipienda vrbe deliberarant, & vicinorum auxilia implorarant, atque impetrarant: idcirco poſtridie vrbis portam vnam occuparũt: ad quam quum Gondrinus cum aliquot è ſuis accurriſſet, & Caluinianos inde pellere conaretur, poſtulatum auxilium confligentibus præſto fuit, ita vt Gondrinus in diuerſorium ſuum ſe recipere cogeretur: vbi oppugnatus, & quum diuerſorij tectis ignis admotus eſſet, exire coactus cum multis è ſuis cæſus eſt: inde Caluiniani Turnonium oppidum ceperunt, arcem circumſederunt. Per eos dies Cardinalis Turnonius vir eruditus, & in pertractandis magnis negotiis in primis exercitatus Lutetiæ fato functus eſt: quem paucis poſt diebus Paulus Thermeus Mareſchallus militari gloria clariſſimus in eadem vrbe decumbens pridie Nonas Maij ſequutus eſt. Gondrini morte Lugduni cognita Caluiniani ad quos treis centuriones, Morellum, Grillum, Aiſſum, vt vrbem interciperent, Condeus miſerat, animos auxerunt: quibus Baro Salxius Sanctandreani legatus magnam occaſionem præbebat: à quo quicquid petebant, fere impetrabant. Igitur pridie Kalendas Maij circiter mediam noctem, aut primam horam, vt Galli numeramus, mille loricati, ac pene totidem ſclopetarij in templo ſuo Guilloteriano, quod illis Salxius intra vrbem de induſtria conceſſerat, de potiunda vrbe deliberarunt, & maiores vicos, plateáſque occuparunt. Sub auroram publicam domum, quàm Peratus cum octoginta ſclopetariis inſederat, oppugnarunt. Nec Salxius obuiam illis prodiit: nam præterquam quod iiſdem ſemper fauerat, Malgeronem triduo ante illuc appuliſſe, vt pari ſecum poteſtate vrbi præeſſet, ægertime ferebat, ideóque Caluinianos vt maturarent, quod animo intenderant, vehementer incitabat: publica domo poſt conflictum ſatis acrem dedita cætera vrbe facile potiti ſunt. Kalendis Maij Salxium, quem Condeo in primis familiarem ſciebant, vt vrbi ſuo more præeſſet, rogarunt: recuſauit ille initio, vt proditionem ſuam diſſimularet, deinde munus ſuſcepit, & ſe proditorem apertè declarauit: ſed illi paulò poſt à Condeo ſucceſſor miſſus eſt Franciſcus Belmontius, quem vulgo Baronem Adreſium vocabant: proditoribus enim nulla fides certa eſt. Baro Adreſius latro famoſiſſimus huc illuc vt prædas faceret, diſcurrere ſolitus legatum Blaconem Lugduni reliquit: Ponſenacus Matiſconum, Mombrunus Cabillonum miſſus eſt: ſed vtrumque Tauannius ex interceptis vrbibus expulit. Adreſio viciſſim Subiza ſucceſſit, ex Archiepiſcopis familia in Pictonibus antiqua oriundus: illius enim immanitas etiam ipſis Caluinianis odioſa erat: præſertim quæ ad Mombriſonem Foreſtanum oppidum commiſſa eſt, vbi proditione capta vrbe duodecim viros nobiles, qui ſe forte illuc receperant, nec ipſum offenderant, è turre altiſſima præcipites egit. Quapropter indignatus Adreſius cum Nemorenſi regulo Regij exercitus præfecto clam conſilia ſua communicauit, & vt Valentia, Romanum, & alia aliquot oppida in Regis poteſtatem redirent, perfecit; ac longe plura perfeciſſet, niſi in Delphinatibus à Mouantio, & Clerio interceptus fuiſſet: vbi magnum vitæ diſcrimen adiiſſet, niſi pax poſt Guiſani mortem inita fuiſſet.

Turnonium ab hæreticis captum.

Lugdunum à Caluinianis qua ratione interceptum.

46 Regiis copiis ad Lugdunum primum Tauannius præfuerat, & iam de potiunda vrbe multis ex Lugdunenſibus ad ſe pertractis certam ſpem conceperat, idque ad Guiſanum ſcripſerat: litteras Guiſanus cum fratre Cardinale, & vxore cõmunicauit: illi vt Nemorenſis Regis legatus Lugdunum mitteretur, procurarunt. Tauannius laudem prope captæ vrbis ſibi eripi indignatus illos quibuſcum conuenerat, vt alia conſilia caperent monuit, & non expectato Nemorenſi Aumalij legatus in Burgundiã abiit. Nemorenſis 17. Kal. Octobris ad exercitum acceſſit, & ad Lugdunum aut non procul inde circiter ſex menſes commoratus nullum maius operæpretium fecit, & non paucos è ſuis amiſit. Hæc aulica ambitio magnum noſtris rebus detrimentum attulit: nam ſi tum Lugdunum captum fuiſſet, Lugdunenſis exercitus cum Sanctandreani Mareſchalli copiis obuiam Germanis à Condeo accerſitis proceſſiſſet, & ne cum Condeo coniungerentur, facilè perfeciſſet: qua ſpe ſublata in Germaniam nullo operæpretio facto redire coacti fuiſſent; quod Sanctandreanus viribus infirmus præſtare non potuit. Tertio Nonas Aprilis Maſſencalis, Polus,

Tauãnij ambitio quominus receptũ ſit, in cauſa fuit.

Daſis, Ferrerius præſides, vti vocantur, cum quatuor ex Octouiris, quos Capitones vocant, & nonnullis Senatoribus, atque antiquioribus cauſidicis Tholoſæ de Ianuarij edicto deliberarunt; & vt Caluiniani ſuæ perſuaſionis ritus in ſuburbiis exercerent, conſenſerũt. Item vt conuentibus iſtis Octouiri cum centum militibus ſuo arbitrio armandis adeſſent, niſi quod ſclopetos longos, aut breues non geſtarent, pro quibus ne quod illis periculum crearetur, Caluiniani ſponderent: viciſſim vt Pontificij ducentos in vrbis præſidium ſtipendio afficerent, pro quibus ipſi ſponderent: ſacris Romanæ perſuaſionis miniſtris prohiberetur, ne ad campanarum ſonitum tumultum excitarent, alioqui conuicti viui igne cremarentur: milites omnes externi nemini attributi intra viceſimamquartam horam ex vrbe excederent: Seneſchallus cum Octouiris ſine prouocatione de ſeditioſis iudicaret, vt Regio edicto cauebatur: ciues portas vrbis interdiu cuſtodirent: cauſas nihilominus ſeditioſorum quorumdam Senatus cognouit. Hinc Caluiniani ſeditionis initia quæſierunt: Pontificij contra, præſertim viri Eccleſiaſtici, ſuis templis, ac domibus præſidia, ne vis illis afferretur, imponere, & Monlucius ac Tarridus milites, ne tumultus excitarentur, cogere cœperunt. Quum de Caluinianis Pontificij priores in Senatu queſti fuiſſent, omnes huiuſmodi cauſas ad Senatum referendas cenſuerunt: Octouiros partim viros nobiles, partim vrbanos mercatores in his cauſis non eſſe exercitatos: cui Senatuſconſulto Octouiri quoque conſenſerunt. Diſſenſio mox inter Senatum, & Octouiros qui magna ex parte à Caluinianis ſtabant, interceſſit, quod Octouiri præſidia templis, cœnobiis, virorum litteratorum collegiis impoſita ex vrbe exire iuſſiſſent: Senatus ne exirent, edixiſſet: interim Baro Lauta, & neſcio quis alius ex Octouiris è Regia aula reuerſi de tradenda Caluinianis vrbe cogitabant: quam Lauta inter redeundum intra Idus Maias ſe traditurum Condeo Aureliæ pollicitus ferebatur, idque Monlucius litteris ad Senatum miſſis confirmarat: quamobrem vt Lauta prehenderetur, Senatus decreuit: ille verò longius ab vrbe ſeceſſit, tametſi Caluiniani vt ingrederetur ſuadebant.

Caluiniani Tholoſam Lautæ proditione occupare meditantur.

Senatus vrbi metuens, vt quatuor centuriones, Baiordanes, Mommortius, Claromontanus, Trebuſius cum quadringentis ex ciuibus publicam domum cuſtodirent, nec inde pedem mouerent quinto Idus Maias decreuit, in quam omnia arma, tormentáque cum omni inſtrumento cõdita erant: duodecim pręcipui ciues tribus Octouiris quibus ea commiſſa erat, adderentur. Huius Senatuſconſulti certiores facti Caluiniani per treis Octouiros eiuſdem factionis, qui interfuerant, illo ipſo die publicam domum, & tria vicina Martialis, Catharinæ, Petracoriorum collegia inuaſerunt: poſtridie Senatus Furqueuallem Narbonis præfectum, Bellagardam Thermei legatum, Tarridum, Monlucium, & cæteros viros nobiles vicinos monuit, vt cum omnibus, quas contrahere poſſent, copiis vrbi in ſummo periculo conſtitutæ adeſſent. Caluiniani aliquantum quieuerunt, Octouiris rem componere conantibus: donec Salxius Caluinianus centurio eorum dux, qui publicam domum inuaſerant, ſub noctem turrim ad Bazacleam portam in quam magna ſulphurei pulueris, pilarúmque vis condita erat, occupare cupiens turre iam à Pontificiis capta in Mommortium incidit, eumdémque cepit. Tertio Idus Octouiris qui fere omnes ad Caluinianos defecerant, abdicatis Senatus octo alios in eorum locum ſurrogauit, & Furqueuallem qui tum forte cum Carmingo Comite Tholoſam appulerat, ac Landellam Octouirum ad domum publicam miſit, vt Caluinianos ad eamdem reſtituendam inducerent: qui quum nihil profeciſſent, Senatus voce præconis edixit, vt omnes, qui veterem religionem colerent, & Regi fidam operam nauare cuperent, aduerſus Caluinianos arma caperent: & tumultum ex omnibus templis non ſolum in vrbe, verum etiam in tota vicinia vſque ad octo, aut decem paſſuum millia campanæ ſonitu decerni iuſſit: quapropter ingens ex agris hominum multitudo in vrbem confluxit, & magna Caluinianorum cædes ſequuta eſt, plerique enim ex illis domum publicam captam neſciebant: plerique vt caperetur, non probabant: alij ad arma tractanda idonei non erant: itaque multæ domus direptæ, & viri nobiles qui fundorum ſuorum nomine militabant, & Tholoſæ coierant, pro Pontificiis & Rege pugnabant. Caluiniani contra quatuor cohortes ex adoleſcentibus qui iuriſprudentiæ, cuius nomine Tholoſa in tota Europa celeberrima eſt, operam nauabant, conſcripſerunt; cæteras ex aliis eiuſdem perſuaſionis addiderunt, qui quoniam publica domus omneis capere non poterat, in vicinas regiones diſtributi ſunt: & multi ex propinquis vrbibus illis auxilio venerunt, vti & ad Pontificios plures quoque confluebant. At Caluiniani tormenta in ſua poteſtate habebant, vnde initio licet numero inferiores magnos progreſſus aduerſus hoſteis faciebant.

Caluinianorũ cædes ingẽs Tholoſæ.

47

Pridie Idus circa horam decimam matutinam Lamezaus centurio cum ducentis ſclopetariis Caluinianos ad turrim Naiacam aggreſſus eſt; & eodem tempore in multis 48

aliis

Digitized by Google

aliis vrbis regionibus ad vicum Pomi, ad portam Marcbuoniam, & ad Bazacleam certatum eſt: vbi Caluiniani viribus ſuperiores videbantur, quod tormenta per vicos trahebant, & in noſtros vibrantes magnā cædem faciebant. Tum ex publicæ domus turre tormentorum pilas in Auguſtiniani, Dominicini, Franciſcini, & Saturniniani templi faſtigia intorquebant: vnde tormenta minora in vicos noſtri dirigebant, quorum permultos non ſolum tormētorum pilæ, verum etiam ſaxa cadentia peremerunt. Dominicinum cœnobium, cuius partem anticam incenderunt, Franciſcinum & aliquot alia templa ceperunt: ad turrim Naiacam, & ad portam Villanouanam non minus acer conflictus exarſit, nec niſi ſub noctem quieuit. Hoc ipſo die Bellagarda centenariæ Thermei cataphractorum equitum alæ legatus, ac Tarridus cum ſua vrbem inierunt: Moſ́lucius cum ſua non procul ab vrbe conſedit, vt auxilia ad Caluinianos miſſa diſſiparet: Harpaio enim Baro Rouergas cum mille quingentis ſclopetariis auxilio futurus illis ferebatur. Idibus eiuſdem menſis pugna longè grauior exarſit. Caluiniani Saturnini templum pulſis ſacris virginibus occuparunt, & tormenta maiora per vicos traxerunt: mediocria & minora in turribus publicæ domus & in ædis Martialis faſtigio collocarunt, vnde totam vrbem plurimum concuſſerunt: quapropter qui à Rege ſtabant, ignem domibus maiori plateæ vicinis admouerunt, vt inde incendium ad publicam domum vſque penetraret; quo domus plures ducentis conflagrarunt, habitatoribus de domo in domū aufugientibus, & pleriſque ſuffocatis, aut crematis. Feruente hoc tumultu Bernoius præſes vel præſidens, vt vulgo appellatur, qui huc vſque in neutram partem inclinarat, ac Chauuetus Senator eius comes præſidium à Claromontano Regio centurione poſtularunt: ille quindecim ſclopetarios pedites miſit, qui intromiſſi domū diripere cœperunt. Bernoius in vicinam domum elapſus eſt: Chauuetus multis contumeliis affectus ſe pecunia redemit: at Caluiniani ſuperuenientes ſex ex iſtis latronibus peremerunt, cæteros in fugam verterunt, & quod prædæ reliquum erat, ſecum abſtulerunt: ita ditiſſima domus, cuius opulētia cum fundis adiunctis, & pecunia fœnori data tricies centenis nummûm aureorum millibus æſtimata eſt, direpta fuit. Huius hæredem præſtantem fœminam Claromontanus Lodouenſis Cadurcus vxorem duxerat: tantæ prædæ fama milites Regios & Caluinianos ad inuadendas alias opulentas domos tam ſuæ, quàm aduerſæ factionis inuitauit. Hic tumultus vſque in poſterum diem interdiu, noctúque continuatus eſt multis vtrimque cæſis: poſtridie Idus ſub meridiem de concordia actum legatis vltro, citróque miſſis: à quibus induciæ in poſterum dimidiatum diem pactæ fuerunt, qui decimuſſextus Iunij Kalendas fuit: quo die more Chriſtiano Pentecoſtes feſtum celebrabatur. Conditiones propoſuit Furqueuallis, vt Caluiniani arma in publica domo reperta relinquerent: liberè, quò vellent, abirent, aut in vrbe remanerent: quas conditiones quod commeatus, tormentarius puluis, pilæque raræ ſupererant, & quod auxiliares milites de aliis auxiliis deſperantes ſe migraturos inde minabantur, Caluiniani acceperunt, & feſto eo die ſub noctem porta Villanouana exierunt. Pauci niſi iuriſprudentiæ ſtudioſi, quos ſocij conſeruarunt, in vrbe remanſerunt.

Tumultus Tholoſani auctores qui.

49 Huius tumultus tres Octouiri, qui publicam domum conſeruandam ſuſceperant, & Salxium centurionem Caluinianū intromiſerant, authores fuerunt: quo tam ex Regiis, quàm ex Caluinianis quatuor hominum millia cæſa traduntur. Mandinellus Octouir in publica domo repertus in carcerem tractus eſt, & non multò poſt morte mulctatus. Coraſius Senator, & Iuriſconſultus pereruditus, vt eius ſcripta declarant, Furqueualle protegente è periculo euaſit: multi præterea alij qui vel Caluiniani erant, vel illis fauerant, & huius tumultus inſimulabantur in iudicium vocati ſunt: decimoquinto Kal. Monlucius magna populi confluentis lætitia Caluinianorum templum, vti Lutetiæ Mommorencius demolitus eſt. Et latrocinia paſſim in vrbe patrabantur, donec Senatus decreto externi milites intra triduum ex vrbe excedere, & Limuxum à Caluinianis occupatum contendere iuſſi ſunt: tum Pontificij, hoc eſt, qui Romanam religionem profitentur, ſocietatem inter ſe aduērſus Caluinianos coierunt, quæ tamen aliquanto poſt renouata pace nullum locum habuit. Limuxum opulentum oppidum ſupra Tholoſam Garumna in duas parteis, ſed non æquales diuidit: ibi Kalendis Martij ſeditione inter Pontificios, & Caluinianos excitata duo Pontificij cæſi ſunt: quæ quinto Kalend. Maij redintegrata eſt, & tres Pontificij cæſi. Nonis eiuſdem menſis Pomaſio Carcaſſione profecto, & Pontificiis auxilio veniente bellum apertè geſtum eſt: Caluiniani viribus ſuperiores maiorem vrbis partem occuparant; quæ à minore ſolo Garumna, nullo muro, aut vallo ſeparata eſt. • In hac Pomaſius cum Pontificiis conſedit, & breui ad maiores copias comparandas receſſit: reuerſus cum decem cohortibus quibus octingenti Pyrenei latrones partim Vaſcones, partim Hiſpani Peroto Lopiano duce ſeſe adiunxerant, oppidum oppugnauit: repulſus

Digitized by Google

circumſedit. Interim pulſis Tholoſa Caluinianis Mareſchallus Fuxius decreto Senatus, cum nouis copiis & tormentis Lincurum miſſus eſt, quo ſedecim tormentis concuſſo octauo Idus Iunij ciue quodam, cuius domus vrbis muro contigua erat, ea perforata aditum præbente, immiſſis militibus cæteris vndique oppugnantibus oppidum cepit, vbi nullum barbaræ crudelitatis exemplum, præſertim à Pyreneis latronibus omiſſum eſt: præda præter ea quæ priuatim milites rapuerunt, ſupra centum & viginti nummûm aureorum millia æſtimata eſt.

Interim Regius exercitus Nauarro duce, cui Guiſanus, Mommorencius equitum magiſter, Sanctandreanus Mareſchallus aderant, Lutetia profectus circa Idus Iunij Lethericum appulit, quem Regina Regis mater princeps belli cauſa, vt omnia ſuo more turbaret, ſequuta eſt, & colloquium poſtulauit: ac quum ipſa, ac Nauarrus cum Condeo in media Belſia conueniſſent, re infecta diſceſſum eſt: idem enim quod prius Condeus poſtulabat, & id reſponſum quod prius retulit: eadem verò ſæpius repetere ſuperuacaneum videtur: has autem moras & plures alias regina nectabat, ne Condeus prius, quàm Germanica auxilia reciperet, confligere cogeretur. Nam tum & Guiſanus ab Heluetiis quindecim, & ſi opus eſſet, viginti cohortes Regis nomine poſtularat, quas tredecim pagi ſeptimo Kalend. Maij Freulicho tribuno dare promiſerunt; tametſi Condei legati per pagos Zuinglianos id impedire conabantur: à quibus viciſſim cohortes aliquot petebant. Et Ringrauiũ idem Guiſanus, ac Rochandolfum in Germaniam miſerat, vt certum equitum ſclopetariorum, peditúmque numerũ adducerent. Condeus in Germaniam quoque duos legatos, poſtremò Gaſparem Schunebertum ad Palatinum ſeptemuirum, Lantgrauiũ Heſſum, cæteróſque ſibi fœderatos principes miſerat, qui nõ ſolum milites impetrarunt, ſed & prolatis ſyngraphis centum florenorum millia in eorum ſtipendium mutuo data acceperunt. Id temporis, & Grandimontanus cum Vaſconibus, & Sanctalbanus cum Narbonẽſibus ac Delfinatibus peditibus Aureliam appulerunt: hinc 13. Kalen. Iulij Condeus cum triginta tribus cohortibus, quibus Grandimõtanus, Frontenaius è Rohania familia, & Iuoius Genlij frater præerant, & bis mille equitibus Aurelia exiit, & non longè inde ad Vaſſaudunum pagum, qua Baugentium itur, conſedit: vnde ſcriptum in hanc ſentẽtiam à primariis eius exercitus ducibus ſubſcriptum ad Reginam & Nauarrum fratrem miſit (nam Carolus Rex ad Vicennas arcem duobus paſſuum millibus Lutetia diſtantem ſubſtiterat) ſi Guiſanus regulus, Mommorencius equitum magiſter, Sanctandreanus Mareſchallus domum redibunt, eadem hora, aut eodem tẽporis momento, ſi opus erit, nos Condeum Principem obſecrabimus, vt ſe ad Reginam & Nauarrum fratrem ſiſtat, ſeque prædem conſtituat, & noſtro nomine promittat nos omnibus quæ ad Regis obſeruantiã, regníque ſtatum in pace continendum, & patriæ ſalutem pertinent, obtemperaturos, fidámque regi operam nauaturos. Hoc ſcriptum Regina, & Nauarrus probarunt: ac ſtatim & quidẽ noctu, quod tum induciæ finiebantur, ad Condeũ remiſerunt. Triumuiri, ſic enim eos appellabant, Guiſanus, Mommorencius, Sanctandreanus pacis cupidi è caſtris 5. Kal. Iulij diſceſſerunt; & ad Caſtellodunũ quas conditiones Condeus acciperet, expectarunt. Condeus ad Reginam & fratrem acceſſit, & per regium exercitum deductus Talſium vnà cum Regina conceſſit, ibique pernoctauit: poſtridie Caſtilio Amyralius, Andelotus, Rupifocaldius, Portianus, Rohanius, Genlius, Grandimontanus, Subiza, & multi alij viri nobiles cum magno equitatu ad Reginam & Condeum Baugencium reuerſos acceſſerunt: quibus Regina benignè exceptis filium Regem nullam præter Romanam religionem toleraturum, neque Ianuarij edicto ſtaturum declarauit: vt priuatim domi, quam velint, ſequantur permiſſurum, modo nullos publicos conuentus agant, & ſuæ perſuaſionis ritus publicè non exerceant. Illi ſe potius è patria migraturos, quàm purum Dei cultum omiſſuros reſponderunt: Regina vt abeant, & patrimonia vendant, aut abſentes eorum fructus percipiant, ſe permiſſuram intulit; donec Rex ad eam ætatem, quæ regno adminiſtrando idonea ſit, peruenerit: ita colloquium Baugenciacum, ſiue Talſinium, vt alij vocare malunt, diſſolutum eſt.

Colloquium Baugenciacum.

Regina Melodunum ad filium Regẽ abiit: Triumuiri, ſi ita eos cum Caluinianis appellare debemus, ad Regium exercitum pridie Kal. Iulij reuerterũt, & Mompenſerium ad recuperandas ad Ligerim ſitas vrbes, Sanctandreanũ aduerſus Pictones miſerunt: Condeus Baugencium recepit, & Heluetica, Germanicáque auxilia ad Regium exercitũ appropinquare intelligens Aureliã rediit, quam diligentius munire cœpit. Subiza Lugdunum, Rupifocaldius ad Sanctones, Duraſius in Aquitaniam miſſi, vt nouas copias adducerent: multi enim dilapſi erant. Decretum præterea eſt vt Briquemaldus in Normaniam Angliámque, Portianus in Campaniã, Andelotus in Germaniã eadem de cauſa properaret. Iuoius in Biturigibus, quemadmodum & Condeus cum Caſtilione Amyralio, & Genlio & duabus, ac 51

viginti

viginti cohortibus Aureliæ remaneret. Eodem tempore Roia Condei ſocrus cum eius liberis Argentoratum profecta eſt. Senatus Pariſienſis aduerſus Caluinianos totius regni vaſtatores plura decreta, quæ areſta vocant, edidit: primum pridie Kalend. Iulij, quo, qui diuorum ſimulacra, aut imagines confregerint diuinæ, & humanæ Maieſtatis læſæ conuicti pronuntiantur; quos ſine cauſæ cognitione trucidare, eorumdem bona rapere fas ſit. Poſtridie Nonas eiuſdem menſis idem Senatus ſacerdotia, cæteraque ſacra munia eorum, qui Condei parteis ſequuti erant, illis vacare decreuit, qui eadem ab iis, qui conferre poſſunt, obtinerent. Quod decretum in odium Cardinalis Caſtilionis, & Batonuillæ Arelatenſis Pontificis pronuntiatum nonnulli exiſtimarunt. Quinto Idus vt eorum bona, qui religionis nomine abeſſent, à regionum præfectis diligenter perquirerentur, & ad Senatum deferrentur. Tertio eaſdem Idus, vt omnes Regij magiſtratus ſuæ fidei profeſſionem ſcripto mandatam ac ſubſcriptam quemadmodum Theologi Sorbonici præſcripſerant, intra decimumquintum diem ederent, ni ſuis magiſtratibus abdicari mallent: eodem die omnibus vrbibus, ac vicis arma capere permiſſum eſt aduerſus eos, qui ſacerdotibus moleſtiam aliquam exhiberent, & conuentus publicos, aut priuatos Caluinianæ perſuaſionis agerent: cuius etiam miniſtros, diaconos, cæteroſque magiſtratus prehenderent, vt tanquam diuinæ, & humanæ, hoc eſt, Regiæ Maieſtatis læſæ conuicti puniantur, iiſdem pœnis omnibus, qui illos occultarint, propoſitis. Sexto Kalend. Auguſti, qui Aureliam, Lugdunum, Rothomagum, Bituriges, cæteráſque vrbeis occupabant, rebelles, Deíque & Regis hoſtes pronuntiantur, niſi ſtatim arma ponant, & abeant: Condeus tamen excipitur, quaſi à rebellibus retineatur. Tertio eaſdem Kalen. Caluinianorum bona Regio fiſco addicuntur; quorum fructus Regis nomine percipiantur, pecuniáque inde proueniens Regiis quæſtoribus perſoluatur.

Senatus Pariſienſis edicta aduerſus Caluinianos.

52 Kalen. Auguſti Ringrauius cum viginti Germanorum peditum cohortibus ad Regem adiit: quibuſcum & cum decem Gallorum cohortibus, atque aliquot tormentis campeſtribus ſiue minoribus ad Carnutum metropolim ſexto Idus eiuſdem menſis Rex & Regina eius mater appulerunt: quos Ferrarienſis Pontificius legatus & Lotharingus Cardinales comitabantur: ibi aliquam pecuniam eius vrbis ſacerdotes (Clerum vulgo appellant) contulerunt: ciues Pariſienſes quinquies centena mille pondo promiſerant; & decies centena nummûm aureorum millia à cunctis regni vrbibus Rex poſtulauit: quæ magna ex parte ex Caluinianorum bonis perſoluta ſunt. Condeus ne Aurelia oppugnaretur veritus vrbis munitiones diligenter continuabat: vbi non ſolum viri nobiles & ignobiles, verumetiam mulieres vtriuſque ordinis in opus incumbebant; tametſi peſtis vrbem vehementer affligebat. At Regius exercitus non Aureliam, ſed Bituriges oppugnandos ſuſcepit: decimoquinto Kal. Septembris Senatus Pariſienſis decreuit, vt Caſtilio Amyralius, Andelotus, Rupifocaldius, Portianus princeps, Mongomerius, Rohanius minor, Genlius, Grandimontanus, Piennus, Subiza, Moruillerius, Iuoius, Moius, cæterique viri nobiles, qui Aureliam occupabant, prehenderentur, & Lutetiam in Palatinum carcerem deducerentur: aut ſi prehendi non poſſent, in treis dies præſcriptos citarentur, vt ſe iudicio ſiſterent: niſi ſe ſiſterent, ſe proſcriptos eſſe ſcirẽt bonis Regi adiudicatis morte mulctandos. Decretum hoc Regius apparitor in oppido Aureliæ vicino, quo tuto ire poſſit, exequatur. Id Aruerderus Regius apparitor Pluuieri exequutus eſt: quatuor cataphractorum equitum alæ Vadamontani, Erboëuij, Cipetræ, Gonori, ac duæ peditum cohortes ſex tormenta, triginta ſex currus ſulphureo puluere, piliſque onuſtos ad Regium exercitum Bituriges circumſedentem ſub finem Auguſti deducebant: hos Caſtilio Amyralius cum octingentis equitibus Kalend. Septembris Genlio, & Moio præmiſſis adortus multis cæſis, præſertim peditibus non procul Caſtelloduno fudit: & quod quadrigarij pugnæ initio cum ſuis equis aufugerant, puluerem incendere, pilas & tormenta relinquere coactus eſt.

Bituriges oppugnantur.

53 Biturigum metropolis in longa, latáque planitie ſita magna ex parte paludibus cincta eſt: quod reliquum eſt foſſæ altæ, muri firmi, plurimæ turres, præſertim vero antiquiſſima, quæ ante Iulij Cæſaris in Galliam aduentum exædificata fertur, ac pone muros additi aggeres muniunt: vrbem autem ac finitimum agrum à duabus turribus denominatum putant, quarum hæc vna eſſe dicitur: altera quando euerſa fuerit, non traditur: hanc Mongomerius interceperat, cui Iuoius Genlij frater cum bis mille ſclopetariis peditibus, aliquot leuis armaturæ equitibus præerat, quum Regius exercitus ſub finem Auguſti eamdem circumſedit, & tormentis oppugnauit, ac paulò poſt deditione cepit; atque inde Rothomagum contendit, ne Angli, quos in eam prouinciam Caluiniani immiſerant maritimis aliquot oppidis condonatis primaria vrbe potirentur, & mox Caluinianis iun-

Biturigũ metropolis ſitus, & deſcriptio.

Digitized by Google

gerentur. Tum Condeus de Germanicis equitum,peditúmque auxiliis Mareſchallo Heſ-
ſo duce ad ſe miſſis certior factus eſt: quos ille ad Bacaram Lotharingi reguli oppidum
(arcem Pontifex Metenſis poſſidet)recenſuit: his mittendis Catharina Regis mater occa-
ſionem præbuit pleriſque litteris ſua manu ad Condeum ſcriptis,quas Condei legati Ger-
manis Principibus oſtentarunt,iiſdémque oculos præſtinxerunt: harum quatuor Iacobus
Spifamius olim Niuernenſis Pontifex Condei legatus in orationem quam ad forum
Francorum coram Ferdinando Imperatore, Maximiliano eius filio Romanorum Rege,
& ſeptemuiris Electoribus, cæteriſque Germanis principibus qui pro corona eidem Ma-
ximiliano imponenda conuenerant,habuit,in Latinum ſermonem conuerſas inſeruit,quæ
vt ſigillo Imperatoris munirentur, poſtulauit: ne falsò prolatæ aliquando putarentur, aut
vt Condeum Reginæ mandato bellum ſuſcepiſſe palam eſſet;idque impetrauit litterarum
exemplo ad exemplar,ſiue ad archetypum collato Imperatori relicto. Hæ litteræ multum
Condeo ad obtinenda à Germanis auxilia profuerunt. Et quoniam oratio ipſa Caluinia-
norum fraudes religionis ſpecie inuolutas, & quædam, quæ ad hanc hiſtoriam pertinent,
& haſce litteras continet,eam vt typis mandata eſt,hic addendam putaui.

Prolixa Caluinianorum oratio coram Germanis Principibus.

[Quod in cæteris omnibus cauſis manifeſtum eſſe ſolet Reuerendiſſimi,& Illuſtriſſimi 54
Electores potentiſſimíque Principes,vt in primis intelligant omnes apud quos agitur, pro
quo,& in quem dicatur,id nobis poſitum eſſe video in controuerſia, dum diſceptatur vtri
eorum qui in Galliis contendunt, Regis partes tueantur,& foueant. Oſtendemus autem,
dum dicimus apud vos in hoc veſtro ſacri Imperij cõuentu pro Illuſtriſſimo Principe Lu-
douico Borbonio(qui primum ordinẽ vnà cum fratribus inter agnatos ſtirpis Regis Fran-
corum tenet)nos non tam ipſius,quàm Regis Chriſtianiſſimi,Regnique cauſam agere.Ni-
hil enim adferimus,quod ad Principis Cõdei propriam,peculiarémque cauſam,auctorita-
tem,aut dignitatem pertineat:ſed miſeram Regis noſtri conditionem,ac totius Gallici po-
puli triſtes,& acerbos caſus,quos vtinam (vt merentur) huic ſacratiſſimo conſeſſui depin-
gere,ac ob oculos ponere poſſemus. Nam vt miſerandum eſt imprimis,ita inauditum no-
ſtro ſæculo Regem iure naturæ, à Deo Opt. Max. conſtitutum, dum impuberem ætatem
agit,eo redactum vt in mediis potentiſſimi regni penetralibus tuto conquieſcere non poſ-
ſit, eorum improbitate, qui regnum affectant, innocentémque puerum in regni, & vitæ
diſcrimen vocant, eiúſque fratres, & matrem eiſdem calamitatibus inuoluunt: ſed iis ar-
tibus, vt interim ſe nihil magis cogitare prædicent, quàm Regi, & Reipub. adeſſe in of-
ficio, quibus vel optimos quoſque, vel prudentiſſimos ſe fallere poſſe exiſtimant. Quæ
dum ſpargunt in vulgus, id agunt, vt Principis Condei famam (quæ ſemper Dei benefi-
cio integra futura eſt)criminentur, & calumnientur. Quod vt intelligant veſtræ reueren-
diſſimæ & illuſtriſſimæ Celſitudines,petimus vt pro veſtra humanitate,Germanóque can-
dore iudicia veſtra tantiſper ſuſpendatis, donec audita cauſa liqueat vnde tanti mali fo-
mes & origo prodierit,tum demum pro veſtra æquitate,& prudentia expendatis,quiſnam 54
iſtius Gallici regni dilacerationibus cauſam præbuerit. Quod ſi nos cogent inimicorum
criminationes in eos tela reiicere,vnde fuerunt emiſſa,cum acrimonia veritatis,id ad cau-
ſam pertinere exiſtimetis, atque ad innocentis Principis Condei defenſionem, qui à cul-
pa longiſſimè abſit,ſempérque abſtinuerit ab omni Reipub.perturbatione,atque tumultu,
ſic fiet,vt diſperſis, depulſiſque tenebris, & nubibus, quas aduerſarij noſtri congerunt,ve-
ritas ipſa nuda de ſe teſtimonium probatiſſimum reddat.

Principio itaque ſic nobis ſtatuendũ eſt,regnum, populúmque Franciæ ſuis propriis le- 55
gibus ſemper ſteriſſe quas à maioribus Germanis acceperũt,ſed vt ſunt natura ſuarum le-
gum tenaces Galli(quod de Maſſilienſibus antiquitas teſtatur)quod ſemel legibus cautum
eſſe ſciunt, vix fieri poteſt vt refelli patiantur, eas leges à maioribus acceptas ante Caroli
illius Magni Germanorum Imperatoris, Regiſque Francorum Auguſtiſſimi tempora Sa-
licam legem nominarant, quæ cum non immeritò ſemper habita fuerit neruus,& funda-
mentum noſtræ Reip. hactenus nefas eſſe duxerunt noſtri maiores quicquam in ea muta-
re, vel antiquare; eius autem legis præcipua ſunt duo capita, videlicet, edictum de ſucceſ-
ſione in regno. Alterum, quod præſentis eſt inſtituti, reſpicit perſonam Regis conſtitu-
ti in pupillari ætate aut errantis mente. Ait enim vocandos eſſe ordines regni (quos ſta-
tus vocamus)& ex eorum ſententia conſtituendam eſſe gubernationem: Rege enim non-
dum adulto penes ipſos ordines eſt ſumma Reipub.ac ius belli & pacis. Igitur Rege Fran-
ciſco Secundo ad regnum vocato,diu multúmque dubitatum eſt quatenus poſt puberem
ætatem ordinum conſilio, atque auctoritate Reges indigerẽt,ſed hanc litem Regis imma-
tura mors diremit. Deinde coactis rurſus ordinibus propter Caroli Regis puerilẽ ætatem,
omnium

Legis Salicæ duo præcipua capita.

Digitized by Google

omnium ore, atque conſenſu qui comitiis intererant has leges conſtituunt, decernunt, ac publicant, ad quas vt diligenter animaduertatis etiam, atque etiam contendimus à veſtris reuerendiſſimis & illuſtriſſimis Celſitudinibus, in illis enim conſiſtit totius negotij prora, puppiſque, & vertitur totius contentionis cardo. Illarum autem legum quatuor fuerunt capita. Primum, omnium applauſu, Principúmque Regiæ ſtirpis conſenſu, exemplis, cauſiſque grauioribus propoſitis decreto publico Regia tutela, regnique adminiſtratio Reginæ matri Regis defertur, quam monuerunt, vt quantum in ſe eſſet, honeſto patrimonio æs alienum quo grauiter Reſpub. premebatur, diſſolueret. Populum vix reſpirantem oneribus leuaret, collapſam Rempub. reſtitueret, & pacem, quietémque populi, domi, foriſque procuraret. Hoc itaque legis capite ſoli Reginæ (interea dum Rex adoleſcit) regni competit adminiſtratio, fruſtraque in aliis quæritur, & deſideratur. Alterum caput decernit repurgandum eſſe Regium Conſilium eis hominibus, à quibus plus metuitur damni, quàm ſperetur auxilij, atque illis qui alieno Principi ſuam fidem obſtrinxiſſent: in quorum numero habendos eſſe voluerunt Eccleſiaſticos omnes, qui Romano Pontifici iuramento ſint deuincti, qui Regi plerumque eſt inimicus, aut ipſius inimicis fœderatus, nec licet Regi prius eorum defenſionem ſuſcipere, quàm ab ipſo Pontifice approbati fuerint. Præterea abſurdum eſt Cardinales, aut Epiſcopos in aulis verſari, cùm ſit muneris illorum perpetuo adeſſe Pontifici, horum verò præeſſe ſuis Eccleſiis, & earum curam agere, quod ad ius diuinum pertineat à Regibus temperari non poteſt. Inſuper exemplo Senatuum Galliæ non poſſunt duo, pluréſque fratres, ſicut nec patres cum filiis in Regium Conſilium admitti, niſi illi de Regia ſtirpe fuerint, & ſanguine vt vocamus Principes, quos natura ipſa, non ſola hominum prudentia ad Regis Conſilium vocat. Qui autem Regio fiſco præfuerunt, aut ſacram pecuniam attrectarunt, interim dum id muneris exercent, & donec iuſtas portiones reddiderint inter Regis ſecretiores Conſiliarios non ſunt habendi, quod etiam pertinet ad eos, quibus immenſæ, & inofficioſæ à Regibus præter regni ſtatuta donationes factæ ſunt, eos enim repetundarum reos leges conſtituunt. Ab hoc autem legum articulo pendet coniurationis & conſpirationis Guiſiæ cum Coneſtablo & Mareſchallo fomes, & origo, quia ſe repetũdarum crimini obnoxios eſſe intelligunt, & à Regio Conſilio depulſos, quod ne fieret, vi, miniſque grauioribus fruſtra attentauerant.

56 Tertium caput eſt, ne interea dum Rex pubeſcit, abſque ordinum, ſtatuúmque ſententia quicquam quod ad bellum, aut ad grauiores ſumptus faciendos pertineat, attẽtetur, ad arma Regis ſubditos nemo prouocet; qui contra auſi ſint, in eos damna belli populari actione repeti poſſe tanquam ab inimicis pacis, quietiſque publicæ. Quarto capite religionis cauſam à ſeditione ſeparari placuit, & vt nemini placeat propter alterius religionis cauſam quemquam pro ſeditioſo, & rebelli damnare. Item cautum eſt, ne in poſterum alterius religionis cauſa cuiquam vis fiat publica, aut priuata: vtque iudices prouinciarum non patiantur quemquam inſectari, qui Euangelicam reformationem profiteatur. Verum illis vbique templa ad ſuæ religionis exercitium concedantur, in quibus liberè audiant verbum Dei & Sacramenta adminiſtrentur ab Euangelicæ doctrinæ miniſtris. Ad hæc ſtatuta placuit vetera omnia edicta religionis cauſa publicata reduci, & temperari. Has leges ægerrimè tulerunt coniurati, quibus conſtitutis ſolutóque ſtatuum conuentu cum extricare ſe non poſſent, ab ordinum ſententia atque iudicio, quibus & excluduntur à Regis Conſilio, & ad calculos, & repetundarum examen vocantur. Quærunt modis omnibus explicandæ coniurationis viam. Interea magna cura, & diligentia vnitatem Eccleſiarum procurat Regina, vt ſagaci, & maturo in omnibus rebus eſt ingenio, conuocatis vndique Eccleſiarum præſulibus cum aliquot Theologis ſcholæ Pariſienſis, & Monachis, quos Roma abduxerat Ferrarienſis Cardinalis & legatus. Aderant præterea Euangelicæ profeſſionis miniſtri duodecim, qui de doctrina ſua cum Pontificiis placidi, abſque amarulentia, & contentione litigioſa differerent, vt piæ concordiæ rationem aliquam inirent. Sed hæc ſancta conſilia perturbauit ſuis factionibus inſignis ille Cardinalis, qui dum hoc agit, vt Romano Pontifici ſuam operam probet, & honeſtos Reginæ conatus impediat, effecit, vt ille conuentus fine vllo fructu ſolueretur. Cum verò de confeſſione Auguſtana ſermo incidiſſet ſciſcitatus eſt, an ſubſcribere ei negotio vellent noſtrarum Eccleſiarum miniſtri. At verò rogatus ipſe, quid de reliquis eius confeſſionis articulis ſentiret, magna vocis, animique aſperitate, & contentione reſpondit ſe totam confeſſionem improbare & deteſtari. Noſtri contra modis omnibus ſe laudare, & ſe approbare dixerunt, à qua ſuam nihil fere diſſentire ex vtriuſque collatione (vtramque enim habebant in manu) facillimum eſſet probare. Quod ſi videantur in articulo de cœna vtrimque diſſentire, id quidem

eſſe leuius, quam multi exiſtiment: ſed quorundam ambitione, & moribus in immenſum exaggerari. Conſtat enim vtramque partem idem religionis fundamentum, ac ſacramenti Cœnæ fructum, finem, & effectus eoſdem conſtituere: tantum cauetur, ne veritati Corporis Chriſti aliquid derogetur. A vobis autem Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principes magnis precibus contendit Princeps Condeus omnium noſtrarum eccleſiarum nomine, vt alicubi in ipſa Germania ſynodum indicatis, ad quam promittit ſe effecturum vt veniant præcipui noſtrarum eccleſiarum paſtores, qui placidè animis compoſitis, facilibúſque cum veſtris de rebus controuerſis diſſerent, omnéſque controuerſias coniunctis ſuffragiis puro Dei verbo decident: ita vt omnibus conſtet, vtramque gentem eadem fidei, & religionis puritate, & ſynceritate Deum colere.

Tandem cum viderent nihil ſibi fœliciter ſuccedere, qui legibus ordinum damnati erant, perſuadent Reginæ & Nauarro noua inire conſilia, quibus ſperant, vt ordinum regni decreta pereant, & refellantur. Quare conſulunt, vt aliam rationem ineant componendo iſtas controuerſias, & ad eam rem delegant eos, quos Regi, & ſibi multis beneficiis deuinctos eſſe ſcirent. Ne tamen horum conſiliorum auctores publicè haberentur, putant ante ſibi è regia diſcedere, quam vniant conſilium. Verum cum multa animo verſarent, Guiſij tentarunt facinus, quod ſi ſucceſſiſſet, maximis aliis motibus initium dediſſet. Pridie enim quam Guiſius diſcederet ex aula re ita compoſita, Dux Nemorſi, Aurelianũ Illuſtriſſimum Ducẽ in Regis cubiculo & tanquam iocans rogat an velit vſque expatiari cum Guiſiis. ibi enim apparatos ludos, & ſpectacula, quibus delectetur: Ducem verò Lotharingiæ ſimul cum coniuge maximo deſiderio iſtius teneri proponit, poſtea pericula quæ Regi fratri & ſibi ab Hugonotis imminerent (ſic enim contumeliæ cauſa nominant eos, qui noſtram religionem profitentur) aitque veluti ex oraculo non eſſe dubium quin Rex Nauarræ, Condeúſque Princeps de occupando regno cogitarent, iſtius nouæ quam dicũt religionis prætextu; cúmque non perſuaſiſſet, cedit Guiſio qui aliis rationibus puerum aggreditur, ac torquet, ſed eodem euentu. Succedit Patri Guiſio Genuilla, qui etiam oſtendit qua ratione abduci poſſit, nimirum vt media nocte è feneſtra demiſſus imponeretur rhedæ, & ſic velocibus equis in Lotharingiam adduceretur. Sed ne is quidem plus profecit apud ſodalem, quam aut parens, aut Nemorſus. Cum autem hæc emanaſſent, rogatus Aurelianus in Regis Conſilio hoc ipſum negotium aperuit Rege fratre, & Regina matre, ac Nauarro præſentibus. Habetur, & Nemorſi confeſſio è Sabaudia tranſmiſſa, in qua hæc fatetur quidem, ſed iocum prætendit. Quis autem ludum eſſe putet, vnde tot crimina oriuntur? Quid autem re ea moliretur, facile eſt cuilibet iudicare, qui Reginæ & Galliæ rationes, & ſtatum vtrumque nouerit. Guiſij verò ea ſpe deiecti ſecedendum eſſe exiſtimarunt, quouſque aliquantum ea inuidia deflagraret, & ad eos accedere qui eorum artes ignorarent. Nota eſt omnibus virtus, & pietas illius Principis apud quem diuerterunt proxim * * ad Tabernas Alſatiæ, cui ſuis ſimulationibus conati ſunt imponere, dum fingunt ſe profeſſores Auguſtanæ confeſſionis, à qua vix ita pridem abhorruerat Protheus ille Cardinalis: eorum ſane diſceſſus ex Gallia magnam ſpem pacis, & quietis nobis præbebat. Interim vbique in Galliis verbum Dei reſonabat, atque adeo in ipſa regia, in primatum, magnatúmque domibus impura omnia, & blaſphemiæ, rixæ, odia, & cætera eiuſmodi quæ facilè irrepunt in animos eorum qui de Deo, & de ſua ſalute parum diligenter cogitant, videbantur ita compreſſa, vt eam mutationem nemo ſatis mirari poſſet. Nulla tunc fere vrbs, nullus pagus, ex præcipuis abſque verbo Dei. Magna etiam aduerſariorum tolerantia, qui quamuis ſanctam Dei doctrinam non ſatis probarent, pios tamen mores, & ſanctam fidelium mentem nunquam non ſatis laudare, & commendare poterant ſumma Dei gloria, magnaque omnium admiratione.

Varia calli- nia Guiſanis à Calumniſtis effecta.

Interim è Parlamentis, & Senatibus, qui frequentes ſunt in Gallia conuocati die & loco, præſentibus Regiæ ſtirpis principibus, atque vetere vniuerſo Regum Conſilio conſultant. Adeſt Coneſtablius; adeſt & Mareſchallus, qui nouam tragœdiam nouoſque tumultus læti expectabant. Inſtabant ordinum actores, monentes nouandum nihil eſſe, ſed in ordinum ſententia ſtandum, repurgandúmque prius eſſe Regis Conſilium, quam quicquam conſtituatur. Contra nihil non licere ſibi putabant illi, quos ordines à Regis Conſilio depulerant, & reos peculatus feciſſent. Verum cum multis ignota eſſet ordinum Gallicorum poteſtas, nemini in mentem venire potuit, conſtitutas ab ordinibus leges damnari, & abrogari, ac vniuerſum refigi à quoquam poſſe; ſed vt cum Guiſiis abſentibus, & ſociis præſentibus in aliquo conſentirent, nouum edictum menſe Ianuario conſtituunt, quo libera verbi, Sacramentorúmque poteſtas miniſtris Euangelicæ doctrinæ conceditur; id modo

Digitized by Google

id modo fiat extra vrbium ſepta, & abſtineatur à templis Romano cultui dedicatis. Integrum ſit præterea cuilibet impune, & libere quam volet ex illis duabus religionem ſectari. Quod decretum cum ingratum eſſet Euangelicæ doctrinæ doctoribus, præſagiréntque inimicorum dolos, quos exitus ipſe ſtatim aperuit, nimirum hoc ideo decerni, vt inermes, & procul à ſuis ædibus, procul auxilio magis eſſent aduerſariorum iniuriis obnoxij, atque illis facilis præda fierent, noluerunt tamen Reginæ, Nauarro Regi, cæteriſque tanti conſeſſus hominibus repugnantibus moleſti eſſe. Verum propoſitis conditionibus acquieuerunt; hoc tantum petentes vt bona fide obſeruarentur, & tuta eſſet abſque fraude pacis conditio. Hoc edictum ſingulorum ſacramentis confirmatur, atque imprimis à Nauarro, Coneſtablio, & Mareſchallo, qui poſtea illud idem ſacramentum apud Reginam repetunt. Addunt etiam iurati ſe nunquam ei, qui in edictum incurreret, gratiam petituros eſſe: ædificantur in ſuburbiis ligneis tabulatis loca publica: abſtinetur à templis, & excreſcente in dies ſingulos magis, atque magis per vniuerſam Galliam populo ad verbi Dei auditionem concurrente, atque Lutetiæ Pariſiorum: vbi continuo tanta auditorum copia affluxit, vt ad triginta hominum millia conuenerint incredibili modeſtia, neceſſe fuit ſub dio populum conuenire, qui apparatis locis contineri non poterat. Tantum populi conſenſum, & Euangelij progreſſum cum ferre non poſſent lucis Chriſtianæ hoſtes, à Coneſtablio monetur Guiſius, vt ſtatim in aulam redeat, & creſcentibus malis maturè occurrat. Reuocabatur etiam Nauarri litteris: quem facta ſpe regni Nauarræ recuperandi, & quibuſdam vanis, inanibúſque prouiſionibus Pontificij in ſuas partes pertraxerant.

59 Redit itaque Guiſius, qui inermis diſceſſerat, fugiens, cum magna ſatellitum armatorum manu, ac in ipſo veluti limine, dum oſtium cœpit apertum eſſe verbo Dei, quod magis adoleſcebat viribus, dum ſibi nihil metuunt Eccleſiæ, tutaſque ſe putant edictorum, ac Senatuſconſultorum auctoritate, nulla accepta iniuria omnes Eccleſias vaſtat; & ab eo, ſuiſque crudeliter trucidantur Vaſſij, quos in precibus publicis pietati operam dantes offenderant, occiſis etiam fœminis, & infantibus ab vberibus matrum pendentibus. Regina vbi reſciuit Guiſium aduentare, verita ne contingerent ea quæ poſtea acciderunt, obteſtatur ne Lutetiam accederet. Ille verò contemptis mandatis, vel potius precibus, eo venit ſtipatus pleriſque ſuæ factionis proceribus ac aliquot centuriis equitum armatorum, & qui primo temerario auſu leges patriæ violaſſet, dum armatus, hoſtilique animo fines Galliæ attigit, & ingreſſus eſt (quod iure gentium capitale eſt) ſic non dubitauit ad Lutetiam regni præcipuam vrbem progredi, vt ab illa magnifico apparatu armatus exciperetur neglectis legibus regni. Ob eam rem Carolus Imperator Max. cum iter faceret per Gallias, noluit armatus ingredi Lutetiam in apparata ſolemni pompa, etiam ſi magnopere rogaret Rex Franciſcus, vt id faceret, quod ſciret ad ſolos Reges hoc pertinere. Exceptus ergo Guiſius magno applauſu, & gratulatione populi Pariſienſis incitati à ſacrificulis, cuius magna multitudo audito eius aduentu effuſa eſt extra portas, vt eum fauſtis acclamationibus exciperet, qui honor etiam ſolis Regibus præſtari ſolet. Acceſſit ad eum præfectus vrbis, & illi ſuam operam, ſua officia detulit, quod ſanè non iniuſtam metus ſuſpicionis cauſam noſtris præbuit, cum præſertim recens eſſet memoria patratæ Vaſſianæ crudelitatis. Verum cum ſub aduentum Guiſij in Gallias Regina litteras accepiſſet ab Hiſpaniis, Luſitania, & Sabaudia, in quibus tota conſpirationis ſeries præſcribebatur, animaduertens in quantis periculis verſaretur, arceſſit ad ſe Principem Condeum in arcem de Monceaux, Reginæ peculiare caſtrum; & oſtendit quid coniurati moliantur, monet, & magnis precibus contendit, vt conuocatis amicis, collectóque milite ſe nefariis iſtorum conatibus opponat. Poſtea verò conſpiratione ita patefacta, vt iam diſſimulari non poſſet, Regina crebris litteris, & nuntiis Condeum monet non amplius eſſe differendum, ſed Guiſij reliquorumque coniuratorum conatibus mature eſſe occurrendum; eúmque Regina conſtituit exercitus Ducem, defenſorem Regiæ, ſuæque libertatis. Illic aderant plerique primarij & antiqui, & antiquæ libertatis viri, quibus etiam illa imperauit, vt Regios ſubditos hortarentur ad ſequenda ſigna Condei, & ad ſe opponendum Guiſiorum coniurationi. Extant litteræ ipſius Reginæ manu ſcriptæ, quæ de principis Condei erga Regem, & ipſam obedientia teſtimonia ferant, quibuſque ſe ei, & liberos commendat, pollicetúrque Regem officiorum eius memorem fore. Aliis litteris iubet, ne prius arma deponat, quàm ab aduerſariis poſita videat. Præcepit etiam Amyralio, Subizæ, aliiſque ordinis Regij equitibus, vt vnà cum Condeo Regem iuuarent, quo facilius Guiſianam coniurationem opprimere poſſet; à qua voluntate ipſam non amplius deſtitiſſe teſtabuntur ea, quæ vix ita pridem ad oppidum Bogenciacum Principi Condeo, reliquiſque exercitus

Reginam Regis matrem belli præcipuam cauſam fuiſſe confitetur.

eius

eius principibus dixit, cum ſerio faſſa eſt, ſe vitam & dignitatem illis debere. quæ longè
diuerſa ſunt ab illis litteris, quas noſtri aduerſarij vi, metuque ab ea extorquere ſolent.
Ne autem vobis hac in re imponi exiſtimetis, en proferrimus quaternas litteras ipſius 60
Reginæ manu ſcriptas, quas Argentorati generoſiſſima ſocrus Condei Principis ipſius
mandato nobis tradidit, quas certe à vobis & legi, & videri magnopere cupit Condeus
Princeps; reliquas apud ſe ſeruat, quas propter itinerum pericula non eſt auſus nobis con-
credere: quas ad verbum Latinas fecimus, illarúmque archetypa poſt huius orationis
finem conſcribi curauimus, earum autem eſt hæc ſententia. Mi cognate ſignificauit mi-
hi Baro de la Guarde, quæ ipſi dixeris, quibus mi cognate tantum fidei habeo, & habui,
vt mihi ipſi maiorem non habeam, nunquam obliuiſcar eorum quæ Regis filij mei, ac
mei cauſa facies. Quoniam ad te redit ob cauſas, quas indicabit, plura non ſcribam: tan-
tum peto vt ipſi fidem habeas in eis, quæ tibi dicet nomine eius, cui non minus, quam ma-
tri fidere potes; ea eſt Catharina tua cognata. Mi cognate non minus libere cum Iuoio
ſum locuta, quam tecum fuiſſem de eius fide non dubitans, & certè credens eum nemini,
præterquam tibi iſta indicaturum, teque nunquam dicturum ea à me eſſe profecta: me-
mineris autem incumbere tibi curam conſeruandi liberos, matrem & regnum tanquam
ei cuius plurimum interſit. Non dubito has litteras ſtatim à te exurendas. Mi cognate
habeo tibi gratiam, quod non graueris de rebus tuis tam ſæpe ad me ſcribere, & quoniam
ſpero me viſuram te breui, iam minus prolixè ad te ſcribam. tibi autem perſuadeas quod
nunquam obliuiſcar eorum quæ mea cauſa facis. Quod ſi Deus me ex hac vita euocaue-
rit antequam mihi detur occaſio animi mei gratitudinem erga te oſtendendi, dabo ta-
men operã, vt liberi mei eius rei olim ſint memores. Huic qui reddit litteras aliquid con-
credidi ſignificandum tibi. quare peto vt ei fidem habeas: intelligis ſine dubio me quic-
quid facio, ideo facere, vt omnia paci, & tranquillitati reſtituam: quod te ſcio non minus
expetere, quam tuam cognatam Catharinam. Saluto tuam coniugem, ſocrum, & auun-
culum. Mi cognate tam multa video, quæ mihi diſplicent, vt vix poſſim me colligere,
niſi me ſolatetur ſpes, quam in Deum repono, & fiducia, qua mihi perſuadeo te certo
mecum coniuncturum omnes tuos conatus ad conſeruandum hoc regnum, & Regis filij
mei auctoritatem, & ſubditorum erga eum obſequia; etiam ſi rumpantur, qui omnia co-
nantur vertere, ſed ſpero me tuo conſilio & auxilio fretam adhibituram remedium iſtis
malis, & quia huic qui has litteras reddet prolixè explicaui de iis rebus meam ſenten-
tiam, eam iam non repetam; peto, vt ei fides adhibeatur, in his quæ vtrique veſtrum
ſignificabit nomine tuæ cognatæ Catharinæ.

Quibus de cauſis Cõdeus arma ſumpſerit.

Ex his quæ iam dicta ſunt, Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principes, ſatis vobis liquere 61
putamus Principem Condeum non priuata aliqua cupiditate, ſed inſtante mãdato Regi-
næ arma ſumpſiſſe, vt eorum conatibus ſe opponeret, qui vi, & audacia leges regni viola-
bant, pacem, & tranquillitatem publicam perturbabant, ac ſummum magiſtratum nobis
à Deo conceſſum in ſeruitutem redigere conabantur. Si quid à Condeo Principe pecca-
tum eſt, in eo eſt peccatum, quod initio aduerſariis par, aut forſan inſtructior non ſtatim
eos inuaſit, & oppreſſit. Verum optimus Princeps noluit eſſe auctor eorum ingentiũ ma-
lorum, quæ iam in Gallia cernuntur. Non enim exiſtimauit iſtos homines adeo exuiſſe
omnem humanitatis affectum, quin tandem mouerentur pietate erga patriam, & reueren-
tia erga optimæ ſpei Regem, à cuius auo, & parente ex non magna fortuna euecti ſunt ad
illas ingentes opes, quibus iam ad omnia perturbanda abutuntur. Sed plus potuit in ani-
mis eorum immoderata ambitio quam hæc omnia. Dolebant enim ſe excidiſſe ea autho-
ritate, qua ſuperiorum Regum, & præſertim Henrici tempore pollebant: cum omnia pro
ſuo arbitrio adminiſtrarent, & exiſtimabant iam ſibi dari occaſionem eam recuperandi,
quæ non facile eſſet à manibus dimittenda. Id enim non potuerunt ſperare Regina ſum-
ma cum prudentia regnum adminiſtrante, quæ de filij incolumitate, ac regni proſpero
ſucceſſu ſollicita, vt vitaret occaſiones tumultuum, ambitiones à gubernatione dimouere
tentabat, regnúmque frugaliter gubernare cœperat, paulatimque diſſoluebat illud ingens
æs alienum à Rege Henrico conflatum. Itaque cum iſti animaduerterent hæc eſſe mini-
mè opportuna ſuis conſiliis, putauerunt eam cum Rege, ac Aurelianenſi redigendam eſſe
in ſuam poteſtatem: vt eorum nomine ad ſuas cupiditates abuterentur. Multis igitur ar-
matis ſtipati profecti ſunt ad fœminam, duóſque imbelles, & ſine viribus, quos omni præ-
ſidio deſtitutos facile in ſuam poteſtatem redegerunt. Degebant tunc temporis in Regia
illa domo fontis Bleaudi quæ vnius diei itinere abeſt à Lutetia, nullis artibus munito lo-
co, neque ignotum illis erat Condeum non laturum tantam indignitatem. Repugnantes

Inſignia Caluinianorum commẽtia aduerſus Catholicos Duces.

eos

Digitized by Google

eos, & multis obortis lachrymis conquerebantur iniuriam deprecantes Melodunum abduxerunt, & incluſerunt arci, quamuis carcerem verius quàm arcem dicere poſſes: Rex emiſſis multis lachrymis conquerebatur ſe abduci à loco amœniſſimo ad caſtrum, à quo maximè abhorrebat. Sequebantur Reginæ eiulatus immodici, quæ etiam negabat omnino eò ituram. Verum reſponderunt licere quidem ipſi manere ſi velit, ſed ſe plane conſtituiſſe Regem abducere.

62 Hoc egregio facinore perpetrato præmiſerunt Lutetiam Coneſtablium, qui populum iam ſua ſponte furentem aduerſus noſtros magis concitaret. Quod ſane pulchrè præſtitit. Non enim puduit hominem pene decrepitum, & tantæ dignitatis ab ipſa prima adoleſcentia præbere ſe ducem ſtolido populo ad exurenda illa ædificia, in quibus noſtri religionis cauſa conuenire ſolebant. Lutetiam ſanguine replet: populum ad arma, ad prædam, ad lanienam concitat. Mareſchallus à ſancto Andrea ſibi Senones delegit, in quos ſæuiat per ſuos, & Cardinalis Guiſij Senonum Archiepiſcopi auxiliaribus copiis, in quos crudelem tyrannidem exercent, & barbare debacchantur. Sæuit in fœminas, pueros, puellàſque omni genere mortis: ex quibus ſecundo flumine deducta ſunt Lutetiam innumera corpora natantia, quæ oculis Regis oblata ſunt, dum aliud agit ad fluminis Sequanæ ripam Lutetiæ, atque illorum exemplo omnia miſcentur cædibus per vniuerſam Galliam ad mõtes vſque Pyreneos, per totam Aquitaniam, quarum facient fidem Tholoſa, caſtrum Darij, Burdegallia: illinc ad Britannos vſque percurrit. Teſtes Andegauia, Burgundia inſuper, atque prouincia Saumorum, Turonia, Pictauia, Bleſiæ, Biturix, Iſodonum & Delfinatus; adeo vt qui huius crudelitatis calculos tenent, ad triginta hominum millia cæſa fuiſſe menſibus quatuor, ex his qui Euangelium profitentur, referant, miſera locorum omnium calamitate, quos tutos eſſe oportuit ordinum iudicio, poſtea edicto Regio, atque etiam ſacramentis Principum, Conſulúmque, atque adeo Senatuſconſultis. Vbi nunc nobis miſeris afflictiſſimiſque Gallis ſacroſanctum ius patriæ, ordinum noſtrorum olim inconcuſſa poteſtas? Vbi iuriſiurandi toties repetita religio? Vbi ſacramentorum dignitas, & pondus? quid ab illis ſperatur, quos Dei omnipotentis ſacroſanctum nomen, fidei dignitas, iuriſiurandi violati metus, nec mouet, nec vrget? Si omnis controuerſiæ finis eſt iuramentum, quomodo ſperabimus horum tumultuum faciles exitus cum illis, qui nullo Dei honore & gloria tanguntur? Suſceptis armis, compoſitóque aliquantum exercitu Condeus Princeps Aureliam delegit, in qua ſe ſuoſque recipiat, & Guiſiis iam pridem inſtructis ſe opponat. Ne tamen hoc bellum multa ſecum traheret incommoda, viſum eſt Condeo iuſtiſſimas pacis conditiones offerre Reginæ Nauarróque fratri, ſe diſceſſurum ab armis, à Regia, atque etiam regno ipſe ſanguinis Regij Princeps, modo eaſdem conditiones ſuſcipiant aduerſarij. Monet Principes vicinos ſuccurrant Regi pupillo, pacíque publicæ; quod dum agit, apud vos Principes Illuſtriſſimi factum eſt veſtra humanitate, vt eo fine legatos veſtros in Galliam decreueritis. Verum Guiſius conſilio Cardinalis turbulentiſſimi conditiones ſpreuit legatóſque impediuit officio defungi. Interim externas copias euocant Heluetiorum, Hiſpanorum, & Italorum, atque etiam Germanorum ducibus Rochandolpho & Ringrauio, atque iſtos tres coniuratos non puduit Regi, & Reginæ ſcriptum exhibere, in quo dicerent coniuratione facta ſe non prius ex aula diſceſſuros, quam in verba Pont. Romani iurarint omnes Regis ſubditi officiales, præſertim qui munus publicum gerunt aut magiſtratum.

Eidem quas pacis conditiones Reginæ obtulerit.

63 Quanta eſt iſta arrogantia, tres homines decreto ordinum excluſos à Regio Conſilio, velle Regi, & toti regno in tantare præſcribere? ſed ideo faciebant vt omnia turbarentur, ne inſtitutas aduerſus ipſos repetundarum & peculatus actiones ordines regni perſequĩ poſſent. Nam ſi liberum iudicium de his rebus inſtitueretur, ſciunt ſe non poſſe pœnam euadere, nec poſſe retinere ingente s illas opes, quas vndecumque rapiendo ſibi collegerunt. Exemplo ſit illis Coneſtablius de Cliſſon, qui ex eo quod ſexdeci m centenis millibus librarum auctus fuiſſet omni dignitatis honore, muneribus publicis deſtitutus miſeram poſtea, & priuatam vitam agere iudicio damnatus eſt. Nemo ignorat quam tenues fuerint Coneſtablij fortunæ, cum primum à Rege Franciſco Primo in regiam acceptus eſt: quid ex facultatibus paternis Guiſio ſucceſſione contigerit: quã miſeris, algentibúſque parẽtibus ortus ſit Mareſchallus Andreanus antequam ad aulæ delicias, & parum honeſta officia vocaretur. Quomodo autem ab ipſis adminiſtrata ſit Reſpub. atque eo imprimis tempore, quo Rex Henricus regnauit, vel ex eo conſtare poteſt, quod Rex Henricus duplo plus inſumpſerit illis duodecim annis, quibus regnauit, quam Franciſcus tribus & triginta annis, quibus maxima bella geſſerit & in maximas calamitates inciderit. Moriens

Digitized by Google

Franciſcus non exiguam ſummam numeratæ pecuniæ reliquit. At Henricus æris alieni ducenties vicies centena millia aureorum Germanicorum, ſeu (vt loquimur) tres & triginta milliones Francorum reliquit. Quonam tanta pecunia peruenerit, æquum eſt iſtos dicere, cum eius procurationem habuerint, & pro ſuo arbitrio vnà cum Cardinale erogarint. Ex his quæ dicta ſunt, ſatis conſtare putamus Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſitud. veſtris, quæ iam pars præbuerit cauſam iſtis ingentibus calamitatibus, quibus tota Gallia ardet, & plane euertitur. Nulla eſt enim illius inclyti regni pars, quæ non redundet ſanguine innocentum hominum. Lutetia iam verius dici poteſt piorum hominum laniena, quàm ciuitas: in qua iuſſu Senatus corruptiſſimi conceſſa eſt plebi libera poteſtas rapinarum & cædium: armant in ſe ipſas eiuſdem corporis partes, præcipuas regni vrbes ab aduerſariis crudeliter direptas nemo ignorat: imò totas prouincias ita deuaſtatas, vt iam Gallia videatur eſſe cadauer illius non ita dudum florentiſſimi regni, quod à veſtris maioribus tanta indole, & virtute conſtitutum eſt. Nullum certè extitit in toto orbe pulchrius monumentum veteris gloriæ Germanicæ. Non dubitamus autem V. Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſitud. iſtis noſtris malis grauiter affici, ſed hoc parum remedij nobis adfert in tantis calamitatibus: deceret certè vos pro inſita animis Principum Germanorum generoſitate in hoc incumbere, vt iſtorum malorum cauſæ tollantur, & miſeras reliquias Gallici regni conſeruare, & tanquam naufragij tabulas colligere. atque etiam ſi vos non impelleret memoria virtutis maiorum veſtrorum, digni ſunt certè veſtra commiſeratione afflictiſſima Regina vidua, Rex pupillus, cuius eximia indoles omnibus ſummæ virtutis ſpem præbet, ſi Deus, vt ſperamus, confidimúſque, ei vitam longiorem conceſſerit. Quod ſi ab omnibus negligamur, præter id quod à vobis metuendum eſt ne fax iſta contempta latius præſtet incendium, non tamen Deus nos negliget, ad quem quotidie clamat innocentium ſanguis crudeliter effuſus: cuius ſe vindicem fore ſanctè pollicitus eſt, qui iuſtis oculis noſtras calamitates cernit.

Nos itaque à veſtris Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſitud. magnis precibus contendimus, 64
vt ad Regis, Reginæque libertatem fauentibus animis inclinetis, ius populi, & regni, ordinum poteſtatem, ac edictorum publicorum auctoritatem conſeruetis, eóſque à Guiſianorum, ſociorúmque conſpiratione manifeſtóque ſcelere liberos, ſecuróſque reddatis, quæ valetis, & conſilio reuocatis è Gallia copiis quæ ſub Rochandolpho, & Ringrauio merent falſo Regis adſcripto nomine, ſed illis interpoſitis minis, quibus in grauioribus cauſis comminari ſoletis, diſertéque prohibeatis, ne quiſquam ex veſtris ad Guiſiana caſtra progrediatur. Quod à vobis petimus, Illuſtriſſimi Principes, per antiquam illam beneuolentiam qua ſemper regnum Galliæ proſequuti eſtis, per illud ſtudium pietatis, quo verè, Chriſtianæ mentes affectæ eſſe debent, per Deum Opt. Max. cuius honos hic agitur, per vnicum eius filium Ieſum Chriſtum, qui ſuam Eccleſiam, cuius hæc cauſa eſt, ſuo ſanguine redemit, per Chriſtianiſſimi Regis impuberis orbitatem, per Sereniſſimæ matris viduitatem ac ſolitudinem, per vicini regni ſalutem, & incolumitatem, denique per antiquam Galliæ, & Germaniæ neceſſitudinem ac propinquitatem; per ſanctæ Illuſtriſſ. Principis Condei amicitiæ, & beneuolentiæ iura, ne in tantis Germanici Imperij opibus tam multa hominum Gallorum millia, totúmque adeo regnum quondam florentiſſimum propter trium hominum cupiditatem opprimi, & interire patiamini. Deum autem oramus vnà cum filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto, vt ſuæ cauſæ adſit, nec patiatur ſuam gloriam pollui, aut eos opprimi, qui ipſum ita colunt, quemadmodum ſe velle coli per filium toti mundo reuelauit, qui veſtrum Imperium, Celſitudinéſque veſtras ad ſuam gloriam diutiſſimè conſeruet. Diximus.] Hanc orationem non refellam, quod rebus iam enarratis, & mox enarrandis ſatis refelletur.

COMMEN

Digitized by Google

COMMENTARIORVM RERVM GALLICARVM LIBER TRIGESIMVS.

Anno 1562.

Cardinalis Lotharingus cum multis Galliæ Epiſcopis Tridētum accedit.

1 VT Caluiniani non ſolùm armis, ſed & Concilij vniuerſi decretis ad priſtinum Chriſtianorum conſenſum reducerentur, menſe Octobri Cardinalis Lotharingus cum multis Epiſcopis, in quorum numero eramus, & Pariſienſibus Theologis Tridentum profectus eſt. Inter eundum Allobrogem regulum, vxoremque eius Caroli Regis amitam inuiſit, & Regis mandatum de reſtituendis promiſſis vrbibus cum illis communicauit: quod Taurini Bordilioni legato Regio reliquit. Vrbeis retentas, Taurinum cum arce, Villanouam, Cherium, Chiuaſium reſtituere Bordilio diſtulit: tum quod Penarolenſis, & Sabinianenſis agri portionem Allobrox retinere conabatur: tum quod nullum promiſſi ab Allobroge auxilij apparatum videbat. Secundo mandato accepto vrbeis reſtituit: & quod Allobrox paratum auxilium nō habebat, equitatum, peditatúmque, qui ſupra commemoratis vrbibus præſidio erat, duce Malgerone in Lugdunenſem agrum ad Nemorenſem regulum miſit. Sabiniano Auſſunus tametſi abſens, Penarolo Liuxus Monlucij frater, Salaſſo oppido, atque arci Carolus Biraga, Carmaniolæ Bellagarda præfuerunt, ſed hic poſtea ſub Henrico III. Mareſchallus præfectis cæteris pulſis toto Marchionatu Salaſſo potitus eſt. Normaniæ Prætor Bullionius regulus Caluinianus, tametſi Mompenſerij gener, ac Caſtilio Amyralius, vt ibi noua perſuaſio latè propagaretur, authores fuerunt: nullos enim niſi Caluinianos in oculis habebant: nullos alios ad honorata munera promouebant. Et Normani rerum maritimarum, ac quæſtus ſtudioſi, vt ſe in Caſtilionis beneuolentiam inſinuarent, hanc palam profitebantur, & ſe huius belli initio multarum vrbium compotes reddiderunt: Rothomagi in primis vrbis primariæ, vnde Senatus Louerias ſeceſſit: nec Villebo Balliuus, nec Baqueuilla Rothomagi præfectus illis reſiſtere potuerunt. Quapropter à Rege miſſus eſt Aumalius regulus Guiſani frater, vt prouinciam ad Regis obſeruantiam reduceret, qui pontem Arquatum primum in ſuam poteſtatem redegit, ne commeatus Rothomagum ſecundo flumine deportaretur: deinde Rothomagum circumſedens Catharinæ ſuburbium tormentis acriter verberauit, ſed fruſtra: nam Moruillerius Belga cum aliquot ſuæ perſuaſionis vrbem ingreſſus pro ea fortiter propugnauit: verum vbi Caluinianos de Rothomago, Dieppa, portu Gratiæ, & aliis maritimis oppidis Anglis dedendis deliberaſſe intellexit, tantum facinus execratus ex vrbe diſceſſit, cui Mongomerius ſucceſſit, & ab Anglis, Scotiſque miſſa auxilia recepit, Briquemaldo cæteras copias vt accelerarent vehemēter vrgente. Interim Aumalius Ponticulum maris, Honfleum, & vicina aliquot alia oppida partim vi, partim deditione cepit. Et Regius exercitus Nauarro duce è Biturigibus ad Rothomagum oppugnādum progreſſus Catharinæ ſuburbium excelſo in colle ſitum tormentis vehementer concuſſum acri impreſſione inuaſit: vnde totam vrbem deſpectans Caluinianos inde migrare, aut ſe dedere compulit. Mongomerius celeri triremi elapſus, & Candebeci vallum tormentis maioribus, ac minoribus ex vtraque fluminis ripa munitum prætergreſſus ex hoſtium manibus euaſit.

Rothomagū à Caluinianis captū Nauarrus recipit.

2 Nauarrus in foſſa ad tormenta negligentius ſibi proſpiciens, & ſclopeti glande in ſiniſtrum humerum vulneratus decimo quinto Kal. Octob. Andelij ad fanum Mauri aduerſo Sequana nauigās expirauit, quum paulò ante Romano ritu Euchariſtiam recepiſſet: capta vrbe Senatus Loueriis reuerſi decreto Mandreuilla inter principes Senatores numeratus,

Paulò poſt ſclopeti glāde caditur Nauarrus.

Digitized by Google

atque Auguſtinus Marloratus Caluinianus miniſter, & aliquot centuriones eiuſdem perſuaſionis capite luerunt. Nunc ad Santones tranſeamus: Iarnacus Rupellæ, qui Santonum portus olim dicebatur, præfectus religione Caluinianus, vt ibi ea perſuaſio multum propagaretur, occaſionem dederat: de Condei tamen viribus deſperans, & recenti de cauſa Caluinianis ſubiratus, quod eius fratrem Rupellam petentem, qui ab ipſis ad Pontificios defecerat, illorũ nonnulli perſonati ad fanum Angeli nuper trucidarant, vrbẽ in Regis poteſtate cõtinebat: tametſi Caluinianis Sacramenta ſuo more adminiſtrare, & conciones habere permittebat, vt longe ante permiſerat. Itaque iam tertia propemodũ ciuium pars præfecti religionẽ ſequebatur, quum Condeus Aureliam occupauit: vnde Rupifocaldius ad cogendos milites ad Santones miſſus vrbem intercipere conatus eſt, & copias ſuas ad ſclopeti iactum terra, marique oſtentauit: ſed qui cũ illo conuenerant, Iarnaco diligenter prouidente animo fracti promiſſum facere auſi non ſunt. Qua ſpe ſublata Rupifocaldius ad põtem Santonicum oppidum ſe conuertit, quod vna cum arce Kal. Octob. facta impreſſione cepit: inde ad fanum Angeli ſe contulit, cui à Pontificiis 10. Kal. Octobris recepto Richelius præerat. Id quum circumſedere cœpiſſet, Duraſij copias à Monlucio fuſas intellexit: quapropter ſoluta obſidione, ne reditus ſibi præcluderetur, Aureliam contendit: & inter redeundum Duraſium cum ſuarum copiarum reliquiis ſibi adiunxit, qui ſimul trecentos equites, mille quingentos pedites ducentes Aureliam Kal. Nouemb. ingreſſi ſunt. Duraſij fortuna, & Rupifocaldij diſceſſus ita Santonicum agrum perterruerunt, vt paſſim inde Caluiniani aufugerint; Nogeretus, qui Talleburgum inſederat, primariam Santonum vrbem nemine reſiſtente inierit, & Caluinianos, qui remanſerant, malè mulctarit. Nec multò poſt Mompenſerius Rupellam acceſſit, & præſidio impoſito, vt nulla præter Romanam religio ibi coleretur imperauit. Hinc multi Caluiniani ex vrbe migrarunt: alij octauo Kal. Martij anni ſequentis Cheneto centurione duce rebellarunt, & vrbis partem occuparunt: ſed mox Pontificiis ſeſe colligentibus, & vnà coëuntibus, Buria etiam opem ferente rebelles comprehenſi ſunt; quorum & nonnulli ſtrangulati ſunt: Chenetus de quo iudicium nimis dilatum eſt, beneficio paucis poſt diebus initæ pacis euaſit.

Rupellæ, alia præter Romanam, religio coli prohibetur.

Pictauia poſt Vaſſianum tumultum Caluiniani potiti ſunt, & ſuæ perſuaſionis milites 3
Aureliam petentes, præſertim Grandimontanum cum Vaſconibus exceperunt: qui omnem ſacrarum ædium auream, argenteámque, & cæteram ſupellectilem ſecum abſtulit, Aureliámque deportauit: arcem quidem circumſedit, quam Pinellus Regius quæſtor inſederat, ſed quod accelerare iubebatur, ſoluta obſidione iter inſtitutũ perſequutus eſt. Bleſię, & Turones quod vrbes ſatis munitæ nõ erant, ſe Pontificiis dediderunt: ſed hi prius templorum omnium ſupellectilem Rupifocaldio, Genlióque tradiderunt: deinde Pictauiam confugere conati ad ſaltum Pouartium octo paſſuum millibus Pictauia diſtantem à Villario Marchione, Mompeſatio, Rochapoſæo, Richelio fuſi ingentem prædam quæ ad centies mille argenti pondo peruenire ferebatur, victoribus reliquerunt: omne enim argentum, pretioſiorémque ſupellectilem cum vxoribus, & liberis quaſi ſolum vertentes ſecum aſportabant. Lancelotus Buchetus vulgo S. Gemma nuncupatus Pictauiæ præfectus, qui quinquagenariæ cataphractorum equitum Gonori alæ maius vexillum geſtarat trecentos equites, ſed tardius auxilio miſerat: pauci qui vt hæc auxilia accelerarent, præmiſſi erãt, incolumes euaſerunt. Poſtridie Id. Auguſt. Andegauenſes, & qui ex recenti pugna euaſerant, Turones, Chinonij, Samurenſes, Lodunenſes Caluiniani cum ſeptem peditũ cohortibus, ac ſexcentis equitibus Mirabellũ octo paſſuum millibus Pictauia diſtans appulſi, & ſuperioris cladis admoniti auxilium à S. Gemma implorarunt: quo accepto Pictauiam tuto deducti ſunt, niſi quod poſtremos Villarij equites carpentes paucos ceciderunt. Acceſſit cum nouis copiis Sanctandreanus Mareſchallus, & cum ſuperioribus Pontificiis ducibus Pictauiam oppugnauit tormentis ad Lazari ſuburbium collocatis, cuius milites plurimos in arcem Pinellus intromiſit: vnde metu conſternati Caluiniani vrbe hoſtium prædæ, ac libidini relicta ſe noctu ſubduxerunt. Sanctandreanus, vt Germanicis Condei auxiliis obuiam iret, Lutetiam reuerſus eſt. Nec interim otioſi erant Aurelianenſes Caluiniani: ſed tota prouincia frequentes excurſiones faciebant, quibus * * * Seluam ſupplicum libellorum magiſtrum, ac Baptiſtam Sapinum Pariſienſem Senatorem in Hiſpaniam proficiſcentes, ac Ioannem Trecenſem Abbatem Gaſtinenſem in Turonibus interceperũt: quorum primus cum * * * permutatus eſt; quamuis princeps legationis eſſet. duo poſteriores Condei iuſſu ad Madreuillæ, & Marlorati vlciſcendam mortẽ nullius ſceleris conuicti, nec quicquam aduerſus Caluinianos moliti quarto Nonas Nouembris Aureliæ ſtrangulati ſunt.

Germanica auxilia ad Bacaram ſexto Idus Octobris recenſuit Andelotus, cui Portianus 4
princeps

princeps cum centum equitibus, qui quotidie augebantur, Argentoratum vſque obuiam proceſſerat. Nouem erant Germanorum equitum ſclopetariorum alæ quæ ter mille trecentos equites, duodecim peditum cohortes, quæ quatuor millia implebant; quibus Mareſchallus Heſſus præerat. His ne in Galliam ingrederentur, Niuernenſem regulum cum quatuordecim cataphractorum, ſedecim leuiorum equitum alis, quinque & viginti Gallorum peditum cohortibus, Sanctandreanum Mareſchallum, qui Trecas appulerat, cum nouem cataphractorum, tredecim leuiorum equitum alis, & Picardiæ legionariis peditibus noſtri opponebant. Sed quod quotidie ad Germanos Galli Caluiniani tam equites, quam pedites confluebant, & illum exercitum augebant, Niuernenſis ac Sanctandreanus viribus inferiores, ille Trecas, hic ad Senonum metropolim ſe recipere coactus eſt. Hic Guiſani error deprehenſus eſt, quanquam non tam illius quam fratris Cardinalis, & vxoris eius error fuit, qui Nemorenſe regulo Lugdunum miſſo occaſionem ab vrbe propemodum capta recedendi Tauanio dederunt. Si enim, vt ante ſcripſi, Lugdunenſis exercitus cum Niuernenſis Sanctandreaníque copiis coniunctus fuiſſet, ne Germani in Galliam introirent, impedimento fuiſſet. Andelotus quartana laborans, ideoque lectica vectus Bocardi diligenti opera in deducendo Germanico exercitu vtebatur, qui tranſmiſſa Lotharingia Burgundiam ingreſſus Caſtellouillano, ac fano Cyri direptis Ionam fluuium ad Crepantum traiecit: vnde Montargium, ſiue Montargyrum, ſiue montem argenteum progreſſus poſtridie Nonas Nouembris vna dumtaxat Germanorum equitum ſclopetariorum ala comitatus Aureliam iniit: reliquus exercitus non procul ab vrbe conſedit. Septimo ac ſexto Idus Condei exercitus Aurelia exiit: cui Germanicæ copiæ ſeſe adiunxerunt. Quarto Idus Pluuierum oppugnarunt, cui quatuor Regiæ cohortes præſidio erant. hæ muro, vallóque tormentis proſtrato ſe poſtridie hoſtium clementiæ permiſerunt: tametſi ſuburbia tanquam egregiè pro oppido propugnaturi incenderant: ibi magna tritici, viniquе copia reperta Aureliam deportata eſt. Præſidiarij milites omni ſupellectile, armíſque ſpoliati ne enſe quidem, ac pugione relictis ea conditione dimiſſi ſunt, ne vnquam aduerſus Condeum, Caluinianóſque arma ferrent: ſacerdotes omnes trucidati, duo è centurionibus, alter Italus, alter Pariſienſis ſtrangulati ſunt. Qui Baugencio præſidio erant Regij milites Caſtellodunum ſe receperunt: in quorum locum Magdunenſe Caluinianorum præſidium ſucceſſit. Decimo ſexto Kal. Decemb. Condei prima acies non procul Corbolio, cui Pauanus præerat, ſecunda ad Balancuriam caſtra poſuit: interim Lutetiæ ſuburbia Victoris, Marcelli, Iacobi, Carthuſianorum cœnobium foſſis, vallis, præſidiis muniebantur: Regij enim Hiſpanos, qui in itinere erant, expectabant; & Lethericum, Durdanumque oppida ſe Condeo dediderunt. Decimo Kal. Decemb. Condeus Iuuiſium vſque progreſſus eſt: ſeptimo eaſdem Kal. ad Salſaiam virginum cœnobium circiter tria paſſuum millia Lutetia diſtans conſedit, vbi de pace interiecti ſermones fuerunt; & Regina cum Condeo ad portum Anglicum colloquuta eſt: ſed nec tum inter ſe conuenire potuerunt. Condeus in vicis Lutetiæ vicinis, Gentilio, Monterubro, Arcuello, Caſſano, & cæteris 4. Kal. caſtra fecit: cuius exercitū Caluiniani vehementer imminuunt: vt noſtris ignauiam exprobrent, qui non ſtatim cum illo conflixerint: at id Regina prohibebat, & multi Lutetiæ & in aula Regia à Condeo ſtabant, vt non ſine magna ratione pugnam Guiſanus, Mommorenciúſque diſtulerint. Condeum igitur octo dumtaxat peditum, equitum ſex millia, duo maiora tormenta, quatuor campeſtria, vnam colubrinam in caſtris habuiſſe ſcribunt; quod veriſimile non eſt: quatuor enim Germanorum peditum millia Mareſchallus Heſſus adduxerat: an verò duo dumtaxat Condeus Gallorum habebat? hic iterum de pace actum, & ſeptem aut octo dies fruſtra conſumpti, nec quicquam peractum: ſeptimo Idus Decemb. Galli pedites qui in Tranſalpina Gallia Briſſaco Marechalli filio tribuno militarant, atque Hiſpani Lutetiam appulerunt, & ad Iacobi ſuburbium diuerterunt, qui ſimul viginti quatuor cohortes integras implebant.

Copiæ auxiliares è Germania ad Condeũ miſſæ.

Pluuieri oppugnatio.

Pacis conditiones vtrimque fruſtra interiectæ.

5 Hæ poſtridie Gentilium verſus, qua Portianus diuerterat, excurrerunt, & Caluinianos ita perturbarunt, vt quarto Idus ſe ad excipienda Anglica auxilia ire cauſati diſceſſerint. Diſceſſuri Montemrubrum, Arcuellum, Caſſanum, multóſque alios populoſos pagos incenderunt: primis caſtris Condei exercitus ad Pallezellum, ſecundis ad Limurſum Dianæ Pictauienſis arcem, atque oppidum, tertiis ad fanum Arnoldi cōſedit; quod ſcalis admotis facile cepit, ibique biduum ad tormentorū currus inſtruendos cōmoratus eſt. interim Regius exercitus Lutetia exiit, & Stempas verſus iter inſtituit: deinde ad dexteram flectens Condeum anteuertere decreuit. Is quartis caſtris Ablij, quintis ad Galardonem 17. Kal. Ianuarij ſubſtitit, quod vi cepit, & multos ex ciuibus, omneis autem ſacros miniſtros trucidauit,

Digitized by Google

cidauit, quod non paucos in conflictu ex Moij ala amiſiſſet. Ibi biduum commoratus eſt: vnde ad pagum Iuoium cum ſecunda acie progreſſus ſe duobus paſſuum millibus Caſtilionem, primámque aciem anteuertiſſe intellexit, quæ ad Neronium pagum remanſerat. Id vtrumque aliquantum perturbauit: & ſimul colloquuti Condeus in craſtinum diem inſtare prælium, contra Caſtilio hoſteis incertam prælij aleam haud ſubituros prædicabat. conuenit, vt cras ſub auroram Caſtilio ad Galardonem accederet, & deinceps ſuo ordine incederet.

Regius exercitus decimo quinto Kalend. Ianuarij Meſeriam vicum ad Vram fluuium ſitum appulit, qui Druidum vrbem alluens & per Carmitenſem agrum defluens ad pontem Arquatum in Sequanam deuoluitur. ibi Condei exercitum ſex inde paſſuum millibus caſtra poſuiſſe Guiſanus certior factus vt noſtri fluuium noctu ſine vllo ſtrepitu, aut tubarum & tympanorum ſonitu traiicerent, author fuit, ne hoſtes fluuij tranſitum impedirent. Noſtri itaque fluuium, atque vrbem prætergreſſi in loco excelſo ſe ad prælium compararunt, & in vico propinquo duo peditum agmina cum quatuordecim maioribus tormentis Mommorencius collocauit, & pedites ſclopetarios (quos perditos vocant) præcedere imperauit. Duorum illorum agminum latera duæ equitum turmæ tegebant: ad ſiniſtram cum primo acie Guiſanus incedebat, & tam exiguo ſpacio ſecundam præcedebat, vt æquata fronte ingredi viderentur. Cum Guiſano Sanctandreanus Mareſchallus, & Iacobus Broſſianus, pauci præterea magni nominis cataphractorum equitum ductores erant, quem ſequebatur Sebaſtianus Luceburgenſis Martigianus regulus Gallorum peditum tribunus, atque Hiſpanorum tredecim cohortes, ac totidem veteranorum Gallorum, qui nuper è Gallia Tranſalpina redierant. Noſtri peditatu, Condeus equitatu ſuperior erat: in Regiis caſtris duo equitum, peditum octodecim millia fuiſſe traduntur: at in hoſtium caſtris ſex equitum, peditum alij octo, alij decem, alij paulo plura millia fuiſſe ſcripſerunt. E Germania quatuor peditum millia Condeo auxilio veniſſe certum eſt: ex omnibus Galliæ regionibus maiorem numerum acceſſiſſe veriſimile eſt; tametſi Caluiniani qui hanc pugnam vulgari ſermone litteris mandarunt, vtrorumque numerum plurimum imminuunt. Trionem Condeus petere deliberarat, ſed noſtros ad pugnam paratos animaduertens, & ne ſuos in latus irrumpentes diſſiparent, aut ſaltem poſtremos carperent veritus, aut quia iuſta planities erat, & equitatu ſuperabat, aut alia de cauſa pugnam capeſſere decreuit, initióque in priorem noſtrorum aciem contendere ſimulauit: verum Guiſani prudentiam, fortitudinémque reformidans in ſecundam & Mommorencium deflexit: in quem interim Guiſanus aliquot tormenta non omnia ſimul, verum bina & mox bina exonerari iuſſit. Subſtiterat inter duos pagos Mommorencius Spinam, & Blanuillam circiter mille ducentos paſſus à ſe inuicem diſtanteis: conuerſæ itaque vtrorumque acies. Caſtilio Amyralius Mommorencio, Guiſano Condeus occurrit: verum & hic (vt ſcripſi) à Guiſano deflexit, & ambo in Mommorencium, Condeus in Heluetios, Caſtilio in equitatum, qui duo huius aciei cornua faciebant, irruperunt. Streus tormentorum magiſter Caluinianus erat: & nullos fere, niſi Caluinianos ad tormenta libranda, & inſtruenda adhibebat: hi itaque omnia ſimul exonerarunt, ita vt pilæ ſupra hoſtium capita ferrentur, nec quemquam læderent. Secundo exonerare conati aut conari ſimulantes vix mediam partem ab hoſtibus oppreſſi exonerare potuerunt, & inter tormenta latuerunt: Streus etiam, vt ante ſcripſi, Condeo Aureliæ occupandæ occaſionem dederat.

Druidenſe prælium.

Ex Mommorenciano equitatu, qui re vera & numero, & viribus longè inferior erat, qua Caſtilio irruit, bona pars pugnæ initio ſe in fugam dedit, & Lutetiam Caluinianæ victoriæ nuntium falſo attulit. Condeus Moio & Auareto, qui Genlio ſucceſſerat, in Heluetios præmiſſis eoſdem proximè ſequutus eſt; quem viciſſim magnum Germanorum equitum ſclopetariorum agmen ſequebatur: inter Heluetios & Germanos Mommorencianos ſtabat Danuilla alter Mommorencij filius cum tribus cataphractorum equitum alis & leuiore equitatu, & ſe Condeo opponere conatus eſt. verum à duabus Germanorum ſclopetariorum alis fuſus ad Guiſanum & primam aciem ſe recepit: ibi Mombro eius frater, ac Giurius cæſi fuerunt. Bellouacus cataphractorum equitum præfectus ita vulneratus, vt mox animi compos non fuerit, & ſub anni finem è vita exceſſerit. Perrupti fuere Heluetij à Moio, Condeo, Germanis equitibus ſclopetariis: ter ſeſe in ordines redegerunt, vt ea natio præ cæteris diſciplinæ militaris ſtudioſiſſima eſt: & Rupifocaldium idem quod ſuperiores tentantem fortiter repulerunt. In eos perturbatos

Condei

Digitized by Google

Condei Germani pedites irruere conati ſunt: at mox Heluetios ſibi obuiam intrepidè prodeuntes ita horruerunt, vt ſe protinus in fugam dederint, nec vllum pugnæ periculum fecerint; tametſi vaſti corporibus, atque armis bene inſtructi magnam fortium bellatorum ſpeciem præbebant. Heluetij multis amiſſis, atque inter eos ſeptemdecim centurionibus, aut ſigniferis ſe tandem ad primam Guiſani aciem receperunt: poſtquam octo, quæ amiſerant, tormenta recuperare conati fuiſſent. Mommorencium equo cæſo Oraiſo in ſuum ſuſtulit: is tamen paulò poſt ſclopeti glande in malam inferiorem accepta, vnde nonnulli dentes excuſſi ſunt, Buſſio, vt quidam, aut Vezinæ, vt alij tradunt, ſe dedidit: cui Germani ſclopetarij equites eundem vi abſtulerunt, & enſe ſublato, ac fide accepta captiuum duxerunt. Ex Britonum, Gallorúmque peditum ſeptemdecim cohortibus mixtum agmen quod Heluetiorum latus cingebat, facile perruptum, fuſumque fuit: fugienteis Caluiniani niſi coniuratos appellare mauis tam equites, quam pedites vſque ad fluuium perſequuti ſunt: vbi plerique ſe aquis permittentes demerſi fuerunt. Nondum ſe commouebat Guiſani acies, quod poſtremum Germanorum equitum ſclopetariorum agmen, quod circiter mille ducentos implere ferebatur, & pugnæ non interfuerat, expectabat, ne id à tergo relinqueret: in quos ad ſpolia potius, quam ad pugnam properanteis primum irruit. Præceſſit Iacobus Broſſianus, cuius conſilio maxime Guiſanus vtebatur, cum centum & ſexaginta equitibus, & primus in illos ſeſe intulit, eoſdémque perrupit. Proximè ſucceſſit Guiſanus cum cætero equitatu, quem Martigianus regulus Gallorum peditum tribunus Hiſpaníque ſequebantur.

Mommorencius captiuus Aurelia abducitur.

8 Hoc equitum ſclopetariorum fuſo agmine in Germanos Galloſque Condei pedites inuecti ſunt, quos equorum pedibus conculcatos facile diſſiparunt: Germani mille quadringenti, aut quingenti ſe ſtatim dediderunt, & in patriam incolumes remiſſi ſunt. Inde in Condeum & in cæteros, qui cum Mommorencio pugnarant, Guiſanus inuaſit: vbi Germani ſclopetarij equites totum ſuum peditatum fuſum videntes, & Guiſani impetum horrentes ſe in fugam dederunt, quos & Galli equites ſequuti ſunt. Condeus equo vulnerato dum in alium conſcendere nititur, à Danuilla captus eſt: noſtri ita victoriam perſequebantur, vt Guiſanus penè ſolus remaneret. Broſſianus vir militaris quos potuit, reuocauit, & ſe ad Guiſanum contulit, atque aliquot equites, quid hoſtes molirentur, exploraturos accelerare iuſſit; quos non procul inde ad ſaltum conſiſtere retulerunt, an vt ſocios expectent, an de prælio renouando cogitent, incertum videri. Alia ex parte victoriam perſequebatur Sanctandreanus Mareſchallus, & in hoſteis paucis comitatus incidit: captúſque & quum deduceretur, ſclopeti glande in caput ictus (ita Caſtilio Amyralius iuſſerat) è vita migrauit. Conuenerunt ad Guiſanum plerique equites: cui ſimul Martigianus cum ſclopetariis peditibus affuit: Hiſpani procul ſequebantur: aduerſus id Germanorum, Gallorúmque equitum agmen itum. Germanos ad redintegrandam pugnam incitauit Moius, tum quod numero longe ſuperiores erāt, tum quod Martigianum, & ſclopetarios pedites Guiſanum proximè ſequenteis non videbat: nam Caſtilio Amyralius natura timidus poſt Condeum captum nunquam coram hoſtibus comparuit. Andelotus quartana laborās, & nullis armis indutus Trionem verſus cum ſex aut ſeptem equitibus euaſit. poſtridie ad fratris exercitum ſeſe ex fuga paulatim colligentem ſe recepit. Præcedebat ſuo more Broſſianus, ſed equitum ſuorum numero multum imminuto, quibus paucæ lanceæ ſupererant; & in ipſo congreſſu ſclopeti glande in pectus ictus cecidit; loricam longè firmiorem reliquerat, quam ſenectute grauis geſtare non poterat, ea quam tum induerat imbecillior glandis impetum non tulit: nec minus tamen victoria Guiſanus potitus eſt: ſed niſi Martigianus cum ſuis ſclopetariis in ipſo pugnæ articulo illi affuiſſet, haud dubium quin in magnum vitæ, atque exiſtimationis diſcrimen incurriſſet. In hoc vltimo conflictu Moius Condei præfectorum fortiſſimus captus eſt. Noſtri hoſteis circiter mille paſſus perſequuti ſunt: longius progredi noctis tenebræ prohibuerunt: itaque miſſis qui Mommorencij, Condeique tormenta conſeruarent, & ſpolia relicta conquirerent, Guiſanus ad Druidenſis vrbis ſuburbium diuertit. Cæſorum in ipſo certaminis campo numerum ad ſex millia perduxerunt, quidam etiam auxerunt, & ex vulneratis mox plerique perierunt. Ex Regio exercitu Franciſcus Cleuius Niuernenſis regulus Belani ſclopeto forte fortuna exonerato ante pugnam vulneratus, Sanctandreanus Mareſchallus, Iacobus Broſſianus, Mombro Mommorencij, Hannebaldus Claudij Hannebaldi quondam Amyralij, Giurius Eſtaugis Vicecomitis filij cataphractorum equitum præfecti, Bordius alæ Niuernenſis, Gilbertus

Similiter & Condaus.

Sanctandreanus Mareſchallus perfidè interfectus.

Druidenſis victoria in Guiſanis referenda.

Digitized by Google

Belcarius fratris mei filius Martigianæ legatus, Belanus Guiſanæ vexillifer, & multi alij, quos enumerare longum eſſet, ceciderunt: nam totum prælij pondus & cum Mommorencio & cum Guiſano noſtros equites tametſi numero longè inferiores ſuſtinuiſſe conſtat; & niſi multi ex Mommorencianis conflictus initio aufugiſſent, conſtantius ſanè reſtitiſſent & primi illius conflictus victoria incertior fuiſſet.

Mommorencium octingenti equites tota nocte & poſtridie Aureliam deduxerunt & 9 inter eundum ſemel dumtaxat paululum reſpirare permiſerunt: Aumalius regulus Guiſani frater equo cæſo humi proſtratus & multorum equorum pedibus conculcatus à ſuis nihilominus receptus eſt & altero humero vehementer læſo non niſi aliquot poſt menſibus conualuit. Ex Condei exercitu Harpaio, Salxius Lugduni prodendi author, & plerique alij viri nobiles, verum non magni nominis cæſi fuerunt. Ex vulneribus paulò poſt Gaſto Iacobi Broſſiani filius atque Hauſſunus cataphractorum equitum præfectus, cuius fortitudo in bellis Tranſalpinis ita celebris erat, vt iam in prouerbium abiiſſet, mortem obierunt: quanquam vterque non tam ex vulneribus, quæ letalia non erant, quam ex ardenti animi affectu periit: ille quod patris mortem non ſatis moderatè ferret, hic quod priſtinam illam exiſtimationem ſe cum multis aliis, tametſi acie iam perrupta è prælio recipiens violaſſe videretur: tantum in liberali, ingenuóque animo vel pietas, vel ſuæ exiſtimationis ratio poteſt. Hoc prælium nullæ velitares, aut excurſoriæ pugnæ anteceſſerunt, quod noſtrum exercitum Condeus tam ſibi propinquum eſſe ignorabat, quum in ipſum incidit: quanquam Caſtilio prudentis, prouidi & callidi ducis ſibi gloriam vendicabat. Nos huius prælij ſeriem in publico Pontificum, Theologorumque conſeſſu in maiore Tridentina æde recitauimus, vbi illi coëuntes ingenteis hoc nomine Deo Opt. Max. gratias egerunt, & publicas ſupplicationes decreuerunt: quam orationem & de Guiſani morte funebrem huic libro attexuimus. Guiſanus ad Druidum vrbem caſtra metatus erga Condeum humaniter ſe geſſit, vnáque cœnauit: poſtridie decem tormenta exonerari, vt omnem exercitum cogeret, vulneratos in vrbem deduci, vt curarentur, cæſos ſepulturæ mandari, vexilla ex hoſtibus capta victoriæ argumentum Lutetiam deportari iuſſit: quem Regina Senatu Pariſienſi laudante ſolum Regij exercitus ducem eſſe voluit: is quod multos viros nobiles amiſiſſet, vt ſeptemdecim nouæ cataphractorum equitum alæ veteribus adderentur, impetrauit: Rex quinque & viginti Regiæ ſocietatis equites creauit. Caſtilio Amyralius Caluiniani exercitus dux Pataij natalem Chriſti diem, Germani ſclopetarij equites cœnam Dominicam ſuo more celebrarunt. Tertio Kalend. Ianuarij Caſtilio cum exercitu Ligerim ad Baugencium traiecit: & quarto Nonas eiuſdem menſis Sellam in Biturigibus circumſedit, ac ſeptimo Idus deditione cepit, ibique quatuor Germanorum equitum ſclopetariorum alas reliquit. Portiano Mons Richardi in Turonibus ad Cherium fluuium ſitus poſt aliquam oppugnationem ſe dedidit. Guiſanus interea exercitum Stempas duxit: quo Duraſius cum tribus peditum cohortibus ante pugnam à Condeo miſſus erat: is vrbem infirmam reliquit, & Pluuierum abiit, vbi ab octingentis equitibus circumſeſſus, qui in ſuburbiis pernoctarunt, quaſi pro vrbe propugnaturus in illos noctu irruit: verum euadere conatus, multos è ſuis, & omnia impedimenta amiſit: & ſæpius in ſummum diſcrimen adductus Aureliam ſe recepit, quam Guiſanus oppugnare deſtinarat: at tormenta propter ſolum Belſiæ pingue & dilutum magnis imbribus continuatis non facile trahebantur. Andelotus in vrbem miſſus, cui Fequerius minor aderat, milites recenſuit: triginta quatuor tam Gallorum, quam Germanorum peditum cohortes, vrbanæ quatuor, ſatis multus virorum nobilium numerus ſub Andeloto vrbem tuendam ſuſceperunt. Guiſanus tormenta expectans cum exercitu Baugencium appulit: eodem tempore Rex & Regina, & qui illis à conſilio erant, ac nonnulli Pariſienſes Senatores à toto collegio ſelecti Carnutum metropolim inierunt, vbi præerat Eguillius cataphractorum equitum præfectus: cui vndecim Vaſconum peditum cohortes Charrio tribuno præſidio erant.

Guiſani humanitas in Condeum.

Condeus ad Cheronium cœnobium non procul inde adductus: quem equitum ala 10 vna, tres peditum cohortes comitabantur, eique pro cuſtodia erant: inde Rex Bleſias contendit. Condeus ad Vnzæam arcem Ambaſiæ vicinam deductus. Caſtilio Amyralius nè Germani equites ſtipendij penuria aut ad Regem deficerēt, aut de reditu cogitarent, veritus his aliquantum pecuniæ numerauit; & vt ad integrum ſtipendium exoluendum Anglicam expectarent, eique in Normaniam obuiam irent, magna induſtria perſuaſit: ac coacto exercitu ad Gergeū, quod Rupifocaldius interceperat, Ligerim traiecit. Decimo ſeptimo Kal. Febr. inuſitata fulmina præter anni tempus, crebræque fulgetræ Aureliam, Bleſias,

Condeus ad Vnzeam arcē deductus.

ac totam

Digitized by Google

ac totam eam regionem mirandum in modum perterrefecerunt: & paulò ante Decembris initio ad Ardenaium vicum à Carnutum metropoli decem paſſuum millibus diſtantem è craſſa nube multæ velut igneæ faces apparuerunt: horrenda fulmina exierunt cum ea tempeſtate, ventis, procellis, turbinibus, vt tota ea regione arbores à radicibus euerterint, domos proſtrarint: aquas è ſtagnis & fluminibus hauſerint, & alio exportarint: quæ quamquam naturales cauſas habent, tamen his ad ſignificandam ſuam iram ſæpenumero diuinum numen vti ſolet, vt tam ſacris, quam profanis hiſtoriis docemur. Decimotertio eaſdem Kalendas Lutetiæ tormentorum domicilium, vbi cum ſuo inſtrumento locata erant (Arſenale vulgo appellant) id inter Baſtiliam ad vicum Antonianum, & Cœleſtinorum cœnobium ſitum eſt, totum prorſus à fundamentis euerſum eſt: quis tormentario pulueri ignem admouiſſet, incertum fuit, quamuis de authore diligentiſſime inquiſitum eſſet: multæ ſimul euerſæ vicinæ domus fuerunt, multi mortales diſrupti atque diſiecti, quorum membra diuulſa pleriſque locis viſebantur. Huius merito execrandi pulueris fragor Melodunum vſque viginti inde paſſuum millibus diſtans exauditus eſt, vt Aureliæ oppugnatio interturbaretur, id incendium excitatum putant. Streus ſummus tormentorum magiſter, ac tormentarij miniſtri fere omnes Caluiniani erant, & Catharina Regis mater Condeo in primis fauebat; tametſi aliud præ ſe ferebat. Suilium Trimulij oppidum, atque arcem quæ Giano quatuordecim, Gergeo decem paſſuum millibus diſtat, Bochardus à Caſtilione miſſus oppugnauit: muri parte tormentis deiecta Mota Potinus præfectus, cum quinquaginta ſclopetariis equitibus ſe in arcem recepit, quam mox dedidit, omnes ſacri miniſtri cæſi, oppidum direptũ, ciues captiui ſe pecunia redemerunt. Guiſanus tranſmiſſo ad Baugencium Ligeri ad ſeptem aut octo paſſuum millia ab Aurelia, qua Bituriges reſpicit, caſtra fecit. Quapropter Caſtilio cum Mareſchallo Heſſo Gergeo profectus Aureliam ingreſſus eſt, vbi de belli ratione conſultatum fuit: decretum vt Andelotus Aureliæ præeſſet, quicum Duraſius, Buſſius, Bochauanius, Auaretus, & multi viri nobiles cum peditibus, quos ſupra commemoraui Aureliæ remanerent, quod Grandimontanum non ſolum ciues Aurelianenſes, ſed & milites vrbis præfectum recuſarent: quem idcirco Caſtilio ſecum duxit, & cum tribus Gallorum, Germanorúmque equitum millibus, qui quod accelerandum erat, currus ſuos Aureliæ reliquerunt, Normaniam petiit.

Horrẽda & inuſitata fulmina.

11 Quæ poſtquam ad Regem perlata ſunt, Regium edictum ſtatim Rothomagi editum eſt, atque inde tota Normania diuulgatum, quo ruſtici è pagis omnibus migrare, & ſe cum pecore, ſupellectile, & omnis generis commeatu in vrbeis munitas recipere iubebantur. Briſſacus, qui Lutetiæ præerat, quod Franciſcum Mommorencium equitum magiſtri maximum natu filium Pariſienſes ſuſpectum habebant, Rothomagum ire iuſſus, quem Vetuſuilla, ac Ringrauius comitati ſunt: quinetiam edictum promulgatum eſt, quo Rex omnibus, qui Condeum, Caſtilionem, cæteróſque coniuratos ſequuti erant, veniam dabat, modo ad ſuas parteis venirent, aut domi quieti remanerent. Aliud item diploma ad Mareſchallum Heſſum, Germanóſque Caluinianorum equites nono Kalen. Februarij miſſum, quo Rex, ac Regina eius mater ſe nunquam captiuos fuiſſe, nec à Germanis principibus vlla auxilia poſtulaſſe, aut vt poſtularentur, mandaſſe declararunt: id Condei, aut potius Caſtilionis fraude, ac malis artibus falſo procuratum fuiſſe, quos nulla religionis contemplatione, verum ſola ambitione arma cepiſſe manifeſtum eſt: vti tot innocentium cædes, tot vrbium euerſiones, templorum demolitiones, quæ ſaltem ſuæ perſuaſioni exercendæ relinquere debebant, ſatis arguunt: diploma à Rege, Reginâque ſubſcriptum eſt, & eorundem ſigillo munitum. Hæc ita habere Aurelianus Regis frater, Henricus Borbonius Nauarræ princeps, Carolus Cardinalis Borbonius, Ludouicus Borbonius Momponſerius, Carolus Borbonius Rochaſurio aſcripſerunt, & ſubſcripſerunt, ſigilláque ſua addiderunt: nec tamen Mareſchallus Heſſus, & Germani equites à Condei partibus ad Regem defecerunt. Caſtilio in Normaniam properans Trionem iter inſtituit: quo ſi Condeus ante pugnam Druidenſem, vt conſtituerat, ſe contuliſſet, haud dubium quin à noſtris peditatu ſuperioribus longè facilius ſuperatus fuiſſet: tot difficillimis montibus, & vallibus ager ille interſtinctus eſt; vbi propter curruum Germanicorum multitudinem, & loca equitibus iniqua ſclopetarij noſtrorum pedites totum Condei equitatum, peditatúmque crebra glandium grandine penitus obruiſſent. Pridie Nonas Februarij Caſtilio ad Eburonices peruenit, vbi in ſuburbiis nihil præter parietes reperit, vrbem quod tormentis carebat, aggreſſus non eſt: quarto Idus Bernaium exiguum oppidum appulit: inde non longè à portu Gratiæ conſedit, & in Angliam vt pecuniam ſimul, & auxilia acciperet,

Rex ſe captiuum nunquam fuiſſe Mareſchallo Heſſo affirmat.

Digitized by Google

miſit, at venti contrarij erant: quapropter ne otioſus deſideret, Honfleum, vt ſibi dederetur, per tubicinem poſtulauit: Honfleenſes aliquantum commeatus duntaxat miſerunt.

Iam Bullionius regulus Normaniæ prætor noſtris ob nouæ perſuaſionis profeſſionem 12
ſuſpectus inde abierat, & iam Renatus Lotharingus Erboëuij regulus Guiſani frater Cadomum miſſus erat, quod ſex tormentis Caſtilio oppugnauit, quæ latum & firmo cæmento compactum murum nonniſi longa fulminatione diruere potuiſſent: at neſcio qua occaſione ſecundo oppugnationis die ſub Martij initium deditio facta eſt, vbi octodecim argenti pondo millia è Regia pecunia, & omnem ædium ſacrarum ſupellectilem Caſtilio in Germanorum equitum ſtipendium conuertit, & multa vicina oppida in ſuam poteſtatem redegit. Dieppenſes Caluiniani viribus ſuperiores Pontificiis repugnare non auſis Rothomagenſes à Regio exercitu circumſeſſos pecunia, ac peditibus iuuerunt, & vrbem ſuam diligenter muniuerunt: deinde cum Anglis Condeo ita mandante de auxilio egerunt, repugnante Moruillerio Belga, qui Rothomagi præfectus ea de cauſa inde diſceſſit. Cum Moruillerio conſentiebant Rouuræus ac Valſenerius cum multis aliis, idcirco duo priores quaſi ad Regem defecturi in cuſtodiam dati ſunt. Itaque quinto Nonas Octobris anni ſuperioris quingentos Anglos Horzæo præfecto in vrbem admiſerunt aſſentiente Forti, quem præfectum à Bullionio regulo petierant, atque impetrarant. Deinde Rothomago capto ne oppugnarentur, veriti legatos ad Regem Reginámque eius matrem Horzæo Anglo non repugnante miſerunt, qui ſe diſceſſurum promiſit, ſi cum Rege & Pontificiis conuenirent: conuenit vt in Regis gratiam redirent, modo Regium præſidium acciperent, nec quicquam aduerſus Regem molirentur: idcirco Dieppam Franciſcus Mommorencius Mareſchallus miſſus eſt, Anglis iam ex vrbe egreſſis, & Ricaruillam arcis, quem illis Bullionius non Fortem dare voluerat, Baqueuillam vrbis præfectum reliquit. Angli Gratiæ portum occupabant: vnde Fortis, Mongomerius, Briquemaldus Dieppam recipere cupientes nonnullos è præſidiariis militibus corruptos in ſuas parteis pertraxerunt; quorum alij Ricaruillam extra vrbem deambulantem trucidarunt: alij arcis portam venientibus Caluinianis decimotertio Kalend. Ianuarij nuper elapſi aperuerunt: vnde in vrbem irrumpentes, & ſuo more Euangelium, Euangelium inclamantes Baqueuillam in cuſtodiam dederunt, & ſe vrbis compotes reddiderunt multis è ciuibus id ægerrime ferentibus, & ſe Reginæ excuſaturos teſtantibus. Sub finem Decembris Mongomerius è portu Gratiæ profectus, cum quatuor peditum cohortibus vrbem ingreſſus eſt: de quo Dieppenſes apud Caſtilionem ad Cadomum adhuc hærentem ita queſti ſunt, vt Mongomerium arceſſiuerit, Gauſeuillam in eius locum ſurrogarit. Portus autem Gratiæ ita in Anglorum poteſtatem venit: Malignius Carnutenſis Vidamus vbi Gratiæ portum ciuibus inuitantibus intercepit, & Beluiſium ſororis virum Caſtilionis Amyralij legatum ibi reliquit (nam dudum ante Caſtilio huius oppidi præfectus erat, vnde nihil mirum ſi ad Caluinianos ſtatim defecit) Dieppa ſoluens in Angliam tranſmiſit omni pacis ſpe poſt colloquium Talſmium ſublata: & cum Eliſabetha Angliæ Regina Condei procurator ita conuenit, vt ſex peditum millia in Normaniam mitteret; quorum tria millia Gratiæ portui, altera tria Dieppæ, & Rothomago præſidio eſſent: quinetiam & centum quadraginta nummûm aureorum millia ſe Condeo mutuo daturam eadem Regina promitteret. Viciſſim Malignius Condei nomine Gratiæ portum Anglis receptum Reginæ permiſit: Comes Varuicus cum Anglis in Normaniam traiecit, & portum Gratiæ, tum quum Rothomagum à noſtris oppugnabatur, iniit; quò noſter exercitus Rothomago capto properaſſet, niſi Condeo eodem tempore ſe Germanica auxilia iunxiſſent, & Lutetiam petere decreuiſſent

Cadomū Caſtilioni deditum.

Dieppa qua ratione intercepta.

Portus Gratiæ vt in Anglorum poteſtatem venerit.

Anno 1563.

Nunc ad Guiſanum redeamus: is Nonis Februarij ad Oliuetum vicum mille paſſibus 13
Aurelia diſtantem caſtra fecit: Olineti, Maximique pontes ac molendinorum Sanſonis aggeres inſtaurauit, vt ſuburbium (quod Porterellum vocant) oppugnaret, vbi Andelotus omneis fere pedites collocarat, Germanos ad dextram Aurelia exeuntibus Clerium verſus. Gallos ad ſiniſtram qua Gergeum petitur; non quod ſuburbium tametſi foſſis, aggeribúſque cinctum tueri vellet, ſed vt noſtros remoraretur, tantiſper dum vrbis munitiones augerentur; mox ſuos in vrbem recipiens ſuburbium incenderet. Poſtridie Nonas Guiſanus duodecim peditum cohortes, ſexcentos equites ſuburbium, qua Galli conſederant, adorituros miſit, qui noſtrorū impetū excepturi videbantur. At Germani metu conſternati in vrbem nullis ſeruatis ordinibus fugientes, & inter impedimenta, quæ in vrbem importabantur implicati magnum tumultum excitarunt, & alij ſuper alios cadentes non exiguum tumulum ad portam fecerunt, vt parum abfuerit, quin Andelotus cum multis,

Guiſanus Aureliam oppugnat.

quos

Digitized by Google

quos ſecum duxerat, & cum Germanis pugnare decreuerat, aut cæſus, aut captus ſit. Noſtri id animaduertentes Germanos perſequuti ſunt, & niſi aliquot Galli Caluiniani ſe in domos ponti propiores conieciſſent, & noſtros denſis ſclopetorum glandibus retardaſſent; & qui propyleum (vt Græco verbo vtar) quod Turriculas vocant, inſederant, idem præſtitiſſent, noſtri cum fugientibus in vrbem irrumpere potuiſſent. Ibi ex obſeſſis quadringenti aut paulò plures Galli pedites cæſi fuerunt, aliquot Germani ſuffocati: ita Porterello cum multa hoſtium, nulla ſuorum clade Guiſanus fœliciter potitus eſt. Turriculæ pontis Aurelianenſis, quo Ligeris tranſmittitur, veluti propyleum ſunt, propugnaculum antiquo more extructum, de quo muniendo nemo cogitarat. id Porterello capto oppugnare Guiſanus conſtituit, quamuis nulla adhuc tormenta haberet, quæ partim Lutetia curribus, partim ex Nannetibus aduerſo flumine Aureliam verſus trahebantur. Quarto oppugnationis die noctu quidam è Guiſani militibus ſcalam, quæ longitudine quadraginta pedes excedebat, muro admouit, & vigiles ad focum ſopitos conſpexit. Silentio ad ſocios reuerſus, quid vidiſſet, indicauit: illi vel credere non poterant, vel diſcrimen ſubire non audebant; vnus duntaxat redeuntem comitatus eſt: hi duo in ſummo muro conſiſtentes, & ſe conſpectos animaduertẽtes in ſemiſopitos magno clamore ſublato irruerunt: vigiles tametſi circiter quadraginta attoniti celerrimè ſe proripuerunt, nec vllo modo reſtiterunt: noſtri ad ſociorum clamorem ſcalam conſcenderunt, & Turriculis potiti ſunt: quod ſi fugienteis acriter perſequuti fuiſſent, inſulas quoque quæ ex altera pontis parte Turriculis reſpondent pariter occupaſſent, vrbémque in ſummum diſcrimen adduxiſſent: nam qui aufugerant, ſcalam qua deſcenderant, erectam reliquerant: & foſſa in pontis capite cœpta quatuor aut quinque pedes altitudine non excedebat, ita vt qui in inſulis erant, in vrbem magna ex parte confugerint; pauci duntaxat viri nobiles ad foſſam ſupra commemoratam ſubſtiterunt: at noſtri qui tam audax facinus exequuti erant, quinque & viginti aut triginta duntaxat numero erant: quo ſtatim Andelotus multis comitatus accurrit, & vt aditus ad Inſulas vndique muniretur, prouidit.

Duorũ Guiſani militum facinus audax.

14 Nec minorem tamen de capiendis inſulis Guiſanus ſpem conceperat, quod octoginta tam Lutetia, quàm ex Nannetibus tormenta aducta nuper acceperat: quibus inſulas, & nonnullas vrbis regiones acriter pulſabat: nec obſeſſi otioſi erant, & tormentis pariter noſtros laceſſebant. Andelotus vrbem in quatuor regiones diuiſerat, & vnicuique ſuum præfectum deſignarat, & vſque ad inſulas omnia ſumma diligentia firmabat: ſeptimo Idus Bironem ac Richelium, cum tormentis Guiſanus Suilium miſerat, quod illi deditione ceperunt. Quum interim oppugnatio continuaretur, de impreſſione quam in inſulas, vrbémque facturus erat, Guiſanus in Strozæ diuerſorio non longè à Turriculis cum familiaribus ſub noctem duodecimo Kalen. Martij conſultauit; cuius conſultationis Andelotus ſtatim certior factus eſt: ita multi ex eius exercitu arcana eiuſdem conſilia hoſtibus prodebant. Sed Ioannes Poltrotus, quem etiam Mereum aut Merium vocabant ex Engoliſmenſi Comitatu, Subizæ diu domeſticus ab illo ad Caſtilionem ſæpius miſſus ſpem de trucidando Guiſano vtrique dederat. Hunc poſt Druidenſem victoriam ad Caſtilionem, tum Sellam in Biturigibus oppugnantem Subiza miſerat: vnde Aureliam profectus, & cum Fequerio minore ſæpius colloquutus, quod ſe ad Regium exercitum acceſſurum, & quicquid ibi ageretur, renuntiaturum pollicebatur, à Caſtilione aliquot nummis aureis donatus eſt, vnde Aureliam reuerſus ſe in Guiſani gratiam à quodam ſuo familiari inſinuatum, & in domeſticorum numerum aſcitum Andeloto expoſuit: à quo ad Amyralium pridie Aurelia profectum non procul inde ad Villanouam miſſus ab illo centum nummos aureos, aut aliquanto plures, vt quidam tradunt, accepit, vnde Hiſpanicum equum ſibi comparauit, & ad Guiſanum rediit, vnàque cum illo remanſit tempus obſeruans, quo facilius eumdem conficeret: & quod Guiſanus illa ipſa nocte quæ inter duodecimum & vndecimum Kalend. Martij interiecta erat, inſulas adoriri deliberarat, vnde Aurelia capi facilè potuiſſet, conceptum iam dudum animo facinus exequi decreuit, & Guiſanum ad diuerſorium ſuum redeuntem, quòd vxor illuc fortè acceſſerat (nam alioqui ad Turriculas pernoctaſſet) ſolo Roſtino qui mulo inſidebat, & pueris nobilibus, qui noſtro more cum principibus educari ſolent non aduertentem tribus glandibus à tergo imminens vulnerat, ac ſtatim ſe proripit; & tota nocte oberrans poſtridie mane ad Heluetiorum ſtationem non procul Oliueto vico conſtitit: vbi ſuum errorem agnoſcens refugit protinus, & totum eum diem ac noctem ſequentem vagatus tandem ad villam quamdam equo iam laborem amplius non ferente diuertit, vbi graui ſopore oppreſſus comprehenſus eſt: quæ quoniam in funebri oratione de Guiſani morte, quæ huic

Ioannes Poltrotus de Guiſano trucidãdo cogitat.

Cõceptum animo facinus exequitur.

huic libro attexetur, fuſius explicaui, plura non addam.

Comprehẽſus ad Reginam perducitur, & tam horrẽdi facinoris auctores detegit.

Nono Kalend. Martias Poltrotus, ſiue Mereus ad Reginam, quæ cum aliquot ſanctioris Conſilij proceribus ad Aureliana caſtra acceſſerat perductus eſt, & quid illum ad tam execrandum facinus induxiſſet, interrogatus, Caſtilionem Amyralium, Fequerium minorem, duos item Caluinianos miniſtros, quorum alterum duntaxat, Bezam ſcilicet nominauit ſuſcipiendi facinoris ſibi authores fuiſſe reſpondit. Rupifocaldium quoque eiuſdem conſcium addidit: Caſtilionem præterea eum, qui poſt Guiſanum Regiis copiis præeſſet, & ſex aut ſeptem Regiæ ſocietatis equites aliquo mortis genere de medio tollere decreuiſſe: caueret etiam ſibi Regina de qua Caſtilio multum queratur. Hæc poſtridie de integro interrogatus confirmauit, & Lutetiam miſſus eſt: ad quam ne Caluiniani adirent, & ne quidem propius viginti paſſuum millibus appropinquarent, Rex qui tum Bleſiis erat pœna capitis addita interdixit. Merei confeſſio ad Caſtilionem Amyralium, & Germanos equites, qui tum Cadomi in Normania erant, ſtatim perlata eſt. Antequam Guiſanus vulneraretur, & eo die quo vulneratus eſt, bis ſcilicet Oſellius Regiæ ſocietatis eques ob Iacobum Broſſianum cui inuidebat, erga Guiſanum non bene affectus, atque Albaſpineus Lemouicenſis Pontifex Aureliam de pace acturi inierant, quæ legationes multis ſuſpectæ fuerunt: neque enim Andelotus quicquam niſi de Caſtilionis fratris abſentis aſſenſu ſtatuere poterat; quibus & Guiſani conſilia hoſtibus declarabantur, & eius cædes, vt quidam ſuſpicati ſunt, procurabatur: cuius conſcium (vt fere omnium Catharinæ Reginæ conſiliorum conſcius eſſe conſueuerat) Roſtinum nonnulli exiſtimarunt; idcirco ex Lugdunenſi infimi ordinis ciue diu parum honeſtis officiis in Regia aula functus ad ſummos nihilominus honores Regiæ eques, & cataphractorum equitum præfectus peruenit. Guiſano vita functo Campaniæ adminiſtratio, qua Niuernenſi regulo prælio Druidenſi cæſo Guiſanus donatus fuerat, Henrico eius filio natu maximo continuata eſt: qui pariter ſummus Regiæ familiæ, Carolus autem eius frater ſummus quoque Regij cubiculi magiſter declaratus eſt; quibus muneribus pater fungebatur: in eos Catharinam liberalem fuiſſe putant, ne Guiſanæ cædis conſcia videretur. Metim, Virdunum, Tullum Campaniæ adminiſtrationi adiunctum iri ſperans, vti Regina illi promiſerat, Guiſanus Delphinatum adminiſtrationem reliquerat. 15

Morte Guiſani Aureliæ oppugnatio penitus refrixit: immo verò obſidio quaſi ſoluta habita eſt: Reginam Condei vxor Aurelia egreſſa tertio poſt die inuiſit, & cum magna lætitiæ & amicitiæ ſignificatione ſibi mutuo gratulatæ colloquium in Nonas Martij in Inſula quæ Boum appellatur, indixerunt: quod tamen in diem poſterum dilatum eſt; cui Regina, Condeus, Mommorencius equitum magiſter interfuerunt: & quoniam de pacis conditionibus primo congreſſu haud conuenire potuerunt, vt Condeus Aureliam iniret ſuos conſulturus, Mommorencius viciſſim ad caſtra Regia accederet permiſſum eſt factis interim induciis. Decimo autem quarto Kalend. Aprilis die à Guiſani morte tertio & viceſimo promulgatum, palámque editum fœdus eſt, quod ante quarto Idus Martias conceptum ac pactum erat: ſi fœdus dici debet, inaudita, & vt vere dicam, nimia clementis Regis erga domeſticos hoſteis Regio ſibi iure ſubiectos, & tamen rebelles indulgentia; qua nemine exauthorato, aut à magiſtratibus publicis militaribúſque muneribus, quibus antea functus erat, remoto incredibili illos liberalitate Carolus prouocauit condonata recentis coniurationis ſcelerúmque omnium impunitate, remiſſa quoque innumerabili, quam pleriſque locis interuerterant, & in priuatos vſus conuerterant, aut in militum ſuorum ſtipendium impenderant, publica fiſci, aut ſacra, hoc eſt, ſacris ædibus addicta pecunia, ſiue ea numerata fuiſſet, ſiue non numerata, & in ſacra vaſa, cæteráque donaria conflata: oblata denique vt ex ſuæ perſuaſionis legibus, præſcriptóque viuerent permiſſione, niſi aliud ipſi natu maiori videretur, aut aliter coacto vniuerſi Chriſtianiſmi totiuſve Galliæ Concilio decerneretur. Id autem edictum in hanc ſententiam conceptum eſt. 16

Carολi Regis in Caluinianos nimia clementia.

Cõiurati quibus legibus Carolo recõciliati.

1 Vt in omnibus ciuitatibus, atque oppidis quæ tum in Caluinianorum poteſtate erant (erant autem plurimæ) vno, aut duobus commodis locis, non tamen in ſacris ædibus, quæ ſacris Romanæ Eccleſiæ miniſtris eodem edicto reſtitui iubebantur, liberè coniurati quæ ad ſuæ perſuaſionis obſeruationem pertinent, procurarent, & vel audiendis concionibus, vel ſacramentis adminiſtrandis (ſic enim initiationes Chriſtianas noſtræque religionis veluti elementa nominare conſueuimus) vel cogendis conuentibus ſiue Conciliis, aliiſque id genus obeundis ſuo arbitratu operam darent.

2 In omnibus præterea regni huius regionibus à quibus ad maiores Senatus duntaxat, quæ Parlamenta appellamus prouocatio eſt (Balliagia, & Seneſchallatus vocant) vrbs aliqua

qua

Digitized by Google

qua deligeretur, in cuius ſuburbiis eamdem ſuæ perſuaſionis formam obſeruarent.

3 Vt homines nobiles, qui in ſuis feudis (vt nouis rebus noua nomina indantur, ſiue fundis) ſummam iuriſdictionem haberent, iiſdem priuilegiis eadem ſuæ perſuaſionis obeundæ libertate fruerentur: ea tamen conditione vt ſolas ſuas familias, atque eos, qui ſuæ iuriſdictioni ſubeſſent, nullos præterea admitterent. Sin in fundis ſuis nullam iuriſdictionem haberent, & Regiæ ſubeſſent, domi eadem libertate priuatim cum familia ſua vterentur. Si vero alterius iuriſdictioni parerent, id ſine eius authoritate non poſſent.

4 Hac lege ſolutus eſt ager Pariſienſis, quam præfecturam Pariſienſem vocant, in qua noui Caluinianæ perſuaſionis ritus publice exerceri hoc ipſo edicto inhibentur: ſed priuatim vt conquiſitio fiat, interdicitur, vt cuiuis ſuo arbitratu viuere plane eſſet liberum.

5 Cautum præterea eſt, vt captiui vtrimque liberi dimittantur, & externi milites è Gallia exeant.

6 Sed quod maximum fuit, & in primis admiratione dignum, quæ Condeus, Caſtilióque, quique illis ſe ſacramento obſtrinxerant eo bello patrarant, & occupandis, euertendíſque vrbibus, aut publica fiſci, ſacráque pecunia auertenda, vel cudenda moneta procurarant, Regis nomine procurata, eoſdémque atque vniuerſos, qui illis ducibus militauerant, bona fide arma ſumpſiſſe, fidámque operam ſibi nauaſſe Rex Carolus confeſſus eſt. Si quid eſt, quod addi poſſit, addant ipſi: quid enim aliud, ſi fœdus ipſi dictaſſent, addere potuiſſent? hoc ab illis duntaxat exegit Carolus, ne vlla templa, domóſve ſacrorum Romanæ Eccleſiæ miniſtrorum, aut poſſeſſiones retinerent, quibus vſumfructum integrum relinquerent: ea tamen lege ne illi pro templis, domibúſve dirutis quicquam repetere poſſent. Deinde ſumma cautione interdixit ne ſocietatem cum exteris nationibus coire, neve pecuniam in bellum cogere, aut milites in poſterum conſcribere auderent: quæ ea religione obſeruarunt, vt diſerta magis poſtea fœdera conceperint, maiorem pecuniam ſuis imperarint, milites ſemper vſque ad Caſtilionis cædem paratos habuerint.

17 Quo die ſuperius edictum pactum fuit, hoc eſt quarto Idus Martias, Caſtilio conuocato Mareſchallo Heſſo, & præcipuis Germanorum, Gallorúmque, qui ſecum erant, præfectis ſe Guiſanæ cædis conſcium fuiſſe inficiatus eſt: inficiati quoque ſunt Rupifocaldius ac Beza, & ſcripto typis mandato ſe falſo à Mereo inſimulatos prædicarunt: & anno huius ſæculi ſexageſimoſexto Molinis in ſanctiore Conſilio ſe purgare conatus eſt idem Caſtilio, Regina Regis matre eius cauſam nimis amplexante; quem tamen ſexto poſt anno eadem fide remunerata eſt. Mereus Senatus Pariſienſis decreto equis in diuerſa trahentibus in quatuor parteis diſſectus eſt: tametſi initio equi hæſerunt; quamuis ſtatura puſillus, tamen ita neruoſis & bene compactis membris erat, vt ſecuri humeros & coxas à trunco aliquantum ſeparare opus eſſet, vt equi ſuum quiſque membrum auellerent. *Merei ſeu Poltroti ſupplicium.* Guiſanum in ſe conſeruando negligentiorem nonnulli accuſarunt, & nos vix excuſare poſſumus; præſertim quod tot hoſteis haberet, tam infeſtos, tam immanes, qui omnem religionem exuiſſent, quamuis illam verbis nimis oſtentent: ſatis multi quidem illi comites erant, ſed quum ad diuerſorium appropinquaret, omnes ad vxorem, vt viri aduentum priores nuntiarent (quæ aulicorum eſt leuitas) repente accurrerunt, herúmque pene ſolum reliquerunt. Dum pecuniam Anglicam in Germanorum equitum præſertim ſtipendium Caſtilio expectat, Columberium ac Petrapontem ad oppugnandos Baiocenſes miſit, qui decimotertio Kalend. Martij impreſſionem fecerunt: repulſi tantiſper quieuerunt, donec tribus tormentis Cadomo aſportatis, muróque aliqua ex parte proſtrato Baiocenſes de deditione egerunt: decies mille argenti pondo in militum ſtipendium Caſtilio imperauit; quæ ſumma vt imminueretur, legati vltro, citróque miſſi. Iulius præfectus ſibi malè conſcius ſe ex hominum conſpectu ſubduxit: vnde Regij milites ſine præfecto perturbati, & ſibi cauentes Caluinianos quarto Nonas Martij in vrbem immiſerunt, quam ſtatim ingreſſi expilarunt: ſacros Romanæ Eccleſiæ miniſtros ſuo more, ſed & multos ex ciuibus trucidarunt. Nec mitiores in ſuos, hoc eſt, in ſuæ nationis homines, quam Turcæ, aut barbaræ nationes fuerunt: ea eſt Caluiniana ad Euangelicæ puritatis formam redacta religio, qua ſe reformatos, hoc eſt, vt illi interpretantur, in meliorem vitæ formam transmutatos, aut potius, vt pij omnes interpretari debent, omni ſcelerum colluuie deformatos gloriantur: nam in omnibus fere vrbibus, quas ceperunt, non minus crudeliter ſe geſſerunt. *Caluiniſtarũ crudelitas.*

18 Matigno Regius in Normania legatus Bullionio regulo abſente Chereburgum maritimum portum ingreſſus Bretonnerio ac Lormaio, quos fano Loio præfecerat, ſcripſit ne ex oppido exirent, niſi tantæ vires imminerent, quibus reſiſti non facilè poſſet: id ſi eueniret

niret tormentorum fiſtulis clauis obturatis puluerem ſulphureum,ac pilas in puteos coniicerent, & ſibi conſulerent: at tertio Nonas Martij leui rumore ſparſo Gallos, Anglóſque die poſtero oppidum circumſeſſuros, quod falſiſſimum erat, Chereburgum aufugerunt, de quorum fuga Caluiniani Loienſes Caſtilionem monuerunt: ille Mongomerium cum aliquot equitibus, nonnullis peditum cohortibus ſequentibus eò miſit, qui relicto ibi præſidio ad Abrincenſes tranſiit, & nemine reſiſtente à ciuibus receptus relicto quoque ibi præſidio Vireum properauit, cui Villanouanus præerat: ac quum oppidi murum Angli terebrarent cuniculóſque agerent, Vireenſibus fere omnibus ibi ad reſiſtendum occupatis quarto Idus Martias paulò ante mediam noctem Mongomerius ſuos ſcalis admotis murum conſcendere, & in vrbem inſilire iuſſit; oppidóque potitus eſt nullo crudelitatis genere, præſertim in ſacerdotes, monachos, cæteróſque ſacros miniſtros, quin etiam in ciues,matronas, puellas prætermiſſo, tenebris militarem licentiam prouocantibus. Pridie Idus ad Caſtilionem rediit; quo die Caſtilio à Condeo accerſitus pace illo inſcio confirmata Aureliam reuerſus eſt, & Mongomerium totius Normaniæ legatum reliquit. Mongomerius pontem Orſonium, & fanum Michaëlis fruſtra aggreſſus eſt: alia ex parte Moius Honfleum ceperat, & de ponticulo maris potiundo magnam ſpem conceperat: vt in inferiore Normania tres duntaxat vrbes Regi parerent,Grauilla, Chereburgum, Michaëlis fanum. Caſtilio Amyralius cum ſolo equitatu pridie Idus Martias Cadomo profectus, & Aureliam rediturus primam aciem Portiano principi dedit: ſecundam ſibi reſeruauit, & decimoquinto Kalend. Aprilis Bernaium appulit: omneis ſacros antiquæ religionis miniſtros, bonam ciuium partem trucidauit: omnia diuorũ ſimulacra,atque imagines, omnia altaria, & ſacras aras demolitus eſt: eodem die Druidenſis Comes Aquilam in Normaniæ finibus oppidum cepit; nec Caſtilione mitior fuit. Argentanum numeratis decies mille argenti pondo Comitem Lorgium Mongomerij fratrem præfectum accepit. Mortagnum populoſus pagus in ea regione, quam Perchiam vocant, vi captum bona incolarum parte trucidata: vide quam ſanctè pacem iam factam Caluiniani colant, & qua immanitate in populum innocentem ſæuiant.

Druidenſis Comitis immanitas.

Guiſij funus, & ſepultura.

Hoc ipſo die Guiſani cadauer in Carthuſianorum cœnobium, poſtridie Lutetiam in 19
ædem Mariæ primariam pompa quaſi Regali elatum eſt: inde ad Iani villam commune maiorum ſuorum ſepulcrum tranſlatum. Plerique principes virtutis ergo funus illi fecerunt: in primis autem Pius quartus Romanus Pontifex ampliſſimum, & quale maximis Chriſtianorum Regibus fieri ſolet. Decimo Kalend. Aprilis Caſtilio Amyralius Aureliam appulit: &, vt natura arrogantiſſimus erat, pacem ſe abſente factam neſcio quibus vanis rationibus adductis in ſanctiore Conſilio improbauit; quamuis Pontificiis, hoc eſt, veterem religionem profitentibus iniquiſſima fuiſſet: nihil itaque immutatum eſt. Menſe Maio promulgatum edictum eſt: quo ex ſacris bonis (quæ Eccleſiaſtica vulgo appellant) vſque ad centum nummûm aureorum millia annui cenſus, ſiue prouentus publicæ auctioni exponerentur, quibus Regis æs alienum diſſolueretur; ea tamen conditione vt antiquis poſſeſſoribus perpetua redimendi facultas relinqueretur. Quod pacis edictum recipere plerique Senatus recuſarent, Carolus altero edicto decimoquinto Kalend. Iulias promulgato iuſſit, vt maiorum ordinum Senatores ſelecti omneis regni prouincias cum ſummo imperio obirent, qui vna cum prouinciarum præfectis adhibitis etiam minoribus magiſtratibus, hoc eſt,Balliuis ac Seneſchallis, vt fœdus ſicuti initum, verbíſque conceptum erat, obſeruaretur,viderent. Senatoribus his mandatum erat,vt quoſuis vtriuſque perſuaſionis ſuis tectis, & domibus expulſos in integrum reſtituerent illis ipſis eodem iure, quo antea fruebantur, in poſterum quoque fruituros: vt omnem ſupellectilem, omneis ſuas poſſeſſiones, poſſeſſionúmque fructus amiſſos, ſiquidem extarent, reſtituendos curarent: ſin auctione ad alios tranſlati fuiſſent, pecuniam venditoribus numeratam veris dominis reddi procurarent, etiam ſi fiſco adiudicata pecunia fuiſſet; quæ pars edicti ad coniuratos maximè referebatur: nam ne ij qui Regis parteis ſequuti erant, edicti liberalitate, niſi admodum exigua,fruerentur, ſtatim mox excipiebatur. Quidquid enim in oppidorum, & vrbium, arciúmque expugnationibus ſiue illæ aperta vi, ſiue inſidiis captæ fuiſſent, vel excurſionibus,vel aliqua hoſtilis agminis ſpecie ablatum fuiſſet,id poſſeſſoribus quaſi belli iure quæſitum adiudicare iidem Senatores iubebantur, niſi finito bello, initóque iam fœdere ablatum fuiſſet. Atqui nihil de iis quæ Bernaij & Mortagni à Caſtilione, eiúſque militibus, quæ Aquilæ à Druidenſi Comite direpta ſunt, reſtitutum eſt: ac ne quidem pecunia ab Argentanenſibus recepta, & tot cædes ibi patratæ pro nihilo habitæ fuerunt: quamuis poſt pacem iam factam patratæ fuiſſent. Mandatum

præterea

Digitized by Google

præterea erat iiſdem Senatoribus, vt Caluinianos quoſque licet coniurationis ipſius apertè conuictos ſuis magiſtratibus etiam maiorum curiarum iudiciis motos in integrum reſtituerent, nulla iudiciorum eorum, quæ Areſta & placita vocant, habita ratione: vt in quibuſuis regni huius regionibus à quibus ad maiores tantum Senatus prouocatio eſt, vrbem deſignarent, niſi à Rege deſignata iam fuiſſet, in cuius ſuburbiis Caluiniani omnia, quæ ad ſuam perſuaſionem pertinent, libere exercerent, vt in ciuilium magiſtratuum mores, vitámque illi ipſi Senatores inquirerent: præſertim vero an fœderis conditionibus obſeruandis ſeſe clam, palámve oppoſuiſſent, & ſi id quidem compertum haberent, eoſdem magiſtratibus mouerent.

20 Hoc edictum iniquiſſimum, grauiſſimúmque antiquæ religionis ſtudioſis viſum eſt, quod Michaël Hoſpitalis Cancellarius Caluinianæ factioni addictiſſimus, & turbulentiſſimi illius edicti, quod Ianuarij vocarunt, author, quique primum cum Caluinianis deinceps initum fœdus dictaſſe ferebatur, non niſi familiaribus, aut alioqui ad Caluinianam itidem factionem propenſis Senatoribus id negotium mandaturus expectabatur: quod ſi non in omnibus, at certè in pleriſque, quos ad eas regiones, in quibus Caluinianis magno vſui eſſent, præſtitiſſe rei exitus comprobauit. Pacem igitur habuimus Caluinianis viliſſimam, nobis qui veterem religionem colimus iniquiſſimam, & quam non exiguæ belli reliquiæ exceperunt. Recipiendæ erant Anglis proditæ vrbes, quas quum reſtituere recuſarent, pridie Nonas Iulij bellum aduerſus Anglos Rex diplomate in vulgus edito declarauit. Angli cæteras vrbeis reliquerunt, vnum Gratiæ portum tuendum ſuſceperunt: cui pulſis omnibus Gallis Comes Varuicus cum ſex Anglorum peditum millibus præerat. Huius oppugnandi munus Briſſaco Mareſchallo rerum bellicarum experientiſſimo iniunctum eſt, qui exercitum iam paratum habebat: Anglos enim oppidum non redditurus palam erat. Gratiæ portus Franciſco Vindocinenſi Carnutenſi Vidamo duobus Senatus Rothomagenſis Areſtis, ſiue decretis adiudicatus eſt; quem Franciſcus Galliæ Rex huius nominis primus ſibi vendicabat: is in loco arenoſo & deſerto, ſed plano ad Sequanæ oſtium ſitus eſt: in eius regionis capite, quæ à Normanis Cauxum vulgo appellatur, & hinc Dieppam, ac Rothomagum verſus ſeſe explicat, vbi ſoli piſcatores in vilibus tuguriolis habitare conſueuerant. Franciſcus Rex huius maris oram peragrans, & portum opportuniſſimum eſſe animaduertens oppidum quadrangulum ibi condidit, egregiéque muniuit, & in vnoquoque angulo longum, látúmque propugnaculum extruxit, quod ima parte perforatum murum interiectum conſeruaret: niſi ad portus initium, vbi angulum facit firma turris inſtar adamantinæ cuſpidis acuminata, & vt portum tueatur, ima parte perforata, vnde catena ad Vidami turrim pertingens portum claudit. Craſſam illam turrim excipit murus è duriſſimo, quemadmodum & turris lapide terram verſus tendens, ita tamen vt circiter viginti paſſus à terra diſtet: ſecundum hunc murum fluit mare, & in muri fine curſum flectens inter duas haſce turres portum facit; ac fere per totum oppidum delabitur, quamdiu ciuibus ita videtur ibi permanſurum, alioqui ima parte exiturum: qui vt aquam in portu contineant, quum mare refluit, duas duobus locis portas habent: quibus mare in portum influit: has quum ſatis aquæ acceperunt, claudunt. Supra turrim multi lapidum cumuli videntur, quos mare ſuo impetu prope murum impingit: quibus è regione, & in tranſuerſum acti multi craſſi pali terræ infixi, ne portus fauces obturentur, obſtant. Angli pacem acceleratam, vt è continente pellerentur, certiores facti, ita enim illos Caluiniani monuerant, tormenta cum amplo inſtrumento, recentes milites, & quicquid ad tolerandam obſidionem opportunum erat ex Anglia acceperant: & multas naueis è noſtris, quæ in eius maris littoribus erant, interceperant, ne parem ſuæ claſſem noſtri inſtruerent, vnde ſibi nihil defuturum ſperabant. Briſſacus longa experientia edoctus primum obſeſſis aquæ dulcis, quæ è Vitenualle * * * deducebatur, commoditatem abſtulit, ita vt præ ſua multitudine ciſternas aquæ dulcis breui exhauſerint: terram autem ad duos, vel treis pedes fodientes nullam, niſi ſalſam, & marinam reperiebant: vnde paucis diebus peſte laborare cœperunt. Tormenta præterea in maris littore ita commodè Briſſacus collocarat, vt claſſis Anglica ad portum appellere non auderet. Tormentis præerat Streus tormentorum magiſter, at quod religione Caluinianus erat, illi Caillacus additus homo in his inſtruendis experientiſſimus.

Edictum pacis Catholicis graue, & iniquum viſum.

Quid Carolum bellū aduerſus Anglos declarare compulerit.

Gratiæ portus oppugnatus.

21 Quum de oppido potiundo Briſſacus certam ſpem concepiſſet, Reginámque quantum profeciſſet, certiorem feciſſet, Mommorencius equitum magiſter dudum ante Briſſaco infeſtus, & illius gloriæ inuidens ad exercitum acceſſit, vt alienæ induſtriæ laudem

Digitized by Google

ſibi vendicaret. Condeus quoque mox eumdem ſequutus eſt, vt operam ſuam Regi pro-
baret. Caſtilio Amyralius ne Anglis quos in Normaniam acceſſiuerat, os ſuum impu-
dens obtruderet, obſidioni intereſſe noluit. Mommorencius ad Regia caſtra appulſus ad
Vitenuallem viri cuiuſdam nobilis domum duodecimo Kalend. Auguſti diuertit:& quod
hoſtes de deditione acturos palam erat, præſidij enim pars maior peſte iam abſumpta
erat, poſtridie vt Regi portum reſtituerent per tubicinem Anglos admonuit: illi pri-
mum ſe fidam Reginæ ſuæ operam præſtaturos reſponderunt: nec multo poſt tempus,
vt amplius reſponderent, poſtularunt. Mommorencius vt aliquid feciſſe videretur, tur-
rim Quaiam tormentis verberari, & alia tormenta aliò tranſportari iuſſit: præſertim qua
palorum iam commemoratorum vallum ad mare eminebat. Angli claſſem ſuam iam
in portum recipi non poſſe animaduertentes de deditionis conditionibus iterum ege-
runt: & quod Mommorencius nimius ſuæ ambitionis oſtentator durior videbatur, ad
Briſſacum cuius induſtria ſe ad eam neceſſitatem redactos ſciebant, ſe conuerterunt: vt
eo ſequeſtro honeſtiores conditiones acciperent. Tum Mommorencius vehementer ira-
tus ſe vnum conditiones dare,aut negare poſſe teſtatus,ne ab alio quicquam ſperarent,edi-

Quibus conditionibus Gallis dedi-tus.

xit;& tandem 5.Kalen. Auguſti in hæc capita conuenerunt:Comes Varuicus portus Gra-
tiæ præfectus Mommorencio equitum magiſtro oppidum tradet, cum omnibus tormen-
tis, omni eorum inſtrumento, omni apparatu bellico: naueis item de Gallis captas, cum
omni earum apparatu, ac merces, cæteráſque res ad Regem, eiúſque populum pertinen-
teis: hoc ipſo autem momento temporis Gallos milites in portus maiorem turrim ad-
mittet, ea tamen conditione, ne in oppidum intromittantur, donec ita Mommorencius
iuſſerit: dabit & obſides quatuor, quos Mommorencius nominabit: poſtridie Anglos
omneis ex oppido egredi iubebit, vt id hora octaua matutina Mommorencio,aut iis quos
ille committet, tradat. Varuicus, eiúſque milites viciſſim quicquid ad Reginam Angliæ,
Anglóſque pertinet, ſecum aſportabunt, ſex dies à poſtero incepturi his exportandis per-
mittentur: quod ſi venti contrarij erunt, tot dies addentur, quot Mommorencio neceſſa-
rij videbuntur. Interim Anglicæ naues in portum quoties viſum erit, ad ſua exportanda
ingredientur,& exibunt: captiui vtrimque liberi dimittentur. Oliuarius Manerus Varuici
frater, Comes Rutelandus, Pellehanus,Horſæus, Letho obſides dati ſunt: tria Anglorum
millia peſte ibi abſumpta produnt: ita bellum Anglicum finitum interea dum Caſtilio,
cæterique Caluiniani prædam, quam partim è ſacris ædibus, partim è ſacerdotibus, aut
alioqui ex viris diuino cultui addictis, partim è multarum vrbium captarum ciuibus, ac
miſeris agricolis corraſerant, diuiderent: male parta, male dilapidarent, & pro ſociis An-
glis vota ſuſciperent.

Nundinæ forenſes Cabillono Lugdunū reuocantur.

Dum Gratiæ portus oppugnabatur, Regium diploma Lugdunum miſſum eſt: quo fo- 22
renſes nundinæ, quæ Lugduno à Caluinianis occupato Cabillonū tranſlatæ erant Lugdu-
num reuocatæ, & in priſtinum ſtatum reſtitutæ ſunt. Recepto Gratiæ portu Carolus Ro-
thomagum reuerſus in eius vrbis Senatu ſe maiorē natu declarauit: quod decimumquar-
tum ſuæ ætatis annum attigerat, necdum tamē omnino impleuerat,tertio Nonas Februa-
rij anno huius ſæculi nono & quadrageſimo natus. Hanc declarationem accelerari iuſſit:
Catharina eius mater, ne Condeus ad eum gradum, ad quem paulò ante Nauarrus eius
frater natu maior peruenerat, aſpiraret: quum enim Nauarrus Guiſano, Mommorenció-
que reconciliatus fuiſſet,ne regni adminiſtratione priuaretur verita,Condeum vt arma ca-
peret, incitauit: nunc ab eodem idem,quod tum à Nauarro, metuens,& quanta à Germa-
nis, Angliſque auxilia accepiſſet metiens, Condeum eius gradus, quem frater aſſequu-
tus erat, & ſummus Regis legatus in toto regno,cæteriſque prouinciis Regi obnoxiis fue-
rat, vana ſpe allexit, & Galliam in duas factiones diuiſam, ita tamen vt Pontificij, quibus
magis fidebat, viribus ſuperiores eſſent, penitus afflixit: adeo importunæ mulieris ambi-
tio Galliæ noſtræ fatalis fuit. Carolus itaque primum in eo Senatu pacem Nonis Martij
pactam confirmauit, & vt continuetur omnibus omnium totius regni vrbium ciuibus ſuo
edicto iuſſit, vt arma ponerent, eáque coram earumdem præfectis, aut prouinciarum præ-
toribus in Regiis arcibus aut palatiis intra horam viceſimamquartam ab huius edicti pro-
mulgatione numerandam deponerent: quorum catalogus à Regio ſcriba deſcriberetur,
vt ſi quando opus eſſet,& Rex ita iuſſiſſet,antiquis poſſeſſoribus redderentur. Idem ruſti-
cis pagorum, vicorúmque incolis mandauit, vt arma in viciniores Regias arceis ferrent:
ni parerent,vtriſque mortis pœna, & bonorum proſcriptione indicta;quo capite nihilomi-
nus principes, aut viros nobiles non comprehendit: qui in ſuis arcibus, & cæteris domi-
bus arma ad earum propugnationem neceſſaria retinere poſſunt. Edixit præterea ne quis
ſclopetos

Digitized by Google

ſclopetos longos, aut breues ferat, niſi cataphracti Regiarum alarum, aut leuiores equites, ſiue hippotoxotæ paludamentum ſuæ functionis, Regij item domeſtici teſſeram ſuæ permiſſionis ferentes: niſi prætoriani hippotoxotæ, & quos Regiæ domus, magiſtri equitum, Mareſchallorum præpoſitos vocant, ſeu rerum capitalium magiſtros. Milites item Regio ſtipendio affecti, vel dum ad ſua ſtatiua pergunt, vel inde redeunt, & ſuæ permiſſionis à ſuo præfecto ſubſcriptæ teſſeram gerunt. Omneis præterea armatorum conuentus quaſuis de cauſa coactos prohibuit: item ne quis cum principibus, aut populis externis vllam ſocietatem coëat: ne ad illos litteras, vel arbitrariis notis, vel aliter ſcriptas, neve vllos nuncios in his, quæ ad regni ſtatum pertinent, mittat: ne quis vllam pecuniam indicat, vt Caluiniani pleriſque locis vltimo bello indixerunt, aut indictam exoluat: ne quis vllam ſocietatem publicam, aut priuatam coëat, ne quis Regio ſtipendio affectus alterius principis ſtipendium aſſumat: ne qui principes, aut viri nobiles opulentiores præter domeſticos ſuo ſtipendio addictos vllos alios, niſi fortè alarum equeſtrium ductores è ſuis alis in comitatu habeant: præterea neminem deinceps inter ſuos domeſticos numeratum iri iuſſit, niſi prius quadriennium inter alarum equeſtrium equites ſtipendium meruiſſet.

23 Hæc ille ſanxit decimoſeptimo Kalend. Septembris, poſtridie ſe natu maiorem declarauit. Hoc edictum, ac declaratio, vt in Senatu Rothomagenſi ederetur Hoſpitalis Cancellarius Caluinianus Pariſienſi, qui veterem religionem colebat, infeſtus procurauit: vtrumque Rex ad Senatum Pariſienſem, vt ibi quoque ederetur per Lanſacum Regiæ ſocietatis equitem perferendum curauit. Senatus aliquantum diſtulit, & treis legatos ad Regem miſit, qui ſuæ dilationis cauſas explicarent. Antiquos Reges edicta maioris momenti, cæteráque quæ ad publicam totius regni rem pertinent, in Senatu Pariſienſi edere conſueuiſſe: tum quod is Senatus primum ſit inſtitutus, & cæteros dignitate antecellat: tum quod Lutetia Galliæ Regia id quaſi ſuo iure poſtulare videatur; non quod idipſum Regi liberum eſſe inficiari velint; neque tamen hanc admonitionem tanti ponderis eſſe, vt in diſceptationem venire debeat. Deinde eo edicto duas religiones, veterem ſcilicet, & Caluinianam introduci videri: nam quod de Concilio vniuerſo, aut noſtræ nationis additur, nihil ad rem facit: Caluiniani enim Concilium vniuerſum, quod Tridenti celebratur, reiiciunt: quanto magis noſtræ nationis Concilium, niſi quod illi dictabunt, ſanciat, reiicient? nullum vnquam illi, quod pertinaciæ ſuæ non cedat, Concilium admittent: quod additur, niſi aliud tua maieſtas ſtatuat, magis ad rem pertinet, ne duæ religiones introduci videantur: ſed dum Concilium vniuerſum Tridenti celebratur, & quid ibi decidetur, incertum eſt, nouas religiones quaſi approbare, aut pati noui exempli eſt, & à Chriſtianiſſimi Regis nomine alienum. Rex à Cancellario, & cæteris eiuſdem factionis incitatus reſpondit ſibi liberum eſſe, vt vbi volet ſua edicta promulget: Senatum Pariſienſem nimiam, & quaſi veteris illius Romani ſibi arrogare authoritatem: qui ſe quaſi Regis tutorem, & regni procuratorem, aut Regiæ vrbis conſeruatorem nominet: Senatum Pariſienſem, vt priuatorum lites dirimeret, priuatáque iudicia exerceret, inſtitutum fuiſſe. Contra Senatum Romanum iudicia hæc priuata aliis reliquiſſe, quæ ad Rempubl. pertinebant, duntaxat attigiſſe: quæ igitur ad regni ſtatum pertinent, Rex è ſanctioris Conſilij ſententia curabit: priuatorum lites, vt hactenus vſitatum fuit, Senatui Pariſienſi dirimendas & iudicandas relinquet: at in poſterum de Regiis edictis ne diſceptent, nec quæ ſupra gradum ſuum ſunt, amplecti audeant. Miſit & alteram legationem Senatus, cui idem reſponſum ſanctioris Conſilij placito confirmatum redditum eſt, mandatúmque vt duo priora edicta, & hoc ſanctioris Conſilij publicè ederet, & in acta, vti mos eſt, referret. Septembri menſe Pius IV. Pontifex Maximus diploma Romæ promulgauit: quo Ioannam Alebretam Reginam Nauarræ tanquam de religione malè ſentientem, & hæreticam, vt vulgo loquuntur, damnauit, & reliquias regni ſui quas adhuc poſſidebat primum occupanti adiudicauit. Idem decreuerat aduerſus Ioannem huius Ioannæ paternum auum Iulius Secundus, & huius regni inuadendi Ferdinando Tarraconenſi, Hiſpaniæque Regi occaſionem dederat, vt alio loco explicauimus. Huic Pontificio decreto ſeſe oppoſuit Rex Carolus, & hoc nomine legatos ad Pium Pontificem miſit, qui nihil præterea, niſi quod eidem Reginæ ſacris Chriſtianis interdixit, molitus eſt.

Carolus maior natu declaratus.

Ioanna Alebreta Regina Nauarræ communione ſanctiorũ ejecta.

24 Carolo è Normania Lutetiam reuerſo Guiſana familia, præſertim Renata Aeſtina Ferrarienſis reguli filia Guiſani vidua de viri morte queſta eſt; & vt in cædis authores lege ageretur, ſupplex petiit. Caſtilio & Caluiniani cædis conſcij in armis

Digitized by Google

erant; in armis erat & Guiſana familia, vnde Pariſienſes quibus arma ablata erant, plurimum ſibi timebant: Rex ne quis tumultus excitaretur à matre, & Cancellario Guiſanis infeſto perſuaſus rem in aliud tempus diſtulit, vt ſuo loco ediſſeremus. Tum quoque Lutetiæ promulgatum edictum eſt, quo quinque Pariſienſes ciues in Gallia nati, & Regiæ vrbis incolæ ſelecti ſunt, quorum primus mercatorum iudex, ſiue præpoſitus, cæteri quatuor conſules dicti ſunt. Horum magiſtratus annuus duntaxat eſt, & triduo ante anni finem ciues ſexaginta deliguntur, qui ex ſeipſis triginta deſignant, qui quinque ſuperiorum ſucceſſores nominant: hi ſe bona fide ſuo magiſtratu functuros apud eos quibus ſuccedunt, ſacramento obligant. His omnium litium, & controuerſiarum propter mercaturas, nec alia de cauſa initarum cognitio attributa eſt, ſiue illæ ex obligationibus inter mercatores, aut vnum, vel plures ex mercatoribus cum aliis, etiam cum iis qui certis priuilegiis, aut alia de cauſa huiuſmodi iuriſdictioni parere non tenentur, coram ſcribis Regiis factis, ſiue ex ſchedulis, aut ſponſionibus, aut prædibus datis, aut ex aliis cautionibus inter mercatores vſitatis prodeant, qua in re nemini ſua priuilegia prodeſſe poſſunt, quin mercaturarum factarum reſpectu (vt loquuntur) & contemplatione huic iuriſdictioni ſubeſſe, & parare cogatur: coram quibus iudicibus actores aut rei, vt hoc nomine omnes eos, qui defenſores appellantur, complectar, ipſi agere, aut reſpondere nullis cauſidicis, aut procuratoribus adhibitis, nullis ſcriptis præter ipſas obligationes & ſchedulas, hinc inde prolatis iubentur, vt prouocationum dilationes, & multiplices ambages tollantur, quæ expeditiſſima via ad lites breui finiendas viſa eſt, quibus ſupra omneis nationes ſiue Chriſtianas, ſiue non Chriſtianas Gallia noſtra vexatur. Supra commemorata iudicandi ratio commodiſſima viſa eſt, idcircóque ad multas alias præfecturas, prouinciáſque tranſlata, vt hodie quoque obſeruatur.

Mercatorum præpoſitus quādo creari cœptus; eius munus quodnam ſit.

Quædam præterea alia edicta promulgata ſunt, quæ quoniam noſtro more ſæpe reſcinduntur, aut quadam obliuione prætermittuntur, hic inſerenda non putaui. Charrius, Sarlabus, Richelius in portus Gratiæ obſidione caſtrorum magiſtri erant: Sarlabum portus Gratiæ deditι præfectum Rex eſſe voluit: Richelius eo magiſtratu ſe abdicauit: Remola, ac Sarlabus minor in eorum locum ſuffecti ſunt: Charrium cum ſuis cohortibus ad quinquaginta milites redactis ad ſui cuſtodiam Carolus reſeruauit: hunc quod Druidenſi prælio Guiſano magno vſui fuerat, octingentorum ſclopetariorum quos perditos vocant, præfectus in primis Andelotus oderat: tum quod eumdem, Briſſacum Mareſchalli filium, ac Strozam ab Andeloti, qui ſe Gallorum omnium peditum tribunum eſſe iactabat, imperio Carolus exemerat, quem ſibi ſemper, & vbique adeſſe, nec amplius Andeloto parere vellet. Ea de cauſa indignatus Andelotus Mouentium, Chaſtellierum, Briquemaldum Caluinianos, vt hominem conficerent, incitauit. Bello Tranſalpino Chaſtellieri propinquum duello Regij legati permiſſione ſuſcepto Charrius trucidarat: quapropter nullam vlciſcendæ huiuſmodi cædis occaſionem Chaſtellierus habebat: Charrium tamen ex vrbe ad Luparam arcem redeuntem duobus duntaxat comitibus ſe quentibus in ponte Michaëlis Chaſtellierus, Mouentius, Briquemaldus cum multis aliis aggreſſi, ſociόſque eius peremerunt: deinde ad Germani ſuburbium elapſi, & paratos equos conſcendentes ſe ex hominum conſpectu ſubduxerunt. Mortuorum cadauera poſtridie, hoc eſt, pridie Kalendas in Pontificia Mariæ æde condita ſunt multis Regiæ ſocietatis equitibus, aliiſque proceribus, & ciuibus Pariſienſibus funus proſequentibus, vbi de mortuorum laudibus, & homicidarum tetro facinore funebris oratio habita eſt: præterea in cædis authores licet abſenteis lis inſtituta eſt; iidémque vt læſæ Majeſtatis rei damnati ſunt, quòd prætorianorum peditum præfectum in vrbe Regia, & quaſi in ipſo Regio prætorio trucidaſſent: Regina tamen vel Caluinianos metuens, vel erga illos diſſimulans vltionem vltra perſequuta non eſt, quamuis magna Regi facta iniuria fuiſſet. Eodem die, hoc eſt, pridie Kal. Ianuarij fato functus eſt Carolus Coſſæus Briſſacus Mareſchallus gloria militari clariſſimus, qui Regius in Gallia Tranſalpina legatus prouinciam ſuam à Caroli Quinti Imperatoris potentiſſimi copiis ſibi ſemper imminentibus non ſolum conſeruauit, verum etiam auxit multis rebus fortiter & feliciter geſtis. 25

Anno 1564.

Sexageſimiquarti huius ſæculi anni initio Pius IV. Pontifex Maximus, Ferdinandus Imperator, Maximilianus Romanorum, Philippus Hiſpaniæ Rex, Philibertus Sabaudiæ regulus de communi conſenſu legatos ad Regem Carolum miſerunt veriti ne propter infirmam eius ætatem ad nouam Caluinianorum perſuaſionem, qua bona Galliæ pars infecta erat, ſectarum omnium deterrimam deficeret, & late patentem Reipubl. 26

Digitized by Google

Chriſtianæ perturbationem multum ſua defectione augeret: maior enim Germaniæ pars, immò verò fere tota Germania Lutherianam, quæ poſtea Auguſtana dicta eſt, ſequitur: niſi quæ Gallis & Heluetiis vicinior eſt: quemadmodum Argentinenſes, & quædam Palatini ſeptemuiri prouinciæ, quibus Anglia, & pleræque ex Flandricis acceſſerunt: atque ex noſtris hominibus (Gallis inquam) quotquot à vetere perſuaſione, ſiue religione defecerunt, hi omnes Caluinianam profitentur. Caluinianam voco, quam Ioannes Caluinus libris ſuis, tam Latinis quam vulgari ſermone ſcriptis admodum propagauit, cuius Oecolampadius ac Zuinglius à Martino Luthero præceptore ſuo diſſentientes authores fuerunt: quibus ſucceſſit Bucerus omnium huius ſectæ profeſſorum eruditiſſimus, à quo ſua dogmata fere omnia Caluinus ſumpſit, nec multum de ſuo, niſi verba addidit. Igitur horum principum legati Februario ineunte ad Regiam fontis Belaudi ſiue bellæ aquæ domum vbi Rex tum erat, appulerunt, ac mandata ſua exponentes primum, vt Concilij Tridentini nuper finiti decreta in toto ſuo regno, cæteriſque ſuis prouinciis obſeruentur, inſtiterunt: tum ne quid de ſacris bonis quod propter teneram ſuam ætatem permiſit, deinceps venum eat: neque verò Philippum Hiſpaniæ Regem, neque Philibertum Sabaudiæ regulum pecuniam ſuis vxoribus ab Henrico eius patre in dotem promiſſam ſibi inde exolui paſſuros; ne veluti aurum Tholoſanum ſuis poſſeſſoribus, ſibi exitio ſit. Tertio, vt ſeditioſos qui exteras nationes Gallis infeſtiſſimas in patriam ſuam immiſerunt, puniat. Quarto, nec in Regis, nec in cuiuſquam alterius principis poteſtate fuiſſe, vt crimen diuinæ læſæ Majeſtatis remittat; quod poſtremæ pacificationis tractatu remiſſum eſt, ne Dei ipſius munus vſurpare videatur, qui vnus ſuæ Majeſtatis læſæ vindex, & moderator eſſe debet. Poſtremo, vt ius ſuum vnicuique reddat (id enim primum Regis officium eſt) nec Guiſani legati ſui de Republ. Chriſtiana tantopere meriti inultam mortem eſſe patiatur: ex actis eius iudicij quo ſicarius Mereus damnatus eſt, & aliis argumentis cædis authores ſatis noſci: niſi in tanto crimine pœnas dent, magnum ſceleratis ad impia facinora audenda exemplum relinquetur; in quibus omnibus principum ſuorum nomine omnem opem operámque polliciti ſunt. Rex ſummis illis principibus ipſum de officio ſuo, ac regni procuratione prudenter admonentibus ingenteis gratias egit: vt Galli, cæteríque ſuarum ditionum populi in vetere religione perſeuerent, nec vllam aliam admittant, ſuum ſcopum eſſe declarauit: pacem qualem qualem potuit, iniſſe, vt externi milites è Gallia pellerentur, cuperè vt ſuum ius cuique reddatur, idque, & religionis cauſam ſedulò curaturum, precari vt amplius reſponſum expectent, quod ad illos ſcripto mandatum breui miſſurus eſt, vbi vnumquodque caput cum Regiæ ſtirpis, cæteríſque ſanctioris Conſilij proceribus communicarit.

27 Catharina Regis mater trium ordinum decreto regni adminiſtrationem aſſequuta Nauarro, Guiſanóque vita functis, Condeum, ac Caſtilionem coniurationis recentis duces, quos ad bellum incitarat, timere cœpit, & pacem cum Elizabetha Angliæ Regina per legatos procurauit, quæ Trecis tertio Idus Aprilis proclamata eſt: & alteros legatos ad Philippum Hiſpaniæ Regem miſit, vt Elizabetham vxorem ad Hiſpaniæ fines accedere permitteret, quam ipſa, ac Rex filius mirandum in modum inuiſere cuperét: vtriuſque, Hiſpani (inquam) atque Anglæ amicitiam, quorum regna & prouinciæ Galliam fere vndique circumſtant, ambiebat: tum Regem, vt totum regnum peragraret, hortata eſt prouinciarum omnium proceres, quinetiã populum ſibi conciliaturus, qui Regis præſertim noui præſentia plurimum gaudere ſolet, & ſeditiones, ſi quæ adhuc ſupererant ſedaturus. Primum igitur declinante Martio Senonũ metropolim, deinde Trecas, inde Barrum adiit, vbi Caroli Lotharingi reguli & Claudiæ ſororis filium è tinctionis lauacro ritu Chriſtiano ſuſcepit: cui Henrici patris nomen indidit: ſuſceptores pueri ipſe, ac Philippus Hiſpaniæ Rex per Mansfeldium Comitem legatum, ac Chriſtierna infantis auia fuerunt. Hoc fere tempore Catharina Regina antiquum Turricularum palatium è regione Baſtiliæ in vico Antoniano Lutetiæ ſitum, vbi Henricus II. vir eius mortem obierat, demolita, laterarium in Honorati ſuburbio inchoauit, & mox ingenti ſumptu nihil extraordinariis in bella impenſis, quibus diſſoluendis etiam ſacrorum bonorum pars publicæ auctioni addicta eſt, nihil intolerandis plebis hiſce bellis exinanitæ tributis commota perfecit. Rex Barro profectus per Burgundiam, vbi trium ordinum ſupplices libellos audiuit: quibus bonam ſpem reliquit, re nihil præſtitit, Lugdunum petiit: quum Regem dico, matrem eius, quæ omnia regni negotia procurabat, intelligo, nam ſuapte natura perhumanus erat: cui mater imperij auida ſuppoſitis, qui illum à negotiis audiendis, tractandiſque auocarent, & ad delicias

Digitized by Google

quibus illa ætas capitur, impellerent, plurimum nocuit: venationibus autem in primis capiebatur & ludicris exercitiis: muliebribus illecebris non ita deditus erat. Lugduni arcem ne vrbs iterum à ſeditioſis occuparetur, exædificari iuſſit; nec inde, donec ea iam defendi poſſet, egreſſus eſt: nonnullarum etiam vrbium munitiones diruit, vt Aureliæ & Montalbani, quæ ſe coniuratis vltro dedidiſſe ferebantur: aliis arceis quas citadellas vocant, addidit. Dum Lugduni Rex commoratur grauis ſeditio in agro Antiſſiodorenſi Crepanti exarſit. Caluiniani de edicto ſecuri, aut potius edicto apertè repugnantes armati ſuos conuentus faciebant: id Pontificiis primum ſuſpectum fuit: cœpere deinde iurgia, & ex iurgiis conflictus; multi vtrimque vulnerati, nonnulli cæſi fuerunt: graues querimoniæ ab vtriſque ad Regem perlatæ. Rex qui de ſeditionis cauſis inquirerent, miſit: res ſine belli renouatione compoſita & pacis edictum renouatum eſt: additúmque ne in Regio comitatu, aut in vrbibus in quibus ſuos ritus exercere Caluinianis permiſſum erat, tantiſper dum Rex ibi eſſet, iidem ritus exercerentur: ſed ſola, quam Rex profitebatur, religio locum haberet.

Lugduni arx cur exædificari iuſſa.

28 Dum hæc in Gallia geruntur, Maria Stuarda Scotiæ Regina forma pulcherrima Henrico Stuardo Arleio Comiti Matthæi Comitis Lenoſij filio nupſit adoleſcenti omnibus animi, & corporis dotibus præſtantiſſimo, ſibíque & Reginæ Angliæ propinquo annos circiter duos & viginti nato: ipſa eiuſdem propemodum ætatis, vt in toto orbe Chriſtiano vix aliud coniugum par excellentius reperiri poſſe videretur: ex quo coniugio Iacobus ſextus Scotiæ Rex natus eſt: poſt quem natum mutui illius amoris ardor quodam modo refrixit: Regina enim virum non ita colere, vt antea, in regni adminiſtratione ſibi fere omnia vendicare. Rex contra * * Comitis vxore familiarius vti cœpit, vnde multos inimicos ſibi comparauit. Itaque quarto Idus Februarij anno huius ſæculi ſexageſimoſeptimo Edumburgi domus in qua Rex dormiebat, vnde Regina ſub veſperam exierat, pulueris tormentarij vi ſub domus fundamentis conditi, & circa mediam noctem accenſi in cœlum ſublata eſt ruinis circumcirca disiectis: Rex in vicino horto ſemianimis repertus tunicæ interioris inuolucris ſtrangulatus traditur. Rex Carolus Lugduno egreſſus Ruſſillonem Turnonij vrbem, & Comitatum adiit, ibíque pacis edictum renouauit, quo Pontificiis, Caluinianíſque interdixit, ne ſe inuicem in ſuæ perſuaſionis ritibus obeundis impedirent: Caluinianis priuatim ne cruces, diuorum ſimulacra, atque imagines confringerent: ne ſacra vaſa, cæterámque ſupellectilem ſacris ædibus attributam inuaderent pœna capitis indicta; quibus loci commodi in prouinciis edicto deſignatis concederentur, in quibus quæ ad ſuam perſuaſionem pertinent, exercerent: viris nobilibus qui ſummam in ſuis fundis iuriſdictionem habent, vetuit, ne in ſuis arcibus, aut domibus aliis, quam quæ edicto continentur, nouam hanc perſuaſionem exercere permittant: Caluinianos miniſtros, qui alibi, quàm in locis edicto declaratis perſuaſionem ſuam exercuerunt, primum exilio, in idem crimen recidenteis morte mulctari iuſſit. Item vt ſacerdotes, monachi, ſiue monachæ (vt vocantur) qui virginitatem profeſſi neglectis ſuis votis matrimonia contraxerunt, relictis vxoribus, aut maritis ad cœnobia ſua redire, aut è Gallia migrare cogantur: ne Caluiniani conuentus publicos agant, quorum ſpecie multis vt à Regis obſeruantia, obſequióque deficerent, perſuaſerunt.

Maria Stuarda Scotiæ Regina Henrico Stuardo in matrimonium tradita.

Aurelianenſis edicti interpretatio.

29 Hæc erat Aurelianenſis edicti, ſiue recentis pacis veluti quædam interpretatio, quam Caluiniani ægerrimè tulerunt: præſertim quod ad conuentus publicos, & Montalbani demolitionem attinet: quod tamen oppidum ita dirutum eſt, vt facilè munitius reddi poſſet, nonnullis ad Caluinianos inclinantibus: & Catharina Regina vt maiorem vndique pecuniam corraderet, aliquas ſemper belli reliquias relinquere volebat. Multæ interim querimoniæ Andegauenſium, Turonum, Cenomanorum ad Regem perlatæ: Chaumius Mompenſerij earum prouinciarum prætoris legatus antiquæ religionis egregius propugnator, & vir ſummè probus illis durior videbatur: augebat querimonias * * Rambulletus Cenomanus Epiſcopus homo ingenij turbidi, qui ducis militaris potius, quàm Epiſcopi munus agere videbatur, quum neutrum ſatis dignè fortaſſe præſtaret, quamquam erga antiquam religionem bene affectus: à qua Arelatenſis Pontifex eius propinquus, & nonnulli ex eius fratribus ad Caluinianos defecerant. Rex Epeltam, quem Mareſchallum à veteri villa vocabant, ad compeſcendos eos tumultus miſit: miſit & ad Maximilianum ſecundum Imperatorem legatos filiam eius Elizabetham in vxorem poſtulaturos: nam Ferdinandus eius pater ſexagenarius Viennæ octauo Kalendas Auguſti è vita exceſſerat: de quo matrimonio alio loco agemus. Eodem menſe Auguſto ingens terræ motus Niceam Phocenſis prouinciæ vrbem ita concuſſit, vt quartam eius partem,

Ingẽs terræ motus in prouincia Phocenſi.

Digitized by Google

partem, & quatuor vicinos pagos hauſerit: venti in terræ penetralibus incluſi, quum erumpunt, huiuſmodi calamitates inuehere ſolent, quibus regiones maritimæ præſertim obnoxiæ ſunt. Pleríque etiam in Aquitania præſertim in Petracoriis tumultus exorti, quod omneis & ſacras maximè poſſeſſiones rapere Caluiniani ſuo more conabantur. Hinc Federicus Fuxius Candalus Comes, Marchio Tranſius, Lanſunus, Burdegalenſis Archiepiſcopus Sanſaci frater, aliquótque alij Buriæ legati Regij permiſſione arma ſumpſerunt, & Monlucium, ac Scarſium rogarunt, vt à Rege impetrarent, vti Buriæ permiſſionem ratam haberet, & ſua authoritate confirmaret: vnde ſocietates vtrimque initæ fuerunt. Et contrarias querimonias Caluiniani obtulerunt, quæ partim reconciliatæ, partim reiectæ ſunt interim dum Valentiæ Delfinatium Rex commoratus eſt. Vnde Maſſiliam celebrem Phocenſium coloniam petiit: ad quam Romani tempore Imperatorum nobiles adoleſcentes bonis diſciplinis erudiendos, vt quondam Athenas, mittere ſolebant. Iam madida pluuiis hyems inſtabat, quum Rex Galliam Narbonenſem ingreſſus eſt, qua mox tempeſtatibus, gelu, niuibus poſt hominum memoriam nulla aſperior fuit: fluuij duos integros menſes glacie concreti curribus & quadrigis quantumcunque onuſtis peruij fuerunt: qua liquefacta ponteis, molendina, cæteráſque obiectas moles perruperunt. vites naturali calore abſumpto effœtæ ſteriles aliquot poſt annis fuerunt, vnde magna vini caritas conſequuta eſt: in quodam Metenſis agri ſtagno non procul ab vrbe glacies quinque pedum altitudine reperta eſt; in eodem agro, qui frigidiſſimus eſt, multis viatoribus aures, aliis nares gelu peruſtæ deciderunt.

Maſſilia Romanorũ adoleſcentum Athenæum.

Sub finem Decembris Rex montem Peſſulanum, quam olim Agathopolim dictam putant, inde Narbonem Romanorum hiſtoriis celebrem contendit, vbi anni ſequentis initium fecit. pridie Idus Ianuarij Carcaſſonem appulit, & ad ciuitatem loco excelſiore ſitam diuertit, poſtridie vrbem ingreſſurus: at denſæ, & inuſitatæ niues tempeſtatibus mixtæ omnem apparatum ad Regem excipiendum inſtructum euerterunt, Regémque ipſum velut obſeſſum vſque ad vndecimum Kal. Februarij in ciuitate retinuerunt. In veteribus huius vrbis monumentis vulgari lingua ſcriptis memoriæ proditum eſt, Mariam Andegauenſem Reginam Caroli Gallorum Regis huius nominis ſeptimi vxorem in eadem vrbe treis menſes niuibus, quæ ad ſex pedum altitudinem excreuerant anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo obſeſſam fuiſſe: quam mox Ludouicus Delfinus, qui poſtea Galliæ Rex huius nominis vndecimus dictus eſt, ad patrem Regem Montalbanum deduxerit. Dum in Narbonenſi Gallia Rex commoratur Carolus Cardinalis Lotharingus è Tridentino Concilio reuerſus ad Dionyſij fanum, ſiue Dionyſiopolim, cuius cœnobij adminiſtrator erat, multis viris nobilibus præſertim Henrico, ac Carolo Guiſani filiis comitatus acceſſit: quem etiam circiter decem & octo milites, quos à Franciſci Secundi huius nominis Galliæ Regis morte ad ſui cuſtodiam ſelegerat, ſclopetos longos, aut breues geſtantes ſequebantur. Franciſcus Mommorencius Mareſchallus equitum magiſtri filius Inſulæ Franciciæ, in qua Lutetia ſita eſt, Prætor à Caſtilione Amyralio ſubornatus delendæ Guiſanæ familiæ occaſionem inde captauit, & multos in armis habuit obſeruans an aliqui ex eius comitatu, quum Lutetiam iniret, ſclopetos aduerſus Regium edictum non dudum ante promulgatum geſtarent. hi autem perpauci, vt dixi, erant. Itaque Lutetiæ appropinquanteis aggredi deſtinauit: ſed Cardinalis maturius, quam putarat, vrbem iniit, quam iam ingreſſus erat, quum Mommorencius illi cum magno armatorum equitum agmine obuiam procederet: de cuius aduentu Cardinalis certior factus ſe in domum cuiuſdam ciuis Pariſienſis vicinam recepit, ad quam quum Mommorenciani appropinquarent, egregiè à Cardinalis ſclopetariis repulſi ſunt. At quum ingens in vrbe tumultus oriretur, Mommorencius nulla alia præterea re tentata domum rediit. Cardinalis tumultu ſedato ad Cluniacenſe palatium diuertit, & Regem de iniuria ſibi facta certiorem reddidit. Miſit quoque ad Regem Mommorencius, & tumultus huius cauſam in Cardinalem contulit: Rex in ſuum è Narbonenſi Gallia reditum eam controuerſiam reiecit. coëgerat armatorum equitum agmen Aumalius Cardinali fratri factam iniuriam vlturus. Caſtilio Amyralius Lutetiam multis ſuæ factionis comitatus acceſſerat, & belli renouandi occaſionem quærebat. Rex diploma Lutetiam miſit, quo alios vrbem ingredi prohibuit, alios inde exire iuſſit: neutros donec Lutetiam rediiſſet, ad vrbem appropinquare vetuit. Cui vtraque factio paruit: Cardinalis Lotharingus in Campaniam abiit. Mommorencium ineptam tumultus occaſionem aucupantem non ſolum cæteri principes, verum etiam ipſe Condeus plurimum damnauit, & ea de re ad Mommorencium ſcripſit: falſum eſt quod quidam Mommorencium

Anno 1565.

Contentio inter Cardinalem Guiſium & Mommorencium.

Aumalius iniuriã Guiſio fratri illatam vlciſci cogitat.

Cardinali ne cum comitibus ſclopetariis Lutetiam iniret, ſignificaſſe ſcripſerunt, & decem & octo, nec plures habebat: falſum item quod Portianum Cardinali iniuriam feciſſe addiderunt: nam antequam ad ipſum Mommorenciani perueniſſent, ſe in oblatam domum, ne tumultui occaſionem daret, Cardinalis recepit: quam Mommorenciani aggredi auſi non ſunt. Si extra vrbem, vt conſtituerat, Cardinalem Mommorencius offendiſſet, haud dubium, vt rumor fuit, quin Cardinalem cum nepotibus trucidaſſet.

Quanquam autem ſuperiore anno & hoc quieſcere coniurati videri potuerunt, tamen 31
huc illuc conſilia verſando, & de patria funditus euertenda ſatagendo ſeminaria earum quæ poſtea conſequutæ ſunt, ſeditionum, bellorúmque iecerunt, miſſis pleriſque ſuis emiſſariis, miniſtris inquam Caluinianis, qui Flandriam totam ad rebellionem impellerent, & Metenſem agrum cuius vſumfructum, adminiſtrationémque in Metenſis Epiſcopatus ceſſione Carolus Cardinalis Lotharingus ſibi exceperat, perturbarent, occupatis oppidis atque arcibus, aut illis, qui iiſdem præerant, ad defectionem ſollicitatis. Cuius defectionis author fuit Salcedus ab Auzantio Metenſium præfecto ſubornatus, quem Cardinalis Lotharingus tumultuario exercitu collecto ſtatim inde expulit: meminerant enim coniurati bello ſuperiore Philippum Hiſpaniarum Regem religionis, atque affinitatis haudquaquam oblitum opportuna ad Carolum Regem miſiſſe auxilia, & Guiſanam familiam egregiam antiquæ religionis propugnatricem ſibi in primis infeſtam fuiſſe cognorant: itaque vtroſque delere, ſi fieri poſſet, aut ſaltem vndique perturbare ſtatuerunt. Tholoſæ (is ſecundus Galliæ Senatus eſt Iureconſultorum multorum eruditione, atque integritate celebertimus) quam Gerumna alluit, & Narbonenſem prouinciam ab Aquitania ſeparat, multas multorum querimonias Carolus audiuit: accuſatus fuerat apud Regem Monlucius partis Aquitaniæ præfectus: verum vbi coram Rege comparuit nullus accuſator repertus eſt, virtutem calumniari perfacile eſt, præſentem conuincere difficillimum. Nulli fere cum Rege Caluiniani erant, quem quod ſororem Hiſpaniæ Reginam inuiſurus eſſet, neſcio quid aduerſum ſe machinari ſuſpicabantur: idcirco Flandros, vt dixi, ad rebellionem vehementer incitabant. Cuius illi initium facientes Philippo Regi ſupplicem libellum obtulerunt, vt Inquiſitionem Hiſpanicam à Carolo patre introductam reuocaret, & præſidia Hiſpanica è Flandria educeret, vt antiquæ libertati reſtituti fidam ipſi non ſecus ac Carolo patri, & Philippo auo operam fidémque præſtarent. Libelli authores erant princeps Arauſius ac Comes Ecmundanus, qui ad Philippum regem perlatus effecit, vt Margaritam Caroli patris filiam notham Octauij Farneſij Parmenſis reguli vxorem viduam nullis Hiſpanis comitatam in Flandriam mitteret, eam prouinciam, vt ante Maria Hungariæ Regina, procuraturam. Inter eius conſiliarios principem locum tenebat Antonius Cardinalis Granuellanus, Caroli Quinti Imperatoris olim Cancellarius, Arauſio Caluiniano, aliiſque aliquot Flandriæ proceribus eiuſdem perſuaſionis inuiſus: aduerſus quem Arauſius, Ludouicus eius frater, Brederodius, & nonnulli alij Caluiniani, Ecmundanus item, tametſi veterem religionem profitebatur, ſocietatem coierunt: atque ita hominem perturbarunt, vt è Flandria ſecedere cogeretur. Poſt cuius diſceſſum Bruxellis in Calamburgi Comitis domo coëuntes, vt ſibi libera religionis profeſſio, quemadmodum in Germania, permitteretur à Philippo Hiſpaniæ Rege ſupplici libello poſtulare decreuerunt, quorum omnium Margarita Auſtriaca Philippum certiorem reddidit. Ille Tridentinum Concilium publicè in Flandria proclamari, & Inquiſitionis leges à Carolo patre latas renouari iuſſit: vnde tumultus primum Antuerpiæ, deinde in multis aliis vrbibus exoriri cœpit: præſertim propter Hiſpanicæ Inquiſitionis ſeueritatem, quam nullo modo ferendam iudicabant: propter quam tot tumultus & in Mediolanenſi principatu, & in regno Neapolitano antea excitati erant. Hinc Germanorum, quos Proteſtanteis appellant, Caluinianorum Gallorum exemplo auxilium implorarunt; qui licet Auguſtanæ confeſſionis profeſſores apud Ferdinandum Imperatorem grauiter de Philippo Hiſpaniæ Rege queſti ſunt, & ſe Flandris non defuturos à noſtris hominibus perſuaſi iactarunt: quanquam hi non eamdem, ſed Caluinianam perſuaſionem ſequebantur.

Libelli ſupplices Philippo Regi à Flandris oblati rebellionem concitarunt.

Flandrici belli quod huc vſque continuatur initia.

Hæc Flandrici belli, quod poſtea conſequutum eſt, initia fuerunt. Carolus quinto 32
Idus Aprilis Burdegalam ingreſſus ſolenni pompa exceptus eſt: quam ſigillatim explicare, quod vaniſſimæ hæ impenſæ ſunt, & ſolis Gallis, Italiſque vſitatæ, ſuperuacaneum putaui, nec harum prodigalitatum exemplum relinquendum poſteris videtur. Burdegala profectus Carolus Baionam contendit, vbi ipſe ac ſoror Elizabetha Hiſpaniæ Regina ſeſe mutuo inuiſere debebant. Elizabethæ obuiam proceſſit Henricus Regis frater Aurelianenſis

Digitized by Google

nenſis regulus, & quinto Idus Iunij ad fanum Ioannis Luſij, ſiue Lucenſis appulit: deinde Ironem primum Hiſpaniæ Tarraconenſis oppidum ad Marquerium fluuium ſitum, qui Galliæ, Hiſpaniæque regna ſeparans ad fontem Rapidum in mare deuoluitur, proceſſit, & paulò vltra iter perſequens Reginæ ſorori occurrit, qui ſimul ad fanum Sebaſtiani perrexerunt, vbi Albanus regulus Reginam aſſequutus eſt. Rex ipſe ad Marquerium vſque progreſſus Reginam ſororem excepit: de ſuperbo vtriuſque comitatu dicere nihil attinet, & libellus circumfertur ea de re vulgari ſermone ſcriptus, qui noſtrorum hominum vanitatem potius, quam aliud quicquam memoria dignum repræſentare poteſt: nam poſt tot bella exinaniti tam prodigi fuerunt vt nihil ſibi reliqui facturi viderentur. Hiſpani numero longe pauciores, & modeſtiores, inter quos nonnulli Regij Conſiliarij cum Albano affuerunt, qui quod ſatis diu Rex cum ſorore fuit, ſuſpicionem Condeo, Caſtilionique abſentibus mouerunt, quaſi neſcio quid aduerſus ipſos molirentur: & occultam inter Pium Romanum Pontificem, & Galliæ, Hiſpaniæque Reges, ac Sabaudiæ regulum ſocietatem Caluiniani eſſe interpretabantur: vnde frequentes in Angliam, Germaniam, Flandriam nuntios mittebant. Hic conuentus ſumptus ingentis cauſa fuit: nec quicquam niſi vt bellum magis acceleraretur, profecit.

Caroli Regis ac ſororis Elizabethæ Hiſpaniæ Reginæ ad Baionam conuentus.

33 Interim Solymanus Turcarum Imperator non vanis iſtis ſpectaculis, choreis, ludieris equitum decurſionibus operam dedit: magnam ducentarum, & quadraginta nauium claſſem in Melitam inſulam miſit, qua triginta tria, aut quatuor ſelectorum ex omnibus ſuis copiis bellatorum millia tranſportata produntur, vt claſſiarij caſtrenſeſque operæ in hunc numerum non includantur. Claſſi præerat Dragutus Raiſius Amyralius pirata famoſiſſimus Algerij regno donatus: ſummum imperium Muſtapha Phialis Baſſa habebat: Solbejus tormentorum magiſter erat. Hi menſe Maio Melitam appulerunt, & duo ac triginta maiora tormenta in terram exponentes Elmi propugnaculum, Leonis Strozæ Capuani primatis induſtria munitum acriter verberarunt, quo proſtrato cæteris ſe facilè potituros ſperabant: decimo ſexto Kal. Iulij facta vehemens impreſſio eſt, quam niſi Pariſotus ſummus Melitenſium equitum magiſter opportuna auxilia miſiſſet, vix noſtri noſtri tolerare potuiſſent: ibi Dragutus Amyralius ictu lapidis in caput ictus cæſus eſt, cuius cadauer Tripolim Africæ deportatum eſt. Turcæ quanquam eius morte perturbati tamen acerrimam nono eaſdem Kalendas impreſſionem fecerunt, qua in ſex horas, & paulò amplius continuata noſtri multitudine oppreſſi victoribus cedere coacti ſunt, qui nemini parcentes & ſemimortuis inſultantes omne crudelitatis genus in victos exercuerunt. Muſtapha Baſſa Melitenſibus equitibus etiam mortuis capita amputari, & cadauera ſuis veſtibus induta crucibus albis interſtinctis in mare præcipitari iuſſit, quæ in portum Melitenſem delata ſepulturæ mandata ſunt. Præſidio Ianizarorum huic propugnaculo impoſito ad Michaëlis Burgique, qui ſummi Melitenſium equitum magiſtri receptus erat, propugnacula tranſierunt, vbi excelſas terræ moles erexerunt, & cuniculis, tormentiſque eo vſque vtrumque oppugnarunt, donec via ad faciendam impreſſionem ſatis æqua videretur, quam tum terra, marique vehementiſſimam inſtruxerunt, qua bis mille Turcæ, ex noſtris ducenti cæſi feruntur: pontem nihilominus Turcæ ad foſſam Michaëlis iecerunt, & cuniculos egerunt, quibus noſtri anticuniculos opponentes & pontem euertentes irritos illorum conatus reddiderunt: niſi tamen Melitenſis arcis quæ media in inſula decliui loco ſita eſt, auxilium acceſſiſſet, in magnum noſtri diſcrimen incurriſſent: Turcæ enim claſſem Siculam ad Melitam appuliſſe, & Siculos ſibi imminere arbitrati ad naueis recurrerunt: deinde ſe deceptos agnoſcentes maiore quam antea impetu in obſeſſos inuaſerunt à quibus fortiter excepti receptui canere cœperunt. Interim claſſis Sicula ad Melitam appulit, quum Turcæ in naueis impedimenta comportarent poſtremam, vt rumor fuit, totius exercitus impreſſionem facturi: ſed recentem militem horrentes fortiſſimis ſuorum amiſſis ita prudenter ſe primum in naueis, deinde ad ſuas inſulas receperunt, vt paucos amiſerint: ex noſtris mille ducentos cæſos produnt, inter quos Siculi proregis filius repertus eſt: ex Turcis quindecim aut paulò plura millia: quidam è noſtris Hiſtoricis numerum ad viginti tria millia auxerunt, quod vix veriſimile videtur. Hoc ipſo anno Lazarus Schuuendius in Hungariam à Maximiliano Imperatore miſſus cum Turcis ſatis fœliciter pugnaſſe traditur.

Melitenſis obſidio.

Soluitur, ſūma tāta Solymani claſſis ignominia.

34 Vt ad Carolum redeam, is Baiona profectus Neracum adiit, vbi omnes fere ad Caluinianam perſuaſionem defecerant: ſacras ædes inſtaurari, ſacerdotes in eas reduci ſuis poſſeſſionibus fruituros, Regios magiſtratus partim ex Pontificiis, partim ex Caluinianis iuxta recentis pacis edictum creari iuſſit: præterea ſtatuit, vt cuiuſuis profeſſionis monachi,

Digitized by Google

monachi, monachæve, quæ neglectis votis matrimonia contraxiſſent, & abiectis ſuæ profeſſionis veſtibus parentum, aut propinquorum ſuorum hæreditates cernere conarentur, ab iiſdem excluderentur, vt antiquis edictis cautum erat: quas leges in cæteris ciuitatibus, atque oppidis, quæ Caluiniani occuparant, obſeruari voluit. Monlucio ſuo in Aquitania legato diplomate edicti inſtar publicè edito iniunxit, vt hæc omnia diligenter obſeruari iuberet: Candallum Comitem quem aduerſus edictum arma ſumpſiſſe Caluiniani accuſabant, ſuo mandato ſumpſiſſe declarauit. Quum Engoliſmam Rex perueniſſet antiquum maiorum ſuorum domicilium, multos illi ſupplices libellos Caluiniani obtulerunt; & grauiter de cædibus in Turonibus, in Andegauenſibus, & Bleſiis, aliiſque locis aduerſus pacis edictum perpetratis queſti ſunt: ac Chauinium præſertim Mompenſerij legatum, tum etiam * * Eſpeltam veteris villæ Mareſchallum, quod nimium in Pontificiorum gratiam conniueret, accuſarunt: niſi de ſontibus ſupplicium ſumatur, bellum ſe renouaturos minitati. Res ita compoſitæ ſunt, vt nulla inde ſeditio emerſerit. Septembri menſe Philibertus Marſilius Cypetra vir probus, ac pius bello iuxta, ac pace clarus Caroli Regis adoleſcentiæ moderator ab ipſo vnicè dilectus, longa valetudine affectus in Eburonum balneis è vita exceſſit, in cuius morte magnam Gallia noſtra iacturam fecit: Regem enim ſui officij prudenter admonebat, & benignè audiebatur: quum cæteri fere Regis domeſtici ab eius matre ſubornati eundem à publicis negotiis auocarent, & ad neſcio quæ ludicra exercitia, & pueriles, ineptáſque delicias traducerent. Sexto Idus Nouembris Carolus Andegauum ſolemni pompa ingreſſus eſt: inde Turonum metropolim, & ſequentis anni initio Molinas petiit, Boiorum regulorum vrbem primariam, vbi aliquandiu remanſit.

Philiberti Marſilij Cypetræ mors toti Galliæ damnoſa.

Anno 1566.

Pius V. Pij IV. ſucceſſor.

Pio IV. Nonis Ianuarij vita functo ſucceſſit Michaël Ghiſlerius Boſchi, quod Mediolanenſe oppidum eſt, humili loco natus: Cardinalium ſuffragiis Pontifex deſignatus Pius quintus dici voluit, vir modeſtiſſimus, & vita integerrimus, qui Dominicinæ olim profeſſionis ſodalis Romanæ Inquiſitioni à Iulio III. præeſſe iuſſus eſt: mox Nepeſinus Epiſcopus, & Cardinalis à Paulo IV. creatus tandem nullo ſuo ambitu Pontifex declaratus & decimo ſexto Kal. Februarij coronatus eſt. Caluinianorum præcipui duces conuentu Baionenſi ſocietatem inter Romanum Pontificem, & Galliæ, Hiſpaniæque Reges factam ſuſpicati nihil aliud quàm bellum clamabant, quod Pontificem, Hiſpanúmque bello Turcico implicatos noſtris non magno auxilio fore exiſtimabant: Solymanus enim militum ſuorum ſtrage Melitenſi obſidione cæſorum irritatus indignationem ſuam in Chium maris Ægei inſulam inter Samum & Leſbum Ioniæ adiacentem conuertit, quam & Genuenſibus abſtulit, & maius animo bellum meditatus poſtremum ſuum conatum admodum ætate prouectus in Hungaria edere conſtituit, vt mox ſuo loco explicabitur. 35

Vniuerſæ Galliæ conuentus Molinis celebratur.

Ex omnibus Galliæ Senatibus viri primarij Molinas conuocati ſunt: ex Pariſienſi Chriſtophorus Thous, & * * Seguierus eius Senatus principes Senatores; ex Tholoſano * * Dafis: ex Burdegalenſi Largabaſto; ex Gratianopolitano Trucho; ex Diuionenſi * * Faber; è Phocenſi prouincia * * Furnius, vt ea decreta ſancirent, quibus regnum in priſtino ſtatu contineri poſſet: quemadmodum Nouembri menſe Bleſiis ſtatutum erat. Rex in cubiculi ſui atrio conſedit, vbi Regina eius mater, Aurelianenſis frater, Borbonius, Lotharingus, Guiſanus Cardinales, Mommorencius equitum magiſter, Hoſpitalis Cancellarius, Cardinalis, & Amyralius Caſtiliones, Bordilio, & Vetuſuilla Mareſchalli, plerique Regiæ ſocietatis equites, Aurelianenſis, Valentinus, Lemouicenſis Epiſcopi aſſidebant. aderant & ſupra commemorati Senatores & nonnulli alij. Rex itaque totum ſuum regnum vt omnium querimonias audiret, peragraſſe declarauit, quibus mirandum in modum prouidere cupiebat: idcirco celebrem hunc cœtum conuocaſſe, ac cunctos, & priuatim ſingulos precari, vt rationem ineant, qua Deo Opt. Max. pietas, & religionis ſanctitas tribuatur, ius ſuum vnicuique reddatur, populus tot malis oppreſſus reficiatur, ipſe ſuo officio pie functus Deo primùm, deinde omnibus regni ſui ordinibus ſatisfaciat, quæ fuſius à Cancellario audient. tum Cancellario, vt diceret, annuit.

Statuta Molinenſia.

Ille prolixa oratione, vt ſolebat, orator ſatis ineptus cauſam querimoniarum iuris malè adminiſtrati negligentiam, & peruerſitatem eſſe declarauit: Regem totum regnum peragraſſe, nihil fere niſi latrocinia comperiſſe: res enim ſuis, & propriis nominibus appellare conſentaneum eſt: malorum impunitatem rerum publicarum, regnorúmque euerſionem eſſe, quæ præſertim in interregnis, vel quum Reges impuberes, aut admodum adoleſcentes ſuccedunt, vſuuenire ſolet. omneis magiſtratus ſuis magiſtratibus abuſos, quos non ad publicam vtilitatem, vt par erat, ſed quaſi patrimonia ad rem priuatam augendam accommodarint 36

Digitized by Google

accommodarint. Culpam in tempus non eſſe conferendam, nullum tempus prohibere quominus iudex integer ius ſuum vnicuique reddat, quominus pius Theologus ſacros libros verè interpretetur, quominus præfectus militaris Regi officium ſuum præſtet, & regni iura tueatur: ſacroſanctas igitur leges è virorum piorum, & eruditorum ſententia ſanciendas, quæ Regia authoritate confirmentur: nec obeſſe, quod vulgo fertur, multitudinem legum, addamus etiam iudicum tot, tantáſque quibus omnes ordines obruuntur, generare lites: id quidem verum eſſe, ſed nouis morbis noua remedia adhibenda: ſatius eſſe vt veteres leges, quæ nulli vſui ſunt antiquentur, ac refigantur: nouæ, quæ præſentibus calamitatibus medeantur in earum locum ſuccedant: niſi peruerſæ in religionem Chriſtianam doctrinæ irrepſiſſent, tot leges de hæreticis, hoc eſt, de iis qui ſe à communi Chriſtianorum conſenſu ſepararunt, Theodoſius, Valentinianus, cæteríque Imperatores non tuliſſent. Nouas igitur, quæ ſtatæ, rataeque ſint, conſtituendas leges, quæ ſi non obſeruentur, eorum quibus iuris dicundi facta eſt poteſtas, culpa erit, exquiſitiſſimis pœnis merito punienda: iudices non neceſſarios abrogandos, præſidiales item, vt vocantur, aut ſaltem eorum imminuendum numerum: omneis autem iudiciarios magiſtratus auctioni exponi manifeſtam iuris omnis eſſe corruptionem: hinc enim ſummum ius ſummam, vt prouerbio fertur, fieri iniuriam, quod à Regum officio prorſus alienum eſt, qui iuſtitiæ fruendæ cauſa initio conſtituti ſunt; tametſi Hoſpitalis Cancellarius aulicæ auræ nimis addictus hoc caput tam diſertè non expoſuit: deinde ſolita erga Senatum Pariſienſem æmulatione prouocatus iudices perſtrinxit, qui Regia edicta interpretandi ſibi authoritatem vendicabant: quæ interpretatio ab ipſo Rege, non ab inferioribus magiſtratibus peti debet, vt olim ab Imperatoribus petebatur: at ſuperiores Reges ſua edicta, vel in ſanctiore Conſilio facta, vel à Cancellario Regio ſigillo confirmata niſi Pariſienſis Senatus authoritas acceſſiſſet, nullam vim habere voluerunt: magiſtratuum ceſſiones, ſiue reſignationes (vt vulgo appellant) improbauit, niſi antiquus Senator diu pie & integre ſuo munere defunctus alium virum probum, & doctum in ſuum locum ſurrogari poſtularet: deinde de Senatorum cellis quas cameras appellant, ad antiquum numerum reducendis, aut omnino abrogandis diſputauit; & an Senatus deambulatorij, vt olim, an ſtatarij, vt nunc, vtiliores eſſent: ſatius præterea videri ne Senatores, cæteríque iudices pro decidendis litibus vllum honorarium, ſi ita vocare licet, aut aromata (vt vulgo appellant) accipiant: ampliora potius ſtipendia recipiant, ſi Regium ærarium his ſatisfacere poſſit: æquum etiam eſſe vt omnes ſui magiſtratus geſti rationem reddant: magiſtratus non perpetuos, ſed annuos & triennales, aut non ad multo longius tempus debere committi indicabat: vt olim in Romana Repub. & hodie in Veneta diligenter obſeruatur. Addidit & alia quædam capita, quorum nonnulla ſancita ſunt: cætera prætermiſſa, vt in libello vulgari ſermone ſcripto de ſtatutis Molinenſibus videre eſt. Tum de Guiſani cæde actum, cuius auctor Caſtilio Amyralius inſimulabatur, nec immerito, vt iudicij de Ioanne Poltroto facti actis conſtabat. Caſtilio nihilominus ſacroſancto iureiurando interpoſito ſe eius cædis auctorem, aut conſcium fuiſſe inficiatus innocens declaratus eſt. ô dignum Hoſpitale Cancellario Guiſanæ familiæ inimico infeſtiſſimo, quanquam Lotharingi Cardinalis opera omnibus eius domeſticis diſſuadentibus ad eum gradum peruenerat, & ſui ſimilibus iudicium, quo Caſtilioni Guiſana familia reconciliata videri potuit: tametſi ſolus Cardinalis Lotharingus & Renata Ateſtina Guiſani vidua huic reconciliationi interfuerunt. Henricus Guiſani liberorum natu maximus, qui iam arma ferre cœperat non interfuit, & inultam patris mortem præclaræ indolis adoleſcens haud relicturus videbatur. Reconciliatus eſt & Lotharingo Cardinali Franciſcus Mommorencius Mareſchallus, & eorum, quæ Lutetiæ acta erant deleta memoria eſt. Nulli aderant Regiæ ſtirpis principes, ſed nec Aumalius quidem affuit: ſolus tum Mommorencius equitum magiſter multis vtriuſque factionis comitatus (nam per ſe Pontificiis eiuſdem religionis propugnator, per Caſtiliones Caluinianis quodam modo imperabat) totum regnum ſub adoleſcente Rege, & Regina eius matre moderabatur: cuius omnis familia Guiſanæ inuidebat: Rex Lutetiam reuerſus ſupplicationibus à Genoueſæ ad Mariæ ædem perductis interfuit: & interim circa horam decimam matutinam, vt Galli numeramus, ſtella in cœlo apparuiſſe traditur. Eodem tempore Mompenſerius ſtirpis Regiæ princeps, & pertinaciſſimus antiquæ religionis propugnator * * filiam & Bullionium regulum eius virum ad Caluinianos defeciſſe ægrè ferens, diſputationem inter Vigoreum, & Xanctem Pariſienſes Theologos, quorum ille mox Narbonenſis, alter Ebronicenſis Pontifex fuit, cum Spineo & Barbaſto Caluinianis miniſtris Lutetiæ inſtituendam curauit, vt generum & filiam ad

Stella Pariſiis circa decimã matutinam apparere viſa.

veterem

veterem Chriſtianorum conſenſum reduceret. In Barbaſti locum qui adeſſe non potuit, ſuffectus eſt Hugo Surellus Rozierus vulgo nuncupatus è cuſtodia eductus: qui nimiam Caluinianis aduerſus magiſtratus antiquæ perſuaſionis rebellandi libertatem libello in id ſcripto conceſſerat: extant diſputationes vulgari ſermone ſcriptæ, ſed non eodem modo typis mandatæ, quæ à Caluinianis editæ ſunt, ieiunæ, vt doctioribus manus dare cogantur: quæ à Pariſienſibus Theologis ſcriptæ ſunt, multa controuerſa noſtræ religionis capita eruditiſſimè explicarunt.

Id fere temporis lite inter * * Sabaudum Nemorenſem regulum & * * Rhoaniam 37
quæ Garnachia vulgo dicta eſt, Romani Pontificis ſententia finita, matrimonióque irrito pronuntiato Nemorenſis Renatam Ateſtinam Franciſci Lotharingi Guiſani reguli viduam vxorem duxit. Franciſcus item Borbonius Mompenſerij reguli filius Marchionis Maſeriani ab Andegauenſibus regulis, ſed non legitimo matrimonio oriundi filiam in matrimonium accepit, quibus nuptiis magnificè celebratis Rex Carolus interfuit. Sexto Idus Martij Maximilianus Imperator Auguſtæ conuentum agit, vt aduerſus Solymanum, vt fama erat, in Hungariam venturum, & Tranſſyluanum Vaiuodam auxilia impetraret: conuentum agit & Vaiuoda, Thordúmque, Hungaros & Tranſſyluaniæ proceres litteris huc illuc miſſis accerſit, & Solymani auxilium ſibi præſto fore confirmat. Quorum certior factus Lazarus Schuuendius Maximiliani in Hungaria legatus contrarium mandatum edit, & Hungaros ne quicquam cum Tranſſyluano communicent, monet: Maximilianum nihil aliud, quam pacem cum Solymano deſiderare, eam Tranſſyluani fraude interturbatam: perſtent in fide, & de diuina ope ne deſperent. Duodecimo Kal. Aprilis Albertus Bauariæ regulus nomine Imperatoris capita, de quibus Auguſtæ deliberandum eſt, proponit: pacem in religione ante multos annos promulgatam ſeruandam; aut ſi ea emendanda eſt, id qua ratione commodiſſimè fiat, videndum: de nouis ſectis nuper exortis conſultandum. Herbipolenſis ciuitatis calamitatem non negligendam: vt proſcripti pœnas dent, curandum: curandum quoque vt lites æquabili iuris adminiſtratione breui terminentur: in primis autem decernenda aduerſus Turcam, Tranſſyluanumque auxilia, aduerſus quos Imperator ſtatim quadraginta peditum, equitum octo millia in octo menſeis, atque his exactis dimidiam partem in ſex annos poſtulat.

Conuentus Auguſtanus ab Imperatore Maximiliano indictus.

Poſtridie Idus Iunij Budenſis Baſſa Palotam cum octo peditum millibus & aliquot 38
equitum alis circumſedit, & viginti quinque tormentis totos octo dies continenter verberauit: verum eiuſdem menſis Idibus aduenientibus Germanorum auxiliis obſidionem ſoluere coactus eſt: qua ſoluta, & Palota inſtaurata, præſidióque firmata Eccius Saluienſis ac Georgius Helfenſteinius præcipui Germani exercitus duces Veſprinum viginti annos à Turcis poſſeſſum oppugnare ſtatuerunt, illucque aliquot equites exploraturos præmiſerunt. Hi Tatæ appropinquantes in ſeptem Turcas equites inciderunt, quorum quinque cæſis duos in caſtra Germanica reduxerunt, qui Veſprini præfectum cum trecentis equitibus Turcis in inſulam non procul Alba Regali diſtantem à Budenſi Baſſa accerſitum abiiſſe, alteros trecentos dumtaxat Veſprini reliquiſſe renuntiarunt: eo ſi contendant, oppido facile potituros; quod conſilium ſequuti Veſprinum tertio Kal. Iulij iter inſtituunt. Præcedit Eccius Saluienſis cum equitibus, in quem appropinquantem Veſprinenſes duo maiora tormenta diſplodunt, quorum impetu muri pars, in quo collocata erant, proſternitur. Id animaduertens Eccius ſocios vt accelerent, monet: verum illi ſub noctem dumtaxat appulerunt, & quod Germani nihil fere noctu aggrediuntur, obſeſſis muniendæ ruinæ ſpatium dederunt: pauci tamen non ſatis, quod deciderat, inſtaurare potuerunt. Poſtridie prima aurora Germani ſcalas admouent, ignes domorum tectis iniiciunt, tormentis portas confringunt: in oppidum irrumpunt, atque omnibus præter quinque cæſis etiam arce potiuntur. Sexto Nonas Iulij Baſſa Pertauus Iulam vrbem vltimam earum quas in Hungaria Maximilianus Secundus Imperator poſſidet, circumſedit: cui ſe paulò poſt Baſſa Temeſuuarienſis adiunxit, vt ad triginta ſex bellatorum millia coiiſſe dicerentur. Vrbi præerat Ladiſlaus Keretſchinius Hungarus duabus Germanorum peditum cohortibus nuper auctus: pro qua tuenda vſque ad quintum oppugnationis diem fortiſſimè reſtitit: deinde muros, aggeréſque tormentis ita comminutos animaduertens vt diutius defendi non poſſet, ea incenſa ſe ad anteriorem arcis partem cum ſuis recepit, pro qua vſque ad quartum Nonas Septembris ſatis ſtrenuè propugnauit. At tum vel animo fractus, vel de propugnatione deſperans litteras ſagittæ illigatas in Turcarum caſtra intorſit, quibus acceptis Baſſa Pertauus ad arcem appropinquauit, eúmque bono animo eſſe iuſſit. Eum ſermonem Germani non intelligebant, ſed Germanis Hungari eundem explicantes

Veſprinum expugnatur.

Iula Turcis deditur.

explicantes vnà cum illis ad Keretſchinium acceſſerunt, & ne fidem Maximiliano Imperatori datam falleret, rogarunt. At is multis rationibus illis perſuaſit, vt deditioni aſſentirentur, quæ ita concepta eſt, vt omnes cum armis & ſupellectile incolumes inde educerentur, verum egreſſos ex arce Chriſtianos Turcæ fere ad internecionem trucidarunt: Keretſchinius Georgio Bebecko affine, qui à Maximiliano Imperatore ad Turcas defecerat, interprete vſus, & vitam, & ſupellectilem, réſque adeo omneis ſuas ſibi condonatum iri ſperabat: at Conſtantinopolim ad Selymum Turcarum Imperatorem miſſus, & de crudelitate, quam in Turcas exercuerat, accuſatus in dolium acutiſſimis clauis perforatum coniectus eſt, & è montis vertice præcipitatus miſerrimè vitam finiit: quæ Baſſæ perfidia, & Turcarum immanitas aliis locis ſæpius declarata Chriſtianis exemplo eſſe debet.

Keretſchinius inaudito ſupplicio affectus.

39 Duodecimo Kal. Auguſti Eccius Salmenſis cum ſuis copiis rurſus Iauarino profectus Tatam inde quinque Germanicis milliaribus, duobus Comaro inſula diſtantem ſex tormentis acriter oppugnauit, & muri partem deiecit, quam tamen noctu aggere extructo Turcæ ita inſtaurarunt, vt noſtris aditus præcluſus videretur: poſtridie nihilominus mille ſclopetariis cum ſcalis in foſſa ad ruinam muri, mille alteris in aduerſa arcis regione collocatis Salmenſis cum duobus ſclopetariorum millibus ſigno impreſſionis omnibus dato in portam irrumpit; qua confracta Turcas omneis præter quinquaginta, qui ad turrim quandam confugerant, concidit; qui ſe poſtea dediderunt: inter eos Tatenſis: & Veſprinenſis præfectus, & Budenſis Baſſæ propinquus reperti Viennam miſſi ſunt: aliquot caſtellorum vicinorum incolæ inde perterrefacti aduenienteis Germanos non expectarunt, ſed caſtellis incenſis Strigonium aufugerunt. Germani de oppugnando Strigonio deliberabant; ſed vrbem tam potentem exiguo exercitu adoriri tutum non videbatur: vel quod Tata à Danubio, vnde commeatum petere neceſſe erat, procul diſtaret, vel quod Solymanus cum ingenti exercitu iam Belgradum appuliſſet. Itaque Salmenſi vt ſe ad Comarum inſulam recipiat Maximilianus Imperator mandauit, ibique donec aliud mandatum accipiat, ſubſiſtat: nondum enim Germanus exercitus coierat, ad quem multi quotidie confluebant: atque inter eos Albertus Laſcus Polonus multarum in Hungaria arcium, caſtellorúmque poſſeſſor: quem tria Polonorum equitum millia Hungarico habitu, veſtitúque ne pacem inter Solymanum Polonumque Regem interturbaret, ſequebantur. Eodem quadringentos ſclopetarios equites Allobrox regulus miſit: Ferrarienſis totidem equites haſtatos, trecentos ſclopetarios pedites egregiè inſtructos ſecum adduxit. Eodem properauit Henricus Lotharingus Guiſani quadriennio ante vita functi liberorum natu maximus multis viris nobilibus comitatus: inter quos Briſſacus Mareſchalli filius, ac Philippus Stroza plurimum eminebant. Pridie Idus Auguſti Germanus exercitus cui Ferdinandus Imperatoris frater præerat, Guntherus Comes Schuuartburgenſis eius legatus, Ioannes Federicus Pomeraniæ regulus Aquilifer, Paulus Zareus, ſiue Zarenſis munitionum præfectus erat. Vienna profectus ad Altemburgum vicum duobus milliaribus Iauarino diſtantem caſtra fecit: Poſidonij tribus inde milliaribus eius aduentum expectabant Bohemorum equitum ſeptem vexilla cum aliis è Sileſia, Morauia, cæteríſque finitimis regionibus euocatis, atque conductis. Paulò ante tertio Idus Aprilis in Hungaria præſertim Poſidonij circa meridiem ſtella lucida per aliquot dies apparuerat Solem ſequens, & ab Oriente in Occidentem progrediens quæ mox euanuit: hanc Veneris ſtellam fuiſſe, & Solymani aduentum in Hungariam mortémque portendiſſe Aſtrologi nonnulli exiſtimarunt, ſiue mox ex euentu iudicarunt. Sexto Nonas Iulij primi Turcici exercitus duces Muſtapha Boſnenſis & Carambeius Baſſæ Sigethum petentes Drauum fluuium ad Ottonum portum traiecerūt, & ad Sicloſchum arcem conſederunt. Nonis eiuſdem menſis Solymani mandatum ad Hanſamum Vegum * * affertur, quo pontem Drauo imponere iubetur. Hanſamus primum non procul portu Ottono pontem iacere conatur: quem quum ſatis promouiſſet, aquarum vis noctu irrumpens totum opus diſiecit: quapropter ſecundo Drauo paululum progreſſus, & idem aggreſſus eumdem euentum ſortitus eſt: tertium ad Eſſecum oppidum Drauo adiacens extruere cœpit, quem pariter aquarum vis nocturna diſturbauit. Hinc Solymano nuncium remiſit, & ſe propter frequenteis aquarum inundationes pontem Drauo imponere non poſſe declarauit: ad quem alterum mandatum litteris aureis (vt Turcæ tyranni ſolent) mantili in hanc fere ſententiam inſcriptum dedit: Sultanus Solymanus per hoc mandatum edicit, vt pontem quocumque in loco quauis ratione poteris Drauo ſtatim imponas, qui niſi ad meum aduentum

Stella circa meridiem in Hūgaria apparens Solymani mortē portendere viſa.

Digitized by Google

paratus erit, te hoc mantili, ſiue linteo ſtrangulatum atque ad Draui ripam ſuſpenſum ir certò ſcito. Hoc mandato accepto perterrefactus Hanſamus Vegus (quanquam omnia Turcarũ tyrannorum mandata fere ſimilia ſunt) quartum pontem infra Eſſecum inchoauit, & nemini parcens omneis vicinos ruſticos, omneis cuiuſuis generis milites ad maturandum opus adegit, pontémque milliaris Germanici longitudine non ſolum ſuper Drauum, ſed & per vicinas paludes ac prata perduxit, atque eumdem decem diebus abſoluit.

Decimo tertio Kal. Auguſti Boſnenſis, ac Carambeius Baſſæ Siclouſcho caſtra mouentes Quinqueceleſias, inde Albam Regalem ſe Budenſi Baſſæ adiuncturi contendunt: quos Hanſamus Begus, ſiue Beius cum magnis copiis ſequitur: eodem die Natoliæ, ſiue minoris Aſiæ Bellerbeius (id eorum lingua principem principum ſignificat, Bellerbeij enim Saniacis, hoc eſt, prouinciarum præfectis imperant) cum ſuis quoque copiis Drauum primus ponte traiicit. Succedit Alcancius Baſſa, & Solymani tentorium in agro Muhatſchio defigit: accedit Solymanus & de Sigetho oppugnando conſultans aliquot ibi dies commoratur: Sigethum Hungaris locum inſularem, aut inſulæ inſtar aqua, aut paludibus cinctum deſignat: hæc autem arx atque vrbs non longè à Danubij, Arrabonı́ſque confluente in Croatiæ finibus ſita eſt: & circumcirca paludibus ad Germanicum fere milliare circumdatur, quas vt æſtiuæ pluuiæ aliquantum inflarant, ita ingens quæ poſtea conſequuta eſt, ſiccitas exhauſit: & Turcæ mira induſtria quod aquæ reliquum erat exſiccarunt. Duæ erant vrbes vetus & noua, ſed neutra ſatis munita: duæ item arces antica, ſiue anterior, & interior: quibus præerat Nicolaus Zrinius Serinus Comes cum bis mille & trecentis militibus raro aduerſus tantas Solymani copias præſidio: trecenta enim bellatorum millia, centum & viginti maiora tormenta Solymanus in caſtris habuiſſe fertur: quod hic poſtremum bellicæ virtutis actum annos ſex & ſeptuaginta natus edere deſtinarat. Pridie Kal. Auguſti Bellerbeius & Alkancius Baſſa cum nonaginta bellatorum millibus ad fanum Laurentij milliari Sigethò diſtans caſtra poſuerunt: acceſſerunt è caſtris Turcarum centum millia, & cum Sigethenſibus à Solis ortu ad meridiem vſque velitaribus certaminibus pugnarunt: mox in maiora caſtra redierunt. Kalend. Auguſti iidem Bellerbeius & Alkancius Baſſa ad collem Sigethenſibus vitibus propinquum milliaris Germanici quarta parte Sigetho diſtantem tranſierunt, quorum milites à meridie ad veſperam vſque cum Sigethenſibus dimicarunt: Nonis eo colle Solymano relicto, vbi illo ipſo die eius tentoria defixa ſunt, propius vrbem acceſſerunt paludibus pleriſque locis exſiccatis. Poſtridie Nonas Solymanus ipſe ad collem ſibi deſignatum cum cætero exercitu caſtra metatus eſt, qui Sigethum vndique circumſedit. Aliportucus tormentorum magiſter nouam vrbem tormentis tripartito locatis verberauit, atque inde ad interiorem arcem aggerem duxit: tormentiſque aliis ibidem collocatis quinto Idus eam arcem totum diem noctémque ſequentem concuſſit: nec interim ad nouam vrbem tormenta conquieſcebant, multoſque noſtrorum perimebant. hinc eamdem incendere, & milites, eiuſque in veterem, maioremque transferre Comes Serinus coactus eſt. Quarto Idus Turcæ veterem vrbem tormentis tripartito ſeparatis oppugnarunt, atque alia in nouam tranſportarunt: vnde etiam vehementer fulminarunt, & pontes per paludes iecerunt: nec vllus in tanto exercitu huius laboris expers erat (tam ſeuera illorum diſciplina eſt) quin omnes ſedulò in id opus incumbebant: cameli item, muli, equique clitellarij ligna è ſiluis propinquis continuo afferebant. Itaque paucis diebus aggeres ad maiorem vrbem, moléſque excelſas, & pluteos, aliaque id genus inſtrumenta ad tegendos Ianizaros excitarunt: & circiter decimum quartum Kal. Septembris eamdem paludibus exſiccatis ceperunt, quum nihil in circuitu præter limum, lutumque ſupereſſet: multi è noſtris qui in arcem aufugere non potuerunt, ibi trucidati ſunt: Germanos enim natura tardos Turcæ laboribus aſſueti facilè anteuertebant.

Potentiſſimus Solymani exercitus.

Sigethi obſidio.

Septimo Kal. Septemb. Turcæ in interiorem arcem grauem impreſſionem fecerunt, & magna cum ſua ſtrage repulſi ſunt: ſemper nihilominus ad arcem propius appropinquabant: quod autem noſtris plurimum nocuit, rari in vrbe, & in vtraque arce lapides erant, omniſque præſertim ambitus aggeribus è lignis, terráque cõfectis muri loco munitus erat: quinetiam & propugnacula ex eadem materia conſtabant, quum tamen lapides Danubio, at non exiguis impenſis comportari potuiſſent. Ferdinando nimiam in muniendis Hungariæ vrbibus negligentiam capta Buda Solymanus exprobrauit, vt alio loco ſcripſimus: is natura mitis, nec fratris Caroli ſimilis, & domeſticis ſuis, qui bonam Regiæ pecuniæ partem auertebant, nimis addictus nec exercitibus ſæpe, nec muniendis vrbibus ſatisfaciebat, & in ſuorum auaritia ſciens, prudenſque nonnunquam conniuebat: 41

quod

Digitized by Google

quod illi Maylatus, ac Perenus Hungari principes ſæpius obiecerunt. Nonis Septembris Turcæ anterioris arcis propugnaculo ignem iniecerunt, quod quum ſicciſſimo autumno materia igni alendo commodiſſima conſtans vehementer arderet ventis grauiter ſpirantibus ad arcem flamma peruaſit, & primum in ligneam materiam inſtaurandis ruinis præparatam, deinde in domos eminentiores tranſuolauit (ea enim tempeſtas, vt mox dicetur, horrendiſſima fuit) quæ magna ex parte ligneæ erant. nec interim Turcica tormenta quatuor è locis exonerata ceſſabant, ſed mirando impetu in arcem fulminabant & Ianizari propugnaculum portæ vicinum magna vi oppugnabant. aduerſum quos Serinus Comes fortiter dimicauit, & bis ingreſſos ex arce expulit. At quum ignem vires ſemper augentem ad locum vbi ingens ſulphurei pulueris copia condita erat, non procul interioris arcis porta diſtantem appropinquare animaduerteret, nec huic, nec tantis ſimul Turcarum copiis reſiſtere poſſet, ſe in interiorem arcem recipere, portáſque Turcis & multis è ſuis, qui variis in locis pugnantes ſe pariter recipiendi ſpatium non habuerunt, occludere coactus eſt: vbi multæ mulieres, pueri, puellæque à Turcis capti fuerunt, de quibus inter ipſos contentio fuit. Mœnia anterioris & interioris arcis continua erant: nec inter eas propugnacula, aut muri, quædam dumtaxat domus interiectæ erant: præterea tormenta, & rerum omnis generis commeatus, ſiliginis, auenæ, hordei, carnis ſuillæ, bubulæ, piſcium fumo maceratorum, vini quoque dolia quinquaginta, leguminum totidem, aceti trecenta in anteriore remanſerant: in interiore aliquot dumtaxat triticeæ farinæ modij conditi erant, biduum Turcæ in anteriore arce quieti remanſerunt; & ſe ad inuadendam interiorem compararunt: in quam quinto Idus ignem iniecerunt, & vndique oppugnarunt: quum ignis magis, quam hoſtes vrgeret, Serinus cum militum fortiſſimis porta recluſa in medios hoſteis irruit, & tribus ſclopetorum glandibus traiectus concidit: cuius & multorum Sigethenſium militum capita abſciſſa, quæ ſingula decem nummis aureis Mahometes Baſſa redemerat, non longe à Solymani tentorio palis affixa ſunt. Pridie Nonas Solymanus è vita exceſſerat: cuius mortem Mahometes Baſſa ſummus dux milites ita celauit, vt non niſi Octobri menſe eius certiores facti ſint, quum iam Selymus patris hæres ac ſucceſſor Turcici Imperij poſſeſſionem Conſtantinopolim ingreſſus ſub finem Septembris adiiſſet, & Maximilianus Imperator poſt menſem & alterum dimidiatum Venetis renuntiantibus eamdem intellexiſſe fertur: quam nihilominus portendit creſcentis Lunæ effigies è Regiæ turris faſtigio Conſtantinopoli delapſa, ignisque, qui ibi perpetuo fouetur, extinctus. In caſtris autem Sigethenſibus eamdem ſequuta eſt tam horrenda tempeſtas, vt omnia Solymani tentoria, Baſſarumque euerterit, ac diſiecerit, vixque eius mors celari poſſet: & Danubius ad Tulniam ita limo turbidus fuit, vt neque ad potum, neque ad coquendas carnes vſui eſſet, vixque triduo purgatus ſit.

Inuictus Serini Sigethi præfecti animus ac conſtantia.

Solymani mors in Hungaria.

42 Selymus, ſiue Zelymus, vt alij ſcribere malunt, Conſtantinopoli Imperator declaratus, vnicus enim Solymani filius ſupererat, Muſtapha patris iuſſu, Zeangiro, Gibbero ſua ſponte cæſis, Ianizaros qui vicinis prouinciis præſidio erant, euocat; quibus donatiuum à nouis Imperatoribus pro direptione theſauri eius, qui deceſſerat, præberi ſolitum, centum ſcilicet nummûm aureorum millia perſoluit: quos illi ea conditione acceperunt, vt veteri ſtipendio aliqua acceſſio fieret, & equitandi vſus Chriſtianis Conſtantinopoli interdiceretur, & ſe Selymo ſacramento obligarunt. His ille Hungaricam militiam denuntiat, & quinto Kalend. Octobris Conſtantinopoli profectus magnis itineribus famam ſui aduentus præueniens Belgradum contendit: ibique Hungaricum exercitum patris cadauer deducentem expectauit, qui Solymanum adhuc viuere exiſtimabat: ſenex enim, & podagra laborans, aut lectica, aut curru diligenter operto vehi ſolebat. Selymus pulla veſte indutus patris cadaueri ad Belgradi portam obuiam proceſſit, & ex equo deſiliens currus operculo paululum erecto patrem luxit: idem Baſſæ, cæterique proceres faciunt, vexilla inuerſa defiguntur: circiter ſemihoram altum ſilentium agitur: deinde operculo currui impoſito alium pileum, aliam veſtem, triumphantis ſcilicet Selymus induit: noui Imperatoris vexilla eriguntur, ipſe ingenti pompa in palatium deducitur: regni Hungarici, cæterique legati eius manum oſculantur. Paulò poſt Ianizaris Hungaricis donatiuum exoluit, & patris cadauer in mauſoleum quod viuus Conſtantinopoli magnificentiſſimum extruxerat, deduci imperauit: ipſe Belgradi commodius tempus, & dimiſſi Germanici exercitus nuntium expectans aliquamdiu remanſit. Sub initium Nouembris Ioannes Tranſſyluanus tametſi Selymus diſceſſerat, bellum continuabat: cui Baſſa Pertauus cum multis Turcis & Tartaris auxilio eſſe iuſſus erat.

Selymus eius ſucceſſor.

Digitized by Google

Hi cæteras nationes immanitate ſuperantes nulli ætati, neque ſexui parcebant: pueros etiam aſſos deuoraſſe, & partem Hungariæ Tranſſyluaniámque vaſtaſſe traduntur. Itaque quum Tranſſyluanus Tokaium nuper amiſſum circumſediſſet, decem Tartarorum à maiore exercitu ſeparatorum millia prouinciam ſuam populari certior fit; quibus occurrens eorumdem circiter ſex millia trucidauit. Hanc iniuriam vlturi cæteri Tartari Tranſſyluanum Varadini obſident, ſi tormenta habuiſſent, vrbe facilè potituri: quapropter ſe clam ſubducens maiorem exercitum coëgit, & ex his circiter viginti millia cæcidiſſe traditur: reliqui cum Turcis & Valachis in Ruſſiam & Podoliam Polonicæ ditionis regiones incurſarunt, & Ruſſiæ Palatinum in quadam arce circumſederunt, vnde ille copiis aſcitis irrumpens Tartaros fere omneis occidione occidit, tormentis duodecim in ſuam poteſtatem redactis: à Tranſſyluano in auxilium vocati Tartari plus illi, quàm hoſtes omnes nocuerunt. Sic Turcæ à Tartaris oriundi à Græcis Imperatoribus, & poſtea ab Hungaris ad opem inuitati Græcum Imperium, Hungariámque occuparunt.

Turcæ à Tartaris oriundi.

Sigetho capto antequam Belgradum Selymus appuliſſet, Turcæ qui graui commeatus penuria in ea obſidione laborarant, vicinas regiones, Stiriam maximè incurſarunt: id Baſſæ facile patiebantur, ne tumultum interim excitarent. Conſederat ad Drauum Carolus Auſtriæ Archidux Maximiliani Imperatoris frater cum ſatis numeroſis copiis, vt prædabundos coërceret: Turcæ nihilominus contemptis Germanis Sabariam vſque duobus milliaribus à caſtris Germanicis diſtantem prædas egerunt. Pridie Kalend. Octobris Iauarinum vbi Maximiliani Imperatoris exercitus conſederat, incenſum eſt igne primum ex Hungari cuiuſdam culina in vicinas domos, quæ magna ex parte ligneæ erant, penetrante: ſolum palatium ac primarium templum, vbi bellicus omnis apparatus repoſitus erat, quæ muro duro lapide extructo conſtabant, inuiolata permanſerunt: milites vt ciuium bona raperent, pleriſque domibus ignem iniceiſſe incendiúmque auxiſſe traduntur; id poſtea Imperator magno ſumptu inſtaurauit, præſidióque firmauit: & quum Turcas abire intellexiſſet nulla re præclarè geſta exercitum dimiſit, Viennámque rediit, neque enim his opibus erat, vt tantas Turcarum vires irritare auderet: & Germani crapulæ dediti antiquam fortitudinem propemodum exuerunt, ac ſobrios Turcas formidare potius quàm imitari poſſunt, vt Deus Opt. Max. Chriſtianorum luxum barbaræ nationis temperantia, ac fortitudine emendaturus eſſe videatur. Quanquam poſt Aurelianenſem pacem diebus paucis à Guiſani morte anno huius ſæculi ſexageſimotertio initam vſque ad annum ſexageſimumſeptimum Galli Caluiniani quieſcere videbantur, tamen plurimos, vt iam ſcripſi, ſuæ perſuaſionis miniſtros quotannis in Flandriam ſummiſerunt, qui non ſolum magnam populi partem, verum etiam è proceribus permultos ad ſe pellexerunt. Nouos Epiſcopatus, atque Archiepiſcopatus in Belgicis prouinciis anno huius ſæculi quinquageſimooctauo creatos, atque Hiſpanicæ Inquiſitionis initia facta ſupra ſcripſimus, quam Belgæ fere omnes recipere recuſantes, queſtique nihil primùm impetrarunt. quibus nihilominus querimonias continuantibus anno huius ſæculi ſexageſimotertio Philippus Hiſpaniæ Rex aliquid remiſit, vnde eandem à Philippo, quam Galli Caluiniani à Carolo Rege obtinuerant, ſe ſuæ perſuaſionis libertatem aſſequuturos ſperarunt: quos adhuc hærentes Caſtilio Amyralius per ſuos emiſſarios Caluinianos, ſcilicet miniſtros illuc miſſos continuo incitabat. Itaque priuilegia ſua & principum iuſiurandum principatus ſui initio præſtari ſolitum proferentes, & fidam operam, quam tot bellis aduerſus Gallos multos annos continuatis nauauerant, in memoriam reducentes, vt Inquiſitio, ſeueraque edicta nuper promulgata in aliud tempus differrentur, impetrarunt. At Cardinalis Granuellanus Caluinianam perſuaſionem tam breui tantopere propagari animaduertens in Hiſpaniam abiit, & Philippo Regi tantam mutationem indicauit. eodem fere tempore Concilij Tridentini decreta in Hiſpaniam perlata ſunt. Hinc Philippus vt Concilium Tridentinum per omneis Belgicas prouincias promulgaretur, Inquiſitióque vti primum inſtituta erat, renouaretur, mandauit. & nouum ex prudentiſſimis, doctiſſimíſque Flandriæ viris conſilium inſtituit: ex cuius ſententia Margarita Parmenſis adminiſtratrix publica negotia pertractaret. Plerique proceres, qui nouam perſuaſionem ſequebantur, attoniti apud eamdem inſtiterunt, vt querimonias & priuilegia ſua ad Philippum Regem perferenda curaret: ne quid niſi ex omnium totius Flandriæ ordinum decreto innouaretur: quo nomine eorum conuentum, vt in maioribus negotiis fieri ſolet, Regia Majeſtas indiceret. Illa Amurathem Ecmundanum Comitem militari gloria

Concilij Tridentini in Belgio promulgatio.

clarum,

clarum, qui quanquam antiquam religionem profitebatur, ſuſcepto nihilominus in Granuellanum Cardinalem odio procliuior ad Caluinianos videbatur, anno huius ſæculi ſexageſimo quarto in Hiſpaniam miſit. Is à Rege mandatum retulit, quo Parmenſis hera ita Belgium in officio continere iubebatur, vt vetus religio ſarta tecta conſeruaretur. Quo accepto Margarita Parmenſis treis Epiſcopos, treis Theologos, treis vtriuſque iuris Iureconſultos eruditiſſimos ſelegit, qui formam aliquam minus ſeueram darent: qua in hæreticos, hoc eſt, in nouarum ſectarum profeſſores iudicij ſui nimis tenaces commodius ageretur.

44 Verumenimuero aliquanto poſt hæc agendi forma reiecta eſt, quæ nouarum rerum ſtudioſos non ſatis coërcere, & principis authoritatem imminuere videretur. Itaque aliud mandatum Philippus Decemb. menſe anno huius ſæculi ſexageſimoquinto in Flandriam mittit, quo Trident. Concil. decreta, & prima Inquiſitionis forma, Regiáque edicta obſeruari, & ex Senatibus in vnaquaque prouincia Senatores certo numero Inquiſitoribus addi iubentur, ne qua tergiuerſatione, aut forenſi alia fraude huiuſmodi iudicia vel eludantur, vel retardentur. Quorum ſeueritatem veriti Flandriæ proceres Caluinianæ perſuaſionis trecenti, aut paulò plures Bruxellis in domo Comitis Calamburgi initio Aprilis anno huius ſæculi ſexageſimoſexto conuenerunt, ſocietatémque coierunt, vt Hiſpanica Inquiſitio, Tridentinique Concilij decreta aduerſus Flandriæ libertatem, priuilegiáque nuper edita vel tollerentur vel differrentur, donec omnium Belgij ordinum conuentu de iis deliberaretur. Qua de re Parmenſi Margaritæ Brederodius libellum ſupplicem in conſilio obtulit, quæ ne ad arma veniretur, differre cupiens Berganum Marchionem ac Montignium Baronem nihil vſque ad eorum reditum innouatum iri pollicita ad Philippum Regem miſit. Suſpectam nihilominus hanc ſocietatem habuit, & conniuere quodam modo ſtatuerat, niſi Barlemontanus Regij ærarij præfectus, & Caluinianis vehementer infeſtus hos Gueuſios (ſic mendicos vulgo appellant) habendos pro nihilo dixiſſet. quo ſcommate (vt Græco verbo vtar) ad nobiles Caluinianos perlato pallia, veſtéſque cinericij coloris induerunt: pileolis cochleas inſeruerunt: peram item, quod biſacium vulgo appellant, & lignea pocula laminis argenteis interſtincta geſtarunt, & Bruxellis conuiuium Nonis Aprilis inierunt: vbi ſibi inuicem propinantes, VIVANT GVEVSII, ſæpius inclamarunt. deinde monetam auream, argenteámve cuderunt, in qua ex altera parte Regis effigies, ex altera manus complicatæ, pera, ligneum poculum cum his verbis inſculptum erat: FIDI REGIS CLIENTES VSQVE AD BISACIVM, hoc eſt, peram mendicantium, ſe ad extremam inopiam vſque Regi datam fidem ſeruaturos indicantes: & hanc collo appenſam ſocietatis inſigne geſtarunt. Parmenſis Margarita metuens ne clandeſtini conuentus, vt in Gallia, in apertum bellum erumperent, conuocandos treis ordines cenſuit: ex quorum ſententia in puniendis nouarum ſectarum profeſſoribus mitior aliqua forma decerneretur, & Maij initio Inquiſitionis, Regiorúmque edictorum ſeueritas aliquantum immutata eſt. At Caluiniani quaſi Inquiſitionis excuſſo iugo exultantes, vt ſtolidus populus modum ſeruare neſcit, liberámque ſuæ perſuaſionis profeſſionem, non ſecus ac Galli eiuſdem perſuaſionis, ſe adepturos ſperantes trium ordinum conuentum haud expectandum putarunt: in quo aduerſarij Pontificij (quos Cardinalitios à Granuellano Cardinale eorum veluti duce appellabant) primas obtinerent, conuentus ſuos publicè egerunt: ibi conciones audierunt, & Sacramenta ſuo more acceperunt, & quotidie maiora ſemper audentes contra Regia edicta armati coierunt; paſsímque ſacras ædes percurrentes omneis diuorum imagines ac ſimulacbra confregerunt. Tum Margarita Parmenſis magis metuens ne cum Gallis eiuſdem perſuaſionis conſociati, quorum multi qui domi malè partas prædas male dilapidarant, ſeſe illis adiunxerant, multi vt ſtolidum populum incitarent, à Caſtilione Amyralio de induſtria miſſi erant, grauem tumultum excitarent, liberam illis ſuæ perſuaſionis profeſſionem permittit, Inquiſitionémque, & Regia edicta ſe executioni haud mandaturam promittit, modo viri nobiles Caluiniani, qui ſe quaſi neutrius partis eſſent, gerebant, viciſſim populo vt arma poneret perſuaderent.

Flādria procerum conſpiratio poſt Hiſpanicam Inquiſitionē promulgatā.

Gueuſij qui, & ridicula eorum geſta dicteriáq.

Margarita Parmenſis Philippi edicti ſeueritatem nonnihil mitigat.

45 Hæc pactio Auguſto menſe confecta, & à Pontificiis, Caluinianiſque ſubſcripta eſt, quam Pontificij viri nobiles aurei velleris equites, cæterique honoratioribus muneribus functi, Caluiniani quoque, & ex populo decem ad id ſelecti ſacramento ſanctiore confirmarunt. In ea perturbatione quum imagines perfringerentur, Antuerpienſes mercatores ſibi timentes ne ſeditioſi in ſuas merces, atque adeo in illos ipſos inuaderent intermiſſa negotiatione alij merces ſuas aliò exportarunt: alij ſolum verterunt. Antuerpia

Digitized by Google

Brabantini Marchionatus celeberrimum emporium eſt, qui licet Germanici Imperij fundus eſſe tradatur, non tamen vt cæteri principes, Germaniæque liberæ ciuitates Imperatori, aut communibus Imperij neceſſitatibus quicquam contribuit: is quinque vrbibus conſtat, Louanio, Bruxellis, Mechlinia, Antuerpia, Buſcoducis. Carolus Imperator in conuentu Auguſtano anno huius ſæculi quinquageſimo celebrato, cui nos Caroli Cardinalis Lotharingi Metenſis Epiſcopi nomine interfuimus, quum Philippum filium Imperij ſucceſſorem deſignare cuperet, Burgundicas Belgij prouincias, & in moneta vbique recipienda, & in multis aliis publicis negotiis, præſertim quæ ad pacem publicam pertinebant, coniungere conatus eſt. Louanium huiuſce Marchionatus antea metropolis eſſe videbatur: poſt erectos anno huius ſæculi quinquageſimo octauo nouos Archiepiſcopatus, atque Epiſcopatus, vt ſupra ſcripſimus, Mechliniæ Archiepiſcopus Belgicarum prouinciarum primas inſtitutus eſt, & ex quadam conſequentia Mechlinia metropolis videri poteſt. At Antuerpia propter maritima, terreſtriaque commercia omnium opulentiſſima ſua priuilegia, ac priuatas leges habet: cuius adminiſtratio quadripertita eſt. Primum locum tenet ſummus magiſtratus, hoc eſt, Marchio, quam nouam dominationem vocant: ſecundum eorum ordo qui decuriones fuerunt (ſcabinos, aut conſules appellant:) tertium viginti ſex ciuium præfecti (capitanei dicuntur:) quartum viginti ſeptem artificum, ſiue illiberalium artium præfecti, quos decanos nuncupant binos ſingulis artificiis attributos. Marchio, aut eius legatus id ſolum ius habet, vt ex certo numero, quem illi ſecundi ordinis decuriones proponunt, præfectum vrbis, itemque alterum agri Antuerpienſis eligat, quos vrbis & vrbani agri Burgimagiſtros vocant, qui ſummam poteſtatem habent. his adduntur duo legati ſeu vicarij (locum tenenteis vocamus) alter ciuilium, alter rerum capitalium præfecti: cæteri magiſtratus communi ciuium conſenſu creantur: nec quicquam maioris momenti ſiue ad principem, ſiue ad ciuitatem pertinet, ſtatui poteſt, niſi hi quatuor ordines inter ſe conſentiant: tributa, portoria, cæteráque vectigalia Reipub. penduntur, paucis exceptis, quæ principi extra ordinem attributa ſunt. Priuilegiorum huius vrbis ſex præcipua capita ſunt: primum, Marchionem ſacrorum miniſtrorum ordinem ſine cæterorum duorum ordinum conſenſu non aucturum: alterum, neminem ſuorum popularium, aut externorum Antuerpiæ vel agri Antuerpienſis incolarum niſi iuriſdictione ordinaria perſequuturum: vbi reus per cauſidicos, procuratores & aduocatos coram omnibus reſpondere, & ſe tueri poſſit. Nullum tributum, nullam pecuniam, nullum vectigal indicturum, nihil denique ſine omnium Brabantiæ ordinum conſenſu innouaturum. Nullum hominem externum ad magiſtratus admiſſurum, paucis exceptionibus additis. Si Brabantiæ ordines conuocabit, extra prouinciam ire non cogentur, extra quam deliberare non debent. Si priuilegia Antuerpienſium aut vi, aut alia ratione reſcindere conabitur, Antuerpienſes à fide, quam illi præſtiterunt, abſoluentur, vbi palam de ſuis priuilegiis teſtati erunt, & ſui iuris deinceps eſſe cenſebuntur.

Antuerpiæ adminiſtratio, priuilegia, & leges præcipuæ.

Dum hæc paſſim iconomachia flagraret, vt Græco verbo vtar, Antuerpienſis Senatus 46
edictum Arauſio principe vrbis præfecto aſſentiente 3. Nonas Septemb. promulgatur, quo cautum eſt ne quis verbo vel re antiquæ, & Pontificiæ religionis profeſſionem, miniſteriúmque in Cœnobiis, cæteriſque templis eidem attributis impediat, aut perturbet pœna capitis indicta: viciſſim ne quis alterius, hoc eſt, Caluinianæ perſuaſionis miniſterium perturbet eadem pœna addita. Arauſium ciues omneis, cæteroſque vrbis incolas vtriuſque religionis modo pacificè viuant, nec vllas turbas cieant, & ciuilibus magiſtratibus pareant, ex æquo in ſuam fidem & propugnationem ſuſcepturum. quæ quidem ita obſeruabuntur, donec Regia Majeſtas ex omnium totius Belgij ordinum decreto aliud ſtatuet. Belgij tumultu ad Philippum Regem perlato ipſe primum cum potenti exercitu in Flandriam contendere ſtatuit: deinde mutato conſilio de exercitus duce deliberatum eſt: quidam vt Carolum filium mitteret, ſuadebant: alij bellum tam difficile adoleſcenti committendum non putabant: Medinæ cœli regulum alij, Albanum alij nominabant. Rigomes, qui apud Philippum multum poterat, vt hic præferretur, obtinuit: non quod homini faueret, ſed quod belli difficultate eũdem de gradu deiicere cuperet: vt noui homines præſtantioribus inuidere ſolent. Coniurati indignatione Philippi Regis intellecta Gallos quidem centuriones ac milites à Caſtilione miſſos initio haud receperunt, quos prædæ auidos illuc confluxiſſe exiſtimabant: cæterum ex indigenis factionem ſuam augere properarunt, & virorum nobilium eiuſdem perſuaſionis vix tertia pars ad conuentus publicos accedebat: cæteri muſſabant, & inter coniuratos, ſiue Caluinianos,

Albanus Medinæ Dux in Belgium tumultus moderaturus mittitur.

& Mar

Digitized by Google

& Margaritam Parmenſem medium quiddam tenebant. Hinc Regij milites conſcripſerunt, de fractis imaginibus quæſtiones habuerunt, conuictos capite mulctarunt, conuentus publicos inhibuerunt: Caluinianos miniſtros, niſi inquiſitioni & Regiis edictis pareent, expulerunt, qui partim ad Buſcumducis, partim Valentianum aufugerunt; quas vrbeis coniurati occupabant. Valentianum (Valencenas quidam vocant) in planitie ſitum Scaldis * * irrigat, qui ex iiſdem Vermanduorum montibus, ex quibus Semona defluens Cambriſium, Cameracum, Valentianum alluit, & Hannoniam ab Atrebatibus, Tornacenſibúſque ſeparans Hainam, vnde regioni nomen inditum eſt, ad Condum recipit, & per Frandriam decurrens, & Liippam ad Gandauum ſecum trahens non longe ab Antuerpia in Oceanum deuoluitur. Hæc vrbs natura, arte, muris, foſſis aqua plenis munita, vt contiguam etiam regionem aqua inundet, perficere poteſt: vt obſidentibus difficilem acceſſum relinquat. Huc & in alias pleraſque ciuitates Margarita Parmenſis Ecmundanum Comitem, Aſcotiúmque regulum mittit, vt Regium præſidium admittant, quod quum plures aliæ admiſiſſent, Valentianenſes quoque, quamquam priuilegiis ſuis immunes, & aliquam pecuniam non ita dudum hoc nomine dependerant, ſe admiſſuros promittunt, modo pactione nuper inita fruantur. Regij recuſanteis, & de conditionibus cum Rege agenteis pro hoſtibus habent: totum vicinum agrum militibus complent, ne quis ex vrbe exeat, aut in eamdem introëat prouident. Noicarmus Marchionis Bergani, aut Bergenſis legatus capto Amani fano vrbem circumſedet: Valentianenſes ſuæ factionis vrbium, præſertim vero nobilitatis auxilium implorant; cuius ſuaſu arma ſumpſerant: at nobilitas nihil dum auſa eſt. Flandri qui ad Occidentem vergunt tumultuariè collecti auxilio futuri ſe itineri dant: ſed peritis belli ducibus carentes dum tempus imaginibus templorum confringendis terunt, & ſacros diuini cultus miniſtros inſectantur, à præſidiariis vicinarum vrbium tam equitibus, quam ſclopetariis peditibus facilè profligantur, & magna ex parte cæduntur: erant enim omnes pedites, nec militari more incedebant: verum diſſipati, ac prædabundi vicos quoſque obuios ſecuri populabantur.

Valencenarum ſitus, oppugnatio & deditio.

47 Exierant ex vrbe & Tornacenſes, & iam aliquantum itineris confecerant: quos Noicarmus cum decem peditum cohortibus ac ſexcentis equitibus facilè fudit, & circiter tertiam eorum partem concidit, ac victoriam perſequutus ex arce milites in vrbem immiſit: Caluinianos miniſtros, & ex ciuibus primores cepit, firmúmque præſidium ibi reliquit: inde & è Duaco, ex aliiſque vicinis vrbibus tormentis aduectis Valentianum acriter pulſauit: muro proſtrato Valentianenſes animo fracti Gallis, quos in auxilium vocarant, non aſſentientibus nono Kalend. Aprilis anno huius ſæculi ſexageſimoſeptimo deditionem fecerunt: nec tamen deditionis conditiones Noicarmus obſeruauit, quibus & ciuibus, & externis de vita & bonis cautum erat: nam vrbem ingreſſus aliquot dies portas occluſas tenuit, & interim Gallos milites, ditiores item ex ciuibus factionis magis ſuſpectos, & miniſtros Caluinianos ſelegit, quos morte plecti iuſſit bonis eorumdem fiſco addictis. Eodem tempore Flaccius Illiricus, & quidam alij confeſſionis Auguſtanæ miniſtri Antuerpiam appulerunt de corporis Chriſti præſentia in cœna cum Zuinglianis, & Caluinianis diſceptaturi: & quum inter ſe conuenire non poſſent, haud diu ibi morati re infecta domum reuerterunt. Melchior Zobellus Herbipolenſis Epiſcopus (Vuirthburgenſem, aut Vuirceburgenſem alij vocant) dum ex vrbe ad quam ad audiendas populi cauſas deſcenderat, in arcem paucis comitatus redit, à quindecim equitibus inuaditur, & in ſiniſtrum humerum ſclopeti glande vulneratur: inſidiatores porta, quam ſocij inſederant, elabuntur. Epiſcopus ſemiuiuus in arcem deportatur: inter vrbem & arcem Mænus fluit, & lapideo ponte tranſmittitur, atque vrbem ipſam diuidit: nemo fugienteis latrones perſequitur: quod Epiſcopi equites aberant, & mercatores Kittingam oppidum deducebant. Huius facinoris authores initio ignorabantur, quod perſonati id perpetraſſent: in ſuſpicionem tandem venit Chriſtophorus Krezerus Guilielmi Grumbachij ſatelles, qui hoc nomine anno huius ſeculi quinquageſimonono in conuentu Auguſtano proſcriptus eſt: & mox in finibus Lotharingiæ captus ſceleris authores indicauit: ac dum Herbipolim deducitur, comitibus non ſatis diligenter obſeruantibus ſeipſum ſtrangulauit. Grumbachius Epiſcopi cæde non contentus vrbem ipſam ſexto Nonas Octobris anno huius ſæculi ſexageſimotertio ſexcentis equitibus, totidem peditibus (octingentos duntaxat alij tam equites, quàm pedites numerant) comitatus ex inſidiis intercepit, ac diripuit: quod voluit, ab Epiſcopo, qui in Noricum aufugerat, & ſacris miniſtris extorſit, & cum ſuis præda onuſtis diſceſſit. Quod fœdus ad ſe perlatum Ferdinandus irritum declarauit, & Grumbachium eiuſque ſocios proſcripſit. Tertio Idus Maij anno huius ſæculi ſexageſimoſexto Grumbachius cum ſociis

Melchior Zobellus Herbipolenſis Epiſcopus à Grumbachio trucidatur.

 in

in conuentu Auguſtano deintegro proſcribitur, quod Herbipolenſem Epiſcopum trucidaſſet,& vrbem ipſam direptam ad iniqua fœdera adegiſſet: pridie Idus Decembris mandatum Maximiliani Imperatoris ad Auguſtum Saxoniæ regulum ſeptemuirum mittitur, quo Ioannis Federici ex eadem familia Saxonica ditiones inuadere iubetur: quod Guilielmum Grumbachium, Guilielmum Steinium, Erneſtum Mandeſloum, cæteroſque Grumbachij ſocios aduerſus Imperij decreta tueatur, ac receptet: is Gotham primariam Ioannis Federici ſecundi vrbem nono Kalend. Ianuarij circumſedit, qui, ac Ioannes Guilielmus,Ioannis Federici quondam ſeptemuiri filij erant. Ioanni Federico ſecundo Grumbachius cæſo per ſicarios Auguſto ſeptemuiro, aut ſi id non ſuccederet, concitata Germaniæ nobilitate, quæ patri eius plurimum fauebat, de recuperanda paterna ſeptemuiratus dignitate ſpem dabat: qua ſpe illectus Grumbachium, ac ſocios domi ſecum habuit: & Germanicis Imperij conuentibus eorum cauſam tueri conatus eſt; quam altius repetere non alienum erit. Inter Melchiorem Vuirceburgenſem Epiſcopum,& Albertum Marchionem Brandeburgenſem controuerſia erat:de qua quum conuenire non poſſent ad arma venerunt: Grumbachius Epiſcopi cliens Brandeburgenſis parteis ſequutus eſt: hinc Grumbachij fundus commiſſus Epiſcopo adiudicatus eſt: Grumbachius è patrimonio expulſus: is tamen inter Epiſcopum, & Brandeburgenſem conueniſſe aiebat, vt clientibus vtriuſque aduerſus patronos militantibus id fraudi non eſſet: quod quoniam falſiſſimum erat,nec probare potuerat,Epiſcopo cædem molitus eſt.

Anno 1567. Nono Kalen.Ianuarij Gotha circumſederi cœpit:Idibus Aprilis anno huius ſæculi ſexageſimoſeptimo dedita eſt. proſcripti Grumbachius, ac ſocij in quatuor parteis diſſecti: 48 Ioannes Federicus Auguſto ſeptemuiro, & patrueli in cuſtodiam traditus: omnibus eius poſſeſſionibus Ioanni Gulielmo fratri, & ſi is ſine liberis decederet, Auguſto ſeptemuiro, eiuſque poſteris adiudicatis. Quod oratio huic libro attexenda ſit de Druidenſi victoria, quæ ciuilis huius belli hiſtoriam plurimum illuſtrat, idcirco hic finem fecimus, ſequentibus libris,quæ deinceps geſta ſunt, ſi vita ſuppetet, explicaturi. Dum enim hæc anno huius ſæculi octogeſimooctauo ſcribebamus, annum noſtræ ætatis ſeptuageſimumquintum agebamus, tametſi ſuperiores libros poſtquam Epiſcopatu Metenſi Ludouico Cardinali Lotharingo anno huius ſæculi ſexageſimooctauo ceſſimus, ſcribere incepimus, ſed maturo iudicio, ne in multorum odia incurreremus, veritas enim odium parit, vt inquit Poëta Comicus, non ſtatim edendos iudicauimus.

FRANCISCI

Digitized by Google

FRANCISCI BELCARII PEGVILIONIS AD PATRES CONCILII TRIDENTINI

Oratio de Druidenſi victoria.

SI quis veſtrum fortè quæret Patres ampliſſimi, cur ex hoc loco, ex quo diuini verbi enarrationes, concionéſque audire conſueuiſtis, hiſtoriam vobis nunc explicandam ſuſcepimus, is profecto decurſu huius orationis intelliget, neque eam hoc tempore eſſe inutilem, neque ab iis negotiis, quæ tanta cura, ſtudioque tractatis alienam. Non ſolum enim verbo, ſcriptóve diuinam vim, mentémque excipere poſſumus: ſed facto plerumque ac re geſta ſenſibus noſtris eam magis imprimere ſolemus. Hic verò, & Regis impuberis optimæque indolis, & regni ampliſſimi ſalus continetur; atque de his hoſtibus victoria, qui patriam expugnare, veſtrum ordinem delere, veram religionem prorſus euertere tentarunt. Qua quidem in re immenſa in primis Dei Opt. Max. bonitas præclaro relucet exemplo, quæ pios nunquam oblata occaſione fruſtratur: verum vbi in præſidiis humanis aut nulla, aut rara ſpes affulget, tum maximè præſenti ope conſeruat, erigit inclinatos; de rebus ſuis etiam deſperanteis in optatiſſimæ portum ſalutis inducit. Iudæis grauiſſima Pharaonis tyrannide oppreſſis, Ægyptiorum barbara immanitate afflictis, longa denique ſeruitute penè attritis, Moſem libertatis aſſertorem excitauit: Bethulienſes Aſſyriorum armis prope debellatos, & iam de deditione cogitantes Iudith nobilis matrona diuinitus liberauit. Quid de Debora, Baraco, & Gedeone dicam, qui Iſraëlitas in extremam rerum neceſſitatem redactos eadem ope tam facilè ab hoſtibus vindicarunt? Quid, quod Regum alienigenarum impietate, Romanorum potentia, nouis Phariſæorum, Eſſeorum, Sadducæorum, aliiſque ſectis quum Iudaicæ leges aut antiquatæ eſſent, aut contemptæ iacerent, ſacerdotium venale proſtaret, vniuerſaque adeo religio prope abolita videretur, tum potiſſimum Deus pater toties promiſſum, propheticis oraculis toties ſignificatum Meſſiam, filium ſcilicet chariſſimum religionis inſtauratorem, & ſempiternæ ſalutis è cœlo demiſit authorem? Caſtigat ſuos clementiſſimus pater ille cœleſtis; quid deliquerint aliis, atque aliis ſubinde adhibitis flagellis admonet: graueis etiam nonnunquam plagas infligit, vt paternam ſeueritatem agnoſcamus, nimiam haud ſentiamus acerbitatem. Caſtigat nimirum non vt perdat, niſi qui ſe ire perditum volunt: ſed magis vt ſui oblitos ad ſe reuocet, erranteis in viam reducat, præſenti fœlicitate excæcatos ad ſpem certioris, ac longè maioris inuitet. *Reuertimini ad me* (inquit) *& ego reuertar ad vos.* Reuertimini (inquam) qui vos à meo conſpectu veſtris ſceleribus tam procul abducitis; qui bella inuicem miſcetis: qui tantam vobis malorum colluuiem veſtra peruicacia, atque improbitate cumulatis. Externa commemorarem exempla, vetera in memoriam reducerem, niſi & recentibus, & domeſticis præſtaret eſſe contentos: ea enim veluti adhuc calente memoria magis afficiunt: & quæ vni prouinciæ Chriſtianæ acciderunt, ea ſua, ac domeſtica Chriſtiani omnes interpretari debent. Quanta non ita pridem Gallia noſtra floruerit, vel belli gloria, vel rerum copia, vel in omni litterarum genere præſtantia, omneis (ni fallor) vel meminiſtis, vel ex aliis audire potuiſtis: quantis autem nunc populationibus vexata, quanta deſolatione vaſtata, quàm multis cædibus fœdata ſit, plerique (mea quidem ſententia) cognoſcitis. Totis ſane quatuordecim ſuperioribus annis, quibus bella nobis cum finitimis continua fuerunt, non tot

Digitized by Google

ex noſtris, quot poſtremis hiſce menſibus ſeptem, amiſimus. Ac parum abfuit, quin hiſce diebus vno prælio, vnóque momento rebus, copiiſque attritis, pij omnes vel de ſolo vertendo cogitarent, vel perpetuo exilio ſibi conſulendum putarent: quod vt facilius intelligatur, rem ipſam paulò altius repetita narratione explicabo. Pace cum præſtantiſſimo principe, religioniſque ſtudioſiſſimo Philippo Hiſpaniarum Rege, atque etiam affinitate inita, quum ſibi bene conſultum noſtri homines exiſtimarent, ecce inopinata Regis Henrici morte verſa ſtatim rerum tota facies: mutati animi nouas belli rationes quærere cœperunt: qui pacem modo tanta contentione poſtularant, tantàque animorum alacritate ſuſceperant, ij mutuis primùm diſſidiis clam ſeſe laceſſere, ſeditioſi verò occulta conſilia inire, conuentus nocturnos facere, mox palam erumpentes Ambaſiæ aperta conſpiratione Franciſcum Regem huius nominis ſecundum,atque eius domeſticos, præſertim qui illi à conſilio erant, inuadere tentarunt. Conatu irrito, & Franciſci morte ſopiti tumultus aliquantulum conquieuerunt; dum illi quæ ad factionem ſuam promouendam pertinebant, modis omnibus adornarent, & impiis ſuis cogitationibus cauſam religionis prætexentes maiora etiam, quàm antea iam animo agitarent. Vere primo nuper detecta conſilia,Regem Carolum impuberem dolo excepturi Lutetiam ad Cõdeum alij properarunt, alij in Caſtilionium oppidum ad Caſtilionem Amyralium (ſic præfectum rei nauticæ noſtri appellant) conuenerunt. Agebat tum Rex vnà cum matre in Regia domo fontis Belaudi (vt vocatur) quæ ab aquarum copia, atque amœnitate nomen accepit, & propter ſyluarum vicinitatem venationibus commodiſſima eſt. Hic Regem interceptum Aureliam vrbem non ita procul inde diſtantem, quam ſuæ factionis hominibus frequentem, inſidiiſque clam collocatis veluti intus obſeſſam ſuam fore, imo vero iam ſuam eſſe non dubitabant deducere deſtinarant. Sed iiſdem diebus Franciſcus Lotharingus Guiſæ regulus magna Gallicæ nobilitatis frequentia ſtipatus horum conſiliorum certior factus Lutetiam appulit. Timebantur præterea Antonius Borbonius Rex Nauarræ, atque Annæus Mommorencius equitum magiſter, qui tum in aulico comitatu erant animis ab ea coniuratione (vt ſatis conſtat) alienis. Igitur Condeus ſe iam detectum agnoſcens, Guiſaníque potentiam veritus Lutetia cum ſuis decimoquinto Kalend. Aprilis anno decimiſexti huius ſæculi ſexageſimoſecundo egreditur, Caſtilioni Amyralio ad Meldam iungitur; ac præmiſſo Andeloto aliquot poſt diebus Aureliam ingreditur: tum vero communicato conſilio ſuos ad arma vocare, ciuitates occupare, antiquæ religionis ſtudioſos anteuertere,omnia quæ ad comparandum bellum opportuna erant,procurare, Anglos etiam antiquos Gallici nominis hoſtes ſollicitare; in Germania equitatum, peditatúmque conſcribere cœperunt. Quum de pace interim ageretur, diſſimulare, differre, nunc aſſentiri, nunc nouas cauſas prætexere, omneis æquas, imo vero & noſtris valdè iniquas pacis conditiones reiicere, totam denique æſtatem magnis vbique miſcendis cædibus traducere, donec viribus in vnum collectis, de rerum ſumma vno prælio decernere deſtinarunt. At vero Nauarrus, Guiſanus, vnàque Mommorencius quamquam cauſa meliore freti, quod antiquæ religionis,ac Reipub. parteis tuendas ſuſceperant, haud tamen in his, quæ ad tantum, tam graue, ac domeſticum bellum pertinebant, comparandis, atque procurandis ſegnes vrbeis, quæ in hoſtium poteſtate erant, alias deditione,alias vi irrumpentes recipere, quæ in fide permanſerant, confirmare, atque auxiliis iuuare, diuerſis regni regionibus diuerſas peditum cohortes, equitúmque turmas (vt quæque magis laborabant) collocare,ipſi cum delecto exercitu, quo tanti belli ratio vocabat, adeſſe: quum Rothomago expugnato, Germanus exercitus duce Andeloto aduentare, & vt ſeſe cum Aurelianis (hoc eſt ſeditioſis, ac rebellibus qui primum ſuæ coniurationis ſpecimen Aurelia occupata ediderunt) coniungeret, feſtinare nunciatur. Igitur Guiſanus atque Mommorencius (nam in ea expugnatione Nauarrus ſclopeti glande ictus, è vita exceſſerat) cum illis (quas tum haud magnas habebant) copiis Lutetiam proficiſcuntur; quod ea ſit regni totius Metropolis, & velut quoddam ærarium, atque egregiam hoc bello operam nauauerat: quam ſimul, ac regionem finitimam hoſteis primum inuaſuros haud fruſtra ſibi perſuadebant: diſperſas præterea toto regno copias, quanta maxima fieri potuit, celeritate cogere, præſertim vero Hiſpanos veteranos, ac Vaſcones quoque pedites, qui partim in Aquitania, partim in Gallia Tranſalpina ſuæ virtutis periculum fecerant, equitatum etiam vndique arceſſere properant, vt iuſto exercitu,ſi res ita poſtularet, dimicarent; & cauſam Dei Opt. Maxim. arbitrio (qui arcanis iudiciis quibus vult victorias deſtinare ſolet) permitterent: nec tamen vllam interim, quo res tota non bello committatur, ſed æqua pace componatur, occaſionem omittunt. Videbant enim (vtrouis inclinaret victoria) non niſi magna totius

totius regni clade ſibi confligendum. Huc vero illos Regina Regis mater, rara probitate ſingularíque prudentia fœmina ſedulo impellebat, quæ hoſce tumultus, tumultuúmque graueis exitus longe ante præuiderat, & initio componere ſummo ſtudio laborarat: ac quod religionis cauſa prætexeretur, Piſſiacum eo nomine totius Galliæ Pontifices anno ſuperiore conuocandos curauerat: & vt Caluinianorum pertinaciam mitigaret, duodecim eorum miniſtros (vt ſeſe illi vocant) ibidem conuenire permiſerat. Quum ne ſic quidem obſtinatos vtriuſque factionis animos placare potuiſſet, omnia nihilominus tentabat, omnem (vt aiunt) lapidem mouebat, inter medias etiam acies plerumque non muliebri, ſed plane virili animo verſabatur, vt vtroſque inuicem conciliaret, & publicæ quieti prouideret. Nec vnquam deſtitit, huc illuc mittendo, colloquendo, Aurelianos monendo, vt antiquæ religionis, patriæ, communis ſalutis, Regis denique impeberis rationem haberent, nec quicquam antequam ille adoleſceret, innouandum putarent, donec iiſdem Lutetia, quam ab altera parte, quæ Aureliam ſpectat, aliquot diebus velut obſeſſam tenuerant, caſtra mouentibus, & in Normaniam ad accipienda Anglica auxilia feſtinantibus, conclamata omnia, ac deplorata prorſus eſſe perſpexit. Tum publicam ſalutem, Regíſque filij teneram ætatem Deo Opt. Maxim. commendans Guiſano ac Mommorencio rerum ſummam permiſit, & ne quid Reſpubl. detrimenti caperet, vt viderent, imperauit. Nullas quum pacis æquas conditiones Aureliani (ſic enim eos ab vrbe, in qua belli ſedem collocarunt, appellamus) reciperent, illi quod reliquum fuit, prouiderunt, & extrema omnia tentare decreuerunt. O admiranda Dei iudicia! quàm homini imperſcrutabilia? quam noſtros excellunt ſua ſublimitate ſenſus? Aureliani quicquid noſtri monerent, quicquid proponerent, quamquam etiam multum illis de ſuo iure decederet, haudquaquam tamen flectuntur: ſed ſolita peruicacia inexorabiles perſeuerant. Diceres cor Pharaonis obfirmatum: vecordes & ſua contumacia iamiam mergendos Ægyptios cerneres: non Dei timor, non patriæ pietas, non cognatus exercitus, adamantina, aut pluſquam ferrea pectora commouerunt. Conſederant vtræque acies non longè à Druidibus antiquo Druidum (vt fama eſt) in Carnutum finibus oppido. Aureliani Vram propinquum fluuium, qui paucis tum locis traiici vado poterat, ſuperare properabant, vt liber aditus in Normaniam pateret, & Anglis iuncti, quos in Normaniam accerſiuerant, incertam belli aleam communi periculo tentarent: ſed noſtri horum conſiliorum haud ignari, noctu ſine tumultu fluuium traiiciunt; ac poſtridie (qui dies decimusquartus Kalend. Ianuarij fuit) dum ſub ortum Solis caſtrametantur, ecce Aureliani inſtructa acie aduentare nuntiantur. Noſtri igitur (quod in planiſſimis campis conſtiterant) primo agmine cui Guiſanus, ac ſecundo cui Mommorencius præerat, non multum à ſe inuicem diſtantibus, & æquato gradu, ac fere æquata fronte ingredientibus, obuiam illis procedunt. Illi primum noſtrorum agmen, quod paululum anteceſſerat, declinantes in ſecundum totis viribus feruntur, primæque duæ coniuratorum alæ duce Moio, atque Auareto, qui Genlio domum reuerſo ſucceſſerat, laxatis equorum habenis irruentes prælium inierunt: quibus Mommorenciana tormenta, quæ in fronte collocata erant, nec hic, nec in altero cornu vlli impedimento fuerunt: bis enim caſſo ictu emiſſa pilis ſupra hoſtium capita tranſuolantibus magna libratorum vel iuſtitia, vel perfidia, & noſtris ſuo fumo hoſtium irruentium aſpectum afferentia plus nocuerunt, quam profuerunt. Streus tormentorum magiſter Caluinianus nullos fere niſi Caluinianos ad tormenta inſtruenda admittebat: hi ſuæ perſuaſionis propugnatoribus parcentes magnam noſtris iacturam attulerunt. Inter Heluetios, qui alterum ſecundæ aciei cornu faciebant, & Mommorencianos Germanos ſtabat Danuilla Mommorencij filius, cum tribus cataphractorum equitum alis Mombronis fratris, Giurij, Bellouaci, & leuiore equitatu, & primus magno impetu inuectos hoſteis excepit, Mombro, ac Giurius fortiter pugnantes cæſi fuerunt: Bellouacus ita vulneratus, vt nunquam poſtea mentis compos fuerit, & intra vertentem annum è vita migrarit. Danuilla ſe ad primam aciem recepit: Moium proximè ſequebatur Condeus cum aliquot Gallorum equitum alis: Condeum Germani equites ſclopetarij circiter mille: hi fracto Danuilla, & ſociis ſibi ſuccedentes, & in Heluetios inuecti ter illorum ordines perruperunt: ter Heluetij ſe in ordines redegerunt: & Rupiſocaldium cum ſua equitum ala idem quod ſuperiores conantem fortiter repulerunt. Repulerunt & Germanos Condei pedites ſolo ſuo horribili aſpectu, & haſtarum vibratione perterrefactos, & tandem, ſed multis amiſſis, atque inter eos ſeptemdecim centurionibus aut ſigniferis ad primam aciem confugerunt. Eodem tempore Caſtilio Amyralius, cum aliis Gallorum equitum alis,

& altero

& altero Germanorum equitum agmine in alterum eiuſdem aciei cornu irrupit, vbi bona pars Mommorenciani equitatus militabat: vndè multi pugnæ initio ſe in fugam dederunt, & poſtridie mane hoſteis victoria potitos Lutetiæ falsò renuntiarunt. Cornibus perruptis cæteram aciem Aureliani facilè diſſiparunt: Mommorencium equo cæſo in alterum ſublatum ceperunt: Aumalium Guiſani fratrem noſtris laborantibus, cum ſuo agmine ſubuenientem equo deturbarunt, equorúmque pedibus conculcatum quaſi mortuum reliquerunt: quamquam mox à ſuis receptus eſt, altero tamen humero grauiter læſo, vnde aliquot menſes decubuit: & iam victoriam animo deuorantes Aureliani exultare cœperant, quum ſuperueniens Guiſanus recenti equitatu, & Gallico peditatu, atque auxiliaribus Hiſpanis in medias hoſtium acies non ſecus, atque horrendum ac rapidum quoddam fulmen irrumpit. Hîc vero & prælium inſtauratur atrocius, & maior vbique editur ſtrages, atque omnia equitum peditúmque robora committuntur, vnáque cum duce fortuna commutatur: vincuntur victores, ac paſſim trucidantur. Ludouicus quoque Borbonius è ſtirpe Regia oriundus (princeps Condeus vulgo dicitur) cui hoſtium exercitus ſacramento ſe obſtrinxerat, vulneratus capitur. Ex noſtris etiam nonnulli, qui è primo conflictu exceſſerant, Guiſanis iuncti communibus viribus in Aurelianos feruntur: illi vndique circumuenti ingenti ſtrage procumbunt, ac prope vniuerſi, præſertim Galli pedites internecione cæduntur: Germani erectis more ſuæ gentis haſtis deditionem faciunt. Exceſſere maturè prælio circiter octingenti Germani, mixtíque aliquot Galli equites Annæo Mommorencio captiuo abducto: mille vero & ducenti Germani, item equites ex fuga in regionem arboribus conſitam, nec procul inde diſtantem ſeſe recipientes paulatim vnà coierunt. At Broſſianus diſciplinæ militaris haud immemor à perſequendis hoſtibus noſtros ne diſſipati inuaderentur, ſubinde reuocans quamplurimos potuit, in ordines redegit. Superuenit, & cum multis equitibus ipſe Guiſanus, alij ex aliis locis vti hoſtes inſequuti fuerant, eodem conuenerunt. Interea noſtri ſpeculatores Germanos coiiſſe, nec longè abeſſe nuntiant: hos de integro inuadendos, quamquam numero plures Guiſanus cenſuit. Nec mora, progreditur cum paucis equitibus Broſſianus, aduerſóſque Germanos fortiter aggreſſus ſclopeti glande ictus procumbit. Huic Guiſanus cum reliquo equitatu à tergo imminens prælium inſtaurat, hoſtiúmque medium agmen multis vtrimque cæſis perrumpit. Et niſi Martigianus immiſſis Gallis ſclopetariis celeriter ſubſequutus, Germanis in ipſo temporis articulo occurriſſet, & pugnam redintegrare conanteis, variis ſclopetorum glandibus obruiſſet, magnum nimirum tum Guiſani equitatus diſcrimen adiiſſet. Sed Germani primum equitatus, mox peditatus noſtri virtute fracti, in læuam declinarunt, ſéque celeriter ſubduxerunt: alij ex priore conflictu diſſipati, atque huc, illúcque palantes partim ſinguli, partim turmis, quo ſors quemque tulit, paucis amiſſis diffugerunt. Perſequuti ſunt & fugientes noſtri, ſed haud longè progreſſos, hoſtium diuerſa fuga, noctíſque tenebræ denſiores dirimunt, & ad caſtra redire compellunt. O quantas duæ illæ coniunctæ acies potuerunt comparare victorias, quantos Chriſtiani nominis facere progreſſus, quam longè, latéque Gallicam propagare ditionem? Sane vel totam impij Turcæ tyrannidem euertere, captiua illa noſtræ religionis primordia (Hieroſolymam dico, atque omnem eam regionem, quam Sanctam appellant) recipere, amiſſum denique noſtra inertia ſeditionibúſque Orientis imperium recuperare potuerunt. Sed Deo aliter viſum, qui vtraſque pariter concurrere permiſit, luſtrandæque hoc tam horrendo piaculo Galliæ noſtræ eaſdem deſtinauit. Quum hæc dico non ſolùm hos qui huic prælio interfuerunt, verum etiam cæteros, qui in multis vrbibus aut militarunt, aut cæſi ſunt, intelligo: quibus eos quoque qui bellis imminentibus operam ſuam deinde præſtabunt, addendos puto: tam potentes enim factiones, tam ſibi infeſtas ſine multis præliis dirimi, aut ſedari non poſſe manifeſtum eſt; quas in Chriſtiani nominis hoſteis conuerti potius, quam inter ſe committi longe æquius erat. Te vero Guiſane Dux inuictiſſime abſentem coram celeberrima iſta tot ampliſſimorum Pontificum frequentia compellabo: tuum enim illi nomen ſumma animorum alacritate audient, & memoriæ conſecrabunt ſempiternæ. Tu vnus hoc noſtro ſæculo (vt egregia adoleſcentiæ tuæ rudimenta prætercam, quibus non ſolum acris ducis, ſed boni etiam militis officium ſæpius impleuiſti) tu (inquam) Romam cum exercitu profectus, integram atque illibatam ſummi Pontificis authoritatem conſeruaſti: tu reditu tuo non cunctando, ſed properando, acerriméque confligendo Caletes nobis reſtituiſti: tu Diuodurium (Theonis villam vulgo appellant) vrbem (vt ferebatur) inexpugnabilem paucis diebus expugnaſti;

tu primus

tu primus religionis cauſam Franciſco II. in Galliis noſtris rerum potiente ſuſcepiſti: tu ſemper pro eadem propugnaſti; tu bellum religionis ergo cum aliis quidem inchoaſti, ſed ſolus confeciſti: atque hunc egregiæ tuæ pietatis fructum, illuſtrem iſtam de impiis hoſtibus, inſignémque victoriam tibi vni Deus Opt. Max. reſeruauit. Viue ergo & tibi, & Reip. Chriſtianæ (princeps inuictiſſime) Deoque, atque hominibus gratiſſime, & æternum tua iſta pietate, & pietate digna fœlicitate fruere, ac ſempiternum coram grauiſſimo hoc tot eruditiſſimorum Pontificum conſeſſu gloriæ monumentum ſuſcipe. Te autem ſolum intueor, in te hæreo, in te ſolo mea conſiſtit oratio: non genus illuſtre, non ingentia proauorum facinora, non Hieroſolymitanos, Neapolitanos, Siciliæque Reges, vnde originem ducis, arceſſam: laudentur hæc in illis, qui ex ſuo quod laudetur non habent. Sed quo feror, Patres ampliſſimi? ego vero argumenti ſuauitate captus, & iam Gallici illius conflictus immemor in ampliſſimo campo laſciuiebam: redeundum tamen, & lætitiæ miſcendus luctus eſt. Lugemus acerbam noſtrorum hominum cladem: vicimus enim, ſed non incruenta victoria: paucos illos quidem, ſed egregios viros hoc prælio amiſimus. Cecidit in primis ** Giurius cataphractorum equitum præfectus, & Regiæ illius, quam diui Michaëlis vocant, ſocietatis eques. Huic acceſſit Mombro ſpectatæ indolis adoleſcens Annæo Mommorencio patri forma ſimillimus, & paternæ iam virtutis certus æmulator: qui ſane me admonet, vt te quoque conſtantiſſime, ac tot, & tantis honoribus perfuncte ſenex, te inquam Annæe Mommorencie hoc loco appellem: quem vt extrema ſenectute captiuum, filiíque chariſſimi ſuauitate priuatum doleo, ſic tuorum, hoc eſt, ſororis liberorum opera, ne dicam ſcelere in haſce indignor incidiſſe calamitates. Quid enim illi potuerunt, quod tu non præſtiteris? Pupillos educaſti, adoleſcentes primum Franciſco Regi, mox Henrico obtuliſti, atque eius familiares aſcripſiſti. Caſtilioni in rem nauticam, Andeloto in peditatum Gallicum ſummum imperium impetraſti: maiorem etiam natu vixdum puberem Cardinalitia dignitate ornandum procuraras, & tot ſacerdotiis auctum in ſummo apud ſuos gradu collocaras: quos magiſtratus, honorúmque faſtigia, & opulentas, ac nobiles quas inierunt affinitates niſi tua cognatione, & indulgentia freti vix aſpicere, nedum ad eas aſpirare potuerunt. Hæccine tantæ erga illos beneuolentiæ proëmia refers. Hoc vero venerandam iſtam ſolare ſenectutem, quod patriam tuis conſiliis auxiſti, pro religione acerrimè propugnaſti, & pro vtraque conſeruanda vergentem ætatem animi vigore ſuperans iuuenili quodam ardore fortunam tentare properaſti. Nec ſatis æquam expertus te hoſtibus veluti mactandum obtuliſti. Cecidit & Iacobus Broſſianus alæ equeſtris ductor, & Regiæ ſocietatis eques, homo ſicut prouectæ iam ætatis, ita & antiquæ virtutis: quicum rei militaris ſcientia paucos noſtra ætate comparare poſſemus. Huius quum multis in bellis periculum fecerat, tum recens copiis Regiis in Scotia præfectus, magnam quam de illo iam omnes conceperant, opinionem vehementer auxerat, atque hoc ipſo in prælio ſtrenuam operam nauauerat. Nam agmini Guiſano ſemper cum paucis equitibus præcurrens, bis princeps cum hoſtibus conflixerat, & per media hoſtium agmina noſtris pone, propéque ſequentibus viam ſternens, Germanum equitatum perruperat. Captus eſt quoque, nec ita multo poſt crudeliter, ac præter omne belli ius cæſus, & animi vir maximi, & bonarum ſemper partium Andreanus Mareſchallus, qui ſicut Henrico Regi fuerat acceptiſſimus, ita & in eius liberis ab impiorum hoſtium immanitate conſeruandis diligentiſſimus, & in propugnanda religione, patriáque tuenda bellator fortiſſimus ad extremum vſque ſpiritum perſeuerauit. Ea ſcilicet iſtorum eſt religio, is Dei timor, ea ſuorum, id eſt, Chriſtianorum charitas, quam nonnulli etiam ipſorum concionatores (tanta eſt ſcriptorum impudentia, atque improbitas) vel libris editis commendare ſolent: vt quotquot egregios aut aliquo titulo illuſtres viros interceperint, vniuerſos pluſquam barbara feritate trucidarint. At tu Andreane vir fortiſſime, Deum illis experiere vltorem, tibi quidem (ni fallor) propitium ſentis: neque enim illorum perfidiæ, neque tuæ pietatis obliuiſci vnquam poteſt. Multa vero inſignia, & dictu horrenda crudelitatis exempla inſana hæc factio edidit, quæ tam à Chriſtiana humanitate aliena ſunt, quam Turcicam ſuperant immanitatem; vt tantam in hominibus, qui Chriſtiano nomine gloriantur, væcordiam fuiſſe, omnis poſteritas vel admiratura ſit, vel omnino non creditura. Sed ad ea quæ noſtri ſunt argumenti propria redeamus, cæſóſque breuiter percurramus. Cecidit & Bordius magnæ ſpei adoleſcens, Franciſco Cleuio Niuernenſium regulo, Campaniæque præfecto in primis charus, & qui

in eadem Campania in officio continenda, plurimum noſtris contulerat. Ipſe vero Cleuius ſclopo ſub ipſum conflictum à noſtris imprudenter emiſſo vulneratus, paucis diebus ſuperſtes fuit. Quid Gilbertum Belcarium Peguilionem alæ Martigianæ legatum, aut Belanum Guiſanæ vexilliferum fortiſſimos iuuenes, ac cæteros eiuſdem animi, alacritatis, virtutis enumerem? Sicut certe non temere Mars optimum quemque ſibi pignerari dicitur, ſic nos etiam florem Gallicæ nobilitatis (quamquam non multi cæſi fuerunt) hoc prælio amiſſum dicere iure poſſumus. Mortui ſunt & ex vulneribus in prælio acceptis, non ita multis interiectis diebus Annibas, atque Hauſſunus Regij equites, equitúmque cataphractorum præfecti, necnon & Gaſto Broſſianus, Iacobi illius Broſſiani (cuius paulò ante memini) maior natu filius, ac nonnulli alij primæ nobilitatis viri. Hoſtes enim illud etiam crudelitatis addiderant, vt ſclopetorum glandes venenis inficerent, & letali neſcio qua tabe temperarent: itaque quotquot illis icti fuerunt, prope omnes vel ægre curati ſunt, vel ſtatim, aut mox violenta morte perierunt. Hos tali virtute, conſtantia, pietate nobis ereptos merito lugere debemus: illis parentare, Deum propitium precari, illorum memoriam ſempiternis conſecrare monumentis. Cæterum vti impios pœnas dediſſe non ægre ferimus, ita pios victoriam retuliſſe lætamur: id enim & diuinæ, & humanæ iuſtitiæ ratio exigere videtur. Qui vero lugere iſtos parricidas poſſimus? patriam impij ſpoliarunt, tot, tantáſque ſuorum patrarunt cædes: tot vrbeis, oppida, pagos, tot inſignia palatia incenderunt, tot ſanctiſſima templa expilarunt, vrbeis etiam nonnullas externis, perpetuíſque patriæ ſuæ hoſtibus (Anglis inquam) prodiderunt, peregrinos immiſerunt exercitus, ſed nec ſacris templis, nec maiorum ſepulcris pepercerunt: immo vero ea prorſus demoliti ſunt: tandem ſcelerum ſuorum furiis agitati ſe in apertam mortem quadam deſperatione coniecerunt. Et niſi Guiſani incredibilis ac pene diuina virtus impiorum furori opportune ſeſe oppoſuiſſet, vniuerſi profecto perieramus, & de Gallia noſtra prorſus actum erat. Sic quondam Maxentium tyrannum Conſtantinus Imperator impium pius, ſed fœliciore victoria, incruentáque ſuperauit: ſic tres Coſdroæ duces, à quo nullas pacis æquas conditiones impetrare potuerat tribus diuerſis præliis victor fregit Heraclius. Vos autem egregij milites quamquam abſentes alloquor, tamen coram iis alloquor, qui viuis proſpera precantur, mortuos etiam pia coram Deo Optim. Maxim. fuſa oratione, & digna veneratione proſequuntur. Vos (inquam) ſiue Galli, ſiue Hiſpani, ſiue Heluetij ad piam cauſam defendendam conſentientibus animis, atque armis coiſtis, ſi eſtis mortui, beatos iudico, qui caducam hanc, & tot tantíſque calamitatibus vitam obnoxiam, cum fœliciſſima morte commutaſtis: qui ſanguinem veſtrum pro aſſerenda vera religione profudiſtis: qui ſceleratiſſima, & mali dæmonis inſtinctu in furorem acta hominum portenta, omnem barbariem ſua feritate ſuperantia in Dei, diuorúmque ſacraria ingredi, ſanctáſque quotidie polluere ædes veſtris obiectis corporibus prohibuiſtis, qui denique quod naturæ debuiſtis, patriæ & religioni propugnandæ exoluiſtis. Itaque non ſecus, atque Iudæi pro Machabæis, qui pro religione, patriáque tuenda ceciderant, diuinum numen propitium ſupplices inuocarunt: ſic publicas pro vobis preces, publicáſque ſupplicationes Senatus hic ampliſſimus in diem craſtinum decreuit, vt quorum parem cauſam eſſe cognouimus eoſdem iiſdem officiis, eodémque grati animi affectu proſequamur. At vos quos Deus non ſolum ex tanta clade ſeruauit incolumes, ſed & nobiliſſima quoque victoria ornauit, qua laudum commemoratione magis celebrabo? pietatíſne, an fortitudinis? qui tantam facinoroſorum hominum colluuiem ingenti & animi, & corporis vigore confeciſtis, ac manus veſtras in ſanguine impio conſecraſtis. Præcipua vobis proëmia conferet Deus Optim. Maxim. cuius cauſam tuendam ſuſcepiſtis, & ab impiis vindicaſtis: nos ſingulare eximiæ veſtræ virtutis elogium coram ampliſſimo hoc totius orbis Chriſtiani conuentu proponere poſſumus: vtrorumque gloriam omnia profecto deinceps ſæcula prædicabunt. Tuam vero in primis Martigiane fortitudinem, qui omnibus noſtrorum copiis pedeſtribus præfectus Hiſpanis lentiore gradu incedentibus præſenti Gallorum alacritate vſus ſub ipſum tempus prælio ſucceſſiſti, noſtróſque equites, totum belli pondus ægre ſuſtinenteis celeriter ſubſequutus vna hoſtes immaniſſimos profligaſti, atque ingentem & virtutis, & prudentiæ famam retuliſti. Quid dicet aliquis, etiámne milites huc euocabis? An vero nobis iſthæc victoria tanti fuit? Fuit ſane: nec magis noſtræ Galliæ, quam totius orbis Chriſtiani, quam piorum omnium, quotquot veram religionem profitentur, dicenda victoria eſt: videtis enim in quam arctos fines Chriſtianiſmus vniuerſus concludatur: quam anguſtis contineatur regionibus, quam paucis vigeat prouinciis: quod

Digitized by Google

quod ſi impij illi ſuperiores euaſiſſent, Galliámque noſtram prorſus occupaſſent, quam breui quod ſanum adhuc, & integrum reliquum erat, partim dolis, partim vi corrumpere potuiſſent? Communem ergo victoriam communis ſequatur gratulatio Patres ampliſſimi, communis gratiarum actio, communes preces, communes coram Deo Opt. Max. ſupplicationes, quis enim fœlicior vnquam illuxit dies; quod maius, aut manifeſtius de vtraque religione iudicium à Deo Opt. Max. proficiſci, quod conſtantius teſtimonium prodire potuit? Scimus quid Heluetiis eadem de cauſa, eodem inter ſe animorum ardore confligentibus acciderit: vti veræ religionis deſertores (hæreticos, aut ſchiſmaticos appellant) & numero multo plures, & lectiores milites, vti ſibi videbantur, occidione occiderint: quo etiam prælio ſeditionis princeps occubuit Zuinglius. Quid Caroli V. pij iuxta, ac magnanimi Imperatoris partas in Germania referam victorias? quid ruſticorum non longe à Rheno Lotharingæ familiæ auſpiciis factam cædem? quo in conflictu Claudius Lotharingus Guiſani huius pater facile primas obtinuit: vt hæreditariam religionis propugnationem iam inde à Gottofredo illo Bullionio in omnem poſteritatem tranſmiſſam in hac familia agnoſcere poſſimus. An etiam adeo cæci ſumus, vt præclara Dei iudicia videre nequeamus? Igitur vno ore in Dei laudes prorumpamus, vno ore lætum canticum canamus, & tanta beneficia grata animi ſignificatione celebremus: atque vtinam & hic, & in cæteris, quæ ad religionem ſtabiliendam pertinent, rationibus, iiſdem animis, eadem pietate, eadem alacritate conuenire poſſimus: ſi ita ſua benignitate Deus annuet: faciemus profecto, & fructus vberrimos, & his, quæ nos quotidie vexant, vexarúntque malis radicem omnem ſuccidemus. Nam ſi huius, quod vobis pro noſtra mediocritate recitauimus, belli memorabilis, & multorum, quæ noſtra tempeſtate geſta ſunt, cauſas penitus introſpiciemus: ſi vere confiteri volemus: cauſas nimirum ipſas magna ex parte in nos conferemus: quum nos dico, totum ordinem miniſtrorum ſacrorum intelligo. Quæ enim à religionis aduerſariis cauſa primum ſuæ diſceſſionis obiecta eſt, niſi quod Chriſtiani gregis Paſtores ſuis officiis deeſſe, ſuos greges verbo Dei nunquam paſcere, prouentus ſacros dilapidare, totum vero ordinem malo impuræ vitæ exemplo dedecorare, ſimplicem plebem à vera pietate diuellere, piis & cordatis hominibus etiam ſcrupulum mouere iactarent? Huc illorum omnes conciones, huc priuata colloquia tendebant: huc libri editi collimabant. His illi argumentis imperitæ plebi, vt ad ſe primum deficeret, perſuaſerunt: & ſeditionibus, belliſque inteſtinis, quæ mox experti ſumus, ſementem ſparſerunt. Radicem itaque ſuccidamus: priſtinam noſtræ functionis inſtauremus integritatem: cauſam profecto malis iſtis omnibus, prætextúmque omnem pariter auferemus: alioqui illis mederi nec hoc tempore, nec in poſterum vllo modo poſſumus. Etenim non ſublata cauſa, grauiores ſæpe recidiui morbi redire, & non amputata radice, ſpinæ, veprésque denſius repullulare conſueuerunt. Si vero eamdem mentem induemus, ſi ſpiritu eodem feremur, ſi eodem Reip. Chriſtianæ inſtaurandæ ardore flagrabimus: ſpiritus nimirum ille ſapientiæ, intellectus, conſilij, & ſcientiæ (vt ab Eſaia vocatur) noſtros ſuo afflatu animos inſpirabit: Chriſtus ſua (quæ in vnione conſiſtit) pace, ſua incredibili nos charitate donabit. His vero tecti armis ſecuri prorſus eſſe poſſumus, & pacem hanc externam (vt loquuntur) hoc eſt, à bellis, ſeditionibúſque vacationem, nobis noſtro iure pollicebimur. Nam cui bene cum Deo conuenit, eidem vt cum aliis quoque cõueniat, facillimum eſt. Hinc certa, atque indubitata nimis irati erga nos Dei ſigna colligere poſſumus Patres ampliſſimi; quos quinquaginta fere hoſce annos tot, tantíſque bellis ſibi mutuo ſerie quadam ſuccedentibus, tot ſeditionibus vexatos, tam miſere afflixerit, vt Babylonica exilia, Iudæorúmque tantopere celebratas ærumnas facile ſuperarint. Quot noſtras impius Turca Chriſtiani nominis acerrimus hoſtis inuaſit prouincias? quot inſulas occupauit? quot ſi nõ occupauit, certe extrema internecione vaſtauit. Quãtas Chriſtiani nobis ipſi mutuo importauimus calamitates? quod enim ſupereſt malorum, nobis ipſi conciuimus. At Turcicæ quidẽ illæ quamuis ſæuiſſimæ, atque immaniſſimæ fuerint inuaſiones, tamen cum iſtis cõparari nullo modo poſſunt. Nulla enim domeſticis, ac ciuilibus bella crudeliora eſſe conſtat. Sic nobis (vt inquit Paulus) foris bella, intus timores, aut etiã bella grauiora ſemper fuere. Neque illa quę ciuili aliqua ratione ſuſcepta ſunt, commemorabo, quamuis multa interceſſerint: ſed mitiora ea aliquãto (ſi quid mite in bello eſſe poteſt) fuerunt: nec tanto animorum ardore flagrarunt. Quæ vero religionis cauſa ſuſcepta ſunt, quam immania fuerint, quanta contentione, imo quanta rabie miſcendis mutuis cædibus ſæuierint, vel hoc poſtremum in Galliis noſtris tanta hominum ſtrage profligatum bellum teſtimonio eſſe poteſt. His omnibus cauſam præbuit antiquæ religionis deſertor

RRRr 2 Martinus

Martinus Lutherus, qui primum vt Saxones, mox vt bona Germaniæ pars, priſcis moribus conculcatis à religione toto Chriſtianiſmo recepta deficeret, procurauit. Ecce quantula ſcintilla quantum ignem accendit? Sane Lutherianæ illæ conciones, veluti fulgur quoddam Germaniam pene totam paucis annis prætervolarunt. Acceſſere paulatim Heluetiorum pagi complures noua condita ſecta, diſcipulis à Luthero præceptore diſſentientibus. Quid? fatalis ille ignis non ita multo interiecto tempore per omneis fere orbis Chriſtiani exarſit prouincias: duas præcipue excipere poſſum Italiam atque Hiſpaniam, quæ integræ adhuc, & ſua quodammodo ſe mole ſuſtentant. Nam quid de Gallia noſtra dicam? quo in ſtatu res illius fuerint, videtis. Profecto eius ſine lacrymis meminiſſe non poſſum: flagrauit, arſit, hoc igne pene tota vaſtata eſt. Quod ſi abſumpta prorſus fuiſſet, duas illas reliquas (mihi credite) ſibi hinc, inde finitimas vel ſuis cineribus inflammaſſet, atque vno totum orbem Chriſtianum conſumpſiſſet incendio. Quapropter vos appello Patres ampliſſimi; vos inquam appello, quotquot locum dicendæ ſententiæ in hoc Concilio obtinetis: ſubuenite labenti Reip. Chriſtianæ, erigite cadentem, inclinatam veſtris fulcite ſententiis: ſi dignos hoc gradu geretis ſpiritus, ſoli hanc flammam compeſcere, imo vero prorſus reſtinguere poteſtis. Viceſimusſextus hic (ni fallor) agitur annus, ex quo primus illi mederi Concilio huc indicto, conatus eſt Paulus III. Pontifex Maximus; dilatum eſt, diſſimulatum eſt, variis factionibus certatum eſt: donec Bononiam Concilium tranſlatum: illic vero & maiores moræ, & plures contentiones, & acriores factiones interceſſerunt. Itaque huc rurſum reuocatum eſt: tandémque bellis inualeſcentibus Concilium dimiſſum: re infecta ſeſe ad ſuos ſinguli Pontifices receperunt. Ventum nunc ad ſupremum eſt (inquit ille) nullus amplius relinquitur, diſſimulationi locus. Aut hoc Concilium totum orbem Chriſtianum conciliabit: aut, ſi re infecta diſcedetur, in certam atque imminentem præcipitabit ruinam. Quamobrem vobis in primis videndum eſt Patres ampliſſimi, ne quid præiudicati dono afferre, ne quid in gratiam dicere, ne quam rei priuatæ rationem habere videamini: publica religionis cauſa agenda eſt, in hanc totis animis incumbite, huic ſtudete, in hanc ſolam, vt in præſcriptum vobis à Chriſto ſcopum collimate: ſi aliorſum auertetis oculos, actum de religione eſt, neque quod expectemus vltra, iam ſperare poſſumus. A vobis ſolis pendet totus orbis Chriſtianus, in vos ſolos oculos conuertit: in vobis quietem ſuam, & ſalutem collocat: videte ne veſtra ſocordia iuſtam tot piorum hominum ſpem, ne vos ſpe inani fallatis: ne Chriſtianæ religionis hoſtes certa cœptorum conficiendorum ſpe, quam iam nimiam conceperunt, impleatis. Notantur vniuſcuiuſque noſtrum dicta, notantur ſententiæ, notantur & ſi quæ interceſſerunt factiones: celari diu non poterunt, in vulgus efferentur, ſtatim omnibus luce fient clariores. Si per vos ſtetiſſe quominus publica pax conſtituatur, palam erit, profecto vos religionis, ac publicæ quietis proditores inteſtabiles, Deo, hominibúſque inuiſos mortales omnes diris omnibus deuouebunt. Quapropter ferte dignas hoc gradu, in quo collocati eſtis, dignas iſta frequentia, dignas celebri totius Chriſtianiſmi Concilio ſententias: nihil timidè, nihil ſimulatè, nihil in gratiam, nihil auarè dictum à vobis prodeat. Neque tamen iſtud à me eo proferri quis interpretetur Patres ampliſſimi, vt de veſtra vel integritate, vel pietate, vel præſtanti eruditione dubitandum mihi fas eſſe exiſtimem: quas cum mecum ipſe conſidero, diuina equidem prouidentia celeberrimum iſtud, frequentiſſimúmque Concilium in hæc vſque tempora dilatum mihi perſuadeo, vt ſub Pontifice verè Pio, pacíſque publicæ tantopere ſtudioſo, qui vt vos coiretis ſua interpoſita authoritate decreuit, conſentientibus tot ſanctiſſimorum atque eruditiſſimorum Pontificum ſententiis vera religio in integrum reſtitueretur, & malis moribus, peruerſarúmque opinionum exterminatis ſectis priſtinæ ſinceritati redderetur. Te enim Pie Pontifex Maxime, ac ſanctiſſime hæc manet corona: tibi hoc ingens de inſtaurata religione, ac nobile trophæum reſeruatur. Quod qua ſapientia, animíque ſublimitate præſtas, tuo tempore erigendum curabis: nec hanc gloriam elabi, aut ad eos qui tibi in hoc gradu ſuccedent, tua negligentia tranſmitti ſines. Neque vero egregiæ iſti ſummi Pontificis, ampliſſimorúmque patrum voluntati deeris Ferdinande Imperator potentiſſime, ſed qua foris aduerſus Turcas animi magnitudine, pro amplificanda, conſeruandáque religione hactenus vſus es: eadem (ſcio ac vere confirmare poſſum) etiam domi in ſedandis totius orbis Chriſtiani ſeditionibus veteris, ac ſempiternam ex hoc Concilio tibi, filióque chariſſimo Regi Romanorum inuictiſſimo (qui hac ſingulari dignitate magno Germaniæ totius ſtudio non ita pridem auctus eſt) memoriam conſecrabis. Cuius ſane

Digitized by Google

ſane laudis haud exiguam etiam portionem ſibi vendicabit gener tuus Sigiſmundus Auguſtus Poloniæ Rex clariſſimus, ac religionis natura ſua, maiorum exemplo, & præclaris tuis monitis ſtudioſiſſimus, qui repurgando regno, ditionibúſque ſuis impiorum iſtorum peſtilentiſſima contagione labefactatis tam egregiam operam nauauit, vt & ſe Deo Optim. Maxim. chariſſimum, & affinitate tua digniſſimum plane declararit. Atque vt filiam tuam Catharinam raræ pietatis, pudicitiæque fœminam fauſtiſſimis auſpiciis ſibi aſciuit vxorem, ſic cæteros generos tuos principes nobiliſſimos, fortiſſimóſque ad eandem palmam capeſſendam vehementer incitabit. Perſpectum enim habemus quam multis, quamque claris affinitatibus Auſtriacæ familiæ ſplendorem auxeris, quantam inde Reipubl. Chriſtianæ propugnandæ potentiam compararis, quam ſedulo per ampliſſimos viros, ac mira probitate, ſingularíque eruditione præditos Pragenſem atque Quinqueclienſem Pontifices oratores tuos primum de inſtauranda miniſtrorum ſacrorum diſciplina, deinde de componendis controuerſiis, tum de promouendo toto hoc Concilio hic egeris, quam ſignificationem egregiæ tuæ, ac vere auguſtæ voluntatis dederis: quam anxia huius tanti negotij conficiundi cura te diſtineri oſtenderis: qui vel hic vna cum Epiſcopis adeſſe (ſi res ita poſtularet) ſpoponderis: quam ſponſionem diuino equidem inſtinctu oblatam interpretor, vt non minorem à tua Cæſarea Majeſtate Tridentinum hoc, quam à Conſtantino Nicenum Concilium recipiat authoritatem: & tu eandem à Tridentino, quam ille à Niceno gloriam reportes. Si frequentiam ſpectemus, raro in Eccleſia Latina quamuis olim latiſſimis finibus explicata, nunc vero anguſtiſſimis concluſa terminis, tot Pontifices coiuere. Si rem expendemus, nunquam plures, neque maioris momenti interceſſere contentiones: quo magis de tanta victoria, hoc eſt, de totius orbis Chriſtiani conciliata voluntate, ac pace vbique conſtituta, tua Auguſta Majeſtas ſuo iure poterit gloriari. Sane quantum Regina Regis noſtri mater, mulier præſtantiſſima hac in re laborarit, religioníque componendæ ſtuduerit, quantum Rex ipſe (licet impubes) ſtudium declararit, quam conſtanter per Henrici patris in primis pij principis veſtigia ingreſſus ſit, quanta alacritate prudentiſſimæ matris monita, ſapientiſſimorúmque virorum, qui ſunt illi à conſilio ſuſceperit Gallia noſtra ſatis, ſupérque teſtari poteſt. Quam inſignem illius voluntatem, & maiorum omnium exempla, & eximia quædam indoles, præſertim vero magni animi princeps, veréque pius, ac ſinceræ religionis propugnator, Philippus Hiſpaniarum Rex eius frater confirmabit: qui tot præclara admirandæ ſuæ pietatis, ac fortitudinis foris, domíque teſtimonia edidit: qui tam opportunis eumdem nuper iuuit auxiliis: qui denique conſtantiæ laudem cum cæterarum innumerabilium virtutum laude cumulans, illibatam fere ſolus in ſuis ditionibus tam latè patentibus, tam procul à ſe inuicem diſiunctis veræ religionis conſeruauit antiquitatem. Confirmabit & Sabaudiæ, Lotharingiæque regulorum in eadem protegenda religione coniuncta voluntas, atque fortitudo: quorum alter Caroli Regis amitam, ſororem alter duxit vxorem. Quid de Rege Luſitaniæ dicam? de quo quamquam propter teneram adhuc ætatem, certum iudicium proferri non poteſt: tamen vt ex educatione tali principe digna, ex optima indole, maiorum ſingulari virtute, & regni adminiſtratione lectis, atque ſapientibus viris commiſſa coniicere licet, proauum Emanuelem, atque auum Ioannem eius nominis tertium (nam pater decimoſexto ſuæ ætatis anno è vita exceſſit, vt magis quid poſteri de illo ſperare deberent, oſtenderit, quam certum imitationis reliquerit exemplum) ſumma nimirum alacritate imitabitur. Quorum alter ab Occidente ad Orientem vſque Oceano delatus barbaríſque nationibus ſubactis victor ditionem ſuam longè, latéque propagauit. Alter partum iam imperium non minore induſtria conſeruans, ſæpe cum Turcicis Africanorúmque regulorum triremibus ſumma fœlicitate conflixit: Barbaros multis victoriis ſuperatos in fide confirmauit, eoſdem vanis vanorum aut potius nullorum deorum ſimulacris conculcatis Chriſtianiſmo initiatos ad manſuetius, & humanius vitæ genus traduxit, melioribúſque inſtitutis & moribus aſſuefecit, atque Imperij ſui fines religionis propagatione ſtabiliuit. Aderit & Regibus proxime annumeranda ac fortaſſe æquanda Venetorum Reſpublica: quæ ſicuti inter omneis orbis Chriſtiani ciuitates, non ſecus, atque ſplendidiſſimum aliquod ſidus, ſua elucet ſapientia; ita & cæteros totius Italiæ principes, & ſi per ſe ſatis promptos ſuo tamen exemplo ad pulcherrimi facti gloriam pariter fruendam magis excitabit. Hos cum veſtrorum decretorum fautores promptiſſimos habeatis patres ampliſſimi vti ſinguli miſſis,

huc ſigillatim legatis publice declararunt, profectò vt vobis ipſi ſoli defuiſſe videamini committere non debetis. Nec illud vos torqueat, quod huc nondum aduerſarij noſtri acceſſerunt: ſi enim ſolita peruicacia veſtrum conſpectum refugient, ſi in latebris ſuis conſcientia victi deliteſcent: ſi vniuerſæ Eccleſiæ (cuius vos perſonam ſuſtinetis) iudicium pertimeſcenteis veſtra ora ferre non poterunt, ſed ſicut rei de eluendis criminibus deſperantes ſponte ſibi exilium indicent: tum vero illis aqua & igni interdicetis, & totius Chriſtianiſmi cœtu priuatos malis diris, Satanæque addicetis. Ac nihilo ſecius quæ controuerſa ſunt, definientes, antiquámque Eccleſiæ diſciplinam renouantes celeberrimum hunc conuentum bona cum pace dimittetis. Hoc à vobis petimus, patres ampliſſimi, imo vero petit, inſtat, flagitat totus orbis Chriſtianus: cui vos aliter ſubuenire non poteſtis. Faxit Deus Optimus Maximus, vt & veſtræ dignitati, & publicæ neceſſitati maturè ſatisfacere poſſitis.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM
IN HOS GALLICARVM
RERVM COMMENTARIOS.

Prima nota Arithmetica librum, ſecunda numerum libri deſignat.

A

ABBAS cœnobij Angelici vinctus. l. 2. n. 34.
 à Leſcuno ad Nannetes abductus. ibid.
 de Aquitani morte ſuſpectus quæſtioni adhibetur. 2.34.
 Noctu in carcere fulmine ictus perit. ibi.
Abbeuillani, Ludouici XI. ducibus ſuæ vrbis portas aperiunt. 3.16.
Abbeuillani Crepecordij opera in Burgundionis fide retenti. 2.22.
Abduam inſcio Lautrecio fœderati vt traiiciant. 16.48.
Abduana pugna. 11.15.
Abbiatum Antonio Leuæ deditum. 19.40.
Academia Dolana quando, & per quem erecta. 4.3.
Achmetus Baſſa in Muſtaphæ locum ſuffectus. 17.27.
Achilles Thorellius. 14.30.
Achomates Baſſa Baiazetis dux acerrimus. 6.13.
Adamas Burgundicæ domus orbis Chriſtiani pulcherrimus. 3.17.
 Floreno Rhenano dumtaxat væniit. 3.18.
Adami Germani, Guiſani domeſtici in herum quanta fidelitas. 15.19.
Adolphus Schauemburgius in locum Hermanni Colonienſis Epiſcopi ſurrogatus. 24.33.
Adolphus Gueldrenſis, crudelis & impius in patrem. 2.42.
 Ideo exhæredatus. ibid.
 Suæ impietatis pœnas dat. 2.42.
Adolphum Geldubenſem Namurci vinctum Gandauenſes educunt. 3.32. *loco* 23.
 Exercitui præficiunt. ibid.
 Cæſus. 3.33.
 Quomodo. ibid.
Adorationis cultus Cyro Perſarum Regi primùm tributus. 5.41.
Adrianus Hoſpitalis Amalrium Moſſæum ad Nannetes proficiſcentem in fugam vertit. 4.31.
Adrianus Pontifex Hiſpanos pedites in Inſubres mittens. 17.21.
 Eoſdem ad Cæſarem mittit. 17.36.
 Vita fungitur. 17.55.
 Illius ſucceſſor, quis. ibid.
 Nouæ aduerſus Franciſcum I. ſocietatis auctor. 17.40.
Adrianus Mallius Contius Rheginenſis præfectus. 6.38.
Adrianus Croius Picardiam cum exercitu ingreſſus. 21.52.
 Peronam obſidione cingit. 21.52.
Adrianus Mombronus in conflictu Foronouano Carolo VIII. Galliarum Regi comes adiunctus. 6.30.
Adrianus Batauus Cæſaris præceptor in S. Cardinalium collegium vocatus. 17.2.
 Dein Pontifex Max. creatus. 17.2.
Adurniorum ſimultates cum Ioanne Ludouico Fliſco. 7. 39. & 40.
Adurnij Genuam occupare nequidquam moliti. 14.59.
Ægidius Leuantius dux celebris. 23.35.
Ænariæ arcis cura Iano Daualo credita. 6.16.
 à Gallis nequidquam circumſeſſa. ibid.
Aëris temperies ad Turones gratiſſima. 4.15.
Aërienſis Comitis poſſeſſionibus donatus Aubignius à Carolo VIII. 6.16.
Aëriam Philippus Crepecordius ad deditionem compellit. 4.16.
Agathopolis, & mons Peſſulanus idem. 7.38.
Agathæ fanum occupatum à Conſaluo. 6.39.
Aghilarius vir fortis, Bethicíſque bellis aduerſus Mauros multum exercitatus. 6.38.
 Ferdinandi Arragonij in regnum reducendi ab Hiſpano curam & mandatum accipit. 6.38.
Agrippinenſe bellum. 2.43. & 46.
Agrippinenſes à Ludouico XI. auxilia poſcunt. 2.46.
Alarco Mediolanum à Cæſare miſſus. 18.12.
 à Franciſco in fugam verſus Laudem Pompeij cõtendit. ibid.
Alba vnde Regalis dicta. 23.41.
 Solymanus obſeſſurus Albam merito creditur. 23.41.
 Per Anguianum ac Strozzam deditionem compellitur. 23.60.
Albani noua & inaudita crudelitas. 27.6.
 Querimoniæ de Paulo IV. Pont. 27.22.
 Pauli reſponſum. 27.24.
Albani litteræ ad Pontificem. 27.25.
Anagnia ab eo capta. 27.28.
Albanus Medinæ Dux in Belgium tumultus moderaturus mittitur. 30.46.
Albiniana pugna *vide* Pugna Albiniana.
Albertus Brandeburgenſis fœdere cum Carolo V. comprehendi nolens Henrico II. adiungitur. 26.10.
 Francofurti oppugnationem redintegrat. 26.10.
 Varia oppida ſibi ſubiiciens. 26. 10.
 Merito Guiſano ſuſpectus. 26.17.
 ne Mommorencius Guiſano adeſſe poſſit, obſtitit. 29.17.
 Volfangi ditiones & agrum Nurembergenſem vaſtat. 25.52.
 Proſpera fortuna fit inſolentior. 25.52.
 Claudium Lotharingum ſuperat 26.21.
 Metim caſtra deducit. 26. 22.
 Infeliciter dimicat ad Viſurgim fluuium. 26. 28.
Albertus Petra prælij Bicoquenſis auctor. 17.8.
Albertinus Boſchetus. 7.5.
 Eiuſdem inſignis perfidia. ibid.
 In partes diſſectus. 10.26.
Albarettum. 7.12.

Digitized by Google

Alduaſdubis fluuius. 14.3
Albreto Anna Britanni filia deſponſa. 4.31
Albretus cum quatuor peditum millibus ex Hiſpaniis in Britanniam traiicit. 4.33
in Aurelianum cur exaſperatus. 4.34
Alegria familia inter Aruernos illuſtriſſima. 6.12
Alexander VI. eius nominis Pontifex Max. natione Hiſpanus. 5.2
De Ferdinando Neapolitano, & Petro Medice vehementer queritur. 5.3
Rationibus multis eum Ludouicus Sfortia aduerſus Virginium Vrſinum, & Ferdinandum Neapolitanum accendere molitur. 5.4
Cum Venetis ſocietatem iurat. 5.5
Item & cum Mediolanenſi duce. ibid.
De Ferdinando Neapolitano queritur. 5.13
Eodem mortuo cum Alphonſo ſocietatem renouat. 5.14
Quibus articulis. ibid.
Carolo VIII. Galliarum Regi ſuper regnum Neapolitanum arbitros offert. 5.17
Aduerſus eum pro regni Neapolitani conſeruatione arma ſumere deliberat. 5.17
Oſtiam Nicolao Vrſino Petiliano duce procurante recipit. 5.19
Eiuſdem cum Alphonſo Neapolitano de bello imminente colloquium. 5.19
Qua de cauſa triremes ſuas Arragoniis iungere differat. 5.19
Ferdinando Calabro aliquot equitum turmas auxiliares mittit. 5.21
Sed hoſtibus in agrum Romanum excurrentibus eaſdem reuocare coactus. 5.23
Oſtiæ arx Columnæ dolo eidem erepta. ibid.
Carolum VIII. ni bellum Neapolitanis inferre deſiſtat, malis diris ſe deuoturum comminatur. 5.25
multos ad Neapolitanorum opem hortatus. 5.25
Venetos per Caliguritanum Pontificem. ibid.
& Ferdinandum Hiſpanum. ibid.
Tot Caroli VIII. victoriis perterritus Roma migrare properat. 5.38
Concordienſem, Ternitanúmque Pontifices Carolo pacis conditiones quas vellet oblaturos, miſit. 5.38
Caroli Legatos in Adriani molem compulit. 5.38
Carolum VIII. in vrbem Romanam cum vniuerſo exercitu admittit. 5.40
Quibus de cauſis cum Maximiliano Imperatore, Ferdinando Hiſpano, & Ludouico Sfortia Sociatus. 6.18
Carolum VIII. Galliarum Regem Romæ iam vicinum eſſe certior factus, ſuis comitantibus Orbitum, inde Peruſiam conceſſit. 6.22
Arces multas Carolo ſponte annuente recepit. ibid.
Centumcellanam. ibid.
Auxuritanam. ibid.
Oſtienſem. ibid.
Virginium, ac cæteros Vrſinæ familiæ viros in Cardinalium cœtu læſæ maieſtatis reos declarat. 7.34
Cum iiſdem conuenit. 7.35
Ludouicum XII. in ſocietatem vt receperit. 8.12
Alexander Pontifex Max. cauſa cur Galli regnum Neapolitanum amiſerint. 9.37
Veneno hauſto in hortis Adriani Cornetani Cardinalis extinctus. 9.39
Diuerſæ factiones poſt illius mortem exortæ. 9 40. & 42
Illius ſucceſſor, quis. 9.43
Alexandria ad deditionem à Lautrecio compulſa. 19.37
Alexandria Gallis erepta Guelforum temeritate. 17.4
Alexandriam Galli oppugnant. 8.25
Expugnant. 8.26
Diripiunt. ibid.
Alexander Farneſius concordibus Cardinalium ſuffragiis in locū Clementis Summi Pontificis ſurrogatus. 20.57
Paulus III. deinde nuncupatus. ibid.
Alexandri Farneſij Cardinalis rationibus concilij alicuius generalis neceſſitas probata. 22.41
Alexander Beraldus equitum ſub Venetis præfectus, pugna Foronouana cæſus. 6.31
Alexander Triuultius glande ictus extinguitur. 16.39
Mirandulam Iulio Pontifici Max. dedere compulſus. 12.23. & 24.
Illius prudens conſilium de Mutina aut Bononia oppugnanda. 12.26
Alexius Beccacutus Græcorum in Foronouana pugna ductor. 6.31
Algerianæ expeditionis ſuſceptio. 22.54
Algerium Iubæ olim regia. 22.57
Algeriana expeditio Carolo V. infauſta. 22. 57. & 58
Allobrox Franciſcum I. in conuentu Spirenſi per legatos accuſat. 23.55
Varia conuentus ſoluendi decreta. 23.57
Allobrox imprudentiæ accuſatus quod poſt cladem Laurentianam victoria vti neſcierit. 27.59
Almendatum quid. 19.13
Aloyſius Aduocatus. 6.31
Aloyſius Geſualdius Compianus Princeps. 7.14
Alphonſus Calaber Senenſium vrbe occupata plurimos tum exitio, aut carcere; tum morte damnat. 4.10
Alphonſi Caſtulonenſis ac Comitis Cantorbienſis contentio de imperio. 5.6
Alphonſus Daualus fugiendo arcis Nouæ Gallis dedendæ occaſionem præbet. 6.11
Alphonſus Ferdinandi Neapolitani filius fœdus cum Petro Medice occultè percutit. 5.2
Alphonſus Ferrarienſis Romam vocatus conditiones ſibi oblatas repudiat. 13.45
Alphonſus Neapolitanus mortuo patre Ferdinando de renouanda ſocietate cum Alexandro Pontifice ſollicitus. 5.14
Cum Florentinis. ibid.
Quibus legibus in Alexandri ſocietatem admiſſus. 5.14
Bellum aduerſus Sfortias & Gallos inchoat. 5.19
Fregoſios vlciſci ſe velle ſimulat, vt facilius Genua potiatur. 5.19
Eiuſdem cum Alexandro Summo Pontifice de belli imminentis ratione colloquium. 5.19
Exercitus. ibid.
Ferdinando filio ne vniuerſis viribus, niſi magna occaſione confligeret, iniungit. 5.23
Tyrannus meritò appellatus. 5.27
In fœnore & auaritia fœdiſſima nulli Iudæo ſecundus. 5.27. & 28
Eiuſdem immanitas pluſquam ferina. 5.28
Filium ſuum Ferdinandum Regem creat. 6.1
in Siciliam aufugit. 6.1
Eiuſdem mors Meſſanæ. 6.42
Alphonſus Neapolitanus Columnarum conſilium de inuadenda ex inſidiis Roma facilè probat. 5.5
Meſſanam profectus vt in Valentino Hiſpaniæ monaſterio cum viris ſolitariis Oliuetanæ profeſſionis quod ſupererat vitæ tranſigeret, calculo diem ſupremum obit. 6.1
Mantuanum in fugam coniicit. 4.9
Poggibuſio potitur. ibid.
Venetorum ciſternas veneno inficere tentat. 5.13
Alphonſus Petrucius Cardinalis Senenſis Leonis Pontif. Max. vitæ inſidiari deprehenſus. 15.48
Detectus Roma cedit. ibid.
Sed Romam reuocatus in Adriani molem coniicitur. 15.48
Cardinalitio gradu deiectus, & ſtrangulatus. 15.49
Alphonſi Soto maioris ſingulare certamen cum Baiardo. 9.27
Amadæus Allobrogum dux, quando Vercellis potiri cœperit. 7.2

Amalrius

Amalrius Moſſæus ad Nannetes proficiſcens ab Adriano Hoſpitali fuſus,atque cæſus. 4.51
Amanius Albretus Horuallus. 14.5
Ambaſiani in hoſtilem agrum excurſiones. 11.12
Ambianum à Ludouico XI. occupatum. 2.22
Ambitio timida & ſuſpicioſa. 2.12.& 18
Ambitionis effectus quinam ſint. 4.13
Amblitellium à Gallis captum. 25.20
Ambuſius inferioris ordinis cubicularius Carolum VIII. in Summo periculo conſtitutum haud deſerit. 6.31
Amici paterni in magnis imperiis rarò filiis accepti. 1.10
Amida filius Muleaſſis regnum paternum vt occuparit. 23.47
Anabaptiſtæ, Monaſterium Weſtphaliæ metropolim vt occuparint. 21.3
Sectæ Anabaptiſticæ origo, & capita. 21.3
Anagnia per Albanum capta. 27.28
Anaſtaſius à ſancta Camella peremptus. 17.25
Ancenium Riuij arx expugnatur. 4.33
Andegauum per Meſbretinum vt occupatum. 29.44
Andegauenſes quamdiu ſceptro potiti. 5.8
Andreas Altauilla. 6.39
Andreas Auria Genuenſem claſſem in Gallorum poteſtatem redigit. 19.37
Aurianæ triremes vi tempeſtatis ad Sardiniam coortæ diſſipantur. 19.45
Andreæ Auriæ opera Genua Gallis erepta. 20.25
Andreæ Auriæ palatium à Gallis direptum. 20.18
Illius perfidia res Gallorum maritimæ nullum progreſſum faciunt. 19.51
proditio à Franciſco I. palam fit. 20.8
Quid illum à Franciſco deficere impulerit. 20.11
Andreæ Barbati Auguſtiniani acerrimis concionibus ingens Mediolanenſibus Gallorum odium iniectum. 17.4
Andreas Grittus Conſtantinopoli vinctus. 10.8
In Soncinum Benzonium crudelis. 12.4
Andreas Fuxius Aſparrus Nauarricum regnum recuperat ſimul & amittit. 16.23
Andreas Lauredanus. 8.31
Andreas Meralius eques Luſitanus Solymano Rhodiam militiam prodidit. 17.18.& 19
Litteras ad Turcicos Baſſas mittit. 17.26
Andreæ Meralij proditio. 17.26
Vt detecta. 17.29
De eo,& eius ſeruo ſupplicium ſumptum. 17.29
Andreas Zancanius Veneti exercitus dux. 8.30
Angeli Catthi ciuis Tarentini prædictio. 5.17
Anglia, Angli. In Anglia duæ factiones. 2.26
Anglorum in bello conſuetudo. 2.28
Anglia 11. diebus in Varuici poteſtatem redacta. 2.32
Sed 20. ab Eduardo recepta. ibid.
Regum Angliæ aſtutia ad obtinendam à ſuis pecuniam. 2.44
Angli ſuſpicioſi. 3.7
Luceburgenſi equitum magiſtro cur infenſi. 3.7
Pacem cum Ludouico XI. inire deſiderant. 3.7.& 8
Normaniam aut Aquitaniam Anglico ſceptro adiici poſtulant. 3.8
Paruis momentis apud Anglos regnũ transfertur. 4.19
Mortuo Eduardo IV. diuerſæ factiones in Anglia exortæ. 4.19.& 20
Regnum ex Liceſtrianis ad Eboracenſes, rurſum ex Eboracenſibus ad Liceſtrianos tranſlatum. 4.20
Angli rubra cruce inſigniti pugnare ſoliti. 4.34
Cum Gallis reconciliantur. 4.35
Quibus legibus. ibid.
In Anglia magni belli apparatus ſuſpenſum Ludouici XI. animum tenent. 13.25
Angli præ nimio otio ad rem militarem inepti. 14.40
Cæſaris & Angliæ Regis exercituum occurſus ad Taroannam. 14.40
Tornacum Anglis quibus legibus deditum. 14.46
Quibus item legibus Gallis reſtitutum. 16.5
Societas inter Gallum & Anglum procurata per Boniuetum maris præfectum. 16.4. & 5
Galli atque Angli Regum colloquium. 16.15
Eorumdem magnificentia & luxus. 16.16
Cæſaris & Angli legati Venetias de ſocietate acturi mittuntur. 17.36
Quod ius in Gallicum regnum Angli ſibi vendicant. 18.7
In Anglia cœnobia omnia aut euerſa, aut prophanis vſibus addicta. 22.32
Decimæ viris Eccleſiaſticis reſtitutæ. 26.44
Angli in Gallorum propugnaculum ante Bononiam noctu impetum faciunt. 24.14
Peſtis deinde ſecuta. 24.16
Anglorum Rex cur à Flandrico bello alienus. 19.48
Angli Henrici II. exercitum fundunt. 25.15
Inter eos excitatur grauis ſeditio. 25.14
Anglicus ſudor *vide* Sudor Anglicus.
Inter Anglos Scotóſque controuerſia,& bellum. 23.27
Anguianus Carinianum obſidet. 23.48
Anguiani exercitus. 23.49
Anna Britanni filia Alebreto deſponſa. 4.31
Inde nata inter Aurelianum & Albretum diſcordia. 4.34
Quot, & qui Annam Britanni filiam in vxorem ambiant. 4.35
Anna Cliuenſis Henrico VIII. Angliæ Regi in vxorem tradita. 22.37
Ab eodem paulò poſt repudiatur. 22.44
Annæus Mommorencius nil vnquam niſi ex ducum ſuorum ſententia aggreſſus. 21.48
Eiuſdem caſtra ad Cabellionem opportunè collocata. 21.51
Reprehenditur quod abeuntem è Gallia Carolum V. non ſit perſecutus. 21.58
A Franciſco I. ne perſequeretur retentum falsò ſcribit Iouius. 21.58
Heluetiis præficitur. 17.42
Anna Soleria. 7.1
Annæ Bolanæ miſerandus vitæ exitus. 21.19
Capite damnata, & cur. 21.62
Annæ Galliæ Reginæ mors. 14.48
Annæ Ludouici XI. filiæ natu maiori Caroli VIII. adhuc minoris cura ex trium ordinum decreto demandata. 4.28
Annebaldus Taurinum remiſſus. 23.19
Redit in Galliam. 23.20
Annebaldi mors. 26.26
Annibal Ioannis Bentiuoli filius cum quadringentis vtriuſque armaturæ equitibus ad Ferdinandum Calabrum à Petro Medice miſſus. 5.21
Annonium Ludouicus Sfortia aduerſus Ludouicum XII. munit. 8.23
Capitur. ibid.
Antonellus Picciolus arcem quæ Oui dicitur ſe dediturum minatus, niſi auxilium ab Arragoniis intra octauum diem obtineat. 6.11
Antonellus Sabellus in Marſos,Prætutinorúmque agrum irrumpere iuſſus. 6.1
Antonellus Seuerinas Salernitanus Princeps in Galliam fuga euadit. 5.7
A Rege auxilia depoſcens belli Neapolitani ſemina iacit. ibid.
Antonius Burgundus nothus in prælio quo Burgundio occubuit captus. 3.25
Et ad Ludouicum in Picardiam traductus. ibid.
Antonius Crequius. 14.43
Antonij Fonſecæ Ferdinandi Hiſpani apud Carolum VIII. legati querimoniæ. 6.6
Legati munere abutitur. 6.7

Digitized by Google

Antonius Grimanus vir apud ſuos auctoritatis non infimæ Venetæ claſſis præfectus. 6.22
Brunduſio profectus varias arces ſibi ſubdit. 6.38
Pulinianum. ibid.
Molam. ibid.
Sipontinam. ibid.
Tranenſem. ibid.
Eiuſdem oratio Venetiis contra Sforriam in Rogatorum concilio. 8.13
Antonius Iacominus Florentinorum dux. 10.18
Antonius Landrianus. 8.16
A Simone Horrigono cæſus. ibid.
Antonius Leua falſo de morte Sfortiæ admonitus Mediolanum aduolat. 17.50
Antonij Leuæ laudes breuiter recenſitæ. 9.25
Antonio Leuæ Abbiatum deditum. 19.40
Antonius Leua Mediolanenſibus moleſtus & grauis. 20.16
Antonij Leuæ dicterium. 21.44
Eiuſdem aſtutiæ. 21.45
Mors. 21.57
Indignum Antonij Auriæ ſcelus. 20.10
Antonij Lotharingi & Chriſtinæ Daniæ Regis filiæ connubium. 22.55
Antonius Loredanus ad Carolum VIII. Galliarum Regem legatus à Venetis. 6.17
Antonius Maria Genuam à Sfortia immiſſus, eam cum alipedeſtribus copiis Sfortiæ conſeruat. 5.20
Antonius Montanus Bononiam qua de cauſa miſſus. 10.23
Antonius Ninus in partes diſſectus. 15.49
Antonij Ordelafi mors. 10.11
Antonius Polinus Franciſci I. legatus ad Solymanum. 23.22
In Senatum Venetum admiſſus cauſam Regis agit. 23.22
Senatus Veneti reſponſum. 23.23
Byzantium appulſus cum Solymano in colloquium admittitur. 23.23
Antonius Pratus Iuriſconſultus celeberrimus, ſed nequiſſimus, Galliæ Cancellarius ſtatuitur. 15.1
Pecuniæ cogendæ in bellum, nouam, ſed peſſimam rationem excogitat. 15.4
Antonius Rinco, legatus Franciſci I. interfectus. 22.53
A quo. 22.55
Antonius Sabellus dux bello clarus in conflictu contra Vrſinos vulneratus vita excedit. 8.4
Antonius Scarampa Foronouano prælio cæſus. 6.31
Antonius Taſſinus Ferrarienſis adoleſcens cum Ciccho Simoneta graues gerit ſimultates. 4.10
Pro Sfortiis in priſtinum ſtatum reponendis apud Bonam Sabaudicam intercedit. 4.10
Antuerpiæ adminiſtratio, priuilegia, & leges præcipuæ. 30.45
Antuerpienſium magnificentia. 25.24
Anzolt Heluetiorum præfecti mors. 7.24
Apologus inſignis Federici Imperatoris. 2.46
Appulia tota in Nemorenſis poteſtatem redacta. 9.16
in Appulia 80. nummum aureorum millia quotannis pendi ſolita ex vectigali pecuariæ paſtionis. 7.16
in Appulia tres Soles viſi multis nubibus, horrendis tonitruis, fulminibuſque coruſcantibus perruptis cincti. 5.26
de Aquis Tiburtinis in lapidem ſolidum dureſcentibus. 27.31.46
Aquæ Rapolanæ. 7.15
Aquæ Sinueſſanæ, & Minturnenſes, eædem. 10.3
Aquitania ad Ludouicum XI. deficit, ſaltem bona ex parte. 2.35
in Aquitania & Pictonibus febres acutæ & lethales. 20.44
Aquila in poteſtatem Gallorum adducta. 19.52
Aquilanis Robertus Lenuncurtus præeſſe iuſſus Carolo VIII. in Gallias redeunte. 6.23
Aratium arcem ſecundum Tanarum amnem ſitam Galli qui occuparint. 8.23
Arauſius Carolo VIII. multum acceptus. 7.5.& 6
Cur. ibid.
ab Aureliano mendacij inſimulatus. 7.6
Arbanus quiſnam fuerit. 6.41
Archiepiſcopus Piſanus comprehenſus Florentiæ trucidatur. 4.6
Archimetus Baſſa de capienda inſula deſperat. 17.31
Cum Liladamo colloquitur. 17.34
Ardor Gallorum militum in Foronouano prælio. 6.30. & 31
Aretinorum defectio à Florentinis. 9.12
Cui adſcribenda. ibid.
Aretij præfectus Guilielmus Paccius. ibid.
Galli Aretium Vitellocij opera vt intromiſſi. 9.14
in Aretino agro varia portenta viſa monſtráque diuerſis locis nata. 5.26
Aretinus, Corronenſiſque ager à Pontificiis vaſtatus. 4.9
Argentinenſes quem in modum cum Carolo V. pacti. 24.34
Arguillaria Fidenatium vrbs Vrſino qui addicta. 5.3
Arianum, olim ara Iani. 6.43
Ariminenſis pugna *vide* Pugna Ariminenſis.
Arlonenſium vrbs à fundamentis euerſa. 28.15
Arma in prudentium manibus pacem ſecum gerunt. 29.39
Arminiacus Lectorij cæſus. 2.36
Arni inſolita inundatio. 27.57
Arnulphus Burgundum hæredem cur inſtituat. 2.42
A filio Adolpho crudeliter & indignè vexatus. ibid.
Idcirco illum exhæredat. 2.42
Arragonij quo iure Mediolanenſem ditionem repetere poterant. 5.6
A Sfortia bello vexantur. 5.9
Cur Venetis inimici. 5.13
Arragoniæ claſſis apparatus. 5.10
Ad portum Veneris appulſa. ibid.
Rapallo potitur. ibid.
Ab Aureliano Gallicæ claſſis præfecto in fugam agitur. ibid.
Rebus deſperatis Neapolim redit. 5.20
Arragonij ad Sanctam Agatham prementibus Gallis coacti retrocedere. 5.23
Caroli VIII. legatos cuſtodiæ mandandos curant. 5.38
Riuij Mareſchalli ad Germani fanum aduentu diffugiunt. 6.8
Quænam vrbes in Arragoniorum fide perſtiterint. 6.16
Arragonij Hidruntinos in fidem recipientes. 6.16
à Neapolitanis Gallorum arrogantiam faſtidientibus Arragoniorum reditus exoptatur. 6.19.& 6.38
Arragoniæ familiæ calamitates. 9.7
Arragonia claſſis belli Neapolitani aduerſus Sfortias, & Gallos initium facit. 5.20
Federico Neap. Alfonſi fratre duce vſa. ibid.
Arx Ardelotina. 24.6
Arx Auxuritana *vide* Auxuritana arx.
Arx Brixiana fulmine icta magno Venetorum damno corruit. 11.11
Arx Cariniana qui dedita. 21.43
Similiter & Mainolana. 15.35
Arx Caſtellina in agro Senenſi expugnata. 4.7.
Arx Codiſana. 10.31
Arx Cremonenſis, deditionis arcis Mediolanenſis articulis non comprehenſa. 19.7
Arx Cremonenſis dedita. 18.2
Arx Genuenſis Laterna ad deditionem compulſa, & euerſa. 14.55
Arcem Humas Galli vt occuparint. 25.15
Arcis Lumiarum deditio. 16.8

Arcis

Arcis Mediolanenſis deditio. 19.7
Oppugnatio per Nauarrum. 15.23
Expugnatio. 15.24
Arcis Nouæ deditio. 6.11
Item & Guiſanæ. 21.52
Arx Oſtienſis *vide* Oſtia.
Arx Orcimons in Niuernenſis poteſtatem redacta. 26.46
Arcem, quæ Oui nominatur Antonellus Picciolus ob non acceptum ab Arragoniis auxilium Gallis dedere coactus. 6. 11
Arci Pharon euertendæ ingens machina lignea extructa, à Gallis vt perrupta. 14.37
Arx Rhegina Fabri lignarij proditione Gallis erepta. 6.38
Arcis Suſanæ deditio. 22.18
Arx Varadini à Solymano expugnata. 19.13
Arx Viliana *vide* Viliana arx.
Aſcanius Sfortia Cardinalis exul Dortona occupata Mediolanenſem adminiſtrationẽ inuadere aggreſſus. 4.10
Bello aduerſus Bonam Sabaudicam redintegrato. 4.10
Proſperum & Frabricium Columnas ad Carolum VIII. Galliæ Regem deficere promiſſis multis compellit. 5. 19. & 20
Capto fratre Mediolano ſe proripit. 8.35
Ab amicis propriis vt proditus. 8.35
Et in manus hoſtium traditus. ibid.
In Gallias tranſmiſſus, & in Biturigum turrim coniectus. 8.36
Aſcanium Cardinalem Caroli VIII. legatum Alexander Pontif. in Adriani molem coniici præcipit. 5.38
Peſte vltimum diem obiit. 10.17
Aſcanius Columna à Paulo III. Pontif. proſcriptus, reſtituitur. 25.25
Aſcanius Columna captus. 20.9
Aſcanius Martinengus Foronouano conflictu cæſus. 6.31
Aſſentatores in aulis Principum quàm pernicioſi. 1.5
Aſtenſem Comitatum Alphonſus nullo pretio vt dimittat, adduci poteſt. 13.45
Aſtam Humerius oppugnat, nec expugnat. 22.14
Aſtor Baleonus. 8.9
Aſula oppidum ſupra Ollium amnem ſitum à Cæſare fruſtra tentatum. 15.31
Aſulum vrbem Tauriſani vt occuparint. 12.12
Atella à Mompenſerio occupata. 7.22
Cur Tela nuncupetur. ibid.
Tribus exercitibus cincta. 7.23
Arragonio. ibid.
Veneto. ibid.
Hiſpano. ibid.
Quibus conditionibus Galli in vrbe incluſi cum Arragoniis conuenerint. 7.23
Ateſte oppidum à Liuiano interceptum. 14.56
Ateſtinus Cardinalis Marchionicæ obſeſſæ auxiliatur. 11. 23.
Athenæ cur Phocenſium coloniæ comparatæ. 1.33
Atrebates à Ludouico XI. ferro flammaque vaſtati. 2.46
Atrebatenſium mille quingenti cæſi. 3.5
Mortuo Burgundo idem Ludouicus Atrebatum ſibi dedi poſcit. 3.26. & 27
Atrebatum in duo oppida diuiſum. 3.27
Regio fertiliſſima, pleriſque vrbibus, arcibúſque muniti ſſima. 4.18
Atrebatum Fabri Ferrarij clandeſtina coniuratione Maximiliano Auſtriaco deditum. 4.36
Auaritia inaudita Ferdinandi Neapolitani *vide* Ferdinandus Neapolitanus.
Aubignius ſummus equitum regni Neapolitani magiſter Caroli VIII. iuſſu cum copiis Mediolanenſem, Genuenſemque agrum ingreſſus. 5.19
Ferdinandum Calabrum cum armatis tranſire in Galliam Tranſalpinam meditantem, auertit. 5.21
Cum Ferdinando Calabro confligere prudenter renuit. 5.22
Carolo Aſtam appulſo noua ab eo auxilia accipit. 5.23
Carolo in Gallias redeunte Calabriæ vniuerſæ præeſſe iuſſus. 6.21
Ferdinandum Conſaluúmque Rhegio & Semenaria potitos ad pugnam elicere conatus. 6.39
Eoſdem ad Semenariam ſuperat. 6.39
Eius infirma valetudine Gallia multum afflicta. 6.39
Aubignius in Galliam cum ſuo exercitu reuertitur. 7.25
Apud Hiſpanos ſtrenui ducis officium obtinet. 7.25
Quis fuerit Aubignij cum Hiſpanis conflictus. 9.31
Aubignius Comitis Aërienſis, ac Squillacienſis Marchionis fundis donatus à Carolo VIII. 6.18
Ab eodem è Romana, Florentinaque legatione reuerſus agrum Genuenſem, Mediolanenſemque tueri iuſſus. 5.19
Audax *vide* Ioannes Audax.
Auerſa olim veterum Atella. 6.40
Auerſa ad Gallos deficiens. 9.5
Auenellus Caluinianorum conſpirationem detegit. 28. 44
Auguſta Vindelicorum obſidetur. 25.48
Tertio obſidionis die deditionem facit. 25.50
Auguſtanus conuentus. 20.33
Auguſtæ Chriſtiana ſacra per Carolum V. reſtaurata. 24. 46
Auguſtæ conuentus celeberrimus. 24.46
In conuentu Caroli V. rationes, & deliberationum capita proponuntur. 24.46
Auguſtani miniſtri vrbe pulſi. 25.40
Auguſtanæ profeſſionis ſectarij à Paſſauienſi pactione alieni. 26.61
Qui Auguſtani cum Carolo V. conuenerint. 26.65
Aumalius iniuriam Guiſio Cardinali, fratri ſuo à Mommorencio illatam vlciſci cogitat. 30.30
Aurelia per Guiſanum oppugnata. 30.13
Cur Aureliæ Gallorum Epiſcoporum conuentus indictus. 4.8
Aureliæ Antiſtitũ Gallorum conuentus ſub Ludouico XI. habitus. 3.36
Lugdunum in Maium ſequentem tranſlatus. ibid.
Aurelianenſis edicti interpretatio. 30.28
Aurelianus *vide* Ludouicus Aurelianus.
Aurum Tholoſanum. 3.34
Auxuritanam, Centumcellanámque arces Carolus VIII. Sponte Pontifici Maximo reſtitui præcipit. 6.22
Axona vrbs munitiſſima quibus legibus Ambaſiano dedita. 4.3

B

Babylon à Solymano ſubacta. 21.6
Baiardus fame coactus ſe ad Boniuetum recipit. 17.56
A Boniueto munus reducendi Gallicum exercitum accipit. 18.5
Borbonium debiti erga patriam officij admonet. ibid.
de Baiarnenſi ditione variæ diſceptationes. 14.5
Ferdinandus Hiſpanus cur à Baionæ vrbis oppugnatione alienus. 14.7
Baiazetes Turcarum Imperator. 8.22
Sfortiæ, ac Federico Neapolitano auxilium pollicetur. 8.22
Fœdus inter illum ac Venetos ſancitum. 10.7
Philoſophiæ ſtudioſus magis quàm rei bellicæ. 5.13
Timidus & imbellis. 5.17
Baiazetes Imperator vbi Gallica ſigna in maritimis Calabrorum vrbibus viſa reſciit, copias omnes, quæ ad Danubium, Illyricum, Mœſiámque hybernabant, ad tuendam Græciam reuocauit. 6.13
Baiocum arx à Germanis oppugnata. 11.2
Baiona nequidquam ab Hiſpanis tentata. 17.51
Balbianus bellum Neapolitanum quantum poteſt promouet. 5.17

Balduinus

Digitized by Google

Balduinus Burgundus nothus à Carolo Burgundo deficit. 3.13

Balnea Aſpacia in patria Leodienſi. 29.7

Balneolana pax,quæ. 5.10

Bapalma expugnata,& incenſa. 17.17

Baptiſta Fregoſius Proſperi Adurnij capitalis hoſtis. 4.8

Baptiſta Vercellius in partes diſſectus. 15.49

Barachus Smyrneus pirata. 8.31

Barbaruſſa claſſis Turcicæ præfectus in oppugnatione Nicienſi indignatus deficientibus rebus ad bellum neceſſariis,Antipolim contendit. 23.44

Baroli oppugnatio cur difficilis. 9.16

Barolum Lautrecio deditum. 19.55

Bartholomæus Liuianus. 7.24

Vinculis traditus. ibid.

Bracciano tuendo commiſſus. 400

Equites fudit. 7.34

Valentinum Cardinalem propemodum cepit. ibid.

Eiuſdē in tuendo Bracciano fortitudo incredibilis. 7.34

Todium ingreſſus. 7.55

Viros Gibellinæ factionis primarios trucidari iubet. 7.37

Barum Renatus Lotharingiæ dux à Rege Gallo repetit. 5.7

Et recipit. ibid.

inſignis Baſſenſis Epiſcopi Angli perfidia. 4.19

Baſſignana Gallis dedita. 8.24

Baſſus quis fuerit. 3.13

Eius execranda perfidia. ibid.

De prodēdo Burgundione pacturū ſe aſſerit. 3.13.& 22

Alapa percuſſum à Burgundione, falsò Æmilius ſcribit. 3.14

Nancium eius vnius proditione Burgundo ereptū. 3.22

Cifronis mortis auctor. 3.23

Lotharingi caſtris iuſſus excedere. 3.24

Cur. ibid.

Baſtia Geniuolana ab Hiſpanis expugnata. 13.16

Validè à Ferrarienſi concuſſa recipitur. 13.16

Batalla *vide* Nicolaus Batalla.

Baugencianum colloquium. 29.50

Bazius Lætrius ſeditionum Leodij exortarum auctor habitus. 2.9

quaſnam Bearenns libertatis conditiones Franciſco I. captiuo propoſuerit. 18.31

Quas item conditiones Franciſcus Cæſari obtulerit. 18.31

Beatricis Ludouici Sfortiæ coniugis conſilio Mugniis caſtra poſita. 7.2

Belgæ, Belgium.

Belgæ Aëria capta à Crepecordio,conuentum prouinciarum ad vrbem Inſulam indicunt. 4.17

de Caroli Galliarum Delphini cum Margarita Flandrica matrimonio conſultant. ibid.

Legatos mittunt ad Ludouicum & Carolū Delphinum, qui capita matrimonij ſanciri iuberent. 4.22

Belgici belli initium. 22.1

In Flandriam reuerſi Margaritam Hiſdinum vſque deducunt. 4.22

Gallorum ad inuadendum Belgium proficiſcentium exercitus. 26.33

portentoſum Bellaij narratum de quodam ſignifero Pontificio. 19.26

Belli quod Amurathes cum Ferdinando in Hungaria geſſit, progreſſus. 22.9

Belli alea incerta. 1.19

Cunctatio in bello periculoſa. 1.21

Belli Flandrici initia *vide* Flandricum bellum.

Bellum Agrippinenſe *vide* Agrippinenſe bellum.

Bellum Britannicum. 4.31.32. & 33

Vnde natum. 4.26

Belli Belgici initium. 16.28. & 22

Item & Cantabrici. 16.28

Primitiæ belli Caluinianorum in Gallia. 29.42

Inſolentia eorumdem poſtulata. 29.42

Capita conſeruandæ Galliæ tranquillitati neceſſaria 29.43

Turnonium ab hæreticis captum. 29.45

Tholoſam vt intercipere conati. 29.46.& 47

Eorumdem cædes ingens Tholoſæ. 29.47

Regina Franciſci II. matrem belli cauſam fuiſſe conficitur. 29.59

Bellorum ciuilium in Gallia origo. 29.54

Bellum Carolo V. Galli, Angliq; Regum nomine denuntiatum. 19.46

Bellum Florentinum. 20.30

Bellum Hetruſcum. 22.20

Belli auctores. ibid.

Bellorum inter Henricum II. & Philippum Hiſpanum Reges, origo. 27.5

Belli Italici renouatio. 22.12

Bellum inter Philippum ac Henricum II. renouatum. 27.18

Bellum Liguſticum. 5.34

Bellum Pannonicum vnde exortum. 20.37

Quibus difficultatibus interruptum. 20.41

Belli Mediolanenſis rationes exponuntur. 16.38

Bellum in Magdeburgenſes reſtauratur. 25.29

Bellum Neapolitanum qua celeritate à Carolo VIII. feliciter confectum. 6.12

Bellum Saxonicum. 24.35

Ad illud Carolus V. proficiſcitur. 23.35

à Ferdinando inuiſitur. 24.35

Belli Neapolitani ſemina. 5.7

Belli Senenſis progreſſus. 26.36

Bellum Scoticum. 28.50

Bellum Vmbricum. 15.39

Bellouacum nequidquam à Burgundo tentatum. 2.35

Bellouacenſes Burgundos vt portarum ſuarum ingreſſu prohibeant. 2.35

quid cauſæ fuerit cur Belmontanus Piſis potitus non ſit. 8.39

Bembi teſtimonium de Epirota Caroli VIII. cædem moliente reiicitur. 7.19

Mendacij à Cominæo accuſatur. 7.24.& 25

Amplius refutatur. 8.34

Ludouicum XII. legatos Venetias miſiſſe pacem poſtulaturos falsò comminiſcitur. 11.14

Eiuſdem de Gallis à Troilo fuſis teſtimonium improbatur. 12.14

Mendacij conuictus. 6.36. & 8.15

Belna rebellis per Carolum Ambaſianum coërcita. 43

Benedictus Cribellus perfidiæ accuſatus. 14.1

Benefacta raro ſuo præmio licet dilato carent. 2.37

Beneuentum intercipere meditatus Mompenſerius,à Ferdinando Neapolitano præuenitur. 7.16

Bentiuoli cur Iulio Pontificij Max.ſuſpecti. 11.1

Bononiam ex inſidiis inuadere conati. ibid.

Inſigne Bentiuoli ſtratagema. 7.30

Bernabos Maleſpina. 13.45

Bernardinus Adurnius occiſus. 10.4.& 5

Quomodo. ibid.

Bernardini Curtij inſignis perfidia & ingratitudo in Sfortiam. 8.17

è vita excedit. ibid.

Bernardinus Lunatus Cardinalis Pontif. legatus morbo ex nimia trepidatione concepto vita functus. 7.55

Bernardinus Fortebraccius Foronouano prælio interfectus. 6.31

Bernardinus Nero cur Florentiæ in cuſtodiam datus. 7.37

Bernardo Bandino occidendi Iuliani Medicei munus datum. 4.6

Bernardus Contarenus. 6.36

Illum à Ludouico Sfortia ne poſtremam Caroli VIII. aciem carperet prohibitum, malè comminiſcitur Beuſbus. 6.46

Digitized by Google

Bernardus Franceſius Salſulatum arcis præfectus. 7.28
captus. ibid.
Bernenſis pagus aduerſus Sfortiam arma ſumere detrectans. 7.17
Bibienna Cluſentinæ regionis oppidum à Liuiano tentatum. 8.9
Betinus Recaſolus Liburno præficitur. 7.32
Bibliotheca Mediceorum inſtructiſſima. 5.34
Bientina. 7.30
Nequidquam tentata. 10.18
à quo. ibid.19
Bincium à Gallis captum,& incenſum. 26.50
Biſſinianus ex arce Neapolitana dum exit, à milite Græco multis vulneribus conficitur. 7.36
Quam ob cauſam. ibid.
Bituntinus Marchio in Prætutinis fuſus. 7.21
à quo. ibid.
Bituriges oppugnantur per exercitum Regium. 29.52
Biturigum metropolis ſitus,& deſcriptio. 29.53
Blanchæ Allobrogum Ducis matris ſumma in Carolum VIII. liberalitas. 5.24
Blanchæ Galeatij ſororis cum Maximiliano Imperatore matrimonium. 5.12
Quibus conditionibus contractum. ibid.
Blanconetiani Gallis ſe dedunt. 25.20
Blanda Nauarrica. 1.6
Caſtulonenſi ſemper infeſta. 1.6
Bocainum Belgij oppidum à Ludouico XI. occupatum. 3.28
Galli præſidiarij cæſi. 3.37
Boëſij cum Gonzaga conflictus. 21.50
Bohemi in Saxonis agrum vt deſæuiant. 24.49
Pro tuenda libertate conſpirant. 24.34
Bolengerius *vide* Ioannes Bolengerius.
Bona Sabaudiæ Florentinis,Cominæo auctore auxiliarem militem ſubminiſtrat. 4.7
Antonij Taſſini Ferrarienſis adoleſcentis amore deperit. 4.10
Eam Simoneta acrioribus verbis increpare auſus. ibid.
Bonifacius VIII. iubilei auctor. 8.41
Bonifacius IX. Romanus Pontifex. 8.1
Bonifacij fanum captum, & incenſum. 14.20
Bonifacij Vicecomitis in Franciſcum Sfortiam conſpiratio. 17.48.& 49
Boniuetus maris præfectus ſocietatis inter Gallum, Anglúmque Reges promouendæ auctor. 16.4
Boniueti temeritas vt caſtigata. 16.9
Quomodo Fonterapido potitus. 16.37
Rerum bellicarum rudis. 17.54
Occaſione ad occupandum Mediolanum opportuna vti neſcius. 17.54
Eiuſdem exercitus. 17.50
Boniuetus Mediolanum intercipere aggreſſus. 17.57
Ludouici Regis matre procurante Amyralius creatus 17.58
Heluetiis aduerſus Ioannem Medicem bellandi copiam facit. 18.3
Ab eo imprudenter domum Delphinates,Vaſconéſque remiſſi. 18.4
Rauinſingam relicto belli apparatu properat. 18.5
Imperio ſe abdicat. ibid.
Boniueti conſilia Franciſco I. quàm pernicioſa. 18.22
Cur externis potius quàm Gallis ducibus vti malit. 18.2
De eo intercludendo magna ſpes hoſtibus iniecta. 18.3
Summum militiæ imperium ad Baiardum transfert. 18.5
Bondenum fruſtra tormentis pulſatum. 12.30
Bononiæ à Pontifice Romano defectio. 12.35
Bononienſium inſolentia. 12.36
Cur ab Ambaſiano non ſubacta. 12.18
Bononia ab Anglis acerrima impreſſione impetita. 24.6
Veruntamen, ciuibus reclamantibus ignauam deditionem facit. 24.6
Delphini copiæ, inferioris Bononiæ direptioni intentæ, ab Anglis funduntur. 24.7
Bononia Romano Pontifici cur tributaria. 10.22
ab Henrico VII. nequidquam tentata. 4.36
Obſeſſa ab exercitu fœderatorum aduerſus Gallum. 13.17
Fœderatorum, de ratione in vrbis oppugnatione ſeruanda diuerſæ ſententiæ. 13.17
Bononia diuinitus ab hoſtibus defenſa. 13.20
Et obſidio ſoluta. 13.21
Bononia ab Annibale Bentiuolo fruſtra tentata. 17.15
Bononiæ præfectus Antonius Fayeta. 17.17
Bononienſe fœdus cur Carolus V. renouari cupiat. 20.42
Bophinga ad Carolum V. deficiens. 24.30
Borromeorum familia inter Mediolanenſes honeſta. 8.26
Boſcum Alexandrini agri oppidum à Lautrecio ſtrenuè expugnatum. 19.37
Boſcum oppidum in Triuultij poteſtatem redactum. 7.27
Bouinis conuentus ſub Ludouico XI. indictus. 2.39
Braia capta. 21.52
Braccianum oppidum munitiſſimum Liuiano egregio adoleſcenti commiſſum. 7.34
Qua diligentia propugnarit. ibid.
Breſſolus Neapolim à Liladamo miſſus vt auxilia accelerare iuberet. 17.27
Breſſani Comitis fuga. 6.37
caſtellum Briennium in Britannia expugnatum, ſolóque æquatum. 3.33
Brionem Lutetiæ Franciſcus præeſſe iubet. 17.53
Briſacenſes ad Sigiſmundum Auſtriacum deficiunt. 3.3
Briſſaci conſilium, quippe nimis ſeuerum ab Henrico II. reiectum. 27.58
Calumniæ Briſſaco affictæ. 27.62
Eporedia eidem dedita. 26.61
Briſſonnetus *vide* Gulielmus Briſſonnetus.
Sordida Briſſonneti auaritia. 6.19
Briſigelia, primarium vallis Anomonis oppidum à Gallis vt interceptum. 11.17
Britannia. in Britannia ob Cancellarij Caluini mortem varij tumultus ſuborti. 4.27.& 29
Britanni rebelles cum Carolo VIII. fœderantur. 4.30
Carolus VIII. in Britanniam copias immittit. 4.31
Britanni Ploermelum amittunt. 4.31
Pacem per Dunenſem à Gallo Rege efflagitant. 4.33
Sed Filiceris ad deditionem adactis eam obtinere non poſſunt. 4.34
Britanni rubra cruce Anglorum more inſigniti pugnare iuſſi. 4.34
à Tremullio ſuperati. 4.34
Quod ius Reges Galliæ in Britanniam obtendant. 4.35
Britanniæ dux extinctus. 4.35
Britannia minor quando ſceptro Gallico adiuncta. 20.44
Legis de ſenatu minoris Britanniæ promulgatio. 26.44
Britannia minor ad Gallicum ſceptrum accedit. 2.33
Britannus quibus conditionibus cum Carolo VIII. conueniat. 4.30
Brixia quomodo à Venetis occupata. 13.21
Fuxij in eadem recuperanda incredibilis diligentia. 13.22
Brixiani ad deditionem amicè inuitati inſoleſcunt. 13.23
Veneti, Brixia Gallorum virtute pulſi. 13.23
Brixiana oppugnatio cur celebris. 13.24
Brixiæ oppugnatio difficilis. 13.25

Germanorum integritas & fides prædicanda, qui aduerſus Brixiam arma conuertere noluerint. 15.25
Præſidia, commeatúſque Brixiam quomodo intromiſſa. 15.26.& 27
Brixia à Venetis fruſtra tentata. 15.33
rizeus ignauiæ inſimulatus. 1.20
Cæditur in Letherica pugna. 1.21
roſſius inſigni apologo ab Imperatore cluſus. 2.46
rugenſes Carolo Burgundo redintegranti prælium aduerſus Heluetios tributum pendere recuſantes. 3.20
runduſium in Venetorum poteſtatem redit. 20.20
runorus Foroiulienſis, equitum præfectus de vita periclitatus. 12.27
runſuicenſis de Proteſtantibus querimoniæ. 23.32
ruti ſingularis conſtantia commendata. 6.3
ruxellenſes Carolo Burgundo pugnam aduerſus Heluetios redintegranti tributum recuſant perſoluere. 3.20
udæ oppugnatio. 23.1
Germani per ruinas murorum Budam ingreſſi, fortiter repelluntur, multique cæduntur. 23.1.& 2
Cuniculi impugnatorum, anticuniculis propugnatorum peritè excipiuntur. 23.2
Proditio ad exitum non perducta. 23.2
Quem præfectum Solymanus Budæ impoſuerit. 23.6
ullionis caſtellum deditum. 26.8
uquinguanus regulus extremo ſupplicio affectus à Richardo Angliæ vſurpatore. 4.18
Burdegalenſium rebellio ob ſalinarium vectigal. 25.16
Ab Henrico II. compeſcitur. 25.17
Rebelles ſeditionis pœnas luunt. 25.18
Burenus Nancij præfectus. 3.22
Taroannam oppugnat. 21.7
Audax Bureni facinus. 24.28
à Cæſare liberatus, multa oppida eidem ſubiicit. 24.31
Burgarenſis conuentus. 7.5
Burgundia, Burgundi.
Burgundi Leodium Eburonum metropolim expugnant. 2.19
Ab Eburonibus fuſi, & cæſi. 2.16
Simultatum quas cum Eburonibus geſſere cauſa, quæ. 2.1
Piquinio quo modo potiti. 2.24
Noua tributa Carolo pendere recuſant. 2.25
Bellouacum oppugnantes acriter repelluntur. 2.35
Multos è ſuis ad Granum amittunt. 3.5
Burgundicæ domus ſupellectilis quantus ſplendor. 3.17
Seſtertium millies ducenties æſtimata eſt. ibid.
Adamantem habuit, quo Chriſtianus orbis pulchriorem non viderat. 3.17
Ignominioſè ab Heluetiis ad Granſonem fugati, & ſuperati. 3.18
Murtiano prælio iterum debellati. 3.21
Baſilienſis Pontifex Burgundiam minorem inuadit. 3.21
Burgundi Lotharingia potiuntur. 3.21
Burgundia vtraque à Crano & Arauſio vexata. 4.1
Caroli Ambaſiani diligentia Ludouico XI. vtraque pœne ſubdita. 4.2
Burgundica nobilitas Salezarij, Coniganíque Scoti alas fundit. 4.3
Controuerſia Ducatus Burgundiæ Senatui Pariſienſi agitanda committitur. 8.12
Carolus V. clientelæ iure Burgundiam maiorem ſibi reſtitui poſcit. 16.30
Burgundiæ felicitas quanta ſub Philippo. 1.18
Burgundorum Ducum nomen & ſplendor, vt attrita. 1.26
Burgundorum equitum in Britanni exercitu numerus penè incredibilis. 1.31
Burgundio Lollius Piſanorum cauſæ apud Carolum VII agendæ deſignatus. 6.3
Burmium Mediolanenſis principatus oppidum. 7.2
Buſcecus Sicambrorum, ſiue Geldubenſium dux. 7.14
Buſſonius Rhodiorum equitum magiſter Gemem Baiazetis fratrem ad ſe confugientem in Galliam ad Carolum VIII. mittit. 6.13
Buttum in Piſanorum poteſtatem redactum. 6.3
Florentinis deditum. 7.29.& 30
Buttum quanta celeritate Vitellius expugnarit. 8.6
Buxius Ambaſianus, Cardinalis Ambaſiani nepos in pugna Melegnana peremptus. 15.19

C

Cadomum Caſtilioni deditum. 30.12
Cære vetus Ioannis Vrſini oppidum quibus legibus Valentino Borgiæ deditum. 9.24
Cæſar in Hiſpaniam nauigans, cum Henrico Angliæ Rege colloquitur. 17.36
Cæſar Borgia Cardinalis, Dux Valentiæ in Gallia creatus. 8.11
Cæſaris Maſſij dolus ad Taurinum capiendum. 23.21
Cæſar Ioan. Petrum Stellam legatum Venetum audire recuſat. 11.11
Nimiæ cunctationis & prodigalitatis accuſatus. 11.17.& 20
Cæſar Feramuſca captus. 15.10
Caieta à Conſaluo occupata. 10.5
Quid cauſæ ſit cur Caietani rebellarint. 6.38
Obſeſſa, & dedita. 5.25
Caieta belli Neapolitani ſumma, ac finis. 9.35
Caietanum fœdus. 10.9.& 10
Calabriæ Duces qui appellati. 5.19
Calabriam ſibi reddi fruſtra Ferdinandus Neapolitanus à Carolo VIII. poſtulat. 6.16
Calabriæ præeſſe iuſſus Aubignius, equitum regni Neapolitani magiſter. 6.21
Calatinus Sfortianarum copiarum præfectus pugnæ Foronouanæ initium facit. 6.30.& 31
E pugna ignauè, & nullo perſequente hoſte ſe ſubducit. 6.31.& 33
Liburnum cum Maximiliano Imperatore oppugnare fruſtra aggreſſus. 7.31
In Sfortiam perfidus. 8.25
Quare. ibid.
Calcaria pugna, & vnde ſic dicta. 14.42
Calcinaria per Vitellium capta. 8.6
Caleſium aliquando Icius portus dictum. 2.16
Eius adminiſtratio perhonorifica. 2.17
Caleſij oppugnatio Gallis maximè commoda, glorioſáque, & cur. 17.63
Refelluntur qui huius oppugnationis aggrediundæ alium quàm Guiſanum auctorem faciunt. 27.63
Caleſij oppugnatio inſtituitur. 28.2
Tormentorum Guiſani fragor penè incredibilis. 28.3
Deditionis conditiones. 28.4
Guina validè à Guiſano pulſata, validè defenditur. 28.5
Tandem capta à fundamentis euertitur. 28.6
Paulus Thermeus Caleſio præeſſe iuſſus. 28.7
Caleſini, audita Eduardi fuga Varuici inſigne aſſumunt. 2.39
Callium ab Valentino qua celeritate captum. 9.13
Calones Gallorum in Foronouano conflictu non inutiles. 6.31
Caluini dogmata publicè legi quando, & vbi cœpta. 28.56
Aquenſium Caluinianorum rebellio. 28.56
Item & Normanorum. ibid.57
Cuiuſdam puerorum inſtitutoris temeraria & fanatica doctrina. 28.57
Supplicium. ibid.
Caluiniſtarum crudelitas. 30.17

Caluin

Digitized by Google

Caluini hæreſeos exercitium publicè quando permiſſum. 29.28
Quo potiſſimum auctore. 29.29
Caluinianorum conuentuum numerus. 29.33
Caluinianæ coniurationis dux cur anonymus. 28.41
Conuenticulum Caluiniſtarum ad Nannetes indictum. 28.42
Seuera in Caluinianos Henrici II. edicta. 28.30
Supplicia in Caluinianos aucta, ita iubente Franciſco II. 28.37
Caluiniana factio aduerſus Guiſanos. 28.40
Caluinianorum conuenticula prohibentur. 28.49
Caluiniſtæ imagines impetentes diuinæ & humanæ Maieſtatis rei declarantur à Senatu Pariſienſi. 19.51
Longa & prolixa Caluinianorum oratio coram Germanis Principibus. 29.54
Variæ calumniæ Guiſanis à Caluiniſtis affictæ. 29.57
In Caluinianos acerbum Henrici II. edictum. 26.66
Domus in quibus conuenticula nouorum ſectariorum celebrarentur, ab Henrico euerti iuſſæ. 26.67
Caluiniſmus Lutetiæ publicè exerceri cœptus. 29.34
Mommorencius omnem Caluiniſtarum ſupellectilem Pariſiis incendi iubet. 29.59
Tumultus Ambaſiæ per Caluinianos excitatus. 28.48
Camarianus conuentus. 7.5
Camarianum, olim caſtra Mariana. 7.1
Cameracenſe fœdus. 20.25
Cameracenſes Henricum II. in vrbem admittere recuſantes. 26.34
Libertate quomodo à Carolo V. ſpoliati. 23.39
Camillus Pandonius à Ferdinando Neapolitano in Gallias legatus. 5.10
50. nummum aureorum millia quotannis Carolo pendenda offert. ibid.
Camillum ante Frangetium deditum falsò ſcribit Iouius. 7.21
Camillus Columna in vincula coniectus. 27.4.& 23
Illius proditio detecta. 27.33
Campania, terra laboris. 7.15
Laborinus campus appellata. 9.11
Campſo Gaurius Ægypti Sultanus à Selymo Turcarum Imperatore ſuperatus. 15.17
Cancellariorum Galliæ munus. 1.2
Vnde ſic dicti. ibid.
Cantella à Renato Regiæ aulæ magiſtro obſidione cincta. 17.48
Canuſium captum. 9.16
Capua à Gallis capta, & direpta. 9.6
Capuanorum vrbi præfectus Triultius. 6.8
Capuani ad Carolum VIII. æquis conditionibus ſe defecturos pollicentur. ibid.
Capua à Carolo V. capta. 20.13
Carauagium Ludouicus XII. circumſedit. 11.16
Cardinalis Caruaialis delicti venia implorata priſtino gradui redditus. 14.29
Cardinalis Alidoſius *vide* Cardinalis Ticinenſis.
Cardinalis Baiocenſis Cardinalitio gradu deiectus. 13.9
Item & Cuſentinus. 13.9
Eiuſdem mors. 13.10
Cardinalis Eboracenſis congreſſus cum Franciſco I. ad Ambianos. 19.35
Cardinalis Eboracenſis Angliæ Cancellarius Henrici matrimonium improbans Regio comitatu expulſus, ac paulò poſt vita functus. 20.21
Cardinalis Eporediēſis vinctus à Proſpero Columna, Cardinalium aliorum iuſſu minis diſſoluitur. 16.54
Cardinales Fuxij cædis certiores facti Iulium Pontif. honeſtis conditionibus ad pacem inuitare conantur. 13.36. & 37
Pacis propoſitæ capita. 13.37
Cardinalis à ſano S. Crucis exauthoratus. 13.9
Cardinalis Guiſanus in ampliſſimo Cardinalium conſeſſu Tridenti obſequia Gallorum Regum in Roman. Pontifices exaggerat. 24.49
Cardinalis Lotharingus qua arte vſus, vt Germanos ab inuadenda Gallia diſtrahat. 29.37
Cardinalis Lotharingus plurimis Galliæ Epiſcopis ſtipatus Tridentum accedit. 30.1
Contentio inter Cardinalem & Mommorencium Lutetiæ exorta. 30.30
Aumalius iniuriam Guiſio fratri illatam vlciſci cogitans. 30.30
Cardinalis cœptos ſermones de pace inter Carolum V. & Franciſcum I. ſtabilienda fruſtra proſequitur. 21.31
Cardinalis Medices, multíque eiuſdem factionis ciues Florentinum principatum inuadere cogitantes. 13.51
Cardinalium, Melitenſium equitum, & Religioſorum profeſſio collata. 27.3
Cardinalis Medonius. 22.43
Cardinalis Moronus Canenſis, Pauli IV. iuſſu in Molem Adriani detruſus. 27.6
Cardinalis Narbonenſis exauthoratus. 13.9
Cardinalis Peruſinus vinculis exemptus. 27.48
Cardinalis Oſcitanus in Adriani molem concluſus. 12.6
Eductus. 12.39
Cardinalis Seuerinas delicti venia implorata priſtino gradui reſtitutus. 14.29
Cardinalis Sedunenſis Heluetios aduerſus Gallum ad arma concitat. 15.8
Cardinalis Sanflorus in vincula coniectus. 27.4
Cardinalis Theatinus Paulus IV. dictus. ibid.
Cardinalis Ticinenſis proditionis accuſatus Bononiam captiuus ad Iulium Pontificem abducitur. 12.16
Cardinalis Turnonius Roma à Catharina Franciſci II. matre quare acceſſitus. 29.7
Cardinalem Lotharingum incuſat quòd trium ordinum conuentum approbarit. 29.7
Cardonius Patauinæ obſidionis ſoluendæ auctor. 14.31
Cardonius Venetorum regionem, vicóſque latè populatus. 14.33
Eum intercipere ſatius ducunt Venetorum duces, quam prælio decernere. 14.34
Occaſio illum cædendi oblata. 14.35
Amiſſa. ibid.
Amiſſæ occaſionis cauſa in quem refundenda. 14.35
Multi Cardinales ob conuentiones cum Alexandro initas indignati Romanam ciuitatem deſerunt. 6.6
Cardui pro haſtatis ab exploratoribus ſumpti. 1.35
Cariniana arx vt dedita. 21.53
Carinianum Vaſtio quomodo ſubditum. 23.45
ab Anguiano obſeſſum. 23.48
Carlota Federici Neapolitani filia. 8.5
Cur Ludouicus Sfortia cupiat eam Cæſari Borgiæ in vxorem tradi. 8.5
Carmagnolanæ induciæ. 22.19
Quid cauſæ fuerit cur Carolum Allobrogem Franciſcus I. ditionibus ſuis expulerit. 20.35
Carolus Ambaſianus. 4.13
Crano in rebus Burgundicis ſuccedit. 4.2
Illius diligentia vtraque fere Burgundia Ludouico XI. ſubditur. 4.2
Heluetios ſibi deuincit. ibid.
Valdræi arcem expugnat. 4.3
à Ludouico maiores vires accipit. ibid.
Dolam obſeſſam capit, captam diripit & incendit. 4.3
Axonam vrbem munitiſſimam occupat. 4.3
Belnam rebellantem compeſcit. ibid.
Item & Virdunum. ibid.
Ludouici XII. exercitui præfectus. 10.28
Genuenſes aduerſus Ludouicum rebellantes frænat. 19.29.& 30

Rodiginam peninſulam capit. 12.1
Marchionicam turrim Atheſi fluuio imminentem expugnat. 12.1
Coloniam occupat. ibid.
Montanianum. ibid.
Ateſte. ibid.
Quid obſtiterit, quo minus Alexandro Triuultio ſuppetias tulerit. 12.23.& 24
Eius auctoritas apud Ludouicum XII. quanta. 12.8
In Pontificias ditiones Mirandula capta excurrit. 12.25
Mortuus Corregij. 12.27
Carolus Aurelianenſis Dux, Ludouici XII. pater. 8.1
Quo iure Mediolanenſem principatum ſibi vendicaret. 8.1.& 1.11
Agincurtana pugna ab Anglis captus, & totos 25. annos in cuſtodia habitus. 8.1
Cur in Britanniam ſeceſſerit. ibid.
Caroli Aureliani Franciſci I. filij mors. 24.14
Carolus Auſtriacus cur in Franciſci I. ſocietatem & amicitiam ſe inſinuare conatus. 15.2
Fœdus inter vtrumque conceptum. 15.2
Fœderis capita. ibid.
Carolus Balbianus legatus in Gallias miſſus. 5.8
Eius oratio ad Carolum VIII. ibid.
Carolus Baleonus ab Epirotis captus. 11.37
Caroli Biturigis querelæ ad Burgundionem. 1.16
Ad Britannum deductus. 1.16
In Britanniam denuo aufugit. 1.42
Caroli Borbonij Boiorum Ducis controuerſiis Franciſcus I. ab expeditione Mediolanenſi reuocatus, 17.43
Borbonium Pratus Cancellarius malis ſuis artibus patrimonio exuere conatus. 17.46
Eam ob rem ad Carolum V. deficit. 17.46
Franciſci I. cum Borbonio colloquium. 17.46
Borbonij poſſeſſionibus manus iniiciendas Senatus Pariſienſis decernit. 17.47
Franciſcus I. ſummo Regiæ aulæ magiſtro Borbonium comprehendendum, aut Cantellæ obſidendi curam demandat. 17.47
Quid reſponſi Borbonius à Carolo V. impetrarit. 17.48
Sermo Baiardi verè aureus ad Carolum Borbonium. 18.5
Cum Anglo, & Carolo V. fœdus init. 18.8
In Italiam maturare iubetur. 18.53
Borboniæ familiæ initia repetuntur, 17.43
Borboniæ familiæ ſupellex rariſſima, omnéſque Boiorum Ducum arces in Franciſci I. poteſtatem redactæ. 17.48
In Hiſpaniam traiicit. 17.48
Carolus Borbonius Mediolanum honorificè intromiſſus. 15.27
In exercitu Franciſci I. indignatus. 16.34
Quare. ibid.
Borbonij & aliorum virorum fortium de adoriendis Cæſarianis prudens conſilium. 16.35
Ludouici XII. filiam ambit. 17.43
Spe fruſtratus Suſannæ Borboniæ nupſit. 17.45
Borbonius in Hiſpaniam conſilio Cæſaris traiicit. 17.48
Burgundiam aggredi ſtatuit. 17.49
Detecta conſpiratione ſpe fruſtratus. 17.51
Eius ſupellex à Germanis tumultuátibus direpta. 19.12
Vrbinas cum Borbonio, ne ſuam profectionem Romam interturbaret, iuraſſe creditus. 19:21
Borbonij milites nullis induciis ſe bellum intermiſſuros pertinaciter affirmant. 19.23
Borbonio ingreſſus in vrbem Romanam negatus. 19.26
Clemens Pontifex bellum aduerſus Borbonium redintegrare coactus. 19.24
Borbonius interemptus, & quomodo. 19.26
Illius cædes in Lanoium à nonnullis reiecta. 19.26
Borbonij funus, & elogium. 19.27
Borbonij munus Principi Arauſio collatum. 19.28
Cur Carolus Borbonius copias ſuas in Lugdunum conuertendi cupidus. 18.8
Inuitus ad oppugnandam Maſſiliam adducitur. 18.9
Maſſiliæ obſidionem ſoluere coactus. 18.9.& 10
Caroli Burgundionis, & Federici Imperatoris apud Treuiros congreſſus *vide* Carolus Carcellenſis.
Carolus Cenomanus pugna Letherica vt deceptus. 1.24
Proditionis à quibuſdam arguitur, ſed à Cominæo tali ſuſpicione liberatur. 1.23
Caroli Cenomani equitatus Ludouici equitibus iungitur. 1.19
Caroli Croij, Simæi principis cum Emerio de Hierga oppido controuerſia. 16.24
Carolus Aquitanus vnicam Burgundi filiam ambit. 2.33
Ludouico XI. ſuſpectus. 2.33
Ne cum Burgundi filia coniungatur, principes vicini reformidant. 2.33
In Ludouicum XI. arma conuertit. 2.34
Burgundionis, quod cum Ludouico XI. iniit, fœdere excluſus. 2.34
Eiuſdem mors cum Monſorella. ibid.
Carolus Comes Andegauenſis, coronatus Siciliæ Rex à Rodolpho de Cheuriers. 5.6
Aduerſus Manfredum tyrannum in Italiam euocatus. 5.6
Carolus Andreanus Britanniam inuadit. 4.31
Carolus Albonius Salſulas arcem oppugnandam ſuſcipiens. 7.28
Eiuſdem Caroli mira in rebus gerendis celeritas & prudentia. 7.28
Nullas cum eo & Fuxio interceſſiſſe inducias cóficitur. 7.28
Caroli Coſſei (aliàs Briſſaci) milites palantes, inermes, nihil tale opinantes Ferdinandus Gonzaga interceptos trucidat. 25.41
Carolus Gancurtius Lutetiæ prætor peſte extinctus. 4.16
Carolus Laonius Neapolis prorex declaratus. 17.35
Ad pacem inter Cæſarem & Franciſcum procurandam deputatus. 18.13
Carolus Martellus Francorum Princeps nominatus. 3.14
Carolus Montonius Venetorum mandato Florentinis ſuccurrit. 4.8
Peruſinum agrum vno die occupat. ibid.
Piſanum agrum Florentinis reſtituit. ibid.
Moritur. ibid.
Caroli Magni inſcriptio, modeſtiæ Chriſtianæ & ſubmiſſionis plena. 29.18.& 19.
Caroli Alençonij ſponſalia irrita habentur. 17.45
Carolus V. poſt mortem Ferdinandi, Hiſpaniæ Rex declaratus. 16.7
Regni Romanorum cupidus. 16.6.7.& 8
Imperator declaratus. 16.10
Illius cum Franciſco I. Galliarum Rege collatio. 16.12
Inſignes virtutes. 16.13
Diſſenſionum inter eum & Franciſcum I. ſemina. 16.14
Ter mille Hiſpani Carolo rebelles. 16.20
Quid iuris Carolus in Mediolanenſem principatum ſibi vendicet. 16.27
Clientelæ iure Burgundiam maiorem ſibi reſtitui poſcit. 16.30
Controuerſiarum inter Carolum, & Franciſcum I. ſe arbitrum fore Anglus pollicetur. 16.29
Venetorum ſocietas inter Carolum ac Franciſcum I. meritò diſputanda. 17.38
Iurata inter Carolum & Venetos. 17.ibid.
Fœderis inter Carolum V. Anglum, & Carolum Borbonium initi capita. 18.8

Caroli

li V. de Clemente Pontif. querimoniæ. 18.15
lo duæ triremes cum magiſtra naui à Gallis ere- 18.17
mani ob non acceptum ſtipendium defectionem litantes, quo dolo in exercitu Cæſaris retenti. 18
ieris inter Clementem Pontif. ac Cæſarem initi ca- 18.17
niurationis aduerſus Carolum V. iurandæ capita ecipua, & vt ab eo detecta. 18.39
rolus Franciſcum I. in arce Madritia morbo laborem inuiſit. 18.40
roli & Iſabellæ Ioannis Luſitaniæ Regis ſororis matrimonium promoueri cœptum. 18.41
anciſcus Sfortia coniurationis aduerſus Carolum acſatus. 18.45
aroli, cum Iſabella matrimonium celebratur. 18.47
ur Clemens Pontifex ſocietatem cum Cæſare inire cenſet. 18.46
œdus inter Carolum ac Franciſcum I. 18.48
attinarius Caroli Cancellarius fœderi ſubſcribere recuſat. 18.49
arolus V. fœderis cum Franciſco I. initi Clementem ontif. certiorem reddit. 18.49
ocietatis contra Carolum contractæ articuli. 18.54
œderatorum aduerſus eumdem exercitus. 19.11
Quomodo cum Clemente Pontifice conuenerit. 19.44
Carolo Galli, Anglique Regum nomine bellum denuntiatum. 19.46
Caroli legatus Lutetiæ in vincula datus, quare. 19.47
Duelli libellus à Franciſco I. ad Carolum V. miſſus. 19.48
Cæſariani cum Lautrecio confligere reformidant. 19.54
Fœdus inter Clementem Pontif. & Carolum. 20.23
Pacificatio inter Franciſcum I. ac Carolum promoueri cœpta à quibuſdam illuſtribus matronis. 20.24
Ingens Caroli claſſis, & illius Genuam appulſus. 20.27
Clementis Pontif. & Cæſaris congreſſus. 20.27
Veneti cum Cæſare reconciliati. 20.28
Item & Sfortia. ibid.
Florentini. 20.32
Controuerſiarum Ferrarienſis cum Clemente arbitrium Cæſari commiſſum. 20.38
Caroli contra Solymanum in Hungariam proficiſcentis potentiſſimus exercitus. 20.39
Cur Bononienſe fœdus Carolus renouari deſideret. 20.42
Quo dolo Clementis cum Franciſco I. indictum colloquium interrumpere conatus. 20.47
Caroli V. ambitio tacitè reprehenditur. 21.21
Regnum Tunetanum inuadere meditatus. 21.4
Potentiſſima eiuſdem claſſis. 21.8
Muleaſſis Tunetanorum Regis ad Carolum oratio. 21.9
Cum illo Carolus vt conueniat. 21.10
Siciliæ conuentus à Carolo indictus. 21.15
Carolus Romam appellit, ibique honorificentiſſimè excipitur. 21.21
Vellij ſermo Carolo liberior viſus. 21.22
Duæ potiſſimum cauſæ Carolum Romam accedere compulerunt. 21.22
Quibus de cauſis Carolus Franciſcum I. accuſarit. 21.23
Concionem Romæ publicè habitam, publicè Carolus interpretatus. 21.28
Caroli dolus vt Venetos ad ſe pertrahat. 21.30
Cæſarianorum calumniæ Franciſcum I. in omnium Germanorum odium adducunt. 21.39
Refelluntur à Langeo legato Regio. 21.40
Caroli in Gallias proficiſcentis inſtructiſſimus ac firmiſſimus exercitus. 21.46
Ruſtici quidam deſperatione adacti de interficiendo Carolo V. cogitantes. 21.55
Caroli exercitus fame, morbiſque in Gallia attritus. 21.55. & 56
Carolus Maſſiliam circumſedit. 21.56
Cherium ſubigit. 22.16
Niceæ Allobrogum cum Franciſco I. vt colloquatur, adduci nequit. 22.26
Induciæ in decennium inter Carolum & Franciſcum, Pauli Pontif. opera procuratæ. 22.26
Caroli & Franciſci I. colloquium ad Foſſas Marianas. 22.32
Carolus per Galliam tranſiens. 22.33
Fumo pœnè extinctus, quomodo. 22.33
Quo dolo Venetorum robur ac potentiam infringere tentarit. 22.39
Caroli inania promiſſa Franciſco I. merito ſpem omnem pacis adimunt. 22.44
Algerianam expeditionem ſuſcipit. 22.53. & 56
ad Algerij littus appellit. 22.56
Illius exercitus ordo. ibid.
Frigore ac imbribus continuis infeſtatus. 22.57
Turcæ in Cæſarianos irruunt. 22.57
Graue naufragium Caroli naues paſſæ. 22.57
Dira fames conſecuta ex demerſo commeatu. 22.58
Buſiam graui tẽpeſtate iactaræ naues appelluntur. 22.58
Philippum filium Mariæ Luſitani Regis filiæ coniungit. 23.30
Genuam appellit. 23.31
Eiuſdem cum Romano Pontifice colloquium. 23.31
Aduerſus Cliuenſem, exercitum educit. 23.32
Spiram proficiſcitur ad conuentum anno ſuperiore indictum celebrandum. 23.53
Eiuſdem oratio in Spirenſi conuentu. 23.53
Neque litteras Franciſci I. neque legatos admittit. 23.54
Pontificem Max. precatur, ad ferendas Allobrogi ſuppetias in tuenda aduerſus Turcã Nicea vt inſiſtat. 23.54
Carolus in Campaniam, Anglus in Picardiam ingreſſi 24.1
Fœdus inter Carolum & Franciſcum percuſſum. 24.5
Carolus bellum Proteſtantibus inferendum meditatur, & de Concilio Tridentino ſeriò cogitat. 24.8
Articulari morbo correptus. 24.9
Caroli legatus ad Poloniæ Regem. 24.15
à Solymano inducias poſcit. 24.15. & 16
Ratisbonenſem conuentum indicit. 24.16
Neoburgo potitus. 24.25
Danouerti oppugnationem decernit. 24.26
Varias vrbes occupat. 24.27. & 28
Danouertum. ibid.
Langingam. ibid.
Lanſuimum. ibid. 28.
Proteſtantes cum Cæſare reconciliari deſiderant. 28. 24.29
Saxonem in prælio ad Lochanam ſiluam comprehendit. 24.37
Ne Saxo capite luat, impetrat à Carolo Ioachimus Brandeburgenſis. 24.38
Veniæ Saxoni datæ conditiones. 24.39
Saxonis vxor ad Cæſarem pro viro ſuo deprecatura accedit. 24.39
Quibus legibus Lantgrauius in gratiam apud Carolum receptus. 24.41. 43. & 44
Carolus à Paulo Pontif. Max. nominibus *Fortiſſimi* & *Maximi* inſignitus. 24.44
Admiranda & verè Chriſtiana eius modeſtia. 18.28
Carolus legem Voconiam apud Boios, Aruernos, Claromontenſes, Foreſtanóſque ratam haberi præcipit. 17.44
Auguſtam ingreſſus Chriſtiana ſacra reſtaurat. 24.45
Vt omnes Imperij ordines Concilio œcumenico pareant, tandem adigit. 24.48

Caroli legatus in ampliſſimo Cardinalium Senatu Tridenti orationem habet. 24.49
Carolus ordines Imperij conuocat. 25.11
Libellum de religione edit. 25.11
Graue illius in Lutherianos edictum. 25.25.& 26
Auguſtani conuentus initium facit. 25.26
Tripolis in eiuſdem poteſtatem redacta. 25.28
Philippum filium in Imperio ſucceſſorem ſurrogare nititur. 25.31
Vt omnes Imperij ordines Tridentum ad Concilium ſe ſiſtant, edicit. 25.33
Pax inter Cæſarem, & fœderatos. 26.9
Fœderati principes nullam Henrici II. habent rationem. 26.9.& 10
Caroli mens & ſcopus in bellis Germanicis detegitur. 26.10
Argentinam Alberti Brandeburgenſis cauſa reuocatus, 26.12
Florentinos in duram ſeruitutem coniicit. 26.11
Landauij dum diutius moratur, rebus ſuis malè conſulit, & cur. 26.12
Ingentes Cæſaris copiæ ad oppugnationem Metis conflatæ. 26.13
Ad vrbem appropinquat. 26.19
Conflictus acerrimus. 26.19
Caroli exercitus paululum ab vrbe recedit. 26.19
Ad Bellam crucem redire coactus. 26.20
Ad ſua caſtra lectica vehitur. 26.22
Hanc Mediomatricum expeditionem, vt ſuorum facinorum colophonem meditatur. 26.22
Ad ſoluendam obſidionem adactus. 26.24
Cæſariani exercitus infelicitas. 26.25
Conflictus ad Fauquembergam. 26.51
Fuga. ibid.54
Cæſariani Senis pulſi. 26.56
Carolus Imperio ſe abdicat; quibus cerimoniis. 27.14
Burgundicas prouincias ad Philippum filium transfert. 27.14
Carolus lacrimatus. 27.15
Epiſcopi Atrebatenſis oratio pro Philippo, 27.15
Carolus multis morbis afflictus. 27.37
Ideo in Hiſpaniam remeare feſtinat. ibid.
In Hiſpaniam appulſus Hieronymitanorum cœnobium reliquam inibi vitam tracducturus pius Imperator ingreditur. 27.38
Moritur. 28.20
Caroli Burgundionis natura ac indoles. 1.9
Normaniæ adminiſtrationem obtinet. 1.4
Croios hoſtes declarat. 1.10
In Hollandiam ſecedit. 1.11
Hiſdinum patre imperante Ludouicum XI. inuiſurus accedere renuit. 1.9
Implicabiles cum Ludouico XI. contentiones, & inimicitias alit. 1.11
Harum origo & cauſa. ibid.
Rubripratenſem meritò vinctum fuiſſe aſſerit. 1.14
Normaniæ adminiſtratione priuatus. 1.14
De Moruillerio tacitè conqueritur. 1.14
Penſione annua quam à Ludouico XI. obtinuerat, priuatus. 1.13
Pariſios oppugnare cur reformidet. 1.18
Eius ad milites ante pugnam Lethericam longa & inſignis oratio. 1.20
Cunctatione nimia victoriam Burgundis propemodum è manibus abſtulit. 1.21
Carolus duplici vulnere ſauciatus. 1.22
Cæſorum ex vtroque exercitu numerus. 1.23
Manifeſto vitæ ſuæ diſcrimini exponitur. 1.24
Penè conſternatus à ſuis conſilium expoſcit. 1.25
Tam magnificè de ſe ſentit, vt nullius conſilio præterquam ſuo vti vellet. 1.26
Burgundicum nomen vt attriuerit, 1.26
De Biturige Ludouici fratre tacitè queritur. 1.29
Oppugnare Luteriam animo meditatus. 1.31
Legatos Pariſienſes admittit, quibus & per Ioannem Aurelianum reſpondet. 1.31
Margaritam Edoardi ſororem in matrimonium depoſcit. 1.29
Ingentē pontē ad portum Anglicum conſtrui iubet. 1.34
Marcelli ſuburbium occupat. 1.34
In extremis difficultatibus, viri prouidi & prudentis neceſſitatem experitur. 1.36
Ipſius à Ludouico XI. poſtulata. 1.36
Ludouico grauia viſa. ibid.
Eiuſdem exploratores qua ratione eluſi. 1.35
à Ludouico colloquium impetrat. 1.38
Item & conditiones ſatis honeſtas. 1.38
Comprehenſum ſui milites arbitrantur. 1.38
Sed præſidio à Ludouico accepto illæſus ad ſuos reuertitur. 1.39
A ſuo caſtrorum magiſtro acrius increpatus. 1.39
Vicenarum arcem ſibi permiſſam munit. 1.39
Fœdus cum Rege Galliæ ferit. 1.40
Quibus legibus. ibid.
Honorificè in Gallia habitus, in Flandriam ſe recipit. 1.41
Bello Eburonico occupatur. 1.42.& 2.1
Cum Ludouico ad villam Bellam trium dierum ſpatio confert. 1.41
à Dionantenſibus contumeliis afficitur. 2.3
Brabantinis ſummum in Leodios imperium attribuere fruſtra conatus. 2.4
Philippo patri vita functo ſuccedens. 2.6
Exinde Carolus Burgundio dici ſolitus. 2.6.& 7
Gandauenſes mulctat. 2.10
Eburonum metropolim oppugnat. 2.9
Expugnatáque, multos morte damnari iubet. 2.13
De retinendo Ludouico II. & vinciendo cogitat. 2.14
Eum aduerſus Eburones arma ferre cogit. 2.15
Quinque annis continuis ad illos domandos accedere compulſus. 2.15
Ibi de vita periclitatur. 2.15.& 18
Victoria quam in Eburones obtinuerat crudeliter vſus. 2.19
Læſæ maieſtatis reus accuſatus. 2.21
Quare. ibid.
Ex trium ordinum decreto dies ei dictus. 2.22
Ad bellum ſe accingit. 2.23
Lucciburgenſem ſummo odio proſequitur. 2.23.24.& 25
Piquinio potitus ingentes animos haurit. 2.24
Inducias à Ludouico poſtulat. 2.24
Annuas impetrat. ibid.
S. Quintini fanum recipere ſummopere deſiderat. 2.24
In Flandriam regreſſus ſuarum prouinciarum ordines conuocat. 2.25
Noua tributa obtinet. ibid.
Filiam ſuam vt maiorem inde potentiam ſibi conciliaret, omnibus petentibus pollicetur. 2.25
Vauclero penſionem annuam. 2.27
Regios miniſtros Peronenſe fœdus violaſſe apud Senatum Pariſienſem grauiter conqueritur. 2.27
In Varuicum claſſem fruſtra inſtruit. 2.81
Eduardo fratri auxilio eſt. 2.31
Quibus legibus fœdus cum Ludouico XI. iurarit. 2.34
Picardiam incendit. 2.35
Roiam capit. ibid.
Similiter Nellam. 2.34
In Flandriam reuertitur. 2.36
Valerij fanum in ſuam poteſtatem redigit. 2.36
Item & Euum. ibid.
Bellouacum nequidquam oppugnat. 2.35
Cur Vadamontanum comprehendi iubeat. 2.36
Conuentum Bouinis indici iubet. 2.39
In Sicambros proficiſcitur. 2.41

Digitized by Google

ꝺ Arnulpho Gueldrenſi regulo hæres inſtituitur. 2.42
[..]ſdinum concedit. 2.42
[..]icambriam ſibi ſubiicit. 2.42
[..]alliæ Belgicæ Rex ab Imperatore declarari nequidnam poſtulat. 2.43
[..]uſſiam obſidet. 2.44
[..]e inuadenda Lotharingia cogitans. 2.43
[..]ropinquum Ludouici XI. fuiſſe conficitur. 3.1
[..]um illo educatus. 3.1
[..]unc Nuſſiana obſidio ſubuertit. 3.1.& 3
[..]iuſdem ingenium ac natura. 3.2
[..]erribilis vulgò appellatus. 3.2
[..]ur Timothæo Athenienſi comparandus. 3.2
Ambitionis ſupra quam dici poteſt cupidus. 3.2
Ad Granſonem ita excanduit, vt multum illi de priſtino iudicio deceſſerit. 3.2
Feretani Comitatus iacturam facit. 3.3
Hagembachij mortem vlciſci aggreſſus. 3.4
Heluetios aduerſum ſe prouocat. 3.4
Nuſſiæ 12. menſibus affixus. 3.6
Quam deinde Pontificio legato committit. ibid.
Caleſium ad Eduardum properat. 3.6
Anglici ſermonis peritiſſimus. 3.9
Inducias inter Ludouicum XI. & Eduardum iuratas improbat. 3.9
Luceburgenſi publica fide ſe adeundi poteſtatem facit. 3.12
Hunc deinde tamẽ comprehendi violata fide iubet. ibi.
Peronam deduci. 3.12
Se Regiis eum dediſſe moleſtè fert. ibid.
Suis diffidit, quod iam multi à ſe deficere incipiant. 3.13
Baſſi coniurationis per Ludouicum XI. certior redditus. 3.13
Sed magno ſuo malo Regis verbis nullam fidem adhibet. ibid.
Nancium ad deditionem compellit. 3.16
Varias vrbes recuperat. 3.16
Quintini oppidum. ibid.
Hanum. ibid.
Bohanum. ibid.
Luceburgenſis ſupellectilem à Ludouico recipit. 3.16
In Heluetios mouet. 3.16
Honeſtis conditionibus cum illo conuenire Heluetij poſtulant. 3.16
Reſpuit. ibid.
Reiectæ Heluetiorum conditiones exitium illi peperere. ibid.
Illius ſupellectilis ſuperbia. 3.17
Quanti æſtimata. ibid.
Adamantem habuit totius Chriſtiani orbis maximum & pulcherrimum. 3.17
Loſanam Lotobrigorum metropolim capit. 3.17
A variis auxilia conquirit. 3.17
à Mediolanenſi regulo. ibid.
Ab Iolanda Ludouici XI. ſorore. ibid.
à Margarita Sabauda. ibid.
Quare Italo milite vſus. 3.13
Granſonem circumſedit. 3.18
Ad deditionem compellit, magna in propugnantes crudelitate vſus. 3.18
Ad Granſonem ab Heluetiis ignominia maxima debellatus. 3.18
Eius exercitus Heluetiorum exercitui collatus. 3.18
Ionam aufugit. ibid.
Omni ſupellectile amiſſa. ibid.
Contæum ad Ludouicum ne induciæ interrumperentur rogaturum mittit. 3.19
Peruicacem nimium ſe præbet. 3.18.& 21
redintegrato aduerſus Heluetios prælio iterum ad Murtiam ſuperatur. 3.21
Milites ad duodeuiginti millia amittit. 3.21
Poſt Murtianum prælium ſupra modum angitur. 3.21
Margaritam Sabaudi Ducis viduam in Rouerianam arcem abduci mandat. 3.21
Nancium Baſſi perfidia amittit. 3.22
Sed poſtea acri obſidione cingit. 3.22
Debeátne cum Lotharingo confligere ſuos duces conſulit. 4.24
Ne confligat admonetur. 3.24
Confligere decernit. ibid.
Tribus vulneribus ſaucius occumbit. 3.29
Agnitum eius cadauer Nancium elatum. ibid.
Et in S. Georgij æde honorificè ſepultum. ibid.
In Lotharingiam nihil iuris iuſtè ſibi vendicare poterat. 3.26
ridiculum de illo figmentum. 3.26
Mariam filiam hæredem relinquit. 3.26
Carolus VII. Galliæ Rex filio Ludouico infenſus. 1.1.
Harum ſimultatum origo. ibid.
Eiuſdem reſponſum ad filium. ibid.
Moritur Magduni. ibid.
In Dionyſiaca Pariſienſis agri æde ſepelitur. ibid.
Septem diebus veneni metu cibo abſtinet. ibid.
Illius funus Tanneguij Caſtelli ſumptibus curatũ. ibid.
indignatus contra filium natu maiorem de tranferendo ad minorem regno cogitat. 1.1
Caroli VIII. Galliæ Regis natalis dies Ambaſiæ. 2.27
Natura ac indoles. 4.25
Eiuſdem nuptiæ cum Margarita Flandrica quando celebratæ. 4.22
Nullis litteris, vnico tantum apophtegmate, quod à patre hauſerat, inſtructus. 4.25
Quid cauſæ fuerit cur eius inauguratio dilata ſit. 4.26
Rhemos deductus Regiis ſacris initiatus. 4.26
Inde trium ordinũ conuẽtus ad Turones indictus 4.28
Caroli VIII. cura Annæ ſorori commiſſa. 4.28
Parthenaium captum ſolo æquari mandat. 4.30
Quibus conditionibus cum Britanno fœdus inierit. 4.30
Dein bellum cum eodem redintegrat. 4.31
Varias vrbes occupat. 4.35
Dolam. 4.31
Filiceras. 4.34
Vitræum. 4.35
Quid iuris in Britanniam ſibi vendicaret. 4.35
Annam Britanni filiam in vxorem ambit. 4.35
Matrimonio iunguntur. 4.36
Huius matrimonij auctor. 4.36
Fœdus Crepecordio auctore cum Philippo Maximiliani filio quibus conditionibus ineat. 4.37
Aurelianum in pugna Albiniana captum Ioannæ ſororis Aureliani vxoris precibus emittit. 4.38
Neapolitanam expeditionem contra ſuorum ducum ſententiam ſuſcipit. 5.1
In Italiam à Ludouico Sfortia euocatus. 5.1
Quod ius in regnum Neapolitanum ſibi vendicaret. 5.6
Rationes quibus Carolus Balbianus Sfortianus legatus Carolum ad bellum Neapolitanum accendat, breuiter recenſentur. 5.8
Quibus capitibus Ludouicum Sfortiam in ſuam ſocietatem admiſerit. 5.13
Varias legationes inſtituit. 5.13
Ad Alexandrum Summum Pontificem. ibid.
Venetos. ibid.
Florentinos. ibid.
Quid à Florentinis impetrarit. 5.13
Quid item à Venetis. ibid.
Ferdinandi Neapolitani legatos, Gallia vt hoſtes excedere compellit. 5.14
Rouerei Cardinalis in Gallia aduentu vehementer recreatus. 5.15
Qua de cauſa. ibid.
Eberardum Aubignium virum militarem ad Alexandrum Pontif. deſtinat. 5.15
Legationis capita. ibid.

Florentinorum legatos,& quotquot Petri Medicei fœnus Lugduni exercebant,è regno expelli præcipit. 5.17
Alexander Pontifex Max. ſuper regnum Neapolitanum illi arbitros offert. 5.17
Regis Hieroſolymitani, atque vtriuſque Siciliæ titulos aſſumit. 5.17
Claſſem ingentem ad Neapolitanam expeditionem adornari mandat. 5.17
Cur potiſſimum Carolus expeditionem Neapolitanam ſuſceperit. 5.17
Rationes propoſitas à Crepecordio duce præſtantiſſimo bellum Neapolitanum diſſuadente, Verſij importunitate victus nihili facit. 5.18
Conſiliorum Alphonſi de Genuenſibus certior factus Aubignium cum copiis Mediolanenſi Genuenſique agro præeſſe iubet. 5.19
Noua auxilia ad Aubignium tranſmittit. 5.23
Eius inſtructiſſimus exercitus. 5.23.& 24
In morbum lapſus Aſtæ commorari cogitur. 5.25
Inibi à Ludouico Sfortia inuiſitur. ibid.
Alexander Pontifex ſe eum malis diris deuoturum quaſi ſacri commiſſi reum,ni bello deſiſtat,comminatur. 5.25
Qua ratione Ludouici Sfortiæ malam fidem detexerit per Petrum Mediceum, & Ioannem Mattaronium oratorem ſuum. 5.26
Eum Hieronymus Sauonarola Dominicanus Piſas ingreſſurum prædicit. 5.26
Ticinum appulſus Ioannem Galeatium Mediolanenſium Ducem, conſobrinum ſuum morbo confectum iam,& languentem in arce inuiſit. 5.28
Eidem Lignius ac Briſſonnetus vt Ludouicũ Sfortiam apud ſe retineret, perſuadere conati. 5.29
Placentiæ aliquot dies commoratus reditum in Galliam meditabatur,ni Florentiam verſus contendere à multis impulſus fuiſſet. 5.29.& 30
Fiuiſano Florentinorum oppidulo potitus Serezanam arcem munitiſſimam oppugnat. 5.30
Florentinis, præſertim Petro medici leges pro arbitrio imponit. 5.31
Hetruriam,Flaminiámque ſibi aperit. 5.31
Piſanos in libertatem contra pacta cum Florentinis ſtabilita, nec quanti id momenti foret perpendens,aſſerit. 5.34
Petrum Mediceum in ſtatum priſtinum reponendum Florentiam reuocat. 5.35
Quam ob rem,incertum. 5.35
Quo apparatu Florentiam ingreſſus. 5.36
Quis ab iiſdem conditiones extorſerit. 5.37
Carolus VIII. cum Alphonſo Neapolitano nulla ratione niſi ſibi regno Neapolitano cedente conuenire vult. 5.38
Illius legati, Summi Pontificis iuſſu in Adriani molem compulſi. 5.38
Romam intromiſſum Ferdinandum Neapolitanum Carolus VIII. Galliarum Rex qua ratione intercipere, reditúmque in patriam ipſi intercludere molitus. 5.39
Prodigio datum quod bona murorum vrbis Romanæ pars, qua Carolus ingreſſurus erat, ſua ſponte collapſa ſit. 5.39
Roma metu Caroli aduentantis Summus Pontifex cedere tutum exiſtimat. 4.38.& 39
Totus pene Romanus ager in Gallorum poteſtatem redactus. 5.39
Carolus VIII. in vrbem Romam admitti poſtulat debitum honorem Summo Pontifici redditurus. 5.40
Romani illius exercitu perculſi. ibid.
Octo Cardinales ob conuentiones cum Alexandro initas indignati Roma exeunt. 6.6
Mortuo Alexandro Pontifice Max. tumultus ingentes Romæ excitati. 9.40.41.& 42
De creando Romanorũ Rege acriter diſceptatum. 16.5
Tumultus aduerſus Clementem Pontificem Romæ excitati. 19.5
Quare. ibid.
Roma à Borbonio capta. 19.27.28.& 29
Cæſarianorum in diripienda vrbe Roma immanitas pluſquam Gothica. 19.28
In ipſos Cardinales ſæuire non reformidant. 19.29
Roma ab Vrſinis direpta. 19.52.& 53
Romam deferri pecuniam pro beneficiis Lutetiæ prohibitum. 25.43
Carolus VIII. Romam admitti poſtulat debitum honorem Pontifici redditurus. 5.40
Ingreditur cum vniuerſo exercitu. 5.40
Solitis ceremoniis in D.Petri æde magnificè exceptus. 5.41
Inde partem copiarum in regnum Neapolitanum immittit. 5.41
Conditiones,quibus cum Alexandro conuenerit. 5.41
De Alphonſi Neapolitani fuga in Siciliam, certior factus Marinum contendit. 6.6
Capuanos mira humanitate ſibi deuincire conatus. 6.6
In expeditione Neapolitana nihil ei defuit ad integram victoriam,niſi prudens conſilium. 6.11.& 12
Carolus regno Neapolitano ſemel potitus in Græciam facilè penetraturus erat. 6.13
Quo in ſtatu res Turcicæ in Græcia verſentur, Dyrrachienſem Epiſcopum, natione Græcum eò miſſum explorare mandat. 6.14
Chalcedoni inſidias ſtruit. ibid.
Sed Venetorum fraude deteguntur. ibid.
Arcium Neapolitanarum cõmeatus familiaribus (quod ei poſtea magni ſtetit) diſpertit. 6.16
Comitis Aërienſis, ac Squillacienſis Marchionis fundis & poſſeſſionibus Aubignium donat. 6.16
Ferdinando Neapolitano opulentum in Gallia Ducatum & honorificas conditiones offert. 6.15.& 16
Calabriam quam Ferdinandus ſumma contentione repoſcebat reſtituere,cur noluerit. 6.16
Alexander Summus Pontifex,Maximilianus Imperator, Veneti, & Ludouicus Sfortia ſocietatem iurant,aduerſus eum, vt regno Neapolitano facilius expellant. 6.18
Qua ratione Neapolitanorum odium incurrerit. 6.18
Cognita tot fœderatorum aduerſum ſe conſpiratione, ex ducum ſuorũ conſilio reditũ in Gallias apparat. 6.20
Alexandrum Pontificem Maximum à cæteris fœderatis diuellere, & ſibi adiungere tentat. 6.20
Quas copias regno Neapolitano tuendo reuerſurus in Gallias præfecerit,quáſve ſecum reduxerit aut Aſtę impoſuerit variant ſententiæ. 6.20
Carolus Poggium Regale ingreſſus, Imperator Auguſtus ſalutatur. 6.20
Columnas magnis poſſeſſionibus ditat. 6.21
Ab iiſdem inſigni perfidiæ nota paulò poſt proditus.ibi.
Neapoli profectus Romam iter inſtituit, inibique vota in S. Petri æde perſoluit. 6.21
Etſi iuſtis de cauſis Alexandro Pontifici ſuccenſebat, tamen arces occupatas eidem reſtitui voluit. 6.21
Florentinorum Piſas, Piſanaſque arces æquis conditionibus repetentium poſtulata aulicis cauillationibus eludit. 6.23
Liburnum cur diutius retinere Carolo ſuadeat Comnæus. 6.22
Florentinorum arces ſibi bona fide commiſſas reddere (ni diuini numinis vindictam incurrere malit) nequidquam monetur à Sauonarola. 6.25
Vehementer angitur quomodo Florentinis & Piſanis à Gallorum imperio diſcedere moleſtè ferentibus ſatisfacere queat, 6.26.& 27
Heluetiis qui ſe in Genuenſes inſolentiores præſtiterant, tormenta bellica per Alpes propriis humeris trahenda in pœnitentiam impoſuit. 6.27
Variæ fœderatorum ſententiæ de intercludendo Caroli in Gallias reditu. 6.28

Foronouum attingens vbi fœderatorum caſtra ſub Apennino diſpoſita conſpexit, non leuiter commotus. 6.29.& 30
Eoſdem excepturus quo modo militem ſuum ordinare & diſponere aggreſſus. 6.30
Cur in loquendo timidior. 6.30
Cominæo ante prælium Foronouanum pacis promouendæ apud Venetos duumuiros curam cõmittit. 6.30
In ſummam vitæ diſcrimen adductus. 6.31
Franciſci Sicci conſilium de victoria perſequenda imprudenter reiicit. 6.31
Inſciis hoſtibus ſine vllo tumultu Florentiolam proficiſcitur. 6.31
Si oblatas Placentinorum conditiones acceptaſſet, magnum tuendo regno Neapolitano, momentum attuliſſet. 6.36
Nouarianæ obſidioni ſoluendæ totus incumbit. 7.1
Annæ Solcriæ nobilis matronæ amore captus 7.1
Fœderis quod cum Sfortia ſanxit, capita. 7.6
Carolus peregrino milite non amplius vti decernit. 7.7
Sfortiæ arrogantiam moleſtè ferens. 7.8
Ad bellum Italicum nouos animos reſumit. 7.17
Redintegrandum eſſe omnibus Galliæ proceribus expedire viſum. ibid.
Reiicitur Bembus aſſerens Epirotam quemdam in Carolum conſpiraſſe. 7.19
In ſanctiore Caroli conſilio duæ cõtrariæ factiones. 7.26
Quæ. ibid.
Induciæ inter Carolum & Hiſpanum in octo menſes pactæ. 7.36
Cur Carolus multis occaſionibus ad rem Neapolitanam recuperandam opportunis toties malè vſus. 7.39
Moritur Ambaſiæ attonito ſtupore correptus. 7.41
Eiuſdem ſucceſſor Ludouicus XII. 8.1
Carolus IX. Franciſci II. ſucceſſor. 29.27
Inauguratus. ibid.
Mareſchallo Heſſo ſe nunquam captiuum fuiſſe affirmat. 30.11
Caroli Regis in Caluinianos nimia clementia. 30.16
Coniurati quidus legibus eidem reconciliati. 30.16
Quid Carolum bellum aduerſus Anglos declarare compulerit.
Caroli Carcellenſis natura ac indoles *vide* Carolus Burgundio.
Caroli Sabaudiæ Ducis mors. 26.44
Hæres. ibid.
Carolus Sanguinius. 7.25
Carqueleuanus arcem Atrebatenſem ignauè dedit. 3.36
Caſale qua ratione Salſauo Vertuæ præfectus ſibi ſubiecerit. 27.1
Caſoni ducis cædes. 20.40
Caſſina Piſanorum imperio adiicitur. 6.3
Caſtellatium à Genuenſibus circumſeſſum. 10.27
Caſtelli architecti imprudentia & temeritas. 22.5
Caſtellum Theodorici à Gallis occupatum. 26.47
Caſtellum Nouum à Burgundo occupatum. 2.36
Varij & inopinati caſus in Luſitania & Hollandia. 20.35
Caſtellũ Francum occupat Ferdinãdus Neapolitanus. 7.20
Caſtellum S. Angeli qui in Cæſarianorum poteſtatem redactum. 18.19
Caſtelletum à Genuenſibus euerſum. 20.17
Arembergenſi deditum. 27.60
Caſtelloguio Arauſij frater. 4.1. & 2
Captus. 4.2
Caſtilio vulneratus. 13.11
Caſtilio Amyralius Caluinianorum querimonias apud Franciſcum II. proſequitur. 28.63
Guiſani, illius obiectionibus occurrunt. 28.74
Caſtrocarium, & Salſubium idem. 5.32
Caſtronouum expugnatum. 21.36
Ludouico XII. Galliarum Regi deditum. 8.14
Caſtulonenſe regnum inter Ferdinãdum Tarraconenſem, & Luſitaniæ Regem controuerſum. 3.23
Quo iure Ferdinando Hiſpano acceſſerit. 10.14
Catharina Franciſci II. mater cum Nauarro paciſcitur. 29.25
Catharina Auarda capite truncata. 25.7
Quare. ibid.
Catharina Medicea cum Henrico Aureliano matrimonio coniuncta. 20.49
Catharinæ Arragoniæ ab Henrico VIII. Angliæ Rege repudiatæ mors. 21.19
Catharina Sfortia Hieronymi Riarij, Fori Cornelij quondam Comitis vidua cum Gallis ſocietatem coit. 5.32
Eam Cæſar Borgia Romam in Adriani mole cuſtodiendam mittit. 8.30
Celeritas in bellis, præſertim ciuilibus magni momenti. 2.31
Cellanenſis Comes. 7.21
Centale Seſſano Duci deditum. 28.18
Centium Bononienſis agri oppidum Fuxio deditum. 23.19
Centronum vrbs à Burgundione obſeſſa. 2.8
Centumcellarum arx Carolo VIII. quî dedita. 5.41
Eamdem cum Auxuritana Carolus VIII. Pontifici Maximo ſponte reſtitui iubet. 6.22
Cercous quis. 8.39
Cerdo pater Ludouici Sfortiæ Mediolanẽſium Ducis. 7.8
Cerecampus vnde ſic dictus. 28.20
Ceruetram vrbem Franciſcus Cibous Vrſino addicit. 5.3
Ceſena iubente Alexandro Pontifice Ferdinando Calabro auxilium ſpondet. 5.11
Ceſtrenſis regulus in Flandria oſtiatim ſtipem emendicare coactus. 2.26
Chabanea familia inter Boios maximè illuſtris. 6.12
Chalangerius Eduardi nomine inducias cum Gallo Rege procurat. 3.8
Chalcedonem vt ex inſidiis adoriri meditatur Carolus VIII. 6.14
Inſidiæ Venetorum fraude detectæ. ibid.
Chalcem qua ratione Florentini occuparint. 7.29
Caligaius captus. 3.5
Chandius ſiue Chandenerius in Marſos irrumpere, Carolo VIII. ita iubente coactus. 6.1
Charlota Sabaudiana Ludouici XI. vxor, Ambaſiæ defuncta anno 1483. 4.25
Cherium Carolo V. ſubactum. 22.16
Chimæus Princeps. 1.10
China, vel Cina radix morbo articulari ſubleuando ſalubris. 7.11
Chriſtiernus Daciæ Rex perpetuæ cuſtodiæ adiudicatus. 20.43
Chriſtianus Daniæ Rex. 22.25
Chriſtianæ Daniæ Regis filiæ, & Antonij Lotharingi connubium. 22.55
Auguſtam quare profecta. 25.29
Chriſtophorus Frangipanis Venetos fugat. 11.24
Chriſtophorus Columbus. 7.11
Indicæ nauigationis verus auctor. 10.8
Chriſtophorus Pallauicinus Mediolani capite mulctatus. 16.48
Cicolus Peruſinus Lemniacenſibus copiis adiunctus. 11.25
Ciſro Lotharingi domeſticus, commeatum Nancio obſeſſo inferens interceptus. 3.23
Duci Burgundo Baſſi coniuratiõe detegere cupit. ibid.
Baſſo obſtante impeditur. ibid.
mortéque mulctatur. 3.25
Circelli obſidionem vt interrumpat Ferdinandus Neapolitanus, Frangetium oppugnat. 7.20
Ciſmiolanæ pugnæ ſeries. 9.32
Ciuidale Bellunianum Germanis deditum. 12.4
Citadella, Patauinorum oppidum Germanis deditum. 12.4
Ciurianus Dux, quis. 16.9
In Vormatienſi conuentu vita excedit. 16.27

Claraſco

Claraſco potitur Franciſcus I. 23.17
Clarencius captus. 3.5
Clarencianus regulus Eduardi frater ſupplicium crudeliſſimum, & inauditum quod ei Londini apparabatur, in aliud mitius commutat. 3.56
In vini dolium demergi poſtulat. ibid.& 4.19
Clarix Petri Medicei parens ex Vrſinis oriunda. 5.2
Claſſis Arragoniæ apparatus. 5.20
Claſſis Gallica ad Rapallum ſuperata. 6.36
Claſſis Gallicæ & Venetæ ad Veneris portum mutuus occurſus. 12.12
Claſſis Gallicæ prætoria nauis à coquis vt inceſa. 24.10
Claſſis Anglica tentat Gallicam. 24.11
Galli oram Anglicam inuadunt. 24.11
An claſſis Anglica inuadenda, in conſultatione poſitum. 24.12
Claſſis Gallica Huichitiam appulſa. 24.11
Reditus ſententia præfertur. 24.12
Claſſis Pontificiæ, Cæſarianæ, ac Venetæ expeditio. 22.30
Claſſis Rouereana ſuperata. 15.51
Claſſis Turcica Oſtiam appulſa. 23.42.& 45
Niceæ expugnandæ ſimul cum Gallica applicatur. 23.43
An Claſſis Turcica à Franciſco I. in maria noſtra euocata ſit. 25.35
Non fuiſſe ex epiſtola Equitum Militenſium ad Siciliæ Proregem conficitur. 25.36
Claſſis Venetæ rumor Ferrarienſes interturbat. 11.33
Claudius Guiſanus Peronā obſeſſam ſubſidio recreat. 21.60
Claudius Seiſellus Maſſilienſis Pontifex refutatur. 4.36
Claudius Lotharingus cum Brandeburgenſi infeliciter dimicat. 26.21
Alberti ad ſuos adhortatio. ibid.
S. Claudij peregrinationem Ludouicus XI. ſuſcipit. 4.14
Claudiæ Reginæ Franciſci I. vxoris filius, qui poſtea Franciſcus nuncupatus eſt, natus. 16.3
Baptiſmalis ablutionis cerimoniæ & apparatus. 16.3
Claudiæ Reginæ mors Blæſiis. ibid.
Claudia Ludouici filia Franciſco Engoliſmenſi deſponſata. 10.21
Clementis Maroti, Poëtæ Galli mors. 23.29
Clemens Pontifex Max. Adriani ſucceſſor. 17.35
Sedandis belli Mediolanenſis controuerſiis totus inſiſtit. 18.13
Societas inter Clementem & Franciſcum inita. 18.13
Expeditionis Neapolitanæ Clementem Franciſco auctorem non fuiſſe conficitur. 18.14
Præclarum Florentini legati de Clemente Pontif. teſtimonium. 18.16
Fœderis inter Clementē ac Cæſarem initi capita. 18.27
Piſtorenſis Epiſcopus à Clemente ad Franciſcum I. deſtinatus. 18.28
Cur Clemens de Lanoio conqueſtus. 18.34
Cur recuſet inire ſocietatem cum Carolo V. 18.46
De Clemente Pontifice liberando variæ diſceptationes. 19.42
Obſides ab eo dati, clam elabuntur, & quomodo. 19.43
Clemens ſerui habitu indutus, vt ex mole Adriani euaſerit. 19.44
Quibus capitibus cum Clemente conuenerit. 19.45
Arx fori Cornelij ei reſtituta. 19.47
Cur Veneti & Lautrecius Clementi in ſuſpicionem adducti. 19.47
Cæſarem & Franciſcum conciliare nititur. 18.7
Cæſarianis ſuſpectus. 18.13
Aduerſus illum tumultus Romæ excitati. 19.5
Quibus de cauſis. ibid.
Senenſes Clementi quā reconciliati. 19.8
Item & Columnæ. ibid.
Clementis exercitus à Senenſibus fuſus. 19.8
Clemens Pontifex conditiones ſibi à Carolo V. oblatas reiicit. 18.51
Conſtans illius ad Caroli legatos reſponſum. 18.56
Belli pertæſus pacem quoquo pacto procurat. 19.19
Quibus conditionibus Lanoius ei reconciliatus. 19.21
Clemens, Roma per Borbonium capta in Adriani molem aufugit. 19.18
Cum Carolo V. paciſcitur. 19.31
Clerius Delphinas legatione non ſatis prudenter vſus. 7.38
Cliuenſis regulus Himbercurtio cur infenſus. 3.30
Cliuenſis Dux cur Caroli V. hoſtis declaratus. 22.53
In Galliā profectus benigne à Frāciſco I. excipitur. 22.54
Cloceſtrēſis regulus ab Anglis Richardus Rex dictus. 2.29
Angliæ regnum vt occuparit. 4.19
Clunianus ad Edoardum Anglorum Regem miſſus. 1.29
Legationis cauſæ quænam fuerint. ibid.
Cluſentinus ager à veteri Cluſio oppido, vbi Regem Porſenam ſepultum aſſerit Plinius, dictus. 8.9
Nunc Caſentinatem vocant. ibid.
Cocterij medici magna verborū licentia apud Ludouicum XI. *vide* Iacobus Cocterius.
Codiſana arx. 10.31
Cœnobia omnia in Anglia, aut euerſa, aut profanis vſibus addicta. 22.32
Collerneſium oppidum captum & direptum. 7.17
Collis, vrbs munitiſſima à Neapolitanis obſeſſa. 4.9
Dedita. ibid.
Colloquium Piſſiacum. 29.35
Colloquia mutua Principum ſeminaria bellorum. 1.5.& 7
Colloquium Baugencianum. 29.50
Colūnæ magnis à Carolo VIII. ditati poſſeſſionibus. 6.21
Quem poſtea inſigni perfidiæ nota ſua cum Arragoniis reconciliatione fefellerunt. 6.21
Columnarum ac Senenſium reconciliatio cum Clemēte Pontifice per Moncatam promoueri cœpta. 19.8
Nefarium Columnarum ſacrilegium. 19.8
Columniorum cum Vrſinis conflictus. 8.4
Cometa Iulio menſe anni 1534. exortus Clementis Pontificis mortem portendiſſe viſus. 20.57
Cometa horribilis menſe Martio viſus renouandi belli præſagium exiſtimatum. 27.18
Cometæ apparitione Philippi Flandriæ Principis mors deſignata. 10.25
Cominæus ad Ludouici obſequium traductus, magni apud eumdem fit *vide* Philippus Cominæus.
Commercium Carolo V. deditum. 24.1
Comitia Pontificia Medicem, ac Sedunenſem Cardinales Romam reuocant. 6.53
Comitia Tigurina quem in finē ab Heluetiis indicta. 15.21
Comitia Rothomagenſia. 1.13
Comum Gallis ereptum. 8.32
Concilij Tridentini inchoatio. 25.42
Orationis quam Gallus legatus in conſeſſu habuit argumentum. 25.42
Libello edito cauſas Concilij Gallo Regi Patres exponunt. 25.44
Serio inchoatur. 24.19
Caroli V. legatus Tridentum miſſus. 24.19
In Tridentino Concilio qui libri recipiendi ſint, ſtatuitur. 24.20
Concilium diuiſum. 24.46.& 47
Carolus V. ea de re admonendi Summi Pontificis apud Epiſcopos auctor eſt. ibid.
Concilio œcumenico vt omnes Imperij ordines pareant, Carolus V. tandem adigit. 24.48
Orationis Tridentini Cardinalis ad Paulum Rom. Pontif. & auguſtū Cardinaliū Senatum habitę ſumma. 24.49
Concilium Tridentinum cur intermiſſum. 29.10
Pij IV. authoritate reſumptum. 29.10
Concilij Tridentini in Belgio promulgatio. 30.34
Concilij alicuius generalis neceſſitas probata per Alexandrum Farneſium Cardinalem. 22.41
Concilij Piſis celebrandi authores, qui. 13.1
Concilium Generale Bonoma Tridentum tranſlatū. 25.30
Concilij Lateranenſis initium. 13.48

Concordata

Digitized by Google

Concordata inter Leonem Pontificem ac Franciſcum I. in Senatu Pariſienſi rata habentur. 15.39
Concilij Piſis indicti auctores, qui aderant, & quando celebratum. 13.1
Eius abolitio. 13.8.& 9
Prima ſeſſione veſtimenta Cardinalibus denegata, ædiſque maioris fores occluſæ. 13.11
Concordia per Ludouicum XII. occupata. 12.35
Condeum Belgij oppidum Ludouico XI. deditum. 3.28
Condeus coniurationis Caluiniſticæ princeps declaratus. 28.43
Delecti à fœderatis, qui Guiſanos cōprehenderent. 28.43
Coniuratio per Auenellum detecta. 28.44
Pro rebellium duce Condeus agnoſci non vult. 28.49.
Condeus comprehenſus. 29.7
Vt capite luat in ſanctiore conſilio decretum. 29.9
Condeus ad Vuzæam arcem deductus. 30.10
Guiſani in illum humanitas maxima. 30.9
Condeus criminum, quorum inſimulabatur, ſuſpicione liberatus. 29.23
Quid eumdem arma ſumere impulerit. 29.40
Copiæ auxiliares è Germania ad Condeum miſſæ. 30.4
Captus Condeus Aureliam abducitur. 30.8
Coneſtabilis dictio vnde deducta. 3.14
Confluentinum fœdus. 1.40
Coniectura de duobus Regibus Gallo & Hiſpano. 9.4
Coniganus Scotus ad Graium vicum cæſus. 4.3
Coniurationis Ambaſianæ ſeries. 28.45.& 46
Nonnulli coniurationis auctores capti, mortéque mulctati. 28.47
Tumultus Ambaſiæ per rebelles ſuſcitatus. 28.48
Caluinianorum conuenticula prohibentur. 28.49
Condeus illorum ducem ſe eſſe inficiatur. 38.49
Coniuratio Franciſcanorum de prodenda vrbe Metenſi. 26.63
Coniuratio omnium penè Principum Chriſtianorum aduerſus Ludouicum XII. Galliarum Regem. 13.27
Coniuratio Pacciorum *vide* Paccij.
Coniuratio detecta in Sicilia. 17.39
Volaterranus illius ſuſpectus, actus in vincula. ibid.
Coniuratio Vrſinorum contra Valentinum Borgiam. 9.19
Coniuratio in Laurentium Mediceum. 4.6
In Rouereum. 15.46
In Iulianum Mediceum. 4.6
Conſaluus veri ducis exemplum. 9.26
Pons Minturnenſis ab eo incenſus. 10.4
Iniqua conditionis à Conſaluo iuratæ de Neapolitanis captiuis dimittendis interpretatio. 10.6
Conſaluus Valentinū in arcem Medinēſem coniici iubet. 19.10
Quid cauſæ ſit cur Conſaluus in Italia pacem ratam haberi velit. 10.17
In Hiſpaniam reuocatus cur redire differat. 10.20
Illius beneficentia & liberalitas in regno Neapolitano. 10.33
Inſignes Cōſalui ducis virtutes breuiter recenſitæ. 10.34
Gallos tranſitu prohibiturus prope Siccam caſtra metatus. 10.1.& 3
Propter Gallorum ſocordiam & iurgia victoria potitus. 10.4
Pulſis Gallis Caietam occupat. 10.5
Ferdinando obſequium offert. 10.25
Ab eodem equitum magiſter declaratus. ibid.
Eiuſdem victoriæ. 7.22.& 23
Varias vrbes recipit. 7.22
Sibarim. ibid.
Scyllaceum. ibid.
Crotonem. ibid.
Semenarium. ibib.
Neocaſtrum. ibid.
Terranouam. ibid.
Coſentiam. ibid.
Roſa (virorum illuſtriū inſigni) Romæ in publico Cardinalium cœtu donatus ab Alexandro Pontifice. 7.36
Debueritne Nemorenſis cum Conſaluo manus conſerere, diu agitatum. 9.11
Conſalui mors, & eximium funus. 15.29.10.34
Conſaluus Ouiedus Hiſpanus remediorum contra morbum Gallicum inuentor. 7.11
Conſtantinus Cominatus Achæorum dux. 7.4
Comitante Monferratēſi adminiſtratore Chalcedonem Caroli VIII. cōſilio & iuſſu adoriri cogitās, detectis inſidiis Venetorū fraude, in Appuliā euadere coactus. 6.14
Conſtantinus Macedo. 11.23
Conſtantienſes à Carolo V. proſcripti Auſtriacæ familiæ ſe dedunt. 25.11
Conſtantienſis conuentus. 10.32
Maximiliani Imperatoris oratio ad conuentum. ibid.
Quomodo dimiſſus. 10.36
Conſtantia, & cæteræ ciuitates Germanicæ vnde liberæ dictæ. 13.32
Conteus dux inſignis. 1.21
Eiuſdem oratio. 1.25
Contentio inter Ferdinandum & Mompenſerium. 7.23
Vnde orta. ibid.
Contentionum omnium de Mediolanenſi principatu origo. 5.25
Conuentu Hedelbergenſi quid cautum. 16.27
Conuentus Paſſauinus. 26.3
Ibi Mauricius rationes exponit, ob quas Gallorum ſocietatem procurarit. 26.3
Freſſinus Regius Orator orationem habet, qua antiqua Germanorum Gallorúmque cōiunctio declaratur. 26.4
Principum Imperij ad Freſſani orationē reſponſio. 26.5
Conuentus Hagonoanus. 22.43
Conuentus Gallorum Antiſtitum ſub Ludouico XI. Aureliæ habitus *vide* Aurelia.
Camarianus. 7.5
Nurembergenſis. 23.13
Lincianus. 26.3
quare Conuentus ad Bellæ aquæ fontē indictus. 28.61
Francofurtenſis. 22.34
Quidue in eodem decretum. 22.34
Pragenſis. 21.59
Conuentus Spirenſis à quo indictus. 23.7
Ad eum conuentum Franciſcus Oliuarius Regis Franciſci legatus proficiſcitur. 23.7
Conuentus ſolutus. 23.10
Conuentus Siciliæ à Carolo V. indictus. 21.15
Conuentus Smalcaldicus. 22.40
Cōuentus ordinū Imperij ad Auguſtam celebratus. 26.38
Conuentus Vlmenſis Auguſtam cur tranſlatus. 24.41
Vormatienſis *vide* Vormatienſis conuentus.
Conuentu ad Turones habito Carolo VIII. adhuc minore Ludou. XI. donationes, quas æger fecerat, reuocatæ. 4.28
Conuentus Iſenaci habitus, & quid in illo geſtum. 22.27
Conuentus Londinenſis in Chriſtianorum cōmunionem Poli Cardinalis auctoritate redditus. 26.62
Conuentus Siluanectenſis. 4.37
Auguſtanus *vide* Auguſtanus conuentus.
Ratisbonenſis. 20.39
Bouinenſis. 2.39
Trium ordinum conuentus Pontiſaram trāſlatus. 29.22
Conuentuum Caluinianorum numerus. 29.33
Conuentus Tigurini cauſa & origo, quæ. 13.44
Coqueluchа, nouum morbi genus. 12.11
Corbia deditione Ludouico XI. tradita. 3.5
Corcyra vrbs à Solymano nequidquam tentata. 22.9
Item & Corinaltum à Rouereo. 15.50
Coſentia à Conſaluo recepta. 7.22
Coſmus Mediceus, tam diues vt nulli homini priuato in orbe Chriſtiano opibus ſecundus. 4.5
Commerciorum Florentinorum princeps. 4.5
Cum Turcis mercaturam agens. 4.6

Coſmus

Digitized by Google

Coſmus Mediceus Strozzeanos omnes vel cecidit, vel diſſipauit. 22.22
Coſtæ Neapolitani ſermo ad Ludouicum XI. 3.19
Couij obſidio. 27.41
Couolus mons *vide* mons Couolus.
Cranus iuriſperitus Ludouici XI. nomine fœdus cum Burgundione iurat. 1.34
Craus vel Craon quis *vide* Georgius Trimullius.
Creatiana pugna, & illius auctor. 14.35
Cremæ à Rentio Ceres oppugnatæ deditio. 14.1
Cremonenſis ager à Roccabertino populatus. 11.12
Cremona Liuiani virtute capta. 14.20
Cremonenſis arx dedita. 18.2
Cremona à Baiardo fruſtra tentata. 17.56
Crepecordius Abbeuillanos in Burgundionis fide continet. 2.22
Bellouacum nequidquam aggreditur oppugnandū. 2.35
Crepecordij ducis prudentiſſimi ſententia de bello Neapolitano. 5.18
Mediolanenſem potius quam Neapolitanum agrum inuadendum prædicat. 5.18
Crepecordius Lugduni Carolum VIII. ad Ludouicum Sfortiam comprehendendum adducere conatus. 5.29
Atrebatum Ludouico XI. dedere recuſat. 3.26
à Maximiliano Auſtriaco ad Taroannam cæſus. 3.37
Creſciaca pugna quæ. 4.34
Croij à Carcellenſe hoſtes declarati. 1.10.
Crux alba Rhodiæ militiæ ſignum. 17.24
Cuniculis qui primum vſi. 9.35
Cuniculi circum Bononiam nequidquam ducti. 13.20
Cunctatio in bello periculoſa. 1.21
Curia Rhetorum metropolis. 11.41
Curſorum Heluecticorum perfidia. 16.47
Cuſanius Inſuber ſclopeti glande interemptus. 21.53
Cuſentinus Cardinalis *vide* Cardinalis Cuſentinus.
Cyprum inſulam Veneti vt inuaſerint. 7.9

D

DAmmartinianus turris ruina oppreſſus. 21.60
Daniæ Rex Carolo V. reconciliatus. 23.57
à Franciſco I. deficit. 23.57
Daniel Oliuarij Daman miniſter cruci affixus. 4.26
Danuillarium Gallis deditum. 23.15
Item & Iuoium. ibid.
Luceburgum. 23.15
Mommedium. 23.15
Cæſariani Luceburgum, & Mommedium recipiunt: ſed diu non retinuerunt. 23.16
Danouertum per Carolum V. ſubactum. 24.17
Danthes Turcicæ claſſis præfectus. 8.31
Decimæ viris Eccleſiaſticis in Anglia reſtitutæ. 26.44
Demetrio Spartano finis peſtis Romanæ falsò attributus. 17.56
Derthona Ludouico XII. dedita. 8.24
Derthonæ Fracaſſius præfectus. 6.36
Deſideriani Ludouico XI. deduntur. 3.5
Diana Pictauienſis Regia pellitur. 28.33
Guiſani Regio comitatu expellendi cauſa. 28.18
Dieppa qua ratione intercepta. 30.12
Dies Veneris Hiſpanis fauſtus creditus. 10.4
Digonius captus. 3.5
Dinebelſpula ad Carolum V. deficit. 24.30
Dionantum decies ſepties oppugnatum, nec expugnatum. 23.26.48
Dionantenſis arcis deditio. 26.49
Eiuſdem deſcriptio, & ſitus. 26.49
Opulentia. 2.5
Dionantenſes. 2.3. & 5
Rabies eorum pluſquam tyrannica. 2.5
Carcellenſem probris & contumeliis afficiunt. 2.3
In Agrum Hannonianum excurrunt. 2.4
Bouillanum legatum capite mulctant. 2.4
Carcellenſis effigiem furcæ affigentes. 2.3
Dionyſius Naldus dux ſtrenuus. 8.40
Diuio Arauſij principis opera Ludouico XI. ſubditur. 4.1
Dola direpta incenditur, poſteàque à Ludouico XI. inſtauratur. 4.3
Vario ornatu auguſtior redditur à Carolo V. Imperatore. ibid.
Dominicus Treuiſanus *vide* Treuiſanus.
à Venetorum Repub. ad Carolum VIII. legatus. 6.17
Dominicani cuiuſdā cū Franciſcano grauis contentio. 7.42
Dommartinianus cum Luceburgenſe reconciliatus. 2.40
Donatus Raffaguinus proditor inſignis. 8.24
Derthonam prodidit. ibid.
Doriolus iuriſperitus Ludouici XI. nomine fœdus cum Burgundo iurat. 1.34
Dortona occupata. 4.10
egregia Doſmei Epiſcopi pro Franciſco Rege oratio. 18.29
Druidenſe prælium. 30.6
Druidenſis Comitis immanitas. 30.18
Duacenſes Atrebatenſibus auxilia mittunt. 3.28
Sed intercepta delentur. ibid.
Ducis prudentia in bello quanti momenti. 8.32
Duelli libellus à Franciſco I. ad Carolum V. miſſus. 19.48
Dunenſis Comes Caroli VIII. cum Anna Britannica matrimonio procurato, inter equitandum repentina morte ſublatus. 4.36
Aſtam cur relegatus. 4.28
Aureliano iungitur. 4.30
ad Regem Galliæ Britannorum nomine miſſus. 4.33
Dura vi capta, ac ferro, flammáque vaſtata. 23.36
Vicinæ vrbes Durenſi excidio perterritæ deditionem faciunt. 23.36
Dux Ariſcotiæ captus. 26.32
Dyrrachienſem Epiſcopum natione Græcum Carolus VIII. deſtinat in Græciam, quo in ſtatu verſentur res Turcicæ, exploraturum. 6.14
Inde Venetias, Græcis arma à Baiazete interdicta comparaturum. ibid.
à Turcis quomodo interceptus cum ſuis. 6.14

E

EBerardus Stuardus Aubignius regni Neapolitani equitum magiſter declaratus. 6.11
Eberardus artis bellicæ gloria clarus ad Alexandrum Pontificem legatus. 5.15
Legationis præcipua capita. ibid.
Copiis Ludouici XII. Galliarū Regis præeſſe iuſſus. 8.11
Eboracenſis familia. 1.29
Eboracēſis Epiſcopus Henrici Angliæ Regis legatus in auguſtiſſimum purpuratorū patrū collegiū adlectus. 11.31
Eburones qui. 2.1
Bellorum quæ aduerſus Burgundiones duces geſſere, origo. 2.1
Bauarum Epiſcopum Traiecti obſident. 2.1
Eumdem Epiſcopatu moueri poſtulant. ibid.
Ad triginta millia cæduntur.
à Ludouico Borbonio Epiſcopatu potiente deficiunt, quòd ſacris initiari renuat. 2.2
Legatos in Gallias delegant. 2.3
Cur. ibid.
Philippo & Carcellenſi Burgundis bellū denuntiāt. 2.3
Luceburgum obſident. ibid.
Eorumdem metropolis oppugnatio incerta, cur. 2.9
Situs & deſcriptio. 2.17
Burgundos incautos cædunt. 2.16
Leodium, Eburonum metropolis à Burgundis occupatur. 2.19
Triginta millia florenorum Burgundo quotannis pendere iuſſi. 3.29

Ebulum

Digitized by Google

Ebulum Picentinorum oppidum. 6.41
Eceius Salmenſis Tatam oppugnat. 30.39
Eclipſes inſolentes. 23.53
Edicti Aurelianenſis interpretatio. 30.28
Edictũ caſtelli Briénij hæreticos morte puniri iubet. 28.27
Edictum Fombellaqueanum. 29.29
Remorentinenſe. 29.27
Edintonem Galli circumſident. 25.13
Eduardi Eboracenſis, huius nominis Angliæ Regis IV. liberi vt impiè & crudeliter à Richardo Cloceſtrenſi trucidati. 4.19
Eduardus omnium ſuæ ætatis formoſiſſimus. 2.28
A Varuico ſibi caueat, à Burgundione admonetur. ibid.
Voluptatibus immerſus tam ſalutare monitum magno ſuo malo parui facit. ibid.
A Varuico in fugam agitur. ibid.
Ab Holſatiis in vltimum diſcrimen adductus. 2.29
A Gruturio opem implorat. 2.29
Ad Burgundionem fratrem auxilium accepturus accedit. 2.30
Varuicum cum fratre delet. 2.32
Diebus 20. Angliæ regnum recuperat. 2.32
Moritur. 4.19
Eduardus à Luceburgenſe vt eluſus. 3.6. & 7
Cum exercitu ad fanum Quintini cum Burgundione accedit. 3.6. & 7
Sed à Burgundione deſeritur. ibid.
Galliarum regnum ſibi vt iure debitum, à Ludou. XI. reddi poſtulat. 3.7
A Luceburgẽſe, Ludouici promiſſis nõ ſtare rogatur. 3.9
Se ab induciis iam pactis diſcedere haud poſſe reſpondet. 3.10
Illius poſtulata Ludouico grauiora viſa. 3.8
Cum eodem inducias ad 9. annos paciſcitur. 3.9
Illius cum Burgundione ſermo. 3.9
Ad pontem Piquiniacum cum Ludouico pluribus communicat. 3.9
Vt Ludouicus Britannum armis perſequatur ſe haud permiſſurum diſertè aſſerit. 3.10
Eduardus VI. Angliæ Rex veneno extinctus. 26.37
Contentio de regno Angliæ. 26.38
Eduardus Henrici VIII. Angliæ Regis filius. 24.33
Patri ſuccedit nouennis. 24.33
Eidem 16. tutores à patre relicti. 24.33
Ad Egram fluuium duo aduerſi exercitus pugnæ ſe accingunt, nec confligunt. 14.26
Elcium Vrbinatis agri oppidum. 8.10
Electores S. Imperij à ferendis Gallo ſuppetiis Heluetios deterrent. 23.55
Electoratus inſigne & ſtẽma bini gladij tranſuerſi. 16.29
Electorum S. Imperij officia & munus. 16.11
Elizabethæ Hiſpaniarum Reginæ mors. 10.14
Elizabetha Franciſci II. ſoror in Hiſpaniam deducta. 28.34
Emerius Luceburgenſem comprehendere iuſſus. 3.12
Emeriana arx oppugnata à Delphino iuſſu Franciſci I. 23.34
Emmanuel Benauidius. 6.39
Emmanuel Benauidius. 9.30
Empolis à Vaſtio expugnata. 10.31
Engilbertus Niuernenſis. 6.30
Ennius Philonardus Epiſcopus Verulanus. 16.51
Enſiprandus Eburonum Pontifex. 15.23
Entraguius Piſanorum præfectus Florentinos magiſtratus vrbe expellit. 6.3
Quid cauſæ ſit cur Regiis mandatis parere differat. 7.13
Exilio mulctatus. 7.14
Illius inobedientia, ficta à multis falsò creditur. 7.14
Epirotarum bellandi ratio. 6.27
Eporedia Briſſaco dedita. 26.61
Epiſcopatus Colonienſis contentio. 2.43
Epiſcopatus Tarentinus Iudæo qui ſe Chriſtianum profiteatur 13. nummûm aureorum millibus à Ferdinando Neapolitano addictus. 5.27
Equites Rhodij *vide* Rhodij equites.
Equitum Melitenſium magiſtri epiſtola ad Siciliæ Proregem Regis Galli purgationi deſeruiens. 25.36
Equites vt in Gallia creari ſoliti. 6.33
Equites Iulij Pontificis Max. Rhegium verſus cæſi. 12.20
Equitum in Gallia conditio. 25.22
Erneſtus Mansfeldius Iuoium vt dediderit. 26.7
Erneſtus Brunſuicenſis cum Saxone captus. 24.37
Era fluuius. 7.30
Eræ pons. ibid.
Erardus Marchianus Leodienſis Epiſcopus à Gallo Rege abalienatus. 16.7
Quare. ibid.
Eraſini Roterodami mors. 21.43
Eſſartius, quis. 2.36. & 37
Eſſeus quingentos pedites Anglos, aut cecidit, aut fudit. 25.14
Poſt multa feliciter geſta ſucceſſorem habet Thermeum. 25.15
Euum à Carolo Burgundo occupatum. 2.36
Exercituum cingendorum, vallandorúmque ratio. 4.13

F

Fabricius Columna Albam, Tallacotiumque ſibi vendicat. 6.1
Ad pontem Coruum victoria potitus. 10.4
Arcem Oſtienſem quibus conditionibus Alexandro Pontifici tradi procuret. 5.19
Ad Carolum VIII. deficit. 5.19
Inuaſurum ſe ex inſidiis Romam pollicetur. 5.5
Seuerinatem nullo negotio expugnat. 7.25
Faber. Fabri cuiuſdam ferrarij clandeſtina coniuratione Atrebatum Maximiliano deditum. 4.36
Fabri cuiuſdam lignarij arte, & induſtria fanum Leonis acceſſu difficillimum, qua ratione occupatum. 15.35
Fabri cuiuſdam lignarij proditione arx Rhegina Gallis erepta. 9.38
Fames in Proteſtantium caſtris ſæuiens. 24.29
Fananum oppidum in Appennino ſitum, vt deditum. 12.15
Farræ Baſſæ cum ingenti exercitu Rhodum aduentus. 17.33
Fauentia Petri Medicis opera Ferdinando Calabro opem ſpondet. 5.21
Quo ardore & fortitudine Fauentini à muris ſuis Valentinum Borgiam repulerint. 8.41
Et quibus legibus tandem ſe dediderint. 8.42
Fauquembergenſis pugna *vide* pugna Fauquembergenſis.
Febres acutæ & lethales totam Aquitaniam peruadunt. 10.44
Federicum Arragonium Ferdinandi Neapolitanorum Regis patruum liberaliter excipit Carolus VIII. pluribus quàm quæ in regno Neapolitano poſſideret oblatis. 6.15. & 16
Se nihil à Rege accepturum profitetur, niſi prius Calabria Ferdinando reſtituta. ibid.
Federicus Alphonſi Neapolitani filius natu minor regno Neapolitano potiturus, à ciue quodam Tarentino, qui poſtea Viennenſis Epiſcopus fuit, prædicitur. 5.17
Federicus in locum Ferdinandi ſingulari omnium Neapolitanorum ſtudio adlectus. 7.26. & 34
Federicus Neapolitanus cum Ludouico Sfortia ad Baiazetem Turcarum Imperatorem recurrit, auxilium poſtulaturus. 8.22
Omnes præter vnum Federicum Neapolitanum Italiæ principes Ludouico XII. Galliarum Regi de recepto Ducatu Mediolanenſi gratulati. 8.28
Eius mors. 10.14
Federici Barbaruſſæ ſumma in Mediolanenſes indig… 25.32

Federicus Boſſolus ab Epirotis fuſus, ac pœnè captus. 11.37
Ad Laudem Pompeij tuendam miſſus. 17.10
Cremonam fugere coactus. 17.11
Federicus Capellaris. 7.1
Federici Imperatoris inſignis apologus. 2.46
Potentiſſimus exercitus, & auaritia. 3.3. & 4.1
Imperio 54. annis potitus. ibid.
Eiuſdem cum Carolo Burgundione apud Treuiros congreſſus. 1.7
Federicus Cardinalis Seuerinas ad Carolum VIII. à Summo Pontifice legatus. 5.38
Federicus Salernit. Pontif. cũ exercitu Maſſiliã traiicit. 17.14
Federicus Sora. 7.36
Federicus Saxo Elector Ferdinandum Caroli V. fratrem Romanorum Regem agnoſcit. 23.57
Federicus Tarentinus Burgundi filiam in matrimonium ambit. 2.25
inſignis Federici Toletani Albani Ducis oratio. 18.30
Federici Palatini oratio in 2. Ratisbonenſi conuẽtu. 22.49
Federicus Vrbinas Sixti IV. Pontif. copiis præficitur. 4.7
Felicitas in lubrico conſtituta. 3.1
Feltria direpta & incenſa. 12.4
Ferdinandus Caſtriota ſani Angeli Dux in pugna Mirabellana interemptus. 18.24
Ferdinandus Daualus Piſcarius Genuam oppugnat. 17.14
Ferdinandus Gonzaga inſigni ſtratagemate vſus. 25.41
Parmenſem agrum populatur. 25.41
Parmẽſibus Henr. II. Gall. Rex auxilia ſubminiſtrat. 41
Eiuſdem cum Monteiane & Boëſio conflictus. 21.50
Illius iuſſu 24. legati in crucem acti. 22.29
Bruxellis mortuus. 27.62
Ferdinandus Romanorum Rex. 20.35
Ferdinandus conuentum Pragæ celebrat. 22.59
Eiuſdem exercitus à Turcis partim cæſus, partim in fugam verſus. 22.11
Ferdinandus Imperator conuentũ Auguſt. indicit. 28.21
Conuentus Auguſtani initium. 28.26
Ferdinandus Rex Rom. Norimbergæ orationem habet, ad arma Turcæ venturo opponenda incitantem. 23.28
Ferdinandus Hiſpaniarum Rex violato fœdere quod recepto Ruſcinone cum Carolo percuſſerat, Gallis bellum denuntiat. 6.17
Illius fides ſuſpecta. 7.38
Cum Carolo VIII. Galliarum Rege inducias in 8. menſes pactus. 7.36
Mauros Bethicæ imperantes aut omnes fere cecidit, aut Hiſpania expulit. 7.38
Filio, ac filia Margarita Luſitaniæ Regina orbatus. ibid.
Quo titulo regnum Neapolitanum ſibi vendicet. 9.1
Quo iure eidem regnum Caſtulonenſe acceſſerit. 10.14
Germanam Fuxiam ſororis Ludouici XII. filiam vxorem ducit. 10.19
Quibus legibus. ibid.
Pax inter Iulium Pontif. Max. Maximilianum, Ludouicum Galliarũ Regem, & Ferdinandũ confirmata. 11.6
Quem in finem Cæſarem ad pacis conditiones traducere conetur. 12.28
Illius in accendendo contra Gallos Iulio occultum ſtudium. 13.6
Societatis inter Iulium Pontificem Max. ac Ferdinandum, Venetóſque initæ capita. 13.9
Bello Nauarrico implicatus. 14.6.7. & 8
Cur ad legationes religioſis vti ſolitus. 14.9
Veronæ Venetis reſtituẽdæ cur Ferdinãdus auctor. 14.11
Illius à cæteris fœderatis defectio. 14.14
Defectionis cauſa. ibid.
Induciæ inter Ferdinandum ac Ludouicum XII. 14.49
Ferdinandi mors. 15.29
Ferdinandus Calaber tranſire parans cum armatis in Galliam Tranſalpinam, ab Aubignio impeditur. 5.21
Cum Aubignio ante Caroli Regis aduentum confligere ſummopere ambiens. 5.22
Ad ſanctam Agatham inſiſtentibus acriter Gallis, declinare coactus. 5.23
Defectionis ſuſpectus in cuſtodiam traditur. 14.8
Ferdinandus Neapolitanus ſenior ſe Gallorum in regnum Neapolitanum irruptione parũ angi callidè ſimulat. 5.10
Varias tamen legationes inſtituit. 5.11
Ad Carolum. ibid.
Ad Alexandrum Pontificem. ibid.
Cum Alexandro quibus conditionibus conuenerit. 5.11
Sforztiæ placando omni ope inſiſtit. 5.11
Inter eum & Alexandrum Pontif. Max. contentiones exortæ. 5.13
Eiuſdem legati è Gallia Caroli iuſſu expulſi. 5.14
Moritur tandem 70. annis maior. 5.14
Viginti quatuor, aut plures regni Neapolitani Duces, ſeu viros primores trucidat, aut perpetuo & tetro carceri addicit. 5.27
Eiuſdem auaritia fœdiſſima. 5.27
A Fauentinis intercipi veritus Ceſenam celerrimè ſe recipit. 5.31
Romam Alexandro Pontifice ita iubente cum copiis introit. 5.38
Sed Carolo VIII. in vrbem Romanam admitti poſtulante ſummi Pontificis hortatu inde ſibi migrandum eſſe ſatius ducit. 5.40
A patre, Rex Neapolitanorum creatus. 6.1
Sed non ita diu poſt dyſenteria exhauſtus diem ſuum obiit. 6.1
Coacto exercitu non contemnendo decernit ad Germani fanum Carolo VIII. occurrere. 6.7
Tumultu Neapoli, ob repentinam è Germani fano, tumultuariámque fugam exorto Reginæ litteris in vrbem reuocatus. 6.8
Calabriam ſibi reſtitui ſummopere contendit. 6.16
Arcium Neapolitanarum deditione cognita cum 14. triremibus in Siciliam traiicit. 6.16
Ad Semenariam confligens in hoſtium poteſtatem deuenturus erat, niſi Ioannis Altauillæ Capuani beneficio diſcrimen vitaſſet. 6.39
Quo aſtu Neapolitanos ad rebellionem incitare moliatur. 6.10
In vrbem quomodo intromiſſus. 6.40
Quî ad pugnam cogi potuerit. 7.17
Eiuſdem mors. 7.25
Succeſſor. 7.26
De apparitione genij Ferdinandi Neapolitani defuncti, & voluminis cuiuſdam inuentione. 6.2.
Ferdinandus Neapolitanus iunior exercitum Conſaluo duce in Siciliam traiicit. 6.21
Rheginos nullo negotio in ſuas partes perducens. ibid.
Ferdinandus propoſitas à genero conditiones recipere coactus. 10.20
Metu amittendi regni Neapolitani, Neapolim traiicit. ibid. & 10.15
Honorificè à Conſaluo Genuæ exceptus. 10.25
Sauonæ cum Ludouico collocutus. 10.34
Huius colloquij finis incertus. 10.35
Admiranda Ludouici & Ferdinandi de ſe inuicem fiducia. 10.34
Piſanos de tuenda libertate admonet. 11.4
Ferdinandus iurat ſocietatem clandeſtinam cum Petro Mediceo. 5.2
Ludouico Sforztiæ cur ſuſpectus. 5.4
Romæ inuaſionem Alphonſo Calabro, & Petro Medici diſſuadet. 5.5
Ferdinãdi artibus Genuenſes ad rebellionẽ excitãtur. 4.8
Pluribus tum oppidis tum arcibus captis Turcico bello implicatur. 4.11
Ferdinandi Tarraconenſis controuerſia de regno Caſtulonenſi cum Luſitano. 3.23
Ferdinãdi Neapolitani copiis præfectus. ibid. Capuæ. 6.7
Feretanus Comitatus Sigiſmundo reſtitutus. 2.46 & 3.3

Feretana

Digitized by Google

eretana deſertio vnde orta. 3.3
arienſis Marchionis ſubdolum conſilium. 5.10
aria Iulij Pontificis iuſſu obſidione cincta. 12.21
errarienſis Iulij Pontif. Max. milites ſuis ditionibus xpellendos eſſe Gallorum ducibus perſuadet. 12.25.
Cur. ibid.
Quanta illius alacritas in recipienda Baſtia Geniuolana. 3.16
Ferrarienſi ſtructæ inſidiæ. 13.45
illas Columnarum opera eludit. ibid.
Omnia ſuæ ditionis oppida à morte Leonis Pontif. recipit. 16.52
Ferrarienſes claſſis Venetæ rumore interturbati. 11.33
Venetæ claſſis cum Ferrarienſibus confligentis miſerabilis facies. 11.34
Ferrarienſis in fœderatorum ſocietatem quibus legibus adſcitus. 19.41
rretus ſexcentorum Gallorum, peditum præfectus Liberafactam vt expugnarit. 6.20
Piſanæ arcis cuſtodia illi à Carolo VIII. demãdata. ibid.
rronus refutatur. 8.34
rrucius captus. 20.32
Fidem non fallere quantum interſit. 7.18
gariolum exiguum oppidum ſitum ad Padum, circumſeſſum. 12.17
igmentum ridiculum de Burgundione, & vnde ortũ. 3.26
ilij cuiuſdam in patrem crudelitas inaudita. 2.42
ilicera à Gallis circumſeſſæ. 4.33
Acrius oppugnatæ deditionem faciunt. 4.34
Ea deditio pacem inter Gallum & Britannum pœnè conceptam interrupit. ibid.
ilizanum vbi ſitum. 8.23
iuiſanum Florentinorum oppidulum Gilbertus Borbonius Mompenſerius regulus diripit, militibus præſidiariis cæſis. 5.30
Flaminia Carolo VIII. ſubdita. 5.31
Flaminiam prouinciam cur Ariminum vocarit Liuius. 8.29
Flandriæ procerum conſpiratio poſt Hiſpanicam Inquiſitionem promulgatam. 30.44
Quid cauſæ fuerit cur Flandri à Philippo Rege defecerint. 29.28
Flandrici belli quod huc vſque feruet initia. 30.31
Libelli ſupplices Philippo Regi à Flandris oblati rebellionem concitarunt. 30.31
Flandriæ felicitas ſuprema ſub Philippo. 1.18
Fliſci Genuam occupate nequidquam moliuntur. 14.59
Florentini, Florentia, Florentini bellum ducunt cum Sixto IV. Pontif. Max. 3.36
Cum Ferdinando Neapolitano. 4.4
Ad eoſdem Cominæus à Ludouico XI. miſſus. ibid.
Æmulatio inter illos & Venetos. 4.5
A Philippo Mediolanenſium duce ad Zugonariam ſuperati. 4.5
Vrbs duabus factionibus diuiſa. 4.5. & 6
Florentini à Sixto IV. ſacris interdicti. 4.7
Sacerdotes cogunt ad celebrandã diuina officia. ibid.
Tuſcorum Epiſcoporum conciliabulum cogunt ad proximum Chriſtianiſmi concilium prouocantes. ibid.
Exercitũ ad tuendum Senenſem agrũ conſcribunt. 4.7
Venetiis, Mediolanóque auxiliis acceſſitis. ibid.
Piſanum agrum amittunt, ſed eumdem Caroli Montonij ſubſidio recuperant. 4.8
Exercitu diuiſo partem in Peruſiam mittunt, partem ad Ponggibuzium. 4.8
Robertum Ariminenſem in locũ Caroli ſufficiunt. 4.9
Eorumdem miſerrimus ſtatus. 4.9
Ferrarienſem proditionis ſuſpectum exauthorant. 4.9
Ab Alphonſo Neapolitano ſuperantur. 4.9
Suum è Peruſia exercitum reuocant. 4.9
Pacis conditiones propoſitæ. 4.9
Ratæ habitæ. 4.10. & 11
Mortuo Laurẽtio Mediceo æmulationes, ſimultatéſque in Florentina Republ. exortæ. 5.2
Caroli VIII. poſtulatis aſſentiri compulſi. 5.13
Moleſtè ferunt ſe antiquæ Gallorum amicitiæ reſpondere non poſſe. 5.16
Illorum legati, & quotquot Petri Medicei fœnus Lugduni exercebant Gallia excedere iuſſi. 5.17
Ad Carolũ propemodũ Florentini omnes deficiunt. 5.31
Ei ducenta nummûm aureorum millia mutuo dare promittunt. ibid.
Quod Petrus Medices arces Florentinorũ Carol. VIII. dedidiſſet, grauiter in illum indignati. 5.32. & 33.
Hoſtem Reipub. declaratum vrbe cedere compellunt 5.33. & 34
Mediceos item omnes. 5.34
Illorum bona, domus, ſupellectilem pretioſiſſimam diripiunt, & expilant. 5.34
Florentiam quo apparatu Carolus Galliarum Rex ingreſſus. 5.36
In Medicea domo magnificè exceptus. ibid.
Verumne ſit tunc temporis à Florentinis tumultum in vrbe concitatum. 5.36
Florentini antiquis liliorum puniceorum inſignibus ſublatis, alba geſtare paciſcuntur. 5.37
Vt cum Gallo conueniant. 5.37
Ne ager Piſanus excolatur prohibent. 10.12
Eorumdem in Piſanos odia renouata. 10.15
Magiſtratus falſa vulgi opinione adductus, Bentiuolo Piſarum oppugnationem permittit. 10.18
Florentinorum cum Piſanis diſſenſio. 6.2. & 3
Vnde nata. ibid.
Apud Carolum VIII. Romæ per legatos de Piſanis grauiter queruntur. 6.3
aduerſus Carol. VIII. vt coniurent adduci nequeũt. 6.18
Florentinos inter & Lucenſes pax perpetua pronunciata. 14.37
Quibus conditionibus ſuas arces, Piſáſque Carol. VIII. fidei commiſſas nequidquam repetant. 6.22. & 23
Eas reſtituere admonetur Carolus à Hieronymo Sauonarola. 6.23
Rurſum Piſas ſibi reſtitui poſtulant. 7.2
Eorumdem in Vaſcones barbaries. 7.2
Florentinorum ad ſuburbium portæ Marcianæ inſignis clades. 7.13
Coniuratio de immittendo Florentiam Petro Medice totam pœnè vrbem ſubuertit. 7.37
Florentinorum crudelitas in Vaſcones. 7.12
Florentini per legatos Piſas ſibi non reddi conqueruntur Romæ. 7.40
Florentinorum in agro Volaterrano clades. 8.3
Florentinorũ res à Paulo Vitellio multũ promotæ. 8.18
Florentini in fidem Ludouici XII. quibus conditionibus recepti. 8.28
Duobus capitibus afflicti. 8.4
Quibus. ibid.
Fœdus cum Valentino Borgio quibus legibus iurarint. 8.44
Eorumdem propoſitum de exportandis, aut corrumpendis Piſanorum ſegetibus commeatúque. 9.10
Florentini in quam penuriam Piſanos redegerint. 10.12
Florentini à Tarlatino cæſi, & quomodo. 10.16
Futurorum Florentiæ malorum multa prodigia prænuntia. 13.52
Florentini Ioannis Pauli Baleoni perfidia perculſi. 10.16
Item & Pandolfi Petrucij factione. 10.16
Florentini Piſas imprudenter oppugnare aggreſſi. 10.18
Piſanos in vltimas anguſtias adducunt. 11.9
Piſas ad deditionem compellunt. 11.22
Seditio Florentiæ excitata. 13.7
A quibus. ibid.
Florentini Ferdinandone Hiſpano, an Ludouico Galliarum Regi ſe dedant, incerti. 13.15

Florentini armis,equiſque ignominioſè ſpoliati. 13.45
Veteranis militibus ſe munire debuerant. 13.48
Iuliani Medicei de inuadendis Florentinis propoſitum. 13.48.
Florentinorum ſermones de pace cum Cardonio. 13.49
Mediceis Florentiam redire conceſſum. 13.50
Societas inter Florentinos & Hiſpanum. 13.50
Florentinum bellum. 20.30
Carolus V. Florentinos in duram ſeruitutem conijcit. 26.10. & 11
Florentianum deditione captum. 26.37
Florentiola à Florentinis condita. 6.35
Fœdus Caietanum. 10.9. & 10
Fœdus inter Clementem ac Franciſcum I. 20.43
Difficultates ob quas concilium celebrari nequeat, à Clemente Pontifice afferuntur. 20.45
Maſſilienſe colloquium inter Clementem Pontificem, ac Franciſcum I. 20.48
Clementis Pontif. Max. mors. 20.57
Paulus III. eius ſucceſſor. ibid.
Fœdus Smalcaldicum. 20.34
Fœdus inter Paulum Pontif. Max. ac Carolum V. 24.20
Fœdus inter Franciſcum & Anglum ſancitur. 19.34
Odetus Fuxius Lautrecius fœderatorum exercitus dux declaratus. 19.34
Fœdus Madritianum. 18.48. & 55
Fœdus Cameracenſe. 29.25
Fœdus inter Iulium Pontif.Max.& Cæſarem editum. 14.3
Fœdus Peronenſe *vide* Perona.
Fœdus Diuionenſe. 14.51
Fœdus inter Imperatorem ac Venetos. 13.28
Fœdus cũ Heluetiis Franciſc.I.nequidquam concipit. 15.13
Fœdus Nouiodunenſe. 15.36
Fœderis inter Alexandrum Pontificem Max. & Ludouicum XII. Galliarum Regem renouatio. 9.16
Fœdus inter Baiazetem Turcarum Imperatorem ac Venetos. 10.7
Fœdus Confluentinum *vide* Confluentinum fœdus.
Fœdus inter Ludouicum XII. ac Venetos. 14.16
Fœdus inter Carolum VIII. & Florentinos. 7.3
cur ad Fœminas Ducatus hæreditario iure peruenire poſſint. 8.2
Fœminarum Rhodiarũ fortitudo pluſquam virilis. 17.26
Fombellaqueanum edictum. 19.29
Fogiam ex Harporũ ruinis creuiſſe,ſunt qui exiſtimẽt. 7.16
Maioribus tormentis facilè à Mompenſerio capi potuit. 7.17
Fonterapidum à Ludæo fortiter propugnatum. 17.16
Fonterapidi per Boniuetum capti nuntius fœdus inter Carolum Imperatorem ac Franciſcum I. pœnè conceptum,omnino diſſoluit. 16.36
Fonterapidum vt in Boniueti poteſtatem venerit. ibid.
Foronouana pugna *vide* pugna Foronouana.
Forum Sempronij. 15.44
Captum atque direptum. 15.47
impium Foreſtij Franciſci I. legati conſilium. 22.2
Fortunæ alea quàm incerta & fallax. 8.36
Fortuna Vitellio inimica. 8.19
Fortunæ inconſtantia & viciſſitudo. 1.38. & 29
Fortuna Veneris infeſta. 11.11
Foſſani oppugnatio,& eius progreſſus. 21.41
Deditionis conditiones propoſitæ. 21.43
Palicianum Foſſano præfuiſſe malè Iouius aſſerit. 21.43
Fracaſſius ſexcentorũ cataphractorum equitũ ductor. 5.19
Genuam à Sfortia immiſſus, in Ludouici fide continet. 5.20
Frameſella *vide* Robinetus Frameſella.
Franciſcus I. Ludouici XII. ſucceſſor. 15.1
Illius inauguratio, & præclaræ virtutes. 15.1
Indoles. ibid.
Fœdus inter illum & Carolum Auſtriacum. 15.2
Mediolanenſis principatus iuri cedere renuit. 15.3
Cum Venetis ſocietatem renouat. 15.3
Multorum aduerſus eum coniuratio. 15.4
Nouam cogendæ in bellum pecuniæ rationem Prati Cancellarij peſſimo conſilio inuenit. 15.4
Nauarrum præcipuum Hiſpanorum ducem captiuum redimit. 15.5
Totus in bellum incumbit. 15.5
Leonem Pontif. pertrahere ad ſuas partes fruſtra molitus. 15.5
Franciſci ad Mediolanenſem expeditionem proficiſcentis inſtructiſſimus exercitus. 15.7
Legatus Anglicus Franciſcum ab expeditione Mediolanenſi reuocare ſtudet. 15.8
Heluetij Franciſcum in Alpibus obſidere conati. 15.9
Franciſcus de ratione tranſeundi cum ſuis maturiùs deliberat. 15.9
Hoſtibus inſciis Alpes non ſine magna difficultate ſuperat. 15.10
Per Lautrecium Heluetiorum perfidiæ certior fit. 15.14
Heluetiorum cum Franciſco ad Melegnanum atrox conflictus. 15.17
In conflictu vix ſe mutuo dignoſcunt, & cur. 15.17
Gallorum tormenta ſimul & equitatus magnam in Heluetiis ſtragem faciunt. 15.18
Cæſorum ex vtroque exercitu numerus. 15.19
Pax inter Leonem Pontif. Max. & Franciſcum I. vt concepta. 15.21
Franciſcus Mediolanũ ſolemni põpa intromiſſus. 15.27
Leonis Pontif.& Franciſci congreſſus. 15.27
Franciſcus Rouereum Vrbinatem Leoni Pontif.reconciliare fruſtra aggreſſus. 15.27
In Gallias reuerſus. 15.29
Concordata inter Leonem Pontificem, ac Franciſcum in Senatu Pariſienſi rata habentur. 15.39
Franciſci & matris illius Sabaudianæ de Leone Pontif. Max. querimoniæ. 15.43
Societas inter Leonem & Franciſcum vt renouata. 15.43
Franciſco filius, qui deinde Franciſcus quoque dictus eſt, è Claudia Regina natus. 16.3
Baptiſmalis ablutionis cerimoniæ, & apparatus. 16.3
Societatis renouatio inter Franciſcum, & Anglum actore Boniueto procurata. 16.4
In quam ſententiam. ibid.
Tornacum vi eiuſdem ſocietatis Gallis reſtitutum. 16.5
Celebre Fráciſci I.reſponſũ Caroli Hiſpani legatis. 16.7
Franciſcus adipiſcendi regni Romanorum magnam ſpem concipit. 16.8
Illius cum Carolo V. Imperatore collatio. 16.11
Diſſenſionũ inter Carol.V.ac Franciſcũ ſemina. 16.12
Franciſci cum Rege Anglorum colloquium. 16.15
Eorumdem magnificentia & luxus. 16.16
Fráciſcus titione in caput ictus de vita periclitatur. 16.24
Robertus Marchianus contra Cæſarem nihil tentare à Franciſco admonetur. 16.25
Franciſcus inducias cum Carolo cur admittere recuſet. 17.36
Venetorum ſocietas inter Carolum ac Franciſcum merito diſputanda. 17.38
Adrianus Pontifex Max. nouæ aduerſus Franciſcum ſocietatis auctor. 17.40
Inſignis victoriæ fructus Franciſco ereptus. 17.41
Franciſcus ab expeditione Mediolanenſi, Caroli Borbonij controuerſiis reuocatus. 17.44
Illius cum Borbonio colloquium. 17.46
Comprehendendum Borbonium decernit. 17.47
Borboniæ familiæ ſupellex, omnéſque Boiorum Ducum arces in Franciſci I. poteſtatem redactæ. 17.48
Franciſci ad bellum Mediolanenſe proficiſcentis exercitus. 18.10
Franciſcus Ticinum circumſedit. 18.12
Quid cauſæ ſit cur capto Mediolano fugientem hoſtem non ſit perſecutus. 18.12

Societas

Digitized by Google

Societas inter Clementem Pontif. Max. & Franciſcum inita. 18.13

Expeditionis Neapolitanæ Franciſco auctor, quis. 18.14

Franciſcus magno ſuo damno Trimullij, priſtinatiorúmque ducum conſilium reiicit. 18.20

Franciſcus fruſtra Mediolanũ recuperare nititur. 17.21

Pace neglecta aduerſus Principes Chriſtianos copias auget. 17.41

Vnius Boniueti conſilia aliis aliorum ducum præferendo plurimum ſibi nocuit. 18. 21. & 22

Rheti inſtante pugna Franciſcum deſerunt. 18.21

Caſtrorum ſitus & diſpoſitio poſt captum Angeli fanum à Franciſco commutantur. 18.23

Franciſcus captus in pugna Mirabellana. 18.24

In arcem Piſſeonenſem deductus. 18.25

Cur in Hiſpaniam tranſire deſideret. 18.35

In arce Madritia aſſeruatus. 18.36

Borbonius Franciſci in Hiſpaniam diſceſſum ſibi celatum moleſtè ferens, in Hiſpaniam traiicit. 18.37

Franciſcus in arce Madritia morbo correptus à Carolo V. inuiſitur. 18.40

Margarita Franciſci ſoror Alençonij vidua in Hiſpaniam nauigat. 18.41

Franciſci & Eleonoræ ſponſalia. 18.49

Franciſci cum liberis ſuis permutatio. 18.52

Franciſcus Baionæ incredibili Ludouicæ matris, ac totius nobilitatis lætitia exceptus. 18.52

Cæſaris in ſe inhumanitatem accuſat. 18.51

Madritiano fœderi ſtare ſe non poſſe legatis Caroli exponit. 18.53

Fœdus cum Anglo percutit. 19.34

Cum Cardinale Eboracenſe ad Ambianos congreditur. 19.15

Pax inter illum & Anglum proclamata. 19.35

Duelli libellus à Franciſco ad Carolum V. miſſus. 19.48

Pacificatio inter Franciſcum ac Carolum V. à nobilibus matronis promoueri cœpta. 20.24

Franciſci liberi in Gallias remiſſi. 20.31

Quid cauſæ fuerit cur Franciſcus Carolum Allobrogem ditionibus ſuis expulerit. 20.35

Generoſum æquè ac pium Franciſci reſponſum. 20.37

Ludouicæ Sabaudianæ Franciſci matris mors. 20.38

Maſſilienſe colloquium inter Clementem Pontif. ac Franciſcum. 20.48

Franciſci edictum contra Lutheranos. 20.59

Cur Franciſcus matris patrimonium repetere tamdiu diſtulerit. 21.16

Naſſauus ad bellum ſe in Flandria comparans, Franciſcum in ſuſpicionem adducit. 21.18

Tres optiones Franciſco oblatæ, quæ. 21.26

Inſignis Franciſci apologia. 21.32

Franciſcus S. Imperij ordinibus controuerſiam Principatus Mediolanenſis dirimendam proponit. 21.39

Franciſci illius filij natu maximi mors. 21.52

De mortis cauſa variæ coniecturæ. 21.52

Franciſcus erga homines eruditos humaniſſimus. 21.58

Nouæ copiæ in ſubſidium rerum Tranſalpinarum eius iuſſu conflatæ. 22.15

Delphini ad bellum Tranſalpinum proficiſcentis egregius comitatus. 22.17

Niceæ Allobrogum Franciſcus adduci nequit, vt cum Carolo V. colloquatur. 22.26

Induciæ in decennium inter Carolum & Franciſcum Pauli Pontif. Max. opera procuratæ. 22.26. & 27

Franciſci & Caroli V. ad Foſſas Marianas colloquium. 22.32

Proteſtantes in Gallia grauiter puniri præcipit. 22.54

Cliuenſi Duci filiam Regis Nauarræ in coniugem tradi procurat. 22.54

Salinarium vectigal vehementer auget. 22.54

De renouando bello aduerſus Carolũ V. cogitat. 22.59

Supplicationes ad placandũ diuinũ numẽ indicit. 23.14

Bellum Carolo V. denunciat. 23.14

Perpennianum tentat. 23.17

Annebaldum cum copiis Taurinum remittit. 23.19

Apologia Franciſci contra Caroli V. accuſationẽ. 23.25

Franciſcus preconem militarem, poſtulaturum teſſeram liberi aditus ad conuentum Spirenſem mittit. 23.54

Claſſem Turcicam dimittit. 23.60

Lignio ac Cõmercio captis vehemẽter perturbatus. 24.1

Ad Anglũ legatos qui de pace agerẽt deſtinat. 24.7. & 8

Vires omnes ſuas colligit vt Anglo occurrat. 24.10

Claſſis Gallicæ prætoria coquorũ incuria vt incẽſa. 24.10

Filio Carolo Aureliano Franciſcus orbatur. 24.14

Fœderis cum Carolo V. redintegrandi cupidus. 24.27

Moriturus, quibus documentis filium inſtruat. 25.1

Eum Turcicam claſſem in maria noſtra non euocaſſe conficitur. 25.45. & 36

Alia calũnia, qua Franciſcus belli Turcici aduerſus Ferdinandum auctor inſcribebatur, diluitur. 25.37

Franciſcus II. Henrico II. ſuccedit. 28.32

Sororem ſuam Hiſpano coniungit. 28.34

In Caluinianos quam ſeuerus. 28.37

Fœderis inter Franciſcum & Iſabellam Angliæ Reginam ſanciti capita. 28.55

Franciſci II. mors. 29.9

Accuſantur (ſed immeritò) Guiſani quod Regio apparatu & magnificentia inhumari non procurarint. 29.10

Franciſci Colignij Andeloti impudens reſponſum. 28.10

Franciſcus Cliuenſis, Dux Niuernenſis Orcimontem arcem ſibi ſubdit. 26.46

Franciſci Delphini cum Maria Stuarda nuptiæ celebrantur. 28.10

Franciſcus Guiſanus Metim diligentiſſimè muniens. 26.14

Maiores copias à Rege poſtulat, & quid ſibi cum Brandeburgenſi agendum. 26.14

Ad excipiendum hoſtem magna illius diligentia. 26.15

Rara pietas. 26.16

Commeatum ex vrbe Metenſi ad Brandeburgenſem diſtrahere recuſat. 26.17

Car. V. cõmeatum Metenſiũ intercludere conatus. 26.18

Ruſtici Metim confugientes ad opera adhibẽtur. 26.18

Carolus V. obſidionẽ Metenſem ſoluere cõpellit. 26.24

Inſignis Guiſani humanitas. 26.25

Francia vnde ſic dicta. 1.31

Franciſcus Alegrius Perſius Iuonis Alegrij frater, homo & conſilio & manu promptus, niſi pertinacia nimia, ingeniũmque ad ſeditiones excitandas procliue illius famam obſcuraſſet. 6.12

Ei Lucanorum præfectura collata. 6.21

Franciſcus Angelius ſũmus Franciſcanorũ magiſter. 19.41

Eiſdem conditiones, quibus cum Clemente conuenire cupiat Carolus V. traditæ. 19.42

Franciſcus Britanniæ Dux Ludouico XI. ſuſpectus. 1.14

Ludouici ad eundem mandatorum ſumma. ibid.

Reſponſum. 1.15

Tanneguio Caſtello prudenter vtitur. 1.15

Religioſos habitu diſſimulato varias legationes peracturos deſtinat. 1.15

Validus illius exercitus. 1.17

Ad Stempas cum Carolo Biturige coit. 1.26

Ad falſum Ludouici XI. mortis rumorem inſolentius exultat. 1.27

Franciſcus Borgia Candianus regulus. 7.34

Franciſcus Borbonius Dux Vindocinenſis dyſenteria exhauſtus, fato functus. 7.4

Captus. 20.22

Franciſcus Calaber 12. annorum factus in ſolitudinem ſecedit. 4.15

In ſpecu rupi ſubiecto deliteſcens. ibid.

A Lud. XI. moribũdo acceſſitus ad Pleſſiacã arcem. ibid.

In illius gratiam Franciſcinorum heremitarum cœnobium in Pleſſiaco agro conditum. ibid.

Franciſcus Candianus, quis. 5.14

ıciſcus Chriſtianus Britanniæ Cancellarius cur à Bri-
ınno exauthoratus. 4.30
ıciſcus Cibous Petro Mediceo auctore plurimas vrbes
o. nummûm aureorum millibus Vrſino addicit. 5.3
ıciſcus Freſnaius peremptus. 17.25
ıciſcus Gonzaga Dux Mantuanus Romani Pontifica-
ıs Gonfalonnerius appellatus. 12.15
Franciſcus Gonzaga Venetorum copiarum ductor. 7.1
Perfidiæ inſimulatus. 10.2
deo exauthoratus. 10.3
nciſcus Halluinus Piennus de mandato Ludouici XII.
Faroannam obſeſſam commeatu, rebúſque neceſſariis
iuuare vt tentarit. 14.41
nciſcus Imperalis Siculus cum litteris proditoriis inter-
ceptus in partes quatuor diſſectus. 17.39
nciſci Montagnarij Tenſanij Trimullij præfecti fide-
lis de Foronouani prælij ſerie relatio cõmendatur. 6.32
Mediolanum ad Borbonium confugit. 17.47
Ei arcis Mediolanẽſis protectio à Borbonio relicta. ibid.
nciſcus Mommorencius Rochapotius obſes à Franci-
ſco I. datus Anglis. 16.4
anciſcus Maria Rouereus principatu Vrbinate motus. 15.35
anciſcus Mongedolius crudelitatis in Vaſcones per Flo-
rentinos exercitæ auctor. 7.12
anciſcus Saliciatus Florentinus Epiſcopus. 4.6
ad Franciſcum Marchionem Salaſſum Franciſcum I. 21.37
conuenire impulerit. 21.41
Salaſſi proditio detecta.
anciſco Soderino Cardinale auctore tumultus in Hetru-
ria excitati. 17.15
Franciſci Soderini, Volaterrani Epiſcopi aduerſus Piſa-
nos Florentinorum cauſam apud Carolum VIII. Ro-
mæ agere iuſſi reſponſum. 6.4
ranciſci Sfortiæ auus, quis. 1.11
Mediolanenſium Dux ſalutatus. ibid.
Ludouico XI. auxiliarem militem ſubminiſtrat. 1.33
Franciſcus Sfortia coniurationis aduerſus Carolum V.
accuſatus. 18.42
Carolo innocentiam ſuam ſe probaturum promittit, ſi
Piſcarius adeundi teſſeram præbeat. 18.43
Sfortia premente fame trecentos arce Mediolanenſi
eiicit. 19.6
Croariam arcem occupat. 17.6
De vita periclitatus. 17.49
Franciſcus Siccus Florentinorum copiis præfectus. 6.3
Eiuſdem conſilium imprudenter reiectum. 6.31
Franciſcus Valeſius Ludouici XII. ſucceſſor. 15.1
Franciſcus I. appellatus. ibid.
vide Franciſcus I.
Franciſcus Valorius homo turbulentus Florentinos ad-
uerſus Petrum Mediceum concitare molitur. 5.33
Vir magnæ auctoritatis. 7.42
Franciſci Lotharingi animi magnitudo. 24.14
Mors. 24.15
Franciſci Oliuarij Franciſci I. legati ſententia de ſummit-
tendis in Hungariam auxiliis. 23.8
Oratio Oliuarij ad Hungaros auxilia mittere diſſua-
dentis. 23
Ioannes Moronus Romani Pontif. legatus ſuam ſen-
tentiam proferre rogatus. 23.9
Ad concilium cogendum hortatur. 23.9
Franciſco Paccio occidẽdi Iuliani Medicei munus datũ. 4.6
Extremo ſupplicio affectus. ibid.
Franciſcanorũ coniuratio de prodenda vrbe Metẽſi. 26.63
Franciſcus Tauernius Sfortiæ Cancellarius. 20.50
Francemontani qui. 2.19
Illorum quæſtus. 2.19
Francemontanorum militum inſigne ſtratagema. 2.18
Francofurtenſis cõuentus *vide* cõuentus Francofurt. 21.34
Francofurtum (forum Francorum) tentatum. 26.9
Sed fruſtra. ibid.
Duo conſpiratores aduerſus Forum Francorum dam-
nati à Bureno. 24.36
Frangerus Fontetapidi præfectus Lugduni publicè exau-
thoratus. 17.51
Frangetium Ferdinando Neapolitano deditum. 7.20
Fregoſius Genuenſis, legatus Franciſci I. interfectus. 22.53
A quo. 22.55
Proſperi Adurnij capitalis hoſtis *vide* Baptiſta Fregoſius.
Freſſani oratio in conuentu Paſſauino. 26.4
Principum S. Imperij ad eamdem reſponſum. 26.5
Fruſinonis vrbis obſidio. 19.18
Obſeſſi vrbe egreſſi ingentem in Hiſpanis ſtragem
edunt. 19.18
Fl mina horrenda & inuſitata. 30.10

G

GAbrieli Mariæ notho quod ius, & vnde in Piſanos
obtigerit. 6.4
Gabriel Mongomerius Comes Henricum II. ictu lanceæ
infeliciter vt confecerit. 28.31
Gabriel Monſalconius Siponto ſiue Manfredoniæ præeſ-
ſe iuſſus. 6.21
Suo munere peſſimè abuſus. ibid.
Gabriel Tadinus Martinengus cuniculorum ducendorum
auertendorúmque, ac muniendarum vrbium mirus ar-
tifex. 17.20
Gaiacum arbor aduerſus luem Veneream præſens reme-
dium. 7.11
Galeatius Seuerinas belli Neapolitani promouendi Caro-
lo VIII. auctor. 5.17
Illius hortatu ſeditio inter Piſanos accenſa. 5.34
Eidem Nouaria à Gallis occupata ſubmiſſæ per Vene-
tos auxiliares copiæ. 6.24
Galeatius Corregius pugna Foronouana interfectus. 6.31
Galeotus lenolacus. 6.30
Gallenſis Principis cædes. 2.32
Galliarum ordines ad Turones conuocati. 2.21
Qui ſint hi ordines. ibid.
Quem in finem coierint, variæ coniecturæ. 2.22
Burgundionem læſæ Majeſtatis conuincunt. 2.21
Eidem vt ſe Luteriç in Senatu purget, diem dicunt. ibid.
Carolo Ludouici XI. fratri patrimoniũ adiudicant. 2.21
Britannia minor ad Gallicũ ſceptrũ quando adiecta. 2.33
Galli quid *Scutiferi* nomine intelligant. 2.37
Galliæ Belgicæ Rex creari Burgundio ab Imperatore
poſtulat. 2.43
Sed fruſtra. ibid.
Gallica militia in quo diſſimilis Romanæ. 3.15
Gallorum Epiſcoporum conuentus cur Aureliæ indi-
ctus à Ludouico XI. 4.8
Gallia dira peſte infecta. 4.16
Maximè ager Lugdunenſis. ibid.
Aruernus. ibid.
Boius. ibid.
Gallia litibus ſupra cæteras Chriſtianas nationes intri-
cata. 4.23
Mortuo Ludouico XI. de regni adminiſtratione con-
trouerſia exorta. 4.25
Trium ordinum conuentum Carolus VIII. ad Turo-
nes indicit. 4.28
Tumultus propter regni adminiſtrationem Annæ Ca-
roli ſorori demandatam exortus. 4.28
Pax proclamata inter Philippum Maximiliani Auſtriaci
filium. 4.37
Quo iure Gallorum Reges Neapolitanum regnum ſibi
vendicent. 5.6
Gallorum proceres Carolo Neapolitanam expeditio-
nem diſſuadent. 5.9
Gallorum cum Florentinis antiqua amicitia. 5.15. & 16
Gallorum nomen Turcis formidabile. 5.17
Italis. 5.26
Illorum victoriæ, & præclare geſta breuiter percurrun-
tur. 5.26

Digitized by Google

Nouo & inaudito Ludouici Sfortiæ ſcelere plurimum commouentur. 5.30
In bello Neapolitano ad integram victoriam nihil defuit Gallis, niſi prudens conſilium. 6.12
Illorum appulſu in regnum Neapolitanum, Turcæ Græciæ præſidiarij vehementer perculſi. 6.13
Quæ fuerit princeps cauſa, cur Galli regnum Neapolitanum amiſerint. 6.16
Galli fortuna propitia imprudenter abuſi Neapolitanorum odium in ſe conuertunt. 6.18
Tuſcanellam vi captam diripiunt. 6.22
Quo ardore, & alacritate Foronouanam pugnam inierint. 6.30.& 31
Gallis ſummæ infelicitatis fuit, quod Aubignius penè ſemper infirmus eſſet. 6.39
Galliæ ordines conuocati, à quibus Henricus II. tres milliones mutuos poſcit. 28.7
in Gallia Subalpina, & Senenſi agro geſta regnante Henrico II. breuiter recitata. 26.55
Iudicum Præſidiariorum creatio in Gallia. 25.46
Gallorum Regum obſequia in Romanos Pontifices. 24.49
Eorumdem mos in creandis equitibus. 6.33
Galli Mompenſerij temeritate Neapoli excluſi. 6.10
Gallorum ex Italia diſceſſus tam inopinatus cui adſcribendus. 7.7
Parium Galliæ ſiue Patriciorum ordo. 8.2
Galli Romam proficiſcentes ad Iubileum, perfidioſè cæſi. 8.41
Gallorum cum Venetis ad Abduam acerrimus conflictus. 11.15
Triultij peruicacia Gallis pernicioſiſſima. 14.22
Maximiliani Imperatoris atque Henrici VIII. Angliæ Regis de adorienda Gallia conſpiratio. 14.38
Regni Gallici adminiſtratio Ludouicæ Sabaudianæ tradita. 14.8
Mediolanum Gallis, quî ereptum. 16.49
Galli ad extrema redacti de Mediolanenſis arcis ceſſione paciſcuntur. 17.37
Recenſentur variæ cauſæ, ob quas Gallorum res in Italia affligi cœptæ. 20.5
Regum Galliæ potentia, & robur per Carolum V. commendata. 21.22
Gallicæ nobilitatis temeritas. 22.8
Generoſitas. 23.48.& 49
Regum Gallorum ſepeliendorum, inaugurandorúmque ceremoniæ. 25.2
Patricij ſiue Primi, aut Pares Galliæ qui, & eorumdem in inauguratione Regum cerimoniæ. 25.2
Gallicarum rerum afflictio, & Ludouicæ Regis matris perturbatio. 18.32
Gallorum in regno Neapolitano cæſorum cauſa, quæ. 10.6
Neapolitanis exoſi. 10.6
Gallorum cum Venetis ad Abduam conflictus. 11.15
Qui à Ludouico in hoc conflictu cæſi & capti. ibid.
Gallipolis in Arragoniorum fide perſiſtit. 6.16
Galterus Tinteuilla. 6.23
Gandauum, Gandauenſes. 2.10
Eorum ſubmiſſio cæteris vrbibus vicinis terrorem affert. 2.10
Carolo Burgundo prælium aduerſus Heluetios redintegranti tributum perſoluere renuunt. 3.20
Viros qui pro magiſtratu erant ad 26. vſque, ſupplicio afficiunt. 3.28
Mariam Burgundi filiam vt ſua priuilegia confirmet, adigunt. ibid.
Ad rebellionem natura procliues. 3.29
Gandaui prouinciarum Belgicarum ordines coëunt. 3.28.& 29
Mariam mendacij publico in cœtu conuincunt. 3.30
Himbercurtium, Hugonetum, & Gulielmum Cluniacum Morinorum Pontificem in vincula tradunt. 3.30
Multas eis calumnias affingunt. 3.30.& 31
Himbercurtium ac Hugonetum capite plecti imperant. 3.31
Mariæ Burgundæ, quæ illos patrimonio conſeruando ſibi neceſſarios dedi poſtulabat nulla habita ratione. ibid.
Mariæ domeſticos pellunt. 3.32. *loco* 23
Eamdem quodammodo in cuſtodia habent. ibid.
Adolphum Geldubenſem Namurci aſſeruatum educunt. 3.32. *loco* 23
Ludouici XI. legatum in fluuium præcipitare minantur. 3.32
Suſpicioſi. 4.11.& 14
Eorum rebellio. 22.33
A Carolo V. malè mulctati. 22.38
Garganum Carolo VIII. Neapoli in Gallias redeunte Iuliano Lotharingo commiſſum. 6.21
Gaſpar Seuerinas Genuam immiſſus à Sfortia cum aliquot pedeſtribus copiis ſtrenuè conſeruat. 5.20
Gaſtoni Fuxio Comiti Magdalena Caroli VII. filia in vxorem tradita. 1.5
Gaſto Fuxius Mediolanenſis prætor. 13.11
Eum Ludouicus XII. copiarum ſuarum ducem declarat. 12.27.& 13.11
Centium Bononienſis agri oppidum eidem deditum. 13.19
Bononiæ obſeſſæ ſuppetias ferre meditatur. 13.18.& 19
Fuxij diligentia incredibilis in recuperanda Brixia. 13.21
Fuxij nomen toto Chriſtiano orbe celeberrimum. 13.24
Ingentem ſtragem inter Venetos milites edit. 13.22
Fœderatos ad pugnam elicere deſiderat. 13.28
Rauennam oppugnat. 13.29
Suos ad pugnam diſponit. 13.31
Vt illos imminente pugna affatus. 13.32
In pugna Rauennate interfectus. 13.34
Illius funus maximè honorificum. 13.36
Fuxius verum fortunæ ludibrium. 13.35
Gattinarius Caroli V. Cancellarius fœderi quod Carolus cum Franciſco I. inierat ſubſcribere recuſat. 18.49
Gemes Othomanus Baiazetis frater ad Buſſonium Rhodiorum equitum magiſtrum confugiens in Galliam miſſus. 6.13
In turrim Burgonouanam conjectus. ibid.
Poſtea Neapoli, vel ad Caietam (vt alij ſcribunt) fato functus. ibid.
Genlius Belga obſes datus. 6.41
Genuæ rebellio exorta artibus Ferdinandi Neapolitani. 4.8
Genuenſis principatus Francorum Regum beneficiarius. 4.11
Fregoſij Genua ab Adurniis pulſi. 5.19
Alphonſus Neapolitanus Genuam vt callidè intercipere mediterur. ibid.
Sed factionibus clandeſtinis Ludouicus Sfortia maturè occurrit. 5.20
Antonij Beſſaij Diuionenſis præfecti aduentu cum duobus Heluetiorum millibus firmatur. 5.20
Vt in poteſtatem Caroli VIII. redacta. 6.27
Vſque ab Heluetiis inſolentiùs direpta. ibid.
Genuenſium aduerſus Ludouicum XII. Galliarum Regem rebellionis cauſa. 10.26
Vnde exorta. ibid.
Genua, portus illuſtris. ibid.
Genuenſis populi furor, & inſolentia. 10.27
Monæcon portum obſidet. 10.26.& 27
Ludouici XII. inſignia deturbat, & eorum loco Imperatoris reponit. 10.27
Genuenſium inſolentia in metum, & trepidationem conuerſa. 10.29

Eorumdem ad Ludouicum Regem oratio. 10.30
Genua in Galli poteſtatem redacta. 14.21
Octauianus Fregoſius Genuæ Dux ſalutatus. 14.25
Laterna, arx Genuenſis dedita ac euerſa. 14.55
Genuenſium Patriciorum domus à plebe expilatæ. 10.27
Violata fide, cæſis Gallis in vrbem redeunt. 10.28
Eorum legati à Ludouico repulſi Ambaſianum adeunt. 10.29
Quare mulctæ eis à Rege impoſitæ. 10.31
Genua peſte adeò infeſtata, vt in ſolitudinem propemodum redigatur. 20.14
Genua cur Italiæ ianua appellata. 14.26
Genua ab Octauiano Fregoſio dedita, ac direpta. 17.14
Genuenſes Caſtelletum ſibi deditum à fundamentis euertunt. 20.17
Genua à Ferdinando Daualo Piſcario oppugnata. 17.14
Per Andream Auriam Gallis erepta. 20.15
A Fliſcis, Adurniſque nequidquam tentata. 14.59
Genuenſis claſſis ab Andrea Auria concluſa, & in Gallorum poteſtatem redacta. 19.37
Georgius Ambaſianus Rothomagenſis Epiſcopus. 7.3
In S. Cardinalium collegium adlectus. 8.11
Georgius Bucciardus Genuenſis ad Turcam auxilium Neapolitanis impetraturus, miſſus. 5.17
A quo. ibid.
Georgius Duraſius. 6.38
Georgius Petraplanius natione Auſtriacus rei militaris peritus. 7.1
Georgius Suillius Tarentinis præficitur. 6.21
Georgius Suppreſſanus. 16.42
Rhetorum ſocietatem cum Ludouico XII. procurat. 11.42
Georgius Trimullius militiæ peritus, ſed domeſticis in rebus ſordidus. 4.1
Varia Burgundiæ oppida & arces Ludouico XI. ſubdit. 4.1
Dolam obſidione cingit. 4.2
Adminiſtratione Burgundica mouetur. ibid.
Germana Fuxia ſororis Ludouici XII. filia Ferdinando Hiſpano nubit. 10.19
Matrimonij conditiones. ibid.
Quibus legibus eam Ludouicus ſua regni Neapolitani parte dotarit. 10.19
Germanicus & Gallicus exercitus ad pugnam coëunt. 23.51
Inter Germanos & Hiſpanos grauis excitata ſeditio. 24.4
Germani in Hiſpanos, quàm crudeles. 27.39
Germanorum mos in cauſarum deciſionibus. 20.51
Eorumdem peruicacia Mompeſerius victoriæ ad Frangetium obtinendæ occaſione priuatus. 7.20
Germanorum ad vallem Cadurianam clades. 11.2
Germanorum atque Venetorum ad Petram exercitus. 11.2
Imperium quando apud Germanos perpetuum declaratum. 16.31
Germani Peſto caſtra admouent. 23.11
Oppugnationem indicunt. 23.11
Ab oppugnatione deſiſtitur, & ad Viennam reditur. 23.11
Germani Pontifices à Cæſare conuocati. 13.12
Germani coniurant in Carolum Burgundum ob crudelitatem Granſone ab eo editam. 3.18
Giangiris Solymani filius acerrimè in patrem inuehitur, quòd in fratrem Muſtapham tam crudelis extitiſſet. 26.41
Geſualdum vno die captum. 7.22
Gibellina factio. 5.12
Gienſis conſilium in Foronouana pugna à pleriſque damnatum. 6.31
Gilbertus Graſſæus Camperuxius vir militaris. 4.33
Venetos conditionibus honeſtis Riuio dedere coactus. ibid.
Gilbertus Graſſæus Camperuxius natione Boius, vt cæſus. 7.16
Gilbertus Borbonius Mompenſerius Britanniam inuadens. 4.31
In exercitu Caroli VIII. Florentiam proficiſcentis primi agminis ductor. 5.30
Italis terrorem ingentem affert, quod Fiuiſano Florentinorum oppidulo direpto plurimos morte affeciſſet. 5.30
Inde Serezanam arcem munitiſſimam oppugnare aggreſſus. ibid.
Arces Neapolitanas commeatus penuria dedere compulſus. 6.16
Gratianum Guerram Caietæ ſuppetias ferre iubet. 6.38
Cauſa eſt, cur Galli Neapoli excludantur. 6.10
Quibus legibus arces Neapolitanas dedere coactus. 6.41
Mompenſerio noctu Salernum delato parum abfuit; quin Ferdinandus de obſidibus ſibi à Mompenſerio datis, ſupplicium ſumeret. 6.42
800. Germanos Fogiam proficiſcentes delet. 7.16
Atellam occupat. 7.22
Contentio inter illum & Ferdinandum. 7.23
Et illius origo. ibid.
Mompenſerij mors Puteolis. 7.24
Girardus Iacobi Appiani vilis ſcribæ filius Paſarum dominatum Ioanni Galeatio ingenti pretio addicit. 6.4
Gladij bini tranſuerſi Electoratus S. Imperij inſigne. 26.29
Gonfalonnerij munus quodnam ſit. 12.15
Gondrinus Mombruno quî reconciliatus. 28.60. & 61
Græcia præcipuum fuit Carolo VIII. belli Neapolitani motiuum. 5.17
Græcia non ita dudum à Mahomete Turcarum Imperatore in ſeruitutem redacta ad rebellionem ſe comparat, Caroli VIII. Neapolim acceſſuri auxilium imploratura. 6.13
Rerum Græciæ ſtatum Dyrrachienſis Epiſcopus natione Græcus Caroli VIII. iuſſu explorat. 6.14
Græci in conflictu Foronouano baliſtis arcu ferreis vſi. 6.31
Granſonis propugnatores à Carolo Burgundo crudeliter habiti. 3.17
Granſonianum prælium. 3.18
Infeliciter Burgundo cedit. 3.18
Gratianus Guerra Præcutinis præeſſe iuſſus. 6.21
Graualonis pontis ruina, & depreſſio Gallis exitialis. 13.43
Grauariolum Fauentini agri oppidum captum. 11.18
Grauillæ Amyralij aſtutia Aurelianus ab Italica expeditione reuocatus. 7.27
Grolæus Rhodius eques apud Turcam humaniter acceptus. 17.32
Ad Solymanum miſſus detinetur. 17.32. & 33
Grimanus *vide* Antonius Grimanus.
Gruturius Hollandiæ adminiſtrator in Eduardum benignus. 2.19
Gualdum Nucerinum oppidum vna, aut altera oppugnatione à Virginio Vrſino, ac Petro Medicco tentatum. 7.15
Gueldrenſes olim Sicambri appellati. 2.42
Guelfi qui. 5.12
Guelforum temeritate Alexandria Gallis erepta. 17.4
Ingentes belli apparatus vtrimque inſtruuntur. 17.4
Gueuſij qui, & ridicula eorum geſta, dicteriaque. 30.44
Guicciardini de Sfortianis copiis teſtimonium approbatur. 6.34
Guidobaldus Feltrius Dux Vrbinas. 7.15
Guidus Antonius Veſpucius Florentinorum legatus. 7.12

Digitized by Google

us Baldus Vrbinas in Piſanum agrum irrumpens. 7.
3
us Gonzaga Foronouano conflictu cæſus. 6.31
us Ranconus Florentinum exercitum Senas dedu-
:. 17.16
lo Vainus equitum præfectus de vita periclitatus. 12
7
enas intromiſſus. 17.2
lus Feltrius Vrbinas in hoſtium poteſtatem redactus.
.35
na per Guiſanum capta, & euerſa. 28.6
itinas accedunt legati pacem inter Gallum & An-
lum promoturi. 24.18
negatana pugna *vide* pugna Guinegatana.
ſani Duces quales. 25.1
Caroli Guiſani præceptor huius hiſtoriæ ſcriptor. 25.1
Guiſani expeditio in Italiam. 27.36
Guiſanus violatas ab Albano inducias oſtendit. 27.40
Plurimi Guiſano auctores ſunt, vt Mediolanum oppu-
gnet. 27.40
Sed recuſat ille, ſe nullum tale mandatum à Rege ha-
bere cauſati. 27.41
Romam appulſus honorificentiſſimè excipitur. 27.43
Noua auxilia ſibi ſubmitti poſtulat. 27.48
Albano prælij poteſtatem facit. 27.48
Guiſanus qua induſtria vſus, vt hoſtes aliò auertat. 27.1
Tormenta à Guiſano vſque ad 600. capta. 28.6
Inſignis Guiſani humanitas. 28.14
Qua via, Diana Pictauienſis Guiſanum Regio comita-
tu expellere conata. 28.18
Caluiniana factio aduerſus Guiſanos. 28.40
Guiſani Caſtilionis Amyralij obiectionibus occurrunt.
28.74
Druidenſis victoria in Guiſanos referenda. 30.8
Guletanæ obſidionis progreſſus. 21.8
Turris expugnatio. 21.11
Guiſanis variæ à Caluiniſtis affinguntur calumniæ. 29.57
Guiſani humanitas in Condæum. 30.9
Guiſanus Aureliam oppugnat. 30.13
Duorum Guiſani militum facinus audax. 30.13
Guiſij funus, & ſepultura. 30.19
Guiſanæ arcis deditio ignaua. 21.52
Gulielmus Fuſtembergus Luceburgo potitus. 24.1
Commercio. ibid.
Lignio. ibid.
Eiuſdem immanitas. 24.2
Gulielmus Briſſonnetus Epiſcopus Meldenſis ad nouam
religionem deficiens à Sorbonicis Theologis reuoca-
tur. 24.930
Quis fuerit. 5.1
Quid illum impulerit ſuadere Carolo VIII. Italicam
expeditionem. 5.1
Carolo auctor, vt Ludouicum Sfortiam penes ſe reti-
neat. 5.29
Ab Alexandro ſummo Pontifice in auguſtum Cardi-
nalium collegium adlectus. 5.41
A Florentinis pecunia corruptus. 6.3
Graues cum Stephano Verſio & Lignio ſimultates ge-
rit. 6.3
Sua auaritia res Neapolitanas corrumpit. 6.3
Galliæ Cancellarius declaratur. 7.4
Sua cunctatione res Neapolitanas conſultò corrumpit.
7.20
Salſularum arcem impenſarum magnitudine deterri-
tus munire recuſat. 7.28
Gulielmus Paccius in agro Volaterrano à Piſanis fuſus
cum ſuis. 8.3
Aretij præfectus. 9.12
Gulielmus Poietus Cancellarius vinculis datus. 22.25
Gulielmus Clunianus Morinorum Epiſcopus. 3.30
In carcerem actus. ibid.
Gulielmus Croius. 15.3
Gulielmus Marchianus. 5.29 & 6.41
Epiſcopatum Eburonenſem filio ambiens. 5.29
Epiſcopatum Eburonenſem cædit. ibid.
Capite Maximiliani iuſſu plectitur. 5.29
Gulielmus Caluinus Britanniæ Cancellarius Landoij ma-
chinatione in carcerem coniectus. 4.26
In quo & mortuus. ibid.
Ob eius mortem tumultus in Britannia excitatus. 4.27
Guntherodi Cancellarij pro Lantgrauio hero ſuo oratio.
24.42
Gurcenſis, Imperatoris legatus quàm magnificè à Iulio
Pontifice habitus. 12.32. & 14.1
Gurcenſis legatio breuiter recenſita. 12.32. & 33
Eiuſdem querimoniæ. 12.33
Et diſceſſus. ibid.
Gurcenſis ad Iulium Pontificem legatio. 11.29
Quam magnificè à Bononienſibus exceptus. 11.32
Propoſitas à Iulio conditiones improbans Bononia in-
dignatus egreditur. 12.33
Patauium oppugnandum temerè conſulit. 14.30
Gurlinus Piſanorum in Stempacis propugnaculo præfe-
ctus. 8.18 & 19

H

HAbraimus interemptus, quòd Perſicæ expeditionis
Solymano auctor fuiſſet.
Hadrianus Gonsfictius Conſtantienſis Epiſcopus in S.
Cardinalium collegium adlectus. 15.28
Hæretici edicto caſtelli Briennij mortis rei. 28.27. & 28
An ſupplicium de nouis ſectariis ſumendum. 28.29
Hagembachij Prætoris crudelitas & inſolentia. 3.3
Supplicium. 3.4
Enſemenſes fruſtra adoritur. 3.4
Haganoæ ſocietas cum Ludouico inita, à Maximiliano
confirmata ac promulgata. 10.15
Haganoanus conuentus. 22.43
Hanauenſis Vicentiæ præfectus. 11.31
Hancij Heluetij centurionis apud Epirotas captiui pru-
dens reſponſum. 6.28
Illo Mantuanus à committendo prælio cum Gienſi de-
territus. 6.28
Hannebaldus Taroannæ obſeſſæ ſuppetias ferre iuſſus.
22.7
Hannibal Camertis principis filius nothus Bituntinum
Marchionem in Præcutinis fundit. 7.21
Hannibal Bentiuolus Bononiam fruſtra tentat. 17.15
Hanſamus Vegus Solymani mandato perterritus, mira ce-
leritate, ac diligentia pontem Drauo impoſuit. 30.39
Hariadeni fuga. 21.12
Haſtinguius cubiculariorum magiſter, Mariæ Burgundæ
quam fidus. 3.34
Hauartius Eduardi legatus. 3.8
Hauum Burgundo reſtitutum. 3.16
Hebergus Ebroicenſis Pontifex induciis inter Ludoui-
cum XI. Eduardúmque Reges procurandis deſtina-
tus. 3.8
Hedelbergenſi conuentu quid cautum. 26.26
Heluetij gens inculta, & rudis. 3.18
Heluetiorum peditum robur maximum. 1.30
Heluetij cum Sigiſmundo, ſequeſtre Ludouico XI.
conueniunt. 2.46
Aduerſus Burgundionem coniurant. 3.4
In recipiendo Feretano Comitatu opem ferunt. 3.17
Quid cauſæ fuerit cur Romonenſis ac Caſtelloguionis
arces inuaſerint. 3.17
Burgundo, quas vellet conditiones, offerunt. 3.16
Quid potiſſimum Burgundum illis bellum inferre
compulerit. 3.17
Granſone crudeliter ab eodem excepti. 3.18
Vnde Suiſſeri appellati. 3.18
Burgundos in fugam vertunt. ibid.

Cur

Cur ſe Principum domitores inſcripſerint. 3.18
Diuitiarum rudes omnino,& ignari. 3.18
Gemmas pro vitreis, argentea vaſa pro ſtanneis vendunt. ibid.
Cum vicinis Germanis ſociantur. 3.20
Burgundum denuo ad Murtiam fundunt, 20. millibus hoſtium circiter cæſis. 3.21
Burgundiam minorem inuadunt. 3.21
Victoriam Luſanam vſque ad Geneuam perſequentes. 3.21
Lotharingo aduerſus Burgundum militant. 3.23
Cum perfidis,& proditoribus pugnare detrectant. 3.24
In Ludouici XI. partes Caroli Ambaſiani prudentia traducti. 4.2
A Carolo VIII. in Galliam Tranſalpinam duce Aubignio tranſire iuſſi. 5.19
Quòd Genuam liberius, & præter Caroli VIII. voluntatem indignis modis vaſtaſſent, diripuiſſent, incendiſſéntque, Caroli tormenta ſuis humeris per Alpes trahunt, id pœnitentiæ loco ſponte præſtare promittentes. 6.27
Hancij Heluetij centurionis apud Epirotas captiui prudens reſponſum. 6.28
Heluetiorum vt Carolo VIII. ſeruiant quanta contentio. 7.1
Eorumdem coniuratio & perfidia. 7.7
Quid cauſæ fuerit, cur Mompenſerio ad Frangetium parere noluerint. 7.20
Læſæ Imperatoriæ Majeſtatis rei declarantur. 8.21
Helueticum bellum. 9.20
Heluetiorum origo. 11.41
Situs. ibid.
Mores. ibid.
Et robur. ibid.
A Ludouico XII. penſionem annuam augere recuſante, deficiunt. 11.41.& 12.8
Conuentum totius ſuæ gentis Lucernam indicunt. 12.8
Ludouici hoſtes ſe declarant. 12.8.& 9
Illorum exercitus. 12.9
Deſerta profectione, quam aduerſus Ludouicum XII. ſuſceperant, domum in cohortes diſperſi reuertuntur. 12.10
Heluetiorum penſiones Ludouicus XII. augere dum renuit, plurimum rebus ſuis Mediolanenſibus nocet. 13.13
Litteræ Heluetiorum ad ſuos magiſtratus ſcriptæ, à Gallis interceptæ. 13.14
Heluetij præter omniũ expectationem domum redeuntes, à Iulio Pontif. & Ferdinando Hiſpano reuocantur. 13.15
Inuſitatis honoribus ab Pontifice Maxim. affecti, cur. 13.46
Ludouicus XII. Heluetiorum ſocietatem præ cæteris quare ambiat. 14.10
Heluetij Proſperi Columnæ poſtulato indignati. 14.18
Quid Leonem Pontificem impulerit Heluetiorum cum Ludouico reconciliationem procurare. 14.48
Heluetij Burgundiam inuadere minati. 14.49
Franciſcum I. Gallorum Regem in Alpibus obſidere conantur. 15.9
Seditio inter illos penè exorta. 15.12
Eorumdem inſolens barbaries. 15.12
Heluetij percuſſum cum Franciſco I. fœdus violant. 15.13
Vt Franciſcum adoriantur illis Sedunenſis auctor. 15.13
Heluetiorum cum Franciſco I. ad Melegnanum atrox conflictus. 15.17
In conflictu vix ſe mutuo dignoſcunt,& cur. 15.17
Gallorum tormenta ſimul, & equitatus magnam in Heluetiis ſtragem faciunt. 15.18
Sedunenſis ad Heluetios ſermo. 15.16
Cæſorum vtrimque numerus. 15.19
Duæ Heluetiorum cohortes fumo flammiſque, vt abſumptæ. 15.19
Heluetij ſe aduerſus Franciſcum bellaturos pernegant. 16.45
Cur Heluetij Parmã, Placentiámque potius, quam alias Franciſci ditiones oppugnare velint. 16.47
Curſorum Helueticorum perfidia. 16.47
Heluetij Lautrecium inuitum ad pugnam compellunt. 17.7
Conflictus ad Bicoquam. 17.8
Heluetiorum immanis bellandi ratio. 18.3
Heluetij Franciſco II. fœderati. 25.23
Mos bellandi illorum inſolens. 18.3
Henricus VII. Angliæ Rex pacis inter Ludouicum & Ferdinandum auctor. 10.19
Qua magnificentia Henricus VII. Angliæ Rex Philippum Flandriæ ducem exceperit. 10.19
Fœdus cum eodem renouarit. ibid.
Ducem Suffolchienſem Namurci vinctum Henrico tradere pactus Philippus. 10.10
Maximiliani Auſtriaci hortatu in Gallias traiicit. 4.36
Bononiam obſidet. ibid.
Inde in Angliam nullo operæpretio facto remeat. ibid.
Henricus VIII. Angliæ Rex. 11.24
Illius cum Franciſco I. colloquium, & congreſſus. 16.15
Magnificentia,& luxus. 16.16
De adorienda Gallia cum Maximiliano Imperatore coniuratio. 14.38
Diuortium. 19.49
Illius auctores. ibid.
Romani Pontificis iugum excutit. 19.50
Eius cum Ioanna Semera matrimonium. 21.61
Ex ea Eduardum ſuſcepit. ibid.
Bellum quod ſacrum appellauere Henrico à ſuis indictum. 21.61
Franciſci I. auxilium implorat. 20.47
Fidelium communione eiectus. 20.47
A Romani Pontificis obſeruantia deficit. 20.54
Retentis Pontificiis tributis. ibid.
Annam Cliuenſem vxorem accipit. 22.37
Quæ dogmata Romanæ Eccleſiæ communia in Anglia retineri voluerit. 22.37
Repudiata Anna Cliuenſi, Catharinam Hauardam in vxorem accipit. 22.44
Quam deinde capite truncari iubet. 23.7
Henrici mors. 24.33
Ei ſuccedit filius Eduardus nouennis. 24.33
Henrici mores breuiter perſtricti. 24.33
Henricus Aurelianus Catharinam Mediceam vxorem accipit. 20.49
Henricus Albadeliſtæ Dux Hiſpanorum præfectus Salſularum oppugnationem nequidquam impedire molitus. 7.18
Henricus Brunſuicenſis Dux in Italiam profectus cum exercitu,& quid in illa expeditione egerit. 20.6
Laudem Pompeij nequidquam tentauit. 20.6
Eum ſtipendij penuria in Geronauiam redire compellit. 20.14
Henricus Caſtulonenſis latam Tarraconenſi hoſti opem ægrè fert. 1.5
Eius ſplendor in congreſſu cum Ludouico XI. 1.6
Blandam Nauarricam ſibi ſemper infeſtam ſenſit. 1.6
Ad ſummam inopiam redigitur. 1.6
Henricus II. Galliarum Rex Franciſci I. filius. 25.1
Illius indoles. ibid.
Quales eius conſiliarij,& aulici. ibid.
Scribæ qui. 25.3
Inauguratus Lutetiam deducitur, ſplendidè excipitur, tum rebus ſeriis incumbit. 25.3

Digitized by Google

Quid cauſæ ſit cur 7. Cardinales Romam miſerit. 25.4
Exercitum in Scotiam aduerſus Anglum tranſmittit. 25.13
Angli in Gallos impetum faciunt, & in fugam conuerſi repelluntur. 25.13
Henricus Burgundiam, & Galliam Tranſalpinam inuiſit. 25.16
Burdegalenſes, & Sanctones aduerſum ſe rebellantes ob ſalinarium vectigal, miſſo diplomate compeſcit. 25.17
Ex Gallia Tranſalpina rediens magnum militum numerum clam aduerſus Anglum comparat. 25.19
Ad Bononiam recipiendam bellum inſtruens. 25.20
Sellaqua caſtello potitus. 25.20
Amblitellio. ibid.
Blanconetianos dedere ſe cogit. 25.20
Pax inter Henricum, & Regem Anglum conciliata. 25.20.& 21
Fœderis initi capita Latino ſermone conſcripta. 25.21
Fœdus inter Henricum II. & Heluetios renouatum. 25.22
Henricus Parmæ propugnationem ſuſcipit. 25.32
Belli inter Carolum V. & Henricum origo. 25.32
Henrici reditus in Gallias. 26.54
Henricus Parmenſibus auxilia ſubminiſtrans aduerſus Mediolanenſium præfectum. 25.41
Henrico filius naſcitur, patris nomine Henricus appellatus. 25.44
Henricus ſe belli, quod Mauricius Saxo inchoarat ſocium declarat. 25.48
Iſtius belli cauſa, quæ. 25.50
Mediomatricibus potitus. 26.2
Ad Argentinenſes Tabernas progreſſus, ne vltra excurrat à Palatino, Moguntino, & aliis admonetur. 26.2
A pace non alienus, eam tamen à Carolo V. poſtulare recuſat. 26.5
De reditu in Gallias cogitat. 26.5
Lucceburgenſem agrum, par pari referens vaſtari mandat. 26.6
Mediomatricibus prouidet, miſſo Guiſano Duce qui hoſtem excipiat. 26.13
Quare copias ſuas in Corſicam tranſire iubeat. 26.37
Exercitu tripartito in Belgium inuehitur. 26.45
Cum Cæſarianis dimicat ad Fauquembergam. 26.51
Germanos ne aduerſum ſe arma ferant, obteſtatur. 26.60
Exortam inter Heluetios contentionem dirimit. 26.60
Bellum inter Philippum Hiſpanum, ac Henricum renouatum. 27.18
Galerus, & enſis Henrico à Paulo IV. pro munere offeruntur. 27.19
Henricus ſe Pontifici auxilio futurum pollicetur. 27.19
Cardinalis Lotharingi de iuuando ſummo Pontif. ſententia. 27.20
Henricus auxilia Romam ſubmittit. 27.21
Potentiſſimus Henrici exercitus. 28.17
Pacis inter Henricum, ac Philippum initæ capita. 28.25
Seuerum Henrici in Caluinianos edictum. 28.30
Henricus lancea ictus, ac interemptus. 28.31
Franciſcus II. eius ſucceſſor. 28.32
Henrici III. natalis dies. 25.44
Henrico Liceſtriano regnum à Varuico ereptum. 2.40
Henricus Liceſtrianus Richardum regni Anglici vſurpatorem commiſſo prælio, vt ceciderit. 4.20
Quid cauſæ fuerit, cur Henricus Liceſtrianus à Britanno in regnum Angliæ reductus ſit. 4.18
Henricus Manſellus Liladami ſignifer glande ictus expirat. 17.23
Henricus Naſſauij Comes ad Franciſcum I. legatus. 15.2
Horrenda eiuſdem immanitas. 16.33.& 34
Henricus Naſſauus cum exercitu Picardiam ingreſſus. 21.52
Henrico Stuardo Arleio Comiti Maria Stuarda in matrimonium tradita. 30.28
Heraldus quis ſit. 3.7
Vnde iſta vox deriuata. 3.7
Herbemontis arcis deditio. 28.7.& 8.
Hercules Ateſtinus, Ferrarienſis Marchio belli Neapolitani cauſa, & promotor. 5.15
Cur Herculi Ateſtino Ferrarienſi Marchioni, Gallorum ad ſceptrum Neapolitanum euocatio adſcribatur. 5.10
Florentinarum copiarum præfectus. 4.7
Contentionum inter Venetos, & Florentinos arbiter ſtatuitur. 8.17
Illius ſententia in vulgus edita, Venetiis murmura omnium aduerſus Herculem, Senatoreſque compromiſſi auctores interceſſerunt. 8.16
Ad Rogatorum concilium refertur, ratáque habetur, 8.17
Hermannus Colonienſis Pontifex fidelium cœtu excluſus. 24.20
Hermannus Lantgrauius de Epiſcopatu Colonienſi cum Ruperto Comite Palatino diſputans. 2.43
Mirabile quiddam de Hermaphrodito traditum, qui vterum geſtans peperiſſe deprehenſus eſt. 3.36
Herminia arx Caluino Britanniæ Cancellario pro carcere aſſignata. 4.26
Heroëtus quæſtorum Regiorum princeps, peculatus condemnatus. 10.9
Hetruſcum bellum, & illius auctores. 22.10
In Hetruria tumultus Franciſco Soderino Cardinale auctore moti. 17.15
Hetruria Carolo VIII. ſubdita. 5.31
Controuerſia de Hierga oppido inter Carolú Croium Simæum Principem, atque Emerium. 16.24
Hieronymus Adurnius cum peditatu Germanico Tridentum miſſus. 17.4
Hieronymus Riarius de Mediceis queſtus. 4.6
Hieronymus Moronus perfidiæ ſuſpectus. 15.23
Modoetiam deductus. 18.55
Morte damnatus, pecunia liberatur. 19.12
Hieronymi Sauonarolæ Dominicani prædictio. 5.26.& 6.25
Diuinus vates Florentiæ habitus. 5.27.& 6.25
Carolo VIII. Galliarum Regi multa, quæ ita euenerunt prænuntiat. 5.26.& 27
Status popularis defenſor acerrimus. 5.27
Extremo ſupplicio addictus, viuúſque cum duobus ſuis ſodalibus crematus. 5.27.& 7.42
Carolo VIII. diuini numinis vindictam imminentem inſtare ſeuerè pronuntiat, niſi Piſas, Piſanáſque arces Florentinis reſtituat. 6.25
Sacris interdictus. 7.41.& 42
Himbercurtij induſtria admirabilis. 2.9
Eburonum vrbem vt ingreſſus. 2.10
Cum Epiſcopo captiuus abducitur. 2.13
A Lucceburgenſi contumelia affectus. 2.38
Himbercurtius Veruinas ad Ludouicum XI. contendens, Bouinianas aduerſus Lucceburgenſem conuentiones renouandas confirmat. 3.12
Himbercurtij mortis cauſa quænam aſſignanda. 3.28
Cur Gandauenſibus inuiſus. 3.30
In carcerem actus. ibid.
Capitę mulctatur. 3.31
Himbertus Bochagius Caroli VIII. legatus. 7.38
Hippolyti Cardinalis Ateſtini funeſtus amor. 10.25
Hiſdini Ludouicus, & Philippus Burgundio congrediuntur. 1.9
Hiſdinum in Ludouici XI. poteſtatem redactum. 3.28
A Cæſarianis fruſtra tentatum. 17.18
A Franciſco I. obſeſſum & captum. 22.3

An

Digitized by Google

An oppidum Paulinum muniri debeat, variæ variorum ducum ſententiæ. 22.3
Oppugnatum, & Henrico II. Galliarum Regi deditum. 26.23
A Gallis receptum. 26.26
Hildinenſis arcis expugnatio. 26.32
Hiſpaniarum Reges quando *Catholici* appellari cœpti. 7.38
Hiſpanorum in Flaminiam aduentus. 13.16
Hiſpanorum in Rauennate pugna diſpoſitio. 13.33
Hiſpanorum aliquot defectionem ſimulãtium prauum de necando Liuiano conſilium. 14.57
Ter mille Hiſpani Carolo V. Imperatori rebelles. 16.20
Hiſpanorum in populum Mediolanenſem quanta crudelitas. 19.1
Quingenti pedites Hiſpani armis per Salaſſum exuti. 19.24
Mediolanenſibus Hiſpani milites exoſi. 22.28
Inter Germanos, & Hiſpanos grauis excitata ſeditio. 24.4
Philippi Regis in Hiſpaniam nauigatio. 28.39
In Hiſpania noui ſectarij deprehenſi flammis addicti. 28.39
Hiſpani lucri magis, quam gloriæ ſequaces. 18.3
Neapolitanis exoſi. 10.6
Hiſtoria ad hominum, maximè Principum illuſtrium mores lic·è extendi poteſt. 7.33
Hiſtoricorum Italorum errores refelluntur. 15.34.6.33
Hiſtoricorum in deſcriptione Foronouani prælij variæ ſententiæ. 6.32
in Hollandia varij, & inopinati caſus. 20.35
Multa Hollandiæ oppida à mari abſorpta. 2.20
Holſatij Eduardum Regem in ſummum diſcrimen adducunt. 2.29
de Hominibus quibuſdam nunquam antea in his partibus viſis in Britannica inſula repertis, & ad Ludouicum XII. perductis. 11.9
Hornæus Comes cæſus. 21.57
Hoſtium vires nimis prædicare, timidorum eſt. 1.25
Hoſti recedenti pontem aureum, aut argenteum facere, quid. 6.28
Hubertus Comes Bieblingus à Carolo V. proſcriptus. 25.12
Hugonetus Veruinas ad Ludouicum XI. contendens Bouinianas aduerſus Luceburgenſem conuentiones renouandas confirmat. 3.11
Hugonetus quiſnam fuerit. 2.38
In Flandriam poſt Granſonianam pugnam miſſus à Burgundo. 3.21
Mortis ipſius cauſa, quænam fuerit. 3.28
Gandaui cum ordinibus prouinciarum Belgicarum coit. 3.30
In vincula coniectus. 3.30
Ei calumniæ afflictæ. ibid.
Capite mulctatur. 3.31
Maria Burgunda nequidquam pro eodem deprecante. ibid.
Hugoni Moncatæ cura claſſis Cæſarianæ commiſſa. 18.9
Hugo Moncata vinculis eductus. 28.32
Humas arcem Galli quomodo occuparint *vide* arcem Humas.
Hymeus, quis. 15.19
Humerius Aſtam fruſtra oppugnare aggreſſus. 22.14
Humas arcem Galli, vt occuparint. 25.15
Hungari Matthiam Coruinum in Regem deligunt. 10.21
Hungarorum aduerſus Solymanum exercitus. 19.15
Hungarorum Rex aquis extinctus. 19.16
Hungari Marathi latentes ad internecionem cæſi. 19.17
Caroli V. in Hungariam contra Solymanum proficiſcentis potentiſſimus exercitus. 20.40
Hungari opem à Carolo V. implorant. 23.56
Maria Hungariæ Regina Auguſtam contendit. 25.19
Huraldus Heduorum Epiſcopus. 17.47
Huſarones in Saxonis agrum, vt deſæuiant. 24.29
Huum oppugnatum. 2.2
Hydruntum Appuliæ oppidum Turcæ expugnant. 3.38. & 4.10
Itáque muniunt, vt Itali inde muniendarum vrbium rationem didiciſſe videantur. ibid.
Hydruntini Arragoniis reconciliati. 6.16
Hyemis aſperitas. 13.46
Anno 1480. 3.38

I

IAcobus Arminiacus Dux Nemorenſis læſæ Maieſtatis reus conuictus, Lutetiæ capite luit. 3.33
Iacobus Appianus Plumbini Dux. 8.4
Iacobus Appianus vilis ſcriba Piſanorum dominatum inuadens. 6.4
Iacobus Broſſianus Boius iubente Franciſco I. in Scotiam traiiciens. 24.8
Iacobum Chabaneum Palicianum, falsò Iuonis Alegrij fratrem nominauit Iouius. 6.12
Vnde ſic dictus. 6.13
Iacobus Chabaneus Mareſchallus exercitum Mediolanum deducit. 17.4
E Gallia à Franciſco reuocatus. 17.16
In agro Veronenſi à Ludouico aduerſus Venetos relictus. 11.23
Iacobus Caſtilio. 7.4
Iacobus Comes Romanus factionis Vrſinæ conſcius. 6.7
Cur ad Arragonios defecerit. 6.7
Iacobi Conei Veruini Bononienſis præfecti ignauia. 24.6
Iacobus Cor extremo ſupplicio addictus, quòd Chriſtianum è Turcarum ſeruitute elapſum ad eos remiſiſſet. 4.5
magna Iacobi Cocterij medici verborum licentia. 4.15
Ingentes à Ludouico XI. opes extorſit. 4.15
Iacobus Grauilla triremium Gallicarum præfectus expeditionem Neapolitanam Carolo VIII. diſſuadet. 5.9. & 10
Iacobus Luſinianus Rex vltimus Cypri. 5.15
Iacobus Luceburgenſis ex Anglia redux. 1.15
Iacobus Paccius Pacciæ familiæ princeps. 4.6
Iacobus Picininus Franciſci Sfortiæ legatus, immaniter à Ferdinando Neapolitano interfectus. 5.27
Iacobus Piccolomineus Cardinalis Senenſis, Pontif. Max. creatus, & Pius III. nuncupatus. 9.43
Iacobus Sauornianus. 8.6
Iacobus IV. Scotiæ Rex trucidatus. 14.45
Iacobo Scotiæ Regi Magdalena Franciſci I. filia in vxorem tradita. 22.1
Iacobus Staphileus. 14.4
Iacobi Stuardi Scotiæ Regis cum Franciſco I. ad Saphorinum oppidum congreſſus. 21.61
Iacobus à fano Pauli Atrebatum præfectus, captus. 3.5
Iacometus Hydruntum vi capit, diripítque, omnibus qui in vrbe extitere, immaniter trucidatis. 4.10
Iacominus Florentinorum Dux *vide* Antonius Iacominus.
Iano Daualo Ænariæ arcis cuſtodia interea dum Ferdinandus in Siciliam traiicit, demandata. 6.16
Ianotus Puccius vinctus Florentiæ. 7.37
Cur. ibid.
Ianus Fregoſius. 14.25
Ianizarorum inſolentia, & mala fides. 17.34
Iaquinus in crucem actus. 13.45
Icius portus idem quod Caleſium. 2.26
Ienolacus *vide* Galeotus Ienolacus. 6.30
Imbaldus Dux Gallus Aretium vt intromiſſus. 9.14
magna Imperia vi domeſtica ſæpius oppreſſa. 2.25
Imperium Romanum quando apud Germanos perpetuum declaratum. 16.11

Electorum

Electorum S. Imperij officium, & munus. 16.11
Indica nauigatio cognita. 10.8
Indiæ tam Orientalis quam Occidentalis diuiſio. 10.8
Induciæ Carmagnolanæ. 22.19
Induciæ inter Ludouicum, & Eduardum ad 9. annos conceptæ. 3.9
Induciæ Vaculanæ. 27.17
Inimicis reconciliatis fidere, difficile. 7.36
In morte Innocentij VIII. Pontificis Maximi magnæ in Europa exortæ contentiones. 5.2
Inquiſitio Hiſpanica. 24.45
Neapolitani ob inquiſitionem rebelles. 24.45
Inquiſitio Hiſpanica Romam à quo inuecta. 28.57
Inſidiæ ſtructæ in Turcas à Carolo VIII. Galliarum Rege, Venetorum perfidia detectæ. 6.14
Inſolentiam nimiam ignominioſus ſæpe exitus conſequitur. 1.26
Interamna in Gallorum fide confirmata. 7.15
Interim vnde natum. 25.10
Ioachini Brandeburgenſis gratitudo erga Saxonem captiuum. 24.38
Ioannes Alençonius Lochiis, Venetis à Ludouico XI. eximitur. 1.4
Ioanna Albreta Regina Nauarræ ſanctorum communione eiecta. 30.23
Ioannis Altauillæ Capuani ſummum in Ferdinandum Neapolitanum beneficium. 6.39
Ioannes Audax Lutetiæ in partes diſtractus, quod in Regem conſpiraſſet. 2.35
Ioannes Auinus Senator Pariſienſis multa Borbonio malignè affingens. 3.38
Ioannis Aurelianenſis Comitis Dunenſis experientia in rebus bellicis. 1.27
Eiuſdem ad legatos Pariſienſes oratio. 1.31
Ioannes Baptiſta à Monteſicco Laurentium Mediceum ſe trucidaturum negat. 4.6
Ideo paucis poſt diebus interfectus. ibid.
Ioannes Bauarus Eburonum Pontifex. 2.1
Traiecti obſeſſus. ibid.
Eburones ſuperat ingenti in eis ſtrage edita. 2.1
A Gulielmo Bauaro ſuppetias accipit. ibid.
Ioannes Barchalonius captus. 15.10
Ioanna Caroli V. mater vita functa. 27.2
Ioannes Bentiuolus Bononienſis Sforttiæ addictiſſimus. 5.15
Ioannis Bentiuoli domus à Bononienſibus euerſa. 10.25
Eiuſdem mors. 11.1
Ioannis Britanni Hedui oratio pro tertio ordine. 29.31
Ioannes Boiorum Dux equitum magiſter creatus. 4.28
Coniurationis cum Aureliano initæ conſcius. ibid.
Cum Rege conuenit. ibid.
Illius reſponſum ad Ludouicum XI. 1.16
Regi liberius viſum. 1.17
Rothomago vt potitus. 1.37
Senatus Pariſienſis decreto impoſitis criminibus abſoluitur. 3.38
Ioannes Bolengerius peſte extinctus. 4.16
Ioannes Camillus Montanus Neapolitanus captus. 14.59
Ioannes Cabillonenſis Arauſiorum Princeps magnæ apud Burgundos auctoritatis. 4.1
Ludouici XI. in vtraque Burgundia exercitus præfectus. ibid.
Diuionem Regi ſubiicit. ibid.
Bonam Burgundiæ partem ad rebellionem concitat. 4.1
Cur ad Ludouicum XI. defecerit. 4.1
Caluini Cancellarij Britanniæ mortem dum vlciſci aggreditur, manifeſtum incurrit vitæ periculum. 4.27
In prælio contra Trimullium captus. 4.34
Annam Britanni filiam Maximiliano Romanorum Regi matrimonio iungi maximè deſiderat. 4.35
Ioannes Cambius Florentiæ in vincula coniectus. 7.37
Cur. ibid.
Ioannes princeps Caſtulonenſis Ferdinandi Hiſpani filius vnicus, mortuus. 7.38
Ioannes Baptiſta Caſtaldus caſtrorum Caroli V. magiſter. 24.22
Ioannes Doiacus Cuſſetanus in Ioannem Borbonium malignus. 3.38
Mortuo Ludouico XI. Senatus Pariſienſis decreto cruci affixus. 4.26
Cur. ibid.
Ioannes Dalburgius Vormatienſis Pontifex. 9.29
Ioannes Fliſcus de compeſcendo Genuenſi populo ad Galliæ Regem ſcribit. 10.27
Ioannes Franciſcus Seuerinas Calatiæ Comes Sfortiani exercitus dux. 5.22
In Gallias legatus accedit. 5.8
Ioannes Fuxius Albretus. 14.5
Ioannes Ganaius à Corolo VIII. ad Alexandrum ſummum Pontificem legatus. 5.38
Ioannis Ganaij auaritia. 6.19
Ioannes Galeatius Mediolanenſium Dux qua de cauſa trucidatus. 4.4
Eiuſdem inaudita crudelitas, & facinora horrenda. 4.4
Illius inuaſores, & coniurati occiſi. 4.4
A Carolo VIII. in arce Papienſi lecto affixus inuiſitur. 5.28
Franciſcum, Bonámque liberos Regi commendat. ibid.
Paucis diebus interiectis mortuus. 5.29
Ioannes Galioſius Aquilam à quibus, & qua ratione reductus. 6.1
Ioannes Gradenicus interfectus. 8.6
Ioannes Iacobus Triuultius Ludouici XII. copiis præeſſe iuſſus. 8.21
Gloria militari clariſſimus. 6.7
In locum Liuiani adſcitus. 15.24
In locum Caroli Ambaſiani ſuffectus. 12.27
Illius progreſſus ab Ambaſiani morte. 12.30
Ioannes Ludouicus Fliſcus Hybleti frater, Adurnij, multique alij viri Genuenſium primarij in Sfortiæ partes vt pertracti. 5.20
Eiuſdem ſimultates cum Adurniis. 7.39. & 40
Ioannis Cardinalis Lotharingi mors. 25.25
Ioannes Ludouicus Pallauicinus nimia ſua temeritate à Bentiuolo captus. 18.20
Ioannis Luſitaniæ Regis mors Vlyſſipone. 27.50
Ioanna Ludouici XI. filia à Ludouico XII. repudiata 8.11
Biturigum Ducatu donata.
Ioannes Medices ex Inſubribus accerſitus. 17.2
A Lautrecio ad Laudem tuendo Cremonenſi agro miſſus. 17.10
Heluetios violata fide necari iuſſit. 18.2
Quinque Rhetorum millia à Gallis euocata Ioannes Medices domum redire compellit. 18.4
Rheti inſtante pugna Franciſcum I. deſerunt. 18.21
Inſidiis poſitis multos Hiſpanos vt conciderit. 18.23
Eiuſdem Medicei diſceſſu è caſtris Franciſci I. Galliarum Regis plerique milites dilabuntur. 18.24
Melegnanum deditione recipit. 18.1
Quinque Rhetorum millia à Gallis euocata domum redire compellit. 18.4
Illius ad Gallos defectio. 17.6
Rebellio. 17.12
Quomodo Gallicis cuſtodiis ereptus. 13.43
Glande ictus vita excedit. 19.11
Ioannes Cardinalis Mediceus Iulij Pontificis ſucceſſor declaratus. 14.13
Leo appellatus. ibid.
Ioannes Maulernes. 4.37

Ioannes Maria Montanus Cardinalis, Pontifex Max. creatus. 25.23
Iulius III. nuncupatus. 25.25
Ioannes Mattaronius Caroli VIII. orator ſub aulæis, Petri Medicei conſilio conditus, vt Ludouici Sfortiæ malam fidem detegeret. 5.26
Ioannes Paulus Manfronus Solarolo oppugnato in Gallorum poteſtatem redactus. 11.17
Ioannes Paulus Ceres captus. 20.32
Ioannes Paulus Baleonus Leone X. iubente capite mulctatus. 16.19
Eiuſdem perfidia. 10.16
Ioannes Petrus Gonzaga Nugolariæ Comes captus. 7.35
Ioannes Paulus Gradeuicus Foroiulienſis præfectus à Germanis fuſus. 11.24
Ioannes Piccininus pugna Foronouana interfectus. 6.31
Ioannes Poltrotus de Guiſano trucidando cogitat. 30.14
Conceptum animo facinus exequitur. 30.14
Comprehenſus. 30.15
Ioannes Rouereus Oſtiæ præfectus. 5.19
Cardinalis Rouerei frater. ibid.
Arcem Oſtienſem Alexandro Pontifici quibus legibus dedat. ibid.
Ioannes Saſſatellanus à Sfortia cur in Alexandriam miſſus. 17.3
Ioannes Stuardus Albaniæ regulus. 14.46
Scotiæ adminiſtrator. 15.29
Illius mors. 21.42
Ioannæ Semeræ cum Henrico VIII. Angliæ Rege matrimonium. 21.62
Ex illa Henricus Eduardum ſuſcipit. ibid.
Ioannes Selua doctrina ac vitæ integritate celebris, Senatus Mediolanenſis princeps conſtitutus. 15.28
Ioannes Triuultius proditionis aduerſus Ludouicum Regem inſimulatus. 12.6
Ioannes Villetanus Eburonum præfectus. 2.16
Vulneratus occumbit. 2.17
Ioannes Vrbinas cum tormentis Sartiranam miſſus. 18.3
Ioannis Vaiuodæ cum Iſabella Polona matrimonium. 22.45
Iogniacus Comes vbi, & à quo captus. 3.5
Iolanda Ludouici XI. ſoror Burgundo auxilia ſubmittit. 3.17
Iordanis Virginij filij clades. 7.24
Carcer. ibid.
Libertas. ibid.
Iouij commenta exploduntur. 5.22. & 6.36
Maximè in deſcriptione Foronouanæ pugnæ. 6.32
Ironia inſignis Ludouici XI. 3.11
Iſabella Burgundi mater Liceſtriana matre prognata. 2.26
Iſabellæ Arragoniæ Galeatij vxoris apud Carolum VIII. pro Patre Alphonſo, Arragoniáque familia deprecantis triſte ſpectaculum. 5.28
Graues de Sfortia querimoniæ. 5.6
Iſabellæ Ioannis Luſitaniæ Regis ſororis matrimonium cum Carolo V. promoueri cœptum. 18.41
Celebratum. 18.47
Iſabellæ Polonæ cum Ioanne Vaiuoda matrimonium. 22.45
Belli inter Ferdinandum, & Iſabellam Polonam pro regno Pannoniæ initium. 22.46
Iſabella Angliæ Regina miſſas in Scotiam copias reuocari mandat. 28.52
Letham portum Edimburgo vicinum obſideri. 28.54
Fœderis inter Franciſcum II. & Elizabetham ſanciti capita. 28.55
Iſabellam Angliæ regno iure excludi potuiſſe conficitur. 28.21
Coniectura cur nubere noluerit. 28.21
Caluinianam ſectam in Angliam reducit. 28.22
Totius regni Anglici religionis princeps ſalutata. 28.23
Iſchia Inſula, quæ. 5.28
In eam Roſſanenſis princeps Alphonſo Neapolitano ita iubente deportatus, à Mauro crudeliter mactatur. 5.28
Iſenacus conuentus. 22.27
Itali vnde muniendarum vrbium rationem didicerint. 3.38
Italia duabus factionibus diuiſa. 4.6
Aliis Gallos, aliis Arragonios ſequentibus. 5.17
Anno 1494. portenta varia variis Italiæ regionibus viſa, auditáque impendentes patriæ calamitates indicant. 5.26
Gallos Itali reformidant. 5.26
Carolus VIII. à Deo deſtinatus à Sauonarola prædicitur, vt Italiæ tyrannos puniat. 5.27
Qui fuerint illi tyranni. ibid.
Itali externas nationes barbaram gentem appellare ſoliti. 8.3
Itali ſcriptores refutati. 9.27. & 15.33. & 34
Italici belli renouatio. 21.11
Iubilei ſiue anni luſtralis auctor. 8.41
Iudæorum menſariorum domos plebs Neapolitana diripiens. 6.8
Iudæus Medicus Turcas de mutanda oppugnatione litteris admonet. 17.21
Proditionis conuictus in partes diſcerptus. 17.25
Iudicum Præſidiariorum creatio in Gallia. 25.46
Iula Turcis dedita. 30.38
Iulianoua Præcutinorum oppidum direptum. 7.15
Iuliano Lotharingo Garganum à reditu Caroli VIII. in Gallias commiſſum. 6.11
Iulianus Rouereus pacis inter Ludouicum XI. & Maximilianum Auſtriacum ineundæ ſequeſter. 3.38
Balluam Cardinalem cuſtodia emitti rogat. ibid.
Impium eius de inuadenda Roma conſilium. 5.5
A Ferdinando Neapolitano improbatum. 5.5
Clam in Gallias profectus, cum Carolo VIII. communicat. 5.15
Genuam appellit. 6.37
Quid ad Terralbam præſtiterit. ibid.
Oſtiam Conſaluo dedere compulſus. 7.35
Pontifex Maxim. renuntiatus. 9.44
Iulianus Mediceus Bononiæ in cuſtodiam traditus. 11.36
Iuliani occidendi munus cui commiſſum. 4.6
Vtque occiſus ſit. ibid.
Eiuſdem Iuliani de inuadendis Florentinis propoſitum. 13.48
Iulius Pontifex Maximus Pij III. ſucceſſor. 9.45
Venetos præter ius Romanæ ditionis vrbes occupaſſe queritur. 9.45
Valentinum Borgiam vinculis tradi mandat. 9.47
Ludouico XII. Galliarum Regi authoritatem prouidendi beneficiis Mediolanenſis Ducatus concedit. 10.23
Arma ſumere decernit. 10.23. & 24
Cum exercitu Bononiam profectus. 10.24
Illius ingreſſus ſolemnis in vrbem Bononienſem. 10.25
Ioannem & Alexandrum Bentiuolos ſibi dedi flagitat à Ludouico XII. 10.35
Pax inter Iulium, Maximilianum Imperatorem, Ludouicum Galliarum Regem, & Ferdinandum Hiſpanum confirmata. 11.6
Ariminum, Fauentiámque à Venetis nequidquam repetit. 11.7
Venetos Chriſtiani nominis hoſtes declarat. 11.13

Eiuſdem

Eoſdem Chriſtianorum communioni reddere meditatur. 11.19
Controuerſia inter Iulium Pontificem, & Ludouicum XII. oborta. 11.30
Cur. ibid.
Diſſoluitur controuerſia. 11.39.*loco* 49
Venetos quibus conditionibus in Chriſtianorum communionem reſtituat. 11.39.*loco* 49
Quare Iulius Ferrarienſi bellum denuntiet. 11.43
Illius equites bona ex parte ad Rhegium per Gallos cæſi. 12.20
Iulius exercitus ſui ducibus Ferrariam circumſedendam edicit. 12.21
In obſidione Mirandulana aperto vitæ diſcrimine perfunctus. 12.24
Belli à Iulio ſuſcepti auctor, quis. 12.29
Iulius octo in ſacrum Cardinalium collegium adlegit. 12.31
Quanto honore, & magnificentia Gurcenſem exceperit. 12.32
Iulij ex vrbe Bononia, ad quam Gurcenſi occurſurus acceſſ rat, diſceſſus, tumultus initium dedit. 12.34
Ticinenſis Cardinalis cæde vehementer commotus. 12.37
Iulij legati ad Ludouicum XII. miſſi de pace agunt, aut ſe agere velle ſimulant. 13.1
Concilium Piſanum diſſoluere ac diſturbare totis viribus molitus. 13.1.& 2
Mortuus, falsò creditus. 13.5
Societatis inter eum, Ferdinandum Hiſpanum, Venetóſque initæ capita. 13.9
Ad pacem cum Ludouico XII. incundam inuitatur à Cardinalibus. 13.37.& 38
Ludouicum ſacris Chriſtianis ſe interdicturum minatus. 13.40
Iulius aduerſus Venetos Ludouici auxilia depoſcit. 10.22
Peruſiam ingreſſus captiuus à Balcono detinetur. 10.24
Arcis Bononienſis fundamenta iacit. 10.27
Moritur. 27.1
Illius ſucceſſor. 14.13
Iulius ſecundus Pontifex Max. annum luſtralem, ſiue iubilæum celebrauit. 25.25
Marcellus II. in eius locum ſuffectus. 27.1
Iulius Adrianum Pontificem ſuas vt triremes Rhodum mittat, fruſtra hortatus. 17.21
Iulius Medices Cardinalis Adriani Pontificis ſucceſſor. 17.35.& 58
Clemens appellari voluit. ibid.
Iulius Manfronus captus. 12.36
Iulius Vrſinus ab Aureliano claſſis Gallicæ duce vt captus. 5.20
Iuo Alegrius. 8.32
Dertbona potitus. 8.33
Iuoium Gallis deditum. 23.15
Iuoium à Mansfeldio deditum diripitur. 26.7
Iuſtinianus Maurocenus Epirotarum equitum præfectus. 7.30

K

KEretſchinius inaudito ſupplicio affectus. 30.38

L

LAbronæ ſtatio antiquis, nunc Liburnicus portus. 5.19
Ladiſlao Hungariæ, Bohemiæque Regi Magdalena Caroli VII. filia deſponſa. 1.1
Lætrius ſeditionum Leodij exortarum auctor exiſtimatus *vide* Bazius Lætrius.
Laini accepta clades Gallorum vires multum debilitauit. 7.22
Lancelotus Poloniæ Rex ad regnum Hungariæ ſuſcipiendum vocatus. 10.21
Lancepugnius quis. 7.13
Lancianum celeberrimum Appuliæ emporium. 7.15
Landoij quæſtoris Britannici malis artibus Caluinus Cancellarius in Herminia arce vinctus. 4.26
In qua & obiit. ibid.
Idcirco Landoius toti nobilitati Britannicæ inuiſus. 4.27
In arcem Ponencianam ſe proripit. 4.27
De Arauſio, & eius ſociis vindictam ſumere qua via aggreſſus. 4.28
In carcerem coniectus cruci affigitur. 4.30.& 29
Landreſium à Carolo V. obſidetur. 23.38
Vrbem Franciſcus I. præſidiis atque commeatu recreat. 23.38
Lanſaimum in Caroli V. poteſtatem reductum. 24.28
Langeus Franciſci I. legatus calumnias in herum ſuum imprudenter coniectas diluit. 21.40
Vir doctus. 23.19
Prope Lugdunum expirans. 23.19
Langinga Cæſari dedita. 24.28
Lanoio Franciſcus I. Galliarum Rex deditus. 18.24
Cur Clemens Pontif. Max. de Lanoio conqueratur. 18.34
Piſcarius cur aduerſus eum indignatus. 18.37
Lanoius Monterium Comitem vinculis eximit. 19.20.& 21
Quibus conditionibus cum Clemente Pontif. pactus. 19.23
In quam ſententiam cum Ferrarienſi legato conuenerit. 19.13
Cædis Caroli Borbonij cur ſuſpectus. 19.26
Caroli Lanoij mors. 19.42
Lantgrauius à Carolo V. proſcriptus. 24.21
Carolo bellum indicit. 24.21.& 23
Vt in Sulmonenſis principis equites inciderit. 24.21
Lantgrauius noctu fuga ſibi conſulit. 24.29
Ad Carolum V. deductus. 24.42
Guntherodi Cancellarij pro hero ſuo oratio. 24.42
Lateranenſis Concilij initium. 13.38
Lateranenſe concilium vt verum à Cæſare agnitum. 14.3
Laualla matrona nobilis magnæ apud Britannum auctoritatis. 4.31
Annam eius filiam fratri Alebreto in vxorem dari omni ope procurat. 4.35
Lauernadeus Neapolitanæ arci à Mompenſerio præeſſe iuſſus. 6.21
Laüicanus ager, quis. 10.2
Laurentij Medicei occidendi munus cuinam demandatum. 4.6
Sacras Lithurgias celebrans inuaditur, & vulneratur. ibid.
Conſpirantes ſupplicio afficiendos curat. ibid.
Franciſcum, & Renatum Paccios. ibid.
Monteſiccum. ibid.
Laurentius Mediceus Neapolim pacis promouendæ ergo nauigat. 4.10
E vita excedit. 15.52.& 16.10
Laurentius Tornabonus Florentiæ captus. 7.37
Cur. ibid.
Laus Pompeia qua ratione in Venetorum poteſtatem redacta. 19.2
Vaſtius Venetos Laude Pompeia expellere nequicquam aggreſſus. 19.2
Laus Pompeij fruſtra ab Henrico Brunſuicenſe tentata. 20.6
Lautrecius vulneratus. 13.11

Digitized by Google

Lautrecius Veronam vt oppugnet, Veneti auctores. 15.37
Verona per Lautrecium Venetis reddita. 15.39
Lautrecius Parmæ ſuppetias ferre iuſſus. 16.45
Peruicacis ingenij dux. 16.46
Parmam fruſtra tentare aggreſſus. 16.52
Mediolanum ad deditionem fame cogi poſſe exiſtimat. 17.5
Leſcuto regiam pecuniam deferenti auxiliares copiæ à Lautrecio miſſæ. 17.6
Ticini occupandi ſpe fruſtratus. 17.7
In Gallias redux Franciſco I. ſe purgare cupiens, ab eodem immeritò reiicitur. 17.12
Ludouica Sabaudiana cur Lautrecio infeſta. 17.12
Eum Heluetij ad pugnam inuitum compellunt. 17.7
Lautrecij dolus ab hoſtibus cognitus. 17.9
Lectorium à Ludouico XI. capitur, & incenditur. 2.36
Lecum oppidum. 8.15
Legati Turcarum Galliis excedere iuſſi *vide* Turcæ.
Legati munere abutitur Antonius Fonſeca. 6.6
Legati Ferdinandi Neapolitani Gallia, vt hoſtes excedere iuſſi. 5.14
Item & Florentinæ Reipublicæ legati. 5.17
Legatis externarum nationum ratò vtendum. 12.6
Legati Pariſienſes ad Carcellenſem. 1.31
Legatorum licentia, & immunitas. 27.14
24. Legati Ferdinandi Gonzagæ iuſſu in crucem acti. 22.29
Legationem Romæ obtinere, quid ſit. 9.47
Legationis Gallicæ nomine quid intelligendum. 20.30
Legis Salicæ duo præcipua capita. 29.55
Lemniaci per Ambaſianum oppugnatio. 12.2
Vrbis deditio. 12.3
Leo Pontifex Maxim. Iulij Pontif. ſucceſſor. 14.13
Leonis de conſtituenda pace toto Chriſtianiſmo edictum. 14.16
Quibus artibus Ferdinandus Hiſpanus Leonem ad Mediolanenſium propugnationem pertrahere conatus. 14.17
Leo Mediolanenſis Ducatus Sfortiæ conſeruandi cupidus. 14.19
Piſani conciliabuli abolitionem apud Ludouicum XII. omni ope procurat. 14.28
Pacificatio inter Cæſarem ac Rempub. Venetam ſeriò ab eodem Pontif. Maxim. inſtitui cœpta. 14.36
Quid eum impulerit Heluetiorum cum Ludouico reconciliationem procurare. 14.48
Cur Venetos Cæſari reconciliari deſideret. 14.50
Item cur Ludouici XII. matrimonium cum Maria Angliæ Regis ſorore auerſatus. 14.52. & 53
Leonem inter, Maximilianum, Ferdinandúmque Hiſp. ſocietas. 14.54
Mutina Leoni Pontif. oppignerata. 14.56
Leo Nouarianæ victoriæ cauſa. 14.60
Franciſcus I. Gallorum Rex Leonem ad ſuas partes traducere nequidquam aggreſſus. 15.5
Proſpero Columna capto pacem poſtulat. 15.11
Paulò poſt Franciſci hoſtis deprehenditur. 15.13
Pax inter Leonem, & Franciſcum I. vt ſtabilita. 15.21
A Leone pacis capita rata habentur. 15.22
Leonis cum Franciſco I. congreſſus. 15.27
Concordata inter Leonem ac Franciſcum I. in Senatu Pariſienſi rata habentur. 15.39
Lautrecius Leoni ſuppetias à Franciſco I. ferre iuſſus. 15.43
Ludouicæ Sabaudianæ querimoniæ de Leone Pontif. Max. 15.43
Societas inter Leonem, & Franciſcum vt renouata. 15.43
Alphonſi Petrucij aduerſus Leonem coniuratio. 15.48
Leo Principes omnes Chriſtianos ad ſacri belli expeditionem enixè hortatus. 16.1
inuadendi Turcæ viæ & rationes diſcutiuntur. 16.2
Sex Heluetiorum millibus ſibi præſidij loco futuris vſus. 16.22
Leonis de Franciſco I. querimoniæ. 16.41
Mors. 16.51
Leodium. Leodienſes *vide* Eburones.
Leonardus Velſius cur in Comaram inſulam deſtinatus. 23.6
Leonardus Triſſinus Patauij præfectus. 11.21
Leonicum Hanauenſi deditum. 11.1
Leſcunus Aquitani domeſticus de heri ſui mortis auctore inquirens. 2.34
Magnis muneribus ad Ludouicum XI. pertrahitur. 2.37
Leſcuti in expugnanda Nouaria generoſitas. 17.7
Eidem Regiam pecuniam deferenti auxiliares copiæ à Lautrecio miſſæ. 17.6
Contra Leonem Pontif. quicquam mouere à Franciſco I. prohibetur. 16.40
A Franciſco I. reprehenditur quòd de Cremona dedenda præcipitantius pactus fuerit. 17.13
Leſparrus Salentinis præeſt. 6.21
Letha portus Edimburgo vicinus iubente Iſabella obſidetur. 28.54
Diſſenſio inter Gallos duces exorta. 28.55
Letherica pugna. 1.21
Leuæ Abbiatum deditum *vide* Antonius Leua.
Leua Mediolanenſes inſoleſcentes compeſcit. 19.1
Lex Voconia, quid. 17.44. & 4.6
Liberotus Firmanus. 9.13
Librafactam Ferretus ſexcentorum Gallorum peditum præfectus vt expugnarit. 6.20
Librafacta qua ratione à Piſanis capta. 8.39
A Paulo Vitellio occupata. 8.8
A Florentinis capta, & direpta. 11.12. & 16
Libri Lutheri publicè flammis addicti. 16.18
Liburnum à Thama Fregoſio venditum. 6.3
Liburnum ab Imperatore Maximiliano nequidquam tentatum. 7.32
Liceſtriana familia quæ. 1.29
Anglia pulſa. 2.26
Ad Burgundum confugit. ibid.
Lignium Carolo V. deditum. 24.1
Carolo VIII. auctor vt Ludouicum Sfortiam apud ſe retineat. 5.29
Liguria bis in Gallorum poteſtatem redacta. 8.17
Ligures rerum nouarum cupidi. 5.19
Liguriæ inuadendæ occaſio peropportuna Gallis oblata. 7.27
Liguſticum bellum. 4.16
Liguſticæ expeditionis exitus Gallis infelix. 6.37
Liladamus Rhodiorum equitum magiſter. 17.18
Hiſpanis periclitantibus ſuccurrit. 17.25
Breſſolus ad acceleranda auxilia Neapolitana à Liladamo miſſus. 17.27
Rara Liladami diligentia. 17.28
De deditione pertractat. 17.31.32. & 33
Illius edictum. 17.33
Solymani ad Liladamum ſermo humanitatis plenus. 17.34
Pecunias oblatas, vt Solymani partes tueretur, accipere renuit. 17.35
Cretam traiicit. 17.35
Lilia punicea Florentinorum inſignia. 5.37
Lillenſis Cardinalis, Briſſonneti frater. 7.14
Lipſia ab Saxone Electore obſidione cincta. 24.50
Liquentia fluuius. 8.30
Lites vulgari ſermone quando in Gallia explicari cœptæ. 4.23 8.10
Lites in Gallia quam frequentes. 14.20
Liuiani virtute Cremona capta.

Hiſpanorum

Hiſpanorum Poctidia in apertum vitæ diſcrimen adductus. 14.57
Liuiani incredibilis diligentia in muniendo Patauio. 14.26
Ateſte oppidum ab eo captum, 14.57.& 58
Liuianus ad Campiliam Florentinos inuadit. 10.18
Loci difficultate non vi, ab Hercule Bentiuolo in fugam verſus. ibid.
Liuiani cum Germanis ad Cadurianam vallem conflictus. 11.2
Liuianus Germanos delet. ibid.
Varias vrbes occupat. ibid.
Cremonſam. ibid.
Goriciam. ibid.
Cur aduerſus Senatum Venetum indignatus. 11.13
Liuianus Venetorum Dux in pugna Abduana captus. 11.13
Liuianus Cadurianam arcem expugnans. 11.2
Liuianus Florentinorum fines inuadendi cupidus. 10.17
Natura rerum nouarum ſtudioſus. ibid.
Ad Campiliam ſuperatus. 10.18
Eiuſdem mors,& funus. 15.24
Lixæ Gallorum in Foronouano prælio non omnino inutiles. 10.31
Locuſtæ infinitæ in Italiam ab Oriente conuolantes, aduentum Turcarum portendere nonnullis viſæ. 23.14
Londinum in Varuici poteſtatem,vt venerit. 2.30
Quid cauſæ ſit, cur Londinenſes tam facilè ad Eduardum defecerint. 2.32
Loredanus Venetorum legatus *vide* Antonius Loredanus.
Lornaius Helueticæ linguæ gnarus, Heluetiorum coniurationem Carolo VIII. detegit. 7.7
Loſana à Carolo Burgundo occupata. 3.17
Lucanorum cuſtodia Franciſco Alegrio credita. 6.21
Luceburgum à Leodiis obſeſſum. 2.3
Claudio Gniſano deditum. 25.15
Denuo obſeſſum. 23.35
Obſeſſi ſe dedunt. ibid.
Franciſci I. iuſſu munitum. 23.35
Luceburgum per Gulielmum Fuſtembergum circumſeſſum. 24.1
Captum. ibid.
Commercium Luceburgi exemplum ſecutum. 24.1
Item & Lignium. 24.1
Sitne Luceburgum tentandum variæ ſententiæ. 28.14
Luceburgenſium gentilitius ſplendor. 2.39
Luceburgenſi equitũ magiſtro quid potiſſimum mortem attulerit. 2.39
Ludouico XI. & Carolo Burgundo ſuſpectus. 2.38.& 39
In conuentu, Bouinis habito læſæ Majeſtatis reus declaratus. 2.39
Noua arte vſus vt Ludouicum ad ſe pertrahat. 2.39
Cum Ludouico inter Nouiodunum, ac Feras armatus congreditur. 2.40
Cum Dommartiniano reconciliatur. 2.40
Nouiodunum cum Rege concedit. 2.40
Quintini fanum occupat. 2.39
Eius inſolentia vnicuique grauis,& moleſta. 2.41
Vxoris morte affligitur. 3.5
Eiuſdem filius comprehenditur. 3.5
Quintini fanum Burgundioni reſtituere promittit. 3.5
Sed ſolitis diſſimulationibus eludit. 3.6.& 7
Se per Creuillanum de nõ tradito Quintini fano apud Burgundionem excuſat. 3.6
Detegitur eius in Burgundum perfidia. 3.8
Qua ratione. ibid.
Eduardum Ludouici promiſſis non ſtare hortatur. 3.9
In eius mortem à variis conſpiratur. 3.11
A Ludouico XI. 3.11
Ab Eduardo. ibid.
A Burgundo. ibid.
Ad Burgundionem publica fide adire rogat. 3.12
Quintini fano interea temporis excluſus. ibid.
Burgundi mandato vinculis traditus. 3.12
Peronam deducitur. ibid.
A Borbonio notho, Amyralio traditus,& ab eodem Lutetiam deductus. ibid.
Ante ædes publicas capite plectitur, læſæ Majeſtatis reus conuictus. 3.14
Luceburgenſes portas Federico Imperatori recuſant. 2.36
Lucenſes cum Florentinis fœdus ineunt. 11.9
Lucenſes à Piſanis in auxilium aduerſus Florentinos accerſiti. 6.3
Lucenſes inter, & Florentinos pax perpetua pronuntiata. 14.37
Lucius Maluetius. 7.12
Quàm ignauus. 12.11
Lucius Sabellus Dux Florentinus Lucenſem agrum deuaſtans. 10.16
Ludæus Fonterapidum aduerſus Hiſpanos ſtrenuè, ac laudabiliter propugnat. 17.16
Ludæus auxilia Duacenſium Atrebatenſibus ſubmiſſa, fundit, delétque. 3.28
Ludouico XI. familiaris. 4.13
Ludouicus eius nominis Galliarum Rex XI. 1.3
Illius natura, ac indoles. ibid.
Rhemis Regiis ſacris initiatus. ibid.
Philippi Burgundionis Ducis prudentia ad eumdem monita. 1.3
Ante adeptum ſceptrum in Delphinatum ſecedit, ibíque regiam erigit. 1.n.1
Caroli patris exercitum reformidans ad Philippum Burgundum profugit. ibid.
Quæ cauſa, & origo ſimultatum inter Carolum patrem,& Ludouicum filium. ibid.
Funeris paterni expenſas Tanneguio Caſtello repræſentat. 1.1
Carolo patri ſuccedit. 1.3
Ad Turones proficiſcitur. 1.4
Ioannem Alençonium à vinculis eximit. 1.4
Margaritæ Andegauenſi Anglorum Reginæ auxiliares copias ſubminiſtrat 1.4
Magdalenam ſororem Gaſtoni Comiti Fuxio matrimonio coniungit. 1.5
Ruſcinonenſem Comitatum ſibi oppignerari permittit. 1.5
Normaniæ adminiſtrationem Carcellenſi confert. 1.4
Cum Henrico Caſtulonenſe congreditur. 1.6
Hiſdinum ad Burgundionem accedit. 1.9
Graues cum Carcellenſe inimicitias gerit. 1.11
Earumdem origo. 1.11
Rothomagi conuentum indicit. 1.13
De Carcellenſe per Moruillerium apud Philippum conqueritur. 1.13
Se nullum Rubripratenſi de Carcellenſe comprehendendo mandatum dediſſe, affirmat. 1.13
Britannum ducem ſuſpectum habet. 1.13.& 14
Ad illum legatos mittit. 1.14
Legationis quatuor capita præcipua. ibid.
Ludouici ſumma in reos læſæ Majeſtatis clementia. 1.16
Ioannis Borbonij liberior epiſtola ad eum miſſa. 1.16.& 17
Britanno copias ſuas opponit, fratrem multis pollicitationibus reuocare nequicquam aggreſſus. 1.17
Nemorenſem morte damnari iubet,& cur. 1.17
Debeátne cum Carcellenſe confligere in diſceptationem adducit. 1.19
Pugnat ad Lethericum. 1.21
In conflictu inuictum ſe, periculorúmque contemptorem præbet. 1.23
Quot è ſuis poſt certamen deſiderarit. 1.23

Apertum vitæ diſcrimen ſubit. 1.22.& 24
Nimiæ præcipitantiæ inſimulatus. 1.24
Pro occiſo habitus. 1.22
Pariſios regreſſus 18. conſiliarios ſibi depoſcit, & cur. 1.28
In Normaniam proficiſcitur. 1.28
Quadrigario infenſus, quare. 1.32
Auxiliares copias à Sfortia accipit. 1.33
Pariſienſium legationem ad Carcellenſem ſibi haud acceptam fuiſſe oſtendens. 1.32
Lutetiæ defectioni, quam ſummopere reformidabat, quomodo occurrat. 1.32
Milites ſuos in colloquium cum hoſte venire vetat pœna capitis indicta. 1.34
Carcellenſis, & reliquorum coniuratorum poſtulata repudiat. 1.36
Eius cum Carcellenſe colloquium. 1.38
Quas conditiones Carcellenſi proponat. 1.38
Carcellenſem in ſuam poteſtatem redactum, ad ſuos illæſum humaniter remittit. 1.39
Quibus conditionibus cum eodem, & coniuratis conueniat. 1.40
Carcellenſis exercitum admiratur. 1.41
Cum eodem ad villam Bellam per tres dies communicat. 1.41
Exercitu comparato Normaniam ingreditur, multáque oppida, & arces recipit. 1.42
Cum Eburonibus ſocietatem coit. 2.3
Burgundionem cur à Britanni ſocietate auocare ſtudeat. 2.11
Copias in Britannum inſtruit. 2.11
Ad turris cuiuſdã conſpectum de ſua libertate actum eſſe putat. 2.14
Quare. ibid.
A Philippo Cominæo arma in Eburones cum Burgundo ſumere inducitur. 2.15
Eumdem Cominæum ad ſe pellicit. 2.15
De vita in agro Eburonico periclitatur. 2.15
Peronæ in cuſtodia habitus. 2.20
Aquitaniam Carolo fratri offert. 2.20
Ex agro Eburonico in Gallias reuertitur. 2.19
Galliarum ordines ad Turones conuocat. 2.21
Quem in finem, variæ coniecturæ. 2.22
In Burgundionem duos ingentes exercitus educit. 2.23.& 24
Cum illo annuas inducias paciſcitur. 2.24
Filium Ambaſiæ, qui poſtea Carolus VIII. fuit, obtinet. 2.27
Cur Galliarum Reges Michaëlis inſigne geſtant, auctor. 2.29
Quibus artibus in ſe conſpirantes diſſociarit. 2.33
Fœdus cum Burgundo iureiurando ſancit. 2.34
Lectorium vi captum ferro, flammáque vaſtat. 2.36
Aquitaniam ſui iuris facit. 2.35
Britanniam minorem ad Gallicũ ſceptrum adiicit. 2.33
Qua induſtria Vademontanum comprehenſum eximere tentet. 2.36
Cum Britanno fœdus init. 2.36
Leſcunum virum prudentem ad ſe traducere ampliſſimis muneribus ſtudet. 2.37
Viros fortes, & induſtrios pro theſauro habuit. 2.37
Luceburgenſi infenſus. 2.40.& 41
Cum illo inter Nouiodunum, & Feras agit. 2.40
Inducias ſemeſtres cum Burgundo init. 2.43
Atrebates ferro ignéque vaſtat. 2.46
Propinquum Burgundionis fuiſſe conficitur. 3.1
Illius dotes tum corporis, tum animi recenſentur. 3.1
Tronquoiam arcem expugnat. 3.5
Deſiderianis, Roia, Corbia deditione captis, & incenſis. 3.5
Luceburgenſi Auennas circumſedere mandat. 3.5
Anglorum poſtulata, promiſſáque ei grauia, & moleſtiora viſa. 3.8
Cum iiſdem inducias ad 9. annos ſancit. 3.9
Quibus legibus. ibid.
Luceburgenſis in Burgundum perfidiam vt detegat. 3.8
Cur moleſtè ferat Eduardum Pariſiis inuitatum. 3.10
Cum illo ad Piquiniacum pontem colloquutus. 3.10
Rapinium Luceburgenſis legatum inſigni ironia eluſit. 3.11
Veruinas profectus Bouinianas conuentiones aduerſus Luceburgenſem renouat. 4.11
Quintini fanum recipit. 3.12
Quid cauſæ ſit cur Ludouicus Eduardum nolit Pariſios inuiſere. 3.10
Tribus maximè de cauſis bellum Gallicum ſuſcipit. 3.11
Militaris laboris impatiens. 3.34
Burgundo Baſſi perfidiam fideliter detegit. 3.13
Vt prælij Granſoniani exitum propius contueatur, Lugdunum accedit. 3.19
Cum Renato auunculo Siciliæ Rege de omnibus controuerſiis conuenit. 3.20
Margaritam ſororem Roueriana arce eximit. 3.22
Renato Lotharingo pecuniam in bellum aduerſus Burgundum ſubminiſtrat. 3.23
Regni Caſtulonenſis arbiter ſtatuitur. 3.23
Mortis Burgundi certior efficitur. 3.26
In Picardiam Cominæum, & Borbonium nothũ Amyralium amandat, vt quam plurimas vrbes, & arces poſſint, ſibi ſubiiciant. 3.26
Rebus Gallicis melius conſulturus, Mariam Burgundi filiam Delphino in matrimonium collocare debuerat. 3.27
Mariæ legatos Peronæ ad ſe miſſos in ſuas partes traducere laborat. 3.27
Atrebatum ſibi dedi promiſſis, & muneribus oblatis poſtulat. 3.27
Variis oppidis Atrebato vicinis potitus. 3.28
Queſnoio. 3.28
Bocaino. ibid.
Hiſdino. ibid.
Condæo. ibid.
Gandauenſibus rebellionis anſam præbet. 3.29.& 30
Odium Mariæ Burgundæ incurrit. 3.30
Oliuarium Daman tonſorem legatum ad Gandauenſes mittit. 3.32. *loco* 23
Ipſius opera Tornacum occupat. ibid.
Legatum eumdẽ nunquam bis ad Eduardũ mittit. 3.34
Quare. ibid.
Magni conſilij fuit. 3.34
Renconeti Malannoij arcis præfecti mortem acriùs vlciſcitur. 3.37
Heluetio milite quando vti cœperit. 3.38
Burgundiæ adminiſtrationi Cranum præficit. 4.1.& 2
Deinde Carolum Ambaſianum. 4.2
Cuius diligentia vtraque fere Burgundia in illius poteſtatem redacta. ibid.
Eidem vires maiores ſubmittit. 4.3
Vt Sixtum IV. Pontificem Max. Florentinis mitiorem reddat, Gallorum Epiſcoporum concilium Aureliæ cogit. 4.8
De fœdere cum Maximiliano Auſtriaco ineundo, ætate iam ingraueſcente cogitat. 4.11
In morbum incidit. 4.12
In morbo amicos proprios ſuſpectos habet. 4.12
Quare. ibid.
S. Claudij peregrinationem ſuſcipit. 4.14
Aduerſus Philippum Sabaudum Breſſanum Comitem exercitum cogit. ibid.
In morbum relapſus, ad Pleſſiacam arcem Turonibus ob gratam inibi aëris temperiem, ſe recepit. 14.15
Inibi vndique remedia morbo vrgenti perquirit, Franciſcum Calabrum Calabria acceſſit, muſicos 120. circum ſe habens. ibid.

Morbum

Digitized by Google

Morbum omni ope diſſimulans. 4.17
Principibus ſuis etiam ſemimortuus eſt terrori. 4.17
Exercitum in Belgium duce Philippo Crepecordio immittit. 4.16
Cum Richardo regni Anglici impio vſurpatore,& tyranno amicitiam nullam habere vult. 4.20
Eiuſdem monita vltima ad Carolum filium. 4.21
Turcarum legatis Galliis excedere præcipit. 4.23
Eiuſdem mandato controuerſiæ ciuiles vulgari ſermone explicari cœptæ. 4.23
In morbum deintegro recidiuus à Theologis de morte imminente admonetur. 4.24
Nomen *mortis* perhorreſcit. 4.24
Moritur tandem 61. annum ingreſſus. 4.25
Nec ita multò poſt eiuſdem vxor Charlota Sabaudiana Ambaſiæ vitam edidit. ibid.
Hoc apophtegma filio ſuo reliquit: QVI NESCIT DISSIMVLARE, NESCIT REGNARE. cur externo milite vti ſolitus. 7.7
Ludouicus Arſius. 6.12
Dux ſtrenuus. 7.14
Caietano fœdere vti dedignatus, in Galliam reuertitur. 10.11
Eiuſdem Neapoli in Galliam reditus. 10.11
Ludouicus Aurelianus Gallicæ claſſis præfectus Arragoniam claſſem in fugam vertit. 5.20
Nouariam occupat. 6.24
Recuperandæ Mediolanenſis ditionis (quam ſibi hæreditario iure vendicabat) occaſione ſibi oblata vti neſcius. 6.24
A Ludouico Salaſſorum duce auxiliares copias accipit. 6.24
Nouariæ incluſus ad extremam rerum omnium penuriam redigitur. 6.3
Ab Italica expeditione, Grauillæ Amyralij aſtutia reuocatur. 7.27
Ludouicum Aurelianum Ioannæ ſororis virum Carolus VIII. claſſi ad expeditionem Italicam inſtructæ præficit. 5.17
Ludouicus Aurelianus regni procurationem Annæ Caroli ſorori commiſſam ægrè ferens, cum aliquot ſuæ factionis hominibus ad arma concurrit. 4.2
Reus læſæ Majeſtatis declaratus. ibid.
Ab Aurelianenſibus in vrbem cum armatis ingredi prohibitus. ibid.
Tandem cum Rege conuenit. ibid.
Ad Britannum accedit. 4.30
Odium in Albretum concipit. 4.34
In prælio contra Trimullium captus. ibid.
Emiſſus. 4.38
Ludouicus Aurelianus Longauillanus vita functus. 21.43
Ludouici Auogarij coniuratio. 13.20
Ludouicus Borbonius Eburonenſis Epiſcopus. 3.29
A Gulielmo Marchiano interfectus. 3.29
Ludouicus Badoerius Venetorum legatus, quorumdam perfidia à Solymano male mulctatus. 22.40
Ludouicus Creuillanus. 3.6.& 8
Eius petulantia. 3.8.& 9
Ludouicus XII. Galliarum Rex *pater patriæ* dictus. 2.45. & 8.1. & 14.61
Caroli VIII. ſucceſſor. 8.1
Caroli Aurelianenſis filius. ibid.
Se Hieroſolymorum, & vtriuſque Siciliæ Regem, Mediolanenſémque Ducem inſcribit. 8.1
Ad bellum Mediolanenſe ſe accingit. 8.10
Illius in miſeram plebem ſumma humanitas. ibid.
Senatus varios inſtituit. 8.10
Rothomagi. ibid.
In prouincia Phocenſi. ibid.
Cum Ioanna Ludouici XI. filia diuortium facit. 8.10
Annam Britannicam Caroli viduam vxorem ducit. 8.10
Cum Alexandro Pontifice ſocietatem iurat. 8.12
Quomodo. ibid.
Item & cum Maximiliano Imperatore. 8.15
Quindecim fere diebus Mediolanenſem principatum recuperat. 8.27
Romani Pontificatus vicarios vrbibus occupatis expellere admonetur ab Alexandro Pontifice. 8.29
Qua celeritate Mediolanenſium defectioni occurrat. 8.34
Quid illum à bello Neapolitano ſtatim poſt Mediolanenſem victoriam ineundo retardarit. 8.37
Non debuerat regnum Neapolitanum cum Ferdinando Hiſpano partiri. 9.2
Eiuſdem copiæ ad regnum Neapolitanum pergentes. 9.3
Cur Ludouicus cum Maximiliano pacem inire tantopere ambiat. 9.8
Principum Italiæ ad Ludouicum Aſtæ degentem ingens confluxus. 9.15
Ludouici in Gallias reditus. 9.17
Cur Ludouicus Valentini Borgiæ hoſtes deprimi, & non omnino perire deſideret. 9.24
Valentini ambitio Ludouico ſuſpecta. 9.24
Quantis animis Ludouicus ad renouandum, reſtaurandúmque bellum Neapolitanum incumbat. 9.34
Hiſpanorum legatis infenſus. 9.34
Quare. ibid.
Ludouicus duobus ex capitibus iure quod in regnum Neapolitanum ſibi vendicabat, cedere ægrè adducitur. 10.13
Quibus conditionibus ſocietatem cum Maximiliano Imperatore inierit. 10.13
Ludouicus in grauem & periculoſum morbum lapſus. 10.16. & 17
Ei de Mediolanenſis ditionis beneficiis prouidendi authoritas conceſſa. 10.23
Genuenſes rebelles domat, ſingulari miſericordia in eos vſus. 10.31
Quid Ludouicum impulerit Genua recepta exercitum ſtatim dimittere. 10.33
Coniurat cum Venetis aduerſus Maximilianum Imperatorem. 11.1
Regnum Neapolitanum recuperare deſperat. 10.9
Quibus conditionibus inducias cum Ferdinando pepigerit. 10.10
Pax cum Ferdinando ſtabilita. 10.17
Quibus cauſis adductus Iulio Pontif. auxilia pollicetur. 10.23
Eius encomium. 10.26
Copias aduerſus Sedem Romanam coëgiſſe ſuſpicatus. 10.32
Cur eas dimittit. 10.35
Venetis ſuas vires offert. 10.37
Ad Venetos heraldum, bellum iis denuntiaturum miſit. 11.12
Venetorum reſponſum. ibid.
Per Albertum Pium legatum Iulio auctoritatem Regiam, ac vires offert. 11.49
Ludouicus Florentinos Piſanis infeſtos eſſe moleſtè fert. 11.4
An Ludouicum Maximiliano reconciliari expediret, deliberatum diu in ſanctiore conſilio. 11.5
Pax inter Iulium Pontif. Max. Maximilianum Imperatorem, Ludouicum XII. & Ferdinandum Hiſpanum confirmata. 11.6
Venetos ad Abduam ſuperat. 11.15.& 16
Victoriarum illius curſus & celeritas. 11.16.17.& 18
Controuerſia inter Iulium Pontificem, & Ludouicum oborta. 11.30
Leui de cauſa. ibid.
Pontifici reconciliatus. 11.39
Cur Ferrarienſem aduerſus Iulium Pontificem, aut

quoſuis alios hoſtes tueri obſtrictus. 11.43
Illius propugnationem dimittere indignum putat. 12.5.& 6
Annuam penſionem Heluetiis augere renuit. 12.8
Idcirco Heluetij ab illo deficiunt. 12.8.& 9
Ludouicus erepta ſibi Mirandula ſerio ad bellum ſe accingit. 12.25
Quibus conditionibus Ludouicus ad pacem per Tiburtinum Pontificem Iulij legatum inuitatus. 13.12
Dum Heluetiorum penſiones annuas augere differt, plurimum rebus ſuis Mediolanenſibus nocet. 13.13
Ludouicus Anglorum ad bellum ſe accingentium apparatu vehementer commotus. 13.25
Cæſarem à ſe abalienari procliuem mali ominis ducit. 13.25
Omnium pœnè Principum Chriſtianorum aduerſus Ludouicum coniuratio. 13.27
Ludouicus ad pacem cum Iulio Pontifice Max. ineundam propenſus. 13.39
Heluetiorum aduerſus eum inimicitiæ. 13.41
Reconciliationis inter Ludouicum ac Venetos ſpes iniecta. 13.9
Cur Ludouicus Heluetiorum ſocietatem præ cæteris ambiat. 14.10
Ad Germanorum Venetorúmque ſocietatem coactus ſe conuertere. 14.10
Ludouicus ad bellum Italicum reſumendum accenditur. 14.15
Fœdus quibus articulis inter Ludouicum ac Venetos percuſſum. 14.16
Quid Leonem Pontificẽ impulerit Heluetiorum, cum Ludouico reconciliationem procurare. 14.48
Ludouicus ſeriò de filiæ matrimonio cum Ferdinando agere proponit. 14.49
Diuionenſi fœdere ſe grauiter læſum cõqueritur. 14.51
De matrimonio Ludouici, & Mariæ Henrici Angli ſororis agi cœptum. 14.52
Ludouici ac Mariæ Anglicæ matrimonium cur auerſati. 14.52
Tricarenſis Pontifex à Leone ad Ludouicum quam ob rem deſtinatus. 14.52
Pax inter Ludouicum & Henricum concepta, & quibus legibus. 14.53
Matrimonium Ludouici confirmatum. ibid.
Ludouici Gallorum Regis mors Lutetiæ. 14.61
Eius inſignes virtutes breuiter attinguntur. ibid.
Ludouicus Fregoſius Serazanam Piſani agri oppidum intercipit. 4.10
Ludouicus Heluiorum Epiſcopus Ambaſiani frater. 4.13
Ludouicus Luceburgenſis Burgundiæ Mareſchallus. 1.39
Carcellenſem acrius obiurgat. ibid.
Cur. ibid.
Somonenſia oppida clam ad rebellionem concitat. 2.21
Belli inter Regem, & Burgundionem auctor. 2.23
Inducias inter vtrumque fruſtra impedire molitur. 2.24
Copiis Ludouici XII. Galliarum Regis præeſſe iuſſus. 8.21
Ludouicus Martianus Ranutij frater captus. 7.30
Ludouicus Sfortia exul Dortona occupata, Mediolanenſem adminiſtrationem inuadere aggreſſus. 4.10
Carolum VIII. in Italiam euocat. 5.1. & 5
Quare. ibid.
Vnde nam Maurus vulgò dictus. ibid.
Arcani inter Ferdinandum Neapolitanum, ac Petrum Mediceum fœderis iurati nuntio accepto, mirum in modum angitur. 5.3
Quibus rationibus Alexandrum Pontificem in Ferdinandum Neapolitanum & Virginium Vrſinum accendere molitus. 5.4
Ingentem pecuniæ ſummam Alexandro mutuo dat. 5.4
Ferdinando Neapolitano vt Virginium Pontifici Alexandro reconciliet auctor. 5.4
Cum Alexandro & Venetis ſocietatem iurat. 5.5
In Ioannem Galeatium Mediolanenſium regulum iniquus. 5.5
Mediolanenſibus omnibus exoſus. 5.6
Quibus artibus Ferdinandum Neapolitanum eludat. 5.11
Alexandrum Pontificem. 5.11. & 12
Petrum Medicem. ibid.
Quem in finem Maximiliani Imperatoris cum Blancha Galeatij reguli ſorore matrimonium procurat. 5.12
Societatis inter illum & Carolum VIII. initæ, capita recenſentur. 5.13
Iſabellæ Alphonſi Neapolitani filiæ nuptias iniuſtè ambiens reiicitur. 5.14
Beatricem Herculis Aceſtini Ferrarienſis Marchionis filiam vxorem ducit. 5.14
Bellum Neapolitanum per Galeatium Seuerinatem promouere in Galliis ſtudet. 5.17
Belli Cum Neapolitanis initium facit. 5.19
Gaſparem Seuerinatem, & Antonium Mariam fratres Genuam immittit, vrbem in fide ſua contenturos. 5.20
Carolum Aſtæ ob morbum decumbentem inuiſit. 5.25
Quæ cauſa eum compulerit Carolum VIII. ad Neapolitanam expeditionem euocare. 5.25
Illius fides & ſubdola natura apud Gallos meritò in ſuſpicionem adducta. 5.26
Acriores idcirco in Petrum Medicem inimicitias exercet. 5.26
Eiuſdem apud Carolum VIII. detentio, via erat ad regnum Neapolitanum expeditiſſima. 5.29
Qua ratione *Ducis Mediolanenſis* nomen & inſignia vſurparit. 5.29
Seditionem inter Piſanos concitari per Galeatium Seuerinatem procurat, vt Piſis hac occaſione facilius potiatur. 5.34
Gallorum in regno Neapolitano felicitate perculſus rebus ſuis timere incipit. 6.16
De pellendo Carolo regno Neapolitano, cum ſummo Pontifice, Maximiliano Imperatore, ac Venetis conſpirat. 6.18
Captæ per Aurelianum Nouariæ certior factus, lacrimis obortis à Venetis ſubſidium ſupplex expoſcit. 6.24
Caroli VIII. reditum in Gallias intercludere molitus. 6.29. & 30
Beatricis vxoris conſilio Mugniis caſtrametatus. 6.2
Quibus legibus cum Carolo VIII. conueniat. 7.6
Ad Carolum inuiſendum inuitati reſponſum. 7.7
Fœderis cum Carolo iurati nonnulla capita ſimulatè præſtitit, ne ſe hoſtem publicè profiteretur. 7.11
Carolo reconciliari deſiderat, ſed id præſtare ſe tuto poſſe diffidit. 7.18
Maximilianum Imperatorem in Italiam ſibi opem laturum euocat. 7.28
Cur Piſas Maximiliano committi cupiat. 7.29
Piſas in Venetorum poteſtatem conceſſiſſe quàm moleſtè ferat. 7.36
Sfortia Venetorum hoſtem ſe detegit. 8.4
Vt Carlota Regis Federici filia Cæſari Borgiæ matrimonio iungatur omni conatu inſiſtit. 8.5
A Baiazete Turcarum Imperatore opem expoſcit. 8.22
A Florentinis. 8.22. & 23
A Ferrarienſi. 8.22. & 23
Sed fruſtra. ibid.
Illius exercitus aduerſus Ludouicum XII. Galliarum Regem. 8.23
Oratio ad Mediolanenſes. 8.24
A Calatino proditus. 8.25
E Mediolano ſe proripit. 8.27
Illius theſauri, & pretioſior ſupellex in Germaniam aſportantur. 8.26
Poſt diſceſſum Mediolanenſium ac omnium pœnè reliquarum totius principatus vrbium deditio Gallis facta

Digitized by Google

cta. 8.27
A Bernardino Curtio ſumma ingratitudine & perfidia proditus. 8.27
Vt Mediolanum recuperet, omni ope inſiſtit. 8.32
Nouariam oppugnat. 8.33
A Venetis auxilium fruſtra poſtulat. 8.33
Item & à Florentinis. 8.33
Heluetiorum more indutus, agnoſcitur, agnitus vinculis traditur. 8.34
Lugdunum ad Ludouicum XII. deducitur; inde Lochias in perpetuum carcerem relegatus. 8.36
Eidem penſio annua in Galliis qua cõditione aſſignata. 9.9.
Ludouica Sabaudiana mater Franciſci I. cur Lautrecio infeſta. 17.12
Inter eam & Regem Anglum fœdus percuſſum. 28.33
Regni Gallici adminiſtratio illi commiſſa. 14.8
Vltionis nimium auida. 16.47
Mors illius. 20.38
Ludouicus Salaſſorum dux Aureliano Nouariam ingreſſuro auxiliares copias mittit. 6.24
Ludouicus Trimullius Burgundiæ prætor in Picardiam miſſus. 17.17
Vrbes in ea præſidiis firmat. 17.17
Hiſpanis ſe opponere reformidat. 17.52
Eum Carolus VIII. cum Alexandro Pontifice conuenire exoptans, Romam totum negotium promoturum mittit. 5.38
Eiuſdem victoria de Britannis. 4.34
Rhedones ad deditionem hortatur. 4.34
Ludouici Trimullij prudens conſilium malè à cæteris Gallis ducibus improbatum. 18.20
Ludouicus Trimullius *vide* Trimullius.
Ludouicus Valdræius. 8.32
Lugdunum per Caluinianos qua ratione interceptum. 29.45
Tauannij ambitio quo minùs receptum nõ fuerit, cauſa. 29.46
Cur Lugduni arx exædificari iuſſa. 30.27
Lumiarum arcis deditio *vide* Arx Lumiarum.
Luſarnum oppidum captum. 9.28
Luſitaniæ Regis controuerſia de regno Caſtulonenſi cum Ferdinando Tarraconenſi. 3.23
Lutetiæ Caluiniſmus quando publice exerceri cœptus. 29.34
Lutetiæ pons ligneus, cui 60. priuatæ ædes impoſitæ erant, ad Mariæ ædem extructus in Sequanam collapſus. 8.29
Lutetiam trepidatio inuadit, & cur. 24.5
Lutetiæ edictum proclamatum quo deferri pecuniam Romam pro beneficiis vetatur. 25.43
Decretum in nouæ perſuaſionis homines. 25.43
Lutetiam cur Henricus II. muniri velit. 26.26
Lutheri libri Cæſaris iuſſu publicè flammis addicti. 16.18
Lutheri hæreſeon initium. 15.53
in Lutherianos graue Caroli V. edictum. 25.26
Lutheri hæreſiarchæ mors. 24.20
Peſſimi mores. ibid.
Luxus humanarum mentium corruptor. 1.18
Lyris fluuius inter regni Neapolitani pylas merito numerandus. 6.7

M

MAchinarum bellicarum auctoris nomen rectè ſuppreſſum *vide* Tormentum bellicum.
ingens Machina lignea euertendæ arci Pharon extructa, à Gallis vt perrupta. 14.37
Macra amnis Liguriam ab Hetruria diuidens. 5.20
Madritianum fœdus. 18.48. & 53
Mahometes quo morbi genere vitam ediderit. 3.38
Mahometes aduerſus Venetos bellum gerens pro ſingulis cæſorum capitibus ſingulos nummos aureos rependens. 6.27
Mahometes caſtra Germanorum adortus. 23.4
Mahometes Baſſa in Pannoniam irrumpens. 22.60
Vacciam oppidum occupat. 22.60
Peſtum oppugnat, ſed in vanum. 22.60
Iſabellæ Reginæ in Pannoniam auxilio miſſus. 23.2. & 3
Caſtra caſtris opponit. 23.3
Magdalenæ Bononienſis cum Laurentio Mediceo nuptiæ celebrantur. 15.3
Magdalena Laurentij Medicei vxor è partu mortua. 16.10
Magdalena Caroli VII. filia Ladiſlao Hungariæ, Bohemiæque Regi deſponſa. 1.1
Deinde Comiti Fuxio in vxorem tradita. 1.5
Magdalena Franciſci I. filia Iacobo Scotiæ Regi in vxorem tradita. 22.1
Magdeburgenſis ager vaſtatur. 25.28
Bellum aduerſus Magdeburgenſes reſtauratur. 25.29
Magdeburgum à Mauricio obſeſſum. 25.30
Magdeburgenſes Cæſari quibus conditionibus reconciliati. 25.44
Malaſpineus Marchio Verrucolam arcem oppugnat. 7.30
Malcionis Treuiſani oratio pro Sfortia. 8.14
Maldonatus tribunus coniurationis in Rouereum conuictus haſtis confoditur. 15.46
Maleſpina *vide* Bernabos Maleſpina.
Malfactus Gabanellus Foronouano prælio occiſus. 6.31
Malignius Lugdunum occupare cogitans, ne id tentet admonetur. 29.1
Sanctandreanus Mareſchallus Lugduni in ſeditioſos, & eos qui capiendæ vrbis auctores fuerant, inquirit. 29. 2
Maloſſenum per Mombrunum interceptum. 28.60
Maluetius *vide* Lucius Maluetius.
Mamaluchi. 16.1
Manfredus immanis Romani Pontificatus hoſtis. 5.6
Manfredonia & Sipontus, idem. 6.21
Manfredoniæ præfectura Gabrieli Montfalconio demandata. 6.21
Vrbem ignauè dedidit. ibid.
Manfredonia Lautrecio dedita. 19.55
Mantia ſigna Gallica erigit, ſed Perſio difficili, ſuperbóque domino ſubdi verita, denuo Arragonia explicat. 6.16
Mantuanus Florentini exercitus dux ab Alphonſo Neapolitano in fugam actus. 4.9.
Mantuani Principis milites Forononauo prælio fuſi atque proſtrati. 6.31
Mantuanus à ruſtico in Venetorum manus traditus. 11.23
quibus de cauſis Mantuanus in perfidiæ ſuſpicionem venerit. 10.2. & 3
Mantuanus Venetias abductus, in publici palatij turrim coniectus. 11.23
Marathonia pugna qua in re maximè illuſtris. 11.8
Marata oppidum Flaminiam deſpectans, captum à Venetis. 8.8
arcem, Caſtilioniam dictam fruſtra tentant. ibid.
Marcus Antonius Columna cur in Bononienſem agrum immiſſus. 12.39
Marcus Antonius Columna peremptus. 17.5
Marcellus II. in locum Iulij III. Pontif. Max. ſuffectus. 27.1
Moritur 12. die ſui Pontificatus. 27.2
Illius ſucceſſor. 27.2
S. Marcelli ſuburbiũ Pariſiis à Burgundis occupatũ. 1.34
Marcellus Cardinalis legatus Pontificius in Concilio Tridentino. 25.42
Mareſchallorum origo ac munus. 3.14
Quot in Gallia eſſe ſoliti. 3.14
Margarita Andegauenſis, Angliæ Regina auxilium à Ludouico XI. Gallorum Rege poſtulat. 2.27
Eidem auxiliares copiæ à Ludouico ſubmiſſæ. 1.4

rgarita Edoardi ſoror cui in vxorem tradita. 1.29
rgaritæ Franciſci I. ſororis Alençonij viduæ in Hiſpaniam nauigatio. 18.41
rgaritæ Flādricæ matrimonium cum Carolo Delphino, Ludouico XI. à tribus Belgij ordinibus oblatum. 4.18
Quibus conditionibus. ibid.
Nuptiæ celebratæ. 4.22
argarita Henrici VI. Angliæ Regis vidua apud Eduardum captiua. 3.20
argarita Luſitaniæ Regina partus difficultate extincta. 7.38
argarita Parmenſis Philippi edicti ſeueritatem nonnihil mitigat. 30.44. & 45
largarita Sabaudi Ducis vidua quare in cuſtodiam acta à Burgundo. 3.21
Ludouici XI. fratris ſui auxilio emittitur. 3.22
laria Angliæ Regina inauguratur. 26.38
Variæ coniurationes exortæ in Anglia, propter Mariæ cum Philippo Caroli V. filio matrimonium. 26.42
Coniurationis principes plectuntur. 26.42
Maria Burgundi filia legatos ad Ludouicū XI. mittit 3.27
Se omnia ex Hugoneti, Himbercurtiique ſententia adminiſtraturam profitetur. 3.28
Gaudauenſium priuilegia confirmat. ibid.
Aduerſus Ludou. XI. odium concipit inexpiabile. 3.30
Quibus ex cauſis. ibid.
Himbercurtium ac Hugonetum ad ſupplicium à Gandauenſibus iniquè tractos ſibi dedi ſupplex fruſtra rogat. 3.31
Domeſtici, fidique eidem eripiuntur. 3.32. loco 23.
In cuſtodia quodammodo habetur. ibid.
Maximiliano Auſtriaco Federici Imperatoris filio in matrimonium collocata. 3.35
Tribus liberis è Maximiliano ſuſceptis febri extincta. 3.35. & 4.14
Magno ſui deſiderio Belgicis prouinciis relicto. ibid.
Mariæ Henrici Angli ſororis cum Ludouico XII. Galliarum Rege matrimonium. 14.53. & 54
Maria Hungariæ Regina ſoror Caroli V. Auguſtam contendit. 25.29
Eodem Chriſtierna Regis Daniæ filia proficiſcitur. ibid.
Aduerſus Henricum II. arma comparat 25.5
Moritur. 28.20
Maria Ioannis Regis Luſitani filia Philippo Caroli V. filio in vxorem tradita. 23.30
Maria Stuarda Scotiæ Regina Henrico Stuardo in matrimonium tradita. 30.28
Mariamburgum Mommorencio deditum. 26.47
Qua ratione annona Mariamburgum à Niuernenſe importata. 27.10
Mariliacus Viennenſis Archiepiſcopus quam diligens in procurando totius regni conuentu. 28.65. & 66
Quibus malis in regno pullulantibus iſto conuentu occurri velit. 28.67
Regni difficultates ad trium ordinum conuentum referri debere conficitur. 28.68
Conuentus trium ordinum Meldam indictus. 28.75
Marinum, villam Marianam fuiſſe nonnullis viſum. 6.6
Marſoquium Florentinæ Reipublicæ ſignum. 13.11
Martinus Lutherus in Vormatienſi conuentu proſcriptus. 16.26
Martinengus *vide* Aſcanius Martinengus.
Maſeriæ obſeſſæ. 16.33
Maſerienſis obſidio ſoluta. 16.34
Maſſilienſe colloquium inter Clementem Pontif. ac Franciſcum I. 20.48
Maſſilia obſeſſa. 18.9
Obſidio ſoluta. 18.10
Maſſilia nequidquā à Borbonio, & Cæſarian. tētata. 18.9
A Carolo V. circumſeſſa. 21.56
Maſſilia Romanorum adoleſcentum Athenæum. 30.29
Maſſij dolus *vide* Cæſar Maſſius.
Matthæus Balaſſius. 5.34
Matthæus Borbonius nothus captus in Foronouana pugna. 13.4
In Atrebates à Ludouico XI. miſſus. 3.5
Romanum agrum tranſmittens Tuſcanellam Gallos recipere recuſantem vi cepit; nec milites, quin captam, cæteriſque exemplo futuram diriperent, continere potuit. 6.12
Matthæus Sedunenſis Pontifex. 11.39. loco 49
Matthæus Schincrus Cardinalis Sedunenſis. 11.40
Matthias Coruinus, Hungariæ Rex qua ratione conſtitutus. 10.21
Paternarum virtutum æmulator. ibid.
Se nunquam vxorem ducturum cur pollicitus. ibid.
Mauricij Saxonis cum Saxone Electore de Pflugio controuerſia. 23.13
Inde aliquot annis poſt bellum ſecutum. 23.13
Mauricius Concilio Tridentino parere recuſat. 25.26
Magdeburgum obſidione cingens. 25.30
Conditiones Magdeburgenſibus à Mauricio oblatæ, nec acceptæ. 25.31
Mauricius an cum Ferdinando conuenire poſſit, experiri deliberat. 25.51
Ad Alpes cum ſociis contendens Caroli V. copias quæ montium anguſtias occupabant, fundit. 25.51
Seditio in eius caſtris exorta. 25.52
Mauricius de inferendo bello Carolo V. cum Henrico II. pactus. 25.44
Legatos Tridentum mittit. 25.46
Henrico II. ad bellum ſe comparante & ipſe idem præſtat. 25.48
Huius belli pernicies. 25.48
Mauricius ſcriptis ad Imperij ordines litteris, belli à ſe ſuſcepti cauſas exponit. 25.49
Mauri baliſtis pugnantes. 22.57
Hiſpania eiecti. 7.38
Maubugium Gallis deditum. 23.34
Maximilianus Auſtriacus Federici Imperatoris filius Malannoium arcem expugnat. 3.37
Mariam Burgundam in vxorem accipit. 3.35
Tres ex ea liberos obtinet. ibid.
Legatos ad Ludouicum XI. mittit. 3.36
Taroannam oppugnat. 3.37
Sed ea relicta, exercitum in Crepecordium conuertit, fudítque. 3.37
Maximilianus Auſtriacus Annam Britanni filiam Carolo VIII. in vxorem traditam moleſtè ferens, bellum in Atrebatibus renouat. 4.36
Henricum VII. Anglia in ſuum auxilium accerſit. 4.36
Bononiam obſidet. ibid.
Datam Maximiliano fidem fallens in Angliam reuertitur. ibid.
Atrebatum fabri cuiuſdam ferrarij coniuratione Maximiliano deditum. 4.36
Maximilianum Imperatorem Venetos in ſocietatem admittere quid impulerit. 6.18
In Italiam à Sfortia euocatus. 7.28
Cum eodem Burmij de rebus ſuis communicat. 7.28
Genuam contendit. 7.30
Quid Piſanos impulerit illius in Italiam aduentum procurare. 7.31
Liburnum fruſtra tentauit. 7.32
Dum Ticini diuerſatur, de eodem retinendo, ita ſuadente Sfortia, à fœderatis actum. 7.33
Cur Ludouicus XII. illius ſocietatem ambiat. 9.8
Maximiliani Imperatoris oratio ad conuentum Conſtantienſem. 10.32
Apparatus ad expeditionem Italicam. 10.32
Quid reſponſi ab Senatu Veneto ingreſſum in Italiam poſtulans, obtinuerit. 10.37

Diuerſæ

Diuerſæ coniecturæ ſtabiliuntur de voluntate Maximiliani Imperatoris ad bellum ſe accingentis. 10.39
Maximilianus Imperator ſupplicatione quam Tridenti indixerat peracta, Vicentiam ire pergit. 11.1
Aduerſus eum Ludouicus XII. Venetique conſpirant. 11.1
Ad vallem Cadurianam ingentem cladem accipit. 11.2
Coloniam clam ſecedit. 11.3
Cum Venetis inducias paciſcitur. 11.3
Pax inter Iulium Pontificem Max. Maximilianum Imperatorem, Ludouicum XII. & Ferdinandum Hiſpanum confirmata. 11.6
De expugnando Patauio deſperans exercitum dimittit. 11.29
De regni Caſtulonenſis adminiſtratione cum Ferdinando conuenit. 11.36
Variæ expeditiones ab illo fruſtra ſuſceptæ. 13.2
Suſpicionis inter Imperatorem & Ludouicum XII. ſemina. 13.4
Mediolanenſes per Maximiliani caduceatorem Gallos vrbe eiicere nequidquam admoniti. 15.32
De inuadendo Mediolanenſi principatu cogitans in Italiam deſcendit. 15.31
Deſeritur ab Heluetiis indignatis quòd ab eo nullum ſtipendium acciperent. 15.32
Maximilianus inuadendæ deinceps Italiæ cōſilium omne penitus dimittit. 15.38
Maximiliani Imperatoris cum Blancha Galeatij reguli ſorore matrimonium. 5.12
Illius fœdæ conditiones. ibid.
Maximilianus ſui exercitus per Venetorum ditionem traducendi teſſeram depoſcit. 10.23
Conuentum Auguſtæ indicit. 30.37
Maximiliani Imperatoris aduerſus Solymanum exercitus, quis. 30.39
Maximiliani mors, & eius cauſa. 16.7
Maximilianus Egmundanus nouas ad Carolum V. non ſine paruis viarum difficultatibus copias deducit. 24.24
Maximiliani Ferdinandi filij cum Maria Caroli V. filia conſobrina ſua coniugium. 25.11
Maximilianus Sfortia. 14.3
Maximiliano Sfortiæ principatus Mediolanenſis adiudicatus. 14.3
Maximiliani Sfortiæ mors Lutetiæ. 20.31
Melchior Zobellus Herbipolenſis Epiſcopus à Grumbachio trucidatus. 30.47
Melchior Treuiſanus Venetias reuocatus, & in Abſorum abſyrtidem inſulam relegatus. 8.31
Mediceorum, & Pacciorum æmulatio. 4.6
Mediceis Florentiam redire conceſſum. 13.50
Medicei Florentia pulſi Reipublicæ Florentinæ hoſtes declarantur. 5.33. & 34
Mediceæ domus magnificentia, & ſplendor. 5.34.
Inſtructiſſima bibliotheca. ibid.
Omnis illorum ſupellex direpta. ibid.
Medici morbi Neapolitani curandi initio ignari. 7.11
Medicorum mos agendi cum morbi cauſas ignorant. 28.58
Mediolanum, in Mediolanenſem Ducatum quod ius Arragonij ſibi vendicent. 5.6
Omnium contentionum de Mediolanenſi principatu origo. 5.12
Mediolanum Italiæ arx. 5.18
Crepecordius inuadendum potius agrum Mediolanenſem, quam Neapolitanum prædicat. 5.18
Mediolanenſes quod ius in Piſanos ſibi vendicent. 6.4
Ad Ludouicum Aurelianum poſt captam Nouariam deficere (ſi ea occaſione vſus fuiſſet Aurelianus) deſiderant. 6.24
Triultius de inuadendo Mediolanenſi principatu cogitat. 7.27
Quo iure Carolus Aurelianus Mediolanenſem principatum ſibi vendicarit. 8.1
Item & Valentina Ioannis Galeatij filia. ibid.
Quindecim ferè diebus ad Ludouicum XII. Galliarum Regem redit Ducatus Mediolanenſis. 8.27
Mediolanenſium tacitæ de Triultio, & Guelfis querimoniæ. 8.31
Concilij Mediolanum transferendi decretum. 13.11
Ponchetij Senonenſis Pontificis ſententia à Gallis ſpreta, amittendæ Mediolanenſis ditionis cauſa fuit. 13.42
Mediolanenſis Principatus rebellio. 13.42
Mediolanenſis Ducatus Maximiliano Sfortiæ adiudicatus. 14.3
Leo Pontifex ad Mediolanenſium propugnationem accenditur ab Ferdinando Hiſpano. 14.17
Franciſci I. ad Mediolanenſem expeditionem proficiſcentis inſtructiſſimus exercitus. 15.7
Arx Mediolanenſis à Nauarro oppugnata. 15.23
Dedita. 15.24
Franciſci I. ſolemnis ingreſſus Mediolanum. 15.27
Imperator Maximilianus Principatum Mediolanenſem aggredi meditans, in Italiam deſcendit. 15.31
Mediolanenſes per Maximiliani caduceatorem Gallos vrbe reiicere fruſtra admoniti. 15.32
Federicus Barbaruſſa quàm in Mediolanenſes ſeuerus. 15.32
Belli in agro Mediolanenſi per Cæſarem & Anglos redintegrandi rumor. 15.35
Quid iuris Carolus V. in Mediolanenſem principatum ſibi vendicet. 16.27
Principatus Mediolanenſis inuadendi occaſio Carolo V. oblata. 16.38
Moronus Mediolanenſis rebellionis auctor. 16.39
Arx Mediolanenſis à fundamentis magna totius vrbis deſolatione euerſa, & quo modo. 16.40
Mediolanum Gallis quî ereptum. 16.49
Ciues Mediolanenſes ad rebellandum procliues. 16.50
Mediolanum ad deditionem fame cogi poſſe Lautrecius exiſtimat. 17.5
Mediolanenſes magno in Gallos odio accenſi. 17.5
Galli ad extrema redacti de Mediolanenſis arcis ceſſione paciſcuntur. 17.37
Boniuetus, occaſione ad occupandum Mediolanum opportuna vti neſcius. 17.54
Obſidio Mediolani per Boniuetum inſtituta ſoluitur. 17.57
Mediolanum à Franciſco I. captum. 18.12
Clemens Pontifex ſedandis belli Mediolanenſis controuerſiis totus inſiſtit. 18.13
Mediolanenſium aduerſus Cæſarianos rebellio. 18.52
Veneti ſoluendæ arcis Mediolanenſis obſidioni intenti. 18.53
Mediolanenſium inſolentia. 19.1
Per Leuam ac Vaſtium compeſcitur. 19.1
Ab Hiſpanis crudeliſſimè habiti. 19.2
Deditio arcis Mediolanenſis in quam ſententiam concepta. 19.7
Vrbinas arcem Mediolanenſem dedi conſultò optaſſe, viſus. 19.6
Mediolanenſes nouo & acerbiſſimo vectigali ab Antonio Leua indicto opprimuntur. 20.16
Per Vaſtium Mediolanenſes inſoleſcentes compeſcuntur. 19.1
Vaſtius fruſtra Venetos Laude Pompeia pellere aggreſſus. 18.2
Mediolanenſes à Franciſco Sfortia obſeſſi. 1.11
Mediolanenſis Principatus quo iure Carolo Aureliano Duci debitus. 1.11
Mediolanenſis principatus controuerſiam Franciſcus I. dirimendam proponit S. Imperij ordinibus. 21.39
Mediolanenſium de militibus Hiſpanis querimoniæ. 22.28
Mediomatrices portas Federico Imperatori aperire recuſant.

2.36
ant.
Mediomatricum metropolis in Gallorum poteſtatem 26.1
:edacta.
A Guiſano fortiter propugnata contra Carolum V. 26.
17. 18. 19. &c.
Obſidio deſcripta. 26.18.19.&c.
:eldenſium plurimi ob crimen deſertæ religionis capite damnati Lutetiæ, plurimi virgis cæſi. 24 30
Meldam trium ordinum conuentus indictus. 28.75
elegnana pugna *vide* pugna Melegnana.
elegnanum Ioanni Medicео reſtitutum. 18.1
elegnanenſis Senas obſidet. 26.58
Obſidionem ſoluere coactus. 26.58
Iterum redintegrat. 26.59
Ad deditionem tandem adigit. 26.59
elitenſium equitum magiſtri epiſtola ad Siciliæ Proregem Franciſci I. purgationi deſeruiens. 25.36
Melitenſium equitum, Cardinalium, & Religioſorum profeſſio collata. 17.3
Inſulæ Melitenſis obſidio. 30.33
lemphitici præfecti mors. 17.25
lenaldus Guerra Oſtiam quibus legibus Conſaluo dedat.
7.35
lercuriale concilium cur ſic dictum. 28.27
lercatorum præpoſitus quando Lutetiæ creari cœptus; eius munus quodnam ſit. 30.24
lerci ſupplicium *vide* Poltrotus. 30.17
letis deſcriptio. 26.1
Henricus I I. Metim profectus magnificè excipitur.
26.2
Lepidum dicterium in Pontificia æde Metenſi. 26.2
Meruellij mors. 20.50
Occaſio belli Sfortiæ inferendi. 20.50
Franciſcus I. Meruellij mortem bello aperto vlciſci aggreditur. 20.57
Meſbretinus Andegauo quomodo potitus. 29.44
Meſithus Palæologus Baſſa Rhodum nequidquam oppugnare aggreſſus. 4.10
Mezaram Siciliæ vrbem Alphonſus Neapolitanus aufugit.
6.1
Michaël Grandimontanus legatione abuſus. 7.38
Michaëlis Hoſpitalis Cancellarij elogium. 28.57
Eiuſdem ſermo in Senatu Pariſienſi. 28.58
Alia oratio in conuentu trium ordinum. 29.12
Meritò in hæreſeos ſuſpicionem adductus. 29.30
Michaël Riccius homo doctus. 10.27
Genuam miſſus vt inſoleſcentis populi inſaniam moderaretur. ibid.
Michaëlis Riccij ad Florentinos legatio. 11.4
Eorum reſponſum. ibid.
Militiæ Gallicæ,& Romanæ diſcrimen. 3.14
Militaris diſciplina apud Turcas ſeuera. 22.47
Militum Francemontanorum inſigne ſtratagema *vide* Francemontani.
Militum Caroli V I I I. Galliarum Regis ante pugnam Forononanam alacritas quanta. 6.30
Miniſtri Auguſtani vrbe pulſi. 25.40
Minturnenſes aquæ & Sinueſſanæ, cædem. 10.3
Miolenſis claſſis Gallicæ præfectus. 6.37.& 27
Superatur ad Rapallum. 6.37
Mirabellana pugna *vide* pugna Mirabellana.
Mirandulæ oppugnatio. 12.22.23.& 24
Expugnatio. ibid.
Mirandula obſeſſa ſponte ſe Iulio dedidit. 12.24
Mœroris vis, & effectus. 9.7
Motus S. Quintini oppido accerſitus cũ Oliuario Damantonſore Tornacum intercipit. 3.32. *loco* 23
Mola Caietana direpta. 19.20
Mombrunus Caluinianorum rebellium ducem ſe fore ſpondet. 28 60
Maloſſenum intercipit. 28.60
Quibus conditionibus cum Gondrino conueniat. 28
60.& 61
Mommedium Claudio Guiſano deditum. 23.15
Alia eiuſdem Mommedij deditio. 26.8
Mommorencius de immittendis auxiliis in vrbem S. Quintini vehementer ſollicitus. 27.52
Sanctandreani conſilium imprudenter reieciſſe damnatur. 27.52
Subſidio recreat, non ſine ingenti ſuorum clade. 27.54
Cur Mommorencius Nauarrũ Lutetiam accerſat. 28.35
Mommorencius in Druidenſi prælio captus, & Aureliam perductus. 30.7
Cur Mommorencius comitatu Regio in perpetuum pulſus. 22.38
Mariamburgum quibus legibus ad deditionem compellat. 26.47
Bellum pro Columnarum defenſione ſuſcipere Henrico I I. diſſuadet. 27.21
Celebratis filij nuptiis in Campaniam ad copias ſuas contendit. 27.50
Cur tandem Mommorencius Italicam Guiſani expeditionem approbet. 27.36
Mommorécius omnem hæreticorum ſupellectilem Pariſiis incendi mandat. 29.40
Mompulcianum Florentinis reſtitutum. 13.2
Monaſterium Weſtphaliæ metropolis ab Anabaptiſtis occupatum, à Valdeco Epiſcopo expugnatur. 21.2
Monæci oppidi obſidio. 10.27
Moncalui arcis præfecti ſuſpenſi, quod firmam arcem ſine impreſſione vlla dedidiſſent. 27.9
Mondolfum munitiſſimum oppidum. 15.45
Moneius à rebellibus Burdegalenſibus,& Sanctonibus interfectus. 25.16
Eidem honorifice parentatum. 25.18
Monfortium natura munitum facilè expugnatum. 6.7
inter Monfortiam ac Bleſianam familias controuerſiæ origo, quæ. 27.11
Monfronus cæſis copiis à Gallis captiuus deductus. 12.34
Mongommerius Lorgius Maſerias commeatu recreat. 16.
34
Monopolis à Vaſtio oppugnata, nec expugnata. 20.19
Montem D. Ioannis Daualorum oppidum in regni Neapolitani finibus ſitum Carolus V I I I. expugnat, diripit, & incendit. 6.7
Mons Couolum ita directus eſt, vt ſede lignea funiculo alligata quidquid eò importandum eſt, trahi debeat.
12.4
Monſilicis, ſiue montis Silicis ſitus. 12.4
Monſilice ab Ambaſiano Venetis ereptum. 12.4
Monſorella Carolo Aquitano accepta. 2.34
Cum ipſo extinguitur. ibid.
Mali (vt creditum eſt) Perſici morſu. ibid.
Monteacutus Varuici frater in conflictu contra Eduardum cæſus. 1.32
Monteianis cum Gonzaga conflictus. 21.50
Monteleonis direptio. 7.15
Monterius Comes vinculis exemptus à Lanoio. 19.10
Monteuicum obſeſſum. 25.44
Montisferrati viduæ ſumma in Carolum V I I I. liberalitas. 5.24
Montonius Braccij Montonij nepos claua ferrea in conflictu Foronouano ictus,& pro mortuo habitus. 6.31
Morbi venerei, ſeu Neapolitani origo. 7.11
Effectus. ibid.
Remedia. ibid.
Mordanũ Agri Forocornelienſis caſtellum Aubignius expugnat, vniuerſis, nullo ætatis ſexúſve habito diſcrimine trucidatis. 5.31
Moronus Mediolanenſis rebellionis auctor. 16.39
Motonij ignominioſa deditio. 16.31
Mortaria à Ludouico X I I. circumſeſſa. 8.26
Moruillerij Cancellarij coram Philippo Burgundo oratio. 1.13

Mortono

Digitized by Google

Motrono cuſtodiendo Entraguius à Carolo VIII. præfectus. 6.26
Mugniis Ludouicus Sfortia Beatricis vxoris conſilio caſtrametatus. 7.2
Muleaſſes Tunetum veniens à Mauris grauiſſimè excipitur, ac vulneratur. 23.47
Amida eius filius regnum paternum occupat. 23.47
Ab Amida victore ſimul cum duobus aliis filiis excæcatus. 23.47
Mulierum Ægyptiarum fœcunditas. 21.13
Multitudinis incerta iudicia raro vtiliora conſilia admittunt. 2.10
Murtianum prælium. 3.21
Muſtapha Baſſa Memphitico præfecto in obſidione Rhodi ſucceſſor deſignatus. 17.26
Muſtapha filiorum Solymani maximus natu, patris iuſſu crudeliter trucidatus. 26.40
Rozollana illius mortis cauſa. 26.40
Quo dolo cum Roſtane genero ſuo vſa. 26.40.& 41
Dicterium poſt mortem Muſtaphæ inter Turcas iactitari ſolitum. 26.41
Mutinam Galli intercipere fruſtra conati. 12.27
Mutina Leoni Pontifici oppignerata. 14.56

N

NAncium circumſeſſum à Renato Lotharingo. 3.22
A Burgundo. 3.23
Obſeſſis commeatum infert Lotharingus. ibid.
Nancium Burgundo quibus legibus deditum. 3.16
Narbonenſis Epiſcopus peſte extinctus. 4.16
Naſſauus Comes captus. 3.25
Naſſauus ad bellum ſe comparans in Flandria Franciſcum I. in magnam ſuſpicionem adducit. 21.18
Nauarræ regnum quam facilè à Ferdinando Hiſpano occupatum. 14.6
Bellum Nauarricum. 14.7
Nauarrus claſſe instructa Mauris occurrere à Franciſco I. præcipitur. 16.9
A Mommorencio Lutetiam accerſitus, & cur. 28.35
Rebelliũ Caluinianorũ dux declarari moleſtè fert. 29.4
Ne vrbem munitam ineat, admonetur. 29.4
Guiſanum ſibi præferri indignatur. 29.23
Rothomagum à Caluinianis captum recipit. 30.1
Paulò poſt ſclopeti glande ictus expirat. 30.2
Nauarrus præcipuus Hiſpanorum dux Franciſci I. pecunia redemptus ab Hiſpano deficit. 15.5
Cantabris Vaſconibúſque præeſſe iuſſus. 15.4
Facetum de Nauarro duce dicterium. 15.26
de Nauicula quadam ex viminibus contexta à Gallis capta, & aliquot hominibus numquam antea in his partibus viſis in ea repertis. 11.9
Nauigationis Indicæ auctores. 10.8
Nannetum obſidio Dunenſis aduentu ſoluta. 4.32
Naupactum ab Grimano captum. 8.31
Neapolis. Neapolitani.
Quo iure Gallorum Reges Neapolitanum regnum ſibi vendicent. 5.6
Quid Neapolitanos à Ferdinando deficere coëgerit. 5.7
Renati Lotharingi ius in regnum Neapolitanum. 5.7
A Neapolitanis Rex creandus accerſitur. 5.7
Belli Neapolitani ſemina, quæ. 5.7
Neapolitanã expeditionem Galli proceres Regi quibus rationibus diſſuadeant. 5.9
Regnum Neapolitanũ Romani Pontificatus fidei commiſſum. 5.17
Reges Neapolitani *Regis Hieroſolymitani* atque *vtriuſque Siciliæ* titulos aſſumere ſoliti. 5.17
Neapolitani Bariẽſis Ducatus vectigalia occupãtes. 5.19
Belli cum Sfortianis & Gallis initium faciunt. 5.19
Liberi maiores natu Regum Neapolitanorum Calabriæ duces appellati. 5.19
Neapolitanorũ Regũ tyrãnis & crudelitas inaudita. 5.27
Auaritia fœdiſſima & pluſquam Iudaica. ibid.
Neapolitani, Alphonſi, Ferdinandique Principum auaritia atque inſolentia exulcerati, ad Gallos facilè inclinant. 6.1
Iudæorum menſariorum domos diripit plebs Neapolitana. 6.8
In bello Neapolitano Gallis ad integram victoriam nihil, niſi prudens conſilium defuit. 6.12
Quæ fuerit princeps cauſa cur Galli regnum Neapolitanum amiſerint. 6.16.9.37. & 20.5
Quando commodius Neapolitanam expeditionem Carolus VIII. ſuſcipere potuiſſet. 6.13
Neapolitani rerum nouarum maximè ſtudioſi. 6.19
Gallos exoſos habere incipiunt; ideóque Arragoniorum reditum deſiderare. 6.18
Dux Mompenſerius Neapoli pro Rege conſtitutus. 6.21
Si Placentinis Carolùs VIII. ſatisfeciſſet, magnum tuendo regno Neapolitano momentum attuliſſet. 6.36
Defectionem à Carolo tacitè meditantur. 6.38
Quare. ibid.
Mompenſerij temeritate Galli Neapoli excluſi. 6.20
Neapolitani morbi origo. 7.11
Quodnam fuerit Neapolitani belli inter Gallos, Hiſpanóſque tam atrocis initium. 9.11
Quantis animis Ludouicus XII. ad renouandum reſtaurandumque bellum Neapolitanum incumbat. 9.34
Belli Neapolitani infelicem exitum Galli in tria maximè capita refundunt. 10.6
Regni amiſſio in Venetos potiſſimum referenda. 10.26
Lautrecius quomodo Neapolis inuadi poſſit, cum ſuis deliberat. 29.2
Obſidendam eſſe decernitur. 20.2
Hiſpani noctu Neapoli egreſſi, & Cantabrorum propugnaculum adorti, ſtrenuè repulſi. 20. 2. & 3
Vtriuſque claſſis conflictus acerrimus. 20.3
Magnæ vtriuſque exercitus difficultates. 20.4
Neapoli ſumma victus ſtipendiique penuria. 20.7
Neapoli, audita *Inquiſitionis Hiſpanica* voce, grauis ſeditio exorta. 24.45
Belli Neapolitani finis ac ſumma. 9.35
Neceſſitas temeritatis ſuada. 20.32
Neceſſitas rerum domina. 4.11
Nella à Burgundo oppugnata, & expugnata. 2.35
Nemauſẽſes horrẽdis & inauditis tẽpeſtatib. perculſi. 27.57
Nemorenſis cur morte mulctatus. 1.17
Neoburgum à Cæſare captum. 24.25
Nicea Allobrogum à Turcis tentata. 23.43. & 44
Trium maximorum totius Chriſtianiſmi Principum ad Niceam congreſſus. 22.25
Carolus V. & Franciſcus I. vt inuicem colloquantur, adduci nequeunt. 22.26
Nicolaus Batalla peſte extinctus. 4.16
Nicolaus Calaber à Ludouico XI. deficit. 2.35
Burgundi filiam in matrimonium ambit. 2.25
Nicolaus Petilianus quam in formam cum Carolo VIII. Galliarum Rege conuenerat. 5.39
Sclopeti glande tranſuerberatus. 7.4
Nicolaus Petilianus Pauli IV. mandato in cuſtodiam traditus. 27.34
Nicolaus Rodolphus cuſtodiæ traditus Florentiæ. 7.37
Cur. ibid.
Nicolaus Scotus Comes captus, & capite damnatus. 14.58
Nicolai Vrſini Petiliani Comitis opera Oſtia Alexandro Pontifici reſtituta. 5.19
Paulò poſt arcem Fabricius Columna certis conditionibus dedi procurauit. ibid.
moritur. 11.36
Ninus in partes diſſectus *vide* Antonius Ninus.
Niuernenſis Comes à Burgundo deficit. 3.13
Nola Petiliano ab Arragoniis condonata. 6.9
Nolæ defectio. 9.5
Norlinga ad Carolum V. deficit. 24.30
Normaniæ adminiſtratio Carcellenſi tradita. 1.4

Tumultus ibidem concitati. 1.42
[Nou]aria à Ludouico Aureliano occupata. 6.24
Munita à Sfortia aduerſus Ludouicum XII. Galliarum Regem. 8.23
Arcis Nouarienſis deditio. 14.4
Nouarianæ obſidioni ſoluendæ Carolus VIII. totus incumbit. 7.1
Ad extremam rerum omnium penuriam redacta. 7.3
Milites Nouaria egreſſi, omnes pœnè vel mortui, vel bello inutiles redditi. 7.5
Nouariæ per Sfortiam oppugnatio. 8.33
Nouariana pugna. 14.23
Germanorũ Gallorúque cædes ad 10. millia aucta. 14.24
Victoriæ cauſa, quis. 14.60
Nouaria Boniueto dedita. 17.54
A Leſcuto ſtrenuè expugnata. 17.7
Nouariæ expugnãdæ tẽpus datũ, Gallis magni ſtetit. 17.7
Nouiodunenſe fœdus *vide* fœdus Nouiodunenſe.
Nouium oppidum in Triuultij poteſtatem redactum. 7.27
Nundinæ forenſes Cabillono Lugdunum reuocatæ. 30.22
Nuremberga Heluetiis ſociatur. 3.20
Nurembergenſis conuentus. 23.13
Nuſſia à Carolo Burgundione obſeſſa. 2.44
Pontificio legato commiſſa. 3.6
Quamdiu obſeſſa. ibid.
Nutfaracæ qui, & quod eorumdem munus. 22.8

O

Obertus Roſſettus Caietæ præfectus. 7.25
Octauius Farneſius Albano reconciliatus. 27.33
Octauianus Fregoſius defectionis ſuſpectus, quibus rationibus apud Genuenſes ſe purgarit. 15.7
Octauius Fregoſius, Frederici Salertiani Pontificis opera, milites Genuam immittit. 17.14
Genuæ dux ſalutatus. 14.25. & 26
Magnos Franciſci I. Galliarum Regis ad bellum apparatus exhorreſcens ad Gallos deficit. 15.6
Odetus Fuxius Lautrecius. 13.10
In pugna Rauennate interfectus. 13.34
Odetus Fuxius Lautrecius quomodo Neapolis inuadi poſſit, deliberat. 20.2
Numeroſus eiuſdem exercitus. 20.1
Stabiarum oppidum Lautrecio ſe dedit. 20.5
Lautrecius Neapolim obſidet. 20.2. & 3
Ex Cæſarianis prædabundis 400. circiter à Lautrecio vel fuſi, vel capti. 20.8
Odetus Fuxius Lautrecius fœderatorum aduerſus Carolum V. copiis præeſſe iuſſus. 19.34
Boſcum expugnat. 19.37
Alexandriam ad deditionem compellit. 19.37
Odeti Fuxij Lautrecij mors. 20.12
Sepultura. ibid.
Elogium. ibid.
Ipſius cadauer ab Hiſpanis erutum, & cur. ibid.
Lautreciana expeditio duabus maximè de cauſis infelix. 20.13
Salaſſus Lautrecij munus obire iuſſus. 20.13
Cur Odetus Fuxius Lautrecius Mediolanum cõtra Venetorũ, Sfortiæque ſententiã oppugnare diſtulerit. 19.39
Ticinum occupat. 19.39
Cur Clementi Pont. Max. ſuſpectus. 19.47
Franciſ. I. accuſat, quòd ſibi promiſſa haud præſtet. 19.51
Varias vrbes ſibi ſubdit. 19.55
Barolum. ibid.
Tranium. ibid.
Manfredoniam. ibid.
Odoardus Surrei filius claſſis Anglicæ præfectus à Gallis lethali vulnere confectus. 14.39
Oetingenſis ager ad Carolum V. deficit. 24.30
Onus comitatus ab anſeribus ſic dictus. 28.6
Oliuarius Cabanacus. 9.27
Oliuarij Cancellarij edictum pro collatione munerum iudiciariorum. 28.41
Oliuarius Daman tonſor humili pago ortus, legatus ad Gandauenſes à Ludouico XI. mittitur. 3.31. loco 23
Comitis Melani nomen vſurpat. ibid.
Eumdem Gandauenſes deſpiciunt atque in fluuium præcipitare minantur. 3.32
Tornacum inter redeundum intercipit. ibid.
Moſ auxilio. ibid.
Pariſienſis Senatus decreto, poſt mortem Ludouici XI. cruci affixus. 4.26
Quorum criminum conuictus fuerit. ibid.
Oliuarius Mallardus Sodalis Franciſcanus celeberrimus concionator. 4.37
Oratio ab Antonio Grimano in Rogatorum conſilio contra Sfortiam pronuntiata. 8.13
Oratio Caroli Balbiani Sfortiani legati ad Carolum VIII. deſtinati. 5.8
Item & Franciſci Belcarij Peguilionis ad PP. Concilij Tridentini. fol. 1017
Oratio Ioannis Aureliani Comitis Dunenſis. 1.31
Oratio Malcionis Treuiſani pro Sfortia. 8.14
Orationis quam Gallus legatus in conſeſſu Concilij Trid. habuit, argumentum. 25.42
Orbis ſymbolum, pomum rotundum. 6.21
Ordelaſi mors *vide* Antonius Ordelaſus.
Orcimons arx *vide* Arx Orcimons.
Ordo Teutonicus quando, & cur inſtitutus. 25.6
Ordines tres Galliarum, qui. *vide* Gallia.
Orlandus Fregoſius à Ludouico Aureliano Gallicarum triremium præfecto captus. 5.10
Oſtia per Nicolaum Vrſinum Alexandro Pontifici reſtituta. 5.19
Quibus conditionibus arcem ſibi dedi impetrarit. ibid.
Occupatam à ſuis Carolus VIII. ſponte Pontifici reſtituendam curat. 6.22
Oſtiam Conſaluo Hiſpani exercitus præfecto quibus legibus Menaldus Guerra præfectus dediderit. 7.35
Oſtienſis arcis oppugnatio. 27.35
Oſtrelini quinam ſint. 2.29
Othomanicæ familiæ mos, fratrum omnium ac propinquorum parricidio imperium conſeruandi. 6.13
Oui arx *vide* arx Oui.

P

Facciorum & Mediceorum æmulatio. 4.6
Paccij vt coniuratione fruſtrati. 4.6
Volaterris in cuſtodia habiti liberantur. 4.10
Pacis inter Paulum IV. & Albanum conciliandæ cura Dominicano cuidam commiſſa. 27.28
Conditiones quibus Albanus pacem inire paratus ſit. 27.29
Pallauicinus Lautrecij iuſſu capite plectitur. 16.41
Pallauicinus vicecomes Alexandrinus proditionis conſcius in arcem Cremonenſem conditus. 17.50
Palatinus Comes Bruxellis quàm honorificè habitus. 1.7
Palatinus Comes vnde ſic dictus. 16.11
Palatinus Elector ad Caroli V. pedes veniam precatur. 24.31
Palicianus *vide* Iacobus Chabaneus Palicianus. 6.13
Palicianum Foſſano non præfuiſſe conficitur. 21.43
Palumbare, Sabellorum oppidum. 8.4
Pancelticon olim Gallis quid. 29.18
Pandolfi Petrucij factio. 10.16
Pandonius *vide* Camillus Pandonius.
Pannonicum bellum vnde exortum. 20.37
Pannoniæ regnum inter Ferdinandum fratrem Caroli V. & Iſabellam Polonam diſputatum. 22.46
Parma à fœderatis obſeſſa. 16.42
Parmæ obſidio ſoluta. 16.44
Parmæ oppugnandæ quàm auidi Heluetij. 16.47

Digitized by Google

Parma Lautrecij iuſſu nequidquam tentata. 16.52
Parmēſes Hiſpanorũ dominatũ ſe ſubitò ros pernegant. 19.32
Parmenſes à Ferdinando Gonzaga vexati ab Henrico II.
Gallorum Rege auxiliares copias accipiunt. 25.41
Cæſarianos ad Parmæ obſidionem accedentes Strozza
feliciter impetit. 25.41
Parmæ propugnationẽ ſuſcipit Henr.II. Gall.Rex. 25.32
Inde bellum inter Carolum V. & Henr.II. ortum. 25.32
Pariam, ſiue Patriciorum Galliæ ordo & ſeries. 8.2
Parium Galliæ munus *vide* Patricij.
Parthenaium captum, & ſolo æquatum. 4.30
Paſſouienſe pactum, quodnam ſit. 26.65
Patauium ingenti terræ motu concuſſum. 12.30
Patauinæ oppugnationis & propugnationis apparatus 11.27
11.22
Patauium captum.
Patauij muniendi quanta apud Venetos cura. 11.25
Patauij oppugnatio multis ex capitibus illuſtris & memo-
randa. 11.24
In oppugnatione Patauina quis ordo, quiſque militan-
tium numerus. 11.28
Patauium obſeſſum. 11.23
Oppugnandum Gurcenſis temerè conſulit. 14.30
Patauium à Liuiano incredibili diligentia munitum. 14.26
14.31. & 32
Patauina obſidio ſoluitur.
Patriciorũ, ſiue Pariũ ac Mareſchallorũ origo, ac munus. 3.14
ibid.
A quo creati. 3.15. & 16
Eorum priuilegia.
Paulinus Comes expugnatam Bapalmã incendi iubet. 17.17
Pauli oppidum expugnatum; omnibus quotquot inibi in-
uenti ſunt interfectis. 22.6
Pauli Æmilij de Bello teſtimonium improbatum. 3.13
9.43
Pauli Baleoni execranda perfidia. 10.16
Præſertim in Florentinos.
Paulus III. Clementis Pontif. Maximi ſucceſſor. 20.58
Quas faciat Carolus V. optiones, vt Paulum in ſuam
ſocietatem pertrahat. 21.54
21.54
Laudandum Pauli reſponſum.
Inducias inter Carolum V. & Franciſcum I. in decen-
nium procurat. 22.26
22.25
Niceam Allobrogum profectus.
Carolus V. ab eodem nominibus *Maximi & Fortiſſimi*
inſignitus. 24.44
25.7
Pauli reſponſum ad Epiſcopos Germanos.
Pauli Pontif. Max. diploma ad Carolum V. de concilio
generali promouendo. 23.24
23.25
Aliæ litteræ ſummi Pontificis ad eumdem.
Tres Cardinales legatos Tridentum, delectum concilio
generali locum mittit. 23.28
Pauli III. Romani Pontificis mors. 25.22. & 23
Ioannes Maria Mõtanus Cardinalis, Pontif. creatus. ibid.
25.25
Iulius III. nuncupatus.
Paulus IV. Marcelli II. in Romano Pontific. ſucceſſor. 27.2
27.1
An fuerit Dominicanus.
Coniuratio Cæſarianæ factionis principũ aduerſus Pau-
lum Pontificem. 27.4
Paulus IV. 20. annis S. Theologiam profeſſus. 27.6
Illius de Albano querimoniæ. 27. 23. 24 & 25
27.19.20. & 22
Ad Henricum II. recurrit.
Eiuſdem exercitus. 27.26
Duriam auaritia nullum progreſſum facit. 27.27
Pauli IV. Pont. Max. ad Albani poſtulata reſpõſum. 27.30
Paulus conqueritur ſe ad omnia *Sanctæ Societatis* capita
implenda cogi. 27.46
Quid in ſocietatem conferre teneretur 27. Cardinales
10. creat. 27.47
27.56
Pax inter eum & Philippum Hiſpanum. 28.28
De fratris filiis grauiter queritur. 28.38
Paulus IV. Pontif. Maximi mors.
Paulus Iouius falsò aſſerit Gallos duces expeditioni Nea-
politanæ aſſenſos fuiſſe. 5.10
Paulus Memius prætor Venetus cũ ſociis à Ludouico XII.
captus. 11.12
A Liuiano redemptus. 11.13
Paulus Manfronus cum ſuis in inſidias attractus. 7.30
Paul. Nouius fullonicã factitans, Genuẽſ. dux creatus. 10.27
Paulus Nouius de venia à Rege impetranda deſperans Pi-
ſas ſe conuertit. 10.29
Capite mulctatur. 10.31
Paulus Thermeus in Conc. Trid. Henrici II. legatus. 25.42
Caleſio præeſſe iuſſus. 28.7
Cum Egmundano infeliciter confligit. 28.16
Pauli Tomorei Collocenſis Epiſc. ſimulata ſubmiſſio. 19.13
Tomoreus fortiter pugnans occumbit. 19.16
Paulus Vitellius Venetos in inſidias perductos cædit. 8.6
Calcem capit. ibid.
In tormentorum magiſtros crudelis. ibid.
Librafactam quî oppugnarit, & expugnarit. 8.8
Aduerſus perſeuera infractus. 8.9
Florentinorum res multum promouet. 8.18
Quomodo Stempacis propugnaculo potitus. 8.18
Paulum Vrſinum cum equitum ala, trecentiſque peditibus
Sarzanam verſus contendentem Gallicus equitatus
magna ex parte cædit. 5.30
Paulus Vrſinus in arcẽ, quę Oui appellatur cõiectus. 7.24
Pax perpetua inter Florentinos ac Lucenſes ſtabilitur. 24.57
Pax inter Gallum & Anglum Lutetiæ promulgata. 24.18
Pax inter Franc. I. & Anglor. Regẽ publicè proclamata. 19.35
Pax inter Henricum II. & Anglum conciliata. 25.20
Pacis capita. 25.21
Latino ſermone conſcripta. ibid.
Pax inter Iulium Pontif. Max. Maximilianum, Ludoui-
cum XII. & Ferdinandum Hiſp. 11.6
Pax inter Ludouicum XII. & Henricum Angliæ Regem
quomodo concepta. 14.53
Pax inter Leonem Pontif. & Franciſc. I. vt ſtabilita. 15.21
Pecuniæ in bellum cogendæ noua & peſſima ratio à Prato
Cancellario excogitata. 15.4
Pedites ſagittarij à Ludouico XI. cur exauthorati. 3.38
Peditum Heluetiorum magnum robur *vide* Heluetij.
Pedites perditi, cur ſic dicti. 23.50
Pero Baſcius quã ob rem à Carolo VIII. Genuã miſſus. 7.8
Peroni Baſchio Italicarum rerum gnaro variæ legationes
commiſſæ à Carolo VIII. 5.13
Ad Alexandrum Summum Pontificem miſſus. 5.13
Ad Venetos. ibid.
Florentinos. ibid.
Perona à Naſſauo circumſeſſa. 21.52. & 59
A Claudio Guiſano ſubſidio recreata. 21.60
Obſidio ſoluta. 21.60
Peronæ Ludouicus XI. in cuſtodia habitus. 2.20
A quo. ibid.
Peronem Baſcium Carolus VIII. ad Alexandrum Ponti-
ficem pro legato mittit. 5.15
Eius mandata. ibid.
Peronenſe fœdus. 2.27
Perpennianum ad Arragonenſem deficit. 2.36
Perpennianum à Franciſco I. tentatum. 23.17
Perſius malè victoria vſus. 6.42
Perſius adoleſcẽs peruicax, & ad ſeditiones procliuis. 7.10
Cur ad Frangetium non ſit pugnatum, auctor. ibid.
Perſica expeditio à Solymano ſuſcepta. 20.58
Peruſia cur Pontifici tributaria. 10.22
Ab Vrbinate circumſeſſa, & capta. 17.1
Peruſiæ adminiſtratio Syluio Cortonenſi Cardinali at-
tributa. 16.19
Peruſinus ager Caroli Montonij induſtria vno die oc-
cupatus. 4.8
Peruſia capta. ibid.
Peſtis Athenienſium, quæ. 4.16
Peſte extincti in Gallia plurimi viri primarij. 4.16
Peſtis Bononienſe propugnaculum infeſtans. 24.17
Peſtis Conſtantinopolitana quænam eſſet. 4.16
Peſtis in exercitu Caroli V. ſæuiens. 19.34
Peſtis vnde Mediolani exorta. 18.4

Digitized by Google

ſtum Turcæ expugnare nequeunt. 22.60
ilianus Vrſinus cum ſuis Nolam ſecedit. 6.9
ra doloroſa à Vitellio extructa. 8.6
Vnde ita dicta. ibid.
rucius *vide* Alphonſus Petrucius.
etrus Boiorum regulus in prælio Pictonenſi captus, & ab Anglis cæſus. 17.44
etrus Borbonius Lectorij captus. 2.36
Petrum Borbonium Crepecordius prudentibus ſuis monitis fruſtra in ſuam ſententiam adduxit. 5.19
Petrus Borbonius regni Gallici adminiſtrator ab Italica expeditione ſuſcipienda alienus. 5.10
Petrus Marganus. 13.36
etrus Dodus Venetus, Græcorum in pugna Foronouana ductor. 6.31
etrus Caponius ſclopeti glande ictus. 7.30
Sitne verum quod de Petro Caponio, & Florentinis traditur ab Italis ſcriptoribus. 5.36
Petrus Hagembachius *vide* Hagembachius.
Petrus Rohanius Gienſis Mareſchallus. 4.13
Petrus Rohanius aula Regia excluſus. 10.16
Petrus Longarenus cæſis cohortibus à Gallis captus. 13.4.
Petri Ludouici fœdæ libidines. 25.4
Petrus Mafeus Foronouana pugna interfectus. 6.31
Petrus Marcellus Venetus. 8.9
Petrus Martyr ab Eduardo Semero in Angliam, nouæ religionis propagator accerſitus. 24.48
Petrus Marganus captus. 15.10
Petrus Mediceus Laurentij filius, auctore Vrſino clandeſtinam cum Ferdinando Neapolitano ſocietatem inijt. 5.2
Qua de cauſa. 5.2
Legatus ad Pontificem Maximum deſtinatur. 5.3
De inuadenda Roma cogitat. 5.5
Ferdinando Calabro quadringentos vtriuſque armaturæ equites ſubmittit Annibale Bentiuolo duce. 5.21
Qua ratione Ioannem Mattarenum Caroli VIII. oratorem ſub aulæis condiderat, vt Ludouici Sfortiæ proditionem detegeret. 5.26
Florentia expulſus. 5.26
Ad Carolum publica fide accepta pergere ſtatuit. 5.31
Quas ab eo leges acceperit. ibid.
Florentinis ob deditas Carolo arces aduerſus illum frementibus. 5.32. & 33
Principatu, quem maiores illius 60. annis conſeruarant, motus. 5.33
Eiuſdem ex vrbe fuga. 5.33
Florentinæ Reipublicæ hoſtis declaratus. 5.34
Eiuſdem ſupellex direpta. ibid.
A Venetis Caroli VIII. indignationem incurrere ſubueritis, ab vrbe ad quam confugerat, reiectus. 5.33
A Carolo, Florentiam in ſtatum priſtinum reponendus reuocatur. 5.35
Qua de cauſa, incertum. 5.35
Venetorũ fraude & promiſſis ad Regẽ redire differt. 5.36
Eumdem Virginius Vrſinus Florentiam reducendum ſuſcipit. 7.15
Cur inuadendæ Florentiæ conſilium agitet. 7.36. & 37
Fluctibus hauſtus. 10.5
Petrus Paceus. 6.39
Petrus Pictauienſis legatus ad Iuliũ Pont. Max. miſſus. 10.15
Eiuſdem legatio. ibid.
Petrus Poctius Aruernus ad Fogiam cæſus. 7.16
Petrus Nauarrus Genuenſibus auxilio miſſus. 17.14
Ab hoſtibus fortiſſimè pugnans comprehenditur. 17.14
Petrus Nauartus in Cæſarianorum manus lapſus. 20.13
Petrus Septenſis. 8.11
Petrus Stroza ſclopeti glande ictus. 28.13
A Coſmo Mediceo cum ſuis fuſus. 22.22
Petri Terral j Baiardi cum Alphonſo Sotomaiore ſingulare certamen. 9.27
Petrus Vrfeus ſummus Regiorum equorũ magiſter litteris ad Carolum VIII. ſcriptis Ludouicum Sfortiam in magnam defectionis ac proditionis ſuſpicionẽ adduxit.
Orpheus dictus.
Petrus Vrfeus Genuam à Carolo VIII. miſſus ad claſſem inſtruendam.
Petrus Vreus.
Philiberti Marſilij Cypetræ mors toti Galliæ dãnoſa.
Philbertus Allobrox Burgundi filiam in matrimonium ambiens.
Philbertus Princeps Arauſius in Caroli Borbonij locum ſuffectus.
Cum Salaſſo qui conueniat.
Arauſius interemptus.
Philippus Auſtriacus in Hiſpaniam cum Ioanna vxore proficiſcens per Galliam iter inſtituit, ibique regio apparatu ſingularique omnium lætitia excipitur. 9.9
Coniectura de fœdere à Philippo Flandriæ Principe bona fide iurato ſtabilitur. 9.29
Philippus Maximiliani Auſtriaci filius fœdus cum Carolo VIII. vt iurarit.
Item & cum Ludouico XII. Galliarum Rege. 8.11
Philippus Burgundio inter Patricios Galliarum ſacris non initiatos primum locum obtinens.
Moruillerio Cancellario reſpondet.
Exercitum cogit. 1.16
Flandria, Burgũdiaque ſub illo quam feliciter degit. 1.18
Boni cognomen meritò obtinuit. 1.13
Eburonico bello intricatus. 2.1
Expeditionem in Turcas vouet. 2.2
Borbonium, Eburonum Epiſcopum creat. 2.1
Chriſtianiſmi propagandi cupidus.
Apoplexia corripitur.
Moritur annis 77. natus.
Acerbam ſui memoriam cunctis Principibus Chriſtianis relinquens.
Philippus Chabotus Brion Taroannæ præficitur.
Philippi Chaboti in Sabaudia victoriæ.
Franciſci I. ad eum mandata.
Philippus Cominæus Ludouico XI. vt arma ſua in Eburones cum Burgundione conuertat, auctor eſt. 2.15
Apud Ludouicum honorificè habitus. ibid.
Burgundioni à cubiculo fuit. 2.15
Peronæ in Ludouicum XI. officioſus.
Lutetiæ 20. menſes in cuſtodia iniuſtè habitus.
Carolo VIII. acceptiſſimus. ibid.
In Picardiam mortuo Burgundione miſſus à Ludouico XI. plurimos in eius partes perducit.
Eundem Ludouicus XI. ob ſubortam ſeditionem Florentiam deſtinat.
Inde Mediolanum appulſus, ſuppetias Florentinis à Bona Sabaudica impetrat. 4.8
In Gallias reuertitur.
Aduerſus Philippum Sabaudum Breſſanum Comitem à Ludouico XI. cum iuſto equitatu miſſus.
Cum illo conuenit. ibid.
Eiuſdem opera Ludouicus Maximiliano Auſtriaco ſe reconciliare cupit.
Hieronymum Sauonarolam Dominicanum de reditu Caroli VIII. in Gallias interrogat.
Cominæi reſponſum Carolo datum à Gallis proceribus temerè eluſum.
Ante pugnam Foronouanam cum Venetis duumuiris de pace agere iuſſus à Carolo VIII.
Caſale miſſus, eamdem cum fœderatorum legatis promouere conatus. 7.4. &
Venetias miſſus quid in mandatis habuerit.
Eiuſdẽ libri quanto in pretio apud Carolũ V. habiti.
Cominæi hiſtoriæ fidelitas commendata.
Cominæi de Sauonarola teſtimonium.
Philippus Copolus Neapolitanus in partes diſſectus.
Philippus Crepecordius in Belgium cum exercitu miſſus à Ludouico XI.
Atriam ad deditionis conditiones compellit.

Ludou

Digitized by Google

Ludouici XI. ad eundem monita. 4.25
Henricum VII. in Angliam regredi compellit. 4.35
Fœdus inter Philippum Maximiliani Auſtriaci filium ac Carolum VIII. promouet. 4.37
Expeditionem Neapolitanam Carolo VIII. diſſuadet. 5.9. & 10.
Illius laudes, & in re militari experientia commendantur. 6.13
Philippus Decius Chriſtianorum cœtu exterminatus. 13.27
Philippinus Fliſcus coniurationis cum Bernardino Curtio ſuſpectus. 8.27
Philippi Flandriæ Principis mors cometæ apparitione deſignata. 10.25
Philippus Caroli V. filius Hiſpaniarum Rex Mariam Regis Luſitani filiam in vxorem accipit. 23.30
Ex Hiſpania reuerſus. 25.34
Ab Antuerpienſibus magnificentiſſimè exceptus. 25.24
Philippum variis ſuſpicionibus ad bellum propendere conficitur. 27.20
Illius exercitus. 27.50
Pax inter Paulum Pontificem, & Philippum ſancita. 27.56
Item & cum Henrico II. Galliarum Rege. 28.25
Philippi ad Franciſcum II. litteræ. 28.36
Nauigatio in Hiſpaniam. 28.39
Quid cauſæ fuerit cur Flandri ab eo defecerint. 29.28. & 30.31
Philippus Luceburgenſis Cenomanus in ſacrum Cardinalium collegium adlegitur. 5.41
Philippus Maria Mediolanenſium Dux. 5.9
Cur ab Andegauenſibus deficiat. 5.9
Philippus Rauaſtenius, Atrebatum Ludouici XI. domeſticis ſe commiſſurum pernegat. 3.26
Philippus Caroli V. filius in Hiſpaniam remeat. 25.40
Philippus Flandriæ regulus in Hiſpaniam traiiciens tempeſtate in Angliam deiectus. 10.20
Philippus Sabaudus Comes Breſſanus cum Cominæo conuenit. 4.14
Philippus Tornicllus Nouariam miſſus. 17.5
Phocenſium colonia Athenis comparata. 1.33
Quare. ibid.
Picciolus *vide* Antonellus Picciolus.
Pici Mirandulani, viri ſua ætate doctiſſimi mors. 5.35
cur Picolhomineum Senenſem Cardinalem, Alexandri legatum Carolus VIII. inauditum remiſerit. 5.32
Piennus *vide* Franciſcus Halluinus Piennus.
Pinnus, mons aſper & difficilis. 6.37
Piquinium in Burgundi poteſtatem vt redactum. 2.24
Piſæ fame ad deditionem coactæ. 10.12
Piſanum agrum à Ioanne Balcono vaſtatum ac direptum. 10.11
Piſani à Tarlatino cæſi. 10.16
Piſas cur Florẽtini à Bentiuolo oppugnari nolint. 10.18
Fruſtra tentatæ à Florentinis. ibid.
Piſani conciliabuli abolitionem Leo Pontifex apud Ludouicum XII. omni ope procurat. 14.28
Piſanorum in Carolum VIII. ſumma leuitas & ingratitudo. 7.32
Bellum de Piſis, inter Florentinos Venetóſque continuum. 8.9.10. & 11
Variæ diſceptationes ſuper Piſanas controuerſias dirimendas. 8.16
Quid cauſæ fuerit cur Piſæ à Belmontano circumſeſſæ in ipſius poteſtatem non venerint. 8.39
Piſani qua ratione Liberafacta potiti. 8.39
Piſanorum fraus. 8.38
Piſani à Florentinis obſeſſi, & in quam penuriam redacti. 10.12
Piſani à Florentinorum imperio deficientes. 5.34
Deturbato Florentinorum inſigni, Caroli VIII. Galliarum Regis ſtatuam in locum reponunt. 5.34
Eorumdem olim opulentia. ibid.
Appianis tyrannis ſeruire coacti. 5.34
Ioanni Galeatio Vicecomiti. ibid.
Gabrieli Mariæ. ibid.
Eorumdem cum Florentinis contentio & diſſenſiones. 6.2. & 3
Florentinos magiſtratus, ciuéſque expulerunt. 6.3
Piſanæ vrbis in rebus naualibus ſupra cæteras Italicas vrbes præſtantia breuiter à Burgundione Lollio recitata. 6.3
Piſanorum aduerſus Florentinos querelæ apud Carolum VIII. Romæ depoſitæ. 6.3
Iacobo Appiano vili ſcribæ vt ſubditi. 6.4
Eorumdem peruicacia. 6.5
Quo pretio Piſas, Piſanáſque arces redimere parati Florentini. 6.22. & 23
Hieronymus Sauonarola Carolum VIII. de reddendis Piſis, Piſaniſque arcibus ſeuere admonet, etiam diuini numinis peierantem vindicaturi formidine propoſita. 6.25
Vercellenſis fœderis nuntius Piſanorum animos mirum in modum erigit. 7.14
Qua ratione fœderati Piſas occupare aggreſſi. 7.15
Quare Maximiliani Imperatoris aduentum deſiderarint. 7.31
Piſarum oppugnatio à Florentinis imprudenter ſuſcepta, victoriã quam paulò ante obtinuerant, obſcurauit. 10.18
Piſanorum res in extremas anguſtias à Florentinis redactæ. 11.9
Piſæ tripartito exercitu à Florentinis obſeſſæ. 11.21
Eiſdem deditæ. 11.22
Deditio Maximiliano moleſta, & cur. 11.22
Piſana vrbs celebrando concilio cur non cõmoda. 13.10
Conciliũ inde tranſlatum in vrbem Mediolanenſẽ. 13.11
Tumultus ingens Piſis exortus. 13.11
Piſanus Archiepiſcopus Florentiæ trucidatus *vide* Archiepiſcopus.
Piſcarij Arragoniorum ducis infelix exitus. 6.41
Piſcarius aduerſus Lanoium cur indignatus. 18.37
Piſcario ſi à Cæſare deficere velit, regnum Neapolitanum pro præmio proponitur. 18.38
Piſcarius circa coniurationem aduerſus Carolum V. initam ſcrupulo quodam ſe retineri ſimulat. 18.39
Coniurationis aduerſus Carolum V. iurandæ capita præcipua, & vt à Cæſare detecta. 18.39
Piſcarij malignitas & ingratitudo. 18.43
Piſcarij mors. 18.44
Patria. ibid.
Et ortus. ibid.
Piſcarij Stuardi ſententia de reiiciendis cum Franciſco I. induciis approbatur. 18.15
Prudenter Piſcarius Gallorum exercitum inuadendum conſulit. 18.18
Piſcarius à Vaudeneſſio ad ſingulare certamen prouocatus. 16.50
Piſcarius violata fide, militibus Genuæ prædam obiecit. 17.14
Piſcheriana arce à Gallis capta de retinendo terreſtri imperio Veneti deſperant. 11.18
Piſſiacum colloquium. 29.33
Pius III. Pontifex Max. Alexandri VI. ſucceſſor. 9.43
Viceſimoſexto ſui Pontificatus die è vita exceſſit. 9.44
Pius IV. Pontifex Ioannam Albretam de religione male ſentientem damnat. 30.23
Concilium Tridenti continuari præcipit. 29.10
Pius V. Pij IV. ſucceſſor. 30.35
Placentinorum ager per Strozam vaſtatus. 25.42
Si Placentinorũ conditiones Carol. VIII. acceptaſſet, magnũ tuendo regno Neapolitano momentũ attuliſſet. 6.36
Placentiæ oppugnandæ quam cupidi Heluetij. 16.47
Placentini Hiſpanorum dominatum refugiunt. 19.32
Ploermelo à Gallis capto Britannus Venetias aufugit. 4.31

Iuuieri oppugnatio. 30.4
Pacis conditiones vtrimque fruſtra interiectæ. 30.4
Poggium Regale ingreſſus Carolus VIII. Imperator Auguſtus ſalutatur. 6.21
Poggibuſium Alphonſus Neapolitanus occupat. 4.9
Poloniæ legatus in conuentum Auguſtanum admiſſus, ſcripto ſua mandata exponit. 25.5
Pompeij Cardinalis nefarium ſacrilegium. 19.8
Pompeij Columnæ inſolens arrogantia. 19.43
Pomperanus in pugna Mirabellana Franciſci I. defenſor. 18.24
Pondormius Hiſpanos in fugam compellit. 17.9
Eiuſdem inſigne geſtum. 17.11
Pondormius Vindocinenſis ad repellendos hoſtes Braiũ ſe contulit. 17.52
Corbiam fugere coactus. ibid.
Laudatus, quòd per medios hoſtes præſidium in Deſiderianorum oppidum immiſerit. 17.52
Ponchetij Senonenſis Pontificis ſententia à Gallis ſpreta, amittendæ Mediolanenſis ditionis cauſa. 13.42
Pons Abduæ à Gallis impoſitus diſturbatur. 17.11
Pons Coroni Ludouico XII. Galliarum Regi deditus. 8.24
Pons Finocius. 7.16
Pontis Granalonis ruina & depreſſio Gallis exitialis. 13.43
Pons Labinianus & Lauinianus idem. 12.34
Pons Minturnenſis incenſus à Conſaluo. 10.4
Pons marmoreus. 15.51
Pontefaccum circumſeſſum. 7.12
Pontificiæ dignitatis eminentia. 27.23
Pontificis Romani adorandi mos antiquus. 5.2
quo honore Pontifices Romani viros illuſtres afficere ſoliti. 7.36
Pontificiæ poſſeſſiones Iulio reſtitutæ. 10.15
Poppium Cluſentinæ regionis oppidum à Liuiano tentatum. 8.9
Populonius Comes. 6.43
Populonius Comes Alphonſo Neapolitano ita iubente Neapoli captus. 5.28
Portenta varia variis Italiæ regionibus viſa, auditáque impendentes Italiæ calamitates indicant. 5.26
Portus Gratiæ quomodo in Anglorum poteſtatem venerit. 30.12
Portus Gratiæ oppugnatus. 30.20
Quibus conditionibus Gallis deditus. 30.21
Practica ab Hiſpanis intercepta. 27.47
Præcutinis Gratianus Guerra præeſſe iuſſus. 6.21
Prædictio Angeli Catthi, ciuis Tarentini. 5.17
Prædictio Hieronymi Sauonarolæ Dominicani *vide* Hieronymus Sauonarola.
Prælium cruentiſſimum Flandrorum contra Normanos ad Douerum. 27.13
Prælium Granſonianum. 3.18
Illo debellatur Carolus Burgundus. 3.18
Inde Heluetij ingentes animos ſumunt. ibid.
Pragenſes Ferdinandus Rex Romanorum læſæ Majeſtatis reos cur declarat. 24.44
Pragenſis conuentus. 22.59
Preianes eques Rhodius. 9.30
Preianes Bidoxius Gabrielis Martinengi vices obiens. In obſidione Rhodi glande proſtratus. 17.24
Preui quinam dicendi. 3.7
Principatus ſcelere quæſitus haud diuturnus. 8.26
Principum eſt timeri ab omnibus velle, timere verò neminem. 2.40
Principum Italiæ ad Ludouicum XI. Aſtæ degentem ingens confluxus. 9.15
magnorum Principum mos in ingreſſu vrbium ſeruari ſolitus. 20.27
Prodigia, futurorum Florentiæ malorum prænuntia. 13.52
Proditio ad exitum non perducta. 13.2
Proſper Adurnius rebellionem Genuæ concitandi auidus. 4.8
Proſper Columna de inuadenda Roma ex inſidiis deliberat. 5.5
Aſcanij Sfortiæ Cardinalis amicitia pollicitationibúſque ad Carolum Octauum Galliæ Regem deficit. 5.20
Romam miſſum à Carolo VIII. Alexander Pontifex vinci mandat. 5.38
Proſpero Columnæ Monfortium à Carolo VIII. condonatum. 6.7
Syluium Sabellum cum ſuis vt ceciderit. 14.51
Proſper Columna à Gallis interceptus vincitur, maxima ſuorum parte vel cæſa, vel capta. 15.10
Pontificij exercitus Imperator deſignatus. 16.41
Proſper Columna Cardinalem Eporedienſem vinciri iubet. 16.54
Totus principatui Mediolanenſi muniendo, propugnandóque inſiſtit. 17.5
Proſper Columna Genuam contendit vt Gallica auxilia anteuertat. 17.13
Lectica vectus ad alteram Ticini ripam ſe opponere ſtatuit. 17.54
Cremonam milites ab eodem miſſi. 17.55
Fœderatorum conſilia de inſequendis hoſtibus reſpuit. 17.57
Proſperi Columnæ prudens reſponſum. 17.10
Vita functus. 17.58
Proteſtantes auxilia aduerſus Turcas Carolo V. ſubminiſtrare polliciti. 22.53
In Gallia ſeuerè plectuntur. 22.54
Proteſtantium conuentus Smacaldiæ. 22.23
Eorumdem controuerſiæ in ſecundo Ratisbonenſi conuentu diſcuſſæ. 22.50
Quid ſentiant, oblato libello Carolo V. exponunt. 22.51
Caroli decretum. 22.53
Proteſtantium querelæ de Senatu Spirenſi. 23.29
Proteſtantes Concilium Trid. repudiant. 24.9
Ad forum Francorum conuenientes. 24.19
Eorumdem conſilia. 24.19
Bellum Proteſtantibus illatum. 24.21
Proteſtantium duces. 24.22
Proteſtantes à Gallo & Anglo auxilia fruſtra implorant. 24.25
Item & ab Heluetiis. 24.27
in Proteſtantium caſtris fames ſæuiens. 24.29
Cum Carolo V. reconciliari poſtulant. 24.29
Prouidentiæ Dei exempla manifeſta. 4.19. & 10
Prudentius Tranus. 6.38
Pruſſia ad Polonúmne, an ad Imperium pertineat, diſceptatur. 25.6
Pugna ad Viſurgim fluuium Mauricio Saxoni, atque Alberto Brandeburgenſi infelix. 26.28
Pugna Abduana. 11.15
Pugnæ Abduanæ culpa in quem reiecta. 14.19
Pugna Albiniana. 4.34
in Pugna Agincurtana Carolus Aurelianus ab Anglis captus. 8.1
Pugna Ariminenſis. 15.51
Pugna ad Bicoquam. 17.8
Pugna Calcaria, & cur ſic dicta. 14.41
Pugna Creatiana, ac eius auctor. 14.35
Pugna Creſciaca, quæ. 5.34
Pugnæ Ciriniolanæ ſeries. 9.32
Scriptorum de hac pugna diſſenſio. 9.32
Pugna Doueriana cruentiſſima. 27.13
Pugna Druidenſis. 30.6
Pugna inter Eſſignium & Rizerollas Gallis ignominioſiſſima. 27.55
Gallorum vel cæſorum, vel captorum numerus. 17.55

Digitized by Google

Pugna Fauquembergenſis. 26.53
Cæſarianorum fuga. 26.54
Pugnæ Foronouanæ initium. 6.30
Series. 6.31
In ea pugna fœderatorum exercitus in nouem ordines diſtributus. ibid.
Rex Carolus in magnum vitæ diſcrimen adductus. 6.31
De victoria perſequẽda diu apud Gallos conſultatũ. 6.31.
Deſideratorum poſt pugnam ex vtroque exercitu numerus. 6.31. & 32
Quid pugnã Foronouanam memorabilẽ reddiderit. 6.34
Pugna Granſoniana Burgundo infeliciſſima. 2.18
Guinegatana. 3.37
Lethefica. 1.21
Cæſorum numerus. 1.23
Pugna Marathonia qua in re maximè memoranda. 11.8
Pugna Melegnana. 15.17
Cæſorum ex vtroque exercitu numerus. 15.19
Sacellum à Franciſco I. in victoriæ tam illuſtris monumentum ad Melegnanum erigi iuſſum. 15.20
Pugna Mirabellana. 18.24
In ea Franciſcus I. Galliarum Rex captus. 18.24
Mugatiana. 19.15
Solymani copiarum diſpoſitio. 19.16
Nouariana. 14.23
Pugnæ Rauennatis feruor. 13.34
Pugnæ ad Semenariam, victoriæque à Gallis obtentæ deſcriptio. 6.39
Pulignanum Antonio Grimano deditum. 6.38

Q

Quadrigarius Pariſienſium legatorum ad Carcellenſem princeps. 1.31. & 32
Elogium calumnioſum ipſi affictum. 1.32
Sed de ipſius integritate nihil detrahit. 1.32
Quingeius *vide* Simon Quingeius.
S. Quintini fanum vt in Ludouici poteſtatem redactũ. 3.11
Quintiniani in Burgundi poteſtatem redeunt. 3.16
Ludouico ſacramentum dicunt. 2.27
Quintinianorum vrbs expugnata, ac direpta. 27.60
S. Quintini oppidum ab Hiſpanis obſeſſum. 27.50
A Mõmorencio ſubſidio recreatum. 27.51.52.53.& 54

R

Rabaudangeus Neapolitanis arcibus cum Lauernadeo Mompenſerij iuſſu præeſt. 6.21
Raimundus, eques Hiſpanus legatus ad Solymanum deputatus. 17.32
Ranco à multis reprehenſus quòd Clementem Pontif. in Adriani mole non liberaſſet. 19.30
Ranutius Martianus Florẽtinorum exercitui præficitur. 6.3
Ranucius Farneſius Pauli Tertij Pontificis Maximi frater patruelis Foronouano conflictu cæſus. 6.31
Ranutius Martianus Vitellij perpetuus æmulus. 8.20
Ab eo, vel ſuæ factionis hominibus crudeliter habitus. 8.20
Ranucius Comes in agro Volaterrano à Piſanis fuſus. 8.3
Rapallo Arragonia claſſis vt potita. 5.20
Raphaël Rierius Cardinalis Florentiam miſſus à Sixto IV. Pontifice. 4.6
Romam remiſſus. 4.7
Rapinius Lucceburgenſis legatus inſigni Ludouici XI. ironia cluſus. 3.11
Rapolanæ aquæ Cluſini agri *vide* aquæ Rapolanæ. 20.39. & 24.16
Ratisbonenſis conuentus. 22.49
Secundus Ratisbonenſis conuentus. ibid.
Federici Palatini in eodem oratio. 22.50
Diſcutiuntur Proteſtantium controuerſiæ. 13.29
Rauenna à Fuxio oppugnata. 13.30
Expugnatio cur difficilis.
Fœderatorum ad vrbem Rauennam aduentus, & Fuxij de pugna capeſſenda, aut oppugnatione continuanda animi fluctuatio. 13.31
Pugnæ Rauennatis feruor. 13.34
In ea Fuxius cæſus. 13.34
In vtroque exercitu quot deſiderati. 13.35
Rauennatũ in vlciſcenda Iaquini morte facinus cruentum. 13.35
Rauenna Iulio Pontif. dedita. 11.18
Raueſtinus à Ludouico Genuam miſſus plebis furorem compeſcere nequit. 10.27
Roccabertino Genuæ relicto vrbe cedit. ibid.
Rebellio Caietanorum. 6.38
Recrodus 14. Heluetiorum millia conſcribere iuſſus. 27.55
Reges Andegauenſes quamdiu regnarint. 5.8
Reges Angliæ quomodo pecuniam à ſuis exigere ſoliti *vide* Anglia.
Regis Eduardi quanta inopia. 2.29
Regum ac magnorum Principum mutua colloquia bellorum, odiorũmque ſeminaria. 1.5.7. & 8
Regibus non peccare haud ſatis eſt; alij ne peccent, illorum eſt prohibere. 5.26
Regum Gallorum familiæ officia, miniſteriáque præcipua. 1.2
Regum Gallorum antiqua conſuetudo, Pontifici ad manus abluendas aquam miniſtrare. 5.41
Regum Gallorum mos in creandis equitibus. 6.35
Regum Galliæ, Angliæque congreſſus. 20.44
Regum inuicti animi, forte militibus exemplum. 1.23
Reginaldus Orelius. 7.18
Ad Sfortiam legatus à Carolo VIII. ibid.
Reginaldus Polus, Cardinalis Anglus. 25.23. & 26. *loco* 61. & 68
Reconciliatio inter Carolum V. & Henricum II. nequidquam ab eo promoueri cœpta. 26.68
Regnandi cupido quam potens. 9.2
Regni duæ columnæ, & quæ. 28.65
Regnum Neapolitanum Romani Pontificatus fidei commiſſum. 5.17
Religioſi habitu diſſimulato ad varias legationes obeundas miſſi. 1.15
Remonetus Malannoij arcis præfectus. 3.37
Cruci affixus. ibid.
Remorentinenſe edictum *vide* edictum Remorentinenſe.
Renaldus Vrſinus Florentinus Epiſcopus in vincula coniectus. 9.23
Renatus Lotharingus Burgundorum ſpoliis è Murtiano prælio donatus. 3.21
Quædam Lotharingiæ oppida recipit. 3.22
Vallemontium. ibid.
Spinale. ibid.
Nancium circumſedit. 3.22
Capit. ibid.
Iterum à Burgundo obſeſſo commeatum infert. 3.23
A Ludouico XI. nummos ſtipendiis exoluendis accipit. 3.23
Eiuſdem exercitus. 3.24
Manus conſerens victor euadit. 3.25
Renatus Paccius extremo ſupplicio affectus. 4.6
Renatus Siciliæ Rex cum Ludouico XI. de omnibus controuerſiis conuenit. 4.20
Quibus conditionibus. ibid.
Eius filia apud Eduardum captiua. ibid.
quod ius Renatus iunior Lotharingiæ Dux; in regnum Neapolitanum ibi vendicet. 5.7
Magnam illius recuperandi oblatam occaſionem negligit. 5.9
Rentius Ceres Senenſem agrum ingreditur. 17.15
Ad Cremonam ſe adiungens. 17.56
A Boniucto ad Aronam oppugnandam miſſus. 17.57
A Venetorum ſtipendio deficit. ibid.
Rentius, Sardos in inſidias attractos fundit. 20.8
Rentium fruſtra per Gallos tentatum. 26.51
Rerum humanarum exitus fallax. 1.29
Rhedonum ſermo ad Trimullium. 4.34
Rheginenſis arx quomodo capta. 6.38

Rhegini Ferdinando Neapolitano iuniori Calabriam ingreſſo ſeſe permittunt. 6.22
Rhegium in Conſalui poteſtatem redactum. 6.39
Rhetorum ſeditio. 11.2
Rheti. 11.41
Quibus legibus in Ludou. XII. ſocietatem admiſſi. 11.42
Rhinfeldenſes ad Sigiſmundum Auſtriacum deficientes. 3.3
Rhodum nequidquam oppugnat Meſithus Palæologus Baſſa. 4.10
Rhodiorum equitum apparatus & ordo ad excipiendum Turcarum impetum. 17.20
Adrianus Pontifex ſuas triremes Rhodum mittere fruſtra à Iulio Cardinale Medice admonitus. 17.21
Solymani Rhodum oppugnantis exercitus numeroſiſſimus. 17.21
Rhodus cuniculorum ductu penſilis propemodum reddita. 17.23
Crux alba militiæ Rhodiæ ſignum. 17.23
Laudanda mulierum Rhodiarum fortitudo. 17.26
Muſtapha Baſſa Memphitico præfecto ſucceſſor deſignatus. 17.26
Turcæ obſidionem ſoluere deſtinantes, Andreæ Meralij proditione ad renouandam oppugnationem denuò accenduntur. 17.26
Robertus Rochomartinus Rhodum cum aliquot equitibus & ducentis militibus appellit. 17.30
Solymanus Rhodios ad deditioné conditionibus æquiſſimis clementer pellicere per Pyrrhum Baſſam aggreſſus. 17.31
Colloquium vtrimque indictum. 17.32
Obſidibus acceptis legati à Liladamo ad tyrannum commeant. 17.32
Turcarum qui in obſidione Rhodi perierunt, numerus. 17.32
Liladami edictum. 17.33
Deditio Rhodi, & quid in eadem comprehenſum. 17.33
Rhodiis equitibus miſſio à Carolo V. conceſſa. 22.58
Richardus ad regnum Angliæ vt peruenerit. 4.19
Et vt ab Henrico Liceſtriano regni Anglici legitimo hærede cæſus. 4.20
Richerius Luceburgenſis nomine ad Ludouicum XI. miſſus. 3.8
Rinco Franciſci I. legatus *vide* Antonius Rinco.
Ringrauius proſcriptus à Carolo V. 25.12
Ripalta, ſiue Riuus altus capta à Venetis. 11.13
Riparius Comes. 3.34
Riuius Mareſchallus ad Germani oppidum appellens Arragonios in fugam agit. 6.8
Indignam Cancellarij Britannici mortem vlturus, in ſummum diſcrimen adducitur. 4.27
Riuius ad Britannum reuerſus Venetos oppugnat. 4.33
Eius caſtellum Briennium, & arx expugnata. ibid.
Roberia nequidquam à Gallis tentata. 21.27
Robertus Ariminenſis. 4.7
Carolo Montonio ſuffectus. 4.9
Pontificios pugna ſuperat. ibid.
Roberto Entraguio Aureliani domeſtico Piſanæ arcis cuſtodia demandata. 6.26
Robertus Lenuncurtus in Marſos, Præcutinorúmque agrum Caroli VIII. iuſſu irrumpit. 6.1
Rei bellicæ expertiſſimus. 6.12
Robertus Lenuncurtus Aquilanis præeſſe iuſſus. 6.21
Eius mors. 7.24
Robertus Marchianus Cæſari bellum temerè indicit. 16.25
Contra Cæſarem nihil tentare à Franciſco I. admonetur. 16.25
Inducias à Cæſare impetrat. 16.28. & 29
Robertus Rochomartinus Rhodum cum aliquot equitibus, & 100. militibus appellit. 17.30
Robertus Seuerinas Genuenſes ad rebellandum impellere iuſſus. 4.8
Piſanum agrum populatur. 4.8
Bellum aduerſum Bonam Sabaudicam renouat. 4.10
Robertus Stroza pugna Forouonana interfectus. 6.31
Robinetus Frameſella Carolo VIII. in pugna Forouonana comes adiunctus. 6.30
Rochamenij de Caroli V. exercitu teſtimonium. 21.43
Rochandulphus ad Budæ oppugnationem ſe comparat. 23.1
Hoſti venienti cedere indignum putat. 23.3
Rochandulphus vulneratus. 23.4
Ex vulnere, & animi ægritudine diem obit, viginti Chriſtianorum millibus in conflictu cæſis. 23.5
Roëſij Comitis mors. 26.30
Rodericus Borgia Valentinus, Alexander VI. appellatus. 5.2
Rodigina peninſula in Ambaſiani poteſtatem redacta. 12.1
Rodolphus de Cheuriers Carolum Andegauenſem in Siciliæ Regem coronat. 5.6
Rodolphus Gonzaga Principis Mantuani patruus Forouonano prælio cæſus. 6.31
Rodolphi Gonzagæ Mantuani patrui commune dicterium. 6.28
Rogatorum concilium Venetiis. 8.17
Rohanum Burgundo reſtitutum. 3.16
Roia à Burgundo capta. 2.35
Roia Belga in pugna Melegnana peremptus. 15.19
Romæ peſtis exorta ingentem in vrbe ſtragem edit. 17.36
Romanæ militiæ à Gallica diſcrimen quodnam ſit. 3.14
Prodigio datum quod bona murorum vrbis Romanæ pars, qua Carolus ingreſſurus erat, ſua ſponte collapſa ſit. 5.39
Roma metu Caroli aduentantis ſummus Pontif. cedere tutum exiſtimat. 5.38. & 39
Romam intromiſſum Ferdinandum Neapolitanum Carolus VIII. Galliarum Rex qua ratione intercipere, reditúmque in patriam ipſi intercludere molitus. 5.39
Totus pœne Romanus ager in Gallorum poteſtatem redactus. 5.39
Carolus VIII. in vrbem Romam admitti poſtulat, debitum honorem ſummo Pontifici redditurus. 5.40
Romani illius exercitu perculſi. ibid.
Octo Cardinales ob conuentiones cum Alexandro initas indignati Roma exeunt. 6.6
Mortuo Alexandro Pontif. Max. tumultus ingentes Romæ excitati. 9.40.41. & 42
De creando Romanorum Rege acriter diſceptatũ. 16.5
Tumultus aduerſus Clement. Pont. Romæ excitati. 19.4
Quare. ibid.
Roma à Borbonio capta. 19.27.28. & 29
Cæſarianorum in diripienda vrbe Roma immanitas pluſquam Gothica. 19.28
In ipſos Cardinales ſæuire non reformidant. 19.29
Roma ab Vrſinis direpta. 19.52. & 53
Romam deferri pecuniam pro beneficiis Lutetiæ prohibitum. 25.43
Romefortius Nouariæ pro obſide relictus. 7.5
Romolinus Epiſcopus. 7.43
Roquebertinus Catalanus. 6.41
Roſa in publico Cardinalium cœtu viris illuſtribus honoris ergo à Pontificibus Romanis dari ſolita. 7.36
Roſſanenſis princeps in Iſchiam inſulam Alphonſo Neapolitano ita mandante delatus, vt inibi à barbaro Mauro crudeliter mactaretur. 5.28
Eiuſdem filio ſimul cum Comite Populonio in Neapolitana arce aſſeruato. ibid.
Roſſio notho Lignij domeſtico arx Serezana per Carolum VIII. commiſſa. 6.26
Roſſius Comes captus. 3.5
A quo. ibid.
Rotembergum ad Duberum fluuium ſitum, ad Carolum V. cur deficiat. 24.30
Rothomagũ Ioanni Boiorũ Regulo quo modo traditũ. 1.3

Rothomagenſ

Rothomagenſis Senatus quãdo,& à quo inſtitutus.8.10
Rothomagenſe Scacarium,quid. ibid.
Rothomagum à Caluinianis captum, & à Nauarro receptum. 30.1
Rothomagi comitia Ludouici XI. iuſſu celebrata.1.13
Ad Carolum ducem Rothomagenſes deficiunt. 1.41
Rouerei Cardinalis reſponſum illuſtre. 5.13
Rouereus Corinaltum nequicquam oppugnare aggreſſus. 15.50
Rouereana claſſis ſuperata. 15.51
Pacificatio inter Rouereum, & Bibiennam vt promoueri cœpta. 15.52
Rouereus Pontifex Max.renuntiatus. 9.44
Rouerei Vrbinatis fuga. 12.36
Rouereus Ticinenſem Cardinalem pugione confodit. 12.37
Rouereus bellum cum Laurentio Mediceo ſingulari certamine finire poſtulat. 15.44
Rozollana Muſtaphæ Solymani filij mortis cauſa. 26.40
Quo dolo cum Roſtane genero ſuo vſa. 26.40.& 41
Rubripratenſem merito vinctum fuiſſe à Carcellenſe conficitur. 1.14
Rubripratenſis in Hollandiam ad Carcellenſem profectio. 1.11
Quid in mandatis haberet. 1.13
In carcerem coniicitur. 1.13.& 11
Ruguius captus. 3.5
Rupellæ,alia præter Romanam,religio coli vetatur. 30.2
Rupertus Comes Palatinus de Epiſcopatu Colonienſi cum Hermanno Lantgrauio diſputat. 2.43
Rupifortij Cancellarij ſanum conſilium. 4.35
Ruſcinonenſis Comitatus Ludouico XI. oppigneratur. 1.5
Tanneguio Caſtello collatus. 2.12
Ruſſium inter Fauentiam Rauennámque ſitum,Gallis deditum. 11.18
Ruſtici quidam deſperatione adacti de interficiendo Carolo V. cogitant. 21.55
Ruſtici Metim confugientes ad opera adhibētur. 26.18

S

SAcellum à Franciſco I. in victoriæ monumentum ad Melegnanum erigitur. 15.20
Sacrilegos malum ſemper exitum conſequi obſeruatur.28.23
Sacromorus Viccecomes ab Epirotis captus. 11.37
Salaſſo Marchioni cura Imperij delata. 10.3
Profligatus, relictis tormentis bellicis Caietam iter inſtituit. 10.5
Eius obitus. 10.7
Salaſſus quingentos Hiſpanos armis ſpoliat. 19.24
Cum Arauſio quî conueniat. 20.13
Lautrecij munus obire iuſſus. 20.13
Salaſſus maioris bombardæ pila ictus extinguitur. 22.12
Eiuſdem in Franciſcum Regem ſumma ingratitudo.22.13
Salentinis,Spartus præficitur. 6.21
Salernitani principis miſerandus vitæ exitus. 7.26
Salezarius ad Graium vicum fuſus. 4.3
Salinæ Ceruianæ. 11.42
Salinæ Comaclenſes. 11.42
Salſauo Verruæ præfectus qua ratione Caſale ſibi ſubiiciat. 27.1
Salſulæ nequidquam oppugnatæ. 10.1
Salſulas arcem oppugnare aggreſſus Carolus Albonius. 7.28
Decem horis expugnat. ibid.
Samarobrina,idem quod Cameracum. 3.36
Samblanchardus Franciſci I. triremibus præfectus. 21.48
Sancerræ vocis origo. 24.1
opportunum Sanctandreani Mareſchalli commentum.29.36
Sanctandreani Mareſchalli conſiliũ imprudenter à Mommorencio reiectum. 27.52
Sanctandreanus Mareſchallus in ſeditioſos Lugduni inquirere iuſſus. 29.2
Perfidè interfectus. 30.8
Sanctonum,& Burdegalenſium rebellio ob ſalinarium vectigal. 25.16
Moneius populum oratione placare contendens, interficitur. 25.16
Burdegalenſes ab Henrico II. compeſcuntur. 25.17.& 18
Rebelles ſeditionis pœnas luunt. 25.17
Sandeſirium Carolus V. oppugnare aggreſſus. 24.2
Obſeſſorum generoſitas. ibid.
Cuniculi inutiles. ibid.3
Induciæ in duodecim dies iuratæ. 24.3
Galli penuria preſſi Sandeſirio cedunt. 24.3
Carolus V. de fœdere cum Gallis ineundo cogitat.23.4
Sandricurtius maritima nauſea oppreſſus obiit. 10.7
Sardi in inſidias attracti à Rentio, & fuſi. 20.8
Saulius Baudinellus Cardinalitio gradu deiectus. 15.49
Sauona ad ſubigendam Genuam peropportuna. 8.1
Saxo Elector Ferdinando Romanorum Regi reconciliatus. 20.55
A Carolo V. proſcriptus. 24.21
Carolo bellum denuntiat. 24.21.& 25
Saxo noctu fuga ſibi conſulens. 24.29
Obſidione Lipſiam cingit. 24.32
Quæ feliciter geſſerit. 24.33
Saxonis,& Caroli V. occurſus. 24.37
Vtriuſque exercitus. ibid.
Pugna. 24.37
Saxo comprehenſus,& ad Cæſarem perductus. 24.37
Interfectorum in prælio numerus. ibid.
Ne Saxo capite luat,deprecatur apud Carolum V. Ioachimus Brandeburgenſis. 24.38
Veniæ Saxoni datæ conditiones. 24.39
Saxonis vxor pro viro deprecatura ad Carolum ſupplex accedit. 24.39
Scabini vnde ſic dicti. 3.31
Scarampa Foronouano prælio cæſus *vide* Antonius Scarampa. 6.37
Scaramucia Comes. 8.30
Schenderus Baſſa. 28.52
Scotorum rebellio ob impoſita noua vectigalia. 28.50
Bellum Scoticum.
Elizabetha Angliæ Regina miſſas in Scotiam copias reuocari poſtulat. 28.52
Scutarium,idem quod priſcis Chalcedon. 5.13
Scutiferi nomen apud Gallos,quid. 2.37
Sebaſtiani Scerteli cohortes inter fugiendum fuſæ. 24.28
Seditio inter Florentinos exorta. 13.7.& 11
Illius origo. ibid.
Seditio inter Hiſpanos,Italóſque pedites exorta. 16.48
Seditio in Florentinorum exercitu exorta. 4.9
Seditio in caſtris fœderatorum aduerſus Franciſcum I. à Germanis mota. 17.10
Cur de ſeditionibus ſine prouocatione cognoſcatur.28.57
Seditionis ſemina inter Heluetios iacta. 15.16
Seditio Genuæ excitata. 24.32
Sedunenſis Epiſcopus in auguſtum Cardinalium collegium adſcitus. 12.31
Sedunenſis Franciſci I. adoriendi Heluetiis auctor. 15.14
Illius ad Heluetios ſermo. 15.16
Selymus mortuo Solymano Turcarum Imperator declaratus. 30.42
Sellaqua caſtellum à Gallis captum. 25.20
Selymus Campſonẽ Gaurium Ægypti Sultanum ſuperat ad

ad Singam fluuium. 15.37
Moritur in Thracia. 16.2
Semblancaius ſummus quæſtor extremo ſupplicio immerito addictus. 17.12
Semenaria quibus conditionibus Conſaluo dedita. 6.39
Vt in Gallorum poteſtatem redierit. 6.20
Senenſis ager à Pontificiis copiis inuaſus. 4.7
Arx Caſtellina expugnata. ibid.
Senarum antiquitas, dignitáſque commendata. 5.37
Senenſes ſe apertam cum Gallis amicitiam profeſſuros negant, prius quàm arma Gallica in Hetruria conſpexerint. 5.17
Senenſes à Piſanis in auxilium vocati. 6.3
Senenſes Lignium præfectum Carolo VIII. Galliarum Rege annuente deligunt; verum paucis poſt diebus ciuitas in Pandolphi Petrucij ditioné recidit. 6.23
Senenſes Hiſpanorum iugum excutiunt. 26.11
Belli Senenſis progreſſus. 26.36
Senæ à Melegnanenſe obſeſſæ. 26.58
Obſidio ſoluta, & cur. 26.58
Iterum circumſeſſæ. 26.58
Vt ſe Carolo V. dediderint. 26.59
Senenſium reconciliatio cum Clemente Pontifice per Moncuam promoueri cœpta. 19.8
Serazanam Piſani agri oppidum Ludouicus Fregoſius intercipit. 4.10
Inuictus Serini Segethi præfecti animus ac conſtantia. 30.41
Serchius fluuius. 6.20
Serezana arx natura artéque munitiſſima à Gilberto Borbonio Mompenſerio oppugnata. 5.30
Carolo VIII. paulo poſt tradita. 5.31
Serezanæ arcis cuſtodia Roſſio notho, Lignij domeſtico per Carolum VIII. commiſſa. 6.26
Serezanellam qua conditione Petrus Medices Carolo VIII. dediderit. 5.31
Serranillium oppidum à Venetis occupatum. 11.23
Seuerini fanum vt Mompenſerio deditum. 6.43
Sfortia *vide* Ludouicus Sfortia.
Sicambri, nunc Gueldrenſes dicti. 2.42
Sicca fruſtra à Gallis obſeſſa. 10.2
Siccus qua induſtria in vrbem Buttenſem attractus, & receptus. 7.29
Cæſus. 7.30
in Sicilia coniuratio detecta. 17.39
Volaterranus illius coniurationis ſuſpectus in vincula coniectus. ibid.
Siciliæ conuentus à Carolo V. indictus. 21.15
Sigethi obſidio. 30.40
Sigiſmundus Auſtriæ Dux Carolum Burgundum inuiſit. 1.7
Sigiſmundus Auſtriacus animi puſilli, & hebetis. 4.1
Maximiliani Auſtriaci patruus. ibid.
Eundem hæredem ex aſſe inſtituit. ibid.
Sigiſmundus cum Heluetiis contra Burgundionem fœdus percutit. 3.4
Simon Quingeius rebellis Virduni cum ſuis ab Ambaſiano vt oppreſſus. 4.3
Simon Horrigonus Antonium Landrianum cædit. 8.26
Simon Orlandus defectionis Piſanorum à Florentinis princeps. 5.35
Sinibaldus Fliſcus captus. 14.59
Sinueſſanæ aquæ, & Minturnenſes, eædem. 10.3
Sixtus IV. Pontifex Maxim. Florentinos ſacris interdixit, quod Saluiatum Piſanum Epiſcopum extremo ſupplicio affeciſſent. 4.7
Copias ſuas in agrum Senenſem immittit. 4.6
Turcarum potentiam Italiæ imminentium reformidans cum Florentinis conuenit. 4.10. & 11
Smalcaldicum fœdus. 20.34
Smalcaldicus Proteſtantium conuenticulus. 22.23
Societas cum Turca Chriſtianiſſimo Regi illicita. 23.27
Societatis inter Carolum VIII. ac Ludouicum Sfortiam initæ capita præcipua. 5.13
Societas inter Florentinos, & Regem Hiſpanum. 13.50
Societatis inter Iulium Pontif. Max. ac Ferdinandum, Venetóſque initæ capita. 13.9
Soclenſes expugnati immaniter trucidantur. 23.40
Solarolum oppidum captum. 11.17
tres Soles viſi in Appulia *vide* Appulia.
Sollianum oppidum tentatum. 7.30
Solymanus Turcarum Imperator. 16.18
Solymani Rhodum oppugnantis exercitus numeroſiſſimus. 17.21
In illius exercitu tormentorum maiorum, minorúmque numerus propemodum infinitus. 17.21
Solymani ad exercitum ſuum appulſu, noui animi militibus additi. 17.22
Turcicorum tormentorum magiſter cæſus. 17.22
Solymanus Rhodios ad deditioné conditionibus æquiſſimis clementer pellicere per Pyrrhum Baſſam aggreſſus. 17.31
Colloquium vtrimque indictum. 17.32
Obſidibus acceptis legati à Liladamo ad tyrannum commeant. 17.32
Varadini arx à Solymano expugnata. 19.13
Hungarorum aduerſus Solymanum exercitus. 19.15
Pugna ad Mugatium. 19.15
Solymani copiæ vt ad pugnam diſpoſitæ. 19.16
Caroli V. in Hungariam contra Solymanum proficiſcentis potentiſſimus exercitus. 20.40
Babylon à Solymano ſubacta. 21.6
Solymanum Perſicam expeditioné ſuſcepiſſe piget. 21.7
Habraimus, quòd Perſici belli Solymano auctor fuiſſet, interemptus. 21.7. & 8
Solymanus per Foreſtium Franciſci I. legatum ad inuadendam Italiam incitatus. 21.1
Solymani cum Venetis bellum, & vnde natum. 22.8
Corcyra vrbs ab eodem nequidquam tentata. 22.9
Ludouicus Badoërius Venetorum legatus quorumdam perfidia à Solymano malè exceptus. 22.40
Solymanus Mahometem Baſſam cum auxiliaribus copiis in Pannoniam Iſabellæ Reginæ ſubmittit. 23.3
Cum potenti exercitu Budam accedit, & ad veterem Budam conſidet. 23.5
Budam ingreſſus Reginam cum puero in Lippam regionem diſcedere iubet. 23.6
Præfecto Budæ impoſito Solymanus ad diſceſſum ſe accingit. 23.6
Solymanus variis vrbibus potitus. 23.40
Strigonio. ibid.
Valponio. ibid.
Albam obſidet. 23.41
Ad deditionem compellit. 23.42
Carolus V. inducias à Solymano poſtulat. 24.16
Cur Solymanus bellum aduerſus Ferdinandum Romanorum Regem ſuſceperit. 25.38. & 39
Solymani litteræ ad Fr. Georgium. 25.39
Solymanus Muſtapham filiorum natu maximum coram ſe in tentorio trucidari iubet. 26.40
Solymanus Turcarum Imper. Rhodum, & Belgradum oppugnaturus Rhodiorum commeatus vt auertat. 17.18. & 19
Potentiſſimus Solymani exercitus. 30.40
Eius mors in Hungaria. 30.41
Crudele eius mandatum ad Hanſamum Vegum. 30.39
Soncinus Benzonius. 6.31
Soncinus Benzonius Cremenſis in crucem actus. 12.4
Spartus Caroli VIII. mandato Salentinis præpoſitus. 6.21
Spinale Lotharingiæ oppidum receptum à Renato Lotharingo. 3.22
Spinaius Cardinalis. 4.30
Spilembercum ab Ambaſiano expugnatum. 12.18
Spirenſis conuentus. 23.7

Ad

Digitized by Google

Ad eum conuentũ Franciſci I. legatus proficiſcitur. 23.7
Spira vaſtata ab Alberto Brandeburgenſi. 26.12
Spoleti arx Carolo VIII. Galliarum Regi quî dedita. 5.41
Squillacienſis Marchionis fundi, & poſſeſſiones Aubignio condonati. 6.16
Stabiarum oppidum Lautrecio ſe dedit. 20.5
Statuta Molinenſia quæ. 30.35
Stella circa decimam matutinam Pariſiis apparere viſa. 30.36
Stella circa meridiem in Hungaria apparens Solymani mortem portendere viſa. 30.39
Stempacis propugnaculum quomodo à Paulo Vitellio expugnatum. 8.18
Stempenſis Comes cur Carcellenſi inuiſus. 1.9
Stephanus Hagembachius fratris mortem vlciſci aggreſſus. 3.4
Stephanus Tabernius Ludouici Sfortiæ legatus qua fraude à Petro Medice deceptus. 5.26
Stephanus Verſius quis fuerit. 5.1
Vnde in tam flagranti gratia apud Carolum VIII. conſtitutus. ibid.
Cur Carolo VIII. Italicam expeditionem ſuſcipiendam ſuaſerit. 5.1
Eiuſdem conſilium toti Galliæ, præterquam Carolo importunum. 5.19
Cum Briſſonneto graues ſimultates gerit. 6.3
Cur. ibid.
Nolanus regulus declaratur. 6.12
Caietæ præficitur. 6.21
Regni Neapolitani ærario. ibid.
Strigonium Solymanus transfugæ cuiuſdam perfidia capit. 23.40
Strigonium munitionibus reſtauratum. 23.41
Strozzeanorum fuga, ac cædes. 26.59
Strozzeani, Cæſarianique occurrentes confligunt ad Scriuium fluuium. 23.58
Anguianus ac Strozza deditione Albam capiunt. 23.60
Strozza collectis copiis Anguiano iungitur. 23.59
Cæſarianos ad Parmæ obſidionem accedentes feliciter impetit. 25.41
In Placentinum agrum excurrit, captis in illo nonnullis oppidis ac caſtellis. 25.42
Suarez centurio coniurationis in Rouercum conuictus haſtis confoditur. 15.46
Sudor Anglicus. 20.27
Sueui Auſtriacæ familiæ fœderati. 20.53
Quando, & cur eiuſmodi ſocietas diſſoluta. 20.53
Suffolchienſis capite mulctatus. 10.20
Suffolcio regulo duce Angli mare tranſmittentes in Picardiam traiiciunt. 17.17
Suillius vir fortis peſte abſumptus. 6.38
Sumeſſana arx, & mons Draconis, idem. 6.40
Supellex Mediceorum Florentiæ direpta. 5.34
Quanti æſtimata. ibid.
Supellectilis Burgundicæ quantus ſplendor *vide* Burgundia. ab Heluetiis diripitur. 3.18
Surrentinus Cardinalis. 9.47
Suſannæ Petri Boiorum Reguli obitus. 17.43
Suſanæ arcis deditio. 22.18
Suſpicionis inter Maximilianum Imperatorem, & Ludouicum XII. ſemina. 13.4
Sybilla Saxonis vxor ad Carolum V. ſupplex accedens, vt pro viro captiuo deprecetur. 24.40
Syluius Cortonenſis Cardinalis. 16.19
Syluius Sabellus à Proſpero Columna fuſus. 14.51

T

Tallacotium Marſorum oppidum à Fabricio Columna occupatum. 6.1
Talmontius Ludouici Trimullij filius in pugna Melegnana peremptus. 15.19
Tanneguij Caſtelli prudens conſilium Britanniæ Duci datum. 1.15
Tanneguius Caſtellus Caroli VII. funus ſuis ſumptibus peragi mandat. 1.1
Sed multis poſt annis funeris expenſas à Ludouico Caroli filio recipit. ibid.
Admiranda eius conſtantia. 2.11
Ruſcinonenſi Comitatu à Ludouico XI. donatur. 2.12
Tarentum ab Antonio Grimano tentatum. 6.38
Conſaluo deditum. [illegible].7
Tarento Georgius Suillius præeſſe iuſſus. 6.21
Tarlatinus Piſanorum Dux Florentinos quomodo ceciderit. 10.16
Taroanna per Burenum oppugnata. 22.7
Hannebaldus Taroannæ ſuppetias ferre aggreſſus, ſed non ſine manifeſto periculo. 22.7
Taroannam Carolus V. Roëſio duce obſideri iubet. 26.30
Taroanna capta, & à fundamentis euerſa. 26.31
Taroannam Maximilianus Auſtriacus oppugnat. 3.37
Illa relicta ad Guinegatam confligit. 3.37
Taroannæ obſeſſæ Piennus ſuppetias ferre iuſſus. 14.41
Taroannenſes honeſta, & militari deditione facta vrbe cedunt. 14.42. & 45
Tarrus alueum egreſſus Gallorum cum Sfortianis colloquium interrumpit. 6.36
Aliquot è Calatini militibus tentato vado tranſire auſis abſorbet. 6.36
Tata à Salmenſi obſeſſa, & oppugnata. 30.39
Tauannij ambitio non recepti Lugduni cauſa. 29.46
Taurinum Vaſconis perfidia in vltimum diſcrimen adductum. 22.14
Telignius Rouergas. 14.40
Telignij cædes. 27.51
Terama Præcutinorum oppidum Gallis erepta. 7.15
Terminenſis Dux Tiferni mortuus. 13.17
Terracinæ arx Carolo VIII. Galliarũ Regi quî dedita. 5.41
Terræ motus ingentes Venetiis, & Patauij. 12.30
ingens Terræ motus in prouincia Phocenſi. 30.29
Teutonicus ordo *vide* ordo Teutonicus.
Theatinus Cardinalis *vide* Cardinalis Theatinus.
Theodori Triuultij apud Chatras mors, & elogium inſigne. 15.5
Theonuillariæ oppugnationis progreſſus. 28.11
Theonuilla quibus conditionibus dedita. 28.13
Thermeus Eſſeo ſuccedens. 25.15
Tholoſam qua ratione Caluiniſtæ intercipere conati. 29.46. & 47
Eorumdem cædes Tholoſæ. 29.47
Tumultus iſtius Tholoſani auctores, qui. 29.49
Thomæ Mori Angliæ Cancellarij ſupplicium. 20.44
Tiberis exundatio tanta, quantam nemo mortalium antea viderat. 20.35
Plurimis damnoſus. 27.57
Tiburtinæ aquæ in lapidem ſolidum dureſcentes. 27.31
Ticinum Carolus VIII. appellit. 5.28
Ibi Ludouicum Sfortiam retinendum eſſe à Lignio ac Briſſonneto admonetur. 5.29
Ticini occupandi ſpe Lautrecius fruſtratus. 17.7
Ticino Lautrecij iuſſu pons impoſitus. 19.38
Ticinum à Gallis direptum. 19.39
Ticini obſidio. 20.16
Acrius premitur. ibid.
Oppugnatio inſtituitur. ibid.
Ticinenſis Cardinalis fuga ex vrbe Romana. 12.57
Ticinenſium ſibi ſubdendorum occaſione vti neſcius Ludouicus Aurelianus. 6.25
Tifernates militari gloria clari. 7.55
Tigurina Comitia *vide* Comitia Tigurina.
Tigurinus conuentus cur celebratus. 13.44
Tindeuillæ Poliſij in Angliam mittendi cauſa quænam fuerit. 21.36
Tinteuilla *vide* Galterus Tinteuilla.
Tolonium veteribus Tauroentium dictum. 18.9

Fongri ciuitas Burgundioni dedita. 2.9
Torcius, Crepecordio iunctus Maximiliano Auſtriaco ad Taroannam occurrit. 3.37
Tormentum bellicum miræ magnitudinis Turonibus fuſum. 3.37
Torméta bellica à Guiſano vſque ad ſexcéta capta. 18.6
Tormentorum bellicorum auctoris nomen rectè ſuppreſſum. 5.24
Vbinam inuenta. ibid.
Tornacum quinque menſibus obſeſſum ad deditionem compulſum. 16.30
Tornacum Anglis quibus legibus deditum. 14.46
Ab Oliuario Damá tonſore quî interceptũ. 3.32. *loco* 23
Gallis quî reſtitutum. 16.5
Tornacum à Camperuxio quibus conditionibus deditum. 16.36
Aliqui ciues Tornacenſes in cuſtodia habiti quoad Ludouicus XI. ſuperſtes fuit. 3.33
Torſij ſingulare certamen. 9.27
Tranium Lautrecio deditum. 19.55
Tranquillus Piſaurenſis præfectus in crucem actus, & cur. 15.35
Trebia Romanorum clade celebris fluuius. 6.36
Caroli VIII. exercitui difficilem tranſitum præbet. 6.36
Trebonianum oppidum Franciſcus Borgia oppugnandum ſuſcipit. 7.33
Treuiſanus, vir apud Venetos magnæ authoritatis. 11.8
Ariminum, Fauentiámque Iulio Pontifici Max. reſtituere diſſuadet. 11.8
Tributi Pontificij, quotannis ab Anglis pendi ſoliti origo. 20.54
Tricarienſis Epiſcopus à Leone Pontif. Max. ad Ludouicum XII. deſtinatus. 14.53
Tricaſſes celebris Campaniæ Celticæ vrbs. 5.6
Tridentinum Concilium *vide* Concilium Tridentinum.
Trimullius Ludouici XII. copiarum dux ſupremus. 8.34
Trimullius pacis conditiones proponi curat. 14.43
Trimullius *vide* Georgius Trimullius.
Trinum Statidorum Ligurum oppidum. 7.7
Tripolis, ſiue vrbs Africa in poteſtatem Caroli V. redacta. 25.28
Triticum Roma à Gallis exportari per Alexandrũ Pontificem vetitũ, regni Neapolitani amittendi cauſa fuit. 9.37
Triultius cur proditionis ſuſpectus. 5.22
Ad Carolum VIII. deficiens Neapolitani regni amittendi cauſa fuit. 6.9
Quid illum ad Carolum VIII. tranſire impulerit. 6.6
Quî factum ſit vt Triuultij vexillo Gallis terror incuſſus ſit. 6.35
Triuultius Aſtæ cum quingentis cataphractis equitibus à Carolo VIII. relictus. 7.8
De inuadendo Mediolanenſi principatu cogitat. 7.27
Nouium oppidum ſibi ſubdit. 7.27
Item & Boſcum. ibid.
Mediolanenſium tacitæ de Triuultio, & Guelfis querimoniæ. 8.31
Triuultij natura. 8.31
Crudelitas. ibid.
Inſolentia. 8.33. & 34
Cum Aubignio graues ſimultates gerit. 8.34
Triuultij Trecarum petere renuentis peruicacia, Gallis pernicioſiſſima. 14.22
Troilum Sabellum falsò Bembus Gallorum cædis auctorem facit. 12.22
Tronquoia arx à Ludouico XI. expugnata. 3.5
S. Trudonis vrbs à Burgundione obleſſa. 2.8
Tubicen iure belli ſanctus. 2.6
Tumultus Lutetiæ excitatus. 8.10
Tunetum Carolo V. deditum. 21.13
Turcæ militaris diſciplinæ tenaciſſimi. 22.47
Turcæ in naues à Preiane Bidoxio compulſi. 17.19
Turcæ à Tartaris oriundi. 30.42
Turcæ qua induſtria, & arte Hidruntum Appuliæ oppidum munierint. 3.38
Vt Ludouici XI. iuſſu eorum legati Gallia excedere iuſſi. 4.13
A Neapolitanis aduerſus Carolum VIII. in auxilium acceſſiti. 5.17
Gallorum nomen ipſis formidabile. 5.17
Præſidiarios Turcas Macedoniam, Epyrúmque inſidentes quãto terrore affecerint Galli Neapolitanum agrum ingreſſi. 6.13
Structas à Carolo VIII. inſidias in Græciam, Venetorum perfidia vt eludant. 6.14
Mos amputandi capita iam occiſorum apud Turcas, vnde inuectus. 6.27
Turcis variæ imperij propagandi occaſiones opportunæ oblatæ. 16.37
Turcæ Rhodum oppugnant, & tandem expugnant. 17.21.22.23. &c.
Turcæ obſidionem Rhodiam ſoluere deſtinantes Andreæ Meralij proditione ad renouandam oppugnationem denuo accenſi. 17.16
Turcarum qui in obſidione Rhodi perierunt, numerus. 17.32
Chriſtianorum Principum, qui Turcarum auxilia implorant, peſſimum ſolere eſſe exitum, conficitur. 22.2
Turnonium ab hæreticis captum. 29.45
Turones.
Turonibus tormentum miræ magnitudinis fuſum. 3.37
Aëris temperies ad Turones gratiſſima. 4.15
Trium ordinũ conuentus à Carolo VIII. indictus. 4.28
Ad Turones Galliarum ordines à Ludouico XI. conuocati. 2.12
Quid in iſto conuentu decretum. ibid.
Turpia Perſio ſubdi nolens in Arragoniorum fide permanet. 6.16
Turris Marchionica in Ambaſiani poteſtatem redacta. 11.1
Tuſcanella vi à Gallis capta, direpta. 6.22
Tyrannis barbarica Ferdinandi Neapolitani *vide* Ferdinandus Neapolitanus.

V

Vaccia Pannoniæ oppidum à Turcis captum. 22.60
Vaculanæ induciæ. 27.17
Vademontanus Princeps Burgundi mandato comprehenſus. 2.36
Vademontanus fœderatorum aduerſus Carolum V. claſſi præeſſe iuſſus. 19.10
Vademontani gentilitium ſtemma. 20.13
Honorificè inhumatur. 20.13
Vaianæ caſtellum expugnatum. 7.30
Vailanum prælium *vide* Pugna Abduana.
Valdræi arx capta. 4.3
Valdræus captus. 4.3
Valdecus Epiſcopus Monaſterium Vveſtphaliæ metropolim ab Anabaptiſtis vendicat. 21
Valdenſium ſtrages. 24.9
Valencenarum ſitus, oppugnatio, & deditio. 30.46
quo iure Valentina Ioannis Galeatij primi Mediolanenſium Ducis filia Mediolanenſem principatum ſibi vendicet. 8.1
Valentino Cardinali Spoletum ſecedendi quæ cauſa fuerit. 6.7
Valentium vrbem Galli quî ceperint. 8.14
Valentinus Borgias à Fauentinis fortiter repulſus. 8.41
Eiuſdem miſerandus exitus. 8.42
Valentinus Borgias Iulij Pontificis Max. iuſſu cuſtodiæ traditus. 9.47
Quare. ibid.
Valentini Borgiæ ambitio Ludouico XII. Galliarum Regi ſuſpecta. 9.24
Quibus conditionibus Cære ei deditum. 9.24
Quam ob rẽ Ludouico & Columnis recõciliatus. 9.41
Valentinus Borgias Ludouici XII. auxilio in priſtinum ſtatum

Digitized by Google

um reſtitutus. 9.10
uo dolo coniuratos ad ſe pertraxerit, maléque affe-
ti. 9.10
idem ſumma crudelitas. 9.21
ur Ludouicus XII. ſuos hoſtes deprimi, non perire
lit. 9.24
alentinus Borgias cur Florentinis ſuſpectus. 9.17
alentinus Borgias à Conſaluo cluſus,& in arcem Me-
nenſem captiuus abductus. 10.10
ij fanum in Burgundi poteſtatem redactum. 2.36
ſij. 11.41
atenſes qui,& quàm crudeliter à Mãtuano habiti. 7.17
lemontium Lotharingiæ oppidum receptum à Renato
otharingo. 3.22
is Pocifera, quænam ſit. 6.37
montonium, cum Lauicano qui confundant. 6.7
ponium ad Draui fluminis ripam ſitum oppidum So-
imano deditum. 23.40
adini arx *vide* arx Varadini.
as Caroli V. legatus in Concilio Tridentino egre-
gium orationem pronuntians. 25.8
Cardinalis Montani reſponſum. 25.9
iſium vnde ſic dictum. 12.9
nicus Londino potitus. 2.30
Et cum fratre in conflictu contra Eduardum cæſus.
Varuicus Comes factionũ Anglicarum princeps. 2.26
A Vauclero deceptus. 2.27
A Borbonio Amyralio liberaliter excipitur. 2.27
ſconis perfidia Taurinum propemodum captum. 22.14
Vaſcones à Florentinis crudeliter excepti. 7.2
ſſiana cædes. 29.37
aſtius & Aſcanius Columna capti. 20.9
Vaſtius Monopolim tentare fruſtra aggreſſus. 20.19
Empolim expugnat. 20.31
Manteuicum obſidione cingit. 23.44
Cariniano quomodo potitus. 23.45
Volaterras nequidquam oppugnat. 20.32
audeneſſius promiſſas ſibi in Comi deditione conditio-
nes à Piſcario non impleri indignatus, cum ad ſingula-
re certamen prouocat. 16.50
Vauclerus Caleſij præfectus Eduardo ſacramentum dicit.
2.27
Varuico Comiti fidem datam fallit. 2.27
Vectigal ſalinarium vehemẽter auctũ à Franciſco I. 22.54
ex Vectigali pecuariæ paſtionis non procul à Gargano
monte 80. nummûm aureorum millia quotannis pen-
di ſolita. 7.16
Vegus *vide* Hanſamus Vegus.
Veneno hauſto Alexander Pontifex in hortis Adriani
Cornetani Cardinalis, extinctus. 9.19
Veneris portus à Ludouico Sfortia optimè munitus. 5.20
Veneti, Venetiæ.
Veneti Matthiam Pannoniæ Regem Coricia inſula
propemodum potitum deturbant. 3.38
Cum Alexandro Pontifice, & Mediolanenſium Duce
ſocietatem iurant. 5.5
Carolo VIII. auxilium denegant. 5.13
Inimicitiarum inter Venetos & Arragonios cauſa, quæ.
5.13
Inſidias in Chalcedonem à Carolo VIII. ſtructas Baia-
zeti indicant. 6.14
Veneti ſumma Gallorum felicitate in rebus Neapolita-
nis perculſi, ſibi à Carolo timere incipiunt. 6.16
Quid Venetos ſocietatem cum Alexandro Pontifice
inire compulerit. 6.18
Item & cum Maximiliano Imperatore. ibid.
Ferdinando Hiſpano. ibid.
Ludouico Sfortia.
Veneti Nouaria à Gallis capta auxiliares copias Galea-
tio iungunt. 6.24
Ducis Veneti ſermo ad Cominæum Caroli VIII. le-
gatum. 7.9
Venetorũ de Gallis & Germanis militibus opinio. 7.21
Veneti à Vitellio ad Caſcinam in inſidias perducti, &
cæſi. 8.6
Vrbinatem ſummum ſuarum copiarum ducem creant.
8.7
Tranſitum liberum per Senenſem agrum obtinere ne-
queunt. 8.7
Venetiæ quanto in diſcrimine. 8.17
Veneti moleſtè ferunt, quòd Ludouicus XII. Valen-
tinum Borgiam ſuis armis foueat. 9.18
Fœdus inter Venetos,& Baiazetem Turcarum Impera-
torem quibus legibus ſancitum. 10.7
Regni Neapolitani amiſſionem Galli cur in Venetos
referant. 10.26
Veneti Maximiliani Imperatoris hoſtes ſe declarant. 10.
37
Venetorum Germanorúmque ad Petrã exercitus. 11.2
Belli Veneti euentus toti Italiæ formidabilis. 11.10
Veneti ſibi timere incipientes, varias ad varios Princi-
pes legationes inſtituunt. 10.10
Fortuna Venetis infeſta. 10.11
Venetarum copiarum duces, qui. ibid.
Eorumdem de bello ineundo diuerſæ ſententiæ. 10.11
Veneti à Iulio Pontifice Max. Chriſtiani nominis hoſtes
declarati. 11.13
Venetorum exercitus robur, ac pugnatorum numerus.
11.13
Ad Abduam cum Gallis acerrimè confligunt. 11.15
Liuianum, ſuarum copiarum ducem amittunt. ibid.
Superantur. 11.15.& 16
Tam felici ſucceſſu armorum Galli Regis vehementer
percelluntur. 11.17
Veneti Piſcheriana arce à Gallis capta, de retinendo
terreſtri imperio deſperantes. 11.18
Eos Iulius in Chriſtianorum communionem reſtituere
meditatus. 11.19
Quanta cura Patauio muniendo incumbant. 11.25
Veneti exercitus ad Vicentiam appulſus. 11.31
Eiuſdem progreſſus. ibid.
Vicentia quomodo potitus. ibid.
Claſſis Venetæ rumor Ferrarienſes interturbat. 11.33
Venetæ claſſis confligentis cum Ferrarienſibus miſera-
bilis facies. 11.34
Quibus conditionibus Veneti in Chriſtianorum com-
munionem reſtituti. 11.39
Claſſis Gallicæ & Venetæ occurſus mutuus ad portum
Veneris. 12.12
Venetiæ ingenti terræ motu concuſſæ. 12.30
Societatis inter Iulium Pontif. Max. ac Ferdinandum,
Venetóſque initæ capita. 13.9
Veneti à Fuxio cæſi. 13.22
Gallorum virtute Brixia pulſi. 13.23
Fœdus inter Imperatorem ac Venetos. 13.29
Reconciliationis inter Ludouicum ac Venetos ſpes in-
iecta. 14.9
Veneti ſocietatem cum Franciſco I. renouantes. 15.3
Veneti à Franciſco I. ſuppetias implorant. 15.24
Brixia à Venetis nequidquam tentata. 15.33
Veneti oppugnandæ Veronæ Lautrecio auctores. 15.37
Societas inter Gallos & Venetos inita cõtinuatur. 15.53
Veneti inducias cum Cæſare pactas, in quinquennium
producunt. 16.4
Caroli V. & Anglorum Regis legati Venetias de ſocie-
tate acturi mittuntur. 17.36
Venetorum ſocietas inter Carolum V. ac Franciſcum I.
meritò diſputanda. 17.38
Iurata inter Carolum ac Venetos. 17.38
In quam ſententiam. ibid.
Veneti Clementem ad exercitum conflandum hortati.
18.26
Soluendæ Mediolanenſis arcis obſidioni totis conati-
bus inſiſtunt. 18.53

Qua

Qua ratione Laus Pompeia in Venetorum poteſtatem redacta. 19.2
Veneti cur fœdus cum Baiazete inierint. 10.7
Ludouico odioſi. 10.20
Maximiliano Imperatori auxilia denegant. 10.23
Pontificis amicitiam requirunt. 10.25
Induciæ ab illis cum Maximiliano pactæ. 11.3
Hæ induciæ exitiale bellum pepererunt. 11.4
Reip. Venetæ laus. 11.8
Venetorum bellum aduerſus Ludouicum XI. vnde natum. 11.10
Venetorum querimoniæ poſt Abduanum prælium. 11.17
Eorum naues à Ferrarienſi regulo demerſæ. 11.18
Amiſſo terreſtri imperio plebis ſeditionem cur ſubuerit. 11.18
Venetæ nobilitatis flos Patauium à Loredano mittitur. 11.25
Veneti Brundusium qua ratione recuperarint. 20.20
Cum Carolo V. vt reconciliati. 20.28.& 29
Venetorum dolus. 20.40
Vulgare de Venetis prouerbium. 11.8
Vercellæ ſitus,& cui parere ſolita. 7.2
Vercellenſis fœderis nuncius Piſanorum animos mirum in modum erigit. 7.14
Vercellis captis fœderati magnam Boniueti intercludendi ſpem concipiunt. 18.3.& 4
Veronæ ſitus,& antiquitas commendata. 11.34
Verona per Venetos fruſtra tentata. 12.11.& 12
Item & per Liuianum. 14.26
Veronenſes à Græcis equitibus malè mulctati. 11.12
Veronæ Venetis reſtituendæ cur Ferdinandus Hiſpanus auctor. 14.11
Verona Venetis reſtituta per Lautrecium. 15.39
Verreius Miglianus ſclopeti glande interemptus. 19.43
Verruculana Piſanorum ſpecula. 7.29
Obſeſſa. ibid.
Verrucola arx à Malaſpineo Marchione oppugnata. 7.30
Verſius *vide* Stephanus Verſius.
Verſius plus vnus apud Carolum VIII. in ſuadendo bello Neapolitano potuit,quàm reliqui eius duces prudentiſſimi. 5.18
Verſij auaritia. 6.19
Verrinus Bononiæ ignauè nimis deditæ pœnas capite luens. 25.19
Veſpaſiani Columnæ nefarium ſacrilegium. 19.8
Veſprinum expugnatum. 30.38
Vexillum Triultij cur Gallis terrorem incutiat. 6.35
Vicenarum arx Carcellenſi permiſſa. 1.39
Vicentia vt à Venetis capta. 11.31
Vtque à Gallis obſeſſa. 11.4
Vicentini à Hanauenſi Cæſaris legato oppreſſi, Ambaſſiani opem implorant. 12.1
Plurimi è Vicentinis fumo,qua ratione ſuffocati. 12.2
Vicentia cur Venetis non niſi ægrè eripi poſſit. 14.2
Vicentia concilio celebrando deſignata. 22.24
Vicopiſanum in Piſanorum poteſtatem redactum. 6.3.& 8.6
Vidamus Carnutenſis Lutetiæ in vincula datus. 28.61
Vigeuenum Ioanni Iacobo Triultio Ludouici XII. liberalitate donatum. 8.28
Viliana arx per Gallos expugnata, omnibus qui in ea inuenti fuere trucidatis. 22.18
Villagagnonis in Americam nauigatio. 28.8
Quæ cauſa nauigationis. ibid.
Vincentius Corſus Foronouana pugna interfectus. 6.31
Vincentianus Pinzonus. 10.8
Vindocinenſi imperium exercitus Gallici à Franciſco I. relictum. 17.41
Cæſarianos fugientes ſtrenuè proſequitur. ibid.
Virginius Vrſinus auctor eſt Petro Medices,vt clandeſtinam cum Ferdinando Neapolitano, Alphonſóque filio ſocietatem ineat. 5.2
Quid illum ad id ſuadendum impellere potuerit. 5.2
Virginius Vrſinus quem in modum cum Carolo VIII. Galliarum Rege conueniat. 5.38
Nolam cum ſuis ſecedit. 6.9
Virtutis præſtantia. 2.40
Vitæ reſtituendæ nulli dari poſſunt præſides. 5.13
vnde factum ſit vt Camillus Vitellius cum fratribus, & ſuis equitibus Foronouanæ pugnæ haud interfuerit. 6.20
Vitellij calamitatum initium. 8.19
In vincula coniectus. 8.20
Florentiam tranſmiſſus. ibid.
Crudeliter ab Martianæ factionis ſtudioſis tractatus. 8.20
Vitellij timiditas, fuga. 17.1
Vitellocij ad Piſanos fuga. 8.20
Eius opera Galli Aretium vt intromiſſi. 9.14
Vittembergenſis Ducatus controuerſia. 20.52
Vittembergenſes Ferdinando Romanorum Regi reconciliati. 20.55
Vldaricus Carolo V. reconciliatus. 14.30
Vmbricum bellum. 15.39
Voconia lex *vide* lex Voconia.
Voghera Ludouico XII. dedita. 8.24
Volaterranus coniurationis ſuſpectus,vinctus. 17.39
Volaterras Vaſtius nequidquam oppugnat. 20.31
Volones, iidem qui voluntarij. 3.11
Vormatienſis conuentus. 16.18.& 14.9
Vormatienſe colloquium. 22.48
Vrbinum in Rouerei poteſtatem vt redierit. 15.41
Vrbinates Chriſtianis ſacris reſtitui poſcentes. 15.51
Vrbinas Chriſtianis ſacris redditus. 17.37
Caroli Borbonij profectionem Romam non interturbare,iuraſſe creditus. 19.21
Vrbinas, ne Clemens Pontifex liberetur cunctando more ſuo fraudulenter efficit. 19.31
Venetis proditionis ſuſpectus. 19.36
Vrbinatis fides cur multis ſuſpecta. 19.3.& 9
Vrbinas ſoluendæ Mediolanenſis obſidionis auctor. 19.4
Arcem Mediolanenſem dedi conſultò optaſſe viſus. 19.6
Cremonam ad deditionem cogit. 19.9
Genua facilè potiri valuit. 19.10
Vrſeus *vide* Petrus Vrſeus.
Vrſini *vide* Virginius Vrſinus.
Vrſini Romam diripientes. 19.52.& 53
Vrſinus Mugnanenſis captus. 12.36
Vſtrephus ac Mahometes Turcæ Pannoniam ingreſſi. 22.60
Vacciam oppidum occupant. 22.60
Vulpianum Aumallio deditum. 27.7
Vulturnus fluuius. 68

Z

Zacharias Contarenus inter Venetos ditiſſimus. 11.14
Zancanius Veneti exercitus dux *vide* Andreas Zancanius.
multa Zelandiæ oppida à mari abſorpta. 2.10
Zelymus *vide* Selimus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google